image
not
available

53

R. P. JOSEPHI

MANSI

CONGREGATIONIS ORATORII

PROMPTUARIUM

Sacrum ac Morale.

R. P. JOSEPHI
MANSI
CONGREGATIONIS ORATORII
Romani Presbyteri,

PROMPTUARIUM
SACRUM AC MORALE;
HOC EST DISCURSUS EXEGETICI

In omnes totius Anni solemnitates, Sanctorumque occurrentium, eorum præcipuè, qui in alma Urbe sub præcepto feriantur, Dies festivos elegantissimè concinnati, in quibus per viam Discursuum copiosissima Sacrarum Scripturarum, Sententiarum Sanctorum Patrum, aliarumque expositionum, quæ ex Vitis Sanctorum, de quibus Festum agitur, luculenter non minùs, quàm aptè deducuntur, messis subministratur.

OPUS OMNIBUS DIVINI VERBI PRÆDICATORIBUS,

Animarum Pastoribus, Sacræ Scripturæ Interpretibus, Catechistis, Asceteriorum Directoribus perutile ac necessarium, & ex Italica Lingua in Latinam conversum.

CUM TRIPLICI INDICE; PRIMO THEMATUM & Discursuum; Altero Materiarum & Rerum Notabilium; Tertio Locorum Sacræ Scripturæ.

VENETIIS, MDCCXXXV.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

PRÆFATIO AUTHORIS

AD LECTOREM.

EA animum meum spes subit, eum, quo pluribus annorum circulis desudavi, laborem, pluribus utilissimum, & idcircò multis, ac potissimùm Verbi Dei Prædicatoribus seu Concionatoribus fore gratissimum, cùm enim nonnumquam aut Librorum aut temporis accidat penuria, libros de loco in locum transferendi commoditas, aut corporis bona desit dispositio ad studendum maximè requisita, nihil profectò meliùs, nihilque Tibi utilius me facturum mihi persuadere potui, quàm quòd talem materiarum prædicabilium ex Scriptura Sacra, Sanctis Patribus, sacris interpretibus, & aliis bonis probatisque Authoribus qua antiquis, qua recentioribus collectam seriem, Tibi subministrarem; Quocirca hunc etiam laborem Promptuarium dicere volui, eò quòd quisque in eo recipere, ex eoque eruere valeat totum id, quod sibi suoque proposito optimè servire poterit.

Totum hoc Opus hunc in finem à me compilatum Sex Tomis constabit, quorum omnium hic primus est, mox reliqui volente Deo sequentur impressi. Suppeditat iste Discursus exegeticos, in omnes totius Anni Solemnitates, Sanctorumque occurentium Festa, eorum præcipuè, quæ in alma Urbe sub præcepto aut speciali devotione feriantur; & hoc, uti in Operis decursu videbitur, ex propriis eorumdem Sanctorum officiis. Tomus Secundus erit instar in longum protractæ seu extensæ catenæ, varias variorum sanctorum Patrum aliorumque Authorum, in omnia omnium totius anni Dominicarum Evangelia connectens interpretationes, reliqui Quatuor Tomi supra mille continebunt Discursus, de virtutibus & vitiis aliisque pulchris materiis moralibus insigni methodo ordineque Alphabetico in maximam animarum utilitatem digestis. Discursus dico: siquidem me parum dilato, illud enim semper vel maximè studui, prosequi videlicet subjecti mei propositum. Totum hunc laborem variis suppositis Themanibus pro majori eorum, qui in eo mihi cooperari volunt, facilitate superstruxi, ut ad hoc major esset connexio, & novæ cujusdam Polianthææ non præ se ferret speciem. Fateor prolixim me esse in adducendis aut sacræ Scripturæ aut sacrorum interpretum Authoritatibus, ut hac ratione cuique satisfiat in eligendis iis verbis seu sententiis, quæ proprio cujusque magis arrident proposito. Abstinui à Paradoxis, conceptibus Academicis & Poeticis, maximè verò à prophanis eruditionibus & doctrinis, ut sic seria pro decore prædicationis Evangelicæ tractanda docerem, aliosque ad mihi in hoc cooperandum incitarem. Neque insuper alio unquam collimavi, quàm nudam subministrare materiam, cuique libertatem relinquens, in eamdem quamcumque, quæ Auditorum aures magis demulceret inducendi formam. Parum etiam studui elegantiæ, eloquentiæ, aliisque artificiosè dicendi Rhetoricismis, procedere enim malui stylo simplici, brevi, & nitido; quantum quidem ad exprimendam veritatem, non autem exornandam dictionem serviebat.

De cætero Te rogo, benevole Lector, quatenùs summæ meæ debilitati compati velis, & ad minùs æstimare laborem, quem eo solùm fine subivi, ut Tuo labori parcerem, & Tibi velis satisfactum devotissima mea & propensissima in Tuam utilitatem voluntate. Vale.

PRÆFATIO INTERPRETIS
AD LECTOREM.

Otentissimus ille universi orbis Monarcha Augustus Imperator inter alia, de quibus frequenter gloriari solebat opera, unum è præcipuis erat, quòd videlicet vim Romani Imperii, & consequenter totius mundi Imperium adorsus; Romam invenisset luteam vel lateritiam, ipse verò utpotè ingenti, nobili, & generoso animo præditus Romam continuis fabricis & ædificiis eousque restaurarit, & exornarit, ut novæ cujusdam urbis faciem induisse videretur, ac proinde dicere solebat; *Inveni civitatem hanc lateritiam, & relinquo marmoream*. Simile quidpiam doctissimus Platina, omnes fabricas, ædificia, restaurationes, fontes, Ecclesias, Palatia, Hospitalia, aliasque à SS. Domino felicis recordationis SIXTO IV, Pontifice Maximo magnificas erectas structuras considerans, de eodem dixit: SIXTUS *Romam invenit luteam, & reliquit lateritiam*. Quod idem omninò hac nostra ætate Reverendus Admodum & Doctissimus Dominus JOSEPHUS MANSI, è Congregatione sancti Philippi Nerii in alma Urbe Presbyter, professione Theologus & Concionator facundissimus pariter ac celeberrimus, inter alia ingenii sui monumenta, quibus perenne sibi apud posteros trophæum statuit, efficere voluisse mihi quidem hucusque visus est, dum potissimùm illud Romanæ Urbis, id est, Ecclesiæ Catholicæ, decus ac ornamentum, Sanctos videlicet, quorum aut universali præcepto, aut particulari almæ Urbis devotione festus in Ecclesia dies agitur; luteum quasi reperit, tum, cum eos simplici Historica methodo, non tam excultos, quàm solùm publicæ hominum notitiæ expositos seu luteos invenit; illud tamen ornamentum in quam lateritium marmoreum reliquit, quando eosdem ratissimis sanctorum quorumvis dignitatem decentibus ornamentis, magnificis nimirum Hieroglyphicorum, similitudinum, Allegoriarum, Apophtegmatum, sacrorum etiam dogmatum & sententiarum fabricis ac structuris expolitos ipse cum multis aliis quidem ante ipsum scriptoribus spectandos exposuit; at tamen MANSI præ cæteris & exactiori, facilliori, utiliorique Methodo, diligenti gravique, imò curioso studio adornavit ita, ut si eorumdem sanctorum vitam, si res gestas, si miracula, si encomia spectes, illud jam olim tritum, *Non plus ultrà* absolutissimo huic operi jure merito aptari possit, cùm vix *ultrà* de sanctis hoc, opere illustratis quidquam dicendum supersit, quod MANSI acutissimis ingenii sui dentibus masticatum priùs Christi fidelibus ut parvulis, ad hoc ut in iis sedulam sanctorum procuraret imitationem, manducandum non proposuerit. Opus certè est, ob fundamentorum firmitatem, id est Historiarum veritatem, rarum, ob insignem compositionis structuram, magnificum, ob ornamentorum id est sententiarum qua gravitatem qua varietatem gratissimum, ac demum ob maximam suam perfectionem utilissimum, & æterna dignum memoria & laude sæculorum. Deerat eidem unum & plurimorum votis expetitum hoc ejusdem insigne decus & ornamentum, ut latino adumbraretur penicillo, penicillo inquam universaliori quem omnes omninò Ecclesiastæ propria manu ducere norint necesse est; ut sic excellentis cujuslibet operis extrema perfectio, quæ est communis plurimorum utilitas, & huic quoque accederet. Et quidem inventus est qui hunc in se laborem susciperet; & hoc sanctorale latino sermone exornaret, interpres non minùs fidelis quàm doctus, cæteris omnibus ejusdem operis partibus ab ipsomet Authore in sua ad lectorem præfatione recensitis (si vita comes) fuerit eumdem prorsus latini sermonis ornatum additurus, è quibus post hoc sanctorale intra unius anni spatium & Dominicale hoc latini sermonis amictum lumine velut vestimento in medium prodibit.

Platina in vit. Summ. Pontif. in Præfat. & Vincen. B lu. specul. Histor. lib 6. c. 44. fol. 84. col. 2. Platina in vit. Sixti IV.

Tu interim amice lector olim quasi luteam, nunc verò Marmoream hanc in sanctorum vitas structuram prorsus magnificam, rationabili tibi pretio comparare, ac demum diligenti studio perlustrare ne desinas; erit hoc in opere quod mireris, erit quod addiscas, erit quod pro vitæ tuæ perfectione animæque salute imitandum tibi proponas.

Ac demum optimè lector, si hoc latini sermonis ornamentum huic tam insigni operi superaddendo in te beneficus fuisse videor, tu ne beneficii rependendis sis immemor, & mei, quicumque ille demum sim interpres, aliquando meminisse digneris, cum, licèt pulvis & cinis, locutus fueris ad Dominum Deum tuum. Vale, & è labore nostro fructum referas centesimum.

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di revisione, ed approvazione del P. Fr. Tomaso Maria Gennari Inquisitore, nel Libro intitolato: *Promptuarium Sacrum, & Aerarium Evangelicum, Auctore Joseph Mansi Congregat. Oratorii*, non esservi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materie di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 12. Maggio 1720.

Alvise Pisani Cav. Proc. Riff.
Pietro Grimani Cav. Proc. Riff.

Agostino Gadaldini Segr.

IN-

INDEX
THEMATUM ET DISCURSUUM,

Qui in Prima Parte PROMPTUARII SACRI continentur.

FESTUM CIRCUMCISIONIS D. N. JESU CHRISTI, ejusque sanctissimum nomen JESU, & novi anni initium

Duodecim discursibus celebratur.

FESTUM EPIPHANIÆ

Decem ejusmodi Discursus subministrat.

DE S. ANTONIO MAGNO ABBATE

Discursus quinque.

DE S. JOSEPHO SANCTISSIMÆ Virginis Sponso

Discursus undecim.

DE ANNUNTIATIONE B. V. MARIÆ

Discursus septemdecim.

DE RESURRECTIONE D. N. JESU CHRISTI, sive de Festo Paschatis

Discursus viginti.

INDEX THEMATUM, ET DISCURSUUM,

Qui in Secunda Parte continentur,

DE S. MARCO EVANGELISTA

Diſcurſus quinque.

Index Thematum & Discursuum.

DE SS. APOSTOLIS PHILIPPO ET JACOBO

Discursus sex,

DE INVENTIONE S. CRUCIS

Discursus undecim,

DE ASCENSIONE CHRISTI

Discursus quindecim,

DE SOLEMNITATE PENTECOSTES,

sive Spiritus sancti

Discursus viginti & unus,

Factus

DE FESTO SANCTISSIMÆ TRINITATIS

Discursus octo.

DE SOLEMNI FESTO SANCTISSIMI Corporis Christi.

Discursus decem.

VI. Cor-

DE NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ,

Discursus novem,

DE S. PETRO APOSTOLO

Discursus quatuordecim.

INDEX THEMATUM ET DISCURSUUM,

Qui in Tertia Parte continentur,

DE S. MARIA MAGDALENA

Discursus tredecim,

DE FESTO S. JACOBI MAJORIS APOSTOLI

Discursus quinque.

DE S. ANNA MATRE BEATISS. VIRGINIS

Discursus quinque,

DE FESTO S. PETRI IN VINCULIS

Discursus quinque,

Quam

DE FESTO S. MARIÆ AD NIVES

Discursus quinque.

DE S. LAURENTIO MARTYRE

Discursus octo.

DE ASSUMTIONE B. VIRGINIS MARIÆ

Discursus tredecim.

DE S. ROCHO CONFESSORE

Discursus undecim.

Cru-

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO

Discursus sex.

DE DECOLLATIONE S. JO. BAPTISTÆ

Discursus septem.

DE NATIVITATE B. VIRGINIS MARIÆ

Discursus undecim.

DE S. MATTHÆO APOSTOLO

Discursus undecim.

INDEX THEMATUM ET DISCURSUUM,
Qui in quarta Parte continentur.

De Sancto & Seraphico FRANCISCO ASSISINATE

Discursus septemdecim.

DE SS. APOST. SIMONE ET JUDA

Discursus quinque.

Index Thematum & Discursuum.

DE CONCEPTIONE B. VIRGINIS

Discursus septem.

DE S. LUCIA VIRGINE ET MARTYRE

Discursus quinque.

DE S. THOMA APOSTOLO

Discursus sex.

DE NATIVITATE CHRISTI

Discursus tredecim.

DE

Index Thematum & Discursuum.

DE S. STEPHANO PROTOMART.

Discursus octo.

DE S. JOANNE APOSTOLO

Discursus novem.

IN FESTO SANCTORUM INNOCENTIUM

Discursus sex.

DE SANCTO SYLVESTRO PAPA

Discursus quinque.

PROM-

PROMPTUARII
SACRI ET MORALIS
R. P. JOSEPHI MANSI
PARS PRIMA,

Tres Menses Januarium, Februarium, & Martium Complectens.

DE CIRCUMCISIONE, ET SANCTISSIMO NOMINE JESU; Nec non DE NOVI ANNI FELICI INITIO

DISCURSUS DUODECIM.

Discursus I. Varia recenset mysteria, ob quæ Filius Dei circumcidi voluit.

Discursus II. De Circumcisione spirituali, quæ variis modis fieri solet, præcipuè in resecandis appetitibus inordinatis, sensibusque custodiendis consistit.

Discursus III. Circumcisio Christi ad perfectam Divinæ legis observantiam nos adhortatur, ut hac ratione longævam consequi vitam valeamus. Motiva quoque explicantur, cur sanctissimum Jesu nomen Circumcisioni conjunctum fuerit; Item circa hujus sanguinis effusionem variæ instituuntur considerationes; nec non variæ pro primordiali totius anni die moralitates.

Discursus IV. Solicitudo quam Dei Filius sanguinem suum pro nostra salute effundendo nobis exhibuit, nobis velut calcar inservit ad excitandam animi nostri pigritiam & socordiam. Amor quoque, quo hunc sanguinem effudit, graviter ponderatur, & quanti pauculæ hæ sanguinis stillæ æstimandæ sint, ostenditur, utpote quæ ingentem sanguinis effusionem deinceps subsecuturam promittunt.

Discursus V. Gloriæ sanctissimi nominis Jesu exponuntur.

Discursus VI. In virtute sanctissimi nominis Jesu ingentem gratiæ & gloriæ lucem nobis comparamus. Per hoc etenim omnis passio suavis redditur, ac demum qualibet in re dulcedo, & jubilus invenitur: aliorum denique innumerabilium bonorum operationes eliciuntur.

Discursus VII. De sanctissimo nomine Jesu, cujus virtute remissionem consequimur omnium peccatorum.

Discursus VIII. De præcellentibus victoriis, quas in virtute hujus sanctissimi nominis de inimicis nostris reportamus.

Discursus IX. Ad hoc ut hujus sanctissimi nominis virtute potiamur, illudque non indignè invocemus, necessum est ut in gratia Dei constituti simus.

Discursus X. Clarè ostendit quòd sanctissimum Jesu nomen efficax sit miraculorum patrandorum instrumentum.

Discursus XI. De mysteriis ob quæ anni nostri aranearum telæ assimilantur.

Discursus XII. Probat primò residuum vitæ nostræ tempus fructuosè à nobis collocandum esse. Secundò nequaquam differendam esse pœnitentiam. Tertiò multæ quoad hoc deteguntur fallaciæ & fraudes.

De variis Mysteriis, ob quæ Filius Dei circumcidi voluit.

DISCURSUS PRIMUS.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer. Luc. cap. 2. v. 12.

1. S. Bernardus de Circumcisione Salvatoris nostri scribens, in varios prorumpit admirationis affectus dicens: *Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia super eum possit cadere sententia illa, Masculus, cujus preputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo:* Num forte timeri poterit, ne Pater æternus Filium suum, nisi is hoc circumcisionis signo notatus fuerit, agnoscere non possit? *imo vero* (subjungit idem sanctus) *si quo modo posset non agnoscere Filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maxime signo poterat ignorare eum, inventa in eo circumcisione, quam peccatoribus ipse providerat, ob purgationem utique delictorum.* Serm. 3. de Circ.

2. Enimverò circumcisio Filii Dei adeo impropriè convenit, ut Evangelista, quantumvis in omnibus vitæ suæ successibus enarrandis sit accuratissimus, nihilominus dum ad hoc punctum recensendum pervenit, solum tempus circumcisionis appropinquasse dicat, effectum verò circumcisionis realiter subsecutum esse, dicere non ausit, cujus quidem silentii ratio à doctissimo Salmerone optimè tangitur, dum ait: *Horruit Evangelista infantulum innocentem nota & cauterio subjicere circumcisionis, cum esset innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis, scilicet Angelis, factus.* Et quidem admiratio hæc tanto magis adaugetur, si To. 3. tract. 36.

consideremus quòd stigma hoc eodem prorsùs modo Christo illatum fuerit quo aliis infantibus adhibetur, utpotè qui nullo rationis usu gaudentes vulnus istud non ex propriæ, sed ex alienæ voluntatis dispositione recipiebant: Christus autem non sic, utpotè quia primo instanti conceptionis suæ, rationis perfectissimo usu præditus fuit. Un-
Jer. 31. 22. dè de eo scribitur: *Fœmina circumdabit virum*; atque ideò voluit in aliorum peccatorum numero comprehensus cir-
Isa. 53. 7. cumcidi elegit. *Et oblatus est* (addere possumus) *circumcisus est, quia ipse voluit*. Cùm igitur certissimum sit, quòd
Ps. 103. 24. Salvatori nostro verè dici possit: *Omnia in sapientia fecisti*, jure meritò ad indaganda motiva impellimur, ob quæ hunc circumcisionis legi sese ultro subjicere voluerit.

3. *Ut circumcideretur*. S. Evangelista Matthæus, Christum Dominum Abrahæ filium nominavit: *Liber generationis Jesu Christi Filii Abraham.* Qua autem ratione mundus Christum verum Messiam promissum, ex dictis Patriarchæ stirpe descendentem credere potuisset, nisi hoc circumcisionis signaculo fuisset insignitus? Fuit hæc quon-
Luc. 2. dam Euthymii ponderatio, dum ait: *Nisi circumcisus fuisset, nequaquam ejus doctrina suscepta fuisset, sed omnino repudiata tanquam alienigena: neque credidisset quispiam ipsum esse Christum de semine Abrahæ expectatum*: Omnes namque ab Abraha descendentes posteri, à quibus juxta Prophetarum vaticinia Messia nasciturus erat, hoc circumcisionis signaculo sigillati erant, utpotè per quod ab aliis gentilium populis distinguebantur.

4. *Ut circumcideretur*, Magister noster Christus quondam palam de se testificatus est: *Non veni legem solvere, sed adimplere*. Ac proinde ait idemmet Euthymius: *legem ait in hoc adimplens, sicut in aliis quoque præceptis legalibus, ne legis trasgressor videretur*, scandali occasionem huic populo adimere voluit, utpotè qui infallibiliter murmuraturus fuisset, si ipse ab hoc se vulnere eximendo, hanc in se singularitatem exhibuisset.
In Luc. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Nè Judæi haberent occasionem contra Christum, dicendo quod legem transgressus esset*, ideò cùm nullus ex hoc populo hanc à se legem excluderet, omnibus aliis sese conformare voluit, *propter communitatis & uniformitatis commendationem, ut & nos singularitatem vitemus*. Adhæc obedientiam nobis insinuare voluit, dum legi à se aliis datæ sese subjicere voluit. Undè Salmeron ait: *Obedientiam in hoc quod subditus suæ legi faciens simul ac docens; pulchra est enim certè sententia illius Imperatoris qui dixit;*
Cit. In cat. D. Thomæ *digna vox Majestate regnantis, alligatum legibus se principem profiteri*. Beda scribit, Christum obediendi exemplum nobis exhibere voluisse; *ut etiam nobis obediendi virtutem commendaret exemplo, & ut eos qui sub lege positi, legis onera portare nequiverant, sua compassione juvaret*. Quis etenim cauterium hoc adeo pœnosum nauseare potuisset, quando ipsummet Dei Filium innocentem, ipsisque cœlis puriorem, magisque immaculatum illud nequaquam fastidire cernebat? veruntamen Haymon aliud hujusce perpessæ Circumcisionis
In Luc. motivum insinuat, dum ait: *ut demonstraret legem Moysis justam, sanctam, & bonam esse*. Id quòd Salmeron quoque post se scriptum reliquit dicens: *ut legem Dei approbaret, vel ob solam circumcisionem à gentibus reprobatam, atque in calumniam vocatam*.

5. *Ut circumcideretur*; Circumcisus insuper est, ut multorum confunderet hæreticorum errores: *ut ostenderet se veraciter incarnatum, non phantasticè* (ait Dion. Carthusianus) *seu apparenter, ut Manichæus confinxit; & ut monstraret, quod corpus suum Divinitati consubstantiale non esset, ut dixit Apollinaris*. Undè etiam S. Bernardus scribit: *sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis*; dum enim ad similitudinem aliorum infantum in præputio vulneratus sanguinem effundit, impio Valentino blasphemum os obstruit, qui ipsum è cœlo corpus suum impassibile & immortale attulisse ait, dum idipsum verè passibile mortique subjectum esse probavit.

6. *Ut circumcideretur*. Aliud nobis hujusce Circumcisionis mysterium sanctus Leo insinuavit, dum ait:
Serm. 2. de Nat. *ut virtutem Deitatis per velamen nostræ infirmitatis absconderet, illusa est securi hostis astutia, qui nativitatem pueri in salutem generis humani procreati non aliter sibi quam omnium nascentium putavit obnoxiam; vidit enim circumcisioni subditum, & legalis sacrificii oblatione perfunctum*. Idem quoque motivum B. Laurentius Justinianus adducit, dum ait: *Diabolo, ne incarnationis mysterium agnosceret, velamen imposuit*. Fuitque hoc Serm. de Circ.
ipsum ab increata & incarnata illa Sapientia ita dispositum, ut redemptionem nostram tanto abundantius operaretur: Quòd si enim tam humani generis inimicis, quam increduli & perfidi Hebræi Christum verum Dei filium agnovissent, nunquam ei in crucis patibulo probrosam mortem intulissent: *si cognovissent, nunquam* 1. Cor 2. 8.
Dominum gloriæ crucifixissent.

7. *Ut circumcideretur*. Apertè satis Christus se eo potissimum fine in hunc mundum venisse est contestatus,
ut nos humilitatis virtutem edoceret: *discite à me quia* Matth. 11. 29.
humilis sum. Hanc autem humilitatem suam circumcisionis præceptum adimplendo in supremo gradu exhibuit; *Quia*, ut optimè Salmeron notavit, *non solum ut homo nobis apparere voluit, sed etiam ut homo servus*. Porrò in incarnatione *formam servi accipiens habitu est inventus ut homo*: in circumcisione autem sua verum se servum & mancipium nostrum se demonstravit, dum hunc in modum cruento circumcisionis stigmate
signari voluit; *A Domino suo*, (inquit de servo idem- Sal. 15. 16.
met Salmeron) *nota servitutis inuritur, atque ita hoc signaculo circumcisionis perpetuum se nostrum declarat servum atque mancipium. O Domine quia ego servus tuus,*
ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Servitus charita- Lib. 3. gen. dist. c. 20.
tis servitus illa, cui se Christus submisit, à S. Hieronymo in Epistola ad Titum appellari meruit: *quia cum esset liber ex omnibus, servus omnium fieri voluit*. Enim verò, ut Alexander ab Alexandro refert, servi antiquitùs stigmatibus insigniri solebant; atque ideò Christus per hoc stigma & cruentam circumcisionis notam, non solum nominis, sed & effectivum servi particeps fieri voluit. Et quidem quod si ethymologia nominis *servitus*, prouti multi affirmarunt, à verbo *servare* derivatur; optimè hodie nec sine ingenti mysterio Christus in hac sua cruenta circumcisione Jesus denominatur, quod idem est quòd Salvator. Eandemmet Christi virtutem S. Bernardus serm. 3. de hodierno festo sequentibus verbis ponderavit: *Minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo, hodie minoratus est multo minus ab Angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris & insignitur*
velut quodam cauterio latronis. Porrò ex hac Filii Dei Didacus Stella.
humilitate expositor quidam modernus circa hunc S. Lucæ textum egregiam quandam elicit moralitatem; Filius enim Dei peccator videri & apparere voluit, licèt talis non esset: nos autem qui maximi peccatores sumus immaculati censeri, & innocentes reputari volumus; ideòque graviter decipimur, & reipsa evidenter satis demonstramus, quàm sit vita nostra vitæ Christi contraria, dum justi videri & censeri ab omnibus volumus, qui tot sumus sordibus coinquinati. Au-
dite quid hac de re scripserit S. Bernardus, dum con- Serm. 1. de Circ.
formiter ad ea quæ diximus de Redemptore nostro ita loquitur: *Nec vestigium quidem ullum vulneris habens alligaturam non refugit vulneris: non sic impii non sic, non sic agit perversitas elationis humanæ erubescimus vulnerum legaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur; qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari, nos & esse volumus, & nolumus æstimari*.

8. *Ut circumcideretur*. *Ut singularem adversus homi-* Gen. 34.
nem (inquit Salmeron) *amorem ostenderet*. In Genesi scribitur, quòd Sichem amorem Dinæ Jacobi filiæ captus, tanta erga eam affectione ferebatur, ut quo illam sibi adsciscere posset in conjugem, se una cum omnibus subditis suis circumcisionis cultro ultro citroque subjeceret, qui proindè ex accepto circumcisionis vulnere una cum Principe suo occurrerunt morti. Vere autem in hoc Pricipe figuratus est Christus, qui ut sibi animas nostras desponsaret, hodie se circumcidi voluit, ut tandem suo tempore ex mero erga animas fratrum suorum, qui Hebræi erant, amore morti quoque traderetur. Eundem hunc ardentissimum Christi amorem Albertus Magnus ejusdem hujus festi occasione considerans, ita scribit: *sententia condemnationis, æterna lata fuit in latronem, qui voluit auferre similitudinem suæ Divinitatis: audivit hæc Regis filius intra aulam in secreto Patris constitutus: exivit; formam latronis induit, ut sententiam condemnationis pro servo acciperet, ut servum liberaret; forma autem latronis est character latronis in circumcisione, quæ non dabatur, nisi pro remedio peccatorum*. Et quidem ad manifestiorem hujus probationem hunc textum adducit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*; vel juxta versionem Aquilæ.

vi.u

vias latronis ; cauteria latronis , scilicet in me , recipiente .

9. *Ut circumcideretur*. Quæstio non solum curiosa, sed utilis pariter & fructuosa, quia inquiri solet causa cur Filius Dei in hunc mundum ad totum humanum genus redimendum veniens specialiter ex Hebræorum populo incarnari, & in sola Palæstina, non verò in alia mundi parte nasci voluerit; Et quidem omissis omnibus aliis responsionibus S. Irenæus eam adducit causam, quæ proposito nostro quam maximè inservit, dum ait: *Ideò Christus nascitur in Judæa, & non in Gentibus, quia gentilitas carebat circumcisione; & ideo in Judæa ostentat gloriam suam in primordio nativitatis suæ, in effusione sanguinis.* Lib. 3. c. 7. Idemmet ipse quoque Redemptor noster dixit, dum ait: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Luc. 12. 50. Etenim impatiens erat omnis moræ, quamdiu horam cernere non poterat qua pro redemptione nostra aliquod facere posset effusionis sanguinis sui exordium. Sanguis ejus intra Venas ebulliebat effundi percupidus: atque ideò vix natus vulnerari voluit. Porrò fructus primitivos, quia rari sunt, permagni æstimare consuevimus, licèt ad perfectam maturitatem nondum pervenerint, atque ideò Filius Dei hasce sanguinis sui primitias veluti donum æterno Patri suo summè acceptum anticipatè offerre satagit: *En fructum novum* (inquit Salmeron) *nam quid magis novum sanguine Dei pariter & hominis ex nova arbore producto, atque ex Sanctissima Virgine Deipara, de qua novum faciet Dominus super terram, fœmina circumdabit virum?*

10. *Ut circumcideretur*. Scribit S. Ambrosius Christum Dominum nostrum per hujus legis adimpletionem eandem cum honore abolere voluisse, ideòq; eandem in semetipso exequi voluisse: *voluit legem cum honore sepelire*. Cui consentit Carthus. dum ait: *ut virtute ac merito suæ Circumcisionis fideles suos à duritia præcepti illius exoneraret, & ipsam Circumcisionem in Baptismum dulciter commutaret.*

11. *Ut circumcideretur*. Dici quoque potest Christum in carne sua Circumcisionem admisisse, ut nos doceret non esse dolendum nobis, dum à divina justitia propter peccata nostra castigamur: videntes (sunt verba Dionysii Carthus.) *quod Christus, qui remedio culpæ non eguit, circumcisionem, quæ fuit remedium contra originale peccatum, ineffabili humanitate suscepit.*

12. *Ut circumcideretur*. Salvator noster ad instar Medici in terram descendit, infirmitates nostras curaturus. Veruntamen in hoc se ab aliis differre probavit, quod scilicèt hi quidem infirmis medicinæ pharmacum ordinent & præscribant, illud tamen remedium pro semetipsis minimè accipiant aut sumant, nec sibi sanguinem è venis eliciant, at verò non sic prothomedicus noster cœlestis, qui *languores nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portavit*. Et quidem hodie venas sibi aperire incipit, ut sanguine suo veluti pretiosissimo quodam balsamo peccatorum nostrorum vulneribus medeatur: Undè S. Bernardus ait: *Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem,* Serm. 3. de Circ. *quam tamen in seipso non habuit necessariam? nonne & in membris nostris sæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput & in brachio fit cæsura; dolent renes & fit in tibia; ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite.*

De Circumcisione spirituali, quæ multifariam fieri solet, præcipuè verò in inordinatis appetitibus, sensibusque custodiendis consistit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Circumcisio cordis in spiritu. Ad Romanos Cap. 2. v. 29.

1. TAmetsi summo nobis studio in id connitendum sit, ut Salvatorem nostrum in quavis actione nostra imitemur; id tamen vel maximè à nobis in puncto Circumcisionis præstandum erit, utpotè quam, Apostolo teste, in nobis spiritualiter exequi debemus: *Circumcisio cordis in spiritu.* Coloss. 2. 11. Id quod idemmet Apostolus alibi quoque nobis insinuat, dum ad Colossenses ita scribit: *Circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi.* Qui quidem textus licèt de Baptismi Sacramento communiter exponatur, de spirituali tamen circumcisione non minùs appositè intelligendus videtur. Circumcisio etenim in Dei Filio non ordinabatur veluti quoddam peccati originalis (cujus omninò expers erat remedium, sed potius ad spiritualem nostram instructionem & doctrinam). Undè B. Laurentius Justinianus ait: *Voluit sanè* (scilicèt Pater æternus) *ut ille* (nimirum unigenitus ejus Filius) *circumcideretur in carne, quatenus tu circumcidaris in spiritu.* Serm. de Circ. Salmeron quoque inter alias susceptæ à Christo circumcisionis causas, quas adducit, hanc eandem pariter recenset, dum illum circumcisum esse ait; *ut præberet nobis exemplum obedientiæ, humilitatis, castitatis, suoque adventu virtutes illas consecraret, & spiritualem circumcisionem nobis commendaret.* Tom. 3. tr. 36. Similiter Hugo Cardinalis mysterium istud propter *doctrinam nostram* accidisse agnovit, atque ut clarius, qualem Christus nobis in hoc facto instructionem imprimere voluerit, explicaret, subjungit: *In hoc enim docuit, quod in principio vitæ suæ debet quilibet circumcidi, & bonis moribus informari.* Porrò circumcisio hæc spiritualis in nobis non tantum utilissima est, verùm etiam ad salutem nostram maximè necessaria; atque ideò sanctus Bonaventura acutè observat, nomen Jesu Filio Dei tunc præcipuè, cùm circumcideretur, impositum fuisse, ut per hoc nos edoceret, Serm. 4. de Circ. quòd tunc præcipuè fructibus hujusce nominis gavisuri, ac proindè salvandi simus, quando spiritualem hanc circumcisionem in nobis executi fuerimus: *In quo tibi ostenditur, quòd per hoc nomen salvaberis, si circumcidaris, & aliàs non;* Enimverò quot modis hæc circumcisio spiritualis à sacris interpretibus explicetur, auscultare non pigeat.

2. Hugo de S. Victore in Capitulo quodam, quo *de triplici circumcisione* dixerit, materiam hanc in tres potissimum species distinguit: Lib. 2. aleg. c. 5. *Tres sunt circumcisiones, una in carne tantum exterius, quæ Sacramentum est.* Hæc autem nullum jam amplius locum habet, cùm in ejus locum subrogatus fuerit Baptismus: *Altera quæ fit in præsenti*, estque illa, de qua in præsenti discursu disserere intendimus; eaque tunc præcipuè fit, *quando anima per depositionem iniquitatis circumciditur.* Hæc autem dispositio quædam est ad tertiam, ad quam ordinatur & altera, & consistit in separatione animæ ab hoc gravi & ponderoso nostro corpore, ut tantò facilius ab hac expedita ad cœlum munda & pura evolare possit. *Altera* (id est tertia) *quæ in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis corpus circumcidetur.*

3. S. Bonaventura pariter varia distinguit circumcisionum spiritualium genera: Serm. 2. de Circ. *Circumcidi debemus ab iniqua cogitatione & voluntate; hoc est enim præputium cordis.* Et meritò quidem, siquidem quàm necessum sit, ut perversis cogitationibus, nec non voluntati perperam regulatæ frænum injiciatur, quilibet facilè intelligit, & in semetipso evidenter experitur. B. Laurentius Justinianus hoc sequenti textu utitur: *Circumcidimini viri Juda, ait Propheta, præputia cordis vestri, & non carnis*, moxque quænam hæc præputia sint, declarat, dum ait: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Ehem quot cogitationes invidiæ, iracundiæ, lasciviæ, gulæ, superbiæ, aliæque similes mentem, & cor nostrum contorquent, bonæque conscientiæ serenitatem & pacem conturbant & obfuscant? Ecquid autem ad illas compescendas nobis hodie ad imitationem Salvatoris nostri in hac circumcisione spirituali faciendum erit? Per considerationem sanguinis hujus, qui hodie pro peccatis nostris effunditur, cogitationes illæ resecandæ & abscindendæ sunt, simulque cogitandum, quòd *sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quanti voluptates & deliciæ nostræ, nostrique appetitus inordinati huic Deo constant? Psal. 136. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram*, id est, ut Hugo Cardinalis exponit, *qui motus malos antequam crescant, retinet, ne sint liberi, & allidit ad petram Christum, ut confracti dispereant.* Id est, in præsenti proposito nostro, Christum circumcisum acutissimo huic cultro lapideo, qui tanto cùm dolore pro expiatione peccatorum nostrorum ejus sanguinem effundit, subjectum considerat. *Circumcidi debemus*, dicit insuper prædictus Doctor Seraphicus, *ab incauta locutione, contra quod Moyses conqueritur, en incircumcisis labiis sum; hanc circumcisionem docet Apostolus, omnis sermo malus de ore vestro non procedat.* Eheu quot damnorum lingua nostra causa & origo esse potest, nisi spiritualiter fuerit circumcisa, id est, nisi eam refrænaverimus. Quot sunt homines immortificati, qui unico verbo aspero, vel injurioso, vel

derisorio aut inhonesto lapsi sunt in irreparabilia inimicitiarum, contentionum, calamitatum, aliarumque similium ruinarum præcipitia! adeò ut S. Bernardus meritò unumquemque ad hanc linguam nostram mysticè cir-
In spec. Monac. cumcidendam adhortetur & moneat; *antequam verba proferat, bis ad limam veniant, quàm semel ad linguam*. Tertia species circumcisionis, quam S. Bonaventura tangit, hæc est: *Circumcidi debemus a surdæ obduratione, quando quidem nolunt audire neque obedire, de quibus dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis*. Tales sumus quando cordis nostri aures divinis inspirationibus, quibus ad pœnitentiam invitamur, inviti adhibemus, quando verbum Dei omninò audire nolumus: hoc enim clarum & evidens est indicium, quòd spiritualiter circumcisi non sumus. Quartum genus circumcisionis, cujus Bonaventura S. Augustini, quem citat, doctrinam consectatus meminit, hisce ab eo verbis innuitur, dum ait: *Circumcisio Christi quid est nisi castitas nostra, qua Deus delectatur in novissimus temporibus?* Etenim Deus circumcisionis vulnus uni potius membro quàm alteri cuicunque corporis parti non sine mysterio
Serm. 2. de Circum. infligi voluit, inquit S. Bernardus: *Quia singulorum membrorum abscissione humanæ carnis fragilitas, & infantilis ætatis infirmitas nullatenus sustineret; pio moderamine dispositio superna providit, ut in ea potissimum parte concupiscentia castigaretur, in qua vehementius eam sævire constabat & violentius malignari*. Ecce tibi igitur modum, quo nos Redemptori nostro in hoc mysterio conformare possumus, appetitus nimirum nostros sensuales per mortificationem supprimendo, nosque in illibata continentia & honestatis zelo conservando; sic quoque Albertus Magnus docet causam, cur Virginis Filius hoc se signaculo notari fecerit, esse: *Ut superfluum concupiscentiæ amputandum esse significetur, quæ in membro ille plus dominatur*. Tandem S. Bonaventura quatuor hæc circumcisionum genera ita distinguit: *Prima ergo circumcisio est in corde, secunda in ore, tertia in aure, quarta in opere fit*; adeò ut illam in omnibus sensibus, & in omnibus potentiis exercere valeamus, ut hac ratione damna reparemus omnis culpæ, non solum originalis, sed etiam actualis.

Luc. 2. 4. *Circumcisio cordis in spiritu*. Sunt & aliæ hujus circumcisionis species, quæ ab aliis sacris expositoribus insinuantur: Inter quos idemmet Albertus Magnus ita ait: *Sunt tria in anima circumcidenda, si præputium cordis debet circumcidi, videlicet rationalis, irascibilis, & concupiscibilis*. Primo igitur loco mortificandæ sunt passiones internæ, omnesque nobis prædominantes effrænes passiones, mortificandus quoque est discursus in nobis, & intellectui nostro subjiciendus, vincendusque appetitus rationalis. Secundo autem loco mortificanda est ira, odium, & quivis alius motus impetuosus proximorum nostrorum paci & charitati repugnans. Denique tertio loco quævis alia sensualis concupiscentia est supprimenda.

5. Ad hæc Dionysius Carthusianus aliud quoddam hujus circumcisionis genus consideravit, dum in quodam
Serm. 3 de Circumc. sermone suo de hoc festo hæc post se scripta reliquit: *Spiritualis circumcisio est peccati abscissio; omniumque membrorum corporis & virium animæ ab inordinato atque illicito motu, actu, & usu repressio*. Ad quod comprobandum sequenti utitur Evangelico textu, notatque Salvatorem nostrum idem nobis circumcisionis genus insinuare voluisse, dum ait: *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te, quæ verba non sunt de corporali abscissione accipienda, quia nequaquam debet mutilare se homo, sed de abscissione & evulsione spirituali*. Ac demum declarat, quòd in sensibus nostris refrænandis consistat, dum scilicet hi nobis prædominantur, nobisque ad Deum offendendum incentivi & fomenti loco deserviunt; *Ut scilicet usum & motum illicitum manuum, pedum, oculorum & aliorum membrorum abjiciamus, juxta quem sensum ait Apostolus: Mortificate membra vestra super terram*. Porrò quidam servus Dei à S. Dorotheo relatus, dicere solebat: *Da sanguinem & accipe spiritum*: atque ideò in circumcisione quidem sanguis dabatur, sed loco ejus dans sanguinem recipiebat spiritum, id est, Dei lucrabatur amicitiam: undè eodem prorsus modo nos quoque nostrum dantes sanguinem, id est, nostros refrænando appetitus, omnibus nos privando delitiis & voluptatibus, carnem nostram macerando, negando nostram voluntatem acquiremus nobis spiritum, & per eum facilem nobis ad Dei gratiam & benevolentiam comparandam, viam & aditum sternemus.

6. Etenim S. Bernardus hominibus ad perfectionem aspirantibus aliam quandam circumcisionem insinuavit, cum suis namque Monachis in sermone quodam loquens, ait: *Quæ est ergo moralis circumcisio nostra, nisi quam commendat idem Apostolus, victum, inquiens, & vestitum habentes his contenti simus? optime prorsus circumcidit nos, & superflua resecat universa voluntaria paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observantia disciplina*. Serm. 5. de Circ.

7. *Circumcisio cordis in spiritu*. Aliud quoddam circumcisionis genus cuilibet facilè imò necessarium Eminentissimus Cardinalis Hugo insinuat, dum ait: *Moraliter est* In Luc. 22.
circumcisio prima nocivorum, id est, peccatorum; & est pœnitentium, qui se a peccatis & circumstantiis peccatorum circumcidunt; Et hæ sunt occasiones & pericula peccatorum quæ nobis pro viribus nostris omni cum solicitudine fugienda sunt. In custodiam quoque coercendi sunt sensus nostri per inordinatorum appetituum nostrorum mortificationem. Unde idem Doctor subjungit: *Ad hanc etiam circumcisionem pertinet circumcisio aurium, narium: oculorum, manuum, & omnium membrorum*, quòd idem est cum eo, quod diximus supra.

Circumcisio Christi ad perfectam Divinæ legis observantiam nos adhortatur, ut hac ratione longævam consequi vitam valeamus. Motiva quoque explicantur, cur sanctissimum Jesu nomen Circumcisioni conjunctum fuerit; Item circa hujus sanguinis effusionem variæ instituuntur considerationes, & variæ pro primordiali totius anni die moralitates.

DISCURSUS TERTIUS.

Fili mi ne obliviscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent sibi
Proverb. Cap. 3. v. 2.

1. INter omnia auguria, quæ in hoc novi anni exordio, seu primo ingressu dari & recipi solent, fortunatissimum est votum vitæ longævæ in pace & quiete constanter traducendæ. Quisnam autem modus ad hoc nostrum intentum consequendum certius & securius deserviat Spiritus sanctus per os Sapientis in verbis propositis clarè nos edocet, in quibus nobis divinorum præceptorum adimpletionem cum longævæ felicisque vitæ fructu conjunctam esse expressè insinuat: *Fili mi, ne obliviscaris*, &c. S. Apostolus quoque ad Galatas scribit: *Testifi-* Galat. 5.3.
cor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Porrò Redemptorem nostrum ab hac circumcisionis lege, sicut & ab omnibus aliis exemptum fuisse certum est, cur igitur se eidem nihilominus tanta cum solicitudine & punctualitate subjicere voluit? Audite Carthusianum dicentem? *Ut legem impleret & approbaret, atque exemplum humilitatis & obedientiæ daret, propter quod postea fatebatur: Non veni legem solvere, sed implere*. Hinc igitur desumo argumentum dicendi, quòd Ecclesia exordium anni novi non à salutiferis Salvatoris nostri natalibus, sed ab ejus Circumcisione deducat, utpotè in qua pro redemptione nostra sanguinem suum fundere cœpit, ut hac ratione nos instrueret, quòd si felix habere anni novi exordium, & fortunatiorem in eo progressum, ac terminum illius desideremus, necessum sit, ut in Divinæ Legis observantia & executione Redemptorem nostrum imitemur. Atque ideò idemmet Dionysius in sermone quodam, qui est de præsenti Festo primus, hocce post se monitum scriptum nobis reliquit: *Documentum est, ut præcepta Dei & superiorum nostrorum diligenter servemus, & proni simus ad obediendum*. De hoc igitur cœlesti infante dicere possumus quod idemmet Apostolus ad Corinthios scripsit, dicens. *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est*, 1. Cor. 7.
sed observatio mandatorum Dei. Circúcisio etenim nihil illi 19.
profuit, quia *peccatum non fecit*, & tamen illam in beneficiũ instructionis nostræ adimplere voluit, ut videlicet nobis per eam insinuaret, quantum exemplo suo exactam Divinæ Legis observantiam zelare debeamus. Porrò in Epistola ad Romanos scriptum est: *Circumcisio prodest si legem ob-* Rom. 2.25.
serves; Si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. In fine verò ejusdem capitis se de circúcisione non corporali, sed spirituali intelligendũ esse declaravit.

Cir-

Circumcisio cordis in spiritu non litera. Quodsi igitur Salvatoris nostri sanguinem ex hodie recepto tam pœnoso circumcisionis vulnere effusum, animabus nostris fructuosum esse volumus, necessum est, ut easdem per circumcisionem spiritualem, quæ in præceptis Dei, seu ut melius dicam, in consiliis Evangelicis ritè adimplendis præcipuè consistit, affligamus.

2. Optimè Salmeron observavit, quòd Deus noster in Deuteronomio scribi hæc verba jusserit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui*; Et circumcisionis hujus finem declarans subjungit: *Ut diligas Dominum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.* Et quidem certum est, quòd hìc non agatur de vita corporali, sed de spirituali, siquidem per ipsammet experientiam compertum habemus, quòd cor vix tangi aut lædi possit, quin vita deficiat: atque ideò Salmeron inferre vult, quòd si Deus ea nos gratia dignatus fuerit, ut cor nostrum circumcidat, id est, omnes inordinatos affectus ab eo resecet, ut eum perfectè amare valeamus, lucraturi simus nobis vitam æternam, imò & in hac felicius quoque victuri simus: *Hic autem ait cor circumcidendum, ut possit vivere, ea nimirum vita de qua dicitur, ut diligas Dominum Deum tuum.* Vita animæ alicujus in nulla re alia consistit, quàm in dilectione & charitate; axioma namque est indubitatum, quod *qui non diligit, manet in morte*, qui autem traditam à Deo nostro legem assiduè adimpleverit, vita hac perfruetur beata; cum enim *plenitudo legis sit dilectio*, manifestum erit indicium, quod Deum verè diligat.

To. 3. tractat. 36.

1. Jo. 3. 14.

3. Enimverò ut ad viam mandatorum Dei *inoffenso pede* decurrendam efficaciter excitemur, ponderare juvabit circumcisionis Christi, nec non impositionis sanctissimi nominis Jesu, & pretiosi sanguinis sui primæ effusionis insignia mysteria. Porrò Dionysius Carthusianus, spiritualis circumcisionis nostræ, ad quam Christi circumcisio ordinata fuit, effectus exactè refert dicens: *Circumcisio spiritualis reformatio passionum, compositio morum, resecatio superfluitatum, propria quoque voluntatis repressio.* Hisce autem spiritualis circumcisionis fructibus sanctissimi nominis Jesu effectus mirè associantur; Hoc enim, teste S. Bernardo, hanc habet virtutem, animæ videlicèt nostræ inserendi virtutes, ex eaque omnia eradicandi vitia & passiones. *Virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones.* Tandem verò hanc inordinatorum affectuum extirpationem prosequens subjungit: *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ*; Denique sanctus Doctor horum effectuum rationem reddit, dicens: *Siquidem cùm nomino Jesum, hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate & sanctitate conspicuum.* Undè idem Sanctus salubriter monet, ut sacrosanctum hoc nomen nobis semper præsto sit, ut vel sic in omnibus operationibus nostris bene progrediamur. *Semper tibi in sinu sit, semper in manu*; nec subticet fructum dum ait: *Quo tui omnes in Jesum & sensus dirigantur & actus*, quasi diceret. Non erit periculum ne omnes cogitationum, verborum, & operum nostrorum gressus minus benè procedant, si mentis nostræ oculos in hoc nomine Jesu, quòd est Salvator noster, habuerimus defixos.

Serm. 4. de Circ.

Serm. 25. in Cant.

4. Porrò sciendum est, apud Hebræorum populum in more positum fuisse, quòd primo die mensis, qui dicebatur Nisan, à quo annus suum deducebat exordium, sanguinem effunderent Agni Paschalis, per quem olim ab Ægyptiaca fuerant servitute liberati. Qua de re Salmeron ita scribit: *Apud Judæos, ut scribitur Exodi 12. primus dies mensis primi Nisan annum inchoabat; in eoque mense spargebatur sanguis agni paschalis liberantis à captivitate.* Et quidem certum est, quòd olim *omnia in figura contingebant illi*; atque ideò S. Mater Ecclesia non sine mysterio nobis Christianis in cujuslibet novi anni capite, seu primo ingressu repræsentat sanguinem effusum agni illius, *qui tollit peccata mundi*; *sic primus dies mensis primi apud Christianos sanguinem Christi effusum celebrat ad nostram redemptionem*, ut hac ratione nobis demonstret eum esse quo liberatio nostra à servitute Pharaonis infernalis exordium sumpsit. Enimverò Didacus Stella aliud quoddam meditatus est mysterium, cur hujus pretiosissimi sanguinis prima effusio in hac novi anni capite acciderit, nimirum: *Ut toto anno fixum in nostra memoria haberemus sanguinem, quem hodie pro nostra salute effundit Deus.* Et ad hoc demonstrandum hanc adhibet similitudinem: *Sicut in fronte domus, vestra arma & stemmata jubetis ut figantur, ita Deus in principio anni vult, ut Christi sanguinem contemplemur, ne beneficia in nos collata ulla unquam deleat oblivio.* Qua autem ratione hanc memoriam, hancque gratitudinem cum facilitate & profectu nostro in effectum deducere valeamus, sanctus & regius Vates David optimè nos docuit, qui se Divinæ Majestatis multis ex capitibus obligatum agnoscens, & tamen monetam, qua tam immensa sibi collata bona recompensaturus esset, ignorans, vel invenire non valens, tandem dicit, quòd in vicem gratitudinis, cor suum ad exactissimam præceptorum suorum adimpletionem & executionem inclinare statuerit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes suas in æternum propter retributionem.* Ubi certum est, quod Propheta in illis verbis non loquatur de præmio sivè mercede beatitudinis, sed de retributione, quæ idem sit quod gratitudo. Et hæc est moneta & tributum, quòd sanguis hic pro nostra redemptione effusus à nobis exposcit, Divinæ nimirum legis exactissima & punctualis obedientia. *Inclinare cor nostrum ad faciendas justificationes suas.*

To. 3. Tractat. 36.

In Luc.

Mansi Prompt.

Psalm. 118. 112.

5. Idemmet Pater Stella modum nos docuit, quo hoc divino sanguine uti possumus, ne perdatur ut pereat. *Accedo ad Christum, ne opulentus iste thesaurus, nempè sanguis Christi, tua causa perdatur, imo eo utere.* Modus autem hic non est alius quàm exemplo suo libenter pati; *quicquam tolerando in compensationem illorum laborum, quos ipse pro te passus est.* Quapropter quilibet nostrum cum eodem Psalmista dicat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo?* id est, ut singularissimis beneficiis, à tua liberalissima manu acceptis, debitè correspondeam, manum meam ad omnium passionum, omniumque illarum adversitatum, quas non solum in hujus anni, sed & omnium aliorum, quibus victurus sum, decursu mihi immissurus es, amarissimum calicem extendere, tuumque sanctissimum nomen, veluti unicum refrigerium & solarium meum invocare decrevi, cujus virtute omnis ærumna & miseria obvia, dulcis mihi esse videbitur & suavis. Vel etiam, *Calicem salutaris accipiam*, id est, Calicem pretiosi sanguinis tui, quem hodierna die pro mea redemptione effundis, ebibam, efficiendo, ne sanguis hic infructuosè effusus esse videatur, & per legis tuæ observantiam saluti meæ cooperando.

Psalm. 115. 3.

6. Ponderanda quoque nobis est solicitudo, qua cum sanguinem suum effundere voluit, qui ante octo dies lachrymas effundere cœperat; in quo nos edocere voluit, ut Pater Didacus Stella scribit, *Christi crucem & pœnitentiam in nostra pueritia esse ferendas.* Cùm enim omnis Christi actio ad nostram sit ordinata instructionem, ex alia verò parte probè sciamus, quòd non solùm in decursu ætatis suæ adultioris, verùm etiam in infantia, vix etiamnum natus plangere, dira pati, sanguinem suum fundere, barbarisque Herodis persecutionibus subjacere voluerit, meritò abindè discimus, quòd humeros nostros à primis annis crucis suæ ferendæ, & quantumvis ponderoso & gravi legis suæ jugo submittere debeamus: Eadem quoque hæc parendi solicitudo Christi ex mente ejusdem P. Stellæ nos docet: *Ne negligenter illi servias, qui tanto animi fervore, te quæsivit, neque triginta & tres ejus vita annos sero venturos esse arbitreris, quia horam mortis jam prævenisse vellet, ut tibi vitam ipse daret.* Numquid justum & æquum est, nos quoque in ejus divino servitio fervore succendi, nostrosque fervores in hoc novo anno à nobis renovari, quodque pro peccatis prætcritis condignos in nobis contritionis actus excitantes, firmiter nobis proponamus, nos in divinis suis præceptis adimplendis exactiores deinceps futuros esse? *Audivi orationem tuam*, ita dicebatur Ezechieli Prophetæ, *& vidi lachrymas tuas*: sed quemnam ex hac oratione & pœnitentia fructum retulit? *Longitudinem dierum*, prouti à principio insinuavimus. Isaias namque hanc ei ex parte Dei promissionem dedit. *Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos*, quotquot enim suam in Christiana innocentia vitam traducunt, vita potiuntur longeva, prospera & tranquilla. De iis autem qui frænos sensibus suis relaxant, iisque omnem licentiam indulgent, scriptum est: *Defecerunt in vanitate dies eorum*: quid autem inde sequitur? *Et anni eorum cum festinatione.*

In Luc.

Isa. 38.

Ps. 77. 33.

Solicitudo, quam Dei Filius, sanguinem suum pro nostra salute effundendo, nobis exhibuit, veluti calcar quoddam pigritiam & socordiam nostram excitat. Amor quoque, quo tunc sanguinem effudit gravissimè ponderatur, & quanti pauculæ hæ sanguinis stillæ æstimandæ sint, ostenditur, utpotè quæ ingentem sanguinis effusionem deinceps subsecuturam promittunt.

DISCURSUS QUARTUS.

In laboribus à juventute mea. Ps. 87. v. 16.

1. CHristus, multis sanctissimam Nativitatem suam præcedentibus sæculis, per os regii Prophetæ sui, se, à primis, ut ajunt, unguiculis tenerrimisque infantiæ annis, variis ærumnis, laboribus, pœnisque mortalibus subjiciendum esse, clarè prædixit; ubi enim Chaldæus legit: *Exspirans ab adolescentia mea:* alii legunt, *moriens, moribundus, agonizans; penè mortuus à puero.* (Lorin. ib.) Et profectò quisquis hanc circumcisionis sectionem corpori adeò delicato & tenero, utpotè sacratissimæ humanitati ex virgineo & illibato Mariæ sanguine, opera Spiritus sancti formatæ illatam bene considerat, dolores & animuli syncopes, quas in hocce vulnere sustinuit, facili negotio intelliget; qui indubiè ad inferendam ei mortem apti nati fuissent, nisi per vires humana natura superiores, in vita reservatus fuisset, ut hac ratione per triginta trium annorum decursum integram quandam tot ærumnarum & crudelissimorum cruciatuum iliadem pati posset. His adde, quòd alii infantes, utpotè rationis usu carentes, minorem dolorem sentiant, id, quod in hoc cœlesti infantulo minimè militabat, utpotè qui perfectissimo rationis usu & discretione, haud secus ac si maturiorem ætatem attigisset, præditus erat. Porrò vulnus istud adeò in ipso acerbum extitit, ut Expositor quidam scribere non dubitarit: (Lucaburg. Luc. 2.) *Majorem, quàm alii infantes, dolorem passus propter usum rationis; nam & præludium quoddam fuit futuræ passionis ac mortis, quòd permisit se circumcidi Filius Dei.* Quando sol manè super hemisphærium nostrum exoriens, rutilantibus cinctus est maculis, tempestatem vel pluviam eadem die secuturam esse infallibiliter prædicit. Undè in (Matt. 16. 3) Evangelio S. Matthæi quoque scribitur: *Et manè dicitis; Hodie erit tempestus, rutilat enim triste cœlum:* Eodem modo quando verus ille Sol Justitiæ, ab Oriente Bethlemitico nobis exortus, per circumcisionis suæ sanguinem rutilare visus est, infallibiliter secuturam tempestatem promisit; sed talem qualem ipsemet in immenso passionis suæ mari sustinuit, de qua per Psalmista dicit: *Veni in altitudinem maris, & tempestus demersit me,* promisit, inquam, copiosam quandam sanguinis sui in passione sua effundendi pluviam, per quam redemptionis nostræ abundans exsolveretur litrum. (3. Reg. 18. 44.) *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Qui textus de Christo infante in mare mundi hujus descendente explicari potest; (Isa. 19. 10.) *Hoc mare magnum; Ecce Dominus ascendit super nubem levem, quasi vestigium hominis,* quia cùm Humanitas à Verbo assumpta fuerit, Deus pariter & homo fuit. Ad (Tom. 3. tract. 36.) hæc sacer textus dicendo prosequitur: *Ecce cœli contenebrati sunt & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis,* quia veniet tempus quo parva hæc nubecula totum faciet cœlum obscurari: *Tenebræ factæ sunt super universam terram,* ac tandem licèt hodie modicas duntaxat sanguinis stillas emittat, abundans quædam pretiosissimi sanguinis sui pluvia in Calvario monte exurget.

2. Porrò ut ingentem, quo amicum nostrum prosequimur, amorem rectè exprimamus, dicere consuevimus. Integram tibi sanguinis mei libram paratus sum pendere. Estque hæc ingeniosa quædam Salmeronis observatio, *Ad exaggerandum amorem quem erga aliquem gerimus, consuevimus dicere: darem libram sanguinis mei pro vita ejus.* At verò licèt verbum istud haud difficulter à dicentis lingua emanet, non tamen ob id sanguis è venis ejus confestim profluit: *at Christus re ipsa exhibuit subito sanguinem fundens pro nobis suum.* Porrò si in ardentissimi amoris sui perfectam notitiam devenire volumus, primò circumcisionis suæ dolorem & ignominiam considerare debemus; demum verò accelerationem; qua per effusionem sanguinis sui, salutis nostræ initium dedit. Equidem immensum nobis beneficium contulit, quando se mortalitatis nostræ exuviis induit homo inter homines factus & conversatus, quod enim excogitari potest majus amoris indicium? *Amor pares facit aut invenit:* Veruntamen longè excellentius nobis beneficium impendit, dum hodie cruentæ se circumcisioni subjecit, siquidem in ea non solùm sanguinem suum fudit, verùm etiam licèt agnus innocens esset, qui totius mundi peccata è medio tollere venerat, inter peccatores tamen velut peccator quidam agnosci & connumerari voluit. Passio illius quondam excessus nomine nota fuit. *Loquebantur de excessu,* & meritò quidem, quia in absolvendo redemptionis nostræ opere excedere voluit: *Copiosa apud eum redemptio.* Unica lacrymæ alicujus nedum sanguinis stillula peccatorum generis humani satisfactioni abundè sufficiebat, & tamen hodie multas sanguinis guttas effundere voluit, integros deinceps effusurus sanguinis torrentes: scitne causam, ait Chrysostomus? *Quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amori.*

3. Alia nobis insuper hoc loco instituenda est consideratio, nimirum quòd infantile hoc corpusculum opera Spiritu sancti, ut supra diximus, formatum, acerbissimis circumcisionis doloribus fuerit subjectum. *Expende dolores,* (ita meditatur Didacus Stella) (Serm. 2. de Circ.) *quos in acerbissima circumcisione toleravit: ejus enim natura erat, ut ejus sacratissima caro delicatior esset omnium hominum corporibus,* quia enim modò quodam supernaturali efformatum erat, *ad maximam complexionis æqualitatem fuerat redactum,* inquit Dionysius Carthusianus, qui insuper addit, quod licèt octiduanus quidam infans erat, simul *tamen sapientia plenus & ratione perfectissime utens erat; ideircò pœnam illam per imaginationem advertit, & per rationem consideravit.* Undè hæc elicitur consequentia: *Ideo præ cæteris gravius eam sensit.* Verum dicat aliquis, quando deliqua, quæ puerulus Jesus in sua circumcisione patiebatur ad inferendam ei mortem sufficiebant, ipseque per pauculas hasce sanguinis guttulas redimere nos poterat, cur igitur post acceptum hoc circumcisionis cauterium etiamnum supervivere voluit? Responsio in promptu est: *Ut copiosa esset redemptio,* & in triginta trium annorum decursu venas suas abundantiori replere sanguine posset, hacque ratione infinito amori suo magis magisque declarando, locum & tempus sibi opportunum adsciscceret.

4. Considerabilis quoque est ingens, quam mox ut in hunc mundum venit, exhibuit, impatientia, donec partem prætii redemptionis humanæ ritè exsolveret: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus.* (Ps. 18. 26.) Didacus Stella ad hoc explicandum quadam à sponso deducta utitur similitudine, dum ait *Expende etiam* (In Luc.) *quod sponsus sanguinis, incipit sanguinem pro Ecclesia sua sponsa effundere.* Sponsus mox ut sua absolvit sponsalia, priusquam sponsam in domum suam conducat, multa ei dona impertiri solet: *ita Christus antequam patiatur factis statim cum Ecclesia sponsalibus singularem ei donat margaritam pro ejus redemptione sanguinem suum fundens.* Verum quidem est, quòd ipse ad nostram instructionem de cœlo descenderat, ut suum nobis annuntiaret Evangelium, totque alias actiones ad nostram salutem ordinatas operaretur, & tamen omnes illas, vel saltem majorem illarum partem in tempus distulit sibi opportunum, non tamen distulit passiones & tormenta, non cruentas sectiones & vulnera, nec prodigam thesauri sanguinis sui effusionem. *Vide* (sic idemmet Stella meditatur) *quomodo primo nativitatis suæ die lacrymas, & die octavo sanguinem fundit; contemplare, quàm sero Filius Dei cœperit concionari, & quam cito sanguinolentas subierit angustias: ut concionaretur, triginta annorum spatium prius transactum est, ut redimeret, vix erant octo dies.* Porrò Evangelista scribit: *Postquam consummati sunt dies octo.* Sufficiebat equidem si dixisset: *Post dies octo;* Veruntamen Spiritus sanctus sanctam hujus puerulі Jesu impatientiam exprimere voluit, quam expectando octo illos dies à lege præscriptos sustinuit, qui sibi totidem sæcula esse videbantur, eò quòd horam illam desideratissimam, qua culter ille acutissimus innocentissimam carnem ejus vulneraret, videre non licebat. Enim verò inter cætera nomina, quibus Isaias Messiam appellandum esse prædixit: hæc ferè fuerunt præcipua: (Isa. 8. 3.) *Voca nomen ejus, accelera spolia detrahere: festina prædari, antequam sciat vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.* Quibus verbis futurum esse prædixit, ut divinus hic infantu-

lus

lus in fasciis adhuc involutus priusquam noverit in verba formare sermonem, peccato pariter & inferno crudele moveret bellum, detractisque ab iis spoliis & prædis, fastum eorundem deprimeret & tyranoidem prosterneret. Et licèt idipsum singulariter in monte Calvario operaturus esset juxta illud : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum* ; Jo. 12. 31. Nihilominùs velut omnis moræ impatiens tempus illud anticipare voluit, modicas hodie in circumcisione sua sanguinis sui effundendo guttulas, licèt ab eadem haud dubiè ex omni capite esset exemptus.

5. Superest nunc ut documenta quædam moralia ponderemus, si quæ ad nostrum profectum spiritualem elicere possimus. Et quidem in primis ingens hæc, quàm filius Dei in operanda & procuranda nostra salute exhibuit, sollicitudo, nostram graviter condemnat negligentiam, qua auxiliis à Deo nobis ad eandem salutem promovendam subministravit, segniter nimis cooperamur. Quot sunt, qui pœnitentiam de anno in annum differunt, & in novi anni ingressu de nulla re minus, quàm de illa elicienda solliciti existunt ? Quot sunt, qui anno elapso sibimetipsis adblanditi sunt per spem diuturnioris vitæ, & modo in æternæ desperationis barathro turpiter delusi commorantur ? unde S. Bernardus ait : *vide quantum ad suscipiendos dolores festinavit, quàm paratus & promptus sanguinem effundere circumcisus pro nobis die nativitatis suæ octavo*. Indeque hoc nobis saluberrimum elicit monitum, ex quo meritò confundi & ad resipiscentiam incitari deberemus : *Christus octava die à Nativitate sua vix exspectat, ut suum tibi sanguinem impendere incipiat : tu post, non dico octo dies, sed nec post octoginta menses, imo & octoginta annos solam non rependis voluntatem*. Quis nostrum unquam vel unicam sanguinis stillam ob sui amorem effudit ? Etenim ipse non sanguinem pro sanguine à nobis postulat, sed cor solùm & voluntatem nostram, ut eadem ipsum ad nostram utilitatem & beneficium diligamus, eamdemque ad cœlestis regni præmium recipiendum Divinæ legi suæ subjiciamus. Atque ideò, si hactenùs divinæ legi suæ rebelles fuimus, cum tamen econtrà *in lege Domini voluntas ejus* esse deberet, ab immensa Dei pietate, in hoc novo anno imploremus tempus, præteritos deinceps emendandi errores. *Dedisti* (inquit idemmet Bernardus) *robur annorum juvenilium hosti Christi ? Christo saltem misericorditer expectanti infirmam tribue voluntatem, nec dubites quin illam accipiat*.

6. Aliud quoque documentum ex Redemptoris nostri liberalitate in nostri Redemptione nobis exhibita colligere possumus, cùm enim nos unica duntaxat sanguinis, imò lachrymæ stilla redimere posset, ipse integrum nobis effundere voluit sanguinis torrentem : *Copiosa apud eum redemptio*. Ehem quanta nos, qui erga Deum adeò avari sumus, ex hinc manet confusio, qui dum de divino suo agitur servitio, vix manum nostram ad id, quod præceptum sub mortali peccato dictat, extendimus, in adimpletione verò consiliorum evangelicorum aliorumque operum supererogationis adeò decordes, segnes & desides sumus ? Quando quis ad signum globum è sclopeto ejaculando collimat, si de præmio vult esse securus, in altum respiciat necessum est, secus enim desideratam metam non attinget. Væ nobis nisi signum perfectè attigerimus ; neque enim hac in re locus datur medio : Nisi enim ad Paradisum pervenerimus, nullum aliud est invenire medium præter Infernum.

7. Advertendum quoque est quanti æstimanda sit hodierna illa sanguinis effusio, licèt illa in oculis nostris exigui videatur esse momenti. Pauculæ enim hæ guttulæ sunt duo illa minuta, quæ bona illa anicula Gazophylacio immisit, Deoque qui *scrutatur renes & corda*, adeò fuere grata & accepta, ut dicere non dubitarit de illa : *plus omnibus misit* : pauculæ enim hæ circumcisi Infantuli sanguinis guttulæ, in æterni Patris ærario majoris sunt æstimatæ, quàm omnis sanguinis hactenus effusus, aut deinceps ad finem usque mundi ab omnibus Martyribus effundendus. Sic Adamas lapis mole sua quidem modicus est, attamen nonnunquam quinquaginta, imò centum millibus scutorum æquivalet. Unica duntaxat hujus divini sanguinis stilla sufficiens in se ad mille mundos redimendos pretium continet. Porrò Christus in Evangelio sagaci & prudenti cuidam mercatori assimiliatur : *Homini negotiatori*, talem namque se, in hunc mundum veniens, verè esse probavit. Negotiator prudens nunquam totam monilium lapidumque pretiosorum suorum gazam simul & semel spectandam præbet, sed paulatim & successivè eandem exponit, & quæ meliora & pretiosiora sunt, in ultimum communiter locum reservat. Eodem quoque modo Filius Dei totum sanguinis sui thesaurum nequaquam simul & semel effundere voluit, sed hodie illum in Circumcisione effundere cœpit, ac tandem eundem in argentaria Crucis totaliter simul prodigere.

Mansii Prompt.

8. S. Augustinus super illa verba Psalmi : *Conscidisti saccum meum*, Ps. 29. 14. ita scribit : *Non tibi vilescat, quod dicit saccum meum, ibi erat inclusum pretium tuum : Conscidit saccum lancea persecutor, & fudit pretium nostrum Redemptor* : tunc enim in egrediente ex latere Christi, aqua & sanguine, deprompti fuere omnes pretiosissimi thesauri, quibus locupletata deinceps fuit sancta mater Ecclesia.

Glorias sanctissimi nominis Jesu exponit.

DISCURSUS QUINTUS.

Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ad Philipp. cap. 2. v. 10.

1. ÆTernus Pater Unigenitum suum propter obedientiam, humilitatem, & Passionis suæ merita exaltaturus, eundem honore majori aut sublimiori gloria, per omnem omnipotentiam aut sapientiam suam condecorare nequivit, quàm ut eum sanctissimo Jesu nomine insigniret. Et quidem ex quo Aristoteles scribere non dubitavit, quod *ratio, quam significat nomen* Lib. 4. met. *sit definitio, quæ designat propriam rei naturam ; unde proprio nomine rem agnoscere, est exactè rem nosse* ; quis unquam nomen aliquod magis proprium, meritorumque & gloriæ Christi magis expressivum eidem imponere potuisset, quàm Pater ejus æternus, qui eum genuerat : undè Salmeron ait : *Cum impositio nominis ad Deum,* To. 3 tr. 37. *qui naturas rerum earumque novit proprietates, spectet, Jesum autem nemo novit præter Deum Patrem (unde ipse Christus dixit, nemo novit filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit filius revelare) quis alius posset eum congruenti voce nominare præter Deum, qui solus illum comprehendit, qui novit quis, quantus, & qualis sit* ? Etenim advertendum est, quòd licèt Angelus hoc nomen ab Angelo annuntiatum esse dicat, id tamen minimè idipsum eidem à Patre impositum esse impediat : Et ideò *vocatum ab Angelo* Serm. 2. de (ut optimè notat Bernardus) *non impositum ; nempe* Circ. *hoc nomen ei est ab æterno*. Atque ideò Isaias prædixit ; Isa. 62. *Propter Syon non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur*. Imò sacer textus ad verbum incarnandum discursum suum reflectens, juxta S. Cyrilli interpretationem dicit : *Et vocabitur tibi nomen* Lib. de re- *novum, quod os Domini nominabit. Quando Dei filius,* cta fide circa med. inquit S. Cyrillus, *factus est homo, & natus de muliere, Pater Paternitatis leges, ut ita dicamus, sequens nomen declaravit*. Porrò Chaldæus & Pagninus loco verbi *nominabit*, interpretati sunt, *declarabit*, quod juxta Hebrææ dictionis significationem idem significat, quòd *incidere, perforare*, alludendo ad incisionem hodie factam, quando novum hoc nomen ei fuit impositum.

2. Verùm inquies fortasse, cur Deus nomen istud ab Angelo nuntiari voluit ? Respondet Origenes : *Vocabu-* Hom. 14. in Luc. *lum Jesu gloriosum omni adoratu cultuque dignum appellari ab hominibus non debuit, neque ab eis efferri in mundum, sed excellentiori quadam majorique natura*. Id quod Gerson pariter observavit, dum ait conveniens fuisse, ut nomen istud primitus proferretur ab Angelo ; *non quidem fortuito sed ex supremæ Trinitatis consilio ; nec ex* 4. par. 2. de Circ. *tempore tantummodo, sed æternaliter ; quoniam ante solem permanet nomen ejus*. Dicite sodes an aliquando adverteritis, cuinam sanctum hoc nomen primitus post Archangelum hic in terra revelatum fuerit ? Certè nemini, præterquam suæ sanctissimæ matri. Undè devotus quidem de ea scripsit : *Et quis hoc nomen vel in-* Philipp Abbas bonæ spei lib. 2. in Cant. cap. 9. *tellexit verius, vel amavit syncerius, vel convenientius prædicavit, quàm ipsa Virgo mater, cui primò Angelus nuntiavit*.

3. Enim verò qualis sit hujus nominis sanctitas, & consequenter cùm qua veneratione illud à nobis nomi-

nandum sit. Apostolus sufficienter enunciavit dicens: 1. Cor. 12. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. O pondus nominis Jesu* (exclamat Petrus Cellensis) Lib. 2. c. 4. *quis appendere, quis dinumerare, quis æstimare valeat hoc nomen in pondere? nunquam sine pondere nominandus est Jesus.* Declaraturus autem quodnam pondus istud sit subjungit. Ser. in Domin. Palm. *Pondere utique sanctuarii, quia nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto.* Equidem nullum invenietis in toto sanctorum exercitu, qui huic sacratissimo Jesu nomini devotior fuerit S. Paulo Apostolo. Quando autem & in quo loco sanctus Apostolus hujus sacrosancti nominis Jesu venerationem didicerit, optimè nobis S. Bernardinus Senensis declarat. Ecce ipsissima sancti hujus Doctoris verba: Cornel. à Lap. *Salva veritate non immerito potest dici ac pia devotione credi, quod cum Paulus raptus fuit in Paradisum, sicut ipsemet testatur* 2. Cor. 12. *& audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui, quòd tunc perfecte didicit nomen Jesu ab omnibus adorandum, nempe in raptu.* Imò adeò huic nomini devotus extitit, quòd illud in Epistolis suis ducenties decies novies nominaverit, ac demum quando sacrum ejus caput ei amputatum, trinies sacrosanctum hoc nomen proferendo, tres saltus fecit, in iisdem locis, quæ sacrum hoc caput exsiliendo tetigit, tres confestim fontes scaturire cœperunt, de quibus adusque dies nostros propheticum illud verificatur oraculum: Isa. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Hi namque tres fontes ad aquas Salvias unicam suam à dulcissimo hoc Jesu nomine, quod id in quod *Salvator* interpretatur, trahunt originem. Porrò gloriosus hic Apostolus adeò fuit privilegiatus, ut raptus fuerit in Paradisum, revelata ei fuerint secreta cœlestia, tot fuerit visionibus & revelationibus cœlitus honoratus, thesaurique cœlestes non larga tantùm, sed prodiga manu in ejus fuerint sinum infusi. Cur autem omnes hi favores ei acciderunt? Act. Apost. 9. 15. Quia *vas electionis est mihi iste.* Verùm in quem finem vas istud adeò pretiosum adhiberi debebat? *ut portet nomen meum coram Regibus.* Compertum est omnibus, quòd quando Principibus aut Regibus dona & munera aliqua deferenda sunt, peculiaris institui solet vasorum pretiosissimorum delectus, atque ideò omnipotentia & sapientia altissimi vas illud adeò pretiosum effecit, *ut portaret nomen hoc coram Regibus. Thesaurus omnium bonorum* (inquit Origenes) *est Jesus.* Sanctus itidem Petrus Apostolus, quantùm, obsecro, supra omnes alios Apostolos fuit privilegiatus? siquidem etiamnum vivens ab ipsomet Dei Filio fuit canonizatus: *Beatus es* Cœlorum quoque ei consignatæ sunt claves, atque ab ipsomet Christo declaratus est ejus in terra vicarius: omnes autem hi honorum gradus ei meritò fuere plena manu attribui, ut tanto dignior fieret, qui sacratissimo huic nomini acclamaret: Act. Apost. 4. 12. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus* (dicebat S. Petrus) *in quo oporteat nos salvos fieri.*

4. Imò si nomen istud in umbra duntaxat & in figura, id est, in veteri testamento considerare voluerimus, quonam honorem & gloria affecti non fuerunt omnes illi, quotquot hoc nomine fuerunt insigniti. Etenim Hugo Cardinalis super illa Archangeli verba: *vocabis nomen ejus Jesum; Hic erit magnus*; optimè observat, quòd inter eos, qui hoc excellentissimo nomine fuerunt insigniti, unus fuerit, qui populum Dei è Babylonica servitute eduxit: alter verò eundem è deserto in terræ promissæ possessionem introduxerit atque dominium. *Hic autem Jesus, & de Babylone educit, & in terram viventium introducit, & à peccatis salvat populum suum, quod est magnum.*

5. Verùm enim verò verba illa in Discursus hujus themate proposita nequaquam sine accurata ponderatione pertransire debemus, & præcipuè quidem illa: *Donavit illi nomen, &c.* Ac proindè in memoriam nobis revocandum est, quod ab initio diximus, nimirùm nomen istud Salvatori nostro in peculiare humilitatis, obedientiæ & amarissimæ passionis suæ præmium impositum fuisse: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, &c.* Ex pretio autem facilè devenitur in notitiam excellentiæ rei illius, quæ pro tali pretio acquiritur. Quòd si enim pro comparanda villa aliqua integrum quendam impenderetis auri millionem, necessum utique esset villam eandem admodum æstimare delitiosam atque utilem. Pretium autem & valorem meritorum si æstimare vultis, ab illis quæso verbis incipite. *Exinanivit semetipsum*; & sequentia prosequamini usque ad illa verba: *Emisit spiritum*; & consequenter cogitate, quòd una lachrymarum suarum, vel sudoris, nedum sanguinis sui stilla mille mundis redimendis, promerendoque omnibus universim hominibus Paradiso sufficientissima fuerit. Et tamen licèt totum hoc inæstimabile & infiniti valoris pretium pro hoc nomine comparando erogatum fuerit, Apostolus nihilominus, qui (utpotè *vas electionis existens, ut portaret hoc nomen, & ponderavit illud pondere sanctuarii*) judex haud dubiè competens erat, expressè dicit, quòd Pater æternus *donarit illi* nomen istud: sed quomodo *donavit*, si illud pretio adeò rigoroso, quo ne quidem ipsemet omnipotens & infinitus Deus exsolvere poterat majus, quodque à nullo Angelico, nedum humano intellectu comprehendi poterat, comparatum & acquisitum fuit; idque ab eo, qui in veritate dici potuit *Mercator non insipiens*? Respondeo, quòd sicut si Princeps aliquis pro palatio quodam duos expendat aureorum milliones, licèt pretium istud omnem excedat rigorosissimam æstimationem, attamen idem Princeps Palatium illud tanti æstimet, ut illud non ære solutum, sed liberali dono gratis datum esse existimet: ita hic voluit Spiritus Sanctus, ut Apostolus Christum sanctissimum Jesu nomen in præmium & compensationem amarissimæ mortis suæ infinitorumque meritorum suorum accepisse diceret, ut hac ratione nomen istud supra omne meritum abundantissimè honoratum & compensatum esse significaret. Sic quoque regius profeta de eodem nomine dicit: Psal. 148. 11. *Reges terræ & omnes populi, principes, & omnes judices terræ laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.* Dicat aliquis, nunquid certum est quòd Moysis, Abrahæ, Josue, Davidis, Baptistæ, Petri, plurimorumque aliorum nomina supra omnem mundum exaltata fuerint & honorata, qua igitur ratione David dicere potuit: *exaltatum est nomen ejus solius.* Respondeo igitur id quidem verum esse, sed honorem nomini Jesu exhibitum tam esse immensum & inæstimabilem, ut solùm nomen Jesu exaltatum & honoratum fuisse dici possit: Sciendum etenim est, quòd quantacunque gloria, quotquot bona, quotquot gratiæ ab initio mundi receptæ fuerunt, & usque in finem sæculorum recipiendæ erunt, eæ tamen omnes per solius hujus sacratissimi nominis virtutem & merita receptæ fuerunt eruntque recipiendæ. Et hinc est, quòd quidquid Ecclesia à Deo postulat, id totum per hujus nominis merita impetret: *Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.*

6. *In nomine Jesu flectatur, &c.* Inter cæteros honores, quos sanctissima Trias nomini Jesu attribuit, unus est, quòd ad prolationem hujus nominis omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. S. Bernardinus docet, quòd dum S. Paulus in raptu suo in tertium cœlum supremæ illius Hierosolymæ pulchritudinem & elegantiam obstupesceret, præ admiratione nimia in hæc verba proruperit: *Jesu trahe me post te*, moxque viderit, quòd eodem tempore omnes Angeli in cœlo, omnes quoque homines in terra, cuncti denique damnati & dæmones in inferno genua sua curvaverint. Hinc quoque factum est, quòd quando gloriosissimum hoc nomen in Crucem per modum tituli elevatum fuit, *Jesus Nazarenus*, mox cœlum in singularis reverentiæ signum lugubri se peristromate contexerit: *Tenebræ factæ sunt.* Cùm enim Salvator in cruce agonizaret, cœlum evidens ei testimonium dare voluit, quòd ipse tanquam verus Sol justitiæ, à quo omnem suam mutuabat lucem, suam pateretur eclipsim. Terra ab ipsis fundamentis concuti & commoveri cœpit: *Terra mota est; Petræ scissæ sunt: monumenta aperta sunt.* Latro eum verum Paradisi Regem & Dominum esse agnovit: Centurio eum verum Dei Filium esse contestatus fuit: multique alii *revertebantur percutientes pectora sua.* Eaque omnia hactenùs ignoraveramus, donec sanctissimum hoc Jesu nomen in tribus maximè præcipuis mundi linguis tanta cùm gloria in Crucis vertice exaltaretur. Imò infernus quoque nomen hoc honorasse dici potuit, dum plurimas animas in illis tenebris reclusas luci restituendo, ejus imperio obedivit, idque eo potissimum fine, ut animæ illæ ad corpora sua redeuntes, Redemptori nostro suum deferrent famulatum & obsequia: *Multa corpora sanctorum, quæ dormierant, surrexerunt.*

7. Verum enim verò nequaquam committam, ut dis-

cur-

In Exod. c. 20. q. 6.

cursus ille, quem Abulensis, hujus nominis gloriam, utpote quæ ipsiusmet Dei nominis gloria superior esse videtur, ponderans in medium adducit, posthabeatur. Dicit igitur hic Doctor: *Majus peccatum est accipere istud nomen Jesus in vanum, quam nomen istud Deus; Et ratio est, quia Ecclesiæ communis & laudabilis consuetudo magis honorat istud nomen Jesus, quam istud nomen Deus*. Et huic quidem ipsamet experientia testimonium perhibet; quotiescunque enim nomen Jesu ore profertur, mox caput singuli id audientes denudant, aliaque edunt venerationis & reverentiæ signa; quod neutiquam Dei nomine pronuntiato facere solent.

q. 7. seq.

Rationem autem hujusce consuetudinis idemmet Abulensis subjungit, dum ait, sanctissimam Trinitatem, illum huic nomini attribuisse honorem, veluti humiliationis & contemptus, quem in amarissima Passione sua sustinuit, præmium atque mercedem. Secundo etiam loco observandum est, quod hoc nomen Jesu nomen sit Salvationis, & nostræ instrumentum salutis:

Act. Apost. 4. 12.

Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri. Et quidem omnes, quotquot hoc nomen invocant, probant effectus illius. E contra verò nomen Dei non est peculiare solis salvandis, sed universalissimum est omnibus, utpote quod invocatur à Turcis, ab Hebræis, aliisque infidelibus, hi etenim omnes, nisi atheus quis sit inter illos, Deum esse credunt, licèt eum pro salute sua non invocent. Alia ratio cur sanctissimum Jesu nomen præ ipsomet Dei nomine magis honoretur, hæc esse potest quia Dei nomen titulum Creatoris subindicat; nomen autem Jesu Redemptoris & Salvatoris titulum pariter subinfert. Tametsi autem creationis beneficium magnum sit, quoad consummationem tamen longè majoris æstimandum est Redemptionis & Salvationis beneficium. Quarto etiam ad hujus nominis Jesu majorem gloriam considerari potest, quod hoc in se omnia attributa quæ Dei nomini conveniunt, contineat, & præter hæc multa alia, quæ Dei nomini absolute adaptari nequeunt, qualia sunt nomina Redemptoris, Pastoris, Magistri, sponsi animarum, Regis, Judicis, aliaque ejusdem generis. Ad hæc quinto loco dici quoque potest, quod nomen Dei tanquam Creatoris omnibus sit creaturis commune: nomen autem Jesu soli homini proprium, utpote qui solus de hujus nominis fructibus & effectibus participavit, nosque soli æternis eidem obligationibus obstricti sumus; unde merito illud à nobis pro viribus nostris summa in veneratione habendum est. Sextam denique congruentiam cur nomen Jesu magis honorandum sit,

In Luc.

à P. Didaco Stella edi scimus, qui ait: *Quia hoc nomen pluris ei constitit, quam cætera nomina: nil enim Deo cætera nomina constiterunt; tamen hoc nomen ejus sanguine vita, & honore emptum fuit; & quia tanto pretio emptum fuit, ideo nos esse gratos Deus jubet, humiliando & abjiciendo nosmetipsos*.

In virtute sanctissimi nominis Jesu ingens gratiæ & gloriæ lucrum nobis comparamus. Per hoc etenim omnis Passio suavis redditur; ac demum in qualibet re dulcedo & jubilus invenitur, aliorum denique innumerabilium bonorum operationes eliciuntur.

DISCURSUS SEXTUS.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. cap. 1. v. 2.

1. MYsteria ob quæ Christi cœlestis sponsi nomen in sacris Canticis oleo comparatur à S. Bernardo accuratissimè describuntur. Oleum inter cæteras proprietates, quibus præ cunctis aliis liquoribus præditum est, hanc habet valde singularem, quòd se diffundat atque dilatet, atque ideo nomen sponsi non solum *oleum* dicitur, sed additur *effusum*.

Serm. 15. in Cant.

Oleum usquequaque effusum; quousque de Cælo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit; & de toto orbe clamat Ecclesia, Oleum effusum nomen tuum; effusum plane, quod non solum Cælum terrasque perfudit sed aspersit & inferos, adeo ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium & infernorum. Etenim licèt nomen Jesu ad instar verbi abbreviati repræsentetur: quia *verbum abbreviatum fecit Dominus*, ut plurimum enim tribus vel quinque duntaxat literis scribitur,

Isa. 52. 6.

nihilominus ut optime observavit S. Bernardinus, qui sonora laudum hujus sanctissimi nominis tuba fuit: *In sententia & virtute quicquid cælum & terra continet, in se concludit*.

In Præfat. in Joan.

Id quod dudum ab Isaia vaticinatum fuit, dum ait: *sciet populus meus nomen meum in die illa*, & mox subjungit: *Quam pulchri pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum*. Quæ verba Apostolus ad Romanos repetens, legit *Annuntiantis bona* in numero plurali. Origenes autem legit: *annuntiantis Jesum*, per hoc insinuare volens, quòd annuntiatio hujus nominis, sit quidam omnium bonorum lætus & jucundus nuntius; *Facile intelliges quomodo multa bona sit Jesus, vita bonum est? Jesus est vita; resurrectio bonum est? Jesus est resurrectio. Lux mundi bonum est? Jesus est Lux vera; thesaurus denique omnium bonorum est Jesus*. Cum igitur in novi anni exordio nuntia fortunata atque felicia imprecari soleamus, meritò per hoc sanctissimum Jesu nomen felix anni principium unicuique impertiri possumus.

2. *In hoc nomine* (sunt verba S. Bonaventuræ) *consequimur gratiam & gloriam*. Et quidem inprimis in virtute sanctissimi nominis Jesu gratia confertur; cùm enim hujus gratiæ dispensator sit Spiritus Sanctus, utpote cui dicitur: *Imple superna gratia quæ tu creasti pectora*, sciendum est, quòd sanctissimus hic spiritus opera hujus nominis Jesu de cœlo descenderit; *Paraclitus quem mittet Pater in nomine meo*.

Joan. 14. 26.

Porrò divina gratia est, quæ nos filios Dei adoptivos, & Filii sui cohæredes esse declarat, hanc autem filiationem illi duntaxat sibi acquirunt, qui huic nomini devoti existunt: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus*.

Rom. 7. 15.

Enim verò gratiam divinam nullo merito nostro adipiscimur; unde igitur in nos derivatur? cœleste hac de re audite oraculum dicens: *Gratia Dei per Jesum*. Archangelus Mariæ dixit: *Invenisti gratiam apud Deum*: Hæc autem gratia talis & tanta fuit, ut illam gratiæ matrem constituerit: *Mater gratiæ*. Ubi notandum est, Angelum non sine mysterio immediatè post sanctissimum hoc Jesu nomen pronuntiasse, quasi inferre volens, unde divinus hic thesaurus in ea exortus esset: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum*.

Hom. 3. super miss. est.

Unde S. Bernardus ait: *Hæc est ergo gratia quam invenisti apud Deum: ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: intellige prudens Virgo ex Nomine filii promissi, quantam & quam specialem gratiam inveneris apud Deum*.

Apoc. 2. 17.

3. *In hoc nomine consequimur gloriam*, inquit idemmet Bonaventura, quod ad probandum neutiquam est difficile. Etenim in Apocalypsi scribitur: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum*. Per hanc autem victoriam ea intelligenda est, quæ de propriis passionibus & inordinatis appetitibus nostris à nobis reportatur, quibus proinde præmii loco manna, id est, beatitudo attribuitur, quæ omnium in se continet desiderabilium bonorum gustus: Est enim beatitudo *status omnium bonorum aggregatione perfectus*: per calculum autem Christus infans intelligitur: *Petra autem erat Christus*, cui hodie novum hoc Jesu nomen impositum fuit. Porrò proprius munitionum, quæ summa cum industria & sollicitudine custodiuntur mos hic est, ut ad eas nulli hominum cujuscunque demum conditionis sint, detur aditus, nisi prius nomen suum ediderit,

Matth. 11. 12.

Regnum cœlorum optimè nobis per modum alicujus bene munitæ fortificationis repræsentatur, de quo proinde dicitur: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, quisquis autem ad hoc propugnaculum aditum habere desiderat, meritis hujus sanctissimi nominis indiget.

Apoc. 14. 1.

Unde S. Joannes in eadem Apocalypsi apertè declarat, quòd omnes agnum cœlestem consectantes hoc sanctum nomen frontibus suis impressum habuerint: *Habentes nomen ejus scriptum in frontibus suis*. Id quod S. Bernardinus ponderans dixit: *Scito quod nullus ibit in vitam æternam, nisi cum isto nomine Jesu; inscripto in fronte*. Dicite sodes ex quonam judicio bonus latro Christum Paradisi Regem esse conjicere potuerit? Ad id certe ipsi minimè servire poterat, qua amiciebatur discissa & lacerata purpura, neque per modum ludibrii ei factæ acclamationes: *Ave Rex Judæorum*; aut quam capite suo ferebat corona spinea, aut clavi, quos sceptri loco manibus suis ferebat: unde igitur hanc conjecturam desumpsit? certe non aliunde quam ex nomine Jesu, quod Cruci ejus superimpositum erat:

Luc. 23. 38.

hoc etenim ei lumen & agnitionem subministrabat, unde eum tanquam beati illius Regni Dominum esse, honorare & revereri poterat. Unde patet verum

esse, quod S. Lucas, postquam dixisset: *Erat autem superscriptio scripta super eum, &c.* mox subjungit, scilicet: *unus autem ex his qui pendebant latronibus, &c.* ab eo petiit, prout nostis, ut Paradisum ingrediens benignam sui memoriam habere vellet; ac proindè à Christo hocce responso dignatus fuit: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Serm. 9. de ver. Dom.

Undè Arnoldus Carnatensis ait: *Licet tam insignem titulum deleri perfidia Judaeorum clamose expectaret, obtinere nullo modo praevaluit. Jam ad hanc scripturam pertinebat latro crucifixus, & eum intra se illa litera continebant.* S. Paulus quoque, quando ad nomen istud portandum electus fuit, eodem quoque tempore æternæ gloriæ hæres est declaratus: *vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum*; jamque illius possessionem adire cœpit, quando in Cœlum Empyreum raptus, visione beatifica, *per modum transeuntis*, ut Scholæ loquuntur, fuit perfruitus. Similiter ex integro animarum millione & medio, & fortè longè pluribus solus Josuæ & Caleb è solitudine & deserto promissionis terram fuit ingressus; cujus hoc fuit mysterium, ut scilicèt per hoc denotaretur, quòd nomen Jesu (quod Josuè nomen quodammodò referebat) hominibus ex Ægypto hujus mundi, in veram promissionis terram, id est, cœlum aditum patefaciat.

In Ps. 118. serm. 18.

Undè S. Ambrosius: *Mortuus est Aaron, mortua Maria, mortuus est & ipse Moyses, solum Jesu Nave nominis sacri similitudo servavit.*

4. *Oleum effusum.* Hujus equidem sacri nominis virtutes & singularissimæ dotes ad alios innumeros omnesque mirabiles effectus producendos diffunduntur.

Serm. de Circ.

Est nomen istud (sunt verba Doctoris Angelici) *admirabile, laudabile, amabile; est amabile, quia peccatores justificat, justos lætificat, tentatos adjuvat, justis gratiam augmentat, & omnes, qui ipsum invocant, salvat.* Porrò amabilitati hujus suavissimi nominis adjungere possumus, quod S. Bonaventura verba illa: *vocabis nomen ejus Jesum*, interpretans dixit:

Lib. 3. confess. c. 4.

Hoc verò nomen divinum & Angelicum est quod desiderat sponsa in Canticis, dum ait: Oleum effusum nomen tuum; aridus enim est omnis cibus animæ, si non isto oleo infundatur; insipidus est, si non hoc sale condiatur; si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum, si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus; Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. S. Augustinus licèt hæreticus esset, hujus tamen dulcissimi nominis memoriam nequaquam amiserat; quem autem indè fructum persenserit, ex eodem referente audite: *Hoc nomen Salvatoris mei, filii tui, in ipso adhuc lacte matris cor meum piè biberat & alte retinebat.* Adhæc S. Bernardus optimè consideravit, quòd Angelus Dei in terram descensurum annuntiaturus nominis Jesu mentionem fecerit: *Dulce nomen Jesus Angelus non tacuit.*

Serm. 1. de Epiphan.

Quonam autem id mysterio factum est? *Quia hoc mihi maximè necessarium fuit, alioquin ego quid agerem audiens Dominum venientem?* Meritò enim timere poterat, ne fortè tot adversum ipsum commissas offensas castigaturus veniret: *Nonnè desperarem audiens quia venit ille, cujus legem prævaricatus sum? cujus patientia abusus sum? cujus beneficiis tam ingratus inventus sum?* verum ecce tibi consolationem ab hujus nominis invocatione consequentem: *Quæ vero major consolatio poterat esse, quam in dulci vocabulo; in nomine consolatorio Jesus?*

Cap. 10.

S. Bonaventura in vita S. Francisci, quanto amore hic vit Dei sanctus dulce hoc nomen prosecutus fuerit, egregiè describit, dum ait: *Nomen Jesu cùm exprimeret, vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmonicus sonus ipsius immutasset auditum.*

5. *Oleum effusum nomen tuum.* Oleum in vulneribus balsamum est, & singulare in doloribus & plagis refrigerium. Videamus hac de re Gersonem, qui in sermone quodam de hoc festo, hunc in modum loquitur:

Serm. de Circ.

Quisquis acerbissimas sanctorum Passiones fideli mente pertractat, recensetque cruciatus eorum exquisitissimos, quantos & quales ingeniosa ad sævitiam impietas lasaque atque irritata crudelitas excogitare infligereque potuerunt, nominis hujus Jesu virtutem agnoscere faterique compellitur. Quid enim dulces fecit Stephano Lapides? utique nomen Jesu; nomen id profectò dulcia, imo expetenda eis fecit supplicia, quorum vel sola recordatio horrorem nobis incutit & tremorem vehementem. Utiturque ad id comprobandum illo ex Actibus Apostolorum desumpto testimonio, quo dicitur: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Quantò S. Ignatius Martyr in corde suo per totum iter, quod Antiochia Romam usque conficiebat, repletus fuit gaudio, quando se ut à leonibus discerperetur, condemnatum esse sciebat? *Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparata, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer.* Num fortè chalybeum illi pectus erat? aut Leones recreationum reputabat esse catellos? aut verò undè illa nascebatur, ut à leonibus devoraretur, aviditas? Nimirum cordi ejus nomen Jesu insculptum erat. Undè Gerson ait: *Nominis hujus dulcedinem gustaverat, qui dicebat; Exultabo in Deo Jesu meo, ac si diceret, exultent in opibus alii ac fructibus terræ, alii in altis, sed præcipitibus ac tremulis honorum fastigiis, reliqui in cubilibus & ebrietatibus, ego autem exultabo in Deo Jesu meo.* At verò qua ratione factum est, quòd cor ejus intra leonum fauces rabidosque dentes constitutum exultaverit? nimirum quia *hujus nominis Jesu dulcedinem gustaverat.* De B. Henrico Susone legitur, quòd Crucem quandam ligneam unius palmi longitudinem & latitudinem proportionaliter similem habentem fabricaverit, in eaque ad honorem vulnerum Christi triginta confixerit clavos, eamque in medio dorsi adstrictam portaverit, ut in dorso ex clavorum puncturis transfigeretur. Cogitate obsecro quales infra octo annos fuerit perpessus dolores; In ultimo anno in medio Crucis illius præter clavos septem acus acutissimas in dorsum & humeros conversas infixerit, quæ sanguinem continuo manentem eliciebant, quem Beatissimæ, quàm sibi subtus crucem stantem imaginabatur, offerebat. Veruntamen pro aliquali acerbissimorum horum, quos patiebatur, dolorum refrigerio subtus Crucem illam suavissimum Jesu nomen inciderat.

6. *Oleum effusum nomen tuum.* Ut hi, qui in mari natitant scopulos effugere, atque ex profundo, omnibusque aliis periculis emergere possint, sumptum in os oleum, indè per salsas maris undas emittant & dispergunt. Bone Deus, quot in vasto mundi hujus mari sunt scopuli, quot pericula, quot præcipitia, quot naufragia? Continuo etenim de damnatione & ruina nostra periclitamur, ne scilicèt in profundum demergamur abyssi, nisi sanctissimum hoc Jesu nomen, quod Salvatorem significat nobis esset præsidio pariter & auxilio: unde S. Ambrosius ait: *si quis inter aquas mersus oleum ore emiserit clariora facit ea, quæ profundo tenebantur occultis.* Lib. 3. Hexamer. c. 9.

Sic quoque ut astuti serpentis evadamus insidias, ut scopulos in lapsus vel offensas mortales nos præcipitantes declinemus, neque in profundum demergamur, oleum istud, id est, sacratissimum hoc nomen in ore, & multo magis in corde portandum nobis erit.

7. *Oleum effusum.* Præter jam dicta multa considerati possunt alia bona quæ in virtute hujus sanctissimi nominis recipimus, quæ breviter & succinctè enumerabo. In virtute igitur Nominis Jesu orationes nostræ ante thronum Dei deferuntur, nostræque subsignantur supplicationes. Undè Rupertus Abbas super hæc verba: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: solum hujus unigeniti Filii tui nomen, quod est Jesus, necessarium universæ orationis est vehiculum, quo in cœlum directo cursu perlata consistat ante Patris conspectum, salutemque in sinu ejus & gratiam sugere valeat remissionis peccatorum.* Invocatio quoque & devotio erga hoc nomen aptum est ad extinguenda in nobis vitia & appetitus inordinatos instrumentum. *Iræ impetum cohibet*, inquit S. Bernardus, Serm. 15. in Cant.

superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius dedecoris pruriginem fugat. Præterea perfectioni acquirendæ auxilia adfert, viam præparando & præbendo ducatum; *Deduxit me super semitas justitiæ*, sed cujus virtute id fecit? *Propter nomen suum.* Instrumentum insuper est ad patranda miracula. Psal. 22. 3.

Undè Chrysologus ait: *Hoc nomen dedit cæcis visum, auditum surdis, claudis cursum, sermonem mutis, vitam mortuis, totamque Diaboli potestatem de obsessis corporibus virtus hujus nominis effugavit.* Adhæc salutare nomen istud à flagellis iræ Dei nos tuetur atque defendit. Undè scribitur: *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Porrò Anno 528. quando Antiochia divexabatur ab ultimo terræ motu, quis eidem totale comminabatur exterminium, ad sanctissimum Jesu nomen recurrerunt, in portas domuum & urbium suarum dulcissimum Jesu nomen incidentes, eaque ratione saluti suæ optimè consuluerunt. Idem quoque remedium S. Bernardinus civitatibus illis, quæ suo tempore flagellabantur ab epidimiæ peste, pientissimè tradidit. Serm. 114. Psalm. 90. 14.

In

In virtute sanctissimi nominis Jesu remissionem consequimur omnium peccatorum.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Matth. Cap. 1. v. 21.

1. EOdem prorsus tempore, quo Deiparæ Virgini nomen Jesu Filio suo imponendum nunciabatur, declaratum quoque fuit mysterium, ob quot tali esset nomine insigniendus: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis*; adeò ut hinc liquidò appareat nominis istius essentiam in animabus salvandis consistere, quod facit, dum iis peccata sua condonat atque remittit. Porrò inter alia veritatis istius specimina, quæ satis multa se produnt, unum est valdè celebre in actibus Apostolorum,

Act. Apo. 10. 43.

ubi per os sancti Petri dicitur: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus*; adeò ut clarum sit atque perspicuum, quòd in virtute hujus sanctissimi nominis peccata nostra nobis condonentur, atque ideò Sanctus Bonaventura in quo-

Serm. 4. de Circ.

dam sermone de hoc festo ita scribit: *In hoc nomine consequimur veniam.* Certum est autem, quòd filius Dei hoc nomine hodie pridem insignitus fuerit, & non ante, quia si sacram pervolvaris Scripturam, invenietis eundem superioribus sæculis, aliis fuisse epithetis denominatum, hoc autem nomen Jesu ei hodie in circumcisionis suæ die, quo primum cœpit sanguinem fundere, impositum fuit; Et ratio est, quia Jesus idem est quòd Salvator. Videmus igitur, quòd mox ut Filius Dei venit, ut peccatores redimeret, tunc quoque denominatus sit Jesus:

1. Tim. 1. 15.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere. Porrò David olim ante tot sæcula hoc sanctissimum nomen in spiritu prævidens magna cum fiducia divinam justitiam peccatis suis propitiam fieri petiit: sed cujus virtute aut

Ps. 24. 11.

ex quo motivo id futurum esse sperabat? *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim.* De Rahab quoque meretrice legitur, quòd in urbis Hiericuntinæ exterminio, ipsa sola inter omnes fuerit privilegiata, ut ab excidiis, quæ omnibus aliis patriæ suæ concivibus communia erant, præservaretur. Quemnam obsecro istud adeò singulare privilegium in admirationem non rapiat? Quòd Noë unà cum aliis domesticis suis propter illius merita ab universali præservatus fuerit diluvio, quid mirum? *Noe enim erat vir justus in generationibus suis*; idque eo præsertim tempore, *in quo omnis caro corruperat viam suam.* At verò quænam merita mulier illa meretrix habere poterat, ut eorum intuitu modo quodam

Ser. in peccatric. in opera S. Ephrem.

adeò particulari præservaretur. Porrò pulchra est hoc loco illa Chrysostomi observatio dicentis, Josue, qui Salvatoris nostri figura, licèt remota, erat, in meretricis hujus domo nominatum fuisse. Ubi autem vel umbra tantum hujus nominis apparet, ibi mox se produnt egregii illius effectus, qui præservationem ab omni ruina operantur. *Servavit illam Jesus filius Nave qui figuram veri Jesu referebat.* Et S. Bernardinus ait: *Non est ita sceleratus peccator, qui mediante nomine Jesu non possit ad pœnitentiam redire, & animam suam salvare.* Quis impium Juda perversior, aut in culpa sua obstinatior reperiri poterit? Et tamen de hoc optimè Euthymius notavit, quòd quando iniquam illam venditionem exorsus est dicendo: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Christum amabilissimo hoc Jesu nomine non appellaverit, si enim id fecisset, damnatus forsitan minimè fuisset, & hujus suæ opinionis hanc reddit rationem: *Longè est desperatio, ubi est hujus nominis invocatio.* Enim verò S. Ephrem hac de re mirum quid refert, nimirum, quòd, cùm in nonnullis libris, quos S. Julianus legere consueverat, nomen Jesu deletum invenisset, hujus lituræ causam ab eodem poposcerit, hocque ab illo retulerit responsum: Magdalena peccatrix cùm ad pedes Salvatoris prostrata, eosdem lachrymis suis rigaret, & capillis suis abstergeret, suorum obtinuit veniam peccatorum: atque ideò ad ejus imitationem ubicunque nomen Jesu scriptum reperio, illud ipsum lachrymis meis rigo & madefacio, ut peccatorum meorum veniam ab eodem obtinere valeam. Quot sunt qui illud toto corde invocando, ad veræ compunctionis actus excitati fuere. Incognitus Carmelitanus P. Michael de Bononia super prædicta Psalmi verba rationem adfert, cur Deus ad condonanda nobis peccata nostra sit obligatus, dicens: *Ille qui nomen alicujus virtutis habet, & non rem nominis, suum nomen inhonorat: Cum ergo Christi nomen sit Jesus, quod idem est quod Salvator, ad gloriam sui nominis spectat, salvare à peccatis credentes in eum.* Quinam obsecro finis est, ob quam æternus Pater Filium suum in hanc terram demisit? *Sic Deus dilexit mundum,*

Joan. 3. 16

ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat. Neque ulla ratione in dubium revocari potest, quin Christus *venerit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Ecquod igitur Christus nomen assumere potuisset huic officio aptius, quàm sit amabile nomen Jesu? Omnes Principum ministri, ea sibi adaptare nomina consueverunt, quæ eorundem ministerio sunt maximè proportionata. Sic qui ad tractandum vel negotiandum cum Principibus ablegantur, legati dicuntur vel Ambasciatores: qui ad formandos processus, Commissarii; qui ad gubernandum Gubernatores. Magno igitur cum mysterio Filius Dei sanctissimum Jesu nomen sibi imponi voluit, siquidem ad salvandum peccatores veniebat. *Veni in hunc mundum peccatores salvos facere.*

Luc. 4. 34.

Porrò notandum est quod S. Lucas refert, videlicet quòd Dæmon quidam ab obsessi hominis corpore egressus, coram Christo se sistens, eidem dixerit. *Quid nobis & tibi Jesu Nazarene? Venisti perdere nos; scio quis sis, Sanctus Dei.* Salvator autem eum increpans silentium ei imposuit. Verùm dicat hic aliquis, Nunquid in Christi gloriam redundabat, quòd ipse infernalis inimicus ad Divinitatem suam mundo divulgandam fuerit adstrictus; imò ad reddendum insuper testimonium quoad supplicia, quæ à Divina sua justitia recipiebat? Hoc totum equidem verum est, singulariter tamen est notandum, quod tota causa silentii Diabolo impositi fuerit, quia

Lib. 4. in Mar. c. 7.

dixerat; *Venisti perdere nos*, & tamen simul sacrosanctum hoc nomen nominaverit, atque ideò Christus blasphemiam hanc emendare & corrigere voluit, siquidem *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Meritò enim Spiritum hunc se blasphemantem increpuit & reprehendit, verè etenim dicere debebat: *Venisti salvare nos*, undè Tertullianus ait: *Quasi hac esset summa gloria Christi si ad perditionem Dæmonum venisset, & non potius ad hominum salutem.* S. Lucas quoque scribit Petrum hunc in

Act. Apo. 4. 12.

modum prædicasse: *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; adeò ut securum facere computum possimus, quòd omnes excessus, quotquot commissi sunt, & ad finem usque sæculorum ab omnibus peccatoribus deinceps committentur, remissi sunt, aut remittentur, sed non nisi in virtute hujus sanctissimi nominis Jesu; Et quia juxta axioma Apostolicum certum est,

Hebr. 9. 22.

quòd *sine sanguinis effusione non fit remissio*, ideò impositionem hujus nominis hodie simul conjunctam esse voluit cum effusione pretiosissimi sanguinis sui in circumcisione. Porrò ut leprosus aliquis ab infirmitate sua liberetur, nullum inveniri potest potentius remedium, quàm si in recenti infantis cujusdam sanguine abluatur; atque ideò Constantino Magno ab idolorum sacerdotibus pro curatione lepræ suæ suasum fuit, ut ingentem puerorum numerum interfici juberet, & in eorum effuso cruore corpus suum fortiter ablueret, jamque ad necem omnes congregati & præparati erant, cùm ecce pientissimus Princeps compassione motus eosdem in sinum matrum suarum illæsos restitui jussit, desideratamque sanitatem Baptismo mediante recepit. Pari quoque modò Salvator noster universum genus humanum lepra infectum considerans, nam *in peccatis natum erat totum*, ut idipsum ab horrida hac lepra curaret, pristinoque nitori restitueret, sibi innocentissimo infantulo venas hodie aperiri permisit, *ut lavaret nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

Apoc. 1. 5.

Verùm enim verò quandonam idem inet sanctissimum nomen ab æterno Patre suo, tam in cœlo quàm in terra supra omnem modum exaltatum & magnificatum esse existimatis? Quando venæ ipsius pro nostra salute, & pro exsolvendo gravi debito, quo universum genus humanum Divinæ justitiæ ob sua peccata abstringebatur, totum sanguinem suum manare desierunt. Tunc enim Pater æternus, ut inquit Apostolus; *donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*, præmittit enim: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Phil. 2. 12.

Tunc in verticem Crucis exaltatus est gloriosus hic titulus: *Jesus Nazarenus*, isque tribus illis linguis, quæ in toto erant orbe celeberrimæ, expressus: *ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Ob-

Observandum est autem, Judæos conatos fuisse illatæ Christo mortis causam coram mm mundo reddere, seque penes omnia futura sæcula justificare per expressionem causæ, quæ illos ad necem Christo inferendam permoverat, ideoque causam hanc Crucis vertici inscriptam affixerunt; mos enim olim erat, etiam hodiedum circa reos famosiores usitatus, quòd super instrumentum supplicii ipsorum, crimen quod necis sententiam extorserat, paucis verbis exprimerent, atque adeo idipsum hic quoque sunt facere conati:
Matth. 27. 37. *Imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam.* Verùm dicat aliquis quamnam igitur ei affixerunt culpam aut noxam? Num fortè quòd, ut se Regem faceret, seditionem excitarit in populo. Nequaquam, constat enim, quòd quando illum violenter voluerunt coronare Regem, fugerit in montem, imò paulò ante apertè satis protestatus fuit, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*: Num fortè causam mortis suæ esse dixerunt, quòd in societate crucifixorum secum latronum homines deprædatus fuerit? Minimè gentium; ipse namque ille Deus erat, qui *dat omnibus affluenter*, & de quo scriptum est: *Domini est terra & plenitudo ejus.* Quænam igitur causa erat, ob quam merebatur crucifigi? Pilatus enim, qui Judex erat, innocentem eum pronunciavit, dicens; *Nullam invenio in eo causam.* Verùm nec ipse, nec illi mortis Christi penetrarunt myste-
Jo. 11. 50. rium, licèt unus eorum dixerit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Salvator etenim noster nullo alio culpæ reatu obnoxius erat, nisi quòd *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitia vivamus.* Cùm enim esset Salvator, venissetque ut nos à peccatis nostris redimeret, meritò dici potuit, quòd *imposuerunt causam* super Crucem, id est, hunc
Matt. 1. 21. Titulum *Jesus*, quia *vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Veruntamen advertendum est, quòd Evangelista nequaquam dixerit, ipsos super Crucem causam mortis suæ posuisse, sed absolutè *causam ipsius*, quod à Spiritu sancto, hoc præcipuè motivo, ordinatum fuerat, ut nos inde intelligeremus, quòd adæquata causa, seu totus processus vitæ suæ ab instanti sacræ incarnationis usque ad mortem, ad hanc unicam dictionem *Jesus* sit reducendus. Quicquid enim cogitaverat, desideraverat, passus aut operatus fuerat; id totum pro salute nostra erat, ut nimirum Salvator noster esset, & in peccatorum nostrorum satisfactionem redundaret. Dicite sodes, quando Christus è cœnaculo se recepit ad hortum, ubi turbæ illæ armatæ eum requirebant ad inferendam ei necem, è quonam vestigio illum agnoscere pote-
P. 2. l. 44. rant? Enimvero Jovius de quodam Barbariæ Rege scribit, quòd cum dissipam integm illius exercitu, ipse in fugam se recepisset, hostes vestigia illius strenuè fuerint prosecuti, cumque nullum iis suppeteret eum cognoscendi vestigium tandem ipsum in ipsorum potestate redactum, ex odorum fragrantia, quam semper à se diffundebat, eum agnoscere cœperint. Quo nomine sponsa sponsum suum in sacris Canticis appellasse putatis? *Oleum effusum nomen tuum*, ubi Pagninus legit: *Propter odorem unguentorum tuorum, oleum effusum nomen tuum.* Qua igitur ratione Filium Dei cruci affigendum capere & ligare potuerunt, nisi ex sanctissimi hujus nominis, quod ad sanguinem suum pro peccatis nostris fundendum portabat, mira fragrantia. Atque ideo postquam ipse turbas interrogasset: *Quem quæritis*, ipsi verò respondissent: *Jesum Nazarenum*, ipse nequaquam effugit, neque Petri defensionem, nec Angelorum legiones, quas Pater suus e cœlitus submittere poterat, admittere voluit, sed promptissimè eorum sese manibus consignavit, dicendo: *Ego sum, comprehenderunt ergo Jesum & ligaverunt eum.* Et tametsi semper verissimum, quòd *verbum non est alligatum*, nihilominus idemmet tanquam verbum, simul tamen etiam tanquam Jesus, in Cruce illa non solùm alligatus, sed & clavis affixus est: *Non enim erat aliud nomen sub cœlo datum, in quo oporteat nos salvos fieri.*

De præcellentibus Victoriis, quas in virtute hujus sanctissimi nominis de inimicis nostris reportamus.

DISCURSUS OCTAVUS.

Turris fortissima nomen Domini. Prov. cap. 18. v. 10.

1. Victorias, quas fideles in militia & prælio vitæ præsentis in virtute hujus sanctissimi nominis Jesu reportaturi erant, Sapiens olim ex instinctu Divino prævidit. Atque ideo illud Fortalitio, sive inexpugnabili, & formidabili cuidam Turri assimilavit. Porrò S. Bonaventura quatuor effectus maximè præcipuos, qui ab hujus nomi- Ser. 4. de Circ.
nis inæstimabili pretio redundant, recenset, dicens: *In hoc nomine consequimur victoriam, veniam, gratiam, & gloriam*, quorum tres in discursibus antecedentibus ponderavimus, in præsenti autem discursu de primo duntaxat disseremus.

2. Septuaginta duo discipuli Evangelium prædicaturi, in fines Judææ egressi, plurima patrarunt miracula, ex hisce autem illud præcipuè commendabant, quòd videlicet ipsi quoque spiritus infernales ipsis subjicerentur: *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio di-* Luc. 10. 17.
centes, etiam Dæmonia subjiciuntur nobis; hanc autem à dæmonibus obedientiam in virtute nominis Jesu exmr-queri testabantur; *In nomine tuo.* Christus autem respondit eis: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem: ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes.* Unde autem hæc homini à Deo collata potestas Dæmonibus imperandi, eosque sibi subjiciendi, vincendi vel maximè proficiscitur? Ab hoc sanctissimo Jesu nomine derivatur, per hoc enim ab ipso mundi exordio, quando Sathan adversus Deum rebellare cœpit, præcipitatus est, & usque in inferni barathrum dejectus fuit. Unde S. Bernardinus Tract. 2.
ait: *Nolite mirari si nomen meum Diaboli expavescant, &* ser. 40.
eos ab homine pellat, cum virtute ejus Sathanas cum omni- Apoc. 12. 7.
bus Angelis suis de cœlo expulsus ceciderit sicut fulgur. Unde idem Sanctus existimat, quòd sicut milites in ipso prælii fervore exclamare solent: Vivat N. ut hoc incondito clamore inimicum deterreant; ita pariter Angeli boni in Paradiso acclamaverint: *Vivat Jesus, vivat Jesus; & ad vocem hujus nominis Dæmones resistere non potuerunt, quin de Paradisi apice in abyssum non caderent.* Et fortasse idipsum ea in opinione fundatur, quam nonnulli Scholastici tenuerunt, scilicet quod Luciferi suorumque sequacium superbia à revelatione incarnationis Filii Dei iisdem ab Angelis facta suam habuerit originem, & consequenter per humanæ naturæ supra suam mediante unione hypostatica futuram exaltationem; ut proinde id ipsum sustinere nolentes rebellarint. Porrò S. Bonaventura in eodem sermone scribit: *Sed quia Dæmones non subjiciuntur nisi vincantur, non vincuntur nisi in nomine Jesu.* Quod ut evincat exemplo utitur victoriæ illius gloriosis- Lib. de an-
simæ, quam David cum Goliath, qui expressa Tyran- tiq. Bibl.
ni infernalis figura erat, luctando obtinuit. Ac proinde circa fin.
prælium istud, ad majorem hujus sanctissimi nominis gloriam, examinandum nobis erit peritius. Observarunt itaque nonulli, Davidem, ut gygantem istum in terram dejiceret atque necaret, hunc ferè modum adhibuisse, cùm enim omnis militiæ inexpertus, nullam haberet armorum tractandorum peritiam, tanta nihilominus cum generositate colossum hunc, qui integros exterruerat exercitus, aggressus est, ut eum unico duntaxat lapillo exanimem in terram prostraverit. Notat autem Philo Judæus, quòd dum David quinque lapides è torrente selegisset, ut illos peræ suæ pastorali immitteret, eisdem lapillis quinque præcipuorum Patriarcharum, Abrahæ videlicet, Isaac, Jacob, Moysis, & Josue famosa nomina inscripserit. Cùmque lapis postremo loco peræ suæ impositus esset is, cui Josue nomen inscriptum erat, ideo eundem præ cæteris primo loco foras extraxit, eundemque fundæ suæ impositum in vasti hujus gygantis frontem fortiter adeo impegit, ut per jactus hujus vehementiam eum everterit, & in terram perturbarit. Ecce igitur qualiter vel sola hujus nominis Jesu umbra & figura, licèt valde remota, in Josue nomine latens, victoriam gloriosam non de gygante duntaxat, sed & de cunctis simul Philisthæis raro exemplo reportarit: ut per hoc intelligeremus, quòd (quia *in figura omnia contingebant illis*,) invocatio nominis Jesu securam de Goliath infernali, omnibusque aliis rebellibus spiritibus tribuat
victoriam; *Tu venis ad me* (inquit David ad gygantem,) 1. Reg. 17. 45.
in gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini. Æternæ siquidem veritatis promissio est, quòd *sanctum & terribilem nomen ejus* futurum sit, id est, omnibus inimicis nostris tremendum & formidabile. Ægyptii, qui electi populi Dei jurati hostes erant, in viribus & fortitudine sua positam habebant fiduciam suam; Israelitæ verò ut victores evaderent, quanam in te victoriæ suæ spem collocabant? *Hi in curribus, & hi* Ps. 19. 9.
in equis, nos autem in nomine Dei nostri: ipsi ceciderunt, nos autem surreximus. Verum enimvero ex quo aliquam

Josue mentionem facere cœpimus; superest ut in hoc, quòd scilicet Moyses Ducem Castrensem, qui adversus Amalecitas dimicaret, electurus, inter omnes alios, teste Philone, solum Josue elegerit, quodnam mysterium lateat, disquiramus.

Lib. 1. de vita Moys.

Num fortè alia subjecta, quoad experientiam, ætatem, nativitatem, aliasque egregias qualitates celebriora deerant? Verum quidem est, quod ejusmodi non deerant: Attamen Josue præ cæteris (*unum ex minoribus Ducibus*, inquit Philo) electum esse voluit, ut per hoc omnes intelligeremus, quòd ubicunque reperitur hujus nominis Jesu figura quantumvis remota ibi semper sit adversus inimicos victoriæ reportandæ omnimoda securitas; quia *in hoc nomine consequimur victoriam*

Lib. 7. cap. 40.

Scribit Paulus Orosius, quòd post Gratiani Angliæ Tyranni mortem, miles quidam, cui nomen Constantinus erat, ad imperium assumptus fuerit, qui tametsi admodum huic muneri ineptus, & nulla propemodum experientia præditus esset, hoc solum cæteris antecellebat, quòd scilicet nomine suo bonum & felix portenderet augurium. *Hujus loco Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito virtutis eligitur*. Optimè ad præsens propositum se reflectit Origenes super occasione, qua Moyses Josue hoc nomine primitus appellare cœpit, nimirum tunc præcisè quando eum adversus Amalecitas pugnaturum egredi vidit: *Usque ad hunc locum beati nominis Jesu nunquam est facta mentio*.

Hom. 21. in Exod.

Estque hoc verissimum, nam usque ad Cap. 17. Exodi nusquam Josue nomen in textu sacro reperitur. *Hic primum vocabuli hujus splendore effulsit*. Ubi de armis hostilibus impugnandis & debellandis tractatur; Et quot lauros, quot in terra Chanaan victoriosas palmas in hujus virtute nominis obtinuit. Est quoque in hoc, adversus Amelec per Josue inchoato prælio notandum, quod dum Josue in planitie vallis præliabatur, Moyses extensis in Crucis formam brachiis Deum oraverit; per hoc enim nobis innuebatur, quòd nullus sit inimicus quantumvis ferox & invincibilis, qui in virtute Passionis Christi ab hoc sanctissimo Jesu nomine corroborata non prosternetur aut profligatur. Moyses etenim per extensa in Crucis formam brachia Salvatorem repræsentabat in Crucis patibulo extensum. Josue autem præliator virtutem nominis Jesu indicat. Merita enim mortis Christi, & hoc sanctum nomen ejus simul conjuncta, sunt indubitata victoriarum & triumphorum auguria: *Illic ubi nomen Jesu dimicabat* (sunt verba Tertulliani) *dimicaturi quandoque adversus Diabolum Crucis quoque habitus erat necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus*.

Lib. adv. Judæos c. 10.

3. Quod si igitur sola hujus nominis umbra tantam in se virtutem continet, ponderemus, quantæ efficaciæ ipsummet nomen futurum sit. Occurrerunt Salvatori nostro energumeni quidam, seu possessi à Dœmone dolentes & lamentantes: *Quid nobis & tibi Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos*.

Matth. 8. 29.

In quonam obsecro, hoc, in Dœmonibus, post adventum Christi, cruciatuum & suppliciorum augmentum consistebat. S. Ambrosius ait: *Exercitata mens ad prælium consummandum, non aquilarum præfert imagines, nec dracones, sed in Cruce Christi, & in nomine Jesu progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis*.

Lib. 2. de Abr. c. 7.

Quot jacturas, quot strages hoc nomine mediante perpessi sunt hi inimici infernales? *In hoc nomine consequimur victoriam*.

Lib. 3. c. 9.

S. Franciscæ Romanæ die quadam datum est videre, quòd, quotiescumque nomen Jesu pronunciabatur, Dæmones atrocissimas paterentur pœnas, præ timore tremerent, ad genuflectendum & terram ore suo lingendam adigerentur, tametsi idemmet sanctissimum nomen blasphemando impeterent. Similiter quidam vitæ spiritualis magister considerans, quòd Dœmon nos sub nocturnis tenebris præcipuè infestet, pulchrum astutias ejus eludendi, suosque insultus elidendi modum nos edocuit, dicens: *Si tunc mens ita parata inveniatur, ut nomen Domini Jesu fervensi memoria retineat, & hoc sancto & glorioso nomine tanquam armis adversus dolos ejus usa fuerit, recedit fallax & versutus Dæmon*.

S Diodochus c. 31. de perfect. Spirit.

Madianitæ olim ingentem & formidabilem adversus populum Dei, ordinavere exercitum. Moyses autem licèt exercitus ejus & numero, & experientia, & animositate exercitu Philisthæorum longè inferior esset, ad faciendam tamen eis congruam resistentiam modis omnibus se præparavit. Observandum est autem, quòd priusquam prælium adorirentur, *vasa sancta tradidit eis*. Quidnam vasa cum instrumentis bellicis adversus armatas & prophanas Madianitarum phalanges adhibendis commune habent? Dicunt Hebræi, quòd inter hæc vasa sacra lamina quædam fuerit aurea, quam summus Sacerdos deferre consueverat, cui nomen Jehova incisum erat. Intellexerunt enim, quòd, quotiescunque nomen istud in campo compareret, hostem nimio terrore perculsum confestim dissiparet, quia *sanctum & terribile nomen ejus*. Unde Lyranus scribit: *Elevata lamina sancta in altum, exercitus Madianitarum qui erat valde magnus fuit excæcatus, & cadebat ad terram coram filiis Israel*. Hostes enim oculos suos in hoc nomen defigentes mox caligabant, & in extremum devolvebantur exitium.

Num. 31. 6.

4. Porrò Deus sanctos Apostolos veluti totidem fortissimos belli duces contra infernum, Tyrannos, idololatriam, omnesque terræ populos legi Dei rebelles dimicaturos elegit. Unde & ab Ecclesia denominatur: *Belli triumphales Duces*. Verùm quàm arduum & difficile haud dubiè fuit, quòd homines inermes, omni thesaurorum, nobilitatis, sapientiæ, &c. subsidio carentes, Reges & Imperatores, nec non idololatrarum sacerdotes aggredi, sibique subjugare, templa prophana dejicere, falsa demoliri simulachra, totumque mundum legi Evangelicæ, depravatis ipsorum moribus adeo adversantis subjicere juberentur. Veruntamen observandum est, quòd quando illos ad prædicandum dimisit, dicens: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, eosdem pariter virga Moysis armaverit, id est, donum & potestatem miracula patrandi iis indulserit: *Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, &c.* At verò unde tota hæc Divina virtus in eos derivabatur? *In nomine meo*. Ideoque soli huic nomini, mundi attribuenda est victoria.

Matt. 16. 15.

5. Enimvero quantum inimici nostri infernales invocato Jesu nomine percellantur, & quàm sint eidem obedientes, quotidiana nos docet experientia. *Nomen Jesu* (inquit Origenes) *lymphatos sanat, Dæmones ejicit*. In actibus quoque Apostolorum scribitur: *Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea*. En Dœmoni intentatum præceptum. *Non incantationibus tollere videntur Christiani*, (inquit idem Doctor contra Celsum) *sed nomine Jesu cum commemoratione ejus factorum: nam his verbis sæpè profligati sunt Dæmones*.

Lib. 1. c. Cels. Act. Apost. 16. 18.

Et paulò post ulterius dicit, quòd sæpè compertum sit, quòd hæc virtus subsecuta sit, etiam eodem nomine ab hominibus malè viventibus invocato: *Tanta certè vis nomini Jesu inest contra Dæmones, ut nonnunquam etiam a malis nominatum sit efficax, quod docens Jesus dicebat; Multi dicent mihi in illa die, in nomine tuo Dæmonia ejecimus*. Scribit hac de re S. Bernardinus, quòd dum Paduæ, de hujus sanctissimi nominis gloria prædicasset, & ad demonstrandam hujus nominis adversus Dœmones efficaciam, multa in hanc rem adduxisset exempla, inter alia quoque de muliere ibidem præsente mentionem fecerit, nec tamen quænam illa esset, specificarit; quodque mulier illa nihilominus sponte propria in conspectu totius populi in pedes se erexerit, seque per invocationem hujus sanctissimi nominis à Dœmone liberatam fuisse palam professa & contestata fuerit. Ponderandum tamen est, quod idem Origenes circa hanc invocationem subjungit, nimirum quòd de his effectibus per nomen Iesu producendis magis securi sint: *Qui illud enunciant sano affectu, & integra fide proferunt*.

Ad hoc ut hujus sanctissimi nominis virtute potiamur, & illud non indignè invocemus, necessum est, ut in gratia Dei constituti simus.

DISCURSUS NONUS.

Nemo dicere potest, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. 1. Cor. 12.

1. ENimvero ne quoad hujus sanctissimi nominis virtutem graviter decipiamur, sciendum est, quòd ad hoc, ut dulcissimum hoc nomen Jesu effectivè in nobis virtutes illas & gratias producat, quas in nobis natum aptum est producere, non sufficiat, si quis illud sola lingua pronunciet, sed insuper in nobis requiratur, ut cor habeamus Divino amore succensum, Divinaque

gratia

gratia, mediante, Spiritus sanctus in anima nostra locum Ser. 21. ex 40. novis. habeat; *Nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto.* Qua in re Apostolo id dicenti indubitata à nobis adhibenda est fides, utpote qui adeo admirabili modo ad propagandam hujus nominis gloriam, illudque populis, Regibus, cunctisque aliis annuntiandum à Deo fuit electus: *Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus.* Unde S. Augustinus: *Nemo enim dicit Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, sed si dicit factis, non solis verbis*; id est, si hujus nominis invocationem operibus Christiano homine dignis, nec non vitæ immaculatæ uniat atque associet. S. quoque Bernardinus scri- Ser. de fide c. 3. bit: *Ille nempe dicit Dominus Jesus in Spiritu sancto, qui corde, & ore, & opere Dominum Jesum confitetur.* Porrò in oratione illa quotidiana à Salvatore nostro nobis tradita, in principio septem petitionum, gloriosum ejus nomen sanctificare expreisè jubemur: *Sanctificetur nomen tuum.* Certum quidem est, quod ne minimum quidem sanctitatis gradú huic nomini, quòd fons vivus est omnis veræ sanctitatis, addere valeamus. Quomodo igitur Ser. 71. nobis præcipit, ut dicamus: *Sanctificetur nomen tuum?* Audite Chrysologum dicentem: *Petimus ut nomen Dei actu nostro sanctificetur in nobis.* Moxque modum id faciendi declarans, subjungit: *Nobis enim bene agentibus benedicitur nomen Dei, nobis malè agentibus blasphematur*; adeoque tunc verè cum fructu nostro & debita cum reverentia, nomen Jesu invocabimus, si vitam quandam, per legem Dei & virtuosa opera, optimè regulatam duxerimus. Unde Guericus Abbas scribit; *Plus est Je-* Ser. 1. de ref. Domini. *sum corde concipere, quam oculis videre, & auribus de ipso audire.* Virtus etenim & efficaciam hujus nominis, non in hisce sensibus externis consistit, sed in corde mundo, immaculato, amore Dei succenso, quod nulla sit pecca- Psal. 39. 5. ti labe conspurcatum. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus.* Beatus dicitur ille, qui omnem suam fiduciam in Salvatore reponit, ne autem hæc fiducia in hoc sanctum nomen frustra defigatur, audite quidnam ulterius requiratur: *Et non respexit in vanitates & insanias falsas.* In tantum igitur ab hoc nomine, gratias & auxilia nos recepturos esse sperare possumus, in quantum oculos nostros ab hujusmodi vanitatibus conspiciendis subtraxerimus. Audite obsecro quid nobis Christus in ordine ad obtinendam supplicationum nostrarum expedi- Jo: 15. 53. tionem sanctè promiserit: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et tamen quotidiana nos experientia docet, multos ex iis, qui memorialia sua Divinæ Majestati præsentant, turpiter repudiari, licèt illa hoc sancto nomine obsignaverint, dicendo: *Per Dominum nostrum Jesum.* Sic enim quas præsentant orationes concludere solent. Et tamen promissio hæc ex altera parte est veritatis æternæ, siquidem eidem talia verba adjiciuntur, quæ ut ita dicam, vim juramenti in se continent: *Amen Amen dico vobis.* Scitisne quidnam ad hoc sit respondendum? Illud nimirum quod S. Bernardinus hunc scripturæ textum sibi opponentibus dixisse legitur. Quisquis in virtute nominis Jesu gratiam aliquam obtinere nititur, is, ut eidem sanctissimo nomini devotus non vero inimicus sit, omnino requiritur; Jesus enim idem est, quòd Salvator. Quisquis voluntariè in ira Dei vivere eligit, inimicus est propriæ salutis, & Salvatorem à se repellit. Unde si illud invocare vis fructuosè, æquum est, ut cum ipso prius reconcilieris: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Quisnam adeo insolens & temerarius erit, ut à Principe quem mortaliter offendit, & quem sibi iratum esse novit, gratias aut favores exposcere audet? maximè si humiliari nolit, sed potius eligat in sua contumacia pertinaciter persistere? *Discedat ab iniquitate* (est monitum S. Pauli) 2. Tim. 2. v. 19. *omnis qui nominant nomen Domini.* Ubi ponderandum est verbum illud, *Discedat*, id est, non solum adversus Dei offensam odium, & abominationem concipiat, verum etiam ab omnibus se occasionibus, omnibusque peccandi periculis constanter se subducat.

2. Porrò nescio an vos aliquando incesserit curiositas sciendi, quænam causa sit, quòd cum nomen Jesu adeo gloriosum sit, tamque admirandos in nobis effectus producat, nos tamen Christi fideles in nova lege gratiæ à Christo denominemur Christiani, & non potius ab hoc nomine Jesu denominationē accipere contendamus. Modernus quidam expositor dubium istud attigit, dicitque convenientius fuisse, ut novæ legis sequaces à Christo denominarentur, eo quòd hic sub titulo Messiæ seu Christi promissus, & in lege veteri expectatus fuerit. Præterea Nomen *Jesus*, ut Abulensis inquit, *est nomen Per-* Ludov. à Ponte Exhort. 27. lib. 1. in Can. *sona, Christus nomen dignitatis, quatenus Messias.* Ad hæc Jesus non est nomen Salvandi, sed Salvatoris; nomen Christi autem non solum est nomen ejus, qui per gratiam unctus est, verùm etiam ejus, qui per gratiam ungit, atque ideo nomen istud omnibus adaptari potest, quia sacramenta recipientes, omnes per gratiam uncti sumus. Verum enim vero ad propositum nostrum loquendo, existimarem dici quoque posse id singulari quodam divinæ providentiæ instinctu fieri quòd non denominemur à Jesu, ne nomen istud majoris nobis esset damnationis occasio. Sic quoque, ut S. Marcus scribit, Christus in Nazareth patria sua miracula patrare non pote- Cap. 5. 6. rat; *Non poterat ibi virtutem ullam facere*, non quidem quasi ibi limitata fuisset illius omnipotentia, sed quia gentis illius ingratitudinem prævidens, eandem hoc peccato ulterius aggravare nolebat: *Non quod ipse infirmus esset*, inquit Theophilactus. *sed quia illi increduli essent; parcit igitur eis, non faciendo signa, ne signa eis essent ad majorem damnationem.* Idem igitur in casu nostro præsenti dicere poterimus. Quod si enim nos à *Jesu*, quod nomen idem significat, quod *Salvator*, denominaremus, quis non videt infallibiliter futurum esse, quod negligendo salutem propriam, pro qua idem Jesus incarnatus est, hodieque suum sanguinem, fundere cœpit, ut eum in passione sua totaliter effunderet, conculcando etiam illud pro nobis exsolutum infiniti valoris pretium, adeoque animarum nostrarum obliti prorsusque immemores negligenter vivendo, tanto magis severissimorum suppliciorum rei futuri simus? siquidem ut Chrysostomus scribit: *Nomina quo magis insignia, eo magis onerosa sunt.* Hom. 21. ad pop. Quanto quibus insigniti sumus nomina majoris sunt dignitatis, tanto ad illis correspondendum arctius nos obligant. Ideo miles ille ab Alexandro prudenter monebatur: *aut muta nomen, aut muta mores.* Unde & Salvia- Lib. 3. de provid. nus, omnia jam dicta considerans meritò dixit: *Magis per nomen sacratissimum rei sumus, quia a nomine sacratissimo discrepamus: magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat: reatus impii est pium nomen.* Enim- Act. Apostol. 19. 13. vero in S. Luca legitur, quòd dum Apostoli à corporibus obsessis in virtute nominis Jesu expellerent dæmonia; & in specie quidem dum S. Paulus valde insignia operaretur miracula, perfidi Christianæ religionis nostræ inimici eosdem adhibere exorcismos attentarint; sed frustra, imo conatus hic in magnum illorum damnum resultarit; siquidem ab ipsismet Dæmonibus pessimè tractati fuere, & unum illorum simul omnes ingressi horribiliter torserunt. Scire autem circa hoc cuperem, numquid fuerit idem omnino nomen, quod invocaverunt Apostoli, cum eo quod alii malè viventes & perditi homines invocabant? utique idem utrinque nomen invocatum fuit, *Adjuro vos*, dixerunt illi, *per Jesum quem Paulus prædicat.* Quomodo igitur ex unius ejusdemque nominis invocatione sequitur effectus omnino contrarius, adeo ut Dæmones ad aliorum adjurationes longe facti fuerint ferociores, quam alias fuerant? *Respondens autem spiritus nequam dixit: Jesum novi & Paulum scio, vos autem qui estis?* quasi maligni spiritus dicere voluissent; quòd nos Apostolis sanctum hoc nomen invocantibus subjiciamus, eisque obediamus, id facimus quia opera verbis ipsorum pariter conjuncta esse videmus, atque ideo nomen illud invocant dignè, vivunt sanctè, nominique quod invocant, perfectissimè correspondent. *Nominant Jesum Christum in Spiritu Sancto: vos autem qui estis?* quomodo vos qui nominis hujus inimici estis, illud infinitis modis offendere non formidatis, illud ipsum temerè invocare non dubitatis? *Insiliens in eos homo* (inquit S. Lucas actuum Apostolicorum auctor) *in quo erat Dæmonium pessimum; & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* At vero quid boni ex hujus Dæmonis, nomen Jesu ab hisce Sacrilegis pessimè tractari videntis furore atque ferocia evenit? *Cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu:* quod idem est cum eo, quod ab initio diximus, id est, quòd sanctissimum hoc nomen per vitam quandam innocentem benedicere & glorificare studuerint.

3. Porrò iis omnibus, qui diversimodè operantur ab eo, quod nominis hujus substantia importat, dici meritò potest: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Quodsi enim impatiens fueris, & ad injurias ac contumelias propter amorem Dei tibi illatas non sis constans & æquanimis,

nis, quomodo nomen istud cum fructu invocare valebis? quando Apostolus ad nomen istud per totum mundum deportandum electus fuit: *vas electionis est mihi, ut portet nomen meum*; mox ibidem subjungitur. *Ego ostendam illi quanta opporteat in nomine meo pati*. De omnibus
Act. Ap. 5. 41. quoque aliis Apostolis scribitur: *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Hi verè nomen istud dignè invocabant. Porro in discursibus antecedentibus congruam quandam adduximus similitudinem desumptam à Fortalitio quodam optimè munito, in quod nulli, nisi nomen suum ediderit, aditus conceditur. Cœlum verè est Fortalitium fortissimum optima custodia & propugnaculis communitum, super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die & nocte non tacebunt; atque ideo si illud ingredi volumus, nomen nostrum, seu potius nomen
Is. 62. 4. Jesu pro tessera habere & edere debemus, quia *Non est aliud Nomen sub cœlo datum, in quo opporteat nos salvos fieri*; quomodo autem nomen istud dignè edere aut quomodo pro ingressu in illam Hierosolymam cœlestem idemmet invocare poterimus, si Deo inimici, & non à Spiritu Sancto, sed à Dæmone possessi & inhabitati fuerimus; *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*. Multi quidem in ultima mortis hora ad consequendam salutem illud invocant, sed quàm pauci in Spiritu Sancto! invocant quidem lingua, corde vero minime vel saltem cum corde impuro & immundo. *Dederunt Filii Israel possessionem Josue*. Interlinearis legit:
Jos. 19. 50. *Mundi cordis habitationem Jesu Christo*. Hic etenim Jesus, ut Salvator noster esse queat, cor exigit totaliter mundum & purum.

4 Alia insuper circa hoc nomen superest observatio. Non obstante enim, quòd nomen istud Jesus dudum ante hunc diem ab Angelo revelatum fuerit Josepho, & ante hunc in Annuntiatione Virgini Mariæ, attamen hoc illum titulo, in toto illo octo dierum spatio, non denominarunt, nec ulla ejus facta est mentio nisi hodie dum circumcissus fuit. Scitisnè causam? Hanc ego vobis edisseram, si tamen prius id quod Plinius Panegyrico Trajani scripsit recensuero. *Nomen illud*, inquit Plinius, *quod alii primo statim principatus die Imperatoris & Cæsaris receperunt: tu usque eo distulisti; donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus æstimator jam te mereri fatereris*. Ita quoque de Jesu nostro dicere possumus, eousque, donec caro ejus mutilaretur ad dandum nobis suum sanguinem, hujus nominis honore gaudere noluit, prius etenim efficere voluit, quòd jure nomen istud meritus esset, quodque eidem operibus suis aptissimè corresponderet, dum sanguinem suum pro nostra salute actualiter effudit. Id quod nos magis magisque condemnat, qui Christiani hominis nomen habentes, vitam ducimus pagano simil-
Tract. 5. In epist. ad Joan. limam. *Quid prodest nomen* (inquit S. Augustinus) *ubi res non invenitur? vocabitur illi nomen novum* (ita vaticinatus est Isaias) *quod os Domini nominabit*. Porrò juxta Hebreæ linguæ proprietatem loco hujus verbis *nominabit* legitur *perforando aut sculpendo incidit, nomen Jesu vocatum ac perforatum est Christo per vulnera carni insticta*.
Lud. à Ponte. Idemque in Crucis vertice ad tantam gloriam exaltatum fuit: semper igitur per vulnera & sanguinem pro salute nostra effusum exaltatum fuisse noscitur: Et nos virtute illius gaudere, ejusque invocationis effectus participare prætendemus nostris vacando delitiis, & voluptates consectando, nostræque salutis inimicos nec non Divinæ legi obstreperos & rebelles nos exhibendo? Absit; quinimo hoc nomen novum à nobis in hoc novo anno novam vitam
Coloss. 3. novosque mores exposcit. *Ergo & nos in novitate vitæ ambulemus; omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite*. Et S. Thomas bene monet: dum ait: *In isto nomine est ambulandum, est spatiandum, est & operandum, est loquendum*.

Quod sanctissimum Jesu nomen efficax sit miraculorum patrandorum Instrumentum.

DISCURSUS DECIMUS.

Quàm admirabile est nomen tuum in universa terra! Psalm. 8. v. 2.

1. HEbræorum legislator facundiam & eloquentiam quandam superhumanam sibi exoptans, ad se auscultandum cœlos olim invitavit pariter & terram, dum ait: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris* Deut. 31 1
mei; concrescat ut pluvia Doctrina mea fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam & quasi stillæ super gramina. Quonam autem hæc spectat, quam ab universo Moyses exposcit attentio, illaque adeo trascendens, quam à Deo implorat eloquentia? Ecce tibi mysterium: *Quia nomen Domini invocabo*. Unde subjungit. *Date magnificentia Deo nostro*. Hujus sancti nominis sublimem prævidebat gloriam sentiebatque quòd illam explicandam nec linguæ humanæ sufficerent, nec Angelicæ Quid igitur mirum, si David quoque in Oraculis suis Propheticis prædixerit: *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra*. Hoc etenim Jesu nomen omnia nobis mirabilia in memoriam revocat, quæ operatus est Deus tanquam Salvator & Redemptor. Porro Dei nomen nos memores esse facit creationis mundi, creaturarum conservationis, gloriæ cœlestis, Majestatis suæ infinitæ. Æternitatis, omnipotentiæ, aliorumque attributorum suorum similium: at verò nomen Jesu admiranda incarnationis & redemptionis opera ob oculos nobis ponit. Et ideo vere *admirabile*; mirum etenim est, quod in una sola persona unita sit natura humana pariter & Divina; quod virgo conceperit de Spiritu Sancto; quod eadem salva claustri virginalis integritate partum suum enixa fuerit; quod partus ille in præsepio inter duo animalia fuerit reclinatus, & pariter in Empyreo adoratus fuerit ab Angelis. *Admirabile* quia ab instanti Conceptionis, usque ad ascensionem suam in cœlum vita ejus continuum quoddam & nunquam interruptum fuit miraculum; prouti idipsum prolixius deduci posset, verum relictis illis omnibus, nunc miracula ponderemus hujus nominis virtute patrata. Decreverat olim Deus populum suum de Ægyptiaca servitute, & tyrannide Pharaonis liberatum in promissionis terram educere; quod ut feliciter assequeretur, quid fecit? Pauperculum Pastorem in Madian commorantem, suumque gregem pascentem elegit, eique ut in Ægyptum se recipiens, è diræ servitutis vinculis atque compedibus Israelem eriperet, seriò mandavit.

2. Verum quibus existimatis armis Deus illum, pro tam ardui operis executione facienda instruxit? quosnam illi consignavit exercitus? aliis illum armis non instruxit, quàm virga quadam, quam ad custodiendum & coercendum gregem suum manu tenebat; hanc enim sceptrum impetu sui esse volebat, quo fastum reprimeret Pharaonis, maria divideret, flagellaret Ægyptium Regnum, populoque Dei electo viam ad promissionis terram complanaret. Per virgam autem istam miracula præsignabantur & prodigia, quæ in nova lege gratiæ in Ægypto & deserto hujus mundi patranda erant sanctissimi nominis Jesu virtute. Hoc enim vero erat virga illa, de qua quondam Isaias Propheta prædixerat: *Egredietur virga de radice Jesse*. Genus humanum Pharaonis infernalis miserum erat mancipium, quando omnes terræ nationes sub falsis idolorum simulacris servire & obedire debebant. Cum verò Deus idem ab hoc jugo liberare decrevisset; *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*, quonam usus est medio? in conspectu omnium populorum, eo tempore, quo innumeri homines Hierosolymam concurrebant, in sumitate patibuli, in Monte Calvario erecti inscriptionem nominis Jesu, in tribus illis linguis Hebraica, Latina & Græca expressam exaltari fecit; & mox prodigia prodigiis cumulata fuere. Tunc enim Centurio confessus est dicens: *verè filius Dei erat iste*: latro hisce verbis supplicavit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*: *Multi* insuper alii *revertebantur percutientes pectora sua*. Sol nigro se paludamento velut sacco cilicino contexit, terra à fundamentis commota & concussa fuit, conscissum est velum templi, adeo ut Dionysius Areopagita etiamnum gentilis exclamarit dicens: *Aut Deus natura patitur, aut tota mundi machina dissolvitur*. Tuneque verè adimpletum fuit, quod Christus ante prædixerat: *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*: quia santissimum hoc Jesu nomen super omnia fuit exaltatum: *Donavit illi, &c. ut in nomine Jesu omne genuflectatur &c.* Nunquid aliquando Apostolos considerastis, quando in die Pentecostes Cœnaculum Syonis egressi, cunctis populis bellum indicere debebant, ut eosdem novæ legi Evangelicæ subjicerent? Id quod non solum per verbi prædicationem, sed etiam per miracula executuri erant; atque ideo eosdem prodigiosa hujus sanctissi-

ctissimi nominis Virga obarmavit, ut per illam profligare Idolatriam, cordiumque obstinatorum duritiem conterere possent: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion*, prædixerat David, *Dominare in medio inimicorum tuorum*. Postquam autem nomen istud toti mundo celebre factum fuit, omnes inimici Dei, cunctique gentiles colla sua sub Ecclesiæ & fidei jugum, & sanctissimi hujus nominis obedientiam & reverentiam lubentes submiserunt. Unde S. Petrus hoc nomen Jesu acclamando, os

Act. Ap. 2. 22. suum vix aperuerat: *Jesum Nazarenum*, hoc nomen, prout ex prædicationis decursu longius videri potest, frequentissimè nominando & repetendo cum ecce tria millia eorundem hominum, qui paulo ante clamaverant, *Crucifige, Crucifige* efficaciter convenit. Similiter quando Christus ante suam in cœlos ascensionem ad prædicandum ubique Evangelium Apostolos per totum terrarum orbem dispersit, tunc, ut alibi diximus, simul illis auctoritatem & donum elargitus est in virtute nominis sui faciendi miracula: *In nomine meo Dæmonia ejicient*. Et S. Petrus, dum miracula patrare cœpisset, ad portam speciosam templi, claudo illi occurrens, eundem erexit,

Ser. de Nat. & in virtute nominis Jesu, in conspectu totius populi sanavit. *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula*. Unde S. Petrus Damianus, vel quisquis sermonis illius auctor est, dicit: *In nomine Jesu Christi surge & ambula, dicit claudo Princeps Apostolorum; nonne quasi fulgur exivit ab ore Petri, cum nominatum est nomen, quod os Domini nuntiavit, & statim, inquit, consolidatæ sunt bases ejus & plantæ:* Idipsum quoque S. Petrus in Capite sequenti contestatus est coram Principibus synagogæ & senioribus populi, quando illum interrogarunt in cujus

Act. Ap. 4. 10. virtute illud patrasset miraculum: *Notum sit omnibus vobis, ait, & omni plebi Israel, quod in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni iste adstat coram vobis sanus.*

3. Verùm advertendum est, quòd sanctissimum hoc nomen dio ante patrarit miracula; id quod Paralyticus ille optimè cognovit, quando dixit: *Jesus, qui me sanum fecit*, ubi S. Gaudentius ait: *Sciebat utpote Hebræus, nomen Jesus ex virtute descendere sanitatis: ille ergo inquit, fecit me sanum, cujus & nomen salus est*, Etenim omnia miracula super virtute hujus sanctissimi nominis fundantur. *Semper Jesus nominatur* (ait Chrysostomus)

Hom. 5. in Matth. *quando à sanctis viris miracula fiunt.* Unde & Sanctissima Virgo, mira prodigia per divinam omnipotentiam in se adimpleta agnoscens, illa omnia ab hujus nominis sanctitate originem suam trahere confitetur; postquam enim dixisset: *Fecit mihi magna qui potens est*, immediate subjungit: *Et sanctum nomen ejus*. Unum ex stupeodioribus prodigiis, quæ ante Incarnationem præterita viderunt sæcula, fuit, quod Deus voci hominis obedierit, velocissimam solis totam per integræ diei spa-

Jos. 10. tium firmiter sistendo: *Sol contra Gabaon ne movearis*, inquit magnus ille Israelitici exercitus Imperator, ne victoriam, quam adversus inimicos suos in manu habebat, perdere cogeretur: Et ecce subito *stetit Sol in medio Cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei*. Additque mox sacer textus Deum paruisse voci hominis præcipientis. *Obediente Deo voci hominis.* Quale vel quodnam Dux ille Israeliticus præ cæteris omnibus ad id obtinendum meritum habebat; cum forte præcellebat Abrahamum, Jacobum, Moysen, Davidem, qui ad miracula adeo insolita patranda nunquam valuerunt pertingere? S. Basilius optimè considerat, Ducem hunc Josue nomine fuisse insignitum, quòd nomen sanctimonio Jesu

Serm. de Transfig. Christi veri Salvatoris mundi typus quidam erat: *Constitisti Sol, aliquando victoriam Hebræorum spectans, reveritus es servum ducem, qui imperaverat, in conservo honorans Domini appellationem*. q. d. voluit Deus ut Josue hoc operaretur miraculum, ut in hoc nomine suum honoraret filium, qui admirabile Jesu nomen portaturus erat. *Quia igitur* (ait insuper Chrysostomus) *typus erat Jesu illud nomen, idcirco igitur hoc factum est, etiam propter*

Hom. 23. ad Heb. *ipsum vocabulum reverita est creatura.* S. etiam Bernardinus existimat, quòd ex virtute sanctissimi nominis Jesu accideret conversio S. Dionysii Areopagitæ. Licèt enim incredulus hic Dionysius Apostolum Areopagi prædicantem, cum singulari semper gustu audierit, attamen per viam miraculorum potissimum conversus fuit, cum enim infirmum quendam gravi morbo laborantem, coram Dionysio adduxisset, jussissetque, ut is huic infirmo in nomine Jesu præciperet, ut sanus à lecto surreciperet, accidit, ut Dionysio id faciente, infirmus confestim sanatus surrexerit, eoque miraculo viso ipse conversus fuerit; unde magnam deinceps huic nomini devotionem & reverentiam semper exhibuit, de eodem adeo

sublimiter in libro suo *de Divinis nominibus* scribendo De Constantino Imperatore similiter narratur, quod post- Florentit. exempl.

quam sanctam Christianæ fidei religionem amplexatus fuisset, suumque diadema vicarii Christi pedibus substravisset, seque relicta Pontifici Roma recepisset Bizantium, obvios habuerit nonnullos Philosophos, graviter adversus eum lamentantes, quòd Diis suis, quos sui in Imperio antecessores, totque alii præteritorum sæculorum Reges venerati fuerant, relictis atque contemptis, homini cuidam crucifixo latriæ cultum exhiberet. Et ut ipsum falsam fidem amplexatum, Diisque suis injurium fuisse apertè convincerent, facultatem sibi dari postularunt, ut cum Alexandro Bizantino Episcopo, viro quidem sanctissimo, modica tamen literatura prædito disputationem publicam ordiri possent. Constantinus autem licèt modicam illis fidem adhiberet, in propositam tamen ab iisdem disputationem libenter consensit. Episcopus igitur omni sua fiducia in Deum collocata, ut Imperatoris placito satisfaceret, pugnæ se accinxit. Cumque dies disputationi determinatus illuxisset. Episcopus ab adversariis ut unum suorum, quo cum congrederetur eligerent, expetiit, ac proinde audentiorem doctioremque inter omnes huic operi destinarunt, quem Sanctus, initium disputationis daturus, hisce verbis est aggressus: *In nomine Jesu præcipio tibi, ne loquaris*; ad quæ verba idololatra mox mutus & elinguis evasit. Nunquid virtutem hujus sanctissimi nominis plus per miraculum istud, operatam fuisse videtis, quàm si Episcopo huic vel Demosthenis eloquentiam vel scientiam Pauli contulisset? Porrò Moyses expeditè loqui non poterat, & ideo

dixit olim: *Tardioris & impeditioris sum linguæ, non sum* Exod. 4. 10.

eloquens, nescio loqui, tamen ob prodigiosam virgam qua stupenda patrabat miracula, magnam Pharaoni formidinem incussit. Oculos quoque vestros in seriam Apostolorum considerationem deflectite; hi enim pauperes idiotæ, & viles abjectique piscatores erant, & tantæ tamen fuere virtutis, ut Monarchias maxime formidabiles temere fecerint, convicerint Philosophos, totum denique mundum ad veram Christi fidem converterint, sed cujus obsecro virtute prodigia hæc operati fuere? *virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion*, ut supra diximus, id est, omnipotentiam hujus sanctissimi nominis.

4. Verum, inquies, convenientius videri, si Filius Dei hic in terris sublime aliquod & gloriosum nomen sibi vendicasset, scilicet Deus exercituum, omnipotens nomen ejus, Rex gloriæ, aut aliud simile, cur igitur spretis hisce nominibus Jesus nominari voluit? scitisne causam? virga Moysis tanto erat admirabilior, quia arundo erat, aut quia baculus pastoralis ligneus erat, & tamen licèt instrumentum esset adeo infirmum, totius Regni Ægyptiorum potentiæ mirè prævaluit. Ita quoque hoc est maximum tanti nominis prodigium, quod videlicet ejus, virtute stupenda fiant miracula, & ad perfectionem reducantur opera gloriosissima, quæ unquam sub sole visa fuerunt: qualia sunt conversio mundi, Idolorum destructio, totiusque Regni apostolici stabilimentum. Et quidem hæc hujus nominis gloria tanto major est, quod cum esset humile; *Discite a me quia humilis sum: humiliavit semetipsum*, ad ejus tamen solam prolationem muti videantur loqui, claudi ambulant, moribundi sanentur, cæci videant, mortui resuscitentur, imo tanta huic no-

mini gloria accessit, quòd ut scribit Angelicus: *Istud de-* Ser. de Circ.

beant inferi formidare, terrestres adorare, cœlestes laudare: inferi debent formidare, quia in eo sunt exspoliati; terrestres adorare, quia in eo sunt redempti; cœlestes laudare, quia in eo sunt restaurati. Didacus Stella insuper considerat, quod Salvator noster hodierna die non appellatur ab Evangelista titulo Messiæ, vel Regis, sed

vocetur puer: *Puer:* Ecce ejus humilitatem, sed ejus In Luc. 2.

mox quoque vide exaltationem & prodigia: *sub nomine pueri recondita est celsitudo & magnitudo unigeniti Filii Dei; o parvum nomen & vile, quantam in te contines majestatem!* Mox vero graviter invehitur in illos, qui superbos & speciosos amant & ambiunt titulos? *Hoc utile nomen nimis superbiam & arrogantiam mundi deprimit & confundit: verum ut scias Dominum humiles extollere, puero huic humili imposuit nomen Dei, ante quod omne*

genu

genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, Ideo ſequitur in contextu : *& vocatum eſt nomen ejus Jeſus*.

De Myſteriis, ob quæ anni noſtri aranearum telæ aſſimilantur.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur Pſ. 89. v. 10.

1. OPportunum profectò & ſalutare eſt monitum illud, quod per os Davidis cœleſte nobis proponit oraculum, eſtque huic diei quam maximè adaptatum, in quo novi anni fit exordium, ſiuntque plurima de eo bene & utiliter tranſigendo conſilia. Attendite igitur, ait Pſalmiſta, attendite, annos noſtros haud aliter æſtimandos eſſe, quam tenuiſſimam quandam aranearum telam. O quam felixerit hujus novi bene devivendi augurium, ſi hujus telæ myſteria menti noſtræ firmiter impreſſerimus.

2. Porrò Hugo Cardinalis varias ad utilitatem noſtram hujus telæ nobis ſubminiſtrat expoſitiones. Prima eſt : de Aranea legitur, quod *faciat telam ſubtilem & inutilem* : ſic quoque vita noſtra propriè eſt tela quædam ſubtiliſſima : ſiquidem ab unica reſpiratione & habitu noſtro dependet. Quando ſupremus ille artifex, cui quilibet noſtrum dicere poteſt : *Manus tuæ Domine fecerunt me & plaſmaverunt me totum in circuitu*, (Pſ.118. 73.) ad fingendum corpus noſtrum manum ſuam applicuit, illudque animare vellet, quonam modo ille vitam indidit per aſpirationem vel flatum quendam : *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*. Ut exinde intelligeremus, ſuper quonam vita noſtra fundetur, nimirum tot machinæ, tot conſilia & conatus, qui in humano capite agitantur, ſuper unica fundantur reſpiratione, ſuper unico oris flatu. Quamprimum homo ceſſat reſpirare, ceſſat quoque vivere, & in cinerem redigitur, omneſque dies, menſes, & anni vitæ ſuæ deficiunt : *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in pulverem ſuum revertentur*.

3. De hac tela quoque dicitur quod ſit inutilis : *ſubtilem & inutilem*. Inutile quoque eſt homini, imò damnum ei adfert infinitum, quod triginta, quadraginta, vel ſexaginta annis vivat ſi omnes hoſce annos male impendat, & longe infelicius id ei cedit, ſi illos in offenſa Dei traducat. Quonam fine tela ab aranea texitur ! ad quandam muſcarum prædam inſtituendam. Hæc eſt plurimorum hominum cæcitas, quod ſe fatigent & eviſcerent, non ob aliud, quam ut muſcas, id eſt, nihilum quoddam ſibi acquirant ; omnia etenim quæ mundus hic poſſidet, bonis comparata æternis, nil aliud quam nihilum quoddam ſunt. (Pſal. 72. 6.) *Nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*. Quonam putas fine Deus nobis vitam hanc præſentem, hoc tempus decem, quindecim, & viginti annorum conceſſit ? nimirum ut de re maximi momenti valdeque ardua negotiemur, qualis eſt vitæ beatæ conſecutio. Quod ſi annos hoſce in conſectandis honoribus, deliriis, voluptatibus, divitiis conſumamus, nihil aliud quam muſcas captamus. Si theſauros accumulaverimus, in fine vitæ noſtræ, quando tela hæc deponenda erit, invenies corpus tuum lacero cuidam linteo involutum, deportari ad ſepulchrum. Honores finientur in tumulo, omnes magni faſtus vel in campanarum ſonum, vel facularum fumo evaneſcent. Hi, qui in hac vita contumaciter peccant, ut dicitur in libro Sapientiæ, ſero nimis fatebuntur : (Sap. 5. 7.) *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles ; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? tranſierunt omnia illa tanquam umbra*. Sed ecce tibi aliam hujus telæ proprietatem.

Ecce tela cito rumpitur. Subtilitas major dari nequit, quam ſit illa, quæ in hiſce filis reperitur ; atque cum initium ejus adeo ſit tenue, facile quoque rumpitur, & perditur. Ipſa nos docet experientia, quod illi qui ſcopis domos evertunt, unica ſcopa telam illam facillimo negotio tollant, & rumpant, licet animalculum illud eam fabricando ſeſe eviſceraverit, multumque in ea temporis inſumpſerit. Ehem quot ſunt, qui poſtquam per multos labores & cruciatus innumerabiles, multas ſibi accumularunt divitias, vel per multos in ſervitute aut laborioſo ſtudio conſumptos annos hanc vel illam aſſecuti ſunt dignitatem, jamque in hac conditione poſiti longam quandam ſuavemque vitam feliciter ducere ſtatuerunt, & ecce per unicum caſum ſiniſtrum, per unicam calumniam vel perſecutionem omnis conſiliorum ſuorum machina ſubito deſtruitur, vel etiam ſuperveniens quædam febris maligna, aut alia calamitas improviſa ; eo tempore, quo ſe proſpere victuros arbitrabantur, vitam illis abrumpit ! *cum adhuc ordirer ſuccidit me*, ſcribitur apud Iſaiam. (Iſ. 38. 13.) *Ejus tela cito abrumpitur*. Exemplum *in terminis* evidens in divite illo Evangelico conſpicitur. Hic etenim copioſum valde meſſem collegerat, adeo ut quonam illam collocaret, ignoraret, ſiquidem granaria ejus capacia ſatis non erant. Unde deſtructis horreis antiquis, alia ampliora fabricare decreverat, jamque optimè contentus intra ſemetipſum dicebat : (Luc 12 17.) *Anima mea habe multa bona repoſita in annos plurimos ; requieſce, comede & epulare*, cum ecce confeſtim vocem quandam audit dicentem ſibi ; *Hac nocte repetent a te animam tuam, & quæ paraſti, cujus erunt ?* quot ſunt qui multis ſæculis ſe victuros eſſe credunt, & veſperi cum hiſce cogitationibus imaginationi impreſſis ad lectum ſe recipiunt, cum tamen eademmet nocte a quodam catharro ſuffocativo correpti, in alteram vitam commigrant ? quot ſunt qui anno præterito, annum hunc novum ſe ſupervicturos eſſe arbitrabantur, & tamen dum vel minimè timebant, repentinus quidam gladii ictus, vel gravis lapſus, aut febris maligna omnes eorum vitæ longioris cogitationes abrupit.

5. *Sicut aranea*. Hæc enim ut idem Cardinalis Hugo dicit *ſeſe eviſcerat*, propter ordiendam telam eviſceratur & conſumitur. Ita quoque nobis accidit, qui dum appetitibus noſtris indulgemus ſenſim & paulatim conſumimur. Unde S. Ambroſius ait : (Ep 42. ad Sabin.) *unuſquiſque ſe eviſcerat luxurioſus, helluo internecat*. Etenim æternæ veritatis propoſito eſt ; quod *ſtimulus mortis peccatum eſt*. (1. Cor. 15. 56.) Eodemmet tempore, quo peccatum admittimus mortis quoque additum concedimus, non ſolum ſempiternæ, ſed & temporalem mortem frequenter acceleramus, quia (Sap. 1. 16.) *impii manibus & pedibus accerſierunt illam* ; id eſt per inordinatam vitam & diſſolutiones acciverunt ſibi mortem. Enimvero ex alio quoque capite dici poteſt, quod quanto magis anni hominis accreſcunt, tanto magis ad inſtar araneæ conſumatur & eviſceretur, quia vita ſemper magis magiſque deficit & ad mortem properat. Imo vita in ſubſtantia ſua nihil eſt aliud, quam mors quædam continua. (1 Cor. 15 31. Epiſt. 24.) Unde Apoſtolus dicebat : *Quotidie morior*. Valde conſiderabilia ſunt illa Senecæ verba, hoc præſertim primo totius anni die : *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ ; & tunc quoque cum creſcimus tunc vita decreſcit, hunc quem agimus diem cum morte dividimus*. S. Jacobus optimè ſtultitiam eorum reprehendit, qui ſuper vitæ ſuæ annos haud ſecus diſponunt, quam ſi hæc ab eorum dependeret beneplacito : (Joan 4. 13.) *Quæ eſt vita veſtra ? vapor eſt ad modicum parens*. Paulo ante dixerat : *Ecce nunc, qui dicitis hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucrum faciemus ; qui ignoratis, quid erit in craſtino*. Etenim hæc à vapore deducta ſimilitudo valde myſteriis turget, eſt enim vapor terreſtris quædam exhalatio, quæ quanto ſublimius aſcendit, tanto ſubtilior evadit, deficit, & evaneſcit. Ita quoque vitæ noſtræ annis evenit, quanta enim illa magis progreditur, tanto magis deficit, & fini ſuo propinquior evadit. Unde S. Auguſtinus : (Cap 3. Sol.) *Quanto magis creſcit, tanto magis decreſcit, quanto magis procedit ; tanto magis ad mortem accedit*.

6. *Sicut aranea meditabuntur*. *Multum laborat* (inquit Hugo Cardinalis) *& cito diſſipatur opus ſuum* Scribit quidam auctor araneas ingenti cum artificio telas ſuas fabricare ; (Pineda in c. 27. Job. 12. 9.) circumferentiam enim dividunt in ſpatia æqualia, per quatuor fila in quatuor partibus, per modum crucis deducta, quarum ſingula poſtea in gyrum per viginti alia fila ſubdividunt, ita tamen ut ſingula iterum ex omni parte æqualiter nectant adeo ut veluti rotundum quoddam rete texant, quod dum abſolutum eſt octoginta in ſe cellulas cum totidem nodis connexas in ſe continet. In hiſce autem loculis ſive cellulis quarum ut plurimum octoginta numerantur, anni vitæ noſtræ ſubintelliguntur. Unde poſtquam David dixiſſet : *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*, immediatè ſubjungit : *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni : ſi autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor : Multum laborat*. Quot eheu ſudores, quot labores

Ser. 17. de ver. Dom.

& difficultates in misera hac vita patimur? *Quid est diu vivere* (inquit S. Augustinus) *nisi diu torqueri? amas ergo istam vitam, ubi tantum labores?* quod si igitur hunc annum adhuc supervivere desideras, idipsum in substantia verè nihil est aliud, quàm quod tuas protelare, longiusque extendere ærumnas appetas. Unde Seneca pulcherrimè advertit, neminem nostrum ultro citroque in hunc certaminis campum militandi causa, vel in hanc lacrymarum vallem ad plorandum potius quàm ad vincendum ingressurum fuisse, si ei ante tot ærumnæ, tot adversitates, infirmitates, tot Deum offendendi pericula, aliique, quibus quotidie involvimur, sinistræ fortunæ casus ei manifestè ob oculos positi, & explicati fuissent: potius quilibet nostrum sibi uterum matris suæ prælegisset in tumulum, quàm quod inde prodire desiderasset in lucem. Ideoque singularis quidam naturæ dolus esse videtur, quod vita primordialiter detur hominibus, omni prorsus discursu, aut rationis usu destitutis: *Nemo vitam acciperet, si daretur scientibus, stratagema naturæ est dare rationis expertibus.* Et tamen quot sunt qui hujus miserrimæ & laboriosissimæ vitæ compedes, vincula, catenas, & carcerem vehementissimè amant, & in delitiis habent? quot sunt, qui non hunc duntaxat annum, sed viginti, triginta, vel quinquaginta insuper annos, tum ob congruam & solidam corporis complexionem, tum ob eas, quibus in hac vita fruuntur, delitias & commoditates supervivere exoptant: enim vero nequaquam intelligunt, quod *anni nostri sicut aranea meditabuntur; multum laborat, & cito dissipatur opus suum.* Etenim si vel unicum hujus telæ filum rumpatur, tota machina pariter destruitur; cum enim sive ob complexionis bonitatem & invictum corporis robur, sive ob progenitorum vestrorum optimam sanguinis indolem, decrepitos prosperosque senectutis annos attingere deberetis, idque vobis ab Astrologis certo quodam sit augurio prognosticatum; attamen si fortè vel unicus hujus telæ nexus aut cellula dissolvatur, id est, si vel unicus infelix & improvisus ictus, aut mors violenta accidat, confestim triginta aut quadraginta anni, quos vos assecuturos esse persuadebatis, pariter evanescunt. *Senibus est in januis* (inquit Guerricus Abbas de morte) *juvenibus est insidiis.*

Serm. 3. de Adv.

7. *Sicut aranea meditabuntur. Rupta non resui potest* dicitur de hac tela; *sic post mortem non possunt facere pœnitentiam. Dies mei* (inquit Job) *velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe.* Donec quidem præsens vita durat, tempus est merendi gloriam pro vita futura, agendique pro peccatis nostris pœnitentiam, ac proinde per magni nostra interesset, si hujus durationis certam possemus durationis quantitatem edicere, sed hoc nimis incertum est, nec de hoc assecurare nos possumus, nisi id nobis Deus ipse revelet. Veruntamen quid si ego dicerem vobis, quòd Evangelium heri mane, ultimo nimirum totius anni die lectum, expressè nobis secureque, quando vita nostra finienda sit, revelet, magna utique vos cura exonerarem. Dicit igitur Evangelium istud: *Estote parati* sed in qua ætate? num fortè in adolescentia, juventure, aut virilitate? Nihil hac de re certi enuntiat. Quandoque ultima hæc hora nobis superveniet? *Qua hora non putatis filius hominis veniet.* Unde quanto ultimum hunc diem magis à nobis remotum esse immaginabimur, quanto plus de longa vita nobis abblandiemur, tanto illam nobis proximius imminere est infallibilius; atque iden Salvator noster non dicit in futuro tempore *Eritis*, sed in tempore præsenti: *Estote parati.* Jam jam tempus est accumulandi nobis merita pro vita futura; in hoc instanti, in hoc mense, in hoc die, in hac hora, in hoc momento: *Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Tametsi enim de facto ingressi sumus anni hujus exordium, multi tamen ex nobis ejusdem finem minimè assequentur Dolor quem tunc de non facta à nobis pœnitentia persentiscemus, sine fructu erit. *Ibi erit fletus*, non tamen ad deflendam culpam, sed ad majus tormentum & pœnam non peractæ pœnitentiæ, cum ad id tempus sufficiens haberemus.

Job 7. 6.

Luc. 12. 40.

2. Cor. 6. 2.

I. Residuum vitæ nostræ tempus fructuosum à nobis collocandum esse.

II. Nequaquam differendam esse pœnitentiam.

III. Multæ quoque quoad hoc fallaciæ & fraudes deteguntur & explicantur.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Benedicet corona anni benignitatis tuæ. Ps. 64. v. 12.

1. CUm hodierna die apprecationes felicium auspiciorum noviter exordientis anni, quaquaversum per omnia platearum compita resonent, utilissimam præsentis discursus materiam futuram esse existimo, si in eo quàm miserè ii, qui omnem spem suam in volubilitate annorum futurorum collocatam habent, decipiantur, ostendero. Quia enim se victuros esse existimant, ideo de die in diem suam procrastinant & differunt pœnitentiam. *Benedicis coronæ anni*, inquit Psalmista. Per hanc coronam Lyranus, universum totius anni gyrum sive circulum intelligit, ac proinde dicit tunc nos habituros esse annum cælestibus benedictionibus refertum, si illum virtuosè & in bonis operibus transigamus. Ut autem intentum istud assequamur, operæ pretium erit, ut frequentes considerationes instituamus. Primò etenim attente nos reflectere debemus ad finem, ob quem Deus nos in hanc præsentem vitam exposuit, & propter quem nos in eadem viginti, triginta, & quinquaginta annorum spatio conservat. Num forte ideo duntaxat fine fecit, ut ambientem nos hunc aerem respiremus? vel ut terram hanc incolamus? aut agros illius excolamus? vel denique ut omnibus hisce creatis bonis potiamur? Nequaquam, inquit Augustinus: *Creasti nos Domine ad te*; hoc est: Deus nos eo potissimum fine in hanc præsentem vitam exposuit, ut per omnem æternitatem in gloria & beatitudine cœlesti Deo perfruamur. Ob hunc tam altum & nobilem finem esse istud nobis contulit. Similiter quia, ut inquit Apostolus, *non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, ideo Deus nos in hanc vitam, velut quandam incundi certaminis arenam reposuit: *Militia est vita hominis super terram*, ut adversus inordinatos appetitus nostros, aliosque mundi & inferni hostes, dimicando, eosque divina gratia mediante superando, nos præparemus, ut tandem gloriæ diademate coronari mereamur. *Dum tempus habemus* inquit, S. Paulus, *operemur bonum*; ut proinde manifestum sit, in quem finem vitæ nostræ tempus collocare debeamus; atque ideo S. Anselmus à S. Bonaventura in quodam sermone suo relatus, salubriter nos monet, dicens: *Exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit expensum.* Cum igitur nunc liquidè satis appareat annos & tempus vitæ nostræ à Deo nobis indultum esse, ut in eo Christianè operemur, & mereamur futuræ vitæ gloriam, manifestum est, quòd ii, qui adhoc omnibus viribus nituntur, ut suis vacare delitiis, adaugere divitias, honores, aliaque bona transitoria possint, a fine, ob quem a Divina bonitate fuere conditi, turpiter aberrent, & semetipsos graviter decipiant. Quot audimus quotidie de annis suis haud secus disponere, ac si bonum vel prædium aliquod esset ipsorum arbitrio & potestati plenè subjectum? quos S. Bernardus deridet: *Quasi vero tempora & momenta Pater in sua, & non magis in sua posuerit potestate.* Seneca pulchrum quoddam morale dogma hac de re scripsit, quòd scilicet ii, qui hac præsenti vita longius se potituros esse confidunt, tandem præcunctis aliis se à tempore delusos esse comperient: *Fluit tempus, & avidissimos sui deserit.* Sapiens ille & sanctus Episcopus Herbipolensis persæpè, idest omni die & quovis momento hanc sibi in memoriam revocabat sententiam: *Ad ostium æternitatis est.* Maximum profectò benè æstimandi & impendendi temporis motivum est, quod nihil sit æquè certum, quàm quòd nec mensem, nec septimanam, nec diem, nec horam, nec momentum vitæ nostræ in nostra habeamus potestate. Optimè proindè valdeque opportunè hic mihi notissima illa incidit S. Gregorii sententia dicentis: *Si sciret quisque de præsenti sæculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuisset; sed qui pœnitentiæ veniam spopondit, diem crastinum non promisit.* Peculiatis valdeque noxius astuti serpentis dolus est, quo nunquam

2. Tim. 2. 5.

Gal. 6. 10.

Serm. 1. de nat. Christi

Lib. 2. nat. q. c. 32.

Hom. 10. in Evang.

nobis ad pœnitentiam agendam defuturum tempus persuadet. Sicque efficit, ut eandem de anno in annum procrastinando differamus. Quot sunt, qui anno præterito vitam suam mutare, malos suos emendare mores, rescindere malam illam societatem, inique parta restituere, illicitum hunc contractum convellere, & generalem quandam confessionem facere proposuerunt; nec tamen quidquam horum executioni mandarunt? quibus Deus justo suo supplicio mortem immisit paulò minus quàm improvisam, ad quos tamen parentes, amici, & Medici, ne eos timore aliquo percellerent Confessarium evocare neglexerunt, sicque in æternæ perditionis barathrum præcipitati fuerunt? Enimverò in Evangelio duarum quidem arborum mentio fit, sed modo valde differenti. Postquam enim Christus Dominus noster apud S. Lucam apertè dixisset:
Luc. 13.7. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes peribitis*, mox similitudinem quandam subjungit de quodam, qui ficum quandam in vinea sua plantatam habebat, qui dum eandem, an fructibus quibusdam adornata esset exploraret, nihilque in ea invenisset dixit: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio, succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Hortulanus autem acerbæ huic Domini sui sententiæ se interposuit, dixitque. *Dimitte illam & hoc anno si quidem fecerit fructum; sin autem in futurum, succides eam.* Multis hodie simile quid accidit, dum enim vicinam sibi instare mortem, seque uno pede Charontis cymbam seu tumulum ingressos esse conspiciunt, alicui miraculosæ B. Virginis imagini, vel S. Carolo, aut S. Antonio Paduano, vel aliis sanctis advocatis suis se recommendant, hacque ratione adhuc unum annum supervivendum vitæ suæ adjiciunt quidem, sub hac tamen expressa conditione, ut vitam suam & pravos mores emendent, ut operibus bonis exercendis eandem dedant & consecrent, ut seriam de peccatis suis pœnitentiam agant. Nũquid autem vota promissa exsolverunt? Nunquid promissiones suas executioni mandarunt? Timeo ne id vel cogitarint quidem. Advertant autem, quod Deus non deridetur, longas etenim manus habet, dum minimè id expectamus, ab eo fortè corripiendi sumus: De alia verò arbore fi-
Marc. 11. 13. cus in S. Marco scriptum habetur, quòd dum Salvator noster ad eam appropinquasset, & fructibus penitus destitutam comperisset, eandem confestim maledictione mulctaverit, & prorsus exsuccidam aridamque reddiderit: *Viderunt ficum aridam factam à radicibus*; Nec erat qui vel minimo verbo pœnam hanc deprecaretur, licèt arbor hæc facilem excusationi & defensioni causam suggere potuisset. Dicit enim Evangelista: *Non erat tempus ficorum.* Quodnam obsecro hac in re latet mysterium? nisi quod satis apertè per hoc nobis insinuetur, quod Deus noster nonnunquam aliquem duobus vel tribus annis patienter expectet, ut resipiscat, suamque vitam emendet, cum tamen sæpe etiam alios ne ad unicum quidem diem præstoletur ad pœnitentiam: nonnunquam enim post primum peccatum mortalem vitæ humanæ filum detruncat; nec tamen de
Ps. 10. 8. hoc lamentari potest, quia *justus Dominus & justitias dilexit*: Nulli facit injuriam; *æquitatem videt vultus ejus*. Venit enim vero ingens nobis hoc loco inimici infernalis fraus & deceptio detegenda erit: hic etenim ob oculos nobis Dei statuit patientiam, longanimitatem, misericordiam, qua nos ad pœnitentiam expectat, non verò pœnas & supplicia, quæ Divina justitia sine dilatione super nos exonerat. Quod si verò mihi dixeritis, eam vobis spem esse, ut Deus vos expectet, si misericors & longanimis vobiscum, prout multis aliis se præstitit, quodque vos anno futuro toleraturus sit, sicut fecit anno præterito: Confestim vobis per formidabilem quandam Chrysostomi sententiam respondebo & dicam: *Cur dicis fortasse, contigit*
Homil. 22. in 2. ad Cor. *aliquando: Cogita quod de anima deliberemus.* Ergone æternitatem quandam beatam, vel pœnosam & damnatam æternitatem uni forsitan committetis. Uni fortasse maximè arduum animæ vestræ negotium superstruetis? *Cogita quod de anima, delibera.* Gravissima illa S. Theresiæ Carmelitanæ verba in memoriam revocemus, scilicet: *Unicã esse animam, unicam esse gloriam.* Hæc etenim sunt puncta excellentissima, quibus suos in spiritu instruere solebat. Quod si autem hisce monitis posthabitis res tibi pro voto non successerit; si forsitan istud te, ut fieri communiter solet, fefellerit, animam tuam utique perdideris, æternam quoque perdideris gloriam, & quia pariter vitæ tuæ finem imposuisti, nullum jacturæ perpessæ recuperandæ superest remedium; sicut enim ad vitam semel morte interveniente amissam nunquam redibis, ita quoque perditam animam & gloriam amissam nunquam recuperabis.

2. Enimvero alius quidam non minus noxius Dæmonis dolus vobis superest manifestandus. In hisce etenim Natalitiorum solemniis, nec non in primo anni capite sive exordio valde salubria multi sibi decreverunt proposita, frequentandi nimirum sacramenta, verbum Dei auscultandi, atque in sancto Dei timore suam transigendi vitam; nec tamen interea callidissimus & perversissimus dormitat dæmon, quin potius omnibus hisce salutaribus propositis, per malas conversationes, per amicorum & consodalium prava exempla, per varias animi diversiones, per ludos, convivia, comœdias tanto validius sese opponit, quanto tempus illud Carnisprivii seu baccanaliorum tempori magis appropinquat, & ideo illorum sanctissimorum decretorum animi adimpletionem non quidem omnino dissuadet, sed tantum ut ad tempus aliquod differantur, insinuat. Hacque ratione mali paulatim in hominibus generantur habitus, & omne bonarum cogitationũ meritum interea evanescit & deperditur. Dum verba illa Sophoniæ c. 2. v. 14. penitus apud me considero, omnino mihi imaginor, ac si domum quandam transiens, & aurẽ suam aviculæ cujusdam gratæ cantillationi porrigens, oculum suum in superliminare domus defixerit, ibidemque corvum quendam considentem conspexerit qui cantu & crocitatione domus illius extremam augurabatur ruinã. En sacri textus ipsissima verba: *Vox cantantis in fenestra, & corvus in superliminari, quoniam attenuabo robur ejus*, Non sine causa hoc loco quædam me exstimulat curiositas audiendi ænigmatis illius doctam resolutionẽ, quænam enim ex hisce præmissis elici unquam consequentia poterit? Quænam est inter cantillantem lusciniam & corvum crocitantem proportio? Illa fenestræ adhæret, hic superliminari domus imminet, ad efformandum infelicem desolationis familiæ domus illius conceptum. Et quidem quantum conjicio necessum erit, ut sensu literali relicto, ad spiritualem recurramus. Cantus igitur delitias, gaudia, recreationes significant. Quando autem Deus ad portam cordis nostri in mediis delitiis pro concedendo sibi aditu pulsat, mox corvus se prodit, cui proprium est illud *cras, cras*, nam homo ejusmodi invitationibus & inspirationibus respondere de die in diem differt, idque pessimo status sui homine, dum enim Deo pulsanti aperire differt, anima ejus in æternæ damnationis statu periculosè cõsistit. Quod si mihi id ipsum dicenti credere abnuitis, fidem saltem Ec- Eccl. 5. 8.
clesiastico adhibitote, dicenti *Non tardes converti ad Dominum & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Verum enim vero ut tandem ad detegendum alium quendam diaboli dolum, ad aliud quoddam notabile punctum transeamus, observandum est, quod idemmet Ecclesiasticus paulò ante dixerit. *Ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Quid tu inquis o Ecclesiastice? Ergone misericordia Dei immensa dicenda non erit? Id ipsum asserere manifestam hæresin involvit; ac proinde distinguere oportet. Est etenim immensa, sed ad effectum remittendi & condonandi nobis peccata hactenus commissa, non verò ad suggerendum nobis confidentiam committendi peccata aut in hactenus commissis perseverandi. Audite hac de re Tertullianum optimè loquentem dum
ait: *Absit ut redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis, nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est.* Ac proinde certum est, quòd his, quos Deus sine ulla ipsorum subsecuta emendatione aut profectu expectat, magis pertimescenda sint divina supplicia. Unde Hugo Cardinalis super illa verba: *Patientiam habe in me*, scribit: *Quanto diutius expectatur ad pœnitentiam, tanto gravius punietur in gehenna.* Cap. 7. de Pœn. In Matt. c. 18.

3. Quot sunt qui in hoc novo anno curiosi futuri sunt, & per cupidi sciendi, an ejus assecuturi sint finem, aut post illum plures insuper annos supervicturi? Quam gratum talibus foret, si mortis suæ diem agnoscere possent, ut tanto melius ad illam se præparare valerent? Verùm frustraneũ Eccl. 9. 12.
est hoc illorũ desiderium, si quidem *nescit homo finem suũ*. Et tamen videtur quòd ex verbis mox sequentibus claram hujus rei notitiam devenire possimus; subditur enim: *Sed sicut pisces capiuntur hamo, & aves laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis subito supervenerit.* Porrò piscis, quando post deglutitam escam, se per aquas optimè contentum & bene pastum nataturum esse credit, tunc per hamum faucibus infixum, veluti præda foras extrahitur, & torrendus carbonibus superimponitur; ita prorsus iis, qui in deliciis & voluptatibus

suis securissimè vivunt, accidere solet, dum enim dignitatis ad quam aspirabant, vel pinguis hæreditatis, quam dudum præstolabantur, vel delectationis carnalis, quam venabantur, suavem bolum sunt assecuti, jamque se in omni prosperitate & gaudio diuturnam vitam se habituros esse existimant, mors inexpectata illis supervenit, &

s. Thess. 5. 3

è medio tollit: *Cum dixerint Pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*. Congruè igitur hoc loco salutare illud ejusdem Ecclesiastis monitu inchoantis novi

Cap. 7. 18.

anni valde opportunum usurpare licebit: *Ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo*. Cum enim divina providentia tibi septuaginta, vel etiam octoginta vitæ annos determinatit, si in Christiana innocentia vitam tuam transigisses, nunc contrarium tibi accidit, quia enim peccata peccatis accumulare non fueris veritus, vix triginta aut quadraginta vitę annos assequeris. Id quod Da-

Ps. 89. 8.

vid forsitan inferre voluit, quando dixit: *Posuisti iniquitates nostras in cospectu tuo, & sæculum nostrum in illuminatione vultus tui*. Quid autem sequitur? *Quoniam dies posteri defecerunt, & in ira tua defecimus*, ac tandem addit: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*. Omnia etenim peccata, quæ annis superioribus à nobis commissa fuerunt (ita nobis imaginari possumus) Deus ob oculos sibi posuit, acutè perspicienda & consideranda. Ita hunc locum Hugo Cardinalis interpretatur, *Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, vitam & actus nostros pravos in illuminatione, id est, in aperto vultus tui, id est, iræ tuæ*: ut scilicet rigorosum de illis sumat supplicium; quia *vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum: tunc autem in aperto ponuntur peccata, quando vindicantur apertè; quoniam dies nostri defecerunt*. Quippe Deus propter peccata multiplicata justo suo judicio annos vitæ nostræ abbreviat. Optimum autem in hunc scopulum non impingendi remedium est vitæ nostræ brevitatem & vanitatem meditando contemplari, conformiter ad ea, quæ in discursu antecedenti diximus; ideo sequitur: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*.

DE EPIPHANIA

Discursus Decem.

Discursus I. In hisce tribus Magis, veluti peccatorum primitiis, qui Christum recens natum inquirunt, reperiuntur Evangelico textu duce omnes ad perfectam conversionem requisitæ conditiones.

Discursus II. De Fide horum trium Regum, dum infantem quendam Dei loco in stabulo adorant; deque eorundem in ira & turbatione Herodis sustinenda constantia.

Discursus III. De variis, diversisque mysteriis stellæ illius, quæ Magis apparuit.

Discursus IV. Fides eorundem Regum per diversa motiva examinatur.

Discursus V. Fides trium Magorum, Abrahæ, boni Latronis, Centurionis Fidei longè anteponitur.

Discursus VI. Variæ Herodis & Hierosolymæ turbatæ adducuntur rationes.

Discursus VII. Reges Magi, Hebræi populi Christum non agnoscentis redarguunt negligentiam, nostramque pariter condemnant socordiam, dum in Deo quærendo, eique debitè obsequendo adeo negligentes sumus.

Discursus VIII. De causis, ob quas stella à trium Magorum conspectu se subduxit; deque monito ipsis per Angelum intimato, revertendi videlicet per aliam viam in regionem suam.

Discursus IX. De magnificentia stabuli illius, in quo Magi quæsitum à se noviter natum Regem invenerunt; & quomodo in tanta stabuli illius vilitate & Virginis paupertate fidem suam exercuerunt.

Discursus X. De auro, thure, & myrtha à tribus Magis dono oblatis; De horum munerum mysteriis, & aliis moralitatibus.

In hisce tribus Magis, veluti peccatorum primitiis, qui Christum recens natum inquirunt, reperiuntur, Evangelico textu duce omnes ad perfectam conversionem requisitæ conditiones.

DISCURSUS PRIMUS.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Herosolymam, Matth. cap. 2.

1. PAucis abhinc diebus, Legatum quendam cœlestem circumvicinis Bethlehemitarum Pastoribus apparentem audistis, qui unigeniti Filii Dei in carne factam Nativitatem iisdem annuntiavit, eosque ad speluncam hanc sacram dulciter invitavit. Et nunc ecce cælum novam quandam & prodigiosam stellam in Oriente susci-

In Matth

tavit, quæ tres Reges Magos ad idemmet evocavit tugurium, ut se corā divino hoc infante venerabundos & cernuos prosternerent. Sed *Quare Magi & Pastores invitantur?* interrogat Doctor Angelicus, *Quia Pastores magis simplices, & isti Magi peccatores, ad significandum, quod Christus utrosque recipit*. Porrò multorum hactenus fuit opinio, Reges hosce maleficos fuisse, & superstitionibus atque Magiis penitus immersos. Ac proinde benignissimus Redemptor noster, qui apertè protestatus fuerat di-

Hom. 1. ex variis in Matt. locis

cens: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, ut Magos hosce converteret, & ad veram agnitionem reduceret, stellam quandam ad eos transmisit; idque ut ait Chrysostomus: *Ne aliquis desperare posset sibi salutem credenti donari, quia jam conspiceret Magis esse donatam*. Cùm igitur hi Reges Magi peccatorum illorum primitiæ fuerint, qui ad Dominum sese converterunt, omnes in currenti Evangelio nobis examinandæ erunt conditiones, quæ ad perfectam quandam conversionem requiruntur.

Serm. 157.

2. *Quare Magis, quare Stella?* Interrogat Chrysologus; q. d. Cur obsecro Sapientia increata ad veram religionem Magos hosce, qui erant Astrologi, ideoque cœlum semper suspiciebant, reducere volens, eisdem, stella quadam mediante, ad nominis sui agnitionem perducere voluit? Respondet: *ut per Christum ipsa materia erroris, sic*

Hom. 6. in Matth.

fieret salutis occasio. Deus namque persæpe per hanc viam multos ad pœnitentiam inducit; Unde Chrysostomus ait: *Per ea illos vocat, quæ familiaria ejus consuetudo faciebat, mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem*. Sic etenim videmus, quòd lascivum Magdalenæ amorem transmutarit in sacrum & divinum; efficiendo ut *converteret ad numerum virtutum, numerum criminum*; fœnora, quæ Matthæus in tributorum exactionibus congregabat, in lucra conversa sunt animarum. Zelus Pauli in zelum honoris Ecclesiæ & Fidei suæ est commutatus, & sic deinceps de aliis.

3. *Ab Oriente venerunt Jerosolymam*. E Perside recedentes, dorsum suum obverterunt Orienti & Babyloni, & in sanctam se receperunt Hierosolymorum Civitatem

Eutim. in Matth.

Persæ Babyloniorum hæredes. Idipsum omnes facere debent, qui veraciter se ad Deum convertere volunt, scilicet Babyloniæ dorsum obtendere, ab iniquitate discedere, & Jerosolymam omni animi conatu petere, id est, vitam devotam & Christiano homine dignam adoriri debeant. Recedere, inquam, debent ab Oriente, id est, ut interpretatur Hugo Cardinalis: *Ab Oriente, a gloria parentum, a luce mundana prosperitatis, quam debet relinquere post dorsum*. Quisquis enim Deum invenire desiderat, huic cavendum est, ne ab humanæ felicitatis nascente sole seducatur, quin potius in hujus fragilis & mortalis vitæ occidentem dirigendus erit. Quænam obsecro abominatio-

Ezech. 8. 16

num illarum causa fuit, quas Deus Ezechieli spectandas dedit, eorum nimirum, qui dum falsis simulachris genua sua advolverent, culmimque divinum pariter & templum prophanarent, Divinam justitiam graviter irritarunt? Causa abominationum illarum hęc unica erat, quia *Dorsa habebant contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis*. Enimvero certum est, quòd Deus in terrenæ felicitatis culmine ut plurimum non inveniatur, sed perdatur & amittatur potius. *Non inveni-*

Job. 28. 13

tur in terra suaviter viventiū. Atque ideo hi Reges omnes regiæ dignitatis commoditates, delitias & Regna sua totaliter deseruerunt, & ut S. Petrus Damianus scribit: *Ve-*

Serm. 1. de Epiph.

nerunt infatigabili labore. Nam si verum est, quòd nonnulli scribunt, eos duos integros annos, vel saltem ad minus unum annum in hoc itinere substitisse, facile est con-

jicere quot fuerint laboribus & fatigationibus subjecti; aut etiam si intra dies tredicim diu noctuque currendo hoc iter absolverunt, nulli dubium esse potest, quin in hoc longo & laboriosissimo itinere corpora sua valde defatigarint. Quodnam autem Chrysostomus ad nostrum profectum hinc elicit documentum? *Longo itinere curramus, ut Christum videre mereamur, nam & illi nisi procul regionem propriam reliquissent, utique Christum videre non potuissent.*

Hom. 7. in Matth.

4. *Vidimus stellam ejus.* S. Leo hanc stellam contemplatus, simul admiratus est divinæ gratiæ efficaciam: *Cum cernimus homines humanæ sapientiæ deditos, & a Jesu Christi confessione longinquos, de profundo erroris sui reduci, & ad cognitionem veri luminis advocari, divinæ proculdubio gratiæ splendor operatur.* Neque enim tales stella, sed Dei invitat efficax gratia. Unde S. Leo ad propositum nostrum prosequitur dicens: *Et quidquid in cordibus tenebrosis* (id est peccatorum) *non lucis apparet, de ejusdem stellæ radiis micat ut mentes, quas suo fulgore contigerit, & miraculo moveat, & ad Deum adorandum praeundo perducat.* Hæc est illa divinæ gratiæ virtus, quæ sine ullo merito suo peccatorem prævenit, & tametsi intra culpæ tenebras sepultus delitescat, hujus tamen divinæ gratiæ stellam in ejus favorem ei illucescere facit. Unde sanctus Augustinus: *In stella fulgore Dei gratia.* Et Hugo Cardinalis: *Stella est gratia præveniens.* Quisquis igitur Deum in iniquitate amissum reinvenire desiderat, oculos suos in hanc divinæ gratiæ stellam defigat. Sine hujus stellæ ducatu nunquam Magi viam adinvenire potuissent, quot enim ab illis perplexitates, quot fastidia, quot difficultates abegit. Idem quoque divina gratia in omnibus, quæ in via Dei occurrere possunt submovendis obstaculis operatur. Unde dicebat Apostolus: *Non ego sed gratia Dei mecum.* *Facile* (ait S. Leo) *omnia præcepta veniunt in effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Verisimile equidem est, multos alios in oriente hanc vidisse & obstupuisse novam stellam; & tamen soli tres Reges ad Christum adorandum se moverunt, & ad iter se accinxerunt, unde facilè colligi potest, quàm verum sit, quòd *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Et ut ait Apostolus: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Singularis etenim Dei gratia est, quam Deus alicui præstat, si inter multos animarum milliones, qui in hæreticos, Hebraismi, legis Mahometanæ & Paganismi tenebris sepulti consistunt, eum sequestret, ut in clara Luce veræ fidei Catholicæ Apostolicæ Romanæ lumen & agnitionem accipiat: sique tot animas in culpis suis contumaces: in æternum inferni barathrum præcipitari permittens, alias ex toto numero expectet & inviter ad pœnitentiam. Et quidem tametsi hæc stella omnibus & singulis universim hominibus reluceat, siquidem *signatum est super nos lumen vultus tui Domine; nec est, qui se abscondat a calore ejus* quantum enim est ex parte sua, *vult omnes salvos fieri.* Nos tamen in delitiarum & felicitatis humanæ oriente ex dedito studio commorari volumus; Deumque in stabulo quodam, in tanta paupertate, & in tanto contemptu invenire dedignamur; ac demũ ad hoc solum toto animi conatu contendimus, ut ad fruendum divitiis, honoribus, delitiis & voluptatibus in hac vita nos æternare valeamus. O quanto plures ab ultimis mundi confinibus in procinctu essent ad præstandum Christo homagium, si is in magnificentissima Augusti regia natales suos eligere voluisset. Verum enimvero cavendum est nobis, ne quando nos ad ejus invitationem surdos, & ad hujus stellæ Lucem cœcos nos exhibuerimus, stella hæc magno nostro damno in fatalem nobis commutetur cometam: *Vocavi & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Sanctus Anselmus quoque per hanc stellam, exhortationes spirituales intelligit, quibus mediantibus ad Christum convertimur. *Stella est qualibet exhortatio bona, ducens ad Christum.*

Serm. 14. in Epiph.

Serm. 5. in Epiph.

Serm. 5. in Epiph.

Joan. 6. 44.

Rom. 9. 16.

Prov. 1. 14.

5. *Vidimus stellam ejus & venimus.* Eodemmet momento quo lumen istud conspexerunt, ad iter quoque se cœperunt accingere. Nulla inter *vidimus & venimus* mora interjecta fuit. Hugo Cardinalis Ly *ab Oriente, quæ est calida regio* optimè considerat, & per hunc orientem calorem fervidum, fervorem ipsorum intelligit, simulque illam S. Bernardi subinfert sententiam, qui dicit: *Qui amat ardentius currit velocius; & pervenit citius.* Quod si verò ita est prouti nonnulli affirmant, nimirum quod stella hæc Spiritum sanctum significet, quid mirum est, si currant velociter, & citò perveniant? siquidem *nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia,* est autem doctrina hæc moralis permaximi momenti, nimirum ut quamprimum stella, id est, divina gratia nobis apparet, eidem correspondere nequaquã intermittamus. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* *Abierunt in Bethlehem* (inquit Hugo Cardinalis) *alacriter & velociter.* Cavendum igitur nobis est, ne dum in culparum & iniquitatum nostrarum obscuritate stella hæc in gratia excitante nobis exoritur, eandem contemnendo negligamus. Cur autem? Quia *adhuc modicum lumen in vobis est* per quod primæ Dei invitationes, sive gratia excitans significatur, *ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.*

Mansi Prompt.

Joa. 12 15.

6. Porrò Reges isti variis utique regnis imperabant, ac proinde non solum diversæ fuere nationis & climatis, verum etiam idiomatum & morum diversorum, & forsitan genio imbuti erant penitus contrario. Et tamen in prolixo isthoc itinere pariter sese junxerunt, interque se unanimiter summa in quiete fuere conversati, nullas inter se de præcedentia aut majoratu, ut inter personas tam illustres fieri solet, habuerunt discordias, quia omnes eum adoraturi Deum abibant, de quo scriptum est: *Factus est in pace locus ejus.* Etenim evidens hoc est bonæ & seriæ conversionis indicium, si quis omnes respectus humanos pedibus suis substratos habeat, propriam mortificaverit voluntatem, atque omnibus nervis eo contenderit, ut ad placendum Deo in pace & quiete cum proximis suis perseveret, potiorem charitatis, quàm omnium aliorum interesse particularium habendo respectum.

7. *Audiens autem Herodes Rex turbatus est.* Porrò Magis juxta Hierosolymam positis stella confestim disparuit. Herodes autem de hujus novi Regis nativitate certior factus mente confusus est, & in varias turbidas cogitationes distractus, unde de loco in quo natum Messiam invenire possent, dubii & perplexi hærebant, Herodis astutiam & iram pertimescentes. Quam igitur opportunè in hac occasione monitum illud Ecclesiastici verificatur, quo dicit: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in timore & tremore, præpara animam tuam ad tentationem.* Et S. Leo ait: *Herodes in Diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit.* Hugo Cardinalis similiter Dæmonem in Herode præfiguratum esse recognoscit, ideoq; monet: *Turbatur quando Jesus, id est, salus nascitur in corde hominis; & diligenter inquirit tempus & locum, ut occidat adhuc ipsum in infantia, hoc est, in principio, ne si salus creverit in virum, auferat ei regnum suum.* Et S. Job ait: *Per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram,* ubi S. Gregorius ait: *Cum lux divina in mentes humanas spargitur, mox ab occulto adversario tentamenta succrescunt.* Adeoque in cœpta salutis nostræ via cauti esse debemus, nec propter occurrentia obstacula animo deficere vel despondere. Sancti etenim hi Reges nequaquam conversi sunt propter Herodis impietatem retrorsum. Idem quoque nobis faciendum est in cœpto semel à nobis Dei servitio, licèt universus se mundus nobis opponat, & adversum nos fremat. Porrò Auctor operis imperfecti existimat, quòd dum Herodes vidisset, nihil se sive per blanditias, sive per comminationes apud hosce Reges obtinere potuisse, sed eosdem natum recens infantulum Jesum firmo decreto statuisse adorare, tandem ad technas & dolos astutè se converterit, persuadendo eisdem, ut peracta novi Regis adoratione ad regiam suam reverterentur, fingendo, se quoque statuisse ad novi Regis cunas sese transferre, ut sua ei obsequia deferat, eumque adoret. Verum dicat aliquis, quamobrem Deus permisit, ut ipsis Hierosolymam ingredientibus, stella confestim evanesceret? Glossa dicit: *Divino deseruntur auxilio, qui quærunt humanum.* Aut verò factum id est propter aliud quoddam mysterium, nimirum ut Messiæ nativitatem Hierosolymis, ubi eam penitus ignorabant, præconizantes & divulgantes, efficerent, ut Concilium illud coadunaretur, cujus testimonio mediantibus sacris literis, magis magisque de nativitate Salvatoris, nec non de tempore & loco, ubi & quando eadem accidisset, certificarentur: *ut testimoniis Prophetarum* (inquit Simon de Cassia) *per amplius firmarentur tanquam Novitii, & ex gentibus novellæ plantationes.* Egregio nimirum omnibus illis, qui Deo sollicite quærendo & investigando sese totos dedicarunt, per hoc dato exemplo, ut si in cœpto salutis itinere persistere, in eoque semper magis magisque majori cum fervore ulterius progredi velint. Librorum sacrorum & spiritualium Lectionem persæpe frequentent.

Eccl. 2. 2.

Serm. 5. in Epiph.

Job. 38. 24.

Hom 2 in Epiph.

8. *In-*

In Matth. 8. *Interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Duo injunxerat* (ut notavit S. Thomas de Aquino) *quod requirerent & reverterentur; sed unum fecerunt Magi, aliud non.* Unde hanc elicit moralitatem: *Tales quidem debent esse auditores, quod bona addiscant, mala relinquant; quæ dicunt, facite; secundum opera eorum nolite facere.* Ingeniosa nihilominus valdeque utilis circa hoc est illa Chrysologi interpretatio, dicentis: *Convenienter dixit renuntiate mihi, quia semper Diabolo renuntiat, qui pervenire festinat ad Christum.* (Serm. 158.) Quisquis Christum habere desiderat, omnem cum Herode initam fœderis necessitudinem necessum est rumpat, id est, omne cum illis commercium fugiat, qui Christo adversantur.

9. *Qui cum audissent Regem abierunt; & ecce stella quam viderant in Oriente.* Quamprimum ab aula Herodis, & malignorum Scribarum, & Pharisæorum inimicorum gloriæ Christi, pessimo consortio discesserunt, stella, quæ disparuerat, confestim iterum emicare, suosque radios evibrare cœpit, ut per hoc nobis insinuetur, quod dum à peccandi occasionibus atque periculis elongamur, quibus hactenus hærebamus impetiti, tunc Deus nobis vel maximè sit adfuturus, laturusque suppetias; quamdiu verò iisdem occasionibus manemus involuti, stella à nobis recedat, ipsaque Dei gratia nequaquam nos adjuvet, siquidem axioma est irrefragabile, quod si divina nobis auxilia volumus subministrari, necessum sit, ut ex parte quoque nostra auxilium nobismetipsis feramus: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Et S. Thom. ait: *Per istam stellam intelligere possumus gratiam Dei quam amittimus, dum ad Herodem, id est, Diabolum accedimus.* Quis nostrum est, qui Diabolo quem tantopere abhorremus & detestamur, ultero citroque appropinquet? Et tamen proximis peccandi occasionibus & periculis, ad quæ per Diabolum instigamur, ultro citroque nos ingerimus. *Admonemur* (inquit Lyranus in moralitate hujus textus) *quod cum malis hominibus non contrahamus aliquam Societatem. Et ecce stella:* sed quando hæc iterum emicare cœpit: quando ab Herode, ab ejus aulicis, à scribarum invidia fuere separati. Optimè proinde Auctor operis imperfecti dicit: *Præcedebat autem eos, ut ostendat, quoniam hominibus quærentibus Deum omnia elementa ministrant.*

10. *Gavisi sunt gaudio magno valdè.* Etenim hoc eorum, qui se Dei servitio veraciter consecrant, propriissimum est, quòd imperturbabili quadam fruantur bonæ conscientiæ pace, & quiete; unde S. Anselmus: *Gaudet gaudio magno, qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium.* Et Rupertus Abbas optimè considerat, quod *gaudium illorum sic magnificavit, ut non contentus dixisse gavisi sunt gaudio, adderet valde: quia revera valde gavisi sunt.* Ejusque mox causam subjungit: *Gaudium eorum fuit in Spiritu sancto, qui & jucunditatem & exultationem thesaurizavit super eos.* Deus etenim consolari vult eos, qui voluptatibus mundi relictis & posthabitis, ad divinum ejus transeunt servitium: vultque ut intelligamus quod eorundem animabus vera tribuat gaudia.

11. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Ecce tibi aliud quoddam veræ consolationis motivum, quod scilicet Christum inveniant infantem, id est, benignum, ad omnia postulata concedenda per facilem, facilemque ad placandum. Et quod majus est hunc eundem infantem inveniunt simul cum sua sanctissima matre, quę advocata est, unicumque peccatorum refugium. Quod si igitur nos in hoc infido mundi mari securi esse volumus de evadendo naufragio, oculi nostri in hanc stellam necessario sunt defigendi. *Ave maris stella.*

12. *Apertis Thesauris suis obtulerunt ei munera.* Non sufficiebat illis, se filium Dei adorasse, nisi insuper egregia illi obtulissent munera, ut exinde nos colligamus, quod fides non sufficiat, non sufficiat firmiter in Deum credere, sed necessum sit, ut opera quoque nostra fidei verè correspondeant. Considerandum est præterea, quòd hosce thesauros suos nonnisi coram Salvatore nostro Magi aperuerint. Glossa: *Magnum religionis Sacramentum hic aperitur, ut fide prava thesauros nostros non pandamus, donec prateritis hostibus soli Deo, ex occultis cordium proferamus.* Eandemque observationem S. Thomas pariter tetigit dum ait: *Non in via, sed tunc primo aperuerant thesaurum, quando venerunt ad Christum: similiter nos bona nostra in via non debemus manifestare.* Unde facilè liquet, quam fuerint ab omni jactantia & vana gloria alieni. Hierosolymis etenim non dixerunt: *Venimus cum muneribus* sed tantum *venimus adorare eum.* Per quod nobis insinuarunt, nobis quidem christianè, & cum profectus nostri spiritualis continuo incremento operandum esse, sed ad solam Dei gloriam, nullas omnino quærendo laudes vel applausus humanos.

13. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Porrò in hisce donis, illa propriè significantur munera, quæ Deo à nobis offerenda sunt, postquam ad eum fuerimus perfectè conversi. Per aurum etenim amor Dei intelligitur, qui in corde nostro præ cunctis aliis, & super omnia locum habere debet. *Super omnia autem hæc Charitatem habere.* Habens aurum, dici potest habere omnia, siquidem auro cuncta alia comparare facilè possumus. Ita quoque ubi est verus amor Dei, ibi quoque quodvis aliud bonum confestim præsto erit, & e contra ubi Dei amor abest, ibi nullum est vel esse potest opus, quantumvis bonum, quod Deo gratum sit & acceptum. Præter aurum verò, thus quoque est offerendum, per quod Oratio intelligitur, quæ ad spiritum & devotionem, in conversione nostra à nobis acquisitam conservandam maximè est necessaria: Et quidem sicut ad hoc ut incensum odorem suum quaqua versum spargere incipiat, opus est, ut in igne ardeat. ita quoque ut scribit B. Laurentius Justin. *Est oratio thus valde proficuum, si tamen amoris sancti fuerit inflammatum incendio.* (Ser. de Ep.) Per Myrrham denique mortificatio intelligitur, quæ tam in interiori necessaria est ad refrænandos appetitus nostros inordinatos, quàm in exteriori quo ad sensuum nostrorum custodiam. Unde Guerricus Abbas (Serm. 1. de Epi.) ait: *Myrrha in corde tuo dolor est, myrrha in corpore tuo labor est, si tamen iste & ille pœnitentialis est.* Hanc quoque Myrrham inter & mortificationem, pulchram proportionem Dionysius Carthus. considerat, dicens *Sicut myrrha corpora defunctorum præservat à putredine vermium, sic mortificatio carnis custodit hominem a putredine vitiorum.*

14. *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Ecce igitur quam verum sit, quod eo tempore, quo nos de nostra salute minimè soliciti, Dominus Deus vigilet, pro nobis: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel. Ne redirent ad Herodem* moniti fuerunt. (Hom. 2. in Matth.) Ad probam eorum instructionem, qui sibi Dei acquisierunt gratiam & amicitiam, ut solicitè sibi caveant, ne in eadem iterum peccata denuò recidivi fiant, nec pristinas repetant peccandi occasiones. *Per aliam viam reverti* sic possumus, inquit Auctor operis imperfecti: *Venisti per viam fornicationis? ambula de cætero per viam castitatis; Venisti per viam avaritiæ? ambula de cætero per viam eleemosynarum. Si autem per ipsam viam redieris, iterum sub regnum Herodis vadis, & fis proditor Christi.* Enim verò quisnam hisce Magis in somnis apparuerit, inter sacros Interpretes nondum satis est liquidum, quia tametsi nonnulli Angelum iis apparuisse existiment, alii tamen ipsummet Deum iis apparuisse credunt. Unde satis manifestè colligitur quantum sancti hi Reges ab eo tempore, quo stella eis primitius apparuit, in merito excreverint, (Serm. 2. de Epiph.) siquidem postea non à stella, sed ab Angelo, vel potius ab eo, qui *Magni consilii Angelus* est, instruebantur: (Prov. 4. 18.) Unde Guerricus Abbas existimat optimè de illis illud sapientis verificari potuisse: *Justorum semita quasi lux splendescens procedit, & crescit usque ad perfectum diem: Primo namque semitam Justitiæ ingressi sunt ad lucem splendentis syderis, cujus ductu profecerunt ad videndum novum ortum matutinæ Lucis.* Chrysostomus pariter scribit: (Hom. 7. in Matth.) *Cum adhuc morarentur in Perside, stellam videre tantummodo, quia vero à Perside recesserunt, solem ipsum aspexere justitiæ.* In eundem quoque conceptum S. Maximus coincidit, dum ait: *Qui stella duce venerant in Judæam, in patriam suam æterni solis illuminati radiis revertuntur.* Inæstimabiles proinde sunt eorum progressus, qui huic cœlorum Lumini correspondeat. Quot obsecro illustrationes, revelationes, visiones, extases, aliaque Paradisi dona Deus in multorum animas post eorundem conversionem non depluit! Nunquid similium donorum refertissimas esse videmus historias? Quis ante conversionem S. Paulus erat. *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, &c.* at verò postquam *circumfulsit eum Lux de cœlo:* tunc in cœlestem quendam transmutatus est seraphinum. *Vas electionis est mihi iste, &c.* Prius hi Magi malefici erant Idololatræ, postquam verò hodiernum obsequium præstiterant Christo, Evangelii sui facti sunt prædicatores, ac demum postquam plurimos Christianæ fidei acquisivissent populos, inclyta digni facti sunt corona Martyrii.

De si-

De fide horum trium Regum, qua infantem quendam veluti Deum in stabulo adorant, deque eorundem, in ira & turbatione Herodis sustinenda, Constantia.

DISCURSUS SECUNDUS.

Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Venimus adorare eum. Matth. cap. 2.

QUòd obsequiosiores subditi se coram Regibus suis per adorationis actum prosternant, id quidem quotidianos edocet experientia: nova autem & prorsus inusitata superioribus sæculis nunquam audita & visa Cæremonia futura esset, si Regum unus alteri Regi reverentiam facturus adorationis causa, ad terram usque sese prosterneret. Id quod hodie fieri videmus; Ab oriente etenim tres Reges itineri se accingunt, viri cæterum qua sapientia, qua majestate maximè conspicui. Et quo putatis fine id faciunt? ut coram infantulo paucis ab hinc diebus in lucem edito Judæorum Rege, se sistant. Quo autem fine id facere disposuerunt? *Venimus adorare.* Adorare? Quis unquam audivit quòd Reges coram alio Rege adorationis causa sese prosternant, & maximè coram hoc Rege, qui puerulus infans in stabulo natus erat? Et tamen *procidentes adoraverunt eum.* Et quidem veluti verum Deum obsequio & cultu latriæ eum adoraverunt. Porrò B. Thomas (Ser. de Ep.) de Villa nova ait: *Agnoscite fratres horum sapientum notissimam fidem: nunquam enim, ut Augustinus ait, tam ardenter, tam fervide adorare cuperent Regem Judæorum, nisi ipsum etiam crederent Regem esse singulorum.* Paulò ante Angeli, divinitatem pueri hujus contestaturi, de cœlo super stabulum descenderant; atque insuper ipsamet stella ipsos interius optimè instruebat, ut certi esse potuerint ipsum verè Regem illum esse, de quo scriptum est: (1. Tim. 1. 17.) *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo honor & gloria*, licèt idemmet pro salute nostra visibilis factus fuerit.

2. *Venerunt Jerosolymam.* Auget hoc maximopere ipsorum fidem, ibi etenim Regis Judææ sedes quidem erat; attamen nolite credere, quòd eo ingressi fuerint, ut quem ipsi quærebant Regem ibi adorarent; quin potius ut de loco, in quo Rex ille natus erat, informationem caperent, unde dicebant? *ubi est, qui natus est Rex Judæorum*: sed nunquid Herodem Judæorum Regem esse, eumque Hierosolymas gubernare sciebant? Et quomodo filium Regis alibi invenire poterant, quam in ea Civitate, quæ Regni metropolis erat, & in regio quodam palatio. Quòd si dixerit Reges Magos optimè scivisse, quod Rex ille Judæorum, quem quærebant, simul verus Dei Filius esset; Mox replicari poterit. Quod si ita est, Reges hosce tanto magis hunc Judæorum Regem Deum Hierosolymis in templo quærere debuisse, (Ps. 10. 5.) David enim dicit: *Dominus in templo sancto suo* Præterea si Magi hunc Regem Deum esse credebant, quomodo eum nativitate temporali editum credere poterant (Lib. 27. hom. Ser. 2.) cum de eo scriptum sit: *Ante Luciferum genitus & ante sæcula natus*? S. Augustinus hisce omnibus respondet: *Quis esset, ubi, quorum Rex esset, sidus illud etsi tacebat, docebat.* Lux etenim illa cœlestis eos docuit, quòd, *propter nos homines & propter nostram salutem de cœlis descenderat*, atque sub vile & modicum tectum diverterat. In hac stella Magus ipsummet Deum Ducem, & (Ser. 156.) Magistrum habebat. Unde Chrysologus ait: *Quando Deum Magus nisi Deo jubente perquireret? Quando Regem cœli nisi revelante Deo Astrologus invenisset? Quando unum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo Diis totidem, quot sideribus serviebat?* Cùm stabulum Bethlehemiticum ingrederentur, tenellum quendam infantulum supra paleam vagientem cernebant, sed nunquid coram hac infantia in genua cernui ruebant? Mini- (Hom. 2. in Matth.) mè, inquit Auctor Operis imperfecti: *Non enim pueritiæ detulerunt honorem nihil intelligenti, sed Divinitati ejus omnia cognoscenti.* Etenim nonnullorum fuit opinio, ab hoc Salvatoris nostri vultu nescio quid divinitatis e- (In cap. 9. Matth.) manasse. Unde S. Hieronymus ait: *Fulgor ipse & majestas Divinitatis occulta quæ etiam in humana facie relucebat ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.* Neque mirum, quod è facie Salvatoris fulgor aliquis Divinæ Lucis evibratus fuisse dicatur, siquidem verbum sacratissimam ejus assumpserat humanitatem, qua anima quadam clara Dei visione actualiter gaudere informata erat. *Ingerebat prorsus novi sideris claritas*, ait B. Laurentius (Ser. de Ep.) Justinianus, *spirituale in eorum cordibus lumen, cujus illecti dulcedine atque ducti gratia trahebantur ad Christum.* Verum enimverò quòd si stella quædam in aere visa tantum in eorum cordibus facere prævaluit, quantum à vero Justitiæ sole emanans lux in eisdem operata fuisse creditur? Quantos in eorum pectoribus cœlestis gratiæ radios scintillasse existimatis? *Viderunt procul dubio* (inquit (In Matt.) Dionysius Carthusianus) *non solum intellectualibus, sed etiam corporalibus oculis aliquid supernaturale in puero isto; videlicet quendam Deiformem fulgorem in vultu ipsius? intus quoque instruxit cor spiritui omnem exteriorem paupertatem & adjectionem in puero ejusque matrem apparentem, non esse humanæ necessitatis, sed divinæ dispositionis.* Euthymius quoque scribit: *splendor quidem divinus animas illorum illustrabat, & hunc manifestabat.*

3. *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?* Magnopetè etiam fidem illorum auctam fuisse videbimus, si consideremus quod in ipsiusmet Herodis conspectu, de nato quodam alio Rege inquirere non dubitarint, cum tamen facilè scire potuerint, quam fuerit Herodes dominandi cupidus, ipsimet quoque, utpote tractandis & gubernandis sceptris valde assueti, per experientiam compertum habuerint, quanto quoad hoc punctum Regum animi zelo ardent, quamque severis suppliciis novorum Regum in alienis regnis factæ proclamationes subjectæ sint. B. Thomas à Villanova dicit: *Quomodo putas ad hanc vocem concitatur in eos fera crudelis? quas non parat mortes, quos gladios non acuit in vindictam?* Enim vero id quod dictus Sanctus insuper observat, est, quod *noverant hoc Magi prudentes, noverant Regis immanem tyrannidem, trucem animum, noverant truculentum hostem, sicarium in populos, in filios & domesticos parricidam?* Sed quid? (Hom. 6. in Matth.) Fides omnem in iis timorem devicit: *sed animositate ingenuæ stant intrepidi coram Rege, audaci eloquio impii tyranni vultus & ora confundunt.* Insuper Chrysostomus ait: *Neque tumultum populi atque clamorem, neque potestatem reformidant Tyranni*: Et licèt *Turbatus sit Herodes & omnis Jerosolyma cum illo*, hanc tamen amplæ illius civitatis commotionem atque tumultum nihili fecerunt. *Sumentes scutum fidei.* Credebant etenim firmiter Regem hunc Judæorum recens natum, quem tanquam talem publicè proclamabant, Deum quoque esse exercituum, qui est *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Doctor quoque Angelicus dicit, quòd licet is, qui in alienis statibus seu Dominiis, novum quendam acclamare Regem audet, manifestis se exponat vitæ periculis: attamen hi *certè hoc zelo fidei faciebant: Unde istis nuntiabatur Fides illa intrepida*: Matth. 10. *Nolite timere eos* (Hom. 2. in Matth.) *qui occidunt corpus.* Numquid sciebant, inquit etiam Auctor operis Imperfecti, *quod quicumque altero Rege vivente alterum Regem pronuntiat & aderat, quasi minister tyranni punitur in sanguine?* Imo verò optimè id sciebant, nam neque ipsimet in Regnis suis similem quendam excessum impunè dissimulassent; Et quidem hunc Herodis furorem tantò magis formidare poterant, quia Idumæus erat & alienigena, & tyrannicè gubernabat: nec non quia à subdito populo ejus à tot retro sæculis desideratus Messias, tam ardentibus votis fuerat expectatus, per quem ab alieni dominii jugo tandem aliquando eriperentur: Unde illæ audiebantur voces: *Quando restitues regnum Israel?* Verùm ingeniosum quoddam ejusdem auctoris audite responsum: *Dum considerabant Regem futurum, non timebant Regem præsentem: adhuc non viderant Christum, & jam parati erant mori pro Christo.* Idem quoque sanctus Thomas de Aquino consideravit, scilicet quòd crudelitatis Herodianæ, & periculi cui se exponebant, probissimè conscii fuerint. Et tamen concludit postea: *Mira fides! pro eo quem nondum viderant, mortem & extrema omnia sustinere parati; prius Confessores quam visores, prius voto Martyres, quam oculo inspectores effecti.* Ac tandem in eandem Auctoris Imperfecti consequentiam definit dicens: *Quia cœlestem Regem inquirunt, terrenum non formidant offendere principatum.* Veruntamen melius adhuc dispiciendum erit, quidnam verba illa: *turbatus est Herodes & omnis Jerosolyma cum illo*, significent. Cùm enim tres coronatos Reges, cum comitatu nobili eorumque majestati congruo, eoque valde copioso per multos labores & fatigationes ab Oriente ab improviso venientes, ingentesque

ad ostendendum thesauros portantes viderent, audirentque illos apertè Herodi dicentes, quòd nova quadam & miraculosa stella duce adventarent: *vidimus stellam ejus in oriente*; facilè quilibet sibi imaginari potest, quanta fuerit totius aulæ Herodianæ consternatio, quanta illius tam ambitiosi Regis formido, quanta denique totius populi novitas; Imo quod consternationem hanc vel maximè adaugere poterat, erat, magni illius Hierosolymitani consilii confirmatio, qua declarabatur novum hunc Regem in Bethlehem infallibiliter nasciturum esse; & tamen, ut scribit S. Bernardinus: *Puto quod jam vos illuminati de fide, & a parvulo illustrati, licet nondum videritis eum, cum Apostolo Paulo alligari & mori in Jerusalem, pro nomine Domini nostri Jesu Christi, ut dicitur de Apostolo Paulo.*

Ser. de Epip. 2.2.

4. *Mira fides*, quæ ob suppressum in hisce Regibus omnem discursum humanum, *captivaverat intellectum in obsequium fidei*. Quid etenim facitis o sancti Reges (ita interrogat S. Bernardus) dum infantulum lactantem, in vili tuguriolo inquiritis? *Ergo ne Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo, Deus in cœlo sedes ejus; & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio?* Quod si filium Dei invenire contenditis, is in Paradiso in sinu consistit æterni Patris *amictus sicut vestimento*, non verò in fœminæ cujusdam pauperculæ sinu, laceris involutus panniculis latet in tugurio. Quòd si Rex est, qualem vos eum esse proclamatis, ubi regio ipsius est, ubi aula, ubi regium diadema, ubi sceptrum, ubi regium paludamentum, ubi denique subditi ejus sunt? *Mira fides! insipientes facti sunt, ut fierent sapientes. O fides magorum!* (ait Auctor operis Imperfecti) *Non contra dixerunt Angelo admonenti.* Angelus etenim timorem iis incutiebat, intimando ipsis, ut per aliam viam, ad sua quisque regna reverteretur: cui equidem respondere potuissent, cur aliam ingredi viam jubemur, quando Deus nos in quavis via custodire prævalet? Et ideo *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, ut David ait: Dicere quoque eidem Angelo potuissent, non esse quòd ulla pericula formident, siquidem Deus suos illis Angelos destinari ad custodiam & tutelam, per quos ab omni eripiantur periculo: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: Item dicere potuissent, quòd Herodem deinceps nequaquam timerent, utpote qui ad vitam & sanguinem suum, pro Dei illius amore, in reditu prodigendum promptissimi essent: *stetimus, & fiducialiter* (inquit idemmet Auctor) *qui natus fuerat, Regem prædicavimus, & quasi digna munera obtulimus, & quasi servos latentes jubes nunc fugere, ut alia via venientes alia redeamus?* Hæc, inquam omnia dicere potuissent, veruntamen discursum suum refrænarunt, & Angelico monito, nec quicquam se opposuerunt: *sed fideles constituti, nec tunc timuerunt cognosci, nec modo erubuerunt occultè recedere: quia nec erat possibile: ut qui ab Herode ad Christum venissent, ad Herodem redirent.* Chrysostomus fidem illorum pariter admiratur dicens: *Considera igitur etiam hoc loco admirabilem Magorum fidem, qui ad nullum hinc scandalum commoventur, sed ad cuncta acta obedientes permanent atque flexibiles; neque ipsi secum disputant dicentes: si magnum quiddam esset hic puer, & potentia aliquid obtineret nobis adoratoribus ejus quid opus esset fuga occultusque discessus.* Tandem verò postquam id, quod Angelico huic monito renitentes dicere potuissent, considerasset, ita concludit: *Verum nihil omnino tale nec ore proferunt, nec mente concipiunt: hoc est enim fidei insigne ut absque controversia ulla obediant imperanti, nec ullam rationem exposcant imperii.* Similiter Albertus Magnus vivacissimæ horum Regum fidei attribuit, quòd Angelico monito non contradixerint, dum ait: *Attendantur horum Magorum fides & humilitas: turpe enim est honestis viris bene receptis sine resalutatione, quasi fugitivos recedere; & hanc turpitudinem elegerunt in se potius quam puerum proderent hosti Herodi.*

Ser. 1. de Epiph.

Ps. 103. 2.

Hom. 2.

Psal. 28. 3.

Ps. 90. 11.

Hom. 16. in Matth.

De variis, diversisque mysteriis stellæ illius, quæ Magis apparuit.

DISCURSUS TERTIUS.

Vidimus stellam ejus in Oriente. Matthæi cap. 2.

1. GRaves scriptores sanctos hosce Reges sapientes quosdam Orientes fuisse existimant, tùm quia Magus idem significat quòd Sapiens: Tum quia sceptrum olim & gubernaculorum potestas inter eos, qui alios sapientia præcellebant, distribuebatur: Et quidem magna erant quoad Astrologiam peritia præditi; quæ etiam causa fuit, quòd stella mediante fuerint vocati. Verùm dicat aliquis quænam est hæc consequentia, quòd ex conspectu splendescentis in Oriente stellæ, ad infantem quendam veluti supremæ Majestatis Deum adorandum, laborioso huic & publico itineri sese commiserint? *Vidimus stellam ejus, & venimus adorare eum* q. d. Hæc stella calcar nobis addidit, quod ad natum hunc infantem adorandum compellimur. Verum enim vero ut omnis in vobis admiratio cesset, velim ut stellæ hujus mysteria attenta aure auscultare non pigeat.

2. Primo igitur loco observandum est, quòd non dixerint tantum: *Vidimus stellam*, siquidem tanquam viri in Astrologia summè periti stellis considerandis & contemplandis assueti erant; sed dixerint; *Vidimus stellam ejus*. Hanc enim novam quandam & miraculosam stellam fuisse intellexerunt, quæ scilicet Veri solis Justitiæ ortum & nativitatem non cœlo, sed terræ indicabat, quæque ad ipsorum obsequium miraculosè producta erat. Interlinearis ait: *stellam ejus propriam, quia hanc creavit ad ostensionem sui. Quid enim* (inquit Auctor operis Imperfecti) *si sole justitia orituro stella ministrabat divina!* Porrò stellam hanc Divini quid in se habuisse Chrysostomus quoque confirmat, dum ait, *Nec stella omnino, sed quadam invisibilis virtus in species syderis figurata.* Unde nonnulli existimarunt (inquit idem Doctor) stellam hanc fuisse Spiritum sanctum, qui sicut supra Jordanem se in columbæ similitudine conspiciendum præbuit, ita nunc in stellæ specie se videndum exhibuit: Alii autem stellam hanc spiritum quendam Angelicum fuisse tradunt. *Sed dicendum quod vera stella fuit, & voluit ostendit sub indicio stella; ita enim conveniebat ei, est enim Rex cælorum.* Non quidem erat stella firmamenti aut de earum numero, quæ in exordio creationis mundi productæ fuerunt, sed in testimonium Divinitatis Christi, sanctorumque Regum istorum ducatum de novo creata fuit. *Stellam ejus* (inquit S. Maximus) *Bene ejus, quia quamvis omnes ab eodem creata stella ipsius sunt, hæc tamen propriè Christi erat, qua specialiter ejus nuntiabat adventum.* Aliæ autem stellæ quamobrem creatæ fuerunt? *Ut Mundi istius tempora cursusque distinguerent: hæc vero prodire jussa est, ut ipsum Mundi Dominum, & Regni Cœlestis adesse tempus ostenderet.* Multæ quidem in cœlo immensæ magnitudinis stellæ conspiciuntur, veruntamen hæc licèt quoad molem minor esset, omnes tamen alias stellas simul junctas lucis excellentia & magnitudine superabat: Audite hac de re loquentem S. Ignatium Martyrem: *Stella fulsit exsuperans omnes, quotquot ante fuerant; Lux enim illius erat inennarabilis, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei novitas; omnia autem reliqua astra una cum Sole & Luna, chorus fuere stellæ illius, ipsa claritate exsuperabat omnes*: Unde in Hymno quoque legimus: *Solis rotam vincit decore ac lumine.* Omnes aliæ stellæ suum à Sole lumen recipiunt, non tamen sic ista, inquit Chrysologus, utpote quæ à sole quodam in terris relucente erat illustrata: *Apparuit stella non volens, sed jussa, non cœli motu, sed divinitatis impulsu, non lege syderum, sed novitate signorum, non cæli climate, sed virtute nascentis, non ab arte, sed a Deo; non Astrologi scientia, sed præscientia conditoris.*

Hom. 2. in Matth.

Hom. 9. in Matth.

Hom. 4. de Epip.

3. Porrò stella isthæc ab aliis stellis in pluribus diversa extitit, nimirum in creatione, in materia, in loco, in motu, in splendore, in duratione, in magnitudine. Etenim aliæ stellæ in principio sæculorum, in quarto totius universi creati die creatæ fuere: hæc autem in hoc veri solis nascentis eventu, de novo producta, hactenus autem nunquam visa fuit. Aliæ stellæ ex materia cœlesti fuerunt formatæ,

hæc

hæc autem ex materia elementari aerea. Aliæ stellæ in cœlo stellato infixæ noscuntur, hæc autem terræ vicina in aere pendebat. Undè sanctus Thomas dicit: *Per eam determinatè distinxerunt domum*. Et Lyranus quoque observat, quòd si in suprema aeris regione, ubi aliæ Cometæ generantur, substitisset, Magis tugurium istud ostendere nequaquam potuisset. Undè eam in aere propè terram fuisse credendum est. In motu quoque ab aliis stellis diversa fuit; nam illæ quotidie a primo mobili in gyrum aguntur, hæc autem secus viam, & juxta motum gradientium Regum movebatur, atque in tredecim dierum spatio aliud prolixius iter non confecerunt, quàm quantum à regionibus ipsorum in Bethlehem usque intercedere noscitur. Præterea ut benè sanctus Thomas observat, nulla stella à Septentrione in Meridiem movetur: Natio autem Persarum, undè Reges isti egrediebantur, septentrionem versus situata erat. Aliæ stellæ motu circulari progrediuntur, hæc autem motu recto procedebat. Aliæ in continuo semper motu consistunt, hæc autem nonnunquam eum stantibus Regibus firmiter subsistebat.

Hom. 9. in Matth.

Undè Euthymius: *Illis euntibus procedebat, stantibus verò circummanebat, juxta illorum necessitates suum prabens motum*. Id quòd Chrysostomus pariter confirmat, dum ait: *Postquam immineret puero, iterum stella sistit cursum suum, quod ipsum erat majeris virtutis, quam stella natura, jussit; nunc videlicèt occultari, nunc vero apparere, & ubi apparuit sistere cursum*. Enimverò aliam quandam distinctionem auctor quidam modernus, quoad hujus stellæ motum, acutè observavit;

Maldonatus.

Quod scilicet ab Oriente in Occidentem contra naturalem cursum venerit. Dixerunt etenim Magi: *Vidimus stellam ejus in Oriente*. Præ omnibus autem Chrysologus stellæ hujus cursum demiratus est, ait enim: *Per cœlum sic cursum suum dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, ut Magorum serviat & mittatur ad gressum; nam ambulante Mago stella ambulat, sedente Mago stat stella, Mago dormiente excubat stella*. Adhæc ab aliis quoque stellis in luce diversa fuit, utpotè quæ non solùm cunctas alias luce vincebat, sed etiam diurno tempore scintillabat: Undè dicit sanctus Thomas: *Quia in die nulla lucet, ista autem de die præbebat lumen Magis*. Porrò in duratione quoque ab aliis differens fuit, aliæ namque stellæ semper sunt duraturæ, hæc autem functione, ob quam de novo producta fuerat, completa, subitò disparuit, nec unquam deinceps amplius visa fuit. In magnitudine quoque ab aliis plurimum distinguebatur; multæ etenim aliarum luna terraque majores existunt, quibus tamen longe inferior erat, & nihilominus nobis major esse videbatur, utpotè terræ vicinior; vel etiam quia ab illa luce irradiabatur, quæ de semetipsa dicit: *Ego sum Lux mundi*; ac demum quia in obsequium Christi creata erat. Undè sanctus Thomas ait: *Stellam ejus: specialiter fuit creata ad servitium Christi: Et ideo dicit, vidimus stellam ejus, id est, ad obsequium ejus factam*. Quam proindè Magus aspiciens, inquit Chrysologus, stellam jam non Deum credit, sed judicat esse conservam, quam cernit taliter suis obsequiis mancipatam.

4. *Stellam ejus*. Et quidem licèt stella hæc in firmamento fixa non fuerit, neque paris fuerit conditionis naturalis cum aliis stellis, non tamen ideò stella errans denominari debuit, imò ipsa potius non tantum hosce Reges, verùm etiam omnes populos gentiles & idololatras, quarum nomine idololatria & quivis alius error abjuratus & execratus fuit à Magis, è suis erroribus eripuit; quando enim hosce Reges viam in Bethlehem edocuit, tunc non solum ipsis, sed & nobis omnibus veràm ad eum,

Joan. 14. 6.

qui de semetipso dicit: *Ego sum via, veritas, & vita*, viam pariter commonstravit. Multo minus stellam hanc Cometam fuisse sustineri potest, licèt fortunatissima auguria generi humano vaticinata fuerit; quia *alius æterna humano generi apparuit, & in terra pax, Ista, quam hodie celebramus*

Serm. 4. de Epi.

(inquit Guerricus Abbas) *Nativitas nostra est; in illa namque Christus natus est, in ista Christianitas nata est*. Quin potius stella hæc à D. Chrysostomo, columnæ nubis & ignis quæ populo Dei Ducis loco servivit, assimilata fuit, utpotè eundem præstans effectum, motum scilicèt suum accelerandi & sisteodi secundum quod Reges isti videbantur subsistere aut ambulare.

In cm. D. Thomæ.

Ut Christo stella plenum redderet obsequium (inquit S. Augustinus) *temperavit gradum donec Magos perduceret ad Puerum*. In hoc autem Columnæ isti specialiter similis extitit, quòd sicut hæc populum Hebræum ex Ægypti tenebris eductum & ereptum, in promissionis terram perduxit: ita hæc stella gentilem populum ex Idololatriæ densissimis tenebris ereptum, in Ecclesiæ gremium, & veri Dei agnitionem perduxerit: *Per illam stellam* (inquit S. Leo) *illuminatio significata est gentium*.

Serm. 1. de Epi.

5. *Stellam ejus*. Porrò stella hæc ignis quidam triumphalis lætitiam indicans fuit, ab ipsomet cœlo sursum in aere accensus, ad excitandam terram, ut de Salvatoris & Redemptoris sui adventu exultando, toto corde gauderet. *Cum visitationem suam* (inquit S. Maximus) *necdum terra dignosceret, cœlum sua gaudia ac totius mundi lætitiam, Chaldais stupentibus, tacita in sydere loquebatur*.

Hom. 2. de Epiph.

Et hinc est, quod stella hæc à multis cœli lingua vocitata fuerit, per quam cœlum jubilum suum atque lætitiam terræ exprimebat. *Mirabatur* (ait S. Maximus) *quidem terra, quod novam stellam videret in cœlo, sed plus mirabatur cœlum, quod novum Solem videbat in terris*.

Hom. 3.

S. Augustinus eidem stellæ, linguæ nomen pariter indidit, dicens: *Quid erat nisi magnifica lingua cœli, qua enarraret gloriam Dei, quæ inusitatum Virginis partum inusitato fulgore clamaret?*

Serm. 2. de Epiph.

Quod enim lingua humana exprimi non poterat (inquit S. Leo) cœlum hujus stellæ cœlesti lingua expressit. *Quod nondum poterat humano eloquio differri, cœlo faciebat evangelizante cognosci*.

Serm. 4. de Epiph.

Similem quoque considerationem Glossa fecit, dum ait: *Pastoribus Angeli, Magis stella, utrisque tamen loquitur lingua cœlorum, quia jam cessabat lingua Prophetarum*. Fuit insuper stella isthæc mundi quidam lucidus oculus appellatus, sicut enim mediante oculo totum corpus lumen recipit, ita quoque mediante hac stella lumen & veri Dei agnitionem totum universum recepit. Undè S. Maximus ait:

Hom. 1. de epi.

Quibus verò radiis, quantoque lumine illam Domini stellam, antiqua credimus tunc inter astra fulsisse? quantum in splendore præcessit, qua tantum præibat in munere? quæ velut quidam totius orbis oculus, caligantis mundi veterem renovavit aspectum? Quicquid hic mundus pulchritudinis habet aut venustatis, id totum sine luce, & sine oculo considerante, nihilum valet. Porrò quid cœli pulchritudinem veramque lucem, quæ *illuminat omnem hominem*, in hanc terram descendisse, profuisset, si eadem in spelunca Bethlehemitica semper abscondita delituisset? Ecce igitur stellam istam, hæc enim est, quæ Reges Orientales ad tugurium istud attraxit, ut in verum Justitiæ solem oculum suum deinceps figere posset universus mundus.

Serm. 2. de Epiph.

Undè Guerricus Abbas ait: *Venerat quidem lumen, in mundo erat, & mundus per ipsum factus erat; sed mundus ipsum non cognoscebat, erat natus, sed non erat notus, donec declarare eum cœpit luminosa dies ista*. Idemmet quoque Abbas notavit, hoc primum fuisse miraculum, quod Christus in terram descendens, patravit: *Signum quod ante signorum suorum præmisit Jesus initium: Vagit puer novus in terris, & sydus novum creat in supernis, ut lumen testetur de lumine, stella de sole, & Reges in splendore ortus sui ad exortum quoque æternum, splendorem ob Oriente ad verum Orientem, id est, virum, cui nomen Oriens, stella perducat*.

6. *Vidimus Stellam ejus*. Verè Christi infantis, quem Reges adorare volebant, stella erat; neque enim alia stella, præter hanc, corda ipsorùm ea ratione illuminare potuisset:

lib. 2. cap. 2. in Luc.

Proculdubio stella ex Jacob (inquit Guerricus Abbas) *illuxerat in cordibus eorum, stella, inquam, matutina, Lucifer qui nescit occasum*. *Christus est stella* (inquit S. Ambrosius) *orietur enim stella ex Jacob, & exurget homo ex Israel, denique ubi Christus & stella est*. Sunt & alii plures qui Christum sub hac stella agnoverunt: Audite testes, S. Thomas ait: *Stella significat Christum* Quod ut probet, illum capitis ultimi Apocalypseos textum adducit: *Ego sum radix David, stella splendida & matutina*.

In Matth. Hom. 2.

S. Maximus dicit: *Nobis arridebas in stella*. S. quoque Petrus Damianus inter alia hunc in modum discurrit:

Serm. de Epiph.

Oritur Sol de stella, & demonstratur Sol per stellam; erat stella in aere, Sol in præsepio Christus noster: stella in aere, de qua habuimus in Evangelio, vidimus stellam ejus. Stella in terra, de qua Balaam prædixit in Prophetia sua: Orietur stella ex Jacob, & confringet omnes alienigenas. Sol in præsepio, de quo reprobi dicturi sunt: Sol justitiæ non luxit nobis. S. Augustinus dicit, Christum, dum adhuc infans esset, ideòque linguam suam ad loquendum solvere nondum poterat, hac stella mediante sanctis Regibus fuisse locutum.

Serm. 4. de Epiph.

Ut nondum loquens per linguam, loqueretur de cœlo per stellam. Sancti hi Reges è Regnis suis pedem nunquam movissent, nisi Deus illos

prius

prius attraxiſſet interius, & ſtella hac mediante eorum corda ſuiſſet allocutus. [Serm. 3 de Epiph.] S. Leo dicit : *Commovet Magos remotioris Orientis habitatores ſtellis cæteris ſtella fulgentior, & de mirandi luminis claritate, viri, ad hac ſpectanda, non inſcii magnitudinem ſignificationis intelligunt; agente hoc ſine dubio in eorum cordibus inſpiratione divina, ut eos tantæ viſionis myſterium non lateret; & quod oculis oſtendebatur inſolitum, animis non eſſet obſcurum.*

7. *Vidimus ſtellam ejus.* Ad hujus ſtellæ honorem Propheta Evangelicus quondam prædixit *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui.* Id quod ad *literam* propriè adimpletum fuit. Præterea lux iſta gratiam quoque connotabat, in lege Evangelica ſuper omnes [Iſa. 9. 2.] gentes, ad veram fidem converſas diffundendam : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Quantum igitur huic ſtellæ grati eſſe debebimus per quam ad veræ fidei lumen perducti ſumus. S. Auguſtinus in ſermo- [Serm. 2. de Epi.] ne quodam de hac ſolemnitate dicit : *Ducatum nobis præbeat velut ſtella cœli lux fidei.* Ab hac ſtella quoque nobis [Serm 8. de Epiph.] contingit lucis illius lumen agnoſcere, quæ dixit : *ego ſum lux vera.* S. Leo ait : *Per illam ſtellam quæ Magorum viſui ſplenduit, Iſraelitarum vero oculis non refulſit, & illuminatio ſignificata eſt Gentium, & cæcitas Judæorum.* Hugo Cardinalis in hac ſtella divinæ gratiæ effectus recognoſcens, ſuper hæc verba, *Antecedebat eos*, ita ſcribit : *Tribus de cauſis aliquis antecedit alium, vel ut viam demonſtret, vel ut viam præparet, vel ad ambulandum alliciat.* Hoſque tres effectus gratiæ ita adaptat : *Sic gratia Dei antecedit nos, ut viam demonſtret. Pſal. 24. Vias tuas Domine demonſtra mihi. Ad præparandam etiam viam præcedit, nec non ad nos alliciendum; unde miſericordia prævenit nos ut velimus : ſequitur autem nos, ne fruſtra velimus.*

Fides eorundem Regum per diverſa motiva examinatur.

DISCURSUS QUARTUS.

Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum.
Matth. cap. 2.

1. S. Auguſtinus perſpicaciſſimo intellectus ſui oculo in hanc ſtellam defixo, ad nos converſus, neceſſum eſſe dixit, ut ad hoc tam ſublime myſterium intelli- [Ser. 1. de Epiph.] gendum fidem noſtram exerceamus : *Ducatum nobis præbeat velut ſtella cœli lux fidei; hæc nobis illum oſtendat non jam in præſepio vagientem, ſed in ſumma cœli arce dominantem, nec in matris gremio; ſed in ſolio Patris adorandum.* Magnum etenim revera prodigium eſt, quod hi tres Reges paulo ante Idololatræ, omni lumine, imò omni quantumvis minima ſcintilla veræ fidei deſtituti, in hanc ſtellam intendentes ad natum hunc infantulum, tanquam verum Dei Filium adorandum moleſtum adeò & laborioſum iter adoriantur, maximè dum hunc puerulum *non in ſumma cœli arce dominantem*, ſed in viliſſimo præſepio : *non in ſolio Patris*, ſed vel in pauperrimæ Virgunculæ brachiis, vel in beſtiarum præſepio poſitum conſpiciunt; & tamen *procidentes adoraverunt eum*. Exiſtimo omnino, quòd nec ſtella iſta, multo minus tres illi lucidiſſimi ſoles in die Nativitatis ſuæ radiantes, Reges iſtos è Regnis ſuis evocare potuiſſent, niſi in hac ſtella [Joan. 6. 44.] ipſemet Deus illos invitans ſubſtitiſſet. *Nemo poterat venire ad me*, inquit Chriſtus, *niſi Pater meus traxerit eum.* [Hom 8. in Matth.] *Vidimus ſtellam ejus, & venimus adorare eum. Quod procul dubio*, inquit Chryſoſtomus, *fecit & ſtella quam viderant, & a Deo donata lux, quæ illorum mentibus quaſi aliud quoddam ſydus effulſerat.* Lux etenim iſta viſum illis acutiſſimum miniſtravit. Undè Auctor operis imperfecti [Hom. 2. in Matth.] ait : *Inventa eſt in eis fides acutior quàm aſpectus.* Et inſuper addit ipſos longè plura vidiſſe, quam exterius viderant : *Videntibus humilia, & intelligentibus alta.* Porrò per fidem de myſterio Euchariſtiæ cognoſcimus, quòd in unico Hoſtiæ quaſi atomo, in quo Panis accidentia ſalvari poſſunt, Deus ille, *quem cœli capere non poſſunt*, verè recludatur, quia *fides acutior eſt quàm aſpectus.* Veruntamen ſi quanta horum Regum fides fuerit, cognoſcere volumus, ea quo ſacri interpretes hac de re ſcripſerunt, ſeriò auſcultemus.

[Serm. de Epiph.] 2. B. Laurentius Juſtinianus dicit : *Deum adoravere in homine, ſapientiam in carne, atque in imbecillitate infantis, Dominum majeſtatis.* S. Ambroſius ait : *Ut homo cernitur, & ut Dominus adoratur.* Ac demum hoc Mago- [Lib. 1. de Fide c. 2.] rum obſequium penitiùs ponderans, fidei noſtræ præconia celebrandi occaſionem ſibi aſſumat dicens : *Jacet in pannis, ſed fulget in ſtellis; cuna naſcentem indicant, & ſtellæ dominantem, caro eſt, quæ involvitur, divinitas, cui ab Angelis miniſtratur.* S. Bernardus ſimiliter conſiderat, quòd Magi Chriſtum infantem in ſtabulis illius tanta vilitate invenientes, non ſolum divinitatis ſuæ conceptum non amiſerint, ſed potius. *Gaudebant mentes* [De Epiph. art. 3. c. 1.] *Magorum contemptibilem puerum aſpicere; quia ſpiritus in corde eorum terribilem eum monſtrabat. Invenerunt quippe puerum, quem veriſſimè credebant Deum ſuum.* Aſpiciebant quidem illam ſtabuli vilitatem, benè tamen intelligebant, quod *exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens*, ut nos exaltaret : *Potius attendentes ſuæ divinitatis condeſcenſionem, diſcunt in parvulo profundam humilitatem, in ſtabulo abjicere pompoſitatem, in præſepio carnis auſteritatem.*

3. *Fides acutior.* Ad hoc ut fides viſu acuto & certo [Matth. 16. 17.] polleat, opus eſt, ut divinæ innitatur revelationi. Undè ſapientia divina S. Petro dixit : *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus.* Atque ideò opus eſt conſequenter, ut ſanctos hos Reges aliquam cœlitus revelationem interius eis factam habuiſſe dicamus. Unde Lyranus : *Patet, quod cognoverunt ipſius divinitatem per divinam revelationem, cum enim viderent puerum pannis vilibus involutum, in gremio pauperis matris poſitum, nullum regiæ dignitatis habentem ſignum, non eſt veriſimile, quod talem reverentiam ei exhibuiſſent, niſi in eo aliquid ſupra hominem cognoviſſent.* S. Thomas dicit, quod eum verum Regum Regem eſſe cognoverint : *Non præſtaverunt obſequium Regi terreno, ſed cœleſti, in quo virtus divina oſtenditur affuiſſe.* Ejuſque hanc reddit rationem, *quia aliter, ſi terrenum Regem quæſiſſent, totam devotionem amiſiſſent, quando vilibus pannis viderunt involutum.* S. Bernardus ſerm. 1. de hoc Feſto, clarè enuntiat, quod *qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit, qui per ſtellam foris admonuit, ipſe in occulto cordis edocuit.* Qualis autem hæc lectio & inſtructio fuit, quam illis hæc ſtella tradidit? *Edocuit*, quod licèt verum ſit, quod dixit Thaumaturgus, quòd *locum non habuit qui cœlum & terram verbo exſtruxit*, myſterium [Orat. 1. de amor. virg.] tamen ejus idem fuerit, quod S. tradidit Apoſtolus, dum [1. Cor. 8.] ait : *Propter vos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis. Edocuit*, quòd vagitus illi & planctus ad nos à ſingultibus & planctu æterno liberandos ordinarentur : *Ibi eris fletus. O gratiſſimi*, ait S. [Serm. 5. de nat.] Auguſtinus, *delectabileſque vagitus, per quos ſtridores dentium æternoſque ploratus evaſimus. Edocuit*, quòd licèt *jacebat in pannis, regnabat in cœlis, humilis erat in cunabulis, tonabat in nubibus. Edocuit* (ut ait S. Bernardus) [Serm. 3. de nat.] quòd ſtabulum in regiam ſuam elegerit, ut faſtum condamnaret & ſuperbiam humanam. *Quid ergo ſtabulum elegit? planè ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem.*

4. *Fides acutior quàm aſpectus.* S. Thomas verba hæc : *Invenerunt puerum; & procidentes adoraverunt*, acutè combinat, & dicit : *ſi quæratur qualis puer, in nullo ab aliis differebat, quantum ad apparentiam, non loquebatur, infirmus videbatur.* Si autem petatur, qualis ejus mater fuerit, *reſpondetur qualis eſt uxor carpentarii.* Hoc autem dico (ita S. Thomas diſcurrendo pergit) quia ſi Regem quendam temporalem quæſiſſent, utique ipſum in tam miſera ſpecie videntes, ſcandalum paſſuri fuiſſent, *ſed videntes vilia, & conſiderantes altiſſima, moti ſunt ad admirationem, & adoraverunt eum.* Porrò Reges pompam, faſtum, magnificentiam, apparatus ſplendidos & majeſtatem amare ſolent; cùm igitur ad Regem quendam adorandum relictis Regnis ſuis, adeò laborioſè ſe itineri accinxerint, & quæſierint : *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* & tamen illum in ſtabulo illo invenientes, nequicquam de ſua devotione, ſuoque erga ipſum deferendo obſequio remiſerint, quin potius haud ſecus ac ſi illum in throno illo magnificentiſſimo, in quo S. Joannes in Apocalypſi eum ſedentem conſpexerat, inveniſſent, adoraverint, hoc meritò longè majus cenſetur eſſe prodigium, quàm quod novam hanc ſtellam ad ipſorum obſequium de novo creaverit. Quàm enim Deo facilis eſt rei alicujus creatio? *Dixit & facta ſunt; verbo Domini cœli firmati ſunt :* at verò Reges hos convertere & illuminare, cordibuſque horum Magorum, qui paulo ante malefici & idololatræ fuerant, fidem adeò vivam imprimere,

mere, eoque illos permovere, ut ad adorandum puerum quendam ignotum in stabulo quodam inper firmetum se venerabundos prosternaor; Serm. 156. *Plus cœleste de Magis, quàm de stella signum est*. Idemmet jubilum illum considerat, quem ob puerum, non per propriam industriam, sed ex directione Dei inventum in semetipsis demonstrarunt: *sequitur, currit, pervenit, gaudet, procidit, adorat*. Quamobrem? *Quia non per artem, sed per Deum, Deum se invenisse humana miratur in carne*. Etenim observavi hactenus., quòd ingeniosissimi sanctorum Patrum conceptus præcipuè in hoc festo, ad hanc verè admirabilem Magorum fidem contemplandam diriguntur; undè idemmet S. Doctor in alio quodam sermone dicit: Serm. 160. *Hodie Magus, quem fulgentem querebat in stellis, in cunis reperit vagientem. hodie Magus clarum miratur in pannis, quem diu in astris patiebatur obscurum, hodie Magus quid, ubi videat, profundo stupore pervolvit*. Ecce quonam eorum erigatur oculus; *Videt in terra cœlum, in cœlo terram, in Deo hominem, in homine Deum, & universo sæculo non capacem concludi corpore perpusillo*. Audite quæso quidnam alii de hujus oculi perspicacitate scripserint. S. Leo dicit: Serm. 1. de Epiph. *Adorant in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majestatis*. S. Maximus autem horum Regum tres fuisse observat, eosdemque concorditer idemnet iter fuisse prosecutos, idemque Christo exhibuisse obsequium: Hom. 3. de Epiph. *Uno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi*. E quo sequens deducit mysterium: *In uno Christo Jesu, qui omnium credentium via est, inseparata erat ab eis Trinitas adoranda*. Similem quoque considerationem S. Fulgentius circa tria à Magis oblata dona instituit: Serm. de Epiph. *Attende*, inquit, *quid obtulerint & agnosce, quid crediderint*. S. Augustinus ad hæc eadem dona oculum reflectens, ait: Serm. 1. de Epi. *Quid aliud expresserunt in istis muneribus nisi fidem nostram: In eo enim, quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur, in eo vero, quod tres sunt, & singuli singula offerant, in Trinitate unitas declaratur*. S. Ambrosius in hisce donis principaliora vitæ Christi mysteria expressa fuisse dicit: *Aurum Regi, Thus Deo, myrrha defuncto*.

5. *Inventa est in eis fides acutior quàm aspectus*. Tenerum enim infantem aspiciebant, qui instar omnium aliorum famelicus, virginearum uberum lac attendebat: & tamen simul intelligebant, quòd idemmet infans, per manum suam, cunctis viventibus de victu & aliis vitæ humanæ necessariis abundè prospiceret: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Videbant quòd ex hyberno gelu super palea tremeret; & tamen sciebant, quod idemmet ardentissimos Paradisi Seraphinos amoris sui igne vehementissimè accenderet. At verò quod maximam præ cæteris admirationem conciliat, est, quòd hos vivæ fidei actus in cordibus suis eo tempore excitarint, quo nulla etiamnum a Christo patrata miracula viderant, prouti tot alii in ætate constantiori viderunt. Turbæ quidem in Evangelio Christo acclamarunt: *Propheta magnus surrexit in nobis*. Verum jam unicum viduæ Naimiticæ filium unico duntaxat verbo à mortuis ad vitam ab ipso resuscitari viderant. Plebs Hierosolymitana ei quidem applaudebant, dicentes, *Hosanna filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini*. Verum quot ante hunc plebis illius applausum prodigia & miracula operatus fuerat, panem multiplicando in deserto, Lazarum resuscitando, sanando Paralyticum, cæcos illuminando, restituendo surdis auditum, mutis loquelam? Non verò ea Magi viderant de quibus proindè B. Thomas cum admiratione scribit: Serm. de Epi. *Jam vero quanta fuerit in eis fidei perspicacia, res ipsa ostendit; nulla viderant adhuc infantis miracula, nulla prodigia, non eum maria calcantem, non mortuos suscitantem, non cæcos illuminantem viderant, non ejus sapientiam noverant, non doctrinam audierant; & tamen in summa rerum egestate & ultima humilitate Dei majestatem agnoscunt, & colunt, carnis velum mentis acie penetrantes, & post parietem nostrum gloriæ Regem intuentes*. Idem quoque B. Laurentius Justinianus scribit: Serm. de Epi. *Nullum sane viderant ab eo miraculum fieri, nullum illos exhortantem audierant, & tamen ex ducatu stellæ, maxima cum itineris fatigatione Christum Regem natum videre & adorare cupiebant*.

6. Porrò sancti hi Reges primi fuerunt, qui Deo novæ fidei Evangelicæ obtulerunt primitias. Fuerunt ex Gentilibus & Idololatris primi, qui Christianæ Religionis fecerunt professionem. Undè S. Thomas ait: In Matt. *In istis fides Gentium ut primitiæ Deo consecratur*. Enim verò non solent primi fructus multum esse sapidi & substantiosi, eo quòd perfectam nondum assecuti sint maturitatem. Veruntamen acceptabiliores præ reliquis esse solent propter raritatem. In hisce autem primitiis hanc cernimus gloriam; quod nec fides in illis vivacior, & verior, nec opera eidem fidei conformiora desiderari potuerint. Verum enim verò quamnam nobis per vivam hanc fidem suam doctrinam post se relinquunt? Tunc pridem ab Idololatrico cultu, & secundum nonnullos graves auctores, à superstitionibus atque magiis egressi fuerant, & tamen vix in stabulum istud oculos suos conjecerant, cum ecce idola sine dilatione calcibus proterentes, Orienti delitiis, amplissimorum Regnorum suorum imperiis terga vertunt, laboriosoque itinere absoluto, coram supremo cœlorum Monarcha, se tanquam fideles servos summa cum reverentia & veneratione sese prosternunt, ac denique mutationem adeo stupendam adoriuntur, ut subito perfecti & sancti evaserint, & tamen illum pro salute nostra in patibulo suspensum nondum viderant, nondum Christus Ecclesiam fundaverat, nondum Evangelium prædicarat, nondum Sacramenta instituerat, cœlum quoque Empyreum nondum tot innumeris Martyribus, qui pro fide sanguinem suum fudissent, refertum fuerat. Et ut unico verbo omnia absolvam, nondum tempus illud advenerat, in quo *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Pf. 92. 1. Et tamen *inventa est in eis fides acutior*, quæ fidei nostræ utique condemnabit obscuritatem. Undè B. Laurentius Justinianus ait: *Clamat prorsus contra nos istorum fides Gentilium: absentem quæsierunt, & nos præsentem contemnimus. Hominem regnaturum super Israel agnoscere atque adorare voluerunt, nos autem præsidentem in cœlo & in terra nec aspicere, nec illi famulari dignamur*.

Fides trium Magorum Abrahæ, boni Latronis, & Centurionis fidei longè præfertur.

DISCURSUS QUINTUS.

Adoraverunt eum. Matth. cap. 2.

1. S. Bernardus tres hosce Reges, ad natum infantulum veluti Dominum cœli & terræ adorandum, in stabulo Bethlehemitico humillimè prostratos cernens, ad nos conversus dicit: Serm. 2. de Epiph. *Videte quam oculata sit fides, quàm Lynceos habeat oculos diligentius considerate*. Naturalistæ de Lupo cerviero memorant, eum oculorum acie adeò acuta præditum esse, ut ex uno monte ad alterum commodè ferri possit. Sic quoque vera fides oculum adeò perspicacem obtinet, qui ad oppositum illius, quòd vidit, credendum pertingere valet. Filium enim Dei paupercculis pannis involutum esse conspicit, & tamen hunc eum esse *in quo sunt omnes thesauri*, firmiter credit. *Cognoscit* (inquit sanctus & mellifluus Doctor) *Dei Filium latentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem; siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt; ille clavis infixum, isti pannis involutum*. Admirabilis equidem latronis in Calvario monte suspensi fides fuit, nec non & illa centurionis, uterque enim in Cruce pendentem, Christum Filium Dei esse agnovit. *Centurio vitam agnovit in morte, latro Regem; Centurio Dei Filium simul & hominem pronunciat*. Verum enim verò undenam latro Christum in sua secum societate, tanta cum ignominia Cruci affixum, Regem gloriæ esse conjicere potuit? opprobria videbat & ludibria ei irrogari, & tamen sicut supremæ majestatis Deum venerabatur: nuditatem & paupertatem conspiciebat in suo patibulo, & regna ab eo deposcebat. Quomodo centurio enim Filium Dei esse credere poterat, quando Judæos ex una parte audiens dicentes: *Si Filius Dei est, descendat de cruce & credimus ei* Matth. 27. 42. ex altera parte non vidit, quòd ad divinitatem suam contestandam aliquod operaretur miraculum? Filius Dei natura sua est ab æterno Patre suo inseparabilis, ipse autem Christum paulo antè audiverat dicentem: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Etenim B. Thomas audacter dicit: *Mira quidem fides latronis, quia Deum oravit in patibulo, sed non minor Magorum, qui Deum oravit in stabulo*. Tam bonus latro & centurio, quàm hi Reges infallibilia viderunt cœli testimonia, quæ eum Dei

Filium esse declarabant. Viderunt hi stellam noviter in aere coruscantem, illi verò solem viderunt in ejus morte obtenebratum. Undè S. Augustinus ait: *Eo nascente lux nova est in stella revelata, quo moriente lux antiqua est in sole velata.* Et in alio quodam sermone dicit; *Novam stellā declaravit natus, qui antiquum solem obscuravit occisus; illa luce inchoata est fides gentium, illis tenebris accusata est Judæorum perfidia.* Latro & centurio in Calvario monte eum confessi sunt esse Deum, Magi verò idipsum fecerunt in stabulo; illi eum Deum esse crediderunt, dum esset in Crucis patibulo, hi verò dum esset in præsepio; illi hanc circa eum confessionem habuerunt, dum nudus esset, & *cum clamore valido & lacrymis* plangeret, hi pariter dum tremeret & fleret in fœno: Ibi in duorum latronum medio erat; hic verò in Bethlehem in medio duorum animalium. Undè ubi nostra vulgata in Abacuc legit: *in medio annorum notum facies*; alii legunt: *In medio duorum animalium recognosceris.* Et S. Hieronymus. *In medio duorum latronum*; adeòque adimpletum est in præsenti occasione propheticum istud oraculum; siquidem hi Reges primi fuerunt, qui Christum in medio duorum animalium agnoverunt & adoraverunt tanquam Deum, imò fide sua ulterius progressi sunt, ipsum quoque tanquam Redemptorem agnoscendo, adeò ut jure credi possit, quòd per divinæ revelationis instinctum, eum quoque in Calvario monte inter latrones contemplati fuerint passibilem. Undè hoc fine myrrham ei, inter cætera dona sua, obtulerunt: Imo idemmet S. Bernardus Magos in confitenda & contestanda Christi nativitate latrone & centurione superiores fuisse dicit; hi enim idipsum verbis tantum fecerunt & corde, illi verò insuper opere. *Quicquid illi sermonibus, isti muneribus confitentur.*

Serm. 6. de Epiph. Serm. 3.

Cap. 3. 6.

2. *Quam oculata est Fides.* Magorum fides latronis fide longè superior fuit, id quod de fide centurionis etiam haud immeritò dici potest, quia ut B. Thomas optimè notavit: *Ille forsitan ejus opera audierat, isti vero nihil in eo audierant aut viderant quod notarent.* Etenim Redemptor noster paulo antè à Pilato examinatus fuerat, cui examini duos quoque reos istos, qui sui futuri erant Crucis supplicii socii, interfuisse, satis est credibile. Undè verisimile est quod bonus latro hæc Christi verba audierit: *Regnum meum non est de hoc mundo*; cùm igitur posteà superhumanam illam viderit patientiam & mansuetudinem, qua pro suis crucifixoribus veniam imploravit, audivisset quoque eum spiritum in manus Patris commendantem, aliis quoque temporibus multa forsitan vidisset miracula, quid mirum est, si audita sua prædicatione, observato numerosissimo eum semper consequente comitatu, & innocentissima, quam ubique semper egerat, vitæ conversatione, ad unicum duntaxat radii divinæ gratiæ contactum, illum tanquam Deum confessus fuerit, postquam tot alios, eum tanquam talem, adorantes vidisset, siquidem & ipsemet dæmon hoc fecit, prout scribitur Marci 5. capite. At verò Magorum fides longè acutior & perspicacior erat. *Videte quam oculata sit Fides.* Hi enim dæmones hactenus juxta popularem regionis suæ consuetudinem, in Idolis adoraverant, superstitionibus & Magiis suis ad aures usque immersi erant; neque alia occasione oculos suos in cœlos elevabant, quàm ob vanam astrorum observationem, non verò ad cœli terræque creatorem adorandum, sed contumeliandum potius. *In cœlo Diis totidem* (ait Chrysologus) *quot syderibus serviebant.* Nullam adhuc habebant patratorum miraculorum notitiā, siquidem nulla etiamdum miracula Christus patrarat; nec erat, qui eos in fidei nostræ dogmatibus nonnihil erudiisset. Imò videbant, quòd Judæi, quorum Christum natum Regem proclamabant, de quibus etiam scribitur, *notus in Judæa Deus*, quòd, inquam, hi, eum non solum non agnoscerent, verum etiam eidem graviter indignarentur, magnamque ob id in aula Herodis experiebantur commotionem & turbatorum animorum strepitus. Et tamen eum adeò vilem & contemptum puerulum in stabulo super fœnum absque ulla divinitatis nota jacere videntes, *procidentes adoraverunt eum.* Porrò Pastores ab Angelo, verbi divinitatem, eis clarè revelante admoniti, stabulum quidem ad præstandum ei obsequium & homagium ingressi sunt, Evangelista tamen eos illum *cultu latriæ* adorasse, uti Magi fecerunt, nequaquam dicit, quod tamen à Magis factum esse expressè declarat dicens: *Procidentes adoraverunt eum.* Ad hæc quidnam hi tres Reges de Christo crediderint, in trium donorum suorum oblatione satis superque manifestarunt, neque enim ipsi utpotè coronati Reges se unquam adeò humiliter, coram infantulo recens nato prostravissent, nisi in eo Dei supremam majestatem verè agnovissent, scivissentque eum esse, cujus lateri seu fœmori inscriptus est gloriosus hic titulus: *Rex Regum & Dominus dominantium*, & in cujus manu universa Regum corda sunt reposita: verisimile quidem est, quòd prudentia humana in naturali rationis discursu eis in stabulum illud ingredientibus, & infantem hunc in brachiis paupperculæ matris jacentem, panniculis involutum, atque ab asini & bovis spiritu calefientem videntibus, similes fere suggesserit contradictiones. Qua ratione fieri potest, quod infantulus hic, sit idem ille de quo scriptum est: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos?* Qualis est Rex ille, quem subditi non receperunt, qui proindè in stabulum quoddā inter jumenta divertere coactus fuit? Nunquid Filius Dei sedem suam super Cherubim collocatam habet? *Qui sedet super Cherubim.* Qua ratione esse potest, quod iste puer Deus ille sit, de quo ab Isaia vaticinatum fuit, dum ait: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis*, quando ipse adeò est miserabilis? quomodo dici potest consiliarius, qui infans est mutus? fortis, qui tenellus est infantulus? pater futuri sæculi, qui continuò, ut natus erat, subjectus est morti? Princeps pacis, quo in mundo comparente omnes susque deque vertuntur civitates & Reges? *Turbatus est Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo.* Quomodo esse potest, quod, qui per faciei suæ aspectum cunctos beatos lætificat, nunc in fascibus ploret; tremat præ frigore, qui Seraphinos accendit: non formet verbum, qui verbum est Patris; qui scit reprobare malum & eligere bonum, in locum cœli empyrei, fœtidum sibi stabulum eligat? Quomodo fieri potest, ut, cui omnes Hierarchiæ angelicæ obsequia deferunt, bovis & asini immixtus sit societati? maximè cùm ipse sit æterni Patris increata sapientia; hi verò stolida & bruta animantia; at verò non minus est credibile, quod omnibus hisce contradictionibus unica se opposuerit ipsorum vivacissima fides. *Videte quam oculata sit fides.* Porrò P. Magister Avila in quadam Epistola sua scribit, quod ratio quidem humana Regum istorum, nunquam se hunc recens natum Judæorum Regem in stabulo quodam reperturos esse, persuadere sibi potuerit; stella verò, id est, fides ulterius progredi noluit, sed immobilis substitit, lucidissimis radiis suis, veluti totidem linguis clarè monstrando, quod in hoc loco rationi naturali abscondito, is requiesceret, qui cunctas scientias, omnemque rationem in immensum usque superaret, ut exindè nos discamus, in iis rebus maxima eum firmitate & certitudine credere, ubi minima nobis credendi signa occurrunt, quod si enim à ratione humana sese gubernari permisissent, utique eum quæsituri fuissent in regio quodam palatio.

Serm. 156.

Psal. 95. 4.

Isa. 9. 6.

Par. 2.

3. *Videte quàm oculata sit fides.* Enim verò Abraham primus credentium Pater extitit, cujus proindè fides à Spiritu sancto perfrequenter deprædicata fuit. Deus etenim illi, ex Chaldæa, ubi Idola adorabantur, erepto lumen supernaturale, & sui perfectam agnitionem infudit, cumque velut caput illi populo præfecit, qui inter omnes terræ nationes debitum verò Deo cultum exhibiturus erat. Quod autem hosce Reges attinet, sunt & ipsi à Deo modo prorsus stupendo ex Idololatriæ tenebris, è Perside, è Chaldæa erepti, ut cunctorum gentilium populorum, ad agnoscendum verum Deum, & Idololatriam pessundandam antesignani fierent. Veruntamen quasdam inter hujus magni Patriarchæ, & horum Regum fidem similitudines & dissimilitudines penitius ponderemus. De Abraham dicitur in Genesi: *Dixit autem Dominus ad Abram, egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam.* Cui confestim Abraham obedivit, nam *egressus est sicut præceperat ei Dominus.* Quod si autem Regum istorum fidem examinaverimus, eandem non solum similem, sed fide Abrahæ longè superiorem esse invenimus. *Dixit Dominus ad Abram.* Deus igitur erat, qui serio suo Abrahæ directè & immediatè loquebatur, eique præcipiebat: *Egredere*, modo quodam imperativo. Quis autem Deo se opponere poterit? *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Ad hoc ut non decipiamur, eximium quid est, si ipsissima prima & æterna veritas nos divinum velle

Gen. 12.

Esther. 13. 9.

suam

suum agnoscere faciat. Quoties enim serpens astutus *transfigurat se in Angelum lucis*? Porrò Cajetanus plus dicit, nimitum quòd Deus gloria ineffabili accinctus Abrahæ apparuerit, ut eum per hoc inescaret, & facilius ad domus suæ commoditates simul & semel deserandas disponeret. Quæ opinio per textum illum in actibus Apostolicis relatum mirè confirmatur. Dicit enim ibi sacer textus: *Deus gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ*. Adeo-

Act. Ap. 7. 2.

que Abraham non solum Regis gloriæ vocem audivit, sed & ineffabilis Paradisi pulchritudo ei magna ex parte exhibita fuit, ut indè non jam vastum aliquod Regnum, sed modicam aliquam domum facilius deserere posset. Quanto igitur Regum istorum fides admirabilior fuit, quibus Deus se nequaquam videndum exhibuit, multo minus Angelum quendam submisit, nec vocem suam ipsorum auribus insonare fecit, sed stellam quandam spectandam solum præbuit, & tamen fides ipsorum tantum in ipsis obtinuit, ut relictis sceptris & regnis suis, periculosum fuerint iter aggressi? undè sanctus Maximus

Hom. 5. de Epiph.

ait: *Apud Judæos Propheta loquitur, nec auditur: apud gentiles stella tacet & suadet*. *Nullum* (inquit etiam Beatus Laurentius Justinianus) *illos exhortantem audierant*, & tamen vix oculos suos in stellam istam conjecerant, cum ecce admotis quasi ad latera sua calcaribus, & explicatis desideriorum alis ad Betlehemiticum tugurium protinus advolant, imò ad locum progrediuntur quem ipsimet nesciebant, stellæ solius ducatui obedientissimos se exhibentes.

Considerandum est etiam, Abrahamum pastorem fuisse ovium, non verò ex stirpe regia progenitum, nullum obtinebat sicut Magi isti in populos sibi subditos regimen & imperium, ac proindè longè major in his Regibus, quam in Abraham erat obediendi, & vocantem sequendi difficultas. Quid enim periculosius aut majori zelotypiæ subjectum esse potest, quàm in mediis tempestatibus deserere populum? *Aquæ multæ, populi multi*. Nunquid res est valde tumultuosa, multisque Reipublicæ motibus implicita, quando à commisso sibi populo discedit, qui eum gubernat, quique imperii fines manu & sceptro suo coercet? Adhæc quid unicuique magis adversatur, quam quòd omnibus hactenus receptis obsequiis, commoditatibus, delitiis, præeminentiis & sceptris post terga relictis in iter prolixum, periculis, laboribus, atque fastidiis plenissimum quis se committat, idque ut alium adoret, qui in Regnis suis aliàs adorari solebat, ut thesauros & munera offerat & præsentet idem, qui muneribus à subditis continuò recipiendis assueverat? Benè sanctus Tho-

Serm. de Epiph.

mas ait: *Non eos ardua regnorum negotia, non domestica cura, non disponendarum rerum multitudo detinuit, non diu de itinere consulunt, non in longum protrahunt, non expensas & victualia parant; sed viso sydere, omissis omnibus iter arripiunt, viamque cum omni celeritate percurrunt*. Abraham *tulit Sarai uxorem, & Loth filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, & animas quas fecerant in Haran, & egressi sunt, ut irent in terram Chanaan*. Adeoque Abraham Saram conjugem suam, Loth nepotem suum, omnes quoque greges suos, & servos, & quicquid boni & pulchri in facultatibus suis erat, secum duxit, & in terram Chanaan processit, in qua idem Deus, qui eum invitabat, ei progeniem ipsis stellis cœli, & arenis maris numerosiorem, & in eandem pacifica sceptra & Lauros promittebat dicens: *Faciamque*

Gen. 12. 2.

te in gentem magnam. At verò hi Reges inter sudores, fatigationes, & innumera fastidia iter suum versus eandem terram Chanaan adoriuntur, non ad adorationem & obsequia recipienda, sed ad eadem recens nato Judæorum Regi præstanda; non ad recipiendum thesauros, sed ad eos ibidem offerendos, econtra verò ad experiundas difficultates & contradictiones horribiles. *Fremuit tyrannus* (inquit idemmet beatus Thomas) *turbatur Sacerdos, excandescit vulgus, præsentemque intentant omnia mortem, sydus absconditur; puer natus ignoratur, populus, qui gratulari debuerat, de tanto nuntio perturbatur, & perstant in negotio fortes, constanter cœpta sectantes*. Præterea Abrahæ promissa fuere præmia temporalia &

Gen. 15. 1.

æterna; *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis, faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus; benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ*. Quid mirum igitur si sacer textus subjungat: *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus*? David etenim similiter dixit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*. In casu autem nostro: *Quæ spes impulit præmiorum* (inquit Chrysostomus) *ut ad Regem adorandum venirent*? Hi namque

Hom. 6. in Matth.

Reges non solum non fuerunt per aliquam terrenæ remunerationis promissionem allecti, verum ultra periculum, in quod se, regna sua post tergum relinquendo, conjiciebant, sciebant etiam quòd novum quendam Regem in conspectu Herodis proclamando, persecutiones cruentas & mortem sibi facillimè conciliarent, & nihilominus, inquit Chrysostomus, *Hoc est fidei insigne, ut absque controversia ulla obediant imperanti, nec tamen mercedem reposcant obsequii*. Porrò Apostoli per Petrum, communi ipsorum nomine, Salvatori nostro insinuarunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, cum tamen nil præter lacera retia, remosque carie exesos reliquissent, non regna, ut Reges reliquerant, & tamen inquirunt audacter; *Quid ergo erit nobis*? quam inde reportabimus mercedem? Merito igitur Regibus hisce verba illa applicare possumus: *per fidem vicerunt regna*. *Non eos* (in-

Hebr. 11. 33.

quit B. Thomas) *tyranni crudelitas, non populi malitia, non syderis desertio, non ignorata nativitas ab incepto deterruit* (& quod fidem illorum magis adauget) *non eis stabulum sordet, non paupertas & præsepe vilet, non pannis offenduntur, non de matris solitudine & inopia scandalizantur, sed difficultate augetur animus, & obstaculis conscientia roboratur*. Hoc totum quoque B. Laurentius Justinianus optimè consideravit, dum ait: *Reliquerunt Reges hi propria, & ad exterorum transire nationes*. Et paulò post subjungit: *Maxima cum itineris fatigatione Christum Regem natum videre & adorare cupiebant*. Et quidem si verum est, quod nonnulli scribunt, scilicet ipsos in hoc itinere duos annos insumpsisse, meritò S. Petrus Damianus de illis scribit: *Venerunt inde fatigabili labore*. S. Augustinus dicit: *Non ante paucos dies, sed ante ferme biennium, sicut inquirenti Herodi patefecerunt, unde à bimatu & infra scriptum est, secundum tempus, quod exquisierat à Magis*, & S. Chrysostomus ait: *ut ad Regem adoran-*

Hom. 6. in Matth. de lib. vitæ, cap. 7.

dum venirent, tam vasto præsertim a se terrarum spatio separatum. Insuper de Abrahamo sacer textus ulterius, quod è patria sua discesserit, *nesciens quo iret*. De hisce quoque Regibus scribitur, quod terminus *ad quem* laboriosi itineris sui eis fuerit absconditus & ignotus; ideò enim interrogabant: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? Præterea de Abrahamo legitur: *Credidit in spem contra spem*. Sed quis obsecro fidem suam per argumenta iis, quæ oculis suis conspiciebant, apparenter contraria, præ hisce Regibus magis fortiusque exercuit? Porrò de Regina Saba omnes scimus, eandem tempore viventis Regis Salomonis ab iisdem Regnis Sabæis discessisse *cum multo comitatu & divitiis camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas*. Sed id minimè mirandum est, quia Regem quendam maximæ Majestatis, magna quoque sapientia & magnificentia decorum conveniebat. *Locuta est ei universa, quæ habebat in corde suo, & docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat*. S. Augustinus ait: *Veruntamen inerat in Salomone doctrina; nec ipsa latentem Deum, sed loquentem hominem, non adorare venerat, sed audire*. At verò hi Reges (inquit Dionysius Carthusianus) *Ecce Magi, idest, sapientes vi-*

Serm. 7 de Epiph.

ri, venerunt cum magno comitatu, utpote Reges; illis namque temporibus sapientes regnare solebant, incensum pariter & aurum attulerunt. Verum enimverò fides eorum in hoc vel maximè scintillavit, quòd videntes infantem, adorarint æternum Patris verbum; videndo stellam, eam indicare crediderunt verum solem; denique quod crediderint eum, in cujus honorem Salomon sumptuosissimum

Matt. 12. 42.

erexerat templum, in vile stabuli se recepisse præsepium, veréque indubitata esse verba illa: *Ecce plusquam Salomon hic*. Idemmet Dionysius scribit: *Hic autem qui donaverat illam sapientiam Salomoni, & erat virtus ac sapientia Dei infirmitate carnis indutus, adhuc per pusillam ætatem tacebat in terris, & jam per amplissimam majestatem clarebat*

Hom. 2. de Epiph.

in cœlis. S. Maximus Reges hosce res novas & insolitas videndo credidisse observat; *Novum erat, ut Unigenito Altissimi, quem non capit cœlum, parvissimi tugurii minimum præsepe sufficeret; novum erat, qui in cœlestibus cum Deo Patre regnabat, terrena matre contentus, vagitus infantiæ daret in pannis*. Porrò hanc fidem in cœlo locupletissimè remuneratam fuisse scribit Guerricus: *O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cernentium in illa Jerusalem regnantem, quem in Bethlehem adoraverunt vagientem*?

tem : Hic visus est in in diversorio pauperum, ibi in palatio videtur Angelorum ; hic in pannis parvulorum, ibi in splendoribus sanctorum ; hic in gremio matris, ibi in solio Patris.

Variæ Herodis & Hierosolymæ turbatæ adducuntur rationes.

DISCURSUS SEXTUS.

Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. Matth. cap. 2.

1. TRes Reges noviter natum Messiam adoraturi ab Oriente discedunt, & Judææ Metropolim ingredientes interrogant : *Ubi est qui natus est Rex Judaorum?* Herodes autem & universa Civitas, hoc accepto nuntio confestim turbantur: *Turbatus est*. Verùm quis nobis caussam explicabit, cur hi Reges oculos suos in stellam defigentes adeò gavisi sint, ut Evangelista ad hunc exprimendum jubilum dicat : *Gavisi sunt gaudio magno valdè :* ex altera verò parte Herodes Rex nati Salvatoris nuntium solummodo audiens, intimè conturbetur, & in ultros prorumpat inauditæ crudelitatis excessus? Hilarius dicit : *Nascente Domino conterretur Herodes, quid mirum, si pietate nascente perturbetur impietas? Velit nolit, Christum Regem fatetur, quando se ab eo regno putat esse pellendum; ecce jacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem Rex superbus.* Salomon quidem in Libro Sapientiæ, Viri justi oppressionem, in consilium

Sap 10. 2.

adductam describens, dicit : *Opprimamus justum, circumveniamus.* Sed quænam est hujus agitati consilii ratio? *Contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ;* Innocentia enim & sanctitas hominis Deo dediti, & humanam conditionem superantis, est veluti aculeus quidam, ut ita dicam in pravorum oculis. Atque ideò cum Christus eo præcipuè fine descenderit, ut generi humano necessariam insinuaret exemplo suo humilitatem, paupertatem, & mundi contemptum, atque infirmam in cordibus nostris pietatem radicaret : Quid mirum, si Herodes adeò impius & sacrilegus, regnandique adeò cupidus, eum pro viribus ad mortem usque persecutus fuerit? *Quid mirum si pietate nascente perturbetur impietas?* Porro David Christi Nativitatem in spiritu prævidens omnes Principes quaqua versum ad lætitiam & gaudium, necnon ad nati infantuli adorationem his verbis est cohortatus :

Psal. 2. 10.

Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram; servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore ; apprehendite disciplinam. Ubi in Hebræo juxta Hieronymi expositionem ita legitur ; *Adorate filium, deosculamini.* Primi autem, qui, dum Messias vix natus esset, Regna sua ad eum adorandum egressi sunt, hi Magi fuerunt, atque ideò mirum non est quòd hoc adeò solicitum Regum obsequium persecutionem & turbationem Herodis adversus eundem puerulum exhibuisset : *Turbatus est, &c.*

2. Porrò nulla est passio, quæ humanum intellectum magis excæcet, quàm inordinata dominandi ambitio. Hæc cordi Herodis tyrannicè imperabat, utpotè qui Judææ regnum malis sibi artibus usurparat, atque in supremo gradu dominandi avidissimus erat. Audite quomodo eum S. Augustinus in comparatione Magorum describat :

Serm. 26. de divers.

Herodes timet successorem, Magi desiderant Redemptorem: illi cupiunt invenire regnum, metuit ille finiri regnum. Herodes autem nequaquam intelligebat, quòd Regnum Christi, prout ipsemet coram Pilato protestabatur, temporale non esset : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Felix profectò fuisset, si quale Christi regnum erat intellexisset. Undè Glossa : *Nato Rege cœli, Rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum cœlestis celsitudo prædicatur.* Optimè profectò S. Thomas considerat, quòd Herodes audito hoc nuntio : *Ubi est, qui natus est Rex Judaorum?* Concilium illud congregari fecerit, in quo Christum in Bethlehem nasciturum esse conclusum fuit : Et dicit : vel Herodes huic scripturis, quas scribæ pervolverant, & inde deductis testimoniis fidem adhibebat, vel non? *si credebat, sciebat quod non poterat impediri, quin ipse regnaret : quare ergo interfecit pueros : si non credebat, quare ergo quærebat?* Et respondet ipsum non totaliter credidisse, *quia ambitiosus erat, & ambitio hominem cæcum reddit.* S. Leo ad impium hunc Regem discursum suum convertit dicens : *Superfluo Herodes timore turbaris, & frustra in suspectum tibi puerum sævire moliris.* Ejusque hinc reddit rationem : *Non capit Christum regio tua, nec mundi Dominus potestatis tuæ &*

Serm. 4. de Epiph.

sceptri est contentus angustiis. Quem in Judæa regnare non vis, ubique regnat, & felicius ipse regnares, si ejus imperio ipse subdereris. At verò verissimum est ut plurimum, quòd *ambitio hominem cæcum reddit.* Theophylactus notat Herodem Magis dixisse : *Ite & interrogate de puero.* Non dixit de Rege, tametsi Reges ipsum tanquam talem proclamassent *Neque enim nomen ferre poterat, demonstrans quantum contra illum insaniret.* Porrò humana prudentia in negotio adeò arduo requirere videbatur, ut Herodes in persona propria, ad puerum hunc quærendum abiret, vel certè ut simul cum hisce Regibus aliquem ex fidentioribus ministris dimitteret, qui de rebus omnibus, prout inventæ fuerant, fideliter referret, & tamen nullam quoad hoc adhibuit diligentiam, de Magorum ad se infallibili reditu existens securus, quia *ambitio hominem cæcum reddit.* Videtur quoque Deus noster demonstrare voluisse, quàm sit illa sapientis paræmia veritati conformis, qua dicitur : *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud :* Herodes autem cæcus existens, idipsum intelligere non poterat, quem proinde Ecclesia in Hymno justè reprehendit dicens : *Hostis Herodes impie, Christum venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* S. Augustinus

L. b. 4. de Symb. ad Catech.

ait : *Quid metuit Herodes talem Regem, qui sic venit regnare, ut te nollet excludere? Quem quæris, Rex Regum est? si velles securus obtinere regnum tuum, ipsi supplicares, ut ab illo acciperes sempiternum.* Eusebius Emissenus ita scribit : *Putabat se infelix Tyrannus, Domini Salvatoris adventu, regali solio detrudendum; sed non est ita, non ad hoc venerat Christus, ut alienam invaderet gloriam; sed ut suam donaret; nec ut regnum terrestre præriperet, sed cœleste conferret.* Observandum est insuper, quòd Angelis, circa tugurium Bethlehemiticum, gloriam annuntiantibus, nullus omnino turbatus fuerit, imò pastores gavisi sunt vehementer : At verò dum hi Reges de novi cujusdam Regis Nativitate dixerunt : *Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo.* Ubi Galfridus ait: *Nobis indicat Christus, quod cœlestis gloria sit tutior, nam terrena gloria periculosa est & plena discriminis. Prima adoratio, prima devotio, quam exhibuere Chaldæi, quot pericula visa sit attulisse, Evangelii sequentia manifestant.*

3. *Turbatus est Herodes.* Præfiguravit hic Tyrannus Principes scelestos & impios, qui ad Christi futuri Judicis adventum contremiscent. Porrò in prima oratione vigiliæ Natalis, hæc inter cætera sub Missæ officio dicuntur verba : *Præsta ut unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus.* Ex opposito autem quotquot primum adventum cum lætitia non suscipiunt, in secundo longè magis turbabuntur. *Potentissimi quondam Reges* (ait S. Hieronymus) *nudo latere palpitabunt*, quia rigorosissimam reddituri sint rationem non solum de peccatis suis, sed etiam de omissionibus, de malo subditorum regimine, de scandalis per tot bella, ærumnas, & oppressiones in toto mundo caussatis, de tot tantisque injuriis, quæ in regimine populorum ipsorum directioni, non verò ipsorum tyrannidi commissorum, subditis suis intulerunt : *Potentes poten-* Sap. 6. 7.
ter tormenta patientur, quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. Cuilibet haud dubie notum est illud S. Augustini argumentum dicentis : *Quid erit tribunal judicantis, quando superbos Reges cuna terrebat infantis?*

4. *Turbatus est Herodes.* S. Leo dicit : *Herodes in Diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ Regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit.* S. Maximus quoque inimicum infernalem, aptius & ad propositum congruentius, nobis describere non poterat ; quam per Herodem, qui multa divinitatis suæ mirabilia signa videndo, formidabat & hærebat suspensus ; *Videbat Diabolus infantem pannis obsitum, & ignorabat ipsum esse, qui remotis initio tenebris mundum luce vestivit : videbat tum mortalis matris ubera sugentem, sed nesciebat ipsum esse, qui esurientem Hebræum populum angelico fecit pane, velut cœlesti lacte pinguescere; videbat parvulum angustiis in cunabulis quiescentem, sed videre non poterat ipsum esse*

Serm. 5. de Epi.

quem

quem non capit mundus. Quanto igitur inimicus in hac Christi humilitate, per incerta distractus, stupore nutabat, cum per Chaldeos præcipuos utique tyrannidis suæ ministros, novum videret infantulum, velut novi imperii regem, regiis muneribus honorari? aut quomodo non stuperet, cum turbatus inspiceret, à Magis suis adorari puerum, quem ipse nesciret? quò torquebatur languore, cum pariter ejus & cunas in terris despiceret, & stellam miraretur in cælo?

5. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* Subditi ut principi suo adulentur, & ejus erga se benevolentiam sibi conquirant, Principis sui se vestire solent affectibus. Unde S. Paschasius ait: (Lib. 2. in Matth.) *Herodes turbatus, plures suorum habuisse complices scribitur. O misera fragilitatis humanæ conditio, quæ sæpe plurimum eis favet injustè, quos Dei justo judicio crudeles sustinet oppressores, nec eis metuit adulari, quos Dei in semet quotidie voluntati conspicit reluctari!* Hugo Cardinalis etiam ad idem propositum dicit: *Dicendum, quod in veritate turbati non sunt, sed turbationem simulaverunt, ut Herodis haberent favorem, qui multum Judæorum effuderat sanguinem, & jugum eis imposuerat importabile; Unde dicit quidam Sanctus; solet enim plebecula illorum principum studiosius captare benevolentiam, quorum importabilem sustinet benevolentiam.* Erant igitur fictiones in populo & fictiones in Rege, hic enim se quoque parvulum natum adorare velle fingebat, Deus autem adulationem populi in damnum ingens Regis cedere permisit; nam Consilium ab Herode congregatum, ut Herodis placeret genio, Regem quidem hunc, quem Magi quærebant, in Bethlehem nasciturum esse dixerat, id vero quod maximi momenti erat abscondebat. (Hom. 7. in Matth.) Observavit hoc D. Chrysostomus, dum ait: *Cum dixerint, quod ex Bethlehem processurus esset, qui regeret Israel, nequaquam tamen id, quod sequitur, addiderunt, in adulationem profecto Regis, ut ad humana gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent;* etenim prorsus celarunt vel subticuerunt sequentia: *Egressus ejus à diebus æternitatis;* nimirum ex quibus facili conjectura conjici poterat, ipsum verum esse æternæ gloriæ Regem, nec venisse, ut Herodi regnum suum rapiat, sed potius ut eum, dummodo se dignum & idoneum efficeret, cœlestis Regni sui participem reddat.

6. *Et mittens eos in Bethlehem dixit: Ite & interrogate, &c.* Circa quæ verba Lyranus ait? *Spondet falsum obsequium, ut facilius eos decipiat, & ut ad redeundum ad ipsum inducat.* Glossa quoad fictam hanc promissionem: *ut & ego veniens adorem eum,* dicit: *Herodes devotionem promisit sed gladium acuit, malitiam cordis depingens colore humilitatis. Hujus personam repræsentant hypocritæ.* Unde Dionysius Carthus. inquit: *Talis est consuetudo pessimorum, ut dum aliquem in occulto gravius lædere quærunt, humilitatem ei & amicitias fingant: unde tunc amplius metuendum, & præcavendum est à nocumento, dum adversarius magis arridet.* Hugo Cardinalis similiter subdit: *Acuit internus nequitiam, dum exterius ostendit innocentiam.* Sic quoque in lib. 2. Reg. scribitur: (2. Reg. 20.) *Tenuit Joab manu dextera mentum Amasa, quasi osculas eum; porro Amasa non observavit gladium.* Decipitur autem Herodes gravissimè, inquit Eusebius Emissenus, dum Christum se invenire posse inaniter sibi persuadet: (Hom. 5. de Epif.) *Fallitur stulti furor Tyranni; Christum non potest invenire perfidia. Deus non crudelitate quærendus est, muneribus promerendus est, orationibus inquirendus.* Utilissimum proinde nobis S. Joannes Chrysostomus documentum suggerit, cujus practicandi frequens nobis occasio subministratur: (Hom. 7. in Matth.) *Cave,* inquit, *ne Herodi efficiaris similis, & dicas: ut & ego veniens adorem eum; cumque veneris interimere coneris; hujus enim similes sunt qui indignè abutuntur communionis mysterio, reus enim,* inquit, *fit iste corporis & sanguinis Domini.*

Condemnant hi Reges Magi summam populi Hebræi Christum non agnoscentis negligentiam, nostramque pariter condemnant socordiam, utpote hunc Deum tam negligenter quærimus & veneramur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

At illi dixerunt ei: in Bethlehem Juda.

1. HErodes, noviter nati Judæorum Regis audito nuntio, turbatus est; probeque sciens quanto hic à populo veluti Messias ipsorum cum desiderio expectaretur, omnium synagogæ primatum, Sacerdotum, Scribarum, omniumque aliorum totius Hebraismi sapientum congregari fecit Concilium, ut vel sic locum, in quo juxta propheticorum oraculorum vaticinia nasciturus erat, ab eis tanto securius intelligere posset. A quibus tandem hoc retulit responsum, scilicet nasciturum eum esse: *In Bethlehem Juda; sic enim scriptum est.* Et quidem tametsi verisimile sit, quod non solum novi Regis nativitas, sed & locus, in quo futura erat, per universam fuerit civitatem divulgata, vix tamen aliquem in tota reperies Hierosolyma, qui hunc ipsorum Messiam & communem Redemptorem, eum, inquam, quem mediantibus Patriarchis & Prophetis suis, per tot sæculorum decursum adeò instanter postularant, veneraturus, ad sanctum hoc tugurium Bethlehemiticum sese contulisset: Unde Theophylactus ait: *Quare Magi veniunt? in condemnationem Judæorum, nam cum Magi, homines cultui idolorum dediti crediderunt, quam postea defensionem prætexent Judæi?* Ipsimet enim sunt, qui ex scripturis sacris infallibilibus Christi in Bethlehem completam Nativitatem annuntiant: *At illi dixerunt ei, in Bethlehem Juda.* Quomodo igitur ignorantiam prætendere, aut per eam excusare se possunt? *dum locum Nativitatis ostendunt* (inquit Simon de Cassia) (Lib. 1. c. 13.) *à se ipsis sunt accusati & condemnati, a nemine vero excusati.* Enimvero singularis quidam infallibilis providentiæ Dei tractus fuit, quod Magis stella juxta Hierosolymas subducta fuerit, *ut Hierosolymam introirent* (ait Dionysius Carthusianus) *ad majorem sui confirmationem, & Judæorum confusionem ac condemnationem; videlicet ut testimonio prophetali certificarentur de puero nato, & ut Judæi inexcusabiles fierent, eorumque cæcitas atque desidia confunderetur, dum gentibus Christum confitentibus ac desiderantes quærentibus, ipsi nec crediderunt nec quæsierunt, imò Regem suum, quem ex libris Prophetarum aliis monstraverunt, ipsi videre neglexerunt.* Ita etenim incarnata Sapientia cœlestis disposuerat, ut Nativitatem suam scirent, eamque Herodi & universæ Civitati manifestarent. Unde Glossa ait: *locum Nativitatis exprimunt, quem testimonio scripturæ didicerunt, ut ipsa eorum scientia illis fieret ad testimonium damnationis, nobis ad adjutorium fidei.* Porrò S. Augustinus hosce Scribas & Sacerdotes iis, qui Arcam fabricarunt Noeticam assimilavit; illi namque ad Salvandum Noe, & universam ejus familiam fuere cooperati, eum tamen ipsimet perierint, & una cum aliis, in aquis diluvii fuerint submersi: vel etiam dici possunt similes fuisse lapidibus in capite plantearum positis, qui ad præcavendum aliorum errorem, viam quam ingrediantur, iisdem ostentant, cum tamen ipsi loco se necquidquam moveant. *Similes lapidibus à milliariis viam ostenderunt, nec ipsi ambulare potuerunt.* Enimvero quando stella ab horum Regum oculis se subduxit, tum luminosi radii tum dictis Regibus, tum Hebræis vel maximè scintillare cœperunt. Sed quam putas ob causam? nimirum ut ad urbis Hierosolymitanæ ingressum necessitatis, ibidem à convocato inibi scribarum & sacerdotum concilio, per infallibile scripturarum sacrarum testimonium, de loco, in quo supremus hic Rex nasciturus erat, scilicet Bethlehem, certiores redderentur; ille etenim Deus, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* voluit ut præ cæteris gentibus Hebræi (pro quibus specialiter natus fuerat) locum Nativitatis suæ non ignorarent. Unde S. Hieronymus

dicit:

dicit: *ut Sacerdotes à Magis interrogati, ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de adventu ejus*. Quam etenim populus ille, ob neglectam Regis sui noviter nati agnitionem, adferre excusationem poterat. Quod enim ex progenie David nasciturus erat, eo nihil erat certius, siquidem Arcangelus B. Virgini in annuntiatione dixerat: *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit*. Unde & sacerdotes ac scribæ eum in Bethlehem civitate David nasciturum esse apertè confitebantur. Poterant quidem ignorare Hierarchias Angelicas super tugurium Bethlehemiticum discendisse, Angelorum quoque apparitionem, quæ Pastoribus contigerat, latere item illos poterat in aere de novo producta miraculosa stella: at verò tunc, cum tres illos Orientis Reges in tam augusto fastu & pompæ ingenti splendore adventantes viderint, suisque auribus eosdem evidens nativitatis suæ testimonium, hac prodigiosa stella mediante, perhibentes, nec aliud, quam solum factæ nativitatis locum sciscitantes audierint, atque ipsimet hunc eis significarint dicentes: *In Bethlehem Juda, sic enim scriptum est*, cur Evangelista non jure merito dicat: *In propria venit, & sui eum non receperunt*? S. Augustinus dicit: *In terra eorum isti requirebant, quod illi in sua non agnoscebant*. Atque ideo paulò post subdit: *Hæc Magorum illuminatio magnum testimonium extitit Judæorum*. Optimè proindè S. Maximus observavit, quod licèt scripturæ satis clarè & perspicuè locutæ fuerint, ipsi tamen Judæi æquè semper surdi permanserint: *Apud Judæos Propheta loquitur, nec auditur; apud Gentiles stella tacet & suadet*. Unde hanc elicit consequentiam: *verè sicut scriptum est, quibus nuntium non est de Deo, videbunt, & qui non audierunt intelligent*. Enimvero quotquot sunt sacri Expositores, omnes unanimiter incivilis & ingrati populi hujus turpem ingratitudinem cane pejus & angue detestantur, præcipuè verò dum illam econtra, Devotioni & obsequio, quod gentilis hodie exhibuit populus comparant S. Cyprianus, dicit: *Ecce aliengena a fluminibus Aethiopiæ, ad parvulum Christum supplices veniunt, & filii dispersorum deferunt munera; accedunt qui longè erant, & qui prope recedunt*. Verum enimvero parum est, quod illos eum non recognovisse dixerim, cum perspicuum sit, quod insuper eum ad mortem usque persecuti fuerint, ideo ut in Ægypto salutem sibi per fugam quærere coactus fuerit. *Et quam hoc admirabile* (inquit S. Maximus) *quod exiguus stellæ radius stupentia aliengenarum cerda præmovit, cum illum Judaicum populum, cui mare divisum, cui præbitum manna de nubibus, nec ignea potuerit, & ipsa de cælo micans columna convertere*. At verò dicat aliquis, non deerant alii tituli, quibus sacri hi Reges nullam sacræ Scripturæ peritiam aut praxim habentes, venientem pro salute nostra in hunc mundum, Dei filium denominare potuissent, cur igitur illum Judæorum denominavere Regem? *ubi est, qui natus est, Rex Judæorum*? utique sine peculiari inspiratione Divina idipsum nequaquam accidit. Et quidem mysterium hic latens hoc fuisse existimo, nimirum ut ad populi hujus benevolentiam sibi tanto magis comparandam, eumque ad obsequia reddenda, tanto efficacius exstimulandum, illum non in secreto, sed in publico in ipsamet videlicet totius Judææ Metropoli Judæorum Regem proclamarent: *Quæ ad salutem eorum pertinent, prædicantur* (ait Chrysostomus) *ut ad suscipiendum interim Regem, beneficio sibi blandiente, concurrant*.

In cap. 2. Matth.
Joan. 1.
Serm. 2. de Epiph.
Hom. 5. de Epi.
De stella & Magis.
Hom. 6 de Epi.
Hom. 7. in Matth.
Serm. 2. de Epi.

2. Porrò hæc eorum protervia & infamis ingratitudo ab omnibus damnata fuit; S. Leo namque dicit: *Hunc Principem natum & Pastoribus Angeli, & vobis nunciavere Pastores: hunc Principem natum, longinqua Orientalium gentium nationes, insolito novi syderis splendore didicerunt, & ne de loco editi Regis ambigerent, vestra eruditio prodidit, quod stella non docuit*. Tandemque eosdem hac interrogatione perstringit: *Cur vobis viam, quam aliis aperitis obstruitis*; Etenim similem considerationem S. Petrus Chrysologus instituit, dum ait: quid est *quod Judæa Regem, quod legis auctorem Magus scit, nescit Judæus, Chaldæa refert, non defert Judæa; Hierosolyma aversatur & refugit, Syria sequitur & adorat*. Nimirum idipsum præludium quodam erat omnium eorum, quæ postea eventura erant, scilicet quod Lex Evangelica, quæ Filii Dei in terram descendentis adventum annuntiabat, recipienda esset à populo Gentili, ab Hebraismo verò rejicienda foret. *Per hoc etiam figuratur* (inquit Lyranus) *quod fides Christi erat à Gentibus devotè recipienda, & a Judæis pro majori parte in Infidelitate remanentibus refutanda, quia Magi, qui gentiles erant, ipsum Christum devotè quæsierunt, & inventum adoraverunt, Sacerdotes autem Judæorum, audientes Christum natum per cælestem signum, in nullo moti sunt ad ipsum quærendum & venerandum*. Porrò optimè observavit S. Augustinus, quod hi tres Reges gentiles & idololatræ, Christum Judæorum Regem esse proclamarint: & Pilatus pariter paganus, hanc inscriptionem *Rex Judæorum* crucis suæ vertici super imponi fecerit; imo non obstante, quod populus ille fortiter reclamarit, hancque crucis epigraphen deleri aut emendari petierit, Pilatus nihilominus sua in opinione pertinaciter perseveraverit, dicens? *quod scripsi, scripsi*, prouti jam dudum per Psalmistæ oraculum prædictum fuerat dicentis: *Tituli inscriptionem ne corrumpat*. Tandem verò sub hoc latens mysterium, hunc in modum declaravit. *Advertamus, inquit, magnum hoc & mirabile sacramentum. Magi ex Gentibus; illi stellam viderunt in cælo, ille titulum fixit in ligno: utrique tamen non Regem gentium, sed Judæorum vel quærebant, vel agnoscebant: Judæi verò ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo consenserunt*. Cur autem ita factum esse existimas? nimirum Christus verificari voluit, quod ipse deinceps prædicturus erat: *Multi ab Oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cælorum: filii autem regni ibunt in tenebras exteriores; nam Magi ab Oriente, Pilatus ab occidente venerat; unde illi Orienti, id est nascenti, ille autem Occidenti, id est, morienti attestabantur Regi Judæorum*. S. Maximus quoque optimè luctam illam observavit, quæ intercessit inter gentilium fidem & Hebræorum perfidiam. *Factum est*, inquit, *inter Judæos atque Gentiles quoddam perfidiæ certamen*. In Chaldæa festivè celebratur Christi nativitas, Hierosolyma verò econtra cum universo populo suo ob eandem tristitia conturbabatur Judæi persequebantur Christum, quem Magi adorabant; Herodes gladium stringebat, Chaldæi autem donis præparandis intenti erant. Veruntamen quid nimirum, frigida illa Judaici cordis durities, Christi non recepit infantiam, quando enim tunc quoque est aspernata, quando mortuos revocabat ad vitam? *Quid mirum, si in cunis jacentem Christum sprevere Judæi, quem cum cæcis vel nova daret lumina, vel repararet amissa, languoresque varios salutifero sermone curaret, ad omnia beneficia Domini redimentis ingrati, mendacis lingua calumniis incusabant? quid mirum si in ejus Nativitate stellæ splendentis indicia neglexerunt, in cujus Passione etiam Sole lugente lætati sunt*; Chrysostomus illos se permisisse dicit, ab invidia sua prorsus excæcari. *Tantus siquidem illorum corda torpor obsederat, eique conjuncta par invidia*. Idemque etiam S. Maximus confirmat, dum ait: *Gentilis stellam Christi videt & venit, Judæus Christum videt & invidet; in sua venit, & sui eum non receperunt*. Cujus itidem opinionis Euthymius extitit, dicens: *Excæcavit eos invidia; gloriæ Christi inviderunt, ne forte magnus futurus esset*.

Serm. 3. de Epi.
Hom. 5. ad pop.
Hom. 6. in Matth.
Hom. 4. in ep.

3. Verum enim vero magnopere timendum est, ne de nobis quoque Christianis & de iis quidem specialiter, qui hic Romæ commoratur, dici possit, quod in hoc populo detestatus est B. Thomas de Villanova, dum ait: *Ecce à longinquo gens barbara, pia solicitudine Christum quærit, quem ingrati filii prope positi videre recusant; ex tanta namque populi Judæorum multitudine, ne unus quidem inventus est, qui audito eam insigni & præclaro nuntio, propinquam Bethlehem civitatem adiret, & tantæ rei veritatem inquireret: tantus erat illius populi mentis stupor & hebetudo judicii*. Quot sunt, qui ad venerandum hæc loca sancta, lucrandasque thesaurorum spiritualium divitias, laboribus & dispendiis intolerabilibus Romam confluunt, & tamen nos in alma hac urbe constituti, ne gressum quidem movemus, multosque non solum menses, sed & annos sine ullo spiritualis lucri profectu abire permittimus? Ac proinde Sanctus Bernardinus super Regum istorum fervore se reflectens, considerataque Regnorum suorum distantia, nec non prolixitate & molestia viæ, subjungit: *Erubesce Christiane infælix, non imitari sanctorum Magorum exemplum, saltem postquam Jesus dilectus jam non unica stella, sed mille millibus miraculis, sanctorum exemplis, Martyrum victoriis & triumphis tuam pigritiam excitat, & tuam cæcitatem illustrat, præcipuè quia stabulum jam mutavit in cæli palatium, præ-*

Hom. de Epi.
Ser. de Ep. ar. 2 c. 1.

sepium in regalis regni solium, virginis gremium in Patris sinum, parvitatem in majestatem, panniculos & fascias in gloriosam stolam, lacrymas & vagitus in cœlestes concentus, societatem bestiarum in multitudinem Angelorum, ut pie timeas ad Patris dexteram jam sedentem, quem Herodes timuit matris ubera lactentem. Eoimvero consideratio quædam hac de re D. Chrysostomi tempori huic, in quo initium fieri solet spectaculorum, Comædiarum, relaxationum, luxuum, aliorumque mundi hujus gaudiorum mirabiliter adaptatur, dicit

Hom. 7. in Matth.

enim: *Barbari quidem illi, priusquam Christum viderent, tam longam propter ipsum exsuperaverunt viam: tu vero nec posteaquam videris illos, probaris imitari, cum eum videris ita eum relinquis, ut post illum curras ad theatra, ac minimum potius videre & audire desideres; Christum quidem in spirituali situm præsepio derelinquis, properas vere jacentem in scena spectare meretricem, hoc autem quibus tandem putamus dignum esse supplicio?*

Serm. 3. de Epiph.

Porrò S. Bernardus, non Herodis sacrilegi turbationem, sed consternationem admiratur Hierosolymæ, dum ait: *Non mirum quod turbetur Herodes, sed quod Jerusalem civitas Dei, quæ visio pacis est, cum Herode turbatur, quis non miretur?* quod etenim aliis in locis deseratur Deus, ut post ludos possint prophanos currere, malum quidem est minimè modicum: scandalum tamen futurum esset oimis excessivum, si Roma civitas sancta eandem viam, ne dicam præcipitium ingrederetur.

De causis, ob quas stella tribus Magis disparuit, & de monito eisdem ab Angelis dato, per aliam viam revertendi in regionem eorum.

DISCURSUS OCTAVUS.

Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, & responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. cap. 2.

1. STella, quæ in Oriente primum videri cœpit, tribus Regibus Orientalibus Hierosolymam ingredientibus, confestim disparuit, quæ eadem iisdem denuo Hierosolyma egredientibus ante faciem eorum, ducatum eisdem præbitura præcessit, prouti Angelicus Doctor Aquinas scripsit, dum ait: *Datur intelligi quod quando Magi declinaverunt in Jerusalem, stella disparuit, recedentibus autem ab Herode, apparuit.* Id quod D. Chrysostomo motivum subministravit credendi & scribendi superiorem quandam stellæ huic insertam fuisse intelligentiam, dum inquit: *Hoc non agit motus syderis, sed virtus quædam plena rationis;* ideoque conclu-

Hom. 6. in Matth.

dit; *nec stella omnino, sed quædam invisibilis virtus in specie syderis figurata.* Porrò disparitionis stellæ bujus mysteria examinanda supersunt. Quem in finem operam ego, vos benignas aures præbete.

2. B. Thomas de Villanova videns, quod Magi præter stellam, quæ in Oriente eis apparuerat, & in Palæstinam usque feliciter perduxerat, alium sibi viæ ducem Hierosolymis exquisierint, merito illos stellam hanc amisisse dicit: *Grandi utique & notando mysterio, ut qui*

Ser. de Ep.

fidei certo lumine ad Christum dirigimur, diem hominis, id est, Philosophicam lucem ulterius non quæramus; quibus verbis ad eos præcipuè alludit, qui ad inveniendum Deum mediantibus rationum humanarum argumentis lumen & agnitionem quandam accipere se posse sperant: *Humana enim sapientia caligo, clarum fidei nostræ sydus potius obnubilat, quam illustret, ut qui nimium cupit esse Philosophus, facile desinat esse Christianus.*

3. *Stella disparuit propter confusionem Judæorum* (inquit S. Thomas) *qui cum instructi essent in lege ut Christum quærerent, & gentes non essent instructæ, tamen gentes quærunt & Judæi contemnunt. Unde impletur illud Isaiæ 55. Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current.* Cum enim hi Reges Pagani in totius Judææ metropolim ingressi, Messiæ Nativitatem annuntiarint, quis Judæorum de hujusce Nativitatis ignorantia excusari poterit;

4. *Stella disparuit propter Magorum instructionem,* inquit S. Thomas: *Non enim solum per stellam voluit se eis manifestari, sed etiam per legem.* Volebat enim ut de Prophetiis informarentur, quæ Christi Nativitatem, in locum ubi nasceretur, vaticinabantur, ut sic ad stellæ prodigium sacra pagina mediante, testimonium quoque accederet Spiritus Sancti. *Ipsis autem Judæam intrantibus,* inquit Lyranus, *stella divina dispositione disparuit, ut necesse haberent recurrere ad civitatem regiam, & ibidem inquirere de Christo nato, ut qui prius fuerant commoniti cœlesti signo, confirmarentur etiam dicto prophetico ex Doctorum Hebraicorum responsione.* Unde stellæ hujus disparitio tam Regibus gentilibus, quam Synagogæ documento & instructioni fuit. *Et vicissim docent,* inquit Chrysostomus, *& mutuò à se aliquid addiscunt, Judæi scilicet & Persæ.* Judæi enim per Magorum annunciationem & prodigiosam stellam de Messiæ nativitate certiores evadunt; Magi etenim quærebant: *Ubi est qui natus est? Magi vero à Judæis discunt, quod ipsum Jesum, quem stella monstraverat, etiam Prophetæ ante prædixerant.* Hom. 7. in Matth.

5. *Stella disparuit,* ut salutare nobis monitum suggereret, quòd scilicet Deus ut plurimum homines ab aliis hominibus, rarius autem per viam visionum & revelationum cœlestium edoceri velit. Stella quidem illa hosce Reges ad Messiam inveniendum tam in interiori cordium suorum, quam extrinsecus sufficienter videbatur instruere, & tamen disparuit, ut hac ratione ad Hierosolymæ ingressum moverentur, atque ab eo Concilio, in quo sapientissimi totius synagogæ concurrebant, plenam de loco nascentis Messiæ informationem acciperent.

6. *Stella disparuit,* inquit S. Thomas, *propter instructionem nostram; Etenim instruimur, quod qui fideles sumus, non debemus quærere signa sicut isti, qui videntes stellam gavisi sunt; sed debemus esse contenti doctrinis Prophetarum, quia signa data sunt infidelibus.* Aliam insuper idem Sanctus observavit instructionem, quam Glossa hisce verbis refert: *Instruimur, quod qui humanum auxilium quærunt, deseruntur à divino: illicitum est enim, humanum auxilium quærere, non quærendo divinum.*

7. *Stella disparuit,* ad horum trium Regum majorem gloriam, ut scilicet viva ipsorum fides magis elucesceret, quòd enim stella duce iter aggressi sint adeo prolixum & periculosum, quodque in totius Judææ Metropoli, ad venerandum novum Judæorum Regem appellentes, nec invenientes, qui de noviter nato Rege quidquam iis respondere possint, ipsum nihilominus Judæorum Regem publicè proclamarint, quod denique ob turbatum ex nuntio nati novi Regis Herodem, totamque Jerosolymorum urbem consternatam, nequidquam deterriti fuerint aut ceciderint animo, imò ad ipsum requirendum quàm maximè fuerint animati, manifestum hoc vivæ fidei, & ardentis ipsorum devotionis indicium fuit.

8. *Stella disparuit.* Idque, ut alii dicunt, ob culpam ipsorum Regum propriam, utpote qui à via sua minimè deviare, sed plenam in stellæ ducatum reponere fiduciam, nec quicquam quemcumque tandem totius Judææ interrogare, sed se totos stellæ gubernandos permittere debebant. Unde Chrysostomus ait: *Et tu Judæorum populum repugnantem, urbem vacantem, insidiantem tyrannum, & fallacem istius sæculi umbram relinquens, in Bethlehem festinus accurere, & domum spiritalis panis ingredere.* Hom. 6 in Matth. Etenim quamprimum invidæ synagogæ & Herodi sacrilego terga vertere cœperunt, stella quoque ipsis de novo comparere cœpit. Dixerant paulò ante: *Vidimus stellam ejus in Oriente & venimus.* Nullam stella visa interposuere moram; Et porrò eadem cum sollicitudine iter suum prosequi, & donec stella dux eorum cœlestis subsisteret, nequaquam stare debuissent; sic enim stellæ beneficio semper fuissent gavisuri. Qua in re Deus nos edocere voluit, quod stella, id est, inspiratione divina nos invitante & vocante, nequaquam iter ejus ducatu cœptum intermittendum, differendum, aut retractandum sit: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;* si enim à via tantisper declinaveritis, periculum est ne abscondens & subducens se stella confestim evanescat.

9. *Stella disparuit,* quamprimum invidis & incredulis

Hebræis se associarunt, quamprimum in sacrilegi illius Regiam, pedem suum intulerunt. Vix S. Petrus atrium ingressus est Caiphæ, eùm ecce mox Christum trina voce turpiter pernegavit, non obstante quòd antea hisce verbis protestatus fuisset: *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Hinc igitur urgens aliquod valdeque efficax concludamus argumentum, quod, si Magi cœli ducatum & lumen amiserunt, quod hominibus perversis eo tantum fine se associant, ut de Christo eos interrogent in quonam periculo constituti erunt, qui cum malis conversantur, non ut Deum quærant, sed ob magnam quam de illorum conversatione habent complacentiam? *Cum perverso perverteris*.

10. *Stella disparuit*. Quamdiu hi reges per montes præruptos & inaccessos profecti sunt, diu noctuque vigilantes, variisque laboribus & fatigationibus subjecti, tamdiu quoque stella coram oculis & multo magis in cordibus luminosa scintillavit, nec unquam ab eorundem oculis evanuit. Quamprimum Curiam ingressi sunt Herodis, in qua in mediis delitiis, voluptatibus, & regiæ illius excellentiis versabantur (credibile enim est illos in Herodis Palatio hospitio fuisse receptos) mox stella disparuit; siquidem inspirationes & vocationes divinæ, lumen & agnitio cœlestium mysteriorum, inter dignitates, voluptates, & prosperitates humanas, ut plurimum amittitur, refrigescunt fervores, & bona communiter evanescunt proposita. Deus communiter invenitur ubi non est, inquit S. Philippus, id est, inter passiones & dolores Crucis, quibus nunc impassibilis & immortalis in cœlo regnans, non amplius subjicitur. Dic sodes, quandonam stella hæc Saulo resplenduit, eumque in Paulum transmutavit? *Circumfulsit enim eum lux de cœlo*, ut ait Scriptura. Quando scilicet ex equo dejectus fuit, quando integram innumerarum passionum & adversitatum Iliadem sibi
Act. Apost. 9. 16. revelatam accepit; *Et ostendam illi quanta oporteat in nomine meo pati*.

11. *Per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Estque hoc alterum punctum, quod in præsenti discursu ponderandum suscepimus. Enimverò monitum istud, per aliam viam ad propria redeundi in somnis acceperunt ab Angelo. Circa quod D. Chrysostomus acutè observat, quòd mox, ut Sancti hi Reges unà cum muneribus oblatis, seipsos quoque Deo obtulerunt in sacrificium, magnopere quoque proficere cœ-
Hom. 7. in Matth. perint, magisque honorati fuerint: *Nec enim jam stella eos, sed Angelus suscipit; quia scilicet adorando facti fuerunt sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis*. Atque ideo Deus illis indicare voluit, superesse dona & victimas longè acceptiores quàm sint incensum & aurum. Ecquænam autem illæ? Obedientia: *Melior est obedientia quam victima*. Porrò credibile est, vel quod ex propriæ voluntatis electione à Sacrosancto illo Bethlehemitico tugurio vix & ne vix avelli potuerint: vel quòd nimis sibi vile, suisque majestatibus indignum esse censuerint, si contra factam Herodi promissionem instar fugitivorum ad Herodem non redirent: aut verò quod arduum illis visum fuerit, viam inire hactenus incognitam, longam, valdeque difficilem. Et tamen sine ulla contradictione promptissimè obedierunt.

12. *Per aliam viam*. Scribit Hugo Cardinalis, Reges hosce in navibus quibusdam reditum suum maritimo itinere confecisse, naves autem illas redeuntes ab Herode sæviente fuisse combustas: Idque à Davide præ-
Psal. 47. 8. dictum fuisse, dum ait: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. Alii verò opinantur, quòd ad hoc, ut in reditu non deprehenderentur, aliam viam aggressi sint, proficiscendo per loca prærupta & inaccessa, in ærumnarum maximarum perpessione, singulis se noctibus in speluncas recipiendo. Ita scribit in vita Theodori Cœnobiarchæ Cyrillus Monachus. Qua in re optimum documentum suggerent iis, qui post vitam sæcularem, spirituali se vitæ dedere volunt, ut perfectionis, Consiliorumque Evangelicorum viam ingrediantur strictiorem, austeritateque sectentur. Unde in-
De Stella & Magis. quit S. Cyprianus: *Alio tramite in suam patriam revertuntur; quia necessum est, ut qui credunt ad justitiam, ore etiam confessi sint ad salutem; deinde vias eligant arctiores, & se districtioribus mandatis obligent*. Ut autem quænam hæ arctiores viæ sint, declaret, ulterius descendendo subjungit: *Arcta est castitas, trames strictus humilitas, jejunio affligi & carnem in servitutem redigere, scopulosa sunt semita*. Ad hæc, in quonam hæc viæ immutatio consistat, Eusebius Emissenus melius declaravit, dum ait: *Viæ immutatio vitæ intelligitur emendatio*. Quales autem hæ diversæ viæ sint, quas inire debeamus, ulterius interpretatur dicendo: *Quando superbiam suscepta humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus, quando veteres voluptates & consuetudines pristinas ac desideria antiqua damnamus*. S. Fulgentius in Homilia quadam de hodierno festo similiter scribit:
Nec teneamus viam veteris vitæ, sed divinis mandatis Hom. de Epiph.
humiliter obsequentes, viam mutemus, & in qua præcepit Dominus, ambulemus. Declaraturus demum quænam hæc via sit, subjungit: *Via hominis est vita ejus; qui male vivit, viam tenet erroris: qui bene vivit, per viam graditur veritatis; quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat castitatis: qui ambulabat per viam fictionis, teneat viam puritatis*. Sanctus quoque Gregorius dum in Homilia de præsenti festo, hæc eadem verba moraliter interpretatur, dicit: *Regio nostra Paradisus est, ad quam Jesu cognito, redire per viam, qua venimus, prohibemur, à regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando, redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui a Paradisi gaudio per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur*. Verum enimvero huic traditæ doctrinæ contrarium hisce præcipuè diebus, vel maximè exercetur; Abhinc enim gaudia, commessationes, choreas, aliasque levitates ordiri consuevimus.

13. *Ne redirent ad Herodem*. Porrò ecce tibi propriam mutati in diversam viam itineris causam. Multum namque interest, ne ullus se de novo Herodis, id est, inimici infernalis manibus committat, postquam ab iis semel est liberatus. Magna enim incurrunt pericula, qui in pristina denuò recidivant peccata. Unde Glossa ait: *In hac forma datur credentibus, ut devoti ad Deum veniant, & quod jubeat, intendant; scilicet, ne ad Diabolum redeant, sed per semitas virtutum ad patriam redeant*. Et tamen hoc non obstante, sacris hisce diebus elapsis, tanta cum facilitate eædem denuò resumuntur occasiones, repetuntur eædem malæ societates, eadem scandalosa loca frequentantur; Denique per easdem denuò vias redimus in idipsum.

De magnificentia stabuli, in quo Magi quæsitum invenerunt Regem, & qualiter iidem fidem suam in tanta vilitate, & paupertate exercuerint.

DISCURSUS NONUS.

Adorate Dominum in aula sancta ejus; & procidentes adoraverunt eum.
Matth. cap. 2.

1. SAncta mater Ecclesia, hodierna die, ad debitum Deo nostro præstandum obsequium, in Regiam, sive curiam ejus nos omnes invitat, dicens: *Adorate Dominum in aula Sancta ejus*. Verùm quænam est aula ista, cùm ipsemet Deus in stabulum quoddam se recipiat? In stabulum? Imo vero; verùm idemmet stabulum antecamera quædam est, cui hodie tres coronati Reges venerabundum præstant ob-
sequium. *Intrantes domum* (Dionysius Carthusianus In Matth.
dicit) *id est, stabulum seu diversorium, brutis potius quam hominibus aptum*. Ideoque cum comitatu Majestate sua dignè advenerunt: *Venerunt cum magno comitatu, utpote Reges*. Porrò verba: *Et ecce Magi* insolitorum prodigiorum expressiva exiliunt; Solemnis etenim Regum mos est, quòd ad deferendos aliis Regibus honores, eosdem non in propria persona, sed legatis suis intervenientibus convenire soleant; Et tamen hi

tres

tres Reges non per alios, sed ipsimet, in persona propria, regna sua deserunt, junctoque singulorum comitatu, & thesauris suis, simul & concorditer. Palæstinam versus se recipiunt. Et quidem minimè dubitandum est, quin hæc solemnissima prorsus legatio fuerit, quam totus unquam vidit orbis terrarum, tum propter accelerationem tum ob serenissimorum capitum legationem hanc obeuntium pompam, & amicorum suorum multitudinem, siquidem tres hi Magi magna sapientia inclyti Reges fuerunt. *Illis namque temporibus* (ait Dionys. Carthus.) *sapientes regnare solebant*. Tum quòd quilibet ipsorum magnos & regios secum thesauros ad offerendum tulerint, habuerint quoque in suum viæ ducem novam quandam & prodigiosam stellam, quæ nusquam in cælo hactenus comparuerat, denique maxima & solemnissima fuit legatio, quia solemnissimum & maximi ponderis negotium in eadem habuere tractandum, cujus simile terræ cum cœlo nunquam intercessit, quale nimirum erat sponsalitium Filii Dei cum Ecclesia paciscendum & ineundum: *Hodie cælesti sponso juncta est Ecclesia*. Quibus omnibus pro majori hujus legationis gloria, addendum est meritò, quod ea ad summum Monarcham fuerit directa, ad eum nimirum, in cujus fœmore scriptum est: *Rex regum & Dominus dominantium. Magi videntes stellam dixerunt ad invicem: Hoc signum magni Regis est; Stella ista sicut flamma coruscat, & Regem regum Deum demonstrat*. Ac proinde cum illis perspicuum fuerit, quòd ad gloriæ Regem adorandum sese reciperent, ad eum nimirum, qui dicit: *Per me Reges regnant*; qui totius universi Monarcha erat, facilè conjicere possumus, quemnam sibi per viam de ejus Majestate & excellentia conceptum formaverint; eumque haud dubiè tanto generosiorem, quanto evidentius hanc in
Hom. 2. interiori cordis sinu vocem invitantem audiebant: *Adorate Dominum in aula Sancta ejus*. Credibile est utique, eos omnino existimasse, se eum visuros esse; veluti ab aliis Regibus tributariis suis, stipatum. Hinc quoque in Judææ Metropoli de regia Herodis nequaquam interrogant, multò minus de templo, idque, quia se illum in loco quodam longè subluniori, suæque Majestati magis condigno inventuros esse credebant. Porrò de stella duce eorum Scriptura dicit, quòd steterit: *Antecedebat, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer*. Circa quæ verba Auctor operis imperfecti dicit: *Stetit supra caput pueri, quasi dicens: Hic est, ut quia loquendo monstrare non poterat, stando monstraret*. Enimvero quando legati regii, Regi recens nato congratulaturi in Palatio quodam regio appellunt, ii quorum interest Regem illum, licèt is tenellus adhuc infans sit, in aula quadam regia, sub augusto Baldachino, in cunis veluti magnifico quodam throno positum Principibus seu regni primatibus obsequiosis & venerabundis, atque in signum regalis potestatis & magnificentiæ regia insignia portantibus stipatum publicè exponere solent. Hi autem Reges *intrantes domum*, id est, *stabulum*, ecce Regia, *invenerunt puerum*, ecce Regem infantulum, sed non in magnificis cunis aut throno regio, sed in quodam animalium præsepio positum. Quemnam autem Regum istorum hanc speluncam ingredientium sensum fuisse existimas? Num fortè se à stella hac, veluti stella quadam errante delusos esse crediderunt? aut suos mox è stabulo revocavere gressus? aut verò loci hujus vilitatem & paupertatem sunt aspernati? nequaquam, quin potius *gavisi sunt gaudio magno valde, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei aurum, thus & myrrham*. Quis unquam majus vidit prodigium isto, quòd scilicet hi Reges, qui subditos suos quotidie ad pedes suos prostratos videre, tributorum thesauros ab iisdem accipere consueverant, modo non super terræ pavimento, sed super stabuli fimeto sese prosternant ut adorent, & thesauros suos offerant? *Quid facitis, o*
Serm. 1. de Epiph. *Magi, quid facitis?* sic eos interrogat S. Bernardus: *Lactentem puerum adoratis in tugurio vili in vilibus pannis? Ergone Deus est iste? Deus certè in templo Sancto suo, Deus in cælo sedes ejus: & vos quæritis in vili stabulo, in matris gremio? Quid facitis quod & aurum offertis? Ergo Rex est iste? & ubi aula regia? ubi thronus? ubi curiæ regalis frequentia?* Quasi Sanctus hic Doctor dicere vellet: Vos quidem ad adorandum invitati estis, attamen non alium quàm Deum: *Adorate Dominum*. Sed ubi adorandus est Dominus? non in stabulo quodam, sed in regia quadam *In aula. Nunquid aula est stabulum, thronum præsepium, curiæ frequentia, Joseph & Maria*. Et ubi sunt custodiæ regiæ? num fortè earum loco sunt duo illa stolida animalia? S. Augustinus dicit: *Non sub poplite sella regalis, non de membris purpura, non de capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus; jacebat in præsepio puer ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate*. 7. Serm. de Epiph. Credibile insuper est, horum Magorum ministros aulicos, clam inter se de commisso à Regibus suis gravi errore mussitasse aut murmurasse, dixisseque, Regem quem quærebant, non in stabulo, sed in templi Hierosolymitani Sanctis Sanctorum quærendum esse, quia *Dominus in templo Sancto suo*. Unde Homilia 1. Auctor operis Imperfecti dicit: *Nunquid viderunt palatium marmoribus splendidum? nunquid matrem ejus diademate coronatam, aut in lecto aureo recumbentem? Nunquid puerum auro & purpura involutum? nunquid aulam regiam diversis populis personantem? sed quid? Pandochium tenebrosum & sordidum, & magis animalibus quam hominibus aptum, matrem ejus vix tunicam unam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat uxor Carpentarii: & hæc in peregre constituta puerum pannis sordidissimis involutum, & in sordidiori quoque præsepio positum*. Nunquid hæc vobis egregia quædam regiæ cujusdem descriptio esse videtur? Quænam Hom. 6. in Matth. enim hic regni vestigia conspiciuntur, *Quæ regni*, ait Chrysostomus, *vidisse feruntur insignia? Humile profectò tugurium, squalidumque præsepium, & parvulum pannis vilibus involutum*. Sanctus Bernardus interrogat: *Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent parvulum despicabilem tam sua ætate, quam paupertate suorum?* Moxque idem Sanctus respondet: *Insipientes facti sunt, ut fierent sapientes: quia enim per sapientiam suam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos fieri credentes*. Quinam obsecro, hisce Magis tantam sapientiam, quacum Deum hunc in tanta humilitate agnoscerent, infundit? Sanctus Hom. 3. de Epiph. Maximus ait: *Cum parvulus & infans apud Judæam vagiret in cunis, lateret in pannis, magnificentiam tamen ejus universo orbi, mirabilis ab alto stella prodebat. Novo quidem sydere tunc micabat cœlum, sed Magis novo mundus lumine refulgebat*. In hac etenim stella Deus ad cor eorum locutus est interius, eosque edocuit. Unde Sanctus Bernardus dicit: *Profectò qui illos adduxit, ipse & instruxit*. Chrysostomus quoque Deum ex data opera noluisse dicit, ut Reges isti externum aliquod in Christo recens nato Regni vel Di- Hom. 8. in Mat. vinitatis signum conciperent: *Idcirco nihil ibi de sensibilibus istis grande conspicitur, sed angustum tugurium & vile præsepium, & inops mater*. Quanto autem cum mysterio recondito id factum sit, velim audite: *Ut melius nuda Magorum Philosophia clarescere*, Unde Sanctus Augustinus dicit: *Sed magnum aliquod latebat in parvo, quod illi homines, primitia gentium, non terra portante, sed cælo narrante, didicerant*. Ser. 1.

2. *Didicerant*. Enimvero id, quod Magi cælo narrante didicerant, beatus Laurentius Justinianus vehementer obstupescit, dicens: *Unde quæso tanta fides, unde tam clara divinitatis beatis illis effulsit cognitio? Minime ibidem regius apparatus, non ornatus thronus, non deaurata palatia, non famulantium turba, sed puerulus vagiens panniculis involutus, fœnum aridum, arctum præsepium, fœtens stabulum, & jumenta irrationabilia adstantia inspexere*. Serm. 2. de Epiph. Quis autem illos edocuit, ut puerum hunc supremæ Majestatis Deum esse, *quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates*, verè agnoscerent? *Porro intus* (inquit Sanctus) *operabatur gratia, loquebatur verbum, se manifestabat Divinitas, propterea cognoverunt, adoraverunt, procidermt*.

3. *Didicerant*. Quia licèt ad Deum in regio palatio adorandum invitati essent. *Adorate Dominum in aula Sancta ejus*, attamen regiam hanc nullam aliam, quàm Bethlehemiticum esse tugurium, pariter didicerant; In anticamera enim Christi, expressa fit ab omnibus humilitatis, paupertatis & mundi contemptus professio, in contrarium ejus, quòd fieri solet in aulis Regum terrenorum, in quibus mira pompæ & fastus fit ostentatio.

Et quidem quis Deum filium unquam cognovit, aut tanquam verum Deum adoravit, quamdiu in cœlo Empyreo Angelicorum spirituum Hierarchiis stipatus, in supremæ Majestatis throno est commoratus? Nunquid universum fere genus humanum falsorum Deorum simulachris sua genua flectebat? at verò mox, ut de cœlo dilapsus, in duorum animalium medio visus est, mox tres coronati Reges se coram eo reverenter prosternunt. Unde Chrysostomus ait: *Dei filius in cœlo erat, & non*

Serm. 1. de Epiph.

adorabatur, in terram descendit & adoratur; Procidentes adoraverunt, idque adeo viva & generosa fide, ut sanctus Augustinus dicat, quod *Apud sensus eorum*

de stella & Magis.

humilitas Nativitatis reverentiam Divinitatis non imminuit. Et sanctus Cyprianus: *in loco humili*, inquit *& suppellectile vili Rex Regum & Dominus Dominantium invenitur, cognoscitur, & adoratur*. Enimvero Deus hos servos suos, in quos donorum, gratiarumque suarum thesauros liberalissimè effuderat, quosque haud secus ac si divini quidpiam in se haberent, mundo venerabiles effecerat, adeo ut velut alter quidam Franciscus Assisias, vel Paulanus, vel sanctus Antonius, aut Romualdus ob miraculorum multitudinem & evidentiam, à potentissimis mundi Monarchis devotionis afficerentur obsequiis, hos inquam servos suos venerabiles esse voluit omnibus, non ut fastu regio mediante reluccrent, sed ut extrema paupertate, nuditate, suique ipsius contemptu deinceps viverent. Etenim si Rex aliquis vestiatur cilicio, habeatque pedibus suis substrata sceptrum pariter & diadema, seque totum vitæ rigoribus & sui ipsius contemptu dedat, quidnam in illo mundus non solum admiratur, verum insuper adorat? Certè non sceptrum aut Diadema, sed conspicuam ejus paupertatem, suique ipsius contemptum. Pari quoque ratione parvulus hic recens natus Infantulus, potius tanquam verus Dei filius, ab hisce Magis in pauperrimo MARIÆ sinu, quam in augustissimo æterni Patris sinu, velut throno immensæ majestatis agnosci voluit. *Quem ut mirabilius*, inquit

Hom. 7.

Chrysostomus, *rei dignitas eluceret, pannis adhuc infantiæ colligatum oportebat adorari*. Quid enim mirum, quòd Rex quidam Hispaniarum aut Franciæ, regio primatum suorum sodalitio sub opulentis baldachinis stipatus, atque ob regni sui vires summe tremendus, omnibus in veneratione summa sit? Nil prorsus hic latet eximium? at verò, quòd parvulus quidam Infans, stella quadam mediante ab ultimis mundi finibus tres hosce Reges ad sui adorationem, ad vile, quoddam & sordidum præsepium trahat, hoc adeo admirandum est prodigium, ut vel inde solùm tres hi sapientissimi Reges facilè perdiscere potuerint, hoc neminem aliorum efficere potuisse, præterquam io cujus manu sunt omnia corda Regum.

4. *Didicerant*. Porrò Magi isti duos habuere Magistros, à quibus erudiebantur, stellam nimirum & Spiritum sanctum. Et quidem de stella, præter ea, quæ de illa supra io Discursu tertio dicta sunt, Auctor ope-

Homilia 2.

ris imperfecti dicit: *Etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti gaudebant; per mysterium stellæ intelligebant, quoniam dignitas tunc nati Regis excedebat, mensuram omnium mundi alium Regum, necesse enim erat, ut gloriosiorem putarent Regem illum, quam stella, cui stella sic devotè obsequebatur; aut quo modo non crederent ei subdendos homines, cui etiam cæli ornamenta subdita esse videbant*. Eosdem quoque Spiritus sanctus pariter instruxit: atque ideo idemmet Auctor ait: *Oculi eum contemptibilem puerum aspicere non poterant, quia spiritus in corde eorum terribilem eum mostrabat*. Ac proinde meliorem utique hi Magi habuere Magistrum quàm Pastores, tametsi enim hi ab Angelo fuerint commoniti, illos tamen natum puerulum cultu latriæ adorasse Evangelista nequaquam dicit: *Videntes cognoverunt de verbo hoc*. Non verò idipsum, quod de sanctis Magis, qui *procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris, &c.* Ruper-

Lib. 2. in Matth.

tus Abbas ait: *Non adeo edocti fuerunt, ut procidentes adorarent, isti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum, sed per Spiritum sanctum, procidentes adoraverunt*. Hujus quoque veritatis Dionysium Carthusianum testem habemus dicentem: *Intus quoque instruxit eos Spiritus sanctus, omnem exteriorem paupertatem & abjectionem, in puero ejusque matre apparentem, non esse humanæ necessitatis, sed divinæ dispositionis, in signum, quod puer iste non temporalem opulentiam, atque mundanam prosperitatem, sed veram & item cælestem ac sempiternam beatitudinem in se credentibus impertiretur: ideo moti non sunt ex stabuli vilitate, ex matris inopia, ex pueri solitudine: imo quo exteriora videbantur abjectiora, eo interiora intellexerunt esse diviniora.*

5. *Didicerant*, Regem illum, cujus invisere volebant cunas, licèt ab iis Rex nominabatur Judæorum, verum esse Messiam & Redemptorem multis antea sæculis promissum, atque ab universo mundo desideratum & expectatum, atque ab Hebræorum populo nasciturum. Porrò sanctus Fulgentius opportunè hoc loco quærit, cur Magi, qui Judæi non erant, Regem tamen Judæorum adorationis causa inquisierint? *Utique non Herodem, sed Christum*; In hunc solum Ser. de Ep.
suos habebat oculos directos. *Volunt adorare nuper natum, nec adorant Regem ante aliquot annos ordinatum; adorare cupiunt infantem lactentem, nec adorant Regem populis imperantem*. Enimvero inquit præfatus Fulgentius, Herodi, qui in Judæa regnabat, multi erant nati filii, & inter alios Archelaus. Hic in palatio nascitur regio, Christus autem in stabulo: ille lecto impositus est argenteo, Christus verò præsepio: ille pretiosæ involutus est purpuræ, Christus verò pauperculis obtegitur pannis; *& tamen ille natus in palatio contemnitur, iste natus in diversorio quæritur; ille a Magis nullatenus nominatur, iste inventus suppliciter adoratur; omnino spernitur primogenitus Regis, & muneribus adoratur primogenitus paupercula mulieris. Quis est iste Rex Judæorum* (quærit sanctus Fulgentius) *pauper & dives, humilis & sublimis, portatur ut parvulus, adoratur ut Deus parvus in præsepio, immensus in cælo; vilis in pannis, pretiosus in stellis*: Audite obsecro, qualiter & beatus Thomas, opinioni sancti Fulgentii, per omnia consentiat, dum quærit: *sed quid gentium Reges Judæorum Regem inquiritis? potentiores apud vos Reges sunt, & clariores Principes, quos colatis, & quid Reges gentium, exiguum Judæorum Regem adorabitis? Judæa sui ortum Regis ignorat, & vos ab Orientis initio ipsum adorare venitis?* mox ad propositum nostrum hunc in modum respondet: *agnoscite fratres horum sapientum notissimam fidem, nunquam enim, ut Augustinus ait, tam ardenter adorare cuperent Regem Judæorum, nisi etiam ipsum crederent Regem esse sæculorum.*

6. *Didicerant*, quod sicut illucescente Sole, omnes stellæ lumen suum amittunt, eodem modo conveniat, ut ipsi tametsi potentissimi sunt Reges, ante tam immensæ Majestatis Deum inclinentur & prosternantur, seque vilissimos servos & humillimos subditos æstimeot. *Procidentes adoraverunt eum*. Porrò hanc quoque reverentiam per regalium tributorum testati sunt oblationem: *Apertis thesauris obtulerunt ei, & procidentes* (inquit sanctus Joannes) *viginti* Apoc 4. 10.
quatuor Seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem. Notandum, sceptra & diademata sua Deo referebant accepta, verum etiam omnem ei gloriam, omnemque honorem deberi protestabantur. *Didicerant* & hi Reges idemmet obsequium, dum se tanta cum reverentia, coram Agno divino prosternunt, suaque diademata & sceptra pedibus illius subjiciuntur. Enimvero nescio, num aliquando observaveritis, quod Evangelista de Magis hisce scribens, eos neutiquam Reges fuisse dicat, cùm tamen illos verè tales fuisse Historiæ passim fateaotur, & tanquam tales, ipsos quoque in depicto schemate exhibet sancta Mater Ecclesia. Cur igitur Evangelista gloriosum Regis titulum illis non defert; dici forte posset sanctos Evangelistas à Spiritu sancto inspiratos se conformare voluisse humillimæ Magorum de se ipsis opinioni, utpote qui coram Christo velut obedientissimi servi & subditi comparere voluerunt: vel etiam ideo dici potest illos Regii tituli nullam fecisse mentionem, ut per hoc denotarent, quod cuncti Reges & Monarchæ terræ hujus, coram hoc Rege gloriæ ad eum modum disparcant, quo stellæ minutæ Sole exoriente disparere solent. Ad hæc altera ex parte Re-

ges

ges isti nullam thesaurorum, quos secum attulerunt, mentionem fecisse leguntur, sed solus Evangelista horum thesaurorum meminit. Scitisne hujus rei causam? *Didicerant* nimirum; quòd hic Deus incarnatus nullam habet thesaurorum illorum, sive munerum adductorum Prov.8.18. necessitatem, utpote qui dicit: *mecum sunt divitiæ & gloria, & opes superbæ*; de quo proinde scribitur: Sap.1.23. *sic est ante te orbis terrarum, tanquam gutta roris antelucani*. Veruntamen in servitutis suæ evidens testimonium, nec non ad demonstrandam fidem suam, qua eum veluti Deum vivum & verum venerabantur, munera & thesauros idem offere non intermiserunt, siquidem Exod. 34. 20. in Exodo olim præceperat: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*.

7. *Didicerant*, itidem quanti honoris & gloriæ sit, cuilibet etiam capiti coronato coram hoc Rege, quem *tremunt potestates*, humiliari, utpote quem eum esse Is. 40 12. Monarcham sciebant, qui *mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit, appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes*. Ad quod propositum in memoriam revocandum est, quod, quando David depositis regiis ornamentis, velut homo quidem plebejus, ante Arcam, ex peculiaris reverentiæ instinctu saltare cœpit, & à Michol Regina conjuge sua derisus fuit, ipsa perpetua quadam fuerit sterilitate mulctata remanente, David Rex sanctus non ob id, ab hoc humillimo obsequio deterritus, quin potius hisce verbis protestatus fuerit: Apol. de David. c.6. *Ante Deum, qui me elegit, ludam, & vilior fiam, plus quam factus sum*. Circa quę verba Sanctus Ambrosius ait; *Saltando docuit contuitum regalis potentiæ non esse habendum, ubi religioni exhibetur obsequium*. Pro cujus quidem historiæ allegotico sensu ecce tibi eandem hodie in casu nostro exactè verificatam. Michol enim Synagogam repræsentavit Hebræam, quæ per tres Reges puerum quendam Josephi cujusdam fabri existimatum filium adorantes repræsentata fuit, quæ proinde perpetua sterilitate ad finem usque sæculorum mulctata permansit; in cujus locum hi tres Reges substituti fuere, dum benedictiones illi populo adeo à Deo privilegiato debitas hæreditarunt. Unde populus gentilis ex tunc in veri Dei agnitione magis semper magisque profecit, adeo ut impletum fuerit oraculum istud Psalmistæ dicentis: Ps. 85. 5. *Omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum*.

De donis auri, myrrhæ, & thuris à tribus Magis oblatis: Deque illorum mysteriis, & aliis moralitatibus.

DISCURSUS DECIMUS.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. cap. 6.

1. Hisce Regibus minimè visum est sufficere, quod longum & ærumnosum quoddam iter, Dei filium adoraturi adorirentur, ideoque obsequium istud opulentis & pretiosis adaugere muneribus voluerunt. Lib. de vita Christ. c. 9. Et quidem S. Bonaventura ait: *Quilibet obtulit dona tria in maxima quantitate, præcipuè de auro*. S. Thomas autem quorundam refert opinionem, qui eos hæc dona ad subveniendum præsentibus pueri necessitatibus obtulisse crediderunt. *Et dicunt*, ait, *quod tria invenerunt, domum sordidam, puerum infirmum, & matrem pauperem, & ideo obtulerunt aurum ad sustentationem matris, myrrham ad sustentationem membrorum pueri, thus ad tollendum fœtorem*: cujus etiam opinionis Lyranus extitit. Tandem verò S. Thomas opinionem suam subjungit dicens *Dicendum quod aliquid mysticè hic prætenditur*. Neque enim verisimile est fœtorem aliquem in illo stabulo fuisse, in quo flos ille germinavit, de quo in sacris Canticis dicitur: *Ego flos campi & lilium con-* Cant. 2. 1. *vallium*. Ad hæc si Evangelista de hoc puero dicat: *Nazarenus vocabitur*, quod idem est, quod *floridus*, & Apostolus de justis pronuntiet. *Christi bonus odor sumus* 2. Cor. 2. 15. *in omni loco*, quanto magis Christi ubique gratissimam Paradisi fragrantiam spirare debuit, juxta axioma illud Philosophicum: *Propter quod unumquodque tale, & illud* *Mansfi Prompt.*

magis. Prætetea super tugurio Bethlehemitico viti fuerunt numerosi Angelorum exercitus, qui à Sancto Ambrosio super illa verba: *Considerate lilia agri*, flores nuncupantur, dum ait: *Angeli verè istius mundi flores sunt; bonum odorem sanctificationis spirant*, nimirum is, qui Nazarenus, id est, floridus erat, numeroso florum, id est, Angelorum manipulo circumdari & stipari debebat. Videri insuper non immerito poterat Jesulum recens natum, pro infantilium membrorum suorum debilitate corroboranda, myrrha nequaquam indiguisse, siquidem ejus humanitas a verbo assumpta, atque a naturæ divinæ fortitudine roborata erat: Neque auro indigere videbatur, utpote qui *propter nos egenus factus fuerat, ut ejus inopia divites essemus*: & de ipso scribi- 2. Cor. 8 9. tur: *In quo sunt omnes thesauri*, ideoque ad id recurrendum esse videtur, quod ait Doctor Angelicus, nimirum: *Aliquid mysticè hic prætenditur*: Ac proinde videamus obsecro, quænam sint sacrorum expositorum circa hanc rem opiniones.

2 Chrysologus Magos hæc tria munera obtulisse ait: *Ut tali munere pietati satisfacerent & honori*. Quibus ver- Serm. 156. bis mihi secundum Enthymii sensum addere liceat: *ut justitiæ satisfacerent*. Nam ut optimè dictus Pater observavit, Babyloniæ Reges postquam Jerosolymorum urbem expugnassent, omnes ejus deprædati fuere thesauros, factaque in ea maxima strage, solita sacrificia, ut in ea cessarent, effecerunt: *Regnum autem Babylonis* (Ait Euthymius) *una cum suis thesauris ad Persas devolutum erat: ideo afferunt Persæ Babyloniorum hæredes Domino templi, quod tunc contumelia affectum fuerat, aurum quidem pro sublatis auri thesauris, thus autem pro hostiis, myrrham pro jugulatis. Ut tali munere satisfacerent honori & pietati*.

3. S. Leo dicit: *His se instruunt donis, ut adoratu-* Serm. 3. de Epiph. *ri unum, tria se simul credidisse demonstrent, auro honorantes personam regiam, myrrha humanam, thure divinam*. Theophylactus ait: *Aurum obtulerunt ut Regi; aurum enim subditi Regibus pendunt: thus autem ut Deo; thus enim adolemus Deo: myrrham vero ut degustaturo mortem; nam Judæi cum myrrha mortuos sepeliunt, ut corpus maneat incorruptum*. Unde in tribus hisce donis eum veluti Deum Regem, & hominem honorarunt & adorarunt. *Quod cordibus credunt* (inquit S. Leo) *mu-* Serm. 1. de Epi. l. 1. c. 2. *neribus protestantur*. S. Ambrosius de fide scribens, dicit tres hosce Reges in Sacrosancto illo tugurio comparentes fidei professionem emisisse, & meritò quidem, quia omnium novæ legis. Evangelicæ fidelium primitiæ erant: *Quid igitur voluerunt sibi mystica munera inter abjecta præsepia, nisi ut intelligeremus in Christo differentiam divinitatis & carnis? ut homo cernitur, ut Dominus adoratur: latet in pannis, sed fulget in stellis; cunæ nascentem indicant, & stellæ dominantem; caro est, quæ involvitur, divinitas, cui ab Angelo ministratur: ita nec dignitas naturalis majestatis ammittitur, & assumptæ carnis veritas comprobatur. Hæc est fides nostra, sic Deus cognosci voluit ab hominibus*.

4 Verum enimvero cujuslibet horum donorum mysteria separatim & in particulari consideremus. Et primò quidem, quæ in auro latent mysteria videamus. S. Maximus dicit: *Deferunt autem munera, quæ non tam munera quam mysteria probarentur*. De auro verò lo- Hom 2 de Epiph quens dicit: *In auro ostenditur captivitatis nostræ pretiosa redemptio*. S. Gregorius de eodem ita loquitur: *Aurum* Ho. 8 de Ep. *offerimus si in conspectu illius, claritate supernæ sapientiæ resplendemus*. Dionysius Carthusianus dicit; *Per aurum significatur donum sapientiæ*, prouti etiam in discursibus antecedentibus insinuavimus. Erant etenim hi Reges inter omnes Regnorum suorum incolas facilè sapientissimi, talibus enim regimen & potestas regia duntaxat committebatur, atque ideo tanquam sapientes aurum, veluti evidens quoddam sapientiæ symbolum offerunt, eamque, quæ vera & increata sapientia erat, ipsummet nimirum Dei filium, utpote sapientiam Patris æternam sibi comparant. Dicit insuper jam dictus Dionysius quod *per aurum* significetur. *Fides illuminata*, quia à stella duce illuminati, vera fuerunt illustrati luce, quæ *illuminat omnem hominem*. Obtulerunt præterea tributi loco aurum, ut inquit S. Thomas, ut eum supremum agnoscerent & profiterentur esse Regem. Unde à Jeremia Propheta prædictum fuit: *Regnabit Rex & sapiens erit, & ideo in tributum obtulerunt aurum*. Sanctus au- Serm. 4 de Epiph. tem Bonaventura per aurum istud, charitatem, Deique amo-

amorem intelligit; sicut enim metallum istud omnia alia in valore excedit, ita pariter de charitate scribitur: *Major autem horum est charitas*. Porrò Sanctus

3. p. q. 36. art. 2.

Thomas dicit: *Primum quod damus est amor, quo volumus alicui bonum*; ac proinde advertendum est, quod aurum quoque inter omnia oblata à Regibus munera primum locum obtineat. Scribit quoque Doctor Seraphicus: *Triplex est thesaurus, videlicet cordis, oris, & operis; de primo bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bona; de isto debemus proferre oria*. Tandem verò de auro loquens dicit: *Aurum dilectionis, hoc est aurum, de quo dicitur: vestivitque eam, scilicet arcam, auro purissimo intus & foris; arca est cor vel anima, quæ intus in affectu, foris in effectu, auro charitatis vestitur*. Demum verò qualitates nexus hujus aurei declarans subjungit: *Purum est aurum si in operatione, purius si in locutione, purissimum si in intentione non sit falsificata dilectio. Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*. Pientissimus P. Avila in Epistola quadam, quam per hujus festi occasionem, devotæ cuidam Dominæ scripsit, eandem monet, ut nihil parvulo Jesu aliud offerat, præterquam aurum, quia sicut parum auri plus valet, quam ingens quædam massa alterius metalli, ita modicum veri amoris, multo timore aut magno quodam interesse, vel omni eo, quod ex hisce affectibus nasci consuevit, longe est pretiosius. Porrò multi sunt qui multis operibus bonis cumulandis impensè student, non considerantes, quod Deus non tam opera, quam cor, unde talia opera nascuntur, vel maximè attendat, quodque is, qui pauciora opera bona elicuit, gratior sit eo, qui pluribus operibus bonis abundat, dummodo alterum in amore Dei longè antecedat. Enimvero Reges isti aurum hoc utpote primum & præcipuum donum adferebant, id est, divino hoc amore succensi erant, siquidem nec ulla unquam itineris difficultate fatigabantur, nec disparente stella convertebantur retrorsum. Ita magnus ille spiritus Magister & director discurrit, ac proinde cuilibet Regum istorum applicare possimus, quod scribit S. Gregorius, scilicet: *Amanti semel aspexisse*

Hom. 25. In Ev.

se non sufficit, quia vis amoris intensionem multiplicat inquisitionis. Quæsivit ergo prius, & minimè invenit, perseveravit ut quæreret, unde & contingit, ut inveniret. Neque enim solum hunc pretiosum thesaurum secum ferebant, quin potius singularissimam divinæ dilectionis & amoris virtutem in auro symbolizatam, atque per hanc adeo solicitam Christi recens nati inquisitionem eximiè demonstratam. Enimvero donum & oblatio est, ab unoquoque nostrum, quantumvis etiam pauper sit & mendicus fieri & expediri facillimè potest; nemo enim se excusare valet; quod Deum vel proximum suum propter Deum amare non possit. Pro quo proposito S. Ambrosius exemplum adducit pauperculæ illius viduæ, quæ licèt parum admodum daret, tamen ex speciali declaratione Christi, in oblatione sui muneris cunctis aliis liberalior extitit. *Plus omnibus misit*;

L. de vid.

in quo moraliter Dominus instituit universos, ne quis à collatione ministerii paupertatis pudore revocetur; nec sibi divites blandiantur, quod plus videantur conferre quam pauperes: uberior est enim nummus è parvo, quam thesaurus è maximo: quia non quantum detur, sed quantum resideat, expenditur. Nemo plus tribuit, quam qui nihil sibi reliquit. Certum enim est eleemosynam illam, quæ eximitur è corde, gratiorem esse munere illo, quod eruitur ex bursa. Illa enim est aurum amoris Dei, charitatis, vel compassionis, quod intus residet in corde, ideoque donum quoddam est Deo longè gratissimum, utpote qui nihil à nobis aliud præterquam cor nostrum exposcit. *Fili præbe mihi cor tuum*.

Pr. 23. 26.

5. *Obtulerunt ei thus*. Etenim Reges hi à Deo interius illustrati optimè cognoscebant, puerum hunc summum illum Sacerdotem esse, de quo David prædixerat: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ac proinde ei obtulerunt incensum. Agnoscebant *Sacerdotii magnitudinem in Christo* (inquit S. Thomas) *& ideo thus in sacrificium offerebant*. Chrysologus existimat incensum istud expressam fuisse divinitatis Christi protestationem, soli namque Deo incensum offerri solet, *Aurum Regi, incensum Deo*. Quòd vero moralia mysteria attinet, ut inquit Dionysius Carthusianus, *Per thus bona famæ suavitas, seu vita exempla-*

Ser. 157.

ris significatur: Hi etenim Reges Regna sua gubernantes, eos vel maximè repræsentabant, qui Reipublicæ clavum moderandum & gubernandum obtinent, eosque docebant, quod nullum ab eis proficisci valeat donum excellentius, eorumque statui & vocationi conformius, quam vita exemplaris, siquidem ut Poeta cecinit: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Summopere enim Deo placent illi, qui populum sibi subjectum potius bonorum exemplorum suorum rectitudine, quam præceptorum rigore gubernant. Præterea per incensum oratio intelligitur, unde Psalmista ait: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; ubi Dionysius Carthusianus dicit: *Affectuosa oratio dirigatur sicut incensum*. Optimè verò B. Laurentius Justinianus considerat, incensum nullos de se odores emittere, nisi à carbonibus concremetur: *Est oratio*, inquit, *thus valdè proficuum si tamen amoris sancti fuerit inflammatum incendio*. Unde & Glossa dicit: *Nos ergo thus offerimus, si cogitationes carnis in corde, per studium orationis incendimus*.

6. *Obtulerunt ei myrrham: per myrrham mortificatio* Ser. de Ep.
carnis intelligitur (inquit Dionysius Carthusianus) *nam sicut myrrha corpora defunctorum præservat à putredine vermium, & à corruptionis dissolutione, sic mortificatio carnis custodit hominem à putredine vitiorum*. Porrò Glossa optimum nos modum edocet, quo cœlestem hanc myrrham divino huic infanti offerre debemus, dum ait: *Myrrham offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus*. Guerricus Abbas autem myrrhæ amaritudinem considerans, per eandem contritionem intelligendam esse dicit: *Myrrha in corde tuo* Ser. 1. de Ep.
dolor est, myrrha in corpore tuo labor est; si tamen iste & ille pœnitentialis est. Quod optimè cum eo consonat, quod S. Bonaventura docet, qui per incensum pariter orationem, per myrrham verò contritionem intelligit, dicens: *Unde sancta anima non solum sicut fumus thu-* Ser. 4. de Ep.
ris per devotionem, sed etiam sicut fumus myrrhæ, per contritionem ascendit per desertum mundi. Mox verò illos quoque deplorat, qui myrrham quidem Christo offerunt, & tamen eundem mox crucifigunt; quonam autem modo id faciant, protinus ostendit dicens: *Sed heu quidam simul Domino myrrham offerunt & crucifigunt, qui timore gehennæ etiam quandoque usque ad lachrymas compunguntur, sed tamen Deum offendere non desistunt*. Verum enimvero ex quo mortis Christi mentionem fecimus, prætereundum non est id, quod in responsorio quodam ab Ecclesia expressè dicitur, scilicet in Myrrha Redemptoris sepulturam denotari: *In myrrha Dominicam sepulturam*. At verò inquies, quid Reges hosce cæteroquin sapientes & illuminatos permovit, ut dum ad divinum hunc infantem vix etiamnum natum adorandum se parant, eidem sepulturam annuntiare non dubitent? More passim ubique receptum est, ut regibus noviter electis acclametur, vivat, vivat. Et hi Reges noviter nato Regi mortis fatum annuntiant? Porrò quod Nicodemus magnis sumptibus myrrham sibi compararit & Aloen, nil mirum erat, quia hæc Christo jam mortuo condiendo destinarat, sed valde mirandum est, quod Reges isti, parvulo Jesu in cunis jacenti mortis feretrum ob oculos ponant, ac proinde quodnam hîc putas latere mysterium? Existimo quod Reges illi, à spiritu superiore illustrati, optimè intellexerint infantem hunc nullum recipere potuisse donum gratius magisque acceptum, quam si in eo excitaretur passionis & mortis suæ amor & affectus, nam ubi vulgata nostra 3. p. q. 36.
legit: *In laboribus à juventute mea*, legunt alii: *Agonizans moribundos à puero*. Etenim Suarez antiquam traditionem esse dicit, quod natalis dies Christi in Dominica acciderit, ac proinde magno cum mysterio factum esse, quod myrrha eidem hodierna die, quæ eo tempore, post tredecim dies, in diem veneris Passioni Dominicæ consecratum incidebat, oblata fuerit.

7. *Apertis thesauris suis obtulerunt ei*. Thesauros suos aperuerunt, id est dona & munera sua pretiosissima, liberalissima manu obtulerunt. Verum ubinam sunt dona & munera nostra? optimum perfectò est, magnaque consolatione nostra refertum, quod munera nostra Deo offerantur, qui plus affectum respicit quàm effectum, pluritque voluntatem æstimat, quàm opera nostra. Unde S. Gregorius ait: *Ante Dei occulos nunquam est vacua* Hom. 5. in Ev.
manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Porrò ut hanc habeamus, nec argento nobis opus est, nec auro; quales enim divitias Deus à

no-

nobis requirat, optimè nobis S. Ambrosius insinuat, (L. de vid.) dum ait: *Thesaurus tuus sapientia, thesaurus tuus castitas atque justitia est, thesaurus tuus intellectus bonus, qualis ille thesaurus fuit, de quo Magorum viri, aurum, thus & myrrham, cum adorarent Dominum, protulerunt*. Et quidem idemmet sanctus Doctor optimè advertit quemlibet nostrum hasce thesauros habere posse, dum ait: *Habes & tu thesaurum hunc si in te requiras, habemus & thesaurum in vasis fictilibus. Habes aurum, quod conferas.* Ac protinus subdit minimè nobis opus esse, ut thesaurum hunc è terræ visceribus aut ex ærariis eruamus. *Non enim renitentis metalli pretium à te exigit Deus, sed illud aurum, quod in Judicii die nequeat ignis exurere; nec dona pretiosa deposcit, sed odorem fidei, quem altaria tui cordis exhalent & religiosa mentis spiret affectus*. Ac tandem concludit: *Ex hoc igitur thesauro non solum Magorum tria munera, sed etiam duo viduæ æra promuntur*, prouti jam diximus; atque ideo ab hisce muneribus, unà cum sanctis hisce Regibus, Salvatori nostro offerendis, nemo se valet subducere. Unde & S. Augustinus nos (Serm. 1. de Epiph.) exhortatur dicens: *Offeramus ergo & nos sincera & sancta munera Deo nostro*. Qualia autem hæc munera esse debeant, mox declarat dicens: *Castitatem, fidem, patientiam, charitatem, mentes humiles, probos mores animas Deo inhabitatore condignas, hæc sunt enim placita Deo dona, hæc grata munera, quæ illi quidem offeruntur; sed offerentibus prosunt: nullo enim ille munere eget, hoc illi munus optimum est, ut causas habeat remunerandi*. Eodem namque tempore, quo nos hosce virtutum actus Christo offerimus, ipsummet nobis Christum acquirimus. Etenim nusquam legimus Reges hosce loco præmii, pro peracto laborioso itinere, aut exhibita adoratione, vel thesauris oblatis à Christo quicquam vel minimum postulasse. Cur ita: Num forte ideo nihil à Christo petiere, quod postquam Christum lucrati fuerant, ipsumque totum in jus suum redegerant, jam nihil illis amplius reliquum sit, quod desiderare possint. *Deus meus & omnia*? Sic quoque nusquam legitur, quibusnam verbis Christum adorarint, aut venerabundos ardentesque affectus suos expresserint, unde clarè deducitur, quod operibus potius quam verbis locuti fuerint, suamque devotionem corde potius quàm lingua fuerint contestati, de illorum etenim hominum numero erant, qui faciebant multum, & loquebantur parum, probeque intelligebant quod cœlestis hic infans *scrutabatur renes & corda*, ideoque nulla coram illo esset verborum necessitas.

(L. de idol. c. 19.) 8. Porrò Tertullianus aliud quoddam ex tribus Magorum muneribus mysterium referat, unde utilissima nobis suggeritur moralitas: dicit enim: *Aurum, thus, & myrrham obtulerunt, clausulam sacrificationis & gloriæ sæcularis*. Erant etenim hi Reges antea malefici Magiæ dediti, & Idololatriæ superstitiosi, atque ideo Tertullianus in prædictis verbis insinuare vult, Magos per hæc munera finem imposuisse suis superstitionibus, in quibus myrrham adhibebant, finem quoque dedisse idololatriæ, in qua utebantur incenso, quod in falsorum Deorum suorum cultu adolebant. Denique finem imposuisse pompis & fastui mundano per aurum significato Unde & Sanctus (Hom. 2. in Epiph.) Maximus ait: *In thure autem & Dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur*. Id quod nobis calcarium loco meritò esse deberet, unde videlicet moveremur ad desistendum & abstinendum ab omnibus peccatis præteritis, & ad finem vitæ licentiosæ imponendum, ad dandam operam veræ cuidam & perseveranti pœnitentiæ, Magorum itidem exemplo ad sacri cultus (Serm. 103.) invitamur augmentum, unde Chrysologus ait: *Doleo quod lego, Christi cunabula Magos rigasse auro; & video altare corporis Christi Christianos vacuum reliquisse*. Dic sodes, qua ratione hodie pauperes qui Redemptorem nostrum repræsentant, auri nostri reddantur participes, auri, inquam, non illius, quod nos Christo offerimus, sed quod ipse nobis larga manu contulit, ut illius simus dis(Hom. 9. in Matth.)pensatores? optimè inquit Chrysostomus: *Illos aurum legimus obtulisse, tu vero panem ipsum vix tribuis*. Unde tale deducit argumentum: *si illi tunc barbari, in honorem tantummodo Domini obtulerunt libenter aurum, qualis tu eris, si ei non tribuas indigenti? illi tam longo itinere cucurrerunt, ut natum viderent, tu vero qua tandem satisfactione poteris absolvi, qui ne brevis quidem plateæ spatium transis, ut visites ægritudine afflictum, & vinctum catenis?*

DE S. ANTONIO MAGNO ABBATE.

Discursus Quinque.

S. Antonius ad omnes eminentiores perfectionis gradus ascendit.

DISCURSUS PRIMUS.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.
Matth. 19. vers. 22.

1. INvitatio illa Salvatoris, ad quam quondam aures & multo magis cor Hebræi illius juvenis, cujus in Evangelio fit mentio, obturduit, hodie in Ægypto in corde juvenis cujusdam, in florida octodecim annorum ætate consistentis aditum facillimum invenit, qui post parentum suorum mortem, Apostolorum perfectiones, necnon, qui in primis Christianis cernebatur, omnium terrenarum rerum contemptum considerans dum templum ingrediens, verba illa præfati thematis in Evangelio prælegi audiret, quasi eadem ad se (S. Athan. in vita S. Antonii.) specialiter à Deo directa fuissent: *Ad se Dominicum traxit imperium*; ideoque facultates suas pauperibus sine mora distribuit, utque se totum Deo perfectè dedicare posset, in desertum quoddam sese subduxit; in eoque centum, & quinque annis in continuis virtutum, Spiritus & sanctitatis profectibus vitam sanctissimè transegit, adeo ut de ipso in veritate dici possit; quod Eusebius Emissenus de S. Maximo, post se scriptum reliquit: *Cum à prima ætate novis virtutibus usque ad finem quasi semper inceperit, inter ipsa primordia consummatus apparuit*: Et quidem ut idipsum magis perspicuè elucescat, examinemus velim in præsenti discursu ad quam sublimem perfectionis gradum sanctus hic Abbas tempore vitæ suæ pertigerit.

2. *Si vis perfectus esse*. De Sponsæ, quæ quamlibet (Cant. 3.6.) animam sanctam denotat, in cœlos ascensu, tribus distinctis vicibus in sacris Canticis agitur, & quidem semper ingenti cum admiratione. Prima etenim vice dici(Cant. 6.9.)tur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* In secunda autem vice? *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora con(Cant. 8.5.)surgens, pulchra ut Luna?* Tertia denique vice dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Porrò tres hi ascensus tribus spiritualis vitæ statibus aptissimè correspondent, scilicet statibus incipientium, proficientium & profectorum. Et quidem primus ascensus fit de terra, ascendit enim de deserto sicut fumus myrrhæ & thuris, quorum hoc orationis, illa vero mortificationis figura existit, ad significandum nobis; quòd anima, quæ ut se Deo totaliter consecrare

valet, a terra se divellere cogitat, primo se in solitudinem recipere, ibique austeritati vitæ, mortificationi, & orationis exercitio totam se dare debeat. Secundus autem ascensus est proficientium, fitque in ipsomet cœlo, ubi virtutum, operum, sanctorumque exemplorum radii mirè resplendent:
Matt. 3.16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Tertius denique ascensus ad perfectos pertinet, utpote qui donis gratiisque cœlestibus est refertissimus. *Delitiis affluens*. Quibus ascensionis gradibus suppositis videndum nunc est, quàm exactè & generosè omnes tres gradus conscenderit S. Antonius, nimirum adeo perfectè, ut in hisce ascensionibus principium, progressus, & complementum perfectionis Antonianæ ad literam descripta esse videantur. Primo enim *Ascendit de deserto*, quia in solitudinem quandam, imò in plures solitudines se vivum sepelivit. Quodsi in hoc deserto orationis incensum desideretis, audite quid vita ejus dicat:
Cap. 6. *Pernoctabat in oratione*, & per hujus incensi fumum longè felicius, quam olim Tobias junior *extricavit omne genus Dæmoniorum*, siquidem *Diabolus orationibus ejus ad Deum, se intellexit elidi*. Quodsi Myrrham,
Tob. 6. 8. idest, pœnitentiæ austeritatem requiratis. *Edebat semel in die post solis occasum, nonnunquam biduo triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur*. Qua-
Cap. 6. lis autem hæc fuerit refectio, confestim exponitur sequentibus verbis: *Sumebat vero Panem & Sal, potumque aquæ perparvum, vigiliarum in tantum patiens, ut incredulitatem viribus vinceret: quieti membra concedens junco contexto atque cilicio utebatur*. Quodsi verò oculos vestros in secundam ascensionem, id est, in proficientium gradum dirigere velitis, invenietis utique in deserto illo ab Antonio inhabitato, cœlum quoddam sive Paradisum, variis virtutum splendoribus refertissimum. Etenim solitudinem Paradisi nomine condecorare dubitavi, quia eandem specioso hoc titulo à S. Hieronymo
L. 2. ep. 13. ad Rust. honoratam fuisse probe novi. Porrò S. Antonius in primis spirituali tyrocinii sui annis oculos suos in varias mystici hujus cœli stellas, id est, in varios Dei servos in hoc deserto passim dispersos deflexit, & singulorum virtutes & perfectiones in speciali imitari assi-
Cap. 3. duè studebat: *Proprias singulorum gratias hauriebat; hujus continentiam, jucunditatem illius sectabatur, istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur industriam; istum jejunantem, illum humi quiescentem mirabatur; alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat*. Ecce tibi mirum, quem sibi quotidie parabat virtutum profectum. *Omnium in se bona nitebatur exprimere*. At verò ingens virtutum præfatarum cumulus gravem adversus eum excitavit furorem & indignationem Tyranni infernalis: *Impatienter ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus*. Verum enim vero quia Spiritu sancto teste: *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem*, sufficiat vobis, si de S. Antonio dixero, eum tam generosè tertium perfectorum gradum conscendisse, ut S. Athanasius vitæ Antonianæ perfectionem describens attestetur dicens: *Perfecta est siquidem ad virtutem via, Antonium scire quis fuerit*. Quodsi autem hanc hujus sancti Doctoris exagerationem, eo quod is ob vehementem, quo eum prosequebatur, affectum, partialis esse videtur, nimiam esse existimetis, audite plurima aliorum hujusce veritatis testimonia.

3. *Si vis perfectus esse*. Nonnulli interpretes, verbum illud, *si vis*, diligenter observandum esse existimant, utpote quo nobis innuitur, quod resoluta divinæ gratiæ correspondendi voluntas, sicut & propriæ voluntatis abnegatio, præcipua sit radix perfectionis. Sic enim Saulum in unico momento in Paulum conversum esse scimus, quamprimum voluntatem suam in Dei se vocantis manus consignavit, dicens: *Domine*
Lib. 2. de vita contempl. c. 17. *quid me vis facere?* Unde S. Prosper ait: *Quid eis prodest, qui facultates proprias abjiciunt, qui proprias voluntates non relinquunt, cum sit longè præstantius voluntatibus propriis renuntiare quam rebus?* Et quidem quoad hoc, longè majoris meriti & perfectionis S. Antonium fuisse existimo, quàm fuerit S. Paulus primus Eremita. Hic enim metu persecutionis perculsus in desertum se recepit, ut mortem à Tyranno Christianorum inimico, sibi intentatam effugere posset, ibidemque in tanta innocentia vivendi, vitamque adeo asperam continuandi occasionem sumpsit. At verò S. Antonius perfectionis avidè cupidus omnibus substantiis suis ultro citroque se exuit, seque voluntarium deserti incolam effecit, propriamque a se voluntatem abdicavit, eandem à primis initiis suis Dei manibus sponte consignando. Cujus evidens indicium fuit mira illa, quàm in quovis obvio casu exhibuit, ejus voluntatis cum divina conformitas: *Agnoscebatur Antonius*, Cap. 40.
quia semper eandem faciem inter prospera & adversa retinens, nec secundis extollebatur, nec frangebatur adversis. Et in alio quodam loco S. Athanasius de eo dicit, eum fuisse *paratum obedire voluntati ejus*. Porrò Doctor Angelicus scribit Apostolicam perfectionem Cap. 6. 2. 2.
non constituisse in eo, *reliquimus omnia*, sed in illo, q. 184 a. 3.
secuti sumus te. S. Ambrosius autem sequelam istam ita Luc. 5.
interpretatur, ut censeatur facta fuisse. *Non corporis gressu, sed mentis affectu*. Ecce tibi igitur heroicam S. Antonii perfectionem, qui Deum animam suam ad solitudinem incolendam invitare præsentiens: *Ducam* Ose. 2. 14.
eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus eo se recepit quidem *corporis gressu* multo autem magis *mentis affectu*, totum se ac totaliter divino obsequio dedicando, prouti in vitæ ejus decursu latius conspicitur.

4. *Si vis perfectus esse*, S. Bernardus ait: *Nemo* Epist. 14.
quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit, & in eo quippe perfectiorem se probat, quod ad majorem tendit perfectionem. Porrò Abraham nonaginta novem annorum erat, & tamen licèt eosdem annos Dei servitio totaliter adhibuerit, sibi à Deo dici audivit: *Ambula coram me & esto perfectus*, S. quoque Antonius In Lect.
centum & quinque annos absolvit, nec tamen diem sibi præterire permisit, in quo in perfectionis via jugiter non progrederetur ulterius, *quotidie ad Christianam perfectionem proficiens*. Enimvero quodnam existimatis in eo latere mysterium, quod communiter juxta S. Antonium ignis quidam depictus esse videatur? Nimirum ignis, prouti cuique notum est symbo- Eccl 24. 29
lum est Charitatis, imo ipsiusmet Dei: *Deus ignis consumens est*; estque elementum quoddam insatiabile; *nunquam dicit: sufficit*, ideoque talis animæ perfectionem repræsentat quæ gradui perfectionis de facto acquisitæ non acquiescit, sed continuo ulterius progrediendo magis magisque proficit. *Qui edunt me*, inquit divina Sapientia, *adhuc esurient & qui bibunt me, adhuc sitient*. Porrò quam amor ille quo S. Antonius Deum prosequebatur ardens fervidusque fuerit, audite, indeque perfectionis suæ mensuram, si placeat, conjicite. Cap. 6.
Nec temporum longitudine laborum merita pensabat, inquit vita ejus, *sed amore & famulatu spontaneo semper tanquam in principiis constitutus ad profectum divini motus desiderium concitabat*. Semper enim sibi in servitii divini exordio etiamnum hærere videbatur.

5. *Si vis perfectus esse*. Porrò S. Augustinus de perfectione ita scribit: *Venenum charitatis est cupiditas;* L. 83. qu.
perfectio nulla cupiditas. Quod optimè cum eo consonat, quod Joannes Climacus scribit, qui inter alios Gradu 25.
perfectionis gradus hunc quoque connumerat: *Mentis è mundi vanitate emigratio, cor ab omni captivitate liberum*. Cor etenim ab omni affectu terreno denudatum evidens est magnæ perfectionis indicium. Unde egregius quidam spiritualis vitæ Magister *de natura perfectionis* ita scribit: *Perfectus, qui vix terrena, &* Jac. Alvarez l. 3. p. 2.
pro sola necessitudine carnis admittit. Quam igitur generosa S. Antonii anima ab omni labe terrena purificata fuerit, auscultate. c. 19. Et quidem è quanam passione ipsum majus tormentum sensisse existimatis? Ex eo nimirum, quòd ad corporis sui sustentationem quotidianam adstrictus esset: *Cum eum sive cibum, sive som-* Cap. 22.
num indulgere corpusculo, aut alias naturæ necessitates cogeret humana conditio, miro afficiebatur pudore, quod tantam animæ libertatem modici carnis termini coercerent. Adhæc quòd S. Antonius in corde suo omne illud quicquid in hoc mundo pulchrum aut gratum æstimari posset, nihil fecerit, ex trito illo, quod suis quotidie repetere solebat, axiomate facile potest colligi; dicere etenim solebat: *Nemo cum despexerit mun-* Cap. 4.
dum, reliquisse se arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum brevis ac parva est. *Erat quoque cor ejus purissimum: Illæsam animæ puritatem servabat*. Et alibi in eadem vita dicitur: *Talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum*

Dei esse conspectibus purum corde.

6. *Si vis perfectus esse.* Sententia aurea est apud S. Jacobum Apostolum, quia dicitur: quod *patientiam opus perfectum habet*. Qua in virtute insignis Cap. 39. prorsus fuit S. Antonius, qui *Numquam ira subita concitatus patientiam rupit*. Licet enim in prolixo illo centum & plurium annorum decursu, tormenta innumera & intolerabilia sustinuerit, omnibus tamen illis semper superior evasit.

7. *Si vis perfectus esse.* Securissimum certè ad perfectionem pertingendi medium est, si quis in Dei præsentia recolenda assiduè se exerceat. Unde Deus Abrahæ quondam dixit. Cap. 6. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Hoc medio assiduè usus est Sanctus Antonius, de quo in vita ejus dicitur: *Meminerat quoque Eliæ Prophetæ dicentis: vivit Dominus, cui hodie adsto ante ipsum.*

8. *Si vis perfectus esse.* S. Augustinus dicit: *Non est magnum inchoare, quod bonum est, sed consummare* Ser. 4. ad fratres. *hoc solum perfectum est.* Porrò nonagenaria illa S. Antonii in horridis desertis perseverantia, nec non in quotidiano virtutis & sanctitatis profectu producta vita, adeo austera prorsus est, admirabilis & stupenda. Nec minus celebre est illud monitum, quod suis ad humilem salutaris doctrinæ requisitionem suggessit dicens: *Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lacessere, sed quasi incipientem augere semper debere, quod cœperit.*

9. *Si vis perfectus esse*, S. Gregorius scribit: *Hæc est summa justitiæ & sanctitas, si virtutis merito summi, hu-* Cap. 24. *militate simus infimi.* Id quod S. Antonius identidem perfectè observabat, quanto enim Deus Antonium miraculorum dono exaltabat, tanto plus ipse ab hominum oculis sese subducere satagebat: *Moriens ne signorum copiosa concessio aut suos animos extolleret, aut alios plus de se, quam videbant in ipso cogeret æstimare, ad superiorem Thebaidem pergere cogitavit, ubi nullus eum agnosceret.* Constantinus itidem Magnus universi tunc mundi Monarcha, ejus filii Constans & Constantius per scriptas ad eum literas se illi humillimè recommendarunt: *Ille vero ejusmodi manens, qualis & antequam literæ ad eum venirent, fuerat, salutatione Principum non movebatur, tanquam non acceptis literis.*

10. *Si vis perfectus esse.* Evidens utique & infallibile veræ perfectionis signum est, si quis imperturbabilem in corde suo lætitiam habeat atque quietem: *Vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.* Lib. 1. p. 1. c. 5. Unde & P. Alvarez dicit: *Hunc perfectionis spiritum gustans anima clamat: Quam dulcia faucibus meis super mel eloquia tua.* Hac suavitate, hoc jubilo interno, hacque pace S. Antonius ad stuporem usque perenniter gaudebat: *Semper hilarem faciem gerens liquido* Cap. 40. *ostendebat se de cœlestibus cogitare, sicut scriptura ait. Corde lætante vultus floret.*

11. *Si vis perfectus esse.* Dicit S. Augustinus: *Profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quis-* In Ps. 60. *quam innotescit nisi tentatus.* Eph. 6. 13. Unde Apostolus ad Ephesios scribens, postquam illos, ut infernali possent resistere potestati, ad induendum se armis spiritualibus fuisse exortatus, tandem subjungit: *In omnibus perfecti state*; Ex quo clarè deducitur, quod resistentia, qua tentationibus obnitimur, maxima ex parte perfectioni nostræ cooperetur: atque ideo S. Ambro- Lib. de Jacob & vita beata c. 8. sius ait: *Perfecti viri est, quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire.* Hac autem maxima fundamenti loco stabilita, nequaquam temerarium erit affirmare, quòd cunctos inter Christianos milites, S. Antonius quemvis alium in perfectione antecesserit, utpote qui diuturniori tempore, totius inferni insultus in suam perniciem, magis magisque semper conjurantes, præ quovis alio glorio- Gradu 26. sius sustinuerit & superaverit. Etenim S. Joannes Climacus inter alios perfectionis gradus hunc quoque præcipuè enumerat, si videlicet quis ad instar Dei cujusdam in Dæmones imperium obtineat; tanquam *Dæmonum Deus*, id quod in S. Antonio mirè adimple- In lect. tum fuit, utpote qui Dœmones adeo fortiter superavit, ut *multi per Aegyptum ab illis agitati, invocato nomine Antonii, liberarentur.* In Ps. 55. S. Augustinus inquit: *Quo provocat inimicus, ibi perfectio est*, ac proinde cùm S. Antonii cum Dæmone habiti gloriosi conflictus innumerabiles fuerint atque continui, consequens est, ut eum eminenti quadam perfectione donatum fuisse dici debeat.

12. *Si vis perfectus esse.* S. Thomas Doctor Ange- 2. 2. q. 184. a. 1. licus ex hoc Apostoli contextu: *super omnia charitatem habet, qua est vinculum perfectionis*; hanc conclusionem subinfert: *Omnis Christiana virtutis perfectio secundum charitatem attendenda est.* Hæc autem virtus in S. Antonio in supremo gradu emicuit. In cujus testimonium sufficiet recensere, quod in cap. 23. vitæ ejus Sanctus scribit Athanasius. Cùm enim S. Antonius valde metueret, ne Christifideles Alexandrini, imminenti cederent & succumberent persecutioni: *Exortabatur, ne terrore impiorum subacti Dominum negarent, jamque sententia coronatus exultans, quasi ipse vicisset, usque ad locum felicis sanguinis prosequebatur: procedentem judicem suo provocabat aspectu, fragrans cupiditate martyrii*; ita amor ejus non solum erga proximos suos, verùm etiam erga ipsummet Deum adeo in eo ardens erat; *ut contristaretur, quia volenti pati pro Dei nomine martyrium non dabatur.* In conspectu namque Tyranni candida indutus veste adstabat (hac etenim veste Catholici sive orthodoxi ab aliis internoscebantur) ut se mortis & palmæ martyrii anxiè cupidum esse palam demonstraret.

13. *Si vis perfectus esse.* S. Joannes Climacus inter Gradu. 26. alios perfectionis gradus, sequentes quoque enumerat: *Illustrationis divina copia, advocatus & patronus, qui Deum quodammodo cogere possit, profundissima scientia altitudo, hominum salus.* Hos autem universos gradus sanctitas S. Antonii gloriosè conscendit; cœlestibus namque illustrationibus abunde mens ejus perfusa fuit, adeo ut reconditissima alieni cordis secreta ipsi fuerint manifesta, prædixeritque quæ in remotissimis locis acciderant, ac demum discretionis Spirituum donum habuerit perfectissimum. Porrò Eusebius Emissenus licet ad aliud propositum, ad laudem tamen S. Antonii opportunissimè dicit: *Locuples in donis Dei, sic in se* Hom. de S. Maximo. *excoluit gratiam, unamque quasi solam pauci sic tenuerunt singulas, quomodo ille in se implevit universas.* Quoties in extasin raptus permansit? *Raptum se sen-* Cap. 37. *sit in spiritu, & ab Angelis in sublime deferri. In monte remotissimo sedens, corde pervigili cuncta procul posita Domino judicante cognovit.* Cap 31. Mundi quoque advocatus extitit, dum periclitantem fidem orationibus suis solus sustentavit, dumque sibi devotos, ad eum ex omnibus mundi partibus in deserto, ut se suis intercessionibus recommendarent, concurrentes, consolatione perfusos domum quosque suam remisit. Diximus insuper quod aliuquidam perfectionis gradus sit *Profundissimæ scientia altitudo.* Quid autem S. Augustinus quoad hoc punctum, de S. Antonio senserit, lib. 1. de Doctrina Christiana in Prologo apertè satis testatur, dum ait: *Sine ulla scientia literarum scripturas divinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando in-* Cap. 53. *tellexisse prædicatur.* Sanctus quoque Athanasius de ipso pariter ita concludit: *Vere istum esse Dei famulum, nec in rustico homine potuisse tantam aliquando inesse sapientiam, nisi divino amore regeretur.* Denique *Hominum salus* alter est perfectionis gradus, cujus egregia specimina S. Antonius edidit; siquidem innumera sunt, quæ pro multorum sanitate operatus est miracula; nec minus admirabilis est, quam multis in magno numero attulit, spiritualis animarum salus, utpote quos non solum ad veri Dei agnitionem, verùm etiam ad veram pœnitentiam reduxit: *Plurimos ab immundis* Cap. 16. *spiritibus & infirmitatibus variis Dei gratia per Antonium liberavit.* Quod verò spirituales infirmitates attinet: *Quis non tristitiam apud Antonium mutavit in gaudium?* Cap 53. *Quis non iram vertit in pacem? Quis orbitatis luctum non ad ejus temperavit aspectum? Quis non mœrore paupertatis, quo premebatur abjecto statim & divitum despexit opulentias, & in sua lætatus est paupertate? Quis adolescens succensus ardoribus, non ex ejus admonitu pudicitiæ amator fuit? Quis vexatus a Diabolo sine medela redut?*

14. *Si vis perfectus esse.* S. Thomas adhibito Ari- Supra loc. c. 4. 2. stotelis lib. 3. Physicorum testimonio dicit: *Perfectum est cui nihil deest.* Quod si ita est, verè perfectus fuit S. Antonius, utpote cui nihil unquam defuit. Ipse namque consortio gavisus est Angelorum: *Se sensit ab An-* Cap. 39. *gelis in sublime deferri*, ut supra diximus: an suo quo-

que

que ex hac vita ad immortalitatem transitu: *Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam ejus descenderant præsentia noscebatur*. Sanctorum quoque Patriarcharum meritis effulsit, siquidem *cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, vitæ Eremiticæ & monachismi restitutor extitit*. Atque ideo *nihil illi deest*, quippe qui Prophetiæ dono emicuit, dum multos Ecclesiam respicientes aliosque innumeros successus prædixit, Apostolorum quoque merita habuisse noscitur, dum eos, omnia deserendo, extremam paupertatem profitendo, multos ad orthodoxam fidem convertendo, strenuè imitatus fuit: *Quot simulachris erepta sunt* Cap. 42. *spolia? quanti etiam ab errore gentilium retracti, nostro juncti sunt gregi?* Martyrium quoque meritis præclarius evasit: Etenim *Amore quidem jam Martyr erat* Martyrium enim ipse, non verò ipse Martyrio defuit. Unde idemmet sanctus Athanasius dicit: *Ad pristi-* Cap. 28. *num monasterium regressus, quotidianum fidei ac conscientia Martyrium merebatur*. Antonius igitur verè is fuit, cui nihil deest, siquidem ei minimè defuerunt insignissimæ Confessorum virtutes & merita, adeo ut jure merito ei applicari possint latini Pacati verba, quæ quondam Patri Theodosii adulando declamatat. *Sufficiat unum illum divinitus extitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singulæ in omnibus prædicantur*. Puritas in eo enituit Virginum, solitudo Eremitarum, disciplina Monachorum. Donum quoque in eo effulsit miraculorum, discretio spirituum, profunditas sapientiæ & scientiarum, omnesque aliæ præclaræ dotes in eo emicuerunt adeò: ut de eo in veritate dici possint verba Epistolæ, in missa hodierni Festi lectæ, nimirum; *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*:

Ex variis è Scriptura sacra, & sanctis Patribus desumptis solitudinis encomiis, variæ quoque S. Antonii laudes deducuntur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Sedebit solitarius & tacebit, quia levavit se super se.
Threnorum cap. 3. v. 28.

1. DUm reclusum in desertis plus minus nonaginta annis, Antonium attenta mente considero, verba thematis propositi eidem jure merito adaptari posse video, idque tanto magis, quod Lv *solitarius* secundum Græci sermonis proprietatem, idem significet quod *Monacus*. Ex quo enim loco putas animam illam cœlestibus delitiis, id est, gratiarum, donorum, meritorumque supernaturalium thesauris locupletatam ad cœlos ascendisse. In promptu responsio est. *Ascendit de deserto delitiis affluens*. Deus enim animæ hominis in solitudinis recessu specialiter communicatur & adstringitur: *Ducam eam in* L. 4. de arca Noe c. 4. *solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Quodest* (quærit Hugo à S. Victore) *quod semper loquitur in secreto Deus, nisi quod nos ad secretum vocat?* Porrò S. Joanni revelata fuere secretissima cœlestis Palatii mysteria, innumeræque ei visiones & revelationes mani- Apoc. 17. 3 festatæ fuere, sed ubi id factum esse existimas? *Abstulit me in desertum*. Sic quoque alia quædam anima sancta, cujus in Osea fit mentio, se Spiritum & Lu- Os. 13. 5. men Dei in deserto recepisse profitetur. *Cognovi te* L. 2. de moribus Eccl. (inquit ad Deum conversa) *in deserto in terra solitudinis*. S. Augustinus de solitariis disserens ait: *Desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt*. Neque enim ulli dubium esse potest, quin puritas & munditia cordis, quæ unicum est se cum Deo uniendi medium, in solitudinis recessibus commodius & copiosius acquiri possit. Ac proinde eminentem Antonii sanctitatem non solum ex solitudine ejus & deserto, verum etiam ex encomiis, quæ à sanctis Patribus solitudini attribuuntur facillimo negotio arguere possumus.

De S. Petro & Paulo. 2. *Sedebit solitarius, & levabit se super se*. S. Bernardus in hæc verba ita scribit: *Levavit se super se, quia cum esset adolescens, & lubrica ætatis sentiret ardores, senem induit*. Et quidem sanctus & mellifluus hic Doctor, aliam huic textui interpretationem proposito nostro magis accomodatam dare vix poterat; siquidem S. Antonius, postquam decimum octavum ætatis suæ annum attigisset, mundum deserendo, licèt adhuc juvenilis sanguinis sentiret ardores, senilis tamen ætatis in se prudentiam & judicium exhibuit, vitamque exorsus est adeo perfectam quod ubi alii spartam suam finire & terminare solent, ibi ipse sancti- Cap. 1. tatis suæ initium duxerit: *Tanta suorum nutritus cura, ut nihil aliud præter parentes, domumque cognosceret*. Hancque innocentiam, quam in desertum secum duxit, mirum in modum in eodem adduxit, adeo ut S. Athanasius ob id subjungat: *Cum omnes infati-* Cap. 5. *gabilem adolescentis mirarentur instantiam*. Ubi specialiter notandum est verbum illud *adolescentis*, conjunctum cum verbo *instantia*, quod ex Apostolo desumptum fuit, dicente: *Instantia mea quotidiana*, per hoc 2. Cor. 1. enim continua quædam, quotidiana & nunquam intermissa industria significatur, qua Sanctus Antonius in ætate sua maximè lubrica, atque ab aliis in prædam delitiis dari solita, perfectioni comparandæ incubuit.

3. *Sedebit solitarius*. S. Thomas Doctor Angelicus, 2. 2. q. 188. a. 8. solitudinem puritati cordis conservandæ singulariter cooperari scribit: *Pro puritate cordis solitudo sectanda*. Ac proinde cogitetis obsecro, quantum S. Antonius in nonagenaria sua solitudine cor suum purificaverit, adeo nimirum ut mirum non sit, quod ad fruendum Paradisi gloria illiusque in hac vita prægu- Cap. 4. standum præludia in extasin continuo raptus fuerit, scriptum est enim: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt; illæsam animæ puritatem servabat*. *Levavit se super se*; ita legunt Hugo Cardinalis, Lyranus, Rabanus, Rupertus Abbas, *scilicet à terrenis ad cœlestia*. Unde S. Basilius Tract. de *laude vitæ solitariæ*, dicit: *Se elevat supra se, quia Deum esuriens anima à terrenis se rerum obtutibus erigit, & in divinæ contemplationis arce suspendit*. Porrò hæc divinorum mysteriorum altissima contemplatio perfectissima hæc cordis humani ab omnibus terrenis rebus avulsio in desertis solitariisque locis quæ ab omnibus mundi hujus lenociniis procul remota & dissita sunt vel maximè adaugetur atque perficitur. Unde S. Bernardus qui inter Clarævallis fagos condensas vitam duxit, & per experientiam id, quod scripsit, prius edidicit, ad propositum ita loquitur: *Levavit se super se, quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se*. De S. Antonio quoque à parentibus, amicis, patria, atque divitiis procul absente ita scribitur: In lect. *Quibus solutus impedimentis, cœlestis vitæ genus in terris colere instituit*: id quod omnes in tantam rapiebat admirationem: ut *Pagani quoque & ipsi Idolorum Sacerdotes, ad Dominicum imperium convolarent, dicentes: Precamur ut videamus hominem Dei*. Ipsimet quoque Cap. 48. Idololatræ eum plus quàm hominem esse existimabant. Et quidem si tritum illud adagium veritati consonat, quo dicitur: *Homo solitarius, aut Deus, aut bestia*, certè in S. Antonio primum verè adimpletum fuit, siquidem omnes ipsum veluti hominem talem suspiciebant, qui nescio quid divinitatis in anima sua circumferret. Unde & Monachi circumvicini tam heroicum omnium rerum terrenarum contemptum in eo videntes haud secus, ac si mortali carne amictus mini- Cap. 3. mè esset: *Antonium Deicolam nuncupabant*.

4. *Sedebit solitarius*. Philo Hebræus Henochum ab hac vita, seu potius ab humano consortio quondam translatum commendans, solitudinem impensè laudat dicens; *Nam apud externos præsto sunt laquei, in quos necesse est incidere si quis sit improvidus, & delectetur multorum consuetudine*. Id quod vel maximè experientia didicit S. Antonius, nam postquam prius laqueos, qui ipsi hic in terris ad eum irretiendum partim in divitiis, quibus abundabat, partim in libertate, qua post parentum suorum mortem frui poterat, partim denique per jucundissimum juvenilis ætatis suæ florem protensi & præparati erant, evasisset & superasset, mox quoque aera laqueis referta conspicere quidem cœpit, sed omne prudentissimè solitudine mediante præ- L. 3. Ep. 6. terire potuit. *Nudos amat eremus*, inquit S. Hieronymus ad Heliodorum, atque ideo Sanctus Antonius audiens Evangelium, in quo scribit: *Si vis perfe-*

ctus

Lect. *ctus esse, vade vende quæ habes & da pauperibus, tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimavit, itaque vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit.* Sibique ipsi nullum aliud patrimonium retinuit, prætetquam illud, de quo S. Petrus Damianus ita scribit: *Viaticum peregrinationis nostræ, spes est ad Deum.* Verum quidem est quod catapulta sive tormentum bellicum globo gravi onustum, quod turres optimè munitas demoliri prævaleret, parvulo quodam claviculo inutile reddi possit, ac proinde eodem stratagemate circa Antonium sæpe usus est inimicus infernalis, sed irrito prorsus conatu. Unde apud Athanasium in ejus vita S. Antonius ita loqui reperitur: cap. 2. *Auri desciipulam mihi in deserto frequenter tetendit, quod ideo offerebat, ut aut visu irretiret me, aut tactu commacularet*, Alia quoque vice idem avernalis hostis ad juvenem hunc à suis fervoribus retrahendum, discum quendam argenteum in mediam deserti viam exposuit, sed sanctus vir Dei, dolo & æstu Dæmonis cognito probeque sciens, quod *nudos amat eremus*, adversus astutum serpentem exclamavit dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ad quæ verba ad instar fumi subito evanuit. *Infatigabilis adversarius impedire ejus propositum volens* (quo scilicet viam ad vitam Ereniticam & monasticam in solitudine transigendam aperire nitebatur) *argenteum discum in itinere projecit.* Sanctus autem *stans intrepidus, discum torvis intuitus est oculis.* Alia quoque vice verâ quandam & magno pretio constantem auri massam conspiciens, *magnitudinem admiratus radientis metalli rapide cursu, quasi quoddam vitaret incendium, ad montem usque perrexit.* Ad idem forte propositum servit, quod S. Propheta Job quadam vice protestatus fuisse legitur, nihil sibi adeo in votis esse, quàm ut cum Regibus & Consulibus illis requiescere posse, qui sibi ædificant solitudines: Job. 3. 14. *Requiescere cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Quis autem mihi hic exponet, de quibus nam solitudinibus sanctus Job hoc loco loquatur? Lib. 4. mor. cap. 18. S. Gregorius existimat illos propriè tales sibi solitudines fabricare, qui à cunctis creaturis adeo sunt abstracti, & in quibus omnis rerum terrenarum amor adeo est extinctus, ut licet in medio recreationum & delitiarum hujus mundi sint constituti, ea tamen ratione vitam suam instituunt, ac si in mediis desertis solitarii viverent; siquidem nihil ex cunctis sublunaribus recreationem aliquam illis adsciscere valeat, qui cor suum totaliter Deo consecravere. Tales igitur solitudines S. Antonius in mediis desertis sibi fabricavit, nam licèt innumeri homines, ex omnibus habitabilis terræ partibus, ad eum conspiciendum & venerandum concurrerent; licèt etiam ipsimet Imperatores honori magno sibi ducerent, si aliquod illi exhibere possent obsequium, ipse tamen nullam, in omnibus hisce sibi exhibitis honoribus, habebat complacentiam. *At ille ejusmodi manens qualis & ante fuerat.* Licèt desertum suum homi- Cap. 50. nibus eum venerari volentibus videret refertissimum, nihilominus de suo interiori recessu & solitudine, altissimaque sua contemplatione nihil remittebat. At verò Hugo Cardinalis per hosce Reges & consules, de quibus Job loquitur, intelligit: *Qui consules dicuntur, quia nobis voluntatem Dei nunciando consulunt.* Hoc felicissimo Angelorum consortio, prouti in discursu antecedente diximus, frequenter perfruitus est S. Antonius, utpote qui unus ex iis erat, de quibus idem Eminentissimus Cardinalis dicit: *Aedificant solitudines, id est, de corde suo terrena desideria expellunt, & seipsos a tumultu mundi quantum possunt, elongant, ut soli sint & idonei loqui cum Deo.* In tam frequenti enim innumerorum hominum concursu, quibus benefaciebat sive per verbum Dei, aut monita salutaria, sive quos à lethiferis infirmitatibus sanabat, aut quos eousque convincebat, ut suas detestarentur hæreses atque errores, vel quos reducebat ad fidem vel pœnitentiam, vel à Dæmonibus eos obsidentibus liberabat, inter omnes inquam hosce certatim ad eum venerandum confluentes, de suis vitæ rigoribus, de sua interioti solitudine, altissimaque contemplatione sua nihil penitus remittebat.

5. *Sedebit solitarius*, S. Basilius ad Nazianzenum de laudibus Eremi ita scribit: *O Eremus, ubi victor Dæmonum socius efficitur Angelorum.* Porrò sapientissimus Magister noster Christus Dominus, cunctas actiones suas ad nostram directionem ordinavit. Atque ideo advertendum est, quod quando cum tenebrarum Principe prælium inire statuit, eidem quidem ut arma pro libitu suo ad certamen ineundum eligeret libenter permisit: ipse verò tanquam expertissimus Archistrategus commodum sibi loci, in quo conflicturus erat, situm deligere voluit, nimirum desertum; ut ex hoc intelligeremus, quod cunctos Dæmonis insultus, quibus nos aggredi parat, in solitudine facilius superare valeamus. In libro Geneseos similiter arduum illud, quod novem Gen. 14. inter se Reges commiserant prælium, describitur, è quibus quinque fortiores & generosiores, à quatuor aliis minus fortibus fuere devicti, idque ea solùm de causa, quia vallis, in qua inter se dimicabant, bitumine & luto, in quo equi facile lubricari & cadere poterant, referta erat. Etenim hæc quoque est serpentis infernalis astutia; dum enim per tentationem nobiscum præliari satagit, locum certaminis sibi ad nos vincendos commodum cautè eligit, efficitque ut certamen nobiscum ineat in loco bitumine pleno, id est, voluptatibus, delitiis, divitiis, cunctisque aliis terrenis bonis, quibus libenter adhærescimus, redundante, sic enim securam sibi de nobis pollicetur victoriam. Id quod sanctus Antonius optimè intellexit, atque ideo invictus semper remansit & insuperabilis, utpote in sylvis horridis semper sepultus, atque ab omni terreno contagio procul remotus.

6. *Sedebit solitarius.* Nullus unquam locus hic in terris dignus reputatus fuit, in quem Deus manna illud, panem scilicet Angelorum manibus præparatum, quem populo suo in deserto tot annis est impertitus, deplueret, præterquam sola solitudo: *Apparuit in solitudine minutum.* Exod. 16. 14. Unde Philo optimè collegit consolationes spirituales in manna figuratas, pariter nulli animæ communicari præterquam animabus ab omni mundi strepitu procul degentibus: *Non ubique apparet, sed ubi desertum est, vacuum vitiis, & affectibus.* Isa. 35. 1. Porrò in Isaia scribitur: *Lætabitur deserta & in via, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans, Gloria Libani data est ei, decor Carmeli.* Cùm igitur cœlestium gratiarum manna, in hoc deserto ab Antonio inhabitato, tam copiosè depluerit, non est quod invideamus sive Eliæ Carmelo, sive Monti Libano, siquidem ab illis solitudinibus tanti Anachoretæ, sancti Antonii nimirum, præsentia nobilitatis, tot cedri excelsæ, tot homines in sanctitate & perfectione insignes prodiere. Ejus namque desertum innumeris implebatur Monachorum exercitibus, qui sub ejus directione diu noctuque psallere non desinebant. Unde verificatum est oraculum illud prophetiIsa. c. 51. 3. cum: *Ponet desertum ejus quasi ortum Domini; gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Omnes sylvæ laudibus Domini resonabant. Porrò S. Hieronymus in vita S. Hilarionis locum, in quo moratus est S. Antonius, describit, dicens: Hom. 8. in Matth. *Dignum videtur brevi sermone habitaculum tanti viri describere.* Et S. Chrysostomus de Ægypti solitudinibus tractans, ita scribit: *si habitacula illa nondum novit, consideret virum per cunctorum usque hodie ora volitantem, quem Apostolis proximum Aegyptus protulit, beatum dico & magnum illum, de quo sæpe audistis Antonium, visione Dei dignus est habitus.* Etenim quod si manna populum illum tot annis in deserto ab omni procul infirmitate conservavit, quis robur & vigorem S. Antonii ætate etiam decrepita optimè sani non demirabitur? de quo proinde dici potest, quod de Concordiensi centenario olim scripsit D. Hieronymus, dum ait: Lib. 1. ep. 8. *Futuræ nobis resurrectionis viorem in te Dominus ostendit, ut peccati sciamus esse, quod cæteri adhuc viventes præmoriuntur in carne justitiæ, quod tu adolescentiam in aliena ætate mentiris.* Verum enim vero quis mannæ illius cœlestis, quod S. Antonius in desertis illis degustavit, suavitatem incredibilem dignè satis exprimere poterit? sanctus quidem Ambrosius oculos suos in illam turbam deflectens, quam in deserto satiavit Salvator noster, inquit: In Luc. 9. *Cœlestis gratia impertitur alimentum non otiosis, non in civitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum;* at verò si Salvator noster ita beneficus fuit in turbam hanc, se tribus tantum diebus insequentem, quam putatis hujus cœlestis gratiæ partem habuisse sanctum Patrem nostrum Antonium, qui post Christum in desertum abiit, non solo triduo, ut turbæ illæ, sed paulo minus nonaginta annis. Hugo Cardinalis super illa sæpius citata Osææ verba: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*, ita

inter-

interpretatur, *id est, consolationes dabo in anima ejus.* Et quidem unicum duntaxat hujus mannæ saporem in eo, quoad conversationis suæ benignitatem & suavitatem, velim degustemus. Cap. 55. *Nullus se frustra illuc venisse conquæstus est, omnibus delectabile atque jucundum laboris commercium fuit*; erga omnes etenim miram affabilitatem & charitatem exercens, mirè se omnibus red- Cap. 45. debat amabilem: *Neque enim ut in solitudine & montibus versatus, atque omnem ibidem exigens vitam, agrestis & rigidus erat, sed jucundos atque affabilis: sermonem secundum Apostoli præceptum divino conditum sale proferebat, ita ut invidia careret, & amore omnium potiretur.*

Opusc. 12. c. 9. 7. *Sedebit solitarius. Solitaria vita cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina, illic enim Deus est totum, quod discitur.* Et quidem quid Sanctus Bernardus in sylvis inter fagos non didicit? ibi namque scholam suam sive Gymnasium invenit; unde & scribit: *Experto crede, aliquid plus invenies in sylvis quam in libris.* Quis itidem non admiretur S. Antonii miram sapientiam atque doctrinam, utpote qui argumentis è Philosophia naturali, Theologia, cunctisque aliis scientiis humanis desumptis obstinatos Philosophos illos, qui ad eum deridendum advenerant, palam confudit? unde vel inviti fateri debuerunt, se altissimam hujus Cap. 49. viri Dei sapientiam prorsus obstupescere. *Una cum expulsis Dæmonibus vana præsentium Philosophorum confutata sapientia est; expaverunt stupentes hominem, cui post tantum ingenium affueret signorum divina largitio. Erat valde sapiens* (& hoc quidem de Sancto viro Dei magnus Cap. 43. ille fatetur Ecclesiæ Doctor S. Athanasius) *& hoc in se mirabile habebat, quia cum literas non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus erat.*

8. *Sedebit solitarius.* S. Basilius ad Nazianzenum scribit: *Eremus est Paradisus delitiarum, ubi spirant ornamenta virtutum.* Verissimum id est de deserto Antonii, hujus namque solitudo commutata est in Paradisum delitiarum, siquidem ibi multa plantata fuere Monachorum monasteria, quæ quovis tempore virtutum Sanctissimorumque exemplorum spirarunt fragrantiam, prouti videre est in *vitis Patrum*. Et quidem ad hoc alludere S. Hieronymus voluit quando scripsit: *O desertum Christi floribus vernans! o solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus civitas magni Regis construitur.* Quot sunt, qui in desertis illis sub directione S. Antonii habitantes Angelicas in cœlo reparavere ruinas. Auctor Annalium de his Monachis scribens dicit: *Angelis vitam similem ducebant.* S. Athanasius di- Tom. 1. an. 62. cit: *Quis tantum Monachorum agmen aspiciens; quis videm illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, Cap. 22. nulla detractio, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat; non in hanc statim erumperet vocem: quam bona domus tua Jacob, tabernacula tua Israel, tanquam nemora obumbrantia, tanquam Paradisus sub fluvio, tanquam tabernacula, quæ fixa sunt à Domino, tanquam Cap. 55. Cedri circa aquas.* Idemmet Sanctus glorioso hoc Paradisi titulo solitudinem exornabat, quando plurimos, ut in hanc se solitudinem reciperent, exhortabatur, *ut remotioris vitæ beatitudinem appeterent. O Eremus, ubi Cap. 13. victor Dæmonum* (inquit Basilius ubi suprà) *socius efficitur Angelorum.* Et mox subdit: *Exul mundi hæres est Paradisi*; cujus dicti veritas mirè in S. Antonio emicuit. Cùm enim per viginti annorum decursum speluncæ cuidam solitudinis suæ inclusus fuisset, multi erga ipsum devoti, eum videre & venerari, vitæque & disciplinæ monasticæ sub ejus directione se consecrare volentes, alii verò per benedictionem & præsentiam à suis liberari infirmitatibus cupientes, portis speluncæ suæ confractis, & è cardine evulsis, ad eum ingressi, eum velut verum Paradisi Angelum in eadem spelunca confidentem repererunt: *Per vim foribus evulsis, quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit; obstupuerunt universi & oris gratiam & corporis dignitatem.* Fuit porrò non nemo vir eruditus, qui Emblematis loco cœlum depinxit sole, luna, & stellis adornatum, cum hac eadem subnexa Epigraphe: *Pulchriora latent*, alludens ad infinitam cœli Empyrei pulchritudinem ab oculis nostris absconditam. Unde & *cœlum a celando* dicitur, eo quod ea, quæ intus pulcherrima & elegantissima delitescunt, nobis celet & occultet. Verè tale cœlum est S. Antonius. Tametsi enim multa præclara de Sancto Antonio scripta sint, ea tamen in comparatione eorum, quæ nos latent veluti nihil sunt. Quas enim in illa solitudine, in paradiso & cœlo isto passus est extases, raptus, visiones, revelationes, favores, & quibus per tot annorum decursum honoratus est, divina colloquia, omnino ignoramus. Latent nos tot tantæque austeritates, tot orationes, mortificationes, tot divini amoris repetiti actus, in quibus sese quotidie sine intermissione exercebat: *Pulchriora latent.* Proprium namque est cuilibet animæ sanctæ pro mensura sanctitatis in humilitate crescere, seque ab aliorum oculis abscondere, idque Sancto Antonio tanto magis accidit, quia *sedit solitarius & tacuit, & levavit se super se.* Ubi Hugo Cardinalis dicit: *Levavit se super se; hæc levatio fit per humilitatem.*

De victoriis, quas S. Antonius in tentationibus reportavit, deque variis documentis, quæ ad detegendas inimici infernalis insidias, & ad insultus ejus superandos nobis post se relinquit. Ubi multæ pariter Sancti hujus Abbatis virtutes in medium adducuntur.

DISCURSUS TERTIUS.

Qui non est tentatus, quid scit? Ecclef. c. 34. v. 9.

1. VItam nostram continuam, quandam esse tentationem, in dubium revocari nequiquam potest, id namque liquet clarè satis ex hisce scripturæ verbis: *Tentatio est vita hominis.* At verò tentationem veram quandam scholam & Academiam esse quis crederet, nisi id Spiritus sanctus perspicuè ediceret? *Qui non est tentatus, quid scit?* omnis etenim profectus noster, quem in schola Dei facimus, dummodo uni ex primis Ecclesiæ Doctoribus, Sancto videlicet Augustino fidem adhibere volumus, soli tentationi in acceptis referendus est. *Profectus noster per tentationem* In Ps. 60. *nostram fit.* Ac proinde cùm S. Antonius præ omnibus aliis Sanctis tentationibus variè infestatus fuerit, nil mirum si tantam sibi scientiam acquisierit, per quam Ecclesiam Dei deinceps omnibus futuris sæculis erudire possit. Cujus rei fidem documenta plurima, quæ hoc fine post se scripta reliquit, abunde præstant. *Effectum* Cap. 55. *est ut post ejus doctrinam omnes Diaboli panderentur insidiæ.*

2. Porrò hac nocte in lectis de hoc Sancto lectionibus, veluti in compendio quodam Sancti hujus victorias audivimus pariter & admirati sumus: Post quarum enumerationem Sancta mater Ecclesia tandem subjungit: *Cum talis tantusque Dei miles evasisset Antonius.* Ac proinde ob crebras à Dæmone gloriosè reportatas victorias, huic Sancto meritò applicari possunt, prouti in præsenti discursu latius videbimus, verba illa, quæ Apostolus de Christo pronuntiavit: *Tentatum per* Hebr. 4. *omnia absque peccato.* 15. Diabolus etenim nunquam in omnium aliorum hominum simul conjunctorum perniciem ita atrociter conjuravit, sicut in unius duntaxat Antonii excidium. Porrò S. Hieronymus, uti præcedenti discursu insinuavimus, hujus Sancti viri Eremitorium, seu potius Capitolium ejus describens, inter cætera dicit: *Ex utraque ripa palmæ innumerabiles*; nec mirum, hæ enim palmæ veluti prædicebant frequentes numerosasque victorias & triumphos, quos de infestantibus cum inimicis semper generosissimè reportavit. S. etiam Athanasius eandem ob causam eum gloriosissimo isthoc epitheto decoravit: *Tantarum victoriarum homo.* Unde Cap. 27. & toti universo tantæ admirationi fuit, ut multi ab ultimis mundi finibus ad hunc generosum athletam, qui non jam terram, sed infernum toties debellaverat, videndum accesserint: *Totius orbis homines ad eum confluebant,* Cap. 55. *& universarum gentium varietas, bellicosissimum contra Dæmones virum conspicere gestiebant.*

3. *Tentatum per omnia.* Hugo Cardinalis hæc verba: *Turris fortitudinis à facie inimici*, interpretans, acutè observavit Psalmistam non dixisse: *à machinis sed à facie;*

cie;

cie ; & rationem mox reddit ; *quia Diabolus plures decipit blanditus, quam terroribus*. Non tamen sic Antonio accidit, utpote in quo dictum illud Apostoli adimpletum fuit : *Tentatum per omnia*, nam terrores pariter & blanditias illi intentavit ; *Aggressus est eum blanditus & terroribus*. Quoties io eam ejusque totalem perniciem totus solutus fuit infernus ? Cap. 8. *Rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu & cornibus minabatur, serpens sibilo personabat, luporum impetus ingerebantur, pardus discoloriter auctoris sui calliditates varias indicabat, truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus*. Veruntamen qua ratione diabolica hæc spectra fuganda fuerint, perfectissimè *tentatus scivit, flagellatus, confossus, sentiebat asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente pervigili ; & licet gemitum vulnera carnis exprimerent ; sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur, si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad prælium ; sed quoniam Domino vos enervante frangimini ; multitudine tentatis inferre terrores. Si quid valetis, ecce præsto sum, devorate ; si vero non potestis, cur frustra nitimini ?* Dæmon quidem illum ut plurimum aggressus est non solum per minas, sed etiam per atroces acerbissimorum verberum ictus, adeo ut sæpenumero semimortuum reliquerit : Cap. 7. *Aggregatis Satellitibus suis varia cæde laceravit, ut doloris magnitudo & motum auferret & vocem ; nam & ipse postea sæpe referebat vulnera fuisse tam gravia, ut universa hominum tormenta superarent*. At verò Sanctus optimè Sancti Cypriani monitum scivit, scilicet, quod *major est Dominus ad protegendum quam Diabolus ad impugnandum* : Et ita psallebat, dicens ; *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum ; Dominus mihi adjutor & ego exultabo super inimicos meos*.

Dist. de exh. mart. Cap. 16. Cap. 8. Cap. 4.

4. *Tentatum per omnia*. Admodum salutare est illud Sancti Cypriani monitum : *Plus cavendum est inimicus cum latenter obrepit ; cum per pacis imaginem fallens occultis accessibus serpit*. Atque ideo nonnulli existimant primam matrem nostram Evam non fuisse tentatam a serpente, horribilem præ se vultum ferente, in quali hodie conspici & depingi solet, sed vultum repræsentante blandum atque fœmineum. Unde & in tali specie congressus est cum S. Antonio : *In pulchra mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciviæ* ; at verò optimè novit, qualiter huic lenocinio debuerit resistere : Cap. 4. *Ultrices gehennæ flamas, & dolorem vermium recordans, ingesta sibi libidini opponebat*.

Lib. de unit. Eccl.

5. *Tentatum per omnia*. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*. Audite proinde dolosa ejus stratagemata. Stridens enim dentibus & plangens, nigri cujusdam pueri formam induit, seque ad Sancti viri pedes Serm. 17. prosternens dixit : *Multos seduxi, plurimos decepi ; nunc autem ut à cæteris Sanctis, ita & tuo labore sum superatus*. Quo in casu dici potuit, quod Chrysologus de Salvatore nostro scripsit ? quando à patre mendaciorum hisce verbis : *Quid nobis & tibi Jesu fili David* ? Matt. 8. 29. Filius Dei proclamatus fuit ; nimirum : *Credidit infelix, ut eum quem tentatione vincere, muneribus nequit inflectere, posset adulatione pulsare* : at vero *tentatus scivit* optimum illud Sancti Gregorii monitum : *Valde cavendum est vitium, quod de victoria surgit vitiorum* ; id est nimia de nobis metipsis complacentia : unde devotissimus Pater Magister Avila hoc Dæmonis artificium optimè detexit, dum ait illum potentissimos magisque validos ictus suos ad cor dirigere, quod enim quis oculos habeat humiles, aut silentium observet, vel multas recitet orationes, idipsum Dæmon minimi facit. Ipse enim venenum suum, id est, vanam gloriam, aut sublimem de semetipso opinionem cordi instillare didicit. Ad hoc propositum de Sancto Marcello Abbate legitur, quod cum hic Dæmoniacos quosdam adjurare incœpisset, spiritus, qui corpus Energumeni obsidebant, Sanctum hunc hominem hoc sine Dei auxilium invocare audientes, eidem Abbati dixerunt : Tu ipse, cui plena data est in nos potestas, nobis præcipito, & obediemus tibi : Abbas autem cùm oblatam sibi à Dæmonibus obedientiam acceptare nollet, cur id abnueret interrogatus responderit : quod Dæmones meam in illos potestatem agnoscant & fateantur me illis posse præcipere, id alio nequaquam spectat, quam ut me vanæ gloriæ laqueo irretiant ; hæc enim talis naturæ vitium est, ut dum Dæmon se victum esse simulat, per illam se victorem facere prætendat. Veruntamen Sanctus Antonius utpote expertus & prudens optimè novit sententiam illam Sancti Fulgentii, dicentis : Ep. 3. ad prop. *Ad hoc se victum demonstrat, ut vincat : ad hoc fugam simulat, ut persequentem missis post tergum sagittis occidat*. Alia quadam vice cum Sanctus Antonius Dæmonem interrogasset quis esset, confestim ille se fornicationis spiritum esse respondit, ac demum subjunxit : Cap. 4. *Quantos pudicè vivere disponentes fefelli ? quot seniter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi ? ego sum qui teipsum sæpe tentavi, & semper repulsus sum* : Sanctus verò se nequaquam seduci permisit, sed id quod dicebat verum esse non ignorans, *Gratias agens Deo, & largiori erga inimicum confortatus audacia, ait : Multum ergo despicabilis, multumque contemptibilis es : nam & obscuritas tua & ætas infirmarum signa sunt rerum : nulla mihi jam de te cura est ; Dominus mihi adjutor, & ego exultabo super inimicos meos*. Et hoc dicto protinus disparuit.

6. *Tentatum per omnia*. Sanctus Antonius aliquando universam terram laqueis plenam esse conspexit : L. 2. in vit. p. n. 129. *Omnes laqueos inimici super universam terram extendentes* ! Quid autem hi tam multiplices significabant laquei ? Sanctus Ambrosius dicit : In Ps. 118. 14. *Quid tibi o homo cum delitus & voluptatibus ? non capit laqueus, nisi ante esca te ceperit ; dum prædam petis laqueo ipse te nectis. Esca laquei avaritia est ; esca Diaboli luxuria est, quibus nos vult inescare, non pascere*. Laqueus non accipit prædam, nisi prius sub laqueo abscondita te capiat esca. Antonius autem *tentatus scivit*, quid faciendo laqueum exuere posset ; siquidem omnem voluptatum terrenatum, cupiditatis, gloriæ mundanæ escam pro viribus vehementer semper abhorruit, in solitudinem se subducendo, ut in opacis sylvarum horroribus, cum scorpionibus & feris habitaret, aurum quoque veluti ignem fugiendo, tametsi id quaqua versum per viam stratum sæpe offenderet. Strabo de Frinone & Pittaco factum quoddam refert admodum curiosum. Cùm enim inter hosce duos immortalis quædam intercederet inimicitia, utrimque inter eos conventum, & ab aliis permissum, controversiam hanc duello mediante dirimere, ita tamen ut cuilibet integrum esset arma pro genio & libitu suo eligere. Pittacus itaque dextra ensem, sinistra verò laqueum quendam apprehendit, atque ideo ab inimico suo delusus fuit. Dum verò Pittacus Frinonis caput Lib. 13. ferire velle fingit, is sinistram versus qua Pittacus laqueum ferebat, sese inclinando ex improviso, à semetipso illaqueatus & strangulatus fuit. Ecce tibi in hac Historia propriè descriptam Dæmonis astutiam. Fern enim se nos adoriri velle simulat, quando ex principali intentione nos laqueis suis irretire parat. Unde meritò David dolebat dicens : *Absconderunt superbi laqueum mihi*. Eccl. 9. 20. Et Ecclesiasticus similiter ait : *In medio laqueorum ingrederis*. Porrò laquei, quos S. Antonio, ut ab iis ultro citroque stringeretur, Dæmon tetendit, fuerunt delitiæ, libertas, divitiæ domus & familiæ suæ. Sæpenumero eidem lenocinantia ob oculos objecta repræsentavit eumque toti mundo veluti hominem divinum summæ venerationi exposuit, adeo ut ipsimet etiam Augusti Imperatores summa cum reverentiam prosequerentur. Hanc autem tantam sui æstimationem eo potissimum fine ei procuravit, ut eum ad vanam gloriam provocaret : at verò ipse *tentatus scivit* peroptimè id, quod scribit S. Cyprianus : Lib. 1. c. 11. *Nec evadere Diabolum servus Dei poterit, qui se Diaboli laqueis implicaverit*, atque ideo omnes laqueos sibi præparatos facile evasit ; *pecuniamque omnem pauperibus distribuit* : libertate autem ad id præcipuè usus est, ut se vivum in solitudinis suæ spelunca sepeliret. mundi denique obsequia sibi exhibita eo præcipuè adhibuit, ut sibi magis magisque vilesceret, & in humilitate exercere : siquidem *magna & rara virtus humilitas honorata*, ut inquit Bernardus, adeoque Diabolus ipsemet in suimet laqueis ab eo feliciter captus fuit. Unde Sanctus hic vir dicere potuit : Ps. 24. 15. *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*. Cor etenim ejus, omniaque illius desideria & operationes ad Deum purè directæ erant. Unde perspicuè videtur, quam vera sit illa sententia : Prov. 1. 17. *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Quorum verborum loco Interlinearis legit : *Laqueum in terra facile evadit, qui oculos habet in cælis*. Sic enim S. Antonius cunctas inimici insidias feliciter

de-

declinavit, qua cor & mentem suam in cœlo semper defixam habuit. Ab ipsis namque primis annis vitæ suæ, *cœlestis vitæ genus in terris colere instituit.* Lect.

7. *Tentatum per omnia.* De multis quidem aliis inclytis Dei militibus legitur, quod ardua illis ab Inferno intentata certamina sustinuerint; nullus tamen frequentia, tamque atrocia passus est, ac S. Antonius in toto centenariæ vitæ suæ decursu sustinuisse legitur. Neque enim S. Antonius Diabolum sine mysterio *Infatigabilem* denominavit, utpote qui eum majori semper cum violentia aggrediendo, nunquam defatigatus fuit: *Nec Diabolo semel fracto defecere vires; sed neque Antonio securitatem dedit hic nunc triumphus.* Optimè enim sibi persuasam habebat illam S. Gregorii sententiam: *Quo valentius vincitur, eo adhuc ad insidias ardentius instigatur*, quod omnino cum eo consentit, quod pariter Tertullianus scribit: *Tunc maximè sævit, cum hominem planè sentit liberatum, tunc plurimum accenditur, cum extinguitur.* Unde S. Athanasius in c. 8. vitæ suæ eum post multos alios sibi intentatos insultus, ferocissimum quoddam prælium à Dæmone sustinuisse refert: Ipse autem recenti memoria in omnibus hisce certaminibus idipsum tenebat, quod S. Jacobus olim docuit: *Resistite Diabolo & fugiet a vobis.* Verum dices fortasse, unde homini tantum potest robur & fortitudo advenire adeo debili, ut tam horrendo & feroci leoni obsistere præsumat, illi nimirum de quo S. Petrus, ait, quod *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Respondeo quod nisi felicem de hoc truculento Leone victoriam sperare possem, S. Petrus utique non diceret, quod sequitur: *Cui resistite fortes.* Portò Seneca de crocodilo scribit, quod sit *fugax animal, audacissimum timido*; id quod de Dæmone pariter verè dicere possumus qui adversus illos duntaxat prævalet, qui eum formidant, non verò adversus illos qui adversus illum Leones se esse probant, ab his etenim miraculosi lepusculi instar fugit. Enimverò Dæmones die quadam Sanctum hunc tanta eum truculentia & barbarie diris verberibus percusserant, ut eum mortuum esse credentes ad locum quendam vicinum sepeliendum deportarint. Nocte verò sequenti, dum circumstantes, qui ad ejus corpus vigilias agebant, gravati obdormissent, ipse Sanctus, recuperatis omnibus viribus, unum ipsorum rogavit, ut se denuo ad priorem certamini tolerati locum deportarent, quo cum pervenisset, licèt semivivus, universum provocare cœpit infernum, dicens: *Ecce hic sum ego Antonius, non fugio vestra certamina, etiamsi majora faciatis*; & quidem ejus vitæ Historia dicit: *Ista omnia ad confusionem Diaboli fiebant, qui enim similem se Deo fieri posse existimabat, nunc ab adolescente, ut miserrimus deludebatur.* Et hæc quidem fuit ex primis adversus Dæmonem obtentis victoriis una. Ac proinde cogitate, quantum S. Antonius per centum annos continuos tentatus habuerit tempus, ut per experientiam & scientiam, in magna hac tentationis schola erudiretur? dicit Ecclesiasticus: *homo Sanctus in sapientia manet sicut Sol.* Quamnam obsecro sapientiam Sol in se continet, quod servo Dei in disciplina sapientiæ acquirenda deservire dicatur? Pulchram quandam & huic proposito valde accommodam, in auctore quodam observationem legisse me memini, scilicet, quod dum Sol zodiaci signa transit, occurrit illi confestim nunc Aries, nunc Taurus, nunc Capricornus, mox Leo, qui omnes comminabundi Soli se opponere velle videntur, ut iter ejus, quoad fieri potest, retardent. Sol autem liberè progreditur, nec hæc bestiarum monstra quidquam moratur, imo ne latum quidem unguem à solita orbita sua recedit. Atque hæc eandem est illa tam admirabilis & obstupescenda S. Antonii virtus; siquidem nulla ei obviare potuit contradictio, quæ illum ab inchoata perfectionis semita vel latum unguem retrahere, aut retardare potuisset; neque enim id efficere potuit aries austeritatis deserti, speluncæ, ferarum, solitudinis, jejuniorum, ciliciorum, silentii, vigiliarum, nec sensualis concupiscentiæ Leo, quantumvis hic illi sæpe numero admodum fuerit molestus. Vel etiam ad literam dicere possumus, quod Dæmones ex inferni abysso soluti, varias sibi assumpserint taurorum, ursorum, leonum, aspidum effigies, eum à cœpta stricta perfectionis semita dimovere aut divertere prætendentes; at verò S. Antonius *in sapientia mansit sicut Sol.* Audiatis velim, quid venerabilis Thomas de Kempis de instabili corde scripserit: *Cor instabile & a bonis cogitationibus vacuum, nidus est Diaboli. A contrario sensu autem*, quanto cor aliquod in divino servitio solidius, Sanctisque cogitationibus magis fuerit intentum, tanto magis à se Dæmonem rejiciet, adeo ut illi aliquem in illud aditum invenire impossibile sit. Quis autem majorem eo stabilitatem exhibuit? *Immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem Dæmones fugabat.* Nullum quoque habuit omnium illarum bestiarum infernalium, multo minus desertorum illorum, in quibus degebat, metum aut fastidium. *Admiratione planè dignum est in tam immani solitudine unum hominem nec Dæmonum quotidianas expavisse congressiones, nec tantarum bestiarum quadrupedum, vel reptilium diversæ cessisse feritati.* Atque ideo hæc ejus stabilitas atque perseverantia, firmatissima fuit ejus adversus inimicum armatura. *Nec potest firmum Deo pectus, cogitationum & cæterarum fraudum arte pervertere.*

Cap. 10. — Cap. 3. — L. 4. mor. Cap. 8. — Lib. de pœnit. c. 7. — Jac. 4. 7. — 1. Pet. 5. 18. — L. 4. q. nat. — Cap. 8. — Cap. 4. — Eccl. 27. 12. — P. P. ser. 7. — Cap. 25. — Cap. 16.

8. *Tentatum per omnia. Bonus nunquam* (inquit S. Bernardus) *nisi boni simulatione deceptus est.* Et ratio est, quia difficile est, ut quis eos, qui in virtute habituati sunt, in peccata gravia labi faciat; atque ideo spiritus malignus *transfigurat se in Angelum lucis*; prouti fecit circa S. Antonium, quem sæpenumero sub tali effigie aggressus, ut eum à bonis suis propositis averteret, sed frustra & incassum, unde & in posteris in cautelam hoc post se monitum scriptum reliquit: *Familiares nobis species assumunt, ut affinitate virtutum nocentes, facilius virus interserant, & innocentes quosque per speciem honestatis elidant.* Serm. 66 in Cant. — Cap. 16.

9. *Tentatus scivit*, quod ad vincendum Dæmonem, per magni referat loci vel situs, è quo dimicandum est, opportunitas. Unde S. Ambrosius ait: *Diabolus in deserto tentationis solida arma non invenit.* In Paradiso quidem protoparentes nostros haud difficulter devicit, quia ibidem medias inter delitias hærebant, & Adam in mulieri constitutus erat contubernio: In deserto autem miserè superatus & devictus est, eo quod præter dumeta, stirpes, spinas, &c. nihil ibi aderat, nec alia ibi præterquam Scorpionum & ferarum societas haberi poterat, atque ideo nullum suggestiones ejus habere aditum potuerunt. Unde mirum non est, quod Antonius faventem certamini suo spirituali prælegerit locum: *Sedit solitarius.* Curiosa equidem est quæstio illa, qua quæri solet, cur Dæmon Evam tentare volens, Serpentis speciem assumpserit, & non potius interna usus fuerit suggestione, prouti ut plurimum ab ipso fieri solet, cui communiter respondetur, internam hanc mali suggestionem nullum in illo statu habere potuisse locum, eo quod tunc sensus rationi totaliter subjectus fuerit, unde nullus in appetitu excitari poterat motus inordinatus; atque ideo Albertus Magnus ait: *suggestio Dæmonis interior competit sensualitati corruptæ.* Ex quo fundamento innocentiam & puritatem quadantenus originalem S. Antonii deducere possumus, cum in eo omnes passiones rationi adeo planè subjectæ fuerint, ut vix capax extiterit alicujus in se inordinationis & sensualis rebellionis experiundæ, atque ideo Dæmon illum ut plurimum aggressus est per insultus exteriores, quasi impossibile, vel saltem arduum censuerit esse, & valde difficile, eum per internam suggestionem efficaciter tentare. Hanc autem innocentiam à primis pueritiæ annis possedisse noscitur: *Cum jam puer esset, innocenter habitabat domi.* Portò de Sancto præcursore scribitur: *Antra deserti, teneris sub annis civium turmas fugiens, petisti, ne levi saltem maculare vitam famine posses.* Id quod etiam magna ex parte de S. verificatur Antonio, rametsi hic circa ætatis annum decimum octavum eremo se includere cœperit. Verumtamen sciendum est, quod de S. Antonio cum quopiam hominum tractare aut conversari opus esset, is tantam terræ partem propria manu cultivarit & seminarit, quanta ad subministrandam sustentationis necessitatem, eidem sufficere poterat. *Exinde annuum sibi panem laborans gaudebat, quod sine cujusquam molestia, ex propriis manibus viveret in deserto.* Quo eodem tempore illud Hieronymi ad Rusticum transcriptum monitum, ad observandas tentationibus vias utile adeo & proficuum executioni mandabat, nimirum: *Facito semper aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum.* Ser. 35. de jej. Dom. — Cap. 2. — Cap. 25.

10. *Tentatus scivit*, nosque omnes ad vincendum inimicum nostrum salutaria monita, quæ variis in locis vitæ ejus recensentur, edocuit: *Cura Christianorum sit, ne per eorum inertiam, vires Dæmonibus præbeantur.* At-

que

que ideo per renovatos semper fervores in spirituali vita progredi satagebat : *Una est ratio vincendi inimicum* (dicere solebat) *lætitia spiritualis & animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio*. Unde hæc interior lætitia, tanquam manifestum bonæ conscientiæ indicium in ejus semper læta & Joviali facie agnoscebatur, adeo ut inter mille homines facile, quisnam Antonius esset, dignosci potuerit.

Cap. 16. 11. *Scivit*, atque ne infernalis inimici insultus formidaremus, hunc in modum nos instruxit; *Nihil vobis in hoc terroris incutiant; fidelium enim orationibus atque jejuniis ad Dominum, statim corruunt: Nec tamen, si paululum cessaverint, prorsus plenam putetis esse victoriam; solent enim saucii gravius assurgere*. Verùm enimvero utilissimum quoddam punctum ab eo discendum superest, nimirum quod ad hoc ut orationes & alia opera bona inimicum vincere valeant, opus sit, ut bonæ conscientiæ semper associentur: *Magna adversus Dæmones*
Cap. 17. *arma sunt, vita sincera, & intemerata ad Deum fides, Credite mihi experto, pertimescit Sathanas rectè viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, præcipuè purum cor erga Christi amorem*,

---

Virtutes, dona, gratias, & merita, in Epistola Missæ hujus Sancti descripta, excellentius in Sancto Antonio, quàm in Moyse adimpleta fuisse demonstratur.

DISCURSUS QUARTUS.

Dilectus Deo, & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Eccl. Cap. 45. vers. 1.

1. EPistola, quam Sancta Mater Ecclesia hoc mane in honorem S. Antonii in Missa legit, haud dubiè magno cum mysterio ex libro Ecclesiastici delecta fuit, licèt enim Sapiens in ea in Moysis laudes latè diffundatur, quæcunque tamen in ea de Moyse dicuntur, magna cum proprietate S. Antonio applicari possunt. Quisquis enim heroica, tum hujus Anachoretæ, tum Moysis Prophetæ facinora altius considerat, illa ex majori parte sibi valde conformia esse deprehendet. Quod quidem prolixius ostendere mihi haud quaquam difficilè foret, attamen quia omnes inter utrumque hunc Sanctum reperibiles Analogias & similitudines recensendo, discursum hunc vix unquam finiendum esse prævideo, ideo sermonem hunc ad ejusdem Epistolæ verba limitare operæ pretium esse duxi. Porrò in Martyrologio Romano
Lib. de hæbr. qu. de hoc Anachoreta ita legimus : *In Thebaide S. Antonii:* Sciendum est autem S. Hieronymum in ea opinione esse, hanc Thebaidem eandemmet illam terram Gessen esse, quæ Hæbreorum populo in Ægypto quondam assignata fuerat, & consequenter in qua magnus ille Propheta Moyses, nativitatis suæ cunas & crepundia accepit. Ac proinde quid mirum, si Deus providentia sua disposuerit, ut post tot sæculorum revolutos gyros suos ibi natales haberet ille, qui adeo perfectus ejusdemmet Moysis futurus erat imitator?

Exod. 33. 11. 2. *Dilectus Deo*. Moyses Deo adeo intimus & familiaris extitit, ut Spiritus Sanctus de eo dicat: *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Cumque ut communi proverbio dicitur *Amicus sit alter EGO*, ideo amor Dei erga Moysen
L. de Parad. cap. 2. eo usque ascendit, ut præcipuum Divinitatis attributorum certo quodam modo ei communicaverit: *Constitui te Deum*. Unde S. Ambrosius ait: *Qui omnem istam secundum corpus habitationem cœlestis puritate conversationis obduxerat, nomine Dei vocatus est*. Præterea quodnam in hoc latere existimatis mysterium, quòd Moyses
L. 2. con. hær. cap 9. cap. 25. modo & more aliorum non sit mortuus? *Non legimus de eo sicut de cæteris, quia deficiens mortuus est, sed per verbum Dei; unde & addidit Scriptura, quia nemo scit sepulturam ejus*. Cujus idem Doctor hanc rationem assignat, *Ut translationem magis quam interitum intelligat*. S. Epiphanius eum a S. Angelis sepultum fuisse existimat. S. Augustinus *de mirabilibus sacræ Scripturæ*, corpus Moysis nusquam inveniri potuisse dicit, *ne sepulchrum ejus populus Israel sic ignovisset, ubi esset, adoraret*. Nunc quàm benè & appositè hæc omnia S. Antonio adoptari possint, diligenter auscultate.

3. *Dilectus Dei*. Enim verò quodsi amoris proprium Cap. 66. est, eos qui mutuo amore prosequuntur, inter sese unire, consequens certè est, quòd Deus Sanctum hunc virum Dei intentissimè dilexerit, siquidem, ut affirmat S. Athanasius, nosque paulò supra tetigimus eum sibi similem effecerit, unde plusquam homo, id est, *Homo Dei*, & veluti unus idemque cum Deo existimatus fuit; & veluti talem, eum ipsi quoque Pagani, & omnes alii L. 1. de vita Moys. circumvicini venerabantur. *Antonium videntes Deicolam nuncupabant*. Ejusque Sanctitas ad eum usque apicem pertingebat, ut de ipso idem dici potuerit, quod de Moyse Philo scripsit: *Tanquam novum naturæ miraculum incertum efficiebat, qualis mens habitaret in ejus corpore humanave an divina*. Sepulchrum quoque ejus multo tempore omnino absconditum permansit: & quidem licèt hoc, ab ipsomet etiamnum vivente, ex instinctu & dictamine profundæ humilitatis à Deo postulatum fuerit, credibile tamen est, quòd ad hoc divina quoque concurrerit providentia, ne scilicet corpori suo ab hominibus divini honores exhiberentur. Ad hæc transitus ejus, Moysis morti multum fuit conformis & similis, cum enim illum prævideret & prædixerit, *translationem magis quam interitum esse demonstravit*. Vix enim cum suis discurrens *verba finierat, & osculantibus se disci-* Cap. 59. *pulis extendens paululum pedes, mortem lætus aspexit*. Denique ad instar Moysis, Angelorum comitatu constipatus fuit; *Ita ut ex hilaritate vultus ejus Angelorum Sanctorum, qui ad perferendam animam ejus descenderant, præsentia nosceretur; hos intuens tanquam amicos videret, animam exhalavit*.

4. *Dilectus hominibus Moyses* fuit, idque, ut ait Glossa, *quia suavis & mitis fuit*, mira enim Moysis dulcedo & benignitas, cum super omnes alios homines singulariter dilectum reddebat. *In mansuetudine opera tua per-* Eccl. 3. 19. *fice* (inquit Ecclesiasticus) *& super hominum gloriam diligeris*. Benevolentia Dei, Deum amando acquiritur: benevolum autem hominum affectum lucramur, iisdem hominibus benefaciendo, eosque amando. Moyses autem utrumque operatus est, atque ideo factus est dilectus Deo & hominibus; In quo ipsum quoque imitatus est S. Antonius; ac proinde de ipso specialissimè dici meretur: *Dilectus hominibus, quia suavis: magna cum ad-* Cap. 50. *venientibus affabilitas omnium in se studium converterat*. Cap. 40. *Habebat in vultu magnam gratiam, erat in vultu amabi-* Cap. 3. *lis. Ab universis fratribus puro diligebatur affectu*. Et quidem de ipso dum adhuc in primis progressuum suorum initiis constitutus esset, dicit vitæ ejus Historia, quod eum adhuc juvenem *quidam ut filium, alii ut fra-* Cap. 4. *trem diligebant, nam omnium in se provocabat aspectum*. Proximis quoque continuo benefaciendo, eorum sibi miram conciliabat benevolentiam: *Si qui majori pote-* *state premebantur, nec poterant obtinere justitiam, ita* Cap. 55. *eos obnixè defendebat, ut ipse pro illis pati videretur in-* Cap. 42. *juriam. Quot diabolica obsidione & variis infirmitatibus liberavit?* Demum verò vita ejus multa enumerat miracula, variaque beneficia in aliorum commodum colla- Cap. 55. ta, ac tandem subjungit: *Et ut infinita brevi sermone comprehendam, bonum Aegypto medicum Christus indulserat. Quis non iram vertit in pacem? Quis orbitatis luctum non ad ejus temperavit aspectum? Quis non mærore paupertatis, quo premebatur, abjecto, statim & divitum despexit opulentias, & in sua lætatus est paupertate?* Demum verò concludit: *Nullus se frustra illuc venisse con-* Cap. 55. *questus est*: Illi verò, quibus beneficum se exhibuit, fuerunt inumeri; siquidem *totius orbis homines ad eum confluebant*.

5. *Cujus memoria in benedictione est*. Vatablus legit: *Fausti ominis est*. Cùm enim Moyses, populo Dei, tot modis benefecisset, sola nominis ejus memoria omnis adferebat benedictionis auguriem. Idem quoque de S. Antonio dici potuit; Nam ut in lectionibus matutinalis officii audivimus: *Sic dæmonibus erat formidolosus, ut* In præfat. *multi per Aegyptum ab iis agitati, invocato nomine Antonii liberarentur*. Doctor quidam Sanctæ Ecclesiæ adeo insignis & solemnis, tantasque pro orthodoxa fide sarta tectaque conservanda persecutione perpessus, qualis fuit Auctor vitæ ejus S. Athanasius dicit: *Mihi ingens* Cap. 56.

lu

lucrum est atque utilitas, hoc ipsum, quod recordor Antonii. Adeo denique erat benedictionibus cumulatus, ut *post resolutionem ejus, quasi communi vulnere orbitatis excepto, proprium singuli parentem luxerint.*

Hugo Card. 6. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Similem fecit Sanctis in operatione miraculorum & signorum. In gloria, id est, in claritate vultus, quæ ita resplenduit, ut non possent intendere in eum filii Israel*, Facies Moysis cornuta esse videbatur, idem namque Auctor dicit: *cornua faciei dicuntur radii præclari, qui exibant à facie ejus*; Porrò si de miraculis à S. Antonio patratis agere velimus, illum in multis Moysi per similem inveniemus, prouti in pluribus locis videre licet, & præcipuè quando
Cap. 27. in deserto aquam vivam scaturire fecit; *Ad primas rogantis lachrymas in orationis loco fons ebulliens erupit, ibique extincta sitis.* Pro omnibus autem hoc unicum scire sufficiat; quòd Historia post relata multa patrata prodigia,
Cap. 37. subjungat: *Innumera & alia ejusmodi signa sunt; quæ monachorum concordi sæpe relatione cognovimus.* Porrò quoad [illegible]ltus sui splendorem sciendum est, hunc in ipso singula[illegible]a fuisse; & quidem credibile est, hunc ex continuis cum Deo colloquiis processisse: *Si quis ignarus ejus*
Cap. 40. *inter multitudinem monachorum, cùm eum videre desiderasset, nullo judicante, cæteris prætermissis ad Antonium currebat, & animæ puritatem agnoscebat ex vultu, & per speculum corporis, gratiam Sanctæ mentis intuebatur. Similem fecit Sanctis*, dum virtutes, quæ in omnibus aliis ingenti cum perfectione & Sanctitate tunc viventibus dispersæ erant, in se uno collectas uniebat: *Hujus conti-*
Cap. 3. *nentiam, illius jucunditatem, istius lenitatem, illius vigilantiam*, alterius mansuetudinem sectabatur. *Similem fecit in gloria Sanctorum*, siquidem dona & merita habuit omnium aliorum Sanctorum, Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Eremitarum, Virginum, prouti aliàs in primo discursu diximus.

7. *Magnificavit eum in timore inimicorum.* Quibus verbis Ecclesiasticus innuere vult, quòd Deus Moysen Pharaoni, omnibusque Ægyptiis inimicis suis & populi sui formidabilem reddiderit, eique animum addiderit, ut impio huic persecutori suo, imperterrito se posse pectore opponere. *Inimicos vocat Pharaonem & socios ejus* (inquit Hugo Cardinalis) *coram quibus magnificatus est per opera, quæ fecit*, Syriaca legit: *Corroboravit eum ad terrores.* Tigurina vertit. *Effecit eum magnum terrendis hostibus.* Quæ laus Sancto quoque Antonio, jure merito adaptari potest. In illo namque tam diuturno centum & plurium annorum decursu, non semel tantum, sed vicibus innumeris totus quasi infernus in eum irruit; neque enim in Historiis sacris de ullo aliorum Sanctorum legitur, quempiam illorum atrociora sustinuisse certamina, siquidem irremissibiliter nullisque ei indultis induciis infestatus fuit, & tamen gloriosissimas de omnibus retulit victorias, ut merito de ipso dici possit, quòd *effecerit eum magnum terrendis hostibus*, & corroborave-
Cap. 12. rit, quia *nunquam in certamine lassabatur.* Imo dum adhuc juvenilem ætatem ageret, generositatem istam mirum in modum probavit, adeo quòd *omnes infatigabilem*
Cap. 5. *adolescentis mirabantur instantiam*; unde Dæmon victum
Cap. 9. se videns, totus rabidus videbatur disrumpi, *proprio se furore dilanians.* Verum enimvero quodnam desiderari potest, ad comprobandam hanc Antonii adversus inimicos infernales fortitudinem, testimonium efficacius eo, quod ipsemet Salvator noster Christus in hanc rem edidit, dum ita ait; *Quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis exurgens in tantum roboratus orabat, ut intelligeret se nunc recepisse tantum virium, quam ante perdiderat.*

8. *Et in verbis suis monstra placavit*, id est, ut Hugo Cardinalis exponit, *serpentes Magorum*, hi enim à Moysis virga fuere devorati: aut verò intercessionibus suis mediantibus, *plagas monstruosas cessare fecit.* Simile quid de S. Antonio itidem scribitur, nimirum eum Dæmones in monstruosa luporum, ursorum, leonum, aspidum specie sibi apparentes protinus orationibus suis effugasse & dissipasse. Feras quoque ferocissimas, maximè verò leones placavit, suisque nutibus obedientes effecit; dum enim cadaver S. Pauli primi Eremitæ Christianæ sepulturę tradere vellet, nec ligonem, quo terram excavare, præsto ad manum habere posset, confestim è sylvis duo prodiere leones, qui postquam aduncis pedum suorum unguibus fossam cadaveri adaptantem præparassent, petita summa cum reverentia benedictione à S. Antonio, ab eodem mox recesserunt. *Monstra placavit*, quia dum in via esset petendi desertum suum, monstrum quoddam ad instar satyri cujusdam sibi obvium interrogavit, quid esset? à quo hoc responsum retulit, se nimirum esse quendam è numero deorum illorum, quos Gentiles sub Faunorum nomine olim adorassent, seque orationibus ejus impensè recommendavit. *Monstra placavit*, quia universa animalia, cunctæque solitudinis illius bestiæ prompta ei præstabant obsequia, eique parebant. Unde cum illis, ne sementem suam damno ullo afficerent, præcepisset, ad eum deinceps locum appropinquare minimè præsumpserunt. *Quis non credat* Cap. 25.
post hanc denuntiationem quasi timentes nunquam illuc bestias appropinquasse? Similiter cum Dæmones alia quadam vice monasterium sub variarum ferarum specie replevissent, dixit eis: *Abite, quia Christi famulus sum; ita factum est, & cum jubentis voce, omnis hæc bestiarum multitudo, quasi majestatis verbere cæderetur, aufugit.*

9. *Glorificavit eum in conspectu Regum.* Deus enim Moyseo in conspectu Pharaonis gloriosum reddidit, aliasque ei non solum adversus illum obstinatum Regem, verùm etiam adversum alios, id est, contra Og Regem Basan, & Seon Regem Amorrhæorum, nec non contra Agag Amalecitarum Regem victorias contulit. Quantum autem Deus Antonium pariter coram hoc toundo honorarit, in sequenti discursu fusius videre licebit.

10. *Et jussit illi coram populo suo*, id est, *secreti sui participem fecit*, ait Hugo Cardinalis, Deus etenim cum Moyse haud secus ac amicus cum amico colloquebatur. Græca autem versio ita legit: *Mandata dedit illi ad populum suum*; id est, usus est eo, ad docendum & instruendum populum suum. Idem quoque donum S. Antonius habuit, prouti ex multis visionibus & revelationibus à Deo sibi manifestatis videri potest. Chrysostomus
de libro vitæ ipsius scribens dicit: *In quo prophetiam lu-* Hom. 8. in Matt.
centem videbis: de his enim quos Arriana pestis invasit, manifestissimè profetavit. Porrò cum divina providentia vitam solitariam & Eremiticam, quæ à tempore S. Marci in Ægypto exordium suum duxit, renovare disposuisset, hunc servuum suum elegit, eique regulas Monachismo salutares præscripsit, quam porrò vivendi rationem & institutum ipse adeo copiosè adauxit, ut S. Athanasius dicat: *Infinitam regionem quandam, & oppidum* Cap. 21.
a mundana conversatione sejunctum, plenum pietatis & justitiæ videbantur incolere.

11. *Et ostendit illi gloriam suam.* Theologi asserunt, Deum hoc honore & privilegio Moyseo dignatum fuisse, ut oculos suos in divinam essentiam defigere potuerit, veruntamen solum *per modum transeuntis*, uti scholæ distinguunt. Unde Hugo Cardinalis ait; *Ostendit illi gloriam suam in rubo, vel in monte Sinai; vel gloriam suam, id est, faciem suam gloriosam.* Porrò tametsi ignotum nobis sit, an S. Antonius hoc privilegio pariter donatus fuerit, ut vel modicum de Beatitudine delibare potuerit, etiamnum hic in terra vivens, hoc tamen scimus, quòd dum per viginti annorum spatium non in petra Horeb, sed in spelunca quadam commoratus, solusque cum solo Deo conversatus fuisset, tandem inde velut ex Paradiso, vultum præseferens Angelicum, fue-
rit egressus. *Cum ergo multorum & propositum imitari cu-* Cap. 13.
pientium, & notorum multitudo ad eum concurreret, nec non & patientium infinita se caterva conglomeraret, tandem pene jam per vim foribus evulsis, quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit; obstupuerunt universi & oris gratiam, & corporis dignitatem. Quales autem fuerint cœlestis illius torrentis, civitatem Dei inundantis rivuli, quos ipse in hoc deserto prælibando gustavit, ex eo facilè colligitur, quod ipse gustum hunc beatitudinis titu-
lo appellare non dubitet. *Cæteros ad se venientem mira* Cap. 55.
cum modestia Antonius admonebat, ut oblita sæculi dignitate, remotioris vitæ beatitudinem appeterent. Ipse autem nonagenarius propemodum beatitudine hac perfruitus fuit.

12 *In fide Sanctum fecit illum.* Circa quæ verba Hugo Cardinalis dicit: *Pro fide Theologica potest intelligi, quam firmissimam habuit.* Pro quo confirmando illo Pauli textu utitur: *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis magis diligens affligi cum populo Dei, quam*

tem-

temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum, improperium Christi. De eodem Moyse Sanctus Ambrosius dicit, quòd *nec ullis captus fuerit sæculi illecebris*. [Lib. de Parad. cap. 2.] Porrò quantum in hac fidei virtute radicatus fuerit S. Antonius, sufficienter id Alexandriæ contestatus est, ubi in confessione ejusdem fidei confirmavit, & stabilivit, & ad martyrium animavit tot Christianos, ubi etiam ut se pro Religione catholica tunc atrociter infestata, in sacrificium offerre posset, ipsummet Tyrannum conveniens acriter adversum se data opera irritavit. *In fide sanctum fecit*, quia multos paganos ad veræ fidei agnitionem produxit, deque suis erroribus multos hæreticos convicit. *Nullus captus sæculi illecebris*: quia, ut jam diximus innocentiam suam ab ipsa usque infantia illibatam conservavit. De Alexandro Magno scribitur, quòd, dum Indiarum regna suo subjugare imperio decrevisset, metuens, ne militum suorum divitiæ iisdem in propositi sui executione impedimento essent, easdem igni succendi fecerit, quidem à suismet divitiis duxerit initium. Porrò S. Antonius, cui jure merito Magni titulus attributus fuit, Paradisi Indias sibi acquirere decreverat; cumque id apud se firmiter statuisset, & in Ecclesia hæc verba proclamari audiret: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & veni, & sequere me, & habebis thesaurum in cælo*; idipsum, ne unico quidem momento, exequi distulit. Admoto enim ad omnes divitias suas, divini amoris igne, easdem pauperibus distribuit, & ad perfectam Christi sequelam se recepit. Verùm eheu quotnam eidem propter hoc ipsum humani generis inimicus certamina movit? [Cap. 6.] *Immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam sæculi gloriam, escæ variam delectationem, & reliqua vitæ remissioris blandimenta*. Veruntamen licèt totus mundus suis lenociniis se illi opponeret, ipse tamen ad imitationem Moysis constans permansit: *Majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi*.

13. *In lenitate sanctum fecit illum*; quia fuit Moyses *mitissimus super omnes homines*. Porrò quinam illi sint, qui verè dicendi sunt mansueti, S. Basilius optimè declaravit, dicens: [In Ps. 33.] *Qui nullum in manibus suis perturbationi reliquerunt locum hi mansueti appellantur*. [loc. cit.] S. Ambrosius de Moyse ait: *Victor passionum omnium mentem regens, carnem subjiciens, & regia quadam auctoritate castigans*. Etenim ad hunc usque gradum S. Antonius pariter pervenit, utpote qui super omnes sensus & passiones suas, perfectissimum sibi dominium acquisierat: [Cap. 19. Cap. 13. Cap. 40.] *Nunquam ira subita concitatus. Quæ in illo animi puritas fuit? nunquam hilaritate nimia resolutus in risum est; nunquam recordatione peccati tristitia ora contraxit; non magis stupentium se elatus est laudibus; temperata mens æquali ad cuncta ferebatur examine; semper eandem faciem inter adversa & prospera retinens*.

14. *Audivit enim vocem ipsius*. id est, orationem Moysis, pro populo suo, quem divina justitia ob idololatriam morte delere decreverat, se interponentis exandivit. De S. Antonio quoque scribitur, quòd, dum ipsi damna Ecclesiæ ob hæresin Arrianam imminentia revelata fuissent: [Cap. 51.] *Fixerit oculos in cælum gemens atque suspirans, & post aliquantum spatium revelationis incepta nimio dolore contremuit, & statim flexis genibus ante Dei vultum provolutus oravit, ut clementia sua futurum scelus averteret*. Et confestim pro majori parte exauditus fuit, quia paulo post, serenitatem subsecuturam esse prædixit: *Ut enim iratus est Dominus, sic rursum miserebitur: & suum cito Ecclesia recuperabit ornatum*.

15. *Et induxit illum in nubem*. Quibus verbis Ecclesiasticus ad Deum alludit, qui ut Moysi servo suo supra montem Sina loqueretur, eum subductum à populo, in monte nube contexit. Id quod S. Dionysio motivum fuit, ut diceret; [De divin. nomin.] *Mereberis Deum, si homines fugeris*. Quid igitur mirum, si S. Antonius adeo fortiter sibi Deum adstrinxit, qui ab omni humano consortio se adeo procul submovit? *Sedit solitarius & tacuit*, atque ideo, *levavit se super se*.

16. *Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ*. Moysi etenim legis tabulas, nec non omnia præcepta moralia, legalia, judicialia & ceremonialia promulganda communicavit, eumque in reconditissimum divinæ sapientiæ suæ cubiculum introduxit; adeo ut

Mansii Prompt.

præcipua quædam pars Scripturæ sacræ, opus Moysis fuerit. Ad hæc S. Stephanus de eodem Propheta insuper dixit, quòd fuerit *eruditus omni sapientia Aegyptiorum*; [Act. 3. 22.] cui consonat Clemens Alexandrinus, qui eundem dicit *primum fuisse sapientem*. [Lib. de strom. lib. 1. de princ.] Et Theodoretus eum *Oceanum Theologiæ* denominavit. Pari quoque ratione, sapientia Antonii valde admirabilis fuit, utpote qui nunquam studuerat, sed orationibus semper vacarat: & tamen per conciones, quas ex tempore pronunciabat, nec non per disputationes, quas cum doctissimis & literatissimis illius sæculi hominibus habebat, quemlibet auscultantem in stuporem rapuit, omnesque convicit, idque ut de eo scribitur: [Cap. 53.] *Pro tanta hominis sapientia*.

De eximia gloria, & mirificis honoribus, quibus Deus S. Antonium etiamnum viventem exaltavit.

DISCURSUS QUINTUS.

Glorificavit illum in conspectu Regum
Ecclesiast. cap. 45. v. 3.

1. QUando citata thematis verba hoc mane in Epistola publicè in Ecclesia prælegi audivi, subito mihi in mentem venit, eadem aptissimum administrare posse thema ad discurrendum, de præclaris S. Antonii laudibus, in cujus honorem, sancta mater Ecclesia, divinis officiis hodie intenta existit. Porrò S. Athanasius, qui vitam S. Antonii scripsit, omnibus ut eam assiduè pervolvendo legant, persuadere nititur, considerabile nimirum hoc motivum adducens: *Ut sciant, quod Salvator noster Jesus Christus glorificantes se glorificat*. [Cap. 62.] Dicite sodes, quonam mysterio factum fuisse putatis, quòd Deus ille, cui summa veritate dici potest: *Omnia in sapientia fecisti*, eundem S. Doctorem Athanasium, Arrianorum persecutionibus divexatum huc Romam dirigens, voluerit, ut is vitam S. Antonii etiamnum tunc viventis secum portaret, illustrioresque magis præcipuæ nobilitatis Romanæ proceres, ad se divino servitio dedicandum excitaret? Porrò Cardinalis Baronius hac de re ita scribit: *Primus omnium acta ejus adhuc viventis S. Athanasius ab Arrianis pulsus Romam profugus attulit*. [In annot. Martyr.] *Quantum autem nobiles Romani ex iis profecerint, declarat Hieronymus*; qui scribit, quòd licèt eo tempore, omnes personæ nobiles ignominiosum sibi esse duxerint institutum amplecti monasticum: *Nulla eo tempore nobilium fœminarum noverat Romæ propositum Monachorum*: [Ad Principium.] Lectio tamen vitæ S. Antonii pluribus nobilissimis Matronis, aliisque præcellentibus personis viam straverit, ut ultro citroque ad vitam religiosam, & solitariam se subducerent. Quonam, inquam, mysterio factum est, quod vita hæc à quodam S. Athanasio, Ecclesiæ Doctore adeo sapiente & circumspecto, præ omnibus aliis locis Romam asportaretur? Negari equidem non potest, quin in hac urbe, quovis sæculo, supremus semper resederit apex honorum & dignitatum mundi hujus. Huc enim ex quovis remotissimo climate mundus accurrit, ut suum adaugere & extollere statum valeat. Ac proinde increata illa sapientia omnes Evangelii sequaces docere voluit, quisnam ad obtinendam non tantum apud Deum, sed etiam penès mundum sui exaltationem verior sit & securior modus, nimirum aulæ Regis gloriæ æternum sese dedicare, qui *glorificantes se glorificat*; atque ideo veritatem hanc toti universo manifestare voluit, Romæ eandem vita sancti Antonii mediante publicando: [Ser. 1. de S. Apostolo Petro.] *Cujus enim nationis homines in hac tunc urbe non essent; aut quæ usquam gentes ignorarent, quòd Roma didicisset?*

2. *Glorificavit illum*. Porrò S. Athanasius in fine Historiæ hujus Sancti, optimè considerat, Sanctum hunc non fuisse coram mundo factum celebrem, per viam doctrinæ aut compositorum voluminum, multo minus per illustris nobilitatis aut divitiarum evasionem: *Quod per omnes Provincias amor ejus famaque volitavit, quem nec librorum disseminatorum oratio luculenta, nec mundana sapientiæ disputatio, nec nobilitas generis, nec opum infinita congestio commendavit; cui omnium ore est adscribendum, nisi Christe, cujus hoc donum est?* [Cap. 61.] Cui

proprium est glorificare glorificantes se. *Glorificavit eum.* Enimvero Deus multis ad meliora addere calcaria disposuerat, illis verò præcipuè, qui gloriæ avidi erant, ut nimirum per mundi contemptum, & spem æternæ retributionis divino servitio sese dedicarent, gloriamque & exaltationem in præsenti vita sibi acquirerent. Et quid facit? *Hominem alio pene orbe cœlatum, & inter tantas positum solitudines, Africa, Hispania, Gallia, Italia,* Cap. 61. *Illyrico, ipsi etiam, quæ urbium caput est, Roma demonstravit*; scribit S. Hieronymus ad Pammachium eum in morte Paulinæ consortis suæ consolando. Unde S. Antonii gloriam vel maximè emicuisse existimatis, num ex thesauris & dignitatibus faventis mundi; an verò ex vitæ, quoad sæculi apparentiam abjectæ, at verò coram oculis Dei & sapientum illustris & gloriosæ, rudibus abjectisque pannis? *Antequam Christo tota mente serviret, notus erat in senatu; at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur, miratur orbis pauperem, quem hucusque divitem nesciebat.* Etenim si S. Antonius suis usus fuisset divitiis, atque in aula Imperatoris ad magna & sublimia fuisset evectus, quis hodie de ipso esset locuturus? Nunc verò quia omne suum studium in eo posuit, ut se ab hominum oculis subducere, & pauper & incognitus vivere, omniaque, quæ mundus ambit & æstimat, contemnere & abjicere posset, ideo Deus illum exaltavit, evexit, & celeberrimum reddidit. *Glorificavit illum.* Ille quidem in reconditissimis sylvarum antris & speluncis se abscondit, per annos plus minus nonaginta scorpionum ferarumque socius factus: Deus autem, ut illum omnibus manifestum redderet, omnibus civitatum populis, ut venerationis causa certatim ad desertum illius accurrerent, inspirabat: *Populos Civitatum.* Sunt verba S. Hieronymi in vita S. Hilarionis. Et Cap. 55. S. Athanasius ait: *Quid plura? totius orbis homines ad eum confluebant.* Et quidem ad præsens propositum nostrum, verba illa S. Nili sanctum præcursorem admirandis verificari video, quibus ait: *In solitudine versabatur, & civitates ipsa cum hominibus ad eum confluebant, qui sericis vestibus induebantur ad zona pellicea spectaculum concurrebant, sub dio incommode manere non recusant, qui domos auratas incolebant.* Et paulò post rationem subjungit, quæ eadem est cum illa quæ reperitur in multis, qui venerationis causa per maximas incommoditates Antonii desertum frequentabant: *nam videndi viri cupiditas omnem sensum molestiæ abstergebat,* Cap. 34. *virtutisque spectaculum labores, & incommoda leniebat.* De S. Antonio historia pariter refert: *Nemo unquam vexationem aut detrimentum laboriosi itineris conquestus est.* Atque ideo quoties in solitudine illa, speluncas & antra sua commutavit, ut se ab hominum oculis subduceret, ne ab ullo cognosci aut honorari posset? Verum haud Hom. de S. Max. immerito dicere quis potuisset ipsi id, quòd in alia quadam occasione scribit Eusebius Emissenus; *Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur?* dum nimirum innumera, in multis beneficiorum ab eo accipiendorum causa, ad eum concurrentibus mirabilia opera-Cap. 24. batur: *Hæc illi multitudo venientium desideratam solitudinem auferens tædio fuit. Metuens igitur, ne signorum copiosa concessio alios plus de se quam videbant, cogeret æstimare, ad superiorem Tebaidem pergere cogitavit ubi nullus eum agnosceret.* At verò nos eum cum eodem Emisseno insequi possumus, eique dicere: *Quanto plus te subtraxeris oculis tanto magis ingereris desideriis.* Hoc namque illum videndi & venerandi desiderium seu potius passio adeo vehemens fuit, ut summa cum violentia speluncæ ostia & seras è cardinibus avulserint & ruperint. S. Hieronymus de S. Paula scribit: *Quam Roma habitantem, nullus extra Romam noverat, latentem in* in epitaph. Paulæ. *Bethlehem & Barbara, & Romana terra miratur.* Simili ratione ad S. Antonium non solum homines, virtuti & perfectioni acquirendæ dediti, concurrebant, ut ejus se obedientiæ dedicarent, verum & ipsimet Pagani in magna eum veneratione habebant. Arriani quoque, ut aliquam erroribus suis auctoritatem conciliarent, mendaciter divulgabant, Antonium quoque eorum partibus accessisse, ut necessum proinde fuerit, ut S. Antonius fidei suæ puritatem protestaturus in propria persona Alexandrinam concederet. Enimverò vitam Scipionis Africani hunc in modum terminat Plutarchus: *Ea erat rerum gestarum gloria, ut quocunque proficisceretur, concursum omnis generis hominum commoveret. Tradit fama; cùm in Linternum secessisset, prædones quosdam eum salutatum venisse, ut tantum virum intuerentur, dextramque illius fide & victoriis contingerent: Magna est enim virtutis vis, & magna apud omnes gentes; cum non solum bonos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat.* Audite autem qualiter hæc omnia S. Antonio applicentur: *Latentem & Barbara & Romana terra miratur. Pagani & ipsi idolorum sacerdotes convolabant dicentes, precamur, ut videamus hominem Dei, quia hoc apud universos conspicuum erat nomen Antonii; ambiebant quoque saltem fimbriam vestimenti ejus attingere.* Enimvero illa sancti Athanasii consideratio ponderatione dignissima est, quæ dicit, quòd Deus illis, qui, ut ei serviant ab hominibus recedunt, & contemni volunt, non solùm in cœlis, sed in terris gloriam donet, idque exemplo sancti Antonii egregie probat: *Ser-* Cap. 62. *vientibus sibimet non tantum regna cœlorum, sed etiam hic in ipsis montium secretis, latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem.* Vult etenim ut honorentur, licèt intra speluncæ obscuritates sepulti esse velint, Chrystalli montium, in abditissimis semper rupibus, & inter inaccessibiles alpes generantur, quo videlicet nulla potest lux solis pertingere. Pretiosissima quævis metalla in profundissimis terræ visceribus recluduntur: Lapides pretiosi & monilia in fundo maris absconduntur: mox verò, ut per manuum industriam hæc omnia ad oculorum nostrorum lucem subeundam eruta sunt, mirè in valore & æstimatione sua accrescunt, templa enim & altaria locupletant, illustrant coronas & diademata, & ut uno verbo dicam, nil inter nos pulchrius videri aut reperiri potest elegantius. Eodem prorsus modo ad propositum nostrum discurrere possumus, quòd videlicet prudens ille negotiator (de quo in Evangelio dicitur: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*) postquam hujus servi sui certamina, victorias, dona, virtutes, merita, cunctaque facinora heroica è spelunca illius ad sancti Athanasii notitiam contraxisset, isque ea omnia mundo manifestasset, spirituales Ecclesiæ thesauros ineffabiliter locupletarit, nec non Ecclesiam suam per eadem mirè exaltarit. *Quantum præterea* In annot. ad Mart. *cæteris attulerint* (inquit circa acta vitæ ejusdem sancti Cardinalis Baronius) *adjumenti locuples testis est sanctus Augustinus.* Denique quidnam in ordine ad hoc probandum amplius requirere potestis, quàm luculentum S. Athanasii testimonium in præfatione vitæ ejus dicentis: *Perfecta est ad virtutem via, Antonium scire quis fuerit.*

3. *Glorificavit illum.* Multi etenim ex sibi devotis, eum è spelunca sua violenter extrahentes, in Patrem suum eum elegerunt. Quin & Deus illum exaltare voluit, ut Monachismi jam collapsi Patriarcha & restaurator fieret, quo in munere brevi eousque pervenit, prout testantur Annales Ecclesiastici, ut *Brevi tempore factum* Cap. 2. an. 69. *sit, ut repleverint* (hæ plantæ per irrigationem, id est, directionem in immensum excrescentes) *terrarum orbem tam sancta propagine nimirum Palæstinam, Syriam, Asiam minorem; Cappadociam, Pontum, Armeniam, Mesopotamiam & Boreales regiones.*

4. *Glorificavit illum.* S. Chrysostomus, de carcere cui in- Hom. 5. de laud. Pauli. clusus fuit S. Paulus Apostolus, ita scribit; *ipsis etiam Regiis illustrior erat carcere, ipso etiam cælo*; Idem autē de antro prius à feris inhabitato, nunc autem à vivo S. Antonii Sanctuario honorato dici potuit, siquidem ex uno antro, quod præter multa alia viginti annis continuis incoluit, haud secus ac ex Paradiso quodam egressus est. *Quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit.* Et quidem quanto majori cum veneratione honorata fuerunt à S. Antonio inhabitata antra præ omnibus Palatiis aut regiis imperialibus? *Dignum videtur* (scribit S. Ecclesiæ Doctor Hieronymus) *habitaculum tanti viri describere*; ubi no- In vita S. Hilarion. tandum, quod sanctus hic Doctor calamo delineare non dignetur obeliscos, nec Mausolæa, nec Capitolium, bene tamen inhabitata à S. Antonio antra & deserta.

5. *Glorificavit illum.* Postquam in primis vitæ suæ annis omnes divitias suas distribuisset pauperibus, tandem nonaginta solidis annis in extrema paupertate vixit; nec tamen ullius rei passus est defectum; imo verò hæc ejus mendicitas in tanta æstimatione fuit, ut Patriarcha quidam Alexandrinus permagni faciat, quòd post ejus mortem opulentum quoddam & pretiosum legatum acceperit: Ecquodnam verò istud fuit; *Legatarius autem Antonii* (inquit Historicus de semetipso) *benedicti, qui tritum pallium cum melote, imperio ejus meruerat accipere, Antonium in Antonii* Cap. 58.

munerí-

muneribus amplectitur ; & tanquam magna hereditate ditatus, lætanter per vestimentum, recordatur imaginem sanctitatis. Quis unquam in superiorum sæculorum historiis inveniet, Constantinum quendam, ejusque filios Constantem & Constantium, non tanti æstimasse ingentes suos thesauros, quanti fecerunt literas
Cap. 50. S. Antonii, quibus hic ad suas responderat : *His principes susceptis vehementissime lætabantur*.

6. *Glorificavit illum*. Legatis licèt famosissima prælia à nominatissimis belli ducibus, quos mundus unquam vidit, habita, nec tamen in ulla ætate, vel ullo in loco habita fuerint certamina adeo celebria, sicut fuit famosus ille & frequentissimus Antonii cum dæmone conflictus, utpote qui ad perpetuam ejus memoriam & gloriam, in annalibus describitur Ecclesiasticis, totique mundo & quovis tempore stuporem intulit. Ideoque ip-
Cap. 37. semet Deus exercituum ejus conflictibus assistebat : *Antoni hìc eram, expectabam videre certamen tuum : nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in orbe nominari* ; unde *Tantarum victoriarum homo* ab Athanasio appellatur. Imo ipsamet Ecclesia, se ab eo modum infernalis inimici evadendi didicisse gloriatur : *Effectum est, ut post ejus doctrinam, omnes diaboli panderentur insidiæ*. Quis majorem hoc homine desiderare possec ? *Totius orbis homines ad eum confluebant, & universarum gentium varietas, bellicosissimum contra dæmones virum conspicere gestiebant*.

7. *Glorificavit illum*. Sanctus vir Dei Antonius, quibusdam è fidentioribus discipulis, quo ad ea, quæ corpori post mortem fieri debeant, præcepit his verbis,
Cap. 58. *Nullus ad Aegyptum meas perferat reliquias, ne vano corpus honore servetur. Nemo, præter vestram dilectionem : locum tumuli mei noverit*. Et tamen suo illum tempore Deus glorificavit, quia ut constat ex annotationibus ad Martyrologium Romanum : ejus sacrum corpus, sub Justiniano Imperatore, divina revelatione repertum, atque Alexandriam delatum, in Ecclesia S. Joannis Baptistæ, utpotè cui se in vita adeo conformem reddiderat.

8. *Glorificavit illum in conspectu Regum*. Quinam autem sunt hi Reges, apud quos Deus servum suum glorificavit ? In sancto Matthæo Redemptor noster di-
Matth. 13. 6. xisse fertur : *Multi Prophetæ & justi cupierunt videre* : Id quod etiam sanctus Lucas refert, qui tamen loco *justi*, legit *Reges* : quo encomio Spiritus sanctus sanctiores ho-
Lib. 36. in Mat. mines honoravit. Unde Beda : *Sunt Reges magni, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt*. Quibus Deus idem vult deferri consuevit. Imo experientia teste videmus, ipsosmet Monarchas, ut servis Dei sanctitate insignibus, etiamnum viventibus obsequium & reverentiam exhibeant, sese coram illis in terram prosternere, cujus clarum in Ludovico XI. Rege Franciæ habemus exemplum, erga sanctum Franciscum de Paula exhibitum. Porrò in horum Regum conspectu Deus Antonium glorificavit, quia multi viri sancti eum tanquam prodigium sanctitatis fuere venerati. S. Athanasius magnæ sibi fortunæ loco esse censet quod laceram Antonii tunicam, quam, ut diximus, thesauri loco semper habuit, dono sibi ab eodem datam acceperit, quodque ejus vitam scribere meruerit, de quo proinde idem dici potuit, quod sanctus Thomas de S. Bonaventura dixit, quando vitam sancti Francisci scribebat. *Sanctus pro Sancto laboravit*, Sanctus Hilarion, *audiens celebre nomen Antonii* (inquit S. Hieronymus) *quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus visendi studio perrexit ad eremum ; & statim, ut eum vidit, mutato pristino habitu, duobus fere mensibus, juxta eum mansit, contemplans ordinem vitæ ejus*. S. Paulus primus Eremita, nec non S. Paulus simplex, & multi eum magnopere sunt venerati, atque in hoc vel maxime gloriati fuere, quod S. Antonii fuerint discipuli, prouti *in vitis Patrum* videre licet.

Cap. 50. 9. *Glorificavit illum in conspectu Regum*. Enimverò verba hæc etiam literaliter de eo intelligi possunt : siquidem ; *Hoc in eo viro mirabile est, ut hominem in extremo mundi limite conditum, & favor Principum, & omnis celebraret aula Regalis*. S. Gregorius Nazianzenus de
Orat. 10. fratre suo, qui aulam adierat, scribit : *Gloriæ cupiditate ductus in aulam se contulit : non illa sanè rem admodum gratam nobis faciens ; quoniam inter postremos ha-*

Mansi Prompt.

beri apud Deum suavius, & sublimius est, quam apud terrenum Imperatorem primas sedes ferre. Quod si S. Antonius, multis apud Imperatorem favoribus & gratia fuisset inclytus, nunquam in tanta fuisset veneratione & existimatione habitus, qua honoratus fuit à Magno Constantino & filiis ejus, licèt pauper & à mundo contemptus Eremita esset. *Constantinus Augustus*, Cap. 50.
& ejus filii Constans atque Constantius, crebrò ad eum, quasi ad Patrem, missis literis obsecrabant, ut reciprocis eos scriptis exhilararet. Sanctus autem salutaria eis documenta, summa cum libertate Christiana, ministrans eisdem scripsit : *Ne magnam putarent regiam majestatem, ne præsentis carnis imperio tumentes, & se homines esse nescirent, & judicandos à Christo obliviscerentur, ad postremum clementiæ circa subjectos & justitiæ : curæ quoque inopum admonuit ; atque unum sempiternum esse Regem omnium sæculorum, Christum Jesum, Epistolis testatus est*. Conceptus autem & veneratio, qua Cæsar ejusque filii virum Dei prosequebantur, adeo ingens erat, ut non obstante quod eos tanta cum libertate argueret & moneret, *His tamen principes susceptis vehe-* In lect.
mentissime lætabantur.

10. *Glorificavit illum* in cœlo, in terra, & in inferno. Lib. 8. conf. c. 10
In cœlo quidem, quia consortio fruebatur Angelorum, immensis quoque donorum, gratiarumque thesauris, & specialissimis prophetiæ, discretionis spirituum, extasium, raptuum, visionum, revelationum, apparitionum, miraculorum privilegiis fuit locupletatus : Gloriosus etiam factus est coram mundo, quando infallibilis D. Petri Cathedram tanti eum æstimavit, ut ad nudum & solum ejus verbum S. Paulum primum Eremitam canonizarit. Inferno denique factus est venerabilis, pariter & formidabilis, quando *sic dæmonibus formidolosus erat, ut multi per Aegyptum ab illis agitati, invocato nomine Antonii liberarentur*.

11. Porrò abs re futurum non esse hoc loco existimo, si ad memoriam revocemus, quòd Potitianus quondam S. Augustino de illis Imperatoris aulicis retulit, qui vitam hujus Sancti legentes, & gloriam illam considerantes, qua etiam in hac vita præsenti passim sublimatur, hunc inter se discursum habuerunt : Quonam tandem per tot in aula perpessos sudores & fastidia nos perventuros esse arbitramur ? num forte sublimius quid sperare possumus, quàm ut familiaritatem & favorem nobis adsciscamus Imperatoris ? *Sed ibi quid non fragile, plenumque periculis, & per quot pericula pervenitur ad majus periculum* ? Et quidem quousque favor iste Cæsaris durabit ? Quod si verò amici Dei esse velimus, en protinus esse aut fieri possumus. Tandem verò dignitatem, ad quam suprema Dei majestas S. Antonium evexerat, considerantes, ab illa solitudine nequaquam se discessuros esse, sed divino servitio se totaliter consecrare velle decreverunt. Quod factum efficacissimum quoque fuit conversionis S. Augustini motivum. S. Hieronymus de S. Paula scribit : *Quæ unius orbis contempsit* In Epit.
gloriam totius orbis opinione celebratur. Quot sunt Re- Paulæ.
ges, qui antea sæculariter viventes, in solis regnis propriis, in honore & reverentia habebantur : postea verò se Christi jugo submittendo, vitamque ducendo pœnitentem, perfectionisque studiosam & sceptris suis renuntiando, hìc & ubique in veneratione summa habiti fuere, viventes etiamnum & mortui, in cœlo pariter & in terra. B. Franciscus Borgia, quando cadaver imperatricis Granatam, Cæsaris jussu, deducturus, vermes cadaver illud regium devorantes vidit, cogitavit intra semetipsum : Ergone tanto tempore, tali majestati regiæ deservîsti, quæ tandem morte extincta & in putredinem cedacta est. Juro, quòd talem stultitiam deinceps amplius non sim commissurus, sed in futurum tali Domino servitia mea consecrabo, qui nunquam deficiet aut interibit. Hisque cogitationibus persuasus Societatem Jesu ingressus est ; in eaque sanctissimè vixit & mortuus est. Certum equidem est & indubitatum, quod si mundo deinceps servire perrexisset, tantum sibi imo mundo gloriam nunquam comparaturus fuisset, quantam jam nactus est & per mundi generosum contemptum & fervens Dei servitium. Quos dolos & stratagemata Fratres S. Thomæ de Aquino non tentarunt, ut eum à Religione S. Dominici retraherent ? existimantes, in magnum familiæ suæ probrum, vitam illam adeo coram mundo contemptibilem, cessuram esse ; unde per divitias & sanguinis nobilitatem, ei viam ad primas Ecclesiæ di-

gnitates aperire fategerunt. Quas quidem si per vias jam dictas consecutus fuisset, quis illum hodie vel minimè æstimaret? aut quis ex nomine eum nosset? Nunc verò quia dignitates illas recusavit, ad quas summi eum Pontifices promovere nitebantur, quia obedientiam & paupertatem sponte professus fuit, gloriosus est, & per omnia retro sæcula deinceps erit in cœlo & in terra, suamque domum ac familiam, per hanc paupertatem religiosam, & vitam contemptibilem, vel maximè nobilitavit. Porrò S. Antonius, ut ad Dei servitium se animaret, maximi ponderis motivum menti suæ impressit; nimirum: *In præsenti hac vita, æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec majora recepit ab emente, quia vendit: promissæ autem vitæ sempiterna vili pretio comparatur: quando octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere*, vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur; non terram hæreditabimus, sed cœlum.

DE S. SEBASTIANO MARTYRE.

Discursus Sex.

De Perfectione S. Sebastiani, quam in aula Imperatoris illius, qui Fidei Christianæ persecutor erat, exercuit. Et qualiter perfectionem istam, in tam periculoso militis statu tanto tempore occultaverit.

DISCURSUS PRIMUS.

Ambulavit cum Deo, & non apparuit. Gen. 3. v. 24.

1. QUod si quis S. Sebastianum in aula Imperatoris, tanta auctoritate & Cæsaris familiaritate conspicuum (erat enim custodiæ Cæsareæ Dux sive Centurio) necnon in vocatione & professione aulici & militis, adeo ut plurimum dissoluta & licentiosa, constitutum vidisset quis ipsum Principis cui serviebat, partibus firmiter adhærere non credidisset? Et tamen hæc est ingens Dei gloria, quod relicta Imperatoris sui sacrilega impietate, *ambulavit cum Deo*. In illo omnis sacrilegii & impietatis pestilentissimo nido, altissimam maximeque eminentem perfectionem Christianam sibi adscivit, licèt ab oculis humanis illam semper absconderit. Atque ideo sicut de Henoch dicitur: *Ambulavit cum Deo*. ita quoque de hoc Martyre affirmare possumus, licèt in diverso sensu, *Ambulavit cum Deo, & non apparuit*.

2. Verbum istud *ambulare* in Scriptura sacra idem significat, quod ad perfectionem progredi: unde Deus Abrahæ dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus*; atque ideo, licèt ipse sanctitatem suam omni conatu studuerit abscondere & occultare, multas tamen ex hoc verbo, eminentis sanctitatis suæ conjecturas elicere possumus. Perfectissimum illud patientiæ speculum Jobus Propheta, ab ipsissima prima veritate, hoc testimonium accepit, quod in universa terra nullus esset homo similis illi; *Quod non sit similis ei in terra*. Verum, inquies, undenam hæc perfectionis suæ eximia singularitas colligitur? Audite ipsummet forte non extra propositum ad hoc respondentem: *Frater fui Draconum & socius Struthionum.* Quod utique non ideo dicit, quasi Dracones inter & Struthiones habitaverit, sed per Dracones & Struthiones, societatem intelligit impiorum hominum, inimicorum veri Dei. Unde Interlinearis ait: *Bonus inter malos fuit, quod est perfectio bonitatis*. Atque hoc idem est cum eo, quod eadem Interlinearis in principio ejusdem libri circa illa verba: *Vir erat in terra Hus nomine Job*; dixit, illa etenim verba hunc in modum glossat; *Quis dicat: Erat bonus inter malos*. Ecce igitur, unde virtus Martyris nostri mirum in modum eluceat: *Bonus nimirum inter malos fuit*: siquidem inter impiissimos Religionis nostræ inimicos, & in aula quadam, quæ omnis vitii, & sceleris turpe quoddam receptaculum erat, ad summum perfectionis apicem pervenit, *quod est perfectio bonitatis*. Quidam Ptolomæi junioris Ægyptiorum Regis consiliarius, principem illum ad mortem Pompeii qui fugitivus in illis littoribus appulerat, inferendam exstimulans, Lucano referente dixit: *Exeat aula qui vult esse pius*. Ecce igitur tibi mirum quoddam in sancto Sebastiano prodigium; nam tot annis in Diocletiani adeo impii & vitiosi Principis aula habitans, pietatem nihilominus sibi adeo raram & eximiam acquisivit; ut de eo dici potuerit, quod in Ezechiele scribitur: *Increduli, & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas*. Porrò sanctus Bernardus in libris de Consideratione scribit (& quidem ibi solum de aulis Principum, Christianam fidem profitentium loquitur) *Claustrum quosdam malos recipit, quos ut plurimum bonos efficit; at vitia bonos facilius recipere magis quam facere consuevit*. Aula etenim non solum non solet esse schola Christianæ virtutis, sed ut plurimum esse consuevit mare quoddam, syrtibus & scopulis plenissimum, ad procurandum in profundum usque inferni naufragium. Unde ab ipsis usque temporibus suis Jeremias Propheta nos monet: *Fugite de medio Babylonis*. Sed quo fine; *Et salvet unusquisque animam suam*. Verum cur Propheta, *de medio* fugiendum esse dicit: Nimirum hoc inde innuitur mysterium; antiquitus enim Reges Palatia & Regias suas, in medio civitatis fabricare solebant. Quis autem in aulis innocentem aliquem invenire poterit, nisi is forte sit Daniel aliquis, vel Moyses, vel Joseph, aut David? Hæc igitur specialis est sancti Sebastiani gloria, ut proinde ad literam ei adaptare possimus encomium illud adeo nobile Davidis, dicendo: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*. Chaldæus legit: *In societate pestilentium non habitavit*. Sed dices fortasse: nunquid ipse tot annis in pestilentium hominum societate habitavit, qui in aula adeo impia demoratus fuisse noscitur? Ita quidem est, sed in hoc præcipuè consistit prodigium, quod nunquam vitii vel impietatis, quæ in illa pestilentiæ cathedra regnabat, contraxerit contagium. Porrò ut perspicuè quantum ab omni aulæ vitio alienus vixerit, intelligere valeatis, unicum duntaxat argumentum sufficere existimo, cum enim adulatio illius climatis sit veluti quintum elementum, eam semper veluti pestem abominando, declinavit. Primasius illa verba: *Sepulchrum patens est guttur eorum*, ita interpretatur, id est, sepulchrum sunt *verba pestifera & adulatoria, quæ interficiunt audientes: ideo enim sepulchra clauduntur, ne in vita positis, exhalatione sui generent pestem*. S. Sebastianus autem, non obstante, quod à Diocletiano tantopere amaretur, tantisque in delitiis illi esset, hanc tamen à se pestem procul abegit. Undè in Historia vitæ ipsius, hæc ei laus attribuitur: *Fuit in sermone verax*. Et forte haud modicum in eo latet mysterium, scilicet quod cum se non solum ab hoc, verum etiam ab omni alio aulæ vitio illæsum atque immunem conservarit (licet *in societate Pestilentium habitaret*) Deus ipsum, super omnes alios servos suos, hoc privilegio donarit, ut per divinam revelationem, coram toto Christianismo, advocatus declaretur contra epidimiæ Pestem. Certum etenim est, quod Romæ & in pluribus aliis locis, variis temporibus per experientiam efficacia comprobata fuerint patrocinii sui ejus subsidia & auxilia, ad flagellum illud quantocius à nobis removendum.

3. *Bonus inter malos fuit, quod est perfectio bonitatis.*

Marginal notes: Job 2. — Job 30. 29. — Cap. 2. 6. — Lib. 2. de consid. ad Eug. — Cap. 51. 6. — Sur. — Lib. 3. ad Salvian.

tis. Unde verba S. Hieronymi ad Nebridium, facile ei adaptari possunt, dicentis: *Inter fulgorem palatii, & honorum culmina sic vixit, ut se ad Christum crederet profecturum*. Porrò S. Sebastianus dum favore frueretur Imperatoris, adeo conspicuo munere fungeretur eo solum respexit, ut Christianos, qui metu persecutionis illius temporis truculentissimæ vacillabant, tanto firmius atque validius in Christi fide posset stabilire. Unde eo duntaxat fine serviebat Tyranno, ut tanto melius & fidelius servire posset Christo. Quando S. Carmeli Patriarcha Elias in procinctu erat, ut currum

4. Reg. 2. 9.

igneum conscenderet, Eliseus eum rogavit, dicens: *Oro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*. Etenim prima facie petitio isthæc non nemini nimis audax & temeraria videri posset, *quia non est discipulus supra Magistrum*: at

Lib. 2. de mirab. sac. scrip. c. 26.

verò S. Augustinus Elisei sibi vendicat tutelam & patrocinium, dicens: *Cum magno honore & sæculi dignitate, virtutum & Prophetiæ donum habuit, quod Elias profugus, & persecutus, in montibus degens & speluncis, & ejectus ab hominibus retinebat*. Elias à Jezabele & Achab Rege gravissimis infestabatur persecutionibus, ideoque in speluncis fugitivus delitescebat, in quibus ejus solitudo, & continua cum Deo unio & animi recollectio magis magisque adaugebatur: Eliseus autem honorari debebat in magnatum Regumque aulis,

Tr. 13. de verb. Domini.

ideoque fortiori Spiritus robore opus habebat. Idemmet Augustinus alibi dicit: Magnæ virtutis est cum felicitate luctari; magnæ felicitatis à felicitate non vinci: Non est, quod tot aliorum Sanctorum Ecclesiæ Spiritum admiremur, qui in media solitudine, in claustrorum recessibus, in persecutionibus tyrannorum, in suppliciorum carnificina, Deo inservierunt, hæc enim omnia auxiliantur, & cooperantur Spiritui ad perfectionem & exercitium virtutum. At vero in aula vivere, à potentissimo mundi Monarcha favoribus suffulciri constitutum esse in officio honoratissimo, in culmine deliciarum, obsequiorum, thesaurorum plenissimo versari, in professione quadam, de qua Poeta cecinit: *Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur*, aliis imperare; Imo quod plus est, inter medios implacabiles Christi inimicos vivere, degere in ipsomet Idololatriæ, superstitionum, impietatum, & vitiorum centro, & tamen hisce omnibus ad Christianam perfectionem acquirendam uti; hoc vere inauditum quoddam est, nec unquam superioribus sæculis lectum sanctitatis prodigium. *Conjunctionem sanguinis regalis* (inquit Hieronymus de Nebridio) *& affluentiam divitiarum, atque insignia potestatis materiam habuisse virtutum*. S. Sebastianus Cæsaris favore utebatur, non ut aliis supereminere, sed ut sublevaret Christianos oppressos; divitias adhibebat non ad voluptates, vel ad personæ aut domus suæ quodcunque commodum, sed inter pauperes easdem distribuebat. *Quicquid & Imperatoris largitio, & honoris Insulæ dederant, in usus pauperum conferebat*. Idemmet autem quod S. Hieronymus de Nebridio dixit, nos quoque de S. Sebastiano dicere possumus, utpotè de quo Historia scribit: *Quotidie studium Christo exhibebat officium*; id est, ut paulo post ex-

Sur.

pressius declarat, visitando carceres & catacumbas, in quibus Fideles vel incarcerati vel reconditi delitescebant, subveniendo eorum necessitatibus, eosdemque ut in confessione fidei constantes persisterent, exhortando, & animando. S. Hieronymus in eodem loco mentionem quoque facit invidiæ, odii, & æmulationis aulicorum, & qualiter idemmet Nebridius hæc omnia evitare, omnesque aulicos sibi benevolos facere potuerit, pluribus declarat, dicens: *Ministros eorum, & universum ordinem palatii, quo regalis frequentatur ambitio; sic sibi charitate sociarat, ut qui merito inferiores erant officii, se pares arbitrarentur: difficile factu est, gloriam virtute superare, & ab his diligi, quos præcedas*. Admirandus quoque est modus ille, quorum S. Sebastianus in aula versabatur Diocletiani, in qua tot erant homines perversi atque sacrilegi. *Tyrannis erat adeo venerandus, quod videretur in omnibus vir spectatus & probatus, ut connumeraretur inter amicos fidelissimos*. Quod verò alios spectat aulicos, & cohortis suæ milites, quibuscum versabatur quotidie, sic Historia ulterius loquitur: *Hunc milites quasi Patrem venerabantur, hunc universi qui præerant palatio, summo amoris studio complectebantur atque colebant*. Neque id mirum videri debet; siquidem: *Erat vir totius pru-*

Mansi Prompt.

dentiæ, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in commisso fidelis, in bonitate conspicuus, & in universa morum honestate præclarus. Verum quidem est, quod maledicentiæ, odia, malevolentiæ, calumniæ, detractiones, invidiæ suum plerumque nidum in aulis habeant: Veruntamen de S. Sebastiano, cum S. Hieronymo dicere possumus: *Beatus est qui tam* Lib. 2. ep. 30.
sanctè, tamque graviter disposuit vitam suam, ut de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum adversus obtrectatorum libidinem pugnas meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum.

4. Verum enimvero admiratio haud parum adaugebitur, si consideretur, quod inclytus hic Christi miles, licèt fuerit cultus & religionis Christianæ zelantissimus, eandem pro viribus conservando & defendendo, fueritque omnium virtutum Christianarum exercitio tantopere deditus, attamen per tot annos, à tot Argorum oculis, tam cautè se abscondere & occultare noverit, adeo ut nunquam vel minimum appareret, quis aut qualis secundum Religionem esset. Mirandum quidem est, quod in illo statu aulico, gladio accinctus, à Diocletiano in delitiis, summisque amoribus habitus, *ambulaverit cum Deo*: at verò admirationem longè majorem excitat, quod *non apparuerit*. Imò omnibus de eo persuasum

Metaphrastes Sur.

erat ipsum quoque sensus & mentis Imperatoriæ participem atque consortem esse; adeo *ut connumeraretur inter amicos fidissimos, & primas partes teneret*. Et ta-

Hom. de S. Maximo.

men *erat vir per omnia Christianissimus, quem occultabat militaris habitus, & chlamydis usus celabat*. *Diu ille* (verba hæc superius ab Eusebio Emisseno de S. Maximo dicta retulimus) *sub habitu sæculari Christi militem gessit*. Exterius quidem se custodiæ Imperatoriæ invigilare monstrabat, in veritate autem Deus illum elegerat, ut gregis sui haberet custodiam & à rapacis lupi ira defenderet. S. Chrysostomus dicit, quod id, quod nos de virtutibus & meritis sanctorum in eorundem Historiis legimus, minima sit pars eorum, quæ fecerunt; ratio-

Hom. 2. in 2. ad Corinth.

nem illius hanc esse dicit: Quia *quod perperam fecerunt, omnibus ob oculos ponent, quod autem eximium abscondunt, & oblivioni tradunt*. Quod cum verum sit, uti est verissimum, consequens est, quod de gratiis, donis, virtutibus, aliisque actibus heroicis ante suum Martyrium patratis, pauca admodum scire possimus, siquidem is hæc omnia summo studio celarit, & à cujusvis hominis oculis absconderit. *Non apparuit*. Verisimile proinde est, quod omnibus Christianis, in quos beneficum se exhibebat, severè ne id cuiquam dicerent, interdixerit: Martyribus quoque, quorum vulnera clam & occultè curabat, prohibuerit pariter, ne vitam immaculatam & innocentem, quam cum austeritate & corporis sui macerationibus, vigiliis item, orationibus, aliisque omnibus virtutum insignibus conjunctam ducebat, cuiquam manifestarent; quia *nolebat apparere*. Etenim Redemptor noster salutare hoc monitum omni-

Matth. 7. 15.

bus nobis reliquit: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Sed ecce totum oppositum à S. Sebastiano factum est: In exteriori namque specie, lupus quidam, ad gregem Christi dilacerandum, cum Diocletiano conjunctus esse videbatur, seque alium quendam Saulum esse simulabat, & tamen intrinsecus, id est, in operibus quæ abscondebat innocentissima ovis erat: Lupina pelle extrinsecus vestitus erat ut oviculas Christi à rapacitate Lupi tanta posset securius tueri, atque defendere. S. Hieronymus in Epitaphio Nepotia-

Epist. 2. ad Elíod.

ni ait: *Referret alius, quod in palatii militia, sub chlamyde & candenti lino, corpus ejus cilicio tritum sit, quod stans ante sæculi potestates: lurida jejuniis ora portaverit, quod adhuc sub alterius indumentis, alteri militaverit; & ad hoc habuerit cingulum, ut viduis, pupillis, orphanis miserisque subveniret*. Enimvero opera illa misericordiæ & pietatis Christianæ, quibus S. hic Martyr se totum impendebat, vivacioribus coloribus describi, quàm hisce verbis, non poterant: ipse autem eadem in summo secreto occultabat. *Ambulabat cum Deo,*

3. Reg. 18.

& non apparebat. Porrò in Regum fastis accuratam quandam S. Sebastiani effigiem, tot ante sæculis delineatam, inveniemus. Achab namque Samariæ Idola adorans, Eliam omnesque ejus sequaces, qui veri Dei fidem profitebantur, atrocissimè persequebatur, Supremus autem aulæ hujus sacrilegi Regis præfectus, Abdias Pro-

pheta sanctissimus erat, qui diræ famis, & tam atrocis persecutionis tempore centum Prophetis, in diversis speluncis delitescentibus, alimenta clam administrabat: *Abdias timebat Dominum valde*. Hunc igitur Aulæ suæ præfectum Achab ad procurandam castris suis annonam à se dimisit, qui procedens Eliam fortuito obvium habuit, protinus quisnam & qualis esset ingenuè se manifestavit, exponendo quicquid ad obsequium servorum hactenus, quorum omnium Elias nequaquam conscius erat, eo quod ab Abdia occultissimè fierent: *Servus tuus* (ajebat ad Eliam) *timet Dominum ab infantia sua*.
Præfat. in Abdiam. De quo proinde S. Hieronymus ita scribit: *De duce exercitus, fit Dux Ecclesiæ; tunc in Samaria parvum gregem paverat, nunc in toto orbe Christi pascit Ecclesiam*. Totum hoc in S. Sebastiano ad unguem verificatur, qui ex persecutoris intimo & familiari aulico, existimato fidei inimico; *De duce exercitus* (erat enim Cæsareæ cohortis sive custodiæ tribunus seu Capitaneus) *fit dux Ecclesiæ*, unde & Cajus Pontifex gloriosum hunc titulum ei imposuit, ut dicatur defensor Ecclesiæ, utpote qui ad gregem Christianum, tantæ necessitatis tempore defendendum & alendum, singulariter electus fuit.

In laudem S. Sebastiani, multæ veri servi Dei conditiones examinantur, talem enim ipsemet se esse probavit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

1. Mirum quidem vobis prima facie esse videbitur, quod in laudem cujusdam Martyris adeo insignis, antiphonam quandam adhibeam, quam S. Mater Ecclesia de confessoribus legit & canit: veruntamen judicium vestrum ad finem usque discursus, si placet, suspendite; tunc enim videbitis, quam proprium in ea contineatur S. Sebastiani encomium. Dicere quidem possem, quod cum Sanctus Cajus Papa ipsum ex divino utique instinctu, glorioso hoc titulo defensoris Ecclesiæ, honoraverit, ipse titulum hunc in se vere adimpleverit, utpote servus prudens & fidelis, ad directionem familiæ suæ. Congregationis nimirum fidelium providè constitutus. Verum enimvero ad epithetum istud ei adaptandum, nullo alio testimonio opus habemus, siquidem Deus ipsemet illum verum Jesu Christi servum esse fuerit contestatus; Dum enim uxor Nicostrati muta, sermonem sibi, per sanctum hunc Martyrem, restitui desideraret, eumque servum Christi appellaret, Martyr ad hanc gratiam à Deo impetrandam, hunc in modum fari cœpit: *Si ergo verus Jesu Christi servus sum, jubeat Dominus ut redeant ad eam officia labiorum*. Et confestim confirmationem gloriosi hujus tituli, quod scilicet verus servus Christi esset, patratum est immediatè peritum miraculum. Porrò quantum hic titulus in se gloriam contineat, nulla potest lingua sufficienter exprimere. Didonus Alexan-
In Bibl. vet. P. tom. 6. drinus scribit: *Sicuti mortalem gloriam homines appetentes in suis conscriptionibus, dignitates, quas putantur habere, preponunt; ita sancti viri in Epistolis, quas scribunt ad Ecclesias principaliter proferunt se esse servus Domini nostri Jesu Christi, existimantes hanc appellationem, supra regna totius mundi consistere*. Unde Sanctus Jacobus Epistolam suam sic inscribit: *Jacobus Dei & Domini nostri Jesu Christi servus*. S. Paulus item: *Paulus servus Jesu Christi*: Id quod Chrysostomus ponderans notavit, quod hoc præcipuè titulo usus fuerit, dum Romam, quæ caput mundi, magnorumque ac speciosorum titulorum est ambitiosa, Epistolam suam exa-
Hom. 8. de Epiph. ravit: *Orbis Dominum gerenti, & de magnis dignitatibus glorianti & superbienti, tanquam quid ad illius dignitatem responderet, imo quod multo esset majus incomparabiliter & consulatum excederet & Regnum, & orbis principatum hoc posuit; nempe Paulus SERVUS JESU CHRISTI* S. Chrysostomus dicit, quod quando Rex ille sacrilegus, tres illos Hebræos pueros *servus Dei* appellavit: *non ita gavisi fuissent, si vel Reges eos, vel orbis Dominos vocasset, atque quod dixit servi Dei;* Omnes quoque excellentissimi, Deoque acceptissimi sancti veteris Testamenti, nomen istud permagni æstimarunt. Unde Abraham dicit *Invenit servus tuus gratiam coram te*. Jacob quoque: *Servus meus Jacob*. Similiter Moyses, *Moyses servus Domini*. David etiam ait: *Servus tuus sum ego*: Denique Daniel: *Daniel serve Dei*, Deus itidem notum facere volens, quod nullus in toto mundo, Jobo in sanctitate similis esset, nobilissimum istud ei dedit epithetum: *Nunquid considerasti servum meum Job?* Adeoque dum gloriosus hic titulus, servus Dei, cœlesti oraculo, per miraculum confirmatus, S. Sebastiano attribuitur, idem eminentis suæ sanctitatis, gloriæ, & honoris irrefragabile testimonium esse dici potest, idque ab eo pronuntiatum, qui Spirituum ponderator est. Veruntamen tituli hujus meritum crescit, si qualiter se ad eum qualificaverit, penitus consideremus.

2. *Verus servus Jesu Christi*. Omnibus passim notum Luc. 17. 10.
est & manifestum, quantum in obsequium Dei, & Ecclesiæ ejus fecerint Apostoli. Et tamen Salvator noster, cui hæc omnia perspicuè cognita erant, siquidem copiosa illa messis, quam ipsi messuri erant, eidem ab æterno præsens erat, ad eos dixit: *Cum hæc omnia fe-* 4. Reg. 3.
ceritis dicite servi inutiles sumus. Qualia igitur sanctus hic Martyr apud Ecclesiam merita habere debuit, qui non solum à Vicario Christi Cajò Papa defensor Ecclesiæ, sed etiam ab ipsomet Deo servus suus, servus inquam verus, non inutilis fuit appellatus, siquidem Ecclesiam, per tot annos à duobus Imperatoribus dira crudelitate convulsam, & dilaceratam S. Sebastianus salvam conservavit. In Regum fastis, tres Reges cum exercitibus valde numerosis surrexisse leguntur, ut junctis viribus adversus Moabitarum Regem dimicarent. Dum autem de victoria periclitarentur, ad Eliseum confugerunt. Quid fit? Num forte hic Propheta militiæ bene gerendæ gnarus aut peritus erat? aut verò aliquod sive in milite, sive in pecunia subsidium subministrare poterat? vel expectabatur ab eo, ad inimicum superandum consilium aliquod opportunum? Nequaquam: quin potius Chrysostomum auscultare libeat dicentem: *At* Hom. 27. ad Hebr.
quo bello erumpente Palæstina in tantum adducta periculum, ut funditus exscindenda esset, Judæorum Reges misso exercitu, missis peditibus, sagittariis, equitibus ducibus, centurionibus ad Elisei preces se receperunt. Quanti autem hujus viri Dei preces illos existimasse putatis? *Existimabant enim Dei servum sibi multarum myriadum instar esse*. Certum est pariter, sanctam Dei Ecclesiam, illo sæculo, à duobus Imperatoribus Maximiano & Diocletiano, ex omni parte gravissimè fuisse infestatam, adeo ut ultimum ei exterminium comminari non dubitarint, sed quo modo defensa fuit? Num forte per submissas de cœlo Angelorum legiones: aut magnatum corda in ejus favorem convertendo? Minimè gentium; unicus ad hoc præstandum sufficiebat S. Sebastianus qui ut piè credi potest, interius à Deo permotus, sub habitu & chlamyde militari, in servitium persecutoris se addixit, ut Christianos hac ratione securè posset defendere, Tyranni detegendo insidias, & persecutiones. Divina etenim providentia, quæ dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eum; existimavit Dei servum multarum myriadum instar esse*. Hunc adversus omnes Ecclesiæ suæ inimicos, veluti baculum seu fulcrum quoddam inexpugnabile esse voluit.

3. *Servus Jesu Christi*. In pluribus Sacræ Scripturæ Joh. 1. 2.
locis, gloria, qua Moyses à Deo exaltatus fuit, sub hoc nomine *servus Dei* exprimitur. *Post mortem Moysi* Hebr. 11. 24.
servi Domini. Et paulò post: *Moyses servus meus mortuus est*; Eundem Moysis titulum S. Sebastiano aptè pariter communicare possumus, utpote qui illi valde fuit conformis, præcipuè in illa separatione, quam in Moyse admiratur Apostolus dicens. *Grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo suo, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi*. Ubi Theodoretus per ly *temporalis peccati* aulam intelligendam esse censet. Hoc idem Martyr noster tanquam verus servus Dei adimplevit, cùm enim apud Imperatorem in honore & summa auctoritate esset, in medio dignitatum & thesaurorum tanti Imperii, quale Romanum est, tanquam illius præcipuus & nobilissimus Minister constitutus, odium Pharaonis,

nis, id est, Imperatoris Diocletiani sibi conciliare, & sagittatum ipsius signum vel scopus fieri, seque paupertati Christianæ adstringere maluit, quam in Cælesteis favoribus perseverare. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Ad hæc sicut Moyses in aula Ægyptiaca existens, populum suum occultè defendebat; ita quoque S. Sebastianus, quando de obsequio fidei agebatur; larvam, sub qua occultabatur, sibi detraxit, seque quis verè esset, palam coram omnibus manifestavit. *Servus Jesu Christi*. Porrò servi antiquitus nomen Domini sui, cui serviebant, sibi insculptum vel inscriptum deferre solebant.

Epist. 35.

Unde Seneca ad hoc alludere, & ostendere volens, quòd non profiteretur sectam alterius, sed liber esset, scripsit: *Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero*. Imo & in iis, qui veri servi Dei existunt, videre licet

Apoc. 14. 1.

in Apocalypsi, quod nomen Dei in fronte referant: *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*. Atque ideo S. Sebastianus nomen Christi, non in corde tantùm, sed & in fronte portavit. Unde non sine mysterio in Historia sua appellatur: *Vir per omnia Christianissimus*. Enimvero quantum hic frontis character olim æstimatus fuerit, ex textu quodam Epistolæ S. Petri perspicuè colligitur: Dicit enim hic Apo-

1. Pet. 4. 16.

stolus: *Si autem ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine*. Unde cùm S. Sebastianus dicatur *Christianissimus*, facilè licet conjicere quanti hunc titulum servi Christi fecerit; ut autem omnibus palam fieret, se hunc titulum nequaquam temerè sibi usurpasse, sed jure promeritum esse per manifestum miraculum superaccessit juris hujus divinum testimonium. Mundus quidem, qui aliud, quàm quod sub sensum cadit, videre non potest, S. Sebastianum Diocletiani inimici Christi servum existimare poterat, talis enim extrinsecus esse videbatur; sed nequaquam ita erat; voluit enim Martyr, ut omnibus palam fieret, quòd in tantum Tyranni illius servus esset, ejusque servitutem profiteretur, in quantum hoc ipsum ordinaret ad hoc, ut verus esset servus Jesu Christi; id est, ut Ecclesiam Dei tantò potentius & efficacius defendere, divinumque cultum ejus tanto ardentius promovere posset. Unde S. Sebastiano adaptari commodè possunt illa S. Leonis verba, quæ de S. Laurentio scribit: *In honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicii*, nam quando alligatus est, ut esset signum ad sagittas, ad obscurandam ejus gloriam, Tyrannus præcepit, ut Lamella ei appenderetur, in qua eum Christianum esse exprimeretur; id quod ad maximam ejus gloriam cessit. *Si autem ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine*, quod sanctus hic Martyr adeo heroicè fecit, ut meritò dici meruerit *Christianissimus*.

4. *Servus Jesu Christi*. In Martyrio S. Luciæ legitur, quod cùm Tyrannus sanctæ huic Virgini dixisset. *Cessabunt verba, cum ventum erit ad verbera*; illa respondetit: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante Reges & Præsides nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis*. Audite igitur, qualiter etiam ex hoc capite titulum servi Dei jure meruerit; neque enim solùm in *conspectu Principis loquebatur sapientiam*; verùm etiam tametsi tanquam inclytus belli dux & miles nil præter gladium vibrare, & tractare didicisset, attamen quando validissimi ictus, quibus duo fratres Marcus, & Marcellianus, ab amicis, parentibus, uxoribus, patribus, cunctisque aliis, qui eos à vera fide remotos esse cupiebant, graviter pulsabantur; retundendi erant, ehem quam generosè inclytus hic Christi miles, alium

Ad Ephes. 6. v. 17.

quoque ensem, de quo scriptum est: *Gladium spiritus, quod est verbum Dei*, stringere & vibrare noverat; Hos namque præfatos fratres per eloquentiam supernaturalem efficacissima argumenta, perque energiam veluti miraculosam in confessione fidei Martyrii sufferentia taliter confirmavit, ut clarè & perspicuè satis dignosci potuerit, concionem istam à Spiritu sancto ei dictatam fuisse. Unde Baronius: *Oratione, vi divini spiritus sibi administrata, eosdem pene desertores effectos revocavit ad castra*

An. 284.

Cujus indicium fuit, inquit Historia vitæ ejus, lux quædam miraculosa, super ipsum de cœlo dilapsa: *Cum hec ex suo ore proferret, subito*

Mensi Prompt.

per unam ferè horam, splendore nimio de cœlo veniente perfusus est.

5. *Servus Jesu Christi*. Impius ille Babiloniæ Rex, quondam tres pueros illos ligatis manibus & pedibus, in fornacem conjici præceperat, & tamen postquam patratum circa illos audisset prodigium, quòd scilicet ignis *non tetigit eos nec contristavit*, oti fornaci s appropinquans eos ad se accersivit. Verùm qua ratione illos manibus pedibusque vinctos ambulare potuisse existimas? Memorandum est igitur, quòd, uti alibi quoque insinuavimus, servos Dei illos denominaverit: *Servi altissimi*, inquit Chrysostomus. Licèt enim illos duris vinculis fortiter adstrictos esse non ignoraret, insuper tamen etiam sciebat, quòd tanquam servi Dei illa rumpere possent. *Servis enim Dei omnia possibilia sunt*. Enim vero nunc in tot à S. Sebastiano patrata miracula oculos vestros defigere, & præcipuè in illud, quo postquam sagittis transfixus, & veluti mortuus relictus fuerat, totaliter iterum revixit & sanitati pristinæ, toto corpore restitutus fuit; necnon & in alia diu ante operatus fuit; & illa mirari desinite, quia *Servis Dei omnia possibilia sunt*.

Dan. 3. 50.

Hom. cit.

6. *Servus Jesu Christi*, Deus adversus Eliphaz, aliosque duos amicos ipsius, graviter indignatus, modum quo illis placari posset, eos pariter docuit, dicens: *Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam*. Atque hinc licet evidentem quandam demonstrationem eruere, per quam manifestum fiat, quàm hic servus Dei S. Sebastianus, suæ divinæ Majestati gratus & acceptus fuerit, siquidem eo tempore, quo Divinæ justitiæ furor, adversus populos, Provincias, & regna vel maximè exardescebat, fulmina iræ suæ vibrando, id est, immittendo quaquaversum epidimiæ pestem, tametsi ad eam placandam nonnunquam offerrentur sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pœnitentiæ opera, omnia tamen hæc bona opera, manu hujus veri servi sui oblata esse, cumque pro malorum illorum ablatione, intercessionem suam interponere voluit, prouti postea reipsa factum est, hic Romæ & Mediolani tempore S. Caroli, nec non & in aliis locis, prouti testatur Baronius. *Ite ad servum meum Sebastianum faciem ejus suscipiam*. Baronius etiam postquam Altaris in Ecclesia S. Petri ad vincula ad honorem hujus Martyris erectionem, prævia divina revelatione factam narrasset, simulque promissionem, qua post altaris illius erectionem, pestem illam cessaturam esse asseverabatur, recensuisset, in Annalibus suis subjungit. *Ex hoc propagata ad posteros religio, ut pestis tempore, voti causa, imago ejusdem diversis in locis pingi soleret, & in ejus memoriam altaria erigi, imo etiam Ecclesiam fabricari*.

Job. c. ult.

An. 280.

7. *Servus Jesu Christi fidelis, & prudens, uti*, à principio in proposito themate diximus, *quem constituit Dominus super familiam suam*. Enimverò in præsenti discursu sanctum Sebastianum Moysi comparavimus, idque in nonnullis prærogativis, cur igitur non etiam hanc ei laudem adscribere poterimus, nimirum, *Fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus?* Suæ etenim servitutis erga Deum fidelitas tantò erat admirabilior, quantò magis servituti ejus, qui maximus Dei & Ecclesiæ inimicus erat, irretitus hærebat. *Et prudens* vocari meretur, et qui in Historia vitæ suæ prudentissimus nominatur: *Erat vir totius prudentiæ*. Hanc autem prudentiam in eo vel maximè probabat, quòd super se tot annos adeo cautè nosset abscondere & occultare, quodque uno eodemque tempore in eo, quod munus suum civile & politicum spectabat, suam erga Imperatorem fidelitatem, in aliis quoque ad cultum & servitium divinum spectantibus fidelitatem, qua Deo obstringebatur, miro artificio exequeretur. Dixerat quidem cœlestis Magister noster Christus: *Nemo potest duobus Dominis servire*; ejusque hanc rationem reddit: *Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet*. Sanctus autem Sebastianus per suam prudentiam, utrumque servitium adeo exactè simul conjungere novit, ut tam Imperatoris quàm Dei sibi gratiam conciliaret, nec tamen intermittebat odio interius prosequi Diocletianum tanquam Ecclesiæ Dei persecutorem, nec exterius debito suo deerat servitio, ita tamen ut illud, ad majus Dei obsequium & fidelium utilitatem ordinaret.

Hebr. 3. 5.

Sur.

D 4 8. Ser-

8. *Servus Jesu Christi.* Enimvero S. Sebastianum verum fuisse Jesu Christi servum: ipsiusque divino servitio totaliter deditum, difficulter sustineri posse videtur, siquidem ab Imperatoris imperio totus dependens, tanquam Cæsareæ custodiæ tribunus ejus merebatur stipendium. Attamen facilis est responsio, scilicet: *Homo videt, ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Etenim quod Deo præstatur obsequium, consistet in rectitudine intentionis nostræ, in cordis nostri devotione, & in amore erga Deum. *Fili præbe mihi cor tuum.* Cognoscebat igitur Christus, quòd, quidquid S. Sebastia-
1. Reg. 16. 7. nus operabatur in servitium Imperatoris, id totum ex amore Dei faceret, & ad Christianorum obsequium, Ecclesiæ beneficium, Fideique suæ defensionem & stabilimentum ordinaret; ideo enim serviebat Tyranno, *ut Christianorum animos quos inter tormenta videbat de-*
Sur. *ficere, confirmaret, & Deo redderet animas, quas Diabolus conabatur aufferre. Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperis?* inquit S. Leo ad Valerianum ob martyrium S. Laurentii; cui simile quid S. Sebastiano dicere possumus: *Quid non ad Dei gloriam ingenium tuum reperis?* Omnem namque Imperatoris favorem, munera militaria, divitias, imperia, & quicquid in aula Cæsaris habebat, ad majorem Dei gloriam ordinabat. Per illam namque auctoritatem & confidentiam, qua apud Cæsarem tanti valebat, liberum ad eundem unà cum omnibus fidelibus aditum habebat, nec quisquam, eum nostræ Religioni addictum esse, suspicari poterat. Quas Diocletianus adversus Fidem orthodoxam animo suo decreverat impias resolutiones, protinus Christianis manifestabat, ut fugendi vel occultandi se tempus sufficiens haberent. Pecunia, quam ex suis merebatur stipendiis, eorum subveniebat necessitatibus, atque hac ratione inimico Dei inserviendo, Dei servitio totus intentus erat. Nescio an aliquando observaveritis, quòd sacrilegus ille Babyloniorum Rex, licèt Danielem, qui è charissimis aulicis suis unus erat, suo obsequio totaliter deditum, & intentum videret, eum ta-
Dan. 6. 2. men servum nominaverit: *Daniel serve Dei.* Ubi Theodoretus ait: *Ipsum non suum sed Dei servum appelat.* Imo antea dixerat: *Daniel serve Dei viventis; Deus tuus, cui tu servis semper.* Equidem quòd Rex ille dixerit: *Deus tuus, quem colis semper*, id quidem non adeo admiror, valde tamen mirandum est, quòd dixerit: *Cui tu servis semper.* Siquidem Regis servitio jam dedicatus erat. Quia ad hoc respondendum esse existimatis? Nimirum: Deus Principes hujus terræ in hac vita veluti suos voluit esse locumtenentes: vultque, ut licèt pessimis sint moribus imbuti, illis tamen in omnibus subjecti & morigeti simus, atque ideo ab ipsis nascentis Ecclesiæ princi-
1. Pet: 2. 18 piis S. Petrus hoc nobis monitum suggessit: *Subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis* S. autem Sebastianus plus faciebat, siquidem quod inimico Christi exterius exhibebat servitium, interius ad majus ejusdem Christi ordinabat obsequium. Neque de hoc ulla ambiguitas esse potest aut controversia, siquidem id ipsum infallibilis & æterna veritas fuerit contestata. Porrò Cajetanus super illa ver-
Jos. 1. 2. ba: *Moyses servus meus mortuus est*, scribit: *Deus ipse testatur, placuisse sibi officia Moysis appellando ipsum servum suum;* Nos quoque id ipsum de S. Sebastiano asserere possumus. Licèt enim tot annis Tyranni aulicus fuerit, Deus tamen per miraculum & cœleste testimonium, eum verum Jesu Christi servum esse declaravit.

In laudem S. Sebastiani textus quidam Isaiæ exponitur.

DISCURSUS TERTIUS

Posuit os meum, quasi gladium acutum, umbra manus suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me, & dixit mihi, servus meus es tu, quia in te gloriabor. Isaiæ c. 49. v. 2.

1. ISaias propheta legis Evangelicæ eventus prophetico spiritu prænuntiavit, & ad literam, ni fallor, in verbis propositi thematis sanctum nobis Sebastianum descripsit; qui utpote divino benefactori suo gratus, singularissima ab eo recepta dona & beneficia, grata mente recognoscit.

2. *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Chaldæus legit: *Verba mea.* Verba igitur sua acutissimo gladio Heb. 4. 12.
similia esse dicit: *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus.* Unde efficaciam sermonis, quam in prædicando Dei verbo Deus illi concessit, his verbis agnoscit. Et revera mystici illius gladii, quem Christus in terram se detulisse declaravit, propriissimos effectus in ejus ore deprehendimus. Dicit enim Christus: *Non veni pacem mittere sed gladium.* In quo autem gladius iste consistat, explicare pergit dicens: *Ve-* Matt. 10. 35.
ni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis domestici ejus; qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. En tibi igitur effectus, quos operatus est S. Sebastiani gladius: *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Pater & mater, filii & uxores, & omnes alii SS. Marci & Marcelliani amici & domestici inter se convenerant, ut unus post alium eosdem ab hoc impugnaret, fortiterque urgeret, ut Tyranno cederent; jamque res eousque devenerat, ut *inter uxorum lachrymas & suspiria filiorum,* Sur.
cœperint milites Christi mollescere, & animis dolore permoveri. Sanctus autem Sebastianus eosdem tanta cum facundia, & animositate gladio verbi Dei aggressus impugnavit, ut *contraria oratione, vi Divini spiritus* An. 282.
sibi administrata, eosdem pene deserteres affectos, revocarit ad castra. Neque enim illos tantum confirmavit ad fortiter subeundum Martyrium, cavendumque, ne se à parentum, filiorum, uxorumque suarum amore emolliri permitterent: Verùm etiam multos ex illis, qui ad sanctos illos fratres pervertendos convenerant, quorum sexaginta quatuor erant, ad idololatriam detestandam, nostramque fidem profitendam induxit: qui proinde quasi *fideles milites parabant animos suos ad dimicandum pro Christi nomine, in martyrio bellaturi, ita ut mulieribus & infantulis amor ferveret martyrii, & invicem se ad confessionem sancti Nominis, contra Diabolicas acies communirent.* Quando Christus Dominus noster turbam incredulam admirabili cum facundia refutabat, mox devota quædam mulier exclamare cœpit, & dicere: *Beatus venter qui te portavit.* Sic quoque dum S. Sebastianus duobus prædictis fratribus, cunctisque aliis, qui ad eos in Apostasiam seducendos cospiraverant, admiranda cum energia concionaretur, uxor Nicostrati in ejus laudem perspicuis verbis prorumpere cœpit, dicens: *Beatus es tu, & benedictus sermo oris tui.* Enimvero quia mysticus hic gladius in Apocalypsi visus est ex utraque parte fuisse acutus: *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat:* Hugo Cardinalis, duplex illud gladii acumen hoc sensu exposuit: *Ut sermo prædicationis sit penetrativus* Apoc. 1. 16.
apud homines, & sermo orationis apud Deum. Ac proinde quando sanctus Sebastianus Deo dicit: *Posuit os meum quasi gladium acutum:* inferre voluit, Deum efficaces quoque reddidisse suas orationes. *Orationibus meis efficaciam dedit.* Et revera ita omnino fuit; Ecclesia etenim in summis & urgentissimis necessitatibus constitura, a tot sæculis persæpe experta fuit quam efficax ejus intercessio fuerit. Postquam sanctus Propheta Job, Deum nobis adeo iratum repræsentasset, ut eum nullus placare aut reconciliare posset, paulo post tamen subjungit, quod sub eo curventur, qui mundum sustentant. *Deus, cujus iræ nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem.* Circa quæ verba sanctus Hieronymus Job. 1. 13.
dicit: *Portantes orbem sancti rectè intelliguntur, qui gloria meritorum suorum, magni & potentes sunt apud Deum: hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati. Ita sancti portant mundum, dum eum, ne ruat ac pereat, orationum fortitudine sustinent.* Verissimum Ecclesiæ fulcrum dici potest sanctus Sebastianus, cui proinde sanctus Cajus Papa hunc titulum attribuit, ut defensor Ecclesiæ appelletur. Porrò inter propriissima arma, quibus justitia Dei vindicativa uti solet, nec bellum, nec fames, sed sola pestis numerari meretur, id quod David dicere voluisse videtur, cum hoc flagellum eligens ait. *Melius est ut incidam in manus Dei*, quasi hoc solum 2. Reg. 24.
à Deo immediatè procederet. Orationes autem, & 14.

inter-

intercessiones sancti Sebastiani, divinæ justitiæ arcum inermem efficiunt, prouti variis temporibus ipsa nos docuit experientia, & præcipuè quidem hic Romæ, prouti in Annotationibus Martyrologii Romani refertur, ubi in Ecclesia S. Petri ad vincula altare quoddam in ejus honorem erectum esse dicitur: *Divino monitu ibidem altare ad luem propulsandam erectum est, temporibus Papæ Agathonis: unde etiam provenisse videtur ut posteri Fideles eundem sanctum ad evitandam imminentem pestis cladem consueverunt habere patronum.*

3. *In umbra manus sua protexit me.* Septuaginta legunt: *In protectione:* Et Hugo Cardinalis ad nostrum propositum: *Potentia sua servavit me a persecutione inimicorum, sicut umbra servat ab æstu.* Enimvero totidem in aula inimici numerantur, quot aulici. Unde Seneca ait: *Quot servi, tot hostes.* Quot ibi ad pessundandam collegam audiuntur calumniæ, æmulationes exercentur? Cum igitur sanctus Sebastianus in aula Imperatoris aulicus fuerit nequaquam minimus, quis dubitare potest quin sui in eadem aula collegæ omnes Martyris gressus & conatus diligenter investigarint, ut ad eum præcipitandum & pessundandum in Diocletiani inimicitiam eum redigerent. Præterea ut pro tanto tempore ab ira & furore Tyranni defendi & occultari posset, nullam sibi aliam, quam omnipotentis manum requisivit: *Potentia sua servavit me à persecutione inimicorum.*

Cornel. à Lap. 4. *Et posuit me sicut sagittam electam.* Per sagittam electam Apostoli, omnesque alii viri Apostolici intelliguntur. Enimvero duplici armorum genere ut solent milites, prouti nulli non notum est, nimirum ense, quo cominus & sagitta, quo eminus hostem vulnerare satagunt. Porrò David Psal. 44. de Christo populos convertente agens dicit: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Mox verò subjungit: *Accingere gladio tuo super femur tuum.* Et Paulò post: *Sagitta tua acuta populi sub te cadent. Christus enim per se & Apostolos, tam gentes vicinas quam remotas potenter & velociter debellavit, & sua fidei subjugavit.* S. Sebastianus autem non solum fuit ensis comminus percutiens, verum etiam sagitta Dei electa, ad feriendum eminus & à longe; quis enim dicet quod ipse per auctoritatem & favorem, quo apud Diocletianum plurimum valebat, adversum Christianos suscitandas strages, non solum Romæ, verum & in omnibus aliis mundi partibus clam impediverit? Innumeri haud dubie fuere fideles, quos ipse intra tot annos, à truculenta illa persecutione fuit tutatus, eisdem, ut se tempestivè satis salvarent, commonendo, aut verò eisdem secretò consulendo, ut ad generosè certandum se animarent. Porrò sagitta quædam è pluribus selecta à sagittario peculiariter reservatur, ut per eandem ictum aliquem optatum facere possit in tempore opportuno, ideoque eandem in vanum non facile ejaculatur. Etenim divina providentia inter tot illius sæculi Martyres sanctum Sebastianum specialissime elegit, eumque in ipsius persecutoris aula occultavit, ut opportuno tempore ea uti posset, ad animandum videlicet duos illos fratres Marcum & Marcellianum in hac civitate adeo insignes qui in fide vacillabant, necnon ad Chromatium, plurimosque alios convertendos, denique ad fidem nostram exemplo suo & admirabili martirii sui constantia, magis magisque solidandam.

Ps. 44. 4.

Serm. 2. in Can. 5. *Sagittam electam posuit me.* Quæ verba juxta expositionem sancti Bernardi de Dei amore etiam interpretari possunt: *Sagitta electa amor Christi.* Ad hujus sagittæ ejaculationem anima pectus suum denudare cogitur: *Denuda membra tua, & prabe te jaculo electo, siquidem Deus sagittarius est.* Hac sagitta cor etiam sancti Augustini vulneratum fuit ipsomet teste, dum ait: *Sagittaveras tu Domine cor nostrum charitate.* Quis autem hoc Martyre verius dicere potuit: *Posuit me sagittam electam* utpote quem Deus, postquam cor ejus accendisset inextinguibili divini amoris igne, insuper ad corda aliorum, quos ad fidem convertit, inflammanda elegit, efficiendo, ut mundum & quidquid in eo pretiosum inveniri potest, promptissimè deserant.

Lib. 9. c. 2.

6. *In pharetra sua abscondit me.* Hugo Cardinalis verba hæc oriri sancti Sebastiani sub tali expositione ingerit, ut ad præsens nostrum propositum melius adaptari non possint. Dicit enim: *Sicut sagittarius optimas sagittas abscondit, donec veniat tempus extrahendi, ita Dominus abscondit me, donec opportunitas manifestandi venit: sagitta electa reservatur usque dum necesse sit.* Et ad hoc declarandum, exemplo utitur noster Redemptoris; Hic enim inquit: *Reservatus est in sinu Patris, donec venit plenitudo temporis; ita dicitur ad Galat. 4. & tunc missus est, ad vulnerandum corda fidelium promissione bonorum & comminatione pœnarum.* Ecce tibi hic de sancto Sebastiano casum in terminis, qui virtute divina à Diocletiano & tota ejus curia occultus & absconditus servatus est, adeo ut eum Christianum fuisse nemo adverterit, tempore autem opportuno quando ita tulit & poposcit necessitas, eundem manifestavit, quando nimirum opus fuit, ut constantes in fidei confessione contineret fideles; multosque ad eandem efficacissimè converteret: *Promissione bonorum & comminatione pœnarum*, prouti ex ejus discursu latius videre licet. *Abscondit me*; idque Deus operatus est valde mirabiliter; dicit enim Historia. *Quod quotidie sedulum Christo exhibebat officium, sed tamen dabat operam, ut id sacrilegis Regibus esset incompertum.* Sur. Verum enim vero quisnam obsecro à toto Argis sibi potuisset prospicere, nisi ad id concurrisset specialissima Dei assistentia? dicit etenim scriptor quidam modernus, quod in aulis haud secus ac in terra inimicorum, oculus hominis quaquaversum esse debeat valde circumspectus, caputque ad omne quod movetur, inflecti, nec unquam desistat palpitatio cordis. Idque vel maximè in sancto Sebastiano adimpleri debuisse, utpote qui observabatur & censurabatur ab omnibus. In Palatio etenim velut in medio inimicorum morabatur, nam ipsemet Imperator, apud quem benevolentia, & favore plurimum pollebat, maximus erat illius inimicus. Interea verò maximam in semetipso concipere debebat in Deum fiduciam, intraque semetipsum dicere: *In Pharetra sua abscondit me; ad hoc tantum sub chlamyde terreni imperii Christi militem tegebat absconditum, ut Christianorum animos, quos inter tormenta videbat deficere, confirmaret, ut Deo redderet animas, quas Diabolus conabatur auferre.* Sur.

7. *Et dixit mihi servus meus es tu.* Nec hoc probatione ulla indiget, utpote quod præcedenti discursus sufficienter examinatum fuit. Nihilominus egregiam quandam Hugonis Cardinalis expositionem horum verborum ausculta; sic enim prædicta verba glossat: *In operatione fideli & prudenti specialiter servies mihi in cultu meo.* Id, quod sanctissimo Martyri nostro congruentissimè adaptatur: Hic enim fidelitatem erga cultum & servitium Dei exhibuit, attamen cum prudentia conjunctam; neque enim semetipsum palam manifestavit quis esset, nisi quando idipsum prudenter faciendum erat. Specialiter etiam Deo in ejus cultu servivit, ideoque singulariter in defensorem Ecclesiæ electus fuit,

8. *Quia in se gloriabor.* Hæc sunt ultima verba in themate à nobis proposita; quæ Hugo Cardinalis ita exponit: *In te*, id est *in conversis per te laudabor, & gloriosus apparebo.* Sanctus autem Sebastianus, præter illos, quos in aula existens, occultè ad fidei agnitionem adduxit, qui nobis sunt incogniti, insuper Chromatium Præfectum Romanum, & mille quadringentos alios ex ejus familia, qui omnes sacrum recepere Baptismatis lavacrum, ad Dominum convertit. Porrò Deus, qui *glorificantes se glorificat*, Sebastianum glorificavit, dum Romæ summis Pontificibus inspiravit ut Ecclesiam quandam adeo insignem in ejus honorem erigerent, quæ septem urbis Romanæ illustrioribus Basilicis mereretur accenseri, eamque tot inæstimabilibus corporum, & Reliquiarum sanctorum Martyrum thesauris circumquaque locupletavit, è quibus totus quaquaversum nobilitatur & illustratur Christianismus. Modica quoque pars ossium ejus in Franciam delata, innumera operata est miracula; unde Baronius ait: *Tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum in omni genere sanitatum emicuit, ut à nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas valeat enuntiari; quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, ut humanæ imbecillitatis fidem excellerent.* An. 826.

Quibus

Quibus armis invictus Christi miles spiritualiter munitus fuerit, exponitur.

DISCURSUS QUARTUS.

Induti loricam justitiæ, sumentes scutum fidei, & galeam salutis, & gladium spiritus.
Ad Ephes. cap. 6. v. 15.

1. S. Paulus Apostolus probè sciens vitam nostram militiæ per similem esse: *Militia est vita hominis super terram*; quibus armis ad pugnandum cum inimico, eumque vincendum, muniendi simus docere nos voluit, dum ait: *Induti Loricam &c.* Porrò dum sanctum Sebastianum non solum in militari munere quod apud Imperatorem sustinebat, consisteotem, verum etiam insigni illo Epitheto dignissimi Christi militis honoratum peni-
Ann. 286 tus considero; de illo enim dicitur: *Cum Christi esset dignissimus miles*, operæ pretium futurum esse existimo, ut arma quibus indutus fuit, pariter consideremus, quæ nisi fallat, non fuerunt alia, præter illa, quæ in themate præsenti sunt enumerata, prouti hoc eodem discursu videbimus.

2. *Loricam justitiæ*. In pluribus sacræ Scripturæ locis, per hoc nomen Justitiæ, Christiani hominis perfectio significatur. Inde Chrysostomus super illa verba: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum*; dicit: *Justitia est omnis virtus*. Isaias verò perfectionem Chri-
Isaiæ 59. 17. stianam Loricæ nomine insignivit. *Indutus est justitia, ut Lorica*. Idemmet Chrysostomus hunc locum Thematis ad Ephesios ait: *Lorica justitiæ, est catholica & virtute prædita vita*. Hac Lorica quaquaversum indutus fuit S. Sebastianus, utpote existens in omni genere perfectissimus, & tametsi in medio Idololatrarum, & fidei persecutorum degeret, vitam tamen semper duxit innoccotem, catholicam & exemplarem. Enimvero si
Pf. 100. 2. David de se glorietur dicens: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ*, quid mirum siquidem
Pf. 100. 6. Poeta canat; *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Tota ejus aula innoccoter vivebat, quia optimum ob oculos positum habebat exemplar. Unde & de hoc gloriatus fuit dicens: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat*. Longè admirabilius est quod sanctus Martyr noster hac lorica indutus fuerit, in aula cujusdam Diocletiani, adeo sacrilegi & inqui, & in medio aulicorum, qui pessimum Principis sui sequebantur exemplum, inter quos optimus esse censebatur, qui piissimus erat.
Lib. 3. ad Salvian. Sanctus Hieronymus de Nebridio scribit: *Nihil nocuit militanti paludamentum & balthens, & apparitorum catervæ, quia sub habitu alterius, alteri militabat: sicut econtrario alus nihil prodest vile palliolum, furva tunica, corporis illuvies, & simulata paupertas, si nominis dignitatem destruant*. Sub ferro pectus ejus obtegente abscondebatur amoris sui erga Deum aurum purissimum; sub militari chlamyde, & insignibus imperialibus, hispida & pungentia occultabantur cilicia, innocentissimum corpus ejus dirè macerantia. *Sub habitu alterius alteri militabat*. Matriculæ militum Imperatoris, seu potius persecutoris, insertum se esse simulat, cum tamen *dignissimus esset miles Christi*. Quod si è gratiarum cœlestium nobis collatarum præstantia, in perfectionis & sanctitatis animæ alicujus notitiam devenire possimus, valde utique admiranda nobis est hæc sancti Martyris lorica, id est, virtus, spiritus, & eminentissima sancti-
Sur. tas illius, utpote de quo Historia vitæ ejus scribit: *Quem Deus larga perfuderat gratia*. Sanctus Dionysius Areopagita scribit: *Omnium divinarum divinissima extat perfectio. Dei cooperatores esse in salute animarum ad suum Creatorem*. Hoc autem fine, ut scilicet Deo in salutem animarum cooperari posset, sanctus Sebastianus Mediolano dilecta nimirum patria sua, recessit, tantísque periculis sese in impiissima illa aula per tot annos exposuit, ut hac ingeniosa inventione. Religionis Christianæ periclitantis causæ maximè arduæ patrocinari posset; *Et ut Deo redderet animas, quas Diabolus conabatur aufferre*. Quod si autem scire desideretis è quo metallo hæc armatura fabricata fuerit, audite eundem Surium: *Erat vir totus prudentia, in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, & in universa morum honestate præclarus*. De eodem Nebridio sanctus Hieronymus ibidem scribit *Mirum dictu! Nutritus in Palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, quorum mensæ ministratoribus, & terra ac maria serviunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo ætatis flore, tanta verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret, & ne levi quidem obscœni rumoris in se fabulam daret*. Hanc eandem nos sancto Sebastiano dare posse videmur continentiæ & virginalis castitatis laudem; siquidem *per* Sur.
unam fere horam, splendore nimio de cœlo veniente, perfusus est; & sub ipso splendore, pallio candidissimo, ab Angelis septem clarissimis amictus. Hic candor, hoc cœlitus missum ornamentum, felix illud Angelorum consortium puritatem ejus contestabantur manifestè. Verum enimvero sciendum est insuper, quod *apparuit juvenis juxta eum, dans ei pacem, & dicens: Tu semper mecum eris*. Quinam obsecro sunt illi, qui teste sancto Joanne agnum immaculatum nunquam deserunt, nisi virgines? *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinqui-* Apo. 14. 4.
nati, virgines enim sunt, hi sequuntur agnum, quocunque ierit: atque ideo credibile est, quod sponsus cœlestis, qui *pascitur inter lilia*, ut eum declararet virginem, eidem dixerit: *Tu semper mecum eris*. Idque tanto magis credendum est: cum specialissimo illo eum impertitus sit privilegio, quod in principio sacrorum Canticorum anima immaculata, à suo deposcit cœlesti sponso, dicens: *Osculetur meo osculo oris sui*. Verum post consideraram latius hanc spiritualis perfectionis vel sanctitatis ejus loricam, nunc ad alia arma transeamus.

3. *Sumentes scutum fidei*, inquit Apostolus, & rationem reddit, dicens: *In quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Sicut enim scutum, ab omni fatali sagittæ aut ensis ictu, hominem tuetur in quamcumque demum corporis partem ejusmodi telum evibratum fuerit, ita quoque idipsum viva fides operatur, si ea armata fuerit anima Christiana, resistendo omnibus inimici infernalis insultibus. Porrò sanctum Sebastianum hoc scutum amplexatum fuisse, probatione prorsus non indiget; quod si enim de fide, in quantum Theologica quædam virtus est, sermonem instituamus, quam hæc in eo vivax & alacris extiterit, in concionibus iis, quæ in ejus vita referuntur, satis apertè monstravit. Præterquam quod, uti jam diximus, sanctus Cajus eum Ecclesiæ & fidei defensorem declaraverit, & ad hanc ipse multos converterit, aliosque plurimos, qui vacillabant, In cap. 3. judic. gloss.
in ejusdem fidei confessione stabiliverit. *Non jaculis ferreis, sed orationum telis victoria acquiritur, & fides in certamine tolerantiam præbet*. Quænam autem putas esse, quæ in nos evibrantur tela? Chrysostomus ait: *Tela dixit tentationes, nefarias cupiditates*. Hugo Cardinalis Ly *nequissimi* ita interpretatur, *id est Diaboli; caro* Thess. 5. 9.
nequam, mundus nequior, Diabolus nequissimus. Omnibus hisce jaculis sanctus Martyr, invicta fide sua mediante, se opposuit, & à se avertit. Unde idipsum duobus fratribus Marco & Marcelliano persuadebat, dicens: *Discat per vos nunc Christi militum fortitudo, fide potius armari quam ferro*. Neque sibi deludi permisit ab humanis prosperitatibus, nec dæmonum unquam cessit insultibus, sensus rationi subjectos coercuit, neque ullis se passus est seduci delitiis & voluptatibus; adeoque clarum est & evidens, quod omnia hæc tela fortiter & generosè retuderit. Chrysostomus quoque *Scutum fidei* interpretatus est esse *fidem, per quam signa fiunt*. Miracula autem, quæ sanctus Martyr noster operatus est, plurima fuerunt, prout illius attestatur Historia. *Et galeam salutis assumite*. Porrò per galeam, quæ armatura quædam est, qua caput defenditur, quidnam intelligatur, idemmet sanctus Apostolus Paulus alibi satis declaravit, dum ait: *Galeam spem salutis*. Unde Hugo Cardinalis ait: *Et spes quæ munit contra mundum, qui enim sperat æterna bona, de facili contemnit temporalia*. Sicut igitur galea caput defendit, quæ pars est corporis nostri magis præcipua, à qua omnes aliæ partes dependent, ita spes salutis æternæ, omnes cogitationes nostras, omnes operationes, cunctosque fines nostros feliciter dirigit. Hanc armaturam S. Sebastianus non in capite tantum, sed & intus in corde portavit, nimirum bonorum æternorum spem, per quam omnia hæc bona caduca contempsit. *Cum agnovi veritatem, & quem me Deum colere oporteat,* Metafr.
despexi & divitias & gloriam. Per hanc spem sanctos Marcum & Marcellianum, fortes in confessione fidei continuit, ipsosque omnes à Patre, matre, uxoribus, & filiis, cunctisque aliis ad ipsorum perversionem directos,

ctos, lethales animæ ictus elidere fecit: *Si ſcirent eſſe aliam vitam ignaram mortis, triſtitiæ neſciam, in qua regnat immortalitas; & perpetua gaudia commorantur, profectò ad illam vobis cum feſtinarent pertingere.* Hæc fuere verba illa, quibus hoſce Martyres adverſus planctus, ſuſpiria, omneſque alias conſanguineorum, ipſis intentatas machinas conſtantes fecit perſiſtere.

4. *Et gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei.* Abunde jam vidimus, quam generoſe & validè S. Sebaſtianus hoc enſe uti noverit. Enim verò quando Dux aliquis cordatus & generoſus milites ſuos per ignaviam fugere conſpicit, ad hoc ut illos continere valeat coram ei ſe ſtatuens diſtricto enſe eiſdem comminatur & urget, ut ad certamen repetendum, ad priſtinam denuo ſtationem redeant. Idem quoque invictus hic noſter Martyr operatus eſt: *Eoſdem pene deſertores effectos, revocavit ad caſtra*, idque, ut jam diximus, per efficaciam ſermonis ſui, atque, diſcurſus. Porrò certamen iſtud tanto crudelius erat, quanto hoſtes & adverſarii, caro nimirum & ſanguis cum quibus dimicandum ei erat, fortiores eſſe noſcebantur, certum etenim eſt duos hoſce adverſarios ferociſſimos & potentiſſimos eſſe *Inimici hominis domeſtici ejus* S. Hieronymus S. Paulæ virtutem tunc vel maximè emicuiſſe cenſuit, quando Roma ad ſe in Bethlehem vivam ſepeliendam, ſecedens ad ſuorum ſuſpiria, querelas, & lachrymas immota & ſtabils permanſit: *Neſciebat ſe matrem, ut Chriſti probaret ancillam; torquebantur viſcera, & quaſi a ſuis membris diſtraherentur, cum dolore pugnabat; inter hoſtium manus, & captivitatis duram neceſſitatem nihil crudelius eſt quàm parentes à liberis ſeparari; hoc contra jura naturæ plena fides patiebatur, amorem filiorum, majori in Deum amore contemnens.* Idem prorſus cuilibet horum duorum fratrum ab uxoribus & filiis, Patre & Matre, parentibus & amicis graviter infeſtatorum adaptari potuit. Quando enim *inter uxorum lachrymas & ſuſpiria filiorum cœperunt milites Chriſti molleſcere*, tunc S. Sebaſtianus arrepto verbi Dei gladio eo modo dicere & perorare cœpit ut *Manus laſſas roboravit, vacillantes confirmaverint ſermones ejus, & genua trementia confortarit. Docuit multos*, ſiquidem ex iiſdem, qui ſanctos fratres in Apoſtaſiam conabantur ſeducere, ſexaginta quatuor ad fidem noſtram convertit, qui ex audita Martyris concione talem conceperunt fervorem, ut intra ſexdecim dierum decurſum ſubire non dubitarint Martyrium: *In Dei laudibus perdurantes, ducebant dies & noctes, in Hymnis & Canticis, quaſi fideles milites, parabant animos ſuos ad dimicandum pro Chriſti nomine in Martyrio bellaturi, ita ut & mulieribus & infantibus amor ferveret Martyrii.* Porrò myſticus hic gladius adeo limatus erat & avitus, ut multorum aliorum Idololatrarum, ſcilicet mille quadringentorum corda penetraverit, imo ipſummet Chromatium urbis Romæ præfectum confecerit, in domo ejus pluſquam ducenta Idolorum monſtra demoliendo. Quid hic ego commemorem quàm integræ fidei fuerit, quàm acri ingenio contra infidelium aſſertiones conſtiterit. Meritò igitur uxor illa Nicoſtrati, cui ſermonis beneficium reſtituerat, exclamavit: *Benedictus ſermo oris tui, & beati, qui credunt Chriſto per te filio Dei vivi: ego enim vidi oculis meis Angelum ad te venientem è cœlo, & librum ante oculos tuos tenentem, ex cujus lectione univerſa ſermonis tui oratio decurrebat.* Fuit igitur gladius hic ei ab illo magni conſilii Angelo miraculoſo quodam modo cœlitus ſubminiſtratus.

De epit. Paulæ. — Job. 4. 6.

5. Quid igitur mirum, ſi omnibus hiſce armis tam validè munitus tanta generoſitatis ſuæ ediderit ſpecimina, ut Eccleſia, præterquam quod ei indiderat defenſoris ſui titulum, eum quoque alio quodam glorioſo Epitheto honorare voluerit, ut diceretur: *Digniſſimus Chriſti miles: In his qui militant*, inquit Gloſſa, *non corporis ſed animæ fortitudo quæritur.* Quænam autem excogitari poteſt major animi generoſitas, quam ſi quis inermis, inimicum ſuum domi propriæ aggrediatur. Inermis dixi, intellige quoad arma exteriora, cæterum armis hactenus explicatis ſpiritualibus optimè munitus fuit. Porrò videbat S. Martyr duos Imperatores, Diocletianum & Maximianum, Sacræ Religioni noſtræ crudele & implacabile parare bellum, atque ideo huic perſecutioni ſe opponere omnino decreverat. Quid fecit? Audite S. Ambroſium ſuper illa verba Pſalmi: *Multi perſequuntur me*, ita ſcribentem: *Si multæ perſecutiones: multæ tribulationes, ubi multæ coronæ, multa certamina: tibi ergo proficit, quod multi perſecutores ſunt, ut inter multas perſecutiones facilius invenias quomodo coroneris. Utamur exemplo Sebaſtiani martyris, cujus hodie natalis eſt. Hic Mediolanenſis oriundus eſt, fortaſſe aut jam diſceſſerat perſecuter, aut adhuc non venerat in haſce partes, aut mitior erat; advertis hic aut nullum eſſe, aut tepera certamen.* Præliari non detrectabat, ſed libenter & audacter prodibat in hoſtis conſpectum. Unde & Romam ſe recepit, ubi campus erat & arena Chriſtiani certaminis: *Romam profectus eſt, ubi propter fidei ſtudium perſecutiones acerbæ fervebant.* Verum enim vero ex iis, quas ſanctus Doctor ſuper eundem textum eruit, conſiderationibus alios detegamus inimicos, quibuſcum ſancto Martyri certandum, quique ab eo vincendi erant? *Non hi ſolum perſecutores ſunt, qui videntur, ſed etiam qui non videntur, & multo plures.* Hoſce autem perſecutores ſpecificaturus ſubjungit; *Perſequitur avaritia, perſequitur ambitio, perſequitur luxuria, perſequitur ſuperbia.* Cum omnibus hiſce perſecutoribus invictus hic Chriſti miles prius dimicavit; ſiquidem in ſumma divitiarum abundantia, cor à divitiarum viſco liberum, & expeditum habebat, & in ſummo honorum apice exhibebat in ſe ſummum ſui ipſius contemptum. *Iſti ſunt perſecutores graves* (inquit idemmet S. Ambroſius) id eſt, ambitio, avaritia, concupiſcentia, *qui ſine gladii terrore mentem hominum frequenter elidunt: qui illecebris magis quam terroribus animos expugnant fidelium: hi graviores tyranni.* Hos inquam tyrannos & perſecutores prius devicit, quam vinceret Diocletianum; imo illos quotidie ſupplantabat, dum à Diocletiano locupletatus & honoratus quotidie eidem ſerviebat: *Advertis, quam grave certamen ſit, quod eſt intra hominem ut ſecum ipſo confligat, cum ſuis cupiditatibus prælietur?*

In c. 7. Jud. — In Pſ. 118. Serm. 20.

6 *Chriſti digniſſimus miles.* Suam quoque generoſitatem exhibuit, quando ſignum ad ſagittas conſtitutus per heroicam ſufferentiam, iis omnibus ſuperior evaſit. Verificando id ipſum, quod tametſi ad aliud propoſitum, ſcribit S. Bernardus: *Stat Martyr triumphans & tripudians, tot licet lacero corpore & rimante latera ferro, non modo fortiter, ſed & alacriter ſacrum e carne ſua circumſpicit ebullire cruorem.* Non poterat Doctor melifluus, S. Sebaſtiani ſagittis expoſiti conſtantiam atque lætitiam vivacius delineare. Tandem idem Doctor concludit: *Calix hic inebrians quam præclarus eſt! præclarus, inquam atque jucundus, non minus Imperatori ſpectanti, quam militi triumphanti.* Diocletianus quidem in hoc gaudebat, quod ſuam erga Martyrem crudelitatem exſatiare poſſet, unde & veriſimile eſt ipſum in hæc verba prorupiſſe; *Inebriabo ſagittas meas ſanguine: gladius meus devorabit carnes.* S. Sebaſtianus autem altera ex parte gaudebat occaſionem ſe nactum eſſe, in qua dignum ſe Chriſti militem probare poſſet: *Erectus in virtutis culmine animus* (inquit de S. Agnete S. Gregorius) *tormenta deſpexit, ante armatos reges & Præſides invicta ſtetit.* Idem quoque de Chriſtiana & invita S. Sebaſtiani generoſitate dici potuit, cùm enim à tot lethiferarum ſagittarum lethalibus vulneribus ſanitati denuo, ingenti cum miraculo reſtitutus eſſet; iterata vice Tyrannum imperterrita fronte aggreſſus immanem, quam adverſus Eccleſiam ejuſque fideles exercebat crudelitatem, generoſiſſimè eidem in faciem exprobavit.

Serm. 61. in Cant. — Hom. 11. in Evang.

Sagittarum, quibus S. Sebaſtianus transfixus fuit, variæ adducuntur expoſitiones.

DISCURSUS QUINTUS.

Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Pſalm. 37. v. 3.

1. VAlde ambigo, an Sanctus Sebaſtianus hiſce verbis Imperatorem alloquatur, cujus juſſu tanta ſagittarum multitudine transfixus fuit, an verò cum Redemptore noſtro, cui S. Auguſtinus loquens, dicebat: *Sagittaveras Domine cor meum charitate tua.* Porrò jacula, quibus Tyrannus Martyrem transfigi juſſit, in magno numero fuiſſe, certiſſimum eſt, unde & in Hiſtoria ejus ſcribitur. *Iratus Diocletianus, juſſit eum duci in medium campum, & ligatum ibi perim-*

Hom. 3. in Job. *vinde ut signum sagittis peti à sagittariis: hinc inde jaculis adeo repleverunt, ut instar Hericii ex sagittarum densitate hirsutus videretur*. Sanctus Chrysostomus in Jobum, à vertice capitis ad pedis usque plantam miserè lividum & ulceribus plenum oculos deflectens, per os ejus loquitur, idemque quod sanctum Sebastianum intra semetipsum expressisse mihi persuadeo, dicit; nimirum: *Non me movent exteriores sagittæ interioribus vallatum, confirmant me magis intra Dei sagittæ, de quibus David: sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. Sagittæ autem hæ, quæ Martyrem adeo constantem effecerunt de earum sunt numero, quibus sanctus Augustinus vulneratus erat, de quibus etiam sanctus Bernardus ait: *Sagitta electa amor Christi*. Scirene autem vultis, cur sanctè glorietur, seque jactet dicens: *Non me movent exteriores sagittæ*? Audite igitur, quo titulo Chrysologus amorem Dei, quo Martyr primitùs vulneratus fuit, honoret; vocat enim illum Loricam impenetrabilem, quæ jacula in eum evibrata reiicit, repellit, retundit, elidit. *Amor impenetrabilis Lorica est, jacula respuit; mortem ridet, periculis insultat*. Quando miles aliquis hac Lorica armatus est, mox enses, ignes, sagittas, feras, catastas, equuleos, omnemque crudelissimorum tormentorum carnificinam ridet & contemnit. De strenuo quodam belli duce legitur, quod cum à nonnullis aliunde meticulosis militibus suis inaudisset, hostilem Persarum exercitum adeo copiosum esse, ut si singuli eductas è pharetra sagittas evibrarent, hæ solis lucem facile obfuscaturæ essent: responderint. *Bene narras: in umbra enim melius præliabimur*. Simili modo quando S. Sebastianus innumeris quasi sagittis, præcipuè verò divini amoris sagitta transfixus fuit, eum
Cant. 2.3. omnino hilarem & lætum dixisse existimo: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi*; siquidem sub arbore illa, cui fortiter adstrictus & alligatus erat, velut sub umbra dilecti sui degebat, cor suum charitate transfixum, ad Christum crucifixum summo cum gaudio eri-
Ser. 50. in Cant. gendo. Atque ideo S. Bernardus ait *Inde tolerantia Martyrü provenit, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, & jugi conversatione demoretur*. In Jeremia Propheta verba aliqua prophetico spiritu ad nostrum propositum scripta leguntur, quæ haud immeritò S. Se-
Jer. Thren. 3. 13. bastiani sacratissimo ori inserere possumus, nimirum: *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ*; Filiæ pharetræ sunt sagittæ & jacula, quibus est ingravidata. *Filias id est, sagitteas*, interpretatur Hugo Cardinalis, *posuit Dominus in Ecclesia*. Dum enim sanctus Sebastianus sagittis impeteretur, ipsamet, ut ita dicam, Ecclesia sagittis transfigi videbatur, cujus ipse defensor & fulcrum erat. *Vel animam fidelem* (est hæc alia ejusdem Hugonis expositio) *quasi signum ad sagittam, ut sagittis amoris, ex hoc arcu emissis, vulneraret eam: unde in Canticis, vulnerata charitate sum. Vel potest exponi de prælato, qui dicitur arcus Domini, quia per illum Dominus defendit Ecclesiam*. Omnes autem hæ expositiones S. Sebastiano mirabiliter conveniunt Clarum etenim & perspicuum est, quod hæ sagittæ jacula sint amoris divini. Id quod verba illa: *In renibus meis* confirmant; David enim dicebat: *Ure renes meos & cor meum*, verba illa de divini amoris sui igne intelligens. Cum igitur amor, ad excogitandas objecto amato placendi inventiones, ingeniosus admodum sit, ideo sanctus Martyr noster ab hisce sagittis vulneratus, licèt omnes illos, qui fidem Christi cujus ipse zelosissimus defensor erat, persequebantur, ultra omnem modum abominaretur, nihilominus maximi & truculentissimi Ecclesiæ persecutoris, Diocletiani nimirum, servituti se dedicavit. Sed quo putas fine id fecit? Audite ipsummet hac de re Chromatio præfecto loquentem: *Ad hoc tantum sub chlamyde latere volui, ut nutantium animos erigerem, & vacillantes confirmarem, ne pœnarum doloribus cederent, quos fides fecerat Christi bellatores*. David à facie Saul ad Regem Achis in Geth confugit, ubi licèt ex Siceleg, de inimicis populi Israel, multos occidisset, multaque ab illis tulisset spolia; attamen Regi illi se speciale Regno ipsius servitium, contra populum Dei, cujus Achis inimicus erat, bellando, præstare persuadebat. Unde Achis
1. Reg. 15. Davidem laudans dicebat; *multa mala operatus est contra populum suum Israel, erit igitur mihi servus sempiternus*. Ecce tibi in hac historia expressum S. Sebastiani typum, qui cum velut custodiæ Cæsareæ dux Imperialem portaret Chlamydem, firmam Diocletiano Imperatori persuasionem impresserat, se ejusdem esse adversus Christianos sententiæ, unde summa in eum collocata fiducia, omnem illi auctoritatem contulerat, qua tamen ipse non utebatur, nisi ad solam Christianorum utilitatem, in carceribus visitando, & animando eos ad subeunda martyria, eleemosynis illos sublevando, eosque, ut imminentia fugerent pericula, seriò commonendo. Quod dum faceret, Diocletianus eum illos ad sacrificia Idolis offerenda, Cæsareisque jussis parendum exhortari existimabat. Unde nil mirum, quod eum verum servum suum esse declararit. *Erit mihi servus sempiternus*, Sanctus quidem Martyr, urgente divino amore, quo cor ejus ardebat, persecutorem, omnemque ejus potentiam libenter supplantasset, at verò quia Ecclesiam ejusque fideles adversus potentiam Cæsaream viribus humanis defendere non poterat, quid fecit? Ingens quotidie considerans bonum, quod S. Paulus, licèt carceri inclusus esset, in aula Neronis in Ecclesiæ bonum indies præstiterat, Christianis in officio militari, inque magna cum persecutore amicitia constitutus patrocinari decrevit. Unde cum eodem S. Apostolo dicere potuit: Philip. 1. 12
Scire vos volo fratres, quia, quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii; item ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio; quando enim aliter non potuit, legis Evangelicæ veritatem, quam prædicabat, vitæ suæ exemplo & sanctitate manifestare volebat miraculis eandem confirmando. Sanctus Hieronymus quidem in Epistola ad Philemonem scribens, de eodem Apostolo dixit, quod à Cæsare missus in carcerem, *notior familiæ ejus factus, persecutoris domum Christi fecit Ecclesiam*. At verò longè ingeniosior fuit S. Sebastiani inventio, qui servitio suo Imperatoris sibi conciliavit benevolentiam, libertate etiam & auctoritate, qua apud Cæsarem magnus erat, in solius Ecclesiæ impendit beneficium; imò etiam in nostro casu verificatum fuit, quod *persecutoris domum Christi fecit Ecclesiam*; nam ut diximus, Chromatium Præfectum Romanæ urbis, & cum eo alios mille quadringentos, postquam ducenta idola in terram demolitus esset, ad fidem convertit. Ingeniosa pariter inventio fuit, qua ensem in Tyranni servitium strinxit, ut tanto majori cum libertate & efficacia, ad stabiliendos in fide vacillantes, multosque ad eandem convertendos Paganos, verbi Dei gladium stringere posset. Sanctus quidem Hiero-
nymus de Exsuperantis scribit: *Quis enim non diligat eum, qui sub paludamento & habitu militari, agit opera Prophetarum, & exteriorem hominem aliud promittentem, vincat interiori homine, qui formatus est ad imaginem Creatoris*? Lib. 5. ep. 29. at verò, si verum est, quod sagittam amoris divini cor aliquod vulnerasse, ex hoc veluti manifesto quodam signo colligimus, si suis pro amore Dei patiendi magis magisque in eo crescat; verè dicere possumus S. Martyrem nostrum gravius à sagitta amoris divini quam à sagittis, Diocletiani jussu, in eum ejaculatis, fuisse vulneratum, hæ enim, quia Martyrem adhuc in vita relinquere superstitem, ictus illi nimium debiles intulerunt, ut proinde de iis dici possit: *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ ejus*, divini verò amoris Ps. 63. 8. sagitta eum in vita reservavit, ut plura deinceps pateretur, utque sufficiens ei tempus suppeteret, ad animandos Christianos, ut in fidei confessione constantes persistant, ad Imperatorem reprehendendum, detegendosque sacrificulorum Idololatrarum dolos, & fraudes. Vel etiam dicere possumus, quod ait S. Cassianus: *Quanto vis eorum infirmior; tanto pœna productior, & victoria illustrior*.

2. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. Sicut Jonathas, ut Davidem certiorem redderet, Saulem patrem suum eidem esse reconciliatum, hoc ei signum dedit: *Si dixero: Sagittæ intra te sunt, pax tibi est*: 1. Reg 20. 22. Ita quoque S. Sebastiano infallibilius signum dari non poterat, unde se amicum Dei esse, & firmam cum eo pacem habere cognosceret, quam si videret, quod *Sagittæ ipsius intra ipsum erant: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. Et quidem ne hac de re ulla ratione dubitare posset, eidem in medio septem Angelorum apparuit: *Apparuit juvenis juxta eum dans ei pacem, & dicens: Tu semper mecum eris; & per unam ferè horam, splendore nimio de cœlo veniente, perfusus est; & sub ipso splendore, pallio candidissimo, ab Angelis septem clarissimis amictus*. Sur. Equidem, ni fallor, visio isthæc, in sacris literis, multis antea sæculis, in primo capite Apocalypseos, descripta fuit, in quo S. Joanni Ap. 1. 41.

sa-

futuri Ecclesiæ successus tevelati fuere : *Pax ab eo qui est, & qui erat; & qui venturus est, & a septem Spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt*. Ecce igitur, quam verum sit, quod scribit S. Gregorius Nyssenus; Hic etenim dicit ipsummet Deum esse qui sagittat, eundemque etiam jacu- Hom. 4. in Cant. lum sive sagittam esse, quæ cor amantis transfadigit. *Deus in sponsam suam, tanquam in scopum, unigenitum filium suum jaculavit de quo per Prophetam dictum est : Posuit me quasi sagittam electam*, Paulo post autem, ut, quænam hæc sagitta sit magis declaret, subjungit · *Sagitta autem ista, aculeo fidei me penetrans, secum simul adduxit sagittarium, juxta illud : Ego & Pater unum sumus, ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*. Cuspis igitur hujus sagittæ fides erat, quæ cor ejus adeo vulneravit, ut eum honoris divini & Ecclesiæ ita zelantem reddideiit, ut Vicarius Christi eum titulo quodam novo, & in Ecclesia inusitato, Defensoris fidei honoraverit. Porrò fides, uti cuilibet notum est, definitur, quod sit : *Substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. In hoc autem Martyre, spes quædam vivacissima inerat. Unde Hugo, super illum, ex libris Regum antea citatum textum : *Mittam tres sagittas* per unam illarum sagittarum promissionem intelligit regni cœlestis, quæ spem sustentat & nutrit; cujus quidem effectus in S. Sebastiano videri potuerunt, cum Hom. 37. in Evang. planè executus sit, quod scribit S. Gregorius : *Si consideramus, quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris*. Omnes namque mundi thesauros, Imperia, & maximi cujusdam Monarchæ favorem, pronumque affectum contempsit. De fide quoque dicitur, quod sit : *Argumentum non apparentium*; idque in Sebastiano optimè comprobatur.; utpote qui pro fidei defensione, inter continua pericula fuit, & quod potuit, per multorum annorum decursum præstitit, ita tamen, ut ni- In Ps. 118. hil eorum foris appareret. Audite igitur nunc S. Ambrosium nos ita exhortantem : *Nudemus membra nostra* Hom. 3. in Job. *bono vulneri, nudemus sagitta electa quæ Christus est, bonum est hac vulnerari sagitta*.

3. *Sagitta tuæ infixa sunt mihi*. Chrysostomus per has sagittas intelligit *Sagittas pietatis*. Hæ autem sagittæ cor S. Sebastiani interius penetraverant, utpote qui continuo; licèt occultè Christianæ pietatis operibus deditus erat, verum Dei cultum, pro viribus suis promovere satagendo. Unde quando Diocletianus & omnes alii, cum hoc fine carceres adire credebant, ut Christianos ad sacrificandum idolis induceret, ipse omnino oppositum faciebat, iisdem, ut in Idolorum detestatione constantes persisterent, persuadendo.

4. *Sagitta tuæ infixa sunt mihi*. S. Gregorius de hisce sagittis ita scribit : *quid per sagittas, nisi verba prædicantium accipimus, quæ si ex voce bene viventium diffun-* Lib. 34. mor. c. 5. *duntur, audientium corda transfigunt*? Qui S. Gregorii sensus cum illo Psalmistæ textu consentit, ubi dicitur : *Sagitta tuæ acutæ, populi sub te cadent*. Consideranda autem meritò est illa conditio : *Ex voce bene viventium*. Sanctus etenim Martyr interrius sagittarius, jacula prædicationis suæ in multos Idololatras, quos ad fidem convertit, evibravit, præcipuè verò in pectora sanctorum fratrum Marci & Marcelliani, qui in proximo erant, a nostra Religione apostatandi periculo. Hi namque multum infestabantur ab inconditis filiorum ejulatibus, lamentis uxorum, matris precibus, suspiriis & singultibus patris, parentum consiliis, exhortationibus amicorum, mundi blandè arridentis lenociniis, tyranni comminationibus, nec non ab atrocibus, quæ eis proponebantur suppliciis. Ac proinde sagittis opus habebant, ab arcu, id est, lingua S. Sebastiani in eos evibratis. Horum autem : *Audientium corda transfixit*, quia verba ad eos prolata, prodibant : *Ex voce bene viventis*; cum enim duo hi fratres viderent, S. Sebastianum apertè, se Christianum esse profitentem, qui hactenus ipsum celaverat, considerarent quoque eum, hoc faciendo, indignationem sibi conciliare Imperatoris, omnes quoque divitias & honores, imo & vitam ipsam deperdere, reflectionem denique facerent ad virtutes & opera misericordiæ, quibus hactenus deditus fuerat, fidei nostræ veritatem non ex verbis tantum, sed & ex operibus illius manifestè colligebant, in eademque magis magisque stabiliebantur. Hugo Cardin. verba illa : *Sagitta tuæ acutæ*, ita glossat : *Sagitta tuæ acutæ, o Christe, id est, verba tua, quæ vulnerant corda hominum, vulnere timoris & amoris*. Erant igitur verba S. Sebastiani sagittæ Christi, quæ cælestis ille sagittarius, arcui linguæ imposuerat sancti Martyris, ut illa inde in horum duorum fratrum pluriumque aliorum, quos ad fidem reduxerat, corda evibraret. Pro cujus majori evidentia sciendum est, quod visus fuerit omnia, quæ loquebatur, è libro quodam cœlitus demisso, & Angeli cujusdam manu sustentato legendo pronuntiare; adeoque verba ejus jacula fuerunt, auditores suos vulnerantia, *vulnere timoris*, ut à malo revocarent, *& vulnere amoris*, ut ad bonum prosequendum impellerent. Neque enim solum duos fratres Martyres ab Apostasia, cui proximi erant revocarunt, verum etiam ex iis, qui ad pervertendos & seducendos Martyres convenerant, sexaginta duos ad veram fidem perduxerunt. Hugo Cardinalis super illa verba *Jaciam tres sagittas*, dicit sagittas illas fuisse *comminationis, promissionis & exhortationis*. Omnes autem hasce In Lect. sagittas Diocletianus ejaculavit in ipsum. *Comminationis* quidem, quia *vehementius objurgatum, omnibus artificiis, a Christi fide conatur avertere*. *Promissionis* item dum munifica ei manu dona præsentat. *Exhortationis*, quia omnis generis blandirias ei *omnibus artificiis* adhibet. Hasce autem easdem tres sagittas S. Sebastianus etiam in commodum Christianorum evibravit. *Comminationis* In Lect. quidem, dum Martyribus, loco suppliciorum temporalium, plurima ob oculos ponebat æterna. *Promissionis* item cordibus illorum spem imprimendo, & regni cœlestis promissionem. *Exhortationis*, quia illos, *qui ex eis tormentorum vim formidare videbantur, cohortatione sic confirmabat, ut pro Jesu Christo, multi se ultro tortoribus offerrent*.

5. *Sagitta tuæ infixa sunt mihi*. Enimvero si per sagittas, tribulationes intelligantur, optimum profectò signum est, si quis hisce sagittis præfixus sit scopus in quem collineent, siquidem hæ, ab amantis nos Dei manu, in nos sunt evibratæ. *Sagitta tuæ infixa sunt mihi* dicebat David Deo, *& confirmasti super me manum tuam*. Quodsi hasce sagittas fuerimus osculati, id est, si immissas nobis tribulationes ultro citroque receperimus, manifestum id nobis erit indicium, ad gloriam nos electos esse. Valde trita est illa Achillis Historia, sed potius fabula. Cum enim Pater Achillis ab Aruspicibus intellexisset, quodsi Achilles ad bellum Trojanum procederet, vita esset infallibiliter exuendus, ipsum in Regia Nicomedis, inter Gynecæi puellas, habitu fœmineo indutum abscondere decrevit. Quia verò Græci ab oraculo didicerant, urbem Trojam sine Achille intercipi nequaquam posse, ideo exploratorem quendam, ad Achillem circumquaque investigandum, protinus dimiserunt. Qui dum post tempus aliquod palatium, in quo Achilles latebat, penetrasset, veste mercatoris indutus, varia secum monialia, & ornamenta muliebria adduxit, & vænum exposuit, interposita tamen inter cætera monilia & mundum muliebrem elegantissima quadam pharetra sagittis referta, hisque mercibus onustus ad Gynecæum, pro illis distrahendis, admittit periit. Admissum autem mox omni ex parte circumdedit curiosus puellarum illarum chorus, è quibus, quæ veræ puellæ erant, oculos suos ad monilia, omniaque alia ornamenta deflexerunt : Achilles autem personato puellæ habitu indutus, sagittas & arma manibus suis contractare cæpit; è qua actione confestim agnitus, indeque ad edendum generositatis suæ specimen eductus fuit. Esto autem hæc fabula quædam sit, veritas tamen est Evangelica, quod Christus Dominus noster semetipsum sollicito cuidam se Mercatori comparaverit : *Homi-* prov. 8. 18. *ni negotiatori quærenti bonas margaritas; in manu ejus divitiæ & gloria*. In ejus quoque manu sunt divitiæ, dignitates, & bona temporalia : *Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ*, Veruntamen inter hæc omnia, sagittas quoque, id est, tribulationes & adversitates vænales circumfert, ut ex illis conjiciat, quinam electi sint ad gloriam, nec non ad edenda, in campo hujus vitæ, virtutis Christianæ specimina. Ad hosce autem dignoscendos, cautè advertendum est, quinam manus suas ad arripiendas adversitatum sagittas extendant. Quotquot enim oculos & manus suas in monilia id est, delitias hujus vitæ dirigunt, ad ineundum spirituale prælium prorsus sunt inepti. Nam *Regnum cœlorum vim patitur*, & ideo pugnandum est, patiendum est, sibique ipsi inserenda violentia. *Et violenti rapiunt illud*. Porrò S. Sebastianus in Cæsaris aula personatus mo-

morabatur, & occultus; in eadem autem curia thesauros, honores, delitias, imperia, cunctaque alia bona terrena, larga sibi manu offerri vidit. *Sed cum agnovi veritatem*, inquit ipsemet Martyr, *& quem me Deum colere oporteat, despexi & divitias & gloriam*; manusque meas ad pharetram & sagittas extendi, ideoque verè dicere possum: *Sagitta tua infixa sunt mihi*. Porrò *orta est pia contentio, inter Sanctos Polycarpum & Sebastianum, quis in urbe remaneret, & quis iret cum Chromatio, qui tam multos ad se receperat Christianos:* Sanctus autem Cajus Sebastianum remanere decrevit, utpote sciens, hunc Martyrem ceu invictum quendam Achillem futurum esse, qui pro defensione Ecclesiæ adversus Imperatorem strenuè dimicaret.

Metaf.

Sur.

Per varios sensus spirituales declaratur, quale fuerit signum vel scopus, ad quem S. Sebastianus expositus fuit. Insuper docetur qualiter unusquisque exemplo S. Sebastiani, in quacumque demum fuerit vocatione, in Christiana innocentia vivere possit.

DISCURSUS SEXTUS.

Tetendit arcum suum: & posuit me quasi signum ad Sagittam. Thren. cap. 3. v. 12.

1. VErum quidem est, quod Tyrannus arcum iræ & furoris sui adversus S. Sebastianum tetenderit, eundem arbori cuidam alligando, ut sagittarum à militibus suis emissarum scopus ac signum fieret. Unde idem Martyr ad literam, illis Jeremiæ verbis dolere & lamentari potuit, dicendo: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Veruntamen nisi fallat, altiori cum mysterio sanctus Martyr dicere posse videtur, quod ad omnium Christianorum instructionem, à Deo positus sit in Ecclesia sua, veluti Scopus seu signum quoddam, in quod omnes nostræ dirigantur operationes, si enim bene consideremus nullus est status, conditio, seu professio hominum, quæ excusare se possit, se per Innocentiam Christianam, hujus Martyris exemplo vivere non posse. Hugo Cardinalis super illa verba *Positus est in signum* dicit, *id est, in sigillum, ut in eo imprimamur, per imitationem operis*, Quisquis enim huic se signo junxerit, semper inveniet, quod imitari possit. *Non est qui se abscondat a calore ejus;* adeo ut ei videantur appropriari posse verba illa Christi, apud S. Lucam, & à nobis superius insinuata: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel.* Vitam enim S. Sebastiani, multos in Israel, id est, in Christianismo condemnabit, qui se causa vocationis suæ, in timore Dei vivere non posse, excusare prætendunt, aliisque multis animum suggeret, ut in statu, in quem eos Deus reposuit, possint persistere, legemque divinam observando, in eo vivere: *Positus est in ruinam, & resurrectionem, & in signum.*

Jer. 2.

2. *In signum paupertatis*, inquit Hugo, in eadem verba, de Salvatore nostro tractans. Idemque de S. Sebastiano dicere possumus; Martyr enim multis antè annis, priusquam Martyrio efficeretur, Martyr effectus est, eodem scilicet Martyrii genere, de quo S. Bernardus scribit, dicens: *Quod Martyrium gravius est, quam paupertate premi inter divitias, quas offert mundus?* Enimvero in Cæsarei favoris apice pauper, & ab omnibus terrenis bonis sequestratus vixit, suisque divitiis, ad nullum usus est alium finem, quam in Christianorum exulum & desolatorum subsidium, adeo ut de ipso dici potuerit, quod de Imperatore illo dictum fuit: *Ne quicquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, ut velles.* Auctor quidam inter Bernardi opera relatus dicit: *Nudus athleta fortius dimicat;* ideoque & Martyr noster, nudus adversus sagittas dimicavit. Veruntamen longè admirabilior fugit generositas, quam in culmine felicitatis & prosperitatis humanæ pugnando monstravit; dum corde & animo, adeo se ab iis alienum exhibuit prouti ex discursu ad S. Marcum & Marcellianum habito facile deducitur. Erat in supremo apud universam Cæsaris aulam respectu, unde & Diocletianus ait: *Ego te inter primos in palatio meo semper habui*, neque gratiam & favorem hunc principis, quem à principio sibi comparaverat, perdidit unquam, & tamen laudi ejus idem attribui potest, quod Chrysostomus de tribus illis pueris dixit: *in medio Babylonia, tres pueri, in media quoque Chaldaeorum domo, inter illos delitiarum varios apparatus, in summa tamen arce Philosophia constiterunt.* Ex quodam Isaiæ contextu clarè satis deducitur, quod incrementum in auro & argento, cum idololatriæ fomento, pari quasi passu ambulent: *Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum ejus;* & mox subjungit: *Et repleta est terra ejus idolis.* Unde vel maxime sancti hujus Martyris gloria relucet, qui licèt auro & argento copiosissimo abundaret, attamen non solum à vera fide nihil deviavit: verùm insuper demoliendis Idolis totus intentus fuit adeo ut in sola Chromatii domo ducenta circiter Idola in terram prostraverit. S. Thomas illi S. Pauli Apostoli contextui: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de domo Cæsaris sunt* (erat autem hæc domus aula Neronis) subjungit: *Ad promovendum bonos & impediendos malos videtur licitum sanctis in curiis Regum commorari, sed non propter delitias & concupiscentias voluptatum.* Id quod ad literam in S. Sebastiano totaliter adimpletum fuit. *Despexi* (inquit sanctus) *& divitias & gloriam.* S. Hieronymus dicit: *Mardochaus & Esther, inter purpuram, sericum, & gemmas, superbiam humilitate vicerunt: tantique fuerunt meriti, ut captivi victoribus imperarent.* Porrò Martyr noster, tanquam servus Imperatoris, ejus sibi gratiam & benevolentiam conciliare optimè novit, & tamen simul inter hos Principis sui favores modestus remanere & humilis Hoc autem favore & auctoritate, in illorum duntaxat servitium & obsequium adhibere optimè noverat, qui catenas inter & compedes hærebant, quique pro fide cruciabantur, ut eam in ipsis conservaret, efficeretque, ne persecutoris tyrannide cederent.

Serm. 1. in fest. omnium Sanctorum.

Hom. 8 in Matt.

Isa. 2. 7.

Phil. c. 22.

Lib. 3. ad Calv.

3. *Positus est nobis in signum humilitatis;* & est hæc alia quædam equidem Hugonis expositio. Facile quidem, ut quis in statu depresso humilis maneat; non item id æquè facile est in culmine honoris: *Magna & rara virtus humilitas honorata.* Porrò Innocentius Tertius de aula tractans, deque aulico, qui favorem principis assecutus est, discurrens ita scribit: *Notus ignorat, comites contemnit antiquos, visum extollit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur.* Quam autem ab hisce procul abfuerit Sanctus noster, qui ab unoquoque amari & diligi studebat, ex Historia vitæ ejus audite: *Hunc milites quasi patrem venerabantur, hunc universi, qui præerant palatio, summo amoris studio amplectebantur.* Ideoque gratia & favore principis non abutebatur in malum, sed summa cum modestia, illam sibi pro nata occasione usurpabat. Hanc quoque humilitatem ipse in schola Christi exercuit, quantum quidem ipsi concessum fuit, ad Christianorum pedes sese prosternendo, ut illos ablueret, iisdemque in servitiis vilissimis & abjectissimis humiliter ministrando.

Lib. 1. c. 30. de contem. sæc.

Sur.

4. *Positus est in signum patientia.* Notum est omnibus dictum illud aulici cujusdam apud Senecam, qui se *Injurias accipiendo & gratias agendo*, in aula incanuisse dicebat. Ehem! quot S. Sebastianus, in hominum vitiosorum, sacrilegorum, verique Dei & legis ejus inimicorum aula injurias sustinuit? quanta passus est, ut in gratia Imperatoris conservare se posset, idque en solum fine, ut gratiam Dei sibi magis acquirere, proque ejus divino servitio utilius operari posset? In aulis namque pugnandum est, nunc cum æmulatione unius, nunc cum fraude alterius; jam cum invidia multorum, mox verò cum eorundem insolentia. Illis enim, qui in amore & favore sunt principis, nihil facilius & frequentius accidit, quàm collegis odia, calumnias, persecutionesque perpeti. Idem Seneca, alio in loco, de difficultatibus discurrit, quæ sese in conversatione, cum personis nobis in natura & indole dissimilibus, prodere solent. Adde in casu nostro difficultates, quæ exurgunt in conversatione cum personis, in ritibus Religionis dissimilibus, seu potius contrariis. Quantum igitur passus fuit S. Martyr adaptando se perversorum illorum consortio, ne dignitatem amitteret, in quo benefacere poterat fidelium collegio? *In signum patientia* pro-

De brev. vitæ c. ult.

propter tolerantiam, qua atrocia adeo ſuſtinuit ſupplicia, utpote plurimis modis cruciatus, præcipuè verò in hoc, quod innumeris ſagittis excipiendis tanquam ſcopus fuerit expoſitus.

5. *Poſitus eſt in ſignum miraculorum*, inquit de Chriſto idemmet Hugo. Id quod de S. Sebaſtiano pariter dici potuit. Etenim uxor Nicoſtrati muta, ſanitatem ſibi per Martyrem reſtitui petiit. Sanctus à Divina Majeſtate miraculum iſtud in publicam conteſtationem quod verus Dei ſervus eſſet, popoſcit & ſubito mulier illa amiſſum linguæ uſum recuperavit. Præter quod, plurima alia, eaque valde memorabilia miracula, in vita & in morte patravit.

Isa. 11. 6. *In ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*, dicitur de Chriſto; quod idem adimpletum quoque fuit in S. Sebaſtiano; omnes namque populi Provinciæ, & regna in urgentiſſimis neceſſitatibus ſuis interceſſionem ejus invocant, maximè quando peſtilentiæ flagello caſtigari ſe ſentiunt. Et quidem ſicut Deus quondam
Gen. 9. 13. Noe dixit: *Ponam arcum meum in nubibus, & erit ſignum fœderis*, id eſt, placationis nota erit: ita quoque idem videtur in S. Sebaſtiano, qui dum ſagittas ſuas & merita martyrii ſui, in divinæ juſtitiæ conſpectum adducit, eo præcipuè tempore, quo Deus ad alios vulnerandos arcum ſuum tetendit, cœlum arma & fulmina iræ ſuæ confeſtim deponere facit.

7. Verum enimvero ad id, quod in principio diximus, revertor. *Poſitus eſt in ſignum, id eſt in ſigillum, ut in eo imprimamur per imitationem*; omnes etenim cujuſcunque tandem vocationis aut profeſſionis ſimus, multa è vita ejus addiſcenda habemus. Enimvero increata illa ſapientia ſemetipſam, negotiatori bonas margaritas inquirenti comparavit: *Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas*. Sed quodnam in eo latet myſterium, quod animas margaritis aſſimilet? cur non potius rubinis, carbunculis, adamantibus, vel aliis monialibus majoris decoris & pretii eaſdem comparat? demonſtrare nimirum nobis voluit, quod ſi animas noſtras, quas ipſe creavit, & ad animandum corporis noſtri lutum, pro tempore ſibi bene viſo, in mare hujus ſæculi collocavit, perdamus, id ſola culpa noſtra fiat. Cur ita? obſervetis obſecro margaritæ naturam; hæc enim licèt in medio mari, in ſumma aquarum marinarum ſalſarumque abundantia, conſiſtat, ne guttam tamen inde bibit, ſed ſolum cœli rorem intra ſe recipit, indeque nutritur. Eodem prorſus modo, quævis anima, quæ in mari hujus mundi vivit, licèt in ſumma amaræ aquæ abundantia conſtituta ſit in quocunque tandem ſtatu & vocatione, quantumvis etiam periculoſa, verſetur, cor ſuum culpæ amaritudini obfirmare, illud divinæ gratiæ rori aperire poteſt, dummodo id facere velit. S. Sebaſtianus miles erat & primarius aulicus, ipſique Imperatori in delitiis erat. Gaudebat libertate, divitiis & imperiis ampliſſimis, & tamen immaculatam quandam & irreprehenſibilem vitam duxit, Phariſæi apud Matth. Salvatorem noſtrum convenientes, eundem præſentata uſuali quadam moneta, qua tributum pendere ſolebant, interrogarunt: *Licet cenſum dare Cæſari an non?* quibus ſapientiſſimus Magiſter reſpondit: *Quod eſt Cæſaris, date Cæſari, quod eſt Dei, date Deo*. Id quod hoc loco
Matth. 22. 17. Chriſtus docuit, in S. Sebaſtiano ad literam adimpletum fuit. Cæſari namque obſequium, obedientiam, & ſervitium illud, quod Cæſari tanquam Cæſari, non verò tanquam Eccleſiæ perſecutori debebat, ritè exſolvit; quotieſcunque autem opus erat, intellexit, quod *obedire oportet magis Deo, quam hominibus*. S. Hierony-
Act. Apocal. 5. 26. mus in Epiſtola ſupra citata, per trium puerorum & Danielis exemplum nos docet, quod hominibus cæteroquin perfidis, ſine ullo divini obſequii præjudicio, ſervire poſſimus. Sed quin id modo faciemus; *Daniel & tres pueri ſic præerant Babylonia opibus, & ſic erant inter principes Civitatis; ut habitu Nabuchodonoſor, Deo mente ſervirent*. Quidnam obſecro in culpæ noſtræ excuſationem reſpondere poterimus, ſi nobis ob oculos poſitum fuerit exemplum S. Sebaſtiani, in vocatione quadam adeo lubrica, adeo in omni virtute perfecti, adeoque in vita ſua immaculati? quisnam ſtatus magis eſt à pietate alienus, quàm militaris? & tamen Cornelius Centurio, quàm gratus Deo fuit? nunquid etiam de alio Centurione Capharnaita ipſiuſmet Chriſti teſtimonium habemus, dicentis. *Non inveni tantam fidem in Iſrael?* Enimvero S. Hieronymus de ambobus, ad Nebridium ſcribens, ita ait: *Centurionem cohortis* Act. Ap. 10. 3.
Italicæ, in tantum acceptum Deo; ut Angelum ad eum mitteret, primus ab Apoſtolo baptizatus, ſalutem gentium dedicavit. De alio verò Centurione, pariter hoc ei datum eſſe ſcribit teſtimonium: *Non inveni tantam fidem in Iſrael*. Quando S. Petrus ad militem illum, cum aliis, ad familiam illius pertinentibus, baptizandum miſſus fuit, dixit: *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*. In quacunque profeſſione, ſive demum illa ſæcularis ſit, ſive regularis, ſive conjugii, ſive virginitatis, ſufficit, ſi timeas Deum, & cor habes virtute Chriſtiana munitum; hoc inquam, ſufficit. Porrò hodie pariter S. Fabiani feſtum peragitur, cui Spiritus Sanctus in columba ſanctitatis teſtimonium reddidit; & tametſi hic ſacerdos pariter & ſummus Pontifex fuerit, ob id tamen S. Sebaſtianus cum lorica ſua ei nequaquam cedit. Veruntamen cauſa idipſum admirandi eadem eſt, quam Euſebius Emiſſenus de S. Geneſio Martyre obſervavit, dicens. *Ecce in ſacrilegi tyranni miniſterio, militem ſuum Chriſtus invenit, æſtuat dolore & confuſione judex iratus: plus erubeſcit cultorem fidei, de parte emerſiſſe perfidiæ*. Ipſe ſe verum Jeſu Chriſti ſervum eſſe probavit, licèt omnipotentia & ſapientia altiſſimi *in ſacrilegi tyranni miniſterio militem ſuum invenerit*. Unde perſpicuè colligitur, quod fidelis Chriſti ſervus eſſe quis poſſit, licèt is infideli cuipiam, & Chriſti perſecutori inſerviat.

DE PURIFICATIONE

B. VIRGINIS MARIÆ

Diſcurſus Decem.

Diſcurſus I. Oſtenditur, quod tam myſteria in Evangelio expreſſa, quàm cæremoniæ pro hoc feſto inſtitutæ, ſpiritualem nobis inſinuent animarum noſtrarum purificationem.

Diſcurſus II. Licèt nec filius, nec Mater legibus adſtricti fuerint, eas tamen adimplere voluerunt; ejuſque varia adducuntur myſteria.

Diſcurſus III. Quantum hæc filii ſui oblatio æterno Patri accepta fuerit. Exponuntur etiam quinque ſiclorum myſteria, & variæ moralitates.

Diſcurſus IV. Quoad Columbas, & turtures hodie à B. Virgine oblatas variæ adducuntur opiniones; nec non ſenſus morales exinde eruuntur.

Diſcurſus V. Qui dignus eſſe vult, ut divinum Infantem recipiat, virtutes ſancti Simeonis ſenis imitari debet.

Diſcurſus VI. Devoti exponuntur S. Simeonis affectus, quibus Chriſtum inter brachia ſua ſuſcepit. Quod beneficium idemmet Dei filius nobis contulit, dum nobis illum pluribus modis, præcipuè verò in Euchariſtia recipere conceſſit: Deque præparatione ad hujus receptionem neceſſaria.

Diſcurſus VII. De immaculata puritate Mariæ, cum humilitate ſua conjuncta, ob quam etiam magis reſplendet.

Diſcurſus VIII. Ex eo, quod habemus in Miſſa & officio Divino, necnon ab hujus feſti ritibus, argumenta quædam eliciuntur, ad demonſtrandam Virginis puritatem, quæ proinde purificatione non eguit.

Diſcurſus IX. De myſteriis Ceræ, & benedictarum Candelarum, quæ in hac ſolemnitate diſtribuuntur.

Diſcurſus X. De Origine, & myſteriis Proceſſionis hujus feſti. Et nonnullæ exponuntur moralitates circa lumina, quæ in manibus portantur.

Oſten-

Ostenditur quod tam mysteria in Evangelio expressa, quam cæremoniæ pro hoc festo institutæ, spiritualem nobis insinuent animarum nostrarum purificationem.

DISCURSUS PRIMUS.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. c. 2.

1. CUm cera, quæ in hoc festo, quod à Candelis nomen habet, distribuitur, apum partus existat, merito considerandum est ingens quo ab Apibus elaboratur artificium. Hæc etenim in pratis amænisque hortis, super varios flores circumvolitantes, è substantia & liquore, quem inde imbibunt, id quod subtilius est, in mel, in ceram verò id, quod solidius est, referunt. Ac proinde operæ pretium futurum esse existimavi, si & ego de multis diversisque hujus festi mysteriis discurrendo, inde mel quoddam extraxero gratæ erga virginem devotionis necnon pro animabus nostris ceram profectus spiritualis. Porrò nomen Purificationis suam à puritate Ethymologiam obtinet, quam sancta mater Ecclesia hodie in filiorum suorum cordibus imprimere nititur, prout ex oratione, in hac solemnitate dici solita, satis apparet, in qua dicitur: *Ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari.* Etenim in omni re huc spectantæ motiva inveniemus, per quæ in hujus virtutis amorem allici valeamus.

2. Processio, quam ex Bethlehem in Jerusalem, nec non & alia, quam in templum usque instituerunt, nos docent verum esse, quod Dionysius Carthusianus in quodam sermone de hodierno festo tradit dicens: *Ex Evangelio docemur, quod nonnisi virtuosi ac justi processionem Deo placitam faciunt*; quotquot enim in hasce processiones intervenerunt, vitam duxerunt sanctam & immaculatam. Ex Bethleem sanctissima Virgo, & sanctissimus sponsus ejus Josephus, Christum Infantulum secum portantes processerunt. Hierosolymis verò in templo, iisdem sese associarunt senex Simeon & Anna Prophetissa: *Processio prorsus devotissima atque sanctissima, à Virgine & Joseph, Simeone & Anna.* (Serm. 3. de pur.)

3. Tempus quoque observandum est, quo cœlestem hunc Infantem in templum præsentarunt, nimirum quando jam fuerat circumcisus, *mystice insinuantes* (inquit Beda) *neminem nisi circumcisum vitiis, Dominicis dignum esse conspectibus.*

4. Nullum esse potest cuipiam dubium, quin sanctissima Virgo ejusque filius, ad observantiam hujus à Moyse datæ legis, nequaquam fuerint adstricti, & tamen ambo unanimiter eandem adimplere voluerunt, idque ad nostram instructionem, ut nimirum inde disceremus, quod leges à Deo nobis præscriptas executioni mandare, unicum sit animabus & cordibus nostris purificandis remedium: *Lex sancta & immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: præceptum Domini lucidum, illuminans.* (Ps. 8. 18.) Unde nonnulli acutè considerarunt, inter *Lex* & *Lux* exiguam esse differentiam, quasi lex nobis lucis loco sit, unde animæ nostræ illuminantur.

5. Etenim quod Christum attinet, de eo lex disposuerat, ut videtur, ut tanquam primogenitus in templo offerretur, ad innuendum nobis, quod nos quoque ejus imitatione primogenita nostra offerre debeamus. Quænam autem & qualia hæc sint, id doctissimus Salmeron nobis declarat dicens: *Primogenitum cordis nostri, pura ac sincera, atque incorrupta est animi nostri intentio.* (Tom. 3. tr. 41.) Porro oblatio, quæ præter turturem pro hoc cœlesti infantulo, Deo præsentata fuit, agnellus ille extitit, de quo solum dici potest: *Agnus Dei qui tollit peccata mundi; & Agnus sine macula.* Hic redemptus fuit quinque Siclis, qui quinque vulnerum figura erant, quæ Christus triginta denariis venditus, aperturus erat in cruce; quando per pretiosum sanguinis sui lavacrum sordes nostras abstersurus erat. *Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis; quia sine sanguinis effusione non fit remissio.* (Hebr. 6.) Verum enimvero Sanctus Gregorius Nyssenus in his quinque Siclis aliud quoddam nobis utilissimum consideravit mysterium, dum ait: *Significare oportere unumquemque nostrum omnes sensus Deo sanctificare, atque ea, quæ per sensus fiunt, purum atque ab omni voluptate inhonesta alienum, quasi quoddam redemptionis pretium, sanctum atque legitimum offerre creatori.* (Hom. de recursu.)

6. Quòd verò attinet sanctissimam Virginem, de ea Doctor Angelicus dixit, quòd licèt lege non teneretur, illam tamen puritatis amore adimplere voluerit: *Amor puritatis in superabundanti purificatione.* (Serm. 2. de pur.) Sanctus quoque Bernardinus Senensis scribit, quòd *voluerit legis consuetudinem observare, in exemplum mundissimæ puritatis.* Guerricus ex tanto Virginis exemplo occasionem sumpsit, ad hanc nos virtutem hisce verbis exstimulandi; *Tempus purgationis advenit, quando mater summa puritatis, de cujus purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quo debeamus purgari.* (Ser. 10. ar. 1. cap. 1.) Hugo Cardinalis modum nos edocet, quem hanc magnam Dei matrem imitando, observare debemus, dicens, *Sicut Maria voluit purificari, licèt non indigeret, ita post partum bonorum operum debet se anima reputare immundam.* (In Luc.) Ad cujus probationem illo Jobi textu utitur, dicentis: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceret delinquenti.* Porrò Salmeron aliam nobis purificationem spiritualem insinuavit, dicens: *Docemur facultates animi à vitiis purgare per virtutes, quas sapienter occultamus, quemadmodum Maria puritatem illam singularem ac munditiam texit.*

7. Quod si etiam munera oblata considerentur, sive turturis sive columbarum utrumque hoc munus ad mundandas animas nostras calcar nobis efficaciter addit. Et quidem imprimis *par* obtulerunt, non enim dicit unum turturem vel unam columbam oblatam fuisse sed duas. Petrus Blesensis ait: *Aviculæ duæ, duæ sunt hominis partes, anima & caro. Sit anima simplex & innocens, sit caro immaculata & continens.* (Ser. de pur.) Sive autem turtures, sive columbæ oblatæ fuerint, ambæ tamen puritatem nobis figurabant. *Merito ergo*, inquit Beda, *turtur & columba Domino offeruntur in hostia, quia simplex & pudica fidelium conversatio est illi justitiæ sacrificium gratum.* Sanctus Gregorius Nyssenus nos exhortatur, ut in duobus turturibus duplicem Deo castitatem præsentemus, id est cordis & corporis. *Offeramus etiam nos ad superum altare tanquam par turturum animi & corporis puritatem.* Etenim quoad columbas advertendum est, quòd sacer textus dicat oblatos esse *duos pullos columbarum*; Non dicit oblatas fuisse columbas, sed pullos earum in ætate tenera. Cujus rationem optimam reddit Carthusianus dicens: *Columba in perfecta ætate valde est luxuriosa, ideo decuit eam offerri in illa ætate, in qua luxui non est apta.* (In Luc.) Id quod S. Bernardus quoque affirmavit dicens: *Non decuit offerri eam in sacrificium Domini, nisi ea ætate, qua nescit libidinem.* (Ser. 59. in Cant. Lib. 1. epist. 6.)

8. Hanc quoque puritatis virtutem ex sancto Simeone sene deducere possumus, cujus insignes virtutes Evangelista in sua Historia describit: *Quia Christum in manibus erat gestaturus. Expende & tu* (inquit Didacus Stella) *quam sanctus purusque debet esse sacerdos ille, qui Christum fere quotidie manibus menteque tractat; nempe justus & timoratus, & Spiritu sancto plenus.* Et quidem ut hic auctor id tantò fortius imprimat, eo motivo utitur quòd scilicet Deus in antiqua lege, populo Israelitico vestes suas prius lavare præceperit, ut legem suam aliqua præparatione prævia, non verò omnino indignè reciperet. *Quanto magis sinceritas animæ requiritur, ad suscipiendum in se ipsum Legislatorem?* (Lib. 1. ep. 6.) Optimè S. Petrus Damianus consideravit; quòd Christus etiamnum infantulus, purissimis & immaculatis Virginis matris suæ, S. Josephi sponsi illius, & S. Simeonis senis manibus contrectari & portari voluerit; *Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo Virgo sit mater Ecclesiæ fides est, ut virgo fuerit & is, qui simulatus est Pater.* Unde Sanctus ille Doctor hoc demum argumentum evincit: *A*

quibus

quibus nunc obsecro, eractari vult corpus suum, cum jam immensus regnat in cœlis? Quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, jam in paterna majestatis gloria sublimatus? Porrò multa etiam habemus indicia ad firmiter credendum, hunc quoque Sanctum senem fuisse purissimum. *Quid autem putamus*, inquit Guerricus Abbas, *unctus ille*, id est Christus, *qui ungit etiam, quos non tangit, quomodo candidum & Sanctum pectus senis nostri perunxerit, cùm suscipiens eum in ulnas suas* Serm. 1. de pur. *stringeret?* Et quidem notabile in eo contextu verbum ly illud *candidum*. Sæpius etenim nominatur ei assistens Spiritus Sanctus: *Spiritus Sanctus erat in eo; Responsum acceperat à Spiritu Sancto; venit in spiritu in templum.* Ex quibus verbis animam Sancti senis immaculatam & puram fuisse liberè deduci potest; siquidem Gal. 5. 23. inter alios Spiritus Sancti fructus ab Apostolo enumeratams, continentia quoque & castitas recensentur. Unde Albertus Magnus dicit: *Spiritus Sanctus esse debet in nobis, per omnimodam puritatem vitæ; unde sequitur: Et Spiritus Sanctus erat in eo. Hospitari igitur debemus* Serm. 2. de pur. *Spiritum Sanctum per omnimodam vitæ munditiam: mundus enim est Spiritus Sanctus, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quod si demum occurrens infanti Anna Prophetissa consideretur, hæc pariter in hac virtute insignis extitit; cùm enim ad habendum benedictionis fructum, in illo populo omninò conveniens fuerit statum profiteri conjugalem, de ea tamen scribitur, quod *vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.* Adeoque deducitur, quòd octoginta quatuor annorum spatio casta vixerit.

9. Quod si etiam ad ceram quæ hodie distribuitur, reflectere velimus, hinc quoque motivum quoddam nos spiritualiter purificandi elicere possumus. Unde Ruper- Lib. 3. c. 25. tus Abbas *de divinis officiis* scribit de Ape: *Ceram cum melle virginali producit opere.* Atque ideo Cyrillus Hierosolymitanus ad occurrendum Salvatori, hisce nos ver- Serm. de pur. bis invitat: *Tanquam filii lucis ceras vera luci Christo offeramus quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit, ideo lumine ex lumine supra nivem resplendeamus.* Nescio quidem, an aliquando observaveritis, quòd priusquam lumina manibus nostris portemus, lumbos præcingere moneamur. Prius namque dicitur, *sint lumbi vestri præcincti*; & postea: *Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Id quod S. Gregorius declarat, dicens: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus,*

10. Superest nunc, ut mediante hac eadem purificatione aliud quoddam S. Laurentii Justiniani monitum ponderemus. Dicit igitur Sanctus hic Pater: *Ut spiritualiter purificeris, in templum cordis tui ingredere, ibi omnis cogitationis noxiæ atque inordinatæ affectionis sedato tumultu. Deo per orationis studium & contempla-* Ser. de pur. *tionis odium, vacare contende.* In Isaia quoque ad hanc purificationem exhortamur: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè.* Verum enimvero quantopere deplorandum est, quod prorsus contrarium à Christianis hodie, pro dolore fiat; dum sensibus suis frænum relaxant, suamque animam quilibet omnis spurcitiæ genere contaminare satagit? Virgo beatissima purificatur licèt nullam, ne originalem quidem contraxerit maculam; nobis autem qui ejus devotos clientes nos esse, subque ejus patrocinio nos vivere profitemur, non sufficit, nos me iniquitatum præteritarum pice coinquinasse, ac proinde nulli alteri rei adeo studemus, quàm ut ad contumeliam purificationis ejus, quæ puritatem nobis adeo firmiter inculcat, novis nos culpis contaminemus.

Licèt nec filius nec mater legibus adstricti fuerint, eas tamen adimplere voluerunt; ejusque varia adducuntur mysteria.

DISCURSUS SECUNDUS.

Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis.
Lucæ Cap. 2.

1. SAnctus Bernardinus Senensis aptè circa præsens festum consideravit, quòd Salvator noster triplici se legi subjicere voluerit, quas pariter Sanctissima Mater ejus, tum pro filio, tum pro semetipsa adimplevit: *Triplici legi amorosissimè se subjecit; primo legi purificationis; secundo legi redemptionis; tertio legi oblationis.* Serm. 19. a. 11. In hoc etenim mysterio, quod hodie celebratur, tria concurrebant legis Mosaicæ præcepta. Primum exprimitur in Levitico, ubi præcipitur, quòd Levit. 12. 2. mulier, quæ pepererit masculum, sit immunda, seque ab hominum consortio subducat quadraginta diebus: si verò fœminam pepererit, octoginta diebus; quibus evolutis in templo præsentetur, ibidemque in sacrificium agnum offerat, vel duas columbas, aut verò turtures duos. Secundum verò præceptum in Exodo describitur, Exodo 13. ubi Deus omnia sibi primogenita, tam de hominibus, quàm de animalibus offerri præcepit, idque in memoriam beneficii, Israelitico populo exhibiti, dum primogenitis Ægyptiorum occisis, eosdem à servitute Ægyptiorum liberavit. Tertia lex denique in libro Numerorum recensetur, ubi mandatur, ut primogenita, post- Num. 18. 15. quam oblata fuerint, redimantur, idque quinque siclorum pretio fiat. Omnibus hisce tribus legibus filius pariter & mater se submiserunt: *Cum inducerent puerum* Hom. 8. in Lev. *Jesum, ut facerent secundum consuetudinem legis.* Certum quidem est, quod ex nullo capite hisce præceptis adstricti fuerint. Non primo, quia ut Origenes benè observavit, Moyses non sine mysterio hoc præceptum à Deo institutum hisce verbis recensuit: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit. Consideremus secundum historiam, si non videtur quasi ex superfluo additum, mulier, quæ conceperit semen, & pepererit masculum, quasi posset aliter masculum parere, nisi semine concepto. Sed non ex superfluo additur, ad discretionem namque illius quæ sine semine concepit & peperit, istum sermonem præ cæteris mulieribus legislator adjecit; ut non omnem mulierem quæ peperisset, designaret immundam, sed eam, quæ concepto semine peperisset.* Ulterius sciendum est, quod lex de muliere loquatur, quæ secundum usum naturæ ordinarium concepit, non verò de conceptu miraculoso, qualis Virginis erat. *Ferant ergo legis onera mulieres*, inquit Origenes, *virgines verò ab his habeantur immunes.*

2. Qualem etenim beata Virgo contrahere poterat immunditiem, quæ Spiritus Sancti opera fœcundata fuerat? Unde Petrus Blesensis hisce verbis divinum Infantem alloquitur: *Ne accedas Domine Jesu ad purificationem; tu immunis à peccato, fide mundans corda tuorum; tu sine semine conceptus, & natus de Spiritu Sancto; expecta, donec teipsum offeras pro mundo. Ne accedas Virgo Sanctissima, tu enim neque propriè mulier, neque semine suscepto peperisti.* Multo minus primogenitorum lege, divinus hic tenebatur Infantulus, quia hoc fuisset, ipsimet Deo Deum ipsum offerre. Et jam comparente figurato, omnes illius umbræ, omnesque figuræ finem acceperant. Longè minus ad hoc adstringi poterat, ut quinque siclis redimeretur, quo enim pretio communis Redemptor redimi potuisset? Et tamen hoc non obstante Evangelista dicit: *Ut facerent secundum consuetudinem legis.*

3. Enimverò quia filius Dei contestatus est, quòd *non venerit legem solvere, sed adimplere*, mater filii secuta est exemplum, & sic ambo legi huic sese supposuerunt. Unde Goffridus Abbas ait: *Meritò mater le-* In Luc. *gem servavit, cujus filius & legem dederat, & venerat, ut in se legem adimpleret, quam aliis dederat ante.* Idemmet Albertus Magnus etiam scribit, scilicet quòd

cùm lex Mosaica in suo adhuc vigore consisteret, Christus Dominus noster illam quoque adimplere voluerit, ut eam se approbare demonstraret, imo in ejus adimpletione adeo zelosus, punctualis & exactus fuit, quod dum vix pede terram contigisset, hanc æterno Patri Ps. 39. 16. suo protestationem fecerit: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Serm. 4 de purif. 4. *Ut facerent secundum consuetudinem legis.* O immaculata mater, inquit Guerricus Abbas, num fortè puritatem tuam ignoras? Cur, quæ aliarum mulierum infirmitatem non contraxisti, commune tamen omnibus aliis destinatum remedium usurpas? Tandem verò Virginis nomine respondet & dicit: *Sic decet nos omnem implere justitiam, ut, quæ summæ mater electa sum justitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar justitiæ. Novi ego superbiam filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quam ad expurgandum commissa, necessarium arbitror ut vitiis originis antiquis, statim in initiis omnia novæ generationis occurrant exempla.* Ad declarandum verò quænam hæc exempla fuerint, quæ in sua nobis purificatione reliquit, dicit: *Mater prævaricationis peccavit, & excusavit procaciter; mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter.* Sed quo fine? quo etiam fructu? *Ut filii hominis qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem novitatis trahunt humilitatem purgandi.*

5. *Ut facerent secundum consuetudinem legis.* Verum quidem est quòd Maria huic præcepto legali non fuerit adstricta, sed inquit Euthymius: *Obedivit tamen, ne legem transgredi videretur.* Non solùm ut suam erga legem demonstraret obedientiam, verum etiam ut suam probaret omnibus prudentiam, non scandalizando Judæos; *Ad vitandum scandalum Judæorum*, inquit Dionysius Carthusianus. Beatus Thomas de Villa nova dicit: Serm. de purif. *Quoniam sacri partus mysterium adhuc latebat, nisi servasset legem prævaricationis, rea apud alios haberetur. Ne ergo aliis præberet scandalum, lege non observata voluntariè servavit legem.* Idemmet scribit Lucas Burgensis, qui tamen insuper addit, illam ab hac lege exemptionem, qua Virgo tanquam mater Dei, & tanquam virgo gaudebat, tunc nondum fuisse notam & manifestam, ob quam causam ejus quoque filius, licèt jam declaratus esset Messias, tributum tamen solvere voluit, ne Judæos scandalizaret. Unde hoc elicit argumentum: *Multo magis hoc adhuc tempore legem sequi debuit mater, quo divinissimorum privilegiorum ejus nihil erat divulgatum.* Unde B. Thomas præfatus ad nostram utilitatem & profectum hoc nobis suggerit documentum: *Multa propter aliorum scandala facienda sunt, multa etiam bona omittenda; neque tibi sufficit bona conscientia, sed oportet etiam te esse solicitum de aliena.*

6. *Ut facerent secundum consuetudinem legis.* Dionysius Carthusianus dicit: *Voluit autem Maria dignissima subjici legi, & quasi purgari in templo, ad dandum obedientiæ & humilitatis exemplum, & ad conformandum se aliis mulieribus in licitis & honestis.* Certissimum quidem est, quòd Virgo omnes habuerit prærogativas specialissimas, quas post Creatorem habere aut consequi potuit pura aliqua creatura. Unde & *Virgo singularis* ab Ecclesia appellatur; nihilominus ex instinctu humillimi conceptus, & ex contemptu sui ipsius hanc singularitatem in se apparere nequaquam voluit. Hugo Cardinalis ait: *In cumulum obedientiæ quæ plus facit, quam teneatur facere*; utiturque hoc S. Bernardi testimonio dicentis: *Verè Beata Virgo non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed nunquid filio tuo opus erat Circumcisione? esto inter mulieres tanquam una illarum.* Enimvero quod si à lege exempta fuisset, causam quoque exemptionis manifestari decuisset, id est, quòd mater Dei esset, quòd opera Spiritus Sancti concepisset, quòd virgo esset, & post partum virgo mansisset. Hæc autem omnia in maximum cessissent humilitatis suæ præjudicium.

7. *Ut facerent secundum consuetudinem legis.* Ubi Goffridus Abbas ait: *Cùm Beatissima Virgo licèt non ignorasset, quis esset quem genuisset, expectavit tamen diem purgationis, & occultavit Filii Dei Deitatem.* Unde jure Ecclesia Deiparam titulo prudentissimæ Virginis honorat, *Virgo prudentissima*, nam ut hic auctor præfatus ait: Prudentiæ suæ specimen edidit, quod Messiam dæmoni occultaverit: *Nam si Christi incarnatio fuisset nota Diabolo, nec Christus pro nobis moreretur, nec fieret nostra redemptio*; Nihil igitur Virgo fecit, quòd instar aliarum matrum immunda reputaretur, essetque legi subjecta, siquidem ad humanæ redemptionis universale bonum oculum suum direxerat.

8. *Ut facerent secundum consuetudinem legis. Amor puritatis in superabundanti purificatione*, inquit S. Thomas. Serm. de pur. Licèt tam mater quàm filius ipsa essent luce puriores, purificari tamen voluerunt, ut innuerent, quanto tenerentur puritatis amore; simulque nos docerent, ut quantumcunque puri & perfecti simus, semper tamen ad majorem sanctitatem & perfectionem aspirare, nec unquam eo gradu, quem de facto tenemus, contenti esse debeamus. *Qui sanctus est sanctificetur adhuc.* Apoc. 22. 11. Ac proinde nulla unquam nobis prætereunda est occasio, qua animas nostras puriores & mundiores reddere valeamus; nam quantò magis fuerint purificatæ, tantò in regnum cœlorum faciliorem habebimus aditum, quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum.* Idemmet S. Thomas in eodem sermone aliquos nobis tradit hujusce purificationis instituendæ modos, dicens: *In hoc quod B. Virgo voluit purgari, cum non indigeret, docuit nos quomodo qui indigemus, purgari debeamus.* Tandem verò aliquos modos omninò utilissimos id faciendi præscribit. *Debemus purgari*, inquit, *à coinquinatione peccati, in cognitione, quoad intellectum, in affectu, quoad dilectionem, in mente per rectam intentionem, in ore quoad locutionem, in manibus quoad operationem, in toto corpore quoad conversionem.* S. autem Bernardinus aliud nobis adimpletæ hujus legis insinuat mysterium, dum ait: *Voluit legis consuetudinem observare, in exemplum mundissimæ puritatis, ut* Ser. 10. 2. 2. cap. 12. *mystice innueret, quod, postquam fecerimus quæcunque bona, dicamus servi inutiles sumus.* Adeo, ut postquam juxta ritus jam à S. Thoma explicatos purificati fuerimus, ulterius hoc posteriori modo purificari debeamus; Ita enim in S. Luca inquit S. Bernardinus, *docuit nos magister humilitatis Christus.*

9. *Ut facerent secundum consuetudinem legis.* Didacus Stella hìc dicit: *Ex hoc contextu discamus humiles esse exemplo Christi Salvatoris nostri qui humilis peccator & servus apparuit cum esset dives, & Dominus universæ terræ; nos autem, cum simus peccatores, & omni scelere coinquinati, probi volumus & magni coram mundo apparere.* Nos vulneribus saucii sumus, & alligaturam fasciæ erubescimus. Christus autem ut superbiæ nostræ mederetur, unà cum sua sanctissima & purissima matre intra turbam peccatorum, aliorumque omnium, à vitiata Adæ massa prodeuntium sese insinuat, ad confundendam mentis nostræ elationem, assumendasque in se omnes nostras infirmitates, siquidem *languores nostros ipse tulit.*

Quantum hæc filii sui oblatio æterno Patri accepta fuerit. Exponuntur etiam quinque siclorum mysteria, & variæ moralitates.

DISCURSUS TERTIUS.

Tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Lucæ Cap. 2.

1. NUllum unquam æterno Patri gratius, digniusque munus oblatum fuit eo, quod hodierna die eidem Beatissima Virgo obtulit, utpote quæ præ cæteris, quantum hinc glorificaretur suprema Trinitas, quantum per hoc divinæ satisfaceret justitiæ, quantum denique ex eodem naturæ humanæ accederet beneficium, evidentius intelligebat. Omnia sacrificia, omnesque oblationes innumeræ, quæ omnibus retro sæculis ad hæc usque tempora factæ fuerant, hodiernam

obla-

oblationem præfigurabant. Et quidem licèr Deus tot victimatorum animalium fatur, & quasi fastidiosus esset, dicens: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* [Ps. 49. 13.] Attamen omnes illas victimas, gratas habebat, & libenter acceptabat, eo quod hanc Unigeniti sui oblationem, licet remotè satis, præfigurabant. *Nunquam* (inquit Lucas Burgensis) [In Luc.] *in tabernaculo fœderis hujusmodi apparuerat hostia; nunquam in templo Salomonis magnifica adeo & gloriosa visa oblatio fuerat; jam cœptum impleri est illud Aggæi: Magna erit gloria domus istius novissima plus quam primæ; veniet enim desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* Quod propheticum [Ser. 3. de pur.] oraculum hodie adimpletum fuit. *Offer* (inquit ad Virginem conversus devotus Bernardus) *ad nostram omnium reconciliationem, hostiam sanctam, Deo placentem; omnino acceptabit hostiam, de qua dixit: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Neque hostia isthæc de gratiori dignorive manu offerri poterat; Hæc etiam hostia ab omnibus, itique innumeris antiquæ Legis sacrificiis honorabatur. Imo ipsemet qui offerebatur à matre, offerebat semetipsum, adeo ut oblatio simul & offerens esset. *O profunditatem scientiarum* [In cat. D. Th.] (inquit S. Cyrillus) *sapientiæ & scientiæ Dei! offert hostias qui per singulas hostias honoratur cum Patre.* De eodem quoque Apostolus ait: [Eph. 5. 2.] *Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Porrò verisimile est hanc oblationem matutino tempore factam fuisse, quando Agnus, qui sacrificium matutinum erat, offerebatur, ac proinde apte dici poterat; *Ecce Agnus Dei.* B. Thomas de Villa nova Beatam Virginem æternum Patrem [Ser. de pur.] hunc in modum alloquentem introducit: *Suscipe Pater omnipotens, suscipe oblationem hanc, quam tibi offero pro toto mundo, ancilla tua; suscipe communem filium, tuum ab æterno, meum in tempore, suscipe nunc de manibus ancillæ tuæ sacrosanctum hoc sacrificium matutinum, tibi quondam in Crucis brachiis offerendum in sacrificium vespertinum.* S. Bernardus postquam in hoc ultimum sacrificium reflexisset oculum, oblationem hodiernam considerans dicit: *Oblatio ista satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, & illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia Crucis; veniet quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio.*

2. Enimvero oblatio ista duo secum mysteria subinfert; unum est, quòd redemptus fuerit, alterum verò est pretium sive moneta quinque Siclorum; quorum utrumque justam à nobis ponderationem exposcit. Sacer quidam interpres inquirit, cur Virgo filium suum in templo offerens, Annam Samuelis matrem imitata non fuerit eum deserendo, & loco tabernaculi sive sanctuarii dedicando, maximè cùm de eo scriptum sit: [Luc. Burg. in Luc.] *Dominus in templo sancto suo.* Et ad propositum nostrum optimè respondet, dicens: *Oblatum Domino puerum, noluit Maria relinquere in illo templo, & commodare illi tabernaculo, quemadmodum olim Anna Samuelem? non enim voluit synagogæ eum proprium esse, quem pepererat Salvatorem futurum totius mundi.* Potuisset quidem æternus Pater hanc per quinque Siclos factam redemptionem renuere, munusque sibi oblatum retinere, non verò matri restituere: attamen pretium redemptionis libenter acceptavit, & oblatum sibi divinum infantem ultro citroque restituit; jam enim pactum erat, ut Filius ejus totus noster esset: *Nobis datus, nobis natus: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Ideo enim è suo sinu eum avulserat, ut hic in terris saluti nostræ operandæ totus intentus esset. Verum quidem insuper est, quòd omnes cœli terræque thesauri, ne dicam quinque sicli, illi redimendo nequaquam sufficere potuissent; pro illis tamen quinque siclis illum passus est redimi, ut nos eum nobis dono datum potius, quàm à nobis redemptum esse intelligeremus. Ad hæc advertendum est, quòd Evangelista de numeratis quinque siclis nullam mentionem faciat, cujus rationem [To. 3. tr. 41.] Salmeron hanc esse dicit: *Quia Christus quinque siclos dedit Patri in cruce, in præcipuis quinque vulneribus:* Summa itidem admiratione digna est infinita ejus charitas, amorque erga nos immensus. Quando enim ipsemet est redimendus, ordinario quinque siclorum pretio contentus acquiescit, quando autem nos redempturus est, quinque in corpore suo sanguinis torrentes effundit: *Copiosa apud eum redemptio: Empti estis pretio magno.* Verum enimvero dicat hic meritò aliquis, nunquid quinque siclis redimi, dignitati & majestati infinitæ Dei Opt. Maximi nimium præjudicat & multo magis mundi universali Redemptori? sed & triginta denariis amore nostri venditus fuit. B. Thomas ait: *Emitur ergo Redemptor quinque siclis a Virgine, qui quinque plagis totum erat mundum redempturus.* Idemmet Sanctus haud secus ac si divinum hunc infantem in brachiis Redemptoris, in templo oblatum & redemptum videret, omnes nos affectuosis hisce verbis blandè invitat dicens: *Venite nunc o cupidi, venite ad nundinas fideles; venalis hodie Deus in templo proponitur: adstat super gradus sacerdos, omni volenti emere Christum vendens; properate, emite, non magnum est pretium, quinque siclis hodie salus & vita comparatur; non de marsupio, sed de corde hos siclos expetit ut donentur.* Quales autem hi quinque sicli sint, qui ad eum nobis comparandum offerri debent, in sensu morali pro nostro affectu declarat, dicens: *Da igitur quinque siclos & accipe Deum, da pro peccatis dolorem, pro beneficiis gratitudinem, pro mysteriis laudem pro teipso timorem, pro seipso amorem.* Didacus Stella etiam mysterium, cur Christus redimi voluerit, hunc in modum meditatur: *Expende quod Christus hic tanquam peccator redimi voluit, ut nos à morte & inferno liberaret; & ut* [In Luc.] *sic redemptus nobis totaliter offerretur & totus noster esset ad vendendum, flagellandum & crucifigendum.* Demum verò idemmet B. Thomas huic mysterio, ut ex ejus discursu sufficienter colligi potest, devotissimus ita exclamat: *O emptionem singularem! ò mirabilem redemptionem! ò si scires sacerdos quis est quem vendis; non* [Ser. 10. de pur.] *illum pro toto mundi auro, & omnibus pretiosis margaritis dares. Ignosce Virgo piissima; nam si ego essem ille Sacerdos, non tibi talem venundarem filium.* S. Bernardinus Senensis totum se in hujus festi mysteriis considerandus effudit, & specialiter inter alia sequens mysterium consideravit quod: scilicet sponsa, id est Ecclesia per quinquies mille annos circiter, dilectum sponsum suum desideraverit. Demum verò dilectus ejus in die Annunciationis in Virginis uterum descenderit, in eoque novem mensibus moratus fuerit: quibus elapsis, *media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei;* quia *dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit:* hoc autem modo nobis præsens factus visus est, tantummodo inter duo animalia, atque à Pastoribus circumvicinis, necnon à tribus Regibus è longinquo advocatis, visitatus fuit, qui tamen subito *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Se quoque passus est circumcidi, sanguinis sui effusionem exordiens *neque tamen sponsæ donatur sponsus,* tametsi verè dicere tunc potuisset, *sponsus sanguinum tu mihi es. Sed hodie* (subjungit S. Bernardinus) *per manus amorosissimæ Virginis tanquam à communi Matre Salvatoris, & salvandorum in sancto Dei templo, communi persona subjacet, Sanctissimo Simeoni, tanquam authentico & legitimo mundi procuratori, humano generi facta est donatio Jesu Christi, Dei & hominis, atque Ecclesia sponsa Dei, in possessionem doni instructa est. O bone Jesu* (inquit ad cœlestem hunc infantulum B. Thomas) *jam noster es, & duplici jure es; te nobis Pater dedit, te nobis Pater emit; noster es, quia datus, noster es quia emptus: duplici te jure possidemus.* Multo autem magis Virgo & S. Joseph sponsus ejus, eum nobis dedit, jus suum, ut ita dicam, omnibus cedendo, quia *erat subditus illis.* Denique ipsemet ultro citroque & sponte propria semetipsum pro nobis obtulit: *Oblatus est quia* [Ser. cit. c. 3.] *ipse voluit.* Tandem verò S. Bernardinus subjungit, quod ad certificandum genus humanum, se totum illius esse, hujusce donationis instrumentum, Sanctissimæ Trinitatis auctoritate sit stipulatus. *Primò auctoritate legis data à Patre; secundo voluntate Filii, qui præsens fuit in natura assumpta; Tertio, inspiratione Spiritus Sancti, qui nostrum procuratorem ad hoc adduxit,* id est, S. Simeonem senem, de quo paulò ante dixerat: *Electrix gratia hunc sanctum senem elegerat, mundi procuratorem ad suscipiendum pro humano genere de manibus Dei & Virginis, Filium Dei. Quarto per manus sanctissimæ Virginis, quæ Dominum & hominem*

ſicut vera mater, verè poſſedit: Quinto in famoſiſſimo loco templi; Sexto, tempore a tota Trinitate in lege ſtatuto; Septimo Simeoni mundi procuratori, ſolemniter facta eſt nobis iſta donatio.

3. Verum enim vero huic oblationi ſive donationi, ut
In car. D. Th. nos quoque correſpondeamus, neceſſum eſt. Sanctus Athanaſius ſuper hæc verba: *Ut ſiſterent eum Domino*, hanc quæſtionem inſtituit: *Sed quando à paternis aſpectibus latuit Dominus? aut quis locus excipitur ab ejus imperio ut ibi exiſtendo ſumptus a Patre ſit, niſi offeratur in Jeruſalem, & introducatur in templum? Sed forte cauſa noſtri hujuſmodi ſcripta ſunt; ſicut enim non gratia ſui homo factus eſt, & circumciſus in carne, ſed ut nos per gratiam faceret Deos, & ut ſpiritualiter circumcidamur; ſic propter nos ſiſtitur*
Ser. 3. de pur. *Domino, ut diſcamus Deo præſentare nos ipſos*. Hanc quoque convenientiam Sanctus Bernardus Serm. in Feſtum hodiernum, conſideravit, dicens: *Ille ſeipſum obtulit; tu quis es, qui teipſum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat, ut orationem meam dignetur majeſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico; utinam hæc tibi perfectè poſſim in ſacrificium laudis offerre*. Denique virgo, ut bene Didacus Stella ponderat, donum hoc Filii ſui quod à Deo acceperat, Deo itidem viciſſim obtulit; *Sic & nos, quæ de manu ejus accepimus, per gratiarum actionem ei reddere & offerre debemus*.

4. Num aliquando ad hoc reflexiſtis, quod quando Salvator noſter è ſtabulo Bethlehemitico, ubi natus fuerat, primitus egreſſus fuit, alio non contenderit, quàm templum Hieroſolymitanum æterno Patri ſuo ſe ibidem præſentaturus? *Tulerunt Jeſum in Jeruſalem ut ſiſterent eum Domino. In quo datur forma* (inquit Hugo Cardinalis) *parentibus, ut offerant filios ſuos Domino, eos religiosè educando, ſcilicet in fide inſtruendo, & moribus informan-*
To. 3 tr 41 *do*. Porrò lex, quæ hodie adimplebatur, primogenitorum oblationem ſpectabat, quonam autem modo & nos illam imitari poſſimus. Salmeron dicit: *Exemplum dedit, ut maſculum primogenitum noſtrum offeramus Deo, id eſt, quod charius eſt nobis & pretioſius*. Demum verò ut quid nobis gratius, majorisque pretii eſſe videatur, declaret, proſequitur ulterius dicens: *In nobis porrò cenſetur optimum noſtrum judicium, ac voluntas noſtra*. Hanc autem offeremus, ubi eam ei ſubjecerimus, omne id credendo, quod fides nobis credendum proponit, eumque ex toto affectu noſtro amando. Aliud verò primogenitum, quod ex mente ejuſdem Auctoris offerre poſſumus, *eſt pura & ſincera atque incorrupta animi noſtri intentio*. Porrò *ætatis noſtræ primogenitū juventus eſt, diei vero primogenitum matutinū tempus eſt quæ univerſa Deo velut primogenita debentur*. Tandem verò alii Script. hæc primogenita ſecundùm alios ſenſus morales expoſuerint. Et quidem Didacus Stella ait: *Primogenitum, id eſt principium vitæ noſtræ offeramus Deo*. Lyranus quoque: *Primogenita ſignificant bona initia noſtræ actionis, quæ quaſi corde gerimus quæ Dei*
Ser. de pur. *gratiæ deputare debemus*. Sanctus Ildephonſus autem hanc primogeniti oblationem nos facere cenſet: *Cum quicquid boni per ejus gratiam in mente concipimus, non noſtris viribus, ſed ejus gratiæ attribuimus*. Idem quoque modum & monetam nobis explicat, quibus munus hoc oblatum redimere poſſumus, dum ait: *Immunda noſtra pretio quinque ſiclorum redimimus, cum quantumcunque prava per quinque corporis ſenſus commiſimus digna ſatisfactione puni-*
Hom. de occurſu Domini. *mus*. Vel etiam, ut Sanctus Gregorius Nyſſenus horum quinque ſiclorum myſterium morale declarans advertit, *ſignificat oportere unumquemque noſtrum, omnes ſenſus Deo ſanctificare; atque ea, quæ per ſenſus fiunt, purum atque ab omni inhoneſta voluptate alienum, quaſi quoddam redemptionis pretium, Sanctum atque legitimum offerre Creatori*.

Quoad Columbas, & Turtures hodie à Beata Virgine oblatos, variæ adducuntur opiniones, nec non ſenſus morales varii exinde eruuntur.

DISCURSUS QUARTUS.

Ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos Columbarum. Lucæ Cap. 2.

1. CUm in adimpletione hujus præcepti, de Purificatione inſtituenda, uſu receptum fuerit, ut quorum facultates, ad comparandum ſibi agnum, non ſufficiebant, vel columbas vel turtures illius loco offerrent. Evangeliſta autem in Evangelio indeciſum relinquat, utram ex his duabus volucribus Virgo obtulerit, ſed tantum dicat: *Par turturum aut duos pullos collumbarum*; ideo valde inter expoſitores controvertitur, an Virgo Columbarum pullos, an verò turtures obtulerit. Richardus de Sancto Victore, *de differentia Sacrificii Abrahæ & Mariæ* eam columbarum pullos obtuliſſe cenſet, utpote qui tunc magis in uſu erant. Præterquam quod hi magis decuerint tam filium quam matrem. An autem verè ita factum ſit, ignoramus: Sacer autem textus, ut ſcribit Dionyſius Carthuſianus, idipſum non expreſſit: *Quia redit in idem, quidquid horum obtuliſſe dicatur; per utrumque enim eorum inopia deſignatur, & res per utrumque figurata Deo eſt placita*. Porrò Origenes volucres haſce valde fortunatas fuiſſe conſideravit, quod eis conceſſum ſit, in miniſterio Hom. 14. in Luc.
adeo digno & ſublimi deſervire: *Ego & aves iſtas beatas puto, quæ pro ortu Domini oblatæ ſunt*. Utiturque Aſinæ Baalam exemplo, quæ dignata fuit, ut Angelum Dei conſpiceret, humanamque vocem articulatam efformaret: *ſic multo amplius has volucres* Ser. de pur.
prædico, eaſque ſuſtollo, quod pro Domino noſtro & Salvatore oblatæ ſunt. Cur autem non potius ad Filium Dei redimendum, Aurum, Argentum aut monilia offeruntur? cur aves Deo præſentantur? Beatus Laurentius Juſtinianus dicit: *Non aurum, non gemmas obtulerunt pro Rege cælorum, ſed animalia munda, viva, atque volantia, ut myſterium hoc intelligerent eſſe, qui legerent*. Et mox utriuſque declarat myſterium, ſive turtures fuerint, ſive columbæ: *In turture quippe*, inquit, *Sancta Eccleſia, per amoris Sacroſanctum connubium, Chriſto copulata caſtitatem intellige; in columba verò ſpecie, unitatem charitatis credentium, quibus eſt cor unum & anima una, præ-* In Luc.
figuratum agnoſce. Dionyſius autem Carthuſianus ad hoc ſe reflectit, quod turtur præ omnibus volucribus loquacior ſit, columba verò manſuetior: *ſicque per utrumque Chriſtus exprimitur, qui perfectæ manſuetudinis fuit, & ſuis ſermonibus mundum convertit; unde ad ejus Paſſionem præfigurandam columba & turtur oblata occidebantur*. Enimvero Petrus Bleſenſis dicit, quod *omnis Chriſti actio, Chriſtiani eſt lectio*; quod quidem axioma communiſſimum eſt, & à multis aliis traditum; quia tamen dictus Pater idipſum, in ſermone quodam, de hodierno feſto, ſcribit, ideo occaſionem mihi ſubminiſtrat omnia myſteria, omneſque ritus hodie occurrentes, & præcipuè, quod oblatas haſce volucres attinet, examinandi; & primò quidem de turturibus diſcurramus.

2. *Par turturum*. Turtures pro cantu gemitum habent, nobiſque pœnitentiam vel compunctionem deſignant. Et ideo Lyranus hanc inde moralitatem elicit, dicens: *Qui non invenit agnum, id eſt divicias innocuæ vitæ, ad lachrymas recurras*. Duo quoque gemituum & compunctionis genera diſtinguit, quorum unum pœnitentium proprium eſt, aliud perfectorum. *Dum vel malorum recolentes ſupplicia, timemus vel dum deſiderio cæleſtium ardentes, de dilatione gemimus: unde duo pulli offerri jubentur: unus in holocauſtum, quando amore cæleſtium inflammamur, alter pro peccato, dum de nobis perpetratis gemimus*.

Beda

Beda & Sanctus Ambrosius a Glossa citati, aliam quandam observarunt turturis proprietatem, id est, solitudinem & totalem ab hominibus secessum, quæ vitam significant contemplativam. *Turtur solivagus contemplativam vitam significat*. Hæc autem vita Redemptori nostro summopere placet; unde in comparatione Marthæ, quæ activæ vitæ dedita erat, plurimum Magdalenam laudavit, quæ dedicata omnimodo erat contem-

In Luc.

plativæ. *Maria optimam partem elegit*. Porrò Sanctus Bonaventura, super hunc turturis gemitum, ita scribit: *Gemitus turturis competit contemplativis; & hic geminatur; unde dicitur: Par turturum. Primus gemitus est amoris; nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Secundus est devotionis, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Albertus Magnus in turture observat, quod patiens sit, & felle careat: *In turture notatur lenis patientia; unde dicit Aristoteles in Lib. 14. Animal. In turture non invenitur fel;* atque ideo ad vivum repræsentat sufferentiam nostri Salvatoris; qui tanti virtutem hanc æstimavit, ut Apostolis pariter & omnibus nobis dixerit:

Serm. 3. de pur.

In patientia vestra possidebitis animas vestras. Dionysius Carthusianus de turture ita scribit: *Turtur in omni sua ætate castum est animal*, postquam enim consortem suum semel amisit, nunquam sese alteri conjungit, sed in aridis siccisque ramis continuò gemit. Unde habemus expressam illam, paulo ante ad hoc propositum insinuatam sententiam, seu potius exhortationem, quam S. Gregorius Nyssenus nobis hisce verbis proponit: *Offeramus etiam nos ad supernum altare, tanquam par turturum, animæ & corporis puritatem*. Quam etiam interpretationem Lyranus hisce verbis sequitur: *Par turturum, id est, castitatem mentis & corporis*.

3. *Aut duos pullos Columbarum*. Notandum hic est, quod Evangelista non dicat illos obtulisse columbas in ætate perfecta, sed pullos earum adhuc teneros. Hujus autem mysterium supra tetigimus, in sententia Carthusiani: *Ad innuendum, quod lascivia Deo displiceat*. Columbæ enim in ætate matura lascivæ sunt, castissimæ autem in ætate tenera. Porrò in hisce columbis variæ à sacris interpretibus moralitates considerantur. Beda & Ambrosius à Glossa citati, dicunt: *Columba quæ in grege conversatur, activam vitam significat*. Turtur autem, ut diximus, vitam denotat contemplativam. *Et quia utraque hostia accepta est Deo, consulte utraque avis oblata est pro Domino. Qui clauso ostio Patrem oras in abscondito, turturem offert; qui compares operis quærit, columbam ad altare portat*. Pe-

Serm. de pur.

trus Blesensis circa columbam, considerationem quandam instituit, quam ipsamet experientia affatim demonstrat: *Columbæ quædam ad colli mutationem, mutant etiam colorem; alius enim apparet color in collo si vergatur in lævam, & alius cum in dexteram; hinc etiam à collo quidam existimant dictam columbam, sic & contemplativus loco & tempore omnibus omnia fiat, ut Christo lucrifaciat*. Columba etiam mansueta esse noscitur, unde Christi mansuetudinem ad vivum repræsentat: *Columba est animal mansuetum*; sunt verba Sancti Cy-

In Cat. D. Thom.

rilli. Et Guerricus Abbas insuper scribit: *Felle caret, rostro non lædit. Talis factus est erga nos Salvator*, inquit Sanctus Cyrillus, *mansuetudinem perfectè colens*. Hanc columbam nos quoque imitari debemus, inqnit Guerricus. *Columba felle caret, & nos ira careamus, quæ peccare nos facit; rostro non lædamus, sed percussi in unam maxillam, aliam præbeamus*. Lyranus aliam nobis Columbæ proprietatem adducit, dicens: *Sunt aves in prole fœcundæ*; In quo nos docent, quod ope-

Serm. 5. de purif.

ribus nostris erga Deum esse debeamus fœcundi. *In cavernis petrarum nidificat*; Ita Guerricus: qui insuper ut nos, qua in re illa nobis imitanda sit, instruat, mox subjungit: *In fide plagarum Christi refugium habeamus: alienos pullos nutrit, & nos alienos pullos nutriamus, facientes verbo prædicationis, de filiis Diaboli, filios Dei. Juxta fluenta manet, ut visa accipitris umbra fugiat; nos juxta hunc mortalitatis fluxum sedentes umbram accipitris, hoc est, peccata, quæ sunt umbra Diaboli, malorum ruinas considerantes, ab ejus ungulis fugiamus. Meliora grana eligit*: & hanc quoque proprietatem nobis applicando, dicit:

Mansi Prompt.

Meliora grana eligamus, id est, meliores sententias in scripturis sanctis. Gregatim volat, unum consensum in bono, in congregatione sub uno pastore habentes. Totum istud est continuus quidam Guerrici Abbatis discursus. Verum enimvero advertendum est, quod sive turtures fuerint, sive columbæ, utrarumque oblatio ex duabus constiterit. *Avicula duæ* (inquit Petrus Blesensis) *duæ sunt hominis partes, anima & caro; sit anima simplex & innocens, sit caro immaculata & continens*. Veruntamen si mea hac in re sententia mihi dicenda esset, vix video, quid opus fuerit, ut virgo columbas offerret, aut turtures, quando ipsa agnum Deo offerebat? Id quod Sanctus quoque Bernardinus optimè consideravit, qui propterea virginem introducit dicentem: *Hunc sola dives offero, quia solum agnum* Serm. 10. a.
habeo, quem sine pudore concepi, sine gravedine tuli, 1. c. 3.
sine dolore peperi, & cum plena virginitate Dominum & hominem parturivi.

4. Ad præsens quoque propositum facit; si pro utilitate nostra in memoriam revocemus ritum hujus oblationis, in Levitico descriptum: *Si autem de avi-* Lev. 1. 14.
bus holocausti oblatio fuerit, &c. Multæ etenim sunt cæremoniæ, prouti in citato textu apparet, quibuscum hasce columbas vel turtures in Sacrificium offerabant. Sanctus Gregorius de ritu retorquendi caput aviculæ versus collum: *retorto ad collum capite*, ita discurrit: *Nec immeriso per caput mentem intelligimus; quia sicut* Hom. 7. in
caput corpus, ita mens actiones dirigit: sed caput ad c. 1.
pennulas retorqueri præcipitur, ut ea quæ dicis, facias, Ezech.
& os ad operas conjungas. Sanctus Bruno in hoc Sa- Serm. de
crificio, quod in Levitico describitur, delineatam vult pur.
esse oblationem, qua quis Deo semetipsum offert in statu perfectionis. Afferre etenim columbas vel turtures, est promittere integritatem corporis & animæ in divino servitio, & in bonis propositis stabilitatem & perseverantiam. Caput columbæ, vel turturis versus collum retorquetur, ut per hoc ei, qui se Deo dedicat, insinuetur, *ut inclinato capite incedat, quod est signum humilitatis*. Necessaria enim est humilitas, mortificatio, suique ipsius contemptus. *Deo currere faciet sanguinem super crepidinem altaris*. Per altare cor intelligitur, peccata verò per sanguinem, ac proinde monemur, quod viva nobis in mente habenda sit peccatorum commissorum memoria, ut de illis doleamus, veramque agamus pœnitentiam, prout David dicebat. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper. Vesiculam gutturis projicit*: quia resecanda à nobis est omnis gloriæ delectatio: *Auferatur ei vesicula gutturis ubi cibum reponere solebat, ut discat amodo jejunare, qui prius crapulæ operam dabat. Plumas projiciet ad orientalem plagam*. Per plumas abjiciendas affectus significantur ad bona terrena, *quas ad Orientalem plagam projicit, ut post dorsum eas habens, earum amplius non recordetur; quia enim semper ad occasum & ad finem tendimus, Orientalem plagam quasi post dorsum habere debemus. Confringet ascellas ejus*. Quod quidem Sanctus Bruno eodem in loco ita interpretatur: *Quia vagandi licentia tollitur, & loci propositique stabilitas imperatur, sed non penitus abscinduntur; quia si quando necesse fuerit, pro loci utilitate, adhuc iterum volare permittitur*. Est hic meus discursus hujus Sancti de hoc festo, qui tandem concludit: *Felices illi qui turtures & columbæ sunt*.

Qui dignus esse vult, ut Divinum Infantem recipiat, virtutes Sancti Simeonis Senis imitari debet.

DISCURSUS QUINTUS.

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus, expectans, &c. Lucæ Cap: 2.

I. EVangelista in præsenti Evangelio, in delineandis ad vivum Sancti Simeonis Senis virtutibus & specialibus prærogativis, totus diffunditur; cum tamen potius intentus esse debuisset, ad describendum nobis Purificationis B. Virginis mysterium, absque eo, quod alio calamum suum diverteret. Verumtamen, non sine ratione idipsum fecit, respondet sacer quidam interpres. Primo quia sanctus hic vir Salvatoris laudes annuntiare, eumque benedicere debebat. Secundo *quia Christum in manibus erat gestaturus*, inquit Didacus Stella. Porrò lumina & Cerei, quos in Processione portamus, Filium Dei denotant, de quo dicitur: *Lumen ad revelationem gentium*. Ut igitur eum non prorsus indignè portemus, imitandæ nobis sunt boni hujus & decrepiti seniculi specialissimæ dotes & virtutes, quas in præsenti discursu, evangelico textu duce, exponemus.

2. *Et Ecce homo*: Dionysius Carthusianus ait: *Dignus fuit homo vocari, quoniam rationabiliter, id est, sapienter virtuoseque vivit*. Etenim præcipua hominis portio, ratio est, unde quando aliquis conformiter dictamini rectæ rationis vivit, virtuosè semper vivit: ac verè si huic ipsa quoque Divina gratia accedat, dici non potest quantùm ipsa virtus accrescat. Porrò Albertus Magnus super illam dictionem. *Homo*, aliam quandam fecit ponderationem. *Debemus esse*, inquit, *homines per mortalitatis nostræ recognitionem*. Quænam obsecro causa fuit, quod primus homo Deum amiserit? quia hominem se esse oblitus fuit, seque Deum fieri posse præsumpsit. Enimvero ut Deum tibi concilies, eumque cordi tuo adstringas nullum est potentius medium, quam si ad corporis nostri fragilitatem sæpe reflectas, atque ideo astutus ille serpens, ut Adamum à Deo separaret, eumque cœlestibus thesauris spoliaret, ei, qood nunquam moriturus esset persuadere est conatus. *Nequaquam moriemini. Furem demit mortis terrorem* (inquit S. Basilius) *ut legis munimenta deprædetur*. Porrò si ita est, ut paulò ante diximus, quod candela, quam hodie deferimus, Christum nobis repræsentet, justum est, ut recordemur, quod tam figura quam figuratum, in hora mortis nobis aderunt, illa quidem ut ardeat, hic vero ut Judex noster existat, quod ubi studiosè meditati fuerimus, utique innocenter vivere studebimus.

Serm 2. de pur.

3. *Erat in Jerusalem*. Non fine mysterio, S. Lucas Simeonem in Jerusalem commoratum fuisse dicit, sed ad instructionem nostram, quod scilicet *debemus morari* (inquit Albertus Magnus) *in Jerusalem, per interna pacis conservationem*. Porrò *in vitis Patrum* de quodam ex Sanctis illis Monachis, narratur, eum semper visum fuisse lætum & hilarem, cujus causam interrogatus, respondit: *Christum à me tollere nemo potest*; etenim dum anima aliqua sedem suam in Hierusalem figit, id est, quando pace & serenitate fruitur bonæ conscientiæ, Dei Filius ab eo nequit abesse. Guerricus Abbas de S. Simeone dicit: *In pace factus est locus ejus, & justitia, & judicium præparatio sedis ejus*. Et tandem concludit: *Quia hujusmodi pallus thalamum adornavit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit*. Vel etiam cum S. Ambrosio illud *in Jerusalem* explicare possumus, ut idem sit esse in Jerusalem, quod *conversationem habere cum cœlestibus*. Date mihi aliquem, qui sit ejusdem virtutis cum Apostolo, qui dicebat: *Conversatio nostra in cœlis est*; talis utique non erit Simeone minus fortunatus, Christumque cordi suo, non minus quam Simeon adstringet.

Serm. 3. de pur.

In Gloss.

Phil. 3 20.

4. *Cui nomen Simeon*. Albertus magnus, hujus nominis Ethymologiam ponderans hanc inde elicit moralitatem: *Simeon est* idem quod *audiens mœrorem, & significat illos, qui visterosa compassione audiunt pauperes mœrentes & clamantes*: Adducitque hunc Jobi textum, in quo sanctè gloriabatur dicens: *Flebam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*. Hi autem, qui misericordiæ operibus dediti sunt, & compassivi erga proximos suos, præ cunctis aliis Christo occurrunt, qui protestatur dicens: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

Ser. de pur.

5. *Et homo iste justus*. Dionysius Carthusianus ait: *Fuit etenim justus, prout justitia est virtus specialis, reddendo unicuique quod est suum: fuit enim justus, utpote omni virtute ornatus*. Expositor quidam de eo scribit: *Erat sobrius, & castus, prudens & fortis in vincendis carnis & dæmonis tentationibus*. Guerricus Abbas senectutem ejus, per cumulum quendam virtutem, interpretatur, dicens: *Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, tum dicitur plenus dierum, libentius accipio plenum virtutum quam temporum*. Porrò Sanctus Joseph, qui pater putativus Christi fuit, qui eum, uti est verisimile, in brachiis suis sæpius tulit, eodem quoque titulo justi à Spiritu Sancto denominatus fuit: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus*. Unde colligitur, quòd omnibus virtutibus Christianis dotatum esse, cœlesti huic infanti calcar quoddam seu invitamentum sit, ut sese animæ nostræ brachiis inserat & insinuet.

Jo: Arboreus.

Ser. 3. de purif.

6. *Et timoratus*. Nimirum in adimpletione non solum præceptorum, sed etiam consiliorum exactus erat, magnisque passibus in via perfectionis ambulabat; siquidem: *Qui timet Deum, nihil negligit*. Et Beda scribit: *ubi est timor Dei, ibi est regnum Dei & Sanctitatis*. Auctor quidam circa illam dictionem *timoratus*, dicit: *Laudatur Simeon, quod toto vitæ suæ curriculo Dominum timuerit*. Idque ex felicissimo fine conjicit quem habuit, citans illud Ecclesiastici testimonium: *Timenti Deum bene erit, & in die consummationis suæ benedicitur a Domino*, unde etiam idem Ecclesiasticus optimè monet dicens: *Si non timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua*. Hic timor in via perfectionis S. Jobum magnis passibus ambulare fecit, qui dicebat: *Verebar omnia opera mea*. Enimvero dona, quibus Messias replendus erat; Isaias clarè prædixit, dum ait: *Requiescat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis*, ac tandem hoc timoris donum ultimo loco reponit: *Replebit eum spiritus timoris Domini*. Id quod Petrus Cellensis observans scribit: *Quasi enim custos super innumerabiles gazas, sic timor in ultimo charismatum ponitur ad conservandas innumerabiles gratias*. Memorandum quoque est, quod Deus noster, pro salute generis humani, in terram hanc descendere volens, expresse protestatus sit, quòd oculos suos præcipuè super timoratos defixurus esset, atque ideo in brachia hujus Sancti Senis collocari se permisit. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Eccl. 7. 20.

In Prov.

Jo. Arboreus.

Cap. 27. 3.

Job. 9. 28.

Isa. 11. 1.

L. de pœn. cap. 14.

Isa. 66. 2.

7. *Expectans consolationem Israel*. Martinus del Rio, in sermone quodam de hoc festo dicit, Simeonem centum & tres annos vixisse, ac proinde imaginemini vobis, quam ipse expectando patiens fuerit. Qui perseverant in bono, merentur salutem æternam, & digni, ad quos veniat Salvator. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Quot orationes, quot pœnitentiæ, quot actus amoris divini eliciti sunt, intra curriculum centum & plurium annorum? *sustine sustentationes Dei*, monet Spiritus Sanctus. Quem autem fructum inde consecuturum esse promisit; *conjungere Deo; & sustine, ut crescat in novissimo vita tua*. Id quod ad unguem in casu nostro adimpletum fuit; credibile enim est, quod Sanctus hic seniculus annis graviter onustus, & decrepitus existens, hæc verba persæpe ore suo protulerit: *Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne Dominus?* Neque credendum est, quod temporalem regni Israelitici restaurationem expectaverit, quo sensu Apostoli Christum interrogarunt: *Quando restitues regnum Israel? Non eam* (inquit S. Gregorius Nyssen.) *Israelis consolationem quæ ad bonam famam & existimationem, magnamque gloriam atque splendorem pertineret, operiebatur, sed reipsa veram nempe eraductionem ad pulchritudinem veritatis*. Unde admirabilis erat hujus viri

Eccl. 2. 3.

Psal. 38. 8.

Hom. de occursu.

San-

Sancti in hoc puncto pietas & charitas, *siquidem non* 1.Cor.13.5. *quærebat, quæ sua erant*, charitatis enim inter alia encomia hoc habet, quod *non quærit, quæ sua sunt*. *Describitur pietate flagrans* (inquit Cajetanus) *erga* In Luc. *commune patriæ bonum. Non quærens quæ sua sunt* (scribit alius quidam sacer interpres) *sed aliorum sitiens salutem, gratiam, consolationem, & redemptionem* Jo: Arboreus. *Israelitici populi*. Enimvero certissimum est, quod Deus nullibi inveniatur nisi ubi hæc charitas & hic amor suus est; quia *Deus charitas est: qui manet in charitate; in Deo manet, & Deus in eo.*

8. *Et Spiritus Sanctus erat in eo*: Albertus Magnus in hunc locum dicit: *Spiritus Sanctus esse debet in nobis per omnimodam vitæ puritatem*. Amat enim hic sponsus cœlestis puritatem & castitatem. *Mundus est spiritus*, inquit Albertus, *nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Sanctus autem noster senex vitam semper duxerat innocentem & immaculatam, *senectus* Serm. 3. de purif. *venerabilis est*, inquit Guerricus Abbas, *non diuturna, neque annorum numero computata: cani sunt enim sensu hominis, & ætas senectute vita immaculata: si hac utique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei, Christum meruisset*. Qui continenter vivunt, digni sunt, qui divinum hunc infantem in sinu suo dulciter stringant. S. Apostolus, postquam Corinthios ad hanc virtutem sectandam animasset dicens: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat, an nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* 1. Cor. 6. 19. Postea vero subjungit: *Portare Deum in corpore vestro*, quasi dicere vellet, quod, si puri & mundi fuerimus, tunc sperare possimus, quod verbum incarnatum intra brachia nostra amplexari valeamus. Verum enimvero, invocandus nobis est Spiritus Sanctus, idque vel maximè hisce verbis: *lava quod est sordidum*, ut prius sinus noster mundatus sit & purificatus, quam illum in eodem stringamus, qui *est candor lucis æternæ & speculum sine macula*. Verum eheu nihil est verius, quàm quod major pars Christianorum, hoc tempore vel maximè, frænum sensualitati relaxat, & tot lasciviis ac dissolutionibus Deum nostrum a se repellat. Porro Lyranus in laudem ejusdem Sancti Simeonis dicit: *Spiritus Sanctus erat in eo, quantum ad gratiæ plenitudinem, quia non solum habuit gratiam justificantem, prout habetur communiter a justis, sed etiam quantum ad illuminationes & consolationes divinas speciales*. Alius quoque Scriptor insuper inquit: *Habuit hic beatus senex Spiritum Sanctum, habitatorem, doctorem, & ductorem: qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.*

9. *Et responsum acceperat à Spiritu Sancto*. Ex hoc facilè deducitur; quam fervens in oratione fuerit; quia Lyranus ad prædicta verba per modum glossæ addit: *in orationibus suis devotis ad Deum*. Et quidem verisimile est, quòd frequentia habuerit cum Deo colloquia, & quod à Deo honoratus fuerit continuis visionibus, illustrationibus, & revelationibus cœlestibus, tanto magis, quia edoctus fuerat à Spiritu Sancto: *non visuram se mortem, nisi prius videret Christum &c.* Similiter ex hoc modo loquendi Evangelistæ, qui valde mysticus fuit, nonnullas alias ejus virtutes evincere possumus. Didacus Stella; *Observandum, quod non dixit illum non esse moriturum, si videret Christum Domini, sed quod non esset mortem visurus, donec videret Christum Domini*. Differentia autem utriusque hujusmodi loquendi hæc est: *Aliud est, enim videre mortem; & aliud à morte videri. Ille mortem videt, qui illam in vita considerat, & ille etiam videtur à morte, qui sine ejus consideratione repente invaditur & capitur ab eadem*. Qui aggressorem prius videt, facile evadit imminens sibi ab eo periculum, & feroces ejus insultus, & nonnunquam talis primus est, qui ipsemet aggressori mortem infert, quod si autem illum non præveniat videndo, tunc nihil est facilius, quam quod succumbere debeat. Citatus autem scriptor, similitudinem istam casui nostro applicat dicens: *Admiranda virtutis homines, dum hic miseris compagibus constricti tenentur, mortem indefessa consideratione, assiduaque meditatione intuentur, & ita eam ferme quotidie venientem prospiciunt, quod si aliquando ab ea invaduntur, ipsam vulneratam relinquunt: nam licet moriantur, eorum mors vivere est*. S. Simeon

M.visi Prompt.

oculos suos semper in mortem defixit, & ideo in veram vitam incidit.

10. *Nisi prius videret Christum Domini*. Salmeron, Tom. 3. tr. 42. quod homines communiter longævam ducere vitam desiderent: *at vel ditiores fiant, vel ut liberos procreent, vel quo suis cupiditatibus potiri valeant; hic tamen in hunc finem sanctissimum vitam sibi prorogari efflagitabat, ut semel illi liceret, illum corporis oculis cernere, quem oculis fidei, cum fratibus eum aspexerat*. Enimvero S. Paulus Christum habebat in corde: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Rom 8. 39. Quo autem modo id ipsum obtinuit: *Mihi vivere Christus est*, id est, nullum alium finem vitæ meæ habeo, nisi ut solum Christum amare, eique servire possim.

11. *Et venit in spiritu in templum*. Origenes dicit: Hom. 15. in Luc *Non fortuito ac simpliciter ingressus est templum, sed venit in Spiritu Dei: quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei. Spiritus igitur Sanctus eum duxit in templum. Tu quoque si vis tenere Jesum, & amplexari manibus, & dignus fieri exire de carcere, omni labore nitere, ut ducem habeas spiritum, veniasque ad templum Dei*. Demum vero idemmet Doctor prosequitur: *Ecce nunc stas in templo Domini Jesu, hoc est, in Ecclesia ejus, hoc est templum de vivis lapidibus exstructum: stas autem in templo Domini, quando vita tua & conversatio fuerit appellatione Ecclesiæ dignissima*. Quotiescunque igitur per instinctum Spiritus Sancti Ecclesiam adierimus, id est, ad fundendum orationem, ad assistendum Sanctis Sacrificiis, ad verbum Dei audiendum, ad recipienda Sacramenta, ad divina officia celebranda vel ex motivo alterius cujusdam devotionis, tunc Christum nos invenisse & nobiscum habere persuadere nobis poterimus: Nequaquam verò, si templa, ob fines temporales, frequentemus, nimirum ex hypocrisi, ex curiositate, ut videamus & videamur, ob vanam gloriam, ob fortunæ incrementum, ob interesse redituum Ecclesiasticorum, vel ob alios similes indignos fines, tunc enim potius, ne Christum amittamus, timere poterimus.

Devoti exponuntur Sancti Simeonis affectus, quibus Christum inter brachia sua suscepit. Quod beneficium idemmet Dei Filius nobis contulit, dum nobis illum pluribus modis, præcipuè verò in Eucharistia recipere concessit: deque præparatione ad hujus receptionem necessaria.

DISCURSUS SEXTUS.

Accepit eum in ulnas suas. Luc. c. 2.

1. ECce tibi Deum illum, cujus immensitati ipsæmet cœlorum angustæ sphæræ sunt: *Quem* Jer. 23. 24. *cœli capere non possunt. Cœlum & terram ego impleo* hunc inquam inter brachia senis cujusdam constrictum cernimus. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus ait: *Qui detinet omnem terram pugno, ulnis capitur senis, atque portatur, qui portat omnia verbo virtutis suæ*. Ac proinde optimè adaptari ei possunt verba illa S. Fulgentii ad Mariam directa: *In angusto corporis gremio sustinuit, quidquid sustinent cœli*. Porro ex Cantico, quod composuit & recitavit, scilicet: *nunc dimittis servum tuum Domine*, facile in notitiam devenire possumus, quantum, priusquam ex hac vita decederet, Deum videre concupierit; atque ideo ignea ejus desi- De Laud. ex utta Salvat. deria cum adeo singulari & eximio privilegio dignum, effecere: Sanctus Augustinus dicit: *Hoc illi concessum* Serm 18. de temp. *erat tam decrepito, quasi desideranti & suspiranti, & dicenti quotidie in orationibus suis: quando veniet? quando nascetur? quando videbo? putas durabo? putas, hic me inveniet? putas, isti oculi mei videbunt per quem cordis oculi revelabuntur?* optimè, quocirca magnam illam promeritus est promissionem: *Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.*

2. Quis autem imaginari sibi poterit, qualis fuerit ejus lætitia & jubilus, dum ei concedebatur cognoscere, adorare, & stringere in sinu suo pretiosissimum illud pignus Paradisi? *Priusquam templum ipsum attigisset* (inquit Sanctus Methodius Martyr) *intelligentiæ oculis, velut extra se subvolans, ut si jam haberet, quem diu desiderasset, præ ingenti voluptate gestit*. Affectus quoque Sancti hujus senis, nimirum teneritudinem, & devotionem meditatur dicens: *Totus in desiderio, totus in spe, totus in lætitia fuit*.

Serm. 9. de tem.

Sanctus Augustinus eum suam renovasse juventutem dicit: *Agnovit infantem senex, factus est in puero puer, innovatus in ætate, qui plenus erat pietate*. Lucas Burgensis etiam hanc eandem devotionem admiratur, dicens: *Non contentus credidisse & vidisse, inenarrabili perfusus gaudio, accepit eum in ulnas, nec se continuit, quin summo pietatis & amoris affectu amplecteretur & oscularetur*. Dionysius Carthusianus, horum affectuum expressione, ulterius progreditur, dicens: *Affectuosissimè, devotissimè, reverentissimè, ac jucundissimè accepit eum in ulnas suas, hoc est, inter brachia sua, quamvis se contactu Sancti Sanctorum putaret indignum*. Mox tamen eum excusat dicendo: *Vehemens amor rationem devicit, & ad unionem amplexumque impulit*. Sanctus Bonaventura infantulum hunc in sinu senis constrictum considerans, sacrorum Canticorum verba eidem adaptat, dicens: *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Dicitque ulterius, Sanctum Senecionem,

Serm. 5. de pur.

consilium in Sacri Canticis egressum, adimplere voluisse, nimirum: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, imo super duo brachia tua, ut ostendat, quod fortiter comprehendendus est: inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*. Guerricus Abbas, Deum nostrum in scriptura ignem denominari considerans: *Deus ignis consumens est*, nec non quod senes calore opus habeant dicit: *Hujus ignis vim Simeon non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, quanto salubrius & suavius ignis iste senem nostrum calefecit, quam Regem David Abisag Sunamitis?* Denique discursum suum ad Simeonem convertens ait: *Amplectere, o beate senex sapientiam Dei, atque recalescant & recanescant quasi de novo, sensus tui, astringe uberibus tuis misericordiam Dei, & eris senectus tua in misericordia uberi*. Sanctus Ildephonsus ex hac historia, allegoricum quoddam eruit mysterium, dicens: *Mysticè Sanctus iste senex mundum designat, quasi longo senio & gravi jam ætate declivem: accepit ergo puerum senex, Christum in ulnas, quia mundus in ultima sua ætate Dei filium incarnatum accipit, & ab eo vetustate peccatorum exutus, in novam Christianæ religionis infantiam est regeneratus*,

3. Verum enim vero animadvertendum est, virginem, filium suum in brachiis suis, portantem, nec non & Sanctum Josephum, in omnium aliorum matrum, Purificationis causa eo confluentium, turba ibi substitisse Verum unde aut quo modo S. Simeon inter omnes alios hunc esse Messiam tantopere à se desideratum recognovit? utique id ipsum ei non indicavit per stellam sicut Magis: non per Angelum uti Pastoribus: non per vocem Patris, & aperturam cœlorum, prouti se manifestavit Sancto Joanni Baptistæ in Jordane: neque caliginosis & obscuris oculis ejus signum aliquod divinitatis repræsentavit, & tamen eum præsentem protinus agnovit: *videre* (sunt verba Sancti Bernardi in proposito de tribus Regibus

Serm. 2. de Epi.

Magis) *quam occulta sit fides; quam lynceos oculos habeat, diligentius considerate; cognoscis Dei filum lactentem, cognoscit in ligno pendentem*. Latro eum filium Dei esse agnovit, dum sanguine maderet in brachiis suis. Hic autem Sanctus Senecio eum accepit & agnovit, inter brachia sua, tanquam Filium Dei, dum adhuc lactens esset: Lucas Burgensis ait: *Inter multos credibile est puerulos, qui aderant præsentes cum matribus suis, ut Domino sisterentur. Simeon perspicacissimis fidei oculis agnovit Jesum Mariæ Filium, esso Christum, præsertim Spiritu Sancto revelante auriculam ejus, & dicente: Ecce Christum, cujus visum ante mortem promisi tibi*.

Ser. de occursu Domini.

Quam beati (inquit Sanctus Gregorius Nyssenus ad Sanctum Simeonem) *oculi tui, animi simul & corporis! hi quidem, quod visibilem apparitionem Dei perceperunt; illi verò, qui non id, quod videtur, solummodo intuiti sunt; sed ipso Spiritus lumine illustrati, etiam in corpore, Deum Verbum agnoverunt*. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus

Orat. de occursu.

finem vivificantem admiratus ait: *Puellum Deum quadraginta dierum, & sæculis natu majorem, parvum puellum, & antiquum dierum, puellum lactentem, & sæculorum factorem; infantem video & Deum meum agnosco; infantem lactentem, & mundum perpetuo alentem; infantem ejulantem, & mundo vitam & gaudium largientem*. Hæc fides intensissima hunc Dei filium videndi desiderio conjuncta, superabundantem, remunerata fuit, quando *accepit eum in ulnas suas*. Salmeron dicit: *Nihil non audet charitas, & plus accipit quam promissum est*. Qualis autem erat illa ei facta promissio?

Tr. 42. c. 3.

Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini, & dignus factus est, ut contrectaret Messiam, ut posset dicere cum Apostolis; & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ. Ei autem qui potens est (scribit Sanctus Paulus ad Ephesios) *omnia facere superabundanter quam petimus*.

Eph. 3. 20.

Ad contrariam mundi consuetudinem qui multum promittens modica præstat. Insuper considerandum est, quod divinus hic infans Jerusalem contenderit, ut Sanctum hunc senem ibidem offenderet. Magi dromedarios habebant, atque in iis minori cum incommodo iter suum absolvere poterat. Pastores in Bethlehemiticis confinibus habitabant, ideoque iis cito Christo adesse facile erat. Hic autem decrepitus erat, neque in Bethlehem ad Christum quærendum abire poterat. Unde filius Dei intensissimum quo tenebatur, se videndi desiderium probe noscens, sese ejus infirmitati clementer accomodat, ideoque vadit ad ipsum, & quia sciebat, quod desideraret ad minus se videre priusquam moreretur, ideo se ei non solum videndum exhibet, sed brachiis quoque suis & sinui ejus sese ingerit: *Accepit eum in ulnas suas*.

In Luc.

4. Albertus Magnus super Ly *ulnas* ingeniosam quandam penderationem instituit: *Ulnas dicitur non brachia, quia licet ulna & brachia idem sint, tamen ulna est nomen brachii, prout mensurat, brachium autem, prout est pars corporis absolutè*.. Unde hanc eruit moralitatem, *Qui accepit Jesum mensurando accipit*, quia Matth. 25. *dat unicuique secundum propriam virtutem*. 1. Corint. 3. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. Salmeron verò dicit: *Accipere in ulnas est operibus bonis quærere Jesum id est, salutem*.

Hom. 1. in Nat. Dom.

Etenim nostra felicitas est, quòd non habeamus causam Sancti Simeoni invidendi, quando & nobis quoque filium Dei variis modis pectori nostro adstringere conceditur. Et quidem unum ex his modis

Ser. 18. de temp.

docet nos Eusebius Emissenus dum ait: *Qui vitia extinguit in Carne, qui Christi virtutibus habitaculum procurat in corde, Christum portat in corpore*. Sanctus Augustinus optimè considerat in qualibus brachiis cœlestis hic infans positus fuerit, dum ait: *Non elatos, non superbos, sed humiles & mites colligebat*. Porrò Sacri expositores singularissimam hanc Simeonis prærogativam valde admirantur. Lucas Burgensis dicit: *Tantum thesaurum nulli unquam clarissimorum Regum, aut potentissimorum Monarcharum contigit portare manibus: Qui cœlo terraque non capitur, ait Beda, grandævi hominis gestatur totus in ulnis*. Verum enimvero, si rem hanc penitus consideremus, non divinum hunc thesaurum longè strictius & arctius quàm Simeon, nobis adstringere possumus, utpote qui inter brachia sua duntaxat eum accepit. Audite Guerricum Abbatem hanc de re scribentem.

Serm. 2. de pur.

Cum suscipiens eum in ulnas suas, adstringeret eum uberibus suis, & gestiret includere, si posset, in intimus cordis sui. Quod igitur ab illo impetrari non potuit, cuilibet nostrum concessum est dum in sacra communione eum intra viscera nostra recipimus, adeo ut unum idemque nobis cum fiat: *In me manet & ego in eo*. Porrò Christum visibiliter tetigisse aut vidisse, majorem nequaquam gratiam aut consolationem interiorem adfert, quam sit ea, quam quævis anima recipit, quæ ad id se dignè disponit. Imo ipsimet Apostoli tunc pridem plenitudinem Spiritus sunt assecuti, quando Sacratissima Christi humanitas ab eorundem oculis se subtraxit, adeo ut post Ascensionem longè capaciores facti sint donorum cœlestium Unde Guerricus ait: *Adeo plus est Jesum corde conci-*

pe:

Serm. 1. de resur. Dom. *pere, quam oculis videre & auribus de ipso audire.* Observandum est autem, quod quando Christus etiamnum passibilis erat, eminentem quandam in hoc Sancto vim Sanctitatem præexegerit, priusquam se inter ejus brachia constringi permitteret, prouti jam diximus. Unde Didacus Stella argumentum deducit puritatis illius, quam nunc, quando impassibilis & gloriosus degit in cœlis, in iis exigit, qui eum manibus suis contrectant, aut quibus in Sacramento altaris est uniendus: *Expende igitur & tu, quàm Sanctus purusque debet esse Sacerdos ille, qui Christum fere quotidie manibus menteque tractat, nempe justus, & timoratus, & Spiritu Sancto plenus.* Enimvero Sanctus Simeon gaudens mortuus est, prouti ex ejus Cantico deduci potest: *Nunc dimittis*, &c. idque, quia Christum secum habebat. Godfredus Abbas ait: Ser. de pur. *Vidit Simeon corporali intuitu Christum in carne, & corporaliter habuit præsentem & nos obtutibus mentis & fidei illum in suis Sacramentis videmus manentem in nobis & operantem; nam nisi quisque ante mortem corporis, spirituali gratia cerneret & haberet Deum, morte damnaretur æterna.* Porrò in Missæ introitu hæc verba legi audivimus: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* In quibus verbis Ecclesia ad eam comparationem alludit, qua hodie Deus misericordiarum ad utilitatem nostram in medio templi Hierosolymitani dignatus est comparere: Veruntamen & nos quoque, quando communicavimus & sumpsimus Deum nostrum in os nostrum, dicere possumus; quod misericordiam ejus in medio templi sui, quod sumus nos, id est, in medio corporis nostri suscepimus. *Templum Dei, quod estis vos*, inquit Apostolus. Verum ehem, quot sunt & alii modi, quibus pietatem Dei in Ecclesiis recipimus. Tunc nimirum quando ab omnibus culpæ maculis in baptismo abluimur; quando nobis peccata nostra in Sacramento pœnitentiæ remittuntur; similiter in prædicatione verbi Dei, in orationibus, in inspirationibus internis. Unde Guerricus Abbas dicit: Serm. 3. de pur. *Non solum autem Mater Ecclesia in audiendo, sed multo magis Mater Gratiæ in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens & devotus orator venias in templum, ut dicas quotidie Deo: Adorabo ad templum Sanctum tuum in timore tuo. Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo utique præsentiorem & suaviorem, quo nudam veritatem puris tradit sensibus; veritatem utique quæ est Christus.* Serm. 2. de pur. Sanctus Bernardus in Sermone quodam de hoc festo ait: *Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis.* Thesaurum illum inæstimabilem, quem in pectore nostro possidemus, non æstimamus, cùm sit longe præstantior, quam si illum quis cum Simeone inter brachia portet: Quam parum hoc à nobis cogitatur? & ideo quàm modica cum præparatione illum suscipimus? Serm. 41. Hugo de Sancto Victore ait: *Veniet ad Templum Sanctum suum; Templum Dei Sanctum est, quod estis vos.* Ipse namque ab nos venit, ut nos mediante gratia sanctificet: Veruntamen inquit hic Auctor: *Ad hoc Templum venit Dominus diversis modis; venit enim per creaturarum contemplationem; venit per scripturarum lectionem; venit per miraculorum operationem; venit per internam inspirationem; venit per adversitatem; venit per prosperitatem; venit comminando mala, venit promittendo bona, venit mala auferendo, venit bona conferendo; venit per cognitionem veritatis, venit per amorem virtutis.*

De Immaculata Mariæ cum humilitate ejus conjuncta puritate, ob quam etiam magis magisque resplenduit.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi. Lucæ Cap. 2.

1. EVangelista, cujus calamus à Spiritu Sancto regulabatur, de Purificatione Mariæ tractaturus, non sine mysterio hæc verba subjunxit: *Secundum legem Moysi, Cavens crimen blasphemiæ* (inquit Albertus Magnus) In Luc *addit secundum legem Moysi, quasi dicat, in se quidem non indigebat purgatione, secundùm autem legem Moysi, quoad hominem oportuit fieri.* Sanctus Augustinus hæreticum quendam confutans, Lib. 5. de hæres. c. 5. eidem exprobravit dicens: *Stulte unde sordes in Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem?* Quodnam desiderare possumus immaculatæ puritatis ejus testimonium efficacius quàm sit illud, quod ei dedit Spiritus Sanctus, Spiritus veritatis & sponsus illius, qui divino illo partu, quem hodie pectori suo adstringebat, eam fœcundavit? Luc. 1. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Deum illum peperit, de quo scribitur: Sap. 7. 26. *Candor est lucis æternæ, speculum sine macula.* De ipsa quoque testificatur Spiritus Sanctus sponsus ejus: Cant. 4. 3. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Enimvero hanc suam puritatem tanti æstimavit, ut à principio, Angelo se invitam ad acceptandam Matris Dei summam dignitatem exhibuerit, & mansisset invita, nisi is prius Virginitatem ejus extra discrimen futuram esse asseruisset, licèt alia ex parte de universali ageretur salute totius generis humani. Hanc enim renitentiam insinuare voluit, dum Angelo objecit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Mox verò ut intellexit: *Spiritus Sanctus superveniet in te:* consensum suum promptissimè præbuit & dixit: *Fiat mihi*, &c. Acutè nonnulli observarunt, quod quotiescunque tertia Sanctissimæ Triadis persona in antiquo Testamentu nominata fuit, nunquam eidem epithetum hoc Sanctus attributum fuerit: bene tamen id factum sit in principio novi Testamenti; tunc enim & deinceps semper denominatus est Sanctus, postquam virgineis Mariæ visceribus sese infudit, quasi per hoc infinitam, ut ita dicam, animæ & corporis Sacrarii sui Sanctitatem & puritatem denotare voluisset. Multo autem minus purificatione indiguit ob partum, quem concepit & in lucem edidit; nam dictum est ab Angelo: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.* Præterquam Sanctus Fulgentius quoque dixit: Serm. de Laud. Mariæ. *crevit partu integritas, & Virginitas ampliata est potius quam fugata.* Observat Sanctus Bernardus, Moysen, quando purificationis legem promulgavit, idipsum, quod hodierna die accidit, prophetico spiritu prævidisse: *Putas enim*, inquit, Serm. 3. de pur. *quia dicturus Moyses, mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super Matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiserit, suscepto semine? alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem?* Verum enimvero dicat aliquis, cur igitur, quæ lege non comprehendebatur, nec purificatione opus habebat, eidem tamen legi sese subjicere voluit? Audite quidnam idemmet Sanctus hac de re ad B. Virginem edicat: *Esto inter mulieres tanquam una earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multo magis voluit offerri?* A filio suo Mater exemplum accepit; hic etenim ex humilitatis instinctu circumcidi & in templo offerri voluit, sicut alii, atque ideo & ipsa *voluit purificari, sicut lex præcepit* (inquit Hugo Cardinalis) *in exemplum veræ humilitatis.* Demum postquam ejus demiratus fuisset puritatem, prosequitur dicendo: *Hæc est vera humilitas, quæ non vult humilis prædicari, sed vilis reputari.* Atque ideo inco-

gni-

gnitam se aliarum Matrum immundarum, & purificatione egentium multitudini immiscuit, ut & ipsa hujus remedii indiga esse crederetur: *Et quamvis Virgo esset purissima, non renuit inter cæteras mulieres immundas recenseri*. O quam tunc beata Virgo commodè se ad alias mulieres Jerosolymitanas convertere, Cant. 1. 4. iisque dicere poterat: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem*; id est, licèt vobiscum immunda esse videar, meque communi purificationis legi submittam; sciendum tamen vobis est, quod gratia Dei pura & immaculata sim Virgo, utpote quæ non aliarum matrum instar concepi, quæque in hujus præcepti adimpletionem me humiliando majus puritatis & candoris mihi incrementum adscisco. *Mirabilem* (inquit ad propositum humilitatis Sanctus Bernardus) *te apparere & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico*. Idipsum nos quoque de Virginitate hodie à Virgine exarata, dicere possumus; ipsa namque adeo pura fuit, ut non solum purissimæ titulus ei adscribatur, verum etiam in ordine ad hanc eandem virtutem exprimendam, plures alii tituli eidem accrescant, ad innuendum, quod in gradu eminenti talis erat. Dicitur enim *Mater castissima, Mater inviolata, Mater intemerata*. Ac proinde quod hac sua excellentissima puritate non obstante, coram omnium oculis, velut Purificationis indiga apparere voluerit, insigne hoc est admirabilis humilitatis ejus testimonium. Et quidem verisimile est, quod sic humilis & contempta, cœlesti sponso, plus quàm unquam hactenus placuerit, utpote qui oculos suos specialiter Isa. 66. 2. super humiles defigit. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu*. Est auctor quidam, qui hisce verbis in ejus laudem utitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*. Et quidem similitudo hæc prima facie non videtur esse Virgini propria; siquidem hæc volucris gemit, quomodo autem sponso placere possunt genæ sponsæ suæ, gemebundæ & lachrymis ir- L. 1. cont. Jovin. riguæ: Sanctus Hieronymus dicit: *Turtur est avis pudicissima*. Et ob hanc proprietatem similitudo isthæc optimè proposito deservit. Verum insuper considerandum est, quod cùm turtures gemant, pœnitentes propriè adumbrent, quales se matres illæ exhibebant, quæ hodie purificationis ritibus se expiabant; & ideo, ut alibi diximus, vel columbas vel turtures offerebant. Hæc autem pœnitentiæ virtus nullum in Matre Dei locum habebat, utpote quæ omnis maculæ etiam originalis expers semper remansit. Eam tamen ex instinctu humilitatis exterius commonstrare voluit, idem Sacrificium pro peccato offerendo, quod omnes aliæ offerebant; & in hoc quidem, oculis Dei visa est esse pulcherrima, licèt enim Deus omnes alias virtutes permagni æstimet; attamen hujusce virtutis humilitatis specialem se amatorem esse profitetur, siquidem ad hanc nos docendam venit in mundum. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*.

2. *Secundum legem Moysi*. Solebant Matres, quæ Sacrificium hoc offerebant & purificabantur, Sacerdotis orationibus se recommendare. Atque ideo humilitas Mariæ mirabiliter eluxit, non solum offerendo sacrificium à lege ordinatum non obstante, quòd eum inter brachia sua haberet filium, in quo omnia hactenus ad eum usque diem oblata Sacrificia, suam accipere debebant consummationem. verum etiam alienis semetipsam recommendando orationibus, cum tamen ipsa sit, cui omnium aliorum orationes porriguntur, quæque à Deo ad hoc electa est, ut tanquam omnium donorum, omniumque cœlestium gratiarum thesauraria, preces nostras eidem porrigat. Nemo est, qui Lunam B. Virginis symbolum esse nesciat: *Pulchra* Eccl.43. 7. *ut Luna*. De hac autem scribit Ecclesiasticus: *Luminare quod minuitur in consummatione mensis secundum nomen ejus, est crescens mirabiliter in consummatione*. Quæ verba prima quidem facie contradictionem aliquam videntur involvere, dicendo imprimis, quod *minuitur in consummatione*, & paulo post subdendo, quod *crescit*. Et tamen utrumque est verissimum, Luna enim postquam plenitudinem suam est assecuta, iterum deficit, prout quotidiana docet experientia: postquam autem totaliter defecit, crescere denuò incipit. Nequibat igitur Spiritus Sanctus magis propriam adducere similitudinem, ad eam ostendendam virtutem, quæ in Maria vel maximè eluxit. Quanto enim ipsa thesauris, donis & gratiis cœlestibus magis locupletata fuit, quanto magis à filio suo exaltata & altius evecta, tanto ipsa sibi vilior effecta fuit, magisque se humiliavit. *Ave gratia plena*. Ecce tibi lunam plenam: at illa subjunxit: *Ecce ancilla Domini*. Ecce Lunam deficientem? *Benedicta tu inter mulieres*. Ecce Lunam plenam: *Fecit in me magna, qui potens est*. Ecce Lunam se diminuentem. Ipsa enim *minuitur in consummatione*; *respexit humilitatem*; alii legunt *nihilitatem*. Verum enimverò ex quo præsenti immoramur Lunæ similitudini, abs re non erit si alias quoque considerationes adduxerimus, quæ in comparatione Mariæ cum hoc planeta institui possunt. Luna igitur quanto est soli vicinior, tanto est ex parte solis lucidior, & pulchrior; ex parte verò, qua terram respicit, obscurior. Sic quoque non est dubium, quin virgo Justitiæ solem in brachiis suis deferens, purissima fuerit & sole splendidior: attamen respectu terræ, maximè verò terræ Juda, non majoris fiebat, quàm omnes aliæ immundæ mulieres, censebaturque ideo purificationis indiga. Veruntamen verum est, quòd sicut Luna rerum quoque terrenarum, quæ impuræ sunt & instabiles, symbolum est, ita quoque Ecclesia ad innuendam Immaculatam Mariæ puritatem, Lunam ejus pedibus subjiciat: *Luna sub pedibus ejus*, ad denotandum eam omnibus rebus terrenis superiorem esse, ipsamque omnem pulveris nævum pedibus suis substratum habere & calcare, quod idem est dicere, quod ipsam ab omni umbra culpæ eximiam esse.

3. Verum enimvero integritas & puritas Mariana non solum in hac humilitate eluxit, verum etiam multa alia vitia debellavit, ideoque in adimpletione purificationis multæ virtutes aliæ scintillarunt. Fides enim dilatatur, quando Hierosolymis in templo, in conspectu omnium & præcipuè Sacerdotum, Christus veluti Messias tanto tempore expectatus, est manifestatus. Spes etiam nostra vivificatur, quando is, qui nunc in infantili forma Patri æterno præsentatur, idemmet est, qui in ætate magis provectus, semetipsum in Cruce oblaturus est pro redemptione nostra. Amor quoque ejus accenditur, quando quinque siclis redimi voluit; ut suo tempore postea ad lavandas animas nostras è quinque vulneribus suum posset effundere sanguinem, possetque à Juda pro triginta denariis vendi, tanquam redemptionis nostræ pretium. Nostra quoque confunditur superbia, quando filium Dei se vilissimis peccatoribus commiscere, & instar aliorum peccatorum purificationis & oblationis legi se subjicere videmus. Reprehenditur etiam humana cupiditas, dum tantus thesaurus comparatur tam vili moneta. Luxuria quoque dejicitur, dum in Simeone, Anna, Josepho, & divino hoc infante nil aliud quàm summa puritas relucet.

Ex eo, quod in Missa & officio divino habemus, nec non ab hujus festi ritibus argumenta quædam eliciuntur ad demonstrandam Virginis puritatem, quæ proinde purificatione non indiguit.

DISCURSUS OCTAVUS.

Hodie Beata Virgo Maria puerum Jesum præsentavit in Templo.

1. LIcèt Evangelista Lucas in hodierno Evangelio scribat: *Post quam impleti sunt dies purgationis Mariæ*, notandum tamen est, quod addat, *secundum legem Moysi*. *Quasi dicat* (inquit Albertus Magnus) *in se quidem non indigebat purgatione, secundum autem legem Moysi quoad hominem oportuit fieri*: prout discursu antecedenti dictum est: Unde & Ecclesia in officio pro hac solemnitate legi solito, in ordine ad purificationem nullam prorsus Virginis mentio-

tionem facit, utpote quæ legem illam adimplere voluit per supererogationem, non verò ob necessitatem, uti facere debebant omnes aliæ matres. Hoc solum de Virgine Ecclesia in officio dicit, quod *puerum Jesum præsentavit in templo*. Quodnam igitur in hac cæremonia latet mysterium, qua hodie omnes candelas accensas in manibus nostris deferre solemus?

Guilielm. Durandus.

In Rationali divinorum officiorum ejus hæc redditur ratio: *Ad ostendendam Virginis puritatem, ne quis audiens ejus purificationem, credere posset eam purificatione indiguisse; portamus ergo candelas accensas, quasi ipso facto dicat Ecclesia: Virgo beata purificatione non indiget, sed tota rutilans est, tota splendens*. In cera, quæ apum, quæ Virgines sunt, factura est, puritatem corporis illius virginei, quod Sanctuarium fuit Spiritus Sancti,

Ps. 45 5.

recognoscere possumus. In lychno autem puro & candido, quod intra ceram concluditur, mentis ejus integritatem? *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Conveniebat etenim ut infinita quædam in illa reluceret puritas, quæ mater esse debebat illius filii, qui *est candor lucis æternæ*. In lumine denique partus ejus divinitas repræsentatur, id quod Sanctus noster Senecio illis verbis innuere volebat, dum inquit: *Lumen ad revelationem gentium*. Dionysius Carthusianus inter alia mysteria, quæ de hisce candelis speculatus est, unum est: *Ut opere demonstremus, Virginem Sacram purificatione non eguisse, sed luce gratiæ, splendore sapientiæ, charitatis ardore fuisse repletam*. Unde & de ea dicitur: *Mulier amicta sole*, verum id parum est ad illius claritatis proportionem, quæ in ea scintillavit, siquidem *ex ea sol justitiæ ortus est*. Quod si igitur ipsa nostro intelligendi modo mater fuit lucis, si solem parturiit, consequenter de ea dicendum est, quod lucem soli dederit: *Ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster*; ac proinde cum ipsa hodie in brachiis suis solem hunc deferat, illum, inquam, de quo dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, quid opus erat illam purificari? Sciendum est autem, quod oblatio, per quam hodie lex purificationis adimplebatur, esse debebat oblatio agni, dummodo id offerentis ferret facultas, vel etiam duarum columbarum aut turturum; ac proinde merito quærendum venit, cur Maria non adduxerit agnum in Sacrificii oblationem? Dici quidem posset, quod abstiterit. *Mira paupertas in parentibus Christi, qui agnum non habebant*. Huic tamen dictum quoddam opponitur Carthusiani dicentis:

In Luc.

Maria à parentibus hæreditatem bonam susceperat, nec dubium quin tres Magi, in die Epiphaniæ pretiosa Christo dona obtulerint. Veruntamen dubium protinus solvit dicendo: *Sed Virgo inspirante ei Spiritu filii sui, omnia tenuissima necessitatis, hoc est parcissimo victui atque tegumento superflua per se vel potius per manus Joseph erogavit egenis*. Neque credendum est, quod aliquid illius auri sibi pro Ægyptio itinere reservarit, sed potius existimandum, quod omnem spem suam atque fiduciam in divinam providentiam collocarit. Lucas Burgensis dicit: *Non quod nullo modo suppetierit ei facultas emendi agnum, quo filium quinque siclis redemit, sed quod obtulerit prout ferret ipsius conditio, quod fuit modestiæ à fastu*

Ser. de pur.

aliena. Petrus Blesensis hanc quoque paupertatem, ob quam infimum oblationis genus præstitit, admiratur dicens: *Omnem revolvite vitam Salvatoris, ab utero Virginis usque ad patibulum Crucis non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis*. Sanctus Bernardinus Senensis ejusdem quoque opinionis fuit, quod scilicet omnes illos thesauros inter pauperes distribuerit; *Neque*

Ser. 10. art. 1. cap. 3.

potuit manibus ejus (idest Virginis) *aliquid temporalis substantiæ adhærere; quæ jam intellexerat intellectu illuminato, in omnibus filium altitudinem paupertatis demonstrare*. Salmeron etiam considerationes suas circa hoc punctum instituens, scribit:

To 3 tr. 42.

Quia ergo propter nos Christus & Maria pauperes & egeni facti sunt, non est oblatus Agnus & turtur, quia hæc Passioni sunt reservata, ubi Christus Agnus in Cruce in holocaustum fuit immolatus, ubi etiam Maria turtur fuit gemens. Sanctus Odilovius autem per quoddam dictum suum, alterius cujusdam mysterii adducendi occasionem dedit, cur scilicet Virgo non agnum, sed alias oblationes fecerit?

Ser. de pur.

in tantum, inquit, *pauper Virgo, ut agnum qui pro peccato offerebatur, non haberet; in tantum dives, ut agnum peccata mundi solventem salva Virginitate generare posset*. Hoc supposito, cui dubium esse potest, quin Virgo Agnum pariter obtulerit? Hunc enim in brachiis suis portabat, in sinu fovebat, & Sacerdoti pariter & æterno Patri offerebat: *Hodie beata Virgo puerum Jesum præsentavit in templo*. Quis ignorat, Joannem Baptistam de hoc locutum esse, cum ait: *Ecce Agnus Dei*? Deque hoc intelligendam esse Prophetiam: *Agnus occisus ab origine mundi*? Hic agnus

Apoc. 13 8.

immaculatus, *Agnus sine macula* erat ille, qui ad purificandas & mundandas cunctas animas nostras è sinu Patris descenderat. Hunc Virgo offert, & insuper columbas, & turtures, prout crediděre nonnulli, ad denotandum, quod puritate cunctas alias matres longè superaret. Ipsa namque Mater & Virgo simul erat, ideoque sola erat, quæ agnum hujusce puritatis immaculatum offerre poterat, omnes etiam alii *nascuntur filii iræ*; ideoque dicere possunt singuli: *In peccatis concepit me mater mea*: De hoc autem agno solum dicitur: *Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Præter agnum, turtures & columbas obtulit, quæ utriusque puritatis symbolum erant, ad demonstrandum, quantum in hac cunctis aliis præcelluerit.

2. Verum sciendum est, quod Sancta Mater Ecclesia in candelarum benedictione, quam hodie facere consuevit, divinam Majestatem in collecta quadam hisce verbis invocet: *Quatenus ea tibi Domino Deo nostro offerendo digni, & sancto igne dulcissimæ charitatis tuæ succensi in templo Sancto gloriæ tuæ repræsentari mereamur*. Certum quoque est, quod candelæ istæ produci soleant, quando alteri vitæ ingrediendæ, id est horæ mortis nostræ proximi sumus, ut lumen nobis præbeant, & in itinere adeo periculoso, in locum usque securum, ducatum nobis fidelem præstent. Columna nubis per diem, & ignis per noctem, quæ populum Dei continuo diu noctuque præcedens in terram usque promissionis perduxit, certo quodammodo, in cera & lumine candelæ nobis exprimi videtur, in cera nimirum candor nubis, & ignis in lumine. Atque ideo existimo, quod, sicut nubes illa populo Dei dux fuit ad ingressum in terram promissionis, ita quoque protectio Mariæ per candelam, quam manibus nostris portamus, significata, viam ad veram promissionis terram, cœlum videlicet, cœteroquin nobis valde difficilem, complanatam & facilem nobis efficiat. *Amplexere Mariam* (ita hodie à Sancta Matre Ecclesia, in benedictione candelarum harum ardentium invitamur) *quæ est cœlestis porta: ipsa enim portat Regem gloriæ*. Enimvero in Rationali divinorum

Guilielm. Durand.

officiorum alia ratio adducitur, cur ardentes hasce candelas manibus nostris deferamus; nimirum: *Ut per hoc prudentes Virgines imitemur, quarum beata Virgo est caput; ut accensa in nobis lampade castitatis & bonorum operum, cum eis in templum gloriæ, ad verum sponsum ingredi mereamur*. Quamnam existimas causam fuisse, quòd Virgines fatuæ à nuptiis sponsi sui cœlestis fuerint exclusæ. Nulla profecto alia illius causa fuit, quam quia portam clausam invenerunt; *clausa est janua* neque ut aperiretur obtinere unquam potuerunt. Porta hæc Maria est. *Janua cœli; ipsa est cœlestis porta*. Ut quis cœlum ingrediatur, per eam, ut transeat, necessum est, atque ideo oportet ut devotionem quis habeat ad ejus cultum, ejusque intercessionem atque subsidium incessanter imploret, præcipuè in extremo vitæ nostræ momento. Unde Sanctus Bonaventura ait: *Qui dignè coluerit illam, justificabitur; qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis*.

Opusc. de Ps. B V.

Quod si autem per hanc portam ingredi voluerimus opus est, ut in nobis accendamus lampadem castitatis. *Accensa in nobis lampade castitatis*. Et quidem ut hanc virtutem super omnes alias à Virgine postulemus, ad hanc nos Ecclesia vel maximè urget, idque ad reddendam nobis tanto faciliorem æternæ beatitudinis viam: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. In Cantico: *Ave maris Stella* hæc verba legimus:

Ser. 1. de pur.

Virgo singularis inter omnes mitis nos culpis solutos mites fac & castos; vitam præsta puram, iter para tutum: sed quo fructu & fine: *Ut videntes Jesum, semper collætemur*: postquam enim in hac virtute fundamentum posuerimus, securam ad cœlum viam habebimus: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. In quæ verba Guerricus Abbas

bas hodierna die hunc in modum nos exhortatur : *Sint lumbi nostri præcincti, ut purificationem Mariæ æmulemur; sint lucernæ ardentes in manibus, ut gaudium Simeonis, lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis præsentemus*. Denique horum ardentium cereorum mysteria tangendo subjungit : *Simus videlicet casti corpore & mundi corde & purificationem Mariæ expressimus; simus ardentes devotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus*, Ubi igitur Mariam imitati fuerimus, de ejus habendo patrocinio, & consequenter de certo in cœlos aditu securi simus, quia ipsa cœlorum est porta. Imitando quoque Sanctum Simeonem in hora mortis securi dicere
In Ps. te poterimus : *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Simeon* (scribit Sanctus Augustinus) *agnovit infantem*. Sed quo modo ? *In manibus matris*. Quod si nos lumen & agnitionem Dei nobis comparare, & digni haberi volumus, qui illum in brachiis & corde nostro recipiamus, ad matrem ejus, ad ejus devotionem & virtutum ejus & præcipuè puritatis ejus imitationem recurramus, quam, ut S. Bernardus dicit, hodie nobis magis quam unquam insi-
A. 1. c. 8. nuare contendit, huic se purificationis legi, cui obstricta non erat, humiliter submittendo. *In exemplum mundissimæ puritatis*.

De mysteriis ceræ & benedictarum Candelarum, quæ in hac solemnitate distribuuntur.

DISCURSUS NONUS.

Ipse enim quasi ignis. Malachiæ Cap. 3.

1. DEus noster nobis hac die, tam in Epistola, quam in Evangelio sub symbolo ignis & luminis repræsentatur: *Ipse enim quasi ignis*, dicitur in Epistola, & in Evangelio : *Lumen ad revelationem gentium*. Merito igitur in hodierna processione, accensa portamus lumina, hæc enim multa nobis, eaque considerabilia hujus festi mysteria repræsentant.

2. Enimvero in candelarum benedictione Salvatorem nostrum in brachiis Virginis positum, velut lumen quoddam novum nos recognoscere profitemur, dum dicitur : *Ipsa enim portat Regem gloriæ novi luminis*. Sanctus quoque Simeon ipsum, per Spiritus Sancti instinctum, lumen denominat. Sicut autem lumen sine igne non resplendet, ita filius Dei ignorantiæ & idololatriæ tenebras, quibus mundus immersus erat, tot miraculis mediantibus non illustrat aut illuminat, nisi mediante igne & calore divinitatis, quæ humanitatem nostram assumpsit : *Deus ignis consumens est*. Cera quoque sine igne non ardet nec lucet; sic etiam quid nobis naturæ nostræ fragilis cera contulisset, nisi ei divinæ naturæ ignis fuisset conjunctus ? Ingeniosa prorsus est Guerrici Abbatis observatio, quam circa mysticum hunc ignem instituit, dicens : *Ignis iste, fratres si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit; imo illum ignem extinguit qui in sinu celatus non modo ve-*
Ser. 2. de pur. *stimentum adurit, sed & quod vestitum est, depascit, id est corpus & animam pariter consumit; Deus, inquit, noster ignis consumens est*. Mox verò declarat, quod consumat, dum ait : *Ignem consumentem*, id est, ignem concupiscentiæ, de quo Job : *Ignis est usque ad consumptionem devorans, & omnia eradicans genimina*. Ubi S.
Job. 3. 12. Gregorius, inquit : *Vastator quippe Spiritus fornicationis dicitur, quia quem invaserit, nulla ei virtutum dona relinquit*, Enimvero, ignis hic ab illo alio igne consumitur, & præter hoc, inquit Guerricus, *animam refovet, demulcet mentem, Spiritum recreat, reparatque perem-*
Isa. 60. 1. *tem*. Atque ideo decrepitus ille centum & plurium annorum Senecio, illum in sinu suo recondit, & pectori adstringit, & veluti si rejuvenesceret, amoris divini calorem illum circa præcordia accedentem persentiscit. Hoc lumen, & ignem istum Propheta Evangelicus in spiritu quondam prævidit, atque ideo Jerosolymam expergefecit & excitavit, ut in ignorantiæ suæ tenebris eodem illuminaretur, dicens : *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum*. Non mo Lib. 1. ep. 3
net illos, ut ab igne sibi caveant, ne comburantur, quia probè sciebat, Deum nostrum ejusmodi flammam esse, quæ illuminat non verò comburit; aut vero si comburit, id solum in sordibus & ærugine peccatorum nostrorum facere noscitur. Unde Ambrosius bene dicit : *Illi soli igni te offer, qui culpam non hominem exurit; quis sit iste ignis, audi dicentem, quia Jesus baptizat in Spiritu Sancto & igne*. Hic ignis, inquit idem Sanctus, Hemorrhoissæ sanguinem stagnare fecit, & Zachæum pariter & bonum latronem purificavit. *Venit* (inquit Malachias) *ad Templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæritis. & Angelus Testamenti, quem vos vultis, ipse enim quasi ignis conflans*. Hic ignis est filius Dei, qui ad templa sua mystica, quæ sumus nos, purificanda, in terras venit. *An nescis*, 1 Cor. 6. 19
inquit Apostolus, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti* ? S. Cyrillus Alexandrinus, super prædicta verba Malachiæ, ait : *Prædicit utiliter, quodam tempore affulsurum Christum, qui peccatum omne nostrum è medio collet*. Inter alia verba hodiernæ benedictionis, qua candelæ benedicuntur, hæc habemus in oratione tertia : *Concede propitius, ut sicut hæc luminaria in igne visibili accensa, nocturnas depellunt tenebras, ita corda nostra invisibili igne, id est Spiritus Sancti splendore illustrata, omnium vitiorum cæcitate careant*. Hic etenim ignis alius non est, quam Sanctissimus ejus Spiritus, cujus proprium est animas nostras mundare & purificare.

3. *Ipse enim quasi ignis*. Ignis ceram habet alimenti loco, quæ ab apibus fabricata esse noscitur. Sciendum autem est quod hæc animalcula fœtorem & malos fœtores vehementer abhorreant. Unde Chrysostomus scribit : *In vas & vestimentum immundum, nunquam se* Hom. 15. ad Eph.
demittit genus apum, propterea enim & suffitibus, & unguentis, bonisque odoribus locum aspergunt, qui harum rerum sunt periti. Cera igitur puritatis symbolum est, quæ virtus, ut in cordibus nostris odoris sui fragrantiam spargere possit, ignem requirit. Quodsi autem per hanc candelam, Virginem interpretemur, prout alibi diximus, satis constat quantum hæc omni sensualitatis spurciriei, contraria existat. *Quanto ipsa est purior* (inquit Richardus à S. Laurentio) *magis fœtet ei luxuriosus; ipsa enim cum sit apis fugatur fœtore*. Eccl. 11. *Brevis in volatilibus* Lib. 6. p. 6.
apis. Neque hoc vitium duntaxat, verum etiam cujuslibet peccati fœtor eam nobis alienam reddit : *Cum sit Mater pietatis magis fœtet ei impius & avarus : cum sit exemplar humilitatis, plus displicet ei superbus : sic de cæteris abominationibus vitiorum*.

4. *Ipse enim quasi ignis*. Audite, obsecro, quodnam mysterium, ex hisce luminibus, ardentibusque candelis moveat S. Eligius Episcopus Novionensis in homilia sua de hoc festo : *Fidei lumen*, inquit, *quod fi-* In bibl.
liorum suorum fulget in cordibus designans cereorum lumi- vet. Pa-
ne, quod eorundem gestatur manibus. Enimvero pri- trum to. 2.
mus occursus, per quem Salvatorem nostrum, ut ei grati simus, debemus recipere, vivæ cujusdam fidei esse debet, quia *sine fide impossibile est placere Deo*. Heb. 11. 6.
Scio equidem nonnullos esse, qui dicunt, ideo in fine vitæ nostræ candelam accensam manibus nostris ingeri, ut tunc vel maximè vivam fidem nostram protestemur. Unde in rationali divinorum officiorum dicitur : *Candela in manu accensa, est fides cum bona operatione*. Et hæc quidem candela in manu portatur,
non vero super candelabra collocatur, ut per hoc insi- Guil. Dur.
nuetur, simul cum fidei lumine manum operis conjunctam esse debere. Porrò cera sine lumine non servit, nec lumen sine cera subsistit : eodem modo non valet fides sine operibus bonis, nec opera quantumvis bona, nisi à viva quadam fide deriventur. *Fides sine operibus mortua est*. Enimvero de hoc Sancto Senecione insuper dicitur; quod *accepit eum in ulnas suas*; id est, Christum nostrum; ut per hoc nos doceamur, quod lumen hoc fidei ex bonis operibus manifestum : fiat : *Ostendam tibi ex operibus fidem meam* : ait Sanctus Jacobus Apostolus. Etenim sicut cera
quam manibus nostris hodie ferimus, pura est & can- Jac. 18.
dida, & ab apibus castitatem amantibus fabricata (ita quoque ex hoc monemur, ut fidei, quam profitemur, operibus bonis & Sanctis correspondeamus. *Istud benedictum lumen* (inquit Albertus Magnus) *jugiter*

mun-

mundis manibus bonorum operum portare debemus, ut per Serm. 3. de pur. *illud purificatis mentibus, Deo Patri præsentari mereamur*. Per lumen vero istud Christum intelligit. Quod tametsi quidem ita se habeat, attamen etiam de fide, quam in eum habemus intelligi potest, quæ bonis operibus debet esse exercitata. Unde Guerricus Abbas ait: Serm. 1. de pur. *Eja fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis, accendite & vos cereos vestros de illius mutuatione luminis; lucernas dico, quas Dominus jubet esse in manibus*. In manibus etenim lumina ista portari debent: *Accedite ad eum & illuminamini, ut non tam lucernas feratis, quam ipsi lucerna sitis, lucentes intus & foris, vobis & proximis*. Demum verò in eadem lucernarum metaphora persistens, subjungit quod hisce luminibus & candelis accensis, pariter adaptari commodè potest: *Sit ergo lucerna in corde, sit in manu sit in ore. Lucerna in corde lucet vobis; lucerna in manu vel ore luceat proximis, lucerna in corde est pietas fidei; lucerna in manu exemplum operis; lucerna in ore sermo ædificationis*. Sanctus Bruno ponderans, quod Salva- Serm. 5. de conf. tor prius dixerit: *Sint lumbi vestri præcincti*; postea vero; *lucernæ ardentes in manibus vestris*; dicit: *Non possunt alii esse lucernæ ardentes, nisi illi qui lumbos præcinctos habent. Lucernæ quædam esse possunt, ardentes esse non possunt; nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest. Inferior ignis luxuria est: superior verò quis alius, nisi gratia Spiritus Sancti? qui lucerna ardens esse vult, lumbos præcingat; continentiam & castitatem custodiat*. Nec solum istud faciendum est, sed eum præcinctum esse, habitum viatoris & peregrini repræsentet, simul denotat, quod decurrenda nobis strenue sit divinorum mandatorum via: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, si ardentem fidei Christianæ, quam profitemur, facem in manibus portare velimus.

5. *Ipse enim quasi ignis*. Intra ceram lychno opus est, hic enim est, qui accenditur & ardet. *Lychnus sub cera occultatus* (inquit Durandus) *recta intentio est*. Hæc tanti refert, ut dici de ea possit, quod totum in ea consistat. Nostra etenim opera nullius apud Deum meriti essent, nisi bona suffulcirentur intentione. Nam operationum nostrarum bonitas vel malitia à fine quo factæ sunt, recto nimirum vel inordinato unicè dependet. Unde optimè S. Augustinus monet dicens: In Ps. 31. *Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat*.

6. *Ipse enim quasi ignis*. S. Bernardus *Serm. de fallacia vitæ*, circa hanc candelam accensam, quam manu nostra hodie deferimus, aliam quandam considerationem instituit, quæ hisce præcipuè diebus, quibus mundus sensualibus delectationibus, in prædam vel maximè cedit, longè est utilissima Candela etenim uno eodemque tempore, quo ardet & illuminat, pariter consumitur & deficit. Eodem modo dum nos vitam nostram per voluptates, delitias, ludos, epulas, aliaque mundi gaudia prolongare satagimus quanto id majori cum industria facimus, tanto magis vita nostra abbreviatur & minuitur, idque ob inordinationem, quam interea committimus. *Ipse ignis propria fomenta consumit, nec nisi propria consumptione fovetur*. Non procul ab eo tempore absumus, quo nobis in fine vitæ candela manui inserta, ori admovebitur; unde optimè Spiritus Sanctus Ecclesiast. 7. 18. nos monet: *Ne impiè agas multum, ne moriaris in tempore non tuo*. Tandem verò Sanctus Bernardus de Candela ejusque igne & lumine sic concludit; *sicut ergo flamma illius novissima, fumus occupat, & caligo, sic lætitia rei in tristitiam commutatur*. Verum enimvero quia, ut jam significavimus, candela benedicta conservatur ad hoc, ut in puncto mortis nostræ ardeat, & ab ipsa vita defuncti signemur, optarem profectò quod quoadusque vivimus, ad participandam ejus benedictionem, oculos mentis nostræ in mysteriis in es figuratis de figuratis defixos teneremus. Enimvero sanctus hic senex cœleste hoc lumen inter brachia sua stringens lætus cecinit dicens: Hom. 15. in Luc. *Nunc dimittis servum tuum Domine*, &c. Circa quæ verba Origenes scribit: *Si quis egreditur è mundo, si quis è carcere vinctorum domo dimittitur, ut ad regnandum vadat, sumat Jesum in manibus suis, & circumdet eum brachiis suis; totum habeat in sinu, & tunc exultans* Lib. 3. c. 25. *ire poterit quo desiderat*. Rupertus Abbas *de divinis officiis* hanc rationem reddit Cæremoniæ illius ob quam hæ candelæ ardentes portentur, & dicit id fieri, ut aliqua ex parte is qui eas defert, in gaudio Simeonis, quo perfusus est, quando in brachiis suis bajulavit Christum, participium haberet: *Hoc enim signo commoniti exterius, ipsum verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in mente nostra fidei ulnis arctius adstringimus, & absentiam ejus corporalem sursum tendentibus desideriis gementes quærimus, quærentes gemimus*.

De origine & mysteriis Processionis hujus festi. Et nonnullæ exponuntur moralitates circa lumina, quæ in manibus portantur.

DISCURSUS DECIMUS.

Lumen ad revelationem gentium.
Luc. Cap. 2.

1. HÆc processio, quam Ecclesia hodie candelas accensas fidelium manibus deferens, instituit, si Hugoni Cardinali fidem adhibere volumus, ab illo verbo originem suam habuit, quo usus est Sanctus Simeon senex in suo Cantico: *Lumen ad revelationem gentium*: In Luc. *Nota, ab hoc verbo habuit occasionem Ecclesia, ut cum luminaribus faceret processionem*. Veruntamen nullatenus dubito, quin præter hanc plures aliæ rationes à sacris expositoribus in medium fuerint adductæ, sciendum est igitur, antiquos Romanos, quoadusque Idolatræ fuerunt, Guil. Dur. hoc more solitos fuisse ex lustro in lustrum, seu singulis quinque annis evolutis, in honorem Februæ, quam tanquam Martis matrem speciali devotione venerabantur (& à qua hic mensis denominationem suam obtinet) in forma processionis, Civitatem hanc, cum delatis in manu facibus ardentibus, circumire, apud filium suum implorarent auxilium, ut in bellis imminentibus illis semper esset propitius. Ecclesia igitur à Spiritu Sancto gubernata, *ut ritum gentilium commutaret in melius*, *in rationali officiorum divinorum* instituisse dicitur, ut eodem prorsus tempore ad honorem Beatissimæ Virginis, in præsenti Purificationis ejus festo, processionem hanc instituamus, lumina, & candelas ardentes portando, nosque ejus intercessioni, quæ apud Filium potentissima est, recommendando, ut in hujus mortalis vitæ militia, in qua varia nobis occurrere solent certamina, nobis velit esse propitius. Dionysius autem Carthusianus alterius fuit opinionis, nimirum processionem hanc institutam esse, in memoriam & honorem ejus, quod virgo Beatissima, S. Joseph, S. Simeon, S. Anna hodie fecisse leguntur: *Quoniam hodie oblatione Christi in templo facta est processio prorsus devotissima atque Sanctissima à Virgine & Joseph, Simeone, & Anna, idcirco* Serm 3. de purif. *ad commemorandum & repræsentandum, imo & honorandum istam processionem, facimus nos processionem cum laudibus Dei, canticis spiritualibus, cum ardentibus quoque candelis*.

2. Quod autem Candelæ & cereorum, quos manibus portamus, mysterium attinet, varias illas interpretationes & significationes habuisse reperio. Etenim Lib 3 c 25. Rupertus Abbas Tuitiensis *de divinis officiis*, de hodierna solemnitate tractans scribit: *Ejus signum visibile signum portamus omnes in manibus, quem jam visibiliter portare, sicut Simeon, nec necesse habemus, nec possumus*. Paulo post vero, qua ratione cerei isti Filium Dei repræsentent, declarat, dicens: *Bene autem consecrati cereoli id, quod visibile erat Christi nobis significant; nam sicut apis ceram cum melle virginali producit opere, sic Maria Virgo Christum Deum & hominem salva uteri sui genuit integritate: apes namque nullo concubitu miscentur, neque libidini solvuntur*. Et quidem Christum Salvatorem nostrum in hisce cereis figurati, præter Rupertum, plures alii pariter scripserunt. Albertus Magnus dicit: *Cum B. Virgo istud glo-* Serm 3. de purif. *riosum lumen hodie portaverit in Jerusalem, & obtulerit in templum nos etiam ad imitationem ipsius, istum præ-*

cla-

clarum cereum in manibus bonorum operum continuo portare debemus. B. Thomas de Villa nova, in Serm. de hodierno festo, ita scribit: *Hanc hodie processionem, toto Orbe, sancta celebrat Ecclesia, incensos deferens in manibus cereos in typum Domini Salvatoris*. Ut autem declaret, quo modo candela hæc Filium Dei nobis repræsentet, subjungit dicens: *Sicut enim in cereo triplex est natura, scilicet ignis, cera, & lychnus: ita in Christo triplex est substantia, divinitas scilicet designata per lumen, caro designata per ceram, anima designata per lychnum, ac propterea cereus hic merito à fidelibus in devotione habetur, tum propter Christi repræsentationem, tum propter solemnem illius à Sacerdote benedictionem*.

Lib. 2. c. 32. Porrò in vita S. Franciscæ Romanæ legisse me memini, quod, dum nocte quadam Candelam benedictam accensam manu sua tenens per totum obiret, Dæmon ei sub specie humana apparens, lumen istud benedictum è manu ejus abripuerit; Cùmque sancta mox alium cereum benedictum apprehendisset, dæmon iterato ei & illum quoque violenter abstulit, eumque in terram magna cum furia projectum, sputo aliisque sordibus opplevit. Quod sancta hæc mulier videns, eum conjuravit, eoque adstrinxit, ut hujusce furiæ, quam erga cereum evomuerat, causam sibi ediceret; qui protinus candelam benedictam, ob benedictionem ejus sibi infestam esse respondit. Ac proinde deinceps, quoties in aere tempestates exsurgebant, in quibus & Dæmones persæpe concurrunt, candelam benedictam accendere solita erat. Et hoc est mysterium, propter quod Candela hæc benedicta conservatur, & in hora mortis accensa moribundi manibus inseritur; quia tunc vel maximè si unquam, infernus in nostram perniciem solutus esse noscitur.

Apoc. 12. 12. *Descendit ad nos Diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Hæc igitur Candela accenditur, ad dissipandas Diaboli tenebras, adeoque armorum loco nobis deservit, quibuscum adversus ipsum præliemur: idque tanto magis, quod Salvatorem nostrum repræsentet, ut jam diximus, quodque Petrus Blesensis, in Serm. quodam de Purificatione confirmat, dicens: *Quia in face cerea designatur Christus, exemplo perseverantiæ Christi, ad perseverandum ipsis luminaribus hodie instruuntur fideles, ac si nobis dicatur: videte quid gestetis in manibus, typum Christi gestatis, fidem ejus gestate in mente, confessionem nominis ejus in ore, imitationem in opere*. Quibus in verbis notandum est, quod in hisce candelis perseverantiam significari dicatur, quæ propriissimè illa virtus est, quæ præ cæteris corona donatur, qua etiam ad ultimum usque spiritum semper opus habemus; quia *qui perseveraverit*

Jo. 8. 12. *usque in finem hic salvus erit*. Porrò hujusce veritatis,

Psalm. 35. quod scilicet in lumine isto Redemptor noster symbolizetur & referatur, varia præsto sunt testimonia. *Domine* (dicebat David) *apud te est fons vitæ & in lumine*

Loc. cit. *tuo videbimus lumen*; quasi diceret: Per Messiæ adventum, ignorantiæ nostræ tenebræ penitus dissipabuntur: *Surge illuminare Jerusalem*, inquit Isaias, *quia venit lumen tuum*. Apud S. Joannem Christus ipsemet ait: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Atque ideo Albertus Magnus scribit: *Filius Dei non solum est lumen hujus mundi per militantium illuminationem, verum etiam est lumen cæli per triumphantium glorificationem*. Pro cujus probatione illo Tobiæ dicto nititur, qui ait: *Quale gaudium mihi est, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Salmeron quoque horum luminum mysteria opti-

Tom. 3. tr. 42. mè tetigit, dum ait: *Ignis vero, quem Pater sanctificavit, & misit in hunc mundum, & cui benedicitur in Ecclesiis, Christus est, qui dixit: ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur; Hodie verò de Christo Simeon ille venerabilis cecinit: Lumen ad revelationem gentium*. At verò Guerricus Abbas existimat, quòd nos, hasce portando candelas, hodie memoriam S. Simeonis senis, puerum Jesum portantis in brachiis suis

Serm. 1. de pur. repræsentemus: En verba ipsius: *Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Jesum accipiens in ulnas suas, Verbum in carne, tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat?*

3. Verum enimvero utilissimum quoddam Hugonis Cardinalis monitum, occasione hactenus dictorum, mentibus nostris imprimamus necessum est: *Accendi*, inquit, *debemus, ut ei vicem rependamus*. Minimè etenim convenit, ut dum lumen istud, quod divini illius ignis typus quidam est, manibus nostris deferimus, cor in nobis habeamus infidelitatis aliorumque peccatorum frigore rigidum & congelatum. *Ignem sui*

Ibid. *amoris accendat Deus in cordibus nostris*. Carthusianus postquam conditiones ignis Christo propriè adaptari demonstrasset, dicit: *Itaque quoniam Christus ignis vocatur, meritò in hoc festo ad ejus honorem portant fideles in manibus suis candelas accensas*. Demum verò sequentibus verbis nos omnes invitat. *Itaque Dominum Jesum devotissime deprecemur, ut in præsenti vita nos clementer expurget, peccata nostra consumat, suo nos accendat amore, sursumque elevet in divinorum contemplationem, quatenus sicut candelas splendentes & ardentes in manibus bajulamus, sic intus in anima per patientiam salutarem atque synceram dilectionem fulgeamus & æstuemus*. Rupertus Abbas huic quæsito: *Cur*

Loc. cit. *in Purificatione B. Mariæ candelas portamus?* ita respondet: *ut felici gaudio justi Simeonis aliquatenus participemus, qui Christum infantem gestans in ulnis agnovit, & confessus est paratum ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium*. Verum quidem est, quòd, si lætitiæ ejus velimus esse participes, necessum sit, ut imitemur ejus virtutes, eo modo, quem in discursu quinto explicuimus. *Ex Evangelio docemur*, (inquit Dionysius) *quod non nisi virtuosi*

Serm. 3. de Ep. *ac justi processionem Deo placitam faciant*, siquidem in primam processionem non nisi meri intervenerunt Sancti, Christus nimirum. Virgo, S. Joseph, S. Simeon, & Anna Prophetissa. Ad hanc sanctitatis munditiam hisce nos verbis S. Cyrillus Hierosolymitanus invitat:

Serm. de pur. *Venite vos omnes Christi & Dei amantes. Domino læti & mundi occurramus*. Mundi igitur, sancti & purificati esse debemus, si in hanc processionem intervenire, & gaudium hujus sancti senis participare velimus: *Non legaliter, sed spiritualiter ocurramus, non venerem delitiis explentes, sed spiritu exultantes, non nos vino inebriantes, sed spiritu ferventes, læti hodie lampades ornemus, tanquam filii lucis ceras veræ luci Christo offeramus, quoniam lumen ad revelationem gentium mundo apparuit*. Audite autem quamnam subinferat hujus invitationis à se factæ consequentiam. Ideo lumine ex lumine supra nivem resplendeamus. Purificandæ igitur nobis sunt animæ nostræ, adeo ut puriores & candidiores sint ipsamet nive, si hasce candelas dignè portasse, & huic processioni fructuosè assistere velimus. Verum eheu (quæ magna est nostra miseria) hisce diebus omnino contrarium facimus ejus, quod nos docet S. Cyrillus, dum hoc tempore vel maximè ebrietati, crapulæ, sensualitati, cunctisque aliis carnisprivii dissolutionibus, tot nos modis turpiter contaminantibus operam damus, & in prædam cedimus.

DE S. MATTHIA APOSTOLO.

Discursus Sex:

Discursus I. Observationes & varia documenta traduntur circa Epistolam, quoad electionem S. Matthiæ.

Discursus II. De virtutibus & meritis S. Matthiæ; deque ejus scientia & aptitudine ad munus Apostolatus, ad quod ipsum non sors, sed divina sapientia evexit.

Discursus III. Ex nomine MATTHIAS, quod idem significat, quod PARVUS DEI. Et ex variis expositionibus circa ly PARVULUS aliæ deducuntur hujus Sancti laudes.

Discursus VI. Ex sanctitate & synceritate Electorum; nec non ex præconiis competitorum, & præcipuè S. Barsabæ, facilè arguere licet dignitatem S. Mat-

S. Matthiæ ad Apostolatum; ubi & alia ejus merita considerantur.

Discursus V. Ostenditur, quòd sors, quocunque tandem modo illa exponatur, meritum S. Matthiæ ad Apostolatum aptissimè declaret.

Discursus VI. Ostenditur, quòd Deus, non verò sors S. Matthiam ad Apostolatum elegerit, utpote in quem omnes illæ conditiones concurrerunt, quæ ad bene deliberatam electionem requiruntur.

Observationes, & varia documenta traduntur circa Epistolam, quoad electionem S. Matthiæ,

DISCURSUS PRIMUS.

Exurgens Petrus in medio fratrum dixit: Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David. Act. Cap. 1.

1. SAnctus Paulus Apostolus ad Romanos scribens, expressè dicit, Scripturas Sacras ad nostram doctrinam & instructionem exaratas esse: *Quæcumque* Rom. 15.4. *scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Et hinc est, quod Sacri Chronistæ multa facta persæpe per minutissimas circumstantias delinearint. Sic etenim hæc S. Matthiæ in Actibus Apostolicis descripta electio, in omni penè verbo mysterium quoddam secum subinfert, atque ad nostram eruditionem totaliter est ordinata.

2. *Ad nostram doctrinam*. Quod si stella illa erratica, post Christi in cœlos ascensionem de Apostolici Collegii cœlo lapsa fuisset, nulla esset admirandi ratio, quod à sacro illo Apostolorum Concilio, hæc in locum illius fieret substitutio: nunc autem cùm Judas in nocte passionis Domini defecerit, & Salvator post resurrectionem suam, præcipuè illis quadraginta diebus, quibus persæpe Apostolis apparuit, de rebus ad Ecclesiæ regimen spectantibus, cum illis disserendo, in ejus locum: *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens* Act. Apo. 1. 3. *de regno Dei*, alium eligere potuerit, summoperè mirandum est, quod substituendum ore suo proprio non denominaverit? Veruntamen utique id factum est, ut Apostolos honoraret, attribuendo eis hanc potestatem principaliores Ecclesiæ ministros & pastores eligendi. Ideo enim illos ex tunc in juris possessionem immisit, ut vel sic omnibus palam fieret, quod ad finem usque sæculorum hanc eis facultatem & potestatem semper quietè relicturus esset, eligendi scilicet ministros ad suum regimen deputatos. At verò dubium quoddam hic subnascitur, videlicet quodsi S. Petrus tanquam summus Christi in terra Vicarius per se solum, alium in Judæ locum eligere, eumque, qui sibi magis placebat, ad illam dignitatem promovere poterat, cur igitur illorum centum viginti Congregatorum discipulorum consilio & opera uti voluit? Theophylactus ideo id factum esse dicit, ut nimirum eos, qui illo munere digniores æstimarentur, tantò magis honoraret & qualificaret, utpote qui idoneitatis & sufficientiæ suæ approbationem & testimonium à tot tantisque viris sortiti fuissent. *Eos, qui eligerentur, venerabiles efficiens*. Præterea ut per hoc innueret æstimandum à quolibet esse non proprium, sed alienum judicium, propriam suam auctoritatem, ad eos magis honorandos, cum eis communicando. Hinc factum est, quòd summi Pontifices à principio in id condescenderint, ut scilicet in aliquibus casibus populi Episcopos & Pastores suos eligerent. Primò videlicet, ne ii, ad quos spectabat nominandi potestas, odium & invidiam paterentur prætendentium. Secundò, ne suscitarentur jurgia & contradictiones inter ipsosmet prætendentes, quando totus populus judex erat. Tertiò, ut electo inter subdictos conciliaretur amor & respectus, utpote qui ab ipsis, ad id muneris esset promotus. Quartò, quia commune testimonium maximæ cujusdam multitudinis, electi dignitatem & idoneitatem magis auctorizabat. Progressu temporis autem, jus illud ob multa, quæ interveniebant, inconvenientia, à populo sublatum fuit; siquidem verissimum semper est, quòd *ubi multitudo, ibi confusio*, dum nullus ad merita habetur respectus, sed ad passiones tantùm & ad interesse.

3. *Exurgens Petrus in medio fratrum*. Tametsi hi homines subditi ipsius essent, & quidem valde erga eum reverentes & obsequiosi, S. Lucas tamen eos fratres nominavit; eò quòd S. Petrus eos semper hoc in gradu æstimaverit, idque ex humilitatis & modestiæ suæ peculiari instinctu, & quidem maxima consideratione dignus est respectus ille, quo cæteri discipuli Sanctum Petrum prosequebantur, adeo ut nemo eorum esset, qui ei contradiceret. Cæterum propositioni à S. Petro factæ opponere potuissent, satius futurum esse, si adventum præstolaretur Spiritus Sancti, utpote qui juxta factam promissionem, propediem sine longiori mora adfuturus esset, ab hoc enim merito expectari posse luminis & discretionis melioris communicationem. Potuissent etiam unum potius quàm alium electionis modum proponere; aut dicere injustum & irrationabile esse, quod ex numero centum viginti, duo tantum eligerentur & tamen his non obstantibus, omnibus illis, quæ S. Petrus proposuit, acquieverunt, capita sua ejus ordinationibus perfectè submittentes, nosque pariter docentes, debitum, quem superioribus nostris, tanquam à Deo nobis præordinatis deferre debemus respectum; Et quidem tanto æquius est, ut exemplum istud nobis imprimatur, quandoquidem in illa congregatione simul erat flos quidam lectissimus hominum, sapientia, sanctitate & prudentia præditissimorum, quos unquam ab ipsomet Christo plantata Christianitas hactenus habuisse scitur: *Vos sæculi justi judices, & vera mundi lumina*.

4. *Oportet impleri Scripturam de Juda, &c.* Seneca inquit: *Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia*. Et quidem quot sunt, quos lapsus ille & præcipitium Judæ conservavit, & cautius ambulare fecit? Porrò inter alia motiva, cur Saul à Deo in Regem Israel electus fuit, non obstante, quòd Deus malum ejus exitum non ignoraret, unum fuit, ut David ex ejus lapsu maloque fine, bene & providè se gubernare disceret; *Fortasse idcirco reprobus Rex eligitur, ut successor ejus Rex David in eo cognoscere, quid cavere debuisset*. Ita quoque in nostro proposito nos dicere posse videtur, quòd in locum Judæ substitutus fuerit S. Matthias, non solùm ut is instrueretur de eo, quòd sibi fugiendum erat ad hoc, ne ab Apostolatu instar Judæ decideret, & ut se Apostolica dignitate dignum efficeret, verum etiam ut omnes fideles doceret, quantum in via Dei semper timendum & tremendum sit, nec ulla uspiam præsumenda sit securitas, quando tremere, imò collabi videmus firmissimas & solidissimas Ecclesiæ columnas. *Si desit spiritus, non adjuvat locus*, inquit alio in loco idemmet Gregorius. Quis uspiam reperiri poterit sanctior locus Collegio Apostolico? & tamen ex hac tam eminenti conditione præceps factus est unus ex Apostolis. Quod aliquis alius in virtutibus & spiritu habituatus labatur, justam utique ingerit maximi pavoris occasionem: at verò quod Apostolus aliquis, ab illo Deo, qui *scrutatur renes & corda*, quinque *scit, quid sit in homine*, vocatus, qui etiam tanto tempore illum fuerat consectatus, & sacerdos factus in ejus schola fuerat eruditus, qui denique Evangelium multis annis prædicaverat, plurimas animas Christo adduxerat & converterat, multaque miracula passim patrarat; quòd, inquam talis in adeo profundum barathrum corruat, quis non expavescat? *Beatus homo,* Prov. 28. 14.
qui semper est pavidus.

5. *Episcopatum ejus accipiat alter*. Ad ultimum usque spiritum formidare semper debemus, ne corona, quam nobis præparatam esse credimus, ab alio nobis ob culpam nostram non eripiatur, prouti Judæ accidit, cui S. Matthias substitutus fuit. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*. Diadema Sau- Apoc. 3.11
lis super tempora Davidis collocatum fuit. Tertulliano successit S. Cyprianus, Origeni Sanctus Cyrillus, Ruffino Sanctus Hieronymus, Pelagio S. Augustinus. In locum ejus, qui è gelido quadraginta martyribus præparato balneo egressus est, custos carceris successit, ejusque coronam promeruit. Sancto quoque Francisco in ordine ad suam Religionem hæc promissio facta

In vita c. 8 ... cta fuit: *Aliis recedentibus alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci*. Considerate etiam possumus, quam verum sit, quod scripsit Theophylactus (In cap. 12. Matth.): *Dei est vocare, electos autem fieri, aut non fieri nostrum*. Ac proinde non est, quod lamentemur, quod Deus nos non vocet, bene tamen de nobis dolere possumus, quòd vocanti Deo non correspondeamus. Matthias non est salvatus, aut sanctus factus, quia fuit electus Apostolus, quia Judas etiam multo tempore talis fuit, & tamen est damnatus: sed sanctus & salvus factus est, quia vocationi suæ dignè respondit, ad finem usque in illa perseverando per actus virtutum adeo sublimi dignitati proportionatos. S. Bonaventura in sermone quodam, de hoc sancto, illa verba (Ser. 2. de S. Matth.): *Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitavit in atriis tuis*: maturè ponderans, quærit, cur Judas à Christo ad Apostolatum vocatus fuerit, licèt is pessimum illius finem optimè præviderer? Et respondet Christum, per hoc omnibus palam facere voluisse, *quod quantum in se est, omnibus dare gratiam paratus sit; & quod nemo perit, nisi qui salutem suam negligit, & se ad gratiam non disponit, vel Dei gratia non bene utitur si accepit*.

6. *Ad nostram doctrinam scripta sunt*. In sancta illa Congregatione Barsabas quoque aderat, vir tanti meriti & æstimationis, ut communi epitheto sanctus appellaretur, proximus Salvatoris cognatus, quique tres in Collegio Apostolico fratres habebat, scilicet sanctum Jacobum Minorem, S. Judam Thadæum, & S. Simeonem, adeo ut secundum judicium humanum, illum sine ulla controversia eligendum esse videretur; & tamen licèt ex omni etiam alio respectu dignus esset, *statuerunt duos*: ad denotandum, quòd neque ad consanguinitatem, neque ad quemvis alium mundi respectum attendere vellent. Unde Salmeron ait (T. 12. tr. 10.): *Ex hoc sensu elicimus primo, cavendam esse acceptionem personarum, si prælatus est Matthias consanguineo Christi & Apostolorum, quia etsi consanguineo (si dignus sit) conferri possit dignitas Ecclesiastica (non enim propter consanguinitatem perdere illud debet, quo dignus est) tamen ob scandalum, ut rectè docet B. Thomas, cavendum est, dare consanguineo æque digno*. Quod punctum Apostoli optimè intelligentes, duos proposuerunt, ut hac ratione Deus ipsemet esset qui eligeret. Ubi etiam notandum est, quod dicit S. Lucas: *Statuerunt*; non dicit, quod duo illi se ingesserint, aut quod obsequia sua recommendarint, aut quod munus illud ambiverint, quia ut S. Bernardus Eugenium monet (Lib. 4. cap. 5. de consid.): *Pro quo rogaris sit suspectus*. Et alibi ad Episcopum quendam Coloniensem (ep. 8), qui se consuluerat, an Episcopale onus acceptandum sibi esset, scribit: *Quis hoc mortalium definire præsumat? Deus forsitan vocat, quis audeat dissuadere? forte non vocat? quis appropinquare consulat? Item statuerunt duos, non multos*, inquit Glossa, *sed solos duos, ne major causaretur tristitia, multorum ejectione*. *Duos*. Nonnulli crediderunt hos duos inter cæteros electos, esse tanquam doctiores magisque eruditos in schola Christi, ad innuendum, quod in ministris, qui nobis in Ecclesiæ ministros eligendi sunt, præter bonitatem, necessaria quoque sit scientia; quia *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*. Lyranus etiam ait: *Istos non distinxerunt ab aliis per sortem, sed per electionem, tanquam magis notabiles in scientia & factorum Christi experientia*,

7. *Ad nostram doctrinam*. Observandum etiam est, quod Apostoli non prætenderint à Christo miracula, cùm enim nulla esset eorum necessitas, illa petere fuisset Christum tentare. Judicio igitur & prudentia humana eo usque usi sunt, quousque hæc pertingere valebat: at verò quando postea in ambobus vita sunt merita paria, atque ideo, uter eorum præeligendus esset determinare non potuerunt, tunc ad orationem suum acceperunt confugium, totumque negotium Deo recommendarunt, ut per visibile aliquod signum uter eorum præferendus esset, dignaretur declarare. Unde Glossa interlinearis dicit: *Exemplis æqualibus duos pares esse cognoverunt, quos cæteris præferendos esse non dubitaverunt: alterum verò præferre alteri, non hominum erat, sed Dei*. Et ideo ad Deum conversi dixerunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum*. Quibus verbis uno eodemque tempore monstrarunt, & quam in Deum habebant fiduciam, futurum nimirum ut quænam voluntas sua esset, illis monstraret: suamque pariter probarunt modestiam, suum in magna hac æqualitate non intromittendo judicium. Iidem quoque verbis utilissimum hoc dederunt documentum, recurrendi prius ad orationem, & Deum consulendi, prius quam ad Pastorum Ecclesiæ electionem procedant. Agebatur in hac electione de erigenda Columna quadam, quæ una futura erat earum, quibus tota innititur Ecclesia, quid igitur mirum, quod *orantes*, ut inquit Evangelista, consilium implorent ejus, qui magni consilii Angelus est, siquidem ipsamet increata sapientia, dum sibi huic incumbendum esset actioni, *erat per noctans in oratione*. Etenim judicium hominis decipi potest, quia *homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Atque ideo *tu Domine, qui corda nosti omnium*. Idque post orationem præmissam dixerunt. Unde Salmeron ait: *Quia præmissa oratione, hæc verba locuti sunt; nam quia unctione interna cognoscitur voluntas Dei, cum nemo noverit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei; inspiratio autem Dei vel unctio, commoda orationis præsidio impetratur*. Et ad hoc demonstrandum utitur Exemplo à Christo insinuato; qua de re S. Ambrosius ita loquitur (In Luc. c. 6.): *Cum Apostolis oravit; quod alias semper solus fecisse legitur; quasi tanta res tam communis, communem & unanimem postulet orationem*.

8. *Ad nostram doctrinam*. S. Petrus ex instinctu, ut piè credendum est, Spiritus Sancti, Apostolatus ministerium appellavit *locum ministerii*. Unde deducitur quod omnes gradus Ecclesiastici conjunctos habeant labores. Unde idemmet Christus Dominus noster (Matt. 23.) Collegio Apostolico dixit: *Qui major est vestrum, erit minister vester*. Imo ipsemet summus Pontifex intitulatur *Servus servorum Dei*. Unde blasphemia est dicere: Ero Episcopus, ut quiescere possim. Apostolus ad Timotheum scribit (2. Tim. 4. 5.): *Tu vero vigila, in omnibus labora, ministerium tuum imple*.

9. *Ad nostram doctrinam*. *Dederunt sortes eis, & sors cecidit super Matthiam*. Verum inquiet fortasse aliquis, quod si alius in sanctitate adeo celebris erat, cur Deus illum Matthiæ postposuit? hinc igitur elici poterit consequentia quædam, scilicet quod non semper ii, qui sanctiores sunt, majorem quoque ad gubernandum habilitatem habeant. S. Joannes virgo erat a Christo summè dilectus. S. Andreas ætate major erat S. Petro, fuitque prius ad Apostolatum vocatus; & tamen Petrum in suum Vicarium elegit, quia semper ubi est virtus sufficiens, oculus electorum singulariter dirigendus est ad gubernandi majorem aptitudinem.

10. *Ad nostram doctrinam*. Quidam ex iis, qui super actus Apostolorum sunt commentati, dicit (Jo: Ferus.): *Non sibi placuit Matthias additus undecim Apostolis; nec indignatus est Joseph, sibi præferri parem: uterque enim scivit Dei voluntatem*. Adhæc licèt S. Matthias humillimus fuerit, munus tamen, ad quod eligebatur, accipere non detrectavit, quia hanc Dei voluntatem esse cognovit: neque Barsabas contristatus est, dum se Matthiæ posthaberi vidit, sciens, quod paulo ante ipsemet Christus Barrabæ postpositus fuisset. In Martyrologio Romano (20. Jul.) de eo legitur: *Cum sors cecidisset super Matthiam, ipse nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inserviens, multamque pro Christi fide à Judæis persecutionem sustinens, in Judæa victorioso fine quievit*. Sciebat etenim, quod non dignitas, sed sanctitas & amor Dei, nos in conspectu ejus magnos & sublimes efficiat.

11. *Sors cecidit super Matthiam*. Ratio est, quia *qui se humiliat, exaltabitur*. *Matthias* idem est, quod *Parvus Dei*. Sors autem illa, vel quidam lucis radius fuit, ut nonnulli sustinent, aut verò signum aliquod Spiritus Sancti: *super quem requiescet*, inquit Deus, *Spiritus meus, nisi super humilem? Fecerunt familiari consilio Spiritus Sancti in jaciendis sortibus*, inquit Salmeron, *cecidit autem sors super Matthiam; interpretatur Matthias donum Dei, quia singulare Dei beneficium est Ecclesiæ collatum, bonus pastor*.

12. *Cecidit sors super Matthiam*. *Humilibus enim dat gratiam*. Hæc gratia sors illa est, cujus in hoc loco fit mentio. S. Augustinus (In Ps. 30. concl. 2.) super illa verba: *In manibus tuis sortes meæ*, rationem reddit, cur hoc modo denominetur, dicens: *In sorte non est electio, sed voluntas Dei; nam ubi dicitur, iste facit, iste non facit, merita considerantur*

ran-

rantur, & ubi merita considerantur electio est, non sors. Quando autem nulla in nobis merita invenit, *forte voluntatis suæ salvos nos facit quia voluit non quia digni fumus;* adeoque dona & gratias, quas fine aliquibus præcedentibus meritis nobis impertitur, primo quidem loco Deo, ejusque meæ liberalitati in acceptis referre debemus, illis autem postea cooperando, nos dignos reddemus augumento ejusdem gratiæ. Quod nos ad fidem veram vocare, nobisque tot auxilia pro nostra salute subministrare dignatus fuerit, domum ejus & sors nostra est. *Sors cecidit super nos*; nullum enim erga Deum meritum habemus, sed mera gratia ejus, & fortuna nostra est.

De virtutibus, & meritis S. Matthiæ, deque ejus scientia, & aptitudine ad munus Apostolatus, ad quod ipsum non sors, sed divina Sapientia evexit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Exurgens Petrus in medio fratrum dixit : Oportet ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus, testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis. Act. Apostolic. cap. 1.

1. EX propositione, quam S. Petrus pro substitutione alterius Apostoli, in locum Judæ, in Collegio Apostolico fecit, facile colligi possunt S. Matthiæ egregiæ virtutes & merita. Enimvero in Annalibus Ecclesiasticis, quando Baronius tractare incepit de concione, quam Christi vicarius ad sacrosanctum illud congregatum concilium, in ordine ad electionem hanc instituendam peroravit; audite, quid hac de re scripserit: *Ut Ecclesia afflictata & Judæ proditoris perditione concussa consuleret, de substituendo aliquo ex discipulis, in locum illius perditi hominis, concionem habuit.* Prætendebat enim S. Petrus per electionem cujusdam alterius Apostoli, omnia damna resarcire, omnemque reparare stragem, quam Ecclesia per tam enormem & scandalosum excessum perpessa fuerat; atque ideo procedere voluit ad substitutionem alicujus subjecti, tantæ virtutis & meriti, talisque exemplaritatis, ut potens esset omnem abolere afflictionem ex lapsu traditoris perpessam. Poterat quidem S. Petrus, prout jam in discursu antecedenti diximus, tanquam caput Ecclesiæ, subjectum aliquod pro suo libitu eligere, id tamen facere nequaquam voluit, quin potius illorum centum viginti congregatorum consilium, vota, & approbationem adhibendam esse duxit, ut hac ratione in declarando electi merito omnes unanimes essent atque concordes, utpote omnium, qui tunc in congregatione fidelium erant sapientissimi & illuminatissimi.

Bar. an. 34. num. 73.

2. *Oportet ex his viris.* Ecce tibi propositionis, in sapientissimo & sacrosancto hoc Concilio explicatæ prima verba: *Viri à virtute dicuntur*, inquit Salmeron. Eundem titulum Spiritus sanctus beatissimo Josepho dedit, qui unà cum ipso sanctissimæ Virginis sponsus erat. *Joseph autem vir ejus.* Atque ideo dictio hæc, *viri*, occasionem nobis obiter & per modum compendii, de virtutibus S. Matthiæ tractandi ministrat. Enimvero à primis annis, ut testatur Dionysius Carthusianus, admirabilem quandam conservavit innocentiam & morum honestatem, quam deinceps in toto annorum suorum decursu semper retinuit; *Lasciviam devitans, pueriles annos morum gravitate ornavit.* Inter alias autem virtutes maximè quas in annis juvenilibus exercuit, magnopere æstimanda est continentia & pudicitia, utpote quam non nisi per multas molestias, tentationes, & difficultates consequi licet. In hoc autem dono S. Matthias singularis extitit, secundum quod de eo varii scripserunt auctores. S. Bonaventura dicit : *Commendatur à munditia & pudicitia animi, notatur animæ puritas & totius vitæ honestas.* Dionysius hoc ei pariter adscribit encomium. *Corde mundus.* Fundamentum autem omnium aliarum virtutum, prout cuique notum est, humilitas dicitur; quæ in hoc Apostolo mirabiliter emicuit. Unde Evangelium & Homilia in Matutino hodierni officii lecta, de ea passim tractant. Et quidem non sine mysterio minimè errans Dei providentia, ei nomen hoc *Matthias* imposuit, quod ut diximus idem est, quod *Parvus Dei.* Collegium Apostolicum extraordinarium habebat de ejus idoneitate, habilitate & sanctitate conceptum, siquidem eum ex tanto numero elegerat; ut in hac electione competeret cum alio quodam subjecto adeo digno, qualis Barsabas fuisse noscitur: Et tamen in sensu & æstimatione propria se veluti nullius frugis hominem reputabat: adeoque semper delitescebat, & inter homines publicè comparere fugiebat, non obstante, quod præ cunctis aliis Salvatorem semper fuerit consectatus, fueritque semper operarius admodum fructuosus & indefessus. Hæc est propriè humilitas illa, quam adeo admiratus est S. Bernardus: *Magna & rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem.* Multi in conspectu hujus mundi humiles apparere affectant, cum tamen in interiori cordis ipsorum subtilis quædam lateat superbia; hi autem in oculis hominum duntaxat humiles existunt: sanctus Matthias verò ab omnium se hominum oculis subduxit, & si possibile fuisset, ab ipsismet etiam Dei oculis se libenter abscondisset, sed id obtinere aut assequi minimè potuit. *Parvus Dei.* Erat humilis coram Deo, & ideo, exaltari meruit. *Verus humilis*, inquit idemmet S. Bernardus, *vult esse, non quærit apparere humilis.* Scribitur quod *scientia inflat*; Et ideo humilitas & modestia S. Matthiæ tanto est admirabilior, quanto is majori fuit sapientia dotatus. Quod idiota aliquis ignorans, ideoque ab omnibus contemptus, humilis fit, nil mirum est, quia nullam habet per superbiam evanescendi occasionem. Etenim Poeta ille non ineptè cecinit, cum ait: *Qui velit ingenio cedere rarus erit.* Sanctus autem Matthias Apostolus vir fuit scientia & doctrina singulari imbutus, & tamen latere semper & occultari ubique voluit. Porrò interpres quidam propositionem hodiernam sancti Petri ponderans ad illa verba. *Testem Resurrectionis, &c.* inquit: *Ad testem requiritur, ut rem ipsam conceptam habeat divini verbi prædicator sacrarum literarum mysteriis instructus sit, ut ad unguem sciat Dominum Jesum, hoc est, gesta simul dogmata universa probe teneat.* Sanctus autem Matthias non solum hanc intelligentiam habuit, verum insuper. *In lege & propheta* (inquit Dionysius Carthusianus) *à pueritia eruditus, in solvendis quæstionibus scripturarum acutus, erat in lege doctissimus.* Id quod de nullo aliorum Apostolorum legitur, si S. Paulum excipias. Adhæc singularissimam quandam possedit voluntatis suæ cum divina conformitatem, adeo ut tam in prosperitate quam in adversis, eandem semper conservaverit animi pacem, eandemque mentis serenitatem. Unde Dionysius Carthusianus ait: *in prosperis non fuit elevatus, in adversis constans atque intrepidus.* S. Bonaventura quoque magnam ejus in passionibus firmitatem & stabilitatem admiratur: *In patiendo stabilitas.* In conspectu persecutorum in Judæa, ac demum in Æthiopia intrepidus stetit: potuit cum sancto Prothomartyre Deo dicere: *Caro mea lapidata est pro te Deus meus.* Verum enimvero si charitas virtutum omnium aliarum Regina consideretur, in hac quoque sanctus hic Apostolus valde insignis extitit, hæc enim est virtus illa, per quam Christus Apostolos ab aliis agnitos, & condistinctos esse volebat: *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.* Apostolus noster igitur tam in amore erga Deum, quàm dilectione proximi, se præ omnibus ardentem exhibuit & inflammatum: *In præfato spirituali amore S. Matthias fuit perfectus*, inquit Dionysius Carthusianus, *quia pro Deo & proximorum salute totum seipsum impendit, & mori paratissimus fuit.* Salmeron in glossa, quam super hujusce Concionis S. Petri prima verba fecit, ita inquit *Ex his viris, qui nobis cum sunt congregati, innuitur charitatis conditio qua ut vinculo pacis unitur quis, & superioribus suis, & coæqualibus, & inferioribus: non solum ergo adsit fides, sed & charitas.* Et tandem ad nostrum propositum concludit: *Ex melioribus igitur in Ecclesia & ab humero eminentioribus, id est ab his qui sapientia excedunt, & virtute charitatis, aliorum onera portantis, facienda est electio boni Pastoris.* Affirmare igitur

Tom. 12. tr. 9.

Ser. 2. de S. Matthia.

Ser. 1. de S. Matthia.

Ser. 13. in Cant.

Jo. Ferus in Acta.

Serm cit. Serm. 3.

Serm. 2.

Ser. 1. de S. Matthia.

Serm. 2.

Tom 12. tr. 10.

oportet, Matthiam, qui à Deo pariter & hominibus ad Apostolatum electus fuit, præ cunctis aliis fuisse hisce virtutibus dotatum, *Felix iste Matthias* (inquit Dionysius Carthusianus) *propter virtutum suarum perfectiones fuit angelicus, charitate repletus, zelo fraternæ salutis accensus.* (Serm. 3.)

3. Verum enimverò laus ejus ex verbis sequentibus mirè augescit: *Ex his viris, qui nobiscum sunt congregati, in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus.* Matthias igitur ex illo tam sacrosancto illorum discipulorum numero electus fuit, qui Christum ab eo tempore secuti sunt, quo prædicandi Evangelii initium sumpsit, quod factum est postquam se à Baptista baptizari fecit. Erant quippe in hoc cœnaculo congregati viri totius Ecclesiæ longè sanctissimi, Deoque acceptissimi, omnes nimirum in virtute & bonitate celeberrimi. Aderat namque ibi S. Philippus Diaconus, S. Lucas, S. Marcus, S. Barnabas, qui postea cum Saulo declaratus fuit Apostolus, S. quoque Prothomartyr Stephanus, & alii ejusdem prorsus sanctitatis plurimi, & tamen, ò ingentem S. Matthiæ gloriam, cum in electione cum Barsaba, prosimo Christi consanguineo, per antonomasiam appellato sancto vel justo concurreret, nihilominus tamen huic quoque præferri meruit, idque non judicio humano, quod errare potest, verum potius infallibili cœli oraculo. *Ex his viris*, id est ut Lyranus interpretatur, *qui per experientiam noverunt conversationem Jesu Christi & ejus opera.* Ac proinde verisimile est, nullum fuisse, qui longiorem magisque familiarem ac domesticam cum Christo conversationem habuerit, quàm S. Matthias, non solum post prædicationem & baptismum, verum etiam diu ante à prima scilicet ætate, quia ut nonnulli notarunt, nativus Bethlemita erat, & ex eadem tribu Juda, è qua Christus carnem suam assumpsit. Unde Auctor quidam antiquus in suo sermone de hoc Festo ait: (Judoc. Clichtov.) *Ipsum elegit ex eadem tribu & patria, unde Christus ipse fuerat oriundus, utpote ex tribu Juda, & civitate Bethlehem.* Quantum autem bonis exemplis & conversatione Salvatoris profecerit, deinceps demonstrat dicens: *Sed eo ipso commendabilior est B. Matthias, quod consortium tribus & soli natalis sibi cum Christo commune egregia virtute illustravit, & non minus probis moribus, quam participatione originis, ipsi Christo consimilis evadere studuit.* Ecce causam, ob quam omnibus prælatus fuit, quia nimirum Christo potius, quàm cuivis alteri in actionibus & moribus suis omni conatu similis evadere tentavit, id quod ad ultimum usque spiritum continuavit, si verum est, quod scribit Dionysius, dum inquit: (Serm. 2.) *Aliqui dicunt, quod pro Christo crucis patibulo sit affixus.* Idemmet porrò auctor ulterius in eodem sermone prosequitur dicens: *Domesticus fuit, & admodum familiaris illi pani vivo, qui de cœlo descendit; Christo scilicet, in cujus contubernio & sodalitate etiam diutius in carne versatus est*; adeoque juxta propositionem à S. Petro factam, & conditiones, quæ ad munus Apostolatus requirebantur, nullus ad id aptior inveniri poterat, aut magis idoneus. David in Psalmis suis optimè suadet: (Psal. 33. 6.) *Accedite ad eum & illuminamini*; ac proinde cum S. Matthias præ omnibus aliis majorem & diuturniorem cum Christo familiaritatem habuerit, verisimile est, quod præ cunctis etiam aliis illuminatus fuerit. Denium verò Redemptorem nostrum etiam in hoc imitatus fuisse cernitur, quod sicut ipse in Judæa prædicaverit, multaque miracula operatus fuerit, unde & ejusdem sibi odium tantum concitavit, ut ignominiosa morte eum in Crucis patibulo affecerit. Ita enim de S. Matthia sanctus Antoninus scribit dicens: *Qui cum per Judæam prædicaret, multos signis & prodigiis convertebat, unde Judæi invidentes, ipsum in concilio statuerunt. Duo igitur, qui eum de blasphemia accusaverant, in eum primi lapides miserunt.* (Serm. 2.) Dionysius Carthusianus etiam scribit: *In Judæa insistebat prædicationis officio plurimosque convertens, magna & multa fecit miracula, illuminavit cæcos, mundavit leprosos, claudis gressum, surdis auditum, defunctis restituit vitam.*

Ex nomine MATTHIAS, quod idem significat quod parvus Dei; & ex variis expositionibus circa ly parvulus adductis, aliæ deducuntur hujus Sancti laudes.

DISCURSUS TERTIUS.

Revelasti ea parvulis. Matth. c. 11. v. 25.

1. Illa gratiarum actio in præsenti Evangelio relata, quam Christus æterno Patri suo ideo retulit, quod divina mysteria sua Scribis & Pharisæis superbis occultaverit, revelaverit autem parvulis & humilibus in celeberrimo illo, in Cœna Domini habito sermone, auctenticata fuit quando ad Apostolos suos conversus dixit: *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* (Jo. 15. 15.) S. Thomas dicit verba illa intelligenda esse de sapientia & intelligentia superhumana, quam vilibus & abjectis piscatoribus communicavit: *Potest illud intelligi, quia revelasti ea parvulis & abjectis piscatoribus.* Meritò igitur Evangelium istud in hoc festo legitur, utpote quod nulli Apostolorum adeo propriè, sicut S. Matthiæ adaptatur, cum enim Deus illi divina secreta sua revelarit, verè ad literam verificatur *Revelasti ea parvulis*, cum *Matthias* idem significet, quod *Parvus*. Observandum est autem, quod, qualemcunque interpretationem sacri expositores illis verbis adhibeant, omnes tamen S. Matthiæ aptè conveniant, ejusque gloriæ illustrandæ mirè deserviant.

2. *Revelasti ea parvulis simplicitate*, inquit S. Thomas (In Matth.) ex illo S. Pauli textu: *Malitia parvuli estote.* (1. Cor. 14.) S. Matthias à primis ætatis suæ annis mira quadam simplicitate & singulari innocentia dotatus fuit. Unde S. Antoninus hanc ei laudem tribuit, ut dicatur *Mundus corpore*, & jam paulo superius in sententia Dionysii diximus, quod *pueriles annos morum gravitate ornavit.* S. Bonaventura in serm. 1. de hodierno festo, pro Themate sibi illa ex sacris Canticis verba assumpsit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* (2. Cor. 10.) Ubi dicit, quod *commendatur ab excellentia amoris eximii; a munditia & pudicitia animi; notantur animæ puritas, & totius vitæ honestas. Non qui seipsum commendat, ille probatus est* inquit S. Paulus, *sed quem Deus commendat.* Admiranda est autem, vel in eo maximè bonitas S. Matthiæ, quod licèt illam pro viribus suis semper occultarit, eadem tamen ab hominibus pariter & Deo manifestata & approbata fuerit. Unde Dionys. Carthus. ait. (Ser. in lect.) *Fuit utique vir valde præcipuæ perfectionis, approbataque sanctitatis tam coram Deo quam coram hominibus.*

3. *Revelasti ea parvulis.* Ubi idem S. Thomas ad literam ait: *Parvuli dicuntur abjecti; unde in Abdia: Ecce parvulum dedi te, contemptibilis es valde.* Illis etenim qui amant contemni, sapientia increata, divina secreta sua, mysteriorumque cœlestium intelligentiam ut plurimum communicat. Unde Beda dicit: *Humilitas clavis est scientiæ.* (Citatus ab Hugo. Matth. c. 11. cit. à Lorino Act. Apost.) Hæc autem sapientia teste S. Antonino, S. Matthiæ revelata & infusa fuit; siquidem hæc de eo elogia scribit: *Matthias in lege Domini fuit doctissimus, in solvendis quæstionibus sacræ Scripturæ acutus in consilio providus, in sermocinatione expeditus.* Tali sui ipsius contemptu præditus fuit, ut non obstante, quod de numero septuaginta duorum discipulorum existens, operarius esset in vinea Christi indefessus, ejusque familiaris, se tamen eo modo contemnere & occultare noverit, ut nulla unquam de eo in Evangeliis mentio facta fuerit, imo nec in toto novo testamento quippiam de eo scriptum fuerit, nisi per hanc electionis ejus occasionem. Et tamen in sanctitate merito, & idoneitate omnes præcellebat. Hoc est quoddam humilitatis genus, quod valde admiratur S. Bernardus, quamque omnem aliam virtutem longè antecellere censet: (Serm. 13. in Cant.) *Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare hoc ipsis virtutibus mirabilius judico.* Porrò Barsabas vir erat sanctitate nominatissimus & talis apparebat non solum in conspectu Dei, verùm etiam mundi, & tamen S. Matthias licèt Apostolatu dignior, & similiter illo, ut credibile est, sanctior & excellentior esset, se tamen, si non ab oculis Dei saltem ad minus ab hominum oculis cautè abscondere novit, per quod eam in se veram & solidam humilitatem esse probavit, de qua S. Bernardus

ait

De grad. humilit.
ait : *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit.*

4. *Revelasti ea parvulis*, i. e. *humilibus Spiritu*, ut interpretatur glossa interlinearis. Eademque est Carthusiani opinio, qui, proinde hoc Psalmistæ textu utitur dicentis :
Prov. 9. 1.
Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis. *Et sapientia in Proverbiis : Si quis est parvulus, veniat ad me.* Memorandum quoque est, quod in eodem sapientiæ libro scribitur c. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam*; quibus verbis dicere vult, quod sapientia Dei incarnata, Christus Redemptor noster suam fundaverit Ecclesiam in eaque septem instituerit sacramenta, quæ sunt velut totidem eadem sustentantes columnæ, mensamque in ea proposuit sacrificiorum incruentorum, quæ in ea sub panis & vini specie quotidie offeruntur. *Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem & ad mœnia civitatis.* Per has autem ancillas Apostoli intelliguntur, qui universum percurrerunt orbem, ut omnes ad mysticum hoc fortalitium invitarentur. Vocantur autem hoc nomine Ancillæ ob sui ipsius contemptum, & agnitam debilitatem. Ita S. Hieronymus ait : *Prædicatores infirmos & despicabiles elegit.* Valde autem considerabilia sunt verba paulo post sequentia : *Si quis est parvulus veniat ad me.* Etenim postquam hæc sapientia, i. e. Christus, cum ex duodenario electorum Apostolorum numero cecidisset Judas, alium in ejus voluisset locum substituere, quos eum imitasse putatis ? *Si qui est parvulus veniat. Parvus Dei Matthias* : homo scilicet in sua propria opinione contemptus & abjectus. Ac proinde videtur, quod supremus ille Architectus in erigendo sublimi hoc Ecclesiæ ædificio, eundem stylum servaverit, quem in mundi fabrica adhibuisse noscitur.
Job 26.
Quænam enim sunt fundamenta quibus mundus innititur ? *Extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Et quænam sunt fulera aut bases, super quas Ecclesia collocatur ?
1.Cor.1.28
Infirma mundi & contemptibilia elegit Deus ; cujus rationem reddit S. Ambrosius dicens :
Lib. 3. in Luc.
Ne traduxisse prudentia, ne redemisse divitiis, ne potentia nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur. Enimvero quod S. Matthiam attinet, sciendum est, quod licèt omnes alii Apostoli, remos potius quam libros tractaverint, nihilominus S. Matthias doctissimus fuerit, ita tamen ut in conceptu suo proprio Idiotam se æstimaret. Etenim quando Redemptor noster ait : *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*, doctrinam & scientiam in servis suis nequaquam excludit ;
Malach. 2. 7.
imo *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*, sed condemnare vult illos, qui illa abutuntur indeque superbiunt, qui scientiam suam propriæ industriæ attribuunt, eamque Deo in acceptis minimè referunt.
Prov. 3. 7.
Quos proinde sapiens monet : *Ne sis sapiens apud temetipsum.*
Rom. 12. 25.
Et Apostolus : *Ne sitis vobis ipsis sapientes.*
1. Cor. 3. 18.
Si quis videtur inter vos sapiens esse stultus fiat, ut sit sapiens. S. Antonius de Padua doctrinam suam multis annis celavit, vilissimis sese ministeriis mancipando. Cui similis erat heroica S. Matthiæ humilitas : Ipse namque magna erat sapientia dotatus, vir quoque erat eminentissimæ sanctitatis, & tamen hæc omnia ab oculis mundi, qui alias plusquam Lyncei sunt, cautè abscondere sciebat. Interrogatus quadam vice sanctus Thomas, quodnam sit certissimum & infallibile quasi veræ cujusdam sanctitatis indicium ? Illam vel maximè dignoscendam esse respondit, ex *Contemptu sui, fuga honoris & laudis.* Utrumque autem istud in S. Matthia reperiebatur, idque in gradu valde eminenti. Unde Salmeron verba
To. 12. tr. 50.
illa observat : *Statuerunt duos* & dicit : *Non ipsi seipso ingesserunt, atque obtruserunt, sed ab aliis constituti sunt.* Quotquot honores fugiunt, illis vel maximè digni existunt. Unde S. Bernardus de Considerat. ad Eugenium :
Lib. 4. c. 6.
Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare. Salvator noster, cum pro se & S. Petro tributum solvisset, advocati mox coram eo Apostoli interrogarunt, dicentes : *Quis putas major est in regno cœlorum ?* id est, in Ecclesia. Et confestim ;
Matt. 18. 2.
advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum & dixit : Amen, amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli ; non intrabitis in Regnum cœlorum quasi dicere vellet : quod nullum unquam in Ecclesia habituri sint locum, nec futuri sint digni Prælati, Pastores & Apostoli sui nisi summam professi fuerint humilitatem. Et quidem quo pu-tas nomine totum Collegium Apostolicum compellavit ? Luc. 12. 32.
Pusillus grex. *Quicumque* igitur *humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Ecce tibi immensam S. Matthiæ Apostoli gloriam. Nimirum per tot prærogativas ad hanc dignitatem tunc electus fuit, quando ab eadem magis, quam unquam erat alienus, ad illaque se inhabilem & indignum judicabat. Non solum igitur *Parvus Dei*, sed & *parvulus fuit*. S. Joannes, & S. Jacobus primas à Christo sedes postularunt. S. Petrus nomine omnium Christo etiamnum viventi dixit : *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major ?* Similiter quando Christus ascensurus erat in cœlum omnes in capite suo domandi cogitationes & consilia agitabant, dicentes : *Quando restitues regnum Israel ?* In solo autem Matthia humilitatem quandam conspicimus profundissimam ; & infimum sui ipsius contemptum *Parvus Dei* ; quid igitur mirum, si ipsiusmet altissimi manu exaltatus fuerit, qui *suscitat de pulvere* 1. Reg. 2. 8.
egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus ? Posuit illum super unam è sedibus duodecim. *Constituit eum principem super omnem terram.* In eodem libri Regum capite hæc S. Matthiæ exaltatio multis antea sæculis prædicta fuisse videtur, cum Deus ipse ait : *suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Observandum hic est verbum illud *suscitare*, quod valde mysticum est ; vult enim per illud alludere ad exaltationem quandam, ex humili loco factam : *Suscitat de pulvere* ; magis tamen propriè ad quendam paulo ante mortuum, mox verò revivificatum alludit, & significare intendit substitutionem S. Matthiæ, in locum Judæ paulo ante miserabiliter mortui. S. Ambrosius super illum Psalmi textum : *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me*, ita ait : *Non resuscitari se petit, sed resuscitari sibi postulat Matthiam in locum Judæ, ut Apostolicus numerus impleatur ; etenim quia necesse habebas perire filium perditionis oportebat in locum ipsius subrogari filium salutis.* Fuit porro S. Matthias sacerdos fidelis, quia restaurare debebat damna Collegio Apostolico per infidelitatem & traditionem Judæ illata, fidelissimum se exhibendo. Enimvero Judas valde superbus fuit, prouti in cœna videre licet, in qua rapaces manus suas in unam eandemque paropsidem simul cum Christo immittere non erubuit, bolum inde meliorem sibi eximendo. Meritò igitur illius superbiæ contraponitur vir aliquis adeo humilis & modestus. Publicanus ille à superbo Pharisæo contemptus, in quodam templi angulo, timidulus hærebat, sibimetipsi diffidens, suam tamen fiduciam in divinam misericordiam constituens : *nec audebat oculos ad cœlum levare.* Ubi S. Bernardus ait ; *Vim faciebat publicanus ille regno cœlorum, qui dum non auderet oculos ad cœlum levare, ipsum cœlum ad se potuit inclinare.*
Serm 4. de modis orandi.
Ecce hic tibi præfiguratum in Publicano S. Matthiam, in cœnaculi illius abjecto angulo quodam latentem, divinamque majestatem interpellantem precibus suis, ut dignum aliquod subjectum ad hoc Ecclesiæ ministerium eligere vellet, nequaquam reflectens, aut imaginans sibi, divinam sortem in se casu terminandam esse : *Dum non auderet oculos ad cœlum levare*, (Apostoli etenim cœlum denominantur) *ipsum cœlum ad se potuit inclinare.* Collegium etenim Apostolicum, & omnes alii in eodem Concilio congregati, ad eum & ad Barsabam sese inclinabant : Cœlum quoque, id est, Ecclesia triumphans, sive Paradisus ad Matthiam eligendum signum quoddam visibile dimisit ; adeo ut sanctus hic Apostolus ut *in vitis Patrum legitur*, meritò dicere solitus fuerit : *Si superbia ascenderit usque in cœlum usque ad inferos detruditur* (id quod Judæ revera accidit) *ita humilitas si descenderit usque ad infernum, usque ad cœlum extolletur.*

Ex sanctitate, & sinceritate electorum, nec non ex præconiis in hac electione competentium, & præcipuè S. Barsabæ, facilè arguere licet dignitatem S. Matthiæ ad Apostolatum; ubi & alia ejus merita considerantur.

DISCURSUS QUARTUS.

Statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Matthiam, Act. Apost. cap. 1.

1. CUm damnum ex Judæ defectione perpessum, in Collegio Apostolico, per alterius cujusdam Apostoli substitutionem restaurari debuerit, Sanctus Petrus, cui tanquam capiti Ecclesiæ, cura hujusce electionis singulariter competebat, assistente sibi Spiritu sancto inprimis quidem ferventes orationes præmisit, postea vero aliorum Apostolorum, discipulorum, omniumque aliorum, ibidem ad numerum centum & viginti congregatorum adhibuit; Et quidem tametsi se solo, ad munus istud, sibi magis collibitum promovere poterat, id tamen facere noluit, quin potius meritum electi per omnium illorum approbationem magis qualificare placuit. Illi autem, quia in hanc electionem intervenerunt, à Dionysio Carthusiano, glorioso titulo *Electissimi* cognominantur, & meritò, quia in eo Concilio simul congregati erant viri zelosissimi sanctissimi, & perfectissimi, quos eo tempore universa habuit Ecclesia, omnes enim illi, columnæ & fulcra erant sublimis illius ædificii, quod Filius Dei, increata illa sapientia, manibus suis hic in terris erecturus erat; hos ad totum mundum convertendum, depellendasque ignorantiæ tenebras, omnium denique populorum cœcitatem illustrandam elegerat, unde Ecclesia de illis canit: *Vos facti justi judices & vera mundi lumina*. His doctrinam & prudentiam tam sublimi ministerio correspondentem elargitus fuerat: *Quorum doctrina* (ita de Apostolis singulariter dicitur) *fulget Ecclesia, ut sole luna*. Omnis erant passionis inordinatæ expertes & sinceri: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*. Illi denique erant, qui in primo illo nascentis Ecclesiæ sæculo, per totum universum dispersi, in provinciis & regnis, in quibus fidem seminarant, Christianamque plantaverant religionem, ad regimen & directionem populorum, varios debebant ministros atque Pastores eligere. Hi inquam Judices adeo sapientes, sinceri, prudentes, & sancti ex toto illo concilio, æquissimo suo judicio duos elegerunt, optimè meritos dignissimosque. *Statuerunt duos*. Liberè & spontè tanquam huic muneri aptiores fuere propositi, ita ut ipsi ne quidem per umbram se vel minimum in id munus ingesserint. Unde inter linearis dicit: *Exemplis æqualibus duos pares esse cognoverunt, quos cæteris præferendos esse non dubitaverunt*. Hos duos & S. Philippo Diacono, & S. Luca, & S. Marco, & S. Barnaba, & S. Stephano meliores & sanctiores esse sunt arbitrati. *Istos non distinxerunt ab aliis per sortem*, inquit Lyranus, *sed electionem tanquam magis notabiles in scientia & factorum Christi experientia*. Dionysius Carthusianus adjungit: *Tanquam præ cæteris sanctitate conspicuos, atque ad gratiam Apostolatus, ut videbatur, magis idoneos*. Idemmet Scriptor alibi, in sermone super Epistolam hodierni festi, ita scribit: *Statuerunt duos, fama, sanctitate & sapientia eminentes*; ac demum ad idem probandum, stringens quoddam argumentum proponit, dicens: *Est credendum, quod si in toto illo Collegio judicassent aliquem eis meliorem, & ad tam summum officium eis digniorem & aptiorem, illum utique statuissent; & tamen in illo collegio tunc fuerunt viri sanctissimi*. Enimverò quando inter Apostolos, de septem Diaconorum electione agebatur, quis est, qui nesciat, quanta ad eam ritè perficiendam usi fuerint industria & diligentia? *Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto & sapientia quos constituamus super hoc opus*. Multò igitur verisimilius est, quòd oculatiores & circumspectiores fuerint, in eligendo quodam Apostolo. Magna etenim est differentia inter electionem unius Apostoli ab hoc sacrosancto Discipulorum Concilio factam, & eam, qua Salvator noster totum elegit Collegium Apostolicum. Hæc enim incarnata sapientia *sciebat, quid esset in homine scrutabatur renes & corda*: Et licèt Moyses se excusaverit, elinguem se esse dicendo; num fortè idem quoque ipsemet Deus dicere poterit: Qui fecit os hominis? Principes mundi, dum quempiam ad munus aliquod eligunt, illam experientiam, scientiam, & prudentiam, quam muneribus illius legitima administratio requirit, eidem dare nequaquam possunt; sed illa jam antea habeant, necessum est, ut in muneris illius ministerio exercere se possint; Non autem sic Deus; Nam, *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Qui igitur eis gratias & privilegia superiora concessit, multò magis eis quodvis gratuitum donum dare poterit. Et ita quidem Christus fecit, qui piscatores in oratores convertit. Postquam vero Christus jam ad cœlos ascendit, jamque hæc Matthiæ in Judæ locum substitutio, ab Apostolis facienda erat dum nequaquam tentare, vel ab eo sine necessitate miracula postulare debebant, cumque iis, quos electuri erant, scientiam & humilitatem ad id munus requisitam ministrare non possent, ex toto illo numero, duos eligere voluerunt, qui in sanctitate doctrina, & prudentia excellentissimi essent. Porrò alii Apostoli à Christo vocati fuere, hi quidem à reti piscatorio illi verò à mensa collibystica: S. Matthias autem scrutinium quoddam prius sustinere debuit, à judicio & sapientia humana omnium Apostolorum, & discipulorum, omniumque aliorum illi concilio præsentium, postea cælitus per signum visibile veluti per cœleste quoddam oraculum fuit approbatus. In cap. 7. libri Numerorum legitur, quòd Deus voluerit, ut oblationes sibi in templo suo præsentandæ, non haberent pondus & mensuram publicam & communem, sed æstimandæ essent *ad pondus Sanctuarii*. In pondere publico denotatur judicium hominum in pondere autem sanctuarii Dei judicium intelligitur: Ecce igitur insignem hujus electionis excellentiam, utpote quæ utroque pondere æstimata fuis. *Perpendere possumus* (inquit Dionysius Carthusianus, & nos quoque superius tetigimus) *ex textu lectionis, quod S. Matthias fuit utique vir valde præcipuæ perfectionis, approbatæque sanctitatis, tam coram Deo, quam coram hominibus*.

2. *Joseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus*. S. Lucas quia Evangelista simul & pictor fuit, in præsenti casu, pictorum artificio ut videtur, qui ut colores & figuras magis elucescere faciant, umbris adhibitis ingeniosè uti solent. Idem, inquam, in casu nostro præsenti facere videtur Evangelista. Prius enim facit emicare merita, virtutes, & dignitatem Barsabæ competitoris S. Matthiæ, ut ex inde hujus insignes prærogativæ tanto magis eluceant. Porrò *Joseph*, idem est, quod *accrescens*: *Barsabas* autem interpretatur *filius quietis*. Unde arguitur, quod in virtutibus & perfectione semper magis magisque incrementa sumpserit, quodque in sinu cordis sui imperturbabilem quandam rectæ conscientiæ pacem & quietem, infallibile puræ cujusdam animæ indicium expertus fuerit. Per Anthonomasiam quoque Justus denominabatur: *Cognominatus est Justus*, ubi inter linearis ait: *Tanta virtutis erat, ut etiam à Romanis, qui eum nossent justus diceretur*. Denique proximus fuit Salvatoris nostri consanguineus. Ei enim Lyranus causam assignat, cur S. Lucas sanctitatis Barsabæ adeo celebris, & ipsis quoque gentilibus manifestæ mentionem fecerit, dum ait: *Ex evidentia sanctitatis, quæ rationabiliter hic exprimitur, ne repulsus ab Apostolatu, tanquam indignus videretur*. Quam etiam observationem Carthusianus fecit, dicens: *Prudenti consilio Joseph iste laudatur, ne ex sua culpa videatur ab Apostolatu repulsus*. Enimvero quòd S. Lucas ob tam rationabilem causam, laudes & merita Sancti Barsabæ expresserit, convenientissimum fuit, at verò cur ne verbum quidem de prærogativis & meritis Sancti Matthiæ expressit. Doctissimus Salmeron dubium istud movet pariter & resolvit, dicens: *Nota quoque prudentiam Spiritus sancti: Josephum Barsabam justum commendat Matthiam sine ullo encomio nominat, ne exclusus credatur Joseph tanquam malus & indignus: alter vero eventu sortis satis commenda-*

tus

Enar. in loc.

Act. Ap. 6.

Exo. 4. 11.

Job. 14. 4.

To. 12. tr. 10.

tus fuit aliis laudibus, ut minimè indiguerit. Dionysius quoque aliam rationem, eamque convincentem assignat cur de virtutibus & meritis sancti Matthiæ nequicquam locutus fuerit: *Nam ei præ omni præconio potest sufficere, quod alio tam justo in hac parte relicto, ipse ad Apostolatus apicem est assumptus*. Verum enimvero ex multis quoque aliis capitibus, singularissima Sancti Matthiæ, pro hoc ministerio adeundo, merita nobis innotescere possunt. Dedit etenim Christus nobis infallibile Apostolatus sui signum, ipsam dilectionem; & ideo S. Thomas super illa verba S. Joannis: *In hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis*, ita scribit: — Ser. 3. de S. Matthia. — *Speciale discipulatus Christi signum, est charitas*. Sanctus autem Matthias à Dyonisio vocatur *Charitate repletus*. — Ser. 1. de S. Matth. — Seraphicus etiam Bonaventura de eo testatur dicens: *Commendatur ab excellentia amoris eximii*. S. Laurentius Justinianus in sermone quem de hoc festo composuit, dicit: *Extolluntur Apostolorum merita, non quia Sanctis præferuntur omnibus, dignitatis gratia, sed quoniam animarum zelo præ cunctis sublimius inarsere, utpote propinquiores verbo*: S. Matthias intimus Christi familiaris fuit, utpote qui à primis annis cum eo fuit conversatus, tanquam ex eadem tribu, eademque patria oriundus, & consequenter fuit actionum ejus oculatus testis. Certum quoque est, quòd præ quovis alio exarserit zelo salutis animarum, & ideo Apostolatu, quovis alio dignior fuit. Ita enim de eo scribit Dionysius: *Pro Deo & proximorum salute seipsum totum impendit*. — Ser. 2. Ser. 3. Cap. 21. in Cant. — Et alibi: *Zelo fraternæ salutis accensus* ab eo dicitur. Ex testimonio autem Richardi à S. Victore: *Hi sunt sublimes ante Deum nihil enim æquè placet Deo, sicut zelus & lucrum animarum* Passim omnibus notum est: quòd Apostoli in Scriptura sacra per cœlos figurentur; *Cœli enarrant gloriam Dei* qui nimirum, ut Hugo Cardinalis scribit, *Alti sunt per vitæ eminentiam, clari per bonam opinionem, mundi per intentionem, volubiles per discursum ad prædicationem*. Atque ideo S. Matthias in Apostolum electus, quia in eo mirabiliter concurrerunt omnes jam dictæ conditiones. Fuit enim *altus per vitæ eminentiam*, quem proinde S. Bonaventura hoc epitheto *sanctissimus* honorandum esse censuit, — Ser. 1. de S. Matth. — & de eodem dixit: *Mira commendatio est, quod ex omni cœtu sanctorum, super hoc orantium Deum, in Apostolum sit electus*. Et cur inquit S. Laurentius, cum ad hunc cœlestem principatum exaltatum fuisse existimatis? — Ser. cit. — *Constitues eos Principes. Primatum quippe adeptus est gentium, quia prius sibimetipsi didicit principari*. Fuit etiam *clarus per bonam opinionem*. Id quod probatione non indiget, talem enim omnes de spiritu & meritis ejus habuere opinionem, ut eum simul cum Barsaba, ex tota illa tot virorum præclarissimorum congregatione velut digniorem elegerint. *Mundus* quoque *per intentionem* fuit, idque ex nonnullis Carthusiani verbis facilè arguere possumus qui ait: *Coram Deo virtuosè se habuit in vera sinceritate*, intentio enim à Deo solo videtur, coram quo sincera comprobata fuit. *Volubilis* quoque fuit *per discursum ad prædicationem*, prouti testatur Baronius dicens; *Matthias in Aetiopiam post Judæam. Evangelii causa profectus traditur*. — Ann. 44. n. 41. — Porrò S. Ambrosius aliam adfert rationem, ob quam Apostoli cœli denominati fuere: *Cœlum*, inquit, *dicitur, quia vitam Angelorum, custodia integritatis exercet*. — Ser. 12. in Psal. 118. — In hac autem pudicitiæ virtute S. Matthias, ut diximus, à S. Bonaventura mirè deprædicatur; — Ser. 3. — Et Carthusianus ait: *Per virtutum suarum perfectionem fuit Angelicus*.

3. Considerandum est etiam, quòd Redemptor noster sequaces & discipulos suos, inter alias virtutes præcipuè has duas edicere voluerit, humilitatem nimirum & mansuetudinem: *Discite à me quia mitis sum & humilis*. Ecce igitur mysterium, cur Evangelium hodiernum, Sancto Matthiæ accomodetur, in quo nimirum verba jam dicta recensentur; utramque enim virtutem in summo gradu habuit, & ideo Apostolatu dignissimus fuit. Enimvero mansuetudini ejus hoc Spiritus sancti testimonium proprissimè quadrat: *In fide & lenitate in ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne*. — Eccl. 45. 4. — Quod verò humilitatem ejus attinet, hanc jam in discursu antecedenti examinavimus. Porrò quidnam Christus discipulis inter se de majoratu contendentibus respondit; Nimirum ut conarentur omnino oppositum illius facere, quod facit mundus: *Reges gentium dominatur, vos non sic; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor*. — Luc. 22. 24. — Ecce tibi causam cur S. Matthias fuerit exaltatus, quia videlicet se infra quemvis alium humiliavit, fuit enim hic sui ipsius apud semetipsum, contemptus, dispositio efficiens, ut donis thesaurisque cœlestibus locupletaretur. *Matthias* idem est, quod *Parvus Dei*, vel etiam secundùm Interlinearem: *Donum Dei* S. Hilarius super illa verba: *Dedit discipulis panes, discipuli autem turbis*, — Matt. 14. 19. — mysterium in illis latens declarando, scribit: *Quia per Apostolos erant divina gratia dona inferioribus hominibus reddenda*; ideo gratias & dona cœlestia ejus distribuit Spiritus sanctus: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem? Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Superbis resistis, humilibus dat gratiam*. S. Augustinus, Magdalenam ad pedes Salvatoris procumbentem considerans, scribit: — Ser. 27. cap. 20. de ver. Dom. — *Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat, confluit enim aqua ad humilitatem convallis*. Aquæ cœlestium gratiarum in humiles valles derivantur. Matthias in hoc munere constitutus, ultimo loco sedebat, seque omnium indignissimum reputabat, atque ideo Cœli thesauris mirè fuit locupletatus, quia *cecidit sors super Matthiam*. S. Laurentius de Apostolis ait: *Spiritualibus donis sunt locupletiores*, id quod in S. Apostolo nostro mirè adimpletum fuit, siquidem ipsissimum nomen ejus humilitatem pariter & dona secum subinfert, dicitur enim: *Parvus Dei, donum Dei*. Etenim excellentius quidpiam eo, quod S. Laurentius de S. Matthia scribit, de hoc S. Apostolo dici posse, nequaquam existimo; sic enim loquitur: *Neque enim minus Petro & Apostolis cæteris Matthias adeptus est gratiæ, quamvis in vocationis ordine extiterit ultimus: eandem plenitudinem spiritus eademque munera spiritualia percepit, quæ reliqui*.

Ostenditur quòd sors, quocumque tandem modo illa exponatur, meritum S. Matthiæ ad Apostolatum aptissimè declaret.

DISCURSUS QUINTUS.

Et dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam. Act. Apost. cap. 1.

1. QUia fortasse, audiendo promotionem S. Matthiæ, ad sublimem Apostolatus dignitatem factam esse mediante sorte, minus dignum de eminentibus virtutibus & meritis ejus conceptum formare vobis potuistis, ideo præsenti discursu pluribus ostendere decrevi, quod in quocunque demum sensu hæc sors à sacris Scriptoribus explicetur, sors ista in ejus semper cedat majorem honorem, majoremque gloriam.

2. *Dederunt sortes eis*. Salmeron ait: *Quidam vertunt græcè jecerunt sortes; alii posuerunt* — To. 12. tr. 10. — utiturque Chrysostomi testimonio, existimantes sortem illam veram fuisse sortem, qualis nunc in usu est apud Hebræos. *Dederunt sortes*, inquit Salmeron, *nimirum in vasculum aliquod*; id est posuerunt nomina Barsabæ & Matthiæ in urnam quandam, indeque ea per sortem extraxerunt. Aliusquidam expositor in hunc textum ait: — Jo. Ferus. — *Miserunt sortes sed secundum ordinem & consuetudinem Judaici populi; sic enim Jonas sorte deprehensus est; itemque & Jonathas filius Saul*. Dionysius. S. Hieronymi & Bedæ auctoritatem citat, dicens: *Volunt, quod fuerit sors communiter fieri solita, cujus in lege Moysi celebris fuit usus, per quam Josue deprehendit Achan furem*. — Ser. 1. de S. Matt. — Et S. Ambrosius ait: — In Luc. c. 1. — *Super Apostolum Matthiam sors cecidit, ne Apostoli electio à mandato discrepare legis veteris videretur*. Et quidem hac etiam opinione supposita tanquam vera, sors hæc meritis & dignitati electi Apostoli nihil derogat, imò vero infallibile fuit sitæ ad illud munus habilitatis & idoneitatis testimonium, cum verissimum semper sit illud Spiritus sancti testimonium in proverbiis nobis traditum. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*. — Prov. 16. v. 33. Joan. Ferus. — *Cum duos probatos elegissent*, inquit quidam interpres, *nihil periculi erat, super quemcunque decidisset*. Deinum prosequitur

tur dicens: *Nec fortibus rem omnem commiserunt, quod eorum oratio indicat*. Omnes etenim simul conjuncti, orationem quandam valde serventem præmiserunt, in qua à Deo approbationem & judicium suum postularunt: *Sors ergo nihil aliud quam divinæ voluntatis declaratio fuit*. Origenes idipsum quoque expresse dicit: *Præcedente oratione, non casu, sed divina providentia, sors divinum judicium proferebat*; idque ex duobus Apostoli textibus probat. Primo enim Apostolus dixit: *In qua sorte vocati sumus, prædestinati sumus secundum propositum ejus, qui omnia operatur*. Deinde idem dicit: *Gratias agentes Deo Patri qui idoneos nos fecit in parte sortis sanctorum in lumine*; Ex quibus textibus, inquit Origenes, colligitur *quid nobis ab Apostolis sors ducta designat, qui ubi ex fide integra & oratione præmissa sors ducitur, ea, quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto*, Adeoque Sanctus Petrus meritò ex instinctu Spiritus sancti, post jactas hasce sortes ad Deum se convertit, & dixit: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum*. Quasi dicere voluisset; ad ostendendum, quem tu elegeris, decidat per tui providentiam sors super primum, qui extractus fuerit ex urna. S. Laurentius Justinianus dicit: *Declaravit autem visibilis sors Dei electionem invisibilem; quis non prætulisset ex his justum cognomento & vita?* Duo illi quos ex his centum viginti elegerant, universali omnium congregatorum judicio dignissimi erant, & juxta communem opinionem, à vulgo quoque auctenticatam, Barsabas altero sanctior apparebat, & tamen ex altera parte dignissimum quoque agnoscebant Matthiam. Unde in hac perplexitate & ambiguitate, recurrerint ad divini oraculi infallibilitatem, quod ab eventu sortis expectabant. Deus autem in S. Matthia plus aliquid quam in Barsaba videns humanum hoc decidit dubium, dum *sors cecidit super Matthiam. Et tamen aliter judicavit omnipotens* (inquit idemmet Justinianus) *cujus judicia longe ab humanis dissimilia sunt*. Salmeron postquam sapientissimi & prudentissimi hujus concilii, uter ex ambobus è toto numero selectis dignior esset, discernere nescientis, & utrosque tales esse existimantis perplexitatem considerasset, demum ait: *Decretum est, ut potius sorte interposita cognosceretur non tam electus hominum suffragiis, quam divino judicio creatus: qua ratione Paulus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, factum se Apostolum prædicat*. Demum vero hujus electionis S. Matthiæ prærogativas demonstraturus prosequitur, dicens: *Reliquerunt Deo judicium, qui sciret meliorem, ut eligeret quem vellet: atque ea ratione Matthias sortis eventu, gratum & ratum Deo suum fuisse Apostolatum cognosceret*. Idem quoque Hugo Cardinalis consideravit, dum ait: *Hic Matthias eligitur non virtute sortium, sed voluntate ejus, qui sortes regit incertas*. Adeoque ejus ad Apostolatum promotio, licèt sorte facta fuerit, suam tamen tam ab hominibus, quàm à Deo approbationem habuit.

Hom. 23 in Josue.

3. *Cecidit sors*. Hanc sortem alii existimant fuisse demonstrationem quandam benignitatis & misericordiæ Dei, ostendentis, Matthiam sibi ad hoc ministerium præ aliis vel maximè complacere. Oecumenius ait: *Sortem præterea appellat, & rem omnem ostendens benignitatis & electionis esse divinæ*. Quod identificatur cum illo, quod Theophylactus his verbis dicit: *Sortem autem eam vocat, ostendens totum negotium pendere ab humanitate Dei*. Et forte ad hunc sensum Glossa etiam alludere voluit, dum nomen istud *Matthias* interpretando dixit: *Qui donatus est, vel donum Dei interpretatur, cui donum Apostolatus à Domino collatum est*. Verum enimvero in hac sorte mundo quoque dignitas manifestatur electi, licèt enim Barsabas, vir tantæ sanctitatis, ab hoc tam sublimi ministerio fuerit repudiatus, Matthias verò ex mera benignitate fuerit ad idem promotus, nihilominus prout in hunc locum Glossa animadvertit: *Hunc exemplum humilitatis accipimus, ne temere discutere præsumamus superna consilia de vocatione horum & repulsione illorum*. Et tandem concludit: *Injustum esse non potest, quod justo placet*. Verum quidem est, quod omne bonum, omne donum, omnis virtus nostra à Deo dependeat: *Sorte vocati sumus*, id est, Deus nos gratia sua sine ullo nostro præcedente merito prævenit. Veruntamen non minus quoque verum est, quod hic Deus tanquam justus Judex merita nostra in æquissima bilance ponderare non omittat. *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris*: Quibus verbis Petrus insinuat, quod prius Deus idoneitatem, merita, & virtutem uniuscujusque accuratè consideret, postea vero voluntatis suæ beneplacitum demonstret. Unde verisimile est, quod Apostolum quendam electurus (qui gradus in Ecclesia Dei tantæ est considerationis) certò cognoverit, Matthiam præ quovis alio huic officio dignius cooperaturum esse.

4. *Cecidit sors*. Alii dicunt S. Lucam hoc loquendi modo insinuare voluisse, quod in hoc dubio, uter scilicet è duobus propositis dignior esset, Deus Apostolis interius inspiravit, ut in Matthiam eligendum unanimiter propenderent. Unde Salmeron ait: *Declarare secundum Deum, uter deberet in Apostolatu preferri, etsi enim ob eminentiam sanctitatis uterque primo facile occurreret dignus, præmissa tamen postea oratione, Deo occultè inspirante, & illorum animos excitante, Matthias dignior & aptior dijudicatus est*. Postea idem ulterius declarat, quamobrem Evangelista huic divino instinctui nomen sortis indiderit; licèt in substantia fuerit impulsus & inspiratio cœlestis. Dicit igitur hujus hanc esse causam, quia si impulsum naturalem & sanguinis ductum secuti fuissent, Barsabam utique Apostolum declarassent, utpote Salvatoris consanguineum, & ut diximus duorum aliorum Apostolorum fratrem: *Sed secuti sunt impulsum Spiritus sancti, & ideo sors è cælo venisse dicitur, sicut Papa ex alto venisse dicitur, licèt per electionem fiat promotio: sortes vero dare, id est decernere dicuntur, quis debeat honore illo potiri*. Huic autem opinioni fidem præbent postrema hodiernæ Epistolæ verba: *Annumeratus est cum undecim Apostolis*. Ubi versio Græca dicit: *Communibus calculis cooptatus est*. Vatablus quoque & Pagninus legit: *Suffragiis additus est*. Unde colligitur, quod interius à Deo inspirati, votis suis unanimiter in Matthiam concurrerint.

5. *Cecidit sors*. Per hanc sortem etiam interpretari possumus eandemmet Apostolatus dignitatem; adeo ut idem sit dicere, *cecidit sors super Matthiam* ac si diceret, Matthias electus & declaratus est Apostolus, ut numero duodenario suam adderet persectionem & complementum. Et quidem si per sortem intelligatur status aliquis magnæ felicitatis & fortunæ, multa ambitione concupitus & desideratus, quænam poterat præ Apostolatu dignitas major desiderari? *Ecclesiarum. Principes. Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes*; unde videtur, quod primo loco ponantur Apostoli. Porrò in hujusce veritatis confirmationem, quod scilicet per tale nomen sortis intelligatur Apostolatus, faciet hodierna Epistola, prouti Salmeron optimè observavit, dicens: *Favet huic sensui, quod Judæ Apostolatus, in hoc eodem Petri sermone, sors dicitur: qui sortitus, inquit, erat sortem ministerii hujus, & Apostolatus, cum tamen sine sortibus à Domino ex mero beneplacito fuerit electus: Paulus quoque ad Ephes. 1. Divinam electionem sortem vocat, in quo etiam nos, inquit, sorte vocati sumus, id est, gratia pro Dei voluntate*.

1. Cor. 12 28.

6. *Cecidit sors*. Dionysius Carthusianus ait: *Apostolatus; qui est donum gratiæ gratis data, sicut & prophetia*. Et Hugo Cardinalis Ethymologiam hujus nominis *Matthias* exponens, dicit: *Matthias interpretatur donum Dei, cui donum Apostolatus à Domino collatum est*. Cum hoc autem dono, consequenter donantur illæ gratiæ illius cælestes thesauri, qui adeo sublimi, & in Ecclesia Dei digno annexi esse noscuntur. *Sors cecidit super Matthiam*; id est, *gratia super humilem*; hoc enim epitheto sanctum hunc denominari jam diximus. *Parvus Dei*. Unde ratione non caret illa nonnullorum opinio, qui censent, quod sanctus hic Apostolus, uno eodemque tempore, simul cum Apostolatu receperit dona prophetiæ, miraculorum, linguarum, omniaque alia, quæ cæteris data fuerint; licet verius sit, quod omnes paulo post illa pariter in die Pentecostes receperint.

7. *Cecidit sors*. Dionysius Areopagita à Baronio citatus, inquit: *Videtur mihi Scriptura sortem appellasse divini quiddam & præcipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus*. Id quod de quodam lucis radio cœlitus super Mat-

Ann. 34. n 37. de cœl. hierarch. p. 8. cap. 3.

Matthiam visibiliter dilapso, exemplificant; ad eum ferè modum, quo quondam illa in aere pendens columna, Gregorium Pontificem, in loco ubi latebat, insinuabat, vel sicut columba Fabianum Papam elegit, aut sicut virga florida summum Aaronis sacerdotium significavit. Alter vero Dionysius Carthusianus ait: *Quidam splendor divinus, seu radius divinitus missus super Matthiam*; adeoque nullum potest majus aut evidentius dignitatis electi haberi testimonium quàm hoc sortis oraculum, quod de cœlo ab illa increata sapientia & providentia nunquam errante; missum illuxit. Sanctitas autem Barsabæ non indigebat ut mundo manifestaretur, utpote quæ omnibus erat manifesta: non item sanctitas Matthiæ ita nota erat, utpote qui meritum & virtutes suas, quantum poterat, ab omnium oculis occultabat.

In Acta.

8. *Cecidit sors*. Per hanc sortem etiam interpretari possumus, ipsum cultui divino, pro ratione ministerii, ad quod assumptus fuerat, mtaliter fuisse consecratum. Nomen etenim *sors*, in Græco idem est, quod *Clerus* unde Clerici vocantur qui, cum sint tanquam sors & hæreditas Dei, à laicis separati, singularius divino cultui dedicari esse censentur. Hinc est, quod, quando prima tonsura confertur illa verba dicantur: *Dominus pars hereditatis mea: tu es qui restitues hereditatem meam mihi*. Porrò Levitæ, quoad temporalium bonorum distributionem, nullam habebant cum reliquo populo partem: cum enim tabernaculi ministerio dedicati essent, de oblatione in eo tabernaculo facta participabant. Ita in novo testamento: Hæreditas Clericorum esse debet, servire Deo sine terrenorum bonorum ambitione. Unde S. Hieronymus nos monet: *Clericus interpretetur primo vocabulum suum, & nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur*. Deinde verò dicit, quod Ly *Cleros*, in Latino idem sit quod *sors*. *Sors propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est*. S. Augustinus quoque idipsum confirmat, dicens: *Clerus dicitur à sorte, quia sorte in sortem Domini adsciscitur*. Magna etenim & egregia sors est, ad divinum servitium à Deo esse vocatum. *Servire Deo regnare est*. Denique S. Hieronymus eodem in loco nos sic exhortatur: *Qui autem vel ipsa pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino*.

Cornel. à lap. in acta cap. 1.

Lib. 2. ep. 12.

In ps. 67.

Ostenditur, quòd Deus, non verò sors, S. Matthiam ad Apostolatum elegerit, utpote in quem omnes illæ conditiones concurrerunt, quæ ad bene deliberatam electionem requiruntur.

DISCURSUS SEXTUS.

Et orantes dixerunt; Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum; accipere locum ministerii hujus & Apostolatus. Act. Apostol. cap. 1.

1. EX hac cum ferventibus fidelium precibus, associata supplicatione, quam S. Petrus nomine totius illius sacrosancti Concilii, Divinæ Majestati præsentavit, evidenter satis colligitur, quod hanc ad Apostolatum instituendam electionem, nequaquam sorti commendatam esse voluerint, sed potius divinæ voluntatis decretum de cœlo expectarint, ideo enim dixerunt: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris*. Probè namque sciebant, quod Deus jam illum elegisset, quem dignum & secundum cor suum esse sciebat, ideoque nihil aliud petebant, quam ut Deus illis visibili aliquo & externo signo mediante, suam illis voluntatem notificaret. Dignissima autem consideratione sunt verba illa, quæ mox Sanctus Petrus subjunxit dicens: *Accipere locum ministerii hujus & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum*. Quasi dicere vellet, quod Judas hactenus locum non suum occupasset. Beatus Laurentius Justinianus ait: *Elegerat profectò*

Serm. de S. Math.

Matthiam ad hunc gradum dignitatis, antequam darentur sortes, & priusquam fieret mundus. Ac proinde cum sedes illa ab æterno Sancto Matthiæ destinata fuerit, Petrus ingenti cum mysterio dixit. *Ut abiret in locum suum*. Cajetanus ait: *Abiit in locum suum, quia hactenus occupaverat alienum Apostolatum & ministerii locum*. In hujus quoque confirmatione observandum est, quod S. Petrus, tanquam Christi in terra vicarius, per instinctum Spiritus sancti, & veluti ex omnium congregatorum ore loquens, non dixerit: *Ostende quem eligas*; sed in præterito tempore, *quem elegeris*. optimè intelligens, electionem istam non à sorte, quæ paulo post jacienda erat, dependere, sed ab æterno Dei decreto jam ab æternitate facto, quam sors illis declarare debebat. Unde Chrysostomus: *Non dixerunt elige, sed ostende electum, hoc est, quem tu elegisti, Beatus quem elegisti & assumpsisti*. Quibus verbis S. Bonaventura utitur pro themate Sermonis secundi de hoc festo. Quando Saul per instinctum Divinum à Samuele in Regem Israelis unctus fuit, Propheta ad populum conversus eidem dixit: *Certe videtis, quem elegit Dominus, quod non sit similis illi in omni populo*. Id quod de hoc Apostolo etiam dicere possumus; in toto etenim mundo nullus erat hoc munere dignior, siquidem in illo cœnaculo præsentes aderant sanctissimi & dignissimi viri, quos Dei filius uspiam in universa terra habebat: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham*. Et hi meliorem utique elegerunt. Etenim si Moyses dixit, ut Dionysius Carthusianus in cap. 1. Deuteronomii optime notavit; *Date ex vobis viros gnaros & sapientes, quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, & ponam eos vobis principes* & tamen ibi de solo temporali regimine agebatur, quando igitur credibilius erit S. Petrum in hac electione, in principio nascentis Ecclesiæ longè plus præmisisse quando de quodam ejusdem Ecclesiæ cardine substituendo tractabatur; de Apostolis enim scribitur: *Ecclesiarum Principes*. Et quidem sollicitudo quam hac in re tractanda habebat ex Concione ad Concilium habita satis liquido deduci possit: *Oportet ex his viris*. Unde S. Bonaventura ait: *Quia ergo hic sanctus Apostolus ex tanta multitudine est electus, tanquam Deo inspirante sanctissimus bene de eo dicitur: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: non dicitur millibus, quod mille essent, sed millenarius numerus, quia perfectus, perfectionis Apostolici cœtus est significativus*. *Idoneos* inquit Apostolus, *nos fecit ministros novi testamenti*. Illa namque talenta, dona, & gratias Apostolis contulit, quæ eos ad exercendum sibi impositum munus magis habilitare & idoneos facere poterant. Porrò in sancto Matthia, ut jam diximus, præter judicium & vota humana, mirum in modum etiam concurrerunt decreta cœlestia. Experientia equidem demonstrat, quod quando in loco aliquo, qui optimi est nominis, culpa alicujus inibi degentis, scandalum aliquod publicum committitur; tunc ad damnum illud resarciendum, & ad recuperationem boni nominis deperditi, præter pœnam irrogatam delinquenti, in delinquentis locum subjectum quoddam omni exceptione majus substituitur. Certissimum est, quod Collegium Apostolicum per traditionem & facinus Judæ, in communi omnium opinione plurimum perdiderit; substituatur igitur in locum ejus subjectum aliquod adeo dignum, adeoque sanctum, quod scandalorum & criminum ab hoc sacrilego commissorum per eminentem sanctitatem, vitæque suæ exemplaritatem abolere possit memoriam.

1. Reg. 10. 24.

Ps. 46. 10.

Serm. 1. de S. Math.

2. Cor. 3. 6.

2. Porrò unum ex evidentioribus argumentis, ad probandum, quod in sancto Matthia omnes illæ conditiones concurrerint, quæ eum Apostolatu dignissimum efficere poterant, est hoc sequens. Quando Moyses in decidendis populi sui controversiis, laboribus nimium aggravabatur, Deus illum nonnihil sublevare volens, Jethro socero ejus inspiravit, ut ei suggereret plurium Judicum collegarum electionem, simulque conditiones in talibus requisitas distinctè præscribere. Quanto igitur credibilius est, quod, quando Deus unum electurus erat ex iis Judicibus, de quibus scribitur: *Vos estis justi judices*, & de quibus ipsemet ait: *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel*, tale sibi subjectum se legerit, in quo omnes istæ qualitates perfectè concurrerent? Porrò eodem hoc textu Exodi sanctus Bonaventura serm. 1. de hoc sancto Apostolo utitur. Circa quem aliquas ex sacris interpretibus excerptas considerationes,

Exod. 18. 21.

brevitet proinde facere constitui. *Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas; & qui oderint avaritiam. Provide*, Lytanus dicit: *Cum magna diligentia & deliberatione*. Volebatque insinuare, Moysen prius maturè diligenter deliberare debere, facereque virorum præstantissimorum delectum. Id quod tandem mandatum est executioni, prouti nunc ex prælecta Epistola audivimus. Meliorem autem hoc fine eligentium delectum facere non poterat, hi namque congregati electi à Dionysio *Electissimi* denominantur, à quibus postea selecti sunt duo, quibus ex omnibus optimi & dignissimi erant, idque cum tam seria deliberatione ab iis factum est, ut magis seriam adhibere vix potuissent; siquidem *orantes dixerunt*. Sequitur *De omni plebe, per quod excluditur consanguinitas*, inquit sanctus Bonaventura. Hæc autem in præsenti electione locum non habuit, quia facta est *absque personarum acceptione*, ut inquit Lytanus. Joseph enim, qui cognominabatur Barsabas, proximus Christi consanguineus, & trium aliorum Apostolorum frater erat, & tamen exclusus fuit, ut per hoc doceremur, inquit Carthusianus, *quod ratione consanguinitatis; aut ex affectu carnali non sint aliqui ad Ecclesiastica beneficia, aut officia promovendi*. Salmeron ait: *Non sunt secuti carnis affectum, quia sic præferendus esset Joseph: quod esset Christi consanguineus*. Et quidem quia hunc dignum esse cognoscebant, ideo totum hoc divinæ electioni remissum esse voluerunt, dicentes: *Ostende quem elegeris*. Voluit in veteri lege sapientia increata, ut in summi Sacerdotis rationali omnes aliæ gemmæ essent, solo excepto adamante, non quasi hic cum aliis consistere non posset, sed propter mysterium; hic enim lapis licet aliàs ad quemvis gravem ferri ictum infrangibilis, adhibito tamen sanguine frangitur. Per quod Deus docere nos voluit, quod in dignitatibus Ecclesiasticis, consanguinitas ne per umbram quidem locum habere debeat. *De omni plebe*. Ex hisce verbis adhuc alia quædam eruitur conditio, nam ut sanctus Bonaventura ait: *Per hoc excluditur nobilitas*. Hujus etenim nulla in schola Christi habita est ratio, qui in discipulos suos pauperes elegit piscatores; Et ut sanctus Hieronymus ad Celantiam ait: *Apud Deum nobilitas est clarum esse virtutibus*. Hac autem nobilitate sanctus Matthias præ omnibus aliis præditus fuit, prouti in secundo discursu vidimus Sequitur: *Viros. Per quod*, ut ait S. Bonaventura, *excluditur fragilitas*. Nam pro muneribus & ministeriis publicis tales desiderantur personæ, quæ forti & invicto pectore valeant. Talis autem sanctus Matthias fuit, qui præterquam quod Christum in omnibus contradictionibus & persecutionibus, quibus à populo ad mortem usque ipsum odiente passus est longo tempore infestatus fuit, per tot insuper annos Evangelium annuntiare, Christumque in eadem Judæa prædicare continuavit, non obstante, quod hæc fides *Judæis scandalum gentibus autem stultitia* esse videretur ac demum lapidatus, vel etiam, ut aliqui credunt, crucifixus, horrendum sustinuit martyrium. Sequitur *Potentes*. Hugo Cardinalis legit *Sapientes*. Illi enim, cui alios Judicare convenit, opus est, ut sapientia præditus sit & judicio. Utrumque verò in Matthia præsto fuit, prout jam aliàs diximus, & quidem superabundanter præ aliis Sanctus Antoninus scribit, quod, licèt Salvator noster quoad usque vixit, piscatores idiotas & ignorantes elegerit, tamen ab Apostolis Matthiam doctum eligi, ad insinuandum posteris electoribus Ecclesiarum, quod periti viri non idiotæ sunt ad clavum & regimen animarum assumendi. Sanctus Hieronymus scribit: *In Ecclesiis quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere nemo debet, nisi possit docere, quos pascit*. Lytanus de Barsaba & Matthia inquit: *Istos non distinxerunt ab aliis per sortem, sed per electionem,*
Ann. 53. n. 14. *tanquam magis notabiles in scientia*. Baronius de excellentia traditionum Ecclesiasticarum tractans, scribit: *Res maximi ponderis, ut quæ basis quædam sit & fundamentum totius Ecclesiasticæ Oeconomiæ*. Et tandem de S.
Lippom. Matthia subjungit: *De traditionibus scripsisse volumen auctor est Clemens Alexandrinus, qui ipsum sæpius citat*. Alii verò hoc nomen *potentes* interpretati sunt, ut notat Auctor Catenæ, *robustos & duros, qui labores sufferre possint*. Quod si ita est, quod scilicet ad rem aliquam
Jer. 13. 23. difficilem & veluti impossibilem exprimendam dici soleat: *Si mutare potest Æthiops pellem suam*, ad literam verè affirmare possumus quòd sanctus Matthias per improbos duros que labores, quos in Æthiopia sustinuit, eorundem obtinuerit totalem mutationem ad fidem Christianam eos convertendo. Poterat quidem hic Apostolus ad ministerium istud electus, intermisso labore requiescere: verum nimis quam bene intellexit, quanti intersit axioma sancti Petri executioni mandare, nimirum; *Satagite, ut per bona opera certam vestram vo-* 2. Pett. 1.
cationem & electionem faciatis. Christus quando à matre 10.
filiorum Zebedæi sibi dici audivit: *Dic ut sedeant hi duo filii mei*. Protinus respondit: *Nescitis quid petatis potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Sequitur alia conditio, scilicet: *Et timentes Deum*, ut enim judices justi & incorrupti sint, per magni refert, quod oculos suos in judicem æternum, qui illos judicaturus est suo tempore, defixos habeant. Sanctus Matthias conversatus est diu cum illo, qui *judicaturus est vivos & mortuos*, & reverentialem prorsus erga eum timorem concepit.
Dionysius Carthusianus de eo inquit: *Coram hominibus* Ser. in lect.
irreprehensibiliter se habuit, in vera exemplaritate; nam in tam magno Apostolorum & discipulorum consortio tam irreprehensibiliter conversabatur, & in tantum cunctis complacuit, quod eum concorditer statuerunt unum duorum quos ad Apostolatus officium reputabant magis idoneos. Sequitur: *In quibus sit veritas. Clarius habetur in Hebræo* Lippom.
viros veritatis, inquit Auctor ejusdem Catenæ in Exodo. Ministri enim Ecclesiæ sinceri esse debent sine fictione & duplicitate. In hac etiam virtute optimè radicatus fuit sanctus Matthias. Carthusianus ait: *Virtuosè se habuit in vera sinceritate*. Et quod si ad reddendum legitimum testimonium, super omnes alias virtutes veritas desideretur, de sancto Matthia optimè affirmari potest, eum hanc in summo gradu habuisse, cum in eo adimpleri debuerit, quod in electo per hanc electionem sanctus Petrus requirebat: *Testem resurrectionis* &c. Septuaginta pro LXX *veritas*, legunt *viros justos*. Hoc pariter in eo verificatur, quia si Barsabas *cognominatus est justus*. Sanctus Matthias Barsabæ antelatus fuit. Unde Dionysius ait: *Idem certius consideratur ex parte justi sapientissimi Dei, cujus ordinatione sors cecidit super Matthiam; tanquam super meliorem*. Denique sequitur: *Et qui oderint avaritiam* quæ est ultima conditio. Porrò judices ab omni avaritia & cupiditate habendi alienos esse debere, probatione nequaquam indiget. Cum igitur S. Matthias Judæ proditori per omnia contrarius fuerit, utique tantum in eo avaritiæ odium fuit, quantus fuit in traditore erga avaritiam affectus. Alii autem legunt *superbiam* ut notat Hugo Cardinalis. Hoc autem vitium S. Matthias pariter detestatus est, uti jam alibi vidimus. Quid ergo nunc amplius desideramus, ad hoc ut sacrosancto illo ministerio censeatur esse dignissimus? *Si testimonium hominum accipimus* 1. Joan. 5. 9.
testimonium Dei majus est. Quod si approbationem & testimonium Dei velimus, illud utique habeamus, & multo magis testimonium hominum. Et quidem de testimonio Dei dubitare nequaquam possumus, siquidem in oratione seu collecta hujus festi claris verbis expressum habemus, quod Deus, non verò sors ipsum elegerit, cum dicitur: *Deus qui B. Matthiam Apostolorum tuorum collegio sociasti*.

DE S. FRANCISCA ROMANA.

Discursus Quinque.

Discursus I. S. Francisca imitata seu potius assecuta est virtutes, dona & merita omnium Sanctarum Romanarum, cujuscunque demum status illæ fuerint; imo supergressa est illas omnes.

Discursus II. Sanctitas Sanctæ Franciscæ in statu conjugali consideratur, & variæ adducuntur expositiones super illa verba sancti Pauli: Sancta Corpore & Spiritu.

Discursus III. In S. Francisca demonstrantur insigniora veræ fortitudinis encomia; & simul declaratur

ipsam

ipsam esse mulierem illam fortem, quam Sapiens quæsivit.

Discursus IV. Considerantur aliqua mysteria circa Angelum, qui S. Franciscæ visibiliter assistebat.

Discursus V. Ostenditur S. Franciscam hoc nomen sortitam esse, ut variora æmularetur facinora, recluderetque in se merita, virtutes, dona, aliasque prærogativas trium sanctorum, qui Francisci nomine insigniti in Ecclesia Dei effulserunt, id est, S. Francisci Xaverii, S. Francisci de Paula, & S. Francisci Assisinatis.

S. Francisca imitata, seu potius assecuta est virtutes, dona, & merita omnium Sanctarum Romanarum, cujuscunque demum status illæ fuerint; imo illas omnes multum est supergressa.

DISCURSUS PRIMUS.

Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.

1. ROma quovis tempore Mater quædam fuit sacrosanctorum Heroum fœcundissima, & præ quavis alia natione germinavit in sexu debiliori, in viridario Ecclesiæ arbores in majori numero sanctitate eminentissimas. In quovis etenim statu, sive conjugalis illa sit, sive vidualis, sive etiam virginalis, Romæ mulieres reperimus sanctas, quæ omnes cœlestibus divitiis virtutum, donorum, & meritorum accumulandis summè fuerunt intentæ. Unde urbi Romanæ verè dici potest: *Multæ filiæ tuæ congregaverunt divitias*: ex omnibus autem filiis ejus optima, quæ beatarum animarum catalogo fuit adscripta, S. Francisca extitit; quæ accumulandis omnium aliarum thesauris adeo ex proposito dedita fuit, ut sine aliqua exageratione affirmari posse censeam, quod non solum merita cujuslibet in particulari & in universali omnium fuerit æmulata, verum etiam, quod omnes multis parasangis transgressa fuerit: *Tu supergressa es universa*. Porrò cum ea comparare omnes sanctas Romanas, ampli nobis voluminis materiam pareret; ac proinde discursum hunc nostrum ad aliquas magis præcipuas, & summa quidem cum brevitate restringere decrevi.

L. 2. ep. 18. 2. *Multæ filiæ congregaverunt divitias*. De Demetria scribit S. Hieronymus: *Puellares annos fidei ardore superavit; & inde cœpit, ubi aliis desisse perfecta consummataque virtutis est*. Porrò S. Francisca non solum in pueritia, sed & in infantia inter fasces demonstravit, qualis progressu temporis ejus esset futura sanctitas; Neque enim inter fasces aut in cunis aliquem sibi, licet proprius ejus genitor esset, abblandientem sufferre poterat. Vix linguam ad sermonem solvere didicerat, cum ecce balbutiendo licet, beatissimæ Virginis officium recitare cœpit, quod deinceps quotidie prosecuta est, adeo ut etiam agonizans, id ipsum recitarit. Nunquid ab ea strepitus aliquis illi ætati proprius auditus fuit.
Lib. 1. de Virg. Vitas sanctarum Virginum continuò legebat, iisque lectis, se illis in virtutibus inferiorem vivere nolle, firmiter proponebat. *Fuit devotio supra ætatem*. inquit S. Ambrosius *virtus supra naturam*.

Lib. 3. ad Ocean. 3. *Multæ filiæ*. De Fabiola nobilissima matrona scribit pariter S. Hieronymus: *Oderat gemmas, ornamenta fugiebat, faciem per quam secundo viro placuerat verberabat, in condemnationem vestium sericarum plebejum cultum & servilia indumenta quæsita*: Subjungit nihilominus sanctus Doctor: *Plus est animum deposuisse quam cultum: difficilius arrogantia quam auro caremus & gemmis*. Porrò de sancta Francisca legimus, quod animus ejus ab omni fastu & superbia alienus fuerit, adeo ut in opulenta & nobili domo sua, cujus illa hera & domina erat, ipsimet servis suis persæpe ministraverit, & quidem quoadusque ad marito suo obediendum obstricta fuit vestes quidem divites, & pretiosas induit: at verò mox ut ab eo, se pro libitu suo vestiendi licentiam obtinuit, *servilia indumenta quæsivit*; quia ut in lectionibus matutinalibus de ea legimus: *Lanea ac vulgari veste utens, maxime in id incumbebat ejus sollicitudo, ut Romanas matronas à pompis sæculi, & ornatus vanitate adduceret*. Scripsit ad hæc de eadem Fabiola pariter sanctus Hieronymus: *Prima omnium instituit Xenodochium, in quo ægrotantes colligeret de plateis. Quoties morbo regio ac pedore confectes humeris suis ipsa portavit? Quoties lavit purulentam vulnerum saniem quam alius aspicere non valebat?* Enimvero Fabiola hæc vera quædam fuit sanctæ Franciscæ effigies; in eo tamen ab hac superata, quod videlicet Francisca non contenta fuerit, quod infirmos è publicis plateis sublatos ad xenodochia & hospitalia deportarit, verum etiam ex propria domo xenodochium fecerit, in quovis vilissimo maximeque nauseabundo ministerio, infirmis ibidem inserviendo, imò ex heroicæ mortificationis instinctu eousque perveniendo, ut aquam illam, in qua fascias aliosque pannos sordidos, pure, vermibus, ac putredine plenos, propriis manibus eluerat, ad Catharinæ Senensis imitationem ebiberet. In Bull. Canon.

4. *Multæ filiæ*. Audite obsecro documentum utilissimum, quod sanctus Hieronymus Celantiæ dedit, quoad solitudinem ejus, quam licet in medio regiminis, domestici familiæ suæ strepitu constituta, inviolabiliter observavit; *Ita habeto solicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas; eligatur tibi opportunus, aliquantum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias; tantum ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses*. Hæc nostra sancta duo sibi loca, veluti Eremitoria elegit, unum in altiori domus suæ fastigio, alterum verò in quadam horti sui spelunca, sub nonnullis ruinis seu ruderibus abscondita, ubi Deo penitus unita, suavissima sæpe extasi fruebatur; atque hoc insuper peculiare habebat, quòd in gravissimorum negotiorum domus suæ multitudine, à recollectione animi sui, & stricta cum Deo unione nunquam distrahebatur, adeo ut nunquam visa sit operari, ambulare, respondere, licet in altissima contemplatione absorpta esset. L. 2. ep. 20.

5. *Multæ filiæ*. De sancta Marcella scribit sanctus Hieronymus: *Opibus & nobilitate contempta, facta est paupertate & humilitate nobilior nostra vidua talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret: illi erant moderata jejunia, carnis abstinentia, vini odor magis quam gustus, rarè procedebat in publicum, & maximè nobilium matronarum vitabat domos, ne cogeretur videre, quod contempserat*. Baronius quoque in Annotationibus ad Martyrologium de ea dixit: *Ingentibus animis calcans fastum nobilitatis*. Quæ omnia etiam de sancta Francisca affirmare possumus, atque de ea plus quam de Marcella dicere, quod jejunia fuerint ei rigorosissima, adeo ut sublato, in casibus urgentibus Confessarii sui præcepto, ipsa nec carnes, nec ova, nec lacticinia, nec pisces gustaverit, nec vinum biberit; imò ad conciliandam matronis Romanis humilitatem Christianam, & ad ipsas ab omni fastu & pompa mundana retrahendum, domos illarum frequentare non intermittebat, *ut a pompis sæculi & ornatus vanitate abduceret*, easque in veræ perfectionis via dirigeret. Lib. 3. ad Princip.

6. *Multæ filiæ*. Quantum sancta Paula à Sancto Hieronymo commendata fuit utpote filia sua spiritualis dilectissima! *Tanta se humilitate dejecit, ut qui eam non vidisset ipsam esse non crederet, sed ancillarum ultimam*. Enimvero sancta Francisca non solum instar vilis cujusdam ancillæ vestita erat, verum insuper, quotidie fere gravi lignorum strue in capite onusta. Asinum quendam lignis quoque onustum, per urbem Romanam ante se agebat, idque ad subveniendum pauperibus quibus, quicquid proprii habebat, elargita fuerat insuper eleemosynam pro eorundem subsidio postulans: Sanctam Paulam in hoc imitando, de qua præfatus sanctus Doctor scribere pergit: *Curiosissimè tota urbe perquirens* (id est pauperes (*damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Plures Virgines* (scribit hoc etiam de eadem sancta) *tam nobiles quam medii & infimi generis in tres turmas, monasteriaque divisit, ita duntaxat, ut in opere & cibo separatæ, psalmodiis & orationibus jungerentur*. Legatur obsecro fundatio & institutum à sancta Francisca erectum oblatarum in turri speculorum, & videbimus protinus, quantum hæc sancta similis sanctæ Paulæ extiterit. Demum vero idem- Ad Eust.

met

met sanctus Doctor, ut quoad ea, quæ de sancta Paula relaturus erat, fidem sibi conciliaret, ita effatus est: *Testor Jesum & Sanctas ejus; ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit & comes admirabilis fœminæ.* Veruntamen verba hæc nondum de sancta Paula innuunt privilegium aliquod adeo singulare, quali sancta Francisca gavisa fuit, nimirum habendi in suo consortio non solum Angelum suum custodem, verum etiam duos Archangelos, successivè nimirum unum post alterum, quorum unus erat è secundo Choro primæ Hierarchiæ, alter verò ex primo choro Hierarchiæ secundæ ad eam in specie, quæ ei visibilis erat, quotidie destinabatur. Sancta Paula Romana discedens in speluncam se subduxit Bethlehemiticam, ibidemque reliquo vitæ suæ tempore demorata fuit: at si verum est, quod sanctus Hildeber-
Epist. 63. tus ait: *Ut efficiamur discipuli Christi, bajulare monemur ipsius Crucem, non quærere sepulturam;* Possumus utique etiam de sancta Francisca certo modo dicere, quod etiam intra Romanam urbem, speluncam Bethlehemiticam invenerit; neque hac in parte ipsi quicquam meritorum S. Paulæ defuit, siquidem non semel sed persæpe in extasi, in Palæstina ad Pueri Jesu præsepium veluti præsens adfuit; ipsum quoque puerum Jesum sinu suo frequenter excepit; & semel inter plures alias vices, in vigilia Natalis Domini hoc raptu usque ad diluculum sancti Stephani gavisa fuit, quando ei pariter hujus sacrosanctæ Nativitatis mysteria clarè fuere revelata.

7. *Multæ filiæ.* Verum enimvero quod si ad illas sanctas Romanas Virgines transire velimus, quæ præter insignem Virginitatis Coronam floridam, martyrii quoque aureolam sibi adsciverunt, videri non nemini posset, sanctam nostram talibus meritò posthabendam esse, tanquam illis inferiorem, minusque dignam, utpote quæ in statu conjugali in primis vixit, deinde verò sanguinem suum pro Christi fide nunquam effudit. Verum nequaquam ita est, Auditores, quin potius ad finem usque discursus, vestrum si placet, suspendite judicium. Et quidem quod martyrium attinet, inquit san-
In sententiis. ctus Bernardus: *Martyrium sine sanguine triplex, parcitas in ubertate, largitas in paupertate, castitas in juventute.* Ipsa autem in omnibus hisce tribus martyriis participavit, & maximè in secundo, siquidem licet ob infortunia, domum illius divitem aliàs, & opulentam divexantia, in paupertate redacta esset, non tamen ob id in pauperes liberalis & munifica esse desiit, quin potius, ut illis subveniret, sibimetipsi commoditates necessarias subtraxit. Verum discursum nostrum ad celebriores Virgines, & Martyres Romanas denuo convertamus.

Hom. 28. 8. *Multæ filiæ.* Sanctus Gregorius in Homilia, quam in Ecclesia sanctorum Nerei, Achillei & Flaviæ Domitillæ recitavit, dicit: *Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt.* Idque de sancta Flavia Domitilla præcipuè intelligi voluit, postquam duo præfati Eunuchi, eidem Virginitatis excellentiam, & matrimonii incommoda atque molestias plusibus exposuissent, eam ad renunciandum contractis eum Aureliano Consulis Romani filio sponsalitiis induxerunt. Veruntamen asserere nequaquam formido sanctam Franciscam, collum suum conjugali jugo subjiciendo majori se merito locupletasse. Ratio autem id asserendi hæc est, quia ipsa in statu se virginali conservare non minori quàm Flavia Domitilla desiderio affectabat, & tamen ut suis obsequeretur genitoribus, Deoque ad hunc se statum eo fine vocanti, ut in illa vocatione cunctis conjugibus norma & speculum esset veræ sanctitatis, obediret, propriam voluntatem suam abnegavit, seque jugo cuidam, quod summoperè abhorrebat, promptè submisit. Jam de facto per firmissimum Virginitatis propositum sponso suo cœlesti adstricta erat, & tamen per expressam cœlestis sponsi voluntatem sacramentali vinculo se sponso terreno adstrin-
In Bulla canon. xit: *Virginitatem consecrare & monasterium ingredi proposuit; verum quia voluntas Dei erat, ut virginalis status perfectionis grande documentum daret, parentes, quibus subdita erat, nubere voluerunt:* Sanctus Ambro-
Lib. 1. de Virg. sius de sancta Agnete scribit: *Non sic ad thalamum nupta properaret, ut ipsa ad supplicii locum.* Immutemus hoc dictum, & dicamus de sancta Francisca illam abivisse (non quidem quoad spiritum, sed quoad sensum) *ad thalamum quasi ad supplicii locum.* Hoc enim jugum suas semper subinfert miserias. In illo autem statu tali cum repugnantia vixit, ut propter ingentem nauseam persæpe vivum evomuerit è stomacho sanguinem. Sancta Flavia Domitilla virginitatis coronæ diadema conjunxit Martyrii: Nostram autem sanctam meritum utriusque perdidisse nequaquam existimo. Sancta Lucia adversus Tyrannum protestata fuit, dicens: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.* Cum igitur facta sit sponsa viri mortalis, non ex propriæ voluntatis libera electione, sed ut Patri suo, & maximè sponso suo cœlesti obediret, qui mediante ejus confessario, hanc suam voluntatem esse ei manifestavit, minimè credendum est, ipsam meritis hujus virtutis, & nuptiarum Agni immaculati destitutam fuisse; imò dicere auderem ipsam eodem tempore factam fuisse Martyrem, Deo quoddam sui ipsius holocaustum offerendo, idque divinæ suæ majestati tanto acceptius, quanto *melior est obedientia quam victima.* Dum offertur victima sacrificii, mors infertur carni alienæ, obediendo autem voluntas propria mortificatur. Veluti æmulatrix doctrinæ sancti Pauli (qui ei valde familiaris per frequentes apparitiones ipsam persæpè docuit) quam ad ipsos quoque Romanos transmisit: *Exhibuit* Rom. 12. 1. *corpus suum hostiam viventem, sanctam Deo placentem, rationabile obsequium suum.* Fuitque in ea adimpletum, quod sanctus Augustinus de mulieribus illis veteris Testamenti scripsit, quod videlicet eo duntaxat fine, maritis copulatæ fuerint, ut populum Dei, unde filius Dei incarnandus erat, propagarent: *Quas nubere obedien-* Lib. de bono viduitatis c. 7. *tia, non concupiscentia compellebat.* Violentia isthæc, quam sibi, se ipsam vincendo, & Virginali statu se privando, intulit, effecit, ut ejus refert historia, quod longam sibi valdeque pœnosam infirmitatem sibi adsciverit. Sanctus Ambrosius ait: *Quodammodo enim* De Viduis *Magisterium Virginitatis, Viduarum valdescit exemplis.* Sententiam istam S. Franciscæ applicemus, dicamusque liberè, ipsam in hoc quoque statu conjugali, in puritate immaculata vixisse, ut omnes Virgines ab eo modum ediscere potuerint, illibatum conservandis candoris sui lilium.

9. *Multæ filiæ.* De sancta Cæcilia scribitur: *Cæcilia cilicio membra domabat, non diebus neque noctibus vacabat a colloquiis divinis & oratione.* De sancta Francisca etiam in ejus lectionibus dicitur: *Corpus suum vigiliis, jejuniis, cilicio, cingulo ferreo, crebrisque flagellis in servitutem redigere jugiter satagebat.* In orationibus, & suavissimis cum Deo colloquiis non solum dies noctesque prolongabat, verum etiam nonnunquam tres dies continuos in extasi perseverabat. *Angelum Dei habeo amatorem,* inquit Cæcilia, *qui nimio zelo custodit corpus meum.* Quod si sancta Cæcilia in ea occasione, qua se à Valeriano sponso suo tueri & defendere volebat, visibilem quendam Angelum sibi assistentem habuit, sancta Francisca è contra, ut jam diximus, non unum Angelum, sed plures Archangelos ad suum servitium promptissimos, quotidie in visibili specie assistentes habuit, qui in cunctis urgentioribus necessitatibus suis eam defenderunt. Corpus sanctæ Cæciliæ sub Pontificatu Clementis octavi, cum exquisita diligentia requisitum, & cum universali totius Romæ lætitia inventum fuit. Idem quoque in hisce diebus nostris, ad unguem contigit circa corpus sanctæ Franciscæ sub Pontificatu Urbani octavi, cum non minori ejusdem civitatis jubilo, Deo hanc corporis sui inventionem, multis iisdemque valde stupendis miraculis specialiter honorante.

10. *Multæ filiæ.* Fuit quoque dignissima hujus almæ urbis filia sancta Martina, quæ in sexu debili martyria sustinuit adeo atrocia, & repetitis sæpe vicibus, majori cum barbarie replicata. *Iterum atque iterum affecta* In Lect. *verberibus, uncis, ungulis ferris, testarum fragmentis lacerata, acutissimis gladiis membratim concisa, adipe ferventi peruncta, demum in amphiteatrum damnatur ad bestias a quibus illæsa divinitus evadens in ardentem rogum injecta pari beneficio incolumis servatur.* Verum hisce cruciatibus sancta hæc Martyr ab humana crudelitate dilaniata fuit, ac demum intra pauculos dies postea terminati fuerunt. Sancta Francisca autem per multorum annorum curriculum, carnifices suos passa est, sævissimos & atrocissimos Dæmones, qui tanta ei intulerunt tormenta, ut quæ intra breve tempus in nostram devenerunt notitiam, incredibilia esse videantur. Apparebant ei in horrenda diversorum monstrorum,

rum, aprorum scilicet, luporum, leonum, aspidum, viperarum specie, quæ velut eam devoratura illam aggrediebantur, integris illam noctibus flagellando, & quam nunc in altum sustulerant, paulo post horrendum in modum præcipitando, ut omnia ejus ossa inde confringi potuissent: *Omnia armorum suorum genera* (inquit Chrysologus) *callidus inimicus exegit*. Legite quæ sanctus Antonius cum universo inferno habuit certamina, eademque hisce hujus sanctæ certaminibus longè inferiora esse comperietis. Ipsa verò *induta loricam justitiæ, & sumpto scuto fidei, tentatorem sic imperterrita elusit, ut illi formidabilis evaderet, sed & Angeli præsidio, quem familiarem protectorem & comitem singulari Dei beneficio habebat, ab hujusmodi inimici tentationibus defensam appare:*. De sancta Martina legimus, quod è corpore ejus *odor suavissimus emanavit*. Id quod de S. Francisca in ejus vita similiter scribitur; nam cum corpus ejus per quatriduum inhumatum remansisset, mira quædam Liliorum, Rosarum, aliorumque florum in eo loco, in quo jacebat, ex eodem percipiebatur fragrantia. *Tenera res in fœminis*, ait Divus Hieronymus, *fama pudicitiæ, & quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram*. Non erat tempus illud odoriferis floribus producendis conveniens & aptum, ideoque florum istorum fragrantia, incorruptæ puritatis & castitatis ejus, licet conjugalis, evidens testimonium erat; utpote quæ cum Virginitate S. Martinæ pari poterat passu procedere.

Serm. 28.

In bullæ Canon.

In Lect.

Epist. 9. ad Sabin.

11. *Multa filiæ*. Inter alias quoque sancta Agnes Virgo & Martyr Romam egregiè nobilitavit. Hæc autem de cœlesti sponso suo dixisse fertur: *Sanguis ejus ornavit genas meas*, quasi diceret: quicquid in virginea anima mea pulchrum esse conspicitur, id totum Passioni crucifixi sponsi mei, ejusque continuæ meditationi debeo. Potuit idipsum quoque sancta Francisca dicere; etenim speculum, coram quo ipsa animam suam venustabat, Crucifixus fuit. Porrò speculum prout cuilibet notum est, penes sexum fœmineum unicum est cogitationum, curarum, & gaudiorum objectum; & veluti idolum quoddam, quod Virgines speciosæ quasi adorant ut plurimum, quò ab aliis adorentur. Ingeniosa autem prorsus & devota responsio fuit, quod insignis ille Dei servus Joannes Baptista de Fulginio cuidam Ultramontano speculum à se postulanti subintulit, dicens: *Ego aliud speculum non habeo nisi Jesum Christum & hunc crucifixum*. Id quod sancta Francisca majori cum veritate dicere potuit. In lectionibus ejus etenim quoad hoc punctum habemus sequentia: *Divina mysteria, præsertim verò Christi Domini Passionem tanto mentis ardore, tantaque lachrymarum vi contemplabatur, ut præ doloris magnitudine pene confici videretur*. Unde de ipsa dici potuit, quod B. Laurentius Justinianus de corde beatissimæ Virginis scripsit: *Clarissimum Passionis Christi speculum effectum cor ejus*. Ecce tibi igitur hic duo in se mutuo sese reflectentia specula; speculum namque ejus Crucifixus erat, cor autem & corpus illius speculum quoddam erant Christi crucifixi. Enimvero proprium est speculo, species omnium earum rerum in se recipere, quæ eidem è diametro opponuntur; ideoque dolores Christi Crucifixi, quos meditabatur, cordi & corpori hujus sanctæ, tali cum vivacitate imprimebantur, ut quotiescunque exempli causa crucifixionem pedum Salvatoris meditabatur, intensissimos acutissimosque in pedibus suis dolores persentisceret, haud secus ac si eisdem clavis transadigerentur. Dum spineam meditabatur Coronam, tempora quoque sua puncturis acerbissimis perforari sentiebat. Lateris quoque vulnus meditando, vulnus quoque in ejus latere apertum fuit, unde multo tempore sanguineus aut cruentus quidam humor emanabat. Nunquid igitur in hac sancta ad literam adimpletum fuisse videtur illud Apostoli consilium. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*. Sanctus quidem Augustinus piam hanc petitionem Redemptori nostro proposuit, sed an eandem in effectu sicut S. Francisca assecutus fuerit, ignoramus. Dicit enim S. Augustinus: *Scribe Domine vulnera tua in corde meo* (sancta nostra insuper addere potuit, in corpore meo) *pretioso sanguine tuo, ut legam in eis amorem tuum ad contemnendum pro te omnem amorem*. Sancta etenim nostra licèt sponsum haberet terrenum, ad imitationem tamen S. Agnetis dicere potuit: *Nullum præter eum amatorem admisi*, licèt enim huic sponso suo matrimonii vinculo adstricta fuerit, sancta tamen Dei Ecclesia de ea publico instrumento expresse declarat quod *in sancto & immaculato conjugio virum habuit, tanquam non haberet*. Ex hac autem meditatione, & tenerrima erga mortem Redemptoris compassione hoc consecutum fuit, quod sicut S. Agnes adversus Tyrannum constantissima & vigorosissima semper permansit, ita quoque sancta nostra adversus insultus infernales semper mansetit intrepida, quia ut S. Augustinus scribit: *Tutum refugium contra hostes vulnera Salvatoris*. De S. Agnete scribit S. Ambrosius: *Mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ*. Idemmet de sancta nostra quoque majori jure affirmari potuit: *Mirentur viri:* nam vitæ ejus Historia, cuilibet eam legenti stuporem adfert, considerando in ipsa rigorosissimos Thebaidis Anachoretas. *Non desperent parvuli*. Huic etenim ætati, bonæ & sanctæ educationis exempla post se reliquit *Stupeant nuptæ:* Deus etenim illam in Ecclesiam collocavit, veluti status conjugalis & multo magis vidualis egregium exemplum & normam. Et ideo *imitentur innuptæ*. Estque hoc argumentum, quod ipsa omnium Romanarum matronarum pedibus imitandum propoiuit. *Tu supergressa es universas*, nulla enim unquam aliarum reperta fuit, quæ in hisce tribus statibus, id est, virginum, conjugum, & viduarum, in quibus ipsa sanctissimè semper vixit, pari passu cum ipsa ambulavit. *Gaudete in Domino dilectissimi* (inquit S. Bernardus) *Qui inter continua sua pietatis beneficia indulsit hominem* (mulierem dicamus nos potius) *mundo, cujus multi salvarentur exemplo*. Et hoc fuit unicum votum, quod in ejus consanguinitate optavit sanctæ memoriæ Cardinalis Bellarminus: *B. Francisca omni statui, omni sexui, omni gradui exemplar virtutum proponetur; quippe ab ipsa infantia multis annis virginitatem coluit, alias non paucis in casto conjugio versata est, postea etiam laboriosam viduitatem exercuit, ad ultimum vitam perfectam & religiosam in monasterio duxit: itaque & virginibus, & conjugatis; & sanctimonialibus ejus declarata sanctitas mirifice proderit*.

Cap. 21. de triumph. Christi.

In bulla canoniz.

Man. c. 21.

Ser. de S. Victore.

12. *Tu supergressa es universas* dici de sancta nostra potest, quod castitatis virtutem attinet. S. Ambrosius dicit: *Docemur triplicem castitatis esse virtutem, unam conjugalem, alteram viduitatis, tertiam virginitatis*. Et quidem in omnibus hisce tribus speciebus castitatis in gradu heroico mirè resplenduit, id quod in nulla alia sancta Romana, quæcunque demum illa sit, inveniri poterit. Subjungit autem idemmet sanctus Doctor: *Advertamus, quemadmodum singula aptis laudibus prædicentur, & ubinam commorantur, nupta in Paradiso vidua in templo, virgo in secreto*. Alludit verò ad Evam, ad Annam Phanuelis, & ad sanctissimam Virginem. Ecce igitur S. Franciscam in statu virginali, in solitudine quadam degentem, licèt in abundantia versetur delitiarum domus paternæ: in statu autem viduali, in illo turris speculorum à se fundato sanctuario piissimè viventem, Dei laudibus totaliter intentam: *Nupta* autem, quod majori admiratione dignum est, erat velut in Paradiso, quia cum Angelis, & Beatissima Virgine, sæpe etiam cum puerulo, cum S. Paulo & aliis sanctis visibiliter & dulcissimè conversabatur, visionibus fruebatur & revelationibus cœlestibus, & de rivulis torrentis illius, qui civitatem Dei inundat, bibebat.

Lib. de vit.

13. *Supergressa es universas*; nimirum tale Martyrium, quod omnibus aliis nobilius est, fortiter tolerando de Beatissima Virgine, Martyrum omnium Regina firmiter credimus, quod licèt sanguinem suum non fuderit, non tamen ob id martyrii palma destituta permanserit, eo quod una cum filio suo in Calvario monte passa fuerit, vivacissima, & tenerrima quadam cum compassione amaram ejus Passionem associando in quo eodem casu, etiam Joannes & devotæ illæ Mariæ haud dubiè fuere, atque ideo errare non valens divina providentia specialiter disposuit, ut tametsi quasi omnes alii in principio nascentis Ecclesiæ per manum carnificis necati fuerint, nullus tamen eorum, qui funesto huic spectaculo interfuerunt, & patienti Christo tenerrimè fuere compassi, aliquo martyrii genere afficerentur. Ex quo eodem capite nos quoque affirmare possumus quod S. Francisca similiter in hoc privilegio participaverit; in suis namque extasibus, cum tali compassionis ardore & vehementia, Crucifixi passionem meditata fuit, ut sicut dictum est, eam suo quoque corpori adeo fortiter impresserit, ut illud sæpe sanguine abunde scaturierit.

Quis

Quis unquam eo pervenit, ut illam Paradisi ambrosiam, quæ ex Christi sacrosancto latere emanabat toties biberit, sicut ipsa ? S. Thomas Apostolus, ut à suo posset errore resipiscere, vix semel in latus illud digitum suum immisit ; S. Francisca autem os suum quinquies ad idem vulnus admovit. Quod si ferrum Christi pectus aperuit, ut inde exiret sanguis & aqua, idem quoque liquor ab ejus pectore manavit, accepto nimirum vulnere ab amore & compassione, qua erga Domini Salvatoris passionem semper commota fuit. Quod si Christus à Crucis patibulo deponi noluit, licèt populus circumstans, se in eam crediturum protinus esse promitteret, longè tamen mitior erga Franciscam fuit, quia ad eam amplexandam imago Crucifixi dexteram suam semel à crucis arbore legitur solvisse, unde cum sponso suo cœlesti dicere potuit : *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

14. *Tu supergressa es universas.* Enimvero si una ex parte singularissima considerentur dona, quibus ipsa super omnes alias abundantur, locupletata fuit, altera vero ex parte ponderentur sexus, locus item ubi vixit, id est, Roma, sæculum, strepitus domus tum paternæ, tum mariti sui, inter quos in statu matrimoniali, in summa divitiarum abundantia vixit, mirari utique satis nemo poterit, quod hæc ita inter se sociari potuerint, ut scilicet his non obstantibus, adeo gavisa fuerit continuis raptibus & extasibus, ac si in ipsissima Ægypti Thebaide, inter rigorosissimos Eremicolas demorata fuisset. Donum habuit continuarum revelationum & visionum cœlestium, necnon & prophetiæ spiritum, secreta quoque penetravit alienorum cordium, prodigiosa & innumera in vita & in morte operata est miracula, in extasi, facta sæpe synaxi fuit resecta : Puerum Jesum suis brachiis septies excepit : Ipsi quoque non ab Angelo, uti S. Pachomio, sed a Doctore Gentium Oblatarum, quas ipsa instituit & fundavit, regula dicta fuit : Privilegiata fuit continua cujusdam Angeli, aliorumque duorum Archangelorum præsentia : Electa fuit à S. Gregorio Papa, ut Eugenium Papam instrueret : Divinæ quoque justitiæ iræ fulmina, quæ adversus Romam vibraturus erat, repetitis vicibus eripuit. Quænam igitur inter sanctas Romanas inveniri poterit, de qua adeo rara legi possint prodigia ! *Tu supergressa es universas.*

Sanctitas S. Franciscæ in statu conjugali consideratur ; & variæ adducuntur expositiones super illa verba S. Pauli : Sancta Corpore, & Spiritu.

DISCURSUS SECUNDUS.

Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu 1. Cor. 7. v. 34.

1. Sanctus quidem Apostolus hisce verbis libenter agnovit excellentiorem esse sanctitatem in statu virginali & viduali ; nec tamen ob id conjugalem penitus exclusit. Unde Beda & sanctus Anselmus scripserunt : *Ampliorem innuptarum & in corpore, & in spiritu sanctificationem, Apostolus his verbis intelligi voluit, non tamen corpus nuptarum omni sanctificatione privavit.* Cujus hanc rationem reddit : *Minor est enim divina sanctitas ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas.* Verum enimvero, ut quod sentio aperte edicam, hæc est S. Franciscæ singularis & prorsus eximia gloria, quod in perfectione & sanctitate non minus eminens fuerit, quando per nodum matrimonialem ligata fuit, quam dum soluta, id est, vidua, vel virgo permansit. Adeo ut de ipsa salva veritate affirmare possimus, & dicere : *Et virgo, & innupta, & nupta cogitavit, quæ Domini sunt, & fuit sancta corpore & spiritu.*

2. *Fuit sancta.* Etenim ipsam à Deo ad hunc statum conjugalem vocatam fuisse perfectionem & sanctitatem ejus nequaquam diminuit, sed potius adauxit. Atque ideo S. Augustinus, dum in libro de bono conjugali prædicta S. Pauli verba interpretatur, diu ante Bedam &
Cap. 11. S. Anselmum hisce verbis similiter scripsit : *Quod ergo ait, quæ innupta est, cogitat ea quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore & spiritu ; non sic accipiendum est, ut putemus non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam.* Cujus paulo post hanc rationem subnectit : *Omnibus quippe fidelibus dictum est, nescitis quoniam corpora vestra templum in vobis sunt, ergo etiam corpora conjugatorum, fidem sibi & Domino servantium.* Porrò impedimentum, quod Apostolus in hoc statu conjugali esse agnovit, quo minus ad majorem sanctitatem, cui recipiendæ Virgines & viduæ magis sunt dispositæ, conjuges pertingere possint, hisce ab eodem verbis propriissimè tangitur : *Quæ nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Id quod in sententia S. Anselmi declaravimus : *Minor est enim divina sanctitas ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas.* Verum enimvero evidenter nobis in præsenti discursu probandum incumbit, non solum omnem delectationem, verum etiam vel minimam illius umbram ab hac sancta alienissimam fuisse. Unde in Bulla de ipsa legimus : *Illa verò haud desiit nupta cogitare, quæ Dei sunt.*

3. *Sancta corpore, propter castitatem*, interpretatur Oecumenius. S. Augustinus in eodem libro paulo ante citato, multis affirmat quam grata & accepta Deo sit castitas conjugalis, & dicit, quod, sicut Joannes, qui sanguinem suum non fudit, non est inæqualis in merito à S. Petro, qui crudelem sub tyranno mortem sustinuit : *Sic non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios generavit.* Unde concludit, quod non magis in Dei gloriam, & obsequium redundarit cœlibatus Joannis, quam Abrahæ matrimonium : *Joanne continentiam & in opere, Abraham vero in solo habitu habebat.* Quantum igitur castitatem S. Franciscæ Deo placuisse credemus, quæ ab omni voluptate humana alienissima fuit, utpote quam statui & vocationi conjugali velut speculum & exemplar continentiæ in Ecclesia sua Deus elegerat ? *Voluntas Dei erat, ut conjugali statui.* Perfectionis Grande Documentum Daret. S. Hieronymus de Virginitate scribit : *Illa Virginitas hostia Christi, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit.* Quibus in verbis (liceat id mihi dicere) ad vivum nobis delineata fuit castitas immaculata Franciscæ. Illa etenim ex propria voluntate in statu Virginali perseverare, & huc religiosum statum conjungere elegit : *Christo Virginitatem consecrare, & monasterium ingredi proposuit.* Sed cur sanctum hoc propositum teipsa non adimplevit ? Nimirum ut victima Christi fieret, sponsoque suo cœlesti, cui intimè unita & conjuncta erat, de semetipsa gratum sacrificium offerret, idque tanto perfectius, quanto *melior est obedientia quam victima. Sancto proposito hujusmodi convenienter vivendo* (id est, Virginitatis & religionis) *quasi solitariam vitam agebat, & tam in cœlis conversari incipiebat.* Quia tamen tanquàm sponsa agni immaculati, contestari cupiebat, se ei in omnibus perfectè subjectam esse, per vinculum matrimoniale se sponso terreno adstrinxit, postquam hanc expressam Dei voluntatem esse cognovit : *Verum quia voluntas Dei erat ut conjugalis status &c.* Porrò S. Hieronymus ad Celantiam scribens, aptius ad præsens propositum loqui non poterat, dum ait : *Ut cognita Dei voluntate inter honores sæculi & divitiarum illecebras morum magis diligas suppellectilem, atque ut possis in conjugio placere, sed etiam ei qui ipsum indulsit conjugium.* Nec tamen ob id se unquam à sponso suo cœlesti separavit, utpote cui puritas ejus in isto statu, ad quem ipsemet eam, per particularem providentiam, ob finem jam dictum elegerat, magis placebat, quàm si in statu Virginali permansisset. Enimvero valde considerabilis est propositio illa, quæ ab ore tam sapientis ardentisque honestatis suæ zelotypæ Virginis, qualis, ut in discursu præcedenti diximus, Lucia Virgo fuit, emanavit : *Si invitam jusseris violari*, inquit ad Tyrannum, *castitas mihi duplicabitur ad coronam.* E quibus verbis, ni fallor, clarè deducitur, quòd si daretur casus, in quo corpus Virginis alicujus violaretur, remanente nihilominus illibata mentis integritate, cum proposito nulli prorsus delectationi consentiendi, quin potius haberetur infinita quædam ergo actum venereum nausea, in tali casu virtus & meritum castitatis nequaquam amittatur, sed reduplicetur potius. Nunc igitur ad propositum nostrum hoc modo discurramus : S. Francisca contra suam voluntatem, imò cum excessiva repugnantia, quoad sensum & incli-

In bulla Canoniz. Cap. 22.

In Bulla.

In Bulla. Cont. Jovin.

In Bulla.

1. Reg. 15. 22.

Lib. 2. epistola 20.

inclinationem suam naturalem, per vinculum matrimonii adstricta ligata fuit, tantum ut obediret Deo, qui id ei per parentes suos, & Patrem suum spiritualem, præceperat. Etenim in contractum quidem maritalem nunquam verè, ne quidem per imaginationem consensit, aut cor suum inclinavit in aliquam carnis sensualitatem aut voluptatem illius status, quantumvis illa honesta censeri posset, etenim à status illius spinis quidem transfigi placuit, illius tamen rosas olfacere semper abhorruit. Cur igitur castitatis virtutem in ea per statum conjugalem auctam & duplicatam fuisse, dicere dubitabimus, si in eo statu *cogitavit semper, quæ Domini sunt, ut esset sancta corpore*? Certissimum autem est, *nunquam fuit ab ea cogitata voluptas*, quodque nec *ejus mentem cogitatio, nec carnem libido macularit*; quia Ecclesia, cui infallibiliter assistit Spiritus sanctus, dum de hoc sanctæ nostræ sponsalitio per specialem Dei voluntatem contracto agit, postquam declarasset, quod

In bulla. *nupta non destit, cogitare, quæ Dei sunt*, protinus conjugium ejus illustri hoc titulo adornat, dum ait: *In*

In 1.Cor.7. *sancto & immaculato conjugio fieri non potest* scripserunt S. Anselmus & Beda, *ut sanctificato spiritu, non sit sanctum etiam corpus, quo sanctificatus utitur spiritus*. Atque ideo si immaculatam animæ ejus integritatem probaverimus, facile erit insuper credere, quod *nec carnem libido maculavit*. Enimvero omitto hoc loco ingeniosas illas adinventiones, quibuscum castissimum corpus suum omnis voluptatis, & sensualitatis incapax & insensibile reddere studuit. Hoc unicum dixisse sufficiat, quod à consortio conjugali talem semper horrorem in se persenserit, ut ob infinitam quasi nauseam & aversionem vivum persæpè sanguinem evomuerit; unde maritus ejus compassione commotus, domusque suæ successionem jam stabilitam videns, facile acquievit, ut ab hoc eam vinculo liberam pronuntiaret. Apo-

Eph. 5. 3. stolus ad Ephesios scribit: *Fornicatio & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo*: atque ideo cogitate, qualis fuerit Franciscæ sanctitas, & quam immaculata honestas, cui ad unius duntaxat minus honesti verbi auditum stomachus movebatur, quæque alienæ impudicitiæ fœtorem è longinquo sentiens, adeo excessivam inde persentiscebat pœnam & afflictionem, ut sæpe velut semimortua esse visa fuerit. Verum enimvero ad hoc, ut de puncto aliquo adeo essentiali nequicquam dubitare possumus, ipsamet Bulla Apostolica omnem nobis dubietatem eximere voluit; hæc autem certiores non facere intendit, quod, dum circa ipsam de hac puritatis virtute agitur, cum nobis de ipsa formare debeamus conceptum, ac si nullum unquam maritum sibi conjugali vinculo alligatum habuisset, quod idem est, ac si diceret, eam suam, tam quoad corpus, quam quoad animam virginitatem conservasse. *In sancto & immaculato conjugio virum habuit, tanquam non haberet*. Insuper considerandum est, quod in initio ejusdem bullæ aliarum virtutum in genere mentio fiat, specialiter autem nominetur ejus castitas, utpote quod in ea specialiter plus quam in omnibus aliis eluxerit. *Renovans Dominus castitatis, & multarum excellentium virtutum vetusta Romanarum mulierum fidelium exempla.*

4. *Sancta corpore*. Doctissimus Salmeron hæc eadem Apostoli verba exponens, aptius ad propositum nostrum dicere non poterat, quam sequentibus verbis: *Corpus sanctificatur per animum sanctum, animus vero pœnitentia, oratione, & meditatione divinorum operum, & adhæsione cordis cum Christo; corpus vero peculiariter per jejunium, vestis asperitatem, vigilias, peregrinationes ad loca sancta sanctitatem induit*. Subjungit tamen: *Hoc autem præconium non tribuitur à Paulo mulieri nuptæ*. Et ratio est, quia statum hunc tantæ perfectionis difficulter capacem esse existimabat. At verò in vita S. Franciscæ non tantum viduali, sed etiam conjugali hanc sanctificationem ad vivum expressam invenimus. Et quidem inprimis *pœnitentiam*, quia ita amarè peccata sua deplorabat (licet Historia ipsam nullum unquam peccatum grave commisisse dicat) ut Pater ipsius spiritualis timens, ne ob continuum planctum visum hebetaret aut penitus amitteret, hanc illi prohibuerit, dicendo ei, se omnia peccata ipsius animæ suæ propriæ vendicare velle. Ex ejusdem quoque Patris spiritualis obedientia juncis intextis indormiens; paleam quoque seu stramen insuper adhibere debuit. Quotidie pectus suum centies pugnis graviter percutiebat: testibus, quibus acuta & serrata ferra inserta erant, quibus sanguinis rivi è corpore eliciebantur carnem suam castigabat. Secundò verò adhibuit *orationem, & meditationem*. Hæc etenim adeo ei familiaris fuit, ut jam à primis annis in cœlis conversari inceperit. Glossa quidem super hunc Apostoli textum ita scribit: *Impedit conjugium jugitatem orationis*: In nostra tamen sancta dictum hoc suam patitur exceptionem, cujus vita non nisi continua quædam fuit contemplatio rerum divinarum. *Cui diversorium in templo* (inquit de S. illa Phanuelis Anna vidua S. Ambrosius) *colloquium in prece, vita in jejunio, quæ dierum noctiumque temporibus, indefessa devotionis obsequio cum corporis agnosceret senectutem, pietatis tamen nesciret ætatem*. Id quod in S. Francisca vel maximè admirationem merebatur, hoc fuit, quod videlicet continuis orationibus suis, nullum unquam vel minimum regimini & curæ familiari domus suæ causaverit præjudicium. Corpus suum perpetuo quodam & nunquam intermisso rigorosissimo jejunio sanctificavit, à vino, carnibus, ovis, & lacticiniis semper abstinendo, & vix se lupinis vel etiam herbis absque ullo condimento præparatis reficiendo. Quod autem victus asperitatem attinet: *Sive vigilaret, sive dormiret, asperum laneum induscum non exuebat, duroque cilicio ac ferreo cingulo super nuda membra mortificabat*. Hoc autem cilicium duplicatum erat, sub hoc vinciebatur cingulo è pilis equinis contexto, nec non & circulus ferreus, qui lacerum & extenuatum ejus corpus pluribus in locis dirumpebat. Vigiliæ ipsius continuæ erant, siquidem post longa cum spiritibus immundis & rebellibus habita certamina, frequentiaque ab iis, singulis quasi noctibus, vibratis in illam catenis, recepta verbera duabus tantum horis somno indulgebat. Peregrinationes quoque ad loca sancta frequentes ei erant, nam præter pedestre iter, quod versus S. Franciscum Assisinatem confecit, ad visitandas septem almæ urbis Basilicas, nec non ad alia ejusdem Civitatis sacra loca se recipiebat.

lib. de vid.

In Bulla.

5. *Sancta Spiritu*. Addit Oecumenius: *Propter familiaritatem ad Deum, Spiritus paracleti inhabitationem*. Etenim hujusce familiaritatis visiones, revelationes, raptus, extases, & colloquia cum Deo ipso frequentissimè habita evidens perhibent testimonium, idque tanto magis, quia id, quod nos quoad hoc scimus, licet multum sit, tamen idipsum ex sola notitia ab ultimo suo confessario à tribus tantum annis & non ultra accepta habemus. Evidens quoque hujus familiaritatis indicium est, quod puerulum Jesum, uti diximus, pluries inter brachia sua strinxerit, quodque caput suum in sinum sanctissimæ matris ejus reclinaverit, quod item à S. Paulo perducta fuerit ad videndum, quomodo se sacrosancta Christi humanitas secundæ sanctissimæ Triadis personæ uniretur; quod etiam demonstrata ei fuerit cœlestium Angelorum creatio; quod denique ipsammet incomprehensibilem divinam essentiam viderit, eo tamen modo, quo illius pura quædam creatura, in hac præsenti vita, capax esse potest *Sancta per Spiritus paracleti inhabitationem*. Possemus equidem singulos hujus sanctissimi Spiritus fructus enumerare, qui in magna hac anima ad stuporem usque resplenduerunt: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. At verò quia Historiæ ejus series illos clarè satis demonstrat, sufficiet dicere, quod omnes aliæ gratiæ, omnia dona, omnia ejusdem spiritus privilegia ipsi nequaquam defuerint: siquidem alieni cordis reconditissima secreta penetrabat, multos vaticinabatur futuros eventus, spirituum miram habebat discretionem, altissima quadam divinorum mysteriorum sapientia dotata erat, multa, eaque prodigiosa valde operabatur miracula. Gal. 5. 23.

6. *Sancta. Id est* inquit Dionysius Carthusianus. *virtutibus perornata*. Solida enim & vera sanctitas in Christianarum virtutum exercitio & habitu consistit. Potuit igitur in veritate, dicere: *Omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi; quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi*. Illud tamen ornamentum, quod ipsam in cœlestis sponsi sui conspectu adeo reddebat venustam, nequaquam contempsit, quin potius omni adhibita industria sibi comparare studuit. *Sancta, id est, virtutibus perornata.*

ta. Et quidem si de virtutum omnium Regina, charitate videlicet; *major autem horum est charitas*, agere velimus, utpote quæ unica est sanctitatis animæ cujuspiam mensura, ad hoc ut securè credere possimus, hanc in ipsa, in gradu valde eminenti scintillasse, Deus in ultima ipsius infirmitate, catenam quandam igneam, eam videre fecit cœlum tangentem, cui ipsa alligata erat, & eadem catena in terram descendens, ingenti cuidam flumini ibidem immergebatur; sub qua visione dici sibi audivit, catenam hanc ardentissimum ipsius denotare amorem, quo quovis tempore erga cœlestem sponsum suum exarcerat. Unde de ipsa scribitur: *Currens per arduas Christianæ perfectionis semitas, in odorem unguentorum sponsi*. In die S. Joannis Apostoli, qui cum hoc eodem Divino amore absorptus semper fuit, ab eodem hoc Apostolo, donatus ei fuit quadam ex rosis candidis & rubicundis aliisque coloribus tinctis congestus manipulus, in quo etiam violæ visebantur. Rosæ candidæ puritatem denotabant, rubicundæ verò charitatem, variegatæ denique cordis ejus præparationem, ad exequendam Dei voluntatem: Tandem verò violæ fidem & humilitatem innuebant: cumque manipulum hunc Archangelo suo conservandum & custodiendum consignasset, tandem anno illo evoluto eundem sanctissimo puero Jesu munusculi loco præsentavit, sicque in pretiosissimas gemmas fuit transmutatus, quasi demonstrare voluisset, flores istos, qui virtutes ejus denotabant, fuisse veluti quasdam valoris inæstimabilis gemmas, quæ magnam ejus animam mirum in modum locupletabant.

In bulla.

Lib. de vid.

7. *Virtutibus perornata* S. Ambrosius de statu viduali tractans, dicit: *Fœcunda vidua prole virtutum, meritorumque suorum sobole, quæ perire non possit*. Enimvero hanc virtutum prolem in sancta nostra, non solum pro eo tempore, quo vidua, sed etiam quo conjugata fuit, clarè conspicimus, adeo ut in ea in statu illo matrimoniali meliorem illarum virtutum partem agnoscere possimus, quas Apostolus in sanctis illis venerandisque viduis requirebat, quas ad Timotheum scribens, ab eodem in æstimatione & veneratione debita haberi voluit: *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt*. Ubi interpres quidam modernus ait: *Verè viduæ erant ætatis & sanctitatis professione honorabiles, erant quasi matres & præfectæ aliarum fœminarum*. Talis ad unguem fuit S. Francisca, etiam dum esset conjugata. Septem autem virtutes, in speciè, dicit idem Commentator, S. Paulus in hisce tanta perfectione præditis viduis requisivit, sive jam acquisitas sive mox acquirendas. Prima est, pia educatio & familiæ suæ regimen. Secunda est, pietas erga parentes. Tertia, confidentia in Deum post mortem mariti. Quarta, assiduitas in oratione. Quinta, fuga omnis voluptatis & delitiarum. Sexta, ut sit irreprehensibilis. Septima deditam esse operibus bonis, maximè verò operibus misericordiæ. Quæ virtutes ex illis præcipuè verbis eliciuntur: *In operibus bonis testimonium habeat, si filios educavit: si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est*. Examinemus autem breviter, qualiter sancta nostra omnes hasce virtutes adimpleverit. Et quidem quoad primam S. Augustinus de bono conjugali scribit: *Bonum ergo sunt nuptiæ in quibus tanto meliores sunt conjugati, quanto castiores ac fideliores Deum timent, maximè si filios, quos carnaliter desiderant, etiam spiritualiter nutriant*. Ad quem sublimem verò pietatis gradum ipsa filios suos educaverit, vel ex hoc solo clarè liquet, quod unus eorum, qui postquam nonum ætatis annum attigerat, mortuus est, prophetiæ dono claruerit, siquidem suammet mortem, paulo post secuturam, Animam vero suam in medium Angelorum à sanctis Patronis & advocatis suis deportandam esse prædixit, prouti reipsa quoque accidit. Agnes itidem filia ejus, hanc à Deo revelationem accepit, fore nimirum futurum, ut Deus illam in sponsam suam eligeret, & certo die sibi pariter revelato, ad cœlestes usque nuptias introducturus esset. Porrò quod debitum erga superiores & Parentes respectum & reverentiam attinet, hanc manifestè satis in eo declaravit, quod Confessario & Parentibus suis, propria voluntate sua abnegata, matrimonii vinculo se, licèt invitam adstringendo, perfectissimè & ad unguem usque obtemperaverit. Tertia autem utitur scilicet concepta post mariti mortem firma in Deum spes

1 Tim. 5. 3.

Corn. a lapide.

To. 6. c. 14.

& fiducia, in sancta nostra mirè resplenduit, dum se in statu viduali magis quam alias unquam Divino se servitio mancipavit, in Oblatarum monasterium paulo ante à se erectum se subducendo. Quarta etiam virtus, scilicet ejus in oratione tam mentali quam vocali assiduitas probatione non eget. Quinta nimirum omnium delitiarum horror & abominatio, singularis in ea fuit, tam in victu quam in vestitu, & in quacunque demum civili conversatione, adeo ut verè de ea dici potuerit quod S. Ambrosius de Judith scribit, dicens: *Vestem jucunditatis deposuit* (accepta nimirum à marito suo id faciendi licentia) *mœrori assumpsit*; siquidem instar vilis cujusdam ancillulæ sese vestivit, *per omnes dies intenta jejunio*. S. Augustinus de bono viduitatis ita scribit: *Delitiæ igitur spirituales* (inquit sanctus) *delitiis carnalibus in sancta castitate succedant*. Quæ verba de S. Francisca optimè verificari poterant, utpote quæ delitiarum, voluptatumque mundanarum, vel solum & nudum nomen ignorabat: Econtra verò in eodem statu illas persæpe experta fuit delitias, quas paulo post recenset, scilicet: *Lectionem, orationem, psalmum, bonam cogitationem, bonorum operum frequentationem, spem futuri sæculi, & cor sursum*: omnibus namque hisce delitiis sancta nostra abundè perfruita fuit. Sextam quoque conditionem vel virtutem, quam Apostolus hisce verbis: *Ut irreprehensibiles sint* expressit, perfectè adimplevit; siquidem licèt malignorum impietas in conversationis ejus consideratione lynceos oculos adhibuerit, ne vel minimum tamen in illa notare potuerit perperam facti alicujus vestigium. Potuit detestabilis illa Pharisæorum invidia vel in ipsomet vero Justitiæ sole aliquas calumniosæ malitiæ exsuscitare maculas, & tamen in tot annorum, quibus vixit decursu, nullus unquam illam vel minimæ culpæ aut imperfectionis arguere præsumpsit. Ecquis est, quem non in summam admirationem rapiat rigida illa, quam de otiosi alicujus verbi prolatione sumebat, vindicta, dum pugnis labia sua ad copiosi sanguinis effusionem usque contundebat, aut exte[...] in Crucis formam brachiis, in terram prostrata, os suum ad pavimentum dirè admodum allidebat, donec oculi lachrymas, os verò ex forti hac allisione cruorem ubertim stillaret. Denique in ultima pariter virtute supra à nobis insinuata perfectissimè se exercuit, *in operibus bonis testimonium habens* præcipuè verò in operibus misericordiæ tam spiritualis quam corporalis. Quoties enim ipsa infirmis non solum de victu, remediis, famulantium obsequiis, continua assistentia, habitatione, in propria domo & alibi eisdem indulta, verum etiam in periculoso pestilentiæ tempore, de sacerdotibus, sacramentis, cunctisque aliis subsidiis spiritualibus, erogatis iisdem ex ære proprio, congruis stipendiis abundè providit? Ipsammet eodem summo cum affectu invisens, illos ad peccata sua per sacramentalem exomologesin confitenda, & detegenda, utque in Divinam voluntatem omnino resignati morerentur, summa cum industria disponebat. Porrò S. Ambrosius observat, viduas vel maximè ad compassionem inclinatas esse, atque ideo Deus Eliam magnum Carmeli Patriarcham, in ingenti illa annonæ caritate ad viduam Sareptanam dimisit, quæ etiam ut sanctum Prophetam non nihil reficeret, semetipsam & filium suum, modica illa farina privare non dubitavit: *Magnum pietatis officium, sed Religionis uberius, cui non exiguum victum, sed vita sua omne subsidium existimanda est detulisse, quæ nihil reliquit sibi, tam hospitalis, ut totum daret, tam fidelis ut cito crederet*. Sancta nostra non jam vidua sed etiamnum conjugata, sibi aquam loco potus usurpans, optimum infirmis vinum, quod habere poterant, distribuebat, quod proinde in doliis persæpe ingenti cum miraculo visum est adaugeri: ipsamet pariter manu sua propria cibos lautissimos, ad infirmorum esuriem pellendam coquens, præparabat, pannos eorum lineos & laneos lotos & mundatos repetiabat: ponderosos itidem lignorum fasces in capite suo deferebat, ut iisdem, in gelidissimis hyberni temporis rigoribus subvenire posset; hisque misericordiæ operibus, ipsa se, in totius Romanæ urbis facie, per solidum triginta annorum spatium diligentissimè impendit. Hicque fuit verborum illorum sensus: *Sic omne opus bonum subsecuta est*. S. Hieronymus legit, *prosecuta*: Syrus & Vatablus legunt: *fuit assidua*; in omnibus etenim hisce Christianæ pietatis operibus perseverans semper & in-

L. de vid.

To. 4. a. 21.

L. de vid.

Luc. 2. Zacch.

desessa

In Lusiaca cap. 144. defessa permansit. Unde encomium Olympiadi à Palladio datum eidem quoque attribuere possumus, dicendo: *Aegrotos invisens, peccatorum miserans, errantes in viam reducens, in omnes utens misericordia. Si sanctorum pedes lavit, inquit Apostolus.* Ubi Glossa ait: *Prædicatorum, quos tunc suscipere periculosum erat*; Sancta nostra obsequium istud & devotionem suam, Religiosis, quos domi suæ frequentes habebat, coram ipsis genuflexa, & prono in terram capite, oculisque demissis prostrata exhibuit, Christi personam in eis venerando, eisque in platea fortuito obviis profundissimè inclinando, hancque eandem reverentiam, filiabus suis satis in testamento præcipiendo. *Tribulationem patientibus subministravit.* Hugo Cardinalis addit, *in carcere.* Chrysostomus verò ad nostrum propositum longè melius ait: *Hic corporalem famulatum injungit, ut sterneret lectum, & hujusmodi.* Ipsa etenim in carceribus vinctos visitans, eosdem consolabatur & subveniebat ipsis; infirmorum verò in publicis. Hospitalibus lectos præparabat, in vilissimo quovis munere eisdem inserviendo, fiebatque in necessitatibus & infirmitatibus cunctis omnium servorum suorum ancilla.

8. *Sancta corpore & spiritu.* Enimvero sicuti optimè Poeta ille dixit: *dicique beatus ante obitum nemo, supremaque funera debet.* Ita huic quoque sanctæ contingit, quod dum jam exspirasset, duo illius temporis sanctissimi viri & celeberrimi in urbe Romana prædicatores, nimirum B. Joannes de Capistrano, & S. Bernardinus Senensis, eam, dum corpus ejus adhuc insepultum populo spectandum exhibebatur è publicis suggestibus sanctam & Canonizationis honoribus dignissimam proclamarint.

In S. Francisca demonstrantur insigniora veræ fortitudinis encomia, simulque ostenditur, ipsam verè esse mulierem illam fortem, quam Sapiens solicitè quæsivit.

DISCURSUS TERTIUS.

Mulierem fortem quis inveniet? Prov. 31. v. 10.

1. QUodsi unquam in debiliori sexu mulier quædam fortis inveniri potuit, ea utique in illo potissimum climate inventa fuisse censebitur, cui Mars plusquam omnibus aliis regionibus nominatur: optimè enim Generosus ille Athleta Romanus: *agere & pati fortia Romanum est.* Roma igitur inter cunctas alias mundi urbes in hoc præcipuè gloriari potest, quod enixa sit, atque in sinu suo piè educaverit veluti filiam suam, generosam illam fortemque mulierem, quam à tot retro sæculis Sapiens, tam anxiè quæsivit. Qua quidem in re certus sum, quod extra omne verser erroris periculum; neque enim veridica illa S. Petri Cathedra mentiri potuit, quando in Bulla Canonizationis S. Franciscæ expressè declaravit, ipsam verè esse mulierem illam fortem, quæ virtutum, & heroicorum facinorum suorum splendore Romam non minus quàm universam illustravit Ecclesiam: *In ornamentum totius domus suæ, Ecclesia universa suscitavit mulierem, vera fortitudine fortem, Franciscam nomine.* Porrò eximia hujusce generosæ virtutis encomia, quæ sparsim à sacris annotantur Doctoribus, in hac maxima sancta, omnia simul velut in brevi quodam compendio epilogata reperiemus. In Bulla.

2. *Vera fortitudine fortem.* Sanctus Ambrosius ait: *Nec sola tamen castitas corporis viduæ fortitudo est, sed magna & uberrima disciplina virtutis.* Porrò ad hæc Christianæ fortitudinis encomia perfectius declaranda, omnia illa virtuosa subjunxit opera, in quibus sanctam sese exercitasse præcedenti discursu probavimus: *Quæ in operibus bonis testimonium habeat, si filios educaverit, si hospitio receperit, si sanctorum pedes laverit, si tribulationem patientibus subministraverit, si postremò omne opus bonum fuerit subsecuta.* L. de Vid.

3. *Vera fortitudine.* Sanctus Augustinus super illa verba Psalmi: *Induit Dominus fortitudinem*, ita ait: *Omnis fortitudo in humilitate quia fragilis omnis superbia.* Hocce humilitatis fundamentum, ad illam usque profunditatem proportionabiliter effossum in ea fuit, quæ sublimitati ædificii spiritualis, quod in seimet ipsa erexerat, correspondenet. Etenim sanctus Bernardus scribit: *Humilitatis virtus habet hæc tria superiori subdi, æquali non præferri, minori potius subdi quam præferri.* Sancta autem nostra omnes gradus præfatos animosè conscendit. Eo etenim respectu & reverentia maritum suum prosequebatur, quod dum sub officii recitatione ab eo vocaretur ipsa confestim locum, ad quem legendo pervenerat, obsignaverit, atque officium interruperit: Dumque à marito reversa officium denuo resumpsisset, iterato à marito vocata, omnia denuo sicut prius intermisit, idque quatuor diversis successivè vicibus accidit. Hicque sanctæ nostræ erga dilectum conjugem suum respectus & reverentia, cœlesti sponso ejus adeo gratus extitit, ut effecerit, quod ad officium suum resumendum quarta vice reversa, Antiphonam illam, quam interruperat, aureis literis exaratam invenerit. Quam etiam profundam sacerdotibus in via sibi fortuitò obviis genuflectendo exhibuerit reverentiam, superiori discursu ostendimus. Denique æqualibus tantam semper humilitatem exhibuit, ut in triginta octo annorum curriculo, quo una cum cognata sua vixit, tam reverentialem ei respectum semper detulerit, ut ne vel minimum inter ipsas controversiæ vestigium suscitari vel minimo verbo contentioso potuerit. Demum erga sibi inferiores adeo humilis extitit, ut sæpenumero ad imitationem S. Martini servis & ancillis domus suæ obsequiosissimè ministrarit. In Ps. 92. In sentent.

4. *Vera fortitudine.* Sanctus Hieronymus de mansionibus populi Dei in Etham ad Fabiolam ita scribit: *Etham nobis sonat fortitudo atque perfectio, de qua & David canit: Tu dirupisti fluvios Etham, id est fortes.* Et mox subjungit: *Grandis est fortitudo Aegyptum dimittere, & in extrema solitudine commorari.* In sexu adèo fragili & vanitatibus dedito, quandam inveniri, quæ in statu conjugali in summo delitiarum, honorum, divitiarumque culmine constituta, nobilisque & juvencula existens, secretos semper & solitarios amarit recessus, quæque in media urbis Romanæ Ægypto haud secus ac in solitudine quadam vixerit, grandis utique hæc est fortitudo. Porrò de generosa illa & invicta amazone à Sapiente nobis proposita dicitur, quòd *manum suam misit ad fortia.* Cur ita? Num fortè ferrum pugnandi causa corripuit? aut fortasse altera quædam Debora exercituum Archistratega esse voluit. Nequaquam, quin potius id, in quo tanta ejus fortitudo consisteret declaraturus, ipsam *manum suam ad fusum extendisse* dicit: *Digiti ejus apprehenderunt fusum*; ut per hoc nobis innueret, in hoc sexus istius validitatem quam maxime illucescere, quando se ad solitariorum recessuum amantes esse probant. S. Philippus Nerius die quadam interrogatus, cur præ cæteris pœnitentibus suis Martham Spoletanam, quam maximè diligeret, respondisse fertur: Quia ipsa fila ducit, insinuare volens, eam familiæ suæ gubernandæ deditam esse, & raro admodum foris extra domum conspici posse: Porrò S. Francisca non unam, sed duas sibi fabricavit Thebaides, in quibus sola cum solo Deo suaviter conversari & loqui posset, quarum unam in superiori domus suæ fastigio, alteram verò in quodam horti sui antro seu subterranea specu sibi erexerat. *Illecebras abhorrens solitudine magnopere capiebatur.* Prov. 31. 13 In Bulla.

5. *Vera fortitudine fortem.* Idemmet sanctus Hieronimus Demetriadi hunc in modum scribit: *incredibilis animi fortitudo inter gemmas & sericum, inter eunuchorum & puellarum catervas, & ministeria familiæ perstrepentis, & exquisitas epulas, quas ampla domus præbebat abundantia, appetisse eam jejuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam.* Magnam etenim sibi inferre violentiam, seque ipsum generosè vincere debet, qui in lautissimorum ciborum abundantia in pane & aqua jejunat, & lupinis & herbis vix famem suam exsatiat, prouti sancta nostra faciebat. *Incredibilis animi fortitudo est* si quis ex opulento vestimentorum reconditorio pungentia & rudia expromere cilicia norit, suumque collum, loco torquis aureæ, ferrea catena oneret, & latera acutissimis pungentibus stimulis circumcingat. L. 2. ep. 18.

6. *Vera fortitudine.* Sanctus Joannes Chrysostomus de Job scribit: *Postquam omnia amisit, tunc factus est fortior, & claram contra Diabolum victoriam reportavit.* Hom. 2. ad pop.

vit. Fortior autem robustiorque, fortis hæc nostra & generosa mulier fuit, quæ dum in summa divitiarum abundantia, per generosum rerum terrenarum contemptum pauperrimè vivendo innumeras adversus totum infernum, in suam perniciem conjurantem retulit victorias. Quam etiam animi fortitudinem satis probavit, quando sancti Jobi exemplo *omnia amisit: viri exilium,* In lect. *bonorum jacturam, ac universæ domus mærorem non modo constantissimè toleravit, sed gratias agens cum B. Job illud frequenter usurpabat: Dominus dedit, Do-* L. de Vid. *minus abstulit sit nomen Domini benedictum*. Sanctus Ambrosius Juditham ex jejunio fortificatam & roboratam esse dicit, quando detruncato Holofernis capite omnem ejus exercitum in confusione redegit: *Quotidianis roborata jejuniis*, quod idem in sancta Francisca ad literam verificatur. Verum enimverò quoad statum vidualem Sanctus ulterius subjungit: *Esto vidua temperans, casta primum à vino, nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent*. Porrò truculentissimi quidem, nec unquam interrupti fuere, quos inimicus infernalis ei intentavit insultus, at verò semper ipsa victrix permansit, quia fuit *roborata jejuniis & casta primum à vino*, utpote quod nunquam nisi semel, dum graviter infirmaretur, per formale obedientiæ præceptum à Confessario sibi impositum, incredibili cum nausea bibit.

L. 17. mor. cap. 27. 7. *Vera fortitudine fortem*. Nulli ignota est consideratio illa, quam sanctus Gregorius circa Regem Davidem instituit. Non tam miror, inquit hic Sanctus, victorias & triumphos, quos de inimicis suis retulit, quàm saltus & tripudia, quæ instar hominis cujusdam plebei ante arcam instituit, *Quid de ejus saltis ab aliis sentiatur, ignoro, ego David plus saltantem stupeo, quam pugnantem*. Et mox hujus rationem reddit dicens: *Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem semetipsum vicit*. Nos quoque de hac sancta nostra dicere possumus, quòd non tam ob infernum devictum admirandam se fecerit, quam quia inter derisiones, sannas, & ludibria hominum mundanorum constans & immobilis permansit, quando instar vilis cujusdam rusticæ, asinum ante se agendo, urbem Romanam perambulans, integram post se petulantium & ridentium puerorum turbam lignorum struem in capite suo, in pauperum subsidium deportans, circumduxit, quando etiam ad valvas Ecclesiarum ad subventionem pauperum eleemosynarum stipem corrogavit, & inter intolerabiles Hospitalium fœtores, gaudens conversata fuit. *Semetipsam vicit* quando omnem fastum, pompam & vanitatem, unicum illius sexus elementum, pedibus substratam conculcavit seque adeo heroico sui ipsius contemptui consectando addixit.

8. *Vera fortitudine fortem*. Jacobum Patriarcham Spiritus sanctus viri fortis titulo egregiè honoravit: Gen. 32. *Contra Deum fortis fuisti*. Imò & in Osea de eodem pariter scriptum legitur: *In fortitudine sua directus est cum* Ose. 12. 4. *Angelo & invaluit*. Quonam autem modo, vel qua in re hanc suam fortitudinem & robur manifestarit, Sanctus Cyrillus Alexandrinus declarat, dicens: *Prævaluit in Deum non quasi cum Deo pugnans, sed obediens potius, & velut superior & victor, quòd jussa impleret*. Quisnam autem ex hoc eodem capite unquam sancta Francisca fortiori inveniri potuit? Audite obsecro insignia aliquot obedientiæ ejus trophæa. Paulò ante insinuavimus, quòd, licèt vinum ne primis quidem labris, ut ajunt, unquam delibarit, attamen postquam Confessarius ejus illi infirmanti, ut ab hoc rigore saltem in eo malæ valetudinis statu remitteret, præcepisset, ipsa confestim ei sine ulla contradictione obedivit: veruntamen cùm ob illatam sibi in eo actu violentiam tribus diebus continuis, pœnosissimis facta fuisset vomitibus obnoxia, nunquam audita est de præstita Confessario obedientia pœnitere, aut conqueri. Quodam die Veneris sancto, Confessarius ei versus Basilicam sanctæ Crucis in Hierusalem contendenti præcepit, ut adeo suos in terram oculos demitteret, ut omnem sibi quenquam ex obviis aspiciendi facultatem adimeret; contigit autem, ut dum Basilicæ sancti Joannis Lateranensis vicina esset, duo feroces & furibundi juvenci ruptis loricis seu vinculis ei occurrerent, quos licèt omnes effugere quærerent, ipsa tamen, ne impositam sibi prævaricaretur obedientiam, ne oculos quidem in altum extollere præsumpsit, unde Deo providenre factum est, ut duo hi juvenci sesocientes instar mansuetissimæ ovis ad pedes ejus sese prostraverint. Aliàs quoque in extasi constituta, licèt ad quamvis rem aliam sensibilis esset, attamen ad unicum Confessarii verbum vel minimum ejus nutum promptè respondebat, ambulabat, omniaque quæ illi præcipiebantur, indilatè perficiebat; cumque idem ejus Confessor ei, ne è loco, in quo erat, discederet, præcepisset ac demum ab illa recedens, impositi ei præcepti oblitus fuisset, ipsa multo tempore uni eidemque loco insistens, ne latum quidem unguem inde se movit, cumque è domesticis non nemo fingeret Confessarium ei, ut quieti se committeret, demandasse, ipsa id falsum esse cognoscens, tota nocte sequenti firma & immobilis eodem in loco perstitit, donec Confessarius illucescente diluculo ad ipsam mittens eam è loco discedere jussisset, quo facto ab extasi sibi denuò mox restituta fuit. Cùm Tyrannus filium ejus, ut eum veluti obsidem & captivum Neapolim abduceret, ab ea extorsisset, ipsa sese unà cum charissimo viscerum suorum pignore, in latebras quasdam abscondit, cùm verò Confessarius ei præcepisset, ut ipsamet suis manibus filium suum eo perduceret, & inimici manibus & potestati consignaret, ipsa veluti vera obedientiæ Abrahamiticæ æmulatrix (qui, ut scribit sanctus Ambrosius, filium suum tanquam immolandum sacrificium in montem usque perducens: *Non doluit, nec flevit, sed ubi audivit Divinitatis oraculum; non distulit sacrificium, sed maturavit obsequium*) ne vel minimo verbo se Confessario id præcipienti opposuit, sed velocissimo gressu in Capitolium sese contulit, ut ibi tam insignem devicti materni amoris victoriam spectandam exhiberet. *Ostendit*,) inquit Chrysostomus) *Abraham, charissimum quidem sibi esse filium,* Ser. de fide Abrah. *sed multo chariorem filio existere Dominum: nec dulcedinem aut affectum pignoris respiciebat, qui jussionem ut perficeret, cogitabat*. Veruntamen sicuti prompta Abrahæ obedientia Deo ita grata extitit, ut ob eam, vivum illi filium superstitem reliquerit; ita quoque S. Franciscę obedientiam remunerare voluit; filium abducendum, ei salvum & incolumem per celeberrimum illud miraculum relinquendo, quo omnes illos equos, quibus abducendus imponebatur, haud secus ac Capitolinum illum equum æneum, loco prorsus immobiles reddidit.

9. *Vera fortitudine fortem*. Sanctus Ambrosius inquit: *Revera jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque* L. 1. offic. cap. 36. *seipsum vincit, nullis illecebris emollitur atque inflectitur*. Id quod consonat cum hisce sancti Gregorii verbis dicentis: *Justorum fortitudo est carnem vincere, propriis voluptatibus contraire*. Porrò Sancta nostra sensus L. 7. mor. cap. 9. corpusque suum eo modo devicit, ut sicut in lectionibus matutinalibus de ea lectum est: *Corpus suum vigi-* In Lect. *liis, jejuniis, cilicio, ferreo cingulo, crebrisque flagellis in servitutem redigere satageret*. Ehem quàm vehemens fuit illa, quam sibimetipsi inferebat, violentia, qua se in statu suo conjugali non solùm omnibus opposuit voluptatibus carnis, verùm etiam cujusvis licèt honestæ voluptatis umbræ, idque tanta cum assiduitate, ut quemadmodum sufficienter probavimus, *nunquam fuerit ab ea cogitata voluptas*? Quænam non fuerunt ab ea adhibitæ inventiones, ne cor suum furtivè aliqua delectationis sensualis imaginatio subintraret? adeo ut in ea adimpletum fuerit, quod Sanctus Gregorius ingenti cum significatione scripsit, nimirum, quòd *propriis voluptatibus contrajerit*.

10. *Vera fortitudine fortem*. Sanctus Ambrosius illam Davidis Regis mortificationem, quà à delibanda aqua 2. Paral. 11. 17. Bethlemiticha, tanta cum aviditate desiderata, licèt eam in manu sua teneret, abstinuit, quin potius *libavit eam Domino, & noluit bibere*, hanc inquam mortifi- Apol. de Dav. cap. 7 cationem considerans ait: *Magnitudinem animi ostenderunt adolescentes, dum medios hostium armatos cuneos penetrarunt, sed majorem præbuit fortitudinem, qui contra militantem in corpore suo concupiscentiam pugnavit*. Porrò S. Francisca nequaquam abstemia fuit: quasi vinum exhorresceret, & tamen licèt excessivos pateretur stomachi languores & cruciatus, pro quorum remedio S. Paulus Timotheo præcepit dicens: *Modico vino utere propter stomachum*, ab omni prorsus vini potu 1. Tim. 5. 23. semper abstinuit. Congenitum sibi habebat corporum mortuorum horrorem, cunctaque exhorrescebat, quæ mortuorum cadavera tetigerant, & tamen ut hanc suam naturalem indolem, semetipsam mortificando, vinceret, ex mortui hominis cranio, multo tempore bibit. Stomachi ejus teneritudo & debilitas omnes abominabatur

nabatur fœtores, & tamen fœtentiffimis maximeque ftomachabundis hofpitalium infirmis, multis annis defervire non deftitit, veftes eorundem lepra, fcabie, & fanie fcatentes & rigidas propriis manibus lavit, imo ut hanc abominationem tanto efficacius vinceret, in putridam illam & fœtentem aquam, in qua veftes illas fordidas abluerat, os fuum perfæpe immergens, inde potavit, denique in hac aqua fordida & abominanda, velut in lixivio quodam vultum fuum lavit & expolivit.

L. de Vid. 11 *Vera fortitudine fortem*. Idemmet S. Ambrofius ait: *Nec fortitudo bona viduæ deeffe confuevit, hæc enim vera eft fortitudo, quæ naturæ ufum fexus infirmitatem, mentis devotione tranfgreditur: qualis in illa fuit, cui nomen Judith*. Dicite fodes, in quonam Spiritum fan- **Jud.15.11.** ctum Judithæ fortitudinem repofuiffe exiftimatis? *Viriliter egifti*. Num fortè in eo, quod pro patriæ fuæ liberatione, omnes inimici exercitus copias in confufionem & extremam perniciem redegit? Aut verò, quia fufum ferri & enfis loco manu fua arripuit? Vel quia caput Holofernis à cervice præfciderit, ejufque numerofiffiroum exercitum in fugam coegerit? Minimè gentium; fed potius ecce quia in re generofum ejus animum collocarit: *Eò quòd caftitatem amaveris*. Enimvero quanto cum ardore S. Francifca virtutem hanc zelaverit, quadantenus in difcurfu præcedenti examinavimus; præterquam quod in Canonizationis ejus Bulla legatur: *Per gratiam Spiritus fancti, naturæ ufum, & fexus infirmitatem tranfgrediens accincta robore, & in fpiritu ambulans, defideria carnis non perfecit*. Porrò matrimoniali jugo collum fuum fubjecit, ut Deo ita ordinanti fine contradictione morem gereret: Ceterum ob exceffivam averfionem & horrorem, quo ftatum iftum abominabatur, graviffimis infirmitatibus per frequenter fuccumbere debuit, cui fic infirmanti cœleftis ejus fponfus eidem curandæ S. Alexium cœlitus fubmifit. Verum dicat aliquis, quodnam in eo latet myfterium, quod ad fanctam noftram fanitati reftituendam inter omnes alias Paradifi beatas animas folum elegerit Alexium? Num forte ideo id factum eft, quod confentaneum Deus effe duxerit, ut ad Francifcam infignem & Romanam nobilem, alius pariter nobilis Romanus mitteretur velut cœleftis medicus? Nequaquam, nam ut S. Hieronymus ad Celantiam fcribit: *Apud Deum nobilitas, eft clarum effe virtutibus*. Nunquid igitur ad hunc finem magis defervire potuiffent aliæ, tam quoad dignitatis meritum, quam quoad martyrii palmam, infignes fanctæ Romanæ? Audite igitur, quidnam præcipuè in S. Alexio confideratum fuerit. Alexius etenim fuæ quidem conforti defponfatus fuit, ad literam tamen executus eft id, quod Apoftolus infinuavit: *Qui habent uxores tanquam non haben-* **1.Cor.7.29** *tes fint*. Prima etenim nocte, ut notum eft, fponfam fuam intactam dereliquit, ac tandem poft multos annos in paternam domum reverfus longo tempore, in confpectu ejus omnino incognitus vixit. Ecce tibi igitur quanam in re S. Francifca fe huic fimilem effe probarit: Ipfa quippe conjugio quidem tradita fuit, id tamen cum tanta averfione ab omni eo, quod carnalis voluptatis umbram præferebat, fecit, ut multis annis in eo ftatu vivens, **In Bulla.** uti diximus: *in fancto, & immaculato conjugio virum habuerit tanquam non haberet*. Hæc autem Sanctæ noftræ caftitas cœlefti ejus fponfo tantopere complacuit, ut illaro cuidam devotæ Dei ancillæ, ex tertio ordine S. Francifci, in oratione confiftenti, Deus ipfe in vultu divino luce confpicuo, & fplendefcenti commonftrarit; viditque virgam quandam auream de cœlo fuper conclave, in quo fancta noftra erat, defcendentem, quaquaverfum liliis aureis, quæ, uti omnibus manifeftum eft, virginitatis fymbola funt, circumdatam. Enimvero S. Bernardinus Senenfis argumentum quod- **Ser. 60.c.2.** dam de S. Francifco adducit, quod in S. Francifcæ laudem optimè retorquere poffumus, ait enim: *Quare igitur corpus beati Francifci fuit fic fignatum fpecie crucifixi, fignum eft, quod caro ejus fuit puriffima, & anima quafi Deificata*. Ubi Sanctæ hujus vitam legerimus, eam quoque hoc dono exornatam fuiffe comperiemus, quod fcilicet Chriftus crucifixus, per dolorum amariffimæ paffionis fuæ impreffionem, fe caftiffimo ejus corpori adftrinxerit.

Ser. 23. ad fratres. 12 *Vera fortitudine fortem: O fortitudo* (inquit S. Auguftinus) *omnem crudelitatem evacuas. Crucem non metuis, equuleum amplecteris*. Dicamus nos quoque Sanctæ noftræ Crucem non metuis, *Crucem amplecteris*.

Licèt enim crucifixus fponfus illius perfæpe eam præmonuerit, ut fe ad fui cum ipfo crucifixionem præpararet propter hoc illa animo fuo minimè defpondit, imo omnium mihi perfuadeo, quòd intra femetipfam dixerit *Fafciculus mirrhæ dilectus meus mihi, intra ubera mea commorabitur*; **Cant.1.12.** vivaciter enim quoad potuit, Redemptoris noftri crucifixionem & mortem meditando, acerbiffimos pariter in manibus, pedibus, capite, item & pectore dolores & deliquia perfenfit, adeo ut fæpe vivus è partibus illis eruperit fanguis. Unde de ipfa dicere poffumus, quod de Seraphico Francifco fcripfit S. Bernardinus: *Chriftus Jefus crucifixus intra mentis B. Francifci ubera* (dicamus nos B. Francifcæ ubera) *ut myrrhæ fafciculus mirabiliter ac jugiter morabatur, in quem optabat per exceffivum amoris incendium totaliter transformari*. Cumque per vivam quandam apprehenfionem Crucifixum cordi & animæ fuæ adftringeret; idem quoque dolores & vulnera in corpus ejus eodem pariter fe tempore transfundebant, adeo ut, quando fpinarum meditabatur puncturas, tempora quoque fua exceffivis puncturis transfigi per fentifceret: Si verò pedum vulnera confiderabat, in fuis quoque pedibus vulnerum illorum miram experiebatur atrocitatem: Denique dum fe lateris vulneri confiderando applicabat, fuum quoque fanguinem inde largiter effundebat, adeo ut verifimile fit eam perfectè id adimpleviffe, quod divinus ejus amator ab ea expetiit, dicens: *Po-* **Op. 30 c.3.** *ne me ut fignaculum fuper cor tuum*; Ad quæ verba S. Petrus Damiani alludens ait: *Eum in corde fuo fignaculum ponat, ut amoris ejus facibus medullitus ardefcat*. Amor igitur ardentiffimus, quo Chriftum profequebatur, fuit qui pectus ejus vulneravit, quique cruentum liquorem illum inde tanto tempore fcaturire fecit. *Undique te cum* **Opufc. 49. cap. 15.** *Apoftolo Chrifti* (funt verba ejufdem Sancti, quibus Sanctam noftram alloqui videtur) *mortificatione præcinge, undique tibi impreffa ftigmata Crucis oftende*.

Confiderantur aliqua myfteria circa Angelum, qui S. Francifcæ vifibiliter affiftebat.

DISCURSUS QUARTUS.

Angelis fuis mandavit de te, ut cuftodiant te in omnibus viis tuis. Pf. 90. v. 11.

1 IPfis quoque Gentilibus, Plutarcho tefte, ufitatum fuit, quòd Heroum fuorum ftatuas vel imagines in eo corporis fitu & aptitudine figurarent, quæ infigniora ab ipfis patrata, facinora aptiffimè repræfentarent. Sic Catonem juxta Uticam, in plaga maris, gladium manu verfantem figurare confueverant. Brutum quoque depingebant veluti ftrictum gladium in Tyrannum impingentem. Similem quoque confuetudinem Ecclefia ufurpare videtur, dum in facrorum Heroum fuorum picturis vel fculpturis eas potiffimum actiones aut cœleftes favores exprimit, qui in hac præfenti vita vel maximè illos nobilitarunt & gloriofos effecerunt. Unde S. Laurentius craticulæ ignitæ & candenti, Catharina Alexandrina rotis præacutis fuperpofita, S. Francifcus Affifias ftigmatibus infignitus, S. Francifca Romana Angelo ftipata depingitur. Verum enimvero quænam eft fingularis hæc prærogativa, quòd juxta illam depingi foleat Nuntius ille & Paranymphus cœleftis? Nunquid de quavis anima univerfum illud Regii Prophetæ verbum intelligitur, dicentis: *Angelis fuis Deus mandavit de te*? Minimè; Imo verò quantum mihi conftat, idipfum non nifi in fola Francifca adimpleri cenfetur. Verum quidem divinam providentiam unicuique homini quendam ex infimo affignaffe cuftodem Angelum, non tamen eis plures affignavit præterquam unum. Unicum autem & fingulariffimum hoc fuit S. Francifcæ privilegium, quod Sponfus ejus cœleftis præter Angelum ejus cuftodem, duos infuper deputarit Archangelos, qui eam in quovis tempore, loco & occafione vifibiliter affociarent, deffenderent, eique obfequerentur. Abulenfis de Dei matre, quoad cuftodiam angelicam difcurrens, eam duos habuiffe exiftimat: *Unum tanquam* **q 60. in c. 18. Matt.** *perfona privata alterum verò tanquam perfona ex qua pendebat bonum commune*. Primum ex infimo choro fuiffe

dicit, è quo privatis hominibus assignari solent Angeli custodes. Secundus verò ad chorum pertinebat Archangelorum. Tandem verò Arcangeli hujus erga sanctissimam Virginem exhibendum ministerium specificaturus subjungit: *Ille Arcangelus aliquando ei suadebat aliquid visibiliter, aliquando autem solum spiritualiter.* Quam igitur eximia fuit hæc sanctæ Franciscæ prærogativa, quòd videlicet similiter præter infimi chori Angelum custodem, insuper non unius duntaxat sed duorum Archangelorum societate fuerit honorata, licèt diversis temporibus separatim eam convenerint idque in specie semper visibili. Enimvero à sanctissima Virgine Deipara pendebat bonum commune, atque ideo ei hoc adeo rarum concessum fuit privilegium; verum undenam honor hic adeo eximius, singularis, nec unquam auditus, imo ad usque hosce dies nostros nemini concessus per assiduam, visibilem, familiarem & individuam hanc assistentiam Sanctæ nostræ accidit? *In* In Bulla. *ornamentum totius domus sua Ecclesia universa suscitavit mulierem.* At verò quodnam fuit hoc ornamentum? Nimirum sicuti sanctissima virgo Maria vivum quoddam in Ecclesia futura erat virginitatis exemplar & prototypon, ita S. Franciscam elegit, ut in eadem Ecclesia perfectissimum quoddam esset castitatis & pudicitiæ conjugalis speculum: *Voluntas Dei erat, ut conjugalis status perfectionis grande documentum daret.*

2 *Angelis suis mandavit de te.* Verum dicat aliquis qua ratione titulus ille gloriosus *ornamentum Ecclesiæ*, qui in Bulla Canonizationis exprimitur, huic sanctæ in encomium attribui potest, quæ omni studio, & industria vilesieri, contemni, & servili habitu induta in publicum prodire desideravit, imò *cujus solicitudo maxime in id incumbebat* (uti in eodem Pontificio diplomate dicitur) *ut Romanas matronas a pompis sæculi & ornatus vanitate abduceret*, idque efficaci proprii exempli sui persuasione, utpote quæ verè dicere poterat: *Omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi?* Scitisne quidnam ad hanc quæstionem responderi possit? Nimirum decor & ornatus ejus in conspectu sponsi sui cœlestis, ideo adeo gratus fuit atque acceptus, quia *ornatam sed monilibus suis Dominus concupivit.* Quodnam autem hoc ornamentum fuit aliud præterquam optatissima & continua illa Archangeli ei semper præsentis assistentia. Porrò Deus quondam populo suo in idololatriam propenso, graviter iratus, dixit: *Jam* Exod. 33.5 *nunc depone ornamentum tuum, ut sciam, quid faciam tibi.* Cajetanus loco ly *ornatum*, legit *arma*. Hugo de S. Victore vertit: *Tabernaculum*. Congruentius tamen ad propositum nostrum legit Anselmus Laudensis sic: *Manifestam Dei præsentiam, qua illi populo per Angelum apparebat, ornatum ejus intelligit*; atque ideo rationem, ob quam Deus ornamentum istud ab eo amotum esse cupiat, hanc reddit: *Ut sciam, inquit, quid faciam tibi, scire faciam te quantum mali perpetraveris, quo angelica visitatione privaris.* Enimvero argumentum istud nos in favorem nostrum convertentes, dicamus: *Scire te faciam, quantum boni perpetraveris, quæ angelica visitatione perpetue sociaris.* Enimvero quantum hic sexus vanitati, dissolutis conversationibus, tripudiis, choreis, gaudiis, conviviis, superbis ornamentis deditus sit, probatione non eget, utpote quod experientia quotidiana abundè satis demonstrat, & quidem in iis matronis præcipue, quæ juvenilis ætatis flori nobilitatem, divitias, & pulchritudinem conjunctam habent. Nostra autem Sancta, prouti jam diximus, in semetipsa ab hac vanitate alienissima fuit, eamque ab aliis puellis Romanis eradicare omni studio contendit: *Quasi solitariam vitam* In Bulla. *agebat, & ideo accesserunt Angeli & ministrabant ei.* Id quod in Christo Domino nostro, post tot annos pariter adimpletum esse vidimus, ad quem Angeli ministraturi non prius visibiliter accesserunt, quàm post quadraginta diebus in deserto peractam solitudinem. Ceterū dum Sanctam nostram in spelunca illa, quam in antiquis domus suæ ruinis sibi commodam invenerat, reclusam, ibidemq; dulcissimis cœlestis sponsi sui amplexibus perfruentem considero, videor mihi audire cœlestem hunc sponsum hisce eam Canticorum verbis suaviter invitantem: *Surge* Cant. 2. 14. *amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ; ostende mihi faciem tuam.* Quē textum Aurelius Cassiodorus hunc in modum interpretatur: *In caverna maceriæ moratur, qui præsidio angelorū undique circumdatur, & à tentationibus Diaboli custoditur.*

3 *Angelis suis mandavit de te.* Etenim postquam Angelos sedulam nostri curam & custodiam habituros esse dixisset, paulo post progreditur dicens: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, ad denotandum nobis, quòd per Angelicorum spirituum assistentiam de inimicis infernalibus gloriosam reportaremus victoriam, omnesque eorundem insidiæ & astus nobis clarè detegantur. Unde in hymno matutinalis officii, de Angelo custode Ecclesia canit: *Nobis draconis æmuli versutias exterminet. Ne rete fraudulentiæ incauta nectat pectora.* In Evangelio Lucæ scribitur: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace* Luc. 11. 20. *sunt ea quæ possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Sanctus Basilius hunc textum in favorem nostrum interpretatur, dicens: *Distribuit spolia, exhibens fideles custodias angelorum.* Sciendum est autem, quòd in nulla descripta vitæ sanctorum Historia aliquem è sanctis invenire possu- In Cat. mus, qui truculentiora, aut magis replicata, magisque continua sustinuerit ab inferno sibi intentata certamina, quam hæc sancta nostra, nullusque ab antiquo & tortuoso serpente majores & frequentiores passus est insidias, quàm ipsa: Dæmon quadam vice se confessarium ejus esse, omnesque visiones, & revelationes ejus, prouti pater ejus spiritualis revera facere solebat, annotare & describere velle finxit, eamque exhortatus est, ut intelligibili charactere eas adscriberet, & ex iis compilatis vastum quendam librum faceret. Alia quoque vice iidem spiritus, exhibita ei profunda reverentia, se ab ea devictos, & ad resistendum fortitudini & prudentiæ ejus inhabiles se esse contestabantur. Apparuit quoque illi malignus spiritus in specie seu similitudine sancti Onophri, fingens quòd eam ad loca deserta perducturus advenisset. Septem etiam spiritus ad instar septem splendidissima luce circumdatarum ovium, se illi spectandos præbuere, septem dona Spiritus sancti se esse asseverantes, venisseque ut animam ejus inhabitarent. Insultus itidem quibus eam sunt aggressi, atroces omnino fuere & truculenti, dum eam nunc in aera extulerunt deorsum præcipitandam, mox in profundissimum puteum se eam conjecturos esse finxerunt, alias quoque in lupos, leones, aspides, & dracones se transformarunt, eamque diris adeo flagellis cæciderunt, ut eam deinceps semimortuam dereliquerint: at verò prouti sancta testatur Dei Ecclesia: *tentatorem sic imperterrita elusit, ut illi formidabilis evaderet.* Verum in- In Bulla. quies, quonam modo Deus noster huic sponsæ suæ adstitit? *Sed & Angeli præsidio, quem familiarem protectorem, & comitem singulari Dei beneficio habebat, ab hujusmodi inimici tentationibus defensam apparet.* Ad imitationem igitur sancti Antonii rebellibus hisce spiritibus, magnam eorum exprobrabat impotentiam, & debilitatem, rebellionem quoque ipsorum, ab eorum superbia originem ducentem, ob oculos ipsis statuebat, cunctaque eorum deridebat stratagemata & diabolicos astus, quos Arcangeli sui perspicua luce clarissimè detegebat; quam primum deauratæ Arcangeli sui comæ scintillare & splendescere cœperunt, mox technæ implacabilium illorum spirituum, in sanctæ Franciscæ perniciem conceptæ dissipabantur & evanescebant; nonnumquam verò hæc Franciscæ cum Dæmonibus inita certamina, à crepusculo vespertino ad usque matutinum diluculum continuabantur, quo tempore Archangelus Sanctæ nostræ pugnanti subsidia & suppetias ferre sæpe intermittebat, mox tamen eandem post obtentam adversus Dęmonem victoriam in suavissimas extases consolationibus divinis demulcendam rapiebat. Judithæ cum Holoferne dimicaturæ Angelus se comitem & auxiliatorem junxit, unde ipsa ait: *Vivit Dominus, quia custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem.* S. Franciscæ autem, Jud. 13. 20. utpote cui cum infernali Holoferne dimicandum semper erat, non unus duntaxat Angelus, sed plures nobilissimi spiritus continuam præstiterunt assistentiam. In illis verbis: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant.* S. Luc. 4. 10. Lucas loco *custodiant* legit *conservent te.* Quis obsecro Sanctam nostram à continuis & nunquam intermittentibus totius inferni insultibus & conatibus illæsam semper conservavit alius, præterquam horum Archangelorum perpetua assistentia. *Angelis suis mandavit de te* (inquit Agellius) *tanquam fidelibus pervigilibusque custodibus,*

bus, qui semper in te defixos habeant oculos (prouti illi modo quodam inusitato contingebat ad literam) *ne quid mali patiaris*.

4. *Angelis suis mandavit de te*. S. Bonaventura ad angelicos hosce spiritus pertinere scribit: *illuminationes ad nos deferre*. Etenim Sancta nostra in statu suo conjugali singularissimum habuit plurimarum cœlestium revelationum donum; Extases nonnunquam passa est per tres dies continuos; perfusa quoque fuit variis revelationibus, visionibus, propheriis; donum insuper habuit corda, eorumque internas intentiones penetrandi, magnaque prædita fuit spirituum discretione. Horum autem thesaurorum cœlestium procuratores atque custodes fuerunt hi, ad ejus ministerium deputati Archangeli.

De Eccl. Hier. part. 3 cap. 3.

Gen. 16. 7.

5. *Angelis suis mandavit de te*. Angelis similiter proprium est in angustiis & adversitatibus nostris, quibus opprimimur, nos confortare, prouti in Agar clarè liquet. Unde optimè Auctor quidam observavit, quod sacra Scriptura omnium prima vice naturæ Evangelicæ mentionem tunc facere cœperit, quando Angelus deditus erat consolationi alicujus mulieris desolatæ & afflictæ. De Redemptore nostro pariter constat cum in horto in agonia sua ab Angelo quodam confortatum fuisse: *Apparuit Angelus confortans eum*. De S. Lidluvia etiam legitur quod Deus illam eo fuerit honore dignatus, ut Angeli cujusdam persæpe ad eam missi faciem pro sui consolatione contueri posset; unde dicere solebat prænominata sancta: *Nullus dolor est, nulla tanta animi angustia & ægritudo, quæ non facillimè evanescat, si mihi vultum angelicum liceat contemplari*. Etenim quod sanctam nostram attinet, certum est eam per totius vitæ suæ decursum, quantum ex historia illius satis colligi potest, ab inimicis infernalibus miserè divexatam fuisse; nam domus illius post diuturnam prosperitatem, ad patientissimi Jobi miserias facile redacta fuit, ejus vita ob continuas mortificationes, jejunia, infirmitates & austeritates extremas continuum quoddam fuit martyrium. Quid mirum igitur, si sponsus cœlestis pro ejus consolatione de hisce Archangelis illi prospexerit, in quorum vultum oculos suos visibiliter poterat affigere? unde dicere poterat & ipsa: *Nullus dolor*, &c.

6. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Hugo Cardinalis legit: *ut observent quid facias*. Deus etenim voluit, ut hi duo Archangeli essent rigorosi omnium actionum sanctæ nostræ censores, prouti ex vitæ ejus Historia clarè satis colligitur. Præterea acceptæ quidem & valde gratæ Christo erant nuptiæ, jam dudum inter se, & ipsam contractæ, quia *Christo virginitatem consecrare, & monasterium ingredi proposuit*: at verò quia, ut supra diximus, in Ecclesia sua insigni quodam integritatis & conjugalis pudicitiæ speculo opus habebat, ideo ei, ut sponso cuidam terreno sese conjugali vinculo conjungeret, præcepit; quo etiam tempore *Angelis suis mandavit, ut observarent eam*. Oculos namque suos adeo pertinaciter in eam defixerant, ut dum vice quadam non solum præter id, quod boni mores & consuetudo, verum etiam quod propria ejus inclinatio ferebat, mundi hujus vana complementa aut cæremonias usurpasset, humanosque respectus non satis promptè devicisset, forti quadam alapa ab Angelo percussa fuerit. Absit autem, ut inde conjiciatis diminutum fuisse erga eam cœlesti sponsi sui amorem, siquidem ipsomet Spiritu Sancto teste: *Quem diligit, corripit*. Advertendum est autem, quòd postquam dixisset: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant*, protinus subjungat: *In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum*. In hoc etenim vel maximè Angelica circa nos custodia elucet, quod videlicet omnem à nobis lapsum vel casum infortunatum corporis vel animæ procul abarceant. S. Thomas dicit: *Ad lapidem potest intelligi omnis peccati occasio: In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem, id est, auxiliis suis tollent, ne offendas pedes id est, affectum*. Volebat igitur sponsus ille cœlestis, ut sancta nostra eodemmet tempore, quo licèt non ex voluntaris propriæ electione, sed jussu ipsiusmet Dei sponsa erat hominis terreni, suam quoque erga se veluti sponsæ suæ immaculatæ innocentiam & integritatem conservaret, atque ideo eam non uni sed pluribus spiritibus cœlestibus custodiendam consignavit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant &c*. Factaque est ipsa, ex

Prov. 3. 12.

In cat.

M:nsa Prompt.

hoc consortio pariter & ministerio angelico adeo irreprehensibilis, ut jure merito illa S. Hieronymi verba ei adscribere valeamus: *Tam sanctè disposuit vitam suam, ut de ea sinistri aliquid nec fingi potuerit*. Lib. 2 ep. 20

7. *Angelis suis mandavit de te*. Idemmet S. Hieronymus Demetriadi verba sequentia scripsit; *Sic & in animo virginali rore cœlesti, & jejuniorum frigore calor puellaris extinguitur*. Id quod in S. Francisca ad literam Lib. 2. ep. 18. adimpletum fuit, utpote quæ nullos unquam concupiscentiæ stimulos persensisse dici potuit: *Per gratiam Spiritus Sancti, Naturæ usum transgrediens in spiritu ambulans desideria carnis non perfecit*, uti jam alias à nobis significatum fuit adeo, ut fuerit in ea animus virginalis, licèt tale corpus ejus non esset. Verum enimvero quidam hoc sancto Doctore teste, ex hac per rigorosa jejunia comparata puritate resultat? *In humano corpore Angelorum impetratur conversatio*. Quis igitur jam amplius assiduum illud & visibile Angelorum, cum hac sancta nostra consortium admirabitur, cujus vita perpetuum quoddam rigorosissimum & austerissimum, quotidianum nec unquam interruptum jejunium fuit. Quando Salvator noster per quadraginta dies jejunavit, tunc & non antea *accesserunt Angeli & ministrabant ei*. Etenim Angelus ejus custos & Archangelus, cunctique ad eam submissi Angeli in annotandis illius jejuniis & abstinentiis asperrimis certatim inter se contendebant, nam ut S. Ephrem scribit: *Angeli sunt, qui per singulas Ecclesias describunt jejunantium nomina*. Quis unquam rigorosiorem diætam legit vel audivit, quàm sit illa, qua vinum nunquam bibitur, caro, ova, pisces nunquam manducantur, & fames vix semel in die lupinis aut aliis herbis sine ullo adhibito condimento depellitur?

In bulla.

De jejun.

8. *Angelis suis mandavit de te*. Gloriabatur olim S. Paulus Apostolus in cœlis conversationem suam esse, tametsi non pluries quam semel ad sphæras illas cœlestes eum raptum fuisse constet: *Nostra conversatio in cœlis est*; quibus verbis significare voluit, mentem & cor suum in bonorum æternorum contemplatione defixum hærere; vel etiam se altissima contemplatione & mentis elevatione, cum angelicis illis spiritibus conversari. Verum enimvero longè amplius à Deo honoratam S. Franciscam fuisse dicere possumus, nam ipsimet Archangeli, & cives beati cœlestis Paradisi è cœlis ad eam descenderunt, ut cum ea conversarentur, visibiliter ei cohabitando, eamque sibi familiarem contubernalem, ut ita dicam, efficiendo. Unde S. Ambrosius: ait Apostolus: *Nostra autem conversatio in cœlis est; & cœlestium conversatio potest esse nobiscum*. Mox verò quonam modo Angeli nobiscum conversantur, declarat, dicens: *Hoc est, ut qui vita vivimus Angelorum, rectè consortium mereamur*. Hæc igitur præcipua est ratio & mysterium, cur Deus hanc sponsam suam singulari hujus Archangeli ministerio honorare voluerit, quia nimirum vitam in terra traducebat angelicam; unde credibile est Angelos certatim ei ministeria & obsequia exhibuisse. Filius ejus nuper mortuus nocte quadam ei apparuit, eique se in secundo choro primæ Hierarchiæ inter Archangelos consistere dixit, moxque eorundem spirituum unum, quem in sua habebat societate, ei reliquit, eique matrem suam ex parte Dei consignavit, ut ei deserviret, ejusque consortio continuo frui posset. Imò insuper illum non Angelum suum custodem, sed ex secundo choro primæ Hierarchiæ Archangelorum quendam esse dixit, qui proinde pulcherrimus & sole splendidior erat. Hic nocturno tempore copiosum è se lumen spargebat, adeo ut ad capillorum & comæ illius splendorem, nullo alio adhibito lumine officium suum æque promptè recitaret, ac si in meridiano jubare constitisset. Hic autem Archangelus post viginti quatuor annos in alium quendam superiorem Angelum secundæ Hierarchiæ quarti chori, potestatem videlicet commutatus fuit; cujus hæc esse ratio potuit, quia cum in sanctitate magis magisque profecisset, credendum est spiritus illos Angelicos certatim contendisse, ut ad conversandum cum illa, suaque illi exhibendum obsequia, de cœlo ad eam descenderent.

Phil. 3. 20.

Serm 17.

9. *Vita vivebat Angelorum*. Angeli alia voluntate præterquam Dei nunquam diriguntur: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*; ac proinde quisquis divinæ voluntati magis conformatus fuerit, is quoque Angelis Ps. 102. 21.

conformior dici poterit. Unde S. Augustinus: *Bonorum Angelorum amicitiam, & benevolentiam acquirimus per bona voluntatis similitudinem.* Quantum autem sancta nostra ex hoc capite Angelorum promeruerit consortium, velim attendite. Porrò de perfecta ejus obedientia alias alibi tractavimus. Hic solum adjungimus iis, quæ hactenus hac de re narrata fuere, quod, dum ad mortem usque infirmaretur, S. Alexius è cœlo ad eam sanandam missus ei dixerit: Venio huc ad te missus à Deo, ut te num sana esse velis, interrogem. Cui Francisca confestim respondit: quicquid Deo hac in re placuerit, idipsum & non aliud ego volo. Unde Alexius sciens voluntatem Dei esse, ut sanaretur, eam immediatè, & perfectè sanitati restituit. Similiter in postrema sua infirmitate, quando jam ad instar S. Martini pedes quasi cœlo intulerat, jam enim de mox secutura morte, & danda sibi gloria revelationem cœlitus acceperat. Unde sponso suo cœlesti dicere poterat: *Tenui eum nec dimittam*; nihilominus à spiritualibus filiabus suis, multisque aliis rogata, ut sui ex hac vita in aliam transitus, in aliquod usque tempus, diuturnam dilationem à Deo postularet, ut tanto magis in divino servitio laborare posset, se quoad hoc indifferentem, & in divinam voluntatem totaliter resignatam esse, respondit. Quando Confessarius, quem veluti divinæ voluntatis interpretem semper respiciebat & venerabatur, ei ut ipsamet filium suum ad Tyrannum perduceret, præcepit, confestim promptissimè obedivit. Unde quoad præsens propositum ea in occasione constituta dicere potuit, quod Tobias senior conjugi suæ propter junioris Tobiæ filii sui iter mæstæ & afflictæ, consolationis causa dixisse scribitur, nimirum: *Salvus pervenit filius noster, & salvus revertetur ad nos: & oculi tui videbunt illum.* Ejusque rationem mox reddit dicens: *Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur eum, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos.* Verisimile etenim est dictum sanctæ Franciscæ Archangelum suam quoque in illo tam ingenti patrato miraculo interposuisse operam, quo omnes equi, quos filius ejus Neapolim captivus dimittendus, insederat, firmi prorsus & immobiles persistebant, adeo ut nulla poterint adhibita quantacunque violentia loco moveri.

Lib. 8. de civ. Dei c. 25.
Cant. 3. 4.
Tob. 5 v. 23.

11. *Vita vivebat Angelorum.* Angeli, utpote puri spiritus, inalterabiles sunt & imperturbabiles, atque ab omnibus, quæ in nobis dominantur passionibus perfectè, & totaliter exempti. Talis quoque sancta Francisca erat, de qua illud habemus Ecclesiæ testimonium, quo appellatur: *In spiritu ambulans.* Nihil enim erat, quod imperturbabilem cordis ejus serenitatem alterare poterat. In multis acerbissimis infirmitatibus, quibus sæpe afflicta fuit, nullus unquam visus est actus, neque ullum ab ore verbum emanavit, quod impatientiam redoleret; & licèt aliàs sexus fœmineus valde sit ad lites & contentiones proclivis, attamen in triginta octo annorum spatio, quibus cognatæ suæ convixit, ne vel minima alicujus indignantis vel discordis animi umbra inter utramque intercessit.

In Lect.

12. *Vita vivebat Angelorum. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Licèt enim Angeli deorsum in terram, ad nostram sint custodiam destinati, licèt amplissimas cœlorum sphæras continuò volvant & revolvant; licèt eis recommendata vastissimarum Provinciarum regnorumque tutela, propter hoc tamen, ne vel unico momento à visione beatifica divelluntur. S. Gregorius eosdem Angelos in scala Jacobi ascendentes & descendentes considerans ita scribit: *Auctori suo semetipsos transcendendo inhærent, & compassione charitatis nostris infirmitatibus condescendunt.* Verè igitur S. Francisca vita vivebat Angelorum, tametsi enim familiæ suæ gubernandæ tota videretur esse intenta, nec minus ad domestica negotia vigilans, vitæque activæ omnino, Infirmis in Xenodochiis fideliter & promptissimè inserviendo, nonnunquam asinum, lignis in pauperum subsidium collectis onustum ante se agendo, eodemque fine ad Ecclesiarum valvas & alibi eleemosynas colligendo dedita esset, nunquam tamen ob id ab alta illa contemplatione, quæ ipsam Deo semper conjunctissimam reddebat, distrahebatur: *Curis familiaribus à spiritualibus minime distrahebatur* adeo ut in altissimam extasin rapta, eo sæpius iret, quo eam necessitas advocabat, & in cœlestibus illis mentis excessibus & altissimis elevationibus absorpta ad interrogata respondebat, & operabatur expeditè. Hoc autem per hosce assistentes Angelos consecuta fuit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus, quæ gesseris in honorem Dei, & fructum proximi*; ita apud Vatablum legitur. Archangelus igitur eam, hanc cum Deo unionem practicandam edocuit, licèt activæ vitæ negotiis esset implicita: ipsa autem ut Historia ejus refert, per perfectam in divinum beneplacitum resignationem, curam domesticam cum gaudio subire, nullumque è mundi curis & mariti consortio unquam concipere se velle tædium firmissimè statuit, licèt Deus illam ad ultimum usque judicii diem in ejusmodi molestiis curis & functionibus persistere juberet, & ideo *curis familiaribus à spiritualibus non distrahebatur.*

Lib. 9. mor. cap. 22.
In Bulla.
In Scholiis Vatabli.

13. *Vita vivebat Angelorum.* Angeli ad benefaciendum nobis semper sunt intenti, omneque studium suum in animarum nostrarum salute collocant. *In ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Atque ideo B. Laurentius Justinianus ait: *Solicitudo quoque Angelicæ custodiæ nos provocat ad amandum proximum.* Quoadusque S. Francisca in humanis egit, studium suum nulli alteri rei adeo impendit, quàm ut proximis benefaceret, idque præcipuè in permaximo salutis spiritualis, vel etiam corporalis puncto: *Complures à sæculari ad arctioris vitæ institutum revocans, domum religiosam Oblatarum in urbe instituit.* Tota ejus vita zelum spirat, qui in plurimorum peccatorum conversione, eorumque ad perfectam pœnitentiam reductione, ad stuporem usque in ea emicuit.

De ligno vitæ.
In Bulla.

14. Verum quodnam in hoc mysterium latet quod Archangelus ei assistens tunicella quadam, instar diaconi vestitus semper comparuerit? scio equidem, quod, cum Angeli puri sint spiritus, eo tempore, quo nobis visibiliter apparent, ea potissimum forma, & colore vestiri soleant, qui necessitati nostræ aut beneplacito, vel ministerii, ad quod destinati sunt, qualitati conformior existit. Archangelus Raphael qui juniorem Tobiam per viam comitaturus erat, habitum peregrinantis seu viatoris sibi assumpsit. Angelus, qui tres Magos Orientales in Bethlehem usque perduxit, in stellam quandam se transformavit, eo quod Magi isti Astrologiæ omnino dediti essent. Populus Israeliticus per desertum transiturus, Angeli illius fruebatur favoribus, qui per diem Columnam nubis, per noctem verò ignis columnam repræsentabat, quia diurno tempore populus ille ob radiorum solarium nimium ardorem, umbra opus habebat & refrigerio, in noctis verò obscuritate indigebat lumine. Cur igitur putas Angelum illum, qui sanctæ nostræ inservivit veste fuisse Diaconali amictum? scio quidem S. Epiphanium de magna Dei parente dixisse: *Virginem appello, velut Sacerdotem pariter & altare.* Sed ex quo S. Francisca sacerdos minimè erat, quomodo hic ei adaptatur Diaconus, cui proprium est ministrare sacerdotibus? Lyranus super illa verba Actuum Apostolicorum: *Angelus ejus est*, quæ fideles ad se invicem dicebant, dum Petrum è carcere miraculosè egressum audientes, non eum, sed Angelum ejus fuisse credebant, dicit: *Aliquando apparent in specie eorum*: Et Glossa circa eundem textum inquit: *Videtur Angelus hominis esse homo interior*; Adeo ut Angeli non solum repræsentrentur nonnunquam in ea forma, quam nos circumferimus in apparentia externa, verum etiam nonnunquam se tales coram aliis exhibeant, quales sumus in homine interiori. Hac igitur Doctrina supposita facile nobis erit ea intelligere mysteria, ob quæ Angelus iste Diaconali habitu amictus sanctæ nostræ inservivit. Sciendum igitur est, uti observat Cardinalis Baronius, quòd septem Diaconi septem illos repræsentaverint Angelos, qui in cœlesti illa Hierarchia ante Thronum Dei assistebant. Hi septem Diaconi in primitiva Ecclesia olim electi & ab Apostolis ad sanctarum illius temporis viduarum ministerium destinati fuerunt, prouti S. Lucas in libro Actuum scribit. Optimus autem hic & sanctissimus usus, temporis progressu defecit; quia vero Deus sanctam nostram eo sæculo fortunato, quo vixit etiam in statu viduali veluti lucidissimum quoddam sanctitatis & perfectionis speculum in Ecclesia Dei resplendere voluit: *Multiplicans Deus cum illa misericordiam suam, fructificare etiam eam voluit in sancta viduitate*, ideò ut ei debita exhiberentur ministerii obsequia, Divina providentia ei ministrum deputare

De laud. Virg.
Act. Ap. 12. v. 15.
An. 112. n. 3.
Act. Ap. 6. 5.
In bulla.

tare

tare voluit, non hominem aliquem mortalem, licèt sacro hujus ordinis Diaconalis charactere insignitum, sed cœlestem quendam Archangelum, quin exteriori & visibili habitu suo Diaconum præ se ferret, eodemque imo longè officiosiori erga eam munere fungeretur, quo olim fungi solebant antiqui Diaconi. Sciendum est insuper, quod S. Epiphanius, Tertullianus, & Baro-

Com. à Lap. 1. Tim. 5. An. 34. n. 288.

nius verba illa hodiernæ Epistolæ; *vidua eligatur*, de vidua quadam primaria intelligant, *quæ aliis consilio & auxilio præsit*. Quibus in verbis ad vivum mihi sancta nostra delineari videtur tanquam *omnium oblatarum mater*. Ipsius namque auxilio & ope, pariter & consilio ac inventione Oblatarum congregatio, cujus ipsa prima præsidens fuit, primitus erecta esse noscitur: *Aut quæ sit Diaconissa* subjungit, prædictorum auctoritate permotus Cornelius à Lapide. Porrò S. Franciscam partibus Diaconissæ functam esse; talem enim hanc viduam fuisse, de qua S. Paulus ad Timotheum scribit, existimat Cardinalis Baronius) in Discursu secundo sufficienter probavimus: *In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit*, &c. Cum igitur sancta nostra non solum vidua fuerit, cujus ministerio Diaconi deputati erant, sed etiam fuerit quasi Diaconissæ munere perfuncta, quid mirum si sanctus hic ejus Archangelus, ut se ei magis conformaret, Diaconali habitu se induerit?

15. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Superest tandem, ut videamus, an sancta nostra hoc Angelorum obsequium & famulatum habuerit non solum in vita, verum etiam in morte constanter retinuerit. Et quidem Historia id ipsum expressè non dicit: attamen in favorem nostrum tanta affirmat, ut exinde existimem nos sufficiens habere fundamentum asserendi, quod post mortem etiam, imò tunc longè magis quam antea certatim de cælo descenderint, ad contexendam sacrosancto corporis ejus deposito immortalis gloriæ Coronam & lauream. Enimvero quamdiu sacrum ejus cadaver inhumatum perstitit, suavissima quædam Liliorum, rosarum, violarum, aliorumque florum odoris excellentia præstantium fragrantia, ab omnibus ad eum locum accedentibus vivacissimè percepta fuit, tametsi unde odor ille derivaretur ignorarent, maximè cum ea anni statio, in quam mensis Martius incidit, omnis sit fragrantiæ in floribus expers. Unde flores hi, quorum fragrantia percipiebatur, alii haud dubiè non fuerunt, quam Angeli. Hi enim à S. Augustino super illa verba: *Con-*

In Luc. cap. 126.

siderate Lilia agri, flores denominantur, dum ait: *Angeli verè istius mundi flores sunt, quorum claritatibus ornatur mundus, & bonum odorem sanctificationis spirant, quorum præsidio fulti possumus dicere: Christi bonus odor sumus Deo*. Beati autem hi spiritus, prout cuivis notum est, sanctissimo altaris Sacramento præcipuè assistunt. Ac proinde in confirmationem eorum, quæ hactenus diximus, sciendum est, quod eo tempore, quo sancta Francisca sacra communione reficiebatur, mira quædam nobilissimorum florum percipiebatur suavitas & fragrantia, quæ cum summa circumstantium admiratione & stupore, ad omnes præsentes diffundebatur.

Ostenditur S. Franciscam hoc nomen sortitam fuisse, ut variorum æmularetur facinora; recluderetque in se merita, virtutes, dona, aliasque prærogativas trium sanctorum, qui Francisci nomine insigniti in Ecclesia Dei effulserunt, id est, S. Francisci Xaverii, S. Francisci de Paula, & S. Francisci Assisinatis.

DISCURSUS QUINTUS.

Novit te ex Nomine. Exodi c. 33. v. 13.

1. S. Joannes Chrysostomus mysteria illa considerans, quæ in iis persæpe recluduntur, ut divitem quendam ex iis eruere thesaurum valeamus, penitus consi-

Mansi Promps.

derans dicit: *Est ex nudis nominibus copiosum haurire thesaurum*. S. Cyrillus Alexandrinus circa illa verba

In cap. 11. Gen. lib. 2. con. Jul.

quæ Deus ad Moysen dixit: *Novi te ex nomine*, ita scripsit: *Si quis Moysen celebrare velit, longum & prolixum sermonem haberet, audi Deum manifeste dicentem: Novi te præ omnibus*. Ubi ex mente sancti hujus Doctoris, idem est dicere. *Novi te ex nomine*, quod *præ omnibus*, unde septuaginta legunt: *Novi te præter omnes*. Quod si igitur solum Moysis nomen singularis gloriæ ejus indicativum fuit, eumque cunctis aliis superiorem reddidit, omnino confido, quod ex solo Franciscæ nomine varia deducere possim laudis ejus argumenta & dicere: *Novi te ex nomine*. Id quod asserente S. Gre-

Hom. 25.

gorio *perfecto viro dicitur*. Porrò eminentia perfectionis & sanctitatis, qua S. Francisca præfulsit, in dubium revocari nequit, atque ideo securè affirmari posse divinum hocce nomen à divina providentia non sine mysterio indutum fuisse, existimo, prævidebat enim, quod omnia prodigiosa opera & gloriosa merita, nec non virtutes, dona, omnesque alias prærogativas, quibus tres in sanctitate insignes Francisci Xaverii, Paulani, & Assisinas præfulserant, strenuè æmulaturum esset.

2. Et quidem in primis in S. Francisco Xaverio heroica fuit sui ipsius despicientia, tametsi enim ex nobilissima esset prosapia oriundus, & integer quidam mundus summis illum obsequiis & veneratione prosequeretur, ipse tamen velut unus de infima plebe pauperculo & sæpius repeciato habitu amictus in publicum prodibat, frusta panis ostiatim mendicans, omnibusque usque ad ipsa triremium misera mancipia humillimè inserviens De nostra autem sancta aptissimè dici potest, quod de Olimpiade scribit Palladius: *Hæc beata*

In Lausiaca c. 144.

processit usque ad extremum terminum humilitatis, ultra quem nihil possit inveniri amplius, vilis & contempta vestis, ornamentum omnium humilium. Ipsam namque Domino erat & patrona familiæ cujusdam, in qua nobilitas atque divitiæ inter se ex æquo certabant, & tamen in conspectu universæ Romæ ad eum modum sibimetipsi viluit, ut in lectionibus de eandem legamus:

In Bulla.

Ancillæ, vilissimaque fœmina, & immunditiæ vasculi titulo gloriabatur. Quam ejus profundissimam humilitatem sancta mater Ecclesia hoc præclaro epitheto extulit: *Per altissimam humilitatem elegit abjecta esse in domo Domini Etenim cum Oblatarum mater & fundatrix esset, tanquam ancilla tractari, & ancilla videri delectabatur*. Veruntamen parum illi esse videbatur, quod se erga filias, quas secundum spiritum genuerat, servam & ancillam exhiberet, nisi etiam talem se esse probaret erga omnes pauperes & egenos, omnesque infirmos, imo & erga ipsosmet servos suos; siquidem ipsamet panem rancidum, & mucidum in sui sustentationem ea intimo humilitatis sensu adhibebat, suum vero panem melioris conditionis & substantiæ ministrabat egenis.

3. Xaverius in hac urbe Romana, dum summa annonæ caritas universum premeret populum, quæstum sollicitabat eleemosynarum, ex quibus per longum temporis spatium, quadringentos pauperes quotidie pavit. Eodem modo S. Francisca non modo caput suum oneravit lignis, verum etiam gremium pane, manus vero auro & argento bene satias habebat, ut paupertati & inopiæ hominum, quamdiu in hac patria sua vixit, subveniret; Ecclesias quoque, vicos, & plateas publicas obibat stipem eleemosynarum congregans, neque enim satis illi erat, quod egenis erogaret, quicquid in domo sua habebat, ideoque sæpius effecit, ut in cellariis vinum, frumentum in granariis, in pauperum usum & commodum miraculosè cresceret.

4. Xaverius non solum ad corporalem proximorum suorum salutem omni cum studio & solicitudine invigilavit, verum etiam spiritualis necessitatis ipsorum curam habebat, multas animas inter alias in peccato habituatas ad Deum convertens, quarum unam ad seriam & sinceram pœnitentiam perduxit; in ejus se præsentia acerbissima disciplina ad sanguinem usque cædendo, sic quoque nostra sancta Ægrotantes *in xenodochiis visi-*

In lect.

tans non corporali tantum cibo, sed salutaribus monitis recreabat. Innumerabiles quoque fuerunt animæ, quas ad veri Dei cognitionem, & detestationem efficaciter reduxit. Cum vice quadam divina revelatione illustrata, matrem quandam filio suo necem intulisse,

nec tamen facinus istud confessam fuisse didicisset, eandem infirmitatem correptam, ut obsequiis charitatis eidem assisteret, convenit, eamque per exhibita obsequia, nec non per sanitatem, quam ei restituit, adeo demulcendo obstrinxit, ut ad veram de peccatis suis pœnitentiam & contritionem permoverit.

5. Quocumque Xaverius sese recipiebat, ospitalia sibi semper in habitationem adoptabat, in quibus, in quovis vilissimo ministerio infirmis deserviebat, noctu diuque iisdem tanquam Confessor, Medicus, Infirmarius, Coquus, & ut uno verbo dicam, velut abjectissimum cujuslibet mancipium assistendo; Porrò celebris est, semperque omnibus sæculis erit, heroica illa, quam sibi ipsi intulit, mortificatio, quando quendam enormiter vulneratum nauseans, ore suo super illa emanantis ex vulnere saniei putredine se prosternens, saniem illam lingua sua lambendo absterſit. Pariter de sancta nostra in ejus vita actus referuntur mortificationis, huic minimè inferiores; cum enim ex naturali indole sua, infinitum quasi à cadaveribus haberet horrorem, ideo ut hanc passionem suam devinceret, ex calvaria seu cranio mortui alicujus multo tempore bibit: ultra triginta annorum spatium in hospitalibus publicis continuo servivit, ultra privata, & domestica obsequia, quæ domi suæ in quovis vilissimo officii genere infirmis propria manu interviendo, exhibuit. Panniculos leprosorum sordidissimos & fœtidissimos domum secum delatos abluebat, repetiebat, dumque illos abluendo, persæpe nauseam ingentem sentiret, ad majorem sui mortificationem, in aquam illam vermibus, & putredine plenam vultum suum persæpe immergens, ex eadem sæpius sorbendo, bibit. Quæ illius charitas non minori fuit præmio munerata, quam illa olim à S. Catharina Senensi in simili casu exercita, siquidem cœlestis sponsus ejus incompatibiles spiritus dulcedines degustandas ipsi indulgendo, copiosissimè eam remuneravit. Sæpius etiam putrescentia, & vermibus scatentia vulnera osculabatur, & per impressum illis osculum perfectæ restituit saluti.

6. Admirabilis prorsus in Xaverio fuit illa, quam sæpius data occasione exhibuit, Parentum & consanguineorum oblivio, cum enim in legati Regis Lusitaniæ in Indias abeuntis societate constitutus esset, & hi data opera iter suum de die in diem prolongarent, ut sancto commodam amicis suis valedicendi occasionem ministrarent, ipse constans permaneos: *Ex-*
Ps. 65. 9. *traneus factus fuit fratribus suis*; Neque enim ad propriam matrem alloquendam vel pedem movit, neque vel unicum duntaxat obtutum in patriam suam, quam procul abiens deserebat, deflexit. Qua in re S. Franciscam assiduam S. Francisci imitatricem fuisse comperiemus. In cujus probationem hoc solum sufficiat, quod paulo ante de ipsa retulimus, quod scilicet ipsamet ad unicum duntaxat confessarii sui nutum proprium filium suum, quem tenerè diligebat in manus & potestatem tradiderit Tyranni, tametsi hunc ab eodem occidendum esse non immeritò timere potuisset.

7. Singularissima & quasi sine exemplo fuit illa à Xaverio initata vitæ activæ & contemplativæ in gradu intensissimo, tam perfecta unio, ut una aliam nequicquam impedierit: adeo ut licèt nonnumquam sentibus & spinis inambulans à cruentatis pedibus sanguis copiosè manaret, ipse nihilominus adeo totaliter in extasi absorptus fuerit, ut ne vel minimum idipsum adverteret. Unde Orator quidam modernus optimè de eo scribit, animam ejus valde differens à corporis itinere in cœlum iter instituisse, ubi iis fruebatur rosis, quarum spinas corporei pedes in terra calcarant. Sæpenumero dum missam celebraret, corpore cernebatur sublevatus in cœlum. Spirantibus procellosis ventis, tempestatibus undique stridentibus, inter nautarum strepitus & clamores, in hospitalibus, in plateis, in triremibus, denique in quovis loco in altissima contemplatione cum Deo unitus erat. Quis autem est, qui idemmet cœleste donum sanctæ nostræ indultum fuisse nesciat, utpote quæ ubique vitam activam contemplativæ in gradu eminente associabat. Numerosam semper sibi commissam habebat familiam, corporalis misericordiæ operibus continuò dedita erat, utpote egenorum subsidio in quovis loco sedulo invigilans: *Omnibus omnia facta*; Nec tamen in ea per hoc perfectissima cum Deo unio quicquam diminuebatur: *Curis familiaribus à spiritualibus minime distrahebatur*. Raptibus, visionibus, In Bulla.
revelationibus, extasibus fruebatur continuis, licèt illas omnes non certo sciamus, utpote quid intra quadraginta quinque annorum decursum ipsi hac in parte gratiarum acciderit, ignorantes. Quoties corpus ejus visum fuit in aera librari, & immensa claritate vestitum esse; Et quidem in hisce extasibus constituta cuivis alteri insensibilis erat, at verò ad solum confessarii nutum loquebatur, respondebat, ambulabat, & operabatur quicquid ei à Confessario præcipiebatur.

8. Xaverius alter quidam fuit Thaumaturgus siquidem insignibus à Deo donis locupletatus, prodigiosa prorsus operatus est miracula. Quas easdem gratias in S. Francisca pariter admirari licebit. Quæ in intimis cordis penetralibus abscondita erant, nec non occultissimas aliorum intentiones Xaverius profundè penetrabat, adeo ut ipsi jure dici potuerit: *Intellexisti cogi-* Ps. 138. 3.
tationes meas de longe; siquidem cogitationes & machinationes occultas multis detexit. Porrò revelationes, visiones, raptus, & extases, quos tam Xaverius quam Francisca habuerunt, innumeræ sunt; singulare quoque fuit utrinque in eventibus futuris & procul remotis omnium securitate prædicendis à Deo collatum donum. Item tam Xaverius quam Francisca resuscitarunt defunctos. Porrò Xaverius ex data sibi à quodam amico, & devoto suo licentia, pro necessitatis cujusdam subsidio, trecenta scuta aurea ex ærario ejusdem, qui sibi eo fine ærarii claves commiserat, desumpsit, qui tandem in eodem scrinio per summam per Xaverium inde acceptam ne vel minimum solidum diminutum esse deprehendit, Deo nimirum denarios in eodem scrinio miraculosè multiplicante. Pari modo Sancta nostra persæpe in subsidium pauperum frumentum & vinum, ignorante marito, clam è granario suo deportari curavit, quod tamen neutra ex parte in eo, quod reliquum mansit, decrevit, quin potius ultra quantitatem debitam mirè multiplicatum fuisse est observatum, & quidem compensatio frumenti pariter & vini in perfectissima specie accidit, medio nimirum coro tritici ad alios quadraginta multiplicato.

9. Enimvero admodum celebre est, quod Xaverio accidit prodigium, quando nimirum post Crucifixum suum in mare fortuito casu delapsum mœrenti & dolenti, mox ut ad terræ firmæ littus appulerunt, Cancer quidam marinus eundem Crucifixum brachiis adhærentem, in littus idem deposuit. Pari modo S. Franciscæ in miraculorum patratione, multæ creaturæ tam insensiles quàm irrationales promptam præstitere obedientiam; id quod in specie cancer quidam plurimum cum admiratione præstitit; Narratur etenim, quod, dum quædam cognata ejus infirmitate quadam lethali omnem prorsus cibum fastidiret, ac tandem quidam eam cancri comedendi appetitus incesserat, vix illa pro impetrando cancro mentem suam in Deum elevatit, cum ecce subito cancer quidam à conclavis, in quo erat, tabulato in pavimentum decidit, ex quo adeo vehementer desiderato cibo infima comedens, vires suas restauravit.

10. Porrò gloriosissima Xaverii anima ex hoc sæculo ad cœlestem gloriam migravit, post transactam in hoc mortali corpore quinquaginta quinque annorum ætatem: sancta Francisca autem postquam quinquaginta sex annos devixerat; in utriusque autem corpore divina omnipotentia insignia operata est miracula. Etenim Xaverii corpus suavissimam spirabat fragrantiam, utpote quod post sedecim menses incorruptum & succidum, humore nimirum & sanguine plenum repertum est, nec non & vestes, quibus cadaver amictum erat, permanserunt illæsæ, tametsi in viva calce diu substitissent Sancta autem Francisca post evolutos quatuor menses & ultra, quibus sub terra humata fuerat, eruta fuit, ut in loco nonnihil decentiori collocaretur, & non solum percepta fuit major Rosarum, Liliorum, omniumque aliorum florum suavitas, quam dum ante sepolturam publico omnium aspectui erat expositum, verum etiam dum manus, brachia, & totum corpus tangeretur, repertum est incorruptum, & integrum, haud secus ac si etiamnum vivum & ex molli cera formatum esset: postquam verò ducentis annis sub humo quievisset, tam & lignum feretri, in quod sacrum ejus cadaver depo-

situm

situm fuerat, in pulverem redactum, clavi quoque ærugine totaliter consumpti essent, ossa tamen illius solida etiamnum reperta fuerunt & integra. Per utriusque verò sepulchri tam Xaverii, quàm S. Franciscæ pulverem per devotionem innumera variis in partibus patrata fuere miracula.

11. Enimvero tametsi utriusque præfati sancti vita magnam inter se analogiam habeat & similitudinem, non tamen minorem inveniemus convenientiam inter
Oss. 2. 4. S. Franciscum de Paula, & sanctam nostram, id quod ostensurus sum ad aliqua duntaxat particularia me restringendo. Et inprimis quidem S. Franciscus, cùm tredecim annorum esset, ut vitam potius ducere posset Angelicam quam humanam, solido sex annorum spatio, in densam quandam se solitudinem subduxit. De S. Francisca autem Bullas his verbis scribit: *Undecimum annum nata quasi solitariam vitam agebat*. Et quidem tametsi Deus voluerit, ut ipsa sponso cuidam terreno desponsaretur, non tamen ob id ipsa cœlesti suo sponso in locis solitariis perfrui desiit: *ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus*. Talem etenim solitudinem in vertice domus suæ præter duplex aliud Eremitorium quod in ejusdem domus ruinis evexerat sibi construxit: *Aversabatur gaudia hujus sæculi, ejusque ætatis ludos, & illecebras abhorrens, solitudine magnopere capiebatur*.

12. S. Franciscus de Paula in humilitate præcipuè insignis fuit; nam Ecclesia hanc in eo virtutem in oratione, quæ in ejus honorem recitatur, singulariter exaltat & in lectionibus habemus: *Humilitatem sic coluit, ut se omnium minimum diceret, suosque alumnos minimos voluerit rudi amictu*. De S. Francisca etiam affirmare possumus, quod de Olimpiade scribit Palladius: *Neque enim ejus indumentis inveniri potuit quidquam vilius; nam iis etiam, qui sunt pannis valde obsiti, indigna erant hujus sanctæ tegumenta*. Favores quot larga manu cœlitus recipiebat, ipsi quoque spirituali Patri suo quoad possibile fuit, celare studuit. Unde sicut jam diximus, quæ ei per quadraginta quinque annos dona cœlestia & favores obtigerint, hactenus in obscuro remansit: Imo nonnunquam Archangelus ad eam percutiendam adigebatur, ut eam ad dona, quibus suprema Dei Majestas eam honorabat, manifestanda violenter cogeret. Dum autem ad ea manifestanda adstringebatur, erubescebat, & confundebatur, seque pro viribus
In Bulla. humiliabat: *Alio honoris titulo quam peccatricis, immunditiæ vasculi se nomine insignivit*.

In lect. 13. De S. Francisco de Paula scribitur in ejus Historia: *Cibi abstinentia fuit admirabilis, semel in die post Solis occasum reficiebatur, & ad panem & aqua potum vix aliquid ejusmodi obsonii adhibebat, quo vesci in quadragesima licet*. Ecce igitur quàm conformis huic Francisco Francisca fuerit. Neque enim hujus abstinentia vivacius delineari poterat: *Cibum illi semel in die herba &*
In Bulla. *legumina aqua potum præbuerunt*. Nunquam ipsa vinum bibisse noscitur, nisi semel dum infirma existens per Confessarii obedientiam adacta illud sumpsit, quod etiam vinum penes se minimè postea retinuit. De ejus proinde jejuniis dicere possumus quod sanctus Hieronymus scribit: *Jejunia pro ludo habebat*. Nunquam carnes, ova, lacticinia, multo minus pisces comedit, ad
L. 2. ep. 59. quem vitæ rigorem S. Franciscus de Paula nunquam pertigit; neque herbas, quæ aliquo condimento præparatæ erant, admittebat; & ut plurimum illas lupinis intermiscere solita erat.

In lect. 14. *Erat in eo mirifica loquendi gratia*, scribit de sancto Francisco: valde enim erat urbanus & amabilis; ac proinde nullus eum conveniebat, qui ejus benignitate captus ab eo non recederet: consolabatur quemlibet, quantumvis is afflictus esset & desolatus. Simile quoque singularis amabilitatis donum à Deo sanctę nostræ concessum fuit, quo quorumlibet corda sanctè ad se rapiebat, confortabat tribulatos, alteratos mæstorum animos componebat, aliorum quoque voluntates pro suo libitu inflectebat, unicum erat in adversitatibus refugium, in subministrandis consiliis oraculum, asylus tribulatorum, & cum tentationibus colluctantium, ut de ipsa meritò dici potuerit: *Consolatrix afflictorum*,

15. De S. Francisco de Paula velut celebre quoddam miraculum refertur, quod extenso super aquas maris pallio, securo pede illis inambulaverit: veruntamen idem elementum sanctæ Franciscæ promptam quoque obedientiam præstitit. Dum enim die quadam in vivo sive torrente quodam consistens, suam ad Deum orationem effunderet, inopinatè in extasio rapta intra easdem aquas multis horis permansit, nec tamen inde quidquam madefacta fuit: in Tiberim cecidit, & exiit illæsa; dum ipsa officium beatæ Virginis alia quadam vice recitante plueret, ne una quidem aquæ stillula, sive super ipsam sive super officiolum, quod manu tenebat, cecidit.

16. S. Franciscus de Paula eundem innocentis & pœnitentis vitæ tenorem majori semper stabilitare, per sedecim annorum decursum continuavit. Sic quoque si vita S. Franciscæ penitus legatur, invenietur utique ipsam non solum ab infantia sua usque ad ultimum spiritum à cœpta perfectionis via retrogressam non esse, sed potius austeritates suas magis semper renovato fervore adauxisse, tametsi in rara atque perpetua vitæ innocentia semper vixerit.

17. De S. Francisco de Paula scribitur, quod post In lect.
mortem corpus ejus: *Undecim dies insepultum ita incorruptum permansit, ut suavem etiam odorem efflaret*. Idem quoque circa corpus sanctæ Franciscæ accidisse paulo ante diximus.

18. Verum enimvero discursum hunc nostrum tandem ad S. Franciscum Assisinatem convertamus, cui S. Francisca adeo devota fuit, ut tametsi pedem suum extra urbem Romanam nunquam extulerit, attamen ad hujus sancti Patriarchæ sepulchrum venerandum, Assisium sese pedestri itinere peregrinando receperit. Porrò certum est inprimis quod etiam sancta nostra Seraphicæ titulum meritissimo jure sibi vendicet, quotiescunque enim in extasio rapta fuit, anima ejus in Paradiso Seraphinorum choro se insertam fuisse depræhendit, seque divini amoris igne supra omnem modum semper in corde suo flagrare sensit.

19. S. Franciscus maximum se totius mundi peccatorem esse censuit, cum tamen revera omnium, qui in terris secum erant, innocentissimus & sanctissimus esset. Simili modo sancta nostra parem de se conceptum habuit, unde persuasum sibi habebat, quod dum universalia hominibus immittebantur infortunia, eadem in peccatorum suorum pœnam & supplicium in aliis evenirent, quæ proinde adeo amaris lachrymis deflebat, ut Confessarius has ei lachrymas sæpe prohibere cogeretur, veritus ne fletus vehementia causante, oculorum jacturam pateretur.

20. S. Franciscus humilitatis virtutem affectu adeo tenero diligebat, ut, dum aliquando postquam aliquot panis frusta mendicasset, fonti cuidam vicinus, iisdem vires suas nonnihil restaurare vellet, ad F. Maphæum conversus: *Spiritu exultans excitare illum cœperit ad* VVad an.
gratias agendas Deo, de illo tam ingenti paupertatis 1216. n. 2.
thesauro. Porrò S. Francisca hac virtute in summo prosperitatis culmine constituta, perfruita fuit; siquidem gaudium ipsi erat, dum sibi lacera & paupercula veste indui, & ramidis collecti à pauperibus seu pro pauperibus panis frustis vesci licebat, unde panem suum domesticum cum pauperum frustatim mendicato pane commutare solebat, dicens frusta illa sanguini Christi intincta esse, utpote amore ejus pauperibus data. Seraphicus Franciscus unicuique impertitus est eleemosynam, idem quoque S. Francisca fecit, suis etenim familiaribus unicuique eleemosynam petenti, ut subvenirent, præcepit. *Ante fores Ecclesiæ* (sunt verba S. Bonaventuræ) *conspecta multitudine pauperum diem illum in medio eorum cum insolita Spiritus jucunditate transegit*. Sic quoque S. Francisca dum ad S. Paulum Romæ statio esset, se quoque aliorum mendicorum prope Ecclesiam stantium numero immiscuit, & à diluculo matutino usque ad horam prandii, inter illos eleemosynam exposcens perseveravit. *Pro magna erga pauperes liberalitate & misericordia, meruit sibi Christum sæpe apparere*, scribit idemmet S. Bonaventura de S. Francisco. Quis autem enarrare poterit, quot S. Francisca vitæ suæ tempore apparitionibus gavisa fuerit? Quod si Seraphico Francisco concessum fuit Jesum infantulum intra brachia sua stringere, eundem quoque cœlestem infantem non semel, sed sæpius in sinu Francisca suscipere meruit.

21. *De potu vini quid dicam, cum & de aqua frigida,* S. Bonav.
dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet; scribit de S. Francisco S. Bonaventura. Ejus quoque miram abstinentiam paulo ante vidimus, & admirati sumus.

Inter homines vivens (inquit de S. Francisco vitæ ejus historia) *imitator fuit puritatis Angelicæ*. Similiter S. Francisca immaculatam quandam in statu suo conjugali conservavit puritatem, adeo ut continuo in societate sua habere meruerit Angelos. De S. Francisco S. Bonaventura ait: *Non modo viros, sed etiam fœminas ad sanctissimæ vitæ institutum revocavit*. Multi quoque viri ad pœnitentiam mediante sancta nostra fuerunt reducti; imo fundatum ab ea Oblatarum institutum, ardentissimi zeli, quo lucrum prosequebatur animarum, evidens perhibet testimonium.

22. Idemmet S. Bonaventura, postquam multa retulisset à sanctissimo & Seraphico Patre patrata miracula, tandem ita concludit: *Perpende, quam miranda fuerit vir iste munditia, quantaque virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, angelica præbet melodia solatium, & lux divina ducatum, ut sic sanctificatis viri sancti sensibus omnis probetur mundi machina deservire*. Enimvero qui intelligere desiderat, quantopere S. Francisca in miraculis patrandis S. Franciscum imitata fuerit, vitam ipsius diligenter pervolvat; Ibi namque inveniet eam laxasse linguæ vinculum mutis, surdis restituisse auditum, lumen cœcis, moribundis sanitatem, dolentibus vitam; elemento ignis suam suspendisse activitatem, aquæ etiam elementum suis reddidisse ouribus obsequiosum. Et sicut Spiritus quidam Angelicus vice quadam, Seraphicum Franciscum in sua infirmitate confortaturus è Paradiso ad eum descendit: ita quoque in obsequium S. Franciscæ præter ejus Angelum custodem, non unus sed duo Archangeli fuere destinati, ut eidem variis in occasionibus atque temporibus deservirent, eamque à quavis re noxia tuerentur atque defenderent. Sicut etiam S. Franciscus spinas, in quibus S. Benedictus se circumvolutarat, solo corporis sui contactu rosas germinare fecit: ita quoque sancta nostra in gelidissimo hyberni temporis frigore vites fructificare fecit, botros recentes, ut religiosarum suarum siti & fami subveniret.

23. Veruntamen id, in quo sancta Francisca specialissime sanctum Franciscum imitata fuisse legitur, est cordialissima quam erga Passionem Redemptoris semper exhibuit, compasio: *Memoria Passionis Christi visceribus cordis ipsius impressa medullitus*. Unde sicut in manibus, pedibus, & latere Seraphici Francisci vulnera Crucifixi impressa fuerunt, atque ad emanantem è dictis vulneribus humorem sanguineum detergendum, quasdam pani pesias pectori semper admotas habuit, ita quoque si Historiam sanctæ Franciscæ legeritis, videbitis utique eidem pariter impressa fuisse tormenta & dolores passi Salvatoris, quotiescunque illos meditabatur; mox enim ut mente sua manuum v. g. crucifixionem recolebat, acerbissimos in iisdem sentiebat spasmos; dum coronam meditabatur spineam, punctiuras in temporibus suis sentiebat dolorosissimas, & sic deinceps de aliis patientis Christi doloribus discurrendo. Porrò compassio hæc ad eam usque vehementiam ascendit, ut eam sanguinem evomere fecerit; in manibus quoque ac pedibus sanguis haud secus concurrebat, ac si pariter actu & reipsa transfixi fuissent; unde nonnumquam humor emanabat sanguineus; quem linteis quibusdam admotis detergere solebat: & hoc quidem vulnus ei impressum fuit ab eodem Seraphico divino amore, qui Seraphicis sagittis cor ejus transfixit.

S. Bonav.

24. Ad hæc dicere possumus, quod, sicut sanctus Franciscus orationum suarum efficacia, divinæ iræ fulmina continuit, adeo ut ab Innocentio III. visus fuerit veluti labentem sustentans Ecclesiam; ita quoque Roma maxima ex parte idemmet incomparabile præservationis ab ira Dei beneficium debeat sanctæ Franciscæ; cum enim Deus imminentes urbi Romanæ calamitates, ipsi in extasin raptæ, evidenter ob oculos posuisset; ipsa mox preces suas apud Deum interposuit, eumque placavit: imò S. Paulus aliique sancti sæpius eam cohortati fuerunt, ut se per intercessiones suas apud divinam Justitiam interponeret, ad coercendas justi furoris divini sagittas.

DE S. JOSEPHO SANCTISSIMÆ VIRGINIS SPONSO,

Discursus Undecim.

Ex nomine Josephi, quod idem est, ac Filius accrescens, Patriarcham hunc omnibus Angelis, cunctisque aliis Sanctis superiorem, ipsique Deo vicinum esse demonstratur.

DISCURSUS PRIMUS.

Cui nomen erat Joseph.

1 MYsterium, propter quod Spiritus sanctus in Evangelio nominis Joseph mentionem facit, ab Hugone Cardinali hisce verbis insinuatur: *Non sine ratione magna exprimit Lucas nomen viri, magnum siquidem latet in hoc nomine mysterium*. Testimonio autem utitur S. Bernardi, qui acutè consideravit, quatuor fuisse, qui in sacris literis hoc celeberrimo nomine fuere insigniti, atque in virtutibus & sanctitate insignes fuisse noscuntur; nimirum: Joseph filius Jacob; noster Sponsus Mariæ, Joseph ab Arimathæa, & Joseph qui in actibus Apostolicis cognominatus est justus. Noster autem Joseph omnium aliorum excellentias in se uno conjunxit; si enim magni æstimatur, & meritò, quod Joseph salvator Ægypti fuerit figura Christi, majoris utique æstimandum erit, quod noster Joseph in omnibus sola generatione excepta, Patris Christi officium & nomenclaturam sustinuerit. Unde pul-

pulchros inter utrumque parallelos S. Bernardus nobis in Matutini lectionibus descripsit. Si Joseph ab Arimathæa ex eo laudandus venit, quod in custodia sua habuerit corpus Redemptoris nostri mortuum: magis deprædicandus erit Joseph noster, qui eundem Salvatorem tot annis nutrivit & custodivit vivum. Si magnum quid esse censetur, quod Joseph condictus Barsabas, per Antonomasiam cognominatus fuerit justus: cur non velut excellentissimum Josephi nostri encomium censendum erit, quod hic pariter eodem encomio à Spiritu sancto fuerit honoratus: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus*. Et sicut ille Resurrectioni Christi testimonium ededit, ita quoque noster Incarnationis, Nativitatis, educationis omniaque alia totius vitæ ejus mysteria, usque ad trigesimum ætatis annum prodidit. *In primo commendatur prudentia* (sunt verba ejusdem Cardinalis) *quia somnia veraciter exposuit*. Et quidem hæc eadem virtus in sancto Josepho nostro singulariter emicuit, siquidem etiam dormiens Angelorum apparitionibus honoratus fuit, multasque habuit revelationes cœlestes, in quibus admirabilem prudentiam suam demonstravit. In Josepho ab Arimathæa invicta quædam fortitudo eluxit: *Audacter enim ad Pilatum introivit, ut peteret corpus Jesu*; Quæ etiam virtus in nostro Josepho conspicua fuit: *Elucet ejus fortitudo* (inquit Salmeron) *in incommodis paupertatis, in periculosa peregrinatione ad gentem hostilem, in injuriis propter Christum toleratis*. [Tom. 3. tr. 30.] Porrò in alio Josepho, Barsaba nimirum, admiranda præcipuè est perfectio & cumulus virtutum: quia: *Cognominatus est justus*, uti jam diximus: eadem verò eminentissima sanctitas pariter in nostro Josepho commendatur. Verum enimverò id, quod inter cætera præcipuè considerari cuperem, est, quod in Genesi recensetur; Quando enim sanctus Patriarcha Jacob filiorum benedictioni, in fine vitæ suæ intentus, per ordinem ad Joseph devenit, de eo dixit: *Filius accrescens Joseph* [Gen. 49. 3.] Ubi Lyranus ait: *Per Joseph, qui interpretatur accrescens, significatur augmentum virtutis & gratiæ*. Salmeron dicit: *Vere fuit Joseph, id est, donis Dei auctus*. [In cap. 2. Matth. to. 3. tr. 28.] Etenim de nostro Josepho liberè affirmare possumus: *Prior in donis, major in Imperiis*; in illum namque Deum paternam auctoritatem habuit, in cujus fœmore scriptum est: *Rex Regum, & Dominus dominantium. Erat subditus illi*, derivando scilicet in ipsum dona & gratias cœlestes ex aurifodina Spiritus sancti. Quam sanctus Joseph in utero Mariæ conjugis suæ primus detexit: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. A quo inventa est?* [Matt. 1. 18.] (inquit Theophylactus) *a viro*. Credibile est autem quod & ipse ex hisce divinis aurifodinæ Spiritus sancti thesauris divinis locupletatus fuerit, nominis sui Ethymologiæ correspondendo, ostendendo nimirum, quod *vere fuerit Joseph, id est, donis Dei auctus*. Unde sacer quidam interpres super Evangelium de eo, hoc modo scripsit: [Didacus Stella in cap. 1. Lucæ.] *Sicut Dominus eam mulierem elegit, ut mater esset filii sui, qua melior aut similis in universo non reperiretur: ita etiam talem virum in sponsum illi matrem dedit, quo sanctior aut purior vix queat reperiri*.

2. *Accrescens Joseph*. Enimvero sanctus Joseph, ni fallor, omnium aliorum insignium sanctorum, qui in Ecclesia fuerunt, merita & prærogativas longè transcendit, prouti nobis haud difficile erit probare, Etenim sanctus Joannes Evangelista dilectus Jesu discipulus passim denominari meruit qui etiam præ cæteris in signum intimæ familiaritatis & dilectionis, in ultima cœna privilegiatus fuit, ut caput suum in suavissimum Salvatoris sinum reclinaret: *Supra pectus Domini in cœna recubuit*. Adhæc *Christus Virginem Virgini commendavit*. Et tamen longè majoris æstimandum est illud, à filio Dei sancto Josepho præstitum privilegium; adeo ut ex multis punctis clarè deduci possit, quod cœlestis Jacob *diligeret Joseph super omnes filios*, id est, super omnes Sanctos. Porrò sanctus Joannes Apostolus in schola Christi, dilecti discipuli locum quidem obtinuit: at verò in domo Joseph Christus factus est illius filius; ideoque meritò dici potest, Christum post sanctissimam Matrem suam super quamvis aliam creaturam Josephum dilexisse. Et quidem si multum est, quod Joannes unica tantum vice in sinu Christi dulciter quieverit, plus sanctus Joseph obtigit, utpote qui dulcem puerum Jesum infinities intra brachia sua ad cor suum adstringere meruit. Ipsum magnæ Matri suæ dedit, non in filium, prouti dilectum Apostolum suum, sed in sponsum, quod forsitan quid amplius est, quia conjux *sub viri potestate est*. Præterea considerari potest, quod *Joanni commendata est, cum jam Virgo adolevisset, & ad majores annos ætatis suæ pervenisset: at Joseph junioribus adolescentiæ suæ annis*. [Didacus Stella in Luc. c. 1.] Unde deduci potest, quod is, qui Spirituum ponderator est, longè insigniorem in sancto Josepho charitatem, quam in sancto Joanne agnoverit. Hunc enim post sanctum Josephum ad Virginis elegit obsequium & familiaritatem. Ita Didacus Stella hanc rem considerat.

3. *Accrescens Joseph*. Sanctus Paulus raptus est in cœlum Empyreum, ubi ei revelata fuerunt divina secreta. *Audivit arcana verba*; Viditque per modum transeuntis divinam essentiam: hunc tamen specialissimum favorem semel duntaxat accipere meruit, quantum nobis quidem constat; & quidem qua id ratione contigerit, ipsemet nobis dicere minimè potuit: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit*, [2. Cor. 12. 2.] ac proinde sanctus Joseph illum haud dubiè quoad hoc superavit; siquidem ipse primus à Deo in novo Testamento inter omnes alios homines electus fuit, qui omnium excellentissimorum maximeque absconditorum mysteriorum & Sacramentorum fieret particeps, prouti ex tot ei factis revelationibus constat. In lectionibus etenim matutinalibus hodie legimus: *Isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium Sacramentorum*; idque per plurium annorum decursum. [Serm. 1.] Ex quo etiam sanctus Paulus ad Empyreum cœlum evectus fuit, ut gloriam illam per modum transeuntis conspiceret, existimo omnino eum inde non tantum gavisum esse quantum Joseph per diuturnam illam ad triginta annos productam Christi & Mariæ unà secum societatem. Sanctus Bernardus de assumptione beatæ Virginis ita scribit; *Maria præsentia totus illustratur Orbis, adeo ut ipsa jam cœlestis patria clarius rutilet Virgineæ lampadis irradiata fulgore*. Hæc autem Virgo conjux sancti Josephi fuit, & cum ipso in ejus domo triginta fuit annorum spatio commorata. Quod si igitur in primo suo in cœlos ingressu tantam cœlo gloriam contulit, qualis erit gloria illa, quam domus Josephi ab eadem per tot annorum curricula accepit? Porrò si de Christo nobis sermo sit, ut Albertus Magnus scribit, [Super missus est, c. 39.] *Dominus quando descendit, non sine regno cœlorum fuit, sed regnum cœlorum secum tulit*. Sed quonam illud detulit? In domum sancti Josephi. Unde si Bedæ scribere licuit: [In cap. 1. Luc.] *Omnis Sanctorum beatitudo de glorioso Virginis utero processit*; quid de Josephi beatitudine censendum erit, cujus domui ipsummet cœlum Empyreum invidere potuisset. Quid etenim in Paradiso seu cœlo est, quod hominem vel Angelum beatum efficit? utique ipse Dei vultus, utpote: *In quem desiderant Angeli prospicere*. [1. Pet. 1. 12.] In hunc sanctus Joseph facie ad faciem semper defixus erat. Beatitudo non consistit in beatorum spirituum multitudine, nec in amplitudine, divitiis & pulchritudine Paradisi, sed quemadmodum Moysi postulavit: *Si inveni gratiam in oculis tuis ostende mihi faciem tuam*, invisione Dei præcipuè consistit. Porro Moysi responsum fuit: *Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris*, [Exod. 33. 13.] id est, ut Glossa interlinearis declaravit; *Incarnationem credet*. Longè igitur fortunatior fuit Joseph, qui huic Verbi incarnationi adstitit, quando domi suæ in utero sponsæ suæ peracta fuit, suosque oculos in illius Dei faciem defixit, qui ipsummet Paradisum efficit beatum. *Videbat eum facie ad faciem*. Considerandum quoque hoc loco est, quod primus locus, in quem Paradisus descendit, fuit felicissima sancti Josephi domus, beata namque anima Christi sacratissimæ illius humanitati, in ipsius Josephi habitatione conjuncta fuit, ac proinde de conceptione & partu Mariæ dicitur: *Emissiones tuæ Paradisus*. In hanc igitur domum haud dubiè ad Virginem fæcundandam descendit Spiritus sanctus, & per concomitantiam Pater æternus, adeoque Verbum, quod incarnabatur longè magis eo descendit? ac proinde multis titulis dici potest, Josephum de Paradisi gaudiis multo amplius quàm S. Paulum participasse.

4. *Accrescens Joseph*. Constat quidem sancto Petro claves Ecclesiæ consignatas fuisse, eumque à Christo constitutum fuisse unicum suum in terris Vicarium, at verò sanctus Joseph à Christo in Patrem suum electus fuit, quod plus est: Porta cœli ei consignata fuit, id est, ipsissimus Dei Filius, qui de se ait: *Ego sum ostium; Per me si quis introjerit, salvabitur*. [Jo. 10. v. 9.] Hæc autem Paradisi

disi

disi porta potestati ejus tradita erat: *Erat subditus illi*; imo si præter hanc aliam quoque cœli portam recognoscere velimus, id est, beatissimam Virginem: *Janua cœli*, hæc quoque in manu Josephi, utpote sponsa ejus posita erat; *Sub viri potestate*, idque non tam in antiquæ maledictionis pœnam, quàm per propriam voluntatem. Sancto Petro quidem grex Christi ab eodem Christo consignatus erat, ut eum pasceret & custodiret: *Pasce oves meas*: at verò ipsemet Pastor semetipsum velut agnellum immaculatum S. Josepho consignavit, ut eum per tot annorum spatium in sudore vultus sui aleret.

5. *Accrescens Joseph*. Enimvero quot encomiis magnus ille Baptista à Christo celebratus fuit. Inter cætera autem magna censetur fuisse ejus felicitas, quod in baptismo manum suam capiti Christi imposuerit, quod illum hisce verbis: *Ecce Agnus Dei* mundo indicarit. Verum ehem quanto magis à Christo sanctus Joseph honoratus fuit, quanto eidem non verbis, sed factis ipsis humiliora obsequia exhibuit, se illi tanquam Patri tanta cum reverentia subjiciendo? Sanctus Joseph Christum non demonstravit digito sicut Joannes, sed potius manibus & brachiis eum frequenter sinui suo adstrinxit. Quòd si sanctus Joannes Baptista Virginem jam Verbo æterno fœcundam, sibi vicinam sentiens, tametsi in materno Elisabethæ utero reclusus delitesceret, Spiritu tamen sancto repletus, salire cœpit & exultare, quibusnam igitur Paradisi thesauris sanctum Josephum ex familiarissimo utriusque consortio, per tam longum temporis decursum locupletatum fuisse existimatis?

6. *Accrescens Joseph*. Nunc ipsas Angelorum Hierarchias, si placet, transcendamus. Quisnam igitur administrandum filio Dei dignior fuit, Angelisne an verò sanctus Josephus. Rarò equidem Angeli Christo visibiliter ministrasse inveniuntur: at verò sanctus Joseph non solum Christo multis annis inservivit, verum etiam ipsemet Christus sancto Josepho deservire non est dedignatus. Certum equidem est Salvatorem nostrum non indiguisse Angelis qui eum custodirent, siquidem ipse est, qui naturam & humanam & Angelicam custodit; veruntamen quia insuper verum est, quod *voluerit per omnia fratribus assimulari*, ideo omnino mihi persuadeo, quod nobis insinuare voluerit, se Angelos destinasse ut custodes essent hominum, ex hominibus autem dignissimum quendam, qui Dei custos esset; & hic fuit sanctus Joseph, quem in tot, in infantia sua, & maximè in fuga in Ægyptum, imminentibus periculis elegit in custodem suum & viæ ducem: *Cui Angelorum dixit Filius meus es tu?* Nullus etenim Angelorum gloriari unquam poterit, se in Patrem Dei nominatum & deputatum esse, prout sanctus Joseph vocitatus fuit, idque non tantum ab Hebræis, qui eum Patrem Christi per derisum & subsannationem vocabant, sed ab Evangelistis, quorum calamus à Spiritu veritatis, necnon ab ipsamet hujus filii
Exod. 25. 21. matre, cui hic titulus: *Sedes Sapientiæ* attribuitur, gubernatus fuit: In Sancta sanctorum Arca Testamenti collocata fuisse noscitur, supra quam lamina quædam aurea erat, quæ nominabatur propitiatorium, ad cujus latera duo Cherubini positi erant in specie admirantium, *versis vultibus ad propitiatorium*. Porrò propitiatorium
1. Joan 22. hoc Christum repræsentabat, de quo dicitur; *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris quem posuit Deus propitiationem*. Hi autem duo Cherubini beatissimam Virginem & sanctum Josephum repræsentabant; quia sicut illis sapientia attribuitur, ita quoque Virgo, ut statim diximus, *sedes est sapientiæ*, Josephus autem in specie senis communiter depingitur, eo quod admodum prudens & sapiens fuerit. Unde melius ipsi, quam alteri cuipiam adaptari possunt hæc verba: *Nunquid sapientiorem & con similem tui invenire potero?*
Gen. 41. 39. Veruntamen hæc est inter hunc sanctum & Cherubinos differentia, quod hi Deo throni & sedis loco deservierint; *Qui sedes super Cherubim*: de sancto Josepho autem scriptum legimus, quod filius Dei sub sancto hoc Patriarcha steterit; *Et erat subditus illis*.

7. *Accrescens Joseph*, Post supremas Angelicorum Spirituum Hierarchias; altius aut propinquius juxta Dei thronum ascendere nemo potest, quam si quis ad thronum pertingat Reginæ cœlorum. Hæc autem sponsa est sancti Josephi, qui consequenter ex hoc capite ipsa superior est, quia *sub viri potestate est*, & huic à sanctissima Triade destinata fuit. Unde sanctus Bernardinus
Serm. de S. Josepho. hoc elicit argumentum: *Quomodo cogitare potest mens diserta quod Spiritus sanctus tanta unione conjugii uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam*: Hac autem inter hunc sanctum & beatam Virginem quoad virtutes & perfectionem similitudine & uniformitate supposita, quid in ejus laudem amplius aut excellentius sibi quis imaginari poterit?

8. *Accrescens Joseph*. Spiritus sanctus etiam illum elegit, ut simul cum eo magnæ Matris Dei sponsus esset, dum solus ipse Virginalem uterum hoc divino partu fœcundavit, cæterum verò sanctum Josephum omnibus aliis tum sponsi Mariæ, tum Patris Christi excellentissimis titulis & privilegiis decoratum esse voluit. Et quidem erga beatam Virginem munera & vices exercuit Spiritus sancti; hic etenim dominatur; *Consolator optimus dulcis hospes animæ*; ipse verò conjugem suam per tot annos in habitatione & domicilio suo pariter hospitio suscepit, eique summæ consolationi fuit. Unde in lectionibus matutinalibus hæc verba legi audivimus: *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium*. Rupertus Abbas Tuitiensis de anima humana à Deo dilecta ad propositum ita loquitur: *Humana quippe creatura est illud opus, quod eadem B. Trinitas magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret*. Sic quoque S. Josepho juxta nostrum intelligendi modum dici potest tres illas divinas personas in honorando & sublimando S. Josepho quodam modo inter se decertasse; Pater quidem unigenitum suum per triginta annos ei recommendando, ipsiusque custodiæ consignando; Spiritus sanctus sponsam suam ei in depositum consignando, ut conjux ejus esset: Verbum denique æternum, se ei tanquam filium obedientem & obsequiosum subjiciendo. Quidnam igitur nunc sublimius cogitari poterit à pura creatura assequibile?

Ex vocabulo vir, quod idem est, ac Homo Virtutis, varias B. Josephi virtutes considerandi occasio ministratur.

DISCURSUS SECNDUS.

Joseph autem vir. Matth. cap. 1. v. 19.

1. AD eum modum, quo Cosmographi in chartis suis, per modica puncta amplas denotare civitates, & per lineas subtilissimas vastissima & navigabilia flumina exprimere solent, nobis quoque licitum fore existimo, ex modicissimo quodam monosyllabo vocabulo, quale est hoc nomen, *Vir*, largam virtutum & gloriæ S. Josephi deducere materiam. Nec est quod vobis persuadeatis, S. Josephum solum hac vice & casualiter hoc epitheto appellatum fuisse; siquidem idemmet Evangelista ipsum quoque antea *Virum* nominavit: *Jacob genuit Joseph virum*; & S. Lucas de gloriosissima illa le- Matt.1.16.
gatione ad Mariam celitus destinata tractans, dum ejus, cui desponsata erat, mentionem faceret, dixit: *ad Virginem desponsatam viro*. Ubi doctissimus Salmeron ita scribit: *Honoris gratia semper Joseph dicitur vir & non* To. 3. tr. 4.
homo, ut ab ea parte intelligatur, qua virtutem habet. In c. 1.
Et expressius S. Bonaventura auctoritatem S. Bernardi Luc.
usurpans dicit: *Virum nominat, quia homo virtutis*. Examinemus igitur in hoc discursu virtutes, quæ magnam hanc Josephi animam exornarunt.

2. *Homo virtutis*. Cum humilitas fundamentum sit omnium virtutum, hinc sanctus Joseph utique in hac virtute stabiliter radicatus fuit, prout idem Salmeron observavit, dum ita scribit: *Prætereà humilitate conspicuus* Tom. 3. tr.
fuit: tali humilitate illi opus erat, ut de tantis donis elatus insolesceret, & superbiret: tum etiam, quia cum humi- 30.
libus Christo & Maria erat convicturus. S. Bernardus illa verba: *Voluit occultè dimittere eam*, id est, Virginem, Hom 2. su-
quando illam cognovit esse gravidam, sic interpretatus per missus
est. *Propter hoc Joseph voluit occulte dimittere eam propter* est.
quod & Petrus Dominum a se repellebat dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum: propter quod & centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum: ita ergo & Joseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & tanta non debere sibi ultra familiare præstari con-

tu-

tubernium, cujus supra se mirabiliter expavescebat dignitatem.

Hom. 4. in Matt. 3 *Virum nominat, quia homo virtutis.* In ipso quoque admirari possumus fidem, & tanquam virtutem Theologicam, & tanquam eam, quæ pertinet ad fidelitatem. Enimvero Chrysostomus apparitiones illas, quibus Angelus Beatam Virginem & S. Josephum convenit, considerans, optimè notat, quod Beatæ Virgini vigilanti apparuit, sicut etiam pastoribus Bethlehemiticis, & Zachariæ Patri S. Joannis Baptistæ: S. Josepho autem non semel sed sæpius dormienti apparuerit, cujus differentiæ rationem hanc adducit, quam non ad derogandum sanctissimæ Virgini, sed tantum ad sponsum ejus honorandum hoc loco referimus, dicit igitur: *Erat vir prorsus fidelis, & manifestiori revelatione non indigens.* Etenim ad credendum suamque fidem excitandam adeo promptus erat ut etiam somnia, ut ita dicam, divinarum revelationum loco habuerit. *Vidisti*, inquit idem, *animum sacris sermonibus fidem accomodantem?* Quod
Hom. 55. verò fidelitatem ejus attinet; sanctissima Virgo S. Birgittæ revelavit, quod *fuit fidelissimus.* Salmeron ait: *Fuit*
Lib. 6. c. 58. *fidelis, id est fidelitatem servans illi qui talem sibi ac tantum*
Tr. 6. c. 30. *thesaurum tanto tempore servandum commisit, Jesum nimirum & matrem.*

4. *Homo virtutis.* Porrò de ejus erga Deum charitate & amore nemini dubitare licet: siquidem Sapiens ait:
Prov. 6. 27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Deus ignis consumens est.* Hic autem charitatis & amoris divini ignis S. Josepho semper proximus erat: *Deus charitas est, qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo* S. Prosper scribit: *Illi perfectè diligunt Deum, qui volendo quod vult Deus, & nolendo quod non*
L. 3. de vita contem. c. 15. *vult, nec ullis peccatis quibus offenditur, acquiescunt.* Porrò S. Joseph nullum sibi aliud objectum propositum habebat quàm ut Dei voluntatem adimpleret, prout à B. Virgine S. Birgittæ revelatum fuit. Infinitum quoque ab omni naevo culpæ habebat horrorem, *cum esset justus.* Præterea si mensura doloris est amor, quo quis objectum
Serm. de S. Jos. a. 2. c. 3. amat, propter quod dolet, ut scribit. S. Bernardinus, mirum non est, quod Deus suaviter ita disposuerit, ut S. Joseph ante filii sui crucifixionem moreretur: *Ne in morte Christi immenso dolore cruciaretur.*

5. *Homo virtutis* propter virginalem suam continentiam. Unde Albertus Magnus super illa verba: *Virum Mariæ*, dicit: *Vir dicitur potius a vigore & virore, quia castitatis vigore & virore floruit, similis propositi existens cum B. Virgine.* Lucas Burgensis in ea est opinione,
Matth. 1. quod mysterium, ob quod Christus sponsum matris suæ Josephum denominari voluit, hoc fuerit, *ut intelligerent fideles, cum ut nomen ita & castitatem assecutum veteris illius Patriarchæ Joseph.* Lyranus aliud quoddam tangit virginitatis ejus argumentum, nimirum quo cum Christus in passione sua inter alios Apostolos S. Joannem tanquam virginem elegerit, cui sanctissimam matrem suam in custodiam consignaret: *Non fit probabile, quod ante conceptum, dum adhuc esset juvencula, traderetur alicui, nisi virgini custodienda.*

6. *Homo virtutis.* Didacus Stella super illa verba: *Ad virginem desponsatam viro* glossans dicit: *Viro dixit non homini, viri namque nomen fortitudinem, animi robur & virtutem significat.* Vultque eum, quod fortitudinem & virtutem Virginis spectat, ei consimilem fuisse, juxta tritum illud adagium: *Si vis nubere, nube pari.* Etenim in lingua Hebræa, ut Salmeron notat, hoc vo-
In Ps. 1. cabulum *vir, fortitudinem & constantiam significat, quemadmodum homo ab humo dicitur.* Unde & Cassiodorus ait: *Vir vocatus a viribus est, qui nescit in adversis tolerando deficere, aut in prosperis aliqua elevatione se jactare, sed animo stabili defixus & cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus.* Ehem quoties hanc fortitudinem suam, divinum sibi recommendatum infantem ab impio Herodis Tyranni furorem defendendo prodendi & probandi occasionem habuit? Septem namque solidis annis, eum in regione filio Dei inimicissima, ejusque sacro cultui quam maximè contraria, id est, in Ægypto, summa cum solicitudine custodivit; idque corde semper impavido atque intrepido, nullam unquam ærumnam aut adversitatem formidando.

7. *Virum nominat, quia homo virtutis.* Porrò S. Maximus in alia quidem occasione, ad nostrum tamen propositum valde opportunè nobilem quandam sententiam post se scriptam reliquit; dum ait: *Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem.* Quis unquam Salvatorem nostrum integrius possedit, quam S. Josephus, utpote cui subjectus erat. *Et erat subditus illi?* Enimvero possessionem istam in virtute heroici contemptus illius sibi acquisivit, quem sibi mundi hujus in animo suo conceperat; ita etiam sanctissima Virgo S. Birgittæ revelavit, dum ait: *Ipse etiam sic mortuus erat mundo & carni, ut nihil desideraret, nisi cœlestia.* Aurum namque veluti lutum æstimabat; nam cum sancti tres Reges divinum infantem illum regiis muneribus suis honoratum, ingentes ab Oriente secum thesauros attulissent, eosque divino infanti, ejusque parentibus præsentassent, Joseph intra quadraginta dierum curriculum, ex omnibus hisce thesauris ne teruncium quidem reliquum habuit, nam dum diebus illis evolutis ascensurus esset Jerusolymam, ad purificationem sponsæ suæ, divinique infantis oblationem perficiendam, agnum sibi, consuetum videlicet purificantium munus, comparare minimè potuit, ideoque more pauperum, oblationem suam expedivit, columbas scilicet & turtures offerendo, utpote qui aurum omne ab orientalibus Regibus acceptum, in pauperum subsidium dispensarat. Lucas Burgensis circa paupertatem, & qui in Josepho relucebat. mundi contemptum, aliam quandam instituit considerationem, nam ex eo, quod monitus noctu Josephus, ut unà cum cœlesti infante & Matre ejus fugeret in Ægyptum, nequicquam tardavit, sed eodem momento, Angelico monito obtemperans, itineri se accinxit, ita concludit: *Ecce parentum Christi paupertatem, non sarcinas multas ante fugam colligendas, non opes committendas, non debita repetenda habebant.*

8. *Homo virtutis*; ob suam sapientiam. *Hac autem eo* Eccl. c. 34.
cogitante, inquit de eo Evangelista, ubi Glossa ait: *Notatur animus sapientis, qui nihil temere vult incipere.* Et Ecclesiasticus clarius inquit: *Vir in multis expertus, cogitabit multa*: Salmeron ait: *Fuit singulari prudentia* Tr. 30.
præditus. Angelicus Doctor quoque in c. 1. S. Matthæi de ipso scribit: *Per Joseph significantur prædicatores, hoc est, Apostoli, qui ponuntur ad expellendas tenebras per doctrinam.* Albertus Magnus sacros Doctores in persona Josephi significari censet: *Doctorum cætum quasi Joseph in præsepio reperiunt.* Unde nonnulli existimant, In Luc.
sanctum Josephum in specie decrepiti senis depingi, non c. 1.
propter ætatem sed ob senilem, quæ in eo relucebat, prudentiam.

9. *Virum nominat, quia homo virtutis*; idque si prompta ejus consideretur obedientia, quam sine ulla contradictione vel discursu exhibuit. Glossa circa hæc ver- In cap. 2.
ba: *Fecit sicut præcepit*, inquit, *perfecta obedientia, fe-* Matt.
cit non tantum, quod præcepit Angelus, sed sicut præcepit. Porrò omnes sacri expositores, promptam, qua Angelo paruit, obedientiam sunt demirati. Theophylactus enim ait: *Vide animum alacrem, quomodo statim* Tr. 30.
obedierit. Albertus Magnus super hoc se reflectit, quod Angelus ei non significarit, quanti temporis moram, una cum Virgine & sanctissimo puero in Ægypto tracturus esset, ejusque causam insinuans dicit: *Ideo est, quia jam Joseph devotum & paratum ad omnia fecerat, & ideo quantumcunque temporis in exilio & labore esse debeat, jucundum sit ei & devotum.* Salmeron quoque optimè notavit, quàm S. Joseph observans fuerit legum cæremonialium, statutis debitisque temporibus templum frequentando Hierosolymitanum humanis etiam Cæsaris legibus obediebat, siquidem in Bethlehem concessit, ut se unà cum sacratissima Virgine describi faceret: *Nec iis modo, quæ levia erant & facilia factu, obedientem & morigerum se præstabat, verum etiam in duris asperis, atque laboriosis, ut in solutione census, in fuga in Aegyptum, in reditu cum metu Archelai Regis; præstabat etiam obedientiam cæcam, non respondens, neque se excusans, ideo ab Evangelistis inducitur semper silens ac taciturnus, atque re, quod imperatum est, præstans.* Unde etiam indubitata deduci potest perfectionis ejus consequentia; quia *si quis non offendit in verbo, hic perfectus* Jac. 3. 2.
est vir.

10. *Virum nominat, quia homo virtutis. Patientissimus* Lib. 6. c. 58.
erat, inquit Beatissima Virgo ad S. Birgittam, *in paupertate.* Deum illum, qui *dat escam omni carni*, nec non sanctissimam cœlorum Reginam nutriendos habebat, & hæc quidem alimenta suis ipsis erant sudoribus procuranda. Quantum igitur ipsum passum fuisse existimabimus ex eo, quod se tantorum hospitum meritis &

digni-

dignati respondete nequaquam posse videret? Quot in laboriosissimorum itinerum periculis devoravit molestias? Quot in Judæa, Galilæa, Ægypto sustinuit vigilias, quot persecutiones? Quot ab invidia & malignitate Pharisaica, quæ Christum, tanquam si filius ejus esset; *Nonne hic est filius fabri?* persequebatur & calumniis impetebat, toleravit injurias, quot pertulit ærumnas.

11. *Homo virtutis*. Enimvero S. Josephus humillimus pariter erat, & modestissimus, ut jam diximus; ex alia vero parte præ omnibus aliis perspicuam magis habebat notitiam & lumen de Majestate & divinitate filii illius, qui sibi, tanquam si filius ejus fuisset, erat subjectus; ac proinde quanta cum mortificatione ex eo exercitum fuisse credetis, quòd tali ac tanto domino loco Patris preesse, eaque ab eo obsequia tecipere cogeretur, quæ hic tantus filius ei quotidie promptissimè exhibebat, nam *erat subditus illi*? Salmeron ait: *Erat durissima sibi humillimo Provincia, quod præcipiendum sibi esset Verbo æterno incarnato, cui parent dominationes & subdita sunt cum tremore potestates?* Quali dolore tot ejus vulneratum fuisse censebimus, ob triduanam illam tanti filii amissionem, licèt hæc sine omni prorsus culpa ei accidisset? Et tamen ne unicum quidem doloris significativum verbum protulit. Unde infinita teverentia & tespectus, quo eum prosequabatur, facile arguitur; neque enim nobis quicquam unquam Verbo inrarnato à S. Josepho præceptum aut impositum fuisse constat.

12. *Virum nominat, quia homo virtutis*. Nimirum *mansuetissimus ad objurgantes*; Hoc namque illius encomium S. Birgittæ à sanctissima Virgine revelatum fuit. Et quidem si Salvator Apostolos, inter cunctas alias virtutes, mansuetudini specialissimè comparandæ intentos esse voluit, dicens: *Discite a me quia mitis sum*, quanto magis S. Josephum eandem mansuetudinem, intra triginta annorum decursum, ex Christi exemplo didicisse
Tr. 30. credendum erit? *Ecce homo sine quarela*, ita de eo ad literam dici poterat, *verus Deus cultor*, quia in tot contradictionibus & adversitatibus nunquam lamentationis aut querimoniæ signa edidit. *Elucet ejus fortitudo in injuriis*, (inquit Salmeron) *propter Christum toleratis*. Quot enim non sine causa edere potuisset lamenta & quæselas? Nunquid conqueri potetat de eo, quod se incarnatione Verbi in utero sponsæ suæ sine ulla sibi facta communicatione, aut à se dato consensu consummata nequicquam fuerit præmonitus: quod de tam cito imminenti filii Dei secundum carnem nativitate neutiquam factus fuerit certior, ut de necessariis ad illam sibi prospicere, & ne in stabulo sordidissimo nasceretur, cavere potuisset: quod solus sine viæ duce in Ægyptum fugere, & thesaurum quendam adeo pretiosum, cui à Rege Tyranno tot parabantur insidiæ, secum deferre fuerit adstrictus: quod in regionem quandam adeo longinquam & barbaram; illiusque Dei, quem secum ducebat, cultui totaliter contrariam, fugere debuerit; denique quod non fuerit factus certior, quanti temporis moram in eadem regione sibi trahenda esset, aut quonam eundum esset, redeundo; Et tamen hisce omnibus nequicquam obstantibus: *Ecce homo sine querela*: Neque enim eximia S. Josephi mansuetudo patiebatur, ut de re quapiam doleret vel conquereretur.

Pro.4.v.17. 13. *Virum nominat, quia homo virtutis. Qui mane vigilant ad me, invenient me*, inquit Sapientia. Porrò S. Joseph adeo diligens ac vigilans fuit, ut *de nocte consurgens* &c. Ecquid igitur mirum, si eadem hæc incarnata sapientia vigilantiæ & custodiæ S. Josephi se ultro citroque submiserit? Etenim Salvatorem nostrum, quando in sancti hujus viri domo dormiebat, audire videor dicentem. *Ego dormio, & cor meum vigilat. Fidelis &*
To.3.v.43. *prudens atque diligens servus fuit Joseph* (inquit Salmeron) *cui Deus tantam commisit familiam, itaque humanum studium erga puerum adhibebat, ac si puer divinus non haberet vires.*

Ex nomine, Justus, in multorum meritorum, variarumque virtutum S. Josephi cognitionem inducimur.

DISCURSUS TERTIUS.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus.
Matth. cap. 1.

1. OMnia laudum præconia, quæ uspiam S. Josepho simul & Deiparæ à spiritu Sancto attributa fuere, in hoc solo & unico vocabulo *justus*, restringuntur, cum tamen de tot aliorum insignium Heroum cœlestium, videlicet S. Joannis Baptistæ, S. Joannis Evangelistæ, Petri vel Pauli laudibus plena sint Evangelia, & actus Apostolici, in qua admiranda ipsorum gesta diffusè traduntur: Veruntamen nequaquam idipsum mirandum est, nimirum Adamas quidem modica gemma est, ejus tamen pretium, excellentia & valor eximius est: sic quoque unicum duntaxat sacræ scripturæ vocabulum, aurifodinam quandam velut digito nobis commonstrare potest laudum, virtutum, meritorum, singulariumque prærogativarum locupletissimam. *Justus autem in verbo* (ita scribit Origenes) *justus in facto, justus in* Hom. 1. in divers.
lege, justus in consummatione, justus in judicio gratia. Chrysostomus quoque suas super hoc vocabulum considerationes instituit, dum ait: *Sciendum, quod justus hic* In cat. D. Th.
virtuosum in omnibus dicit, in omni virtute perfectum Glossa etiam suis protestationi à Salvatore Apostolis factæ, scilicet: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum* subjungit: *Justitia est omnis virtus*. Unde eo ipso, quo Joseph justus fuisse dicitur, compendiosè omnes illius virtutes, omnia merita, cunctaque insigniora ejus encomia recensentur. Salmeron Epitethum hoc, *justus*, accuratius ponderans dicit: *Magnum est virtutum suarum argumentum, nam justitia omnem virtutem amplectitur. Justus in scriptu-* To. 3. tr. 30
ris perfectus & omnibus virtutibus cumulatus significatur. Quo sensu S. Hieronymus scribis: *Omnes virtutum* Ad Dem.
species uno justitiæ nomine continentur. Observandum est autem Spiritui Sancto nequaquam suffecisse, quod eminentem S. Josephi sanctitatem & perfectionem expressisset dicendo: *Cum esset justus*, nisi etiam hoc vocabulum *vir* præmitteret, quod suam, ut diximus à virtute denominationem habet.

2. *Cum esset justus. Justitia*, secundum Legistas *est* Lib. 1. de offic.
constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi. Id quod etiam S. Ambrosius scribit, dum ait: *Justitia est, quæ dat cuilibet, quod suum est*. In hoc igitur sensu de S. Patriarcha nostro eum justum fuisse verificatur; cum enim Spiritus sanctus pariter & Sanctus Joseph simul essens Deiparæ Virginis sponsi hic id quod primò debebatur, scilicet Virgineum matris uterum, divino æterni Verbi partu fœcundare ultro citroque intemeratè permisit, in reliquo verò alias sponsi partes suas erga consortem suam strenuè & obsequiosissimè est executus, alendo & sustentando illam, eique in omnibus & singulis necessitatibus prospiciendo.

3. *Cum esset justus* S. Job demonstrare volens, quod Job 22. 3.
Deo per hominis sanctitatem nihil accrescat, sed totum inde permanens bonum in nos redundet, hunc in modum scribit: *Quid prodest Deo si justus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?* Quod tametsi ita quidem se habeat, veruntamen de immaculata & sancta Josephi vita idem dicere nequaquam valemus; siquidem *multum profuit Deo, quod justus fuerit*. S. Thomas de eo scribit: *Quamvis non necessarius conceptui, tamen utilis fuit procurationi*: Et tandem concludit: *Matri, quia ab infamia defendit: filio, quia nutrivit*. Etenim quis Virginem à tot persecutionibus illæsam defendisset? Quis divino filio suo victum, vestitum, habitationem, & omnia, quibus infans quispiam panem suum lucrari etiamnum non valens indiget, subministrasset, si S. Joseph non adfuisset? Præterea quis est, qui non videat, quod *profuit Deo, quod immaculata fuerit vita Joseph*, non solum ob sponsalitium & perpetuam cum sanctissima Dei matre cohabitationem, sed multò magis quia custodire debebat, non sanctuarium, sed sanctum sanctorum, illum, inquam, qui *est candor*

dor

dor lucis æternæ, speculum sine macula? Ex eo, quòd adeo purus & immaculatus extiterit, factum est, quòd tametsi mysterium graviditatæ Virginis ignoraverit, attamen ne per ombram quidem malum aliquod de ea suspicatus fuerit. (Hom 1. in Matth.) Unde Auctor operis imperfecti ait: *Magis credebat castitati ejus, quam utero ejus; plus gratiæ, quam naturæ: possibilius esse credidit mulierem sine viro posse concipere, quam Mariam posse peccare.*

4. *Cum esset justus: ita intelligo hoc verbum* inquit eruditissimus Salmeroo, *Joseph autem cum esset justus, id est, humilis, ac demissè modesteque de se sentiens.* (T. 3. tr. 30.) Enimvero quando à sanctissima Virgioe recedere cogitavit, prout eadem Deipara B. Brigitræ revelavit, idipsum solà suadente humilitate facere decrevit, *Indignum se reputans cohabitare mihi, anxiabatur, nesciens quid faceres; cui Angelus in somnis dixit* &c. (L. 6. c. 58.)

5. *Cum esset justus.* S. Paulus ad Romanos scribit: (Rom. 1. 17.) *Justus ex fide vivit.* Fides autem hæc in S. Josepho vivacissima erat, nam ut verisimile est, multas sibi obvias molestias & difficultates hac mediante superavit, v. g. perplexitatem, quæ ipsi subnasci poterat ex eo, quod ex una parte per angelicam revelationem ipsi constabat, quod Christus infans Deus ille esset, de quo Angelus prædixerat: *Salvum faciet populum suum*: ex parte verò altera videbat, quod ipsemet ab Herodianæ iræ persecutione se per fugam ut subduceret, opus haberet, quòd is qui Seraphim exardescere facit super palea jacens tremeret præ frigore; qui sedet super Cherubim, in præsepio animalium depositus recumberet, quòd frusto panis sudore vultus sui comparato indigeret, qui aperit *manum suam & implet omne animal benedictione.* Vivacissimæ fidei actus utique exercuit, ut has aliasque similes contradictiones superaret.

6. *Cum esset justus. Os meditabitur sapientiam*; Quæ, ut in præcedenti discursu vidimus, in Sancto Josepho nequaquam defuit. (Prov. 28. 1.) De sancto Josepho enim Sapieos locutus fuisse videtur, dum ait: *Justus quasi leo confidit.* Cor etenim Sancti hujus cor leoninum fuit ob admirandam generositatem, quæ in eo semper emicuit, siquidem in truculentissima Herodis persecutione ne minimi quidem timoris vestigium præ se tulit, & multò minus in fuga per quam una cum virginea sponsa sua & puero Jesu in tale se regnum recepit, cui rex Herodes longè nequior magisque sacrilegus Pharao scilicet præerat. (Tr. 30.) Unde Salmeron ait: *Elucet ejus fortitudo in periculosa peregrinatione ad gentem hostilem.*

7. *Cum esset justus.* De S. Josepho sapientem spiritu prophetico vaticinatum fuisse existimo, dum ait: (Pr. 11. 30.) *Fructus justi lignum vitæ.* Ipsi namque, qui professione sua faber lignarius perfectissima vita decorus erat, lignum vitæ, id est, Christus, concreditum fuit, ut custodiret illud; quod munus quanta cum solicitudine administrarit, Albertus Magnus præ cæteris excellentius ponderavit, dum ad eam declarandam illis Geneseos verbis utitur: *Ego suscipio puerum: de manu mea require illum, nisi reduxero & reddidero eum tibi; ero peccati in te reus omni tempore.* Hanc quoque solicitudinem egregiè ostendit quando ab Angelo ad se unà cum matre & puero salvandum præmonitus: *De nocte consurgens*, id est, ut Dionysius Carthusianus exponit: *sine dilatione, quia de pueri præservatione atque custodia diligentissimus extitit.*

8. *Cum esset justus.* Goffridus Abbas de justo loquens (Ser. de Pur.) dicit: *Justus est, qui non solum de se, sed etiam de proximis suis solicitus est.* Et quidem in hac circa proximum exercita cura S. Josephus nullum sibi parem habuit, siquidem filium Dei, qui adeo illi proximus erat, filius ipsius appellatus fuerit, tanta cum vigilantia custodivit, & per consequens de totius humani generis communi bono se solicitum esse probavit, siquidem idem ille Dei filius, communis est omnium hominum Salvator atque redemptor.

9. *Cum esset justus. Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Etenim S. Joseph non solùm instar lilii in viridario Paradisi semper deinceps florebit, verùm etiam per totum vitæ suæ decursum velut lilium candidissimum & fragrantissimum per suam virginitatem, in conspectu Dei floruit & germinavit. (Cant. 2. 6.) *Dilectus meus pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*; id est, ut inquit Rupertus Abbas Tuitiensis, *inter Mariam & Josephum.*

(Prov. 12. 21) 10. *Cum esset justus. Non contristabit justum, quicquid acciderit ei.* Porro nullus unquam hominum ad majorem dignitatem Josepho altius ascendit; neque enim majorem sibi quis excellentiam valet imaginari, quàm sit illa, qua S. Josephus prævaluit, qui sponsus Mariæ, & ipsiusmet Filii Dei Pater fieri meruit. Et tamen quot passiones & ærumnas non solum in seipso, verùm etiam in aspectu adversitatum Beatæ Virginis & Christi sustinuit, quas illi in stabulo Bethlemitico, in Herodis persecutione, in adeo laborioso in Ægyptum constituto itinere, in Jesu dolentissima amissiooe triduana, in insultibus eisdem, variis temporibus, ab Hebræorum gente illatis experiebantur, & tameo inter omnes hasce ærumnas eandem semper pacem & quietem internam, eandemque vultus sui serenitatem perennem conservavit.

11. *Cum esset justus.* Enimvero S. Joannis Baptistæ progenitoribus hoc attributum fuit à Spiritu sancto laudis præconium: *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* (Luc. 1. 6.) Eundem quoque laudis characterem sanctus noster io se habuit, siquidem non solum omnibus Dei præceptis perfectissimè morem gessit & obtemperavit, verum etiam eadem sine quærela adimplevit, tametsi nonnunquam justa conquerendi occasio ei non deesset.

12. *Cùm esset justus: Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* (Ps. 67. 4.) Id quod S. Joseph perfectissimè valet adaptari, siquidem hic quotidie in conspectu & præsentia Dei manducabat, & quod ad ignes consolationis ejus cedebat augumentum, Deus ipsemet pane laboribus & sudoribus suis intincto nutriebatur: ac proinde qualis & quantus esse debebat interior animæ ipsius jubilus? *Lætabitur justus in Domino.* Graves nonnulli Doctores, inter quos Cajetanus primatum obtinet, affirmant, quòd, quamdiu Christus sub speciebus sacramentalibus in stomacho nostro perseverat, in animas nostras continuò novum influat gratiarum augumentum, ad eum modum, quo sol novos lucis radios novosque ignis calores è se semper emittit. Quales igitur continuæ illæ gratiæ cœlestesque consolationes esse debebant, qui per ejus, qui verus est sol justitiæ & ignis Paradisi, propinquitatem, & vicinam quotidie communicabantur? *Ignem veni mittere in terram; Deus ignis consumens est.*

13. *Cum esset justus.* De justo quidem scribitur: *Justum deduxit Dominus per vias rectas: justorum animæ in manu Dei sunt*; (Sap. 10. 10.) at verò de S. Josepho dicendum est, quòd anima, id est, vita Christi illi concredita & commissa fuerit: quodque sanctus hic Patriarcha is fuerit, qui deduxit eum per vias rectas, per tot laboriosa itinera eum deducendo.

14. *Cum esset justus, Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum.* Porrò de diligentia & vigilantia, quam S. Josephus erga Dei filium habuit, superius meminimus, quæ vel in eo maximè elucet, quod *de nocte consurgens accepit puerum & matrem ejus*; Ubi Albertus Magnus dicit: *Consurgens tota velocitate & devotione.* Et quidem ad hanc solicitudinem magis exaggerandam illo Psalmi contextu utitur: *Si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino.*

15. *Cum esset justus. Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.* Enimvero in dubium quis revocare poterit, quin benignissimus Redemptor noster S. Josepho præ omnibus aliis Sanctis facillimas præbiturus sit aures, ejusque intercessio præ cunctis aliis efficacissima existat? Porrò sancta mater Ecclesia in ea oratione, qua in Missa & Officio divino hodie utitur, quantam in ejus patrocinio repositam habeat confidentiam optimè demonstrat, dum ait: *Ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur.* Quod similiter optimè per experientiam novit Canonicus ille de quo Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis scribit, quòd Carthusianam amplexatus solitudinem, omnia bona & facultates suas capitulo suo, quod deseruerat, cum ex expressa conditione legarit, ut quandam in ejus honorem Antiphonam quotidie decantarent, cujus ipse quoque laudes egregiè conscripsit, ut idem Gerson testatur. Inter alia autem motiva, quæ ipsum ad tantam erga S. Josephum devotionem concipiendam induxerunt, unum & præcipuum hoc fuit, quia nimirum *volebat habere Patronum tam potentem, &* (To. 4. ep. de S. Joseph)

pra-

præterea Virginem, & Filium ejus benedictum.

19. *Cum esset justus.* Job inclytum illud patientiæ speculum de semetipso scribit: *Si fuero judicatus, scio quod justus inveniar.* Ratio autem cur ita de se præsumeret, ea fuit, quia nimirum misericors extiterat. Certum enim,
Job.13. 18. quòd *jucundus homo, qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in æternum non commovebitur.*
Ps. 111. 5. Quis autem est, qui supremo Judici in novissimo judicii die adæquatius & solidius Sancto Josepho respondere poterit? Idemmet enim, qui Judex est futurus, est ille, *qui erat subditus illi;* cui proinde merito dicere poterit:
Matth. 25. *Esuristi, & dedi tibi manducare; sitisti, & dedi tibi bibere: hospes eras & collegi te: nudus & cooperui te.* Porrò Christus in Sancto Matthæo dicit: *Qui recipit justum in*
C. 10. 41. *nomine justi, mercedem justi accipiet.* Cùm igitur S. Joseph à primo instanti Conceptionis in uterum conjugis suæ receperit Christum, cui veteres Prophetæ acclamabant dicentes: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum,* illum in nomine & vice æterni Patris receperit, cui in Sancto Joanne nomen justi attribuitur: *Pater juste* sequitur per consequentiam necessariam, quòd *Mercedem justi acceperit*, quodque *æternæ retributionis gradum valde eminentem in cœlis consecutus fuerit.*

Exponuntur mysteria, ob quæ S. Joseph filius David appellatur.

DISCURSUS QUARTUS.

Angelus Domini apparuit ei dicens: Joseph fili David. Matth. cap. 1. v. 20.

1 GAbriel Archangelus, ad annuntiandum S. Josepho Incarnationem verbi, in sacratissimo sponsæ suæ utero, opera Spiritus sancti complendæ sacramentum, Filii Davidis præclaro titulo eum honoravit: *Joseph Fili David.* Verùm inquies fortasse, num igitur alia dignissima nomina huic Angelo non occurrebant, quibus præclara ipsius indicare præconia potuisset? Enimvero considerandum omnino est, quod hac de re Cajetanus scribit, videlicet Archangelum eum instruere voluisse de Messiæ in hunc mundum adventu, utpote quæ è stirpe Davidica secundum carnem nasciturus erat: *Quia de Nativitate Messiæ tamdiu expectati & promissi, ex semine David eum instruere volebat, ideo eum appellat filium David.* Quod vel ideo tantò securius credi potest, quia videlicet Sanctus Joseph lineæ & progeniei Davidicæ proximus cognatus & hæres fuit. Unde Lucas Burgensis ait: *Ideo huic*
Matth. 1. *potius quàm alteri, Deo agente, desponsata est Mater Christi; quia hic proximus fuisse videtur regni Davidici hæres, à quo voluerit illud Deus recto ordine ad Christum devolvi.* Atque ideo Nuntius ille cœlestis hanc Beatæ Virgini in annuntiatione promissionem fecit. *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit.* Ubi advertendum est, quòd ly *patris ejus* ad Josephum quoque referri possit, utpote qui licèt non possit vocari genitor, Pater tamen Christi verè vocari potest, ad quem proinde immediata spectabat Regni successio. *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: de*
Ps. 131. *fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

2. Verùm enimvero quod si ego vobis, Angelicum hunc nuntium, Josephum digniori nomenclatura honorare non potuisse, demonstratem, quam filium Davidis eum denominando, nunquid mox omnis à mentibus vestris abigeretur admiratio? Porrò hæc à Davide profecta filiatio, titulum quendam adeo speciosum subinfert, ut solus altissimi Filius, ejusdem à Spiritu sancto factus fuerit particeps, unde de eo dicitur: *Liber generationis Jesu Christi filii David.* Etenim quan-
Matt, 22. do Salvator noster Hebræorum sapientes interrogavit dicens: *Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est?*
Luc.18 35. Confestim responderunt *David.* Et quidem tametsi id respondendo in eo vel maximè errarint, quòd eum solum Davidis non verò æterni Patris filium esse crediderunt, eum tamen Davidis filium nominando minimè errarunt. Similiter cœcus ille, qui cùm prius illuminatus fuisset interius, lumen quoque interius recipere volens, quonam putatis nomine ipsum compellavit? *Jesu fili David?* Quonam etiam modo in palmarum triumpho gloriæ ejus applausisse existimatis? certe non alio, quàm dicendo: *Osanna filio David.* Hoc igitur tam præclarum nomen soli Dei filio proprium ab Angelo, jussu, uti verisimile est, supremi illius Consistorii, Josepho quoque Hom. 1.in divers. communicatur, quia *Pater & Filius una & eadem persona censetur.* Veruntamen quid longè majus Origenes scribere non dubitavit, dum ait: *Joseph fili David, non tantum secundum carnem, sed secundum spiritum.* Id quod T.3.tr. 30. Salmeron confirmat dicens: *Vere de domo David & regia de stirpe descendit nobilis carne, sed fide nobilior, quem tanquam alterum David Dominus invenit juxta cor suum.* Enimverò ut idipsum clarius elucescat, eas, quæ Josephum inter & Davidem intercedunt, Analogias nonnihil examinemus,

3 *Joseph fili David.* In principio libri tertii Regum 3.Reg.1 3. scriptum reperio, quòd Davidi consenescenti sponsa quædam singulari cum industria quæsita fuerit è pulchrioribus, quæ in toto poterant Israele reperiri: *Quæsierunt adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & invenerunt Abisag Sunamitidem; Erat autem pulchra nimis, & ministrabat ei; Rex vero non cognovit eam.* Porrò sacri interpretes per hanc Sunamitidem Divinam sapientiam mysticè intelligunt, nec non sanctissimam Dei Matrem, quæ *sedes sapientiæ* denominatur. *In similitudinem Mariæ* inquit S. Hieronymus. Ac proinde quis sanctissimum illud Virginis cum Josepho initum conjugium in hac historia repræsentari non videt? Tametsi enim S. Joseph ætate juvenis fuerit, dum in sponsam accepit Deiparam Virginem, vita tamen & moribus senex erat per singularissimam suam prudentiam. Unde illa S. Ambrosii verba de Davide dicta aptissimè In ps. 118. nu.9. ei adaptari possunt; dum ait: *Habuit in primo flore juventutis suæ senilem intellectum.* Porrò mystica hæc Sunamitis *pulchra nimis* appellatur, quia *tota pulchra est.* Felicissimum autem conjugium istud eo præcipuè fine ordinatum fuit, ut S. Josephus Divini amoris igne magis incalesceret; ac proinde, uti Didacus Stella piè meditatur: *Nullam puram creaturam adeo dilexit Beatissima Virgo sicuti sanctum Joseph*, utpote eximium Dei ama- In Luc c.1. torem. Et tamen veritas indubitata & divina fide credenda est, quod *non cognovit eam.* Imò Salmeron scribit, consortium istud, quod inter Virginem & S. Josephum intercedebat, omnem in eo concupiscentiæ fomitem extinxisse: *Ut posset convenienter ac sancte, ut Sunamitis cum Davide conversari, quam nunquam tetigit, ut Scriptura docet.*

4 *Joseph fili David.* Memorandum est hoc loco specialiter factum illud Davidis: quando scilicet ex speciali devotionis & pii obsequii instinctu, ex toto spiritu suo ante arcam, toto spectante populo, saltavit; de hac enim arca ita scribit S. Ambrosius: *Arcam quid nisi sanctam Mariam dixerimus? siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas, Maria autem ipsius testamenti ge-* Ser. 80.ad fin. *rebat heredem.* Unde si David à longinquo Matrem Dei in illo thesauro, ante quem adeo lætus saliebat, præfiguratam, ac proinde hoc epitheto: *Fœderis arca*, honoratam è sua stirpe descensuram esse prævidens, adeo exultavit; quanto jubilo Josephum ex illo tam diuturno cum B. Virgine consortio repletum fuisse existimatis? Ex quo enim hic Davidis filius dignus factus est, qui animatæ huic arcæ, imò cœlesti illi Sunamitidi tot annis inserviret; *ministrabat ei*, utique verisimile est eum quoque de eo, quod intra arcam hanc latebat manna degustasse, id est, consolationum, gratiarumque ineffabilium in magna quidem copia & abundantia factum fuisse participem, siquidem gratiarum cœlestium thesauraria à Deo constituta fuit. In Chronicis L. 2. c.28. S. Francisci legitur, beatum Ruffinum Seraphici Patriarchæ socium ex eo, quod unica duntaxat vice gloriosam Virginem puerulum Jesum inter brachia sua gestantem vidit, præ nimiæ dulcedinis excessu semimortuum fuisse; ac proinde hinc imaginemini vobis, quantus fuerit in corde Josephi jubilus & suavitas spiritus, quam ipse tot annis beatam Virginem sustentando, eidem cohabitando, cum ea conversando, eidemque necnon & filio ejus, jam quoque filio suo facto (quia *erat subditus illis*) mi- Cant. 5.6 nistrando expertus sæpius fuit. *Anima mea liquefacta est,* inquit in Canticis devotissima illa sponsa, *ut dilectus meus locutus est.* Verum ehem quoties S. Joseph vocem

illam,

Cap. 2. illam, quæ *verba vitæ æternæ habebat*, auribus suis excepit. S. Laurentius Justinianus in fasciculo divini amoris teneritudinem contemplatur, quam S. Joseph experiebatur, quando divino huic infanti osculis eum dissuaviando abblandiebatur. Quanta enim felicitas fuit Jesum *Joseph foveri in gremio, discurrere, discumbere, comedere*, idque semper in domo & præsentia Josephi.

2. Reg. 23. 15. In apologia de David, c. 7. 5. *Joseph fili David*. Quando Bethlehem à Philistæis valida erat obsidione cincta, sitibundus David sibi ex aqua cisternæ, quæ juxta civitatem illam manabat, potum sibi dari desideravit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem!* circa quæ verba S. Ambrosius ita scribit: *Sitiebat David non aquam de lacu, qua est in Bethlehem, sed oriundum ex Virgine Christum in spiritu prævidebat: volebat ergo bibere non aquam fluminis sed potum gratiæ spiritualis.* Quam igitur singularis gratia illa fuit, quod fons gratiarum cœlestis Paradisi de quo ipsemet Christus ait: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, (Luc. 1. 41.) in sola Josephi domo scaturiret? unicum à Maria pronuntiatum verbum, unica salutatio effecit, quod *exultarit infans in utero Elisabeth*; unde mater quoque & filius locupletati fuere ditissimis Spiritus Sancti thesauris. (Serm. 2. de annunt.) Unde Thaumaturgus ait: *Vox igitur Mariæ efficax fuit, & spiritu sancto replevit Elisabeth, ac veluti ex perenni quodam fonte, instrumento linguæ flumen Charismatum emisit.* Hic autem fons, hic torrens ingens, hoc donorum gratiarumque mare in domo Josephi scaturiens, in ejus plena erat facultate.

1. Reg. 21. 17. 6. *Joseph fili David*. In Scriptura sacra Davidi gloriosum illud nomen lucerna Israel attribuitur: *Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.* Sicut enim lucerna errantibus in tenebris ducatum & lumen præstat, ita quoque David prudenti regimine & exemplo suo multorum errorum dissipabat tenebras, & quemlibet subditorum suorum in viam dirigebat salutis. Veruntamen titulus iste longè meliori jure S. Josepho debetur. Cui etenim Israelis nomen convenientius adaptatur, Jacobone an verò Filio Dei? Porrò sciendum, quod *Israel* idem significet, quod *videns Deum*. Talis autem anima Christi non verò Jacobi erat, Christi enim anima beata erat, Deumque facie ad faciem intuebatur. Hic autem Israel Josepho à Deo commissus fuit, eratque dux & director ejus, quod idem est, ac si dicas, erat ipsi in persecutionum & ærumnarum ejus tenebris, lucernæ loco, siquidem persæpe ipsum in Ægyptum per tenebras noctis deduxit, eumque plurima pericula evadere fecit. (Loco cit.) *Egressus est in prælium; ne extingueretur Israel.* Origenes Angelum, qui verum hunc Israel id est, Filium Dei S. Josepho in custodiam consignabat, hisce verbis introducit loquentem: *Ministra, serva, custodi, fer curam; intende & huic, qui nascitur, & huic quæ generat*; quæ omnia S. Josephus Filio Dei & matri ejus exactissimè præstitit, & per hoc utrumque magno obligationis vinculo sibi obstrinxit. Unde sicut Tobias minor Patri suo, latè servitia & obsequia à viæ suæ duce & comite, quem Angelum fuisse ignorabat, exhibita exposuit, dicens: (Tob. 12.) *Pater quam mercedem dabimus ei? me duxit & reduxit sanum, me à devoratione piscis eripuit; quid ad hæc poterimus illi dignum dare?* ita videtur mihi idem, eodem prorsus jure Filium Dei æterno Patri suo dicere, hunc verò illi respondere potuisset: *Non aliam mercedem, nisi teipsum.* Et sanè præmium istud abundè sufficiebat: *Ego ero merces tua magna nimis* Christus enim plus in Josephi, quàm in ullius creaturæ sive humanæ sive angelicæ potestate erat, atque ideo *erat subditus illi.*

2. Reg. 7. 18. 7. *Joseph fili David*. De Davide scribitur, quod *sedit coram Domino*; Interlinearis legit. *Coram arca Domini.* Unde nascitur dubium quamobrem David coram suprema illa Majestate sederit? Glossa ordinaria dicit: *Sedere coram Domino, est beneficia ejus in humilitate confiteri.* Vatablus scribit: *Nemini sedenti licebat orare nisi Regi.* Veruntamen hoc per alia scripturæ testimonia non subsistere convincitur. Unde convenientior expositio est, hanc Davidis sessionem, pacem & quietem ejus interiorem significasse, juxta illud Hieremiæ dictum: (Thren. 3. 28.) *Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit se super se* S. Josephus interiorem hanc pacem pariter expertus est, prouti per voluntatis suæ cum Divino beneplacito conformitatem satis manifestè probavit. Ad literam quoque adimpletum fuit, quod *sedit coram Domino*, & similiter *coram arca*, super hanc enim data est ei potestas; quia *sub viri potestate erat*, nec non super ipsummet Deum, qui *erat subditus illi.*

8. *Joseph fili David* quando David in procinctu erat, ut jam gener Regis fieret, dixit: *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener Regis?* (1. Reg 18. 18.) Ubi Chrysostomus ait: *Existimabat se indignum affinitate regia.* (Hom 5. de David.) Et quidem tametsi à Deo in Regem populi ejus electus, divinoque jussu à Samuele unctus & consecratus fuisset, attamen ad gregem Patris sui pascendum denuo rediit. *Quis est in pascuis.* Porrò modestiam & humilitatem istam Davidis, Joseph in longè majori dignitatis culmine constitutus perfectè est imitatus, sicuti in multis occasionibus videri potest, in quibus ejus modestia & humilitas mirabiliter eluxit. Sic etenim veluti infimæ plebis hominem est arbitratus, non obstante quod, uti diximus, ex nobilissima esset familia oriundus pauperculam incolebat domum, è voltus sui sudoribus vitam traducebat, & tamen quanto magis se à mundi oculis velut homo ignotus subduxit, tanto majori in pretio à Deo habitus & agnitus fuit.

9. *Joseph fili David*. *Quasi adeps separatus à carne, sic David à filiis Israel*: (Eccl. 47. 2.) Præceperat olim Deus, ut totus adeps hostiæ pacificæ in suum honorem cremaretur. Ac proinde hisce verbis adductis, innuitur, Davidem ad divina obsequia tota mente fuisse intentum. Quod de Josepho nostro majori jure verificari potuit, utpote qui ministerio & obsequio Salvatoris totaliter deditus fuit. Quicquid enim laborabat, ad victum & amictum Filii Dei ministrandum impendebatur: quicquid faciebat, nullum respiciebat alium finem, quam ut illi perfectè placeret; eratque obsequium istud immediatum, non verò mediatum, qualia sunt aliorum servorum obsequia. *Separatus à carne* ob puritatem suam virginalem.

10. *Joseph fili David*. In libris Regum, ac demum in Actibus Apostolicis Deus dixisse fertur: *Inveni David filium Jesse virum secundum cor meum.* (Act. Apostol. 13. 22.) Cujus hæc subjungitur ratio: *Qui faciet omnes voluntates meas.* Id quod in Josepho nostro etiam adimpletum fuit, prouti suo loco ex perfecta voluntatis ejus in divinam resignatione & conformitate latius demonstrabitur.

S. Joseph tanquam sanctissimæ Virginis sponsus consideratur; atque ex hoc in dignitatis, & excellentiæ ejus, necnon sanctitatis, & meritorum illius notitiam devenitur.

DISCURSUS QUINTUS.

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.
Matth. cap. 1.

1. EI, qui ad Evangelium se attentè reflectit, Evangelista prima quidem facie sibi contradicere videtur; In principio namque dicit: *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*; & paulò post subdit Angelum Josepho dixisse: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Porrò beatam Virginem ante annuntiationem per Gabrielem Archangelum factam, Josepho desponsatam fuisse, sanctus quoque Lucas luculenter testatur, dum ait: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* (Luc. 1. 26.) Quomodo igitur Angelus nunc eum exhortatur, ne timeat accipere ipsam in conjugem suam, cui jam dudum antea per conjugale vinculum adstrictus erat? Pro cujus dubii solutione sciendum est, quod sanctus Joseph sponsam suam, opera Spiritus sancti fœcundatam esse conspiciens: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, optimè se facturum esse credidit, si ex quodam humilitatis sensu ab ea discederet, utpote quæ facta erat Mater Dei, & tertiæ personæ sanctissimæ Triados lectissima sponsa. Unde Origenes ait: *Ideo eam dimittere volebat, quoniam virtutem mysterii, & sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat.* (Hom. 1. in diver.) *Noli timere*, inquit ad illum Angelus. Porrò timor hic metus quidam reverentialis erat, atque ideo ad illum ab eo fugandum, Deus ipsi, ne ab ea discederet, præcepit, eo quod sponsæ cujusdam adeo sanctæ consortio dignus esset,

esset, licèt ipsa futura sit vera mater sua; *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Enimvero illud de hoc

Ser. de ant. Mariæ,

beatam Virginem inter & sanctum Josephum contracto sponsalitio cælitus datum testimonium, nec non gloriosus ille sponsi Mariæ titulus, eximiarum laudum & prærogativarum suarum fons est copiosissimus. Unde Gerson rationem reddere volens, cur Scriptura sacra tam de Beatæ Mariæ, quam de Sancti Josephi laudibus tam parum & modicè scripserit, dicit, nec totum mundum capacem futurum librorum illorum, qui hac super re scribi aut exarari potuissent, ideoque omnia laudum encomia prætermittens; *ex eo quod Joseph est vir Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus, ejus dignitatem insinuat, ex hoc enim velut ex quodam principio fœcundissimo, copiosissimo, amplissimo laudum seminario, habet devotè contemplantis animus, unde faciliter assurgat ad laudes quaslibet*. S. Joannes Damascenus hæc verba: *Virum Mariæ* ponderans, obstupefactus exclamat: *Hoc est prorsus ineffabile, & nihil præterea dici potest*.

3. p. q. 29. a. 2.

2. *Conjugem tuam*, Angelicus Doctor in summa sua Theologica Articulum quendam proponit, & quærit: *Utrum inter Mariam & Joseph fuerit verum matrimonium*; & conclusionem tandem ponit affirmativam. *Fuit verum & legitimum, non quidem quod consenserint in copulam carnalem simpliciter seu concubitum, sed quantum ad consensum mutuæ fidelitatis, & educandæ prolis debitum*.

Lib. 5. in cap. 1. Matt.

Rupertus Abbas Tuitiensis ait: *O conjugium verum & sanctum! conjugium cæleste, non terrenum, quomodo enim vel in quo conjugati fuerunt? nimirum in eo, unus spiritus & una fides erat in eis, sola illic defuit corruptio carnis*.

Tom. 3. 78.

Salmeron quoque qui omnes novi testamenti eventus prolixè examinavit, tandem de hoc sponsalitio tractaturus dicit: *Virum Mariæ intellige, & intellige in omnibus excepta carnis copula, quæ suppleta est per Spiritum sanctum*. Trita etenim regula est, quod *consensus, non concubitus matrimonium facit*. Multorum namque exempla præsto sunt, qui in hoc conjugali statu ex mutuo consensu conjunctim cum uxoribus suis viventes, permansere Virgines; id namque sanctus Henricus Imperator fecit, fecit quoque sanctus Elzearius Ariani comes. Glossa etiam super verbum: *Conjugem* dicit: *Conjunxerat non concubitu sed affectu, non conjunctione corporis, sed copulatione animorum*. Sanctus Thomas Aquinas alibi testimonio utitur sancti Augustini ita scribentis.

Matt. 1.

Nominatur vir Mariæ, ut ostendatur matrimonium esse inter pari voto continentes. Ambo enim, tam Virgo quam sanctus Joseph virgines permanere decreverant, & credibile est, ambos à Deo revelationem accepisse, per quam unus de alterius voluntate certior fieret. Etenim certum est, quod majori jure Maria denominari possit, *Mater cunctorum viventium*, quàm Eva; atque ideo si Deus quondam dixit: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, multo magis credendum est, quod Filius Dei Virgini sponsum assignare volens, talem ei designavit, qui ei in cunctis virtutibus, & præcipue in proposito virginitatis similis esset. Moyses quondam filiis in Israel benedictionem impertiens, quando ad tribum Joseph per ordinem

Deut. 33. 16.

pervenit, in hæc verba mystica prorupit: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph*. Quodnam obsecro in verbis istis latet mysterium, quod, qui hactenus Deum Abraham, Isaac, & Jacob invocare solitus erat, nunc modum & stylum loquendi prorsus immutet? verum memorandum est, quod Joseph filius Jacob continentiæ & castitatis zelantissimus fuerit, atque ideo Dei in rubo apparentis fit mentio, siquidem sancta Dei Ecclesia canit: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem Dei Genitrix*. Ecce igitur benedictionem, quæ super ipsum descendit, id est ejusdem virginitatis communicationem, qua intemerata sponsa ejus prædita erat. Enimvero nusquam constat beatam Virginem, oblatum sibi à Deo sponsum respuisse, aut divinæ voluntati contradixisse, & tamen sponsalitium hoc absolutum fuit, priusquam à Spiritu sancto, verbo fœcundaretur æterno. Unde ut paulo ante notavimus, Evangelium dicit: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*; Cum autem ei prædicaretur ipsam in Incarnatione Verbi concepturam & parituram filium, interrogavit mox Angelum, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, Cur obsecro ineundo cum Josepho conjugio continuò consensit, filio autem pariendo confestim contradixit? voluit, ut opinor, manifestum omnibus fieri, quod tametsi Joseph sponsus ejus esset, hic tamen eidem adstrictus sit voto Virginitatis, ideoque se cum Josepho securius hanc virtutem illæsam & immaculatam conservare posse credidit, quam inter ipsosmet Paradisi cœlestis Angelos. Unde Gabriele Archangelo apparente. *Turbata est*. Ubi Bonaventura ait: *De se certa, quia nullum carnis stimulum sentiebat, & de Josephi continentia divinitus erudita*. Sanctissima namque Virgo sanctæ Birgittæ revelavit, Angelum sanctum Josephum hisce verbis fuisse allocutum: *Esto pudicitiæ ejus custos & testis*. Lib. 6. c. 58. Hic addo rationem quandam ad comprobandam Josephi virginitatem valde efficacem, videlicet hanc, post mutuam cum Deipara cohabitationem & contractum cum ea matrimonium, miris incrementis fuisse adauctam: Unde sanctus Thomas de ea scripsit: *Gratia sanctificationis non tantum repressit in illa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit, ita ut quamvis pulchra esset corpore, a nullo unquam concupisci potuit*. In 3. dist. 3. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4. Sanctus Ambrosius lib. de instit. Virg. ait: *Tanta ejus erat gratia, ut non solum in se virginitatem servaret, sed etiam si quos inviseret integritatis insigne conferret*. Cap. 7. Porrò conversatio, quæ inter sanctissimam Virginem & sanctum Josephum reciproca fuit, per triginta annorum spatium continuò duravit; cui accedit felicissimum consortium Christi, qui *erat Candor lucis æternæ*, ut proinde valde sit verisimile Virgineæ puritatis donum mire in eo adauctum fuisse. Unde Salmeron ait: *Hoc donum in sponso suo B. Virgo promerebatur, ut undique esset plena gratia, non solum in seipsa, sed etiam in sponso suo*, Tract. 12. *ut quæ per matrimonium una caro id est, una persona cum eo fuerat effecta, ita per gratiam insignis castitatis suis precibus ac meritis à Deo obtenta fieret cum ea unus spiritus*. Quod si enim B. Virgo, ut ex tot Historiarum monumentis est manifestum, Virginitatis donum tot virginibus, aliisque devotis suis impetravit, longè credibilius est, ipsam eandem virginitatem in persona sancti Josephi conservasse & adauxisse. Unde idem Auctor alibi ita scribit: *Neque tantum fuit* Tract. 30. *virgo, sed etiam, ut quidam tradunt, omnis concupiscentiæ fomes in eo extinctus fuit, ut dignius cum sponsa sua valeret conversari*.

3. *Conjugem tuam*. Potissima sponsalitiorum contrahendorum Regula, ut plurimum esse solet, ut intercedat, quoad fieri potest, æqualitas aliqua inter contrahentes. Unde natum est tritum illud Proverbium: *Si vis nubere, nube pari*. Et quando Deus noster in primo matrimonio, viro mulierem jungere voluit, dixit: *Fa-* Gen. 2. 18. *ciamus ei adjutorium simile sibi*. Cum igitur matrimonium hoc perfectissimum fuerit, consequens est, ut inter merita, virtutes & sanctitatem Virginis & sancti Josephi aliqua intercesserit familiaritas. *Quomodo cogitare potest mens discreta* (Inquit sanctus Bernardinus de Senis) *quod Spiritus sanctus tanta unione conjugii uniret menti tantæ Virginis aliquam animam, nisi ei virtutum operatione simillimam? optimam partem elegit sibi Maria*. Serm. de S. Jos. ar. 2. c. 1. In qualibet re non tantum id, quod melius, sed quod optimum est, elegit. Cum igitur in terris sponsum quendam eligere debuerit, non est dubium, quin eum elegerit, qui inter omnes creaturas purissimus, immaculatissimus, & sanctissimus erat, idque tanto magis fieri debebat, siquidem is, qui ab ipsa eligebatur, ab æterno Patre quoque eligebatur, tanquam existimatus Pater filii sui in terra, potuitque ipsum tali consortio dignum atque similem efficere? *vir Mariæ dicitur*, ut Matth. 1. notat Glossa, *quia conjugium verum est, ubi conservatur amoris affectus*. Porrò sanctus Josephus sanctissimam Virginem ea intensione dilexit, quanta illi possibilis fuit, quam ardenti amore autem ipsa sanctum Josephum amaverit, de hoc Didacum Stellam audire libeat, liberè asserentem, quod *Nullam puram creaturam adeo dilexit beatissima Virgo, sicut sanctum Joseph*. Amor autem est donorum gratiarumque cœlestium thesaurarius quarum & ipsa à filio suo dispensatrix constituta fuit; adeo ut credibile sit, quod sponsum suum tanto gratiarum thesauro locupletarit, quantum pura aliqua creatura assequi potest.

4. *Conjugem tuam*. Sponsa dotem suam secum subinfert; unde sanctus Joseph verè dicere potuit: *Venerunt* Sap. 7. 11. *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*: Spiritus sanctus, qui & ipse virginis sponsus fuit, de ipsa ait: *Multæ filiæ congregaverunt*

runt

runt divitias, tu supergressa es universas; siquidem. *In
plenitudine sanctorum detentio ejus fuit*. Cuilibet notis-
sima sunt illa S. Bernardi verba : *Christus redemptorus*
Ho. super *mundum, universum thesaurum contulit in Mariam, ut*
Missa. *de plenitudine ejus omnes accipiant*. Quænam igitur
pars illa erit, quam sponso suo ex hisce thesauris in sor-
tem dotis dispensavit? opportunè Origenes notat, quod
Hom. I. in quando Angelus Josepho dixit : *Noli timere accipere Ma-*
divers. *riam conjugem tuam*, dicere ipsi hisce verbis voluerit :
*accipe ergo eam sicut commendatum cœlestem thesaurum,
Deitatis divitias sicut plenissimam sanctitatem*. Quæ-
nam hac desiderari potuit dos opulentior? sanctus quo-
que Anselmus nobis hujusce dotis aliquam notitiam
Lo. de Fi- communicavit, dum ait : *Verè omnium rerum condita-*
de Orth. *rum Domina effecta es, & quidem in dotem omnia do-
minia collata, ut matri summi Imperatoris*. Melius au-
tem opinione mea, hæc de re sanctus Epiphanius scrip-
sit, dum ait : *Invenitur esse cœlestis sponsa & uxor,
quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum
accepit, dotis vero gratia cœlum & terram*. Adeo ut
nihil amplius desiderari possit, siquidem non solum cœ-
lum & terra, verum etiam Spiritus Sanctus, Sanctissi-
Serm. de mæ Virgini sponsæ Josephi in dotem attribuitur. Un-
nat. Miss. de meritò Gerson exclamat : *O miranda prorsus Jo-
seph, sublimitas tua, o dignitas incomparabilis, ut Ma-
ter Dei, Regina cœli, Domina mundi appellare te Do-
minum non indignum putaverit*! veruntamen nimis ad-
huc parum dixit, nam quid longè majus & excellen-
tius fuit, in manu sua dotem quandam habere tanti
valoris, ut diximus.

5. *Conjugem tuam*. Inter ea, quæ Sanctum Paulum
permoverunt, ut iis, qui ad perfectionem magnis pas-
sibus progredi desiderant, suaderet, ne se conjugali vin-
culo innecterent, unum & præcipuum motivum erat
hoc, quia scilicet domesticorum negotiorum sollicitu-
do, & affectus, quo conjuges erga se invicem propen-
dent, ab unione cum Deo nos impediunt. Unde dicit :
1. Cor. 7. *Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quo-*
33. *modo placeat Deo; qui autem cum uxore est, solicitus
est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divi-
sus est*. In præsenti autem matrimonio, quod est inter
Sanctissimam Virginem & Sanctum Josephum, ea, quæ
in aliis sunt sanctitati impedimento, in hisce duobus
conjugibus ad perfectionem majorem nova semper cal-
caria addebant; siquidem omnis utriusque diligentia,
omnis solicitudo in hoc solum versabatur, ut mini-
strarent, suaque obsequia exhiberent immediatè Deo.
Porrò cum Deus totum à nobis amorem exposcit, ad
eum præcipuè finem, ut strictius uniamur cum illo,
amor ejus, qui habet uxorem, dividitur in filios, in
uxorem, in familiam; at verò Sanctus Joseph quanto
Sanctissimam Virginem sponsam suam ardentius dilige-
bat, quanto magis ardescebat in amore Christi qui et
filii loco erat, tanto magis in ipsiusmet Dei amore &
immediato servitio effervescebat.

6. *Conjugem tuam*. Spiritus Sanctus præclarè dicit :
Eccl. 26.1. *Mulieris bonæ beatus vir*. Hanc autem felicitatem ne-
mo perfectius Josepho est assecutus, de omnibus nam-
que aliis mulieribus dici potest, quod aliquo saltem im-
perfectionis nævo laborent : unaquæque fateri debet,
& dicere : *In peccatis concepit me mater mea*. Omnes
pro aliquo saltem tempore iræ Dei fuere subjectæ. De
sola autem Virgine verificari potuit : *Tota pulchra es
amica mea, & macula non est in te*. Deque ejus Sa-
cratissimo utero hanc habemus in Evangelio acclama-
tionem : *Beatus venter qui te portavit*. Et de eodem
scribitur : *Emissiones tuæ Paradisus*.

Aliquot S. Josephi laudum encomia ex eo, quod Pater Christi declaratus fuerit, eruuntur.

DISCURSUS SEXTUS.

*Erant Pater ejus & Mater mirantes super his,
quæ dicebantur de illo*. Lucæ Cap. 2.
versic. 33.

1. NUllum mihi dubium est, quin Sanctus Lucas
loquens de admirantibus super his, quæ de
puero Jesu passim dicebantur, de Sanctissima Virgine &
Sancto Josepho loqui intenderit. Unde Lyranus dicit.
Pater ejus, id est, Joseph. At verò cum per Apostolum Ep. 3.15.
scriptum sit, *Ex quo omnis Paternitas* (id est ab æter-
no Patre) *in cœlis & in terra nominatur*; & de Christo
filio ejus dicitur : *Ante Luciferum genitus, & ante sæ-
cula natus*; imo ipsemet nos monuit : *Nolite vobis Pa* Matt.23.9.
*trem vocare super terram; unus est enim Pater vester,
qui in cœlis est*; quomodo igitur Evangelista aliquis,
ex Sancti Spiritus instinctu scribens, Sanctum Josephum
Patrem Christi denominare poterit? Enimvero pro hu-
jus dubii resolutione, eorum inprimis referam exposi-
tiones, qui quoad hunc gloriosum adeoque sublimem
Patris Christi titulum Sancti Josephi gloriam inde di-
manantem aliqua ex parte diminuerint. In primis igi-
tur jam dictus Lyranus ait : *Meruit vocari Pater Chri-* In cat. D.
sti, eo quod nutritius ejus fuit. Origenes dicit : *Honora* Thom. in
vit eum Spiritus Sanctus Patris nomine, eo quod puerum Luc c.2.
Jesum educavit. Nonnulli hoc vocabulum Pater à patern-
do suam sortiri denominationem arbitrantur, ac proin-
de cum Sanctus Joseph Filium Dei per tot annos enu-
trierit, meritò Patrem ejus dictum esse. Vel etiam di-
ci potest, quod, sicut tutor filio suo pupillo in Patris
locum succedit; ita quoque Sanctus Joseph Salvatori no-
stro in hoc munere successerit, utpote qui secundum hu-
manam generationem, Patrem in terris non habebat.
Unde Glossa ait : *Quomodo Deus & Dominus innixus est* In cat. in
scala Joseph? utique tanquam tutori pupillus : quippe in c.1. Matt.
*hoc mundo sine Patre natus est, ita innixus est huic Jo-
seph, ut esset infantulo iste Pater optimus*, Sanctus Tho-
mas existimat, quod licèt Virgo post desponsationem
absque opera S. Josephi, facta sit vera Dei mater, ideo
quis arbitrari possit ipsum in ordine ad partum divinum
minimè necessarium fuisse, Angelum tamen ex parte
Dei indicare voluisse : *Quod quamvis non sit necessarius
conceptus, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet
filium, & tunc matri & filio erit necessarius*; adeo ut
hi omnes inferre velint hunc titulum ei convenisse ob
hanc necessitatem, & propter obsequia, quæ ambobus,
id est, tam Filio Dei, quam Mariæ præstiturus erat :
Necessarius matri, inquit Doctor Angelicus, *ut ab in-
famia defendat, filio ut eum nutriat*. Unde sicut San-
ctus Methodius Martyr Mariæ excellentias extollere
volens, hic eam salutatione veneratus : *Ave, cujus* Orat. in
Deus factus est indigus, ita quoque de Sancto Joseph Hypop.
idem dicere possumus, adjungendo insuper Ave Joseph, Domini.
cujus Deus & Mater ejus factus est indigus, siquidem
ambo per triginta annorum spatium opera indiguerunt
Sancti Josephi, utpote qui matrem pariter & filium
ejus aluit, cujusque ope & paternali subsidio tot per-
sæpe pericula in Ægypto præcipuè evaserunt. Etenim
quis Virginitati Mariæ fidem adhibuisset, nisi Sanctus
Joseph oculatus ejusdem testis extitisset? *Sit Maria
Mater Christi* (inquit Sanctus Augustinus) *virgini-
tate servata, sis autem & tu Pater Christi cura ca-
stitatis, & honorificentia virginitatis*. Glossa super hæc
verba : *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Jo* Serm. 14
seph, ait, *ut esset testis castitatis, defendens eam ab* de temp.
infamia suspicionis. Enimvero ipse quoque filius opus
habuit, ut Joseph pater suus crederetur, ad amoven-
dam videlicet suspicionem, quòd quasi ex adulterio
conceptus fuisset, quod facile æstimari poterat, quam-
diu ineffabile Incarnationis ignorabatur mysterium.
Excellentiorem tamen tituli hujus rationem Cardina-

lis Toletus attigit, dum ait. *Dicamus ergo Joseph di-* [Annot. 51. in c. 2. Luc.] *ctum Patrem Christi, tum quia nutritius erat, tum quia communi opinione Pater reputabatur, tum quia vir & maritus erat Beatæ Virginis matris Christi*. Unde sicut Isidoro Pelusiota referente. [Ep. 136.] *Alexander, sciscitante quodam, cur tanto honore Antipatrum amplecteretur, respondit, quia Patris mihi loco est*; ita quoque si ab Evangelistis sciscitemur, cur Sanctum Josephum ex dictamine Spiritus Sancti, necnon ipsiusmet Sanctissimæ Virginis, Patris nomine appellent, ipseque Christus ei tanquam filius ipsius subjiciatur, responsio in promptu esse poterit; *Quia illi loco Patris est*. Et quidem tametsi hoc ipsum in magnam Sancti Joseph excellentiam cedat, mihi tamen omnino persuadeo, ulterius nos in assignanda hujus rei ratione progredi posse, & dicere Sanctum Josephum in omnibus aliis, sola excepta generatione, Patrem Christi appellari posse. Etenim Sanctus Philippus in Scripturis Sacris admodum versatus erat, ideoque magna cum impatien- [Joan. 1. 4.] tia Messiam expectabat; & quidem tametsi hunc sine ulla virili opera ex virgine nasciturum esse probè nosset, attamen ipsum Dei filium, filium Josphi appellare non dubitabat, tametsi probè satis sciret eum unicum esse æterni Patris filium. *Invenimus Messiam filium Joseph a Nazareth*; nec mirum, sciebat enim, quod, tametsi eum non genuisset, non tamen ob hoc in omnibus aliis, præter generationem, ejus [L. de excel. Virg. c. 2.] Pater esse desineret. *Intendat mens humana*, scribit Sanctus Anselmus, *& contempletur, videat & admiretur; unum filium sibi consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi tam unicum, & in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse Beatæ Mariæ unicum & naturalem Filium*. Et quidem cur non etiam affirmare licebit, hunc eundem in omnibus aliis, si solam generationem excipiamus, pariter unicum fuisse Josephi filium, siquidem Evangelistæ ipsum sine ulla limitatione Christi Patrem nominant? verè considera- [Hom 17. in Luc. c. 2.] bilia sunt illa Origenis verba: *Lucas qui scripsit: Spiritus Sanctus veniet super te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: propter hoc & quod natum fuerit, sanctum vocabitur Filius Dei; & qui manifestè nobis tradidit, quoniam virginis filius Jesus est, nec de humano conceptus est semine, iste Patrem ejus Joseph testatus est, dicens; Erant Pater illius & Mater admirantes super his, quæ dicebantur de illo*. Cajetanus quoque verba illa observat, quæ Sanctissima Virgo occasione amissi in templo duodennis pueri dixit: nimirum: *Ego & Pater tuus: non generatione*, subjunxit idem Doctor, *sed legitima appellatione: erat enim maritus Beatæ Virginis, ac per hoc legitimus Pater Jesu merito appellabatur, præter hoc quod officio cura pater erat*. In cujus majorem confirmationem advertendum est, Virginem prius Josepho desponsatam fuisse, ac demum post hoc sponsalitium, eam à Spiritu Sancto fœcundatam fuisse Verbo æterno. Et tamen nunquid propterea Spiritus Sanctus Sanctum Josephum mediantibus Evangelistis sponsum & consortem Mariæ appellare destitit? minimè gentium; imo eo ipso tempore, quo per Angelum Incarnationem sua opera & virtute consummandam, annuntiari fecit, expressam ipsius tanquam sponsi Beatæ Virginis mentionem fieri voluit: *Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*. Ac deinceps effecit, ut Evangelistæ, quorum calamos ipse movebat, pluribus aliis in locis hunc ei Patris Christi titulum attribuerent.

1. Quando Sanctus Joseph Virginem sponsam suam gravidam esse vidit, siquidem opera Spiritus Sancti [Matt. 1. 18.] Verbum æternum conceperat: *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*, ex puræ humilitatis instinctu à sponsa sua recedere decrevit, indignum se ejus con- [Matt 1. 19.] sortio & contubernio esse existimans: *Voluit occultè dimittere eam*. Circa quæ verba Theophylactus ait: *A quo inventa est? a viro, hoc est, innotuit, quod ex Spiritu Sancto concepit, unde clam voluit eam dimittere, & non audebat habere uxorem, quæ tantam habebat gratiam*. Multoque minus illi Deo appropinquare præsumebat, coram quo sublimissimæ potestates contremiscunt. Veruntamen quia Deo proprium est, exaltare humiles, *& cum simplicibus sermocinatio ejus*, ideo certiorem illum reddidit, se ex tunc magis, quàm unquam meruisse, ut Mariæ sponsus & consors, & consequenter etiam Divini partus sui pater existeret. Quia verò ex parte ipsius opponi potuisset, hoc Patris nomen ei nequaquam convenire, utpote qui nullum in hujus filii generatione haberet participium: *quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*, ideo idemmet Spiritus Sanctus, qui in hujus Filii conceptione procuranda, partes Josephi suppleverat, securum eum reddidit, quod ob id privilegiis & honoribus Patris neutiquam privandus, quin potius tanquam Pater Christi ab omnibus agnoscendus & in veneratione ac pretio habendus esset, ac proinde sacrorum Chronistarum suorum calamos & pennas eo permovit & disposuit, ut hujus veritatis clarum & frequens ederent testimonium, imo effecit ut eadem nomenclatura per os ipsiusmet Sanctissimæ Matris Christi authenticaretur. Unde Gerson ait: *Fuit pa-* [Ser de nat. Mat.] *ter generatione, non quidem sua, sed Mariæ uxoris suæ, cooperante Spiritu Sancto, & quodammodo vices Joseph gerente*. Adeo ut hoc quoque majori gloriæ Sancti Josephi attribui mereatur, quod Spiritus Sanctus ejus loco, conjugem ipsius Divino hoc partu fœcundarit. Unde Angelus ex parte Patris æterni ei dixit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, moxque subjunxit: *quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*. Quia verò Sanctus Joseph respondere poterat; Et hæc est ipsissima ratio, cur me indignum esse censeam, qui ei appropinquem, & multo indigniorem, qui in officium & ministerium Patris me ingeram, ex quo in ea operari dignatus est Spiritus Sanctus, ideo Angelus varia mox argumenta subjunxit, ex quibus manifestum ei fieret, Deum, hoc non obstante, in eum privilegia, jurisdictionem, & honorem Patris plenissimè contulisse: *Pariet autem filium, & voca-* [Matt. 1. 21.] *bis nomen ejus Jesum*; quasi diceret, tu partui huic assistes, tu natum brachiis tuis excipies, tu nutries illum, & in paternæ auctoritatis signum, nomen illi impones, eumque circumcisionis charactere insignies: *Et* [L. 4. de fide orthod.] *vocabis nomen ejus Jesum*. Quibus verbis Theophylactus hanc Glossam adhibet: *Utpote Pater tu vocabis*. Et Sanctus Joannes Damascenus idipsum confirmat, dum ait: *Nomen imponere majestatis & dominii est, nomen verò accipere subjectionis & servitutis*; atque ideo legimus Salvatorem nostrum, cui S. Joseph tanquam Pater nomen imposuerat, se illi tanquam filium plenè subjecisse: *Et erat subditus illi*.

2. Observavi sæpius in Scriptura Sacra, bina vice Josephi tanquam Sponsi Mariæ mentionem fieri; semel nimirum, quando virgo nondum in dignitatem Matris Dei evecta erat, sive quando illam Spiritus Sanctus nondum fœcundarat, tunc videlicet, quod Angelus Verbi Incarnationem ei annuntiabat, tunc enim missus est *ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*: deinde quando ipsa Filio Dei gravida erat. Verum enimvero num fortè latens hac in re mysterium declarare valebitis? Notandum est igitur, quod dum Joseph secunda vice Sponsus Mariæ appellatur, expressè dicatur: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*; ac proinde omnino credo responderi posse, per hanc nomenclaturam utraque vice Josepho impositam, significari, summam laudum ejus in eo præcipuè consistere, quòd Sponsus sit Mariæ, utpote quæ eminenti sanctitate sua omnes cœli sanctos in immensum transcendebat: hanc autem laudem vel ex eo quàm maximè crescere & augeri, quod hunc titulum pro eo quoque tempore accipiat, quo Spiritus Sanctus quoque factus est Mariæ sponsus, ipsaque sponsa ejus ad infinitam Matris Dei dignitatem fuit evecta; per hoc namque Spiritus Sanctus innuere voluit, quod tametsi ipse sibi Mariam in sponsam adoptasset, per hoc tamen nequicquam derogatum esse voluerit juribus, quæ S. Josepho, tanquam sponso Mariæ in eandem & filium ejus competebant, quodque ipsa, licèt Spiritus Sancti sponsa esset, tamen *sub viri potestate erat*, ac denique super prole ex ea nata jus pariter haberet, licèt Spiritus Sanctus in ejus generatione vice ejus supplevisset. Unde tametsi Spiritus Sanctus Virginem fœcundaverit, ob id tamen Christi genitor aut Pater minimè denominatur, sed potius æternus Pater genitor illius, Pater autem ejus Joseph dicitur. Quid igitur Josepho deerat, quo minus omnimodè Pater Christi esset, nisi sola illius generatio? in qua tamen

Spi-

Luc. c. 1. Spiritus Sanctus *quodam modo vices Joseph gessit*, atque ideo ob hoc Patris nomen minimè perdidit. Enimvero nulli potest oboriri dubium, quin Spiritus Sanctus Incarnationem io Maria adoriri potuisset, priusquam Sancto Josepho desponsaretur, cur autem idipsum non fecit? Lucas Burgensis dicit: *Prius eam nuptam voluit Deus, nupta autem fuerat, cùm Angelus mitteretur, si conjectura est locus, jam sex diebus, ut sex ante annuntiationem diebus Ecclesia celebrat memoriam Sancti Joseph, & nuptiarum illarum virginearum, dans intelligi virginem eo tempore, Spiritu Sancto operante fœcundam redditam, quo credi posset convenisse inter se filios Sanctorum, tanquam sex diebus à nuptiis continentes & in oratione actis, duplicato dierum numero quem Angelus Tobiæ præscripserat.* Præcipua autem causa fuit, quia si Spiritus Sanctus Incarnationem in Maria operatus fuisset, priusquam fuisset S. Josepho desponsata, Sanctus hic Patriarcha circa divinum hunc partum, nullum jus habiturus fuisset, utpote cujus matrem nondum in sponsam acceperat, quæque *sub viri potestate non erat*, cùm tamen econtra merum in eundem jus habebat, utpote natum ex ea, quæ vinculo conjugali ei obstricta erat. Tametsi enim ex tunc, *quòd in ea natum erat, de Spiritu Sancto erat*; illud tamen ab ejus jurisdictione exemptum non erat, quod illi competebat, tanquam sponso matris, ejusque partus seu prolis dilectissimæ patri solertissimo.

Alia motiva considerantur ad demonstrandum Sanctum Josephum Christi Patrem esse.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.
Lucæ Cap. 2.

1 SAnctus Anselmus eximias magnæ Dei Matris laudes brevi compendio constringere volens, ita scribit: *De Maria asserere, quod Mater Dei est, superat omne, quod sub Deo dici potest*; quem proinde imitantes, ut excellentiora S. Josephi præconia breviter perstringamus, dicere sufficiet, quòd Pater sit Filii Dei. Justinus Historicus de Ptolomæo Rege refert, quod eùm is tempore vitæ suæ, Regni sui potestate se exuisset, ut filium ejusdem Majestate indueret, acciderit, ut dum solemnia coronationis filii ipsius festa agerentur, ipse inter cæteros veluti homo quidam privatus consistens continere se non potuerit, quin exclamaret: *Omni regno pulchrius est Regis esse patrem*. Profectò dum nos altissimæ contemplationis oculum in supernas beatorum spirituum, aliorumque cœlitum Hierarchias defigentes, inter cæteros S. Josephum intuemur, idem ipsi effatum attribuere posse videmur, dicendo: *Omni regno pulcherius est Regis esse patrem*. Omnem namque cœlestis regni gloriam, ut ita dicam, superat, si quis post Patrem æternum, ejusdem Filii Christi Jesu Pater agnosci & prædicari jure possit.

2 *Ecce Pater tuus*. Singulariter ponderandum est, quod præterquam Sacrorum Evangelistarum veridicæ pennæ Josephum Salvatoris nostri Patrem fuisse claro testimonio confirmarint, ipsamet quoque ejusdem Salvatoris nostri mater, tametsi eum in partus sui generatione participium nullum habere, sed hanc solius Spiritus Sancti opus esse probè sciret, ipsum nihilominus etiam honorificentissimo Patris filii sui titulo condecorarit. Unde S. Augustinus scribit: *Ipsa Virgo Maria fuit conscia, quod non ex ejus concubitu susceperit Christum, tamen eum Patrem Christi dicit*. Bene autem advertendus est locus, in quo hunc titulum, quem hactenus ei nunquam, quantum nobis saltem constat, attribuerat, de eo contestata fuerit; Neque enim id in via quadam, seu foro publico, aut in hospitio vel domo privata urbis Hierosolymitanæ, sed in Templo fecit, ubi verisimile est, multos Scribarum, Doctorum legis,

De conf. Ev. Matt. & Luc. ser. 63.

Mursi Prompt.

& sacerdotum, quibuscum duodennis puer existens disputaverat, quique divinam ejus sapientiam fuerant admirati, fuisse præsentes. In simili, inquam, circumstantiarum concurrentia, S. Josephum glorioso hoc Patris Christi titulo honorare voluit. Et quidem tametsi verum sit, quod Jesus responderit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*, æternam Luc. 2. 49. nimirum generationem, secundum quam æterni Patris filius erat, significare volens; per hoc tamen ab obedientia & subjectione paterna quam S. Josepho debebat, se subducere nequaquam voluit; imò Evangelista expressè dicit, quod eodem tempore tam Virgini quàm S. Josepho filialem reverentiam, respectum & obsequia detulerit; *Descendit cum eis, & venit in Nazareth, &* Luc. 2. 51. *erat subditus illis*. Verum inquies, quid opus erat, ut iis se rebus, qui ad æterni Patris sui obsequium pertinebant, addiceret, aut verò si id ei faciendum erat, quomodo se, Josephum consectando, & cum eo io domum suam Nazarethanam descendendo eidem se obedientem esse probavit? Ecce documentum quoddam valde eximium, quod Filiis Deum timentibus exemplo suo post se relinquere voluit, nimirum quòd tunc se Patris, quem in cœlis invocant, veros probabunt esse filios, quando destinato illis in terra Patri obedientes illiusque venerabundi fuerint. Magna proinde consideratione dignus est ille, quem Dei Filius S. Josepho semper detulit, respectus, utpote quem tanquam Patrem venerando, pariter obsequium & honorem æterno Patri suo se deferre censebat: *Vide, quomodo magni consilii Ange-* Ser. 3. de pasc. *lus suum consilium post posuit consilio seu potius voluntati fabri unius*; inquit S. Bernardus. Voluntatem namque, quam S. Josephi arbitrio subjicere voluit, id quod per verbum illud *descendit* clarè significatur. Enimvero S. Bernardinus acute observat Beatam Virginem, Christum hic omnium primo Filii nomine appellasse dicendo: *Fili quid fecisti nobis sic? Filius autem, a Philos*, inquit Sanctus, *id est, amor denominatur; profectò enim dul-* Ser. 3. de Josepho 3. cap. 2. *cius amor denominatur; profectò enim dulcius amoris verbum proferre non potuit, quàm hoc cùm ait, Fili*, cui materni amoris signo dolorem associavit, subjungendo: *Dolentes quærebamus te*; ita tamen ut amori & dolori suo, amorem quoque & dolorem junxerit Josephi, eundem nimirum dolorem & amorem suo æqualiter associando: *Dolentes quærebamus te*. Ubi insuper advertendum est Virginem non dixisse *Fili mi*, tametsi verbum istud majorem affectus teneritudinem exprimeret; & ratio est, quia omnibus manifestum esse volebat, quòd Jesum non suum tantùm, sed & Josephi filium æstimaret, cujus longè clarius testimonium edidit per verba sequentia: *Ego & Pater tuus. Et quia Sanctissimus Joseph*, inquit S. Bernardinus, *horum duorum gustuum mirabiliter particeps fuit, ideo Beata Virgo singulariter vocat eum Patrem Christi*; Qui idem Sanctus egregiè ad propositum nostrum subjungit: *Ubi notanter advertendum, quod hic solum legitur Virginem Joseph appellasse Patrem Jesu, quia sensus doloris, quem habuit de Jesu perdito, verum in eo ministravit patris affectum*.

3 *Ecce Pater tuus*. Equidem Pater Christi ob conjugium cum virginea Christi matre contractum denominari jure potuit. Unde Rupertus Abbas Tuitiensis super verba illa: *Joseph virum Mariæ*, ait: *Virum* Matt. c. 1. *Mariæ cum dicit, magnum & verum nomen B. Josepho attribuit, quia si est vir Mariæ, est & Pater Domini*. Veruntamen in hujusce filiationis argumentum Doctissimus Salmeron aliud quoddam argumentum efformavit. En ipsissima ejus verba: *Si adoptio, quæ* To 3 tr. 30 *hominum est inventum, verè facit filium ejus, quem quis adoptavit apud homines, ita ut in eum transferat non solum nomen familiæ, verum etiam hereditatem; quidni ergo Deus potuerit Joseph Patrem Christi constituere?* Omnes etenim Sacri Doctores in hoc consentiunt, inquit idemmet Doctor, quod verba, quæ Christus suæ Sanctissimæ Matri, & S. Joanni locutus est, id effecerint, quod discipulus deinceps Mariam loco matris, mater autem Joannem loco filii habuerit, quodque relatio ex illa adoptione exsurgens major fuerit ea, quæ naturæ & consanguinitatis vinculo est annexa. Ac proinde concludit: *Proinde amorem, curam, & obedientiam, jus adeundi hereditatem, si quæ fuisset in bonis, operata sunt, nihil mirum videri debet, si aliquam veram rationem patris, ac jus in Christum, quasi in filium Joseph habuerit*, Sanctus quoque Ber-

nardinus scribit: *Aeternus Pater ejus primatus similitudinem sibi liberalissime super incarnatum filium condona-*
Ac. 2. c. 3. *vit*.

4 *Ecce Pater tuus*. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod, postquam Virgo Sacratissima, à supremo illo Divini Numinis consistorio, in Christi matrem electa, pariterque gloriosissima in hunc finem ad eum cœlitus directa fuit legatio, Josepho nihilominus altera ex parte, nomen Infantulo imponendi munus impositum fuerit? Nam simul ac Angelus ei insinuavit; *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*: continuò subjunxit: *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum*. Pro dubii solutione juxta ea, considerandum est, quod nomen filiis imponere, actus quidam sit,
Matth. 1. qui utpote ad Patris jurisdictionem pertinens, auctoritatem & potestatem denotat paternam. Unde Paulus de Palatio ait: *Proprium jus parentum filiis nomen imponere, ad nullum alium hæc jurisdictio spectat. Cum ergo Josepho hoc jus attribuitur à Deo, mihi videtur Josepho collata in Jesum ea auctoritas & jurisdictio, quam Pater in filios habet; quod Christus manifestavit, quando erat subditus non solum Mariæ, sed etiam ipsi Josepho*; Salmeron in eundem sensum pariter scribit: *Per unum actum imponendi nomen, significatur integrum officium paternum; sicut per actum pascendi, plena potestas & jurisdictio Petri, cui dictum est: Pasce oves meas*. Sanctus Augustinus quoque idemmet mysterium notavit, dum ait: *Jubetur ut puero nomen imponat, quamvis non de semine suo nato; Pariet, inquit, filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, quasi diceret Sanctus Augustinus, Sacra Scriptura nobis vult, ut innotescat, quod, tametsi Sanctus Josephus in prolis hujus generatione partem non habuerit, siquidem hæc per Spiritum Sanctum & Mariam Virginem absoluta fuit; *Tametsi paterna ei non auferatur auctoritas, cum jubetur puero nomen imponere*.

5 *Ecce Pater tuus*. Mysticus ille textus, quem Sanctus Lucas capite tertio sui Evangelii habet; accuratius examinari & ponderari meretur, in quo refertur, quòd tempore Baptismi Christo à Joanne collati, Pater æternus, voce de cœlo dilapsa, Christum filium suum esse contestatus fuerit, & quod mirum est, eodem momento, eodem Evangelista referente, Christus etiam Sancti Josephi filius fuerit existimatus. *Jesu baptizato & orante apertum est cœlum & descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est; tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi; & ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta & putabatur filius Joseph*. Quidnam declarationi & testificationi Patris æterni, quo Christum filium suum esse testatus est, cum communis populi existimatione, qua filius Joseph esse credebatur, commune intercedit? Et quidem, aut difficultas hæc tantò major esse videatur, sciendum est, quòd nonnulli Josephum ante Christi baptismum mortuum fuisse scribant, inter quos est S.
C. 3. a. 2. Bernardinus, qui ait: *Forte mortuus fuit Sanctus Joseph*
L. 6. c. 58. *ante Christi Baptismum, quia ex tunc nulla de eo in Evangelio est facta mentio*. Et quidem in revelationibus Sanctæ Birgittæ à Sanctissima Virgine factis, Commentator illarum id indubitatum esse censet. Ecce igitur tibi latens hac in re mysterium. Sanctus Lucas enim rationem reddere videtur, cur Pater æternus, voce de cœlo lapsa, Christum in conspectu totius mundi, filium suum esse declaraverit, nimirum quia jam a triginta retro annis, ab unoquoque, Josephi duntaxat filius agnitus fuerat. Verum, inquies, cur hanc protestationem non citius fecit, cur expectare voluit, donec Sanctus Josephus ex hac temporali vita in æternam transiisset nimirum, ne potestati & jurisdictioni paternæ, quam ipsemet Sancto Josepho contulerat, quoad hanc externam coram mundo apparentiam, quicquam præjudicaret, nec gloria & honor, qui sancti Patriarchæ ex tanti Filii erga ipsum reverentia & submissione resultabat, vel minimum diminueretur. Sancta Martha quidem
Jo. 11. 25. ipsum Dei Filium esse confessa est. *Ego credidi, quia tu es Filius Dei vivi*. Idem quoque testimonium Sanctus Petrus ex instinctu & revelatione Patris æterni ipsi reddidit; *Tu es Christus Filius Dei vivi*: at verò tunc idipsum fecerunt, quando Joseph jam mortuus erat, jamque hæc in Christum jurisdictio & auctoritas paterna defecerat quasi hactenus idipsum ex industria & studio confiteri distulissent, ne Josepho in jure paterno aliquatenus præjudicarent.

6 *Ecce Pater tuus*. Signum evidens, unde dignoscere possumus aliquem Patrem esse, hoc est, si nimirum paternæ alicujus potestati filius se sponte subjiciat: Christum autem Josepho se subjecisse, ipsemet Spiritus veritatis attestatur, dum ait: *Erat subditus illis*. Sanctus Bernardus de modo se habendi Christi erga Josephum, ita scribit: *Se habebat reverenter & obedienter* Ar. 1. c. 2.
sicut ad Patrem suum, & ipse non solum publicè reputatus est, & vocatus Pater ejus, sed etiam tenere oportet, quod sanctus vir publicè se habebat ad eum, verbo, actu & gestu, atque cura & imperio, sicut verus pater ad filium suum, & similiter Christus ad eum, aliàs apertè innotuisset vicinis, & mundo quod non esset filius suus. Sanctus Bonaventura illo Salvatoris dicto utens: *Non* Opusc. de
veni ministrari, sed ministrare, ita scribit. *Intuere eum* med. vita
humilia obsequia per domum facientem, & aliquando Chris.
etiam suum nutritium adjuvantem. Lucas Burgensis, super illa verba: *Subditus illis*, aliam facit considerationem, dum ait: *Id est quietè, modestè, & amicè eis convivebat, & obediebat in iis omnibus, in quibus ingenui filii obedire atque obsequi parentibus solent ac debent, etiam quæ ad rem familiarem spectarent*. Albertus Magnus verba illa Evangelistæ: *Descendit cum eis*, ita ponderat: *Congruè verbo ascendendi utitur, & propter situm loci, & propter humilitatem à majestate descendit cum parentibus humilis sub ipsis, recordatus præcepti sui, Exodi 20. Honora patrem & matrem; præpositio autem cum illis notat subjectionem, & ut perfectam demonstraret humilitatem & obedientiam, subdit: Et erat subditus illis*: Ac proinde sciendum, Josephum utpote modestissimum & humillimum in triginta annorum decursu, paterna super Christum potestate nunquam usum fuisse. Unde nec constat, quod unquam eum hoc filii nomine appellarit, idque, ut est verisimile, ex peculiari modestiæ instinctu. Sanctus quoque Cyprianus dicit, verba vocis illius de cœlo lapsæ, scilicet: *Hic est filius meus*, non fuisse pronuntiata ab aliquo Angelo, sed ab ipsomet Patre æterno, ne ulla creatura hanc sibi gloriam unquam vendicare posset, ut filii sui se appellare posset Patrem: *Hanc vocem à sua Paternita-* De Bapt.
te delatam, nemo est, qui ambigat, non est, qui sibi hoc verbum audeat arrogare. Veruntamen licèt Sanctus Josephus hunc Patris titulum sibi arrogare noluerit, æternus Pater voluit, ut Spiritus Sanctus eum variis in locis per Evangelistas filii sui Patrem nominaret, nec non ut ipsamet Sanctissima Virgo Mater sua paternitatem ejus exprimeret. Lyranus super illa verba B. Virginis: *Fili quid fecisti nobis sic?* hanc conside- Luc. 2.
rationem instituit: *Joseph autem licèt Pater ejus diceretur, tamen non fuit ausus illum arguere, cum firmiter crederet illum esse Dei filium*. Albertus Magnus verba illa: *Parentes ejus*, Glossa sua illustrans, ait: *Quidam dixerunt, quod parentes ejus, hic dicuntur a pareo pares, non a pareo paris quia paruerunt obsequiis Domini*. Credibile est etenim, quod, tametsi sancto nostro potestas Patris à Filio, & à Patre æterno, & à matre ejus collata fuerit, ipse tamen humillimum illum Baptistæ de semetipso sensum exprimere voluerit, dicentis: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, vel etiam S. Petrum imitari voluerit dicentem: *Exi à me, quia homo peccator sum*. Vel cum Elisabetha dixerit: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me*.

Cur Christus hic in terris talem sibi virum in Patrem elegerit, qui artem exercebat fabrilem. Explicatur etiam gloria Sancti Josephi ex eo, quod Christum sibi subjectum habuerit. Efficacia quoque intercessionis ejus demonstratur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Nonne hic est Fabri filius? Matth. Cap. 13.

1. Receptissimum est axioma istud: *Omnia in sapientia fecisti*. Etenim Nativitas Salvatoris non accidit eodem modo, quo omnium aliorum hominum, utpote quibus convenit talibus temporibus, locis, progenitoribus, & stirpe ac progenie suos habere natales, prout illis minimè errans Cœli providentia pro arbitrio destinavit. Non verò sic Redemptor noster, siquidem hic infinita sapientia sua hanc ab æterno elegit matrem, è qua nasciturus & carnem sumpturus erat, elegit & Patrem, cui hic in terris subjici voluit. At verò quodnam in eo est mysterium, quod, eum hominem sibi in Patrem eligere decrevit, eumque privatum & pauperem eum insuper talem esse voluerit, qui artem profiteretur fabrilem? *Omnia in sapientia fecit*. Utique id nequaquam casu aliter accidit.

2. *Fabri filius*. Memorandum, quod, quamprimum prothomater nostra Eva *edit de fructu ligni*, & per hanc rapinam universum genus humanum in innumerabilium conjecit miseriarum barathrum, Deus quoque noster, qui ex tunc eosdem homines per propriam incarnationem suam redimere determinavit, oculum suum in terrestri Paradiso in lignum quoddam conjecit, super quo pretiosissimi sanguinis sui pretium, velut in litrum nostrum effundere decrevit, ad quod Ecclesia hisce verbis alludit, dum ait: *De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret*. Princeps namque tenebrarum ligno mediante vicerat: ideoque alio quodam ligno mediante, increata sapientia illum quoque vinci & superari voluit: *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. In ligno igitur salutem nostram depositam esse volebat: *Salutem humani generis in ligno Crucis constituisti*. Ecce tibi mysterium, cur esse voluerit *Fabri Filius*. Unde Chrysostomus dicit: *Ideo*
In cat. D. Thom. in Matth.
fabro lignario Maria desponsata erat, quoniam Christus Ecclesiæ sponsus omnium salutem hominum operaturus erat per lignum Crucis. Cum enim Redemptor noster expressè declarasset, dicens: *Delitiæ meæ, esse cum filiis hominum*, omneque gaudium & solarium in cruce repositum haberet;
Hebr. 12. 2.
proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, nulla erat in hoc mundo artis cujuscunque professio, in qua Joseph majus Christo gaudium & satisfactionem conciliare poterat, quam in lignis tractandis, dirigendis & expoliendis. Unde S. Justinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem ait: *Ipse Jesus faber putabatur, fabrilia namque cum in hominibus esset, faciebat opera, & juga conficiens &c.* Atque hinc est, quod Christus in Parabolis Evangelicis, similitudinibus aratri, jugi, aliisque similibus persæpe usus fuerit, suam videlicet consolationem, quam ex lignorum usu & contrectatione percipiebat, ostendere volens, utpote qui horam suam nondum venisse videbat, qua pro humana redemptione consummanda, in
De nat. Mar. consid. 1.
lignum configendus erat. Unde Gerson ait: *Quia ex ligno natura humana est perdita, ideo conveniebat, ut Pater Lignarius diceretur, pater recuperationis & restaurationis, & sic faber lignarius Josephi esset Deo conformior, qui est omnium fabricator*. Noe, cui Sacra Scriptura justi titulum attribuit, Arcam quandam fabricavit, in qua universum genus humanum salvatum fuit: Ita quoque Sanctus Joseph, *cum esset justus*. Arcam non mysticam, sed veram in custodia sua habuit, de qua Angelus dixerat. *Ipse enim salvum faciet populum suum*: qui idem Christus alio quoque nomine *lignum vitæ* nominatus fuit, atque ideo jure merito Josepho, qui faber lignarius erat, in custodiam assignatus fuit. Præterea considerare possumus, quod, cum Christus non solum pro humana redemptione consummanda, verum etiam, ad plantandas in fidelium suorum cordibus virtutes, & præcipuè quidem ad humilitatem inserendam in terras descenderit: *Discite a me quia humilis sum corde*, ideo non hominem quendam hujus sæculi divitem & potentem, magnaque auctoritate præditum, in Patrem suum habere voluit, verum potius pauperculum quendam opificem, fabrum, inquam lignarium, adeoque ille, coram quo ob summæ potestatis suæ reverentiam, sublimissimæ potestates contremiscunt, pauperis cujusdam hominis filius æstimari, eidemque subjici non fuerit dedignatus. Enimvero quod Deus, ad imperiosam Josue vocem Solem firmiter subsistere fecerit, unicum fuit in sacris literis miraculum: *Sol contra Gabaon ne movearis: stetit Sol*. Jos. 10. 12.
Cur autem Sol iste cursum suum moratus, substitit? *Obediente Deo voci hominis*. Ecce hic tibi ob oculos positum Jesum, quondam in Josue figuratum, cui ratione potentiæ illius, quam obedientialem vocare solemus, cunctæ creaturæ obediunt, non semel tantum, sed sæpius Sancto Josepho obedientem: *Obediente Deo* Matt. c. 1.
voci hominis. *Quanta majestas est* (inquit Paulus à Palatio) *ejus gerere curam, qui omnium curam habet?* Quibus verbis meritò addi potest: *Quanta majestas habere eum subditum?* David magnificentiam hominis considerans, qua Deus eum hoc ipso sublimaverat, quia nimirum cunctas ei subjicere voluit creaturas, obstupuit dicens: *Quid est homo, quod memor es ejus? Minuisti eum paulo minus ab Angelis; omnia* Ps. 8. 8.
subjecisti sub pedibus ejus. Quidnam igitur dicturus fuisse, si Sanctum Josephum è stirpe sua prodeuntem, ex una parte tanta paupertate pressum vidisset, ut artem fabrilem exercens, suis se sudoribus sustentare cogeretur, ex parte verò altera eundem Deum totius universi creatorem *qui subjecit omnia sub pedibus nostris*. Tametsi tanquam Rex Regum infinities De vit. solit. c. 3. 8.
ipso excellentior existeret, huic eidem Josepho summa cum reverentia & obsequio filiali vidisset subjectum. Porrò Sanctus Laurentius Justinianus ad hominem conversus ait: *Omnibus quæ sub cœlo sunt, prætulit te*: Sancto Josepho autem certo quodam modo Ora. 3. de Nat. Deip.
dici potest, ipsummet cœlum subjecisse, quando filium suum ei subjecit. Unde Sanctus Damascenus exclamat: *O miraculum omnium miraculorum maximè novum! mulier Seraphinis sublimior effecta est. Deus visus est paulo minus ab Angelis minoratus: sileat sapientissimus Salomon, nec jam nihil sub sole novum esse affirmet*. Verum enimvero ecce tibi miraculum quoddam multo magis stupendum, scilicet videre Matrem & Filium Dei, at ambos fabro cuidam lignario subjectos: *Nonne hic fabri filius? Et erat subditus illi*: Ipsa autem utpote sponsa sua: *Sub viri potestate erat*.

3. Enimvero ex hac tam Christi quàm Virginis, erga Sanctum Josephum subjectione & reverentia, ejus intercessionem, patrocinium illius invocantibus efficacissimam esse, liberè conjicere & arguere possumus. *Voluntatem timentium se faciet*, inquit divinum Ps. 144. 19.
Dei nostri oraculum, unde si in eorum, qui Deum timent, supplicationibus exaudiendis Deus adeo se favorabilem & propitium exhibet, quanto pronior esse credendus est, ad exaudiendas intercessiones eorum, quibus ipsemet se obsequiosum, & tanquam filium se obedientem esse demonstrat? *Domine Rex omnipotens*, Esth. 13.
in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui tuæ possit resistere voluntati. Etenim dicere quidem nolo Josephum Dei voluntati adversatum fuisse, siquidem de ipso potius constat, ut suo loco videbimus, quod nil aliud in ore & corde suo circumtulerit, quam *Utinam vivam & adimpleam voluntatem Dei*! Hoc tamen dicere ausim, quod Deo nostro majus gaudium non fuerit, quam S. Josephi voluntatem adimplere: *In ditione sua positus erat*, & consequenter *non poterat resistere voluntati ejus*. Ideo Sancta Mater Ecclesia, non sine mysterio, magnum se in ejus intercessione, utpote potentissima, fiduciam habere probat, prout ex oratione, in ejus officio recitari solita, satis liquet, dicit enim: *Sanctissimæ Genetricis tuæ sponsi quæsumus Do-*

Lib. de ver. Relig. Christ. (margin, beside "Martyr in Dialogo contra Tryphonem")

Marsi Prompt.

mine precibus adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Etenim supponenda nobis hoc loco est, quædam superius insinuata veritas, nimirum: *Nihil nos Deus* (ut inquit B. Bernardus) *habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret*. Omnes etenim gratiæ, quas à divina majestate recipimus, omnes libelli supplices, quos in cœli signaturam transmittimus, per Mariæ manus transeant, necessum est. Hæc autem, ut diximus, sese S. Josepho voluntariè subjecit, tametsi ab hac subjectione exempta esset, utpote quæ nullam in antiqua maledictione partem habuerat, ut esset *sub viri potestate*. Optimè igitur Arnoldus Carnotensis de Dei Matre ita scribit: *Securum accessum jam habet homo ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ filium habet ante patrem, & ante filium matrem*. Et quidem ex eodem fundamento securi quoque possumus, de S. Josephi efficaci patrocinio, utpote in potestate sua habentis Matrem pariter & Filium. Et hoc fortè est mysterium illud, ob quod Evangelista nobis S. Josephum proponit, in utriusque medio constitutum, velut mediatorem & intercessorem: *Invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem*. Porrò S. Theresia, immensa quadam erga hunc sanctum devotione ferri solebat, siquidem in cap. 6. vitæ suæ multas se ab eo gratias recepisse fatetur, præcipuè tempore juventutis, quando omni erat humano remedio destituta; unde non meminisse se dicit, quod aliquam ab eo gratiam postularit, quam non confestim obtinuerit. Aliis etenim sanctis, inquit S. Theresia, Deus concessisse videtur, ut in unica tantum necessitate possent succurrere, at verò expertam se esse frequenter, subsidium S. Josephi ad cunctas se necessitates extendere. Per quod Deus voluit innuere, quod, sicut in terris ei subjectus fuit, ita quoque in cœlo nullam ei gratiam denegare possit. Subdit ulterius eadem Seraphica Mater, se neminem ex iis, qui S. Josepho devoti extitere, cognovisse, qui non præter receptas gratias, magnum quoque fecerit in virtutibus progressum. Multi ab hinc effluxere anni, inquit Sancta, à quibus ego unicam quovis anno gratiam ab eo exposco, simulque felicem experior postulationis meæ eventum; quod si autem postulatio mea fortasse adeo recta non fuerit, ipse eam ad majus bonum meum inclinat & dirigit. Glossa super illa verba: *Joseph fili David*, ita scribit: *ex nomine vocat, quasi notum & familiarem*. Hæc autem familiaritas gratiarum faciliter obtinendarum est indicativa. Quando Moyses pro remissione peccatorum populi sui Deum rogavit, jamque Deus ad easdem acceptandas protius erat, dixit ad eum: *Novi te ex nomine*. Ubi Rupertus Abbas Tuitiensis ait: *Præsertim cum dixeris, novi te ex nomine, quasi consequens sit, ut, quod ipse notus est Deo, hoc alios, qui Dei notitia non sunt digni, commendare possit*. Aptissimè S. Bernardus in lectionibus hodie ad matutinum lectis consideravit, S. Josephum nostrum valde fuisse alteri, qui Salvator dicebatur Ægypti consimilem. Sicut enim Rex Ægyptiorum suam huic auctoritatem delegavit: *Uno tantum regni solio te præcedam; ad tui oris imperium cunctus populus obediet*. Ita quoque certo quodam modo dicere possumus, similem prorsus delegationem S. Josepho nostro ab æterno Patre factam fuisse, quando filium suum ei subjectum esse voluit. Unde Gerson ait: *Non est mirum, si Christus voluit, quod omnes creaturæ obedirent Josepho, cum & ipse obediens extiterit & subjectus*. Rex Ægypti ad Josephum Jacobi filium dixit: *Terra Aegypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac habitare fratres tuos*. Idemmet Christus S. Josepho nostro dixisse videtur, facultatem ei impertiendo, devotis, pro libitu suo, quascunque communicandi gratias, siquidem ipsius potestati terram illam optimam subjecit, quæ fructum illum protulit, de quo dicitur: *Benedictus fructus ventris tui*, quæque *sub viri potestate erat*. Quinimo ejus imperio semetipsum subjecit: *Et erat subditus illi*. Alter Joseph Ægypti, frumentum in sua custodia habuit: hic autem noster Joseph frumentum electorum custodivit, quo mediante *omne triticum congregatur in horreum suum*. Specialiter autem sperare possumus, intercessione ejus, pro remissione peccatorum nostrorum efficacem futuram esse: *Vocabis nomen ejus Jesum* (ita ei Angelus annuntiasse noscitur) *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Cum enim ipse tantam in Salvatoris nomine, Christo imponendo potestatem habuerit, ad significandam peccatorum nostrorum remissionem; hinc optime sperare poterimus ejus hoc fine factam intercessionem, tanto fore efficaciorem, quanto certius constat, ipsum Virginis, quæ *est refugium peccatorum*, sponsum fuisse, & consequenter aliquod sibi in eandem Virginem comparasse dominium.

Ser. 3. de nat.

In bibl. vet. p. de laud. Virg.

Luc. 2. 16.

Exod. 33. 1

Ser. de nat.

Nullus est, qui Sancto Josepho in donis, virtutibus, & privilegiis omnibus aliis sanctis à Deo concessis æquiparari possit,

DISCURSUS NONUS.

Non est qui similis sit tibi. Ps. 39. v. 6.

1. QUod si S. Josephi honorificentissimo filii Davidis titulo, ab Angelo condecorati merita & prærogativas, æqua recti judicii bilance trutinare volumus, valde nobis verisimile videbitur, eundem Angelum, visa per Spiritum Propheticum, ejus tam ingenti exaltatione, ad eum conversum dixisse eidem: *Non est, qui similis sit tibi*. Ac proinde nos quoque super omnium cœlitum gratias, dona, & prærogativas, seriæ cujusdam & rigidæ censuræ oculos deflectamus, sic enim sperandum erit, vos quoque ingenuè confessuros esse, neminem inter omnes reperiri, qui S. Josepho valeat æquiparari.

2. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur* dicebat quondam David. Etenim alii sancti, quoadusque hic in terris vixerunt, ab Altissimi protectione fuerunt defensi. Unde idemmet Propheta dicebat: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo*. Hodie autem, si veridicè discurrere volumus, fatendum utique erit, filium Altissimi, de quo Angelus Mariæ in annunciatione dixit: *Filius Altissimi vocabitur*, per triginta annorum decursum sub protectione S. Josephi, cum in domum suam recipientis, vixisse: *Deus cœli in protectione Joseph commoratus est*. Alii sancti Deo dicunt: *Domine refugium factus es nobis*: Josephus autem in omnibus Christi persecutionibus, & quando ab Herode ad mortem quæsitus fuit, & quando fugitivus in barbaram regionem se recepit, & quando ab Hebræorum malignitate insidias est passus, unicum Christi refugium extitit. Aliis sanctis quidam è Paradisi Angelus à Deo ad ipsorum custodiam est assignatus: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: Hic autem Deus noster homo factus in custodem suum Angelum quendam elegit, sed humana carne amictum, nimirum S. Josephum, *ut custodiret se in omnibus viis suis*. Cum igitur Sapiens quondam dixerit: *Qui custos est Domini sui glorificabitur*, quæ unquam inter omnes creaturas tam humanas, quam angelicas, ad hanc gloriam pertingere potuit, præterquam Sanctus Josephus, qui tanto tempore custos esse meruit Christi? Unde hoc fuit maximum illud prodigium, quod obstupescere fecit hunc sanctum, prouti S Bernardinus meditatur, dum ait: *Stupebat ruminando corde, & oculis intuendo, quod filius Dei se fecerat filium suum, & elegerat eum, ad illum nutriendum, bajulandum, regendum, & conservandum in necessitatibus vitæ suæ*. Porrò de aliis sanctis scribitur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, non tanget illos tormentum mortis*. Quibus verbis Spiritus Sanctus asserere intendit, quòd Deus justos à lethiferis eventibus haud secus custodiat, quam si eos in manibus suis portaret. At verò quod Sanctum Josephum attinet, res ita se non habet, quin potius ipse Deum in manibus & in brachiis suis persæpe portavit, multoties eum præservando ab evidentibus periculis mortis.

3. *Non est, qui similis sit tibi. Sine me*, inquit ad Apostolos suos Christus, *nihil potestis facere*. Opus enim habebant ipsius directione, utpote à quo totaliter de-

Ps. 90. 1.

Ps. 26. 3.

Ps. 89. 1.

Pro. 28. 18.

Serm. de S. Jos. a. 2. c. 2.

Jo. 15. 5.

dependebant. At verò specialis hæc fuit Sancti Josephi prærogativa, quod Christus multis annis ipsi subditus fuerit, utpote quem ipse instar Patris sua directione gubernabat, & erga quem, nec non & erga minimos ab eo profectos outu, Christus se obedientissimum, & in omnibus dependentem filium esse exhibuit. Rupertus Abbas Tuitiensis de Salvatoris nostri à Sancto Matthæo conscripta Genealogia discurrendo, ultima ejus verba: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus;* acutè ponderat, seque ad scalan Jacob, per quam videbantur Angeli ascendentes & descendentes, reflectit, dicens: *Scala illa generatio Christi, & latera scalæ summi Patres vel Principes sunt hujus generationis, Abraham atque David, ad quos promissio facta est.* Quisnam autem est ultimus atque supremus scalæ illius gradus, cui Deus ipse innititur? *Supremus scalæ gradus cui Dominus innixus est, iste est beatus Joseph.* Porrò is, qui alteri innititur, fulcro se opus habere comprobat. Et revera ita est: Hæc etenim unica est Sancti Josephi prærogativa, quod Deus se in hac vita illo opus habere comprobarit: *Cujus cura paterna Dominus, de Maria natus, indiguit.* Imò non solum filius, sed & Mater ope & adjutorio ipsius opus habuit. Id quod Angelicus Doctor in ordine ad Christum hisce verbis declaravit: *Ne ab infidelibus*
3. p.q.29. ar.1. *tanquam illegitimè natus abjiceretur: unde Ambrosius dicit super Lucam: Quid Judæis, quid Herodi posset adscribi, si natum viderentur ex adulterio profecuti? Secundò ut consueto modo, ejus Genealogia per virum describeretur; Tertiò ad tutelam pueri, ne Diabolus contra eum vehementius nocumenta procurasset; Quartò, ut à Joseph nutriretur.* Ac proinde Sanctus Joseph quoad se dicere non potuit, quod David ait: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Siquidem Christus *propter nos factus*
Ps. 15. 2. *egenus* opus habuit, ut in domo Josephi hospitaretur, ejusque pane sustentaretur per tot annorum decursum. Quod verò Mariam attinet, habuit & ipsa
lib.1.Com. in cap. 1. Matth. opus Sancti Josephi præsidio & auxilio. *Ne lapidaretur a Judæis ut adultera*, vel ut Sanctus Hieronymus scribit, *ut in Aegyptum fugiens haberet solatium.* Et S. Thomas super idem caput Matthæi pariter scribit: *Matri & filio fuit necessarius.* Porrò de Dei providentia scribitur: *Aperis tu manum tuam, & imples*
Ps.144.16. *omne animal benedictione: oculi omnium in te sperant, & tu das illis escam in tempore opportuno.* Hic autem idemmet Deus unà cum matre suum quotidie alimentum & sustentationem à manu Josephi præstolabatur:
In cap. 2. Matth. *In sudore vultus Joseph, ejus pane vescebantur.* Unde Dionysius Carthusianus scribit: *In Aegypto cum matre & puero manibus suis victum conquirens septem annis.*

4. *Non est, qui similis sit tibi.* Supremus ille Judex in universalis judicii die, in conspectu omnium Angelorum aliorumque cœlitum, electis suis, inter quos tot Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres & Virgines erunt, manifestè dicet *Venite benedicti*
Matt. 25. 33. *Patris mei, possidete paratum vobis Regnum.* Eorumque merita allegando, subjunget: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me.* Omnes autem, ut sacer textus ait, huic supremo Judici cum admiratione respondebunt: *Quando te vidimus esurientem, & pavimus te, sitientem & dedimus tibi potum; quando autem te vidimus hospitem & collegimus te, aut nudum, & cooperuimus te?* Quibus mox Salvator respondebit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Verum enimverò quodnam erit illud præ omnibus electis, omnibusque Spiritibus Beatis Privilegium, quod ipsemet judex, utpote Sancti Josephi hic in terris existens filius, veridicè ad literam de S. Josepho dicere possit, sibi ab eo ministratum fuisse cibum, potum, amictum, inque domo sua per tot annorum curricula hospitio excepisse. Sancto etenim Josepho dicere poterit: *Esurivi, & dedisti mihi manducare, hospes eram, & collegisti me, nudus eram & cooperuisti me; pannis involvit*, panniculi hi Sancti Josephi erant. Multique graves auctores asserunt, ipsum subtractum sibi palliolum suum quantumvis tritum & lacerum, Virginem autem velum suum pro parvuli Jesu regumento adhibuisse; ob quam causam utræque vestes, velut pretiosissimus quidam thesaurus in Sancta Anastasia conservantur, ubi circa diluculum Natalis Domini solemnis est statio: *Pallium breve* (inquit Isaias) *utrumque operire non potest*, ac proinde Sanctus noster pallium suum sibi quidem sustulit, ut filium Dei eo contegeret, & tametsi ipse nudus postea remaneret, non tamen ea frigore tremere cœpit, quia ad instar Seraphini cujusdam cœlestis, Deo illi, qui *Ignis* Isa.28. 10.
consumens est, proximè vicini divini amoris incendio intus ardebat.

5. *Non est quis similis sit tibi.* De Angelicis Spiritibus scribitur: *Ministri ejus, qui facitis voluntatem* Ps. 10. 21.
ejus. Porrò viginti quatuor illi seniores regiis diadematibus redimiti, coram illo Deo, quem *adorant dominationes, tremunt potestates, procidebant ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante Thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem.* Ac proinde ad hunc honorem,
quemlibet humanum intellectum longè transcendentem, quinque ipsos cœlites Angelos in admiratio- Apoc. 4. 10.
nem rapere sufficiat, quis unquam hominum pertigit, ut nimirum non solum ipsa Angelorum Imperatrix, verum etiam Deus ipse, qui dixit; *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; ad cujus divini nominis prolationem in signum summæ reverentiæ flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, ut, inquam, ille tot annis coram Sancto Josepho humilietur, ei subjiciatur, & obsequiosum se illius servum exhibeat, eum tanquam Patrem honorando, eique inserviendo; *Erat subditus illis. Ex* In cap. 1. Luc.
hoc itaque conjugio (inquit Didacus Stella) *tantum honoris & laudis ipso Joseph comparavit, ut Matrem Dei subditam habuerit simul & filium.* Porrò de Christo scribit Apostolus: *Cum in forma Dei esset, non ra-*
pinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semet- Phill.2. 6.
ipsum exinanivit, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo. Per fidem vestram vos obtestor & obsecro auditores, quandonam hæc Sancti Pauli verba in Christo adimpleta fuerunt? Cuinam Christus unquam in hac præsenti vita actualiter servivit, præterquam Sancto Joseph? Imo constans est multorum opinio, quod eum in fabrilibus operibus suis strenuè adjuverit, ac proinde ad reprimendam in Apostolis ardentem illam dominandi cupiditatem dixit
ad eosdem Apostolos: *Sicut filius hominis non venit* Matt. 20. 28.
ministrari, sed ministrare per illa verba innuere volens, quod in domo Sancti Joseph Patris passus non fuerit sibi ab aliquo ministrari, sed omnibus ministrare: *Et erat subditus illi.* Sancta Martha quoque Christo dixit: *Domine non est tibi cura, quod soror*
mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me Luc.10.40
adjuvet. Quæ verba jure merito ad honorem S. Josephi retorquere possumus dicendo, Christo minimè suffecisse, quod ipse tanquam Patris sui filius in ejusdem Patris sui servitium sese impenderet, ideoque matrem suam ejusdem filialis obsequiis adhibuisse coadjutricem.

6. *Non est, qui similis sit tibi.* Celebris quidem
est illa Sancti Hieronymi sententia dicentis: *Nescit* Ep. 22 ad Celan.
religio Christiana personas accipere, neque conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum, servum & nobilem de moribus pronuntiat. Et tamen Sanctus Bernardus econtra scribere non dubitat: *Nescio tamen,* Epist. 113.
cur virtus in nobili plus placet, forte quia plus claret. Sanctus Josephus autem in neutrius decore parem sibi habet, sive nobilitatem consideres virtutis, quæ sola in cœlesti æstimatur curia, sive pariter illam, quæ penes mundum habere in pretio solet. Quantum enim ad nobilitatem Christianam hoc solum dicere sufficiat, quod in novo testamento omnium primus extiterit, qui evidenter & clarè à Spiritu Sancto fuit canonizatus, siquidem ipsum perfectum declaravit & sanctum: *Joseph autem cum esset justus.* Matt.c.1.
Paulus de Palatio de illo dicit: *Primus virorum, qui Christi celsitudinem novit, est Joseph.* Fuit ea hominibus primus Christianus: *Novit prius puer Baptista, porrò ex viris primus Christianus, primus, qui Christo adhæsit Joseph fuit.* Primus fuit qui Christum adoravit, primus qui ei locutus fuit, primus qui suis eum brachiis strinxit, denique primus, qui ejus amore

pati cœpit. Quoad nobilitatem verò terrenam ac temporalem: *Non est, qui similis sit illi.* Unde S. Bernardinus hanc circa illum considerationem instituit: [To. 3. a. 2.] *Fuit de stirpe Patriarchali Regali atque Ducali.* In ejus namque linea quatuordecim enumerat duces, quatuordecim Reges, & totidem Patriarchas, & concludit: *Fuit ergo Joseph tantæ nobilitatis, aut quodammodo, si liceat dicere dedit temporalem nobilitatem Deo in Domino Jesu Christo.*

[In Luc.] 7. *Non est, qui similis sit tibi.* Quoad sublimitatem gloriæ Sancti Josephi, qua omnibus sanctis cœlitibus super eminet, Didacus Stella ejusmodi argumentum in medium adducit: Etenim Christus ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic sit minister meus.* Quo supposito: *Iste in cœlis inter supremos videtur collocandus, qui in terris ipsi Christo familiari obsequio servivit, & fidelior omnibus post Mariam inventus est.* Veruntamen longè præstantius esse videtur, quod ipsemet Christus, ut diximus, Sancto Josepho immediatè ministrarit atque servierit. Adhæc idem Stella aliud quoddam ejusdem generis argumentum adducit, in eo nimirum fundatum, quod Salvator noster ingens præmium decreverit illi, quicunque amore sui calicem aquæ frigidæ pauperi dispensarit: [I. cap. 2. Luc.] *Si ille, qui Propheta dederit vas aquæ frigidæ, mercedem ab ipso Propheta accipiet, quam mercedem is accipiet, qui non solum unum vas aquæ dedit sed multa, panem & obsonium ipsi Prophetarum Domino? Qui recipit justum,* [Matth. 10. 41.] inquit in eodem loco, *in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Deus autem incarnatus, qui in hunc mundum venerat, justus ille erat: [Joan. 2.] *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum;* sed ab omnibus passim spretus, à nemine recipiebatur: *Sui eum non receperunt.* Solus Joseph autem cum esset justus, in domum suam eum recepit, unde Deus incarnatus ad eum dicere potest: *In te projectus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.* [Ps. 21. 11.] Nam ad instar projectitii cujusdam ab omnibus repellebatur: *Non erat ei locus in diversorio.* Solus Josephus suscepit eum, curam & solicitudinem habuit educandi & nutriendi illum, eumque velut unicum & dilectissimum filium tractandi: quis igitur dubitabit: quin *mercedem justi non acceperit?*

[Jac. 4. 8.] 8. *Non est qui similis sit tibi.* Sanctus Jacobus Apostolus in Epistola sua Canonica doctrinam quandam tradit, è qua facili negotio deducitur, quod, quanto quis Deo magis appropinquat, tanto quoque Deus homini propinquior fiat, & consequenter divinas ejus perfectiones magis participet: *Appropinquate Deo,* inquit, *& appropinquabit vobis.* De Sancto Josepho autem securè dicere possumus, quod Deo præ omnibus proximior factus sit, ideoque cum Deo strictius fuerit unitus. Et quidem si à signis exterioribus deduci vel conjici potest status interior perfectionis & sanctitatis, omnibus constat, quod Sanctus Joannes Baptista, Christum baptizando, eousque pertigerit, ut manus suas elevare potuerit super verticem capitis Christi. Sanctus Joannes Evangelista in ultima cœna, capite super ejus pectus reclinavit: Magdalena pedes osculata fuit: Sanctus Thomas Apostolus in vulnerum illius cicatricem digitum suum misit; Et hisce favoribus quilibet ex prænominatis, unica duntaxat vice gavisus fuit: At verò S. Josephus omnibus hisce gratiis multis annis fuit privilegiatus & fruitus, imo totum Christum, quantus erat, in sua facultate habuit, siquidem *erat subditus illi:* adeo ut de ipso meritò affirmare liceat: [Eccl. 4.] *Unus est, & secundum non habet.*

Sanctitas Sancti Josephi ex eo, quod longo tempore stricta ipsi cum Sanctissima Virgine, & Christo familiaritas intercesserit, ostenditur.

DISCURSUS DECIMUS.

Invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem.
Lucæ Cap. 7.

1. Axioma est ab oraculo cœlesti in Psalmis descriptum: *Cum sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris.* [Ps. 17. 26.] Unde continua conversatio, quam S. Joseph cum Dei Matre sponsa sua, de qua Sancta Ecclesia canit: *Sacrarium Spiritus Sancti,* & cum sancto sanctorum, Christo videlicet habuit, in perspicuam eminentis sanctitatis ipsius notitiam nos perducit. Ecce enim, ubi devoti pastores illi S. Josephum invenerint, in medio videlicet inter Virginem & filium ejus. Optimè S. Bernardinus notat, multos ex eo, quod diuturno tempore, sanctis quibusdam, scilicet S. Paulo, vel S. Francisco, aut aliis similibus sanctis familiares fuere, magnum sibi inde lumen, Deique notitiam comparasse. [Serm. de S. Jos. a. 2. c. 1.] *Quanto igitur magis credendum est, quod sanctissimus iste vir tanto tempore, quanto fuit cum Christo & Matre ejus?* Zachæus usurarius & publicanus erat, nec ullam Christi cognitionem habuit, aut notitiam; postquàm verò Christus ad prandendum cum ipso invitatus, in domo ipsius pauculis horis cum Zachæo dimoratus fuisset, talem in eadem mutationem causavit, ut ejusdem Christi testimonio non tantum ipse, verum & omnes domus familiares conscripti mox fuerint in libro vitæ: *Hodie huic domui salus a Deo facta est.* [Luc. 19. 9.] Zachæus qui ante avarus fuerat, postea factus est subito liberalissimus eleemosynarius: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Cum igitur Christus in domo S. Josephi, qui de facto erat eximiæ perfectionis, *Joseph autem vir ejus cum esset justus,* triginta annorum spatio fuerit conversatus; facile erit unicuique conjicere, quanto majora incrementa sanctitas illius per continuum & familiare illud cum Christo consortium assecutus fuerit, idque tanto fit credibilius quanto minus dubitare fas est, ipsum cœleste hoc consilium: *Sanctus sanctificetur adhuc,* executioni perfectissimè mandasse. [Apoc. 21. 11.] Similiter Magdalena *erat in civitate peccatrix* & tamen vix pedes Salvatoris nostri lachrymis suis lotos capillis deterserat, cum dici sibi audivit: *Dilexit multum.* Quid igitur de sancto nostro dicemus, qui vitam traducens innocentissimam, *cum esset justus* in præstandis Christo obsequiis per tot annos se adeo diligenter & exactè impendit, illum vestiendo, cibando, à tot periculis eripiendo, eique solicite & peramanter, amantissimi Patris loco deserviendo? Dicere solent Theologi, quod sanctitas animæ ad charitatis & divini amoris mensuram perpetim crescat. S. Joseph autem huic veræ charitatis igni triginta continuis annis vicinissimus semper fuit: *Deus charitas est; ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* [To. 2. 3. p. q. 29. a. 2. & 2. disp. 8. sect. 2.] ac proinde præ quovis alio sancto, præsentissimam habuit, sese ad hunc divinum ignem calefaciendi occasionem. Suarez hac de re ita discurrit: *Post Christum natum longè majus in Joseph fuisse sanctitatis augmentum intelligitur, tum quia cum Christum probè cognosceret, illius frequenti conversatione & continua præsentia, ad frequentissimos charitatis actus excitabatur.* Qua in sententia considerabile est verbum illud *continua præsentia.* Abraham quoque, ut sanctitate imbueretur, hæc à Deo verba audivit: *Ambula coram me, & esto perfectus.* [Gen. 17. 1.] Ita quoque Moyses de Noe scribit: *Vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* [Gen. 5. 24.] S. Josephus autem in sanctitatis suæ augmentum non solam hanc Dei præsentiam per triginta annorum decursum semper exercuit, verum insuper de eo considerandum est, quod idemmet Deus *ambulavit coram eo,* id est, in omnibus gressibus suis ab obedientia & directione S. Josephi, ut-

utpote hic in terra Patris sui, dependere voluit. Unde S. Bernardinus ait (Art.2. c.2.): *Cogita quanta reverentia & quanta puritas mentis, & carnis, & affectus, & sensus erat semper necessaria ipsi Joseph, in assiduo atque immediatissimo & secretissimo convictu, colloquio, & à Spiritu Jesu vigilantis, dormientis, comedentis prope ipsum & Matrem in eodem parvo tuguriolo.* Unde veluti indubitatam conclusionem hanc statuit: *Necesse est hunc virum fuisse admiranda gratia & virtutis, primo quantum ad matrimonialem unionem; secundo quoad continuam cohabitationem, tertio quoad sedulam administrationem.* Exploratores terræ promissionis, ut iis, à quibus missi fuerunt, fertilitatem regionis illius indicarent, fœcundissimum quemdam botrum uvæ secum extulerunt. Eodem prorsus artificio S. Evangelista Matthæus de S. Josepho tractaturus, uti videtur: siquidem oc opus esset in specialiorem descendere enarrationem virtutum, donorum & gratiarum, quibus magna illa anima locupletabatur, visum fuit ei sufficere, si qualis fructus ille terræ promissionis, quæ in sua erat potestate, fuerit, tantummodo recenseret, ideoque dixit: *Joseph virum Mariæ de qua natus est* (T. 3. tr.4.) *Jesus, qui vocatur Christus.* Ecce fructum: *Benedictus fructus Ventris tui.* Unde Salmeron ait: *Non sine causa dictum Joseph, quia fructus hujus immaculati conjugii fuit gratia Dei augmentum.* Joseph enim idem est, quod *augmentum.* Verisimile est etiam, quod (In c.1.Luc.) Didacus Stella devotè meditatur, videlicet quod: *Cum nullo homine Christus & ejus Sanctissima Mater in hac mortali vita, ita familiariter egerunt.* Porrò Beatissima Virgo, reclusum in utero filium Dei deferens, ad salutandam Elisabetham abiit, eidemque modico tempore servivit, cum ecce S. Joannes in ventre Matris suæ mox sanctificatus fuit: S. Joannes Evangelista super divinum Christi pectus brevissimum somnum cepit, idque non nisi semel, & tamen meruit ut virginea Mater suæ traderetur custodiæ: At verò ut idem Stella observat, hoc ei non nisi in ultimis Virginis annis obtigit: *Paucis annis cum ea habitavit, Joseph autem triginta annis.* S. Simeon eum intra brachia sua portavit & pectori adstrinxit, & Spiritu Sancto plenus exclamavit: *Nunc dimittis servum tuum Domine.* At verò quænam est S. Josephum & Simeonem inter proportio, qui eum toties in sinu suo excepit, & in brachiis suis portavit, ac pectori adstrinxit? verisimile est utique, ei, in tam arcta familiaritate, constituto præ quovis alio, altissima & reconditissima fuisse revelata mysteria; Quod si enim Apostolis suis (Jo: 15. 15.) dixit: *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus*; utique divina secreta sua copiosius S. Josepho participavit; utpote quem veluti Patrem suum respiciebat & honorabat. (Conc. 4.in Nat.Dom.) S. Thomas de Villa nova proinde hisce affectu plenissimis verbis ei collætatur dicens: *Felix Joseph, cui donatum est talibus interesse mysteriis, horum gaudiorum fieri consortem, qui dulcissimos audire concentus, cœlestium Spirituum sentire tripudia, videre obsequia, ovantes Angelos, adorantes Reges, lætantes Pastores beatis oculis inspicere meruisti.* Quod si solus Christi sermo beatos, ut ita dicam, reddidit Apostolos, ideoque S. Petrus dixit: *Verba vitæ æternæ habes*; qualibus igitur consolationibus cœlestibus perfusa fuerit anima S. Patriarchæ nostri, qui quotidie per triginta annos (Psal. 118, 103.) continuos hoc singularissimo favore gavisus fuit! *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori* (Cant. 8.1.) *meo!* Sponsa illa cœlestis omnino anxia dicebat: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera Matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis.* Sanctus Joseph quoque huic divino sponso qui erat Christus à sponsa sua lactatus, dicere poterat, se eum erga se prorsus amabilem reperisse, eumque in domum suam recepisse, interiusque edoctum ab illo esse, ut agnosceret eundem sponsum veram esse & increatam sapientiam: *Filius sapiens lætificat Patrem.* (Prov. 10.1.) Sapientior autem filius inveniri nequit, quam sit hic Josephi filius, utpote qui est æterna sapientia Patris, ac proinde quis explicare poterit, quanto gaudio S. Josephum Patrem suum interius adimpleverit? (In c. 1.Luc.) Cardinalis Toletus verba illa Salvatoris: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis: dico enim vobis quod multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, &c.* considerans, sumque inde discursum in S. Josephum convertens, subjungit: *Ipse enim non solum vidit & audivit, sed in ulnis sæpe portavit, frequenter amplexus & osculatus est, per plures annos cibavit, vestivit, & paternis officiis ipsi ministravit.* (Prov. 8. 31.) De increata illa & divina Sapientia scribitur: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* (Prov 8.31.) Ubinam verò in toto orbe terrarum sensus verborum istorum veracius adimpletur, quàm in felicissima S. Josephi domo, in qua verbum infans, ad instar aliorum suæ ætatis puerorum, ut se hominem aliis similem esse ostenderet, omni cum modestia ludebat, & jocabatur gaudens, erantque lusus illi indicia gaudii illius interioris, quo se, ad redemptionem nostram consummandam, hominem factum esse lætabatur: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Unde B. Laurentius Justinianus in (Cap. 2.) fasciculo divini amoris ita scribit: *Quid admirabilius, quàm Dei filium Virginis mammas sugere, Joseph foveri in gremio, discurrere, discumbere, comedere, & cætera hominis officia tanquam homo verissimus exercere?* Cumque S. Joseph tantum erga Christum amorem exhibuerit, verisimile est, Christum illi vicissim per ingentem gratiarum favorumque cœlestium abundantiam, liberaliter respondisse: *Qui deneget* (inquit Sanctus Bernardinus) (Art. 2.c.2.) *quod ipsi tenenti Christum in brachiis tanquam Pater, & balbutienti aut confabulanti cum ipso ut Pater, Christus sive infans, sive adultus, non ingereret aut imprimeret ineffabiles sensus atque jucunditates de semetipso, & hoc cooperante exterius gratia Christi cum filiali aspectu, afflatu, atque amplexu?* Credibile etenim est, quod ad hujus divini infantis vultum propius accedendo dixerit: *Domine in lumine vultus tui ambulabimus.* (Pf. 88. 16.) *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*: (Pf. 44. 13.) vel manus ejus apprehendendo, in hæc verba prorumperit: *Manus tuæ* (Pf. 118 73.) *Domine fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu,* aut ejus amplectendo pedes, singultiens dixerit: *Terra mi Jesu scabellum pedum tuorum.*

2 Adhæc cum vera beatitudo in nulla re alia consistat, quàm in visione Dei: *In quem desiderant Angeli prospicere*; beatissimus censendus erat S. Joseph, utpote qui facie illam semper speculari poterat, quæ patriam illam cœlestem beatam reddit, licèt carnis nostræ velo contectam. Unde Albertus Magnus di- (In cap. 1. Matt.) cit eum multo melius, quam Moyses olim dicere potuisse, Num. 12. *Ore ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata & figuras Deum video.* Moysi enim tantum Angelus loquebatur, Sancto Josepho autem: (Matt. 10.) *Magni consilii Angelus, Angeli semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*: S. Joseph autem oculos suos in filium defixos habebat, ideoque nihil erat, quod Angelis invideret. Angeli quoque coram illa suprema Majestate in pedes erecti assistunt: *Decies centena millia assistebant ei*: Hic autem Deus ipse, ut Sanctum Josephum tanquam Patrem revereretur & honoraret, coram ipso nonnunquam in pedes erectus stabat, quia *erat subditus illi. Benjamin amatissimus Domini habi-* (Deu 33.12.) *tabis confidenter in eo, quasi in thalamo, tota die morabitur, & inter humeros ejus requiescet.* Etenim Jesus filius Josephi absque eo, quod æterni Patris sui sinum desereret: *Unigenitus qui est in sinu Patris,* fre- (Can. 2 12.) quentissimè in Sancti Josephi sinu summa cum confidentia & amore requiescebat. Sanctus Petrus Damianus illum textum è sacris Canticis: *Revertere Sunamitis, ut intueamur te,* considerans dicit, hasce voces fuisse, quandam ab Angelis factam invitationem, qua Assumptionem Beatissimæ Virginis Mariæ quantocius fieri desiderabant. Verum, inquies, nunquid per intuitivam Dei visionem plenè perfectèque beati erant? Respondet Sanctus Bernardinus de Assumptione: *Quilibet cœlitus ordo lætatur, quia in B. Virgine reperit aliquid gloriæ specialis.* Cogitetis igi- (T. 3.ser 11. a. 1. c. 2.) tur, quali gloria S. Joseph tot annis gavisus fuerit, quibus non solum cum Maria Virgine, verum & cum ipsomet Deo habitabat & conversabatur quotidie. (Art.2.c.1.) Denique idemmet Bernardinus efficaci quodam argumento concludit, & dicit: Quod si B. Virgo peccatoribus, hominibus sceleratis, qui pænitudine ducti ad ipsam recurrunt, & gratias & dona specialissima impetrat, quot igitur gratiarum charismata sponso suo obtinuit, viro innocenti & sancto. *Cum esset justus? Cum quæ sunt uxoris* (subdit ulterius) *sint viri; credo quod Beatissima Virgo totum thesaurum cordis*

sui,

sui, quem Joseph recipere non poterat, ei liberalissimè exhibebat.

Ex quo Sanctæ Birgittæ à Sanctissima Virgine hæc verba revelata fuerint: *Totum desiderium Joseph fuit obedire voluntati Dei, ideo nunc magna gloria Joseph*; hinc quæ in illis latent mysteria, explicantur.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Joseph filii David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Matth. Cap. 1. v. 20.

Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Act. Ap. 13. versl. 22.

1 GRavissimum maximeque arduum negotium, quod æternus Pater in tota æternitate tractavit, fuit, ni falloc, unigeniti filii sui, in utero Virginali complenda incarnatio: Et tamen in decursu quinquies millium annorum & ultra nullus inveniri potuit dignus, cui duo pretiosissimi cœli terræque thesauri, id est, Christus, ejusque Sanctissima Mater recommendari possent; donec tandem Deus invenit virum quendam secundum cor suum, id est, Davidem, cui tamen solum promittit futurum esse, quod ab ejus progenie & stirpe Messias verus, ejusque Genitrix nascerentur. Verum enimvero quisnam fuit surculus iste tam felix & fortunatus, ut magnam hanc Matrem in sponsam acciperet, & in omnibus aliis, sola generatione excepta, ineffabili huic incarnationis mysterio cooperari meruerit? Non immeritò S. Joseph filius David appellatus fuit; *Joseph fili David*; nam sicut hic solus ex toto humano genere cor Dei rapuit, eo quod punctualissimus esset divinæ voluntatis executor: *Secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*; ita quoque sciendum est Sanctum Josephum, tam in cœlo quam in terra, gloriam sibi comparasse adeo sublimem, ipsiusque Dei cor rapuisse sibi, ac proinde adeo fuisse a Deo [L. 6. c. 18.] dilectum, quia *fecit omnes voluntates ejus*. In cujus confirmationem sciendum est, quod, ut in libro revelationum Sanctæ Birgittæ scribitur, huic Beatæ à Sanctissima Virgine revelatum fuit, sponsum suum Sanctum Josephum aliud nihil ore vel corde eructasse, quàm hæc duntaxat verba: *Utinam vivam & videam adimpleram voluntatem Dei*! Et hinc est, subdit eadem Deipara, quod *totum desiderium suum fuit obedire voluntati Dei, ideo nunc gloria sua magna est*. Numquid igitur vobis Isaias Propheta de illo in spiritu prophetico loqui voluisse videbitur, quando Deum hoc modo loquentem introducit: *Vocans ab Oriente virum voluntatis meæ*? Observanda sunt autem in reve- [Is. 46. 11.] latione Sanctæ Birgittæ verba illa: *ideo nunc gloria sua magna est*. Per hæc namque clarè insinuatur, unicam donorum, gratiarum, virtutum, meritorum, omniumque aliarum prærogativarum S. Josephi aurifodinam fuisse, quod voluntatem suam Deo totaliter consecrasset.

2. *Virum voluntatis meæ*. Mysticum est hoc nomen [Op. de vita spirit.] *Virum*, non enim dicit *Hominem*, quia ut jam supra ostendimus, *vir à virtute*, Sanctus Ephrem hac de re ita scribit: *Tantum adjicies virtuti, quantum subtraxeris propriæ voluntati*. Porrò S. Joseph, teste [T. 2. 3 p. q. 29. a. 1. disp. 8. Sect. 2.] ipsamet magna Dei Matre, aliam, quam Dei voluntatem non habebat, ideoque fatendum est eum, virtutem assecutum esse valde eminentem, verumque se probasse Davidis hæredem & filium; siquidem ad ejus imitationem ad Deum conversus, cum ipso dicere debebat: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*. Suarez de Sancti Josephi virtutibus & sanctitate ita scribit: *Post Christum natum, longè majus in Joseph fuisse sanctitatis augmentum intelligitur*. Potentissimus enim donorum thesaurorumque cœlestium attrahendorum magnes, est hæc propriæ voluntatis nostræ resignatio & expropriatio. Unde fit, quod mox, ut Sanctus dixit: *Domine quid me vis facere?* ex Saulo in Paulum, ex persecutore mutatus sit in Apostolum, universosque thesauros suos, cœlum extunc in ejus sinum abundè effudit. Quis autem propria se voluntate magis exuit, quam Joseph? Quid igitur mirum si eum Spiritus Sanctus adeo abundè & copiosè gratiis & donis suis locupletet?

3. *Virum voluntatis meæ*. Quod si aliquo modo apud vos concipere aut adumbrare vultis, quanti Deus animam illam æstimet, quæ cor suum illi donet, suamque voluntatem exactissimè adimplet, legitote cap. 12. S. Matthæi, ibi namque Filius Dei pro- [Matt. 12. 50.] testatur dicens: *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est*. Et quidem si ita est, affirmandum omnino erit, Sanctum Josephum præ omnibus hominibus, qui sunt super terram, Dei voluntatem adimplevisse, siquidem is ad gradum longè eminentiorem pervenit, nimirum ut ab ipsomet Deo eligeretur & respiceretur tanquam Pater. Dic sodes, quooam modo Beatissima Virgo, mater facta est Christi, vel qua via ipsum in suo Sacratissimo Utero concepit. Nimirum quando hisce verbis: *Fiat mihi secundum verbum tuum* in opus Incarnationis consensum suum edidit. Eodem igitur modo dici potest, Sanctum Josephum præ omnibus hominibus, qui sunt in mundo, præmeruisse, ut Pater esset Christi, quia præ omnibus & majori cum perfectione voluntatem suam Deo subjecit. *Virum volun-* [In cap. 2. Luc.] *tatis meæ*. Lucas Burgensis dicit, inter alias causas, cur Deus priusquam incarnaretur, virgineæ voluntatis consensum prærequirere voluerit, hanc unam fuisse: *Quia incarnatio Filii Dei eo tendebat, ut corrigeret hominum voluntates, & charitate erga Deum accenderet; oportuit inprimis, ut mater Filii Dei summa erga eum charitate ferveret, quod fieri non potuisset, nisi præscivisset, quem, qualemque filium, & quomodo esset conceptura*. Qua doctrina supposita in casu nostro ni falloc, dicere possumus, Sanctum Josephum Patrem Christi electum fuisse, eo quod præ cunctis aliis ordinatissimam & rectissimam habuit voluntatem, & consequenter charitate & amore erga Deum magis accenlam, utpote qui præ omnibus aliis copiosius lumen, majorem Dei notitiam habebat.

4 *Virum voluntatis meæ*. Etenim propria se voluntate privare, opus est tantæ perfectionis, ut Redemptor noster, postquam in hanc terram descendit, illud omnibus aliis admirabilis vitæ suæ heroicis actibus prætulerit, dum ait: *In capite libri scriptum est* [Ps. 39. 9. Jo. 6. 38. Jo. 8. 29.] *de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui; descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me; ego quæ placita sunt ei, facio semper*. Ecce tibi igitur unam ex rationibus, ob quas Christus se Josepho potius, quam cuivis alteri subjicere voluit, nimirum quia etiam ille in divina voluntate adimplenda adeo promptus & expeditus fuit: *Pares cum paribus facillimè copulantur*.

5. *Virum voluntatis meæ*. Revocandum nobis quoque est in memoriam, quinam fuerint illi, qui Salvatorem nostrum recenter natum, in stabulo Bethlehemitico, revelata facie videre meruerunt? Nimirum S. Joseph & Pastores, idque, quia tam hi, quam ille, homines erant bonæ voluntatis. Unde Sanctus Gregorius ait: *Nihil ditius Deo offertur bona volunta-* [Hom. 5. in Ev.] *te, voluntatem hanc ad Christi cunas attulerunt pastores*. Advertendum quoque quod Angeli de cœlo descendentes cantarint: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax*. Sed quibus? *Hominibus bonæ voluntatis*. Ubi Beda, à Glossa citatus, ait: *Hoc est, qui suscipiunt natum Christum*. Enimvero quis alius, præterquam Josephus Christum in hospitium domus suæ suscepit? idque solido triginta annorum spatio, quando nimirum *in propria venerat, & sui eum non receperant*; ac proinde quali ac quanta seniculum hunc pace & quiete interna gavisum fuisse existimatis?

6. Vi-

6. *Virum voluntatis meæ*. Acceptissimum & gratissimum sacrificium, quod Deo litare possumus, est illud, quo illi cor nostrum consecramus, nostra nos
Pro.23.26. voluntate peivando, unde Deus dicit: *Præbe fili mi cor tuum mihi*. Quicquid enim aliarum rerum præter hanc Deo obtulerimus, in ejus utique potestate semper erit, etiamsi illas ipsi non offeramus, non autem quoad voluntatem nostram res ita se habet, siquidem illius nos soli Domini sumus. *Reliquit eum in manu consilii sui*; ac proinde facire in ejus obsequium, quidqusd vobis licet, attamen si voluntatem vestram vobis reservaveritis, ingratum erit, quicquid feceritis:
Isa. 58. 3. *Quare jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, respondet Deus; id quod Sacra Cantica pariter confirmant: dum ita canunt:
Cant. 8. 7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*. Nullum enim opus, quantumvis illud ea se meritorium sit, à Deo acceptatur, nisi adjunctam habuerit dilectionem Dei super omnia, qui effectus est proprius voluntatis. Adeoque tametsi S. Josephus Christo per tot annos dederit omnem substantiam domus suæ eidem tanto cum obsequio & reverentia ministraverit, victum quoque, vestitum & habitationem suppeditaverit, seque pro illo tantis periculis exposuerit, tamque variis modis defenderit, hæc omnia tamen ipsi non æquè accepta sunt, nec tanti æstimantur, quanti absolutum voluntatis ejus donum Deo oblatum.

C.15.mon. spirit. 7. *Virum voluntatis meæ*. Blosius de S. Gertrude scribit, cœlestem ejus sponsum hisce eam verbis fuisse affatum: *Quisquis desiderat, ut ego animam ipsius liberè inhabitem, clavem animæ is mihi ut consignes, necessum est, id est, voluntatem propriam, neque eandem à me denuo reposcere debet*. Et hoc quidem unum est eorum mysteriorum, ob quæ Deus noster domum S. Josephi specialiter elegerit, & cum eo in hac mortali vita habitare disposuerit, quia nimirum is voluntatis suæ clavem absolutè ei resignarat, eumque domus suæ, id est, animæ & cordis sui Dominum constituerat. Num forsitan ad id vos aliquando reflexistis, quonam scilicet tempore Christus in hunc mundum primum pedem collocarit? utique quando virginalem ingressus est uterum, qui in S. Joseph potestate erat; siquidem Virgo Deipara tanquam sponsa sua, *sub viri potestate erat*. Num igitur hic Dei filius etiam in quantum filius Josephi in hunc mundum venire voluit, ut humanum genus redimeret? ut in patibulo Crucis sanguinem suum effunderet ut Ecclesiæ suæ ædificium erigeret? Imò verò, cum enim Verbum æternum indubitatè sciret, se talis viri domum ingredi, qui nullum sibi in actionibus suis finem alium propositum habebat, quam ut æterni Patris sui voluntatem adimpleret, ideo & ipse similem resolutionem primo omnium loco facere voluit, dicendo, se non alio fine venisse, quam ut se propria voluntate exueret, eamque alteri subjiceret;
Hebr.10.5. *Ingrediens mundum, tunc dixi, ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam*. Sed dices, ex quo Evangelista ea motu & instinctu Spiritus Sancti, qui spiritus est veritatis, eum Josepho subjectum fuisse testatur: *Et erat subditus illis*, quomodo igitur æterni Patris sui voluntatem exequebatur alterius Patris, quem habebat in terra? Præterea si Christus verus Deus erat, qua igitur ratione de ipso
Ps.134. 6. verificatur: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*? Enimvero clara & evidens ad hoc est responsio, cui nequicquam opponi potest. Cum enim Sancti Joseph voluntatem suam Deo consecrasset, nil aliud velle poterat, nisi quod ipsemet Deus volebat. Atque ideo Christus voluntatem suam exequendo, pariter exequebatur voluntatem Patris sui æterni, eo ipso, quo exequebatur voluntatem Sancti Josephi, quo Dei voluntati perfectissimè correspondebat. Hic enim, uti paulo ante ex ipsiusmet Virginis sponsæ suæ testimonio comprobavimus, nihil aliud habebat in corde, neque aliud ore exprimebat, quam dictum hoc:
Hom. de David & Goliath. *Utinam vivam & adimpleam voluntatem Dei*. Porrò Chrysostomus dictum illud Dei nostri: *Inveni hominem secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, ita declarat: *Secundum cor Dei quicquid Deus cogitat, gerit, quicquid mente concipit, perficit, dum David cordi Dei cor proprium jungit*. Id quod in Sancto Josepho multo magis ad literam adimpletur, qui quamdiu Christus infans erat, eum in sinu suo continuo stringebat. *Et menti ejus* (sic prosequitur) *mentem suam adnectit, hoc est, ut quæ vult Deus, velit; & quæ non vult similiter nolit*. Et quidem si Chrysostomus hoc de Davide dixit, multo magis in Sancto Josepho, qui non sine mysterio Filius David nominatur, *Joseph fili David*, verificabitur: nam ut S. Augustinus scribit: *Aequius est ut nos ejus, quam ut ille nostram sequatur voluntatem*. Verum enimvero ecce tibi singulare quoddam in Sancto Josepho privilegium, eo ipso enim, quo ipse Dei voluntatem cum omni cura & solicitudine adimplet, meritus est, ut Deus voluntatem suam nutibus subjiceret Josephi, quia *erat subditus illis*. Sanctus Hieronymus ad Demetriadem scribens ait: *Eadem velle, & eadem nolle ea firma amicitia est*. Ecce igitur causam familiaritatis summique amoris, qui inter Deum & Josephum intercedebat; *Eadem volebat & eadem nolebat*.

Lib de Catech 2. rud. c. 14.

8. *Virum voluntatis meæ*. Sanctus Bernardinus illam orationis Dominicæ petitionem: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, ita glossavit: *Quid est aliud dicere, quam ut fiant homines similes Angelis? De his enim dicitur: Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*. Ostendat quis mihi virum aliquem, si potest, de quo majori cum veritate dici possit, quod vitam in terris duxerit Angelicam, illisque per omnia conformis extiterit. Albertus Magnus ita scribit: *In Angelorum* In cap. 1. Matth.
crebra visitatione familiaritas Dei notatur; Instruxit Angelus dubitantem; docet in Aegyptum fugientem; dirigit revertentem; erudit in Nazareth manentem. Quatuor To.3.tr.45
legitur (inquit Salmeron) *apparuisse Angelos Joseph amico Angelorum*.

9. *Virum voluntatis meæ*. Enimvero si in quonam expressa Dei voluntas consistat, examinare velimus, responsio in promptu erit, nimirum, quod *in lege Do-* Ps. 1. 2.
mini voluntas ejus. Sanctus Josephus autem omnium legum sive moralium, sive cæremonialium, sive legalium, sive denique jurisdictionalium observantissimus fuit; Quis enim cunctis ritibus & cæremoniis sacris adimplendis exactior fuit San[illegible] Josepho, uti patuit in præsentatione pueri Jesu [illegible] [illegible]plo? *Fuit* Tract. 10.
verè obediens (inquit Salmeron) *tum* [illegible] *præceptis legis, tum Angelis, quorum monitis promptè & alacriter obediebat*.

10. *Virum voluntatis meæ*. Sanctus Apostolus scribit: 1.Thes 4.3.
Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Declarat autem se per hoc nomen sanctificationis virtutem intelligere continentiæ. Quis autem in hac virtute exercenda excellentior fuit S. Josepho pro tempore, quo Virgini desponsatus fuit, ut illa virginitatem suam sub hoc pallio tanto integrius custodiret.

11. *Virum voluntatis meæ*. Porrò in quonam vo- 1.Pet 2.15.
luntas Dei consistat, Sanctus Petrus nos optimè monet, dum ait: *Sic est voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*. Hanc autem Dei voluntatem S. Joseph quoque exactè adimplevit, cum enim Simeon senex prædixisset de Christo: *Positus est hic in signum, cui contradicetur* tam in Ægypto ab Idololatris, quam inter Hebræos à malignis & invidis Scribis & Pharisæis, à quibus omnibus contemnendus, pessimeque tractandus erat, siquidem hæc semper esse soleat perversorum adversus bonos conjuratio: *Venite opprimamus ju-* Sap. 2. 10.
stum, quia contrarius est operibus nostris. Hæc tamen omnia Sancti Joseph nihil fecit, imò triginta solidis annis in multa pace cum omnibus vixit, ipsumque Christum à multis periculis subtraxit, effecitque ne tot in eum & matrem suam cumulatæ injuriæ & calumniæ, damnum aliquod illi accerserent; adeoque perfectè observavit, quòd Sanctus Petrus monuit, dicens: *Ut benefacientes obmutescere faciatis, &c.* bonum namque pro malo reddere optimè noverat.

12. *Virum voluntatis meæ*. Hoc voluntatis suæ donum à Sancto Josepho Deo oblatum, Salvator noster tanti æstimavit, ut sicut mortem suam ab illorum impiorum hominum malignitate sustinuit, qui propriæ voluntati suæ quærebant satisfacere, iniquus etenim Judex *Jesum tradidit voluntati eorum*, ita quoque vi- Luc.23 25.
tam suam, seque ipsum totum quantus est, tali viro consignare decrevit, qui propriam voluntatem

non

non habebat, sed sola Dei voluntate gubernabatur; atque ideo in immaculata quadam innocentia non vivere non poterat, Deus enim in hoc tantummodo offendi potest, si nimirum voluntati illius se quis opponat.

13. *Virum voluntatis meæ*. Joann. cap. 9. dicitur:
Jo 9 31. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*. Quis autem se erga Deum magis obsequiosum exhibuit, quam S. Josephus, qui illi tot annis fideliter & solicitè deservivit? Quid igitur mirum, si pro suis devotis orans, exaudiatur, aut si tam potens sit ejus intercessio?

14. *Virum voluntatis meæ*. Sanctus Petrus scribit:
1.Pet.4.19. *Qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli creatori commendent animas suas*. Sanctus Joseph quicquid passus est, hoc totum ad Dei voluntatem exequendam merè ordinavit; atque ideo in agone animam suam exspiraturus, in manus Creatoris, qui morti ejus præsens assistebat, & cujus brachiis immoriebatur unicè commendabat, adeo ut ad literam dicere potuerit; *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*.

DE ANNUNTIATIONE

BEATISSIMÆ V. MARIÆ.

Discursus Septemdecim.

Super illud S. Augustini dictum; SIMILIS REPARATIO QUALIS FUIT ET HOMINIS CREATIO, varii considerantur eventus.

DISCURSUS PRIMUS.

Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem.

1. IN cunctis Divinæ omnipotentiæ operibus, præcipuè verò in mysterio Incarnationis, illud Psalmistæ axioma: *Omnia in sapientia fecisti*: verè adimpletur: Ps. 103. 4. Quisquis enim mysticas hodiernam è cœlo expeditam legationem comitantes circumstantias, ejusque adeo fortunatum exitum bene considerat, increatæ sapientiæ delineamenta optimè comprehendit, verissimumque esse fateri cogitur id, quod S. Augustinus post se scriptum reliquit, dum ait: *Fuit similis reparatio, quomodo fuit hominis creatio*. Ser. 17. de temp.

2. Et quidem in primis tempus quo Angelica hæc annuntiatio cœlitus expedita fuit, suo non caret mysterio. *In mense autem sexto missus est Angelus*. Luc. 1. 26. *Nec enim Senarius numerus vacat à mysterio* (inquit S. Bonaventura) *quia enim perfectus est, ideo homo inter cætera opera Dei, perfectus Sexto die est conditus; ideo & Christus venit sexta ætate, & sexto numero annorum, & sexto mense conceptus*. Cornel. à Lap. in opere tertii diei.

3. *Similis reparatio*. Concilium quoddam Palæstinum sub Victore Papa celebratum, atque à venerabili Beda recensitum, in ea est opinione, mundum scilicet in æquinoctio verno, vigesimo quinto hujus mensis, id est, hodierna die fuisse creatum. Quo supposito satis liquet, quanto cum fundamento dicatur: *Similis reparatio*, per quam scilicet hodie antiquæ ruinæ restaurantur. Rupertus Abbas Tuitiensis idipsum confirmat, dum ait: *Conceptus est die, qua veterem formavit Adam de limo terra*. L. 3 de div. offic. c. 19. Eodem igitur die, quo primus Adam creatus & lapsus est, secundus Adam hac nostra mortali carne vestiri decrevit, ut primus Adam cum tota sua posteritate per suam transgressionem collapsus, denuo resurgeret. Gravium quoque auctorum opinio fuit, electum Dei populum hoc eodem die, ab Ægypto egressum fuisse, Tirinus in c. 13. Exod ut in terram promissionis se reciperet, ut ita liberatio omnium electorum ab infernalis Pharaonis tyrannide, per Verbi Incarnationem complenda liberatio præfiguraretur.

4. *Similis reparatio*. S. Apostolus Corinthiis ita scribit: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*, 1. Cor. 15 22. utpote qui est *Novissimus Adam*. Cujus sententiæ occasione antitheses, quæ inter primum & secundum Adamum intercedunt, velim nonnihil observemus. Dicit igitur Sanctus Augustinus: *Adam ibi tunc nascitur, hic renovatur & resuscitatur in Christo*. Ser. 17. cit. Verum dicat fortasse aliquis: Nunquid Filius Dei ruinas nostras variis modis restaurare poterat, absque eo, quod fragili carne nostra se se indueret? quid igitur necessum erat ut ea se oneraret? Respondet Doctor Angelicus: *Cum Christus naturam assumpserit humanam, ut eam a corruptione purgaret, conveniens fuit, ut carnem ex Maria sumeret* (observate rationem quam adfert) *ex Adam derivata*. 3. p. q. 31. ar. 1. Verùm nunquid massa isthæc corrupta erat & contaminata? cur igitur illam assumit? nimirum quia *languores nostros ipse tulit*. Isa. 53. 4. Cœlestis enim hic noster protomedicus infirmitates nostras contrahere voluit, ut nos sanitati restitueret. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*. 1. Pet. 2. 24. *Non indigebat*, inquit Sanctus Thomas, *purgatione Natura humana, nisi secundum quod infecta erat per originem vitiatam, qua ex Adam* de-

descendebat; *& ideo conveniens fuit, ut carnem sumeret ex materia ab Adam derivata, ut ipsa natura per Assumptionem curaretur.* Enimvero observetur nunc modus, quem infinita sapientia in creatione Adæ, & sua incarnatione tenuit; nam ut ait S. Augustinus: *Grande mysterium Divina majestas in Ada figura præmisit.* Quinam autem vel qualis modus iste fuit? creaturus primum Adamum noluit eum, etsi suum, per medium à natura ordinatum, accipere, sed *accipiens terram, inde hominem divina quadam arte formavit; ita sine viri conjunctione Deum in virginali alvo incorporari dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem sine homine nasci, cur non licuit hominem sine homine per Mariam Virginem procreari?* & tandem concludit: *Sicut Adam ex terra virgine figuratus est, ita & Christus ex virgine natus agnoscitur.* Verum enim vero productio Adami in hoc ab Incarnatione Christi discordat, quod nunquam hactenus fuerit, nec futura sic Nativitas aliqua illi similis; & bene quidem, nam justum & æquum erat, ut creator à creatura distingueretur. Unde Sanctus Petrus Damianus ait: *Primus homo de terra formatur; secundo mulier ex ejus latere fabricatur; tertio Cain consuetudinario ordine nascendi gignitur ab utroque. Solus iste de sola virgine nascitur, & virginis uterum novo & singulari partu Divinitas humanata sigillat.* Quod convenit cum eo, quod etiam S. Thomas observavit, qui concludit: *Hoc quartum quasi Christo proprium relinquebatur, ut produceretur ex fœmina sine viro.*

Serm. de Ann.

5. *Similis reparatio.* Etenim revocandum est in memoriam, quo modo Creator noster primo homini esse suum dederit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Supremus hic artifex manum suam in limum terræ extendit: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Ubi ingeniosus Tertullianus ita ait: *Recogita totum illic Deum occupatum, ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prudentia, & ipsa imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat.* Scitene vultis, quonam id mysterio fecerit? *Quodcunque limo exprimebatur, Christus cogitabatur.* Et Theodoretus ait: *Præscius futuræ incarnationis tanto honore hominem dignatus est.* Verum dices quonam modo animam primo homini infudit? *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Sed quo modo secundus Adam formatus fuit? Spiritus Sancti opera in utero virginali. *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Ubi S. Augustinus ita scribit: *Ibi tunc flatus Dei de terra vivum hominem surgere facit ad vitam, hic mundum Spiritus Sanctus de Maria Virgine Christum hominem figuravit, in quo Deus ad reparationem hominis habitaret.* Ac proinde advertendum est, quod tametsi Apostolus dixerit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*; hoc tamen non est ita intelligendum, prouti Valentiniani hæretici delirarunt, nimirum quod filius cœlesti quodam ab Empyreo desumpto corpore indutus fuerit, siquidem sacra nos fides docet, ipsum corpus è purissimis formatum fuisse Mariæ sanguinibus. Voluit igitur Apostolus inferre Christum hominem supra omnem naturalem ordinem solius Spiritus Sancti opera, in Sanctissimæ Matris utero fuisse conceptum; vel etiam dici potest secundus Adam cœlestis, ratione Verbi, quod naturam nostram assumpsit, sibique indissolubiliter univit.

Gen. 1. 7.
Lib. de resurr. carn. cap. 16.
Quæst. 23. in Gen.
Serm. cit.
1. Cor. 15. 47.

6. *Similis reparatio.* In sacra Genesi studiosè observavi, quod postquam Scriptura Sacra Deum homini animam infudisse dixisset, subjungat protinus: *Plantaverat Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* Sed ecce tibi pariter secundum Adamum, in alio quodam, non terrestri, sed cœlesti Paradiso collocatum. Id enim Sanctus Petrus Damianus expressè testatur, dum ait: *Non est locus voluptatis nisi uterus Virginis.* Singulari autem cum mysterio in Nazareth conceptus fuit: *Nazareth flos interpretatur; congruum fuit, florem cum flore, & in flore concipi, & de flore nasci, & in flore nutriri, & in tempore florum, id est, in vere nuntiari. Locum voluptatis* (inquit idemmet Sanctus) *uterum B. Mariæ intelligo, in quo cumulavit omnes delitias delitiarum Dominus: de cujus delitiis Spiritus Sanctus admiratorio sermone, in amoris Cantico eructat; Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* de hoc eodem utero in iisdem Canticis scribitur: *Emissiones tuæ Paradisus.*

Gen. 2. 8.
Serm. cit.
Cant. 4. 13.

7. *Similis reparatio.* Sanctus Paulus ad Romanos ita scribit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* Sed ecce qualiter hodie per Incarnationem Verbi (quia *Homo factus est*) vita æterna in hunc mundum ingreditur, atque in universum genus humanum transfunditur. *Venit enim salvum facere, quod perierat.* Unde S. Gregorius Thaumaturgus ait: *Cunctorum nobis donorum principium annuntiatio Mariæ gratia plena extitit; hæc enim vita est æterna, ut cognoscamus verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

Rom. 5. 12.
Luc. 19. 10.
Serm. 2. de Annunt.

8. *Similis reparatio.* Primus Adam cum tota sua posteritate gratiam pariter & gloriam amisit, eo quod pomum vetitum, divino adversante præcepto, de manu conjugis suæ acceptarit, quod veluti si intoxicatum fuisset, æternæ mortis fructum attulit. *Eva à Diabolo seducta* (inquit Beda) *per serpentem viro gustum necis obtulit; Maria à Deo edocta per Angelum mundum auctorem salutis edidit.* Vel etiam dicere possumus, ipsam universo generi humano dedisse. *Benedictum fructum ventris sui*, qui vitam nobis immortalem contulit.

Homil. in Annunt.

9. *Similis reparatio.* Notus & manifestus est omnibus Aphorismus ille, quo dici solet: *Contraria contrariis curantur.* Adam igitur ambitione tumidus, ut suam adaugeret conditionem, & Deo similis fieret, divino præcepto contumax esse præsumpsit, seque Deo si non superiorem, saltem æqualem futurum esse speravit: Deus autem noster, ut hanc à toto humano genere hæreditariè contractam superbiam sanaret, tametsi infinitæ Majestatis Dominus esset, semetipsum depressit & dejecit: *Exinanivit semetipsum*, etiam eousque, ut paulo minor homine fieret: *Ego autem vermis & non homo.* Fragilem hanc & mortalem carnem nostram induit; & quando quidem promissio serpentis, qua prothoparentibus pollicitus fuerat: *Eritis sicut Dii*, mendax & fraudulenta fuerit, siquidem potius Deum, omniaque alia gratiæ & virtutum in statu innocentiæ infusarum dona amiserunt, ideo Deus efficit ut per Incarnationem Verbi eadem promissio verificetur, siquidem verè per illam homo fit Deus, natura nostra Divinitatem verè participante. Unde Andreas Episcopus Hierosolymitanus: *Divinam naturam participat, & arcta cum Deo conjunctione, unum cum eo fit, secundum unitatis atque essentiæ rationem.* Unde si olim Deus per ironiam dixit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, hodie certè summa cum veritate dici potest, quo Deus unus ex nobis factus est, omittendo ly quasi; quia *Incarnatus est ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine; Et homo factus est.*

Psal. 21. 7.
In Ann. in Bibl.
Gen. 4. 22.

Ostenditur, quod damna, quæ genus humanum per Evæ transgressionem passum est, à Beata Virgine in Annuntiatione & Incarnatione Verbi sigillatim resarcita fuerint.

DISCURSUS SECUNDUS.

Missus est Angelus Gabriel ad Mariam.

1. SAcri Interpretes modum illum mysticum, quem illa nequicquam errans Cœli providentia, in reparandis damnis, à prima matre nostra, universo humano generi illatis servavit, unanimiter admirantur, dum, quam aptè series illæ mysteriorum Annuntiationis ab Angelo allatæ, & Incarnationis Filii Dei cum infelicissimis lapsum nostrum consecutis mysteriis correspondeat, profundius rimantur & considerant. *Aptum profectò humanæ restaurationis principium*; inquit In Luc.

Beda

Beda in hodierna solemnitate. Hugo Cardinalis similiter devotè meditatur, quam aptè inter se conveniant redemptionis nostræ modus, cum illo perditionis nostræ successu: Serm. de Ann. *Ut modus nostræ reparationis responderet modo perditionis*. Sanctus Bernardus conformiter scribit: *Intrat ad nos eadem porta salutis antidotum, qua venenum serpentis ingrediens, universitatem generis humani occupaverat*. At verò cæteris excellentius S. Bonaventura loquitur, dum ait: *Placuit Deo eodem modo & ordine, sibi reconciliare hominem quo noverat cecidisse*. Unde sancta mater Ecclesia canit: In Luc. *Quod Eva tristis abstulit, tu reddis*. Damna etenim, quæ Eva nobis intulit, Maria resarcivit. Porrò Angelus malus & Eva in procurationem ruinarum nostrarum, ut benè observat Hugo Cardinalis, suas simul junxerunt dexteras, atque iden congruum fuit, ut eædem personæ darent ei occasionem salutis. In Luc. Unde *Missus est Angelus ad Mariam*. Ecce tibi Angelum fœminæ junctum. *Inde aptum* (inquit Albertus Magnus) *nostræ redemptionis initium; sicut enim Angelus malus suasit Evæ gustum perditionis, ita econtra Angelus bonus obtulit Virgini elogium salutationis*. Neque Chrysologus ad intentum nostrum aptius loqui poterat, dum ait: *Agit cum Maria Angelus de salute, quia cum Eva Angelus egerat de ruina*. Similiter Venerabilis Beda postquam dixisset: Serm. 42. *Aptum nostræ restaurationis principium*, confestim causam subjungit, dicens; *Ut Angelus à Deo mitteretur ad Virginem, partu consecrandam Divino, quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens à Diabolo mittebatur ad mulierem, spiritu superbiæ decipiendam, quia ergo mors intravit per fœminam, aptè redit & vita per fœminam*. Unde si malus quidam Angelus instrumentum fuit mortis, ad vitam recuperandam hodie velut mediator destinatur Angelus bonus. Et ideo Sanctus Fulgentius Serm. de duplici Christi Nativitate ita scribit: *Venit ad Evam Diabolus, ut vitam malignus aufferret: Venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nuntiaret*. Ideo quoque in sermone quodam de laudibus B. Virginis confirmat, dum ait: *Quoniam Diabolus per serpentem Evæ locutus est, per Evæ aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum, & cunctis sæculis vitam effudit*. Dignæ itidem sunt, quæ inter alia Patrum effata recenseantur, piæ illæ Didaci Stellæ, quoad hanc Angeli boni cum malo collationem, considerationes: Dicit enim: In Luc. *Ille Angelus malus hic Angelus bonus; ille per terram repsit, hic à summo cœlo a Deo mittitur*. 1. *Joan. 3. Ad hoc venit Filius Dei ut dissolvat opera Diaboli*. Est item alia quædam inter duos hosce Angelos differentia, à doctissimo Salmerone hisce verbis insinuata: To 3. tr. 3. *Angelus malus non missus sed a seipso veniens Evam blandis sermonibus deliniens, seduxit: Deus autem cum perfectissimus sit artifex in opere restaurationis ordinem ruinæ respondentem debuit servare*. Atque ideo Evangelista non sine mysterio scribit? *Missus est Angelus Gabriel à Deo*. Prosequitur deinde idemmet Doctor considerare, quod sicut Angelus malus ad lapsum nostrum procurandum, Evæ voluntatem sibi omni cum industria conciliare studuit, ita hic Sanctus Gabriel, virginem ad consentiendum in partum illum cœlestem, inducere satagit; Ibi dæmon corpus assumpsit, hic sibi corpus humanum pariter assumpsit Archangelus. In Luc. Unde S. Bonaventura concludit: *Ut sic respondeat reparatio lapsui, ut quemadmodum homo lapsus est per suggestionem Angeli mali, sic resurgat per ministerium boni*.

In Luc. 2. *Eodem modo & ordine*. Hugo Cardinalis dicit: *Sicut per Evam virginem facta fuit humani generis perditio, ita per Mariam Virginem fieret ejusdem reparatio*. Prima etenim mater nostra etiam tunc, quando Adamum in ruinam præcipitem egit, virgo erat, siquidem facet Textus Genesis capite 4. post amborum transgressionem dicit: *Adam verò cognovit uxorem suam Evam*. In cujus confirmationem Hugo sanctæ Matris Ecclesiæ testimonio utitur, quæ ita canit: L. 3. c. 33. *Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, & per Mariam Virginem iterum patefacta est*. Sanctus Irenæus quoque eundem inter Beatam Virginem & Evam intercedentem parallelum consideravit, dum ait: *Eva non obedivit, cum adhuc esset virgo; unde sicut Eva inobediens facta, & sibi, & universo generi humano causa facta est mortis; sic & Maria obediens, & sibi, & universo generi humano causa facta est salutis*. Quonam autem modo mors in hunc mundum subingressa est? Didacus Stella respondet: *Mors in mundum intravit per dialogum habitum inter Angelum & mulierem; vita itidem ex simili colloquio, Angeli scilicet & mulieris*. Cum hac tamen insigni differentia, quod cùm Eva serpenti, id, quod superbè ambiebat, scilicet parem cum Deo æqualitatem & similitudinem fraudulenter promittenti facile nimis crediderit, seque proinde leviculam esse probaverit, quia *qui cito credit, levis est corde*: Beata Virgo è contra, Matris Dei dignitatem immensam sibi præsentari audiens, *cogitabat qualis esset ista salutatio. Non facilè credit* (inquit B. Thomas de Villa nova) Conc. 1. de Annunt. *Angelo Maria loquenti, quia leviter credidit mater Eva serpenti. Cogitabat apud se* (inquit alius quidam interpres) Luc. Burg. in Luc. *& considerabat animo, nihil temere respondens; contra ac Eva, quæ dum mox in verba prorumperet, & serpenti interroganti responderet, imprudens capta, seductaque est*. Eva per Paradisum terrestrem curiosè vagabatur, quando seducta fuit: Beatissima Virgo autem intra paupereulæ cellæ suæ reconditissima penetralia abscondita latebat: Salmer. Tom. 3. tr. 5. *Ingressus Angelus ad eam: Quia Maria hortus conclusus est*. Alius quidam S. Scripturæ expositor vivacissimam in Maria fidem repertam esse considerat, de qua Ecclesia canit: Jo. Arboreus in Luc. *Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti, in Virgine Maria fuit perfecta fides; nam verbis Angeli instructa firmissimè credidit se parituram Dei Filium; in Eva vere fuit incredulitas, quia non credidit se debere incurrere mortem, si transgrederetur præceptum Domini de ligno vitæ*.

3. *Eodem modo & ordine*. Quænam obsecro causa fuit, quod Beatissima Virgo Angelo coram ipsa comparente turbata, timorem in animo suo conceperit, adeo ut opus fuerit ut Angelus eam consolando diceret: *Ne timeas Maria*. Doctor Angelicus in ea est In Cat. opinione, quod Archangelus dicere voluerit: *Non sum serpentis minister, sed perimentis serpentem legatus, sponsalium tractator, non insidiarum molitor*. Licet Angelus malus speciem assumpsisset serpentis, Eva tamen non timuit: *Sed Maria turbata est*, non obstante, quod Angelus bonus splendido habitu, adeoque gloriosæ legationi proportionato amictus, se coram illa sisteret: cujus hæc causa fuit: Eva etenim magnificare se voluit, & ideo mox ut audivit; *Eritis sicut Dii*, serpenti consensum præbuit: Non autem sic virgo, quæ humillima erat, nec aliud, quàm semetipsam despicere, & ab aliis contemni studebat. Tom. 3. tract. 5. *Sicut Angelus malus*, inquit Salmeron, *Evam stulta meditantem, & fructum ligni scientiæ boni & mali concupiscentem est aggressus: ita Gabriel Angelus Virginem invenit, sub ligno vitæ, verba Dei quæ apud Isaiam c. 7. habentur: Ecce virgo concipiet: & pariet filium; prudenter meditantem*. Superbia non permisit Evæ, ut super oblationem à serpente sibi factam, discurreret, illiusque examinaret veritatem, quia ambitio præceps est & cæca, unde mentem pariter & discursum obfuscat, & obducit caligine: Beata Virgo autem virginitatem & humilitatem suam pariter zelans, antequam consentiret, prius interrogavit: *Quomodo fiet istud?* Unde Hugo Cardinalis scribit: *Eva nec verbum, nec loquentem discutiens, facilè consensit quia duplici funiculo trahebatur, quia promittebatur sublimitas, suadebatur voluptas, ad quam homines facile inclinantur; sed Maria neutrum voluit, quia humilis & virgo fuit, & utilitatem non solum propriam sed communem desiderans, prudenter quæsivit: Quomodo fiet istud?*

4. *Eodem modo & ordine*. Primum verbum, quod Archangelus ad Mariam dixit, fuit *Ave*. Hoc autem vocabulum retrogradè lectum, est idem, quod *Eva*, & iden S. Mater Ecclesia canit: *Sumens illud Ave, Gabrielis ore, Funda nos in pace, mutans Evæ nomen*. Hæc autem salutatio, ut Didacus Stella benè observat, soli Mariæ reservata fuit: *Meritò ab ea principium sumit, quia væ & calamitas, quam propter peccatum introduxit Eva, hæc Sacratissima Virgo in causa fuit, ut cessaret, ideo non immeritò dicitur Virgini Ave, quod idem est, ac sine væ*. S. Gregorius Nyssenus super hoc vocabulo *Ave*, Orat. de Nat. Dom. aliam instituit considerationem: *Ave, contraria est hæc oratio illis vocibus, quas prima mulier audivit: tunc*

enim

enim illa propter peccata, doloribus damnata est, nunc autem in hac per gaudium dolor expellitur; in illa molestiæ partum præcesserunt, huic partum lætitia pronuntiat.

5 *Eodem modo & ordine*. Guerricus Abbas de Eva ita scribit: *Eva vetus illa non tam mater, quàm noverca, quæ filiis ante propinavit præjudicium, quàm initium lucis, dicta est siquidem mater cunctorum viventium, sed inventa est verius interfectrix viventium, seu genetrix morientium, cum suum generare nihil aliud sit, quam mortem ingenerare*. Deinde verò consequenter demonstrat Evam figurasse virginem, quæ meliori jure vocari poterat: *Mater cunctorum viventium; & quia illa fideliter non potuit interpretari nomen suum, ista implevit mysterium, quæ mater est omnium ad vitam nascentium*, id est, ad vitam sempiternam & beatam. Albertus Magnus id confirmat, dum ait: *Vide nostram Evam, matrem omnium viventium per gratiam, aliter omnino esse effectam, quam Evam matrem viventium, per culpam & miseriam*.

Ser.de Ad.

In Luc.

6 *Eodem modo & ordine*. *Invenisti gratiam apud Deum*, loquit Archangelus ad Mariam; Fuitque hic loquendi modus valde mysticus, ut optimè notavit idem Albertus: *Ecce tria dicit, quod invenit, quid invenit, & inventum ubi reposuit. Invenisti, inquit, perdicam ab Eva à te quæsitam; ab Eva quidem perditam, quia totius mundi gratiam originalem ipsa perdidit, à te ante quæsitam diligenter invenisti*; Cum autem hanc gratiam prima amissa invenisset, justum & æquum erat, ut illam nobis restitueret, atque ideo S. Augustinus pariter scribit: *quia quod invenisti, & non reddidisti, rapuisti, ideo B. Virgo gratiam, quam nos peccato perdidimus, nobis restituere debet*; unde *Mater gratiæ* appellatur, quia nimirum ipsa mediante, gratia nobis confertur.

To. 2. ep. 34. ad Maced.

7 *Eodem modo & ordine*. Enimvero quis est, qui nesciat, in quod vel quale præcipitium superbia Evam traxerit, quando ipsa, ad rebellis Angeli æmulationem æqualitatem cum Deo prætendere præsumpsit: Virgo autem humillima, à Deo ut Genitrix & mater sua fieret, requisita, vilissimam se ejus ancillam esse protestata fuit, atque ideo ad cœli impetium sublimari meruit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Eva voluit fieri Dea, & facta est ancilla: Maria voluit fieri ancilla, & facta est mater Dei*. Per Evæ inobedientiam genus humanum disperditur, & in ruinam redigitur: Per obedientiam verò Mariæ, & quam Deo præstitit, subjectionem, damna hæc iterum restaurantur: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Ubi Augustinus ait: *Pro inobedientia obedientia commutatur, fides pro perfidia compensatur; circumdat virum Maria, Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum, serpenti consentiendo*.

Ser. 18. de S. S.

8 *Eodem modo & ordine*. Ob Evæ transgressionem, terra maleditionem contraxit: hic autem propter observantiam Virginis, Angelus eidem dicit: *Benedicta tu in mulieribus. Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum*. Guerricus hac de re ita scribit: *Maledicta terra in opere prævaricationis quæ etiam exercitata, spinas & tribulos germinat heredibus benedictionis! at nunc benedicta terra in opere Redemptoris, quæ peccatorum remissionem, fructumque vitæ parturit universis, & filiis Adæ præjudicium originalis dissolvit maledicti*. Fructus ab Eva decerptus omnes super nos maledictiones induxit, non verò sic Mariæ fructus. *Benedictus fructus ventris tui*. Guerricus Abbas ait: *Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus, hodie dedisti benignitatem Spiritus Sancti, ut terra nostra daret benedictis fructum ventris tui, & rorantibus cœlis desuper uterus virginalis Salvatorem germinaret*.

Ps. 48. 2.

Ser. 2. de Annunt.

Ser. 2.

9 *Eodem modo & ordine*. Porrò Evæ in pœnam culpæ suæ intimatum fuit: *In dolore paries*. Non verò Virgini item. Theophylactus ait: *Quæ autem Evæ dictum erat à Domino, ut in tristitia pariat filios, solvit tristitiam illa in gaudium, quod Angelus Virgini afferens: dicit: Gaude gratiosa: & quia maledicta fuit Eva, hæc dicitur benedicta, Præcisum est in ea*, id est, in Maria (sunt verba S. Augustini) *Illud infelicitatis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos, quia ista in lætitia Dominum peperit. Eva luxit, ista exultavit: Eva lachrymas, Maria gaudium in ventre portavit*.

Ser. cit.

10 *Eodem modo & ordine*. Eva post suum superbiæ peccatum Adæ Domino subjecta fuit: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Virgo autem hodierna die ob humilitatem suam venerabundos coram se videt stantes Angelos, imo Deum Majestatis ipsummet; quia *erat subditus illi*.

Gen 3. 16.

11 *Eodem modo & ordine*. Serpenti a Deo dictum fuit; *Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*. Dices autem fortasse cur dicitur, quod serpens calcaneo ejus, & non potius alteri corporis parti structurus sit insidias? Cur non potius voluntati ejus insidiabitur, ne illam flectere possit, dicendo: *Fiat mihi secundum verbum tuum*? Pro resolutione igitur observandum, quod calcaneus quædam sit corporis nostri extremitas, qua terra tangitur, & consequenter quævis labes & immunditiæs calcatur, & humilitatem nostrique ipsius contemptum præfigurat. Hæc enim humilitas serpenti tantum damnum attulit, quantam ipsi Evæ superbia utilitatem conciliavit. Unde Fulbertus ait: *Si interrogatur, in quo serpentis caput ipsa contrivit? nimirum in eo quod humilitatem Deo sacrificavit, ipsa contrivit caput ejus*, hoc enim fortunatissima die dici potest: *Nunc princeps mundi hujus ejicitur foras*, siquidem Sathanæ implacabile bellum per idololatriæ dissipationem, & infernalis potestatis debellationem indicitur.

Gen 3 15

De nat. B. V.

Jo. 12 31.

Varia recensentur motiva, cur Deus in hodierna legatione usus fuerit Angelo, & inter cæteros Gabrielem ablegarit.

DISCURSUS TERTIUS.

Missus est Angelus Gabriel ad Virginem.

1 QUodnam in eo latet mysterium, quod increata Sapientia incarnari volens, pro hujus tam alti & ineffabilis Sacramenti mediatore usa fuerit opera cujusdam aulicorum suorum? Cur tanti momenti negotium cœlesti cuidam nuntio recommendatur? quid opus erat velut legatum quendam ad augustissimam Matrem suam mittere, unum ex iisdem spiritibus, qui ejus futuri erant servi & subditi? Nunquid ipsemet Deus tantum mysterium Mariæ immediatè communicare, atque ad se, in ejus utero mortalitatis nostræ exuviis amiciendum, consensum ejus sine mediatore exposcere poterat? Aut cur Josepho sponso ejus non utitur, ad divinam voluntatem suam ei revelandam? Ad id Lucas Burgensis hunc in modum respondet: *Non congruebat nuntium hoc ab ipso Deo adferri; sed intercedere alium, qui Virginis consensum conciliaret, & Dei nomine reciperet instar paranymphi, quomodo vocatur hic Angelus*. Porrò multa sunt mysteria, propter quæ Deus, Angeli ministerio, pro hac legatione absolvenda uti decrevit, quæ à variis sacris interpretibus in medium adducuntur: *Voluit Angelum mittere* (inquit Didacus Stella) *ut manifesta sit nobis charitas & amor, quibus nos prosequitur, ita ut ministerio Angelorum nostram redemptionem curet*. Inter cæteras hujus rei convenientias, cur scilicet Angelicum quendam nuntium expedierit, hæc à Salmerone adducitur: *Ut ipsi etiam consortes atque participes fierent tantæ hujus nostræ exultationis, cujus procuratores, internuntii atque adjutores in Angelo Gabriele inventi sunt*. Negotium istud, quod hodierno die annuntiabatur, maximè arduum fuit, tot retro sæculis in sacris literis vaticinatum, symbolizatum in multis veteris testamenti figuris & rebus gestis, tanto tempore à Sanctis Patriarchis & Prophetis suspiratum, atque ideo dignum erat ut à natura quadam adeo nobili, cujusmodi Angelica est, tractaretur & annuntiaretur. *Decebat ut annuntiaretur ab Angelo*, inquit idemmet Salmeron.

To 3 tr 4.

2 *Missus est Angelus*. Hi namque à divina providentia destinati sunt, ot salutis nostræ speciales essent ministri: *In ministrum missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Quanto igitur convenientius erat,

Hebr. 1. 14.

ut in hac occasione adhiberetur, siquidem, ut scribit Doctor Angelicus: *Mediantibus Angelis divina ad homines perveniunt*. Qui insuper testimonio utitur Sancti Dionysii Areopagitæ de cœlesti Hierarchia, qui

Cap. 4.

scribit: *Divinum Jesu benignitatis mysterium Angeli primò edocti sunt, postea per ipsos ad nos cognitionis gratia transivit*. Sanctus Augustinus quoque eandem con-

Ser. 29. ap-pend. de divers.

gruentiam observavit, dum ait: *Nec congruebat per hominem mitti; tantum enim mandati mysterium non hominis fuit, sed Angeli ore promendum*. Albertus Magnus super hunc Sancti Lucæ textum tria motiva ootavit. Primum est; *Pute Deum nostra saluti interposuisse Angelum nuntium, quod videlicet tanto gaudio Angelica natura, quoad ministerium non privaretur*. Imo Lucas Burgensis existimat omnes Aogelos in hoc Annuntiationis ministerio participasse, ut communi ipsorum & nostro fruerentur beneficio: *Ut omnes exultarent, & Dei misericordiam extollerent, adjicientes animum ad reparandum admirabili adeo modo humanum genus, & supplenda ex hominibus loca Angelorum prævaricatorum*, id quod secundo loco inter motiva ab eodem Alberto adducitur: *Et quia Angelorum ruina ex hoc reparatur*, Tertiò denique, *quia circa hominem custos & minister Angelus deputatur*.

3. *Missus est Angelus*. Didacus Stella hae de re ita scribit: *Ut maximo honore ipsa Angelica natura efferatur*, eujus pronunciati valde urgentem subdit rationem; cùm enim omnis ruina oostra olim ab angelica natura procurata fuerit, quando Lucifer primum parentem ad lapsum induxit, ideo vicissim Angelum honorare voluit, ut fieret reparationis nostræ mediator: *Ut quemadmodum Angelus fuit causa nostri damni & miseria, ita etiam Angelus sit auctor nostra felicitatis*.

To. 3. tr. 13.

4 *Missus est Angelus*. Salmeron aliud quoddam tangit hujus rei mysterium, dum ait: *Convenientissima fuit hec missio Angeli ad Mariam Virginem: tum quia Maria est socia Angelorum propter insignem suam virginitatem. Deinde quia de Domino Angelorum annuntiaturus venit; est enim Christus magni consilii Angelus*.

5. *Missus est Angelus*. Non solum pro hac legatione absolvenda cœlestis quidam deputatus est ountius, verum etiam is talis fuit, qui apud supremam & infioitam illam Altissimi Majestatem magni est meriti, & existimationis: *Angelus Gabriel* videlicet. Un-

Hom 34 in Evang.

de Sanctus Gregorius ait: *Ad hoc quippe ministerium, summum Angelum venire dignum fuit, qui summum omnium nuntiabat*. Ex quo Sancti Pontificis loquendi modo deduci posse videtur, Sanctum Gabrielem quendam è Seraphinis fuisse: cujus quidem opinionis Salmeron multas adducit rationes; oam ut hanc The-

To. 3. tr. 2.

sin, *Gabriel non ex aliquo infimo ordine, sed suprema esse dicitur*, confirmet, utitur in primis testimonio Sancti Joannis Damasceni Serm. de dormitione Deiparæ, qui scribit; *Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos. Ave gratia plena*. Et hanc quidem cooclusionem stabilit, dicens: *Probabile esse & Scripturis consonum Michaelem, Gabrielem, Raphaelem cum aliis quatuor esse ex ordine supremo Seraphinorum; inter hos Gabriel secundus est*. Sed dices fortasse, cur non potius dignior, id est, ille, qui primum locum obtioet, io hanc legationem adhibetur? Ecce tibi mysterium divinæ hujus dispositioois: *Quadrat enim valdo mysterio, quandoquidem de secunda persona in divinis annuntiare missus sit*. Ad hæc alio quodam argumento utitur ad idem probandum. Quod si enim Lucifer, qui fuit primus Angelus, instrumentum quoque fuit nostræ perditionis, necnon & ruinarum Angelicarum: *Minister fuit ruina in cœlo facta & in terra; ergo Minister reparationis, ex primis & precipuis spiritibus esse debuit, & sicut ille invitavit Evam ad inobedientiam, sic iste suaderet Maria, in omnium salutem obedientiam: tum quia ad virginem nuntius missus est, que dignitate & gratia cunctos Angelos antecellebat*. Etenim ad hoc, ut legatio aliqua magis reddatur conspicua, hæ concurrere debent conditiones. Primò videlicet ingens oegotii tractandi momentum & pondus: id quod in præsenti minimè deest, siquidem Chrysologus Incarnationem Verbi appellat:

Ser. 43.

Negotium omnium sæculorum. Secunda conditio est dignitas Personæ, quæ legatum ablegat: *Missus à Deo quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates*. Tertia est excellentia illius subjecti, ad quod legatio instituitur; Hæc autem in præsenti, est Regina cœlorum, Aogelorum Imperatrix. Quarta est legationis bene administratæ favorabilis & optatus eventus, qui etiam in præsenti concurrit. Quota denique & ultima conditio est, dignitas personæ, quæ in legatum eligitur. Et hæc quidem ultima conditio mihi præcipuè verisimile esse persuadet, Sanctum Gabrielem unum fuisse ex supremi illius Monarchæ nobilissimis & præcellentissimis ephebis. *Traditur Epistola Gabrieli* (inquit S. Petrus Damianus) *in qua salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, plenitudo gratia, gloria magnitudo, multitudo lætitia continetur*. Hisce tamen non obstantibus Angelicum

Serm. de Ann.

tunc legatum, ex Archangelorum choro fuisse, non defuere, qui id opinarentur, ob satis id convincentes ratiooes. S. Gregorius scribit: *Hi qui minima nuntiant, Angeli*, qui verò summa, Archangeli dicun-

Hom. 34.

tur; Quibus verbis insinuare contendit, cœlestem hunc Paranymphum, Archangelum fuisse, munusque illud, tantùm annuntiandi mysterium Archangelis convenisse, non verò Cherubiois aut Seraphinis, utpote qui se in ministerium aliquod, quod illis non est proprium, non solent ingerere. Uode S. Bernardinus ait. *Putemus*

Lib. 5. c. 4. de consid.

Angelis præesse Archangelos qui non nisi ob maximas & præcipuas causas mittuntur; ex quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam usique, qua major esse non potuit. Porrò Cajetanus

3. p. q. 30 at. 3.

pro hac opinione valde efficax adducit argumentum. Dicit enim, quod licèt ob digoitatem talis ac tantæ legationis supremus Paradisi Angelus expediri debuisset: *Quia tamen annuntiare Dei verbum; infra intitulationem officii annuntiationis clauditur, non debuit aliquis extra deputatos ad annuntiandum mitti, ut omnia suaviter a divina providentia disponerentur*.

6. *Missus est Angelus*. Didacus Stella perdoctè no-

In Luc.

tat, oullam esse in cœlis necessitatem imponendi civibus cœlestibus nomen, ad hoc, ut inter se cognosci & distiogui valeant; prouti inter nos in terris est usitatum. Unde quaodo in sacris literis nomen aliquod alicui Angelo impositum reperitur, *Id fit* (inquit hic auctor) *enim ad terram mittitur, ut aliquo munere fungatur, propter quod nomen illi datur, quod antea non habebat*. Quo supposito meritò quærat aliquis, quodnam in hoc lateat mysterium, quod Archaogelus ille Gabriel appelletur? cur enim hic in specie & non alius ablegatur. Respondet S. Bonaventura: *Ut respon-*

In Luc.

deat impletio promissioni, ut sicut per Gabrielem mysterium illud predictum fuit Danieli, sic apertum fuit Virgini. Dan. 9. *Ecce vir Gabriel*. Glossa quoad nomen hanc rationem assignat. *Ideo Angeli ex nomine aliquando signantur, ut ex ipso nomine, quid ministraturi veniant, demonstretur. Gabriel fortitudo Dei, quia illum nuntiat, qui ad debellandum Diabolum veniebat*. Similiter Cajetanus nobis declarat, cur suam *à fortitudine* nomenclaturam habet: *Tum, quia in mysterio Incarnationis Verbi Dei tota ratio facti, est fortitudo seu potentia facientis*; Hoc etenim maximum opus est ex omoibus,

In Luc.

quæ Divinæ omnipotentiæ dextera unquam patravit: *Fecit potentiam in brachio suo. Nullum opus comparabile est operi quo Verbum caro factum est: Tum, qui annuntiabat Messiam non solum fortissimum ad debellandum, que sunt carnis, que sunt mundi, & que sunt dæmonum, ac ipsos etiam Dæmones, sed patrem totius vera fortitudinis; Christianorum siquidem virtus propria, vera fortitudo est, qua apparuit in Apostolis & Martyribus, & apparere continuo debet in veris Christi sequacibus*. Salmeron quoque doctissimè proportionem illam ponderat; quæ ioter Sanctum Gabrielem, quod nomen *Fortitudo Dei* interpretatur, & inter eos versabatur, cum quibus tractabat. *Fortissimus est Deus nuntium mittens*. De eo namque dicitur: *Fortis & potens in prælio*, fortissima est mulier, ad quam facta est legatio, de qua Salomon: *Mulierem fortem quis inveniet?* Denique S. Petrus Damianus ait:

Nulla

Serm. 40. *Nulla fortitudo fortior fuit, quam redimere servum, & in Divinitatis dextra perpetuo collocare.*

7. *Ingressus Angelus ad eam.* Quemadmodum Angelus malus ad Evam decipiendam, mortemque nobis machinandam assumpsit corpus: ita quoque hic Archangelus, ad reparandum damna nostra, humanam similitudinem induit. Item sicut ille ad pomum vetitum carpendum consensum ab Eva extorsit; ita quoque hic Mariæ voluntatem lucrari studuit ad hoc, ut eam faceret fructum illum concipere, de quo scribitur: *Benedictus fructus ventris tui.* Præterea congruum erat, ut damna ab uno Angelo illata, ab altero Angelo denuo repararentur: *Alioquin videri potuisset Sathanas nostram perditionem magis, quam bonus Angelus salutem nostram sitisse atque procurasse.* Ita Salmeron. Verum enimvero nunc obsecro, advertamus, quàm fuerit in ministerii sui executione industrius, & quàm feliciter coram B. Virgine perorarit, ut in tanti momenti negotio reportaret victoriam. Serm. de Ann. B. Laurentius Justinianus dicit: *Quamobrem latus Paranymphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus insoleto fulgore vestitus in humana effigie descendit ad Virginem.* In specie autem Tomo 3. tract. 3. juvenis apparuit, *quia Verbum æternum annuntiabat* (inquit Salmeron) *quod nescit infantiam aut senectutem.* Porrò habitus seu vestis ejus candor & splendor, immensam Christi & Virginis puritatem, nec non propriam suam denotabat innocentiam Cajetanus hac de re ita scribit: *Ingressus Angelus corporalem motum significat, quod non apparuit tanquam ex improviso in aula, sed gradiens ad Virginis aulam introivit. Comitatus*, inquit Lucas Brugensis, (*ut credibile est*) *pluribus aliis inferioribus Angelis corporum expertibus, quos Virgo viderit spiritu; ita apparatus & instructus, ut præ se ferret supremæ* Loc. cit. a. 3. *Majestatis legatum, qualis revera erat.* Porrò Angelicus Doctor varias adducit rationes, cur corpus assumpserit; Primò videlicet propter mysterium, quod annuntiabat. *Venerat enim annuntiare incarnationem invisibilis Dei, unde etiam conveniens fuit, ut ad hujus rei declarationem invisibilis creatura formam assumeret, in qua visibiliter appareret.* Secundò; *Fuit congruum dignitati matris Dei, quæ non solum in mente, sed in corporeo ventre erat filium Dei receptura.* Tertiò *congruit certitudini ejus quod annuntiabatur; ea enim, quæ sunt oculis subjecta, certius apprehendimus; quam ea, quæ imaginamur.* Etenim quoad horam, qua comparuit, verisimile est, Sap. 18. 14. quòd media nocte apparuerit: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine e regalibus sedibus venit. Orationi*, inquit Lucas Burgensis, *rerumque divinarum contemplationi adhuc vacabat. Nec dubium*, inquit idem, *quin verba quoque, quibus uteretur Angelus, fuerint præscripta à Deo.*

Aperiuntur mysteria, cur Dei Filius Virginem in matrem elegerit.

DISCURSUS QUARTUS.

Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem.

1. PORrò quod legatus ille quem sanctissimæ Trinitatis supremum consistorium ad Mariam dimittit, aulicus quidam sive ephœbus fuerit curiæ cœlestis, nemo Serm. de Assump. facile admirabitur, siquidem ut S. Hieronymus scribit: *Bene Angelus ad Virginem mittitur, quia semper est Angelis cognata virginitas.* At verò quod hic Dei Filius hic in terris talem sibi eligere voluerit matrem, ipsum concipientem, parientem, lactantem, quæ purissima & intemerata virgo esset, id non tantum admirationem, sed stuporem in omnibus excitat. Quis enim unquam vidit, quod mulier aliqua illibata & illæsa virginitate sua sine ulla viri opera conceperit in utero, pepererit, lactarit, Lib. 1. de offic. *Quanta est virginitatis gratia*, inquit S. Ambrosius, *quæ meruit a Christo eligi; ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis? Virgo genuit mundi Salvatorem.* Virginitas etenim Mariæ Verbum æternum in Ejus viscera attraxit. Enimvero tametsi nulla invenire verba possimus, tantæ puritatis expressiva, non tamen ob id animo deficiamus, siquidem sancta mater Ecclesia idipsum quoque de semetipsa confitetur, dum ait: *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio; quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Sap. 7. 26. Hic etenim Dei Filius hisce elogiis à Spiritu sancto insignitur: *Candor lucis æternæ, speculum sine macula, Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Hic ab æterno in æterni Patris sui sinu demorabatur, volensque deorsum ad nos in terram descendere, paternum hunc sinum, in virginalem commutavit uterum. Unde S. Ambrosius ait: Ser 28. *Sinus Christi erat in Deo Patre Divinitas, in Maria matre virginitas; cujus sic tenebatur pulchritudine, sic irretiebatur amore, ut nisi sibi inferret vim, ab illa exire nequiret.* Etenim quando ipsi in hunc liliorum Paradisum ingrediendum erat, ne unico quidem momento distulit, sed mox, ut illa in hæc verba prorupit: *Fiat mihi secundum verbum tuum; verbum caro factum est.* Aliis infantibus animam tunc pridem infunditur, postquam quadraginta diebus antea in utero materno fuere concepti; at verò in Christo, in primo post consensum Virginis instanti, anima unita est corpori. Econtra verò quando ipsi de hoc purissimo, immaculato, & Angelico ventre egrediendum erat, tunc licet vel septimo mense, vel in principio noni mensis in lucem prodire potuerit, ibidem tamen novem integris mensibus commorari voluit; quonam autem motivo, vel virtute attractiva id factum fuisse existimatis? Nimirum *virginitatis ejus tenebatur pulchritudine.* 3. p. q. 31. a. 1. Doctor Angelicus, ad id comprobandum, Damasceni testimonio utitur, qui scribit: *Filius Dei construxit sibi ipsi ex castissimis, & purissimis sanguinibus Virginis carnem animatam anima rationali.* Enimvero conveniens omnino erat, ut temporalis hæc generatio aliquam haberet cum æterna generatione similitudinem. Sicut enim hæc ex sinu Patris purissima & immaculata extitit: *Unigenitus qui est in sinu Patris*; ita conveniens erat, ut temporalis quoque generatio ex tali matre fieret, quæ pariter virgo immaculata remaneret. Præterea, ut S. Augustinus notat, sicut primus Adam de terra virgine plasmatus fuit, quæ nondum cultivata, vel vomere aut aratro scissa aut divisa erat: *Ecce nunc secun-* Ser. 5. de nat. *dus adam quasi de intacta ac rudi terra, Virginis de carne formatur.* Idem quoque Hugo Cardinalis deinceps observavit, dum ait: *De Virgine nasci voluit, ut sicut* Ser. 7. de nat. *primus Adam de terra virgine factus fuerat, ita secundus Adam de Virgine.* Alibi quoque sanctus Augustinus ad hanc virtutem, efficaci quodam motivo, nos exhortatur, dicens: *Diligamus præ omnibus castitatem, quia ut placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam uteri virginalis elegit.* Et quidnam Apostolus insinuare voluit 1. Cor 15. 47. quando dixit: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*? Num fortè hæresi Valentini favere aliquatenus voluit? Minimè gentium; hic etenim blasphemus hæresiarcha Christi humanitatem de cœlo descendisse dicebat, nos autem scimus fidei veritatem esse, quod *Incarnatus est ex Maria Virgine.* Ac proinde nonnulli existimant, Christum appellari ab Apostolo cœlestem, ratione suppositi, quod est divinum, & ratione unionis illius sacratissimæ humanitatis ad Verbum: At verò dicere etiam possumus, Christum corpus suum traxisse *de cœlo*, eo quòd corpus suum acceperit ex Virgine, quæ velut cœlum quoddam animatum purissimumque fuit, ipsisque sphæris cœlestibus capacius; siquidem *quem cœli capere non possunt, tuo gremio contulisti.* Et quidem etsi de cœlo Job 15. 15. naturali Scriptura dicat: *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus*, hoc tamen de hoc mystico cœlo affirmari nequaquam potest, hoc enim adeo est mundum, ut sibi Deum illum attraxerit, *qui est candor lucis æternæ.* De omnibus quidem aliis virginitatem solicitè custodientibus dicitur, quod *sequuntur Agnum, quo-* Apoc 14. 4. *cunque ierit, virgines enim sunt*; at verò in præsenti agnus ille immaculatus à Mariæ virginitate adeo se trahi sinit, ut se ejus obedientiæ submiserit, seque totaliter ei subjecerit, quia *erat subditus illi.* Verum enimvero num fortè scire desideratis, quomodo hæc adeo nova & in illo sexu, præcipuè tempore Hebraismi, imò, & in toto mundo, ut ita dicam, adeo rara virtus virginitatis à beatissima Virgine consecrata, adeoque gloriosa facta fuerit ut Psalmista dicat, quòd *afferentur virgines post eam*? Audite beatum Tho-

Ser. 2. de ann. mam de Villanova apte ad id respondentem : *Ubi didiceras Deo ita gratam esse virginitatem ? nisi quia omnipotens Dei verbum prius fuit tibi magister quam filius, prius te habuit discipulam quam matrem, prius tuam mentem, quam ventrem implevit ?*

2. *Turbata est* ; inquit de Maria textus Evangelicus. Veruntamen sive id acciderit occasione apparentis Angeli, sive ob verba, quæ referebat, hoc saltem verissimum est, turbationem hanc ei accidisse ex ferventi zelo suæ virginitatis. Nam extra omnem controversiam positum est, ipsam frequentissimum semper habuisse cum spiritibus Angelicis consortium, eosque illi frequentissimè apparere solitos fuisse, L. 2. ep. 15. nam *conversatio ejus in cælis erat*. Verum ut sanctus Hieronymus ad Lætam scribens observat : *Gabriel solam in cubiculo suo reperit, & ideo forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit*. Angelus etenim in assumpto corpore juvenis cujusdam viri speciem præ se tulit ; & tametsi eum Angelum esse satis cognosceret, attamen Conc. 2. de Ann. *turbata est*, eo quod sola eum ipsa versaretur : *Ingressus Angelus ad eandem* (inquit beatus Thomas) *qua viris fores claudare poterat, non Angelis ; ideo ingressus Angelus, quia viro non patebat ingressus : est enim frequens Angelorum concursus, ubi hominum solitudo reperitur*. S. Ambrosius idipsum confirmans dicit : *Virgo quasi viri specie mota trepidavit*. Ac proinde (inquit Doctor Lib. de B. V. In Cat. Angelicus) Angelus subjunxit : *Ne timeas, non veni prædaturus inviolabilem tuam virginitatem, sed conditoris puritatis, & custodis contubernia reserare*. Didacus Stella hanc super illa verba : In Luc. *Ingressus Angelus ad eam*, instituit considerationem : *Equidem manifestissima insania veniet reprehendendus qui conatus fuerit ad Mariam ingredi, nisi Angelicam puritatem prorsus redoluerit*. Enimvero *turbata est* non solùm ad præsentiam, verum etiam ad verba Angeli : *Turbata est in sermone ejus* ; Num fortè ob hoc vocabulum *Ave* ? Non est id verisimile, siquidem Angeli eam hoc modo frequenter salutare debebant ? Num igitur ob verba sequentia : *Gratia plena* ? Minimè ; Quid enim ipsa vehementius desiderare poterat, quàm ut esset gratia plena. Ergone turbata est quia sibi dici audivit : *Dominus tecum* ? Neque hoc mihi persuadere valeo, hoc enim ipsa à Deo continuis suspiriis postulare debebat, scilicet ut possit adstringi & uniri cum Deo ? cur igitur rantopere *turbata est* ? ratio est, quia Angelus statim subjunxit : *Benedicta tu in mulieribus*, hoc enim idem erat, quod annuntiare illi futuram prolem, & inoumerosam fœcunditatem. Unde Richardus à S. Laurentio dicit : Lib. 2. c. 6. *Audito hoc verbo, Benedicta tu in mulieribus, turbata est quia in virginibus benedici semper optabat*. Etenim quando Angelus ei manifestè ipsam Dei matrem futuram, eumque concepturam & parituram esse dixit, qui futurus esset Salvator mundi, ipsa confestim subjunxit : *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco ? ubi in promissione Filii*, (inquit idemmet Auctor) *manifestum patuit virginitatis periculum, ultra non potuit dissimulare, quin diceret : Quomodo fiet istud* ? Ecce igitur qualiter prima verba, quæ mundus ex sede veræ sapientiæ, *sedes sapientiæ*, audivit, quæque in scriptura sacra veridico Spiritus Sancti calamo conscripta leguntur, utpote in defensionem Virginitatis prolata, firmissimi voti, de conservanda perpetua virginitate Deo facti, sint insinuativa.

3. Omnes sacri interpretes valde mirantur, quod Beatissima Virgo adeo maternitatem acceptare renuerit, eo quod id sine virginitatis suæ præjudicio fieri non posse Conc. 2. de ann. apprehenderet ; ideoque quæsivit : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*. Qua de re B. Thomas ita scribit : *Neque prius silentium rupit, quam de pudore fieri sermonem agnovit : Sola hæc solicitudo Mariæ potuit superare silentium ; Quomodo fiet istud ? &c. O miram pudicitiæ curam ! o inæstimabilem castitatis amorem ! mater Dei ab Angelo pronuntiabatur, & pro sua virginitate soliciebatur ; Deum habitura est filium, & de suo pudore quæstionem facit, neque tanto pignore puritatis damna compensat, tanta erat in ea puritatis sanctimoniæque dilectio*. Similem quandam considerationem S. Gregorius Nyssenus instituit dicens : In cat. D. Th. cit. *Attende etiam munda Virginis ; vocem partum annuntiat Angelus ; ipsa vero virginitati innititur*. Constans in eo perseverat, quod videlicet viginitatem suam perdere nolit, licèt ei dignitas Matris Dei offeratur, promittaturque, quod conceptura sit in utero Verbum æternum. *Magnifica & sublimia sunt, quæ Maria de filio ejus futuro Angelus prænuntiavit* (inquit Salmeron) *verum illa utpote prudentissima, ad tam excelsa promissa adhuc non promovetur, ante omnia de sua virginitate atque integritate vult esse tuta*. To. 3. tr. 3. Sanctus quoque Bonaventura observat, quod interrogarit : *Quomodo fiet istud ? ut si posset esse, quod haberet simul virginitatem & fecunditatem, tunc consensum præberet* ; Secus verò non. Cujus quoque opinionis Didacus Stella se esse declarat, dum ait : *Quodsi quæras à B. Virgine nunquid malit virginitatem custodire, quam mater Dei esse ? non dubito, quin tibi respondeat ; melius & salubrius esse cordis sinceritate, & animi virtutibus splendere, quam dignitatem aliquam, quantumvis sublimem & excellentem subire*. Idemmet auctor affirmat Beatam Virginem probè satis scivisse, quod Deus utrumque simul efficere posset, scilicet ut virgo pariter & mater esset, ac proinde modum illius prodigii efficiendi interrogasse : *Quia scio Dominum potentem esse, ut mea virginitate intacta manente, possim parere, quæro, quomodo Deus id facere disposuerit*. Quapropter Angelus ei respondit : *Spiritus sanctus superveniet in te ; & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Chrysostomus ad hunc modum intelligendum, similitudinem quandam adducit, dicens. In cat. D. Th. *Nonne Sol cujus est corpus sensibile, quocunque radios mittit, non læditur in propria puritate ? multo erga magis justitiæ sol ex utero virginali mundissimum corpus assumens, non tantum contaminatus non est, imo etiam ipsam matrem sanctiorem ostendit*. Fœcunditas etenim & maternitas in Maria (quis idipsum crederet) virginitatis & integritatis suæ florem incredibiliter adauxit. Unde Chrysologus ait : Ser. 142. *in toto conceptu, in tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas*. Et hinc est, quod B. Thomas B. Virginem hisce affectu plenissimis verbis exhortetur : Conc. 1. in ann. *Noli pro tua virginitate formidare ; conceptus hic virginitatem tuam non aufferet, sed sacrabit, pudorem non minuet, sed prole ditabit*. *Venter tuus* (inquit in sacris Cant. 7. 2. Canticis sponsus) *acervus tritici, vallatus liliis*. Quisnam est peregrinus iste loquendi modus, quo sponsus dicit, quod lilia virgineo Mariæ utero sint instar custodiæ & præsidii, imò instar valli cujusdam & munitissimi propugnaculi. *Vallatus* enim idem est, quod quidam Ser. 2. de concep. validus agger ad locis defensionem aggestus Sanctus Bernardinus autem notat, quod grana tritici fœcunditatem, lilia verò virginitatem significent. Voluit igitur innuere sponsus, quod, nisi in sponsa sua virginitas Maternitati conjungeretur, aut nisi lilia circum ipsam plantarentur, quæ ipsam concipiendo & pariendo Salvatorem, puram conservarent & virginem, illa in maternitatem etiam ipsiusmet Dei minimè fuisset consensura. At verò data est ei de cœlo sequens promissio : *Virginitatis non patieris detrimentum, & eris mater semper intacta, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres*. Porrò de Monocerote scribitur, quod tantæ sit ferocitatis, ut capi se minimè sinat, nisi à virgine duntaxat ; unde Incognitus super illa verba Psalmi : *Aedificavit sicut unicorum sanctificium suum*, Ps. 77. 69. adducit auctoritatem S. Gregorii dicentis. *Isto modo capitur ; puella virgo proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput deponit sicque ab eis, à quibus quæritur, repente velus* Lib. 31. mor. c. 33. *enervis invenitur & capitur*. Ehem quam erat Deus noster priusquam in terram descendisset, formidabilis ! *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit ; Deus exercituum, terribilis & fortis*. Unde populus Israeliticus ejus vocem, haud secus ac si tonitru aut fulmen quoddam esset, audiret, renuebant, metu mortis inde secuturæ : Exo. 20. 19. *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*. Verum enimvero Virgo beatissima hodie sinum suum aperit, omnique rigore deposito, divinus hic Monoceros in ejus sinu misericors & mitis efficitur. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*. Luc. 1. 78. Ex Leone igitur, & feroci ac terribili Monocerote factus est mansuetissimus Agnus : *Ecce Agnus Dei*, idque propter miram *Virginitatis Mariæ attractivam virtutem*.

De immenso gratiarum thesauro, quem Beata Virgo in Incarnatione Verbi, & in toto vitæ suæ decursu successivè recepit.

DISCURSUS QUINTUS.

Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena.

1 COelestis ille legatus Beatam Virginem in primo suo ingressu salutans, non dixit: *Ave Maria*, sed *Ave gratia plena*. *Non eam proprio nomine nuncupavit*, inquit Didacus Stella, *propter sua dignitatis altitudinem*. Neque enim Principes viros vel fœminas nominibus ipsorum propriis nominare solemus, sed potius dignitatum suarum titulo. v. g. Ducis vel Regis, vel Imperatoris. Beatissima Virgo, à supremo illo Consistorio, in Matrem Verbi æterni electa erat, indignitate adeo sublimi collocatam titulo gloriosissimo & honorificentissimo, quo potuit, nominavit; id est, *gratia plena*. Vel etiam dici potest, prout idemmet Stella considerat, quod *cum ea tanquam cum cive cœlesti egit*. Hic in terris necessum est, ut inter nos distinctis simus nominibus insigniri, ad distinguendum unum ab alio, maxima etenim futura esset confusio, nisi hæc nominum distinctio inter nos intercederet: at verò non ita se res habet inter spiritus illos & animas beatas, utpote intellectu perspicacissimo præditas. Ac proinde congruum erat, ut Angelus Mariam salutaturus, cum illa, utpote cœlorum Regina cœli quoque idiomate seu Dialecto loqueretur, idque tanto magis, quod illa Angelis maximè conformis esset: Denique dici etiam potest, quod sicut per antonomasiam dum sapiens nominatus Salomon, vel Psalmista David, aut verò Isaias Propheta intelligitur, eodem modo Angelo salutare Mariam volenti suffecerit dicere: *Ave gratia plena*, de nulla etenim alia creatura titulus iste intelligi potest, præterquam de Dei genitrice Maria.

2 *Gratia plena*. Beatissima Virgo Maria hodierna die, qua Verbum æternum in virgineis suis visceribus concepit, ab eodem simul jus quoddam consecuta esse censetur, super omnes processiones spirituales Spiritus sancti utpote qui ejus factus est sponsus, ac proinde eas Virgini infudit cum omni donorum & gratiarum plenitudine, quæ conferri potuit ulli puræ creaturæ. [To. 1. ser. 52 a. 1. c. 2.] *A tempore, quo concepit Deum*, inquit S. Bernardinus, *in utero suo quandam, ut sic dicam, jurisdictionem habuit, seu auctoritatem in omni temporali processione Spiritus sancti ita quod nulla creatura aliquam a Deo recepit gratiam, nisi secundum dispensationem Virginis matris*. Idemmet sanctus, utpote Beatissimæ Virgini apprime devotus, alibi scribit: [To. 1. ser. 61. a. 2. c. 10.] *Excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est, quantum uni pura creatura dari possibile esset*. Cùm enim mater sit Verbi, à quo procedit Spiritus sanctus, consequens est, quod, cum in filium tantum obtinuerit dominium, simile quoque imperium habeat, quoad thesauros Spiritus sancti, cum hic à filio suo procedat, idque tanto firmius existimandum est certius, ipsam hodie factam esse sponsam Spiritus sancti, eumque in animam pariter & sacratissimum ejus uterum esse infusum: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Qualis autem sit hic, qui Mariæ annunciatus gratiarum thesaurus, hac de re sacros interpretes audire placebit. Regius Propheta tot abhinc sæculis prævidens futurum, quod incarnatio Messiæ in sua stirpe perficienda esset, dixit: [Ps. 17. 10.] *Inclinavit cœlos & descendit*. Quasi dicere vellet, inquit Hugo Cardinalis, Deus primò omnes Paradisi thesauros in sinum ejus effudit, ac tum demum descendit! *Inclinavit cœlos sicut vas, ut totum effunderet*. Porrò valde celebris est illa S. Bernardi propositio: [Ho. super. missus est.] *Christus redempturus mundum, universum thesaurum contulit in Mariam, ut de plenitudine ejus omnes accipiant: nihil enim nos Deus habere voluit quod per manus Mariæ non transiret*. De ipsa quoque intelligenda sunt illa Spiritus sancti verba in Ecclesiastico: [Eccl 24.25.] *In me gratia omnis via & veritatis, in me omnis spes vita & virtutis*. Enimvero verissimum est, quod gratia Divina suam à filio scaturiginem habet. *Gratia per Jesum Christum*. Veruntamen non minus quoque certum est, quod is magnam matrem suam ejusdem gratiæ constituerit dispensatricem & thesaurariam. Et hoc forte est mysterium illud, quod cœlestis illius sponsus in sacris Canticis de ea scripsit, hisce verbis: *Collum tuum sicut turris eburnea*, nam ut bene notat [Cant. 7. 4.] S. Bernardinus: *Sicut per collum spiritus vitales à capite disfunduntur per corpus, sic per Virginem à capite* [Ser. 3 c. 7. de glorioso nomine Mariæ.] *Christo vitales gratia in ejus mysticum corpus continuo transfunduntur*. Audite quidnam Richardus à S. Laurentio, qui in B. Virginis Laudibus conscribendis adeo fusus fuit, pro horum verborum Angelicorum declaratione scripserit: *Benedicta es gratia plena, & in tantum plena, ut ex tuo redundante totus hauriat mundus*. [Lib. 5. c. 4.] Ipsa namque mare quoddam est, quod omnibus fluminibus, cunctisque fontibus aquam ministrat. *De plenitudine ejus omnes accepimus*. [Gen. 10.] Unde nomen suum non sine mysterio ad mare alludit: *Congregationes aquarum appellavit maria*. Sicut enim omnes rivi, torrentes, & flumina suum mari tributum pendunt, & hoc vicissim eisdem aquas omnes, quibus affluunt, communicat, eas per subterraneas venas & meatus transmittendo: *Ad locum unde exeunt, flumina revertuntur*. [Eccl. 1. 7.] Ita quoque congregantur in hoc mari Mariano omnia merita, omnes virtutes, dona, gratiæ, omnesque prærogativæ, quæ omnes Angeli & sancti habuere simul, adeo ut in veritate dicere possit: *In plenitudine sanctorum detentio mea*. [Eccl 24 16] Amabo vos o Auditores, dicite mihi, si nostis quisnam sit illorum verborum: *Radicavi in populo honorificato* legitimus sensus? audite obsecro quamnam S. Antoninus interpretationem illis adhibeat; dicit enim: *Radix est principium arboris; Imaginemur ergo summitatem perfectionis gloria Beatorum esse in Seraphim ordine supremo, ibi incipit perfectio gratia & gloria Virginis*; [p 4 § 15 c. 45. §. 5.] nam ubi omnium Angelicorum spirituum, aliorumque sanctorum & electorum Dei merita desinunt & complentur, ibi sanctitas & gratia, ut ita dicam, infinita Mariæ suum orditur exordium. Etenint S. Thomæ hæc sunt ipsissima verba: *B. Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus*. [1 p q 25 c. 6 in resp. ad ult.] Cum enim Filius ejus, *qui omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit*, gratiam suam hic maternitatis altissimæ dignitati commensuret, necessum est dicere ipsam aliquam in se infinitatem continere, idque tanto magis, quia Angelus causam manifestè subjunxit, ob quam eam hoc titulo, *Gratia plena*, salutabat, nimirum quia Deum conceptura erat: *Dominus tecum*. [Sap 11. 21.] S. Bonaventura aliud quoddam argumentum, in ordine ad animæ B. Virginis, quæ quoddam facit thesaurorum Paradisi ærarium, immensam capacitatem, in medium adducit, dicens: *Immensum vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quod est plenum; Maria autem vas immensissimum fuit ex quo illum, qui major cœlo est continere potuit*. [In f3 eo. c. 3.] Quod quidem argumentum magis adhuc stringit dicens: *Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente?* Uterus enim illius Dei capax fuit, *quem cœli capere non possunt*. Hugo Cardinalis existimat Angelum hisce verbis, *Ave gratia plena*, dicere voluisse: *Verè gratia plena, quia jam habebis in utero plenum gratia & veritatis*. Lyranus dicit: *Ista gratia non solum implevit ejus mentem, sed etiam ventrem, in quantum singulari gratia Dei factum est, ut conciperet Salvatorem*. Dionysius Carthusianus etiam de hac plenitudine gratiæ ita scribit: *Quo gratia Virginis extitit plenior, eo consistentia Dei in ea fuit singularior, atque præclarior. Dominus vero unigenitus Dei mox fuit cum ea & in ea, singularissimo & eminentissimo modo futurus, utpote corporaliter quieturus in medio Virgineorum viscerum ejus, verus & unicus filius ejus*. [In Luc.] Enimvero hic filius ejus Paradisum secum deferens universum, si quidem Verbum sacratissimæ illi humanitati unitum erat, cujus anima perfecta fruebatur beatitudine, omnino postulabat, ut in ditissima cœlestium gratiarum gaza seu ærario habitaret: ac proinde *Gratia plena quia Dominus tecum*. [Lib. 2. in Luc. c. 2.] *Bene sola plena gratia dicitur* (inquit S. Ambrosius) *quæ sola gratiam, quam nulla alia meruerat, consecuta est, ut gratia repleretur auctore*, S. Hieronymus in Epist. ad Principiam, ideo S. Gabrielem Beatam Virginem salutasse existimat: *Quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur*.

Mar.ijs Prompt.

3. *Spiritus sanctus superveniet in te*, inquit ad Beatam Virginem Archangelus. Quibus in verbis observandum est, quod non dixerit *veniet*, sed *superveniet*, quia Mariæ animam jam dudum impleverat, suis eam thesauris locupletando. Pro cujus majori evidentia advertendum est, quod prius illam dixerit *gratia plenam*, & postea subjunxerit: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Unde clarè satis deducitur, cor ejus Spiritu sancto plenum fuisse, quando gratiis cœlestibus replebatur. Unde Hugo Cardinalis dicit: *Nunquid potuit impleri gratia, & nondum habere Spiritum sanctum, cum sit ipse dator gratiarum? si autem jam inerat, quomodo superventurus noviter repromittitur? An forte ideo non dixit, veniet, sed superveniet, quia & prius quidem inerat per multam gratiam, sed nunc superventurus nuntiatur propter abundantioris gratia plenitudinem quam effusurus est super illam? sed cum plena jam sit, quomodo amplius illud capere poterit?* Responsio, quam dubio huic subnectit, plenè mihi satisfacit; dicit enim: *Prior gratia mentem ejus tantum repleverat, sequens etiam ventrem implevit*. Quod plane cum eo consentit, quod in S. Bernardo scriptum reperitur, qui pariter ita loquitur: (Hom. 4. super missus est.) *Plenitudo divinitatis, quæ ante in illa, sicut & in multis sanctorum spiritualiter habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incepit*.

4. *Gratia plena*. Auscultemus nunc, quid sacri Scriptores de hac gratiæ plenitudine scripserint. (Ser. de ass.) S. Hieronymus dicit; *Bene plena, quia cœteris per partes præstatur gratia: Maria vero tota simul se infundit gratia plenitudo*. (Serm. 143.) Chrysologus obstupefactus exclamat; *Gratia quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam* (To. 2. serm. 51. cap. 1.) S. Bernardinus scribit, quod, quando Virgo dixit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, ipsumque proinde Salvatorem concepit: *Meruit totalem fomitis extinctionem, Dominium & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, cunctarum scientiarum, interpretationes sermonum, spiritus prophetiæ, discretionis spirituum, operationis virtutum meruit fœcunditatem in virginitate, maternitatem Filii Dei*. (3 p. q. 30. a. 4.) Angelicus Doctor insuper notat, cœlestem illum nuntium ipsam dignam pronuntiare voluisse, quæ Verbi æterni genitrix esset. *In qua quidem salutatione præmisit idoneitatem ejus ad conceptum, in hoc quod dixit: Gratia plena*. B. Laurentius Justinianus ait: (Ser. de an.) *Magna profectò Maria gratia exuberans, quæ cœlis dedit gloriam, terrisque genuit Deum, gaudium præstitit Angelis*.

5. Veruntamen sciendum est, quod, ut S. Bonaventura vitam Christi meditando affirmat, B. Virgo Elisabethæ dixerit, se hunc copiosum gratiæ cœlestis thesaurum, (Lib. 3.) quam à Deo receperat, nequaquam sine labore comparasse, imò se nullum unquam donum aut gratiam assecutam fuisse quam per continuam orationem, per ardentia desideria, humilitatem profundam, abundantiam lachrymarum, perque afflictiones etiam corporales non acquisierit, sola sanctificatione sua excepta. Porrò Angelus eam magnifica hac salutatione *Ave gratia plena*, honorans media nocte, ipsam invenit in terram prostratam, vigilantem in orationibus, & pro mundi redemptione, Messiæ adventum affectuosis gemitibus suspirantem. Unde hæc elici potest consequentia: Quod si ipsamet Dei Mater cœlestem gratiam, cujus jam, à proprio Filio & Spiritu sancto Sponso suo, dominium & possessionem acceperat, per opera virtuosa, per labores, & mortificationes acquirere voluit, quam redarguenda erit nostra præsumptio, si eandem negligenter & otiosè ac ignavè vivendo, nos accepturos esse confidamus.

Super illa, quæ Angelus ad Mariam dixit: videlicet *Dominus Tecum*, variorum expositorum interpretationes adducuntur.

DISCURSUS SEXTUS.

Dominus Tecum.

1. INnter alia salutationis Angelicæ mystica verba, majoribus haud dubiè mysteriis turgescunt hæc duo: *Dominus tecum* Neque enim ullo modo in dubium revocari poterat, quin Deus individuus Mariæ comes à primo conceptionis ipsius instanti fuerit, imò ipsamet sanctissimè gloriatur: *Dominus possidet me initio viarum suarum; antequam quidquam faceret à principio*. (Prov. 8. 22.) Ac proinde æquum est, ut ducibus aliis expositoribus sacris sensum hujus propositionis nonnihil accuratius examinemus.

2. Didacus Stella hoc loco pulchrè observat, quod, tametsi Deus Archangelum eò potissimum fine ad Mariam Virginem ablegarit, ut ipsa consentiente, visceribus ejus, Incarnatione mediante, sese insinuaret, jam dudum tamen alio quodam modo cum ipsa commoratum fuisse; unde cum id S. Archangelo satis manifestè constaret, non dixit ei: *Dominus veniet ad te; para ei hospitium, exorna cordis tui thalamum: sed ostendens hæc omnia jam parata, & Dominus ante ipsam venisse, dixit: Dominus tecum*. (In Luc.)

3. Albertus Magnus in hoc dicto Angelico efficaciam virgineæ intercessionis denotatam fuisse existimat, utpote quæ adeo potens erat, ut ipsummet Dei filium pro humanæ redemptionis beneficio complendo, tantopere desideratum, quamque ipsamet præ cunctis aliis incessantibus precibus suis à Deo popolscerat, in terram attraxerit. *Dicitur autem Dominus esse cum ipsa plusquam cum aliis; oravit enim, ut dicunt Patres, redemptionem Israel, & ipse Dominus exaudivit orationem ejus*. In cujus sententiæ confirmatione, utitur illis verbis, quæ Deus David dixit, utpote de cujus stirpe mater (2. Reg. 7.) ejus nascitura erat: *Omne quod est in corde tuo, vade & fac, quoniam Dominus tecum est*.

4. *Dominus tecum, non tantum per essentiam*, inquit Lyranus, *potentiam & præsentiam, qualiter est in omnibus rebus, nec solum per gratiam eo modo, quo est in sanctis hominibus, sed etiam per carnis assumptionem, quia corpus divinitati unitum fuit, formatum de B. Virginis purissimis sanguinibus*. Gratulare (sunt verba S. Augustini) (Ser. 18. de SS.) *B. Virgo Christus Rex è cœlo suo, incarnatur in utero tuo, de sinu Patris, in uterum dignatur descendere matris. Dominus* (inquit pariter S. Bernardinus) (To. 1. Ser. 52. a. 5. c. 2.) *non sicut cum aliis, cum quibus est per participationem gratiæ, sed tecum singulariter, in quo est per communicationem naturæ, quia in utero Virginis natura nostra unita est naturæ divinæ*. S. Augustinus opinatur Angelum Mariæ dicere voluisse: (cit. à Glos.) *Dominus tecum magis quam mecum, ipse enim in tuo est corde, in tuo fit utero, adimplet mentem, adimplet ventrem*. Neque enim Angelus in eadem salutatione, aut si mavultis dicere, legatione, sine mysterio subjunxit. *Ecce concipies in utero & paries filium*; videri quidem superflua potuissent verba illa, *concipies in utero*, ubinam enim sexus ille, partum alias conciperet, si non in utero. Verum responderi potest in primis, Angelum hoc loquendi modo Virgini insinuare voluisse, ipsam verè illam esse, de qua Propheta Evangelicus prædixerat: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*. (Isa. 7. 14.) Unde S. Bonaventura ait: *Ut sic impleatur in te illud Isaiæ: Ecce Virgo concipiet & pariet filium*. (In Luc.) Adjunxit autem præter *concipiet*, etiam ly *in utero*, ob nonnulla mysteria, quæ sacri commentatores conjunctim retigere. Sanctus enim Gregorius Nyssenus hac de re ita scribit: *Quoniam contingit specialiter divinum concipi Spiritum, & Spiritum parere salutarem secundum Prophetam; ideo addidit, & paries filium*. Lyranus dicit: *Concipies in utero, jam enim per fidem & devotionem conceperas in corde suo*. Theophylactus clarius scribit: (In Cat.) *In utero autem dixit, ut ostendat Dominum ex ipsius Virginis utero incarnatum substantialiter*. Cui similis est Angelici Doctoris interpretatio, dicentis: *Dicit autem concipies in utero, ut demonstraret Dominum ab ipso utero*

Vir-

Virginali, & de nostra substantia carnem suscipere. Verissimum quidem est, quod Spiritus sanctus incarnationem operatus fuerit. Unde Albertus Magnus optimè notat, quòd Angelus non dixerit: *Quod nascetur a te sanctum: sed ex te, quia tota causa efficiens Spiritui sancto & virtuti Altissimi debetur; sed supra dicens in te & notans locum conceptionis, hic dicit ex te, notans concepti materiam*. Ac proinde concludit: *Causa efficiens datur Spiritui sancto; formans causa est sapientia divina; materiam & locum administrat B. Virgo*, Non tamen ob id Spiritus sanctus Christi Pater appellatur, tametsi ejus incarnationem fuerit molitus, quia *conceptus est de Spiritu Sancto*; cujus ratio optimè ab eruditissimo Salmerone adducitur, sicut etiam cur Christus non dicatur filius Spiritus sancti; *Quia non generatione de propria substantia, sed artificio mirabili, de aliena materia & substantia condidit Spiritus sanctus Christi sanctissimam humanitatem*.

To. 1. tr. 8.

Hom. 3. super missus est.

5 *Dominus tecum*. Ubi S. Bernardus ait: *Nec tantum Dominus filius tecum, quem carne tua induis, sed & dominus Spiritus sanctus de quo concipis, & Dominus Pater qui genuit, quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui filium suum facit, & tuum: filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat Virginale signaculum; Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat uterum*.

6 *Dominus tecum*. Alii ex hisce verbis eliciunt strictissimam illam unionem, quæ in incarnatione intercessit inter Virginem & Deum, dum hic ejus factus est filius. Multi quidem Deo propinquius jungi studuerunt: *Accedite ad eum, & illuminamini*, nullus autem ad tantum propinquitatis gradum accessit, ad qualem Maria pertigit. Quodsi enim alii (ita devotus quidam meditator) Deum & Lino & Lana vestiunt, Virgo illum Purissima carne sua vestivit: si alii panem ei subministrarunt, ipsa lacte suo proprio eum pavit. Si alii domum ei indulserunt pro incolatu, ipsa eum intra viscera sua recepit. Est igitur hic filius ipsi & æterno Patri communis. *Filii illius Mater est* (inquit Bernardus) *cujus Pater est*. Et in symbolo S. Athanasii dicitur: *Ex substantia Patris ante sæcula genitus, ex substantia Matris in sæculo natus*. Tametsi enim ipsa ad filii conceptionem non concurrerit, nisi quoad solam naturam humanam, purissimum suum sanguinem ei subministrando, non tamen ob id vera Christi Mater, & ipse verus Mariæ filius esse definit, siquidem etiam communiter omnes aliæ matres nihil quod filiorum, quos concipiunt, animas concurrunt, quæ tamen sunt partes maximè essentiales filiorum, nec tamen ideo veræ Matris titulum & rationem amittunt.

Ps. 33. 6.

L. 1. c. 5. de laud. Mar.

7 *Dominus tecum*. Ricardus à S. Laurentio dicit: *In his duobus verbis notatur Mariæ dignitas, & dominium super filium suum*. Aliorum Sanctorum, inquit idem scriptor, summa laus est, si de iis dicatur, quod conversentur cum Deo; unde Spiritus Sanctus Enoch laudare volens, ait, quod *ambulavit cum Deo*. Id quod illi præcipuè faciunt, qui exacti divinæ voluntatis executores existunt. *Maria autem majus aliquid cæteris hominibus sortita est, ut non solum ipsa subjiceretur voluntati Domini sed etiam Dominus voluntati ipsius, & per hoc merito diceretur Dominus esse cum ea*.

8 *Dominus tecum*. Quodsi, ubi Deus sit, scire volumus, meminisse debemus ejus, quod de illo scriptum est, nimirum: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus; qui sedes super Cherubim*. Sed dices fortasse si ita est, cur igitur Angelus B. Virgini dicit: *Dominus tecum*, sed quod Deus creaturam aliquam humanam in suam habitationem elegerit. Facilis & prompta est responsio: Virgo etenim non solum templum, sed sanctuarium quoddam effecta est: *Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti*. Audite igitur, quænam sacratissimo illius utero attribuantur elogia. Sanctus Gregorius Thaumaturgus, sive id ex revelatione quadam habuerit, sive quod sic intra semetipsum hac de re meditatus sit, instructionem huic cœlesti legato à Deo datam, sequentibus verbis nobis scriptam reliquit. *Abi ad animatam civitatem, de qua dicebat Propheta: Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei; abi ad Paradisum meum ratione præditum, abi ad portam orientalem; abi ad domicilium verbo meo dignum; abi ad alterum, quod est in terra, cœlum; abi ad sanctuarium mihi præparatum*. Enimvero quod si in cœlis sedem suam super Cherubinos collocatam habet, sciendum est omnibus, B. Virginem figurativo esse in Throno Salomonis Regis, de quo per testimonium Spiritus sancti dicitur: *Non est factum tale opus in universis Regnis*. Guerricus Abbas ea de re ita scribit: *Quam beatus ille venter eburneus, unde caro eburnea sumpta est Redemptoris, pretium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ majestatis, thronusque potestatis, cibus vitæ immortalis!* Gregorius Nyssenus ita meditatur: *In cæteris quidem omnibus vix anima pura Spiritus sancti præsentiam capit; hic vero caro receptaculum spiritus fit*. Neque enim anima Mariæ duntaxat, sed & caro, & corpus ejus dignum fuit esse habitaculum Spiritus sancti. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Denique nonnulli notarunt, uterum virginalem Mariæ tanta fuisse sanctitate conspicuum, ut tertiæ in Trinitate personæ, in universo Scripturæ sacræ volumine, titulus sancti nusquam adscribatur, nisi postquam is, in hoc uteri Mariani ingressus est sanctuarium, tunc enim eum hoc sancti elogio pridem scimus esse decoratum. *Spiritus sancti*. Unde B. Thomas de Villa nova ait: *O uterum cœlo capaciorem, empyreo illustriorem, Paradiso fragrantiorem! hic enim prima hominis Paradisus in qua prius ab homine videri dignatus est Deus*.

Ps. 10. 5.
Ps. 79. 2.

M inst Prompt.

Serm. 1. de ann.

De Christi nat.

Conc. de annunt.

9. *Dominus tecum*. Conformiter ad eum modum, quo supra tum. 5. Bernardus hæc Angeli verba etiam S. Bonaventura de Trinitate declarat: sanctus Bernardinus etiam dicit: *Tecum Dominus Pater, quia tu sponsa Patris: Tecum Dominus Filius, quia tu Mater filii: Tecum Dominus Spiritus sanctus, quia tu Spiritus sancti thesaurarium comprobaris*. Rationem reddit S. Thomas, quia Angelus subjunxit: *Virtus obrumbravit tibi. Ne tamen solius Spiritus Sancti, sed totius Trinitatis virtute, hoc opus mirificum in ejus utero patrandum agnosceret, sapienter adjecit, & virtus Altissimi &c. Altissimus namque Pater est & virtus altissimi verbum Patris, quorum indivisa virtute non in tota Trinitate, sed in solo verbo perficienda erat Incarnatio*. Unde licet in præsenti Evangelio Incarnatio à S. Luca Spiritui sancto attribuatur, per hoc tamen non excluditur aliarum divinarum personarum operatio. Id quod etiam Didacus Stella super illa verba: *Spiritus sanctus superveniet in te*, observavit, dum ait: *Cum opera Trinitatis externa indivisa sint, id quod actionis fuit in Incarnationis mysterio, toti Trinitati tribuendum venit*. Mox quoque declarat, quo sensu dicatur esse opus Spiritus Sancti: *Per appropriationem, quia Spiritui Sancto demum gratiæ tribuitur, & merito cum hoc fuerit supremum, quod in universo ipse operatus est*. Imò omnes sacri expositores concorditer affirmant, tres personas divinas conjunctim sese Virgini adstrinxisse. Salmeron enim dicit: *Cum illa erat Deus Pater ut de sua ipsius Virginisque substantia unus Christus efficeretur, cum ea erat & filius Deus, ut Virgineam ejus carnem indueret: cum ea etiam Spiritus Sanctus Deus, ut summum mysterium summus artifex operaretur*. Idem quoque fuit Alberto Magno motivum, cur Mariam hoc titulo hodie salutare ausit: *Nobile triclinium totius Trinitatis, unde de ipsa cantatur Salve Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium: Verbi tamen incarnati Spirituale majestatis præparans hospitium*. Beatus quoque Laurentius Justinianus de eadem re ita scribit: *In hoc sacrosancto filii Dei incarnationis Sacramento intervenit totius Trinitatis summa dignatio: Patris videlicet mittentis auctoritas, Spiritus Sancti veneranda operatio, & ab ipso Verbo humana natura susceptio*. Innocentius Tertius in sermone in hac solemnitate habito dicit. *Hodie Trinitatis mysterium innovatur, ut tres sint substantia in unitate persona; ut nasceretur de Matre sine Patre, qui de Patre natus est sine Matre. Hodie simul descendit & ascendit, sed Deus descendit in hominem, & homo ascendit in Deum*. Denique Doctor Angelicus per terminos Theologicos nobis accuratè declarat, quo modo hocce Incarnationis mysterium commune sit tribus divinis personis: *Opus* inquit, *Conceptionis commune quidem est toti Trinitati; secundum tamen modum aliquem attribuitur singulis personis*; demum verò modum hunc explicando subjungit: *Patris attribuitur auctoritas respectu personæ filii, qui per hujusmodi cooperationem sibi assumpsit humanam naturam*,

Con. 1. de annunt.

To. 3 tr. 5.

Serm. 2. de annun.

Ser. de annunt.

3. p. q. 34. a. 1.

filio autem tribuitur ipsa carnis assumptio, sed Spiritui sancto attribuitur ipsa formatio corporis, quod assumitur a filio.

De benedictionibus, quas Angelus Virgini annuntiavit,

DISCURSUS SEPTIMUS.

Benedicta tu in mulieribus.

1 BEatissima Virgo audito hoc insolito ab Angelo allato nuntio, ut Evangelista scribit: *Turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Mirabatur* (inquit Ricardus à S. Laurentio) *quomodo benedicta diceretur inter mulieres, cùm sciret omnes mulieres maledictas esse in matre sua Eva.* Albertus Magnus quædam mysteria tangit, cur Angelus illam hisce verbis salutarit: *Sicut Eva causa extitit perditionis humanæ, ita & Maria causa fuit nostræ Redemptionis.* Et sicut illa omnes super nos maledictiones induxit, ita hæc per fructum benedictionis, quem nobis peperit, omnia damna reparavit. *Dicitur benedicta, quia per fructum vitæ, quem edidit suspendendum in ligno Crucis, vitam restituit. Eva namque per pomum vetitum, quod decerpsit ab arbore & sibi & universæ parentelæ suæ mortem propinavit: Maria verò pretiosum fructum ventris sui mundo edidit, qui pro salute generis humani in patibulo suspensus fuit, & sic mortem fugavit, & vitam restituit.* Deus olim *Deus ultionum* nominabatur, nec immerito; Quot enim, priusquam ad nos descenderet, indignationis suæ in genus humanum fulmina vibravit? Hodie verò benignissima Abigail apud verum Davidem preces suas interponit, omniaque iræ ejus flagella à nobis removet, omnemque maledictionem extinguit. Ita hæc verba S. Bonaventura interpretatur, dum ait: *Benedicta tu in mulieribus, propter universale remedium: Dixit David ad Abigail: Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.*

L. de laud. Virg.
Ser. 2. de Ann.

2. *Benedicta tu in mulieribus.* Notandum hîc est, quod hoc vocabulum benedictio in sacra Scriptura, communiter filiorum denotet fœcunditatem, unde angelicum hoc nuntium, annuntiatio erat numerosæ prolis, supra quavis alias multiplicatæ. Sic quando Deus in mundi exordio animantibus benedixit, hoc benedicere idem fuit, ac dicere: *Crescite & multiplicamini.* Sic etiam Psalmista ait: *Benedixit eis, & multiplicati sunt nimis.* Verum enimvero dices forsitan, quomodo de B. Virgine verificari potest, quod super cunctas Matres fœcunda extiterit, ex quo unicum duntaxat filium concepit. Ad hoc Salmeron ita scribit: *Benedicta tu etiam inter mulieres ob fructum ventris tui.* Siquidem unicus ille filius non solùm omnibus aliis filiis simul sumptis æquivalebat, verum etiam cunctis præcellentior fuit. Sicut enim (ita idemmet Salmeron discurrit) cœlestium gratiarum thesaurus alio modo in Maria, aliter in aliis servis Dei locum habet. *Ita benedictio præ cunctis mulieribus, alia ratione competit Virgini, quæ meruit habere benedictionem divinitatis uterum ejus inhabitantem, quod nulli mulieri concessum est.* Etenim verò quidem est, Virginem unicum tantum esse filium enixam, verùm is talis fuit, *ex quo omnis Paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Richardus quoque à S. Laurentio ita scribit: *Ideo benedicta est in mulieribus, non tantum quia sola sine concupiscentia concepit, & sine dolore peperit, sed quia præ omnibus in prole multiplicata est.* Nec obstat quod ipsa nonnisi unicum filium pepererit; *Paries quidem filium* inquit Angelus in numero singulari. *Etsi enim carnaliter unicum filium genuit, in eo tamen, spiritualiter effecta est Mater magnæ multitudinis filiorum, quorum Christus primogenitus est.* Et fortasse hoc est mysterium, cur Evangelista, cujus calamus à Spiritu sancto sponso ejus movebatur, nativitatem Christi describens dixerit, quod *peperit filium suum primogenitum*, tametsi illam nullos præter Jesum filios concepisse probè sciret; voluit namq; ut intelligeremus, ipsam, per hunc unicum filium, omnes nos concepisse & peperisse? unde illam loco Matris omnes veneramur dicentes: *Monstra te esse Matrem:*

Ps. 106. 38.
Tom. 3. tr. 2.
Ep. 3. 15.
Lib. 5. de lau. Virg. cap. 6.
Luc. 2. 7.
L. de Instit. Virg.

Porrò S. Ambrosius hæc verba *Venter tuus sicut acervus tritici* considerans scribit: *Unum granum frumenti fuit in utero Virginis Christus Dominus, & tamen acervus tritici dicitur, quia granum hoc virtute continet omnes electus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Tametsi enim Virgo unicum duntaxat partum in lucem ediderit, de ejus tamen sacratissimo utero in plurali dicitur: *Emissiones tuæ Paradisus*, simul etenim cum unigenito filio suo omnes pariter peperit electos. Unde S. Bonaventura magnam hanc Dei Matrem ita salutat: *O Virgo benedicta, per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura non solum à creatore, sed creator a creatura.*

Cant. 4. 13.
In spec. lect. 5.

3 *Benedicta tu in mulieribus.* Quia nimirum habuit singularissimum illud, inauditum, nec ulli hominum imaginabile privilegium, ut Mater sit & Virgo simul. De quo privilegio Chrysologus ita scribit: *Verè benedicta, quæ & divini germinis suscepit gloriam, & regina totius extitit castitatis. Verè benedicta, quæ fuit major cœlo, fortior terra, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, sola capit, portavit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutrivit omnium viventium nutritorem.* Ab hoc sancto Salmeron fortè didicit, quod de Maria scribit: *Virgo peperit, Patrem suum genuit, portantem se portavit, nutrientem se lactavit, vestientem se induit, servantem se custodivit.* Prærogativa autem Mariæ unica & omnium maxima illa fuit, quod *Virgo peperit.* Porrò sterilitas in populo Hebræo, maledictio censebatur sexus illius. Beata Virgo autem Virginitatis amore, opprobrium istud non curavit, ac proinde, prout advertit Richardus à sancto Laurentio: *Quia pro amore Virginitatis contemsit maledictionem. quæ maledicebatur sterilis in lege, ideo meruit benedici,* Digna enim judicata fuit, quæ filium quendam pareret, *qui solvens omnem maledictionem, dedit omnem benedictionem.* Glossa omnia mysteria, quæ in hoc benedictionis nuntio continentur, paucis verbis tetigit, dicens: *Benedicta tu in mulieribus, quæ sine exemplo muliebris conditionis & Virgo & Mater est, & Deum genuit.* Rupertus Abbas Tuitiensis de gloria filii hominis, super hæc verba: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, hujus benedictionis hanc rationem adducit, dicens: *Quia mulier omnis concipiens, de amore viri concipit, tu sola de amore Dei, id est de Spiritu sancto concepisti.* Et ideo Angelus subjungit *Spiritus Sanctus superveniet in te.* Albertus Magnus similiter hanc benedictionem, in ordine ad Mariæ integritatem seu Virginitatem considerat, conjungendo fœcunditatem Matris, cum Virginis integritate: *Ave debetur innocentiæ Virginis; gratia plena, quæ scilicet plenitudo debetur vacuitati humilitatis; & benedictio debetur cœlibatui castitatis.*

Ser. 143.
Cap. 6.
Lib. 1.
In Luc.

4 *Benedicta tu in mulieribus.* Idemmet Albertus Magnus in primo sermone super hanc solemnitatem ait: *Dicitur benedicta; quia clave David, hoc est, per filium suum, Paradisum aperuit. Sicut enim per Evam Paradisi porta clausa fuerant, ita & per Mariam Virginem sunt reserata.* Quænam benedictio hac major annuntiari potuit, quàm efficere, ut cœlum pateat, à principio creationis suæ aliàs clausum, & ut Verbum æternum ad æternam & beatam vitam nobis conciliandam in sinum suum descendat. *Ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.* Unde de ipsa pariter canit sancta Mater Ecclesia: *Paradisi porta per te nobis aperta sunt.*

5 *Benedicta tu. Dei benedicere* (inquit Lucas Burgensis) *benefacere est.* Quam verò liberalis & beneficus Deus noster erga sanctissimam Matrem suam fuerit, salutatio Angelica, *Ave gratia plena*, satis declarat Cajetanus; etenim notat, quod hæc salutatio in lingua Hebræa idem significet, ac si diceret: *Ave gratificata gratiosa facta; eo solito loquendi modo, quo personam multum dilectam ab aliquo dicimus illi gratiosam, explicavit, quæ effecta est gratiosa ex plenitudine donorum divinæ gratiæ in ipsa.* Auget insuper Angelus lætum hoc nuntium hisce verbis: *Benedicta tu in mulieribus*, quod idem est, ac si Angelus dixisset, tu beneficata es super quasvis alias mulieres: *Benedicta, ac si diceret* (inquit Didacus Stella) *cui Dominus benefecit, id est, quæ à Domino maxima & divina beneficia accepit, ita ut nulla in universo beneficiorum cumulo illi fuerit æqualis. Cum benedictio Dei sit collatio munerum, & eorundem multiplicatio, tanto beatior*

In Luc.
In Luc.

est

est Virgo Maria, quanto majora & altiora munera a Deo accepit. Idem quasi ad literam scribit Dionysius Carthusianus in quodam sermone suo de hoc festo: *Cum benedictio Dei sit collatio munerum ejus, & multiplicatio eorundem; tanto benedictior est Maria, quanto eminentiora & singulariora à Deo sortita est gratia dona*. In Mariam namque omnium donorum, virtutum, meritorum, aliarumque cœlestium divitiarum thesauri prodiga, ut ita dicam, manu, & sine mensura fuere effusi.

Ser. 1. de ann. — 6. *Benedicta tu*. Guerricus Abbas dicit: *Hodie est Domini assumptio nostra ut inhabitet gloria in terra nostra; prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus*: Imò potius dicere possumus, *terram nostram* cum enim illa olim per Prothoparentum nostrorum prævaricationem maledictioni subjecta fuerit: (Gen. 3. 17.) *Maledicta terra in opere tuo; spinas & tribulos germinabit tibi*. Id quod non solum de terra, quam pedibus nostris calcamus; verum etiam de ea, quam in corpore nostro circumferimus, verificatur hodie econtra per hujus virginalis terræ benedictionem, omnia damna ex antiqua illa maledictione contracta denuo resarciuntur. Unde Carthusianus scribit (Ser. 2. In Evang.): *Christi incarnatio nostra est Deificatio, & nostra natura admiranda dignificatio & exaltatio: Ipse factus est filius Virginis, ut nos efficiamur filii Dei patris*. S. Bonaventura denique bene observat, quod Evangelista locum quoque, in quem Angelus missus est, specialiter expresserit (In Luc.). Dicit enim: *In hoc ergo, quod in civitatem Galilææ missus est, quæ erat confinium Judæorum & gentium, quod illum venit annuntiare, qui promissus fuerat Abrahæ; benedicentur in semine tuo omnes gentes*. Ecce tibi aliud quoddam mysterium, propter quod benedicta appellari B. Virgo meruit, quia omnes populi gentiles in partu ejus veram recepturi erant benedictionem, id est, veram lucem, & veram fidem.

Variæ causæ turbationis adferuntur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Quæ cum audisset, turbata est.

1. TAmetsi legatio hæc gloriosissima fuerit omnium quæ à Deo quodam infinitæ majestatis ab universo Regno cœlorum, per Archangelum quendam pro negotio quodam adeo desiderato, tot suspitiis postulato, ac universo generi humano adeo grato & accepto, tamque ardenter ab ipsamet Virgine expectato, expediri unquam potuit, ipsa tamen Virgo, sancto Evangelista teste, mox ut cœlestem legatum vidit & audivit: *Turbata est*; quis id credere posset, nisi ipsemet id testaretur Spiritus sanctus? (Ser. 2. de ann.) *Supercœlestis lætitia vas es* (inquit Thaumaturgus ad Mariam) *Per te gaudium omni dispensatur creatura* & nihilominus turbaris? Quid amplius desiderare poteras, quàm ut Mater Dei fieres, omnium sæculorum miserias, universalesque ruinas restaurares? Hujusce igitur turbationis mysteria accuratius nonnihil examinemus.

2. *Turbata est*. Lyranus, adducto mellistui Bernardi testimonio, in ea fuit opinione, turbationem hanc ex Angeli apparitione derivatam esse: *Ingressus est in secreto cubiculo, ubi clauso super se ostio, orabat Patrem in abscondito*. Et quidem valde est verisimile, quod, quo tempore Angelus eam convenit, orationi dedita fuerit. Quod si enim Angelus Nativitatem S. Joannis Baptistæ parentibus ejus indicare volens, Patrem illius in actuali Sacerdotii ministerio occupatum offendit, quanto magis id ipsum de Virgine credendum erit? Unde Albertus Magnus: *Virginem in secreto orantem invenit*. *Est probabile*, inquit Dionysius Carthusianus, *quod tunc devotissimè pro totius humani generis salvatione & Christi adventu oraret*. Porrò Didacus Stella hanc Angeli apparitionem circa auroram factam fuisse credit (In Luc.): *Facta fuit hæc salutatio ante solis ortum ut significaret nobis Angelus, verum solem justitiæ Christum Redemptorem nostrum jam jam nasciturum*. Hac igitur hora, cellulæ suæ penetralibus inclusa, in altissimam rapta contemplationem, suæque Virginitatis zelantissima, pulcherrimum quendam adolescentem coram se prodeuntem (talem enim se Archangelus ei in assumpto corpore exhibuit) conspiciens, quid mirum, si turbata fuerit? *Turbationem* (inquit Albertus Magnus) *in ipsa occasionabat, subita videlicet Angeli apparitio*. Et tamen si Evangelista dicat: *Turbata est, cum audisset*, attamen Ly illud *audisset*, prout multi sacri Interpretes declarant, idem est, quod Ly *vidisset*. Unde Cajetanus dicit: *Quæ cum audisset, providisset, sensus visus describitur, sicut de Zacharia scripserat, quod vidit Angelum*. Lucas Burgensis dicit, quod *audisset* in Græco idem sit, quod *vidisset* in lingua Syriaca. *Cum vidisset Virgo Angelum viri speciem, & cœlestem Majestatem præ se ferentem, ingressum, audissetque salutantem turbata est*. Nec valet, si dicas, Virginem frequentibus Angelorum apparitionibus assuefactam fuisse, ac proinde Gabrielem inter cæteros facillime cognoscere potuisset, utpote qui, secundum gravium auctorum opinionem, ei in Angelum suum custodem assignatus fuit; nam ut prudenter Dionysius Carthusianus observat (Ser. 1. de ann.): *Aliqui probabilius dicunt, quod Gabriel Archangelus apparuit ei hac vice, cum lumine multo abundantiore, & apparatu, ac habitu elegantiori; prout magnitudo ac dignitas sua legationis exegit*. Porrò S. Hieronymus ad Lætum scribens (Ep. 7. c. 4), ex hac Mariæ turbatione sequens elicit documentum. *Imitetur Mariam* (inquit Virginem quandam, honestatem zelantem instruere volens) *quam Gabriel solam in cubiculo suo reperit, & ideo forsitan timore perterrita est, quia virum, quem non solebat, aspexit*. Subjungit Lucas Burgensis: *Quamvis enim consuevisset apparitionibus & colloquiis Angelicis quæ Spiritu fierent, non tamen hujusmodi, quæ fierent forma humana specie virili, ea denique majestate & splendore*.

3. *Turbata est*. *Turbata autem describitur* (inquit Cajetanus) *in sermone Angeli, aut quia complementum turbationis inchoata ex viso Angelo fuit sermo, aut quia non turbata est ex viso Angelo, sed ex sermone ejus*. Fuit quoque multorum Scriptorum opinio, hanc turbationem potius quandam fuisse speciem admirationis. Virgo namque in obscuritate intempestæ noctis genuflexa & solitaria, ardentes ad Deum preces effundebat, pro accelerando Verbi incarnati adventu: *Fortassis rogabat* (inquit Lucas Burgensis) *tunc ardenter Deum pro acceleratione adventus Messiæ Salvatoris*. Et ideo cum illæ tenebræ à supervenientis Angeli cœlesti luce & *admirabili fulgore, quo totum illud Angelus complevit, ita ut claritas Dei circumfulgeret Virginem*, subito dissipatentur, quidni præ admiratione trepidaret; ita enim in Salvatoris nativitate etiam factum esse novimus, quando Angelo Pastoribus apparente *claritas Dei circumfulsit illos & timuerunt timore magno*. (Luc. 2. 9.) *Perturbata est atque commota* (inquit Salmeron) (To. 3. tr. 5.) *ut ferè fit in alicujus rei inexpectato eventu & magnæ & excellentis*. Ejusdem quoque opinionis alius quidam commentator fuit, qui ait (Jo. Arbor. In Luc.): *Nec turbatio hæc ab imperfectione, aut aliquo vitio proficiscitur, sed ab admiratione tanti nuntii*. Ipsa namque cum gemitibus suspirabat filii Dei adventum, imo credibile, est ut diximus, ipsam hunc actualiter & affectivè postulasse. *Divina Virgo* (inquit Stella) *in admirabilem extasin elevata, mente & Spiritu in Deum transformata, incredibili gaudio orans Dominum, psallebat; mitte Dominum, quem missurus es; Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. Ac proinde dum videret, quod hoc fine, ut votis suis satisfieret, hæc tam solemnis legatio ad eam cœlitus destinaretur, intelligeretque electam se esse, quæ hunc Dei filium conciperet & pareret, *ab admiratione tanti nuntii turbata est*, vel potius *obstupefacta est*.

4. *Turbata est in sermone ejus*. Primum verbum, quod Angelus protulit, fuit *Ave*. *A salutatione incipit qui salutem in lingua portavit*. (Ser. 17. de nat. Dom.) De qua salutatione S. Augustinus dicit: *Similis salutatio nulla invenitur in sacris literis*. Angelus etenim malus quondam Evæ apparuit, hancque ei promissionem fecit: *Eritis sicut Dii*; at verò hac non obstante misera hæc mulier delusa fuit ac proinde beata Virgo meritò *turbata est in sermone ejus*, dum Matris Dei dignitatem sibi offerri audiret: *Cogitabat, qualis esset ista salutatio*. Unde valde propria est similitudo, qua ad præsens propositum S. Gregorius Thaumaturgus utitur, quæ desumitur ab aliquo, qui cùm sit pretiosa veste indutus, in continuo timore persistit, ne maculetur; pretiosa enim & opulenta hæc Virginis vestis, humilitas & virginitas ejus erat, ideoque ut dictus S. Pater meditatur, hunc in modum intra semetipsam discurrebat. Quis scit, an fortè salutatio isthæc non sit

Mansi Prompt.

astuti serpentis artificiosus dolus, qui nonnunquam *transfigurat se in Angelum Lucis? Nunquid Ave istud doloris mihi causa erit, sicuti olim primæ Matri Evæ blanda divinitatis promissio? Nunquid per ironiam beatificatio & salutatio ista facta est?* Porrò Eva Serpenti aurem porrexit, seque ab eodem decipi permisit; at verò Virgo cogitabat, *qualis esset ista salutatio?* Unde Eusebius Emissenus ait: *Turbata est non vultu Angeli, sed in sermone, non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officiosa salutatio prætenderet, cogitabat.* Cajetani etiam interpretatio ponderationem meretur dicentis: In Luc. *Cogitabat, qualisne, an bonus, an malus esset hujusmodi sermo; suppetebat quidem ratio cogitandi ad utramque partem.* Nam licèt hæc verba *Dominus tecum*, bonum quidem in se sensum complecterentur, alia tamen ejusdem salutationis verba non declarata satis, indifferentia erant: *Potest enim adulatoriè dici: Benedicta tu inter mulieres, & similiter blandiendo dici. Ave gratiosissima.* Unde Gabriel idipsum cognoscens, subjunxit: *Ne timeas ut etiam ex hoc ipso, quod Virgo perciperet affectum suum internum cognosci ab Angelo nuntiante, secura fieret.* Dixerat quidem cœlestis hic nuntius: *Ave gratia plena*, non tamen satis declaraverat, de quanam gratia loqueretur, divinanè an verò humana. Dixerat, *Ave gratiosissima, seu gratiosa facta, nec dixerat apud quos: aut quem.* Mox verò id declaravit, quando dixit; *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* Ubi Andreas Cretensis ait: *Quod subjecit, invenisse gratiam apud Deum, omnem excussit Virginis timorem.* Quod idem Cajetanus confirmat, dum ait: *Explicat apud Deum non apud hominem aliquem te concupiscentem.* Omnis enim anima, quantumvis illa Deo sit grata, timere & suspectam habere debet gratiam humanam, felicitatem terrenam, omnemque magnatum benevolentiam. Unde S. Bernardus in sermone quodam Serm. de annun. de præsenti festo aptissimè ad propositum monet dicens: *Quæramus gratiam apud Deum, nam apud homines gratia fallax.*

5. *Turbata est in sermone ejus.* Suas adeo sublimes laudes in hac salutatione audiens, non turbari non potuit, in signum profundæ humilitatis, summæque modestiæ. Optimè igitur Albertus Magnus ait: *Turbatur in sermone, non de sermone, quia ea, quæ sermo dixit ipsa in oratione petivit; sed quia in sermone sermonem ad eam tam humilem convertit, ideo turbata est.* Scribit quidem B. Conc. 1. de ann. Thomas ipsam Angelos videre assuetam fuisse: *Et si prius Angelos viderat, tamen non tali majestate fulgentes Turbabat autem illam nimia ejus humilitas, & miranda Angeli novitas, videns ad humilis puellæ pedes prostratum Angelum salutantem.* Eandem quoque considerationem alii habuerunt. Unde S. Laurentius Justinianus ait: *Ad hujus Angelicæ salutationis vocem expavit cor Virginis, & in seipsa turbata est; non ex aspectu Angelico quasi insolito; quippe cum jugiter visitabatur ab illis: sed ob excellentiam divini præsagii, quod propria merita præcellere videbatur; illa namque nihilum suum probè cognoscens, nihil tanti oraculi dignum sibi esse cernebat.* Lyranus illam ex tam insolita adeoque magnifica salutatione turbatam fuisse arbitratur: *Quia nihil mirabilius est vero humili, quàm sua exaltatio, & ideo cum B. Virgo esset humillima, audiens salutationem tanta excellentia, turbata est non turbatione incredulitatis, ut Zacharias, sed turbatione admirationis.* Nonnulli quoque beatæ Virgini cum primis devoti, contemplantur ipsam in eodem sibi factæ annuntiationis momento, hanc sibi à Deo gratiam postulasse ut serva vel mancipium esse posset felicissimæ illius mulieris, quæ cœlitus in Messiæ Matrem eligenda foret, ac proinde dum audivit ab Angelo sibi dici: *Ecce concipies & paries filium*, eumque tanquam filium & servum sibi subjiciendum esse perciperet, quid mirum si In Luc. turbata fuerit? Ideo Dionysius Cartusianus ait: *Turbatio ista nec imperfectionis fuit, nec culpæ, sed admirationis & verecundiæ Virginalis; fuitque vehemens quædam immutatio, concussio, sive commotio potentiæ affectivæ; nempe cum Virgo sacratissima in oculis suis minima esset, ac laudabiliter pudorata vehementissimè de tanto suo mirabatur præconio, seque laudari ac cunctis præferri mulieribus erubuit atque obstupuit.* Vel ut Hugo Cardinalis notat, cum se adeo exaltatam & sublimatam videret, meritò timuit: ipsamet namque dixisse perhibetur: *Salus in humilitate custoditur, in sublimitate periclitatur.* Atque ideo ipsa ad nihil aliud consensum suum dare voluit, nisi ut ancilla ejus fieret: *Ecce Ancilla.*

6. *Turbata est in sermone ejus.* S. Bernardus; *Turbata est eo, quod benedictam se audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in Virginibus semper optabat.* Ser. de ver. Apoc. Timebat enim, ne per fœcunditatem Matris, Virginis amitteret integritatem. Ideoque confestim eam securam reddidit, id nequidquam timendum esse, hisce verbis: *Spiritus sanctus superveniet in te, &c.*

Considerantur verba: Invenisti Gratiam, utpote quæ ad Gratiam in primo homine olim amissam, demum verò à Maria inventam alludunt.

DISCURSUS NONUS.

Invenisti gratiam apud Deum.

1. CElebris est illa, quam Christus Dominus noster de diligenti & sedula, atque ad amissum monile reinveniendum solicita muliere adduxit parabola: *Accendit lucernam, everrit domum & quærit diligenter,* Luc. 15. *donec inveniat eam; & cum invenit, convocat amicas & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam.* Porrò monile hoc deperditum gratia erat, humano generi in persona Prothoparentum nostrorum liberaliter communicata. Hoc autem monile ab ipsis amissum est per eorundem superbiam, ac proinde nos quoque omnes, tot abhinc sæculis eodem orbati fuimus, nec erat, qui illud inquireret aut investigaret. At verò ecce tibi assiduam & industriam Virginem, quæ summa cum solicitudine illud ut reinveniret, laboravit: *Invenisti* (inquit Albertus Magnus) *gratiam* Luc. *perditam ab Eva à te quæsitam; ab Eva quidem perditam, quia totius mundi gratiam originalem ipsa perdidit, à te autem quæsitam diligenter invenisti.* Neque Angelus sine mysterio usus est hoc verbo, *Invenisti*, quod idem est, ac rem antea deperditam diligenter investigasti. *Mulier hæc B. Virgo est, quæ in Eva perdidit drachmam decimam.* Virgo quidem monile hoc non amisit, sed Eva; unde si Virgo eodem destituta fuisset, id non accidisset culpa propria, sed aliena. Ut autem illud tanto facilius & securius reinveniret: *Accendit lucernam flammam Deitatis operiens in testa humanitatis assumpta, infundens liquorem pinguissimum devotionis & everrens domum creaturarum Dei, donec inventam demonstraret drachmam, & in ipsa invenisse se gaudens eum, quem diligit anima sua.* Monili autem hoc reinvento omnes invitavit cœlites Angelos, omnes homines, & creaturas universas, ut sibi ob reinventum hunc olim amissum thesaurum impensè congaudeant & congratulentur, *Invenisti, quia quæsivisti* (inquit Salmeron) *omnis enim,* To 3. tr. 6. *qui quærit, invenit.* Enimvero quot suspiriis & gemitibus Maria Deum pro humani generis redemptione, pro Messiæ adventu à Prophetis vaticinato, omnibus Patriarchis promisso, atque in tot veteris testamenti figuris symbolizato, precata fuit? Et quidem tametsi nulla creatura incarnationem mereri potuerit, verissimum tamen est, quod Virgo sacratissima efficacissimis orationibus suis ejusdem accelerationem merita sit, siquidem post quinquies mille & plures, post mundi creationem, elapsos annos, ipsa sola dicere potuit: *Congratulamini mihi omnes, quia cum essem parvula, placui Altissimo, & de meis visceribus genui Deum & hominem.* Ipsa sola à tot retro sæculis in universo humano genere digna inventa est, quæ tanti filii Mater fieret, & consequenter quæ hunc ab homine amissum thesaurum, id est, Deum, ejusque gratiam & amicitiam reinveniret. Porrò Sapiens, qui ex eadem Virginis stirpe utpote filium Davidis prognatus fuit, Spiritu Sancto inspirante, olim dixerit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Talem autem dicebat esse Virginem, ut Matrem esse posset Dei illius, qui appellatur *Deus fortis & potens in prælio.* Pro. 31. 10. Etenim Virgo sacratissimam drachmam, est, divinam gratiam olim perditam studiosè scrutabatur: Deus autem mulierem hanc fortem solicitè requirebat; Et ecce hodie sibi mutuo feliciter occurrunt atque ideo Archangelus ad eam missus nomine suo quod est *Gabriel* idem quod *fortitudo Dei*, significabat;

qui

qui muliere hac forti & hujus unionis ministra inventa, fortunatissimum hoc nobis attulit nuntium, quod scilicet *invenit gratiam*. Unde Albertus Magnus ait: [In Luc.] *Cum prædicanda esset pax hominibus bonæ voluntatis, electa est Virgo stirpis Davidicæ, ex cujus Ave etiam alii, de posteritate Evæ à Væ purgarentur, quæ sicut canalis, ad nos fluenta traducit gratiarum.*

2 *Invenisti enim gratiam apud Deum. Ut debebat quæsivit*, inquit Salmeron, quonam autem modo gratiam quæsierit, mox declarat, dicens: *Nempe pro gloria Dei & cum desiderio earum habendarum virtutum & donorum, quæ Matri Messiæ conveniebant.* Maria quidem illas a Deo postulavit gratias, quæ ad talis hospitii præparationem expediebant, intra quod Deus ille recipiendus erat, cui Angeli *Sanctus, Sanctus, Sanctus* acclamant. Sed quo modo beatissima Virgo gratiam illam, quæ talis hospitii totus apparatus futura erat, impetravit? *Invenit gratiam* (inquit idem Salmeron) *quia non tentavit Deum sicut Eva, quæ Deorum scientiam concupivit prævaricatione mandati; nam ut habetur Sap. 1. Invenitur ab his qui quærunt, quod decet, mandata ejus observantes.* Tandem de Virgine subjungit. *At hæc invenit humilitate de qua dicitur. Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

3 *Invenisti gratiam apud Deum.* Quod si gratiam invenit, necessum consequenter est, quod eam quæsierit. Omnes etenim cogitationes illius, omnia desideria, omnia denique verba & opera in hunc præcipuè finem ab ea dirigebantur, ut Deum peccato perditum & amissum reinveniret. Unde non, sicut aliæ ejusdem sexus filiæ facere solent, consectandis rebus terrenis, deliciis, honoribus, divitiis, filiorum propagationi, prosperitati, sanitati adipiscendæ intenta erat; nequaquam, quin potius nulli alteri quàm gratiæ & benevolentiæ divinæ lucrandæ studebat. Et quidem, ut evidenter pateat, quod *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*: Deus semetipsum totum quantus est, ei concredidit. *Dominus tecum invenisti gratiam apud Deum.* Ex quo enim ipsa in gratia & amicitia Dei perquirenda adeo solicita fuit, ideo dignam se & idoneam reddidit, cui maxima daretur gratia, quàm benignitas & omnipotentia Dei puræ alicui creaturæ concedere poterat. *Sermo est de gratia incarnationis, invenisti gratiam apud Deum* (inquit Salmeron) *quam desiderabat & invenit; quia enim sequitur: Ecce concipies in utero & paries filium, expressit gratiam, quam invenit, invenerunt quidem gratiam plures ante eam, sed non hanc incarnationis & maternitatis filii Dei.*

[Hom. 3. super missus est.] 4 *Invenisti gratiam apud Deum, Quam gratiam* (interrogat S. Bernardus) *Dei & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem.* Hugo Cardinalis super mysterio verbi, *Invenisti*, quo Angelus utitur, ingeniosam habet observationem dum ait: *Nec dicit Angelus: Habes gratiam apud Deum, sed invenisti.* Cujus hanc assignat differentiam; *Quia res habita ut propria custoditur: res inventa restituitur illis, qui amiserant. Quia igitur non sibi retentura erat gratiam sed omnibus, qui eam amiserant, restitutura, ideo dixit Angelus: Invenisti: quasi dicat, non debet tibi abscondere, quia non est tua, sed in aperto & in communi ponere.* Et hoc est idem mysterium, inquit idem Eminentissimus Cardinalis, ob quod Archangelus illam hisce verbis. *Gratia plena*, salutavit. [Ser. 3. de ann.] *Ideo gratia plena dicta est supra, quia gratiam omnium invenit. Invenisti gratiam* (inquit Albertus Magnus) *non creasti ut Deus; non rapuisti ut Angelus, non emisti ut Simon Magus; non abscondisti ut infidelis Doctor; non perdidisti, ut Adam: sed restituisti* [In Luc.] *potius, & cum illa omnem creaturam & spiritualem & corporalem.* Idem Auctor in Commentario super Lucam ad Mariam conversus, ita eam alloquitur: *Sic igitur invenisti, non emisti, non meruisti.* Unde ad nostram utilitatem hanc elicit consequentiam: *Et quia non emisti, gratis pro nobis accepisti, legem tene filii.* Hic etenim Apo- [Matt. 10. 8.] stolis gratias suas dispensaturus dixit: *Gratis accepistis, gratis date; & quia non meruisti, meritum non require, sed omnibus justis gratiam, peccatoribus veniam tribue.* Habent quidem peccatores innumera adversus Deum & Matrem ejus demerita, & tamen ipsa securum est eorum refugium: *Refugium peccatorum*, nam ad hoc, ut divinam nobis gratiam impetret, ad nostra demerita [Ser. 4. de assum.] minimè attendit: *Currant igitur peccatores ad Virginem* (inquit Hugo Cardinalis) *qui gratiam amiserunt peccando, & eam invenient apud eam, humiliter salutando; & securè dicant; redde nobis rem nostram, quam invenisti; nec negare poterit, se invenisse, quia hoc Angelus attestatur, ait enim, invenisti.* Ac proinde S. Bernardus non immeritò omnes invitat, ut pro gratia recuperanda ad eam confugiant: *Hæc est*, inquit, *quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit, constat enim pro universo genere humano fuisse solicitam, cui dictum est: ne timeas Maria, invenisti gratiam, quam utique quærebas.* Lyranus quoque verba hæc explicans, pulchram quandam licèt simplicem observationem adducit, dum ait: *Invenisti enim gratiam non solum pro te, sed pro toto humano genere.* Ubi advertendum est, quod idemmet S. Gabriel proximam S. Joannis Baptistæ Nativitatem Zachariæ patri ejus annuntians, dixerit eidem S. Elisabetham ei filium parituram: *Pariet tibi filium*: [Luc. 1. 13.] at verò quando beatissimæ Virgini Verbi annuntiavit incarnationem, absolutè dixerit: *Concipies & paries filium.* Non addit *tibi*. Cujus ratio est, quia B. Virgo hunc filium in commune totius humani generis beneficium paritura erat. Atque ideo in matutinis Nativitatis Dominicæ S. Mater Ecclesia in invitatorio matutini hisce verbis utitur: *Christus natus est nobis.* Et alibi pariter canit: *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine.* S. Bernardinus existimat, quod eodem momento, quo ad æternum Verbum concipiendum consensum suum edidit, omnes quoque nos in filios suos adoptivos conceperit: *Ita ut ex tunc omnes in suis visceribus tanquam vera Mater, nos tanquam veros filios suos bajularet.* [To. 3. ser. 6. a. 2 cap. 2.] Pro cujus majori evidentia notandum est quod dum Christus sub Cruce sanctum Joannem ei in filium suum consignare vellet, non dixerit: *Ecce Joannes filius tuus*, sed absolutè: *Ecce filius tuus.* [Jo. 19. 16.] Nec Evangelistam nominarit, ut alias facere consueverat, hoc nomine: *Discipulus ille quem diligebat Jesus*; idque ne nobis omnibus, qui Mariæ filii sumus, ideoque ei confidenter dicimus: *Monstra te esse matrem*, in ullo præjudicaret, Joannes etenim communem omnium nostrum filiationem referebat. Ad quod aliquo saltem modo alludit, quod Venerabilis Rupertus Abbas Tuitiensis scribit: *Quia ibi dolores ut parturientis in passione unigeniti omnium nostrum salutem B. Maria Virgo peperit, planè omnium nostrum Mater est.* [Lib. 13. in Jo. cap. 19.]

5 *Invenisti gratiam.* Richardus à S. Laurentio ait: [Lib. 2. de laud V. part. 1.] *Maria non solum gratiam impetrat, sed impetratam conservat: & hoc necesse est, quia cito bonum perditur, quod a largiente non custoditur; propter quod illi convenit illud Ecclesiastici 17. Gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* Neque enim sufficit, quod B. Virgo gratiam Dei invenerit, eamque nobis restituerit, nisi illam quoque pro nobis conservet. Dum autem ei devoti sumus, securè sperare possumus, quod illam in nobis custodiet. Comparatur autem divina gratia pupillæ. *Quia sicut pupilla cito læditur, sic gratia Dei de facili amittitur.* Advertendum est autem, quod Salmeron notat, nimirum quod Angelus Virgini dixerit: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum; ut discant homines, gratiam Dei habentes, timere: qui enim nihil habent in bonis, cubiculum apertum & arcam reseratam dimittunt: ita qui gratiæ Dei sunt expertes non timent.* Salutiferum est igitur illud S. Bernardi monitum, dicentis: *In veritate didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore inveniaris* [Serm 54. in Cant.] *non altum sapere, sed timere; Beatus homo qui semper est pavidus.*

De admirandis in Incarnatione patratis operibus, & de ineffabili modo, quo completa fuit.

DISCURSUS DECIMUS.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud?

1. POstquam intemerata Virgo à S. Gabriele se matrem Filii Dei futuram esse intellexisset: *Concipies & paries filium*, jure merito mox interrogavit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* ubi Beda ait: *Legerat Maria Virginem parituram, non dubitabat?* [In Gloss.]

sciebat

sciebat enim, quia impleri oportebat, quod ab Angelo nuntiabatur: sed quia, quomodo fieret, non legerat, nec ab Angelo audierat; quo ordine impleri debeat requirit. In eadem quoque opinione est S. Ambrosius dum ait: *Cum id, quod natura est non suppetat, quia non solet parere virgo, quæ viro non fuerit copulata: quæro quomodo præter instituta naturæ possim generare?* Vel ut B. Thomas de Villanova meditatur: *Miratur supra modum Dei nutu fieri se matrem, quæ illi jam pridem virginitatem suam perpetuo devoverat: pro sua ergo virginitate solicita non de oraculo dubitans, sed tanta rei modum inquirens, sic fatur: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*

Lib 4. de Abr. c. 8.
Conc. 1. de annun.

2. *Quomodo fiet istud?* dicere etiam possumus Beatam Virginem interrogationem hanc instituere ob ineffabilia, quæ in Incarnatione concurrerunt, prodigia: *Res mira* (inquit Arnoldus Carnotensis) *& inaudita! Mater Virgo, verbum caro Deus homo, quis in tam celebri miraculo sileat? Item quis hæc prædicare sufficiat?* Agnoscit nimirum sanctus ille Pater mysterium illud arcanum quoddam ineffabile, unde omnis possit lingua obmutescere. Veruntamen cur sermonem cœptum prosequatur, hanc illius causam esse dicit: *Scimus quidem supra nos esse, hoc aggredi: sed illa, in cujus sacratissimo utero verbum caro factum est, locuturis de verbo conciliat verbum; nec fas est muta esse gaudia Ecclesiæ; ubi implente nos verbo, hoc habemus in mente, quod mater in utero; & ipsa quidem unigenitum Patris prius mente concepit, quam carne.* Propheta Evangelicus de imperceptibili sanctissimæ Trinitatis mysterio tractaturus, nondum de adhibenda huic mysterio fide dubitavit sed quod vidit, animosè recensuit, dicens: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum &c.* At verò quando admirabile illud Incarnationis mysterium in spiritu prævidit, animo mox despondere cœpit, ideoque dixit; *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Advertendum est autem, quod, ut in Beatissimæ Virginis Cantico scribitur per hoc Dei brachium Incarnatio Filii Dei intelligatur: *Fecit potentiam in brachio suo.* De quo proinde brachio interrogat; *Cui revelatum est?* Nam ut Doctor Angelicus scribit, ne quidem ipse & Angeli mysterium istud apprehendere potuerunt. *Latuit eos investigabilis Domini conceptio, & modus, qualiter totus in genitore, totus manebat in omnibus nec non & in virginea cellula.* Etenim rationem cur ignis ascendat, facile assignaveris, cur autem descendat, non item. Facilius est de excellentia & majestate, quam Deus in cœlis habet, aliquid concipere, quam de humilitate & abjectione, cui subest in utero cujusdam mulieris. Enimvero si mihi dixeritis, inquit Nyssenus, vos in agris vel in sylva Leonem vidisse, magnam in animalibus & hominibus facientem stragem, facile id vobis credidero: at vero si econtra asseratis, vos Leonem quendam vidisse subtilissimo cuidam filo alligatum, atque à tenella quadam virguncula ad uniuscujusque ludibrium circumductum, fidem id difficillime inveniet. Pari quoque modo, quod filius Dei justitiam, omnipotentiam & infinitam majestatem suam ostendit, plurimis confirmatur exemplis, quorum plena est sacra Scriptura: at verò quod idem se exhibuerit tanquam vilem terræ vermiculum: *Ego sum vermis & non homo*; aut quod infinitam majestatem suam uni duntaxat palmo adæquet: vel quod Deus factus sit caro, aut Verbum infantem referat. *Quis credidit? Quomodo fiet istud?* Ac proinde S. Chrysologus pulchrè nos exhortatur dicens: *Conceptum virginis noli discutere sed crede; Deum voluisse nasci, præsenti, quia facis injuriam si requiris magnum Dominicæ Nativitatis Sacramentum.* Idem quoque alibi, quam sit mysterium istud incomprehensibile, & ineffabile, optimè demonstrat, dum ait: *Quod natura non habet, & usus nescit, ignorat ratio, mens non capit, pavet cœlum, stupet terra, creatura miratur, quomodo sermo narrabit humanus?* Veruntamen unica superest ratio, quæ Sacramentum hoc, licèt omni humano intellectui incomprehensibile sit, possibile tamen esse convincit, ea nimirum, quæ his verbis continetur. *Non est impossibile apud Deum omne verbum, nam qui, quod vult, non potest, Deus non est.* Chrysostomus de hoc mysterio dicit: *Quod fides cognoscitur & curiositate non invenitur, mysterium adorandum, non humana ratione ponderandum, mysterium divinis non humanis rationibus explicandum.*

In bibliot. vet. Patr.
Isa. 6.
Isa. 53. 1.
3 P 3 q. 30. a 2. in resp. ad 3.
Serm. 141.
Serm. 43.
cit. à Metaf. in Serm.
In Luc.

3. *Quomodo fiet istud: Immutabilis Dei æternitas,* inquit Albertus Magnus, *cum nasci quomodo permittit? Quia nasci mutari est. Psal. 101. Tu idem ipse es, & anni tui non deficient. Quis attingit arcanum Dei;* (inquit Chrysologus) *partum virginis? sæculorum negotium? commercium divinitatis, & carnis? hominem Deumque unum Deum?* mystica prorsus verba sunt ista: *Sæculorum negotium*; maximum enim est hoc negotium, quod in omni sæculo, in quavis ætate, sive in cœlo, sive in terra tractatum fuit. Porrò ab eo momento, qui primi nostri parentes suas ad pomum vetitum manus extenderunt: *Ipse lignum tunc notavit*; id est, verbum æternum *damna ligni ut solveret.* Est enim *Agnus occisus ab origine mundi.* In primorum parentum nostrorum creatione, ut diximus, præfiguratus; tot veteris testamenti figuris adumbratus, in tot legis Mosaicæ Cæremoniis sacrisque titulis delineatus. Ac proinde B. Virgo Maria dicere velle videbatur; Ergone in me paupercula virgine negotium arduissimum, quod Deo cum universo humano genere intercedit, suum sortietur complementum atque perfectionem? Veruntamen si Incarnationis possibilitatem ratione aliqua, quæ intellectui nostro, quadantenus satisfaciat, probare vellemus, interrogarem utique, inquit Basilius Seleucus, utrum censeatur ex his duobus difficilius, scilicet, an Christum de virgine esse conceptum, an vero hominem ex terra & luto fuisse fabricatum: *uterum virginem gestare, an terram vivere & videre, & audire, & loqui & alia quæcumque, quæ visum fuerit, facere?* Porrò supremus ille artifex in principio mundi, lutum in campo Damasceno apprehendit, indeque formavit hominem: Quid igitur mirum, quod eodem terræ virginalis luto alius quidam formetur homo? *Qua fronte, qui primum admittunt, secundum expugnans?* Idemmet Basilius super hæc verba proposita, scilicet: *Quomodo fiet istud* ait: *Verum expende, quomodo in nascentis mundi exordio terra citra semen fructum produxerit; qui tum enim germinandi vim illi indidit, idem ille tuum quoque uterum ad prolis susceptionem nunc promovebit.* S. Augustinus insuper hanc adhibet, in idem Argumentum declarandum. similitudinem: *Si radius solis humorem, quem ad se trahit, exsiccat, ipse tamen virtutem sui & splendoris nec minorat, nec immutat: sic ignis materiam, quam assumit, in se convertit, naturam vero suam ideo nec mutat nec minuit.* Hosque effectus supernaturales ad Incarnationis mysterium applicando, pergit dicendo. *Multo fortius ille ignis, de quo dicitur: Deus noster ignis consumens est; mortalitatem nostram in se assumpsit, & inde gratiam sanitatis corpus resumpsit. Mirabile & incomparabile genus medicinæ propter quam Medicus voluit ægrotare, & ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decrevit infirmitate sanare.*

Ser. 43.
Hom. in ann.
Ser. 73. in appen. de diver.

4. *Quomodo fiet istud? Talis dubitatio* (inquit S. Thomas) *magis est admirationis, quam incredulitatis,* quot enim prodigia stupenda in hoc tam alto mysterio sese non offerunt. Andreas Episcopus Hierosolymitanus ait: *Quid verò dignum magis admiratione, quam Dei videre descensum ad uterum usque mulieris pertingentem? O vera incredibilia Deus inter membra mulieris, cujus cœlum thronus est, & terra scabellum pedum ejus. Audistis* (interrogat Chrysologus) *Angelum de carnis nostræ limo templum divinæ majestatis arte ineffabili construentem.* Præterea: *Audistis in terris Deum, in cœlis hominem Sacramento incomprehensibili collocari, audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totam Deitatis gloriam angelica exhortatione roborari. Stupet Angelus totum Deum venire intra virginalis uteri angustias, cui toto simul angusta est creatura.*

3. p. q. 30. art. 4.
In bibliot. vet. Patr.
Ser. 142.

5. *Quomodo fiet istud? Magis est admirationis.* Enimvero Maria dicere poterat, quonam igitur modo oraculum illud Propheticum implebitur: *Fœmina circumdabit virum? Novimus viros* (inquit S. Bernardus) *qui scilicet infantiam, adolescentiam, & juventutem transeuntes ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt: qui ergo jam adeo grandis est, quomodo a fœmina circumdari potest? sed verto me ad conceptum, partumque virginalem: ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ecce ascendet Dominus super nubem.* Ecce prodigium. Qua enim ratione æternus sol intra nubem quandam recludi potuit? *Quomodo fiet istud est admirationis. Ibi agnoscitur lux non lucens* (inquit S. Bernardus) *Verbum infans, aqua*

Jer. 31. 22.
Hom. 2. super miss. est.
Isa. 19. 1.

sitiens,

sitiens, panis esuriens. Videns, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactantem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem.

Serm. 142. 6. *Quomodo fiet istud, admirationis est*; Nam ut ait Chrysologus: *Si virgo quomodo mater, si sponsa, genitrix quomodo? Illo quo tibi aucta sunt; omnia, nil minuit virgo, virgo concipitur ex te auctor tuus, tua ex te oritur origo, in suo germine est genitor tuus, in sua carne est Deus tuus, & ipse lucem mundi per te cepit, qui lucem mundo dedit. Admirationis est*, nam ut S. Fulgentius scribit: *In angusto corporis gremio sustinuit, quidquid sustinent cœli.* B. Amedæus ait: *Plasmater tuus factus est sponsus tuus, quod dictu mirabile est, isto venit ab eo, à quo non recedabat, ab illo egrediens, in quo remanebat, ut sine intervallo totus esse in æternitate, totus in tempore, totus inveniretur in Patre, quando totus in virgine, totus in sua & Patris majestate, quando totus in nostra humanitate. Admirationis est*, nam ut meditatur Doctor Seraphicus: *Quid magis potuit percipere creatura: quam Deum habere sibi filium subjectum; Nonne hoc admirabilissimam, valdeque stupendum, intra creaturas vix contentum? Unde Bernardus: Mirare utrumlibet, & elige quod amplius mireris, sive filii benignissimam dignationem, sive matris excellentissimam dignitatem utrinque stupor, utrinque miraculum.* Innocentius III. in sermone de hoc festo: *Hodie novum fecit Dominus super terram: Mulier circumdedit virum gremio uteri virginalis; mulier, sed intacta, mater, sed virgo; hæc in utero circumdedit puerum, sed virum; Infantem sed Deum. O vero novum, quod hodie fecit Dominus super terram; quia Stella solem, creatorem creatura, filia patrem concepit.* Salmeron quoque prodigiosos Incarnationis effectus hisce verbis expressit: *Deus fit homo & homo efficitur Deus; virgo fit mater & fœcundatur, prima causa fit effectus, creator creatur, infinitus terminatur, immensus mensuratur, æternus tempori subjicitur, incircumscriptus utero virginis includitur, spiritus incorporatur, majestas deprimitur, omni potentia infirmatur, sapientia discit, gaudium illachrymatur, cœlum fit terra.*

De laud. Virg.

Hom. 3. de incarn.

Serm. 2. de M.

Tom. 3. tr. 3.

In Luc. 7. *Quomodo fiet istud?* Albertus Magnus ait: *Profundo enim humilitatis nihil tam magnum sibi reputavit idoneum & congruam.* Neque enim B. Virgo intelligere poterat, quomodo Deus hoc nostro luto, idque in utero suo vestiri vellet, siquidem se tanto Sacramento reputabat indignam. *Quomodo enim crederetur, quod non abhorreret fœmina uterum, qui candor est lucis æternæ & speculum sine macula Dei majestatis; & imago bonitatis illius?* Et tamen canit sancta mater Ecclesia: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti virginis uterum.* Unde idemmet Albertus dicit ipsam dicere voluisse: *Quod præsumptionis esset homini mortali cum immortali Deo unum & eandem filium communicare Isa. 55. sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltata sunt viæ meæ à viis vestris*: Et in Job: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis.*

Job. 4. 18.
Job. 25. 6.

De effectibus, quos Spiritus sanctus in Incarnatione Verbi operatus est in utero Virginis.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

1. QUoniam sanctissima Virgo, audito de conceptione & partu filii sui Angelico nuntio, modum, quo Mater simul & Virgo esset, capere nequaquam poterat, ideoque Virginitatem suam constanter custodiendi decreto firmiter inhærebat, ideo Angelus his eam affatus est verbis: *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Porrò Angelicus Doctor modum, secundum quem intelligendum est incarnationem filii Dei, Spiritui sancto specialius attribuendam esse declarat, dicens: *Christi corpus à tota fuit Trinitate, tamen rationabiliter attribuitur Spiritui sancto*; cujus quidem has adfert rationes. Primò enim id erat conveniens quoad causam incarnationis, quæ consideratur ex parte Dei: *Spiritus enim sanctus est amor Patris, & filii: hoc autem ex maximo Dei amore provenit, ut filius Dei carnem sibi assumeret in utero Virginali*; ac proinde ipsemet Christus apud S. Joannem dicit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Secundò id quoque conveniebat quoad causam incarnationis ex parte naturæ assumendæ; hac enim ratione nobis clarè indicatur naturam nostram à filio Dei in unitatem personæ suæ assumptam esse non propter merita nostra, sed ex mera duntaxat gratia, quæ Spiritui sancto attribuitur. Adducitque S. Thomas, ad id probandum, testimonium S. Augustini in Enchiridio suo dicentis: *Iste modus, quo est natus Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam Dei.* Tertiò denique loco hanc rationem adducit: *Ad hoc terminata est incarnatio, ut homo ille, qui concipiebatur, esset sanctus & filius Dei; utrumque autem horum attribuitur Spiritui sancto*; eo namque mediante efficimur filii Dei, teste Apostolo, qui ad Galatas ita scribit: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra clamantem: Abba Pater: ipse est etiam Spiritu sanctificationis ut dicitur ad Rom. 1.* Et ideo Angelus subjungit: *Quod enim ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei.* S. Petrus Chrysologus, super prædicta verba: *Spiritus sanctus superveniet in te*, dicit; *Quia quod de carne natum est, caro est, & quod de Spiritu, Spiritus est; Qui ergo de Spiritu nascitur, sine controversia Deus est, quia Spiritus est Deus.* Auctor operis imperfecti hoc, quòd S. Joseph sponsam suam ex Spiritu sancto concepisse apprehenderit, ponderans, dicit eum hujus sententiæ concipiendæ hoc habuisse indicium: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; siquidem *inveniebat in ea omnia admiranda, quæ sine Spiritu Sancto possibile non erat esse in humana natura.*

3. p. q. 32. a. 1.

Joan. 3. 16.

Gal. 4. 6.

Serm. 14.

Hom. 1.

2. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Circa quæ verba S. Thomas ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te, quasi ad præparandam & formandam materiam corporis Christi.* Et protinus subjungit: *Virtus Altissimi, id est, Christus obumbrabit tibi; id est, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis; umbra enim à lumine formatur & corpore.* Idem verò S. Thomas auctoritatem adducit S. Gregorii scribentis: *Altissimus intelligitur Pater, cujus virtus est filius.* Lucas Burgensis Syriacam visionem adfert, quæ de hac virtute Altissimi dicit: *Supplebit ac geret partes viri.* Et Theophylatus eundem sensum sectatus ait: *Hoc est, conteget te, hoc est utique te circumdabit sicut avis obumbrat pullos suos totos, alis suis complectens; ita & divina virtus totam virginem apprehendit, & hoc est obumbrare.* Albertus Magnus super hujus verbi, *obumbrare*, proprietate longum quendam texit discursum, & ita scribit: *Umbra habet etiam ejus, cujus est umbra, figuram & simulachrum.* Unde imago è speculo resultans umbra dicitur; adducit etiam ad hanc proprietatem declarandam testimonium Origenis dicentis: *Infiniti Pelagi Divinæ Majestatis umbra perfectè assimilatum est Verbum abbreviatum incarnatum.* Ac tandem idipsum dilucidare nititur adducta quadam similitudine gygantis adeo vasti & proceri, ut capite cœlum, abyssum pedibus contingat, brachia verò ad utrumque polum extendat? Quodsi enim ante hunc tam immensum Colossum parvum quoddam speculum poneretis, ut gygas ille in eodem sese contemplaretur, fieretque, ut totus ille, quantus est in angusto hoc vitro effigiaretur, nunquid speculum istud cuncti, ad unum usque admiraremini? *Sic majestas Dei infinita in puritate Virginis tanquam in speculo sibi objecto refulsit, & umbram in eo suæ similitudinis reliquit, quæ conceptum Divinum perfecit.* Mons quoque quantumcunque is vastus sit & excelsus, umbram & imaginem suam in speculum quantumvis modicum & angustum emittit: *Sic igitur virtus Altissimi infinita in purissimo speculo virginalis castitatis effigiata refulsit, quæ Divinum in ea conceptum formavit; est enim hoc speculum sine macula Dei Majestatis & imago bonitatis illius, in qua effulsit in imagine parva ille, qui figura est substantiæ Dei Patris, & splendor gloriæ. Obumbrabit tibi*, inquit B. Amedæus, *obumbrabit tibi Christus, virtus Dei & sapientia; ille humanam ex te naturam suscipiet, & plenitudinem Divinitatis, quam ferre non posses, habebis in carnis susceptione.* Sed dices, quonam modo fiet, ut Virgo sit hujus supremæ & infinitæ Majestatis receptiva, possitque Deum illum, qui *ignis*

3. p. q. 32. a. 1.

Hom. de Incarn.

consu-

In cat. D. Thom.

te à me, quia mitis ſum & humilis corde. Unde S. Ambroſius ait: *Humilem paritura humilitatem debuit ipſa præ ſe ferre* Innocentius III. quoque in ſermone quodam de hoc feſto ſcribit: *Fuit Chriſti deſcenſus ſervilis formæ ſuſceptio, de qua dicit Apoſtolus: exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens*. Virgo etenim nullam aliam virtutem cordi ſuo, imaginationi ſuæ, denique vehementi deſiderio ſuo adeo profundè expreſſam habebat, ſicuti hanc virtutem humilitatis. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Richardus à S. Laurentio hac

Lib. 4. de laud. V.

de re ita ſcribit: *Charitas ejus ad nos apparuit in annuntiatione Filii quando reſpondit; Ecce ancilla Domini; cupiens filium procreare, qui noſter ſervus fieret; & ideò ſe nominavit ancillam, quia partus ventrem ſequitur, quod etiam innuit Filius Patri dicens. Servus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ*. Eundem quoque ſenſum in Beato Thoma de Villanova reperio expreſſum, dum is hunc in modum ſcribit: *Et bene ancilla ex qua qui*

Conc. de Annu.

naſcitur, ſervus eſt; nam ſecundum leges, filius non patris, ſed matris conditionem inſequitur; ancillam ſe mater agnoſcit: ſervum ſe filius eſſe fatetur; Ego ſervus tuus inquit, & jure ſervus, quia filius ancillæ tuæ. Grandi ergo myſterio, altiſſimoque Deitatis inſtinctu conceptura Deum, ſui meminit ancillatus, ut orientem a ſe filium mundi obſequio manciparet. Hic autem in operibus ſuis ſatis perſpicuè ſervum ſe noſtrum eſſe velle demonſtravit. *Servivit nobis*, inquit Richardus à ſancto Laurentio, *filius virginis de beneplacito matris uſque ad ablutionem pedum, imo uſque ad tolerantiam Paſſionis; quia filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*.

Hom. 1. ſuper miſſus.

4 *Ecce ancilla Domini*. Sanctus Bernardus ſcribit: *ſemper ſolet eſſe gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas: humiliter ergo reſpondet, ut ſedes gratiæ præparetur*. Illam namque gratiam, quam Prothoparentes per ſuam amiſerunt ſuperbiam, Virgo ſacratiſſima per humilitatem ſuam denuò hodie recuperavit: *Inveniſti gratiam apud Deum*. S. Bernardinus ait: *Gratia prima*

To. 3. ſer. 51. cap. 3.

ſanctificationis, quæ eam omni virtute replevit, ſic principio mentem ejus in abyſſo humilitatis fundavit quod ſicut nulla poſt Filium Dei creatura tantam aſcendit in gratiæ dignitatem, ſic nec tantum aſcendit in abyſſum humilitatis profunda, nec inſuper alicui puræ creaturæ in hoc ſæculo eſt datum tantum guſtare nihilum creaturæ, nec tantum ſe humiliare, & annihilare. Unde per neceſſariam conſequentiam infertur, quòd omnes in eam effuſi ſint

L. 2. c. 23.

cœleſtium gratiarum theſauri; ſiquidem *Humilibus Deus dat gratiam*. Porrò magna Dei mater S. Birgittæ revelavit: *Ut quid enim ego me tantum humiliabam, aut unde promerui tantam gratiam, niſi quia cogitavi & ſcivi, me nihil à me eſſe vel habere?*

5 *Ecce ancilla*. Sacra Scriptura Beatam Virginem

Pſ. 84. 13.

multis in occaſionibus terræ nomine appellavit: *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum*

Iſa. 45. 8.

ſuum. Benedixiſti Domine terram tuam: Et manifeſtius alibi: *Aperiatur terra & germinet Salvatorem*. Idque non ob aliud myſterium, uti ego quidem exiſtimo, quam ad infimam humilitatem ejus denotandam, cùm terra ſit omnium infimum elementum, ab omnium aliorum pedibus conculcatum, & hujus amplæ molis totius univerſi centrum. Enimvero univerſa terra, quanta quanta eſt, punctum quoddam eſt, & quidam minutiſſimi pulveris atomus reſpectu cœli; in hoc etenim ſunt innumerabiles totius mundi ſtellæ majores; Et tamen, quod valde obſervandum eſt, omnia alia elementa, cœli, omneſque eorum ſphæræ immenſæ circum terram, veluti in obſequium ejus vertuntur, benigniſſimos ſuper eam influxus ſuos depluendo, multoſque operationum ſuarum veluti totidem lineas in centrum iſtud terminant. Eodem modo videtur mihi dici poſſe, quòd quando Beatiſſima Virgo ſe in ſuum nihilum, veluti in centrum ſuum demiſit, eouſque ſe humiliavit, ut etiam ſerva & ancilla fieret omnium humillima: *Ecce ancilla Domini*; in eodemque momento cœlum ſibi ſubjecit, dum facta eſt Mater veri Dei Angelorum Regina, Imperatrix æterni Paradiſi. Hugo Cardinalis ſuper illa verba Pſalmi: *Veritas de terra orta eſt & juſtitia de cœlo proſpexit, id eſt, Chriſtus qui dicit* Joan. 14. *Ego ſum via, veritas, & vita; de terra,*

Pſ. 84.

id eſt, de beata Virgine, quæ dicitur terra propter ſuam humilitatem terra enim eſt humilius elementum; unde de ipſa dicitur in Iſaja: Aperiatur terra, & germinet Salvatorem, id eſt, appareat humilitas B. Virginis humiliter conſentientis verbis angelicis, & dicentis: Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum; & ſic concipiat Salvatorem; nam ut S. Bernardus affirmat: *Humi-*

par. 4. tract. 13. c. 21.

litate concepit. In officio quod in honorem B. Virginis quotidie recitamus, ſæpius replicantur verba illa: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuavitatis. In accubitu ſuo*: inquit S. Antoninus, *id eſt, in requie ſua, quaſi dormire videretur, & non curare de ſalute humana; omnes enim ad inferos deſcendebant, nardus mea dedit odorem ſuum*. Quænam obſecro, aut qualis herba iſthæc fuit, quæ tantam è ſe fragrantiam ſparſit, ut ipſummet Dei filium in terram pellicere & attrahere voluerit, qui de ſemetipſo dixit: *Ego flos Campi, &*

Cant. 2. 1.

lilium convallium. Herba parva eſt, inquit S. Archiepiſcopus, *& ſignificat Beatam Virginem humilem, quæ maximè dedit odorem ſuæ humilitatis, quando ſe totam Deo ſubmittens, & ſubjiciens ait: Ecce ancilla Domini, qui odor uſque ad cœlum aſcendit, & in cœlo accumbentem quaſi evigilare fecit, & in utero ſuo requieſcere*.

6 *Ecce ancilla Domini. Et ſi placuit* (inquit S. Bernar-

Hom. 1. ſuper miſſ.

dus) *ex virginitate, de humilitate tamen concepit*. B. Laurentius Juſtinianus verba illa à B. Virgine Maria in

De vita ſolit. c. 10.

Cantico ſuo dicta, nimirum: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, ponderans ita ſcribit. *Non ait, reſpexit virginitatem, non innocentiam, non virtutes cæteras, ſed humilitatem tantum, ut manifeſtaret, quantum præemineret reliquis, quantumque Deo placeret humilitas*. Idemmet S. Bernardus in ſermone quodam ſuper Cantica: *Quid eſt aliud Nardus mea dedit odorem ſuum, quam, placuit mea humilitas? Non mea ſapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erat mihi, ſed quæ ſola inerat humilitas dedit odorem ſuum.*

Ser. 42. in Cant.

Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, id eſt, in excelſo habitaculo ſuo, illic quoque humilitatis odor aſcendit, ut aliis, inquit, habitat & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Rupertus Abbas Tuitienſis hunc præfatum ſacrorum Canticorum textum gloſſa ſua dilucidans ſcribit: *Humilitas requies eſt mentis, & qui hanc invenit, ſine dubio requiem animæ ſuæ invenit. Ego in omnibus requiem iſtam quæſivi; & vidit Rex reſpiciens ubi nardi hujus ex me odorem ſenſit; vidit, inquam, quod requieſcere poſſet in ſuavitate anima quieta, id eſt, humilis; deſcenditque de illo accubitu ſuo, & requievit in tabernaculo meo. Hic requievit, hic habitavit totis novem menſibus, & cujus erat Dominus, ejuſdem ancillæ ſuæ factus eſt filius*.

7. *Ecce ancilla Domini*. Albertus Magnus optimè no-

In Luc.

tat, quod Maria *cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio, utrum videlicet ſibi congrua, quæ ſibi videbatur humilis & indigna; parvam autem ſe ſentiendo, ſe filiam David eſſe probabat; qui dixit: vilior fiam, & ero humilis in oculis*

2. Reg. 6.

meis. Quonam præcipuè tempore Davidi promiſſum fuit, quod Meſſias è ſtirpe ſua naſciturus eſſet nimirum quando in hac eadem occaſione humiliavit ſe coram Deo, licèt coronatus Rex eſſet. Hugo Cardinalis ait: *Quia ſe coram Deo humiliare non erubuit, mox promiſſionem filii Dei ex ſua ſtirpe naſcituri ſuſcipere meruit*. Ecce igitur qualiter *filiam David ſe eſſe probabat*, quando ad excellentiam & dignitatem maternitatis Dei exaltata nihilominus *vilior facta eſt coram Deo. Ancillam ſe Domini vocavit* inquit Salmeron, *cum eſſet ad matris Filii*

To. 3. tr. 9.

Dei dignitatem, quaſi ad convivium invitata; ſedit in ultimo convivii loco ex modeſtia animique ſubmiſſione ſeipſam deprimens atque humilians, ut ita digna haberetur, quæ aſcenderet ad primum honoratioremque locum convivii, & exaltaretur ſuper omnes choros Angelorum ad cæleſtia regna.

8 *Ecce ancilla Domini*. In atrio Caiphæ Pontificis unica ancilla ſolidiſſimam Eccleſiæ columnam & baſim corruere fecit, adeoque ſublimiſſimum illud Eccleſiæ ædificium miſerè concuſſit: at verè *Ecce ancilla Domini* hodie enim hæc ancilla Deum illum in lucem edit, qui Petro dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt*

Serm. 2. de Annunt.

adverſus eam. Unde optimè Guerricus Abbas: *Hodie ſapientia ædificare cæpit ſibi domum corporis noſtri in utero virginis, & ad ædificandam unitatem Eccleſiæ angularem lapidem de monte ſine manibus abſcidit, dum ſine opere humano de corpore virginali carnem ſibi noſtræ redemptionis ſeparavit*, Id quod eo momento adimpletum

fuit,

fuit, quo hæc prolata sunt verba: *Ecce ancilla*. Qualis igitur esse debet nostra confusio, quod dum Virgo ancillam se vocat, licèt mater Dei vera existat, dum filius ejus servum se profitetur, licèt sit Deus Majestatis infinitæ, seque velut ad palmi modicitatem constringit, nos miseri terræ hujus vermiculi, aliud nihil quam sublimari, superbire, superque terram dilatari satagimus, &c.

Cur Deus ante Incarnationem Virginis requisierit consensum: Et variæ instituuntur considerationes super verbum *fiat*.

DISCURSUS XIII.

Dixit autem Maria: Fiat mihi secundum verbum tuum.

1 INdubitatum quoddam sacræ literæ referunt axioma, illud nimirum, quod in solemni hac legatione è cœlo nobis ab Angelo adfertur, dicente: *Non est impossibile apud Deum omne verbum*; Id quod Psalmista quoque confirmat, dum ait: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit*. [Ps. 34. 6.] Et quidem si ita est; cur igitur Deus Incarnationem filii sui in Maria absolvere non poterat, nisi requisito prius desuper ejus consensu? quid hoc cœlesti nuntio, veluti Mediatore & Paranympho opus habebat? haud dubiè sicut ex costa Prothoparentis nostri mulierem sine ejus prærequisito consensu & beneplacito eduxit, eique in conjugem assignavit: *Ita ex immaculatissima* (inquit Salmeron) *Virginis carne absque ullo nuntio, nulloque Virginis expresso consensu poterat humanitatem Christi sanctissimam condere.* [Tomo 3. tract. 4.] Lucas Burgensis insuper adjungit: *Poterat in ea operari, quod vellet inscia, imo etiam invita.* Porrò Doctor Angelicus docet, [In Luc.] quod tametsi non fuerit absolutè necessarium consensum hunc exquirere, attamen valde id fuerit conveniens *Decuit*. Quia decentia supposita hanc cœlestem & Angelicam nuntiaturam expedire congruebat. [3. p. q. 40. art. 2.] Annuntiatio ad hoc totum esse necessaria videbatur, ut Virginis consensus haberetur. Porro variæ rei hujus convenientiæ a sacris expositoribus adducuntur in medium. Lucas Burgensis ait: *Non decuisse virginem fieri matrem, nec scire quæ proles esset aut unde*. Quod si enim Spiritus sanctus illam fœcundasset, nec tamen illi quicquam, quod ad hoc mysterium spectat, revelasset, meritò contristari potuisset, utpote ignorans, qua ratione sine virili opera concepisset: Item si qualitas prolis ei ignota fuisset, quali potuisset erga illam ferri amoris affectu, quando cujusnam ille partus esset, tanquam Patris penitus ignorabat? nec erat rationi consentaneum, ut in vita mater fieret: *Quis enim amor matris erga prolem incertam, incognitam, aut invitæ intrusam?* Præterea dicit Salmeron Christum voluntatem Mariæ solicitare voluisse, priusquam ejus filius fieret: *Ut liberè & sponte, neque coactus mysterium hoc efficere videretur, non casu vel necessitate; Non ergo ita videretur esse ex Dei consilio & amore, quo nostrum amorem Deus exprimere atque extorquere volebat.* Doctor Angelicus dicit, quod *decuit B. Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura, ut servaretur congruus ordo conjunctionis Filii Dei ad Virginem, ut prius scilicet mens ejus de ipso instrueretur, quam carne eum conciperet*. Adducit quandam ex S. Augustino auctoritatem, qui lib. de Virginitate scribit: *Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christum corde, quam carne gestasset*. Prætereà hanc autem, alia quoque valdeque aptam rationem adducit, nimirum, quod Incarnatio filii Dei fuerit sponsalitio cuidam persimilis, quod inter duas hasce naturas divinam & humanam Deum & hominem contrahitur: *Egredimini & videte filiæ Syon Regem Salomonem in diademate coronatum, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius.* [Cant. 3. 11.] *Per annuntiationem*, inquit Sanctus Thomas, *expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ Naturæ*. Aliam rationem Lucas Burgensis adducit, nempe hanc: *Quia Incarnatio filii Dei eo tendebat, ut corrigeret hominum voluntates, & charitatem erga Deum accenderet, oportuit inprimis, ut mater Filii Dei summa erga eum charitate ferveret, quod fieri non potuisset, nisi præscivisset, quem qualemque filium, & quomodò esset conceptura, in illiusque conceptum simul & in modum concipiendi consensisset.*

2 Verum enimvero cum in hac legatione de negotio quodam agatur summe arduo, cui simile nunquam auditum est sive in cœlo, sive in terra, ac proinde à Chrysologo haud immeritò denominatum. *Negotium omnium sæculorum*, in quo sub libræ cujusdam veluti trutina vita & salus totius generis humani, ipseque ad Patriam Paradisi aditus sub deliberatione hærebat, cumque Angelus suum cum B. Virgine habitum discursum in longum usque producat, nec tamen eadem B. Virgo sese adhuc per verbum affirmativum resolvat, ideoque universum cœlum, & terram de felici magnæ hujus legationis successu solicitam in suspenso teneat, ipsa nimirum difficultates bene multas interponente: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* multi sacri Interpretes quoad hoc Virginis responsum, tot votis & suspiriis expetitum, valde anxii, beatissimam Virginem ad hoc resolutivum *Fiat* per varia affectuosa motiva excitare studuerunt. Et in primis quidem hac in re valde industrium se probavit Sanctus Bernardus B. Virginem hisce verbis affatus: *Ecce affertur tibi præmium salutis nostræ; statim liberabimur, si consentis; in sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes & ecce morimur; in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur.* [Hom. 4. sr. per miss.] Hoc *Fiat* à te primus noster Parens cum universa sua humana progenie non solum à terrestri, verum etiam à cœlesti Paradiso exulante solicitè exquirit. Pro hoc *Fiat* omnes Prophetæ & Patriarchæ, nostrique ipsissimi Genitores, qui in Abrahæ sinu carcerati existunt conjunctim tibi & enixè supplicant. *Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat.* Nos quoque, (ita Angelus meritò dicere debuisset) *Fiat* istud anxiè suspiramus, ut post tot elapsa sæcula ruinarum nostrarum restaurationem videre, teque in cœlo Empyreo velut Reginam, & Imperatricem nostrorum venerari valeamus. *O Domina responde verbum, quod terra, quod inferi expectant & superi.* Æternum quoque Patris cœlestis Verbum pulchritudine tua inescatum & captum, *Fiat* istud impatienter expectat, ut in visceribus tuis incarnari possit; unde attende hanc de cœlo resonantem vocem: *O pulcherrima inter mulieres, fac me audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem tuam.* Ita scribit, seu verius piè meditatur Hugo Cardinalis; imò verò dicere potuisset: De tua quoque o sanctissima Virgo, salute & Redemptione agitur, quam tot suspiriis & lachrymis à Deo postulasti. Quoties enim una cum aliis Sanctis omnibus hunc Messiam suspirasti, dicendo: *Veni, & noli tardare?* ac proinde dic todes nobis: *Tune es illa, cui hoc promissum est, an aliam expectamus? vox dilecti mei pulsantis*, inquit ad te Pater æternus: *ego sto ad ostium, & pulso*, dicit Filius: Spiritus verò sanctus dulcibus hisce te verbis inclamat: *Aperi mihi soror mea sponsa.* Agedum igitur breve illud verbulum, *Fiat*, citò proferto, quocum cœlum pariter & terram lætificabis, confundes Infernum, peccatum prosternes, ipsique morti conciliabis mortem, denique fœtu, quem conceptura es, mediante, universum redimes genus humanum. *Responde verbum, & suscipe verbum* (inquit Sanctus Bernardus) *profer tuum, & concipe Divinum, emitte transitorium, & complectere sempiternum. Quid tardas?* (sunt verba Hugonis Cardinalis) *quid trepidas? crede, confitere, & suscipe; sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Aperi B. Virgo cor fidei, labia confessioni, viscera creatori.* Sanctus quoque Augustinus sanctissimam per orationes & precum instantias, ad placet suum exprimendum solerter invitat, dicens: [Ser. 18. de sanctis.] *O beata Maria sæculum omne captivum tuum deprecatur assensum; te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit, noli morari Virgo; nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium.*

3 *Dixit autem Maria ad Angelum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ubi Salmeron ait: [Tomo 3. tract. 9.] *Audita diligenter Angeli Annuntiatione, Dei potentiam ac voluntatem oculis fidei spectans, & mundi jam perditi redemptionem ac reparationem sitiens, tota in seipsam descendens, promptam se pro gloria Dei obtulit ad omnes Divinæ Majestatis voluntates dicendo: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum*

tuum

Conc. 1. de annun.

tuum. Beatus Thomas *Fiat* illud, quo mundus creatus fuit, & hoc *Fiat*, quod hodie B. Virgo protulit, in bilancis æquilibrio statuens, exclamat : *O Fiat potens ! ò fiat efficax ! o fiat super omne fiat, perpetuo honore venerandum ! Hoc verbo fiat, factus est mundus, hoc verbo cœlestia terrestriaque Altissimus condidit ; sed tale fiat non sonuit in Orbe, quale nunc tu beata dixisti.* Beatus Laurentius Justinianus admirabiles, quos Verbum istud, *Fiat*, produxit, effectus considerans ait : *Isto unico responso complevit cœlum gaudio ; Angelis omnibus exultationem præbuit, captivo sæculo spem dedit, Dæmones universos exterruit, adstantem lætum fecit nuntium, & detentis in inferno Patribus libertatis gratiam repromisit.* Enimvero sanctissima Virgo, *Fiat* istud proferendo, plus meruit, quàm omnes aliæ creaturæ, quæ unquam ab omnipotente & sapientissima Dei dextera processerunt, hæ enim non pertigerunt ulterius, præterquam ad promerendam beatitudinem ; virgo autem per hoc solum, quod facta est mater Dei, omnes in gratia, donis, meritis, & gloria superexcessit, ipsamque cœli terræque monarchiam promeruit.

Hom. cit.

4. *Fiat mihi de Verbo, secundum verbum tuum* (inquit Sanctus Bernardus) *Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum; Fiat obsecro mihi verbum non prolatum quod transeat sed conceptum, ut remaneat ; carne videlicet indutum, non aere ; nec fiat mihi verbum scriptum & mutum, sed incarnatum & vivum. O felix obedientia* (inquit Sanctus

Serm. cit.

Augustinus) *ò insignis gratia, qua dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporavit.* Guerricus Abbas

Ser. 2. de ann.

hoc Virginis responsum etiam considerans, dicit : *Hoc dicere, sic suam devotionem offerre, istud planè est Domino pectus aperire, istud est & os aperire, & spiritum attrahere*, quia post verbum illud prolatum immediatè in sacra ejus viscera se insinuavit Spiritus sanctus,

In Luc.

Unde Sanctus Bonaventura ait : *Hæc est vox dulcissima hominibus, Angelis, & ipsi sponso ; Sonet vox tua in auribus meis ; vox enim tua dulcis : quod fecit, cum dixit Angelo : Fiat mihi secundum verbum tuum : Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro mea.* Ad prolationem autem hujus Verbi *Fiat* verbum æternum in Virginis uterum descendens, nostra se mortalitate induit:

In Luc.

Unde Dionysius Carthusianus ait : *Quibus prolatis immediatè unigenitum Patris æterni concepit ; itaque in instanti Spiritus sanctus ex ejus purissimo sanguine corpus formavit, & perfectè ad membrorum distinctionem organizavit : item in instanti anima Christi est creata, carni unita, atque utrumque verbo Hypostatica seu personali unione est conjunctum.* Unde concludit, quod hæc omnia simul in unico instanti facta fuerint, nimirum : *Sanguinis separatio, consolidatio, figuratio, animatio, Deificatio. Quatuor miracula facta fuere*, (ita Didacus Stella meditatur) ad hujus verbi *Fiat* prolationem ; nimirum conceptio corporis Christi ex virginali sanguine, creatio animæ Redemptoris ex nihilo, ejusdemque cum sacratissima humanitate unio, ac demum naturæ nostræ ad Verbum, id est, divinam naturam assumptio.

5. *Fiat mihi* (inquit S. Augustinus) *dubium autem non est, quin cœlestium gaudiorum & æternæ dulcedinis miram atque inenarrabilem suavitatem Virgo conceperit, quando illud æternum lumen, cum toto majestatis suæ fulgore in eam descendit, & quem non capit mundus, totum se intra Virginis viscera collocavit. Audacter pronuntio, quod nec ipsa quidem explicare potuit, quod capere potuit.*

In Luc.

6. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Cajetanus inquit : *Prudentia simul, & modestia loquendi comprehenditur in hoc, quod brevissimo sermone, & universa nuntiata complectitur, & Angelum, qui nuntiavit, honorat.*

De immenso amore, quem Christus in Incarnatione sua nobis monstravit.

DISCURSUS XIV.

Conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine ; & homo factus est.

1. INcarnationem unigeniti Filii Dei in utero Virginis Mariæ consummatam, verum fuisse ardentissimi amoris, quo Deus nos prosequitur, partum, nemo est, qui in dubium revocare possit. Unde Verbum incarnatum, opera Spiritus sancti, qui totus amor est, conceptum fuit. Ac proinde venerabilis Rupertus Abbas Tuitiensis justam causam habuit, ut ad B. Virginem conversus, illa Canticorum verba sibi usurparet, dicendo : *Anima tua liquefacta est, cum Deus Pater cum illo amore suo Spiritu sancto, substantiam verbi sui tuæ menti, tuo ventri penitus insereret.* Et quidem quis est, qui nesciat, solum amorem fuisse, qui Patrem, ad eum pro nobis redimendis dandum, stimulavit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Una ex iis rationibus, quas Richardus à S. Victore in medium attulit, cur Verbum specialius præ cæteris personis Divinis, carnem assumeret, fuit immensus amor illius (*Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis ; tu majorem habuisti Domine, ponens eam pro inimicis.*) Ac proinde mentem hujus auctoris auscultare non pigeat. Etenim licet verum sit, quod homo per suam transgressionem omnes tres personas vehementer offenderit, nostro tamen intelligendi modo, specialius Filio, cui Sapientia attribuitur, injurius fuit, quando ex Serpentis instinctu & suggestione dicentis : *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum* : hanc sibi Sapientiam arrogare præsumpsit. Ecce igitur qualiter Verbum Voluerit hominem confundere, bonum illi pro malo reddendo, dum è cœlo in terram, ut illatam sibimet offensam sanguine suo deleret, descendere voluit Tempus quoque singulariter ponderandum est, quo incarnari elegit : *Ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum* ; id est, quando malitia hominis ad summum usque apicem pervenit : Ita enim textum illum declarat S. Bernardus, dum ait : *Nimirum plenitudo & abundantia temporalium, oblivionem fecerat æternorum*, ut verificaretur, quod, *ubi abundavit delictum superabundavit & gratia.* Poterat quidem Deus pro Redemptione nostra de cœlo Angelum quendam in terras ablegare, vel etiam hunc in finem publicare generalem quandam amnestiam seu Indulgentiam plenariam : at verò prout Centurioni sanitatem servi sui ab eo efflagitanti dixerat : *Ego veniam & curabo eum, visitavit nos oriens ex alto* ; ad nos sanandos in propria persona venire voluit. Eliseus quondam Giezi servum suum misit, ut baculum suum defuncto Sunamitidis filio super imponeret ; verum irrito prorsus & casso eventu ; ac proinde ipsemet Propheta in persona ad Sunamitidis hujus domum se recepit, & incurvans se super defuncti pueri cadaver, ita ut os ejus, manus manibus, oculos oculis conjungeret, hacque ratione extinctum cadaver vitæ omnino restituit. Ecce tibi insignem amoris excessum, quem Deus ille nobis exhibuit, qui *exultavit ut gygas ad currendam viam.* Non obstante enim, quod pro ejus immensitate capienda amplissimæ quoque cœlorum sphæræ incapaces existerent, semetipso teste, qui dicit : *Cœlum & terram ego impleo* : attamen suadente infinito amore suo, quo erga nostram ferebatur salutem, in locum quasi unius palmi, id est, in uterum virginis ingrediendum se contraxit, infinitatem suam abbreviavit, suamque Majestatem demisit. *Formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo* ; adeoque minoratus est, ut dicere non dubitarit : *Ego autem sum vermis & non homo.* Et quidem tametsi Angelus ad Mariam dixerit : *Hic erit magnus*, per hoc tamen, ut ego quidem opinor, indicare tantum voluit, eum talem futurum in suo erga nos transcendenti amore. Unde sanctus Bernardus scribit, quod *quantitas cujuscumque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet, ut quæ multum habet charitatis, magna sit.* Neque enim Angelus dicere voluit, eum magnum futurum, novos fabricando mundos, in immittendis diluviis, in prosternendis & dissi-

Lib. 2. in Cant.

Joan. 3. 16.

Gal. 4. 4.

Serm. in dom. 1. adventus.

Rom. 5. 20.

4. Reg. 4.

Serm. 27. in Cant.

dissipandis monarchiis: sed potius in amando hominem, in ruinis nostris restaurandis, in participando nobis tuam Divinitatem. *Solus amor est*, inquit sanctus Augustinus, *qui nomen difficultatis erubescit*. Hic ejus infi- Ser 48. de tempore. nitus amor omnes difficultatum obices & obstacula, quæ in Sacramento aliquo tam alto & imperceptibili, cujusmodi erat, quod Deus homo fieret, & homo Deus, occurrere poterant, submovit. Unde si meum suisset huic objectioni Marianæ: *Quomodo fiet istud*, respondere, respondissem utique per illa sancti Augustini verba: *solus amor est*, *&c.* Veruntamen dum Angelus subjungit: *Spiritus sanctus superveniet in te*, idipsum fortasse dicere voluit, futurum scilicet esse, ut cum divinis spiritus charitas & amor sit; omnia pariter obstacula vincat, solusque operetur hoc totum, quod humano judicabatur difficile, ne dicam impossibile esse. Revocetis obsecro in præsenti proposito ad memoriam id, quod in san- Luc. 15. 8. cto Luca de muliere illa scribitur, quæ cum ex drachmis decem unam amisisset, accendit lucernam, eamque adhibuit donec amissam drachmam recuperaret. Porrò per drachmas novem, quæ in bona securitate remanserant, novem significantur chori Angelici. Drachma autem deperdita, innocentiam præfigurabat hominis, per peccatum prothoparentum nostrorum deperditi. Hanc igitur ut reinveniret sapientia æterna, lucernam accendit, id est, ad carnem nostram mortalem assumendam Psal. 118. 105. accinxit: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, ad illuminandum nos: *Illuminare his qui in tenebris*, *& in umbra mortis sedent*. Sed quonam modo everrit totam domum? quænam obsecro esse poterat major omnium rerum susque deque inversio, quam quod Deus æternæ majestatis vilissimus fieret vermis, quod Virgo de Spiritu Sancto concipiens, pareret, virginitate sua intacta & illæsa permanente, quod intra viscera ejus vir quidam recluderetur maturus & perfectus: *Fœmina circumdabit virum*; quod fragilitatem nostram suæ jungeret immortalitati, æternitatem tempori, quodque conciperetur ille de quo scribitur: *Ante luciferum genitus*, *& ante sæcula*? *Evertit domum*, quia ut inquit sanctus Bernardus: *Longitudinem fecit brevem*, *latitudinem angustam*, *altitudinem humilem*, *profunditatem planam*. *Evertit domum*, *quia lucem fecit non lucentem*, *verbum infantem*, *fontem sitientem*, *panem esurientem*. Eequis autem res inter se ideo procul distantes unire poterat, præterquam solus amor? *Solus amor est*, *qui nomen difficultatis erubescit*.

2 Psalmista ad Incarnationem alludens dicit: *In sole*
Ps. 18. 6. *posuit tabernaculum suum*; *& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Non instar solis, sed instar sponsi ipsum egredi dicit: hæc etenim est inter utrumque differentia, quod sol de cœlo quidem procedat, non tamen recedat è cœlo; non verò sic sponsus, hic etenim ut sponsæ suæ jungatur, necessum est, ut patriam suam, parentes, & amicos suos derelinquat: *Relinquit patrem & matrem suam*, *ut adhereat uxori suæ*. Videbatur quidem, quod solis metaphoram prosequi debuisset, & dicere ipsum instar solis ab utero Mariæ egressurum esse, hoc tamen non facit Psalmista, sed dicit ipsum instar sponsi fuisse egressum, ut tanto vivacius suum erga nos amorem nobis demonstraret, per quem huic nostræ naturæ desponsari voluit. *Vergente mundi vespere*, ita canit sancta mater Ecclesia, *uti sponsus de thalamo egressus honestissima virginis matris clausula*. Relicto enim, ut ita dicam, sinu paterno, in virginis cujusdam uterum descendere voluit, & in assumpta carne in unam quasi massam nobiscum redigi: *Verbum caro factum est*, *& habitavit in nobis*. Non dicit *cum nobis* vel nobiscum, *sed in nobis*, id est, in hoc Incarnationis sacramento intra nos invisceravi voluit, sicut & in Eucharistica communione, utpote quæ quædam est sacramenti Incarnationis extensio.

3 Albertus Magnus varias super ingens hoc mysterium instituit considerationes, & inter alia scribit: *Possumus autem in hoc notare tria*, *tantam in Domino majestatis ad nos charitatem*, *compassionem*, *& in miseriis nostris ei esse delitias*. Hæc autem tria suam ab ardentissimo erga nos amore trahunt originem: *Tu ad liberandum suscepturus hominem*, *non horruisti virginis uterum*. Sinum Patris cum sinu mulieris cujusdam, cœlum Empyreum, cum hoc valle lachrymarum commutavit; & hoc quidem tanto cum affectu fecit, ut uterum Virginis cœlestem quandam Paradisum æstimarit. Unde sanctus Petrus Damianus ait: *Locum voluptatis* Ps. 18. 6. *uterum Virginis Mariæ intelligo*. *Exultavit ut gygas ad currendam viam*, *à summo cœlo egressio ejus*. Enimverò adeo erat in desiderio assumendæ carnis nostræ, omnis moræ impatiens, ut Angeli reditum nequaquam expectarit, imò illum ejusque legationem prævenisse dici possit. Unde Sanctus Thomas dicit: *Jam au-* In cat. *tem erat cum Virgine*, *qui ad Virginem mittebat Angelum*, *& præcessit nuntium suum*. Idemmet Albertus Magnus pariter ponderavit, dum ait: *Sed mirum admodum est de dictis Angeli*, *prævenit ad salutandam Virginem ex Domini sui parte*, *& innuit prævenisse Dominum etiam ipsum celerem adventum nuntii*; cujus consentaneam proposito nostro reddit rationem, dum ait: *Amanti omnis velocitas tarda est*; *ideo reditum nuntii* Ps. 17. 10. *non expectat*, *qui renuntiet de consensu*. *Inclinavit cœlos*, *& descendit*. Genebrardus ait: *Celeritatis studio non eos aperuit ad descendendum*, *sed inclinavit secum*, *& in terras traxit*. Sanctus Bernardus super Ser. 53. in Cant. illa Canticorum verba: *Saliens in montibus*, *transiliens colles*; ita scribit: *Denique transilut & Gabrielem*, *& pervenit ad Virginem eodem Angelo testante*; *Ave gratia plena*, *Dominus tecum*. *Quid? quem modo reliquisti in cœlo*, *nunc in utero reperis? quonam modo? volavit & voluit super pennas ventorum*. *Victus es o Archangele*; *transilut te*, *qui præmisit te*. Sanctus Au- Serm. 27. gustinus per os Archangeli ita quoque Mariam alloquitur: *Usquequo moraris*, *ò Virgo*, *nuntium festinantem? intuere Dominum Deum in cœli me vestibulo sustinentem*. Verum inquies, quamobrem sanctus hic præsul Hipponensis Archangelum nuntium appellat festinantem? imò qui quinquies millenis annis Incarnationem suam distulerat, cur nunc Archangelo arduum hoc negotium tractante, tantam in se prodit solicitudinem? sciendum est etenim in supremo illo Consistorio tale quidem emanasse decretum, ut videlicet in illo temporis momento verbum carnem nostram assumeret, & non ante: at verò mox ut tempus illud affulsit, adeo se omnis moræ impatiens exhibuit, ut in cœli vestibulo constitutus illud: *Fiat mihi* anxiè expectarit. *Nec mora*, inquit Sanctus Augustinus, *revertitur nuntius*, *& nuptialem thronum ingreditur Christus*. Quadraginta dierum tempus quod aliis fœtibus assignatur, priusquam anima ad corpus animandum infundatur & creetur, sibi vendicare renuit, imò eodem illo instanti, anima ipsius creata, & sacratissimæ suæ à Verbo assumptæ humanitati unita fuit. Unde pulchra est illius non spernendi auctoris consideratio, quod videlicet, dum quis locum aliquem, in quo sibi diu commorandum est, abhorret, prouti carcerem abominari solemus, ad illum accessurus non properet, sed tardissimè & quasi pedetentim ad illum accedat; unde si tempus eum locum accedendi in ejus sit positum electione, eò non maturino diluculo; sed sub crepusculum vespertinum contendere solet: Et tamen licèt Deus optimè sciret se in uterum Virginalem, velut in carcerem quendam, novem mensium spatio, recludendum esse; Virginis tamen uterum non abhorruit, quia *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum*, Virginis responsum non est prestolatus, sed horam illic se recipiendi prævenit, quia *Amanti omnis velocitas tarda est*.

4. *Ingeniosus amor*. Anima quidem beata Christi, quæ corpori illius infundebatur, quatuor quidam gloriosi corporis dotes, & consequenter impassibilitatem in illud simul infundere debuisset, sed quia hoc ipsum ejus impedivisset Passionem, ideo primum quod ad nostram utilitatem operatus est miraculum, hoc fuit, quod beatitudinem in superiori animæ portione suspenderit, ne illa pariter ab anima transmitteretur ad corpus? Et quia, ut Sanctus Ambrosius In Ps. 118. ait: *Habet clavum suum charitas*, ideo in ipsamet sua Conceptione Passionem suam exordiri voluit. Unde sicut per Divinitatem, quam à Patre habebat, ad condonandum & remittendum nobis peccata nostra venerat: ita quoque per humanitatem suam & corpus, quod assumpserat à matre, se, ad patiendum pro nostra salute, disposuit; Ideoque S. Bernardus nos ad huic amori correspondendum seriò hortatur, dum ita scribit. *Verus Deus & Dei filius incarnatus! sed quo fructu; nempe ut omnes* Ser. 3. de Ann. *ejus paupertate locupletemur*, *ejus humilitate sublevemur*,

ejus

ejus mineratione magnificemur, ejus Incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. Ehem quot Angelos ex omnibus Choris, Principatibus, Dominationibus, Potestatibus, Cherubinis & Seraphinis in abyssum irreparabiliter sine ulla redemptionis securæ spe præcipitari permisit, & tamen pro hoc luto miseri hominis, ipse quoque eodem se luto vestire voluit. Imò cum ipsos maligna eos ob assumptam nostram (nam: *Nusquam Angelos apprehendit sed semen Abrahæ*) rodente invidia rebelles futuros esse sciret, non tamen ob id, se ab Incarnatione complenda revocari permisit, aut in nostra carne nobiscum conjungi destitit. Unde Serm. de Annunt. Guerricus Abbas ait: *Nescio si ulla esse possit efficatior ac suavior morum ædificatio, quam hujus mysterii, id est, Verbi incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quam præveniens hominem amor Dei, tamque vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri. Quid autem ita nutrit amorem proximi, quam similitudo & natura proximi in humanitate Dei?*

In decursu Historiæ Evangelicæ de Annuntiatione variæ considerantur moralitates.

DISCURSUS XV.

Et cogitabat qualis esset ista salutatio.

1 EXemplo beatissimæ Virginis invitamur quasi, ut super Salutationem Angelicam seriò nos reflectamus, id enim facientes in ipsa Evangelii textuali litera, documenta inveniemus expressa, eaque omnia nobis valde salutaria, prouti examinanti facile patebit.

2 *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth.* Poterat equidem increata Sapientia hanc legationem in solitudinis cujusdam pauperculam domum ablegare, id tamen non fecit, sed Angelum hunc ad Civitatem quandam licèt modicam dimisit, idque ut advertit Hugo Cardinalis: quia *Civitas dicitur quasi civium unitas. Rectè ergo in civitate concipi voluit Dominus, quia omnes homines ad unitatem Ecclesiæ reducere veniebat.* Neque Civitas ista sine mysterio *Nazareth*, quæ *florem sonat*, denominatur; nam ut Didacus Stella inquit, *Cum ipse sit, qui in Canticis alloquitur sponsam dicens; ego flos Campi; non hortorum, quia flores hortorum humana diligentia & industria nascuntur; at Christus nullo opere interveniente viri, sed Spiritu sancto conceptus est. Secundo flos campi omnibus patet, sicut Christus omnibus carnem assumit, & omnibus seipsum præbet.* At verò Theophylactus ad interpretationem Interlinearis alludens, dicit: *In Nazareth, quia Nazaræus, id est, Sanctus sanctorum nuntiabatur futurus: in loco sancto fit Salutatio, hoc est in Nazareth; ubi enim Deus, ibi nihil impurum, nihil non sanctum.*

3 *Ad Virginem desponsatam viro.* Legatio isthæc adeò solemnis ad virginem quandam privato cuidam homini desponsatam destinata fuit. Quis autem cœlestem hunc legatum in aliqua regia seu præcellenti palatio quieturum esse non credidisset? maximè quando præcipuum legationis istius caput in hoc consistebat, ut per illam de cognatione inter cœlorum Monarcham & hominem condenda tractaretur? Veruntamen nihil Jo. 1. 40. est verius, quàm quod *excelsus Dominus in altis habitat & humilia respicit*; ideoque in totius Palestinæ minimam civitatem ingredi voluit. *Nunquid à Nazareth potest aliquod boni esse?* Ibidemque sub pauperculum quoddam sanctæ Dominus Lauretanæ tectum se recipiens, tam in Conceptione quàm in Nativitate, probare voluit, nullam sibi esse pompæ aut fastus humani curam. In modica & paupere civitate concipi & nasci voluit, in civitate autem ampla & potente, id est, Hierosolymis amittitur, & ad mortem condemnatur. *Quid hoc?* inquit Hugo Cardinalis, *nisi quia salus in humilitate custoditur, in sublimitate periclitatur? flos enim in alto ventis expositus non durat.* Etenim multi Deum in statu privato concipiunt, quem in apice honoris, & deliciarum affluentia constituti miserè amittunt.

4 *Ingressus Angelus ad eam.* Ubi Cajetanus dicit: In Luc. *Ex hoc, quod describitur ingressus, ambulatio? ex hoc vero, quod ad eam, locus propria mansionis significatur; hoc est, quod non in via occurrit, non in synagoga moranti apparuit, sed ad eam intus in propria mansione manentem ingressus est. Turbatur*, inquit S. Ambrosius, Lib. 2. de Virg. *quasi viri specie mota; trepida quasi non incognitum audito nomine recognovit.* Non dubito equidem, quin unusquisque vestrum devota quadam, hodierna die, ambitione duceretur, ingrediendi ad Beatissimam Virginem, ad debitas illi gratias reddendas, eo quod magna Dei Mater effecta damna nostra restauravit. Verum adverte, inquit Hugo Cardinalis, quod *si vis ad Virginem ingredi, & eam salutare, oportet te esse Angelum.* Verum inquies, qua ratione possibile esse poterit, ut ad hanc conditionem Angeli perveniamus? Ergone quia Angeli non sumus, excludendi erimus? minimè gentium, nam *Angelum te faciunt potissimum puritas, charitas, humilitas.* Quodsi desideramus, ut Deus cor nostrum subingrediatur, ad imitationem Beatissimæ Virginis, solitudinis secretum recessum amare debemus. *Ducam eam in solitudinem & ibi loquar ad cor ejus.*

5 *Ave gratia plena Dominus tecum*; hæc fuerunt salu- To. 3. tr. 3. tantis Angeli prima verba. *Rectè*, inquit Salmeron, *postquam dixit gratia plena, statim subjunxit, quia Dominus tecum, quia ubi gratia non est, ibi Deus non est.* Idem quoque Didacus Stella dicit: *Expende, quam rectè subdiderit Angelus, Dominus tecum, postquam dixit gratia plena; quia quemadmodum sine Deo nihil possumus facere aut habere, ita nec sine eo acquisita conservare: ideo post datam gratiam necesse est, ut nobiscum adsit, ut custodiat, quod ipse dedit.*

6 *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Per quod nos instruere voluit, quòd ante omnia, magna cum cautela parendum sit huic monito: *Probate spiritus an ex Deo sint.* Tract. 9. Didacus Stella super illa verba: *Cogitabat, qualis esset ista salutatio*, ait: *Noverat namque Virgo beata, Sathana angelum, in Angelum lucis aliquando se transfigurare: ideo antequam responderet, prudenter consideravit, quid hoc esset, juxta illud, quod Joannes monet, dicens: Nolite credere omni spiritui, sed probate, an ex Deo sint. Imitanda est nobis Virgo*, inquit Salmeron, *primum quidem in discernendis & probandis spiritibus, deinde postquam certi sumus Deum esse, qui præcipit vel suadet, non esse retardandum vel excusandum, aut labor fugiendus.* Vel etiam ex hac Mariæ turbatione aliud quoddam à Richardo à S. Laurentio traditum documentum discere possumus; Hic enim ait: *Consilium Mariæ fuit, ut* L. 2. part. 3. *quando laudamur, terreamus magis, quam exultemus & cogitemus, utrum dignè vel indignè, sicut ipsa cogitabat, qualis esset ista salutatio.*

7 *Ne timeas Maria*, inquit Angelus; *Invenisti enim* In coi Divi Thom. *gratiam apud Deum. Qui autem apud Deum mereretur gratiam, non habet quod timeat: Unde sequitur: Invenisti enim gratiam apud Deum. Qualiter autem quisque reperiet, nisi humilitate mediante? Humilibus enim dat Deus gratiam.* Albertus Magnus super hæc verba: *Gratiam invenisti apud Deum*, ait; *Ecce ubi reposuit in tuo, quia qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam* In Luc. *Deus sprevit illos; qui enim gratiam non reponit apud Deum, fatuus est.* Multi quærunt gratiam, inquit Didacus Stella, non tamen illam, de qua vel maximè curandum est. *Multi quærunt gratiam, non apud Deum sed apud mundum, cujus certe gratia, & mendax & fallax est.*

8 *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob.* Porrò in quonam Deus noster regnaturus sit, Theophylactus nobis sequentibus verbis declarat *Ille cum benefaceret*, inquit de Davide, *persecutionem patiebatur, & Dominus quoque miracula faciens, accusabatur, & lapidabatur; ille per mansuetudinem vicit & regnavit, & Dominus per mansuetudinem suscepta cruce regnavit.* Ecce tibi animas illas specificatas, in quibus Filius Dei regnum Davidis patris sui est habiturus, in illis nimirum, qui cum virtuosè vixerint, passuri sunt persecutiones, & tamen bonum pro malo reddituri. Salmeron aliam expositionem adducit, dum ait: *Qualitas regni Christi in illa Davidis sede* Jo. 3 tract. 6 *delineata fuit; nam ut ille regnavit super eos, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno & amaro animo, & factus est eorum particeps; ita regnum Christi con-*

flatur ex hominibus qui per pœnitentiam peccatorum amaro sunt animo. Regnabit in domo Jacob. Lyranus hunc in modum exponit, dum ait: *Interpretatur Jacob supplantator; in illis enim, qui supplantant passiones inordinatas & vitia, regnat Christus.* Denique Guerricus Abbas accuratè observat, festum hoc communiter in Quadragesima vel in Paschate occurrere, idque, *ut qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali, & quos humiliavit pœnitentiæ luctus, annuntiatio illius, qui tollit peccata mundi, consoletur.* Verum enimvero utinam multi non sint de eorum numero, de quibus idemmet scribit: *Annuntiatur salus perditis, & contemnunt; promittitur vita desperatis, & negligunt; venit Deus ad homines, & non assurgunt.* Deus de cœlo in terra in hunc finem descendit, ut novem mensibus in utero Mariæ recludatur, ut triginta tribus annis pro salute nostra patiatur, & non est, qui recogitet. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Quanto unigenitus Dei in hac Incarnatione, magis se propter nos exinanivit, tanto se nobis amabiliorem honorabilioremque fecit, & tanto plus ei regratiari ac deservire condignè tenemur.*

Ser. 1. de Annu.

In Evang. Annu.

9 Adhæc S. Augostinus modum nos docet, quo nos quoque Divinum hoc Verbum spiritualiter concipere valeamus, id est, mediante continentia: quia ipse est, qui *pascitur inter lilia: Portemus & nos in casto corpore, quem Virginis casta membra portaverunt: Christus enim magister est castitatis, & ideo, qui castitatem non habet, portare Christum non potest.* Multi quidem Salvatorem spiritualiter concipient, dum videlicet Angeli custodis sui annuntiationem, ejusque imitationes & inspirationes internas, ad mutandam vitam & mores, veramque faciendam pœnitentiam, attenta aure auscultant, veruntamen quot econtra erunt, qui facturi sunt abortum dicendo: *Quomodo fiet istud?* Quomodo mihi possibile erit hisce voluptatibus renuntiare, hisce emolumentis & lucris iniquis valedicere; ab hac lubrica societate avellere? Etenim quisquis es, qui hæc dicis, ne despondeas animo, siquidem Divina gratia omnia potest. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi. Omnia possum in eo, qui me confortat* dicebat Apostolus: *Ne timeas, invenies gratiam apud Deum. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Venit peccatores salvos facere.* S. Bonaventura pulchrum nos Divinum hunc partum concipiendi modum edocet, dum ait; quod dum cor aliquod vel præmio æterno, vel perpetui supplicii timore, vel in hac lachrymarum valle, diutius vivendi tædio excitatum & exstimulatum inspirationibus internis visitari incipit, ideoque sanctis inflammatur desideriis, relictisque peccatis & vita dissoluta, quam antea ducebat, sese emendare, veramque pœnitentiam agere decernit, tunc per Spiritus sancti assistentiam, Christum interius concipiat, tunc virtus Altissimi talem animam obumbret, id est, ab omnibus inimici insultibus, defendat & protegat, ut deinceps sanctas cogitationes & proposita sua prosequi valeat, ardores quoque sensualitatis mitiget, serenetque internos animæ oculos. Tali quoque idem accidit, quod corporaliter gravidis evenire solet, scilicet pallor in vultu, cibi fastidium, rerum diversarum appetitus, & infirmitas corporis. Porrò pallor hic, est humilitas in conversatione; cibi fastidium est mundi totalis contemptus. Diversarum rerum appetitus sunt bonorum propositorum, quæ exequi decrevit, principia; Languor spiritualis est propriæ voluntatis mortificatio. Quibus omnibus talis anima, tum ob commissa peccata sua, tum ob tempus amissum, salubriter affligitur, cumque se in hac vita tot malis stipari conspiciant, suspirat alteram. Ab hoc autem Divini partus conceptu nascitur cœli desiderium, & totalis mundi contemptus, quia mox ut incipit degustare suavitatem spiritus, *desipit omnis caro.* Totum hunc discursum Granatensis in suis meditationibus è Bonaventura desumptum adducit.

Ser. 27. de temp.

De quinque fest. pueri Jesus.

Ostenditur dotem, quam Virgo in hoc sponsalitio cum Deo in Incarnatione contracto secum attulit, fuisse varias & admirabiles ejus virtutes.

DISCURSUS XVI.

Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem desponsatam viro.

1 TAmetsi inter Deiparam Virginem & sanctum Josephum verum matrimonium intercesserit, indubitatum tamen est, uti Sanctus Angelus satis declarat, per Spiritum sanctum eam hoc cœlesti partu fœcundari debuisse. Unde alibi Incarnationem, veluti quoddam inter Deum & hominem contractum matrimonium esse diximus. Cùm verò solemni more receptum sit, quòd mulier suam quoque dotem secum adferat, meatum partium esse duxi, qualisnam dos illa fuerit, quam Beata Virgo Maria in hisce sponsalibus secum subiotulit: *Ad Virginem Deus aligerum portitorem mittit*, inquit Chrysologus, *nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam, fidem refert, & tradit munera virtutis.* Ac proinde dos illa in nulla re alia consistit, quàm in variis virtutum actibus, quos ipsa in hoc tam sublimi & ineffabili Incarnationis mysterio exercuit.

Ser. 140.

2 *Tradit dotem virtutis. Beata, quæ credidisti*, inquit ad eam paulo post per Spiritus sancti instinctum Sancta Elisabetha. Virgo etenim fidem suam in grado valde eminenti elucescere fecit. Unde Beatus Thomas de Villa nova dicit: *De fide illius quicquid dici potest, pro merito minus est.* Sancta quoque Mater Ecclesia hisce verbis frequenter utitur: *Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti*; utpote quæ etiam, inquit Sanctus, *ipsi Angelo nunciantі fuerit stupori: non enim communia & usitata sunt, quæ solo dicto Maria credidit, sed inaudita penitus & quæ omnem superant facultatem, omnem intellectum excedunt.* Scribit etiam quidam in Sanctum Lucam Commentator: *Fuit perfecta fide, nam verbis Angeli instructa firmissimè credidit se parituram Dei filium: In Eva vero fuit incredulitas, quia non credidit se debere incurrere mortem, si transgrederetur præceptum Domini de fructu sibi vetito.* Idemmet Beatus Thomas discursum suum ad Mariam convertens, ita eam alloquitur: *Audisti legationem, da fidem, & accipe prolem.* Quasi hunc partum verum fidei suæ partum esse, asserere vellet. Fides quoque ipsius in hoc egregiè eluxit, quòd nullum sibi ad assentiendum dictis Angeli, signum poposcerit; prouti fecerunt alii; & specialiter Sanctus Zacharias, licèt majoris miraculi opus fuerit Virginem aliquam sine ulla virili opera parere, quàm sterilem parturire. Unde id, quod Maria credidit, omnem humanum & Angelicum intellectum longè excedit. *Deum fieri mortalem* (inquit B. Thomas) *hominem Deum de fœmina nasciturum, virginem sine viro concepturam, qualia sunt hæc, ut solo verbo credantur.* Similem quandam considerationem Salmeron instituit, dum ait: *Eo ipso tempore maxima & incredibilia mysteria ab Angelo nuntiata, firma fide apprehendit, nimirum Deum fore hominem, mortalem Deum de fœmina nasciturum.* Cui Beatus Thomas addit, illam ulterius credidisse: *Fœmina pauperis filium fore Monarcham Regemque totius orbis sempiternum; & mysterium sanctæ Triadis, id est, Patris; & Filii, & Spiritus sancti, tunc prius audivit Maria, quod si nobis post sæcula hæc mysteria admirationem & stuporem efficiunt, & quid mirum, si mater sanctissima, quæ tunc primum audivit, admirata sit?*

Conc. 2. de Annunt.

Jo. Arboreus in Luc.

Conc. 1. de Annu.

Conc. 2. de Annu.

To. 3. tr. 7.

3 *Dotem virtutis.* Verecundiæ nimirum, quæ virtus est annexa virginitati. Etiam Angelo quodam, è cœlesti Paradiso ad eam misso, coram ea comparente turbatur, hac verecundiæ virtute eam adigente. Unde Lyranus ait: *Quod enim turbata fuit, virginalis fuit verecundia.* Id quod etiam Albertus Magnus confirmat, dum ait: *Verecundia, quæ debetur pudori virginali ex aspectu viri*, tametsi enim eum purum spiritum esse probè

satis

fatis sciret, attamen assumpturum corpus illius formidabat. Unde S. Ambrosius hanc eandem virtutem admiratus ait : [Lib. 1. offic. cap. 18.] *Quamvis esset humilis, præ verecundia tamen non resalutavit, nec ullum responsum retulit.*

4. *Dotem virtutis*, nimirum profundissimæ suæ humilitatis, quam prodidit in eo, quod laudes suas auscultando, seque ad tam sublimem gradum evectam, conspiciendo, turbata fuerit, verè etenim humili nihil æquè repugnat, quàm si proprias suas audire laudes cogatur, quia sicut avarus in continuo timore versatur, ne sibi thesaurus suus eripiatur; ita verus humilis mundanæ gloriæ applausus semper veretur, utpote qui hujus virtutis thesaurum in corde suo absconditum deprædari solent. [Jo. Arb.] Unde scribit Eusebius : *In virgine Maria fuit humilitas; cum enim non existimaret se esse dignam, ut Mater Dei vocaretur, & se nominavit Dei ancillam; at in Eva fuit superbia, & per superbiam præceptum Dei prævaricata est.* [In Cat. D. Thom.] Extollat igitur, quisquis volet, Mariæ encomia, ejus admirando constantiam; laudet alius obedientiæ suæ promptitudinem, contemptum sui ipsius alius in ea deprædicet, & oblatarum dignitatum repudiationem, alius in ea laudet prudentiam & circumspectionem, quam sibi cautè attendendo, opponendo, respondendo præclarè exhibuit; [Hom. sup. miss.] *Cogitabat, qualis esset ista salutatio : Mihi autem humilitatis profunditas non minus conspicitur admiranda.*

5. *Dotem virtutis*. Porrò inter multos virtutum actus, qui ad stuporem usque in ea emicuerunt, primus, qui ab Hugone Cardinali observatus fuit, est *Amor solitudinis, qui habetur ex hoc verbo; Ingressus Angelus.* Ipsa namque in modica cellula sua in contemplationibus cœlestibus semper absorpta, sola degebat. Unde tametsi is, qui ad eam ingrediebatur, Angelus esset, vehementer tamen turbata exhorruit, quia sola semper cum solo Deo tractare consuevit. Unde sanctus Eucherius in illa verba : *Ingressus Angelus ad eam*; ita scribit : *Non enim Virgo in plateis erat, non in publico morabatur : intus erat in penetralibus, sola sedebat; nec tamen sola tanto virtutum exercitu circumscripta.*

6. *Dotem virtutis*. Nimirum Prudentiæ cujusdam singularis. Unde communiter dicitur : *Virgo prudentissima; cogitabat qualis esset ista salutatio. Prudens enim* (inquit Hugo Cardinalis) *est, qui cavet, ne fallatur.* Glossa quoque ait : *Attende Virginis & pudicam, & prudentem animam simul & vocem; neque manifestè obstitit per incredulitatem, nec statim paret ex levitate.* Unde Lyranus inquit. *Quod cogitavit, qualis esset ista salutatio, prudentiæ fuit; unde canit Ecclesia : Virgo prudentissima*, &c. Eusebius quoque Emissenus ait : *Non excessit modum in dando instantias, sed æqualiter cavit, & Evæ levitatem & Zachariæ inobedientiam.* [In Cat. D. Thom.]

7. *Dotem virtutis*. Modestiæ videlicet, quæ in ea mirabiliter eluxit : siquidem ex lectione Evangelica satis videtur, quod quasi semper Angelus locutus fuerit; ipsa verò ad id solum respondendum os suum aperuit, quod ad virginitatis suæ defensionem, & tanti mysterii consummationem necessarium erat. Neque enim se immorigeram exhibuit divinæ voluntati se opponendo, sed factum virginitatis votum summa cum modestia proposuit, & interrogavit : *Quomodo fiet istud &c. Attendite modestiam*, inquit B. Thomas, *quid in Virgine pulchrius, quàm loquendi modestia? non intercipit loquentem, non præcipitat responsionem.* [Conc. 2. de Ann.]

8. *Dotem virtutis*. Magnanimitatis nimirum; siquidem, ut ait Didacus Stella : *Pro universi generis humani salute matris dignitatem acceptavit.* Enimvero quodsi mihi (est ejusdem auctoris discursus) ipsam nequaquam humilem fuisse opposueris, siquidem major in eo elucet humilitas, qui oblatos sibi honores respuit, quam qui illos accipit, ipsa autem oblatam sibi Matris dignitatem acceptavit; cum tamen filius ejus in Regem electus econtra se absconderit : Respondeo quod *aliter cum hominibus, & aliter cum Deo agendum; quia dignitates, quæ ab hominibus tribuuntur, cedunt multoties in acceptantis dispendium, & periculum : at quod Deus jubet, in nostram utilitatem redundat; & humilitas est, id amplecti : esset autem superbum obicem ponere.* Alia autem ratio, quam adfert, est, quod *magnanima fuit acceptando dignitatem, quæ futura erat remedium humani generis.* De hac quoque virtute subjungit, quod *addit stimulum voluntati, ne dignitatem subire timeat, quando illam Dominus confert, in multorum utilitatem.*

Mansi Prompt.

9. *Dotem virtutis*, scilicet perfectissimæ obedientiæ De qua Sanctus Augustinus ait : [Ser. 18. de SS.] *O felix obedientia! implevit in ea Dominus, quod dudum prædixerat : obedientiam, inquit, malo, quam sacrificium, & scientiam Dei plus, quam holocausta. Hæc fuit vera obedientia, omnique sacrificio gratior; hæc voluntas cunctis hostiis acceptior.* Peculiariter quoque in ea observatur, quod dixerit : *Fiat mihi secundum verbum tuum* : quibus verbis se quoque verbis Angeli, licet is subditus suus esset, utpote quæ Angelorum Regina erat, obedientem esse demonstrat, est autem valde sublimis perfectionis signum, si quis voluntatem suam non solum superioribus, verum etiam infimis subjiciat. Porrò quod obedientiam ipsi Deo exhibitam attinet, ea omnibus sacris interpretibus summæ est admirationis. Didacus Stella de ea ait : *Mirabilis obedientia ipsius splendet, cum seipsam totam in manus Domini committit.* [Jo. Arb.] *Fuit insignis obedientia* : scribit alius quidam Commentator, *siquidem dixit Angelo; fiat mihi secundum verbum tuum, parata sum ad omne officium Deo exhibendum : in Eva verò fuit maxima inobedientia contra Deum, quæ cum inobedientia sui mariti copulata, fecit totum mundum corruere in peccatum; cum tamen econtra obedientia Mariæ universum mundum ab hisce ruinis sublevarit.*

10. *Dotem virtutis*. Videlicet silentii sui. Etenim *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est.* [Jac. 3 2.] *Considerate silentium* (inquit B. Thomas) *quam decorata taciturnitas in fœmina, velox ad audiendum, tarda ad loquendum, prius patienter audit, & postmodum sapienter respondet : Cogitabat qualis esset ista salutatio*, id est, ut Didacus Stella deducit, *in Silentio*, quod enim dictura erat, diutinæ cogitationis trutina ponderabat. [Conc. 2.]

11. *Dotem virtutis* : perfectæ cujusdam indifferentiæ & resignationis. [In Gloss.] Titus Bostrensis super illa verba : *Ecce Ancilla Domini*, ita scribit : *Hæc sacratissima Virginis oratio huc tendit : en tabula quamvis scripturam recipere idonea, scribat in me scriba ille, quodcunque visum fuerit* Theophilactus etiam inquit : *Ecce ancilla, tabula sum pictoria, pingat pictor, quod voluerit, faciat Deus, quod voluerit.*

12. *Dotem virtutis* : puta ardentissimæ cujusdam Charitatis, quam in hoc mysterio exercuit : [In Luc.] *Qua etiam ratione* (inquit Lucas Burgensis) *factum est, ut dignus filium conciperet.* Cujus hanc rationem reddit : *Exercens nimirum varios actus amoris, & charitatis.* Dionysius Carthusianus dicit : [Ser 6 de Adv.] *Quoniam prælecta fuit à Deo, ut per eam totum salvaretur genus humanum, totique mundo proflueret salus, indubitanter credendum est, quod Charitate proximorum ferventissima fuit, ac zelo salutis animarum mirabiliter inflammata, communeque bonum summè desiderans, & pro illa instantissimè intercedens. Anima mea*, inquit Maria, *liquefacta est, ut dilectus locutus est.* [Cant. 5. 6.] Ubi Richardus à S. Laurentio ait : [Lib. 4.] *Per incendium Charitatis liquefacta est, parata videlicet instar metalli liquefacti, decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis, ut dilectus locutus est ad me per Gabrielem, postulans me in Matrem, cui me obtuli in ancillam.*

13. *Dotem virtutis*. Didacus Stella inquit : *Ostendit animi sui fiduciam; posset namque tunc temporis Virgo Angelo respondere; videas me parentes habere quibus hujus rei rationem sum redditura; Quid enim Joseph vir meus dicet, si gravidam me viderit? Quid secum cogitabit? Si autem astruero opus esse Spiritus Sancti nequaquam dictis meis fides dabitur; judicabor blasphema.* Et tamen his omnibus nihil obstantibus, *confidit in Domino, & se omniaque sua in manus ejus commendavit, præ nimia spe & fiducia animi sui.*

14. *Dotem virtutis*. Virginitatis nimirum pro qua adeo zelans & solicita fuit, & qua mediante huic filio suo, qui *pascitur inter Lilia*, tantopere complacuit.

Pro tempore, quo festum hoc in diem Veneris sanctum incidit, ostenditur Christum ab instanti Incarnationis suæ passionem suam fuisse exorsum.

DISCURSUS XVII.

Et incarnatus est in Spiritu sancto ex Maria Virgine; & homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis.

1. CRucifixio Salvatoris & Domini nostri Jesu Christi in convenientiorem diem incidere vix poterat, quam in hodiernum diem Incarnationi suæ sacrum; cum enim Martyrologium Romanum hodierna die memoriam agat mortis boni latronis, per hoc Christum 25. hujus mensis cruci confixum fuisse pariter deciditur, quo eodem die in virginem Mariæ utero incarnatus fuit. Habemus autem hujusce veritatis multa sacrorum interpretum testimonia. Salmeron ait:

To. 3. tr. 3.

Quod ad diem attinet, fertur fuisse sextam feriam sive diem Veneris, quod ex testimoniis Augustini atque Chrysostomi constat, dicentibus eo die passum, quo conceptus est: & quadrat mysterio, ut quo die conditus est Adam primus, eodem & concipiatur secundus Adam; & quo die peccavit primus homo, eodem & Christus pro eo Patri satisfaciat. Rupertus Abbas Tuitiensis hac de re ita scribit:

L. de div. offi. 3. c. 19.

Feria sexta conceptus est, die qua veterem formavit Adam de limo terra, novum sic reformare cœpit hominem Deus de vera carne Virginis Mariæ, eadem die redempturus mortis Passione. Angelicus Doctor legationem hodiernam sexto mense, id est, hoc currente, expeditam esse considerans, ait:

In cat.

Mensem sextum Martium intellige, cujus vigesimaquinta die Dominus noster, & conceptus traditur & passus. Sanctus Bonaventura quoque hunc numerum textum ponderans scribit:

In Luc.

Homo inter cætera opera Dei perfectus sexto die est conditus, ideo & Christus venit sexta ætate, & sexto numero annorum, & sexto mense conceptus, & sexta feria passus, & sexta hora in cruce suspensus. Glossa interlinearis multo clarius loquitur: dum ait: *Vigesimo quinto die Martii Dominus conceptus est & passus.* Verum enimvero quodnam in eo latet mysterium, quod eadem die incarnari, vitamque suam & sanguinem suum in cruce effundere & prodigere voluerit, nisi ut denotaret, eandemmet fuisse conceptionis pariter & mortis ac passionis suæ periodum; quodque hanc ab eodem istanti fuerit exorsus, quo in sacrosanctum Virginis uterum fuit ingressus? Neque enim Salvator noster in solo Calvariæ monte passus fuit, sed potius ejus passio hodierna die suum in Nazareth sumpsit exordium, mox videlicet, ut mortali nostra carne amictus fuit. Unde & sanctus Augustinus ait:

Ser. 10. de nativit.

Ad hoc descendit Christus in uterum Virginis, ut exinde acciperet membra, quæ traderet cruci. Porrò Innocentius III. in sermone de hodierno festo varios hujus descensus gradus considerans dicit:

Serm. de Ann.

Primus gradus est passibilitas, quam assumpsit; ultimus est passio, quam sustinuit; ad primum spectant defectus hominis, quos suscepit, ut pavor & dolor, fames, & sitis, paupertas & labor: ad ultimum pertinent pœna illata ab hominibus; captus est enim, ligatus, percussus, flagellatus, irrisus, exprobratus, maledictus, condemnatus, crucifixus & lanceatus. Enimvero tam primi quam secundi gradus tormenta in primo Redemptoris nostri in sacratissimum virgineæ Matris suæ uterum ingressu eidem ob oculos posita fuerunt: Unde dicebat:

Ps. 37. 18.

Dolor meus in conspectu meo semper, ideoque ex illis non minus affligebatur, ac si eosdem dolores actualiter passus fuisset. Eusebius Emissenus cum beata Virgine hac de re ita discurrit:

Hom. 2. de nat. Dom.

Initiator omnium rerum a te initiatur, & profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, & de te sumpsit, quod etiam pro te solvat. Porrò Spiritus sanctus, qui hodie Mariæ infusus fuit, in multis Scripturæ locis vix aliquam Incarnationis mentionem facit, quin etiam ibidem mortem & passionem suam protinus subjungat: Id quod sanctus Bernardus optimè advertit, maximè super illa verba Isaiæ: *Parvulus datus est nobis.* Quibus confestim subjungitur:

De pass. c. 1.

Cujus imperium super humerum ejus. Dicit enim: *Crucem, quam imperii nomine significavit, nativitati statim adjungit, quia statim à nativitatis exordio, passio crucis simul exorta est.* Imò: *Ab incarnationis exordio* dicere possumus. Guerricus Abbas considerans, quod pœnalitates Deus ille majestatis, activitatis, & potentiæ infinitæ, in illius sacrosancti uteri angustiis constitutus, per novem mensium decursum sustinuerit, dicit:

Ser. 3. de Ann.

Omnino tamen humanarum infirmitatum vel injuriarum, quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate fere maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensium tempore majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit, aut quando ita penitus a semetipso defecisse visus est. In vita sanctæ Franciscæ scribitur, quod

Lib. 3 c. 5.

in die natalis Domini in speluncam Bethlehemiticam per extasim rapta, puerulum Jesum coram se positum viderit, rubicam quandam crucem in pectore suo gerentem. Ecce igitur qualiter Christus priusquam nasceretur, imò ad primum in uterum Marianum ingressum crucem portarit; Isaias omnia Messiæ eventura prævidens, inter cætera scribit:

Isa. 50 4.

Mane erigit mihi aurem, Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, Quibus verbis Redemptor noster loquutus, seque æterni Patris sui voluntati obedientissimum esse probat, morti se ultro citroque exponendo, idque in primo instanti, quo sacratissima ipsius anima creata, & corpori unita fuit, id est, hodie:

Hebr. 10. 7.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui. Porrò libet hic prorsus ille ipse est, de quo in sancto Matthæo scribitur: *Liber generationis Jesu Christi.* Idem verò Isaias ibidem immediatè in persona ejusdem Christi subjungit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; Faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Verum enimvero quodnam exoptare potestis evidentius testimonium, quam infallibile illud Davidis oraculum, cujus Redemptor noster filius nominatur: *Liber generationis Jesu Christi filii David*:

Ps. 87. 16.

Hic igitur in persona Christi dicit Deo: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea*, Chaldæus legit: *Expirans ab adolescentia mea.*

Lorin. ib.

Alii legunt: *Moriens moribundus agonizans, pene mortuus a puero.* Enimvero ex quo Davidis mentionem facere cœpimus, advertendum est, quod sanctus Gabriel beatæ Virgini hodie dicat: *Dabit illi Deus sedem David patris ejus.* Quonam verò modo hic Rex regnum suum exorsus fuerit, jam diximus in discursu præcedenti:

1 Reg. 22.

Convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & factus est eorum princeps. Id quod fuit, quando à Saule quærebatur ad mortem. A pari quoque principio Christus regnum suum incepit: *Factus est principatus super humerum ejus.* Universum quoque genus humanum debitis onustum; *in angustia constitutum, & amaro animo* coram Christo præsentatur, ut ab eo ab inferni servitute ereptum, libertati suæ denuo restituatur. Et ideo tametsi dicere nollemus, quod Christus hodie in hanc vitam ingrediens; tanquam Filius David, de quo dicitur: *Ecce plus quam Salomon hic*; præsagium illud in sacris canticis de ipso vaticinatum, in quo filiæ Israelitides ad coronatum Regem suum videndum evocantur: *Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Idque præcisè *in die desponsationis ejus*; id est, quando cum natura humana est desponsatus, adimpleverit: saltem hodie dicere possumus caput ejus spinis fuisse perforatum, siquidem hodie passionem suam exorsus est interiorem, per pœnalitates exteroas in monte Calvariæ postea demum finiendam. Unde sanctus Bonaventura dicit:

Ser. 3. de pass.

Volve & revolve vitam boni Jesu, & non invenies eum nisi in Cruce; ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit. Beatus quoque Thomas de Villa nova beatam Virginem, cui Angelus promiserat:

Conc. 1. de Ann.

Dabit illi Dominus sedem David patris ejus & regnabit, introducit loquentem & dolentem, quod nec coronas, quibus Rex hic redimendus sit, nec sceptra videat:

Conc. 1. de Ann.

Ubi est Angeli promissio tua? ubi sedes & gloria regni tui? Et postquam de iis, quas filius suus in nativitate, vita, & morte sustinuit, angustiis prolixè discurrisset, tandem quoque Angelum subintroducit, hisce verbis Mariam alloquentem: *Non auspicis caput diademate Regis ornatum? Titulum non conspicis regali throno pendentem? Non audis multorum Regum acclamantium voces? sceptrum non discernis potenti manu defixum? Quid obsecro Virgo, quid deest ad regnum?* Verum inquies, cur regnum

illud

istud huic Regi incarnato Christo præcisè in hora, qua iocarnandus est, intimatur ? *In die dispensationis ejus.* Factum id est, ad insinuandum, quod Verbum incarnatum ab ipso conceptionis suæ exordio daturus esset primum passioni suæ principium. Idem quoque ab eodem Isaja prædictum fuit alibi, ubi ipsemet Christus ita loquitur: *Formans me ex utero servum sibi*; ubi ad verba illa allu- Isa. 43. 5. dit : *Servus tuus sum ego & filius ancillæ tuæ*, id est, B. Virginis, quæ dixit : *Ecce ancilla Domini.* Notandum autem est, quod in eodem Psalmo immediatè sub- Ps. 115, 16. jungat : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam*; Quod idem erat, ac si diceret; Dirupta sunt ligacula & funes, quibus in cœlo detinebar, & vix tempus appropinquavit, quo in terram descensurus eram, cum ecce subito me immolo io sacrificium. In confirmationem dictæ veritatis optimè servit celebris ille Apostoli textus, in quo de veteris Testamenti sacrificiis agitur, quibus Deo, pro debitorum nostrorum exsolutione satisfieri non poterat. In hoc eoim textu Christus ad Patrem conversus Hebr. 10. dicit : *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Alii legunt : *Perforasti : tunc dixi, ecce venio.* Doctor autem Angelicus hunc textum exponens, ita scribit : *Quando corpus aptasti mihi in conceptione, dixi, ecce venio ad passionem; venio per incarnationem, ut offeram me ad Passionem.* Quando igitur hujus Passionis fecit initium ? Hodierna die, qua ingressus est mundum, quando Virgo sacratissima magnum illud protulit verbum : *Fiat mihi secundum verbum tuum : Mundum autem ingressus est*, ut Cajetanus inquit, quando *Verbum caro factum est.* Et quidem, ut hæc veritas tanto evidentius appareat, Apostolus in persona ipsiusmet Christi subjungit : *In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam; ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Hunc autem librum temporalem ejus generationem esse jam diximus : *Liber generationis Jesu Christi.* Io primo etenim folio, id est, in primo instanti, io quo incarnatur, descripta est voluntas & decretum Patris æterni, id est, Passio Christi. Licèt quando amarissimus ille passionis calix io horto ei præsentatus fuit, hujus nostræ naturæ fragilitas eidem repugnaret; attamen resoluto animo crucem illam amplectendi decretum sibi fecit; illudque hisce ad Patrem expressis verbis enuntiavit : *Non mea, sed tua voluntas fiat*, adeoque idem est dicere, quod voluntas Patris de passione filii sui in primo illius libri folio descripta fuerit, ac si diceret, quod io primo instanti, quo incarnatione mediante in hanc mortalem vitam ingressus est, suam quoque exorsus fuerit Passionem. Unde S. Thomas circa illa verba *Ut faciam vo-* Hebr. 12. 2. *luntatem tuam*, hanc Glossam addit : *Scilicet offerendo meipsum ad redemptionem humani generis.* Theophylactus similiter dicit : *Voluntas Dei Patris est, quod Filius pro mundo immolatur.* Idemmet Apostolus, ut fideles divini servitii stadium expeditius decurrerent, eosdem alibi ad contemplandum Christum crucifixum exhortatus est dicens : *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Ubi sciendum est, quod Biblia regia legant; *Pro gaudio, quod habebat, sustinuit crucem.* Quibus verbis, ut Rupertus Abbas Tuitiensis vult, insinuatur, quod æternus Pater in primo instanti conceptionis Christi filio suo liberam optionem dederit, eligendi an scilicet mundum hunc ad gaudendum ingredi vellet, an verò ad dolendum & patiendum : Ipse autem *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*; Cruci igitur se adstringere voluit, nuntium omni gaudio remittendo. Debebatur quidem Christo corpus quodnam gloriosum, & consequenter impassibile, idque ratione animæ suæ beatæ, hæcque impassibilitas à Patre ei oblata fuit; primum verò miraculum, quod Christus pedem suum in hanc vitam figens, patravit, fuit, quod in superiori animæ suæ beatæ portione, gloriam suspenderit, ne scilicet transfunderetur ad corpus, sicque ad flagella, spinas, clavos, aliaque Passionis genera subeunda aptior esset. *Pro gaudio quod habebat* (inquit Rupertus) *sustinuit crucem.*

2. Pro meliori verò hujusce veritatis intelligentia, hoc statuendum est fundamentum; quod videlicet anima Christi, corpori ex purissimis Virginis sanguinibus assumpto hodie unita, cum summa quadam & immensa Jer. 31. 22. omnium virtutum perfectione, & cum perfectissimo liberi arbitrii actualiter operantis usu creata fuerit; adeoque ab illo instanti, quo eademmet sapientia increata incarnata fuit, eundem habuerit rationis usum, quem tum io triginta trium annorum ætate habuit, cum hodie dum ad æterni Patris dexteram sedens, etiamnum habet, nam *Fœmina circumdabit virum.* Hoc supposito, necessum est, ut dirupto templi velo, ingrediamur in sancta sanctorum dolorum Redemptoris, non quidem corporalium, sed mentalium, qui continuatissimi fuerunt, & pœnosissimi; adeo ut dolores in monte Calvariæ perpessi hisce comparati, minimè afflixisse censeantur. S. Catharina Senensis pia quadam & sancta curiosi- Lib. 3 c. 3. tate mota, Salvatorem nostrum vice quadam interro- num. 2. gavit, quisnam dolorum suorum maximus fuerit, an ille, quem sustinuit in corpore, an verò, quem habuit ex desiderio ? cui protinus Salvator respondit : *Esto secura, quod inter dolorem corporis & mentis nulla fieri possit comparatio. Nunquid enim recordaris, quod dum Nativitatem meam tibi manifestavi, tu me in specie recens nati, & ad collum Crucem pendulam gerentis puerili conspexeris. Considera igitur, quod eadem hora, qua ego Verbum æternum in utero Mariæ carnem assumpsi, Crucem quoque desiderii inceperim perpeti, fuitque Crux ista longè mihi dolorosior, quam quævis alia quam in carne mea unquam sustinui.* His addendum, quod peccata nostra crudelissimi illi carnifices fuerint, qui cor & animam Christi transfixerunt; cui veritati æternus Pater liquidum perhibet testimonium, dum ait : *Propter scelus populi mei percussi eum.* Atque ideo bonus ille latro, superiori luce illuminatus, illa, quæ in sacra Christi humanitate, conspiciebat vulnera, non à carnificum impietate, sed à suis sceleribus inflicta esse, probè agnovit, teste S. Ambrosio, qui dicit, *quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis.* Nullum unquam ferrum, quantumvis id acutum fuisset, aperturum fuisset latus, aut manus, pedes & venas penetrasset, nisi illud à nostris peccatis associatum fuisset. Quando enim Christo accidit, quod præ nimiis angustiis & agonia sudavit ? Quando ei omnia peccata nostra repræsentata fuere : ex his namque adeo angustiatus & afflictus fuit, ut præ amoris, quo Deum, cujus filius erat, immensitate, dolorem senserit infinitum. Unde contemplativus quidam affirmare non dubitat, quod filius Dei ex quavis æterno Patri suo illata injuria, adeo intensum perpetiatur dolorem, ut tametsi omnes inferni dolores simul jungerentur (pœnali malitia solum excepta) illi tamen omnes ne unicum quidem conficerent parem illi, quem Redemptor patitur, dum peccatum aliquod committitur. Porrò propositionem istam hoc quidem loco examinare nolo. Verum quidem est, quod ob corporis Christi è Virgineo sanguine formati delicatissimam complexionem, unius duntaxat spinæ punctura apta fuerit ad conciliandum ei vehementiorem dolorem, quam perpessi sint omnes Martyres in suis suppliciis & passionibus : veruntamen sciendum est, quod omnia corpori Christi illata tormenta nequidem comparari possint cum internis animæ suæ angustiis; siquidem ipsi incumbebant omnia peccata commissa & committenda ad mundi finem usque, eaque omnia ipsi objiciebantur & occurrebant in primo incarnationis momento, sibique manserunt præsentia, usque dum diceret *Consummatum est*, idque non in confuso, sed distincta & secundum proprias species & circumstantias aggravantes, exigebantque ab eo, ad satisfaciendum divinæ justitiæ, severissimam rationem. Cum igitur culpa infinitam in se malitiam contineat, ob offensam infinitæ Majestati Dei irrogatam, infinitus quoque fuerit amor, quo erga æternum Patrem filius ejus flagrabat, & ad hujus proportionem infinitus fuerit dolor, quem exinde intrinsecus persentiscebat, infinito quoque odio & abominatione peccatum exhorruerit, facilè vobis imaginari potestis, quales fuerint dolores, quibuscum anima ejus incessanter, & cum summa dolorum acerbitate transfigebatur. His adde, quod ardentissimo zelo contumeliati à nobis Patris sui honorem prosecutus, ex toto justitiæ rigore omnes illi irrogatas injurias, quæ innumeræ erant, in semetipso voluerit vindicare. Prævidit quoque in eodem instanti, tot infidelium animarum damnationem, quibus proinde incarnationem suam inutilem futuram agnovit; sicut & tot perversorum Christianorum ingratitudinem, qui suum deinceps sanguinem conculcaturi essent : *Pre-* Psal. 61. 5. *tium meum cogitaverunt repellere*, sui quoque populi super omnes totius terræ gentes prædilecti ignorantiam & exterminium. Denique omnium discipulorum & se-

quacium suorum cædes & persecutiones, ad finem sæculorum usque duraturas. Prævidit etiam tot execrabilia adulteriorum, incestuum, sacrilegiorum, blasphemiarum, homicidiorum, apostasiarum, & idololatriæ scelera, innumerosque alios enormissimos excessus. Atque ideo si quodvis peccatum cordi Christi clavus quidam transversus fuit, considerate, quot miliones carnificum, id est, peccatorum, cor ejus dilaniatint pro eo tempore, quo *Posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum*. Non est mihi dubium, quin magnam vobis admirationem sæpè attulerint verba illa: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum*. Et quidem in primis verbum illud, *horruisti*; Quomodo enim venter ille, qui ipsimet Paradiso par habetur, imò qui eo longè præstat, *quia quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti*; quomodo, inquam, ille ulli hominum horrori esse potuit? *horruisti*? Pro dubii hujus resolutione necessum est, ut oculos vestros in acerbissimos illos dolores, quos anima Redemptoris ab ipso momento incarnationis suæ sustinuit, deflectatis; ac demum vobis successivè imaginemini, quod ab eo momento, quo Maria verbum illud *Fiat* pronunciavit, cœleste illud patiendi & ex rigore justitiæ pro omnibus totius humani generis peccatis satisfaciendi decretum ei intimatum fuerit; probè futurum esse intelligebat, ut corpus illud, quod assumebat, immane quoddam famelicorum & tabidorum taurorum, ursorum & leonum
Ps. 21. 13. macellum & laniena fieret; *Tauri pingues obsederunt me*, id est, carnifices & lictores, qui instar totidem ferocissimarum ferarum ad eum dilacerandum eo die in eum involarunt. Oculis mentis ejus obversabatur generalis quædam totius humani generis condemnatio, quam comitabatur ira quædam cœli irreconciliabilis, quæ non nisi sanguine ipsius placari poterat, nec non omnium peccatorum nostrorum turpitudo atque deformitas, quam velut individuam comitem per solidos triginta tres annos habiturus, & tanquam intolerabile pondus supra dorsum suum portaturus erat. *Supra dorsum meum*, &c.
1. Petr. 2. 23. *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*; & tamen his omnibus nec quicquam obstantibus: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*.

DE RESURRECTIONE

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI,

Sive

DE FESTO PASCHATIS.

Discursus Viginti.

Discursus I. Varia explicantur mysteria, ob quæ hodiernus resurrectionis dies à Deo factus esse dicitur.

Discursus II. Plura alia considerantur motiva, cur hic resurrectionis dies à Deo factus esse dici possit.

Discursus III. Hic dies à Deo factus esse dicitur, quia per Christi resurrectionem multa nobis bona attulit; simulque ostenditur, quod lætitia hujus diei spiritualis, non verò prophana esse debeat.

Discursus IV. Nonnullæ virtutes, & merita illarum sanctarum mulierum considerantur, quibus Christus resurgens dignatus est apparere. Ostenditur etiam lapidem, quem à sepulcro revolutum esse viderunt, symbolum esse pravæ consuetudinis, quæ per resurrectionem Christi, & Mariarum imitationem planè superatur.

Discursus V. Ostenditur lætitiam resurrectionis à Passionis memoria sequestrandam non esse. Nonnullæ etiam adducuntur rationes, cur retinere voluerit vulnerum suorum cicatrices.

Discursus VI. De gloria sepulchri Christi.

Discursus VII. Quomodo Christus dici possit primus eorum, qui à mortuis resuscitati fuere. Considerantur etiam differentiæ inter resurrectionem Christi & aliorum. Denique ostenditur cavendum esse, ne in peccata denuo reincidamus.

Discursus VIII. Omni studio nobis curandum est, ut ad imitationem Christi resurgentis, nos quoque ita à peccato resuscitemur, ne aliquam in illud recidivam patiamur.

Discursus IX. Explicantur Analogiæ, quæ esse debent inter resurrectionem corporalem Christi, & nostram spiritualem resurrectionem, ut verè ad gratiam resurgamus.

Discursus X. Si in peccata per pœnitentiam abolita relabi nolumus, fugiendæ omnes illorum committendorum occasiones.

Discursus XI. Ad gratiam & Spiritum, quem Deus nobis in hoc Paschate communicat, recipiendum & conservandum, sensuum custodia magno nobis subsidio esse poterit.

Discursus XII. Christus per resurrectionem suam nos docet, qualiter mores nostros renovare, extirpare vitia, & vitam nostram renovare debeamus.

Discursus XIII. De stabilitate, quam tenere debemus in bono hisce sanctis diebus Paschalibus incepto. Et qualiter cavendum sit, ne ad peccatum revertentes Deum amittamus.

Discursus XIV. Agitur hoc discursu de Pace, quam Christus nobis dedit; quæ à nobis conservanda est per bonam & incontaminatam conscientiam, cavendo ne in peccata pristina labamur, sed potius in gratia & bonis operibus perseveremus.

Discursus XV. Ostenditur, Pacem à Christo nobis datam, junctam esse debere cum perpetuo bello, & certamine adversus nos ipsos, vincendo nostros appetitus, omnesque peccatorum occasiones fugiendo.

Discursus XVI. Agitur hic de Christo resurgente sub symbolo Leonis. De victoria quam is reportavit. Et de nonnullis mysteriis, quæ terræ motum spectant.

Discursus XVII. Declarantur sensus Textus cujusdam Apocalyptici? Item quænam sit prima resurrectio, quænam etiam mors secunda dicatur. Adhæc Christum ad animandum & erigendum peccatores ne desperent, primò Magdalenæ, & postea S. Petro apparuisse demonstratur.

Discursus XVIII. Articulus resurrectionis est basis fidei nostræ.

Discursus XIX. Ad probandam futuram corporum nostrorum resurrectionem variæ rationes, similitudines, & argumenta diversa adducuntur.

Discursus XX. Tractatur in hoc discursu de nonnullis resurrectionis figuris, variæ etiam de illa adducuntur Scripturarum auctoritates. Item de Christo B. Virgini apparente. Denique qualiter intelligendæ sint tres dies & tres noctes mortis Christi.

Varia explicantur mysteria, ob quæ hodiernus Resurrectionis dies à Deo factus esse dicitur.

DISCURSUS PRIMUS.

Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

1. REgius Propheta David Resurrectionis Christi gloriam tot ab hinc sæculis instinctu divino prævidens, universum mundum ad congaudendum & collætandum verbis in Themate propositis invitavit, quibus etiam sancta Mater Ecclesia per totam hanc octavam meritò utitur, ut fideles suos ad spiritualis lætitiæ affectus & cordis jubilum excitet. Veruntamen verba illa ex primo intuitu consideranti mihi dubium quoddam protinus oboritur, videlicet quamobrem dies hodiernus specialiter à Deo factus esse dicatur, cum certum sit omnes quoque alios dies opera esse manuum suarum? *Tuus est dies, & tua est nox,*

tu

tu fabricatus es auroram, & solem. Albertus Magnus quandam circa dies distinctionem, proposito nostro valde consentaneam adducit, dum ait: *Est dies mala, in qua homo nascitur ad peccatum, quam facit Diabolus*. Et de Jer. 17. 6. hoc die S. Job & Jeremias locuti fuere; ille quidem dum ait: *Pereat dies, in qua natus sum*: Hic verò: *Maledicta dies*. Est dies temporalis prosperitatis, quæ multis est causa perditionis; atque ideo Jeremias sanctè gloriatur, dicens: *Diem hominis non desideravi, tu scis*. Habemus 17 quoque diem naturalem, de qua in Genesi ita scribitur: *Vocavitque lucem diem & tenebras noctem*. Est quoque dies gratiæ. Et de hoc Salvator Joannis cap. 8. loquitur: *Abrahampater vester exultavit, ut videret diem meum*. Est dies gloriæ, de qua in Psalmo: *Melior est dies una in atriis tuis super millia*. Demum verò postquam Albertus Magnus hanc dierum distinctionem recensuisset, tan- Ecc. 33. 7. dem hunc Ecclesiastici textum adducit, quo dicitur: *Quare dies diem superat? Dies gratia diem natura, & dies gloria diem gratia? A Sole lucem suam influente*. Porrò dies naturalis, vel, si dicere malumus, dies artificialis, partus est solis Horizontem nostrum illuminantis; at verò diei gratiæ auctor est verus sol justitiæ Christus.

2. Verum enimverò ut ad discursum Alberti Magni denuo revertamur. Easdem quoque considerationes in hujus gloriosissimi diei honorem facere possumus. Etenim dies malus in quo homo nascitur ad culpam, cujus inimicus infernalis auctor extitit, hodie ex potiori sui parte per Christi resurrectionem aboletur: ac proinde Rom. 6. 12 Apostolus de hoc mysterio hisce verbis tractans: *Christus resurgens ex mortuis*, hanc inde deducit consequentiam: *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato? non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*, Quod verò diem hominis, id est, affectum seu adhæsionem ad humanam prosperitatem attinet, hic pariter hodie plurimum obscuratur eodem Apostolo teste qui ut fideles ad bonorum æternorum desiderium & possessio- Coloss. 3. 2 nem invitet, hisce verbis utitur: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram*. Et revera ipsamet experientia satis demonstrat, quod omnes Christi discipuli atque sectatores sancti Evangelii post Redemptoris resurrectionem omnibus bonis terrenis nuntium remiserint, facultatum distractarum pretium ad Apostolorum pedes deferendo; quo facto satis re ipsa ostenderunt *se non desiderasse diem hominis, sed hanc diem, quam fecit Dominus*. Quodsi verò diem naturalem tertio loco consideremus, hunc quoque multo amplius à vero justitiæ sole Christo, quàm à cœlesti planeta illuminatum fuisse, dicere possumus. Et ad hoc fortè illa hesterno mane decantati, & ex S. Ambrosio desumpti præconii Cerei Paschalis verba alludere volunt: *Gaudeat* In Ps. 117. *tellus tantis irradiata fulgoribus, & æterni Regis splendore illustrata totius orbis se sentiat amisisse caliginem*. Ejusdem quoque sententiæ est Cardinalis Bellarminus super citata verba Psalmi, dum ait: *Dicitur autem dies resurrectionis, dies, quam fecit Dominus, quia Christus resurgens ut sol justitiæ novo modo fecit eum diem*. S. Antonius de Padua hujus vocabuli *Dies* Ethymologiam tan- In Dom. 12. post Pasc. git, dicens: *Dies dicta à Dian quod est charitas*. Ecce igitur quanto cum jure & merito dies hæc à Deo facta esse dicatur, utpote quæ claritatem & lumen suum à corpore Christi resurgentis luminoso & ipsomet sole splendidiore sortitur. Unde & B. Thomas de Villanova ait: Conc. 2. in die resurr. *Clarior sole splendet pallida prius caro, rutilantque fulgoribus membra Deifica*. Atque in hanc veritatem omnes sacri interpretes concorditer conspirant. Unde etiam Rupertus Abbas Tuitiensis super illa verba Apocaly- L. 4. c. 7. psis: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi*, ita scribit: *Ille est magni consilii Angelus; iste ascendit ab ortu solis, videlicet illuminare hos, qui sedebant in tenebris & umbra mortis, ascendens ab inferis, resurgens à mortuis, quæ resurrectio verè nobis ortus est solis*. Albertus Magnus ad illa verba Psalmi: *Deus Dominus & illuxit nobis* sese reflectens, S. Fulgen- In Luc. tii auctoritate utitur dicentis: *Quia & ipsum solem hac die clarius lucere existimo, quando sol verus lucem sua resurrectionis gloriosa radiis corporalibus immiscet*. Imò credibilius potius censendum ad immensâ glorificatæ humanitatis Christi lucem solis splendores & radios penitus obfuscasse. Etenim super montem Tabor olim aliquantulam gloriæ illius, qua beatissimæ animæ suæ superior portio fruebatur, scintillam emittebat, & protinus *resplenduit facies ejus sicut sol*. Exinde facile erit unicuique conjicere quantum tota caro glorificata totius sanctissimi corporis, de facto gloriosa claritatis dote amicti, & claritatis quidem pro libitu suo, & ad dignitatis personæ suæ meritorumque suorum maximæ, quantum, inquam, caro illa sole luminosior extiterit. Et quidem tametsi luminositatem, istam in apparitionibus suis quibus diversos dignatus fuit, minimè palam ostenderit, id tamen assertę à nobis veritati nec quidquam præjudicat, hujus enim solidam rationem S. Augustinus reddit Dialogo ad Oros. dicens: *Glorificata carne Dominus resurrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis suis talem claritatem prospicere*. Enimvero si vera est quædam à S. Vincentio Ferrerio allata propositio, longè verius consequenter esse debebit, quod claritas corporis Christi radios Solis obfuscaverit, lucemque solè incredibiliter majorem mundo subministrarit. Dicit Serm. 3. Dom. in Albis. enim sanctus hic Pater: *Si Deus loco solis poneret corpus gloriosum, magis illuminaret mundum quam sol*. Unde sequitur idipsum à glorificata Christi humanitate longè magis præstitum fuisse, siquidem ipse de semetipso dicit: *Ego sum lux mundi* Propheta Evangelicus de resurrectione universali quondam prędixit: *Erit lux solis septempliciter*. Ex alia autem parte S. Matthæus scribit, quod Is. 30. 26. *Sol obscurabitur*. Quomodo autem duo hi textus, quorum uterque ab eodem Spiritu veritatis dictatus fuit, inter se concordant, si enim solis lumen adaugebitur, quomodo Evangelista solis lumen obscurandum esse dicit? Chrysostomus difficultatem solvit dicens: *Sol obscurabitur, non quia destruetur, sed luce adventus Christi superabitur*. Hinc igitur argumentum quoddam efformemus: Quod si Redemptoris nostri Corpus in die illo, qui iræ Dei fulminibus in terram evibrandis destinatus est, adeo futurum est luminosum; longè igitur credibilius erit quod idem corpus hodierno die, quo gloriæ suę specimen mundo exhibere voluit, summos è se & vehementissimos fulgeris radios, solaribus longè majores evibrarit? Porrò Christus de artificiali die in S. Joanne dicit: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Habet & hodiernus festivissimus dies duodecim, quibus mirè illustratur, variis factas apparitiones, velut totidem horas. Unde Salmeron ait; *Magna ra-* To. 1. tr. 1. *tione voluit hanc resurrectionis diem duodecim distinctis apparitionibus quasi horis illustrare*, quas etiam duodecim apparitiones, historia Evangelica facem præferente, distinctè idem auctor enumerat, & eadem die contigisse ostendit ideoque concludit: *Invenies duodecim visionibus tanti mysteris diem illustratam, ut merito dicamus: Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*.

3 *Est dies gratiæ*. Hunc quoque diem peculiarem fuisse gloriosæ resurrectionis suæ effectum negari haudquaquam potest. Lyranus super illa verba Psalmi: *Hæc est dies*, &c. ita scribit: *id est, tempus novi testamenti, quod vocatur dies ratione veritatis revelatæ, quæ latebat in veteri Testamento sub figurarum obscuritate; propter quod Paulus Rom. 13. vocat vetus Testamentum noctem, & novum diem dicens: Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Hic dies, dies est gratiæ, quia lex evangelica ab illo exordium sumpsit. Albertus Magnus similiter scribit: *Hæc est dies salutis & gratiæ; hodie fecit Deus salutem in Israel: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Dionysius Carthusianus eandem habet con- Rom. 4. 25. siderationem: *Hæc est dies, id est, tempus Christi, tempus Evangelicæ legis & gratiæ, quoniam majorem benignitatem & gratiam impendit hominibus, merito dicitur dies Christi*. Enimvero Apostolus scribit: quod *Christus resurrexit propter justificationem nostram*, quia tametsi verum sit Christum in passione sua prospexisse nobis de justificationis nostræ pretio, hoc tamen pretium ad debitorum nostrorum satisfactionem applicatum non fuit, nisi in hoc gloriosæ resurrectionis die, in quo Sacramentum instituit pœnitentiæ, dando Apostolis suis, ac demum cœteris successivè Sacerdotibus in Ecclesia sua existentibus, potestatem remittendi peccata: *Insufflavit in* Jo: 20. *eos dicens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Adeoque de hoc die meritò dici potest: *Ecce nunc dies salutis*: Rupertus Abbas idipsum confirmat, dicendo: *Totum hoc tempus à resurrectione Domini unus dies salutis est, Propheta dicente: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te*. Interlinearis verba illa: *Hæc est dies, quam fecit Dominus*, hac glossa illustrat; *quam mihi in salutem dedit*. Incognitus Car- L. 14. in Joan. melitanus super Psalmos, ad magis literalem Prophetæ

sensum alludens, scribit: *Hæc dies est annus Jubilæi*; suumque discursum ad festivum hunc Paschatis diem adaptans, considerat, quod omnia illa bona in nobis adimpleantur, quæ Jubilæus Hebræo populo conferre solebat. *Et nos hac die a servitute peccati redempti sumus; & nobis restituta est hæreditas paterna*. Nullus est in totius anni serie dies, in quo fidelibus magis plenaria concedatur indulgentia, quam in hac resurrectione indulgetur; aut in quo divina gratia majorem & liberiorem habeat in animas nostras aditum, quam in hoc fortunatissimo die: *Diem gratiæ & gloriæ* (inquit Salmeron) *ab omnibus, omni benedictionis genere recolendum*.

5 *Diem gloriæ*. Hodierna etenim die cœlum homini aperitur, & hæc caro nostra, veste gloriosa & immortali amicta fuit. Unde S. Thomas ait: *In hac die inchoatur dies æternitatis, quæ est una non habens interpolationem noctis, quia sol, qui eam facit, non occidit*. Theophylactus ait: *Futuri sæculi exemplar est hæc dies quoniam futuri sæculi una dies est*. Verum quidem est, inquit S. Bruno, omnes dies à Deo factos esse: *Hunc tamen diem præcipuè fecisse dicitur, dum in ea hominem in melius per sanguinem suum recreavit, & eum ad immortalitatem tam corporis quam animæ, per utriusque resurrectionem revocavit*. S. Bernardus quoque de hoc die scribit, dicens: *Verus dies, qui non novit occasum est æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera æternaque satietas*. Nullus autem S. Maximo in exponenda diei hujus gloria susius sese extendit: Dicit enim: *Bonus plane dies, qui lucem intulit universis, verum non hujus sæculi lucem, sed resurrectionis æternæ. Bonus inquam dies, & hic quam ille, in quo primum mundus enituit: ille enim hominibus ad laborem creatus est, hic factus est ad quietem: ille mortem meruit, hic formidinem mortis evasit; ille bonis malisque communis est, hic proprius est justorum; illius diei lux tenebris sepelitur, hujus dies splendor etiam sepulturas illuminat; ad postremum illius diei lucem mortui non vident, hujus diei lumen etiam defunctis emicuit, sicut ait Propheta; qui sedebant in regione umbræ mortis lux orta est eis*.

In cat. D. Th. ser. in die pasc.

In Ps. 90. Ser. 17.

Hom. 3. de resur.

Plura alia considerantur motiva, cur hic resurrectionis dies à Deo factus esse dici possit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

1 UNum ex magis præcipuis mysteriis, ob quæ hæc dies, in qua resuscitatus est Dominus, dies à Deo facta vocari possit, nec non cur hæc dies nunc & in omnibus sæculis futuris Deo dedicata & consecrata existat, ideoque hoc nomine *Dies Dominica* appellari soleat; unde Cardinalis Bellarminus, *Peculiariter*, inquit, *Deus eam diem sibi consecravit*. Unum inquam, illorum mysteriorum hoc est, nimirum eo die ab omni servili opere abstinentes, ad eum per opera pietatis & devotionis sanctificandum magis simus intenti atque soliciti. Unde S. Gregorius Nyssenus ait: *Ex illo Sabbatho præsens hoc Sabbathum agnosce, quietis hunc diem, cui supra dies alios Dominus benedixit: in hoc enim verè ab omnibus operibus suis Deus unigenitus conquievit*. Albertus Magnus super illa verba S. Lucæ: *Una Sabbathi*; subjungit: *Quam nos Dominicam appellamus*. Causam autem cur resurrectio Domini in ea die acciderit, ab eodem hæc adfertur: *Decuit enim quod hoc in prima Sabbathi nuntiaretur, ut qua die septimana Deus fecit cœlum & terram, eadem die terra gratia, & cœlum gaudio resurrectionis repleretur; & qua die Deus dixit fiat lux, ut illustraret cœlum & terram, eadem die lux surgeret claritatis resurrectionis ad cœli & terræ novam illuminationem*. Hic dies à sanctis certatim celebratur non solum ob resurrectionis Christi gloriam, verum etiam quod divino sit cultui specialiter consecratus. *Est enim verè festa dies* (inquit Rupertus) *verò beata dies, nobilitas anni, mensis decus, arma dierum; pulchritudine hujus diei Paradisus resplendet, cœlum purpuratum est, Angeli candidati, homines exhilarati sunt: hujus diei gratia singularis verbis explicari nequit*. S. Ignatius in quadam Epistola sua, sequentia nobis de hoc die scripta reliquit: *Diem festum celebrat omnis Christianus, Dominicam resurrectionem, regalem, eminentissimam omnium dierum*. B. Laurentius Justinianus in sermone de hoc festo ait: *Hæc utique est dies præclara & celebris, excelsior cunctis, sanctior universis, in qua mundi conditor ab inferis resurgens in corpore, victor gloriosissimus remeavit ad superos*.

Orat. 1. in Pasch.

In Luc. 24

L. 24. in Joan.

Epist. ad Magne.

2 *Dies quam fecit Dominus*. Hic dies multis antea diebus haud dubiè à Malachia prædictus fuit, dum ait: *Vobis timentibus nomen meum orietur sol justitiæ*. Hodie enim hic sol ad fidelium animarum illuminationem oritur, utpote quæ hoc die potius quam quovis alio anni tempore ad gratiam, lumen, & agnitionem Dei disponuntur. *Hæc est dies*, inquit Albertus Magnus, *de qua dicit ad Rom. 13. Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus*. Porrò diem illum, qui corporis illuminat oculos, lux efficit solis illius, qui supra nostrum Hemisphærium volvitur: at verè diem Dei verus justitiæ sol efficit, qui animas nostras gratiæ suæ lumine interius illuminat, peccati tenebras ab illis dissipando, id quod hodierna die specialiter perficitur, illius etenim resurrectione præcipue efficitur, quod Christiani hodie vitam suam communiter in melius commutent, mores pristinos emendent, omnemque culpæ & iniquitatis caliginem diffugent, seque ad gratiæ lucem hauriendam aperiant: *Ut quomodo Christus surrexit à mortuis*, inquit S. Paulus, *ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Unde S. Gregorius Nyssenus: ait: *Dies quam fecit Dominus, longè diversa à diebus illis, qui mundi procreationis initio sunt constituti, quos temporis cursus dimetitur, alterius hæc est procreationis initium; in hac enim die cœlum novum facit Deus, & terram novam, ut ait Propheta*. Hanc autem diei hujus novitatem ut magis declaret, subjungit: *In hac creatione sol quidem est vita munda, stellæ virtutes, aer præclara conversatio, mare altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ, herba & germina bona doctrina, divinaque documenta, quæ populus pascua hoc est, Dei grex carpit atque depascitur, arbores ferentes fructum mandatorum observatio*. Ac tandem concludit: *In hac die verus homo procreatur ad imaginem, & similitudinem Dei*. Ehem quot fiunt hodie induratorum & in peccatis habituatorum cordium conversiones & mutationes? Quot reformationes conscientiarum, & resipiscentiæ? Quot sunt qui ad veram reducuntur pœnitentiam? Sanctus Ambrosius tametsi nocti præcedenti noctis titulum attribuat, de ea nihilominus dicit: *Hæc nox est, de qua scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis*. Quænam autem est diem inter & noctem distinctio? Ecce tibi illam hisce verbis expressam: *Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*. Unde si noctem hanc à tenebris exemptam fuisse, imo cum ipsomet de luminositate contendisse, ostendere possimus, illam utique factum à Deo diem appellare poterimus, Deus etenim diem quidem fecit, noctis verò auctor nequaquam extitit. Dixit quidem: *Fiat lux*, per quam dies formatur: *Appellavitque lucem diem*, non verò dixit: *Fiat nox, fiant tenebræ*, sed hæ seipsis prodierunt, per solis à nobis recessum. Prorsus eandem considerare possumus differentiam inter alios dies, & hunc, qui à Deo factus esse dicitur. Alii enim ex die & nocte, sive ex luce & tenebris componuntur. *Factum est vespere* (ecce tenebras) *& mane* (ecce lucem) *dies unus*. Hodiernus autem à tenebris, & consequenter à nocte exemptus fuit. *Lux ista* (inquit S. Maximus) *non caliginem noctis detulit, sed mortis tenebras amputavit*. Cujus veritatis Evangelista testimonium perhibere velle videtur, dum ait: *Vespere autem Sabbathi, quæ lucescit*. Ubi Chrysologus ait: *Vesper finit non inchoat diem, tenebrescit vesper, non lucescit*. Videtur autem idem ille sanctus Pater verbis sequentibus innuere velle, id nequaquam mirandum esse, siquidem dies ille talis sit dies, quam parit sol æternus. *Vespera mater noctis parit diem, mutat ordinem, dum cognoscit auctorem, anhelat creatori servire non tempori*. Enimvero S. Mater Ecclesia noctem hanc ob gloriam resurrectionis gloriosam appellat: *Gloria Dominicæ resurrectionis illustrat*. Et S. Thomas ait: *Nox illa fuit lucida*. Et de hac nocte intelligitur Propheticum oraculum: *Et nox sicut dies illuminabitur*. Unde Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 1. De Trinit. & operibus ejus ait: *Idcirco noctem eque ac diem*

Mal. 4.

In Jo.

Rom. 6. 4.

Orat. cit.

In proœmio Pasch.

Hom. 3 de resur.

Ser. 71.

In Matth.

Ps. 138.

In Exod. cap. 21.

sequen-

sequentem sancta Ecclesia quantum potest, concelebrat: eodem namque victoriosa resurrectionis obsequio in vespera, quo & sequenti die exultat. In cujus etiam confirmationem ponderandum est, quod de devotis illis Mariis Marcus scribit, nimitum: *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum: & valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Quomodo inter se conveniunt & quadrant *valde mane, & orto jam sole?* Responderi quidem poterit, devotas hasce mulieres præmaturo tempore itineri huic se accinxisse, apud sepulchrum verò tunc pridem appulisse, cum sol jam exortus fuisset. 4.Reg. 3. 22. *Primoque mane surgentes*, ita alibi scribitur, *& orto jam sole ex adverso aquarum viderint &c.* Veruntamen aliam existimo fuisse mentem Evangelistæ, nimitum dicere voluisse, solem ortum suum anticipasse; quia licèt hora illa, qua egrediebantur, auroræ tempus fuerit, attamen quia serenus toti Horizonti jam illuxerat dies, utrumque salva veritate affirmari poterat, scilicet, quod tempus auroræ fuerit, & sol pariter exortus illuxerit. Imò aurora vesperi sese, non verò mane prodidit. *Vespere autem quæ lucescit. Si valde mane* inquit Serm. 82. Chrysologus, *quomodo orto jam sole? Sic nescit Evangelista, quid dicat? Evangelista quid dicat, scit*: considerat namque quod paulo ante dixerat: *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram, usque in horam nonam.* Sol igitur, qui ad Passionem creatoris sui præsentialiter compariturus, nigra se chlamyde induendo, noctem effecerat, hodierna die in resurrectione vel ortu suo, ut tenebras illas duplicata luce resarciret, longè citius solito ab Oriente illucescere cœpit: *Et qui, ut suo commoreretur Auctori, ipsam meridianam suam mortificaverat claritatem; ut consurgeret auctori suo, evictis tenebris antelucanus erupit; qui ante noctem fugerat nunc ipse noctem prævenit fugaturus ut reddat luci nox horas, quas terror Dominicæ Passionis invaserat.* Sanctus etiam Ambrosius fulgidissimam radiorum solarium eo die scintillantem, claritatem considerans, eandem quam S. Serm. 52. Chrysologus illius reddit rationem, dum ait: *Solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem: necesse est enim, ut in ejus resurrectione gaudeat, in cujus passione condoluit.* Et paulo post subdit: *Tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepulturæ, modo corruscet ad resurrectionis obsequium.*

3. *Dies quam fecit Dominus.* Ab omni namque tristitiæ nube immunis & exempta fuit; Dies enim totaliter serena, omnique lætitia & jubilo refertissima extitit. Dies quidem Nativitatis Domini dies clara fuit, Angelis nimirum super tugurium Betblehemiticum descendentibus, & læta voce concinentibus: *Gloria in altissimis Deo & in terra pax*; veruntamen eadem ab aliquo vagituum, lachrymarum, & passionum divini illius Infantis tristi nimbo obumbratus fuisse noscitur. Serena quoque fuit gloriosa illa dies circumcisionis, in qua gloriosum illud nomen ei impositum fuit, in cujus venerationem & reverentiam flectitur omne genu in cœlo, terra, & inferno: ex altera tamen parte constat illam sacratissimæ humanitatis suæ nubem vivam depluisse sanguinem. Fuit etiam sua serenitate singulari conspicua dies illa, qua Christus infans in tugurio Betblehemitico à tribus Regibus adoratus fuit; hæc tamen paulo post per fugam in Ægyptum, & Herodianam persecutionem mirè obfuscata remansit. Tranquilla etiam & splendida erat illa, qua Christus in monte Thabor transfiguratus est: *tunc enim resplenduit facies ejus sicut sol*; verum etiam dies illa suam passa est caliginem à cruentæ passionis memoria illa die habita; siquidem Moyses & Elias cum Jesu, *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem.* Hodierna autem Resurrectionis dies adeo serena & lucida fuit, ut ne vel minimo tristitiæ nævo obfuscata aut turbata fuerit, tota enim lætitia & cordis jubilo plena fuit, ac proinde ad gaudia & exultationem invitamus: *Exultemus & lætemur in ea.*

4. *Dies quam fecit Dominus. Etsi omnes dies fecerit* (inquit Incognitus quondam, nunc autem valde famosus ille Psalterii interpres Michael de Ayguaris Bononiensis) *hanc tamen singulariter fecit; non quia istam diem plus aliis fecerit, sed quia in ista die plus quam in aliis nobis fecit.* Chrysostomus quoque scribit: *Vocat hic diem non solis ortum, sed præclara facinora quæ in eo gesta sunt.* In Ps. 117. Atque insuper considerat, quod eodem die *facta est cum hominibus reconciliatio, diuturnum bellum fuit diremptum, terra cœlum evasit, homines terra indigni regno digni sunt, nostra naturæ primitiæ super cœlos sublatæ sunt, apertus est Paradisus, veterem patriam recepimus, expunctum est maledictum, & sublatum peccatum, tota terra & mare suum cognovit Dominum.* Lyranus eidem versui Psalmi similem adhibet interpretationem, dum ait: *Hæc dies &c. licet fecerit omnia tempora generaliter, dicitur tamen facere aliquod tempus specialiter propter bonum quod in illo contingit.*

Hic dies à Deo factus esse dicitur, quia per Christi resurrectionem multa nobis bona attulit; simulque ostenditur, quòd lætitia hujus diei spiritualis, non verò prophana esse debeat.

DISCURSUS TERTIUS.

Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.

1. PEr hunc diem, cujus Deus noster specialis auctor esse dicitur, Euthymius ingentem eximiorum bonorum cumulum per Salvatoris resurrectionem nobis comparatum intelligit. *Per bonam diem bona illa intelligit, quæ in eo die perfici contingit; Prædicare igitur vult propheta summa illa bona, quæ in die Resurrectionis* In Gloss. *Domini futura erant, & quæ Christus ipse operatus est.*

2. Hæc etenim Resurrectionis clarissima lux infidelitatis ac Idololatriæ tenebris dissipatis, fidem & Religionem Catholicam firmiter stabilivit, unde Hugo Cardinalis ita scribit: In Ps. 117. *Iste versus multoties cantatur in die Resurrectionis, quæ specialiter & propriè dicitur dies eo quod verum lumen tunc ortum est, & verus sol ortus, de sepulchro tenebras infidelitatis amovit, de quibus Gen. 1. Tenebræ erant super faciem abyssi: Thomas interpretatur abyssus super cujus cordis faciem erant tenebræ infidelitatis, quando dixit: Nisi videro &c. sed illas amovit, cum ei apparuit.* Imò non solum in S. Thoma, verum in universo mundo Paganismi tenebras dissipavit, dum falsorum Deorum simulachra conterendo, populos gentium ad veri Dei agnitionem convertit: Matth. 28. 18. *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, dicebat ad discipulos suos Christus, postquam resurrexit à mortuis: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos.* S. Bonaventura in sermone quodam, qui est secundus in ordine de resurrectione, illa Psalmi verba adducens: *Exurge gloria mea, exurge* devotè meditatur Patrem æternum filium suum hisce verbis à somno mortis excitasse: Dicit enim: *Ecce quam amabiliter & dulciter Pater alloquitur filium de sua resurrectione: nam secundum Glossam verba ista pii sunt Patris ad filium: Exurge ad divinam gloriam magnificandam, ad Angelicam ruinam reparandam, ad humanam miseriam sublevandam, ad diabolicam malitiam dissipandam*; ac proinde non immerito Paulus de Palatio Christum hisce verbis Patri suo respondentem In Matth. introducit. *Exurgam diluculo, & confitebor tibi in nationibus.* Prætereà per gloriam corporis gloriosi Redemptoris resurgentis, spes futuræ resurrectionis nostræ in nobis resuscitatur & revivicit, ac proinde S. Job liberè Job. 19. 25. dicebat: *crede, quod Redemptor meus vivit*, indeque necessariam banc deducebat consequentiam: *Et in novissimo die de terra surrecturus sum & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Insuper etiam ex corporum nostrorum resurrectione, quo in virtute resurrectionis Christi suum sortietur effectum, hoc quoque derivatur emolumentum à D. Damasceno hisce verbis descriptum: L. 4 de orthod. fide c. 28. *Hinc gloria cœlestis consideratio, illinc vero suppliciorum gehenna meditatio, vehementer & ad bonum amplectendum excitant, & a vitio declinande revocant.* S. Bonaventura alium quendam stimulum lateribus nostris per resurrectionem admoveri, dicit, scilicet Serm. 1. de resur. quod in nobis spem excitet ad futuram gloriam: *In nascendo*, inquit, *contulit consortium naturæ, in patiendo beneficium gratiæ, sed in resurrectione complementum gloriæ.* B. Laurentius Justinianus in hoc festum ita scribit: Serm. de resur. *Te Deus tuus revocavit ad pacem, te duxit ad Patrem, te provexit ad gloriam, te decore induit, teque* immor-

immortalitatis dote vestivit. S. Gregorius Nyssenus de Christo resurgente ita scribit: Orat. 1. de Pasc. *Vita & resurrectio, & aurora, & mane & dies in tenebris & umbra mortis degentibus factus est*. Omnes namque animæ in sinu Abrahæ hactenus detentæ, virtute resurgentis Christi oculos suos in Deum clarè defigere, nec non beatitudine tot votis atque suspiriis desiderata & expedita perfrui meruerunt. Est præterea aliud quoddam considerabile bonum, quod Resurrectio Christi secum adduxit, nimirum remissio & venia peccatorum nostrorum. Ser. de ver. Salv. 33. Unde S. Bernardus ait. *Hoc est propter quod oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, ut prædicetur in nomine ejus pœnitentia & remissio peccatorum: pœnitentia ad innocentiam, remissio ad munditiam deputetur*.

3. *Exultemus & lætemur in ea*. Hisce verbis invitamur & exstimulamur, ut hodierna die, in qua divina liberalitas & munificentia per Salvatoris nostri resurrectionem tot nos bonis cumulavit, gaudeamus, lætemur & conjubilemus. Fecerunt idipsum ad nostrum exemplum ipsimet sancti Angeli, tametsi ipsorum de hoc festo tanti sicut nostrum minimè intersit: Sanctus etenim Gabriel Archangelus, uti Salmeron existimat, hodie Mariæ apparuit, eandemque post annuntiatam ei filii sui Resurrectionem, hisce magnificis & festivis verTo. 11. tr. 7. bis salutavit: *Regina cæli lætare alleluja; Quia quem meruisti portare alleluja; Resurrexit, sicut dixit, alleluja*. Demum quando S. Gregorius Magnus Romæ tempore sævientis pestilentiæ, celeberrimam illam à S. Luca depictam imaginem, in solemni Processione, per Urbis compita, portari fecit, circum eandem imaginem auditi fuerunt Angeli, idemmet Canticum decantantes, cui demum ipse hæc verba protinus subjunxit: *Ora pro nobis Deum alleluja*.

4. *Exultemus & lætemur in ea*. Angelus Domini hodierna die veste candida amictus apparuit, ita enim deSer. in die pasc. votæ Mariæ illum amictum viderunt: *Viderunt juvenem coopertum stola candida*. Ubi S. Antonius Paduanus ait: *Juvenis dictus, eo quod juvare paratus est Dei fidus, tanquam juvenis paratus est nos adjuvare*. Salmeron verò opportunè ad propositum nostrum ita scriTom. 11. tr. 9. bit: *Vestimentum album sicut nix, quia resurrectio Domini materiam præbet gaudii illo colore indicat, & quia ad immortalitatem & triumphum gloriæ reducit, atque ad Angelorum societatem & gloriam restituit*. Doctor Angelicus universale omnium creaturarum jubilum, qui in eâdem hodierna die conspicitur, considerans Serm. 2. de Resur. ait: *Fecerunt istum diem solemnem tria: Primo cœlum Angelum transmittendo: secundo terra præ gaudio exultando; Ecce terra motus factus est magnus: tertio Infernus sanctos restituendo*. Sanctus Maximus quoque suas in ordine ad hanc universalem lætitiam habuit conHom. 4. de Resur. siderationes, dum ait: *In resurrectione ergo Christi elementa omnia gloriantur, & solem ipsum arbitror esse in hac die solito clariorem*. Albertus Magnus super hæc S. Lucæ verba: *Valde diluculo*, de Mariis scribit: *Quia in diluculo ad quærendum eum veniebant, qui jam suæ claritatis luce cœli sinum illustrabat; illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*. Præcucurrit etenim aurora, & solito velocius ad dissipandas noctis tenebras emicuit, quia *nox sicut dies illuminabitur*.

5. *Exultemus & lætemur*, sed *in ea*, id est ob fines & bona, quæ hic dies nobis adduxit & peperit. Rupertus Abbas Tuitiensis ita scribit: *In finem canticum PsalLib. 9. c. 13. de glorif. Trinit. & processu Spiritus S. mi resurrectionis tali prænotare titulo: Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus; & dicit inter cætera: Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea: Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; quæ omnia mysticè significant combustionem vitiorum, purificationem spiritus*. Ecce tibi igitur quonam ordinandum sit hujus Paschalis festi gaudium, nempe ad extirpanda à cordibus & animabus nostris vitia, ad conscientiam purificandam atque mundandam. Ad lætitiam igitur spiritualem, non verò prophanam In Ps. 12. invitamur. Unde Chrysostomus ait: *Exultemus & lætemur; lætitiam hic dicit spiritualem, lætitiam mentis lætitiam animi*. S. Gregorius Nyssenus circa illa verba: *Exultemus & lætemur*, modum, quo id à nobis fieri Orat. 3 in Pasc. debeat, protinus subjungit, dicens: *Non ebrietatibus & commessationibus, non choreis & debacchationibus*. Econtra verò hodie fieri videmus: Hisce namque paschalibus diebus magna pars hominum Christianorum Deum parum admodum timentium, ideo gaudent & lætantur, quod tandem finis accesserit jejuniorum, aliorumque rigorum quadragesimalium, quod multæ terminatæ sint austeritates, cessent quotidianæ conciones & præfervidæ ad pœnitentiam & vitæ emendationem inchoandam exhortationes, ac proinde nunc ludis, jocis, prophanis conversationibus & inhonestis colloquiis, conviviis quoque, omnibusque aliis recreationibus frænum laxare possint. Has fraudum technas, quibus Dæmon hisce diebus homines illaqueat, S. Bernardus in sermone quodam super hoc festum, qui est in ordine primus, hunc in modum deplorat: *Obnubilat fratres solemnitatis lætitiam materia tristior. Proh dolor peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris; ex hoc tempore commessationes & ebrietates redeunt; cubilia & impudicitia repetuntur, & laxantur concupiscentiis fræna, quasi ad hoc resurrexerit Christus, & non magis propter justificationem nostram*. Salmeron quoque To. 1. tr. 8. modum nobis, quo hanc resurrectionis lætitiam prosequi debeamus, hisce verbis demonstrat: *Magna cum lætitia conjuncta fuit Domini resurrectio, quia solutis doloribus inferni excitatus est, & gavisi sunt discipuli viso Domino, talem expedit esse justificationem nostram, qua percepto spiritu paracleto in divinis delectemur*. Singulariter autem ad hoc nobis advertendum est, quod sicut Christus *solutis inferni doloribus* à mortuis resurrexit: ita quoque ex quo in nobis virtute resurrectionis ejus soluta sunt vincula Inferni, totque nobis remissa sint peccata, cum omni studio nostro in hoc nobis connitendum erit, ne iterum in eadem infernalia vincula, fortius iisdem constringendi, reincidamus; siquidem *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*. Serm. 1. in Oct. pasch. 157. de tempore.
Unde S. Augustinus ait: *Quia Paschales dies sunt, id est, indulgentiæ ac remissionis, ita à nobis sanctorum dierum festivitas agatur, ut relaxatione corporum, puritas non obfuscetur; sed potius abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lascivia, demus operam sobriæ remissioni ac sanctæ sinceritati, ut quidquid modò corporali abstinentia non acquirimus, mentium puritate quæramus*. Notate quo in respectu & veneratione a nobis habendi sint Paschales hi dies. *Dies sunt indulgentiæ ac remissionis*; atque ideo enormiter errant, qui ad laxandum delitiis ac voluptatibus fræna dies hosce impendunt. Sancta mater Ecclesia in Sabbatho sancto cursum Quadragesimalem ad finem usque perductum esse videns, in ea oratione, qua ignem, in quo Chrisma vetus comburitur, benedicit, ad purificandas hisce sanctis diebus mentes nostras, cœlestium desideriorum ardorem à Deo enixè efflagitat, dicens: *Concede nobis per hæc festa Paschalia cœlestibus desideriis inflammari, ut ad perpetuæ claritatis festa e mentibus valeamus pertingere*.

6. *Resurrexit*, inquit Apostolus, *propter justificationem nostram*. Id quod reali experientia comprobamus: hodie enim omnes Christiani ad pœnitentiam reducuntur, sacramento Eucharistiæ cibantur, mutant dissolutam vitam, pravosque mores reformantes, ad Deum sincerè convertuntur. Justum igitur est, ut hodierna die cordialissimè gaudeamus: *Exultemus & lætemur in ea; si enim gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente*. Quanto majus hodierna die gaudendi motivum his in terris habemus, siquidem hodie non unum, sed omnes pariter peccatores simul cum Christo ad gratiam resurgere, atque ad pœnitentiam reduci videmus?

Nonnul-

Nonnullæ virtutes & merita illarum sanctarum mulierum considerantur, quibus Christus resurgens dignatus est apparere. Ostenditur etiam, quem à sepulchro revolutum esse viderunt lapidem, symbolum esse pravæ consuetudinis, quæ per resurrectionem Christi, & Mariarum imitationem planè superatur.

DISCURSUS QUARTUS.

Dicebant ad invicem; quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? & respicientes viderunt revolutum lapidem; erat quippe magnus valde. Marc. cap. 16. vers. 4.

Lib 14. in Joann.

1 OPtimè Rupertus Abbas ponderat, devotas hasce Marias cum sancta quadam impatientia sustinuisse, donec ad sepulchrum Christi se recipere possent: *Constat itaque quia in lachrymis pervigiles amores, nimiumque longâ retardantis Sabbati mora fatigata, quo nec operari, nec plus mille passibus ambulare licitum erat Judæis.* Postquam verò sanctam hanc solicitudinem & anxietatem, quam inæstimabilem hunc thesaurum investigando, exhibuerant, satis superque considerasset, tandem subjungit: *Mox ut onerosum illud Sabbatum abiit, recessit, transivit, non quieverunt, non dederunt oculis suis somnum, non luciferum ad proficiscendum præstolata sunt diem, noctem pro die, desiderium pro Duce, lunam rapuere pro sole.* Illis autem jam in via consistentibus mox hæc illos cogitatio incessit; *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Adeo enim grave & ingens saxum erat, ut Evangelistæ visum, fuerit nequaquam sufficere, si diceret: *Erat quippe magnus* nisi insuper adderet *Valde*; aderant quoque aliæ difficultates non minus hac insuperabiles. Salmeron dicit: *Fortes profectò fœminas se produnt ista atque magnanimas.*

To. 11. tr. 8

Licet enim mulieres sint, per noctis tamen tenebras iter facere non formidant, sigillum à Pilato sepulchro, ne à quopiam aperiretur, impressum inde revellere non verentur, tametsi ob id, utpote læsæ majestatis crimeo, mortis pœnam sibi se conciliaturas esse scirent; non terrentur ob armatorum militum custodiam, à Principibus & summis sacerdotibus contra omnes Christi sequaces subornatam, & exasperatam: non retrahebantur ab eo, quod corpus seu cadaver mortuum contrectaturæ, & sepulchrum contra legis Mosaicæ prohibitionem ingressuræ essent, non synagogæ odia, & fulminatas ab eadem excommunicationes metuebant. Verum quidem est, quod etiam S. Petrus & S. Joannes ad idem se sepulchrum receperint; sed ut Lucas Burgensis observat, *hi statim reversi sunt domum, antequam plena luce homines ædibus suis egrederentur, ne observati à Judæis accusarentur, ut circa monumentum aliquid machinati:* Non autem sic generosæ hæ mulieres, quia *perfecta charitas foras mittebat timorem.* Et tamen quod valdè notandum est, saxum illud recogitantes timere incipiunt, dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Tantum de Saxo revolvendo erant solicitæ* (inquit Salmeron) *ad quod revolvendum erant vires fœmineæ longè impares.* Nec tamen ob id à cœpto itinere destiterunt, neque gressum tardarunt. *Profectò longè potens est amor Christi, & nihil amanti difficile.*

In Luc.

In Matt.

2. *Et respicientes viderunt revolutum lapidem.* Ubi Albertus Magnus hanc addit Glossam: *Quia semper suis adest Deus.* Neque enim solum viderunt revolutum lapidem, verum etiam Christus ipsemet a morte experrectus, ipsis dignatus est occurrere, easque summa cum benignitate excipere & consolatione demulcere. *Ecce Jesus occurrit illis dicens, Avete: illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Occurristi lætanti,* inquit Albertus Magnus, illo usus textu Isaiæ cap. 64. *& facienti justitiam in viis tuis* Erant hæ sanctæ mulieres Christo inquirendo, itaque illi obsequia & charitatis ministeria adhibendo, ejusque corpori pretiosissimis aromatibus condiendo totaliter intentæ. *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Ubi Chrysostomus: *Gaudent & admirantur, & tanta perseverantiæ retributionem accipiunt, ut prima videant, & annuntient.* Lucas Burgensis idem observat ipsæ enim præ omnibus aliis de Resurrectione Domini nostri certiores factæ fuere: *Quia illæ sedulitate sua, ac animi officiosi ac grati declaratione hoc promerentur.* Paulus de Palatio Christum ipsummet ipsis occurrere notat, ideoque scribit: *Non me fugit, Christum sæpè non currentibus, & non volentibus occurrere; dictum est enim, inventus sum à non quærentibus me; tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Fieri igitur potest ut Christus occurrat non currentibus; sed non potest ut præcurrentibus non occurrat; dictum est enim, ego diligentes me diligo, & qui manè invigilant ad me, invenient me; & item omnis, qui quærit invenit.* Submota igitur fuerunt omnia obstacula: *Respicientes viderunt revolutum lapidem;* unde in sensu allegorico, Christum à mortis suæ somno viderunt resurgentem: *Petra autem erat Christus, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

Hom. 90. Matth.

In Matt.

Ser. In die Pasc.

3 *Quis revolvet nobis lapidem?* In hoc etenim summa communiter difficultas consistit, quam maxima pars peccatorum in peccatis habituatorum, quibus cor inest quovis silice durius, in se experiri consuevit. Dicit autem S. Antonius de Padua: *Lapis tunc revolvitur, cum per gratiam pondus peccatorum tollitur.* Quodsi autem ulterius inquiras, qua ratione mala peccandi consuetudo & perversus ille habitus à nobis tolli, illaque peccati durities in nobis vinci & superari possit? Respondeo, id melius fieri non posse, quam auferendo omnem ejusdem peccati occasionem, seu fugando à se omne malæ illius inclinationis incentivum atque fomentum. Enimvero nemo est, qui nesciat Lazarum quatriduanum figurasse peccatorem, qui peccando sibi collum obduxerat, à morte peccati ad gratiæ vitam denuo resuscitatum. Antequam verò Lazarus ille è monumento vivus prodiret, qui erat mortuus, Christus, primò Apostolis, ut eum à vinculis & nexibus, quibus illigatus erat, absolverent, præcepit: *Solvite & adducite mihi*; hoc enim faciendo, idem munus præstabant, quo sacerdotes hisce diebus circa multos quatriduanos Lazaros, id est, in malis consuetudinibus suis inveteratos, per sacramentalem absolutionem fungi solent. Valde autem acutè S. Ambrosius hic inquirit, quamobrem Christus, qui fœtidum illud cadaver Lazari imperio vocis istius, *Lazare veni foras*, foras è tumba prosilire fecerat, non pariter lapidem ejusdem vocis vehementia à sepulchro removerit, sed illum à discipulis amoveri præceperit, dicens: *Tollite lapidem?* Et sanctus Doctor de Pœnitentia tractans, id ad nostram instructionem factum fuisse respondet. Quænam autem est doctrina illa, quam nobis in hoc suggerere contendit? *Nostrum est onera removere, illius est resuscitare.* Nobis etenim incumbit, ut lapidem hunc submoveamus, id est, è medio tollamus omnem peccandi occasionem, scilicet proponendo nobis ad illam suspectam domum nunquam deinceps reverti, lascivas illas imagines, accepta ab amasio vel amasia dona & munera, nec non & lenocinatrices literas, quæ illius nobis adeo nocivi objecti memoriam suscitant, & veluti scintillæ, concupiscentiæ ignem in nobis reaccendunt, procul à nobis abjicere: hisce enim ex parte nostra præmissis Christus, quod suum est, facere non omittet: *Lazare veni foras* inquit Christus. Necessum enim est è sepulchro egredi, id est, à loco illo recedere, ubi contracta est mors peccati. Unde S. Augustinus ait: *Quod exiit à monumento animam significat recedentem à carnalibus vitiis.* Notandum quoque est, quod increata illa sapientia non dixerit: *Redi ad vitam; resurge: Sed veni foras* id est, de sepulchro; quia si, postquam resuscitatus erat, in obscura illa, & putredine & fœtore plena tumba remansisset, facillimè ad mortem denuo redire potuisset; atque ideo jussio illa Christi *Lazare veni foras*, quædam fuit nostra instructio, opus nimirum esse ut egrediamur è sepulchro, id est, ut ab omnibus periculis & incentivis, quæ in novorum peccatorum recidivam nos relabi facere possunt, quoad possumus, recedamus. Paulus de Palatio scribit, quod postquam diu secum deliberasset, quidnam lapis ille, qui erat ad ostium monumenti Christi, significaret, tandem inciderit in S. Augustinum, qui Tractatu 49. in Joannem de lapide sepulchrali, qui erat super Lazari sepulchrum tractans, ita scri-

Lib. 2 de Pœn.

L. 83 q 65.

In Matt.

scribit: *Est pondus legis antiquæ*: Paulò post verò dicit: *Lapis est moles pravæ consuetudinis. Cum ergo per Christi resurrectionem*, subjungit hic auctor, *& moles antiquæ legis sit ab humana sublata natura, & comparata sit gratia virtus, per quam nulla consuetudo peccati, mortuo peccatori (si resurgere velit) obsistere possit, meritissimè dictum est, quod per Christi resurrectionem ab Angelo revolutus est Lapis*. Eodem quoque in loco subjungit mysterium, cur Angelus huic lapidi insederit: *Quia consuetudo habitusque peccandi nulli a peccato surgenti nocere poterit (si modo ille non sibi eam superinducere velit) idcirco etiam super lapidem sedisse dictus est Angelus*. S.
Ser. cit. Antonius Paduanus quoque scribit: *Angelus est gratia Spiritus sancti, quæ lapidem ab ostio monumenti removet, fragilitatem confortat, omnem asperitatem mollificat, & omnem amaritudinem sui amoris balsamo dulcificat*. Apostolus, ut ait S. Thomas in cap. 6. Epistolæ ad Romanos, totus in eo est, ut cognoscere nos facit, quod mediante gratia Christi, quam in virtute resurrectionis ejus recepimus, majores quoque vires ad resistendum deinceps peccatis acquiramus. In progressu autem hujus Epistolæ inter alia motiva ad idipsum credendum hoc quoque adducit: *Hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*. S. Thomas verò dicit per hunc veterem hominem intelligendam esse inveteratam peccandi consuetudinem. *Consuetudo peccandi, quæ quandam necessitatem ingerit ad peccandum; vel etiam ipse fomes peccati proveniens ex peccato primi parentis: sic igitur vetus homo noster dicitur esse simul crucifixus cum Christo, in quantum prædicta vetustas virtute Christi sublata est*. Et modum, quo id factum est, declarans, subjungit: *Quia diminuitur virtus ejus, sicut virtus fomitis, vel etiam consuetudinis peccandi*.

4 Advertendum proinde est, sanctas hasce mulieres dignas se reddidisse, quæ lapidem hunc sublatum esse conspicerent, quosque Christus apparitione sua dignaretur, siquidem in corpore ipsius quærendo pretiosissimisque unguentis deliniendo, adeo se probarunt esse diligentes atque solicitas, tantamque passionis ejus doloribus exhibuerunt compassionem. Unde Didacus
In Luc. Stella ait: *Mariæ istæ primò de Christi resurrectione exultant, quia maximè in ejus passione doluerant*. Hasce devotas mulieres quilibet peccator pro viribus imitari debet, si a sepulchro cordis sui lapidem, id est, malæ consuetudinis, malique habitus peccati duritiem subla-
In Matt. tam esse desiderat. *Beatæ ergo fœminæ, quæ currebant* (inquit Paulus de Palatio) *dicere quippe earum quævis poterat; sine iniquitate cucurri & direxi: exurge in occursum meum Domine* Facienda quoque nobis est bona con-
Or. 1. in Resur. fessio. Unde S. Gregorius Nyssenus ait: *Sint in manibus nostris aromata pura conscientiæ*. Hugo Cardinalis ait:
In Mar. *Tres Mariæ sunt, Mens, Lingua, Manus, & habet quælibet unguenta sua. Unguenta mentis contritio, compassio, devotio; unguenta linguæ discreta locutio, oratio devota, confessio integra; unguenta tertiæ mulieris, scilicet manus sunt septem opera misericordiæ*. Didacus Stella etiam de hisce unguentis, ad sepulchrum per hasce mulieres allatis, ad propositum ita scribit: *Docemur opera misericordiæ esse certam viam ad inveniendum Deum & conversandum cum Angelis*. Porrò hæ sanctæ Mariæ intra sepulchrum istud semper abscondi desiderabant, ideoque lapidem sublatum esse viderunt. Unde Alber-
In Luc. tus Magnus hoc elicit documentum: *Lapis iste obdurationem cordis significat, qui devotè Deum quærentibus resolvitur. Ezech. 11. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Sic igitur in devotione spiritus lapidem invenerunt revolutum a monumento, in quo cum Domino Jesu includi & abscondi desideraverunt*. Salmeron verò aliam hinc elicit moralitatem, dum ita scribit: *Ubi nos præstitimus quod nostrum est, in his, quæ ad Dei gloriam operari cogitamus: Deus, quæ supra nos sunt, pro sua immensa bonitate supplere consuevit; viderunt enim lapidem angelico ministerio de sepulchro sublatum*.

Ostenditur lætitiam resurrectionis à Passionis memoria sequestrandam non esse. Nonnullæ etiam adducuntur rationes, & cur retinere voluerit vulnerum suorum cicatrices.

DISCURSUS QUINTUS.

Nolite timere vos, scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis. Matth. cap. 28. v. 6.

1. Terra in Christi resurrectione eximiis fundamentis concussa fuit, adeo ut Scriptura dicat: *Terræ motus factus est magnus*; & armati milites, quantumvis robusti, fortes, & generosi, adeo fuere conterriti, ut facti sint velut mortui: *Præ timore exterriti sunt custodes & facti sunt velut mortui*. Et tamen, quod mirum est, devotæ Mariæ ad monumentum appropinquantes, Angelum de cœlo in sepulchro visum, audiere dicentem: *Nolite timere vos, scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis*. Quodnam obsecro, in eo latet mysterium, quod mulieres illæ omnem timorem ponere jubeantur, eo quòd Christum quærunt crucifixum? Nimirum salutare quoddam per hoc omnibus fidelibus traditur documentum, lætitiam Resurrectionis à Passionis memoria sequestrandam non esse, Christus resurgens quærendus quidem nobis est, ita tamen ut simul idipsum pro nobis crucifixum esse recordemur. Unde Rupertus Abbas Tuitiensis L. de Tr. & oper.
super illa verba Psalmi: *Dominus regnavit decorem indutus est*; ait: *Eandem carnem spinis coronatam, & in sepulchro depositam rursus induit*. Ideoque Angelus, qui primus omnium Resurrectionis nuntius fuit, non sine mysterio ipsum crucifixum appellavit; Neque enim resurrectionem à Passione sejungere voluit; imò notandum est, quod idemmet Angelicus nuntius devotis illis mulieribus dixerit: *Recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi*. Quid enim opus erat, Resurrectionis lætitiam, mortis suæ illis tam diu ante prædictæ memoria amaricare? Optimè ad hoc Hugo Cardinalis respondet: *Per hoc quod juxta sepulchrum jubentur mulieres recordari verborum Domini, quæ de passione sua simul & resurrectione prædixerat, docemur, quod inter mysteria Passionis recolenda sunt gaudia Resurrectionis*. Dicet autem aliquis fortasse, quodnam erat illud in hisce Mariis sublimius præ aliis meritum, ob quod privilegiari meruerunt, non solum quoad primum illis allatum resurrectionis nuntium, verum etiam quoad illam adeo benignam ipsiusmet Redemptoris nostri apparitionem, in qua illis occurrit: Paulus de Palatio respondet: *Quæ duraverant juxta Crucem videntes* In Matt.
morientem, nunc priores merentur videre resurgentem; ac proinde B. Thomas de Villa nova hanc in earum favo Conc. 1. de resur.
rem meditationem instituit: *Prodeunt ergo domo, dum adhuc tenebræ essent, & veniunt ad monumentum orto jam sole; non quod segniter irent, quæ quasi aquilæ volabant ad corpus; sed quia euntibus medio se itinere Crux obtulit (cur ita non credamus) quæ instante Sabbato adhuc erecta manebat, pristinosque illis renovavit dolores: dumque illam sæpius amplexantur, repetitisque deosculantur amplexibus, dominicam Passionem multis gemitibus prosequentes hora abiit, lugentesque ortus reperit Sol*. Quid mirum igitur si primæ sint, quæ per Resurrectionis suæ nuntium, & personalem apparitionem suam consolatione demulceantur? *Si compatimur, & conglorificabimur: secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes* Rom. 8. 17
tuæ lætificaverunt animam meam. Consideravit etiam S. Ps. 93. 19.
Thomas, quòd hæ Mariæ *arctius Dominum amaverunt*; eumque amorem demonstrarunt *in tantum ut ab ejus sepulchro discipulis etiam recedentibus non recederent*. In Christum vulneratum suos habebant defixos oculos: 3. p. q. 55. a. 2. ad 3.
Jesum quærebant, sed crucifixum.

2 Olim propriissima Sacri Paschatis nostri figura Agnus Pascalis fuit: Hic autem non nisi tostus seu assus Con. Tr.
manducari poterat; ut autem S. Justinus Martyr notat, Agnus ille assandus duplici bacillo sive lamina transfigebatur, quorum una à capite ad pedes usque penetrabat, altera verò utrumque transfadigebat humerum, ac proinde quasi in crucem actus esse videbatur. Eccle-

sia

sia quoque in hodierno Paschatis die hunc ritum solemniter observat, quòd Agnus per singulas domos asseretur, benedicatur, & in illius Agni, qui sacrificatus est pro nobis, memoriam ex devotione comedatur quod tametsi cum lætitia fiat, simul tamen Passionis ejus memoria intermiscetur. Quot ut Ecclesia nobis tanto fortius imprimeret, hunc ubique terrarum ritum introduxit, ut toto tempore Paschali, quod solidos quadraginta dies durat, Resurrectionis pariter & crucis seu Passionis Christi memoriam habeatur. *Crucifixus surrexit, Crucem sanctam subiit, surrexit die tertia.* Ut Christus post resurrectionem suam discipulis apparens certum quoddam & infallibile humanitatis & præsentiæ suæ signum ederet, cibum ab iis poposcit. Qualemnam verò cibum (juxta ejus dispositionem) ei propositum fuisse existimatis? Favus mellis & piscis assus: *Omnia in sapientia fecisti.* Hugo Cardinalis ait; *Piscis assus fuit Christus in passione, favus mellis in resurrectione, piscem assum igitur & favum mellis offert Christo, qui fidem Passionis & Resurrectionis firmiter tenet.* Voluit itaque ut intelligeremus, nos sapidiorem cibum ei subministrare nequaquam posse, quàm meditationem Resurrectionis, cum Passionis suæ memoria. Trita sunt illa Tertulliani verba dicentis: *Favo post fella gustavit; nec antea Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quam Rex Judæorum proscriptus in Crucem* idque in eum finem factum est, ut nos intelligeremus, quod si nos gaudiorum suorum fieri volumus participes, passiones ejus prius participare debeamus.
In Marc. *Bene quæritis eum*, inquit Hugo Cardinalis, *quia quæritis Nazarenum & crucifixum; multi enim quærunt tantum Jesum Nazarenum, id est salutem floridam: volunt enim hic gaudere cum mundo, & in futuro regnare cum Christo, sed non invenitur Nazarenus sine crucifixo.* Idemmet Eminentissimus Cardinalis alibi nos docet modum, quo crucifixum quærere debeamus, licet is à
In Matt. mortuis resurrexerit. *Crucifixum*; inquit, *quærit, qui per pœnitentiam Jesum quærit.* Licèt enim jejunium quadragesimale terminatum sit, disciplinæ etiam & aliæ austeritates septimanæ sanctæ finem suum acceperint, non tamen ob hoc desistendum nobis est, ab agenda pœnitentia, neque ideo vitam nostram & morum honestatem relaxare debemus, quia Pascha advenit, quodque jam tempus agatur lætitiæ. Bene hac de re S. Ber-
Ser. 1. de resur. nardus scribit: *Quid minus reverentiæ resurrectionis tempus exigit, quam Passionis? Si compateremini & conregnaretis, si commoreremini & consurgeretis; nunc autem ex sola consuetudine temporis & simulatione quadam humiliatio ista processit, quam non sequitur exultatio spiritualis.* Paulus de Palatio salubriter nos monet, ut juxta consilium S. Pauli Apostoli salutem nostram cum timore
In Matth. & tremore operemur: *Cum metu & tremore salutem vestram operamini: Christiani timeant, qui licet Christum quærant, eum tamen regnantem non patientem exoptant; aut Paulus nihil se aut quærere aut scire arbitratur nisi Jesum, & hunc crucifixum.* Eodem Resurrectionis die duo illi discipuli in Emaus concedentes, Christum unquam deinceps resurrecturum esse prorsus desperabant: Christus autem, qui in specie peregrini sese illis Associavit, exprobravit illis incredulitatem eorum: *O stulti & tardi corde ad credendum!* Veruntamen postea eos illa gratia adhuc dignatus est, ut illius frui præsentia, & discursus Salvatoris audire possent; imo ut est nonnullorum opinio ipsos quoque propriis manibus communicavit. Vultisne autem causam scire, ob quam ipsos ac ratione consolatus fuerit? Nimirum quia mutua inter se de Passione ipsius colloquia miscuerant. Unde Dionysius
In Luc. Carthusianus ait: *Ipse Jesus appropinquans ibat cum illis: ipse enim dixit: Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: & quia de Christi Passione contulerunt, & ei piè compatiebantur, apti fuerunt visitari & consolari ab eo: specialiter enim complacet Salvatori compassio & collatio de sua passione.*

3. Observastis ne aliquando quibusnam verbis Propheta Regius Patrem æternum loquentem introducat, dum filium suum à morte ad gloriosam resurrectionem suam conabatur exsuscitare. Postquam sepulturæ suæ
Ps. 56. 5. meminisset dicendo: *Foderunt ante faciem meam foveam* mox Altissimum hunc in modum filium suum alloquentem adducit: *Exurge gloria mea, exurge Psalterium & Cythara.* Demum verò Filium quoque introducit hunc in modum Patri suo æterno respondentem: *Exurgam diluculo; confitebor tibi in populis Domine.* Porrò quod ad præsens propositum vel maximè servit, hoc est, quod scilicet Pater æternus filium suum in tantum ad resurrectionem ordiendam invitet, in quantum antea *fuit psalterium & cythara.* Unde Sanctus Bonaventura di- Ser. 2. de resur.
cit: *Christus est gloria Patris in Resurrectione; fuit tunc Psalterium & cythara in Passione: sicut enim in hujusmodi instrumentis chordæ super lignum tenduntur, sic membra & nervi Christi super lignum Crucis; unde Ecclesia compatiendo cantat: Tensa laxa viscera. O quam dulces sonos, quos de chordis cordis reddidit hæc cythara, dum Christus in cruce loquebatur.* Cantandum porrò nobis est hodierna die lætum illud & gaudiosum alleluja, concipiendique sunt jubili effectus, id tamen fieri debet super hujus Cytharæ & Psalteris chordis, id est, sine oblivione suæ passionis.

4. Enimvero Redemptorem nostrum in manibus, pedibus, & latere suo vulnerum suorum cicatrices retinuisse certum est; Veruntamen dubitare quis posset, an non hæ in corpore quodam glorioso potius defectus, quam ornamenta censeri debeant? Sunt, qui dicant non esse defectus, sed potius ornamentum quoddam corpori glorioso conciliare, id quod ostenditur similitudine scissurarum, quæ in veste ex industria fiunt, per illas enim aurea tela, subtus latens, pulchrius emicat. Lucius Florus de Augusto in prælio vulnerato scribit: *Saucius manibus & pedibus speciosior sanguine.* S. Leo di- Lib 4. c. 12.
cit, quod cicatrices has retinere voluerit ad sanandum Serm 1. de
infidelium cordium vulnera; prouti in S. Thoma adimpletum fuisse cernimus. S. Hieronymus affirmat Chri- As.
stum eas retinuisse in signum amoris? *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Doctor Angelicus id factum esse dicit: *Ut victoria sua triumphum circumferret, & dubios in fide firmaret.* Lyranus ait? *Ut per cicatrices* Ser 138 de
remanentes ostenderet identitatem corporis numeralem prius passi S. Augustinus dicit: *Poterat figuras* temp.
clavorum Dominus resurrectione sua componere; sed ideo Serm. 2. de
reservavit, ut qui hoc sacrilegum commiserant, videant translat. S.
& confundantur. S. Ambrosius inquit: *Ut Deo Patri* Franc.
nostra libertatis pretia ostenderet. S. Bonaventura meditatur Christum manus & pedes clavis transfixos Apostolis suis ostendentem, dicere iisdem voluisse: *Si ad hanc* Ser in Do-
immortalem vitam in qua ego sum, venire vultis, exemplum min 1 post
dedi quanta pati debeatis. B. Antonius Paduanus ad in- Pasch.
tentum loquitur, dum ait: *Ostendit eis manus & latus, ut sua Passionis signa cordibus nostris imprimeret:* Insuper, inquit idem gloriosus Sanctus, ut sint nobis fræni loco, ne videlicet illa, quantum est ex parte nostra, per nova peccata ei aperiamus & renovemus. *Ostendit rogans, ut sibi compatientes clavis peccatorum iterum ipsum non crucifigamus.*

De Gloria sepulchri Christi.

DISCURSUS SEXTUS.

Et erit sepulchrum ejus gloriosum. Isaiæ cap. 11. vers. 10.

1. ENimvero hocce Isaiæ Prophetæ oraculum perfectè adimpletum esse, adeo est evidens, ut probatione nequaquam indigeat, huic namque veritati veneratio, qua quovis sæculo ab omnibus mundi partibus, glorificatur, clarum perhibet testimonium: *Gloriosum, id est, famosum & honorandum*, scribit Dionysius Carthusianus, *ex omnibus enim finibus mundi visitatur a Christianis; & cum summa devotione honoratur*, Imò ipsimet Turcis in timore & veneratione est: quantumvis enim adversus Religionem nostram ingenti odio exarserint, illud tamen demoliri nunquam præsumpserunt, divinæ scilicet justitiæ supplicia formidantes; neque ausi sunt ullam fidelibus, qui ad hujus sacrati monumenti venerationem, per multos dies, regiones illorum peregrinando perambulant, ullam inferre molestiam vel injuriam. *Gloriosum*, quia sancta Helena Imperatrix in honorem ejusdem sepulchri sumptuosum templum quoddam erexit, in quo deinceps multi Reges Hierosolymitani fuere sepulti.

Glo-

Gloriosum, propter continua miracula, quæ per tot annoruto centurias eo in loco patrata fuere, qualia sunt, insignes peccatorum in peccatis habituatorum conversiones, Energumenorum liberationes, cunctaque alia stupeoda miracula, quæ unquam ab omnipotentia Divina patrata fuisse noscuntur, adeo etiam ut vel terræ sepulchrum ambientis pulvis avidè rapiatur, & in diversas mundi partes veluti iofinitæ æstimationis reliquia transportetur. Unde S. Gregorius Turonensis De gloria mart. c. 7. scribit, *Terra ipsa insuper, quæ Domini adjacet sepulchro, divinam quandam ex Domini sepulchro proximè posito virtutem hausit, ut meritò fideles illuc peregrinantes avidè solerent ex ea accipere, quatum ad morbos curandos tum etiam ad Dæmones fugandos uti consueverunt*. De gloriosissimo hocce Mausolæo Lyranus ita scribit: *Sepultura ejus fuit venerabilis, quia in sepulchro novo lapideo, & cum linteaminibus & aromatibus pretiosis, ut habetur Joann. 19. tum quia fideles per Orbem existentes, etiam magni & nobiles vadunt ad ejus sepulchrum honorandum*. *Gloriosum*; quia cœlestis quidam Paranymphus de cœlo descendens, super hujus ejusdem sepulchri lapidem, ostio monumenti incumbentem, considere dignatus est. *Accedene revolvit lapidem, & sedebat super eum. Dum sedet super lapidem*, In Matt. inquit Paulus de Palatio, *videtur expectare sacrum sepulchrum invisentee. Ut enim Ecclesiæ in quibus martyrum reliquiæ sunt conditæ, viros quosdam habene, qui peregrinis, ad reliquias invisendas convenientibus, qualis sit quaque reliquia, referant; ita videbatur Angelus expectare, ut de Christi corpore ad monumentum* In Luc. *accedentes admoneret*. Lucas Burgensis, sepulchrum istud circumquaque Angelis refertum fuisse dicit: *Fuit monumentum illud, quod Dominus sua tum morte tum vita consecrarat, honoris Domini causa plenum Angelis, ut non sit mirum plures apparuisse; & postea quidem rursus duoe Magdalena soli sedentes unum ad caput & alium ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu*.

2. *Sepulchrum gloriosum*: Sepulchrum aliquod ideo gloriosum esse censetur, quia præclaro aliquo exornatum est eidem inciso Epitaphio, in quo communiter recenseri solent ejus, qui eodem sepulchro clauditur, facta heroica. Inscriptio autem hujus Epithaphii ab Angelo facta & hisce verbis concepta fuit: *Surrexit, non est hic*. Et ab hoc gloriosæ resurrectionis suæ mysterio, omnia prodigiosa vitæ suæ opera inclarescebant. Enimvero oculos vestros in Magnatum Mausolæa dirigite, sive hi Reges sint, vel Imperatores, vel Monarchæ, aut Papæ; in omnibus hæc verba incisa invenietis: *Hic jacet*: At verò sepulchri Redemptoris nostri hæc est singularis prærogativa, quod de eo dicitur. *Surrexit non est hic*. De lapide sepulchri Christi dicitur: *Erat quippe magnus valde*, cujus To. 11 tr 9 rationem Salmeron assignat dicens: *Quia reddidit corpus vivum, quod susceperat mortuum, cùm reliqua monumenta cadavera quæ suscipiunt, citò consumere & incarcerare soleant, at hoc reddere vivum & gloriosum: erat enim magnus virtute, quia continebat corpus illius, cui parvi sunt cæli, strictum mare, & perangusta terra, & quem totus non capit Orbis*. Severianus, seu potius Chrysologus notat hanc esse sepulchrorum proprietatem, quòd mortuos suos devorent; quæ tamen proprietas in hoc sepulchro locum non habuit. *Mutatur hic* In cat. D. Thom. in Matt. ser. 24. *ordo rerum, mortem non mortuum devorat hoc sepulchrum, domus mortis mansio fit vitalis; uteri nova forma mortuum concipit, parit vivum*. Hoc etenim Christi sepulchrum ipsammet mortem devoravit. Unde Salvator dicere potest: *O mors ero mors tua; ubi est mors victoria tua*? Porrò Christus ad instar aliorum mori quidem videbatur, revera tamen potius somnus quidam fuit. Ser. 54. Unde S. Ambrosius verba illa: *Refloruit caro mea*, ponderans dicit: *Non ait: Floruit*, siquidem id adimpletum fuit, quando ab utero virginali exivit, *refloruit* autem, quando egressus est è sepulchro. *Cum succiso per Judæos corporis flore rediviva de sepulchro resurrectionis gloria germinavit & in floris modum, odorem pariter & nitorem cunctis hominibus immortalitatis efflavit odorem* Commentator quidam super illum Isaiæ textum. *Et* Mich. de Palat. *erit sepulchrum ejus gloriosum* ita scribit: *Gloriosa prætor hæc sepultura ista est, quæ mortuum tenebat liberum (habeo claves mortis & inferni) mortuum tenebat vitæ principem, mortuum tenebat mortis eversorem; destruxit enim inimicam mortem quia à morte se excitans victor surgit de funere, pede conculcans tartara*. Sanctus quoque Athanasius ad recensendam hujus monumenti gloriam, pennam seu calamum suum adhibuit, dicens, quòd sit *Immortalitatis locus officina Resurrectionis, dissolutio sepulchrorum in quo mors desinit esse mors, in quo fuit vita finem non habens*. In hoc sepulchro reviviscit spes universalis nostræ Resurrectionis secundum carnem. Locus fuit immortalitatis, quia ibidem caro Christi resuscitatur impassibilis & immortalis, ipsaque mors vincitur atque profligatur.

5. *Sepulchrum gloriosum*. In Hebræo, Græco, nec non in versione Septuaginta ita legitur: *Et erit ejus honor sive gloria*; Quod idem est, ac si diceret, Resurrectionem suam à morte tam parum absuisse, ut hæc potius gloriæ nomine appellari potuerit: Imò si quis consideret, corpus hoc Redemptoris in Resurrectione sua quatuor gloriosorum corporum dotibus vestitum fuisse, dicere quodammodo poterit, quod gloria hæc per lapidem transiens, eumque penetrans, dum à corpore in sepulchro posito emittebatur, ipsi quoque lapidi hanc gloriato, quantum quidem illius capax erat, certo quodam modo participarit, atque ideo *Erit gloriosum*.

4 *Sepulchrum gloriosum*. Non desunt, qui sepulchrum hoc sacratissimo Mariæ utero, Spiritus sancti sacrario comparare non dubitarunt. Verum inquies: quanam ratione comparatio isthæc poterit subsistere? Nimirum, quia sicut Verbum caro factum in utero Mariæ demoratum fuit noveto mensibus, ita quoque verum est, quòd in hoc monumento Verborum, & divinitas cum corpore moram traxit per continuum quadraginta horarum spatium, ac tandem anima quoque beata corpori unieoda, ab inferis eo reversa est. Unde sepulchrum hoc & Verbum æternum, & animam Christi beatam, denique & corpus Christi glorificatam, quatuor gloriosorum corporum dotibus egregiè adornatum in se continere & concludere meruit. Beata Virgo de se dicit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*: Idem quoque dicere potuit sepulchrum. Unde Vatablus loco hujus lectionis: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum* legit: *Et erit requies ejus gloria*, siquidem unà cum ipso gloria ejus in sepulchro obdormivit. Virgo interveniente Angelica annuntiatione, Verbum æternum, operante Spiritu sancto, in sacratissimo utero suo concepit. Similiter sepulchrum in se recepit Christum, habuitque in se & circum se ministros Angelos. Dionysius Carthusianus super illa verba *revolvit lapidem*, dicit: *id est*, Conc. 1. de resurr. *amovit a monumento, non ut Christo via egrediendi pateret, sed ut Christum resurrexisse, & sepulchrum vacuum esse monstraret. Christus quippe ante lapidis revolutionem de clauso surrexit sepulchro, quemadmodum prodiit de clauso Virginis utero*. Imò B. Thomas de Villanova sepulchro aliqua saltem ex parte præcellentiato attribuit, dicens: *De Virginis utero mortalis exortus est Dominus: de terræ gremio hodie nascitur immortalis: Virgo partus dolorem non sensit; terra hodie tantum fœtum paritura contremuit*. Anima in utero Virginis jam beata existens unita est corpori Christi, absque eo quod in illud quatuor gloriosorum corporum dotes transfunderet: at verò corpus Christi in sepulchro iisdem dotibus in summo gradu effulsit; siquidem in primis claritatem quandam habuit, quia mundum sole clarius illuminabat; subtilitatem quoque, per quam sepulchri lapidem intimè penetrabat; agilitatem, per quam instar fulguris cujusdam, ab uno polo ad alterum discurrebat; Denique impassibilitatem, per quam nulli prorsus passioni subjacere poterat. Unde S. Augustinus ait: *Gloriosior est ista*, Ser. 133. de temp. *quam illa Nativitas, illa enim corpus mortale genuit; hæc edidit immortale; post illam nativitatem ad inferos descendit; post hanc remeavit ad cælos*. De ventre virginali scribitur: *Beatus venter*. De hoc sepulchro; *Gloriosum erit*, siquidem Verbum in illo anima beata, & corpore per quatuor gloriosas dotes beatificato gavisum fuit.

5 *Sepulchrum gloriosum*. Antiquis in more positum erat, intra sepulchri latebras thesauros abscondere. Unde Job dicit: *Effodientes thesaurum, gaudent vehementer eum invenerint sepulchrum*. Job 3. 22. Hoc sepulchrum verum quoddam ærarium seu gaza fuit, in quo is absconditur, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*. Hugo Cardinalis pulchrum ad sanctum sepulchrum

hoc

hoc accedendi modum nos edocer, dum ait ; *Per monumentum significatur hic corpus Dominicum , ad quod accedere nemo debet : nisi una Sabbati, id est, habens pacem pectoris & valde diluculo, idest , discussis tenebris vitiorum, & per lucem pœnitentiæ fugatis ; portans aromata , id est, bona opera, & bonam famam .*

In Luc.

Quo modo Christus dici possit primus eorum, qui à mortuis resuscitati fuere . Considerantur etiam differentiæ inter resurrectionem Christi & aliorum . Denique ostenditur cavendum esse , ne in peccata denuo reincidamus .

DISCURSUS SEPTIMUS.

Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.
1. Cor. cap. 15.

1. INter alia encomia, quæ S. Apostolus Resurrectioni Redemptoris nostri attribuit, hoc unum fuit, quo illam nominat hoc nomine : *Primitia dormientium*. Quæ quidem propositio prima facie aliquam in se difficultatem continere videtur; siquidem etiam ab Elia & Elisæo aliqui fuere à mortuis resuscitati : imò ipsemet Christus tres alios suscitavit. Quomodo igitur Apostolus ipsum primum fuisse asserere potest , quia à somno mortis fuerit resuscitatus ? Audite igitur variorum sacrorum interpretum ad istam difficultatem responsiones. Lyranus dicit : *Non obstat , quod aliqui ut Lazarus , & aliqui alii prius fuerunt resuscitati , quia illa resurrectio fuit ad vitam mortalem ; propter quod postea sunt mortui , sed Christus primus resurrexit ad vitam immortalem, & fuit in corpore immortali & glorioso* . Cajetanus in annotationibus ad summam sancti Thomæ ita scribit : *Christus primo resurrexit resurrectione perfecta , quia primo venit ad vitam penitus immortalem* . Ac proinde S. Thomas hanc statuit conclusionem : *Christus perfecta resurrectione primus fuit , qui resurrexit à mortuis , cum non amplius , ut cæteri , moriturus resurrexerit* . Ideoque hanc propositionem : *Resurrectio est reparatio à morte ad vitam* , in qua resurrectio consistit , distinguit ; Dupliciter enim contingit, aliquem ereptum esse à morte . Primò , dum quis actualiter à faucibus illius quocunque tandem modo liberatur , dummodo ad vitam redeat : *Ut scilicet aliquis vivere incipiat qualitercunque , postquam mortuus fuerat* . Secundus verò modus nobilior est, fuitque in Christo specialissimus , dum scilicet quis liberatur non solùm à potestate mortis , verùm etiam à denuo moriendi aut patiendi necessitate : *Ut aliquis liberetur non solum à morte sed à necessitate & quod plus est, à possibilitate moriendi , & hæc est vera & perfecta resurrectio* . Unde concludit : *Loquendo de resurrectione perfecta Christus est primus resurgentium , quia resurgendo primus venit ad vitam penitus immortalem , secundum illud Rom. 6. Christus resurgens ex mortuis jam non moritur . Legimus nonnullorum præcessisse resurrectiones* (inquit S. Bernardus) *aut magis certè suscitationes, sed istius præambulas , quibus & duplici privilegio noscitur præeminere ; nam cæteri quidem resurrexerunt mortui iterum morituri ; Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur : illi mortui opus habent iterum resuscitari ; Christus , quod mortuus est peccato , mortuus est semel , quod autem vivit vivit Deo , vivit in æternitate . Meritò proinde resurgentium primitiæ Christus , qui ita resurrexit , ut cadere non adjiciat , qui solus attigit immortalitatem* . Insuper addi potest , Christum in corpore glorioso , quatuor gloriosorum corporum dotibus conspicuo resuscitatum fuisse , id quod aliorum resuscitatorum nulli contigerat . Verum enimvero est & alia quædam prærogativa , quam sanctus Bernardus tetigit, & sanctus Thomas in particulari quodam Articulo pariter examinavit, dum quærit : *Utrum Christus fuerit causa suæ resurrectionis* ? Et concludit pro parte ajente . Alii etenim , interveniente opera servorum Dei , fuere resuscitati , ideoque ad vitam propria virtute non redierunt , nec resurrexerunt pro suo libitu : at verò Salvator à mortuis resuscitatus est , quando sibi pro suo arbitrio placuit & collibuit , & quidem à semetipso, prouti ipsemet aliàs declaraverat , dum Joannis capite 10. ait : *Nemo tollit animam meam à me , sed ego pono eam , & iterum sumo eam . Nihil est aliud resurgere* , inquit sanctus Thomas , *quàm iteratò animam sumere* . Unde protinus hanc aliam conclusionem decernit : *Christus secundum virtutem suæ Divinitatis causa fuit suæ resurrectionis ; secundum humanitatem verò fuit à Deo , & non propria virtute resuscitatus* . Sanctus Bernardus eandem Resurrectionis Christi prærogativam recensuit , dicens : *Est aliud , in quo Resurrectionis hujus innotescat gloria singularis ; quis enim in omnibus cæteris suscitavit aliquando semetipsum ? ineffabile istud est ut à morte se excitet ipse , qui dormit ; singulare est non est qui faciat bonum non est usque ad unum* . Enimvero olim templi prophanatores è loco sacro pepulisse noscitur , qua in re Filius Dei apertè declarabatur . Unde omnes eam , quam in hoc supplicio vel ejectione prodebat , potestatem & majestatem admirati , manifestum aliquod ab eo postularunt sibi ab eo dari Divinitatis suæ signum . Ecquod verò signum illis datum fuisse existimatis ? Num fortè , quòd pauculis panibus & pisciculis quinque hominum millia satiarit ? aut quod liberaverit energumenos , paralyticos sanaverit , claudosque erexerit ? vel quòd surdis auditum , sermonem mutis , lumen cæcis , vitamque defunctis restituerint ? Aut verò terræ motum , qui in morte sua accidit vel latronis & centurionis liberam fidei & Divinitatis suæ confessionem , aut velum templi à summo usque deorsum dilaceratum illis pro divinitatis signo infallibili reliquit ? Nequaquam , quin potius dixit : *Solvite templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud* ? Sanctus Joannes subjungit : *Ille autem dicebat de templo corporis sui* . Illud enim , postquam per mortem sibi illatam destructum esset , sese erecturum promisit , prouti re ipsa præstitit , siquidem seipsum propria virtute resuscitavit . In quo præ cunctis aliis operibus illius omnipotentia & divinitas ejus clarissimè eluxit . *Surrexit Dominus , non aliena , sed propria virtute* (inquit Didacus Stella) *sicut dormientes , qui somno expleto surgunt , non alterius , sed sua sibi insidente virtute* .

3 P. q. 53. a. 3.

Serm. 1. de resurr.

Joann. 19.

In Luc.

2. Verum enimvero quemnam ex omnibus hactenus dictis fructum salutiferum eliciemus ? Salmeron ait ; *Ad immortalem vitam surrexit , quia amplius non moritur , mors illi ultra non dominabitur . Ita qui Aegyptum semel deserit corde , ad illud non revertatur* . Profectò documentum hisce diebus Christianis opportunius vel magis salutare dari non poterat , quàm ut illis inculcarentur , ut qui à morte peccati ad vitam gratiæ resurrexerunt , in eandem denuo mortem reincidere sedulò caveant . *In hac tam præcipua solemnitate , quid nobis commendetur* (scribit sanctus Bernardus) *sedula cogitatione pensemus ; nempe Resurrectio , Transitus , & Transmigratio ; Christus enim fratres non recidit hodie sed resurrexit ; non rediit sed transiit ; transmigravit , non remeavit . Denique & ipsum quod celebramus Pascha , transitus non reditus interpretatur ; & Galilæa ubi videndus nobis promittitur , qui resurrexit , non remeationem sonat sed transmigrationem* . Quod si Christus , inquit S. hic Doctor , ad præcedentes hujus vitæ miserias rediisset , non diceretur transiisse , sed rediisse : at verò quia *transit in novitatem vitæ , nos quoque invitat ad transitum , vocat in Galilæam , propterea siquidem quod mortuus est peccato , mortuus est semel , quia quod autem vivit , vivit non carni , sed Deo* . Nos quoque in peccato mortui eramus , Christus autem hodierna die hanc nobis gratiam contulit , ut per pœnitentiam unà cum ipso resuscitari valeamus . Non convenit omnino , ut denuo ad mortem redeamus , id est , reincidamus in peccatum ; quia *quod mortuus est peccato* , inquit Apostolus , *mortuus est semel , quod autem vivit , vivit non carni sed Deo* . In hoc igitur ipse à nobis imitandus est , curandum scilicet , ut deinceps omnes Deo , non verò carni , & desideriis illius vivamus . De devotis illis Mariis , quæ dignæ fuerunt , quibus Christus resurgens præ cæteris primus appareret , dicit sacer textus ; *quod tenuerunt pedes ejus* . Ubi sanctus Thomas ait : *Unde accedunt , tenent pedes , adorant ; sic anima peccatoris non debet gratiam Dei accipere in vanum ; Et hoc signatur , quia accesserunt* . Psal. 33.

To. st. tr. 1.

Ac-

Accedite ad eum & illuminamini. Item debent firmiter adhærere. Et hoc signatur in hoc, quod tenuerunt pedes ejus.

3. Observandum est quoque, quod postquam S. Paulus dixisset: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*: protinus subjunxerit: *Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Fertur olim Romæ profundam quandam, valdeque formidabilem voraginem sponte propria patulam factam esse, adeo ut multi Infernum ibi se aperuisse existimarint, quidquid enim ad illam voraginem adimplendam & obturandam inijceretur, nihil tamen obtinebatur, sed omnis conatus quoad hoc cassus erat & irritus, ac processu temporis voraginis istius orificium eousque dilatatum fuit, ut omnes Romanos incolas ab eadem devorandos esse videretur. Consuluerunt autem Romani oraculum, à quo hoc retulerunt responsum: Necessarium videlicet esse, ut nonnemo Romanorum civium amore Patriæ conservandæ stimulatus, in eandem se voraginem præcipitem ageret; hoc enim pacto, & non aliter voraginem illam claudi & obturari posse. Curtius igitur Eques, & Patritius Romanus armatus nobilem & generosum equum conscendens, voluntariam se victimam pro publica totius urbis salute consecravit, & protinus vorago sæpedicta contracta usque-
Isa. 5. 14. quaque margine sese clausit. Enimvero certum est, quod, priusquam Christus moreretur, *dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino.* Et quot eheu in voraginem illam miserè fuere præcipitati? sed enim postquam Christus descendit ad inferos, ac demum resurrexit, omnis spes nostra revixit, siquidem per ejus resurrectionem universalis quoque totius humani generis resurrectio decreta & sta-
1. Pet. 1. 3. bilita fuit. *Per hominem resurrectio mortuorum. Secundum magnam misericordiam suam, regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.*
Serm. 3. de resur. Unde Guerricus Abbas ait: *Quem occisum cor meum dolebat jam in eum vivum, non solum cor meum, sed & caro mea exultat, de sua scilicet per eum resurrectione & immortalitate secura.* Et hoc erat unicum Jobi solatium, dum inter medias putredines & vermes, qui ex ulceroso ipsius corpore sine numero scaturiebant, in fimeto
1. Cor. 6. 15. hæreret: *Nescitis*, inquit S. Paulus, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* Cum igitur nunc caput nostrum resurrexerit, consequens est, ut nos quoque, qui fructus sumus, hasce primitias subsequentes, resurgamus. Unde S. Augustinus ait: *Resurrexit Christus ut*
Serm 162. de temp. *resurrecturum se non dubitet Christianus; quod enim præcessit in capite, sequetur in corpore.*

Omni studio nobis curandum est, ut ad imitationem Christi resurgentis, nos quoque ita à peccato resuscitemur, ne aliquam in illud recidivam patiamur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ad Rom. c. 6. v. 9.

1. INter cætera argumenta, quibus S. Apostolus fideles exstimulare nititur, ut sibi caveant, ne de novo in pristina & per pœnitentiam absoluta peccata reincidant, efficacissimum est, quod ab exemplo Resurrectionis Christi desumpsit, qui à morte ad vitam resuscitatus, ad moriendum denuo nunquam rediit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Quasi dicat: debemus perfectè mori peccato, ut non redeamus ad istud, sicut & Christus non redit ad vitam, ut iterum moreretur.* Nam propter jam à nobis contractos malos habitus, occasiones præsentaneas, suggestiones Diabolicas, malasque inclinationes in nobis etiamnum reliquas, nec non passiones in nobis tunc plus, quam alio tempore vigentes, in peccata pristina relabi facillimum est; atque ideo operæ pretium, ut materia hæc utilissima de cavenda recidiva culpæ fidelium cordibus, præsentibus diebus festis quam efficacissimè imprimatur.

2. Doctissimus Salmeron egregiè observat, quod Sal- Tom 11. tr. 7.
vator noster è monumento suo egrediens, illud non aperuerit, sed clausum reliquerit, & per subtilitatis dotem lapidem, qui erat ad ostium monumenti, penetraverit. Postea verò ab Angelo monumentum apertum fuerit, siquidem is accedens *revolvit lapidem.* Quodnam verò nobis per hoc ipsum relinquitur documentum? Respondet idem Salmeron: *Quia ergo reliquit monumentum clausum, indicavit se amplius non moriturum, nec ad monumentum reversurum.* Porrò sepulchrum nostrum peccatum est, & perversi mores nostri. *Quis, iste tumulus* Li. in Luc.
tuus, scribit S. Ambrosius, *nisi mali mores? tumulus* 5. c. 7.
tuus perfidia est, sepulchrum tuum guttur est. Quandò igitur ex hoc sepulchro egredimur, curandum nobis est, ut illud clausum relinquamus, ac si nunquam ad illud reversuri essemus. S. Paulus in eodem capitulo ad resurrectionem spiritualem, & peccati recidivam cavendam animare nos volens, hoc adducit motivum: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* In hoc autem morti Christi similes erimus, si ita moriamur, ut ad iterata vice moriendum non revertamur: *Christus etiam jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Mox verò subjungit: *Hoc scientes quia vetus homo noster simul cruci-* Tom. 4.
fixus est, ut destruatur corpus peccati; & ultra non serviamus peccato. Sanctus Augustinus in expositione Epi-
stolæ ad Romanos: *Quid est*, inquit Sanctus, *evacua-* Serm. 1. de
re corpus peccati? ipse exposuit, ut ultra non serviamus resur.
peccato. Quid nos dicimus, ita deplorat Sanctus Bernardus, *qui sacram Domini Resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quam in transitum.* Dies præteritos per jejunium & pœnitentiam quadragesimalem transegimus, peccata nostra deplanximus, & detestati sumus, morti quoque Redemptoris in septimana sancta compassi fuimus: *Complantati sumus & denuo per baptismum quendam lachrymarum, pœ-*
nitentiæ, Confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, Eccl. 34.
quomodo vivemus adhuc in illo: si negligentias planxi- 30.
mus, quid causa est, ut recidamus nunc in easdem? In Ecclesiastico scribitur: *Qui baptizatur à mortuo, &* Num. 19.
iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus? legitur in lib. Numerorum, quod qui cadaver aliquod tetigerat, immundus erat, ideoque opus habebat, ut aqua, quæ expiationis appellabatur, ablueretur: hæc autem lotio incassum adhibetur, si ad idem cadaver denuo contingendum reversus fueris. Unde Interlinearis optimè ad præsens propositum dicit: *Qui baptiza-*
tur à mortuo, id est, fletibus, a peccato, & iterum L. 9. regist.
tangit, rediens ad peccatum, quid proficit lavatio ejus epist. 99.
quia non permanet emendatio illius. Sanctus Gregorius hac de re etiam ita scribit: *Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum, qui prava opera, quæ se meminit, egisse deplorat; sed in eisdem se post lachrymas implicat.* S. Paulus in eodem loco Baptismi meminit, & paulo post resurrectionis quoque mentionem facit. *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* S. Thomas in commentario hujus textus dicit: *Per baptismum homines sepeliuntur Christo, id est, conformantur sepulturæ ipsius; sicut enim ille, qui sepelitur, ponitur sub terra, ita ille, qui baptizatur, immergitur sub aqua; unde & in baptismo fit trina immersio, non solum propter fidem Trinitatis, sed etiam ad repræsentandum triduum sepulturæ Christi; & unde est etiam, quod in Sabbato sancto baptismus solemnis in Ecclesia celebratur, quando commemoratur sepultura Christi.* Argumentum verò, quod nobis hic ad propositum nostrum præsens faciendum est, hoc erit: Quodsi simul cum Christo sepulti simus, & simul cum ipso resurgamus, nequaquam convenit, ut ad mortem denuo revertamur: Unde S. Thomas ait: *Ille, qui Christo morienti commoritur, simul convivit & resurgenti; Christus autem sic resurrexit à mortuis, tanquam nunquam de cætero moriturus; ergo ille qui mortificatus est peccato, sic Christo resurgenti convivit, quod habet facultatem nunquam de cætero ad peccatum redeundi.* Notum est omnibus celeberrimum illud, quod Deus noster ad utilitatem populi sui in mari rubro patravit miraculum, postquam celebrato Paschate manducaverat agnum, qui typus & figura fuit Paschæ illius, quo nos nutrimur, illiusque agni, qui *tollit peccata mundi.* Enimvero vidit hic

popu-

populus mediante virga apertum Oceanum, per quem siccis pedibus ad terram pertransit promissionis, liber à Pharaonis tyrannide, omnibus Ægyptiis in eodem mari submersis & suffocatis. Mare illud eruentam Redemptoris passionem figuravit, quod per Virgam Mosaicam, Crucem Domini præfigurantem apertum fuit. Submersa autem sont in eodem mari sanguinis Domini, unà cum Tyranno infernali omnia peccata nostra, nobisque per desertum pœnitentię aperta via fuit ad veram promissionis terram, id est, ad Cœlum. Audite interea, qualis fuerit S. Eucherii
De vit. solit. super hunc locum observatio: *Aperuit*, inquit, *Deus inter aquas vias maris, & circumfusis deinde aquis texit illud, ut desertum expetentibus patefaceret iter, clauderet reditum*. In mari rubro passionis & meritorum Christi, aperta nobis est via ad gloriam, quæ est vera promissionis terra, si tamen prius transiverimus per desertum pœnitentiæ. In hoc autem mari peccata nostra submersa fuere, eum hoc tamen pacto, ut nunquam deinceps reverteremur in Ægyptum, nec gressibus nostris retrogrederemur ad cucumeres & ollas carnium, hoc enim facientes, manifestum incurremus naufragii periculum. Unde Hugo Cardinalis super verba illa: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, dicit: *Jam non ultra moritur per recidivationem, quæ periculosior est, sicus infirmitas, quæ redit, postquam jam sanus factus est*. Sanavit Salvator noster quondam
Jo. 5. 14. Paralyticum illum, at verò dixit ei: *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*. Verum enimverò quodnam is, qui in Paralysi triginta octo annis permanserat, malum habere poterat paralysi deterius? S. Cyprianus ait: *Sospitantis verba sunt, & docentis curantis pariter & monentis; sospitantis, id est, incolumem servantis*. Voluit namque eidem aliquod tam pro corpore, quam pro anima suggerere remeditum præservativum, pro corpore quidem, ne denuo in pristinam recidivaret
1. Cor. 15. 56. infirmitatem, quia *stimulus mortis peccatum est*. Etenim major infirmitatum pars ab offensis in Deum commissis derivari solent. Pro anima verò, ne mortem sibi æternam adscisceret. *Gravius comminatur*, inquit S. Cyprianus, *quod scilicet nulla sit venia ultra delinquere postquam Dominum nosse cœpisti*. S. Thomas ait: *Ne deterius tibi aliquid contingat, quia qui post beneficia recepta ad peccata prolabitur, gravioris supplicii reus efficitur propter ingratitudinem*. Horrenda est illa comminatio à regio oraculo nobis intimata, estque ad Christianos coercendos, ne in pristina pecca-
Ps. 80. 16. ta recidivi fiant, admodum opportuna: *Inimici Domini mentiti sunt ei*. Quid autem inde sequitur? *Et erit tempus eorum in sæcula*, quod idem est, inquit Lyranus, ac si diceret. *Eorum punitio erit æterna*. Sed qua ratione fieri potest, quod ob solum commissum mendacium, tam atrox infligatur supplicium? scitisne quomodo textus ille ad nostrum propositum intelligatur? multi equidem hisce diebus, ob habitam vel acceptam à peccatis absolutionem, Deo in proprio corde mentiti sunt, promiserunt enim, ejecturos se è domo sua proximam peccandi occasionem, remissuros injuriam, hanc & illam facturos restitutionem, cum tamen nullum haberent idipsum adimplendi animum; aut verò si id in animo suo facere proposuerant, in hoc tamen proposito minimè constanter permanserunt, sed protinus ad eadem peccata provoluti sunt: hi igitur ad pœnam æternam condemnabuntur. Glossa interlinearis ait: *Mentiti sunt ei, resumendo, quibus renunciaverunt, & sunt novissima pejora prioribus*.

3. Nullus utique nostrum erit, qui in hoc Resurrectionis gaudio non desideret potius cum Christo resurgente gustare favum mellis; quam acetum, quod Christus in Cruce sibi oblatum bibere renuit. Quinam autem sunt illi, qui in hisce sacrosanctis diebus liquorem hunc fastidiosum ab ipsomet patiente Christo in patibulo Crucis repudiatum, bibere non detrectant? Nazareis olim in lege prohibitum fuit,
Num. 6. ne acetum bibere præsumerent: *Acetum non bibant*. Quid autem hac prohibitione opus erat, cum satis magna de omnibus concipi posset præsumptio, eos illud etiam seclusa prohibitione nequaquam bibituros? Rabanus nobis egregiè explicat prohibitionis istius morale mysterium, dum ait: *Acetum bibunt, qui post vitæ sanctitatem in vetustate præteritorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitiæ delectantur*. Salvator noster fel nequaquam repudiavit, & tamen acetum bibere noluit, ad denotandum, ut quidem existimo, quantum illos abhorreat, qui post peccatorum remissorum pœnitentiam, in eadem denuò relabi nihil curant. Origenes ait: *Illud interdum accidit,* L. 5. in 6. ad Rom.
ut non quidem permaneat quis in peccato, sed cum desieris, rursus redeat ad vomitum (quod idem est cum eo, quod hisce diebus in multis cogimur experiri) *& fiat infelicissimus, ut post depulsum in se regnum peccati & mortis, & regnum vitæ & justitiæ susceptum, iterum se dominationi peccati substernat & mortis?* quæ sequuntur verba, longè majorem timorem incutiunt, quia dicit Origenes, quod, qui ita facile recidivant, magno se fidei perdendæ periculo exponant: *Et ista sunt, quæ naufragia fidei appellat Apostolus*.

Explicantur Analogiæ, quæ esse debent inter Resurrectionem corporalem Christi, & nostram spiritualem Resurrectionem, ut verè ad gratiam resurgamus.

DISCURSUS NONUS.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.
Ad Rom. Cap. 6. vers. 6.

1. QUod si Apostolus nobis promittere non dubitavit, futurum esse, ut si morti & Passioni Christi conformemur ejus quoque resurrectionem participaturi simus, me quoque confidenter promittere posse existimo, quod si Christum in sua fuerimus resurrectione imitati, ejusdem quoque resurrectionis donis, gratiis & meritis fruituri simus, certoque futurum sit, ut Christi Resurrectio veram pariter & spiritualem, atque ad animarum nostrarum sanctificationem directam operatura sit resurectionem. Infallibilis etenim & à Spiritu Sancto dictata veritas est, quod *resurrexit propter justificationem nostram*. Optimè enim Sanctus Augustinus scribit: *Quidquid gestum est in cruce Christi, in sepultura, in Resurrectione, in Ascensione in Cœlum, ita gestum est, ut his rebus non mysticè tantum dictis; sed etiam gestis configuretur vita Christiana, quæ hic geritur; nam propter ejus crucem dictum est; Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, propter sepulturam; consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem; propter resurrectionem, quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Sanctus Bonaventura, in sermone quodam de hodierno festo ita scribit: *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel; resurrectio ista fit à morte culpæ, debet autem fieri ad imitationem resurrectionis Christi*. (In Euch.) (Serm. 6. de res.)

2. *Ad imitationem*. Devotæ illæ mulieres, quæ post mortem & passionem Redemptoris ad sepulchrum dolentes contenderunt, dignas se reddiderunt quibus Christus post resurrectionem gloriosus appareret, quæque pleno fruerentur gaudii Resurrectionis participio, idque ex eo præcipuè capite, quia præ cunctis aliis in ejus passione doluerunt. Hunc etiam dolorem nos habere debemus, si à morte peccati ad gratiam revera resurgere volumus. Enim vero Hugo Cardinalis S. Gregorium adducit ita scribentem: *Mulieres sunt animæ fideles, quæ debent offerre Domino tria unguenta, id est, odorem virtutum, opinionem bonorum operum, suavitatem sanctarum orationum*. Sanctus Antonius de Padua observat, quod Dominus *apparuit mulieribus redeuntibus à monumento, illis enim, qui redeunt à monumento, id est, suæ mortis* (In Mar.) (Ser. in die Pasc.)

miserabili egressu; ad considerandum suæ nativitatis flebilem ingressum apparuit Dominus. Sanctus Bonaventura autem Monumenti ponderat Etymologiam, dum ait: *Monumentum dicitur, eo quod moveat*
In c. 10. Jo: coll. 88. *mentem ad memoriam defuncti, per monumentum ergo, quod est recepetivum mortuorum, signatur memoria peccatorum, & status animæ mortuæ in peccatis, ex qua recognitione debet anima pœnitens jugiter flere*. Ecce verum semetipsum resuscitandi modum, scilicet peccata nostra, etiam tempore vigentis alleluja, id est, tempore, quo remissa sunt, sine ulla remissione deflere.

3. *Ad imitationem*. Quodnam obsecro fuit illud tam eximium Magdalenæ privilegium; per quod non obstante, quod fuerit *in civitate peccatrix, de qua Dominus septem Dæmonia ejecerat*, prima tamen inter omnes Christum resurgentem videre, & ab eo visitari meruerit? Desinite admirari, quin potius Sanctum Joannem audite. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum*. Circa quæ verba San-
Jo: 20. 11. ctus Antonius de Padua ait: *Nota fleret, in quo contritio: inclinavit, ecce confessio: prospexit, ecce satisfactio*. Valde quoque considerabile est in illo textu Joannis verbum illud (*stabat*) In quo denotatur in deflendo peccata, & continuanda pœnitentia stabilitas & fortis perseverantia. *Foris plorans*. Quod si per sepulchrum, uti superius indicavimus, mali nostri mores, malique habitus, & pravæ peccandi consuetudines intelligantur, consequens est, quod ad hoc, ut illas cum utilitate animæ nostræ defleamus, atque ab animabus nostris radicitus extirpemus, operæ pretium sit, ut illas foris extra sepulchrum, id est, procul ab omni occasione & ab om-
In Matt. ni peccati fomite deploremus. Paulus de Palatio similiter observat, quod à mortuis resurgens Salvator à devotis illis Mariis sese tangi permiserit; siquidem *tenuerunt pedes ejus*: Magdalenæ autem ne se tangeret prohibuerit, dicens: *Noli me tangere*; observat autem Christum illi sui corporis contactum tunc præcipuè prohibuisse, quando solus cum sola erat: *Noluit*, inquit, *Christus solus à sola Maria tangi, admonens, quam sint parum tuta virorum cum fœminis privata colloquia*. Sanctus Thomas denique notat quod Evangelista Sanctos Petrum & Joannem è sepulchro egressos fuisse dicat: *Exiit ergo Petrus & alius discipulus: qui enim scrutari vult mysteria Christi, debet exire quodammodo à se & à carnali consuetudine*.

4. *Ad imitationem*. Advertenda quoque est illa particula *vere surrexit Dominus: verè Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*; atque iden Apostoli ambigebant, num forte Phantasma essent. Salmeron inquit: *Resurrectio Domini vera fuit ac solida, non phantastica; ita nostra à peccatis resurrectio simulata ac fucata esse non debet*. Verum dices forsitan; è quonam indicio veram resurrectionem esse vel fuisse dignoscemus; *Vera erit, si precedat in nobis terræ motus contritionis magnus, dæmones exterrens peccantium custodes*, præterea postquam dixisset, quod *surrexit verè*, protinus subdit: *Et apparuit Simoni*. Unde idemmet Salmeron colligit, hanc resurrectionem, seu potius peccatorem, per veram pœnitentiam resurgentem, præsentandum esse Petro: *Hoc est, tanta sit vis pœnitentiæ, quæ hominem ad sacerdotem perducat; à quo absolutionis recipiat beneficium*.

5. *Ad imitationem Resurrectionis Jesu Christi, Surrexit Christus cito ac maturè* (Est ejusdem Salmeronis consideratio) *quia in aurora, diluculo, & valde mane indicans quam tempestivè debeamus iter virtutis aggredi*. Notat quoque S. Thomas Evangelistam di-
Eccl. 5 8. xisse? *Exierunt cito de monumento. Notate*, inquit, *quod dicit cito, quia de peccato est cito exeundum*. Unde in Ecclesiastico scribitur: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Omnes quidem S. Scripturæ prædictiones in hoc conspirabant, Christum scilicet per triduum commoraturum esse in sepulchro; imò ipsemet de templo corporis sui dixit: *Post triduum excitabo illud*. Et tamen vix in eo demoratus est quadraginta horis. Cujus hoc potest esse mysterium, quia sepulchrum denotabat quandam in peccatis immersam animam. Hæc autem in dirumpendis vinculis, quibus in culpa vincta detinetur, tardare nequaquam debet, sed omni mora posita ad gratiam resurgere. *Ejus resurrectio* (inquit S. Bonaventura) *fuit matutinalis: surgens Christus mane, sic tu non serò,* Ser. 6. de ref.
sed mane resurge à peccatis.

6. *Ad imitationem*. Idemmet Bonaventura observat, quod resurrectio Salvatoris *fuerit integralis; unde neque manum, neque pedem reliquit Christus in sepulchro, imo post resurrectionem ostendit manus & pedes, sic tu à peccatis totus resurgas. Qui ergo adhuc manus operum vel pedes affectuum mortuos habet? vel qui conversus injusta bona, vel odium, vel aliud vitium non relinquit, nondum resurrexit; Deus enim nullum resuscitat, nisi integraliter*. Ita quoque constat, quod Spiritus Sanctus super Apostolos descendens *replevit totam domum*, id est, omnes animæ & cordis nostri partes gratia replendæ sunt, adeo, ut nec minimum peccato aditum indulgeant. *Quicumque totam* Jac. 2. 10.
legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.

7. *Ad imitationem. Ut Christus coram discipulis manducavit* (inquit Salmeron) *quo solidam suam resurrectionem ostenderet, ita qui verè justificati sunt à peccato, debent pane verbi ac Sacramenti frequenter refici*. Salvator noster duobus discipulis in Emaus abeuntibus se viæ comitem in itinere adjunxit, nec eum cognoverunt donec illos sacratissimo corpore suo pascere & communicare cœpit: *Cognoverunt eum in fractione panis*. Sanctus Augustinus de consensu Evangelistarum à Luca Burgensi citatus, ait: id factum esse *Potissimum, ut nobis Eucharistiæ Sacramentum commendaret, quod oculi tam animi, quam corporis omni impedimento remoto aperiri queunt*. Nimirum docere nos voluit, tunc nos præcipuè continua in nobis gavisuros esse resurrectione sua, majusque nobis conciliaturos esse lumen ac Dei notitiam, si cœlestem hunc panem crebrius frequentaverimus. Advertendum quoque est quod in demonstrationem & signum veræ resurrectionis suæ, non qualemcunque concederit cibum, sed piscem assum cum favo mellis: Nam ut Hugo Cardinalis ait: *Recte igitur post resurrectionem comedit pi-*
scem assum & favum mellis, quia illos corpori suo In Luc.
uniet in gloria, qui exterius tribulantur, & interius gloriantur de ipsa tribulatione quam pro Christo sustinent.

8. *Ad imitationem resurrectionis*. Dum illi discipuli in Emaus abeuntes; jam quasi de Christo, num verus Messias esset vel non, desperare videbantur, eo quod ipsum non viderent resurgere, prouti futurum promiserat, ideoque serio à Christo hisce verbis: *O stulti & tardi corde*, fuere reprehensi. Et tamen non obstante hac ipsorum incredulitate, digni facti sunt, quibus benignissimus Dominus se associaret, & illuminaret, prout paulo ante diximus, quonam igitur gratiam hanc fuere consecuti? *Ipse*
Jesus appropinquans ibat cum illis. Lucas Burgensis In Luc.
ad id respondere videtur, dum ait: *Felix solatium, quoties duo nil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt, quam de Jesu, hic enim socium se adjungit*. Quod si enim Christi resurgentis societate gaudere velimus, de ipso devotè sermocinemur & colloquamur, sive lectionem aliquam spiritualem & sacram cum alio conferamus: *Nonne cor nostrum* Ps. 118. 140.
ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via? Ignitum eloquium tuum vehementer, & servus tuus dilexit illud.

9. *Ad imitationem resurrectionis. Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*. Igitur surrexit, nunquam deinceps amplius moriturus. Qua de re Sanctus Ambrosius sic loquitur: *Baptismus itaque resur-* In ep. 6 ad Rom.
rectionis pignus est & imago, ut jam in præceptis Christi manentes, ad præterita denuo revolvamur; qui enim moritur, jam non peccat; mors enim finis peccati est. Verum ut verba à nobis in principio proposita, scilicet: *Si enim complantati sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus*, melius declarat, item S. Doctor mox subjungit: *Tunc nos feliciter docit posse resurgere si similitudini mortis ejus fuerimus complantati, id est, si in baptismo omnia vitia deponentes in novam vitam translati de cætero non*

pec-

peccemus, per quod simul & resurrectionis illius similes erimus.

10. *Ad imitationem resurrectionis; Christus non solus surrexit* (inquit Salmeron) *sed cum multis, quia multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, ut unusquisque intelligat, quam gratum & eximium præstet Deo sacrificium, qui ita à peccatis surgit, ut alios secum suo exemplo pertrahat ad agendam pœnitentiam, quos olim in delictis consortes habuit.* Hoc tamen documentum cum tali cautela intelligendum venit, ut nequaquam postquam à morte peccati ad vitam gratiæ resurreximus, cum ejusceodi personis conversemur, quod novum nobis peccati incentivum submioistrare possunt, cum illis eoim omnis interdicta nobis est familiaritas, etiam illa, quam quærere possemus sub prætextu eosdem nostro exemplo & salutari monitione inducendi ad pœnitentiam, siquidem *lubrica est illa spes, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat*, præterquam quod astutus ille & tortuosus coluber, sæpe hominem sub prætextu boni, in maxima mala præcipitem agat.

Si in peccata per Pœnitentiam abolita relabi nolumus, fugiendæ omnes illorum committendorum occasiones.

DISCURSUS DECIMUS.

Vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput ejus. Joann. Cap. 20. vers. 6.

SAnctus Apostolus, & Evangelista Joannes, qui unà cum Sancto Petro ad sepulchrum videndum abiit, expresè in Evangelio suo scribit, quod intra sepulchrum post resurrectionem, linteum cui corpus redemptoris involutum fuerat, unà cum sudario, quod fuerat super caput ejus, remansisse viderit: *vidit linteamina posita*. Unde confestim dubium emergit, cur filius Dei, sapientia illa æterna, gloriosum corpus suum reassumens, prædicta linteamina, quibus in sepulchro involutus jacuerat, secum pariter è monumento non extulerit, per hoc namque veritas resurrectionis ejus & maximè identitas corporis sui magis eloxisset, si hoc eodem modo, quo sepultum fuerat, coram aliis apparuisset. Ad hoc quidem responderi potest, veritatem resurrectionis etiam hoc modo, quo de facto resurrexit, non minus admirandam & indubitatam esse, cum enim hæc linteamina centum illas pretiosissimi unguenti libras inbiberint, eoque unguento copiosissimè delibura sacratissimo corpori tenaciter adhæserint, imò pedum, manuum, & lateris vulnera penetrariot, ideo oon vulgarem in eo virtutem prodidit, quod hæc, se resurgente, post se in sepulchro reliquerit, cicatricum suarum vestigia io sacra illa syndone impressa relinquendo, quam veluti reliqniam & thesaurum inæstimabilem, toti Christianismo relinquere volebat, ut quovis tempore fidelibus solatio pariter & venerationi esset, sed enim quia verissimum est, quod omnis Christi actio ad nostram fuerit instructionem ordinata, ideo per hanc in sepulchro relictam syndonem utilissimum hoc nobis fortiter imprimere voluit documentum, quod quando à morte peccati ad gratiam spiritualiter resurgimus, omnia in sepulchro malæ consuetudinis à nobis usitata derelinquere, nihilque eorum, quibus in eo usi sumus, nobiscum asportare debeamus, omnia deserenda sunt, quæ sepulturæ tam infeliei deservierunt, id est, quidquid fuit offendiculo, aut fomentum & occasio peccati; imò si possibile est, curandum est, ut à nobis omnis aboleatur memoria illius, quod nobis ad lapsum stiroulus fuit. Sanctus Anselmus super illa verba. *Hoc scientes,*
Rom. 6. 6. *quia vetus homo noster simul crucifixus est*, ita scribit. *Quoniam in illa morte Domini, peccati nostri figura pependit; Christus enim, qui vixerat vetus homo secundum pœnam, idest, famem, sitim, & hujusmodi, hoc modo vetustatem, id est, nostra mortalitatis infirmitatem finivit & deposuit, ut dolorem crucis sustinens sic haberet membra distenta & defixa, ut ad priores actus moveri non possent, à quibus etiam sepultus quievit humanis aspectibus subtractus.* Deum verò idem Sanctus Anselmus pergit demonstrare, quodnam fuerit illud utilissimum documentum, quod per hoc nobis tradere voluit: *Exigent*, inquit, *à nobis, ut vetustatem peccatorum cum dolore pœnitentiæ deponamus, & membra nostra per continentiam sint confixa, ne ad priora redeamus; à quibus ita perfectè quiescamus, ut nec eorum visio, nec memoria habeatur.* Unde juxta utilissimam hanc Sancti Anselmi doctrinam ne quidem respiciendum nobis est objectum illud, quod nobis lapsus occasio fuit, omnisque deponenda est suspectæ correspondentiæ & familiaritatis, aut illicitarum voluptatum memoria. *Et si jam ista complevi-* Serm 1. de
mus, tunc vere vetus homo noster simul cum Christo resur.
crucifixus est. Tunc pro certo nos cum eo resurrexisse, credere possumus, teste Apostolo, qui ait: *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Sanctus Bernardus infallibile quoddam signum tradit, è quo cognoscere possumus, nos hodie veraciter confessos & contritos fuisse, dum ait. *Sit vera compunctionis indicum opportunitatis fuga, subtractio occasionis, alioquin timendum valde, ne dies ista (siquidem & ipsa posita est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel) reprobet vos, vel tanquam alienos manifestè à Christo non communicantes, vel tanquam socios Judæ, in quem intravit Sathanas post buccellam.* Ecclesiasticus caput suum 21. exorditur à verbis illis, quibus nobis, qui hisce diebus in Confessiooe nostra bonis nos propositis adversus futura peccata communivimus, nihil à nobis audiri aut dici potest utilius, aut opportunius, videlicet: *Fili peccasti? Non adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut dimittantur tibi.* Tametsi enim peccatorum oostrorum remissionem obtinuerimus, per absolutionem Sacramentalem, quoad culpam, remanet tamen in oobis reatus aliquis quoad pœnam temporalem. Atque ideo beoe notandom nobis est, quod subjungit præservativum nostrum, dum ait. *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad ea suscipient te.* Quasi dicere vellet, quod si ad peccata hactenus confessa denuo reaccesseris, id est, si ad easdem conversationes, io quibus hactenus periclitati fuimus, ad eorundem obscenorum librorum, qui tam fortia concupiscentiæ addiderunt calcaria, lecturam, ad pristinam cum tali lubrica & lasciva muliere familiaritatem, fuerimus reversi, infallibiliter de novo iterum relabemur. Verum dices, fortasse, quænam est illa peccati & serpentis inter se mutua similitudo? Nunquid sapicos majorem incussisset timorem dicendo: *Quasi à facie leonis fuge peccata?* Vel etiam si quamvis aliam non mious horribilem feram nominasset: Considerandum igitur est, quod Leo aliaque similia animalia, quantumvis siot terrifica, nihilominus quamdiu minora sunt, & in conditione catulorum existunt, oullum incutiunt pavorem, quin imo nonounquam cicurantur: serpens verò non item, hic enim quamtumvis modicus sit, semper terret, & horrorem homini incutit, siquidem nec tunc illis venenum deest. Eodem prorsus modo peccatum, quamtumvis id sit parvum, suam tamen semper habet adjunctam malitiam. *Tu ne leve dixeris, in quo Deus offenditur.* Atque ideò istud pro viribus nobis semper fugiendum erit, idque tanto magis, quanto est certius, quod *ex parvis maxima fiunt negligentia nostra*. At verò ootanda insuper est alia in serpente conditio. Postquam enim serpens lethalem homini ictum iotulit, membra illa quibus mordacem dentem suum infixit, per aliquod temporis spatium, haud secus ac si viva etiamnum essent, saliunt, eo quod aliquis etiamnum illis ealor insit, qui talem in illis modum causat. Dicit igitur Ecclesiasticus: *Quasi colubrum fuge peccatum*, id est, considera, quod licèt nonnunquam mediante bona & sincera confessione, serpenti peccati necem intulerit, ohilominus etiamnum vivat in te plus quam antea fomes coocupiscentiæ tuæ, sanguis adhuc

ebulliat, tentationes te stimulent, mali habitus nondum sint totaliter repressi, etiamnum vivat inclinatio illa mala & inveterata, plusquam aliàs ad repetendam lubricam illam domum inciteris, voluptates præteritæ adhuc suas in memoria species reliquas habeant, sodales tui facili negotio te pervertere possint, ac proinde ad quamvis minimam occasionem tibi obviam facillimè relabi possit, atque ideo iterum iterumque tibi suadeo, ut à peccato haud secus ac à facie serpentis fugias, nec nimium in eo confidas aut præsumas, quod confessione mediante peccatum necaveris, quin potius opus est, ut omnem quoque occasionem, omne offendiculum vel incitamentum studiosè caveas, siquidem malæ inclinationes semper in nobis vivæ perseverant. Jam elapsum ferè est triduum, à quo Sanctus Petrus Dominum & magistrum suum in conspectu aulicorum & servorum Pontificis turpiter adeo negavit & pernegavit; & tamen benignissimus Salvator *respexit Petrum*; qui & ipse protinus *flevit amare*. Advertendum est autem, quod facet textus huic pœnitentiæ S. Petri considerabilem quandam adjicit circumstantiam, dicit enim; *Egressus foras flevit amare*. Videri haud immeritò non nemini posset, convenientius Petrum facturum fuisse, si in præsentia eorundem ministrorum Pontificis, quos scandalizaverat, factam negationem retractasset, commissumque errorem ipsis cernentibus deplorasset? Nonne? Fatendum quidem est id verum esse, nisi documentum, quod Sanctus Petrus cunctis pœnitentibus, tanquam exemplar resipiscentium peccatorum relinquere debebat, longè magis præponderasset? Hoc autem in eo præcipuè consistebat, quodsi forte peccator aliquis in peccatum aliquod ex humana fragilitate elapsus fuisset, is talis, postquam resipuit, & de commisso errore pœnitentiam agit, ad locum commissi delicti amplius non revertatur, cum lasciva illa muliere non amplius tractet, quia secus faciens, non solum non pœnitebit, verum etiam manifesto se exponet in nova peccata relabendi periculo Sanctus Chrysologus periculum occasionum verbo quodam valde emphatico, nobis depingit, dum illas vocat: *Fumantes occasiones*. Quando enim candelæ alicui extinctæ non tamen totaliter, sed ita ut etiamnum fumiget, ex superiori parte directè in evaporantem fumum, licèt non ita proximè, admoveatur ardens aliquod lumen, subitò reaccenditur, ignemque quantumvis à se nonnihil distantem de novo concipit. Eodem prorsus modo experientia constat, quod tametsi ignis ille voluptatis sensualis, vel appetitus vindicativi, per viam confessionis extinctus sit, nihilominus aspectus talis pravi objecti, illius pessimæ occasionis, periculosæ familiaritatis peccatori de novo præsentatus fuerit, nihil æquè facile erit, quam quod per viam malæ inclinationis & mali habitus illius, qui in ipso reliquus mansit, in idem peccatum denuo sit relapsurus. Unicum duntaxat verbum, unicus gestus, unicus obtutus, nuntius aliquis, vel litera, aut quodvis minimum ab hactenus grata manu missum munus sufficiet, ut ruptum malæ & perniciosæ familiaritatis filum denuò resarciat. Sanctus Augustinus de familiaritate fœminarum, exemplum adducit sapientissimi Salomonis, qui, quod factus esset lubricæ sensualitatis mancipium, lapsus est turpiter in idololatriam. Unde sanctus hic Doctor dicit: *Salomon vos admonet dicens: Nunquid alligabit quis ignem in sinu suo? qui familiaritatem non vult vitare suspectam cito labitur in ruinam*. Idem quoque alibi similitudinem adducit febricitantis alicujus, qui tametsi febris eum deseruerit, cautus tamen esse debet in observanda ratione victus, donec ex integro convalescat: vel hominis alicujus periculosè vulnerati, cui licèt è vulnere ferrum extractum sit, per hoc tamen nondum omne periculum evasit, sed continua etiamnum cura opus habet. Sic quoque verum quidem est, quod per factam Sacramentalem confessionem ferrum è vulnere sublatum fuerit, peccatique mortalis febris jam cesset, veruntamen etiamnum viva remanet antiqua peccandi consuetudo, nondum extincta est perversa illa inclinatio, ac proinde occasionis obviæ suggestio, tua non carebit in te infestando vehementia, ideoque tam interiori, quam exteriori mortificatione opus semper erit. Pauperculi illi Prophetarum filii, Eliseo tanquam Patri suo Spirituali & directori dolenter lamentabantur, dicentes: *Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse Domine perspicis, sed aquæ pessimæ sunt*. Item quoque nos lamentari posse videmur Confessio Sacramentalis, quam fecimus, bona quidem est, suasque habuit debitas dispositiones & circumstantias, *sed aquæ pessimæ sunt*. Mali habitus ad incitandum in peccata pristina solitò vehementiores post Confessionem existunt, siquidem hactenus *bibimus sicut aquam iniquitatem*. Quid igitur hic remedii? Audite quid sanctus vir Dei fecerit: *Hæc dicit Dominus, sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors*. Sed qua ratione aquis restituta est sanitas? *Egressus ad fontem aquarum, misit in illum Sal*. Sed quonam modo aquæ ex sale dulcescere poterant? Nimirum voluit ut sciremus (*nam omnia in figura contingebant*, & ideo ad postremorum eruditionem & doctrinam) virtutem mortificationis, utpote quæ sola omnes nostros malos habitus, pravasque inclinationes nostras extirpare valet; hæc enim in nobis superstites peccatorum reliquias extinguere, nosque continentes servare poterit, si nimirum nos illa recreatione cæteroquin honesta privaverimus, si à prava nos societate subduxerimus, bonamque servaverimus sensuum nostrorum custodiam, super omnia verò omne illud declinaverimus, quod nobis vel minimam relapsus in peccata pristina conciliare poterit umbram. Unde considerabilis est illa Cassiani propositio: dicentis: *Ut unumquodque peccatum possit extingui, causa atque occasio, per quam vel ob quam est admissum, debet primitus amputari*.

Matt. 26. 75.

Ser. 115.

Lib 14. de Trin. c. 17.

4. Reg. 2. 19.

Coll. 20 c. 10

Ad gratiam, & Spiritum, quem Deus nobis in hoc Paschate communicat, recipiendum & conservandum, sensuum custodia magno nobis subsidio esse poterit.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum, venit JESUS & stetit in medio eorum, & dixit eis Pax vobis: Joan. Cap. 20.

1. EOdemmet Dominicæ resurrectionis die, Christus mortis triumphator, Apostolos, circa crepusculum vespertinum, sua apparitione honoravit, eosque non solum per gloriosam præsentiam suam, verum etiam per suavissimum quod illis attulit, nuntium, consolatus est & lætificavit: *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino*. Valde autem notandum est, quod S. Joannes Evangelista dicat: *Cum fores essent clausæ*. Ingressus igitur est ad eos, licèt fores undique clausæ essent. Theophilactus proinde ait: *Ostiis vero clausis, ut ostendat, quia eodem modo resurrexit, adjacente Lapide super monumentum*; ad veritatem & virtutem gloriosi Corporis sui manifestandam: inter cæteras namque resuscitatorum Corporum gloriosas dotes, una est subtilitas, per quam durissima licèt marmora, & metalla quantumvis densissima penetrare valent. Doctor autem Angelicus doctrinam quandam moralem exinde elicit, dicens: *Mystice autem per hoc datur intelligi; quod Christus nobis apparet, quando fores, id est, sensus exteriores sunt clausi*. Sanctus Antonius de Padua dicit: *Januis clausis, janua quinque sensuum a vanitate clauduntur*. Etenim Deus noster in hisce resurrectionis suæ festivis gaudiis, eos specialissimè visitat, qui accuratam tenent sensuum suorum custodiam, qui à sæculari & vano commercio sese sequestrant, qui à periculis & peccandi occasionibus sibi caventes, solitarios recessus diligunt. Erga illos abundan-

In die Pasch.

dantem & liberalissimum gratiarum suarum dispensatorem se exhibet, eandemque munificentiam erga illos exercet, qui, Apostolorum exemplo, ipsum præstolantur, ad ipsum suspirant, illum soliciè requirunt, cum hoc tamen pacto, ut januæ ipsorum clausæ sint, id est, accuratam teneant sensuum suorum custodiam. Vultisne scire quantis beneficiis Christus Apostolos post clausas januas delitescentes affecerit? Audite. Mentes eorum propter Passionem cœlestis Magistri sui mœstas atque dolentes serenavit, se illis quovis sole luminosiorem & splendidiorem exhibendo. *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino*. Deinde perfectam illis pacem annuntiavit, *Dixit eis: Pax vobis*. Opulentissimum humanitatis suæ ærarium & Gazam, è qua inæstimabilem pretiosissimi sanguinis sui thesaurum effuderat, eisdem aperuit & reseravit: *Ostendit eis manus & latus*. Peccata remittendi potestatem illis contulit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Atque insuper dona & gratias Sanctissimi Spiritus (licèt non tam copiosè, ut factum est in Pentecoste) millenaque alia bona cœlestiàs eis tribuit. Ecce quot bonis Apostoli, in hac sua sancta solitudine & secreto recessu, locupletati fuerint.

2. *Mysticè per hoc datur intelligi &c.* Dimissa sunt nobis hisce diebus (Deo sint infinitæ laudes) peccata nostra: Sacratissimo Salvatoris nostri corpore nutriti sumus, vix triduum abiit, à quo pretioso ejus sanguine redempti sumus? Dei magnum lumen atque notitiam nobis comparavimus, culpas & iniquitates nostras detestati, ardua vitæ melioris proposita in corde nostro seriò concepimus: Nunc igitur summa rerum in eo consistit, ut in conciliata nobis gratia & amicitia Dei conservemur & persistamus. Et quidem ad hoc obtinendum nullum est efficacius medium, quam assidua sensuum nostrorum custodia, omniumque occasionum periculorumque recidivandi seria evitatio & fuga. Unde huic nostro (Ep. ad Sabi.) proposito egregiam quandam Sancti Ambrosii doctrinam adaptare possumus. Dicit igitur sanctus hic Doctor, quod nam in eo latet mysterium, quod Deus noster, postquam luteum hoc corpus nostrum in Campo Damasceno plasmasset, volens ad illud vivificandum animam eidem insundere, illud aspiraverit, orisque halitum, quasi faciei ejus insufflaverit? (Gen. 2. 7.) *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. Mysterium inspirationis hujus fuit, quia in vultu nostro omnes sensus nostri simul congregantur & reducuntur: *Ibi sedes & illecebra delectationis, in oculis, auribus naribus, & ore, ut sensus nostros adversus delectationes faceret fortiores, & eos sanctificaret, ne aliquod prophanum aut falsum in animam deferrent*. Idemmet Creator ac demum Redemptor noster mysterium istud in persona Apostolorum suorum, hodierna die, ad instructionem & profectum nostrum renovavit: *Insufflavit in eos dicens: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Insinuare namque nobis voluit, nos specialiter pro sensuum nostrorum custodia Spiritui Sancto ejusque gratia & assistentia summè indigere; si enim sensus nostri bene custoditi & sanctificati fuerint, tunc peccatorum nostrorum remissionem stabilem futuram esse (Luc. 11. 21.) sperare poterimus. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet*. Hæc autem custodia est solitudo, secretus ab hominibus aliis recessus, fuga occasionum, assiduaque linguæ aurium & oculorum cautela atque custodia. *Cum fores essent clausæ, venit Jesus*. Salvator & salus nostra tunc præcipuè in animas nostras descendit, quando omnibus aliis præterquam Deo fores recluduntur. Unde Sanctus Antonius Paduanus ait: *Fores sunt quinque sensus corporis, quos claudere debemus seris divini amoris & timoris, ne contingat nobis, quod dicit Apostolus, scio quod post discessum meum intrabunt ad vos lupi rapaces non parcentes gregi*. Quodsi verò ad eorumdem sodalium, qui nos seducere consueverunt, familiaritatem revertamur, si ludos & conversationes pristinas denuo repetamus, nil aliud præterquam recidivæ periculum inde reportabimus. Sanctus Augustinus inquit. *Minus voluptatibus stimulatur,*

Mansi Prompt.

qui non est ubi frequentia voluptatum. (De sing. cler.) Quanto igitur minus se à voluptatibus & delitiis vitæ superioris stimulari sentiet, quis illas personas, & loca studiosè fugerit, ubi vel maximè periclitari consuevit? In libro Geneseos prælium quoddam, quo inter novem Reges acriter dimicatum fuit, recensetur: Quo- (Gen. 14.) rum Regum quinque qui viribus majores & robustiores erant, ab aliis quatuor debilioribus & infirmioribus devicti & profligati fuerunt; cujus Sacra Scriptura hanc nobis rationem reddit: Quia nimium vallis, in qua dimicabatur, luto plena erat, ac proinde equi in eadem valle gubernari minimè poterant. Est hæc serpentis infernali mera astutia. Probe namque scit, multos esse satis animosos & fortes, ut insultibus suis resistere possint, jamque de facto fortissima sibi formasse deinceps in peccata non recidivandi proposita. Quid hic faciat, ut tales superare, suæque Tyrannidi subjicere possit? Loci opportunitate utitur, hacque ratione efficit, ut cuncta nostra proposita languescant & irrita fiant; curat enim, ut sub bono aliquo prætextu in illam nos denuo recipiamus conversationem, aut domum illam iterum ingrediamur; aut verò illa superioris vitæ illecebrosa objecta nobis vicissim ob oculos ponit, vel denique eadem pedibus nostri offendicula interjicit, sicque fit, ut quo nos securiores esse credebamus, tanto simus lapsui propinquiores. Unde Salmeron super illa verba: *Januis clausis venit Jesus*, (Jo. 11. 16. 27.) ita scribit. *Si perpetuò mansisset cum Apostolis, creditus fuisset ad vitam mortalem suscitatus, ut Lazarus: quâ re docuit eos, qui spiritualiter à morte culpæ sunt suscitati, ut passim ac promiscue cum aliis peccato mortuis conversari non debeant, sed cum justis Spiritualem gratiâ Dei vitam degentibus, ut Christus cum Apostolis & discipulis; unde Angelus mulieres reprehendit. Quid quæritis viventem cum mortuis?* Didacus Stella etiam optimè declarat, qui (In Luc.) nam sint illi, qui Christum resuscitatum inter mortuos quærunt, dum ait: *Hoc faciunt, qui cum boni sint, participes sunt cum malis, quibus quidem potest dici illud Evangelii: sine mortuos sepelire mortuos suos*. In Levitico Deus modum præscripsit in (Lev. 4. 12.) sacrificiis pro peccatis offerendis observandum præcepit autem, ut quoad usque mirarentur in deserto, & ad terram promissionis procederent, pellem & alias carnes una cum capite, pedibus, intestinis & aliis excrementis foras deportarentur extra castra, in locum quendam mundum procul dissitum. Idque ut denotaret, ut inquit Lyranus. *Quia peccator debet esse elongatus, de cætero non solum à peccato, sed etiam ab occasionibus ejus*. Existimatisne enim quod, postquam aliquis de commissis peccatis suis egit pœnitentiam, receptaque absolutione Sacramentali, se per firmum non peccandi propositum, Deo se in sacrificium obtulit, id totum & solum ad ejus salutem assecurandam sufficiat? Neutiquam, si practicè loquamur, siquidem insuper opus est, ut recedat à periculis, deseratque occasiones & incentiva peccandi, ad hoc ut peracta paulò ante pœnitentia, constans & stabilis evadat. Davidi hac in re, utpote experto credendum est, qui post tot in continua innocentia transactos annos, tandem ab inimico infernali seductus fuit. *Pericula inferni* (ita lamentando loquitur) *invenerunt me*. *Non ego ea*, inquit per (Ps. 114. 3.) os ejusdem regii Prophetæ, Hugo Cardinalis. Qui mox subjungit. *Reprobi inveniunt ista pericula, quia quærunt occasiones peccati*. Adeoque pericula, quæ nos in infernum usque præcipitant, sunt peccandi occasiones. David de seipso dicit, se quidem Deum offendendi occasiones nunquam ex industria quæsivisse, ipsæ tamen peccandi occasione quærebant, & consectabantur ipsum. Quot inveniuntur timoratæ conscientiæ homines, qui sibimetipsis summa cum circumspectione cavent, & tamen dum egredi coguntur, in objecta quædam incidunt, quæ, nisi sensus suos cautissimè custodiant, in gravissimas peccandi tentationes vehementissimè eosdem alliciunt. David die quadam post meridiem, solarium palatii sui obambulando, vidit nescio quid: *Accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem,* (2 Reg. 11.) *& deambularet in solario domus regiæ, viditque mulierem lavantem se*. Ipse quidem hic præcipitium suum

data

data opera non quæsivit, sed tamen obscœnum quoddam valdeque illecebrosum objectum, oculis ejus non satis cautè custoditis, casualiter occurrit. Quousque autem cor ejus in incendio concupiscentiæ erga visam à se mulierem exarserit, idipsum, Davide quoque invito, scandalosa illa Dei oblivio fatebitur, in qua deinceps tanto tempore perseveravit. Parum aberat, quod factus fuisset miserabilis præda inferni, nisi divina bonitas tanta cum efficacia ei porrexisset dexteram auxiliatricem; unde dicit: [Ps. 91. 75.] *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Tandem verò superioris vitæ pertæsus, ac seriò resipiscens, generosam hanc sibi ad nostram instructionem, resolutionem statuit, scie non solum elongandi ab omni peccato; verum etiam omnem ejus declinandi occasionem atque periculum: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* Ubi Sanctus Hilarius ait: [Psal. 112. 101.] *Perfecta hæc & Evangelici viri vox est, ab omni se malitiæ via abstinere, & tot ubique occurrentibus erroris semitis, nullam earum, per quam nequitia adeatur, incedere.* Notentur illa verba: *Nullam earum.* Quia si hic vel ille cuius sit intimus, cui te magnopere obligatum esse censes, ac proinde justum esse putes, ut te erga illum gratum exhibeas, & tamen idem ille amicus [Matt. 18. v. 9.] tuus ex altera parte, Deum offendendi occasionem tibi præbet, procul tibi ab illo recedendum est. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Nolo hic suadere, ut corporalem tibi oculum eruas, bene tamen illum tuum amicum vel amicam, quam veluti oculorum tuorum pupillam amore prosequeris, deserendum esse consulo, si hic vel hæc tibi scandalo esse possit: cujus Sacra Scriptura pulchram rationem reddit dicens: *Bonum tibi est, cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.*

Christus per resurrectionem suam docet nos, qualiter mores nostros renovare, extirpare vitia, & vitam nostram reformare debeamus.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Ad Rom. Cap. 6. vers. 4.

1. SAnctus Joannes Chrysostomus consequentiam, quam Apostolus ex hisce præmissis elicit considerans, ita scribit: *Resurrectio, quæ nobis futura est, proposita aliam à nobis resurrectionem postulat.* Qualis autem hæc, quæ à nobis exigitur, reformatio esse debeat, mox declarat, dum ait: *Nempe novum vitæ præsentis genus atque institutum a morum visitatione factum; nam ubi scortator fit castus, ubi avarus misericors, ubi asper mansuetus, & hic quoque existit resurrectio.* Benedictus Deus, quia in totius anni decursu, in omnibus à sancta Matre Ecclesia celebratis festivitatibus, nulla est omnino, in qua major videatur morum & vitæ mutatio & reformatio, quam in hac festivitate Paschali. Unde Sanctus Thomas ait: *Infert consequens, quod non debeamus vivere in peccato.* Pro cujus probatione similitudinem adducit resurrectionis Christi: *Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, id est, per bona opera vitæ procedamus. Debemus in bonitate ambulare, scilicet desistendo à peccato.* Hic enim unus fuit ex finibus magis præcipuis, ob quos Salvator noster è glorioso sepulchro suo resurrexit, ut nimirum nos quoque spiritualiter resurgamus, & quidem sicut ipse ad vitam resurrexit impassibilem & immortalem, ita quoque nos resurgamus ad vitam novam. S. Ambrosius super hunc textum Apostoli in themate adductum, ita scribit: *Securitatem æternitatis in resurrectione Salvatoris ostendit* (nimirum Apostolus) *ad quam venire contingit, si melioris vitæ fuerit æmulatio.* Idem quoque Apostolus ait: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Paulo post, clara indicia, ex quibus nos [Col. 3. 1.] cum Christo resuscitatos esse, cognoscere possimus, subjungit: *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam; deponite iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro; nolite mentiri invicem exspoliantes vos veterem hominem & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Verum quidem est, quod omnes hodierna die ad pedes confessarii, veteri homine exuto & deposito, in Spiritu per bona proposita renovati simus, sed tota rerum summa in eo consistit, ut semper progrediamur in facto à nobis proposito, nec respiciamus retro; atque ideò Apostolus addit: [Feria 4.] *Ambulemus in novitate vitæ.* Unde Sancta Mater Ecclesia in quadam oratione sive postcommunione, quæ in hac octava ultima est, hanc pro nobis divinæ Majestati supplicationem præsentat: *Ab omni nos quæsumus vetustate purgatos; Sacramenti tui veneranda perceptio in novam transferat creaturam.* B. Thomas de Villanova egregiè nobis exponit mysterium; ob quod Christus Dominus à mortuis suscitatus, in ea apparitione, quam Sacri Evangelistæ primo loco recensuerunt; se videndum præbuit in specie cujusdam hortulani: [Con. in fer. 2. ref.] *Exhibet se hortulanum, eradicans malas radices vitiorum, emolliens terram cordis eorum, & ordinans omnes eorum potentias, plantans in eis multiplices & varios flores & rosas desideriorum, & cogitationum cœlestium, varias quoque arbores bonorum morum & virtutum, quibus fructificant Deo. Felix anima, quæ talem habet hortulanum! Talis erat illa, quæ dicebat; Veniat dilectus meus in hortum suum ut comedat fructum pomorum suorum, omnia poma nova, & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Quoniam autem modo id adimpleri possit, idem sanctus optimè explicat, tunc videlicet, si proferendis bonorum operum fructibus toti intenti simus: *Illa anima hoc dicere potest, quæ omnibus suis viribus & potentiis fructificat Deo, cor bonos affectus & desideria, mens bonas cogitationes, lingua verba sancta, manus opera bona, totum quod optat, quod intelligit, quod loquitur, quod agit, quod videt, quod audit, totum ex omni parte Deo tribuit.*

2. *In novitate vitæ ambulemus.* [Rom. 6.] Angeli quoque hanc morum & vitæ puritatem suo nos aspectu docuerunt. Hugo Cardinalis super epistolam ad Romanos ita loquitur: *Viderunt juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, per juvenem significatur strenuitas operandi per dexteram quod operari debemus pro æternis; per stolam perseverantiam, per candorem munditiam conversationis.* Studendum enim nobis est, ut in praxi & conversatione cum proximis nostris, morum semper honestatem & candorem exhibeamus. *Per ruborem faciei ardor charitatis.* Idem super Matth. illa verba: *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, & vestimenta ejus sicut nix*, per glossam, suam exponens, dicit: *tangit duplicem effectum gratiæ; quia mundat, quod notatur cum dicit, vestimenta ejus sicut nix, & accendit & inflammat, unde dicit: Erat aspectus ejus sicut fulgur.* Terræ motus conversionem significat, ad quam hodierna die omnes peccatores conari debent: similiter Paulus de Palatio hac de re scribit: *Si Christi ex sepulchro resurrectio hominis ex peccatore resurrectionem designat, ille terræ tremor, quid peccator in sua conversione facturus sit, demonstrat;* [In Matt.] *tremat enim necesse est, & contremiscat Dei iram, quam incurrit, inferni pœnam, quam meretur judicii furorem, quo examinabitur, æternitatem tormentorum quibus cruciabitur, ex quo timore qui utiliter concutitur (ut Concilii verbis utar) ad Dei misericordiam sperandam sese convertere debet.* Quodonam putatis in eo latere mysterium, quod Evangelista nobis circumstantiam temporis, quo sanctæ mulieres ad sepulchrum properarunt, adeo accuratè describat? Beda respondet: [In Cat. D. Thom. in Marc.] *Per hoc quod mulieres valde diluculo veniunt ad monumentum, datur nobis exemplum discussis vitiorum tenebris ad Domini corpus accedere, nam & sepulchrum illud figuram Dominici habebat altaris.* Porrò Corpus illud sanctissimum in Syndone mundo involutum erat, ad docendum nos, cum quanta conscientiæ munditiæ & puritate nobis ad corpus Redemptoris nostri

ac-

accipiendum , maximè hodierna die accedendum sit. Aliud quoque mysterium nostro proposito valde opportunum nobis hoc loco advertendum est , nimirum dictum Angeli , quo Christum à mortuis resuscitatum in Galilæa apparituram esse affirmarat : *Ite , dicite Discipulis ejus & Petro , quia præcedet vos in*

Matt. cap. 28.

Galilæam , ibi eum videbitis , sicut dixit vobis . Ubi Glossa sic ait : *Galilæa transmigratio facta interpretatur , jam enim à Passione , ad resurrectionem ; à morte ad vitam , à pœna ad gloriam transmigraverat . Et bene post resurrectionem in Galilæa à Discipulis videtur ; quia resurrectionis ejus gloriam post læti videbimus , si modo à vitiis ad virtutum celsitudinem transmigremus* . Et quidem hoc unicum motivum fuit , cur S. Bernardus in Sermone quodam de hoc festo , tam acriter in eos animadvertat , qui ad recidivandum in peccata pristina adeo faciles existunt : *Inve-*

Serm. 1 de res.

niemur nunc iterum curiosi ut ante , verbosi ut ante , & negligentes ut ante , vani , suspiciosi , detractores , iracundi , cæterisque impliciti vitiis , quæ tam anxiè deploravimus his diebus ? Non est transmigratio hæc , fratres , non sic videbitur Christus . Hoc mane lecta est

1. Cor. 5.

illa Sancti Pauli Epistola , in qua ita nos monet : *Expurgate vetus fermentum , ut sitis nova conspersio sicut estis azymi , etenim Pascha nostrum immolatus est Christus . Itaque epulemur non in fermento veteri , neque in fermento malitiæ & nequitiæ , sed in azymis synceritatis* . Ubi Apostolus ad illud quondam in Exodo mandatum alludit , quo homines Pascha cum fermento celebrare prohibebantur , hoc enim pro illo tempore

In Fest. res.

è domibus suis eliminare & arcere sub gravissima pœna jubebantur , nam ut Sanctus Thomas ait : *Qui enim vult celebrare istud solemne Pascha , oportet esse mundissimum* . Quidnam hoc fermento significetur , mox declarat dicens : *Vetus fermentum est carnalis concupiscentia , quæ à primo parente incepit corrumpere massam naturæ humanæ* . Hæc abjicitur , idest , in virtute mortis & resurrectionis Christi , in hac nostra natura humana consummata reprimitur ; quia *vetus homo noster simul crucifixus est cum eo , ut destruatur corpus peccati* . Vis & fortitudo hujus concupiscentiæ , qua antea contra nos prævalebat , minuitur & debilitatur , adeo ut ad resistendum fomiti magis dispositi simus . *Iste vetus homo* (inquit Anselmus) *cum*

Ad Rom. 6.

Crucifixione Christi ita debilitatus est , ut dominante ratione destruatur corpus peccati , id est , tota peccatorum massa , ut ultra non serviamus peccato , corpus peccati , id est , peccatum secundum omnia membra sua destruatur. Et quidem ut nos ad hanc totalem peccati destructionem animosos efficiat , sequenti utitur similitudine : *Christus non ex parte , sed integer est crucifixus , ut nos ex toto moriamur peccato , & vivamus Deo* . Hugo Cardinalis super illa verba Apostoli in themate adducta sic scribit : *Existimate vos mortuos , ita quod nec actu , nec affectu vivatis peccato : Existimate vos mortuos , id est , gerite vos tanquam mortui , ut nullum signum vitæ peccati remaneat in vobis* .

3. *In novitate vitæ* . Dionysius Carthusianus optimè nobis declarat , quidnam Christus pro nobis moriendo & resurgendo nos docere voluerit : *Mors Christi significat veteris ac vitiosæ conversationis occisionem , resurrectio verò Spiritualem mentis renovationem* . Rupertus Abbas Tuitiensis , Pascha nostrum celebrandi , arcendique à domibus nostris fermenti , optimum nos modum docet , dum ait : *Ut simus*

Lib. 1. de Trinit. in Exod. lib. 2. c. 13.

nova conspersio . Qui Pascha comedit , accinctos renes habere debet , ut qui solemnitatem resurrectionis atque incorruptionis agit , corruptioni jam per nulla vitia subjaceat , voluptates edomet , carnis luxuriam restringat ; neque enim cognovit , quæ sit solemnitas incorruptionis , qui adhuc per incontinentiam corruptioni subjacet . Præfatus Dionysius illa verba :

Ser. in die Pasch.

In novitate vitæ ambulemus , ita glossat : *id est , pristinis vitiis extirpatis Spiritualiter reformemur* . Sanctus Antonius Paduanus de hoc fermento tractans ait : *Fermentum est cupiditas terrenorum & concupiscentia carnalium desideriorum , quæ postquam fervere incipiunt , omnem modum excedunt , quia avarus pecunia non implebitur , nec luxuriosus carnis petulantia satiabitur* . Sic proinde optimè nos monet Ecclesia , dum adeo frequenter repetit dictum illud : *Expurgate vetus fermentum*.

4. *In novitate vitæ ambulemus* . Maxima difficultas , quæ in inchoatione novæ vitæ , novisque moribus assumendis nos impedit atque retardat , est mala & inveterata peccandi consuetudo , malique mores , qui sunt in nobis , hi enim idem sunt in nobis , quod *vetus homo noster* . Sanctus Thomas postquam dixisset , quod *debemus in novitate vitæ ambulare* , mox subjungit : *Et ne hoc aliquis forte impossibile diceret , dicit quod sumus hoc scientes , quia vetus homo noster , id est , vetustas hominis per peccatum inducta , simul scilicet cum Christus crucifixus est , id est , per Crucem Christi est mortificatus* . Enimvero postquam Christus pro peccato crucifixus est illud ipsum multas adversum nos vires amisit , maximè quando consideratur à nobis , quod peccare nihil sit aliud , quam *iterum Christum in semetipso crucifigere* . Unde Origenes super illa verba ; *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem , ut quomodo Christus surrexit à mortuis , ita & nos in novitate vitæ ambulemus : Mori prius oportet peccato , ut possit sepeliri cum Christo ; mortuo enim sepultura debetur : si enim vivus adhuc peccato , sepeliri non potes cum Christo , nec novo ejus sepulchro collocari , quia vetus homo tuus vivit , & non potest in novitate vitæ ambulare* . Ad cujus probationem utilem quandam & ingeniosam observationem adducit . *Propterea namque cura fuit Spiritui Sancto tradere per Scripturas , quod & sepulchrum novum fuerit , in quo sepultus est Jesus , & quod in Syndone munda obvolutus sit , ut sciat omnis , qui consepeliri vult Christo per baptismum , nihil vetustatis ad sepulchrum , nihil immunditiæ ad mundam Syndonem deferendum*.

De stabilitate , quam tenere debemus in bono hisce Sanctis diebus Paschalibus incepto . Et qualiter evadendum sit , ne ad peccatum revertentes Deum amittamus.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Mane nobiscum Domine . Lucæ Cap. 24.

CUm Christus Salvator noster hodierno resurrectionis suæ die , in societate esset duorum illorum discipulorum in Emaus proficiscentium , jamque Castello appropinquasset , Christus autem se longius ire velle simularet , ipsi eum , tametsi etiamnum ignotum , ut cum ipsis hac nocte permaneret , instanter rogarunt , dicentes : *Mane nobiscum* . Porrò ut hoc Paschali tempore salutare aliquod documentum exinde ediscere valeamus , hunc in modum discurrere possumus . Quilibet nostrum hodie mediante Sacra Communione , nec non virtute Sacramenti pœnitentiæ cœlestem hunc hospitem in corde suo recepit . Quam igitur justum & æquum est , ut hanc quoque supplicationem ei ex parte nostra porrigamus , dicendo : *Mane nobiscum Domine* , eumque rogando , ut ab animabus nostris non procul abscedat , Motivum , cur illi à Salvatore petere auderent , ne ab ipsis recederet , fuit , quia noctis hora jam imminebat : *Mane nobiscum Domine , quoniam advesperascit* . Finis autem specialissimus , ob quem illum , ne à nobis recedat , rogare possumus , esse potest summa illa facilitas , qua ob malas inclinationes nobis congenitas in peccata reincidere solemus . Unde Dionysius Carthusianus ait : *Mane nobiscum quoniam advesperascit , specialiter quoque advesperascit in anima , dum appropinquat ad culpam* . Anima verò appropinquante ad culpam , id est , ad peccandi occasiones & peri-

cula redeunte, verus justitiæ sol Christus à nobis recedit, illique culpæ tenebræ protinus succedunt. *Inclinatur dies, quando elongatur à gratia, hoc est, quando disponitur in peccata*. Non sine mysterio Sancta mater Ecclesia hisce frequentibus quadraginta diebus nos docuit, ut Salvatorem nostrum à mortuis redivivum, summa cum instantia, ut nobiscum maneat rogemus; versiculum illum intonando: *Mane nobiscum Domine*; cum enim nullum sit tempus in toto anno, in quo fideles corpus Domini nostri universalius in Sacratissimo Sacramento percipiunt, quam hodierna die, opus profectò est, ut omni studio caveamus ne è nobis iterum recedat. Unde idemmet Carthusianus Doctor ait: *Sic & nos quotidie Christum rogemus & invitemus, ut in cordis nostri cubiculo manere dignetur; ipse enim apud Joannem loquitur; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*. Ubi bene notandum est, quod Christus dicat: *Qui manet in me & ego in eo*, Deus enim sua Divina gratia auxiliisque divinis nunquam nos deserit, nisi nos primi simus, qui terga nostra ipsi obvertamus. *Nunquam Deus deserit hominem* (ait

Sess.6.11.

Concilium Tridentinum) *nisi prius ab homine deseratur*. Beatus Laurentius Justinianus optimè ad pro-

Serm. de resurr.

positum nostrum scribit: *Verus Dominicæ resurrectionis cultor est, qui per virtutis studium & pii amoris incendium mediatori Christo inhærere concupiscit*. Sanctus Apostolus Paulus ad Corinthios scribens, dum de universali corporum nostrorum resurrectione, quæ in virtute resurrectionis Salvatoris nostri futura est, tractat, demum concludit: *Itaque fratres mei dilecti stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini*. Quasi dicere vellet: Ex resurrectione Christi meliorem fructum elicere non possumus, quam si nos

1.Cor.15, 58.

in bonorum operum perseverantia magis magisque stabiliamus & confirmemus. Magdalena prima fuit, quæ supra omnes Apostolos omnesque alios à Christo resurgente visitata fuit. Si autem scire vis meritum, in quo cunctis aliis præcellentior fuit, audi eundem Dionysium Carthusianum dicentem: *Quoniam igitur perseveravit, nullamque indignam consolationem admisit, meruit consolatorem & desideratum cordis sui invenire & cernere: perseverandum est in ope-*

In Joann.

re bono usque in finem. S. Bonaventura inter alias considerabiles Resurrectionis Christi circumstantias hanc unam specialiter observat, quod scilicet una & eademmet permanserit, nulli subjacens mutabilitati. *Christus resurgens ex mortuis non moritur, sic & tu perseveranter resurgas in conversione, ut de cætera non moriaris transgressione*. Et in sermone in feriam secun-

Ser. 6. de res.

dam Paschatis, quæ crastina die erit, ad eadem verba ab initio à nobis in themate proposita scilicet. *Mane nobiscum Domine*, sese reflectens ita scribit: *Si diligis proximum, omne odium relinquendo neque factis, neque verbis proximo nocendo, Deus tecum manet: Si diligamus invicem, Deus manet in nobis*. Ecce tibi facilem quendam modum, quem observando efficiemus, ne à nobis recedat: *Hic est Christus, qui cum Maria & Martha libenter mansit, quæ eum tantum dilexerunt: in Maria est charitas, qua Deo inhæretur, in Martha vero charitas, qua Domino ministratur; unde bene dicitur: qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. In oratione, quam nobis Sancta Mater Ecclesia in fine hujus octavæ præscripsit, hoc præcipuè intendit, ut hanc in operibus bonis stabiliter perseverandi gratiam à Deo postulemus; Dicit enim: *Præsta quæsumus, ut qui paschalia festa peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus*. Sic quoque Apostolus, postquam dixisset: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*, prosequitur di-

Rom.6.

cendo: *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo*. Ubi Sanctus Thomas ait: *Scilicet tanquam ad peccatum nunquam sitis redituri, viventes Deo, id est, ad honorem vel similitudinem Dei, ut scilicet nunquam per peccatum moriamur*. Hugo Cardinalis super illum textum Apostoli ad Romanos, sic scribit: *Posset quis dicere: Præcipis, ut moriamur peccato, hoc valde difficile est; propter hoc addit præmium resurrectionis, in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam corporis & animæ simul: Et hoc est si mortui sumus peccato cum Christo, id est, sicut Christus mortuus est pœnalitati, quæ est in morte corporali, id est, si non redeamus ad peccatum, simul etiam vivemus cum illo, scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*. Dionysius Carthusianus ut nobis nequaquam ad peccata nobis redeundum esse persuadeat, hoc utitur argumento. *Qui enim mortui sumus ipsi peccato, id est, vitiis mortificati & a peccato liberati per pretium sanguinis Christi, per gratiam baptismi, per pœnitentiæ Sacramentum (mortuum esse peccato est à peccato esse ereptum) quomodo adhuc, id est, iterum vivemus in illo, id est, operabimur opera tenebrarum & consentiemus suggestioni peccati? Tanquam dicat, nec decet, nec licet, nec expedit, nos taliter recidivare*. In cujus probationem hanc adducit similitudinem. *Nam sicut naturalibus non est reditus a morte in vitam, sic in moralibus non est naturaliter regressus à morte culpæ ad vitam gratiæ, utrumque tamen contingit interdum per omnipotentiam & clementiam Creatoris*. In introitu Missæ crastinæ, hæc verba præscribuntur: *Aqua sapientiæ potavit eos, firmabitur in illis*: In oratione quoque ejusdem Missæ hanc à Deo gratiam postulamus, ut nobis fructibus mysterii hujus, nec non & Sacramenti, quo pasti sumus, stabiliter & perseveranter perfrui liceat: *Concede famulis tuis, ut Sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt*. Et clarius idem in ultima oratione petitur hisce verbis: *Concede, ut Paschalis perceptio Sacramenti continua in nostris mentibus perseveret*. Sanctus Bernardus proinde multorum Christianorum tangit & reprehendit abusum, qui hunc diem ideo advenisse existimant, ut sibi liceat deliciis & voluptatibus modo pristino iterum indulgere: *Sic amatores sæculi, inimici Crucis Christi, cujus*

Ser.1. de res.

in vanum accepto nomine dicuntur Christiani toto hoc tempore quadragesimali ad instantes inhiant dies resurrectionis heu ut liberius indulgeant voluptati. Eidem sæcularium multorum errori eodem modo compatitur Valerius Episcopus Cemeliensis, dum ait: *Qua-*

Hom.19.

si revera, quod quadragesima dies prohibet, licèt fieri solemnitas votiva permittat, & in absolutione jejunii, data sit licentia peccandi. Nisi igitur in bono opere inchoato, & in conceptis bonis propositis perstiterimus, ostendemus profecto nos benefecisse & Christianè vidisse, potius ad serviendum tempori, quam ut Deo placeamus, nostramque operemur salutem. Unde subjungit. *Ne nos possidenda negligentia dederimus, videatur studium honestæ vitæ temporibus solum præstitisse, non moribus*. Quando populus Israeliticus tempore Josue Jordanem siccis transibat pedibus, Deo nimirum tunc idemmet portentum operante, quod in mari rubro, aquarum illius cursum suspendendo patraverat, contigit, quod quamdiu Arca Domini à Sacerdotibus sustentata, in medio Jordanis alveo morabatur, populus sine ullo impedimento siccis totum Jordanem pedibus pertransire posset, quamprimum verò Arca in aridam terræ faciem redierat, aquæ utrimque in unum denuo corpus coalescerent. *Præcipe Sacerdotibus*, inquit Deus Josue, *qui portant Arcam fœderis, ut ascendant de Jordane; qui præcepit eis dicens: Ascendite, cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, & fluebant sicut antea consueverant*. Idem quoque hisce diebus Paschalibus apud multos accidit. Quamdiu enim Sacerdotes cum Arca in Jor-

Jos.4.18.

dane persistunt; id est, quousque Ecclesia hisce diebus, magis quam quovis alio anni tempore Sacramentis pœnitentiæ & Eucharistiæ strenuè administrandis insistit, durant induciæ, suspenduntur perniciosæ familiaritates, non frequentantur Lupanaria, non cogitatur de ultione aut vindicta inimicis irroganda, torrensque aquarum illarum sistitur, è quibus *bibebant sicut aquam iniquitatem*; at verò diebus illis elapsis, Concionibus, Confessionibus, communioneque peractis; *reversæ sunt aquæ in alveum, & fluebant sicut antea consueverant*. Tunc enim ad odia hactenus abolita & adjurata, ad ludos, pravas societates, & detractiones pristinas, in easdem suspectas domos, ad eosdem contractus & illicita lucra reditus denuo paratur. Unde nescio, an non hisce diebus locum non habeat, quod Jeremias

ait:

Jer. 8. 66. ait: *Attendi & auscultavi; nemo est, qui pœnitentiam agat super peccato suo*, neque enim hoc dicere ausim, cum ferè omnes hodie haud dubiè confessi sint valdeque evidentia pœnitentiæ signa ediderint? veruntamen ex alia parte valde vereor, ne hujus Prophetæ lamentum apud multos plusquam verum sit, & verè locum habeat; siquidem tales confessiones penes multos fictæ fuere, nec debitis circumstantiis & dispositionibus vestitæ, & consequenter invalidæ. Multi enim hodie metu censurarum & animadversionis Ecclesiasticæ confitentur, nec tamen peccatum deserendi propositum mente conceperunt, nec suspectam familiaritatem deserere, aut injurias remittere volunt. Confitentur, ne à prioribus digito demonstrentur, & quia temporis præsentis consuetudo ita exposcit; atque ideo ejusmodi Confessiones ad nihilum, nisi ad Deum irritandum utiles sunt, cujus signum est, quia prima die, pristina denuo repetuntur crimina. Hanc etenim Jeremias propheta dicti hujus rationem adducit, dicens: *Omnes conversi sunt ad cursum suum*. Væ autem illis, qui hoc Agno Paschali sine firmo & stabili proposito, ad pristina peccata nunquam declinandi, cibari se faciunt. Apostolus postquam dixisset: *Qui enim manducat & bibit*
1. Cor. 11. *indignè, judicium sibi manducat & bibit, ideo inter vos multi infirmi & dormiunt multi*, id est, ut interpretatur Sanctus Anselmus, *Præmaturè moriuntur*; in pœnam Communionis hisce diebus sacrilegè sumptæ. Ex hoc namque defectu, multas hinc inde audimus variorum mortes repentinas; ac proinde Ecclesia hoc tempore Deum rogat; *Quæsumus auctor omnium, in hoc Paschali gaudio, ab omni mortis impetu tuum defende populum*. Christus Dominus Lucæ Capit. 17. auditores suos horrendo quodam exemplo perterrefacere volens, eisdem dixit; *Memores estote uxoris Loth*. Num forte Christo alia magis atrocium suppliciorum exempla suppetebant: Nunquid adducere potuisset, horrendum illud quinque illarum civitatum, quarum unam uxor Loth velut civis incoluerat, incendium, vel universale diluvium, vel exemplum, sub pedibus Dathan & Abiron dehiscentis terræ? Cur igitur infortunium illud, quod miseræ huic mulierculæ acciderat, solummodo adducit? Observandum est igitur pro faciliori difficultatis moræ intelligentia, eandem mulierem paulo ante duos Angelos in domo sua velut hospites excepisse, arcta quoque parentela Abrahæ junctam, adeoque Deo gratam fuisse, id quod culpam suam non modicè aggravabat; unde mox ut contra datum sibi præceptum, retrorsum se ad videndum Sodomam convertisset, rigidè castigata quia in statuam salis immediatè conversa fuit, absque ullo ei ad resipiscendum ab errore indulto tempore. Voluit autem æterna Dei sapientia, ut hæc statua omnibus sæculis futuris omnium illorum conditet sterilitatem, qui à via & vita bene inchoata adeo leviter & temerè retrorsum convertuntur. Iram igitur & supplicium Dei pertimescant omnes, quotquot post peractam de peccatis suis pœnitentiam, eorumque impetratam veniam, oculos & multo magis gressus suos iterum ad loca infamia deflectunt. Unde Sanctus Cyrillus Alexan-
Lib. 5. in Joan. c. 7. drinus ait: *Inde sumendum esse nobis exemplum, ne ad deploratas revertamur peccatorum illecebras*.

Agitur hoc discursu de Pace, quam Christus nobis dedit; quæ à nobis conservanda est per bonam & incontaminatam conscientiam, cavendo, ne in peccata pristina labamur, sed potius in gratia, & bonis operibus perseveremus.

DISCURSUS DECIMUSQUARTUS.

Et dicit eis, pax vobis. Lucæ Cap. 24.

1. PRimum per quod Salvator noster hodie dilectos Apostolos suos consolatus est, fuit felicissima annuntiatio Pacis: *Et dicit eis: Pax vobis*. *Quo constat, quam magnum bonum sit* (inquit Dionysius Carthusianus) *pax vera, spiritualis, & æterna*. Est enim adeo inæstimabile bonum, ut secun- Serm. 53.
dum Chrysologum, Christianæ virtutes virescant in eo, qui unanimitatem Christianæ habet pacis. Vultisne intelligere, qualis sit hæc pax vara, quæ nobis quoque hodie annuntiata fuit? Audite S. Paulum dicentem: *Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, &* Rom. 1. 7.
Domino Jesu Christo. Enimvero quando in animabus nostris divinam gratiam possidemus, quod omnibus nobis hodie evenisse spero, qui reconciliati sumus Deo, tunc pacem hanc, quæ omnia in se bona complectitur, in nobis experimur. Unde idem Chrysologus ait: *Pax jucunditas Christi est, perfectio sanctitatis est, & morum custodia*. Porro in multis scripturæ locis per hoc nomen justitiæ, innocentia & perfectio Christiana intelligitur: *Nisi abundaverit justitia* Mat. 5. 20.
vestra plusquam Scribarum. Et ideo Chrysostomus ait: *Justitia est omnis virtus*. Quo supposito illius præpositionis Psalmistæ recordemur necessum est, in qua dicitur: *Justitia & pax osculatæ sunt*. Hæc Ps. 84. 11.
namque pax sine innocentia & vitæ cujusdam immaculatæ puritate haberi nequit. Undè Sanctus Augustinus dicit: *Amica sunt justitia & pax nemo est, qui non velit pacem, sed non omnes volunt operari justitiam*. Equidem si verum dicere volumus, nunquid priusquam cor nostrum cum Deo reconciliaretur, quamdiu conscium sibi erat reatus iræ divinæ, inquietudinem intra semetipsum experiebatur, & turbationem internam? *Impii quasi mare fervens, quod* Isa. 57. 20.
quiescere non potest, non est pax impiis? At vero non item postquam gratiam Dei recuperavimus, & in ejus amicitiam denuo restituti sumus. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Ubi Sanctus Hieronymus ita legit: *Or-* Ps. 4. 7.
tum est lumen tuum nobis, & facta est pax lætificans in corde meo. Hoc autem lumen nihil est aliud quàm gratia, quæ junctam sibi habet hanc pacem & jubilum hunc internum. *Gratia vobis & pax*. Impius verò ambulans in tenebris. *Lætitia pacis* (inquit Sanctus Hieronymus) *non datur impiis*. Atque ideo David quoque dixit: *Viam pacis non cognoverunt*. Et ratio est, quia *Non est timor Dei ante oculos eorum*. Vatablus & Tigurina legunt: *Non est justiti-* Ps. 13. 3.
cum illis. Apostoli paulò ante inter se visi sunt esse discordes. *Facta est contentio inter eos*. Sanctus Jacobus & Joannes primatum prætendebant, primas Luc. 22. 24.
juxta Christum sedes postulando. Sanctus Petrus negavit & pernegavit Christum. Sanctus Thomas Resurrectionem Christi credere renuit. Denique *Omnes relicto eo fugerunt*. At verò abhinc & deinceps, postquam acceperunt nuntium pacis, eos semper sanctissimos, & rarissima perfectione præditos inveniemus. Vultisne hujus mutationis scire causam? Hanc referente Sancto Petro Chrysologo paulò ante audivimus; quia *Pax est perfectio sanctitatis*. Porrò verisimile est Christum per hanc Apostolis intimatam pacem, animis eorum pariter insinuasse talem cœlestium gratiarum abundantiam, unde in gratia efficacissimè conservarentur. Certum est enim quòd eos participes effecerit Spiritus Sancti, licèt non cum ea donorum plenitudinem, qua in Sacra Pentecostes die

fuere

fluere perfusi; nam *Insufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum*. Faxit Deus, ut eadem hæc Pax, quæ hodie nobis quoque annuntiata fuit, eosdem in animabus nostris producat effectus, id est, ut nos eo modo in gratia & amicitia Dei stabiliat, ut deinceps
Ps. 84. 9 in peccata pristina non amplius reincidamus. *Audiam, quid loquatur in me Dominus*, inquit David, *quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor*; quibus verbis clarè declarantur illi, qui hac pace sunt gavisuri, id est, qui ad Deum cordialiter convertentur. Quinam autem hi sunt præterquam illi, qui ad peccata semel per pœnitentiam abolita non redeunt? Advertendum est autem, quod primo loco dicat: *In plebem suam, & super sanctos suos*, id est, hac pace Dei specialissimè perfruentur illi, qui divino ejus servitio dedicati, ad sanctitatem & perfectionem magnis passibus gradiuntur. Veruntamen & nos hujus pacis participes esse poterimus, si ad Deum cordialiter convertamur; Cajetanus enim hæc verba, *qui convertuntur ad cor*, ita legit: *Qui non revertuntur ad stultitiam*. Unde si ad peccata vetera non revertamur, de hac pace possidenda securi esse possumus. Considerastisne aliquando differentiam, quæ inter illos, qui in timore Dei vivunt, & alios qui peccatis immersi sunt, intercedit? Jam jam eandem insinuavimus: Justi enim quiete & tranquillitate interiore fruuntur: *Pax multa di-*
Ps. 118. 165. *ligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*: Im-
Isa. 26. 7. pii verò non item: *Non est pax impiis*. Scitisne hujus rei sinceram causam? *In circuitu impii ambulant*: Non item justi: *Semita justi recta est: rectus callis justi ad ambulandum*. Impios in corde suo continuum experitur inordinatarum passionum suarum flu-
Ecl. 33. 5. xum & refluxum: *Præcordia fatui quasi rota carri est, & quasi axis versatilis cogitatus illius*. Patrem nam-
Job. 2. que suum moribus suis imitantur & exprimunt, qui olim dixit: *Circuivi terram*; *Quasi leo rugiens circuit*. Quænam autem est differentia inter eum, qui ambulat per viam rectam, & alium, qui in gyrum circuit? Qui per viam rectam graditur, quantò plus procedit antrorsum, tantò magis elongatur à loco, unde gressum cœpit, vel unde recessit. Contrarium verò accidit iis, qui aguntur in gyrum, quantò enim magis gradiendo procedunt, tantò amplius, à quo recesserant, denuo appropinquant. Anima hominis justi à miserabili statu peccati recessit, & quia quàm dulcis pax Dei sit, per propriam experientiam didi-
Phil. 4. 7. cit (*Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, & custodit corda nostra*) ideo in via recta adimpletionis Divinorum præceptorum ulterius semper progredi studet: *Viam mandatorum tuorum cucurri*: atque ab omnibus illis incentivis & occasionibus, quæ ei ad prævaricationem, stimulum addere solebant, summo sem-
Phil. 3. 14. per studio atque conatu se elongat: *Ad anteriora extendens meipsum ad superna intentionis bravium*. Et hoc est, quod Isaias, & post ipsum Joannes Baptista tan-
Ps. 102. 12. topere inculcabat dicens: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*; hoc enim modo anima infallibiliter Deo occurrit, qui est Pax nostra, & econtra à peccatis, & omni eo, quod Deum offendit, tantò magis recedit: *Quantum distat ortus ab occidente, longe faciet à nobis iniquitates nostras*. Econtra verò impius, prouti meritò deplorat S. Bernardus, ad eum, unde recessit, locum paulò post denuò revertitur, quia nimirum ab illa suspecta domo, plus corporis passibus recessit, quàm gressibus cordis, quia ab illa domo nunquam se ita avulsit, ut sibi illam per-
Ser. 13 in ps qui habitat. petuò deserere proposuerit: *Qui in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed nihil proficit, væ homini, qui sequitur hunc circuitum*! Per tres quidem aut quatuor dies, quoadusque Pascha duraverit, & fortasse longè minus tali objecto vel ab illa mala conversatione alienum se exhibebit, subitò tamen, ut hi dies transacti fuerint, antiquos denuò mores repetit, & in pristinam peccatorum voraginem se præcipitem agit. *Si conaris avellere*, inquit Sanctus Bernardus, *paulatim sequi videbitur, sed in dolo; circuitus est, aliunde reditum parat*. Tu quidem ò Confessarie credis, promissionem illam de remittenda & condonanda injuria, de facienda restitutione, tibi factam è corde sincero procedere, sed graviter erras, revera enim ita non est, semper enim eam intentionem continuavit, nimirum ad idem odium, transacto Paschate denuò revertendi, atque ideo ficta quædam promissio fuit, & solum absolutionis obtinendæ causa simulata. *Væ homini illi, qui sequitur hunc circuitum*; tales enim non solum Pace Christi non gaudebunt, verum etiam intra semetipsos continuum experientur bellum & luctam, ac tandem ad mortem condemnabuntur perpetuam, in qua *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*.

2. *Pax est tranquillitas conscientiæ*, inquit Albertus Magnus: Dionysius verò Cartusianus ait: *Pax*, In Luc.
quæ est tranquillitas sive quies mentis in Deo. Quotquot agno Paschali, *qui tollit peccata mundi, & donat nobis pacem*, pasti & cibati sumus, conscientiam nostram serenam reddidimus, eò quòd peccata nobis remissa sint, quæ sola nobis bella parare possunt. *Un-* Jac. 4. 1.
de bella & lites in vobis, nonne ex concupiscentiis vestris, inquit Sanctus Jacobus. *Pacem meam do vobis*, inquit Christus, *Remissionem peccatorum intelligit*, addit glossa ejusdem Alberti Magni. Optimus autem hanc pacem conservandi modus est, si ad Dei voluntatem adimplendam prompti, optimèque dispositi fuerimus: Nam ut diximus: *Pax multa diligentibus legem tuam: Et in lege Domini voluntas ejus*. In actis Apostolorum magna circa Paulum mutatio facta fuisse legitur. Qui enim paulò ante lupus rapax, ac ferox & truculentus Ecclesiæ Dei persecutor fuerat: *Saulus* Act. Ap.
adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, 9. 1.
protinus in unico momento conversus est in mansuetissimam ovem: *Vas electionis est mihi iste*. Ex persecutore in Apostolum transformatus. Hæc autem ejus conversio abinde cœpit, quia Deo voluntatem suam totaliter subjecit dicens: *Domine quid me vis facere*? Hoc enim sufficit, ad hoc, ut quis subitò ad eminentem quandam sanctitatem pertingere valeat. Quod verò vel maximè huic nostro proposito deservit, est, quòd nomen ejus Saulus in nomen Pauli conversum fuerit. Dicere hic aliquis posset, hæc nominis mutatio nec necessaria, nec communiter usitata fuit, siquidem S. Andreas S. Joannes & Jacobus, S. Matthæus & alii plures nomina sua propria retinuerunt. S. Matthias quoque, dum post Ascensionem in Apostolum electus, nomen suum nequaquam mutavit: Quonam igitur mysterio factum est, quod S. Paulus vir sapientissimus novo hoc nomine insignitus fuerit? S. Ambrosius in principio Epistolæ ad Romanos, circa illa verba: *Paulus servus Jesu Christi*, dicit, quòd ly *Saulus* idem significarit, quòd *inquietudo*. *Paulus* verò idem, quod *quietus*. Dicit igitur sanctus hic Doctor, quòd quando *erat spirans minarum & cædis*, aptè illi nomen Saul convenerit, quod idem significat, quod *inquietudo*, siquidem *impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*: at verò quando voluntatem suam Deo obtulit, eamque legi Evangelicæ planè subjecit, tunc veram quietem, veramque pacem invenit, atque ideo denominatus est *Paulus*, quod idem dicit, quod *quietus*. Unde S. Ambrosius concludit. *Pax est fides nostra*. Qui enim secundùm fidei nostræ dictamina vivit, perpetua quadam fruitur pace.

3. Rupertus Abbas Tuitiensis super illa verba Salvatoris: *Non veni pacem mittere*, distinguit Pacem dicens. *Est pax mundi, quam iste Dominus & Princeps*
pacis mittere non venit, est enim illa contraria paci To. 2. in c.
Dei, de qua Apostolus ad Galathas: Fructus autem 10. Matt.
spiritus est charitas, gaudium, pax. Paulò post verò subjungit: *Pax ista remissio peccatorum est, sed mundus in maligno positus istam non quærit*. Hoc autem in hoc Paschate dici nequit, quia quilibet ad absolutionem, ad pœnitentiam accurrit; punctus autem in eo præcipuè consistit, quod, ut quis hac vera Pace fruatur & gaudeat, opus sit, ut voluntas nostra in bono incepto stabilis sit, tunc enim veniam & remissionem peccatorum percipientes, pariter hujusce Pacis experiremur effectus.

Oscn-

Ostenditur, Pacem à Christo nobis datam, junctam esse debere cum perpetuo bello, & certamine adversum nos ipsos, vincendo nostros appetitus, omnesque peccatorum occasiones fugiendo.

DISCURSUS DECIMUSQUINTUS.

Dicit eis, Pax vobis: Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Joan. Cap. 20. vers. 20.

ECce tibi primum maximeque præcipuum munus, quod Salvator noster Collegio Apostolico donat, dicens: *Pax vobis*. At verò quid opus erat pacem eis donare, inter quos nulla unquam intercessit discordia? Chrysostomus Christum illis pacem annuntiasse dicit; *quia prælium implacabile habebant ad Judæos*. Præterea idem ait: *Molestias omnes dissolvens, crucis merita colligit, quæ sunt pax, quoniam omnia sublata sunt impedimenta, & trophæum clarissimum statuit*. Lucas Burgensis scribit Christum; per pacis apprecationem, omnem ab illis dissipare voluisse timorem, quem ex eo habere aut concipere poterant, quòd existimarent ipsum ad eos castigandos iterum advenisse, omnes enim graviter in eum deliquerant, quando omnes eo relicto fugerunt, & Petrus inter alios præcipuè illum negavit. Hugo Cardinalis opportunè notat, Christum bina vice Apostolis dixisse: *Pax vobis. Dixit ergo eis iterum Pax vobis. Nota quod Dominus dixit bis Pax vobis, ad significandum pacem pectoris in præsenti, & pacem æternitatis in futuro*. Et hæc est ratio, inquit ille, cur Episcopus bis in Missa *Pax vobis*, dicat. Cum hac tamen differentia, quod prima vice se versus populum vertat, eo quòd ratione sui ministerii, partem aliquam in prima Pace habeat, id est, in Pace interna bonæ conscientiæ cum populo participet, at verò dum secunda vice *Pax vobis* repetit, non se vertit ad populum, quia Domini est, non sui, dare pacem æternitatis. At vero quod super omnia à vobis notatum esse velim, est, quod Salvator noster eodem prorsus tempore, quo Apostolis suis Pacem annuntiavit, simul etiam plagarum & vulnerum suorum cicatrices eisdem ostenderit. Et cum hoc dixisset, *ostendit eis manus & latus*. Cur autem hoc fecisse putatis? quis non dicat hanc vulnerum ostensionem potius Apostolos contristari, quàm consolari potuisse, siquidem per illorum vulnerum immanitatem recentem cruentæ Passionis ejus memoriam non recolere non poterant; Et tamen nequidquam dubitandum est, quin idipsum singulari cum mysterio ab eo præstitum fuerit, nimirum ut tantò vivacius mentibus illorum imprimeret, quod pax illa, quam eis annuntiaturus, quamque non solum ipsis, sed & omnibus nobis communicaturus advenerat, carissimo prorsus pretio ab ipso comparata fuisset, pro hac namque primo pugnaverat, & cruenta prælia commiserat, pro hac in amarissima sua Passione sanguinem suum pretiosissimum effuderat, illaque immania vulnera in suam sacratissimam humanitatem admiserat. Fuit quondam Emblematis loco galea quædam depicta, intra quam Apes exstructo sibi alveario mellificarant, cum hac Emblemati subnexa Epigraphe: *Ex bello Pax*, unde significare volebant, quod quisquis pace vellet interna gaudere, curandum ei cum primis esset, ut perpetuum cum passionibus nostris bellum continuaret, easque vincere & subjugare satageret. Unde Sanctus Hieronymus super illa verba Ecclesiastæ, *Tempus belli & tempus pacis*, ita scribat: *Nemo ergo se nunc putet esse securum in tempore belli, ubi certandum est, & apostolica arma tractanda, ut victores quondam requiescamus in pace.* Idemmet Christus, qui hodie Apostolis, personas omnium fidelium repræsentantibus, dicit: *Pax vobis*, est ille ipse & non alius, qui quondam alibi dixit.
Mat. 10. 34. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium*. Idemmet ipse Christus est, inquam, quia ut se eundemmet esse demonstraret, manus & pedes suos eis ostendit: *Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum*. Verum dices fortasse, num igitur sibimetipsi contrarius est, siquidem hodie pacem omnibus annuntiavit; Imò quando per incarnationem in terram descendit subito per integros Angelorum exercitus pacem promulgari fecit. *In terra pax*, denique in ultima cœna priusquam à dilectis discipulis per mortem recederet, in celebri illo sermone, quo ultimum suis vale dixit, dulcibus hisce verbis eos est allocutus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Pro difficultatis hujus resolutione advertendum est, Christum ibidem mox subjunxisse: *Non quomodo Mundus dat, ego do vobis*. Est ergo alia pax mundi, alia verò pax Christi, ideoque *Joan.* 20. bina vice pacis mentionem fecit, ita tamen ut in secunda vice ly *meam* adjecerit, quod in prima non fecerat Sanctus Thomas super hunc textum: *Pacem relinquo vobis*, dicit: *in hoc sæculo, scilicet ut hostem vincatis*. Pax enim in hac vita, quæ continua quædam *militia est*, obtineri nequit: *Pax præsens est cum contradictione, pacem meam do vobis in futuro*. Et ut melius sese declaret, subjungit: *Non quomodo mundus dat ego do vobis*. Sed dices, quonam igitur modo mundus nobis pacem donat? simul ab omni bello cessando. Non est hæc pax mea, inquit Christus, quinimo tempore pacis meæ arma manibus continuò tractanda sunt & cum passionibus vestris, cum vestris inordinatis appetitibus & inimico infernali confligendum & dimicandum est. Verum quidem est, quod tempore Nativitatis Christi Angeli Pastoribus Bethlehemiticis pacem annuntiarint; veruntamen non sine mysterio Evangelista dicit, quod instar cujusdam armati exercitus comparuerint. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ* Luc. 2. 13.
cœlestis, nimirum ad innuendum, Pacem Christi ejus naturæ & conditionis esse, ut mediante prælio & insigni lucta comparari debeat. Unde Chrysostomus: *Si* Hom. 39.
bella venis mittere? cur te nascente cantatur pax? certè quia tunc vera pax, cum projicitur, quod erat turbidum. in Matt. Maximus omnium inimicorum, quos habemus, quique nos molestissimè infestat, est voluntas nostra, sive noster appetitus sensitivus, hic enim ad malum semper inclinat. Hunc igitur hostem prius vincere debemus, & tunc *In terra pax*, sed quibus? *hominibus* Ser. 9. de
bonæ voluntatis. Sanctus Leo ait: *Vera Pax est a Dei* Nat.
voluntate non dividi, & in iis solis, quæ Deus diligit, delectari. Ut autem ad hoc perveniamus, & perfectè hanc pacem assequamur, adversum nos ipsos acriter pugnandum à nobis est. Albertus Magnus dicit: *Dat* In Luc.
autem pacem conscientiæ potius quam temporis. Sanctus In Serm.
Bernardus in Feriam crastinam, duos illos discipu- 2. Pasc.
los, qui cognoverunt eum in fractione panis, considerans, dicit, quod ad hanc agnitionem & notitiam acquirendam, opus sit, ut nostram frangamus voluntatem; *Ut cognoscatur Dominus in fractione Panis, frangat homo, si quas habet in se virtutes, frangat proprias voluntates, imitans illum, qui pro nobis factus est obediens usque ad mortem*. Quænam est causa, quod octo diebus antequam Christus pateretur, devota Hebræorum turba, cum ramis olivarum atque palmarum occurrens Christo, tanquam Regi acclamarit? Oliva pacis symbolum est, & palma victoriæ; utraque autem bellum supponit; ac proinde omnino existimo per hoc denotari, quod pax Christi sine victoria de nobismetipsis obtenta, & sine devictis passionibus nostris obtineri nequeat. Sancta quoque mater Ecclesia canit: *Da pacem Domine in diebus nostris*, & protinus subjungit: *Quia non est alius, qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster*. Ecce qualiter Pax Dei semper sit cum bello conjuncta. Anima justa in Canticis de seipsa dicit: *Ubera mea sicut turris*: sed quamnam exinde consequentiam deducit? *Ex quo facta sum coram eo,* Cant. 8. 10.
quasi pacem reperiens. Turres semper sunt in armis, custodiuntur à præsidiariis militibus, optimè instruuntur munitionibus bellicis, & tamen anima prædicta loco citato pacem se invenisse dicit. Sed quibuscum pacem illam obtinuit: *Coram eo*; id est, in conspectu Dei, hoc est, quamdiu teneo bonam propriarum sensuum custodiam, inimicos meos procul abarceo, id est, pericula & occasiones peccandi declino, omnesque mihi prædominantes passiones & appetitus mihi subjicio, bonam & rectam conscientiam in me invenio. De monte Olympo, qui celsissimus est, quia *nubes excedit*

dis Olympus, scribitur, quòd in vertice suo imperturbabili quadam gaudeat serenitate, licèt latera ejus semper infestentur à nebulis, nimbis, tempestatibus, & ventis. Eodem prorsus modo anima justa imperturbabili quadam pace & quiete in corde & conscientia Prov. 15. 15. sua perfruitur: *Secura mens quasi juge convivium*: at verò in portione inferiori, in appetitu sensitivo continuis bellis impetitur, ideoque ibi semper, ibi bellandum est, nunc cum appetitu vindicativo, nunc cum invidia, mox cum superbia, demum verò cum sensualitate, omnibusque aliis Passionibus. Verissimum quidem proinde est illud Psalmistæ axioma: *Pax multa diligentibus legem tuam*; veruntamen intelligendum id est secundum glossam Hugonis Cardinalis di- Ps. 118 165 centis: *Pax multa est interius in mente, licèt non exterius in mundo, non est illi scandalum, scilicet inquietudo*. Hæc igitur nobis habenda est in interiori sinu cordis, licèt in sæculo nunquam nobis defuturæ sint contradictiones. Sicut enim Respublica Romana altissima tunc pace fruebatur, quando bellis infestabatur, sed externis: illis verò cessantibus, subito dissipata fuit à dissensionibus belli civilis; cum enim senatus populusque Romanus carerent inimicis externis, quibuscum decertare possent, adversus semetipsos arma verterunt. Ita quoque nobis persæpe accidit, quando enim non molestamur inquietudinibus seu bellis externis, id est, tribulatione, infirmitate, labore, aut quavis alia ærumna, tunc inimicorum internorum, scilicet concupiscentiæ omniumque aliorum vitiorum spiritualium insultus longè vehementiores experimur. Gal. 5. 17. Unde sequitur, quod *Caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem*, hæc enim sibi invicem adversantur. Dum autem ab inimicis externis non impugnamur, vel maximè timendum est, inquit Hieronymus: *Tunc maximè impugnaris, si te impugnari nescis*.

2. Albertus verba proposita aptius ad nostrum profectum, maxime pro hisce diebus, interpretari non poterat, quam dicendo: *Pax est ablatio ejus, quod hanc concordiam impedit; & hoc est peccatum*. Sed dices, quid si hoc, mediante absolutione sacramentali, fuerit abolitum, quid tunc deinceps timendum erit? Respondeo: propter hoc non possumus esse securi, quod hac pace fruamur, quia insuper etiam removendæ sunt occasiones & pericula peccatorum; quod quidem ut obtineamus, necessum est, ut propriam voluntatem vincamus & abnegemus, ut tales vel tales sodales vel amicos nos seducentes & pervertentes, desera- Mat. 10. 36 mus & abominemur; *Nam Inimici hominis domestici* Lib. de sing. gul. cleric. *ejus*. Et ideo Sanctus Cyprianus ait: *Incerta victoria est inter hostilia arma pugnare*. Ubi de inimico honestatis agitur, utpote qui vel maximè nobis infestus esse non desistit, removenda protinus sunt omnia illius incentiva. *Gravem inimicum sortita est casti-* De singul. cler. *tas*, scribit Sanctus Augustinus, *cui non solum resistendum, sed dimisso fræno longius fugiendum*. Nequaquam sufficit audire conciones, jejunia observare, confessionem debito tempore instituere, bona proposita sibi facere, si de novo in alias nos occasiones exponamus. Herodes Sanctum Joannem Baptistam sæpe non solum libenter, verum etiam fructuosè con- Mar. 6 20. cionantem audierat: *Libenter eum audiebat, & audito eo multo faciebat*. Et tamen ut pessimæ illi fœminæ rex placeret, caput ei detruncari præcepit. Scitisne causam? quia nimirum incestuosam Herodiadem è domo sua regia ejicere nunquam voluit. Idem multis ad præterita peccata denuo redeuntibus accidit, quia se tali amico, tali objecto, tali correspondentia privan- Mat. 18 4 do affligere aut vincere non audent? *Si oculus tuus*, inquit Salvator, *scandalizat te, erue eum, & projice abs te*. Dimittendi prorsus sunt etiam charissimi, si nobis lapsus occasionem ministrent. Sæpe etiam peccata & offensæ Dei evitantur, quando nobis bellum immittitur, id est, quando ærumnis & afflictionibus 1. Reg. 20. molestamur. *Sagittæ intra te sunt*, inquit Jonathas ad Davidem quem tenerrimè diligebat: *Pax tibi est, & nihil est mali*. Videtur is oppositum potius dicere debuisse, & tamen revera optimè locutus fuit; quia frequenter dum ærumnarum sagittis transfigimur, quiete interna rectæ conscientiæ potimur: *Sagittæ tuæ*, dicebat idem ad Deum conversus David, *infixæ sunt* Ps. 37. 2. *mihi, & confirmasti super me manum tuam*. E contra verò ex parte altera, quando frænum relaxabat peccatis, continuum quoddam in se bellum experiebatur: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*. Licèt enim sensuales homines tunc se summa pace gaudere arbitrentur, attamen pax illa talis est, quæ potius belli nomen meretur, de qua Pace idem Propheta regius loquitur dicens: *Zelavi super iniquos* Ps. 72. 3. *Pacem peccatorum videns*. Deus nos ab hac pace custodiat: *Absit a nobis Pax inordinata & pessima*, inquit Dionysius Carthusianus: *qua spiritus acquiescit* Ephes. 2. 14. *desideriis carnis, & ratio concupiscentiis servit*. Pessimum profectò signum, quando Deus permittit, ut homo faciat quæcunque libent, proque arbitrio suo vivat. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eo-* Ps. 80 13. *rum*.

3. Porrò ut omnes inimicos nostros vincere, ac proinde hac pace interna gaudere valeamus, ad sanctissimum altaris sacramentum nobis recurrendum est, omnique studio frequentandum, dicendo: *Fiat pax* Ps. 12. 7. *in virtute tua*. Quonam modo autem hanc pacem sperare poterimus? *Et abundantia in turribus tuis*. Per abundantiam namque hujus frumenti electorum, hujusque tam præclaræ & prædivitis annonæ Paradisiacæ hanc pacem obtinebimus; atque ideo subjungit: *Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacem de te*.

Agitur in hoc discursu de Christo resurgente sub Symbolo Leonis. Et de victoria, & triumpho, quem is reportavit; nec non de quibusdam mysteriis, quæ terræ motum respiciunt.

DISCURSUS DECIMUS SEXTUS.

Ecce vicit Leo de Tribu Juda. Apocal. Cap. 5. vers. 5.

1. Sanctus Joannes in mistica sua Apocalypsi, Salvatoris nostri Resurrectionem sub Leonis symbolo egregiè effigiavit, & meritò, siquidem multæ Leonis proprietates huic mysterio adaptantur, id quod nullam in sui probatione habet difficultatem. Primò namque Leo oculis dormit apertis. Mors autem Christi somnus quidam fuit: *Ego dormivi, & sopo-* Ps. 3. 6. *ratus sum*, & exsurrexi. Hic autem somnus Christo apertis oculis accidit, quia tametsi à mortuo Christi corpore anima separaretur, Verbum tamen & Divinitas à Christi corpore mortuo nunquam disjuncta fuit, quin potius cum eodem corpore in sepulchro, quod idem est, quod quidam quietis & obdormitionis Locus, Verbum æternum Patris, quod est lux illa, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, pariter remansit.

2. *Vicit Leo*. Leo utpote omnium animantium Rex & Princeps ex quodam Naturæ instinctu, hanc in se generositatem habet, quod omnibus, qui ad ejus pedes prostrati sese humiliant, illatam sibi injuriam condonet: teste Poeta illo, qui cecinit:

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leonis:
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

Pari quoque modo Christus, qui superioribus diebus à nostris delictis in Crucem est actus: *Propter sce-* Is. 53. 8. *lus populi mei percussi eum*: Ideòque rigorosum a nobis exigere supplicium posset, nos tamen coram pedibus suis compunctos & humiliatos videns, non solum nullam capit vindictam, sed benignè & pacificè nos recipit, omnemque indulgentiam & remissionem concedit: imò hoc eodem resurrectionis suæ die Sacrosanctæ Ecclesiæ suæ in perpetuæ reconciliationis remedium Sacramentum Pœnitentiæ post se reliquit.

3. *Vicit Leo*. Leo fœtibus suis, postquam triduo fuere extincti, rugitu suo vitam restituit. Christus Dominus noster post sepulturæ suæ triduum, per sonoram Divinitatis suæ vocem, reversus est, ut animam corpori suo denuo uniret, & resurgeret non ipse

so-

solum, sed nos omnes pariter cum ipso. Unde dicitur, quod *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona egerunt, in resurrectionem vitæ.*

4. *Vicit Leo.* Leo fortissimo rugitu suo, famem, qua torquetur, demonstrat. Similiter mysticus hic Leo de tribu Juda, famem salutis animarum qua urgebatur, manifestè prodidit, quando Apostolos suos per universum mundum dispersit, ut eum Evangelica prædicatione sua veluti rugitu Leonino converterent, & ad vitam æternam reducerent: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni crea-*
Mar. 16. 15. *turæ*. Cumque suos in Fide resurrectionis vacillantes videret, eam ad integrum triduum usque differre noluit, sed anticipavit, atque Apostolos suos subitò, omnique mora postposita, de facta resurrectione sua certiores reddidit: Unde Paulus de Palatio in Matthæum ait: *hac festinatione sua facile nos docuit, quantum sit periculum, vel brevi mora in peccato jacere, quantumque sit omnibus viribus conandum, ut quam citissimè a peccato comisso exeamus, & pec-*
Joan. 4. 32. *cantes Fratres à peccato abducamus.* Quando ab Apostolis juxta puteum Samariæ ad cibum capiendum invitabatur, respondit: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Cibus autem ille alius non erat, quam animarum salus atque conversio. Unde certissimum est, quod hoc cibo conversionis nostræ hodierna die magis pascatur, quam in quacunque alia totius anni die.

5. *Vicit Leo.* De hoc Leone Jacob in Genesi præ-
Gen. 49. 9. dixt: *Catulus Leonis Juda ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut Leo, & quasi Leæna, quis suscitabit eum?* Catulus enim Leonis dicitur, quia secundum humanam generationem à Davide or-
Eccl. 47. 3. tum ducebat, qui *cum Leonibus lusit quasi cum agnis* Ad deprædandum animas nostras Crucem ascendit;
Joan. 12. 32. ita enim jam dudum fuerat protestatus: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; eo loquendi modo Crucifixionem suam significans. *Requievit*, quando erat in monumento, & suscitatus est, quando tertia die resurrexit à mortuis.

6. *Vicit Leo.* Enim vero primum horum duorum verborum aliquam mereretur considerationem, si quidem victoriam denotat & triumphum. *Consurgit Christus tumulo, victor surgit de barathro: Ille, qui clausus lapide custoditur sub milite. Triumphans pompa*
Con. 1. in die Resur. *nobili, victor surgit de funere.* B. Thomas de Villa Nova modum, quo Christus resuscitatus est, considerans, eundem hisce coloribus delineavit: *Jam ergo tertia dies aderat, & serenior cæteris Oriens rutilabat aurora, cùm anima illa potens unita verbo, gravissimo comitata senatu Sanctorum Patrum, tumulum, quo corpus jacebat, ingreditur, circumstantibus foris Angelorum agminibus, quos Pater è cælo prius miserat, spectare miraculum, dignasque triumpho concinere laudes.* Enim vero legibus Romani Senatus cautum erat, ne quispiam ad agendum publicè triumphum admitteretur, nisi prius in unico tantum prælio, cum hoste conserendo, stragem fecisset quinque millium hostilis exercitus; majori proprii exercitus parte salva manente & illæsa; item nisi Dominium Romanum in insignes aliquas externas extendisset Provincias. Et quidem quod hanc legem attinet, certum est, quod Christo gloriosissimus quidam triumphus denegari non possit; siquidem *Gemens infernus ululat, cum Rex ille fortissimus, mor-*
In c. 20. Ioan. *tis confractis viribus, solvit à pœna miseros.* San-
Coll. 87. ctus Bonaventura de glorioso hoc triumphatore ita scribit: *Surrexit potenter & triumphaliter, scilicet ex sua virtute, morte occisa, devicto mortis Principe, liberata captiva plebe, reserata janua vitæ, in hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut mortuorum & vivo-*
Colos. 2. 15. *rum dominetur.* Sanctus Apostolus, qui Christum tanquam potentem quendam & opulentum prædatorem depingit, ita de eo scribit: *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam trium-*
Ose. 13. 14. *phans illos in semetipso.* Mortem quoque in triumphum eduxit, adeoque adimplevit illud Oseæ Oraculum: *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Igitur per mortem Christi, mortua mors est.* (inquit Paulus de Palatio) *at profecto si mors Christum voratum*
In Matt. *in sepulchro tenuisset, mors mortua non esset, imò mors de vita triumphum tulisset.* Adducitque illum Abacuc textum, qui dicit: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo, ante faciem ejus ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes ejus, stetit & mensus est terram; aspexit, & dissolvit gentes.* Quonam autem modo Prophetia isthæc Resurrectioni adaptetur, ita declarat: *Cornua in manibus Christi fuere, cum fuit Cruci clavis affixus, in ea infirmitate erat abscondita fortitudo; in facie Christi erat mors; mortuus est enim propter delicta nostra, eam mortem procurante Diabolo, qui ideo dictus est egressus ante pedes ejus; non tamen mortuus Christus permansit; quæ est gloriosi corporis conditio, neque stetit modo, sed mensus est discipulis suis terram, ut in suis quisque partibus prædicaret; per Apostolorum vero prædicationem aspexit Dominus gentes, aspexit & dissolvit eorum ritus & mores, eorum templa & idola.* Hilarius Arela-
Hom. 6. tensis illam de Antheo concinnatam fabulam Poeticam adducit, eamque Salvatori nostro hisce verbis adaptat: *Hic est ille, qui pro mundi salute congressus, sicut de fortissimo illo Samsone legimus, plures inimicorum mortuus interficit, quam vivus occiderat. Refert autem & traditio sæcularium literarum, habuisse quendam in exercitio usque certaminis hoc genus virtutis ac roboris, ut quoties in luctamine succumbens, virium suarum amicam & nutricem terram impulsu adversarii contigisset, toties de solo surgens magis ac magis in adversarium prævaleret; ac sic dejectio prostrati occasio fiebat triumphi; dabat enim quodam modo infirmitas fortitudinem, lapsus palmam, ruina victoriam.* Quæ omnia illi prælio adaptat, quod Christus in hujus mortalis vitæ arena, cum humani generis hoste fortiter gessit, qui tunc præcipuè victus & prostratus fuit, quando illum sub terra sepultum & oblitum esse existimavit. *Ad hoc cessit, ut gloriosius surgeret, ad hoc cecidit, ut omnes elevaret; quia adversarium prostratus elisit.* Salmeron quoque Resurrectionis Palmas &
Tom. 11. tr. 1. triumphos considerans, diffusè hac de re scripsit: *Quis neget*, inquit, *justum Christo deberi triumphum, atque illum quidem magnificentissimum? Mors ubi est nunc victoria tua? Sathan, ubi principatus ille tuus? Peccatum, ubi tua vis & dominium? Inferne, ubi tui vincti atque captivi? Munde, ubi tua idola? Cælum, ubi sunt claves tuæ? Lex Mosaica, ubi stabilitas tua? Sabbatum, ubi tua observantia? Pilate, ubi tuum sigillum & custodia? Milites, ubi vestra ferocitas? Judæi, ubi vestra sunt consilia & conatus? Crux, ubi tua ignominia?* Christus vicit & superavit omnia, inquit hic Auctor: *Christus potenti sua virtute mortem calcavit, principem mundi foras ejecit, delevit peccatum, infernum spoliavit, mundum idolorum servitute purgavit, cælorum fores aperuit, & æternitatis nobis aditum reseravit.* Porrò Angeli, qui in veste splendida, in sepulchro comparuerunt, colorem referebant triumpho Christi victoriosi convenientissimum. Ita enim colorem hunc ponderat
In Luc. Lucas Burgensis, dum ait: *In veste fulgenti, ut sua specie resurrectionis triumphum præ se ferrent.* Verum enimvero quodnam sub eo terræ motu, qui Resurrectionis tempore accidit, latet mysterium? Hu-
In Cat. D. Thom. in Matth. go Cardinalis dicit: *Significat, quia totus mundus movendus erat in prædicatione Dominicæ Resurrectionis.* Beda inquit: *Quod etiam terræ motus, resurgente Domino de sepulchro, sicut etiam moriente in Cruce, factus est magnus, significat terrena quidem corda per fidem Passionis prius, ac Resurrectionis ejus ad pœnitentiam concutienda, salubri pavore permota.*
In Matt. Paulus de Palatio ait: *Ut attonitis custodibus, fas esset fœminis ad monumentum accedere, rursusque sine custodum impedimento ab eo recedere.* Vel etiam, subjungit idem: *Crediderim terram cœpisse tremore concuti, cum resurrexerit; tunc enim Angelorum infinita copia ad miraculum illud videndum & adorandum descendit de cælo, tunc anima Christi cum infinito Angelorum exercitu ad miraculum exercendum ascendit de inferno. Quid ergo mirum si terra tantam majestatem ferre non potens tremebat? si majestatem Dei, dum adorant Angelicæ Dominationes, tremunt, quid non terra tremat, Dominum Dominationum adoratura? si*

cum Dominus respicit terram, faciat eam tremere, quid mirum est, si cum anima Domini in terram intrat, faciat eam tremere? Rupertus Abbas ita hac de re scribit: *Terra motus, qui factus est, ejusdem secundi adventus significationi cooperatur: hinc est, quod in hac die cantamus: Terra tremuit & quievit, cum exsurgeret in judicio Deus.* (De div. off. l. 7. c. 12.) Sanctus Hilarius inquit: *Resurgente virtutum cælestium Domino, infernorum trepidatio commovetur.* (In Matt.) His tamen omnibus ad propositum nostrum accommodatiùs loquitur Albertus Magnus, dum ait: *Terra motus factus est magnus, quia ab intimis terra concutitur, quia Christus victor ab inferis resurrexit.* (In Matt.) Quando festiva gaudia nonnunquam urgenti ex causa solemniter celebrantur, ad ejusdem lætitiæ evidentius signum, balistæ & bellica tormenta exsolvi solent; atque ideo videtur mihi, quod terra quoque in signum jubili, similem quandam demonstrationem, per hunc terræ motum edere voluerit.

7. Sciendum autem est insuper, quod triumphatores absoluto triumpho, magnificum instituere soleant convivium, ad quod senatores aliique excellentiores Reipublicæ primiores communiter invitantur. Hoc solemne convivium Christus Dominus, *in qua nocte tradebatur*, instruxit, magnificum certè, valdeque opiparum, ad quod hodie omnes invitat, quotquot visi sumus hodie mensæ Eucharisticæ assidere.

Declarantur sensus Textus cujusdam Apocalyptici: Item quænam sit prima resurrectio, quænam etiam mors secunda dicatur. Ad hæc, Christum ad animandum, & erigendum peccatores ne desperent, primo Magdalenæ, & postea Sancto Petro apparuisse, demonstratur.

DISCURSUS DECIMUS SEPTIMUS.

Beatus & Sanctus, qui habet partem in Resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem. Apocal. Cap. 20, vers. 5.

1. NOn sufficiebat Spiritui Sancto, quod habentem partem in prima Resurrectione Beati titulo insigniret, ac proinde eum insuper sanctum nominavit dicens: *Beatus Sanctus qui habet &c.* Porrò prima facie videri posset, per hanc primam Resurrectionem, Christi Resurrectionem intelligendam esse, utpote qui, ut superius diximus, ab Apostolo *Primitiæ dormientium* appellatur, præter hanc tamen, alias invenio hujus literæ sacrorum interpretum expositiones. Et quidem in primis Sanctus Augustinus duo Resurrectionis genera distinguit: (Hom 37. in Apoc.) *Prima Resurrectio, quia à morte peccati ad justitiæ vitam animæ resurgunt, toto nunc tempore agitur: Secunda verò, qua de terræ pulvere, ad vitam corpoream redeunt, in futurum expectatur. Sicut prima mors in hac vita est per peccatum: ita & prima resurrectio per remissionem peccatorum.* Enimvero certissimum est, quod hæc Resurrectio prima hoc sensu explicata, per totius anni curriculum, veriorem in fidelium animabus locum non habeat, quam in hoc solemni Paschatis die, utpote in quo omnes peccatorum suorum remissionem & indulgentiam recipiunt, cui accedit, quod Sacramentum Pœnitentiæ hodie instruerit, Apostolis suis Ecclesiæ personam referentibus, illius administrandi potestatem contulerit. (Rom. 6. 11.) Hugo Cardinalis considerat, quod *prius est mori peccato: deinde resurgere: mors peccati est peccatorum remissio: resurrectio gratiæ infusio.* Hæc autem gratiæ infusio effectus est Spiritus Sancti; ideoque Christus dicit: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Salmeron eandem Augustini distinctionem adducit, & adjungit. (Tom. 11. tr. 2.) *De hac resurrectione prima loquitur Dominus in parabola prodigi Filii, cum dicebat: Frater tuus hic mortuus fuerat, & revixit, perierat & inventus est.* Quot sunt qui superioribus diebus in vitiis suis mortui erant & sepulti, & tamen hodie ad gratiam denuo resurgunt? *Beatus & sanctus, qui habet partem in Resurrectione prima.* (Tr 1.) Unde Salmeron ait: *Verè poteris non tantum propter Christum, sed etiam propter teipsum, in quem tanta cum beneficentia virtus resurrectionis Domini derivata est, dicere. Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea;* & quod sequitur: *o Domine salvum me fac: o Domine bene prosperare.* Rupertus Abbas ritum quendam Ecclesiæ observat, videlicet, quod *prius vespertinum, quàm matutinum sacrificium tanta solemnitatis immolat: Cur hoc? videlicet, quia est resurrectio prima, quæ noctem, resurrectio secunda, quæ diem illustrat, resurrectio prima est remissio peccatorum; resurrectio secunda resuscitatio corporum est: at verò præsens Ecclesia; quæ nox aliquando erat, hac prima resurrectione fit lux, & sicut dies illuminatur.* (Lib. 1. de Tri. in Exod. c. 21.) Hisce diebus præteritis, majori parte fidelium, priusquam confiterentur, dici poterat: *Eratis tenebræ, nunc autem lux in Domino;* (Eph 5 8) quia *abjecerunt opera tenebrarum, & induti sunt arma lucis, & sicut in die honestè ambulaverunt;* Gustatus est ab illis in Sacra Communione cibus & alimonia immortalitatis. Guerricus Abbas ita hac de re scribit: *Invitat ipse Agnus paschalis amicos ad delicias corporis & sanguinis sui, comedite, inquiens, amici, & inebriamini; cibus iste & potus vitæ est mysterium, immortalitatis medicamentum, causa Resurrectionis primæ, pignusque secundæ.* (Ser. 2 de ref.) Memoratus paulò ante Rupertus, qualisnam sit hæc Resurrectio prima, qua mediante mortem secundam evadimus, (Lib. 3. de op. Sp. S. c. 26 de sapie.) alibi optimè declarat, dicens: *Ecce hæc est resurrectio prima; Baptizari scilicet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & sicut manducare corpus & bibere sanguinem Domini: unde & in Apocalypsi Joannes dicit: Beati, qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem. Item hæc est resurrectio prima, Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors potestatem non habet:* Et paulò post: *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, hæc mors secunda est:* (Lib. de op. Sp. Sanct. de timore c. 22.) Idem ipse alibi sic scribit: *Hæc est mors secunda, ire in supplicium æternum: si mors est secunda, est mors prima, cujus respectu dicitur mors secunda, & verè: nam sicut est resurrectio prima & resurrectio secunda, sic est mors prima, & mors secunda: quæ autem est resurrectio prima & resurrectio secunda? Resurrectio prima est conversio, quia in præsenti per pœnitentiam de morte peccati resurgimus, ad Christi gratiam? resurrectio secunda est, qua resurrecturi sunt ii quidem ad supplicium æternum, justi autem ad vitam æternam. Resurrectio prima præcedendo id efficit, ut in illa resurrectione secunda ad gloriam & honorem immortalitatis resurgamus, idcirco dicit: Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors potestatem non habet.* Ecce igitur modum, quo securi esse possumus de occasione mortis secundæ, quæ idem est, quod barathrum iniquitatis, & pœnarum infernalium abyssus, nam quando amplius de prima resurrectione, id est, de vera quadam, eaque perseverante & stabili pœnitentia participaverimus, tanto securius mortem secundam evademus; Nam ut Beatus Laurentius Justinianus ait: *Quoties homo voluntariè peccat, moritur; at vero si gemit ex corde, ipsumque verè pœnitet deliquisse, resurgit.* (Opusc. de contemp mundi, c. 10.) Adeoque quanto vehementior erit contritio, quam habituri sumus de peccato, tanto amplius de Resurrectione participabimus, tantoque magis à damnatione æterna, quæ mors secunda denominatur, elongabimur.

2. Enimvero motivum quoddam verè efficax, unde ad habendum participium hujus Resurrectionis, inducendi essemus ad veram pœnitentiam, hoc inter cætera esse posset, si videlicet amabilitatem singularem-

remque benevolentiam, quam Christus resurgens peccatoribus contritis & pœnitentibus exhibet, tametsi eorundem peccata clavi & spinæ fuerint, quæ eum transfixerunt, cordialiter consideremus. Audite Rupertum Abbatem Tuitiensem hac de re præclarè loquentem: *Qui pro peccatoribus mori dignatus fuerat*, inquit, *surgens ex mortuis, prius Mariæ peccatrici, quàm Apostolis, prius Petro negatori sui nominis apparuit, quàm dilecto suo Joanni, qui cum matre ejus juxta morientis crucem stetit ac perstitit*. Eandem quoque considerationem apud alios scriptam reperio. Etenim Paulus de Palatio ait: *Cur verò Maria Magdalena & altera Maria ad sepulchrum adducuntur? Id mysterio carere minimè existimo. Ergo Magdalena peccatrix & altera Maria justa significant peccatores & justos Christi favore indigere: nemo peccator est aut justus, qui ex Christi morte aut resurrectione non dependeat, non est, qui se abscondat à calore ejus*. Magdalena autem inter cæteras præcedentiam & primatum habuit; Ipsa etenim prima fuit, quæ Salvatorem resurgentem videre meruit; Hic enim jam ante de se luculenter testatus fuerat, quod *Non venit vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*. *Licet Christus salus sit tam justorum, quàm peccatorum, non tamen venit vocare justos, sed peccatores*. Lucas Burgensis ita scribit: *Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia; hoc addit Evangelista, non distinctionis causa (jam enim sæpius illius meminerat) sed observationis, ut animadvertat, quòd peccatrix illa ad hunc honorem evecta sit, amando, ut prima frueretur aspectu Jesu redivivi, ne ob tua crimina Dei gratiam amicitiamque desperes, si illis pœnitentia ablutis in Deo amando te exerceas*. Enimvero Magdalena hæc animam pœnitentem aptè præfigurabat, quia *stabat ad monumentum plorans*, sed *foris*, quia dum quis foris extra occasiones & pericula peccati consistit, tunc verè plorat & invenit Christum, per gratiarum suarum, divinorumque favorum suorum abundantiam. Unde Sanctus Bonaventura scribit: *apparuit primo Mariæ Magdalenæ quadruplici ratione. Prima est quia ardentius diligebat: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Secunda, ut ostenderet quia pro peccatoribus venerat. Tertia, ad conterendam humanam superbiam; propter quod Matthæus, Publicani, & meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Quarta, ad dandam fiduciam, propter quod dicitur: ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*.

Lib. 2. de op. Sp. S. 28.
In Matt.
In Mar.
In Luc.

3. Post Magdalenam secunda apparitio, ut diximus contigit Petro. Num fortè quia Collegii Apostolici caput erat? aut, quia à Christo suus in terra Vicarius declaratus fuerat? Nequaquam; ob hos namque respectus Magdalenam meritò præcedere debuisset. Sanctus Gregorius rationem reddit, dum ait: *Quia peccaverat Petrus nec audebat venire, propterea peculiariter invitatur*. Sanctus Ambrosius ita argumentatur: *Si latro Paradisum meruit, cur non mereatur veniam Christianus? Et si* (ita Salmeron scribit) *illi Dominus, cum crucifigitur, miseretur, multò magis huic miserebitur, cum resurgit*. Rupertus Abbas de Magdalena scribit: *Prima hæc digna æstimata est, quæ flentibus oculis gaudium videret, post hanc Petrus, cujus utriusque tristitia præ cunctis Apostolis major, imò duplex erat*. Porrò Angelus Domini, ut nosmetipsos ad veram compunctionem excitaret, modum nos docet, quo Christum redivivum quærere debeamus, dicens: *Jesum quæritis crucifixum*, quasi diceret: Seriò in animo vestro recogitate, peccata nostra verè clavos fuisse, quibus Christus crucifixus fuit in crucem; atque ideo quotiescunque ad peccata præterita reiteranda revertimur, quantum est ex parte nostra, eum de novo iterum cruci affigimus. Sanctum Bonaventuram obsecro audiamus, qui modum nos docet, quo Christum redivivum imitari debeamus: *Resurrectio sua*, inquit, *fuit causa nostræ resurrectionis, & in corpore, & in anima, & etiam forma, sive exemplar, ut ait Augustinus, quod utrumque mortuum fuerat; scilicet corpus nostrum ex infirmitate, anima ex iniquitate; resurgit anima ex iniquitate per id, quod est Deus: resurgit ex corruptione per id, quod est homo: resurrexit ad justificationem nostram, ideo resurrectio nostra spiritualis debet esse imitativè & spiritualiter talis, qualis fuit resurrectio Christi*. Inter alias autem circumstantias, quæ notantur in resurrectione Christi, una fuit, quod semel à morte factus redivivus, nunquam denuò mortuus fuerit. Talis etiam esse debet resurrectio nostra spiritualis; *Irredibilis ad mortem peccati, vera non ficta*. Porrò pœnitentiam nostram simulatam & fictam fuisse, ex eo cognoscemus, si ad reiteranda peccata, per pœnitentiam abolita, faciles fuerimus; econtra veram fuisse, ex hoc indicio conjicere licebit, si in gratia & amicitia Dei, per stabilem perseverantiam perstiterimus, neque iteratò revertamur ad culpam. Unde quia *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*, in hoc nos quoque illum imitari debebimus, cavendo recidivam in mortem peccati.

In Mat.
Ser. 52. in fin.
Tom. 12. tr. 9.
L. 2. de op. Sp. S. c. 28.
In c. 20. Jo: coll. 87.

Articulus Resurrectionis est basis fidei nostræ.

DISCURSUS DECIMUS OCTAVUS.

Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est ergo Fides nostra. 1. Corint. 15.

1. EX hoc Sancti Pauli Apostoli textu clarè deducitur, quòd Resurrectio Salvatoris nostri, fidei nostræ basis & columna immobilis existat. Neque enim ullus unquam crediturus fuisset, eum, qui in medio duorum latronum, in trunco infamis ligni Crucis crucifixus fuit, Verbum esse Patris æterni, nisi post mortem à semetipso ad vitam impassibilem & immortalem resurrexisset: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem* (inquit B. Thomas) *si enim non resurrexero, nullus convertetur, nemo mihi credet. Itaque si diligenter inspicias, plus ad fidem nostram sola Christi resurrectio, quam tot prodigiorum consulit multitudo: hæc enim sola totius Christianæ Religionis immobilis columna, anchora firma, & stabile fundamentum*. Adducitque allegatum à nobis Apostoli textum: *Quis enim obsecro, quamvis clarus eloquio, peritus verbo, potens miraculo, gentili mundo, Dæmoniorum idololatriæ tot retro sæculis dedito persuadere potuisset, ut hominem crucifixum inter latrones pendentem medium, relicto patrum suorum ritu, ut verum Deum ac hominem adoraret, nisi cujus tanta præcesserat passionis ignominia, major sequeretur vita immortalis honor & gloria?* Ac proinde unum ex evidentioribus omnipotentiæ & majestatis Divinæ signis Christi fuit resurrectio. Unde ut bene Rupertus Abbas observat, cum templi prophanatores ob dehonestatam æterni Patris domum, propriis Christi manibus castigati, & è templo eliminati, signum aliquod ab eo peterent, unde ipse verum Dei filium esse cognoscere possent, respondit eis Christus: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat; & crediderunt Scripturæ & sermoni, quem dixit Jesus*. Quærit autem idem Rupertus Abbas: *Cur signum quærentibus, cum multa signa fecerit, solam pro signo respondit virtutem suæ resurrectionis? Hoc ergo signum respondere debuit, quod sufficeret ad argumentum ejus Divinæ majestatis, imò quo illis exhibito cunctos eos de domo Patris & regno ejus expelleret, similque captivos in omnes gentes disperderet*. Origenes quoque super Epistolam ad Romanos ita scribit: *Illud adverto, quòd magnificentius sit in Dei laudibus, resuscitasse Dominum Jesum Christum à mortuis, quàm fecisse cœlum & terram, & creasse Angelos: Illud enim fuit facere, quod non erat, hoc autem reparare, quod perierat: Illud fuit nondum dejecta instituere; hoc autem dejecta restituere? Illud denique jussione, hoc passione perfectum est*. Et ideo Ecclesia in oratione quadam, quæ hesterno mane ante decimam prophetiam lecta est, hisce verbis Deo fit supplex: *Omnipotens sempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum dispensatione mirabilis es, intelligant redem-*

Conc. 2. de resur.
Lib. 2. in Joan. c. 3
Joan. 2. 18.
Rom. 4. vers. 24.

dempti tui, non esse excellentius; quod initio factus est mundus, quàm quod in fine sæculorum Pascha nostrum immolatus est Christus. Imò adeo necessarius & essentialis est hic articulus Resurrectionis, ut S. Augustinus de Civitate Dei scribit: *Civitas Dei gignitur ex Fide Resurrectionis Christi.* Et super Psalm. 88. pariter scribit: *In nulla re sic contradicitur Fidei Christianæ, quàm in resurrectione carnis.* Et paulò post idem verbis majorem in se energiam habentibus explicat dicens: *In nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur Fidei Christianæ, sicut de resurrectione carnis;* adeo ut, licèt Doctor gentium Paulus, in Athenarum Areopago prædicans, auditores suos ad multa alia Fidei nostræ mysteria attentos reddere potuerit, attamen quando ad hunc Resurrectionis articulum exponendum descendit; *quidam quidem irridebant; quidem verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum.*
Act. Ap. 23. Imò ipsimet Apostoli quantumvis in schola Christi multo tempore edocti, in præcipuis Evangelii dogmatibus instructi, innumerorumque miraculorum spectatores, & oculati testes fuissent, ipsius tamen Resurrectioni à principio difficillimam adhibuere fidem; un-
Matt. 16. 14. de & Christus eis *exprobravit incredulitatem eorum & duritiam cordis quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Etsi S. Thomas quidem præ cæteris erga hanc veritatem amplectendam obstinatior & magis incredulus extitit. Enim vero Salvator noster multa quidem miracula in plurium hominum conspectu patraverat, multis enim præsentibus & spectantibus sanaverat infirmos, cæcos illuminarat, surdis auditum, mutis sermonem, vitam defunctis restituerat, hoc verò ingens prodigium, quo semetipsum propria virtute, post mortem redivivum fecerat, patrarat in sepulchro, absque eo, quod ullus hominum modum, quo id factum est, spectare potuerit. Unde S. Petrus Apostolus in locum Judæ alium quendam Apostolum substituturus, de hac substitutione, eo modo, ad cæteros Apostolos peroravit, ut quanti hunc Resurrectionis articulum æstimarit, exinde perspicuè satis deduci possit; siquidem de solo hoc Articulo mentionem expressam
Act. Ap. 1. 22. facit. *Testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis, qui nobiscum sunt congregati.* Ubi Theophilactus ita scribit: *Resurrectionis non aliarum rerum gestarum fieri testem, dicit oportere; nam id, quod quærebatur, & in dubium veniebat, Resurrectio erat.* S. Augustinus etiam scribit: *Non laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum, sed quia credunt resurrexisse Christum.* Unde cum sancta mater Ecclesia, per an-
In Psl. int. ni decursum, de multis aliis præcipuis vitæ Christi mysteriis Divina Officia ad summum, per unicam octavam integram celebret, de hoc tamen Resurrectionis mysterio, per quadraginta dies continuos, celebritatem continuam agit. Hoc est, quod optimè Sal-
Tom. 11. tr. 2. meron hisce verbis notavit: *Ecclesia per quadraginta dies continuos festivam Resurrectionis solemnitatem, præter omnes dies Dominicos, quos illi totum per annum commemoranda adscribit, singulis annis celebrari à fidelibus voluit, quo fortius illam suis filiis imprimeret.* Ob hanc eandem causam Christus post Resurrectionem suam non subitò ad cœlos ascendit, sed post eandem, quadraginta dies super terram etiamnum commoratus est, ut suam tantò evidentius, omnibus manifestaret Resurrectionem. Unde B. Thomas ait: *Sicut quadraginta horis mortem suam probavit, ita quadraginta die-*
Conc. in oct. pasch. *bus suam firmavit Resurrectionem.* Sic etiam Angelus Domini, postquam lapidem ab ostio monumenti revolverat, protinus super eo sedisse perhibetur, non quod lassus aut defatigatus ex labore fuerit, siquidem in illis spiritibus Angelicis debilitas locum habere nequit sed potius, *Ut soliditas* (sunt ipsiusmet Docto-
In Cat. D. Th. in Matt. ris Angelici verba) *sedentis, dares credentibus infirmitatem, ponebat Angelus super Petram fundamenta Fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus.* Utique non caret mysterio, quod Ecclesia in Officio Divino speciale sanctorum Machabæorum festum, vel saltem commemorationem quotannis recolat, id quod de nullo aliorum Veteris Testamenti Sancto eam facere constat: Neque enim ulla per annum commemoratio agitur sive Abeli, sive Noe, sive universalis credentium Patris Abrahæ, sive Davidis, aut cujuslibet aliorum, eorum præcipuè, qui suam pro Deo vitam prodegerunt. Quodnam igitur in hisce Sanctis Eccle-
sia præ cunctis aliis Sanctis privilegium aut prærogativam agnoscit? Scio quidem quod S. Bernardus aliquas hac de re rationes adferat, nimirum quod cùm Epist. 98.
alii sancti ex zelo legis Dei, vitam profuderint, hi pro ejusdem legis observantia immediatè occisi fuerint: Item cum aliis sanctis mors irrogata fuerit, eo quod ipsos fidei persecutores offendissent: hi econtra passi sint mortem, quia Deum abnegare constantissimè renuerunt: Veruntamen Rupertus Abbas inge- De victor. verbi Dei lib. 9. cap. ult.
niosè pro præsenti proposito nostro observat, sanctos hosce Machabæos in conspectu Tyranni testimonium reddidisse illi fidei articulo, qui præ omnibus aliis fidei mysteriis velut maximam in se arduitatem & difficultatem habens suscipitur, id est, articulo de universali corporum nostrum resurrectione: *Quia videlicet in passionibus suis, ubi pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & gravissimis suppliciis subdiderunt, beata resurrectionis fidem & spem sonora voce confessi & testificati sunt.* Atque ideo Ecclesia inter alia Sanctorum festa, quæ per anni circulum ab ipsa peraguntur, suum quoque locum festo SS. Machabæorum præ omnibus veteris testamenti sanctis, assignat, eo quod religionem & fidem resurrectionis insigni testimonio suo stabilierint.

2. Multæ a sacris Doctoribus tanguntur rationes, ob quas Salvator noster tertia die resurgere voluerit. In primis enim omnino conveniebat, ut æternus Pater filii sui humilitatem summam exaltaret, utpote qui *factus fuerat obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum. Congruebat* (inquit Salmeron) *si purum & mundum Christi* Tom. 11. tr. 2.
corpus attendas; quod non erat ex Adam, quod attinet ad generationem activam, & in quod anima gloriosa redundasset, nisi miraculo per nostram salutem fuisset retenta: cum igitur tale extiterit ad agendum & patiendum divinitatis instrumentum, dignum erat, ne in putredinem abiret & corruptionem: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Surrexit, ut certos nos redderet de scripturis, quia est agnus, qui aperuit librum, signatum sigillis septem: idcirco in die resurrectionis Apostolis aperuit sensum, ut intelligerent scripturas. Hinc Paulus ad Corinthios, & Concilium Nicænum Articulo resurrectionis addiderunt particulam; resurrexit tertia die secundum scripturas; quoniam de nullo unquam fidei articulo tantum dubitatum est atque de isto. Lucas Conc. 2. de ref.
Burgensis super illa verba: *Surrexit Dominus vere,* dicit: *Omnem dubitandi ansam sibi præcidit hæc particula vere.* B. Thomas ingens momentum articuli resurrectionis Christi, hisce verbis ponderat: *Neque solum ad fidem plantandam, sed etiam ad spem nostram erigendam decuit Christum resurgere; ut quod in Christo jam factum credimus, id nobis aliquando futurum non dubitemus: si enim radix vivit, vivificabuntur & rami;* Et quidem ad id probandum illum Apostoli locum ad Rom. cap. 8. adducit: *Si spiritus Dei habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora vestra,* Glossa interlinearis ad illa verba: *Inanis est ergo fides nostra,* addit: *inutilis est, cum nulla remuneratio sit secutura. Tolle Christi resurrectionem,* inquit B. Thomas, *& omnis* Serm. 57. a. 2. c. 1. de future.
fides nostra tepescit. S. Bernardinus Senensis authoritatem adducit Sancti Gregorii, super illa verba Jobi: *Scio, quod Redemptor meus vivit.* Ita enim hic S. Doctor ait: *Redemptor noster suscepit mortem, ne mori timeremus; ostendit resurrectionem, ut nos posse resurgere confidamus.* S. Bonaventura ait: *Christus caput & exem-* Ser. 1. de ref.
plar nostræ resurrectionis ad hoc resurrexit, ut nos ejus membra de nostra resurrectione certificaret; alioquin monstruosa res esset si caput resurgeret sine membris.

Ad

Ad probandam futuram corporum nostrorum resurrectionem variæ rationes, similitudines, & argumenta diversa adducuntur.

DISCURSUS DECIMUSNONUS.

Scio enim, quod Redempter meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse & non alius.

1 SAnctus Hieronymus ad Pammachium scribens, modum hunc loquendi Job considerans ait: *Quid hac prophetia manifestius? nullus tam apertè post Christum, quam ille ante Christum de resurrectione loquitur. Vult verba sua in perpetuum durare, & ut nulla possint vetustate deleri, exarari ea vult in plumbi lamina, & sculpi in silice.* Veræ in propria carne resurrectionis certitudinem, ex infallibili scientia deducit, qua scit Christum redivivum resurrexisse: *Scio quod Redempter meus vivit, & in novissimo die, &c.* Porrò valde peregrinum prima facie homini esse videtur, quod illi ex putrefacto cadavere relicti cineres & pulveres, de novo nervis venis, arteriis, carne, pelle, sanguine sint reinvestiendi. Veruntatem ut huic veritati firmiorem fidem adhibere possimus, eas quas sancti Patres ad possibilitatem hanc demonstrandam adduxerunt rationes attenta aure auscultemus.

2. S. Joannes Damascenus de fide orthodoxa ita de hoc argumento loquitur: *Is qui in principio ex pulvere* Lib. 4. c. 28. *terra ipsum constituit, rursus revolutum & conversum in terram ex qua sumptum fuerat, secundum conditoris dictum, iteratò non est impotens suscitare illud.* S. Augustinus de hac difficultate egregiè scribit, siquidem instantiam quandam, eam omnino convincentem in medium adducit, dum ita loquitur, *Ille dicitur, quod suscitabit te, qui creavit te; non eras, & es, & factus non eris?* Serm. 64. de verb. Domin. *Absit ne credas. Mirabilius aliquid fecit Deus, quando fecit, quod non erat, & tamen fecit, quod non erat, & non creditur reparaturus quod erat, ab eis ipsis, quos fecit quod non erant.* Et paulò post subjungit; *Sed ecce in sepulchro, quod video, favilla est, cinis est, ossa sunt & hoc item accipiet, vitam, cutem, pulpas, carnem, & resurget? Quid favilla ista, ossa ista quæ video in sepulchro? vel in sepulchro vides favillam, vides ossa, in utero matris tua nihil erant.* Quid longe majus est, vult dicere S. Doctor, quod homo in utero matris, cum tanta membrorum distinctione, cum tot sensibus, totidemque potentiis fabricatus sit. Salmeron hunc prædicti sancti Doctoris sensum fusius persequitur, & S. Cyrilli Hierosolymitani in hanc eandem materiam adducit authoritatem dicentis: To. 11. tr. 3. Catech. 18. *Ante centum vel ducentos annos, nos omnes qui loquimur & audimus ubi eramus? an nescimus constitutionis nostræ subsistentiam? nescis quomodo ex infirmis, rudibus & confusis rebus generamur? Ex tam rudi infirmaque materia formatur homo; & quod erat imbecillum, incarnatum, in robur nervorum commutatur, & oculorum splendorem, & narium odoratum, & linguam loquentem & cor saliens, & manus operantes & pedes currentes, & in omnimodam membrorum speciem, ac illud imbecillum fit navium fabricator, & domorum opifex, architectus & omnium artium operarius miles, princeps, legislater, dux, & Rex.* Consequentia autem quam S. Cyrillus ex hisce præmissis elicit, nervosè concludit: *Qui ex levibus rebus ita nos facit Deus, num cadentes excitare non poterit? & qui non existens fecit, ut esset, nunquid cadens non sublevabit?* Salmeron circa hominis formationem ita discurrit: *Si ex semine humano, re tam vili, ac sordida, ut ne nominare quidem sine horrore queas, tam pulchram hominis fabricam Deus pro sapientia sua novit educere quid mirum si ex pulvere idem præstare valeat?* Idemmet præcitatus Cyrillus argumentum adhibet ab animalibus minutissimis & vilissimis desumptum, quæ post mortem resuscitari perhibentur: *Si muscæ quidem & apes aqua suffocata sæpè post tempus anni resurgunt; & serpentum genera hyeme immobilia sunt, æstate vero deinceps consurgunt, sane facilè quilibet intelligens his similia dederit exempla.* Quanto igitur magis de corporibus nostris credi poterit, quod virtute Spiritus Dei resurgent? S. Hieronymus super illa verba Ezechielis: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super mortuos istos & vivant,* ait, *vocari spiritum, ut quomodo prima conditione hominis insufflavit Deus in faciem ejus, & factus est homo in animam viventem, sic & secunda conditio, id est resurrectio mortuorum insufflante Spiritu vivificetur, quare carnis resurrectio inter articulo fidei juxta fidem de Spiritu sancto ponitur, ut credamus Spiritum sanctum per reductionem spiritus creati ad corpus, resurrectionem carnis efficere.* Hilarius Arelatensis, aut quisquis tandem author est Homiliæ illius, granum frumenti considerat, quod non germinat, nec fructum reddit, nisi prius sub terra sepultum existat: *Nunquid aliud est, quod sepelitur in semina, aliud quod virescit in gramina* Hom. 6. de resurr. S. Ambrosius aliam quandam adducit similitudinem parum à priori diversam: *Quid igitur miraris si homines, quos acceperit, terra restituat, cum seminum corpora, quæ cum vi susceperit, vivificet, erigat, vestiat, muniat atque defendat.* De fide resu. Minutum quoddam arboris semen, inquit S. Gregorius, in terram projectum, ibidemque sepultum, in vastam & proceram progerminat & excrescit arborem: Lib. 14. mor. c. 30. *Comprehendamus, si possumus, ubi in illa tanta brevitate seminis, tam immensa arbor latuit quæ ex illo processit? ubi lignum, ubi cortex, ubi viriditas foliorum, ubi ubertas fructuum? nunquidnam in semine tale aliquid videbatur, cum in terram jaceretur? Et tamen occulte rerum omnium opifice, cuncta mirabiliter ordinante, & in mollitie seminis latuit asperitas corticis, & in teneritudine illius abscondita est fortitudo arboris, & in siccitate ejus ubertas fructificationis.* Et quidem hac similitudine S. Doctor eo potissimum fine utitur, ut corporum nostrorum, tametsi illa in pulverem & cinerem redacta sint, resurrectionem possibilem esse demonstraret: Quid ergo mirum si tenuissimum pulverem, vel à nostris oculis in elementum redactum, cum vult, in hominem reformat, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Demum verò argumentum quoddam valde efficax subjungit, ex quo non solum Deum id posse facere, verum etiam id ipsum actualiter & activè decrevisse, evidenter nobis credibile efficitur. *De reparandis arboribus divina est providentia, de hominibus nulla est cura? Et qui ea, quæ ad usus hominum dedit, perire non passus est, hominem perire patietur, quem ad immaginem sui fecit?* Salmeron exempla adducit quorundam To. 11. tr. 3. animalium: *In Leone fremitu suo catulos suscitante; in serpente qui deposita vetustate rejuvenescit, in Pelicano, qui sanguine suo pullos semimortuos & veneno infectos ad vitam reparat; in verme Indico seu Bombyce, ex quo serica conficiuntur vestes.* In omnibus, inquam, hisce animalibus signa evidentia & naturalia habemus resurrectionis. S. Clemens in adducendo Phænicis exemplo latè diffunditur. Omnibus enim nota est fabula, nisi fortè Historiam dicere malis. Et quidem postquam hujus avis resurrectionem ad longum descripsisset, tandem subjungit: Lib. 5. Ap. const. c. 8. *Cur ergo, ut ipsi ajunt, per avem rationis expertem probetur resurrectio, cui temerè nostratia calumniantur, cum fateamur, qui potentia sua effecit, ut quod non erat esset, tum quoque facere posse ut id, post ejus interitum restituatur?* S. Cyrillus præter superius adducta exempla, & ipse Phænicis similitudinem adhibet: *Ergo animali quidem irrationali, & non cognoscenti factorem suum resurrectio donatur, nobis verò glorificantibus Deum & mandata ejus custodientibus eadem non dabitur?* S. Ambrosius de fide resurrectionis, ei, quod oculis nostris quotidie perspicimus insistens, dicit: *Quid dubitas de corpore corpus resurgere? granum seritur, granum resurgit, flore granum induitur folliculoque vestitur & hoc mortale oportet induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionem.* S. Hieronymus adversus errores Joannis Hierosolymitani ad Pammachium de eodem argumento scribit, cujus discursum Salmeron verbotenus adducit in medium, dum ita scribit: *Non est mirum, si Deus restituet in resurrectione, quod fuit, quid de nihilo omnia condidit, & quod modus diversus recipiendi esse humanum non tollit eandem rem; aliter, inquit, Adam, aliter Eva, aliter Abel, aliter homo Jesus Christus, scilicet genitor est, & in omnibus diversis exordiis una hominis natura non differt.* Subdit

dit autem Salmeron; *Hinc quinta regeneratio & ultima per resurrectionem, non tollit quin eadem sit natura; atque ex illis quatuor existendi rationibus colligitur spes resurrectionis; nam formatio hominis ex pulvere nunquam animato si primam consulas rationem; deinde quantum ad secundam, si fœmina ex costa viri creata est nullo ordine natura servato, quanto magis ex tota materia illud refici poterit à Deo? si verò quartam rationem attendamus, ita licet ratiocinari: si per Spiritum sanctum caro Verbo est unita, quid mirum si corpus nostrum resurgat operatione Spiritus sancti? quia dicit Spiritus sanctus per Prophetam: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis.*

3 *In carne mea*, inquit Job, *videbo Deum*. Ex quibus verbis identitatis ejus corporis indubitata veritas clarè deducitur; eademmet namque caro, qua in hoc mortali corpore vestiti fuimus, erit illa, quæ resurget: *Nihil erit pretiosius ille martyrum sanguis* (inquit Eusebius Emissenus) *si non ipsa caro honoratur præmiis, quæ est probata suppliciis, si non ipsa in muneribus gaudebit quæ in doloribus triumphavit; quæ ideo tolerabiliter doluit se afflictam, quia fideliter credidit se reformandam.* Rupertus Abbas super hæc verba: *Dominus regnavit, decorem indutus est*, ita scribit: *Eandem carnem spinis coronatam, & in sepulchro positam rursus induit*; atque iden vulnerum suorum cicatrices ostendit dicens: *Ego ipse sum*. S. Joannes Damascenus ait: *Ipsum corpus, quod corrumpitur & dissolvitur, idem resurget incorruptibile*. Philosophi gentiles, inquit B. Thomas, possibilem crediderunt transmigrationem animarum ex uno corpore in aliud, nunquam verò ipsi sibi persuadere potuerunt, quod anima ad corpus jam in cineres resolutum vivificandum redeat. *Quam difficile fuit hoc mundo persuadere, ut post incineratum corpus, & usquequaque per elementa distractum iterum reparari ad vitam crederet, & vitales rursus auras haurire?* Et tamen, inquit S. Gregorius Nyssenus: *Propter hunc diem pars corporis, quam ante mille annos carnivoræ aves comederunt, integra reperietur: & quam vel canes, vel cete cæteraque animalia marina devoraverint, una cum homine resuscitato resurget; quin etiam quos ignis concremaverit, quod vermis in sepulchro absumpserit*. Quanam autem ratione id factum aut faciendum sit, declarat Salmeron dicens: *Unumquodque elementum, aut animal hominem devorans, restituet tanquam custos, & instar depositarii, quod accepit.*

Hom. 2. de resurr.

Lib. 4. in 1. fal de tri. & oper.

Lib. 4. c. 28. de Fid.

Conc. in ast. pasc.

Orat. 3. ad Resur.

4. Enimvero pro nostra instructione advertendum est, id quod Apostolus ad Corinthios scribit, nimirum, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Illis namque verbis Apostolus vult dicere solos electos lucis gloria accingendos esse, reprobi autem quaquaversum vermibus & putredine redundabunt. Unde David dicit: *Non resurgent impii in judicio*, id est quatuor gloriosorum corporum dotibus adornati. Audiamus Chrysostomum in hodiernum diem ita scribentem: *ille quidem resurrexit mortis vinculis disruptis, nos autem ex suscitavit, peccatorum nostrorum catenis dissolutis: ne igitur tanto benefactori ingrati simus, neque decurso jam absolutoque jejuniorum stadio solito negligentius nos geramus*. Similiter S. Bonaventura efficax quoddam nobis motivum proponit, ad nos animandos, ne ab hujus corporis nostri maceratione desistamus: *Qui vult*, inquit, *ut configuretur corpus suum claritati corporis Christi in patria, debet primo in via ad exemplum Christi suum corpus conterere jejuniis, & humiliare afflictionibus, & etiam submittere vilibus servitutibus, quia tanto in gloria surget claritati corporis Christi conformior, quanto prætius amare fuit vita ista humilior.*

1. Cor. 15.

Psal. 1. 5.

Orat. de pal.

Serm. 8. de resur.

Tractatur in hoc discursu de nonnullis resurrectiònis figuris; variæ etiam de illa adducuntur Scripturarum auctoritates. Item de Christo B. Virgini apparente. Denique qualiter intelligendæ sint tres dies, & tres noctes mortis Christi.

DISCURSUS VIGESIMUS.

Resurrexit tertia die secundum Scripturas.

1 SAncta Mater Ecclesia in hisce verbis symboli Nicæni duas præcipuè veritates nos edocet, scilicet primo resurrectionem Redemptoris eo modo adimpletam esse, quo à Scripturis prædicta fuit. Secundo resurrectionem Christi futuram tertia die. Quod primum punctum attinet nonnullas insinuabo resurrectionis figuras & testimonia à Spiritu sancto in sacris literis expressa; ac demum secundo loco exponam modum, quo triduum illud mortis Christi intelligi debeat.

2. Doctissimus Salmeron aliqua Christi à mortuis resurgentis figuras pauculis verbis recenset, dum ait: *Ecce tibi Adamum post Evam ex costa sua fabricatam, à somno excitatum: Ecce Noe à somno & ebrietate solutum, ut malediceret in Cham Judæo, & in aliis duobus filiis benediceret gentibus: En Isaac tertio die ab immolationis monte vivum revertentem: Ecce Joseph venditum ac mortuum reputatum, inventum tamen Aegypti Principem ac Dominum: Ecce Jonam in littus redivivum e ceto projectum: Ecce Danielem erutum de lacu Leonum, & adoratum à Chaldæis: En Virgam Aaronis, quæ sicca refloruit; en columbam redeuntem sub vesperam ad arcam cum ramo olivæ in ore; En templum solutum, post triduum reædificatum; En granum frumenti, quod in terram cadens mortuum fuerat, vivum resurgens, & multum fructum ferens.* Eusebius Emissenus ad ostendendam, quo ad resurrectionem, aliquam credibilitatis evidentiam, illud ab Eliseo patratum miraculum adducit, quando cadaver occisi hominis à latronibus in sepulchrum Elisei projectum, ad solum ossium illorum contactum, revixit. *Quis hic alius præfigurabitur*, inquit, *nisi Dominus noster Jesus Christus, qui resurrectionem de morte largitur, & vitam sepultus operatur? In latrone reum mundum, in Propheta virtutibus Christum Dominum recognosce.* Idem quoque alibi de Josepho scribit: *Legimus B. Joseph carcerem, in quem ipse missus fuerat, in potestatem habuisse, ex eo etiam alios liberasse. Ecce Joseph noster non solum illo inferni carcere, quo conclusus fuerat, non tenetur, sed etiam aliis per eum mortis claustrum laxatur*. Guerricus Abbas loco thematis primi sermonis sui Paschalis, hæc verba proponit: *Nuntiaverunt Jacob dicentes: Joseph vivit*. Et parallelos, qui inter Historiam Josephi & resurrectionis intercedunt, prolixè exponit. Sanctus Bonaventura accuratè observat, quod Salvator noster in conspectu Apostolorum suorum redivivi corporis sui specimen aditurus, piscem comederit assum: *Per piscem assum intelligitur afflictio humanitatis assumpta, unde Beda: Piscis assus est ipse mediator passus in aquis humani generis, captus, assatus tempore Passionis; in hujus figuram dicit Tobias de pisce capto, cordis ejus particulam, super carbones ponas, fumus ejus exercitat omnes genus Dæmoniorum; hic est piscis in cujus ore invenitur pretium nostræ redemptionis.* Fuit quoque Sampson figura Christi resurgentis; Cum enim in periculo esset, ut à Philistæis in Gaza caperetur, hi enim eum in finem fores civitatis clauserant, multasque circa ipsum custodias collocarant, qui ipsius egressum attenderent intempesta nocte excitatus, evulsas è cardinibus suis fores seu portas, humerisque suis impositas in montem usque extulit. Et quidem S. Gregorius resurrectionem Christi per factum istud plus quam per quasvis alias veteris Testamenti figuras adumbrari opinatur; siquidem & Christus media & intempesta nocte à mortis somno excitatus, portas quoque infernales reseravit: *Inferni claustra penetrans, tuos captivos redimens*

victor

To. 11. tr. 2

Hom. 1. de Pasc.

Hom. 7. de Pasc.

Serm. 1. de resur.

In Luc.

Judic 16.

victor triumpho nobili. *Ante lucem resurgens*, inquit Gregorius, *non solum liber de inferno exiit, sed ipse etiam inferni claustra destruxit*. In Genesi scribitur; Deum post diluvium Noe memorem Spiritum suum misisse super terram. *Recordatus est Deus Noe & adduxit Spiritum super terram*.

Lib. 4. in Gen. c. 22.

Per Noe, inquit Rupertus Abbas, Christus significatur, per arcam sepulchrum; vita verò per Spiritum; adeoque Spiritus sanctus eo in loco vult innuere, quod Deus Pater post ingens illud sanguinis diluvium filii sui in sepulchro quiescentis memor, suum ad ipsum vivificandum miserit Spiritum. Jacob licèt in lucta cum Angelo habita victor evasisset, ab Angelo tamen devicto benedici postulavit: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*.

Gen. 32. 26

Qua in re Jacob præter modum agendi consuetum fecisse videtur, siquidem æquius fuisse videtur, si victus sese coram victore humilians, ab eo benedictionem sibi impertiri rogaret sanctus Augustinus super illa verba Psalmi: *Excita potentiam tuam & veni*, dicit: Ecce tibi ejus, quod à Jacobo factum est, mysterium. Nunquid enim huc in Cruce suspensum

Hom 6. de resur.

Christum vides: Quis hunc devictum & superatum esse non diceret, utpote quia à Judæis occisus est. Et tamen ipse est, qui brachia sua tenet extensa, ut nobis resurgendo suam benedictionem donet. Hilarius Arelatensis dicit, Jacobum significasse populum Hebræum, qui sibi, ut dictum est, victor fuisse visus est quando necem Christo intulit; potuitque eum Jacob merito dicere: *Vidi Dominum facie ad faciem*; quia triginta tribus annis facie ad faciem eum ipso conversatus fuit. Per Angelum figuratus est Christus, qui est *magni consilii Angelus. Adversarios benedixit, quando & pro interficientibus supplicavit*. Per Jacob verò, ex contracto nervo claudicantem, populi illius multitudo denotata fuit, qui in vera Dei notitia claudicabat. *Quid est quod uno pede claudicat? Hoc est, quia de Jacob, hoc est, de Judæorum genere, Christo resurgente, pars credidit, pars in infidelitate permansit, & à justitia & vitæ tramite claudicavit*. Similiter Paulus de Palatio ad præsens propositum nostrum eundem Jacob considerat, quod scilicet is Esau fratris sui odium fugiens, cum fatigatus nimium esset, super Petra seu lapide, quem capiti suo subjecit, requiescens, mysticam prodigiosæ illius scalæ visionem habuerit: unde à somno evigilans dixit: *Vere Dominus est in loco isto; non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens verò mane tulit lapidem & erexit in titulum. Fugiens ita Christus à Judæis, venit ad Crucem & ad sepulturam; ibi dormire volens sepulchrum in lapide sectum delegit; super lapidem caput reclinans; in eo loco scalam ipse fecit, ex inferno ad sepulchrum & è sepulchro in Cælum, per eam scalam Angeli descendebant, & animæ sanctæ festivissimè ascendebant. Cum igitur à somno Christus evigilat, fatetur in eo loco jacuisse Deum, eundemque in carne resurrexisse, fatetur etiam mortem piis nihil aliud esse, quam portam cæli. Quod verò lapis sepulchri sit erectus in titulum, præsens experientia testatur; lapis enim monumenti arca est etiam nunc, super qua sacrificium Domino celebratur. Ad rem igitur nostram: ut Jacob manè à somno surrexit; ita & Christus mane surgere debuit*. Porrò ad resurrectionis probationem, idem author aliquod adducit sacræ Scripturæ testimonia: *Foderunt ante faciem meam foveam & inciderunt in eam*. Ipsi quidem Christi memoriam in monumentum istud sepelire & in oblivionem redigere sperabant, at verò inde præter opinionem ipsorum immortalis & æterna ipsius gloria excellentius quam unquam in tota vita sua resurrexit, & emicuit. *Quis non videat cum Judæi Christo paraverunt mortem, eos ante faciem Christi foveam parasse, in eam tamen incidisse?* David quoque resurrectionem Messiæ multis in locis prædixit, maximè tamen hisce verbis:

Pf. 56. 9.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara, exurgam diluculo. Ubi Rupertus Abbas ait:

Lib. s. c. 5. in loc. de Trin. & oper.

Respondit cythara illa paterna laudis, psalteriumque sempiterna ejus jubilationis, exurgam diluculo. Est quoque valde perspicua & clara illa Prophetia:

Pf. 15 10. Pf. 88. 16.

Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem; veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi. Sanctus Bonaventura

Serm. 3. de resur.

Aaronis Virgam, qua arida cum esset, germinavit, considerat, dicens: *Virga arida fuit caro Christi in morte: arida utique propter sanguinis extra-*

Mansi Prompt.

ctionem & Spiritus emissionem; in flore autem gloria corporis resurgentis significatur; refloruit caro mea. Psalm. 27. Aaron Christum significat summum Sacerdotem. Virga igitur arida floruit, quando caro Christi mortua resurrexit.

In fest. res.

3. *Surrexit Dominus verè*, inquit etiam Angelus. Et quidem huic veritati, ut inquit Doctor Angelicus omnes creaturæ testimonium perhibuerunt. *Cælum, terra, infernus testimonium reddiderunt resurrectionis*. Cœlum enim misit Angelos, terra tremuit; *Terra motus factus est*; Infernus quoque multas animas restituit. Enimvero Christus se à devotis Mariis tangi permisit: *Quia forsitan* (inquit Paulus de Palatio) *nisi tangeretur, fides in illis non firmaretur; ut ergo certissimè de resurrectione testarentur, tangere permittuntur*. Porrò Salmeron duodecim hoc die à Christo variis in locis factas apparitiones enumerat, inter quas, illam, quæ sanctissimæ Matri suæ contingit, primo omnium loco reponit. Et quidem de hac dubitari nequit, licèt Evangelistæ ejus necquidquam meminerint. Cujus Rupertus Abbas, *De divinis officiis* hanc rationem adducit:

Lib 7 c 15.

Verissimè ergo Matri filius resurgens apparuit, & illa ut ab initio cœperat, ita & nunc conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo quodsi idcirco verum non videtur, quia nullus Evangelistarum scriptis hoc testatur, consequens est, quod nunquam post resurrectionem suam visus sit Matri, quia quando vel ubi apparuit illi nullus nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege sua Patrem & Matrem honorare præcipit; absit, inquam, ut Matrem se doloris gladio transverberatam tam dura negligentia talis filius inhonoraret. Non sic Apostolica sancta Romana Ecclesia sensit veritas, quæ hanc Beatam Jerusalem in principio lætitiæ suæ proposuit: Nam cum hac prima die Paschæ stationem ad hanc, de qua loquimur, sanctam Mariam, Missæ officio præscripsit, quid aliud quam Jerusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Rationes autem; cum Evangelistæ hac de re sileant, à nonnullis sacris expositoribus tanguntur. Lucas Bu-

In Marc.

gensis dicit: *Quia Matri apparuit honoris & consolationis ergo duntaxat, non ut ei resurrectionis suæ veritatem, quam illa credebat, etiam non visam persuaderet, aut ut illa resurrectionis illius esset testis; ideo illius apparitionis non meminerunt ad fidem faciendam*. Hugo

Ser 57 ar. 2. cap 3.

Cardinalis dicit: *Bene credo: quod Matri suæ sæpissimè apparuit, sed tamen non legitur, sed quare? Ut carnalem affectum in his, qui sunt mundo mortui & Deo vivi, mortuum ostenderet*. Et super S. Lucam. *Ut mortui mundo carnalem affectum non habeant ad parentes*. Sanctus Bernardinus ait: *Quia enim Spiritui sancto cura erat per Scripturam Evangelicam illas apparitiones describere, quæ carnalibus hominibus possent de resurrectionis Christi fide dignum testimonium perhibere, & maternus affectus in eorum oculis minueret veritatem*.

4. *Tertia die resurrexit*. Examinandum nunc est, qua ratione triduum illud intelligi debeat. Lyranus

In Dom 1 post Pasc.

ait: *Isti tamen dies accipiendi sunt per Synecdochen quia primus & tertius non fuerunt integri*, Innocentius Tertius ait: *Tribus diebus & noctibus, id est, tribus inter dies & noctes, quia duabus noctibus & uno die integrè fuit in corde terræ*. Sanctus Bernar-

Ser. 5. de resur.

dus ita loquitur: *Nec verè resurrectionem distulit ultra tertium diem, ut Propheta fidelis inveniatur qui dixit: Vivificabit nos post duos dies, in die tertia resuscitabit nos*. Maxima autem difficultas, quæ in hoc puncto consistit, fundatur in textu quodam ipsiusmet Christi dicentis:

Mat 10.20

Sicut fuit Jonas in ventre Ceti, tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Et quidem de diebus dici potest, quod tres tetigerit, in noctibus verò præcipua difficultas consistit.

To 4. c 5. de interpel. 1.

Sanctus Ambrosius ingeniosè discurrit, ut demonstret Solem ad nuntiandam mundo resurrectionis gloriam solicitum fuisse, ideoque ne sacris literis præjudicet, tenebras trium horarum diei Veneris in unam noctem computavit: *Qui enim ponenda* (inquit Sanctus Gregorius Nyssenus) *& rursus sumenda anima, cum vellet, habebat potestatem, poterat etiam tanquam sæculorum auctor efficere, ut actionibus suis tempus inserviret, non autem actiones tempori*. Sanctus

Orat. 1. in Pasc.

Ambrosius solem loquentem introducit dicens: *Inveni quid faciam, ut & morat non faciam, & nu-*

merum dierum meorum custodiam; non faciam, integram diem & integram noctem, abbreviabo horas, tribus quidem diebus ac noctibus sit inter mortuos Dominus Jesus: citius tamen quam trium dierum & noctium intervalla patiuntur resurgat à mortuis. Sanctus Gregorius Nyssenus insuper hanc considerationem facit: *Nam si Deus noctem tenebras appellavit, tribus autem horis tenebræ factæ sunt super universam terram: spatium illud in diei medio constitutum nox fuit.* Unde trium dierum triumque noctium ritè colligitur. Idemque quoque Innocentius Tertius in sermone citato consideravit. Et Sanctus Leo dicit *Densis tenebris splendor solis obductus extraordinaria noctis subdidit diem.* Serm. 1 de Pass.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PROM-

PROMPTUARII
SACRI ET MORALIS
R. P. JOSEPHI MANSI
PARS SECUNDA,

Tres Menses, Aprilem, Majum, & Junium
Complectens.

DE S. MARCO EVANGELISTA
Discursus Quinque.

Laudes S. Marci ex eo titulo deducuntur, quem ei S. Petrus attribuit, dum ipsum filium suum nuncupavit.

DISCURSUS PRIMUS.

Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus. 1. Petri 5. v. 14.

1 INter omnia præstantiora encomia, quibus condecorari potest Sanctus Marcus, illum adeo nobilem à Sancto Petro ei attributum titulum unum esse existimo, ex maximè perspicuis eximiarum virtutum & prærogativarum suarum argumentis. Etenim Sanctus Gregorius Nyssenus (Tract. 2. de orat. Dom.), dum impositum nobis à Salvatore nostro præceptum considerat, quo vult ut orantes æternum Patrem suum, nostrum Patrem appellaremus dicentes: *Pater noster qui es in cælis*, subjungit *Qui Patrem dicere jussit, mendacium dicere non permisit*; ac proinde cum primus Christi in terra Vicarius Sanctum Marcum filium suum denominaverit; *Marcus filius Meus*, omnino credendum est, eum hoc adeo rarum privilegium optimè meritum fuisse dignumque extitisse, qui tanti Patris diceretur filius. Equidem certum est eum non fuisse Sancti Petri filium secundum carnem, sed ut Hugo Cardinalis interpretatur: *Filius quia ipsum convertit & baptizavit, & in fide instruxit*; quomodo Religiosos Patrum titulo honorare consuevimus, eo quod in bonis Christianisque moribus fideliter nos instruant animæque saluti æternæ promovendæ subsidia ferant. Porrò Rex ille qui Hiram hominem scientissimum & prudentem ad Salomonem destinavit, ut eidem velut peritissimus architectus in templi fabrica deserviret; eundem architectum Patris nomine insignivit, dicens: *Hiram Patrem meum*. Ubi interlinearis ait: *Patrem suum vocat quia de terra Israel peregre profectus docuit eum timorem Domini, & cognitionem veritatis* (2. Paral. 2. 13.); quo etiam sensu credere possumus Sanctum Marcum à Sancto Petro filium suum nuncupatum fuisse, *Quia de terra Israel* (ubi Sacerdos erat) *peregre profectus*, idest, huc Romam unà cum Sancto Apostolo transmigrans, *Docuit eum* &c. Scribit Philosophus (Lib. 16. de anim.): *Pater est qui sui aliquid habet in alio, ex quo ille constat in fieri & esse perfecto*. Ex quo capite Deus noster respectu nostrum (Deut. 32. 6.), quos genuit, Patris nomen optimè meruit, quia esse perfectissimum & nobilissimum, id est, animam nobis communicavit *Nunquid non ipse est Pater tuus qui fecit & creavit te*. Veritatem istam sancta illa Machabæorum Mater optimè cognovit (2. Macha. 7. 22.), quando ad hosce conversa dixit: *Neque enim spiritum & animam donavi vobis, sed mundi Creator*. Cum igitur Sanctus Marcus veræ & Christianæ religionis lumen & agnitionem qua imbutus fuit, imo quicquid Spiritus, virtutis, & perfectionis habuit, Sancto Petro in acceptis referre debeat, merito ejus quoque dicitur esse filius. Verum enimvero hinc dubium quoddam enascitur, unde sancti hujus Evangelistæ merita mirificè adaugentur: Etenim quantus est eorum numerus, quos Sanctus Petrus ad Christi fidem convertit, quos baptizavit, & in Evangelicæ doctrinæ dogmatibus instruxit? quot sibi comparavit discipulos &

sectatores, qui omnes utpote in sanctitate, & scientia insignes, permagni ab eo fuere æstimati & commendati, & tamen nemo illorum omnium ab eo adoptatus est in filium, præterquam quod solus sanctus Marcus. Unde sicut Apostolus de Christo ait: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu?* Hebr. 1. Et rursum: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium*, ita quoque in præsenti dicere licet; neminem ex omnibus à sancto Petro conversis inveniri posse, quem S. Petrus adeo in loquendo & scribendo cautus, prudens & circumspectus, filii nomine condecorarit, præterquam sanctus Evangelista Marcus: Rom. 8. 15. *Non accepit Spiritum servitutis in timore, sed accepit Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Omnes alii Petri discipuli, sequaces, subditi, & obedientes servi fuere: De orat. Domin. at vero sanctus Marcus *accepit Spiritum adoptionis filiorum*. S. Cyprianus scribit: *Quando Patrem Deum dicimus, quasi filii Dei agere debemus ut quomodo nos nobis placemus de Deo Patre; sic nobis sibi placeat, & ille de nobis filiis.* Eadem prorsus ratione nos quoque dicere possumus, quod cum sanctus Petrus eximio hoc filii adoptivi privilegio sanctum Marcum cohonestarit, ex hoc satis perspicuè constet, quod merita in ipso, virtutesque adeò sublimi gradui consentaneas atque condignas perspexerit. Et si sancto Augustino dicere licuit: *Quanta cura animum tangit, ut qui dicit: Pater noster: tanto Patre non sit indignus.* Credibile utique est, S. Marcum summo in id studio conatum esse, ut se tanto Patre condignum, minimeque degenerem filium esse probaret, maxime cum ipse præ omnibus nascentis Ecclesiæ fidelibus, cunctisque aliis Petri discipulis solus hoc filii adoptivi titulo, miroque privilegio insignitus fuerit. Enimvero de hac filiatione Cardinalis Baronius ita scribit: *Marcum igitur, quem quod unicè eum diligeret, Petrus in dicta Epistola filium suum appellat*: An. 45. n. 29. Quibus verbis excellentissimus hic Cardinalis haud obscurè insinuat, unicum motivum cur Petrus S. Marcum filium suum appellarit, fuisse teneritudinem dilectionis, qua Princeps Apostolorum hunc discipulum suum fuit prosecutus. At vero ex hinc quidam mihi emergit scopulus: Sciendum namque est quod à teneritudine amoris Patrum erga filios derivatum fuerit præcipuum Idololatriæ principium, cujus veritatis Spiritus sanctus in libro Sapientiæ manifestum reddidit testimonium, dum ait: Sap. 14. 15. *Acerbo enim luctu dolens Pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia*; atque ideo cum S. Petrus eum præcipuè in finem electus fuerit, ut esset Christi in terra Vicarius, ut Idololatriam penitus subverteret & pessundaret, mirum est, quomodo S. Petrus sciens quod excessivus Parentum amor erga filios, falsa quaquaversum erexerit simulachra, induci potuerit, ut quendam è discipulis suis haud secus ac filium suum tenerrimè diligeret? Et tamen certum est quod sanctum hunc Evangelistam præ cunctis aliis ardentissimè amarit, quia ipsum ad falsa numina subvertenda summè idoneum esse novit. Sciendum est igitur, quod filius viva quædam sit Sap. 7. 26. effigies & imago Patris: *Imago bonitatis illius*; ac proinde ut mundum Petrus converteret, cunctaque Idola quæ in Ægypto potius, quam in quovis alio terræ loco sedem suam habebant, exterminaret atque prosterneret, hunc filium suum, id est, hanc vivam sui effigiem in Regnum Ægypti summa cum providentia destinavit ut paganam Regni illius gentem omnigenis impietatibus, superstitionibus, maximeque execrabilibus totius mundi sacrilegiis deditam ad veri Dei agnitionem reduceret: adeoque tantum abest, quod sanctum Marcum tenerrimè à sancto Petro dilectum, & in filium adoptatum esse, Christianæ fidei quidquam præjudicaverit, ut potius præcipua ratio cur sanctus Marcus Idololatriam profligaverit, veramque Christi Religionem in Ægypto, multisque aliis mundi Provinciis plantaverit, in eo vel maximè consistat, quod utpote viva sancti Petri effigies & imago existens, verus ab eodem declaratus fuerit esse sancti Petri filius.

2. *Filius meus*. Ad parentes propriè spectat erudire filios Ecclesi 7. 25. *Filii tibi sunt? erudi illos*. Ac proinde cum sanctus Dionysius Areopagita de sancto Petro scribens, illum *Antiquissimum Theologorum culmen* vocet, facile est conjicere, qualis fuerit illa scientia Theologica, nec non divinorum mysteriorum sapientia, qua imbutus fuit sanctus Marcus, utpote ab ipsomet sancto Petro tradita, cujus immediatus Magister ipsamet increata sapientia fuerat, cuique ex speciali quodam privilegio in tradendis Ecclesiæ dogmatibus assistebat Spiritus sanctus. Unde panis quo sanctus Petrus hunc filium suum nutriebat, alius utique non fuit, quam is de quo scribitur: *Cibavit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ potavit illum*: Eccles. 15. 3. Hancque eminentem sapientiam ipsemet in Evangelio calamo suo exarato satis evidenter testificatus est, de quo B. Laurentius Justinianus ita scribit: Serm. de S. Marco. *Nemo sane sufficienter edicit quanta per hunc erudimenta virtutum, fidei Sacramenta, dona gratiæ, futuræ vitæ indicia, stupenda Salvatoris gesta, veritatis testimonio sancta percepit Ecclesia; iste est enim quem Joannes mysterialiter prævidens, ait: vidi alterum Angelum volantem per medium cælum habentem Evangelium æternum ut evangelizaret illud sedentibus super terram.*

3. *Filius meus*. Hugo Cardinalis filium manum & linguam patris appellat: In c. 13. Gen. in Psal. 32. *Manus Patris filius quia Pater per filium operatur*. Et alibi: *Os Patris est filius* ac proinde merito S. Petrus dicere de S. Marco potuit: *Filius meus*; cum enim tot annis individuus sancti Petri comes & discipulus fuerit, ei utique in prædicatione sua interpretis loco servivit, atque insuper in omnibus ipsius præcipuis actionibus, eidem velut brachium dexterum erat: Ep. 9. 10. *Manus Petri & filius* (inquit Procopius) *& ejus qui claves Regni cœlorum accepit, socius, mysteriorum nuncius, & arcanorum præco*. Ideoque de ipso dici potuit, quod Deus Moysi de Aarone fratre suo dixit: *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.*

4. *Filius meus*. *Pater manet quodammodo in filio* (inquit Lyranus) In c. 1. 37. lib. 3. regum. *& ideo bonum filii est etiam bonum Patris*. Procopius de sancto Marco scribit: *Verè Petri filius fuit Marcus, ita illi mente & animo fuit similis*. Illa namque quæ inter utrumque intercedebat indivisibilis unio, sufficienter exprimi nequit; ex qua ortum suum habet quod Ecclesiam Alexandrinam, pro qua fundanda & administranda sanctus Petrus ipsum destinarat & consecrarat, nomine sancti Petri patris & Magistri condecorarit; unde sanctus Petrus Damianus ait: Serm. 7. de S. Marco. *Tanta igitur Magister atque discipulus unanimitate conjuncti, tam consona sancti Spiritus sunt inspiratione conflati, ut & Petrus manifestarit Evangelium Marco, & Marcus construxerit Ecclesiam Petro quatenus dum quod suum erat alter transferret in alterum, quod cuique erat proprium commune esset amborum & utriuslibet totum esset, quod uterque proprium possideret*. Ac tandem ad nostrum propositum concludit: *Unde B. Petrus eum quasi specialem & unanimem præ cæteris filium vocat.*

5. *Filius meus*. Scriptura sacra filiorum propagini & successioni ædificii titulum attribuere solet. Sic enim ubi Gen 16. 2. vulgata in libro Geneseos legit: *Si fortè saltem ex illa suscipiam liberos*; Arias legit: *Si fortè ædificabo ex ea*. Unde etiam Agellius super illa verba Psalmistæ: In Ps. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ita scribit: *Ædificandi verbo aptè usus, ut successionem regiæ stirpis indicaret, etenim successio & propagatio generis, solet in Scripturis sanctis ædificatione significari*. Unde S. Marcus meritò à S. Petro filius ejus appellandus erat, quia supra petram illam, de qua alia quædam Petra ait (*Petra autem erat Christus*) *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, nullus sublimius erexit ædificium quam sanctus Marcus, qui Ecclesiam erexit Alexandrinam, eamque in ejusdem sancti Petri honorem consecravit; ædificium nimirum adeo nobile & præstans, ut cum ipsamet Ecclesia Romana haud immerito concertare possit. Serm. 3. S. Petrus Damianus postquam rationem reddidisset, cur S. Marci Alexandrina Ecclesia Apostolica & S. Petri appellata fuerint, non vero Anthiochena Ecclesia, licèt idemmet S. Petrus in ejus Cathedra tot annis sederit, dicit: *Cur ergo Spiritus sanctus beatorum Pontificum mentibus ut hoc statuerent, inspiravit, nisi quod Petrum & Marcum mente simul & animo, fide & voluntate non duos quodammodo sed unum potius esse cognovit? Tanta scilicet idem Spiritus eos invicem charitate constrinxerat, tanta mentis unanimitate conflaverat, ut & cor unum, & mens esset una duorum; unde factum est ut quæ sedes fuit Marci, fieret indifferenter & Petri*. Serm. 1. Unde idemmet sanctus Cardinalis in alio quodam sermone de hoc festo ita scribit. *Alexandrinam fundavit Ecclesiam, eamque postquam supra Petram quæ Christus est insignis architectus erexit, glorioso Magistri sui nomine fideliter dedicavit.*

6. Fi-

An.64.n.3.

6. *Filius meus.* Eminentissimus Cardinalis Baronius alibi de sancto Marco tractans ita de eo scribit: *Merito igitur id agenti divino numine subiit in mentem sancti Petri Pastoris omnium, ut dilectissimum discipulum Marcum, quem immensi amoris causa filium suum appellat, mitteret Alexandriam*, Porro certum est, quod quisquis amat in objecto à se dilecto bonum supponat, atque iden ad qualem quantamque virtutem & sanctitatem sanctum Marcum pertigisse creditis, quibus meritorum thesauris eum locupletatum fuisse existimatis, siquidem magnus quidam fuit, qui viscerosissimum S. Petri amorem atque affectum sibi conciliavit? *Immensi amoris causa filium appellavit.*

7. *Filius meus; Juxta conversationem parentum* (ioquit S. Petrus Damianus) *sæpe proveniunt merita filiorum.* S. Marcus postquam longo tot annorum curriculo cum S. Petro intime ac familiariter conversatus fuisset, virtutesque illius heroicas, nec non sanctissima ejus exempla accurate observasset, tantum sibi exinde comparavit profectum, ut mox à S. Petro adoptatus fuerit in filium, utpote quem hac filiatione noverat esse dignissimum.

Ser. 29. de sanctis.

S. Leo de Petro scribit: *Si tunc opem ferre poterant umbra corporis quanto magis nunc plenitudo virtutis*: quasi diceret: Si tunc sola S. Petri umbra benefica erat, infirmosque curabat; quanto majorem ad animas sanctificandas vim & efficaciam habere creditis ejusdem Apostolorum Principis virtutem & directionem; atque iden si diuturnum illud annorum spatium, quo S. Marcus sub umbra S. Petri commorando vixit, computare velimus, dicere utique cogemur: *Si tunc supplicantibus proderat aura quadam pertranseuntis quanto magis gratia nunc permanentis?* Utique tanto magis ei hæc gratia profuit, quanto certius est quod eadem ipsum in filium Petri transformarit.

Gal. 4.

8. *Filius meus; Quodsi filius & hæres*, inquit Apostolus; at vero dicat aliquis, quamnam S. Petrus huic filio suo hæreditatem dare potuit, qui aperte protestatus est dicens: *Argentum & aurum non est mihi*, quique dicit *Ecce nos reliquimus omnia?*

Serm. 71.

sanctus Petrus Chrysologus de Patre cœlesti ita scribit: *Cœlestis Pater respondenter generi filios muneribus ditat divinis.* Atque eundem in modum S. Ambrosius huic objectioni respondet:

Lib. de benedict. Patriar. c. 2.

Etsi pauper est, & si non habet divitiarum copias quos relinquas filiis habebis tamen benedictionis hæreditatem, quæ sanctificationis opes successoribus largiatur; Enimvero quis est adeo rerum ignarus, qui claves cœlestis ærarii, in quo donorum, gratiarum, benedictionumque divinarum thesauri recluduntur, in manibus sancti Petri depositatas fuisse ignoret, *ut ab ipso* (inquit

Epist. 49.

S. Leo) *quasi quodam capite dona sua velut in corpus omnes diffunderet?* Cum igitur idemmet Apostolum Princeps, aliis suis Coepiscopis salutare hoc consilium

1. Petri 4. 10.

suggesserit: *Unusquisque sicut accepit in alterutrum illam administrans sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*; & aliunde certum sit ipsum omnes cœli thesauros dispensandos suis habuisse manibus concreditos, dubium non est, quin eodem cœlesti thesauro S. Marcum, quem tenerrimo amore dilexit, & amantissimi filii loco habuit, præ omnibus aliis mirè locupletasse.

9. *Filius meus.* Solent parentes perpetrata à filiis suis furta facili negotio eisdem condonare. Unde Chrysologus de filio prodigo scribens ait: *Delicta non videt vis amoris.* Etenim S. Marcus furtum quoddam, pium tamen circa S. Petrum commisit, siquidem, Evangelium, quod ex ore Petri frequentius audivit, sibi vendicavit. Unde Hugo Cardinalis in proœmio super Evangelium S. Marci ita scribit: *In secundo libro Ecclesiasticæ Historiæ, Petrus ut per Spiritum sanctum religiosè spoliatum se comperit, furto delectatus, est fidem eorum per hoc, devotionemque considerans factumque confirmavit, & in perpetuum legendam scripturam Ecclesiis tradidit.* Sectatores namque S. Petri interpretem ejus Marcum, ut eis Evangelium conscriberet, impensè rogarunt, quod feliciter quoque est executus: *Ad quorum petitionem scripsit Evangelium, & Petrus confirmavit.*

Malac. 1. 6.

10. *Filius meus* S. Malachias Propheta scribit: *si Pater ergo sum, ubi est honor meus?* Et quidem potius dicere debuisse videri posset: *Ubi est filius meus?* Veruntamen optimè dixit, ubi est honor meus, quia filius gloria & honor est Patris.

L. 7. const. cap. 23.

Unde Clemens Romanus ait: *Gloria Patrum est filiorum sanctitas*; ac proinde qualis honor S. Petro & Ecclesiæ Dei quam fundavit per S. Marci virtutes accessit. Adhæc ex quo Spiritus sanctus dicat: *Qui honorat Patrem jucundabitur in filiis*, quis est qui ignoret quantum Deus sanctum Marcum in filiis suis, quos prædicatione sua mediante Christo genuit, sublimarit, siquidem illos non solum Christi sectatores effecit; verum etiam eosdem in sanctitate & perfectione eminentes, quales Essæi fuere, reddidit.

Eccl. 3. 6.

11. *Filius meus.* At verò moveri hoc loco difficultas quædam posset, prima facie admodum considerabilis, videlicet qua ratione S. Marcum velut dilectissimum S. Petri discipulum se exhibuisse dici possit, siquidem ex Evangelio quod calamo suo exaravit satis liquidè constet eum multa sub silentio pertransiisse, quæ in magnam redundare poterant S. Petri Apostoli gloriam; ex altera verò parte ea potius ampliasse & exagerasse, quæ in eo reprehensibilia esse videbantur, prouti in specie quoad negationem S. Petri fecisse noscitur. Ut proinde S. Petrus merito de eo dicere potuerit: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*; vel etiam: *Verenda Patris sui nuntiavit fratribus suis*, prouti de Cham dicitur, cum tamen alii illius fratres paternam commeruerint benedictionem, quia *operuerunt verenda Patris sui.*

Isa. 1.

Gen. 22.

Serm. 1.

Cur B. Marci (inquit S. Petrus Damianus) *tam egregio tam insigni præceptori tuo, quem animo devotus unicè diligis, stylo non parcis? ut quæ laudibus sint efferenda, prætereas, & quæ reprehensioni videantur apta, describas?* Et tamen S. Petrus in bona veritate de S. Marco dicere potuit, quod æternus Pater de filio suo perhibuit, scilicet: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*: siquidem universa divina secreta, ei velut Ecclesiæ capiti à Christo manifestata specialiter S. Marco revelavit, eidemque Evangelium, quod mundo anouns iaturus erat, ad calamum dictavit; ideoque tanquam dilectus tanti Patris filius sensum Patris sui exactissimè secundabat, laudes S. Petri subticendo, & revelando ejusdem defectus; sciebat enim gratissimum se S. Petro præstiturum obsequium, si suppressa omni ejus laude, defectibus divulgandis operam daret: *Cum unus utrumque Spiritus impleat*, (inquit S. Petrus Damianus) *unus utriusque corda possideat, alter ab altero, ille in docendi, iste in scribendi studio non discordat sicut enim Petrus à propria sui laude se cohibuit, ita veridicus illius interpres, ab ea quam in Magistro non didicit suæ descriptionis articulum refrænavit.* Poterat quidem S. Marcus gloriosiorum operum Petri ex Evangelio jamdudum ante sui conscriptionem publicato sufficientem habere notitiam; *sed morigeratus est Magistro, & qui non delectabatur suis laudibus, abstinuit alienis.* Errores potius & imperfectiones S. Petri exageravit, quia per hoc se Petro obsequium præstiturum esse sciebat, cum sanctorum proprium sit gaudere dum mundo eorum errores manifestantur, ut dum post lapsum suum gloriosius resurrexisse comperiuntur, major inde Deo ucpote, qui principalis ejuscemodi resurrectionis author extitit, gloria resultet; ipsisque peccatoribus spes suggeratur suo quoque tempore ad pœnitentiam resurgendi.

12. *Filius meus.* S. Bernardus occasione primæ dictionis, à qua oratio Dominica exordium suum ducit, scilicet *Pater*, ita scribit: *Oratio quæ à paterno dulcescit nomine, omnium petitionum impetrandarum mihi fiduciam præbet.* Quis igitur præter sanctum Marcum inter omnes alios sanctos coram sancto Petro adhiberi poterit interventor, qui ad gratias ejus obtinendas majorem habere possit efficaciam? utique nullus, siquidem is Apostolorum Principi filii loco fuit. Atque iden in ejus intercessione plurimum confidere possumus.

De Prædicationis suæ efficacia, multisque conversionibus, quas operatus est S. Marcus, necnon de insigni vitæ ejus exemplo.

DISCURSUS SECUNDUS.

Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Lucæ cap. 10. vers. 2.

1 OMnino existimo, quod quando cœlestis ille Agricola Christus per Palestinæ Civitates aliaque

loca septuaginta duos discipulos amandavit, ut Evangelii semen eorum quaquaversum dispergerent, ipse universam terram paulo post eodem semine imbuendam unico obtutu prospiciens dixerit: *Messis quidem multa, operarii autem pauci: Rogat ergo, &c.* Quæ preces utique æterno Patri plurimum acceptæ fuere siquidem præterquam is Ecclesiæ nascenti de tot aliis messoribus Evangelicis prospexerit, insuper etiam S. Marco specialiter inspiravit, ut S. Petrum constanter sequens, conscriptum à se Evangelium tanto cum fructu prædicaret, Deoque compararet innumerabilium animarum messis. *Messis quidē multa*. Porrò quod in propositi thematis verbis vel maximè considero, est dictio illa *operarius*, Fuit etenim sanctus Marcus in hac spirituali Ecclesiæ, cultura indefessus optimeque meritus operarius; unde in prima collecta missæ hodiernæ hæc ei specialis laus adscribitur; *Deus qui beatum Marcum Evangelistam tuum Evangelicæ prædicationis gratia sublimasti*; ac demum in secunda collecta denuo repetit. *Sicut prædicatio Evangelica illum fecit gloriosum*. Etenim hujus Sancti historia, eam quam efficaci prædicatione sua in infinita hominum multitudine caussavit conversionem ex variis capitibus summè admirabilem fuisse satis evidenter commonstrat.

2. *Messis multa*. Et quidem primum efficacis prædicationis sancti Marci argumentum fuit Ecclesia Alexandrina, quam prædicatione Evangelii sui erexit: *Primus ipse in tota Aegypti regione, Lybia, Marmarica, Ammoniaca, & Pentapoli Christi Evangelium, quod scripserat, prædicavit*. Postquam enim in societate Petri velut ejus interpres constitutus alios multos tum hic Romæ, tum etiam Aquilejæ ad Christum convertisset; demum ut Cardinalis Baronius observat, Alexandriam invitatus

An. 64. n. 53.

fuit: *Ut ibi Evangelium prædicaret ubi velut ex quodam orbis theatro, ex Asia, Africa, Europa, tot gentes essent simul collectæ, idemque jure effecerit; ut ex tot nationibus Ecclesia nobilissima sui ipsius nomine congregata post Romanam haberetur omnium facile Princeps*. Unde sicut sanctus Petrus Romam, quæ totius mundi caput est, sibi elegit, ita sanctum Marcum delectum filium suum Alexandriam, quo tunc universus confluebat mundus, ablegavit, ac proinde Procopius hanc ei laudem attribuit: *Orbem terrarum illustravit*.

Apud Sur.

3. *Messis multa*. Alterum efficacis prædicationis suæ argumentum non tam fuit innumera infidelium animarum ad fidem conversarum multitudo, quam admirandus, quem in illis divino verbo mediante parturiit, fructus: *Cui nimirum Deus omnipotens* (inquit sanctus Petrus Damianus) *tanti verbi virtutem contulit, tantam prædicationis efficaciam prærogavit; ut omnes qui tunc ad fidei rudimenta confluerent mox per continentiam, ac totius sanctæ conversationis instantiam tanquam ad monasticæ perfectionis fastigium convolarent*. Enimvero ut hic prædicationis sancti Marci egregius fructus tanto magis innotescat, consideremus obsecro ad quem virtutis & Christianæ perfectionis apicem illi, qui ab hoc Apostolo conversi fuere, pervenerint, quantaque in iis antea regnarit impietas. Hugo Cardinalis dum illa verba ipsiusmet sancti Marci de SS. Apostolis in die Ascensionis ad mundum convertendum quaquaversum à Salvatore dispersis dicta, interpretatur, videlicet: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*; interrogat, ex quibusnam signis prædicationem aliquam fructuosam & efficacem fuisse, colligi possit: ac demum dicit: *Tria signa debent sequi prædicationem; primum est compunctio auditorum; secundum conversio peccatorum; tertium confirmatio istorum*. Omnia autem signa hæc in iis qui à sancto Marco conversi fuere, simul concurrerunt. Audite enim ad quemnam sanctitatis veræque pœnitentiæ & compunctionis gradum iidem pertigerint. Sanctus Hieronymus refert, quod Philo Hebræus, eorum qui à sancto Marco non solum in Alexandria, verum & in multis aliis provinciis conversi fuerunt, laudes & præconia prolixè recenseat; *Habitacula eorum dicens monasteria, ex quo apparet talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt, ut nihil cujuspiam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur & Psalmis, Doctrina quoque & continentia, quales & Lucas refert Hierosolymis fuisse credentes*; adeo quod sanctus Marcus solus tantundem in universo Ægypti Regno, cunctisque aliis Provinciis operatus est, quantum omnes Apostoli simul conjuncti Hierosolymis, imo ipsemet Christus per prædicationem & præsentiam suam, perque inaudita miracula & vitæ suæ sanctissima exempla in Judæa patrarunt. *Talis ergo* (inquit sanctus Petrus Damianus) *sub Marco Alexandrina fuit Ecclesia, qualis & Hierosolymæ fuisse sub Apostolica legitur disciplina*, Et quidem quales existimas fuisse populos illos à sancto Marco conversos? In Historia vitæ suæ dicitur: *Primus ipse in tota Aegypti regione, Lybia, Marmarica, Ammoniaca, & Pentapoli Christi Evangelium prædicavit*. Notandum est autem, quod de lascivis, & carnis sensualitati deditis hominibus Oseas scribit: *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Dominum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*. Pentapolitanos autem lascivos venerique totaliter deditos fuisse quis dubitat? & tamen idem Damianus eos *sub Marci regimine constitutos sobrietati simul ac pudicitiæ deditos fuisse* scribit. Fuit quoque aliud Pentapolitanorum inexpiabile vitium, per quod incredibilem contra se cœli iram provocarunt, nimirum *saturitas panis*. At verò Marcus, ut Procopius dicit, *Aegyptum illustravit; neque enim hoc ad laudationis & gloriæ materiam parum est cum difficilius sit tellurem spinosiorem factam, quam illam quæ purgata est, laboris studio excolere*. Erat porrò Ægyptus Idololatriæ tanto studio dedita, ut ipsa quoque allia, porros, cepas veluti Deos & numina sua adorarint; unde Poeta quidam per Ironiam de ipsis cecinit: *O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis numina!* scribit quoque de illius regni incolis sacra historia: *Cum essent corde incircumciso & durissimo, idolis serviebant, pleni omni impuritate*. Quia verò, ut Sanctus Isidorus ait: *Marcus vocatur malleus*, ideo malleus hic durissima hæc saxa confregit planeque comminuit, id est, dura illa & saxea corda prædicatione sua mediante emollivit, implevitque quod scribit Jeremias: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* Fingunt Poetæ Amphionem per lyræ suæ suavitatem saxa loco movere, sibique attrahere potuisse, hacque ratione effecisse, ut Thebana erigerentur mœnia. Unde Horatius scribit: *Dictus est Amphion Thebanæ conditor urbis saxa movere sono*. Verissimum est autem prædicatione sancti Marci saxea hæc Ægyptiorum corda, è quibus is qui Rex ipsorum erat, silex dici poterat durissimus, emollita & commota fuisse ad Ecclesiam Alexandrinam adeo celebrem erigendam, vel etiam ad supernam illam Jerosolymam exstruendam, de qua scribitur: *Urbs beata Jerusalem, dicta pacis visio, quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus*. Sanctus Hieronymus de sanctis illis, qui Eremos illas, quæ opera Sancti Marci populosæ effectæ fuerunt, incolebant, tractans, ad propositum nostrum alludere videtur, dum ait: *O solitudo in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis exstruitur*. Enimvero nullus erat in universo mundo populus superstitionum, sacrilegiorum, & magiæ omnium aliorum exectabilium scelerum tenebris magis immersus, quàm Ægyptus.; de quibus proinde ipsemet Cicero scribit: *Aegyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam Ibim, aut Aspidem, aut Felem, aut Crocodilum violent*; Multo autem clarius de illis Historia loquitur, dum ait; *Idolis serviebant pleni omni impuritate, & impurorum Spirituum cultores, per omnes enim urbes ac Provincias templa & lucos constituebant, syderum etiam eventa, & magicæ artes, omnisque Dæmonum facultas apud eos exercebatur*. Fuit igitur idem ille populus à tot sæculis juratus populi Dei inimicus, quorum proinde Rex verum Deum contemnens publicè protestabatur dicens: *Nescio Dominum*, verumque se consequenter declarabat Atheistam. Hi autem incarnati Dæmones (hac phrasi, sive epitheto illos de vestra veniam appellare liceat) opera prædicationis S. Marci facti sunt *Essæi*, idest, iidemmet, qui ante adeo fuerunt impii & sacrilegi, adeo præclari facti sunt sancti, ut verum quoddam fuerint Ecclesiæ Dei in vera, solida & eminenti sanctitate speculum. *Esseni* namque in Græco, idem est quod *sancti*, & hoc nomine plurimi Ægyptiorum à S. Maco conversi appellati fuerunt.

4. Verum enimvero quemnam S. Evangelista modum adhibuit, ut prædicationem suam adeo efficacē redderet,

eique

Margin notes (left column): Ser. 2. de S. Marco. — Cap. ult. — Descript. Eccles.

Margin notes (right column): Serm. 2. — Sur. — Ose. c. 5. — Ezechi. 16 19. — Sur. — Lib. 19 orig. c. 7. — Jerem. 23 29. — Epist. 1. de Heliod. — Lib. 3. Thusc. — Sur.

eique tantam energiam adspergeret? Audite obsecro Matt. 9. 37. quot & quales illi fuerint. Matth. 9. Salvator noster ait: *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Ubi Cajetanus optimè notat Christum non dixisse orate & supplicate cœlesti illi Agricolæ, ut scribas vobis mittat, vel Sacerdotes, sed operarios, quia tametsi ingens sit Sacerdotum, Doctorum, & Prædicatorum numerus, *Pauci tamen sunt operarii quia pauci qui vita & doctrina student saluti animarum.* S. Bonaventura quoque ita scribit. *Signanter dicis operarii, quia ad hoc quod falx prædicationis messem colligat, necesse est quod manus operis eam teneat.* Etenim sanctus Marcus verus quidam operarius fuit, quia animarum saluti promovendæ non tam per doctrinam, quàm per vitæ sanctitatem operam dedit; Unde Procopius ait: *Instar splendidissimi solis humanas animas illustravit.* Non appellat illum Procopius Lucem, qualem Christus Apostolus suos esse dicebat, dum ait: *Vos estis lux mundi: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, sed clarissimum solem ipsum vocitat ob eminentissimam ejus sanctitatem. Sanctus. Paulus ad Timotheum scribit: *Solicite cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* 2. Tim. 2. 15. Quem textum Primasius ita declarat: *Qui dictum exemplo confirmat, quia sicut ornamentum vitæ doctrina est, ita ornamentum doctrinæ conversatio bona, quia non bene docentur verbis, si destruantur exemplis.* Ehem verò quàm bene titulus iste in sancto Marco adimpletus fuit, quantoque cum jure præconium istud operarii in hac messe Evangelica utilis & fructuosi promeritus fuit, siquidem Evangelium pari passu verbo & exemplo prædicavit; Nam ut sanctus Hieronymus in lectionibus matutinis attestatur: *Constituit Ecclesiam tanta doctrina & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret.* Sanctus quoque Petrus Damianus ait: *Quos utique beatus Evangelista non solum miraculorum plerumque prodigiis, non modo sanctæ prædicationis erudiebat eloquiis, sed ad spiritualis vitæ rectitudinem eximius etiam propria continentia ac pietatis provocabat exemplis.* Veruntamen quod si verba sancti Hieronymi bene advertistis, plurimum sanctus hic Doctor per verbum illud, *Cogeret*, nobis insinuavit? nimirum quod discipulis & sectatoribus suis per exemplum suum quandam ad se imitandum violentiam intulerit, unde idem Cardinalis Damianus subjungit: *Ut omnes penè vaporantis fidei fervore succensi, ita ad nova conversationis viderentur anhelare propositum, ac si monasticæ perfectionis arduum arriperent institutum.* Quibus in verbis valde considerabilis est dictio illa, *Omnes*, Tritum quidem est adagium: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: id tamen nequaquam mirandum est, quia in Rege cum authoritas, tum facultas benefaciendi iis, qui in sequelam, servitium, & imitationem ipsius sectantur, omnes facillimè attrahit, ita ut nullus eos sectari dedignetur, imo verò glorietur potius unusquisque in eo quod Principis mores æmuletur: at verò quod vir quidam pauper, inops, & discalceatus, omnique mundano subsidio destitutus, res sensui carnis adeo contrarias & repugnantes, quales Christianæ virtutes erant, prædicando, proponendo dogmata humano intellectui adeo incomprehensibilia, qualia sunt fidei nostræ mysteria tot nihilominus in regione adeo scelerata & criminosa, qualis Ægyptus erat, sectatores habeat & discipulos, *quodque omnes ad exemplum sui cogeret*, hoc est quod vel maxime est obstupescendum; idque sancta Ecclesia illis verbis insinuat: *Prædicatio Evangelica fecit gloriosum.* Spiritus sanctus septem illorum filiorum Macchabæorum martyrium referens, de uno eorum, qui tertio loco martyrio affectus fuit, dicit: *Linguam postulatus cito protulit* 2. Macch. 7. 10. *& manus constanter extendit.* E quibus verbis dubium quoddam subnascitur, cur videlicet uno eodemque tempore linguam pariter & manus carnificinæ ultro citroque offerat, præcipuè cum à carnifice nil præter linguam postularetur? cur non potius aliam quandam corporis partem, puta collum ensi, pectus fulmini, aut pedes subjecit cur unà cum lingua manus quoque offerre voluit: nimirum per Spiritus sancti instinctum nos docere voluit, quod ad fidem constanter confitendam, nulla sit melior, quàm linguæ & manuum connexio; id est, ea quæ sunt fidei conformia palam edicere, idemque quod prædicare & persuadere nitimur, operari; nam ad imprimendum auscultantium animis Dei verbum, nullum est efficacius medium, quam si prædicator prius exequatur opere quod ab eo prædicatur & persuadetur: *Verba vitæ populis non solum vocibus* (inquit S. Petrus Damianus) *sed etiam moribus nuntiemus.* Enimverò de S. Joanne constat, quod non obstante, quod in deserto quodam prædicaverit, sua tamen prædicatione admirabilem fructum fecerit: quosdam autem ejus Auditores fuisse existimas? milites hi erant & publicani, *Genimina viperarum.* & tamen hi omnes ex ejus prædicationis energia compuncti exclamabant: *Quid faciemus?* quia, ut ait Author operis imperfecti; *Amplius resonabat conversatio vitæ ejus in Eremo, quam vox clamans ipsius, & magis expavescere faciebat homines operibus suis quàm verbis.* Et tametsi ipse ex mera humilitate se nil præter vocem esse dixerit *Ego vox clamantis*, attamen teste Chrysologo *vestitu, victu, loco totus pœnitentia incessit*, Serm. 167. prædicabat etenim per abstinentiam, solitudinem, cilicium, & in cunctis aliis quæ corpus spectabant, mera erat vox pœnitentiæ; & ideò à vero nequaquam aberrabitis si S. Marcum veram quandam fuisse S. Joannis Baptistæ effigiem vobis imaginati fueritis, qui tamen universa Ægypti deserta populosa reddidit, idque virtutis & sanctitatis suæ exemplaritate; unde inter sanctissimorum exemplorum suorum discipulos jure merito recensere potest Paulos primos Eremitas, Antonios, Macarios & Hilariones, pluresque alios, qui ejus æmulatione Thebaidam post ipsum sanctificarunt: quia *Omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogebat.*

5. *Prædicatio Evangelica fecit gloriosum.* Nam per ejus heroicum ab omnibus hisce rebus terrenis recessum in Ægiptiorum cordibus bonis temporalibus omninò deditis, fidem vivam, bonorumque æternorum desiderium impressit. Postquam S. Lucas in actibus Apostolicis, Act. Ap. 4. 33. fidelium neminem quicquam sibi proprium posse disse narrasset, protinus subjunxi: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi*, quod idem erat, ac si dixisset novam legem Evangelicam ingenti cum fructu annuntiabant. Porrò S. Petrus Opusc. 24. Damianus mysterium detexit, cur videlicet Evangelista post recensitam primorum fidelium expropriationem Historiam persecutus non fuerit, sed potius aliud quidpiam ab eo antecedenter scripserat longè diversum subtexuerit, & respondet id nequaquam ex errore, sed propter mysterium factum fuisse: *Ut ostendat quod illi duntaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum.* Erat S. Marcus dilectus Petri illius filius, qui aliam hæreditatem qua ei benefacere posset, non habebat, nisi hanc: *Ecce nos reliquimus omnia. Argentum & aurum non est mihi.* Et merito. Nam S. Gregorius Nazianzenus optimè quales Christus Apostolus suos qui Evangelium populo annuntiaturi erant, esse voluerit, describit dicens: In Apolog. *Ita expediti & modesti, & ut uno verbo dicam cœlestes, ut non minus ob eorum vitam & mores, quam ob sermonem atque doctrinam Evangelium curras.* Unde quantum S. Marcus à terrenis rebus expeditus fuerit, ex eo satis conjici potest, quod Historia vitæ suæ ei non cœlestis sed divini hominis titulum attribuat: *Cum Divinus Evangelista Marcus in Cyrenem urbem Pentapolis venisset, & cœleste Christi regnum prædicasset.* Præcipuè verò, illum ob insigne Sur. illud verbi divini ministerium divinum appellat. *Multi per eum crediderunt in dominum Jesum Christum.* Calistus quoque Papa Apostolicos Prædicatores *animas* Serm. 2. de S. Jacobo. vocitat; de Christo enim loquens dicit: *Misit ad prædicandum animas, quas Pater prælegerat*; quasi dicere vellet, ad hoc ut Prædicatores insigne sibi comparent animarum lucrum, opus est omnino, ut & ipsi quoque instar animarum sese habeant, id est, puri spiritus existant, haud secus ac si sensuum usum non haberent, sed sine corpore, & à mundo totaliter sequestrati, atque ab omnibus objectis sensibilibus divisi sint, ad eum modum quo animæ è corporibus suis separari noscuntur.

6. *Prædicatio Evangelica gloriosum fecit.* Eximium profecto erat illud Julio Cæsari attributum præconium quando uni manuum suarum ensem, alteri verò commentarios illius inferendo hanc eidem subjungebant Epigraphen: *in utroque Cæsar*, quasi admirantes in eo singularem qua præditus erat dexteritatem, qua æquali cum vigore calamum pariter & ferrum seu ensem stringebat. Porrò de S. Marco S. Bonaventura scribit: *Doctor fuit Ecclesiæ primo factis, secundo verbis, tertio scriptis.* Serm. 1. de S. Marco.

ptis. Unde ad quám ipse perfectionem pervenit, aliorum nullus unquam pertigit; siquidem Evangelium ea cum vitæ suæ exemplaritate & perfectione prędicavit, ut eos quos ad veram redegit Christi fidem sanctos perfectissimosque reddiderit. Prædicarunt quidem & alii conscriptum à se ipsis Evangelium viva voce; veruntamen non tanto cum fructu id præstiterunt. Unde S. Petrus Damianus: [Serm. 2.] *Idem scriptor, qui & prædicator extitit Evangelii: idem quodammodo faber, qui & agricola, ipse sibi vomerem fabricavit, quod videlicet ad spargenda sacræ fidei semina humani cordis arva proscidit*.

7. *Prædicatio Evangelica gloriosum fecit*. Quia quod attinet sinceritatem & industriam qua usus est in Evangelio perfectè & accuratè annunciando & conscribendo, omnes alios Evangelistas longè superavit: Id quod S. Petrus Damianus perspicuis verbis confirmat dicens: [Serm. 5.] *Perscrutantes omnes ferè paginas scripturarum invenire vix possumus spiritum veritatis cautius, vel circumspectius per alium quemlibet quàm per os Marci fuisse locutum.* Quantam autem nuda, sincera, & sine fictionibus prolata veritas ad permovendum auditorum animos fidem & energiam obtineat, nemo est qui nesciat. Ex omnibus autem sincerè conscripti Evangelii sui argumentis hoc unicum meritò sufficiat, quod videlicet, quod tametsi tot annis discipulus intimus & fidelissimus Petri interpres extiterit, atque ab eo tanquam amantissimus filius summo fuerit in pretio habitus, ob id tamen nihil dicere omittat eorum, quæ in eo reprehensibilia fuisse noscuntur; nimirum, quod Christus eum Sathanam appellarit, quando eum à Passione, & morte sua dehortari & deterrere nitebatur; ipse quoque præ omnibus aliis Evangelistis Petri negationem quam maximè exageravit. Unde Chrysologus ait: *Discipulus Petri* [Hom. 28. in Matth.] *fuit, unde maxime ipsum admirari debemus, quia non solum Magistri delictum non occultavit, sed exquisitius etiam quam cæteri, hoc ipso quia discipulus erat, conscribere potuit*.

8. *Prædicatio Evangelica gloriosum fecit*. Quia postquam cum tanto animarum fructu Evangelii prædicationem consummasset, constantissime passus est se in odium dicti Evangelii crudeli martyrio sacrificari. Porrò S. Fulgentius de verbo Dei prædicato ita scribit: *Dum* [Ser. 10. ex Novis.] *sanctæ prædicationis altissimum conscendimus thronum, vestris immolaturi sensibus verbi Dominici sacrificium*, hoc autem divini verbi sacrificium cum Marcus per solidum novendecim annorum decursum cum ingenti plurimarum animarum lucro obtulisset, Deus quoque ita circa ipsum disposuit, ut Martyrio, quod perpessus est, mediante, ipse quoque sacrificaretur. Unde Procopius scribit: *Qui antea sacrificium offerebat, is propter Christum sacrificium factus est*. Fructumque prædicationis suæ sanguinis sui effusione in populis illis magis magisque stabilivit, per tot sæcula in illis tot anachoretarum, qui fortissimæ in Ecclesia Dei columnæ extiterunt, desertis Apostolicum continuando spiritum.

Ejus Prædicatio, nec non Ægyptiorum per ipsum facta conversio sub nubis figura prædicta fuit.

DISCURSUS TERTIUS.

Ecce Dominus ascendet super nubem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur Simulachra Ægypti.
Isaiæ cap. 19. v. 1.

1 ISaias, qui glorioso epitheto Propheta Evangelicus appellatur, in prædicendis novæ legis gratiæ eventibus summè est admirandus. Audite obsecro, quàm vivaciter factos à S. Marco in Ecclesia Alexandrina progressus delinearit: *Ecce*, inquit, *Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Aegyptum*. Enimvero sciendum est, quod Nubium nomine Apostolici significentur prædicatores. Ita enim sacri interpretes sequentia ejusdem Prophetę verba [Isa. 60. 8.] *Qui sunt hi, qui ut nubes volant*, interpretantur *Nubes sunt prædicatores* (inquit S. Augustinus) [In Psal. 35.] *verbis veritatis*. Unde quando Isaias futurum esse prædixit, ut Deus super nubem quandam ascendens Ægyptum ingrederetur, dicere voluit, ut Hugo Cardinalis interpretatur: *Ascendet Dominus, id est, in notitiam veniet, idque nube quadam mediante, id est*, Prædicatore quodam Apostolico mediante, Ægypto lumen, notitia, & agnitio veræ fidei communicabitur. *Et cognoscetur Dominus ab Aegypto*, inquit in eodem Capitulo præfatus Isaias: *Et cognoscent Aegyptii Dominum in die illa, & colent eum in hostiis, & in muneribus, & vota vovebunt Domino*; quia sancta religione nostra à sancto Marco imbuti, mores & vitæ conversationem ea ratione mutabunt, ut per castitatis & paupertatis vota Deo se obstringentes vitam deinceps professuri sint monasticam. Atque ideo Cardinalis Baronius sanctum Marcum primum Monachismi institutorem fuisse opinatur. *Ingredietur Aegyptum, & commovebuntur simulachra Aegypti a* [An. 64. n. 2.] *facie ejus, & cor Aegypti tabescet in medio ejus*. Mox enim, ut mystica hæc nubes in regno illo per prædicationis tonitrua, miraculorumque fulgura comparuit, mox per cœlitus demissam cœlestis sapientiæ aquam in terram prostrata & collisa sunt Aegypti simulachra, & cor Aegypti, id est, Alexandria, quæ totius Aegypti Metropolis erat, à Sathanæ tyrannide liberata, claraque Evangelii luce collustrata fuit, quia Jobo attestante: [Job 37. 11.] *Nubes spargunt lumen suum*, illud videlicet *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Babylon atque Aegyptus* (scribit Chrysostomus) *præ omnibus terris flamma impietatis ardebant*. De quarum provinciarum populis Procopius quoque ita scribit: Tam longè à [Hom. 8. in Matth.] religione recesserant, ut ne à brutalium quidem animalium cultu abstinerent. *Et tamen crediderunt per eum*, id est, in virtute prædicationis sancti Marci. *In Dominum Jesum Christum, & fecerunt ut eorum simulachra in terram dejicerentur*. Verum dicat aliquis, quodnam in eo latet mysterium, quod sanctus hic Evangelista ab Isaia Propheta nubis titulo condecoretur? *Ascendet super nubem*. Aliquas sub hoc symbolo latentes analogias enucleemus.

2. Sanctus Gregorius ait: *An non universi Episcopi nubes sunt, qui & verbis fluunt prædicationis, & bonorum operum luce coruscant*? Id quod de sancto Marco longe magis asseri potest qui à sancto Petro in Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum electus verbis pluit prædicationis, siquidem in annuntiando Dei verbo adeo efficax fuit, ut sicut jam diximus, hoc ei particulare attribuatur elogium: *Prædicatio Evangelica eum gloriosum effecit. Bonorum operum luce coruscavit*, unde dici potest nubem hanc cum illa quæ in monte Thabor visa fuit concertasse; de hac enim scriptum est: *Et ecce nubes lucida*. Siquidem sanctissimæ vitæ suæ exemplo adeo potens fuit, *ut* teste sancto Hieronymo, *omnes Christi sectatores ad exemplum sui cogeret*. In arca multo fuerunt tempore conservatæ tabulæ legis, non quidem primæ, hæ enim confractæ fuerunt, sed secundæ. Scitisne causam cur ita factum sit? nimirum quia à Moyse vultu luminoso, & splendescenti conspicuo delatæ fuerunt; quia in re hoc nobis documentum traditur, quod scilicet illa doctrina in auscultantium cordibus profundas radices agat, quæ à tali doctore traditur, qui potius sanctæ vitæ exemplo, quàm per vocis energiam prædicaverit. Duo quoque germani fratres Jacobus & Joannes à Salvatore nostro filii tonitrui sunt appellati, siquidem ad demetendam evangelicæ prædicationis copiosam messem eligebantur. Advertendum est autem quod auricula audientis rumorem auscultet tonitrui, postquam oculus prius fulgur è nube conspexerit oriri: eodem prorsus modo, ut verbum Dei indurata corda emolliat, & ad pœnitentiam convertat, opus est omnino, ut in mysticis hisce nubibus fulgur præcedat sanctitatis, si efficaciter corda tangi & vulnerari debeat. *De throno procedebant fulgu-* [Apoc. c. 4. 5.] *ra, voces, & tonitrua*. Ubi notandum est, quod causa cur primo loco ponantur fulgura, est, ut per hæc illæ adeo densæ Aegypti tenebræ inter quas omnis prævalebat impietas, dissipentur. Unde de Aegypto idem dici poterat, quod sanctus Leo de Roma scribit: *Omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem quia nullam respuebat falsitatem*. Unde proinde alia luce indiguerit, quam sancti Marci immaculata, & irreprehensibili vita. *Illam* [Hom. cit.] *Poetarum* (inquit Chrysostomus) *& Magorum quondam ac Philosophorum parentem, & cujuscunque generis imposturarum repertricem, quæque etiam cæteris propria inventa tradiderat, videbis modo piscatorum magisterio gloriantem, & maximam fidei gloriam crucem Domini præferentem*. Imo sancti Marci exemplum non solum Lux fuit, sed tenebras illas fugans ac dissipans Sol

lumi-

luminoſiſſimus. *Inſtar ſplendidiſſimi ſolis*; inquit Procopius, *humanas animas illuſtravit*. Quales enim ad Chriſtum converſi Ægypti incolæ fuerint, idem ſupra memoratus Chryſoſtomus refert, dum ait: *Eſt enim cernere tota illa regione diffuſam exercitum Chriſti, & admirabilem illum regum gregem, virtutumque cæleſtium converſationem in terris micantem.*

3. *Super nubem*. Sanctus Cyrillus Alexandrinus in Oſeam ſcribens, ita ait: *Nubes autem ſancta, & quas mentis oculis videmus, virtutes intelligenda ſunt ſuperna & cæleſtes.* Harum nubium numero meritò ſanctus Marcus eſt accenſendus, utpote qui in hac mortali carne quidam eſſe viſus eſt Angelus, de quo proinde beatus Laurentius Juſtinianus ita ſcribit: (Serm: de S. Marco.) *Iſte enim eſt, quem Joannes myſterialiter prævidens ait: Vidi alterum Angelum volantem per medium Cælum habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret illud ſedentibus ſuper terram.* Moxque cur Angelus vocetur, perſpicuam rationem reddit dicens: *Angelus ideo nuncupatur, quia degens in carne Angelicam ducebat vitam.* Ac proinde nil mirum, quod Angeli ad ſerviendum ei, dum recluſus eſſet in carcere, inter ſe quaſi concertarint: *Angelus Domini cum deſcendiſſet de cælo, tetigit ipſum dicens: Serve Dei Marce omnium illorum ſanctorum qui ſunt in Aegypti regione, en ſcriptum eſt nomen tuum in libro vitæ cæleſtis.* Cumque ipſemet Chriſtus ad Martyrium ipſum animaturus ei (ut Baronius ſcribit) (An.64.n.2.) appareret, Angelis quaquaverſum per modum coronæ cinctus erat: *Apparente ſibi Domino una cum Angelis ad futurum certamen inſtauraret.*

4. *Super nubem*. Sanctus Gregorius ſuper illa verba Iſaiæ: *Qui ſunt hi, qui ut nubes volant*, ita ſcribit: *Volare nubes dicuntur, quia in terra viventes, extra ſomtem fuit omne, quod egerunt; unde & per quandam nubem dicitur: in carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus.* Verum quidem eſt, quòd nubes à terreſtribus vaporibus & exhalationibus ſuam trahat originem; veruntamen in cœlum ſubvecta, à terra magis magiſque recedens ſurſum ſemper contendit. Similes (Serm de S. Marco.) prorſus ſunt ſervi Dei, de quibus Apoſtolus ait: *Converſatio noſtra in cælis eſt.* De S. Marco tradit S. Bonaventura, eum virtutem ſuam ſpecialiter *in contemptu humanæ pecuniæ demonſtraſſe.* Etenim quantus & qualis in eo viguerit omnium temporalium bonorum contemptus, vel ex diſcipulis & Apoſtolatus ſui ſectatoribus facile conjici poteſt, qui cùm antea velut totidem Dæmones fuiſſent, ab eo converſi facti ſunt velut totidem Angeli. *Non ita variis aſtrorum choris* (inquit Chryſoſtomus) *cælum refulget, ut Aegypti eremus innumeris Monachorum, ac virginum diſtinguitur atque illuſtratur habitaculis.* Ipſe namque in vaſtis illis opera ſua ſanctificatis ſolitudinibus Paradiſum quendam erexiſſe videbatur, dum earum incolæ anachoretæ angelicas ejus dotes ac virtutes certatim imitari cernebantur: *Si quis nunc ad Aegypti veniat ſolitudines, Paradiſo quovis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus.*

5. *Super nubem*. S. Auguſtinus per nubes illas, ſacras (Lib. 2. de gen. conc. Manic. c. 4.) intelligit literas: *De nubibus, id eſt, de Scripturis Prophetarum & Apoſtolorum.* Enimvero Deus Ægyptiis S. Marci Evangelio ab eo divulgato mediante fidei ſuæ lumen & agnitionem eſt impertitus: *Opus fecit Evangeliſta.* Porrò ad hoc Evangeliſtæ opus S. Bonaventura ſerm. 2. de Sancto Marco quatuor præcipuè pertinere declarat: videlicet: *Primò in Chriſtum credere. Secundò Chriſtum prædicare. Tertio prædicata in Scripturam redigere. Quartò ſeipſum in mortem pro Evangelio tradere, & ſic doctrinam ſuam morte confirmare.* Quæ omnia à Sancto noſtro ad literam accuratè adimpleta fuere. Quis etenim eximias Evangelii ſui laudes ſatis pro dignitate exprimere poterit? Porrò cum S. Petro Damiano hoc (Serm. 1.) unicum dixiſſe ſufficiat: *Uberrimis inveniet cæleſtis intelligentiæ redundare myſteriis. Eſt planè ſtyli brevitate ſuccinctum, ſed profunda myſterii ſpiritalis ubertate diffuſum.* Ac tandem concludit: *Ut uberrimus Paradiſi fluvius arva totius Eccleſiæ copioſius irrigaverit.*

6. *Super nubem*. Hugo Cardinalis in hunc Iſaiæ textum ita ſcribit: *Nubes eſt prædicator coruſcans miraculis, tonans, minis, pluens doctrinis.* Quæ omnia in hac noſtra myſtica nube inveniemus. Scribit etenim Auguſtinus: Quando miracula facit Deus per prædicatores. Deus coruſcat per nubes. Quæ omnia in hac noſtra myſtica nube adimpleta inveniemus. Valde mirum eſt quòd Scriptura ſacra nullum nobis à Sancto Joanne Baptiſta patratum referat miraculum, cùm tamen æterna virtute atteſtant: *Nullus ſit major ipſo inter natos mulierum.* Scitiſne quodnam in eo lateat myſterium? Nimirum ejus ex una parte adeo innocens, ex altera verò parte adeo pœnitens vita continuum quoddam fuit miraculum, ſicut pariter quas prædicatione ſua cauſavit infidelium & peccatorum converſiones, omniſque alia ejus heroica opera. Etenim de S. Marco ſimili ratione aſſerere poſſumus Hiſtoriam vitæ ſuæ patrata adeo miracula ex induſtria ſub ſilentio præteriiſſe, eò quòd factæ ab eo converſiones omnes velut miraculoſæ omnem naturæ facultatem tranſcenderint, ſiquidem per eas, ut diximus, Dæmones in Angelos transmutavit. *Innumerabiles Angelorum cœtus*; atque à diſcipulis & (Sur.) ſectatoribus ſuis in habitata deſerta, in quibus antea *Magicæ artes omniſque Dæmonum facultas exercebatur*, in totidem transformavit Paradiſos. Cæterùm à Surio duo præcipuè narrantur ad honorem S. Marci à Redemptore patrata miracula. Primum eſt, quòd *januis clauſis, & cuſtodibus ante januam excubantibus ecce terræ motus magnus factus eſt.* Et tunc Angelus ille, cujus ſuperius mentionem fecimus, ei apparuit. Secundum verò fuit, quòd poſtquam ad corpus ejus incinerandum ignem valde luculentum extruxiſſent, *Domini noſtri providentia factum eſt, ut turbo quidam erumperet, & tempeſtas magna fieret, & ſol ipſe radios ſuos contraheret, tonitruaque & eorum ſonitus multus audiretur, plurima quoque pluvia cum ſanguine commixta uſque ad veſperam duraret, ita ut ædificia multa corruerent, & homines non pauci caderent, ejus igitur rei timore perculſi reliquias S. Marci dereliquerunt.*

6. *Tonans minis*. Scribit B. Laurentius Juſtinianus S. Marco inter alios Evangeliſtas faciem attributam fuiſſe leonis, non ſolùm quòd Chriſti reſurrectionem repræſentaſſet ad vivum: verum etiam *ob rugitum vocis ſuæ, quæ docet pœnitentiam agere, deſerere vitia, repugnare Diabolo, futurum devitare judicium.* (Serm 2.) S. Petrus Damianus ait: *B. Marcus velut electa cæleſtis militiæ tuba, vehementiſſimis clangoribus intonat, & mandata Dei tanta prædicationibus arte diſpenſat, ut auditores ſuos protinus ad ſummæ perfectionis alta ſuſtollat.*

8. *Pluens doctrinis*. Idque in conſcripto per eum evangelio admirabili doctrina myſteriiſque profundiſſimi copioſè referto pariter adimpletur. Veruntamen notare oportet quantum myſtica hæc S. Marci nubes differens ab illa fuerit, quam idemmet Deus quondam ſuper Ægyptios videri fecit. Hæc namque iræ & juſtitiæ Divinæ fulmina ſuper ipſos evibravit: *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum:* (Exod. 14 24.) in noſtro autem caſu: *Aſcendens Dominus ſuper nubem, commota ſunt ſimulachra*, &c. Hac enim ſalvifica nube mediante ſalutares ejus depluit cœleſtium gratiarum influxus, eiſque veram vitam annuntiavit, atque ad veram promiſſionis terram ducatum exhibuit. Similiter illa nubes Ægyptios in mari rubro ſubmerſit, hæc verò ſanguinis Chriſti merita eis communicando, eoſdem in æternam vitam regenerandos aquis baptiſmalibus immerſit.

Hoc Apoſtolis à Chriſto impoſitum præceptum. *In Qamcunque domum intraveritis, Primum dicite: Pax huic domui*, neminem melius Marco adimpleviſſe fuſè oſtenditur.

DISCURSUS QUARTUS.

In quamcunque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui. Lucæ cap. 10.

1 IN magnam me admirationem rapit, quod Eccleſia hodierna die in honorem Sancti Marci legit, Evangelium, eò quòd deſumptum ſit ex eo quod Sanctus Lucas conſcripſit, cùm tamen in aliorum Evangeliſtarum feſtivitatibus Evangelia decerpi ſoleant ex Evangeliis ab iiſdemmet, quorum feſtus dies agitur, conſcriptis. Dicere fortè quis mihi poſſet id fieri, eò

quòd

quòd in hoc Evangelio septuaginta duorum discipulorum mentio fiat, è quorum numero Marcus secundùm nonnullos extitit. Hæc autem opinio valde est incerta & controversa, quia cùm S. Petrus eum filium suum appellet, credibile est eum fuisse prædicationis suæ specialem fructum, eumque à S. Petro post Ascensionem Domini fuisse baptizatum. Unde Hugo Cardinalis super illa verba: *Marcus filius meus*, ita inquit: *Quia ipsum convertit, & baptizavit, & in fide instruxit*. Et Cardinalis Baronius ait: *A Petro eum genitum tradunt*
An. 45. n. 31. *in Evangelio, nec vidisse Dominum*. Beda quoque in Proœmio Evangelii sui hæc post se verba scripta reliquit: Nimirum eum *unum ex illis fuisse sacerdotibus, qui post Christi Ascensionem crediderunt Domino*. Responderi quoque posset, motivum hujusce Evangelii proponendi fuisse dictum illud Salvatoris: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, id quod Sancto Marco propriissimè accidit; Ipse namque ad gentem præ cunctis aliis maxime rebellem, & irreconciliabilem, electi populi sui inimicos ablegatus fuit. Veruntamen, ni fallor, idipsum ob hoc præcipuè mysterium factum esse existimo, quia nimirum nullus aliorum Apostolorum illud, de annuntianda gentibus prædicatione sua erudiendis pace à Christo propositum documentum adeo perfectè adimplevit, sicut ipse.

2. *Dicite Pax*. Porrò pax illa nihil est aliud quàm ejusdem Evangelii prædicatio. *Quia debet Evangelium Christi prædicare* (inquit Lyranus) *quod est Evangelium veræ pacis*. Inter omnes autem Apostolicos prædicatores & verbi Dei ministros nullus in tota Ecclesia Dei invenitur, qui de hac prærogativa magis commendetur, quàm sanctus Marcus. *Quem prædicatio Evangelii gloriosum reddidit. Quemque Deus Evangelicæ prædicationis gratia sublimavit*. Porrò Evangelium pluribus in locis hoc pacis titulo à Spiritu sancto condecoratur.
Eph. 6. 15. *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*. Et alibi
Rom. 10. 15. ad Romanos dicitur: *Quomodo audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem*: quod idem est, ac verba Dei. Hanc pacem verò sanctus Marcus iis præcipuè in locis annuntiavit, ubi implacabiliora bella exardescebant; prædicavit namque in Ægypto, ubi impietas plus quàm in cunctis aliis locis invaluerat, ibidem copiosiorem cunctis aliis messem congregavit; nam cùm de aliis Prædicatoribus Apostolicis solum legatur, quod ex iis quibus Christum Evangelium annuntiarunt, multos converterint, & Christianos, fervidosque Christinæ legis observatores reddiderint; de solo sancto Marco legimus, quod *omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogebat*. Ipse etenim eos per prædicationem suam non solùm ad idololatriam detestandam profitendamque Religionem Christianam induxit, neque ad sola præcepta adimplenda, verum etiam ad consilia Evangelica amplectenda, eminentissimumque perfectionis gradum provexit. Ad ipsius namque messem illi sanctitate adeo præcellenti conspicui Essæi vel Esseni spectare noscuntur. Unde Chrysosto-
Hom. 8. in Matth. mus ait: *Si quis illam Aegyptum veterem novit rebellem Deo, ac magnitudine superstitionum furentem, adorantem irrationales animantes, porros etiam cæpasque pavitantem; hic optimè Christi potest nosse virtutem, per quem facta est tam admiranda mutatio*. Ad hanc autem adeo stupendam conversionem procurandam opera usus est sancti Marci, qui effecit, ut in vastissimis illis desertis videre licuerit *populos Martyrum & choros Virginum, & omnem quidem tyrannidem Diaboli dissolutam; Christi autem regnum coruscans*.

3. *Dicite Pax*. Quæ verba Lyranus hac Paraphrasi exponit: *Inducite inhabitantes ad pacem internam, & fraternam*, quod idem est, ac si diceret. Prædicationis vestræ efficacia rectæ cujusdam conscientiæ quietem & tranquillitatem illis insinuate, quæ in domitis omnibus internis passionibus; & in fraterna quadam unione atque concordia consistit, qualis illa erat, quæ in primitivis fidelibus cernebatur, de quas scribitur: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*. Quis autem hæc omnia sectatoribus, & discipulis suis ipso efficacius impressit, & ad literam insinuavit? Legitote obsecro miras illas Essenorum vitas, eritque vobis haud difficilè è discipulorum virtutibus magistri colligere sanctitatem. Enimvero quemnam sanctus Chrysostomus de solitudinibus illis media sancti Marci prædicatione adeo populosis, & certatim frequentatis eremis scribens, novitiis illis Christianis attribuit titulum? Angelos eos vocat. Deserta ipsorum appellat Paradisum, siquidem ea in illis quiete frui licebat, qua superna illa Jerosolyma, *dicta pacis visio*, perenniter fruitur. *Paradiso quovis omnem illam videbit eremum digniorem & innumerabiles Angelorum cœtus*. Unde de ipsa verificabatur, quod Trismegistus à sancto Augustino relatus de eadem licèt in sensu admodum diverso scripsit: *Aegyptus imago est* Lib. 8. de
cœli, imo totius mundi templum. Et quidem quod pa- Civ. c. 18.
cem fraternamque concordiam attinet, quod si sanctus Lucas de primis Jerosolymam incolentibus Christi fidelibus (utpote Evangelica ab omnibus simul Apostolis congregata, atque ab ipsomet Christo tot ante annos exculta, atque per tam copiosa donorum gratiarumque suarum flumina à Spiritu sancto irrigata messe) dicere non dubitavit, uti aliàs diximus eos, adeo inter se concordes animisque junctos fuisse, ut visi fuerint uno eodemque corde, unaque eademque anima vivificari; ecce tibi in sanctissima illa fidelium à Sancto Marco conversorum congregatione, animorum unionem nihilo minorem aut inferiorem, utpote de qua sanctus Petrus
Damianus ait: *Talis ergo sub Marco Alexandrina fuit* Serm de S.
Ecclesia, qualis & Hierosolymis fuisse sub Apostolica legi- Marco.
tur disciplina, ut neminem paupertatis indigentia premeret, nullus eorum divitiis abundaret. Porrò quid Essæorum, qui sancti Marci fuere discipuli & sequaces nomen significet, Cornelius à Lapide egregiè declarat, 2. Petr. 3.
dum ait: *Essæi, id est, sancti & pii in tanta puritate, pietate, & sanctitate vixerunt, ut toti Orbi essent admirationi, cæterisque Ecclesiis essent perfectionis exemplar & speculum*.

4. *Dicite Pax*. Lyranus inquit: *Salutem habitantium* In Moral.
in ea bonis verbis & exemplis procurare. Sanctus quo- Matt. 2. 10
que Leo pro nostra instructione scribit: *Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla, quam verba & plenius est opere do-* Serm de S.
cere quàm voce. Hoc igitur eodem medio usus est S. Laurentio
Marcus ad illos Deo rebelles populos, & inveteratos gentis Israeliticæ, è qua idemmet S. Marcus natus erat, inimicos convertendos. Etenim eum qui ex Hebræorum gente adeo illis perniciosa, nec minus invisa, utpote à qua tot plagis affecti, atque in mari rubro submersi fuerant, carnem susceperat, veluti verum vivumque Deum prædicabat & extollebat; illique Regno, in quo Rex atheus, & prorsus impius rerum potiebatur, Evangelium prædicabat. Unde Procopius ait: *Qui Regem ma-*
gno adversus providentiam universique gubernationem fa- In Isa. c.
stu, Deum à se ignorari publicè profitentem haberent, qui 19.
denique Israelitas hostili semper infestoque animo fuissent insectati. Ecce tibi igitur ipsissimam veritatem esse, quod validiora sunt exempla quàm verba; siquidem S. Hieronymus Marci prædicationem à suis sanctissimis Exemplis corroboratam esse admiratur, unde & in Matutini lectionibus de eo dicitur: *Constituit Ecclesiam tanta doctrina & vita continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret*.

5. *Dicite Pax*. Dionysius Carthusianus ait: *Pax in-* Cap. 10.
terior, puta, tranquillitas mentis. Pax multa diligenti- Luc.
bus legem tuam: vult pacem optari, quia in eo cætera bona gratia virtualiter includuntur. Etenim ab ipso conversi fideles in imperturbabili quadam pace in desertis illis simul inter se habitabant; Et licèt in Ægypto commorarentur, ipsis tamen manna quoddam gratiarum & dulcedinis Paradisi depluisse videbatur, palamque faciebant omnibus se in medio cordis sui pacis habere Deum. Paulus de Palatio super hanc pacis annuntiationem, sequentem instituit considerationem, dum ait: *Angeli annuntiaverunt Orbi pacem, quando nasce-*
batur Orbi Deus; alii Angeli in carne existentes annun- In cap. 10.
tiant domui sui hospitis pacem, quia ei vult Deus nasci. Matth.
Beatus Laurentius Justinianus in sermone de hodierna Festivitate Sanctum Marcum Angelum nominat, qui cœlestem hanc pacem Ægypto intulit & inseruit. *Perinde est ac si dicerent; Dominus vult nasci in domo hac, vultque ei dare suam benignitatem*; Deus in regione illa, in qua antea tanta vigebat malitia, quæque omnis erat centrum impietatis, immensam quandam benignitatem hoc servo suo mediante communicavit, fueruntque adimpleta illa Isaiæ vaticinantis verba: *In cu-*
bilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur Isa. 35. 7.
viror calami & junci. Ubi antea serpentibus & croco-

dilis

dilis latriæ cultum deferebant, nunc sanctæ crucis ligno genua sua flectunt, in iisque antris & speluncis, quæ ferarum antea latibula erant, nunc se tot coadunarunt Anachoretæ, ut vera bonæ conscientiæ pace & quiete perfrui possint.

6. *Dicite Pax*. Verum dicat hic aliquis; Ex quo Salvator noster expresse protestatus est dicens: *Non veni* (Matt. 10. 34.) *pacem mittere sed gladium*, cur nunc discipulos suos pacem annuntiare jubet? Enimvero notandum est de qua pace Christus locutus fuerit. Certum quidem est, quòd subitò postquam natus fuit pacem per Angelorum choros universæ terræ annuntiari fecerit; *In terra Pax*. Veruntamen observandum est, quòd Evangelista dicat: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis*. Pacem quidem annuntiabant, sed instar exercitus cujusdam militaris in acies distributi, ut per hoc insinuarent, quòd eam pacem promulgaturi advenerint, quæ armata comparatur dextera, quæque per intentatum propriis sensibus bellum acquiritur. Unde & Salvator ipse manifestè declarat, pacem illam, quam ex hac vita recedens suis post se relinquebat, longè dissimilem ab ea esse quam impertitur mundus. *Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Mundus etenim pacem tribuit, arma è manibus bellatorum eximendo; non sic autem Christus. Atque ideo Angelicus Doctor ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; In hoc sæculo scilicet; ut hostem vincatis*. Imò de quo bello intelligi velit Christus, ipsemet ore suo effatur, dum ait: *Non veni pacem mittere sed gladium; veni enim separare hominem* (Matt. 10. 35.) *adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus*. Hanc autem pacem: seu ut melius dicam, hoc bellum, à quo omnis vera pax derivatur S. Marcus in Ægypto annuntiavit, siquidem ad ipsius prædicationem filii separabantur à Patribus suis, & à matribus suis filiæ, seque in desertis ad vitam subducebant monasticam & pœnitentem, id quod Isaias Propheta tot antea sæculis prædixerat, dum ait: *Concurrere faciam* (Isa. 19. 2.) *Aegyptios adversus Aegyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum*. Id est, ut Hugo Cardinalis interpretatur: *Pugnabit contra fratrem suum vir conversus ad fidem: pugnabit gladio verbi contra fratrem non conversum*. Qui dum inter se mutuis exemplorum concertationibus ad Christianam se perfectionem animarent, & merita adaugere certatim satagendo neuter alteri in sanctitate cedere vellent, populosas reddiderunt eremos, omnesque Ægypti solitudines sanctificarunt.

7. *Dicite Pax*. Quid igitur mirum, si postquam Christi de pace hac annuntianda præceptum, tam strenuè adimplevisset, Christus vicissim ad hanc ei tanto eum amore annuntiandam pacem, ipsemet de cœlo descenderit? (Sur.) *Dominus Jesus Christus ad eum venit, & ei dixit: Pax tibi Marce Evangelista*. Memorandum est autem Christum Salvatorem nostrum eodem hoc tempore, postquam à mortuis resurrexisset Apostolis suis apparuisse, atque ad eosdem consolandos suave impressisse pacis osculum dicendo, *pax vobis*. Ac proinde cùm sanctus Evangelista ejusdem gloriosæ resurrectionis festum cum discipulis celebraret, Christus servum suum honorare voluerit sicut quondam alios honorarat Apostolos eodem illum imprecationis verbo alloquens, & dicens: *Pax tibi Marce Evangelista*. Neque tamen credendum est, quòd ipsum Evangelistam denominando, Apostolicis ejus meritis, de quibus Procopius Diaconus scribens, dicit: *Totus laboribus Apostolicis fractus*, vel in minimo derogare voluerit. Mihi etenim persuadeo, quòd sicut Christus sancti Thomæ Aquinatis libros approbans, dixit: *Bene scripsisti de me Thoma*: Ita quoque increata illa Sapientia scriptum à sancto Marco Evangelium approbare voluerit ipsum specialiter suum nominando Evangelistam: *Evangelista meus*: cum hac tamen differentia, quod cum à Thoma requisierit, *quam mercedem habebis*? Ad sanctum Marcum econtra suum immediate ablegarit Angelum, qui præmium illi præparatum notificaret; *Angelus autem Domini cum descendisset de cœlo, tetigit eum, dicens: Serve Dei Marce, en scriptum est nomen tuum in libro vitæ cœlestis, & connumeratus es cum sanctis Apostolis, & memoria tua non delebitur in æternum*.

(Serm. 2.) 8. *Pax tibi*. Sanctus Petrus Chrysologus ait: *Pax est perfectio sanctitatis: Christianæ virtutes crescunt in eo qui unanimitatem Christianæ habet pacis*. Ac proinde Christus Evangelistæ dicens: *Pax tibi Marce*, certo quodam modo eidem virtutum perfectionis & sanctitatis suæ testimonium perhibere voluit. Et quidem si de ejus humilitate tractare volumus, sanctus Bonaventura sequentia sancti Pauli verba eidem adaptat: *Mihi omnium* (Ser. 1. de S. Mar. Eph. 3. 8.) *Sanctorum minimo data est hæc gratia in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi & illuminare omnes*. Sanctus Hieronymus in Prologo super ejus Evangelium scribit dicens: *Sanctus Marcus Evangelista Dei electus, Petri in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus*. Ecclesia quoque prædicationem ejus mirè deprædicat, & tamen ut sanctus Doctor observavit, *electus à Deo non se ingerens*, eandem disseminavit: nam ut Evangelii sementem quaquaversum dispergeret, supremi Pastoris obedientiam & præceptum præstolari voluit. Idemmet sanctus Bonaventura in firmum ejusdem humilitatis testimonium ita scribit: *Posset de beato Marco exponi quod de Benjamin dicitur, minimus fratrum cum Patre nostro est*. Hæc quoque ejus humilitas, quæ omnium aliarum virtutum basis est, in eo præcipuè eluxit, quod erectum à se amplissimæ Alexandrinæ Ecclesiæ nobile ædificium sibimetipsi minimè adscripserit, ut sagaciter observavit sanctus Petrus Damianus dicens: *Alexandrinam fundavit Ecclesiam, eamque non suam, sed magistri sui nomine titulavit, ut ad honorem beati Petri Sedes Apostolica nuncuparetur, ad quam tamen Petrus accessisse non legitur*; Et tamen hoc erga Sanctum Petrum amore, gratitudine & reverentia, qua eum tanquam Patrem reverebatur, non obstante, quando de sinceritate & veracitate, quacum scribendum erat Evangelium, agebatur, Petrum Magistrum suum imitatus; qui olim publicè (Serm. 1.) protestatus fuerat dicens: *Obedire oportet magis Deo quàm hominibus*, & ipse S. Petro Damiano teste, *amicitiæ jura contempsit, humanam funditus gratiam ignoravit*; siquidem in referendis iis quæ in Sancto Petro reprehensibilia erant, ipse præ omnibus aliis Evangelistis fusior & copiosior extitit, id quod in eo ingenuitatis & fidelitatis suæ, quacum Evangelium scripsit, evidens argumentum censendum fuit. Idem quoque Petrus Damiani nominis sui ethymologiam peracutè consideravit, (Serm. 2.) dum ait: *Marcus excelsus mandato interpretatur; & verè beatus hic vir, non erat excelsus animo, sed mandato; quia dum mentem gereret humilem, vitam satagebat habere sublimem; & qui cunctis se in humilitate substraverat per viam mandatorum cœlestium sublimiter incedebat*, Unde Procopius Diaconus ait: *Mundus ipse tanta hujus viri rectè facta, ut divina suspicit, & magno cum applausu veneratur*. Quidnam unquam in sanctitatis suæ testimonium sublimius dici potuit? *Homo spiritu Dei plenus*, dicitur à S. Petro Damiano; verùm vitæ suæ Historia longè præstantius elogium ei attribuit, eùm eum præconio sanctissimæ Deiparæ Virgini proprio condecoravit, siquidem *Gratia Dei plenus* in ea appellatur.

9 *Pax tibi Marce*. *Hæc autem pax requies est cordis*, inquit Albertus Magnus. (Serm. 1.) Cùm igitur cor S. Marci hac quiete & pace interiori plenum fuerit, consequens est, ut præ nimia Paradisi cœlestis sibi communicata dulcedine gestierit; siquidem eodem Ratisponensi præsule teste, hæc pax à nemine possidetur, nisi ab iis duntaxat, (In Luc. c. 2.) qui *Christum receperunt in veritatis illuminatione, & charitatis & dulcedinis divinæ adoptione*.

10 *Pax tibi Marce*. Per hanc pacem Dionysius Carthusianus intelligit. *Pacem æternitatis, quæ est pax beatorum in patria*. Unde hanc pacem sancto huic Evangelistæ annuntiare idem omnino fuit, quod ipsum ad æternalium delitiarum supernæ Hierusalem, id est, visionis pacis mensam dulciter invitare.

11 *Pax tibi Marce*. Porro observandum hic est S. Petrum S. Marcum, filium suum appellasse: *Salutat vos Marcus filius meus*: Ac proinde Salvator quoque noster, eundem hunc Evangelistam in filium adoptare volens, licet ipsum aliàs Evangelistam suum nominarit, per hanc tamen ei factam pacis intimationem, implicitè eum suum quoque filium suum declaravit; nam ut S. Petrus Chrysologus ait: *Pax ex famulo filium facit, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Circa quæ verba idemmet sanctus Doctor dicit: *Non pervenitur ad vocabulum filii Dei, nisi per nomen pacifici*.

12 *Pax tibi Marce*. Paulus de Palatio sagaciter observat,

servat, quòd dum Christus pacem Apostolis imprecatus In cap. 10. Matth. est: *Pacem relinquo vobis;* simul etiam specificaverit, in quonam pax illa præcipuè consisteret, nimirum in fugando ab eorum cordibus omni metu ac formidine. *Non turbetur cor vestrum. Ergo pax Christi est non turbari, non formidare.* Ut igitur Christus Redemptor noster S. Marco ad sufferendam martyrii passionem tantò generosius cor subministraret, advertendum est singulariter, quanam in specie ei dignatus fuerit apparere: *Dominus Jesus Christus ad eum venit in figura illa, quam habebat quo tempore versabatur cum discipulis suis, & qua forma erat quando crucem fuit passus.* Ex qua apparitione ingentem deinceps animum concepit: *Non turbatum fuit cor ejus, non formidavit*, quantumvis fuerit atrocia passus: *Rursus in ejus collum funem injecerunt, eumque pertrahentes dicebant, trahamus bubalum in bubulci stabulum. At B. Marcus eo majores omnipotenti Domino Jesu Christo gratias agebat, dicens: In manus tuas commendo spiritum meum; Cumque hoc dixisset, tradidit spiritum.* Ac proinde quemadmodum Jonathas Davidi dixit, *Sagitta tua intra te sunt? Pax tibi est*, ita quoque quando sagittæ Tyranni Sancti nostri pectus & viscera transadegerunt, tunc verè *requievit in pace.*

De Analogiis, & allusionibus, quæ inter leonem, & S. Marcum reperiuntur.

DISCURSUS QUINTUS.

Quasi Leo rugiet, & formidabunt filii maris, & evolabunt quasi avis ex Aegypto, & quasi columba.
Oseæ cap. 11. v. 10.

1 INter quatuor animalia mystica, mysticum Ezechielis currum post se trahentia, unum visum fuit Ezech. 1. 10. faciem Leonis præseferens: *Facies Leonis a dextris ipsorum quatuor*; Cùm autem per quatuor hæc animalia sacti nobis Evangelistæ demonstrentur, per Leonem S. Marcum præfiguratum fuisse nemo est qui dubitet. Cujus proinde rugitum Spiritus sanctus per Oseam prædixit, dum ait: *Quasi Leo rugiet.* Dionysius Carthusianus per rugitum hunc, singularem interpretatur in loquendo efficaciam, utpote quæ potens erat mirum unicuique imprimere pavorem atque formidinem. *Efficaciter, terribiliterque loquetur, & omnes perterrebit: quemadmodum Leo suo rugitu animalia stupida facit.* Hugo Cardinalis hac de re ita scribit: *Rugiet comminando, ut brutales motus stare faciat & formidabunt filii maris, id est, peccatores*, quasi diceret: Erit tempus quando Leo hic mysticus per energiam suæ prædicationis perterrefaciet impios, quales erant populi Pentapolitani & Aegyptii, de quibus Hom. 8. in Matth. Chrysostomus scribit dicens: *Babylon atque Aegyptus præ omnibus terris flamma impietatis ardebant*, moribus siquidem adeo brutalibus erant imbuti, ut vel serpentibus & crocodilis latriæ cultum deferre, eosque adorare non erubuerint: *Evolabunt quasi avis ex Aegypto*; id est, ut idem Dionysius declarat: *Cito convertentur ad Christum Aegyptii.* Velut Hugo Cardinalis majori cum proprietate exponit: *Evolabunt ad fidem Christi pennis virtutum quasi avis cum magna velocitate, de mundo ad Cœlum tendentes.* Neque enim solum brevi tempore Aegyptios ad fidem convertit, verum insuper eos sanctos reddidit, adeo ut ad eminentissimos perfectionis gradus evolarint *pennis virtutum*, columbisque in solitudinibus illis similes effecti, alis orationis ad vitam transvolarint contemplativam. Porrò ubi Oseas dicit: *Quasi columba de terra Assyriorum.* Glossa interlinearis legit: *Simplicitatem columbæ imitantes de terra Dæmonum*; quasi dicere vellet: Qui antea magiis & incantationum superstitionibus immersi erant, puri deinceps effecti sunt, sicut columbæ. Verum enimvero in præsenti discursu id à nobis præcipuè curandum erit, ut ea tangamus & elucidemus mysteria ob quæ S. Marcus in Scriptura Leo appellatus, & in eodem præfiguratus fuerit.

Parad. 2. c. 3. 2 *Vocatur Marcus Leo* (inquit Abulensis) *quia ipse cæteris apertius aptiusque Dominicam resurrectionem enarravit.* Etenim Redemptor noster in gloriosæ Resurrectionis suæ mysterio consideratus, à veteris Instrumenti Prophetis in Leone adumbratus fuit. *Vicit Leo de tribu Juda.* Circa quæ verba doctissimus Salmeron ait: *Hæc facies Leonis Marco Evangelistæ impressa fuit, cui* Tom. 11. a. *datum est fortia quæque ejus describere, inchoando Evangelium suum à rugitu prædicationis suæ per Joannem Baptistam præconem ejus. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Rursus finem imponit describens rugitum Christi suscitati per ora Apostolorum.* Observandum est etenim quòd Sanctus Evangelista noster in hisce verbis Evangelium suum terminet: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Quæ unica causa est, quòd in die Resurrectionis & Ascensionis Dominicæ Evangelium ejus legi consueverit: *Namque illa opera sunt Leonis fortissimi, & victoris de tribu Juda.*

3. *Quasi Leo rugiet.* Similem ferè rationem reddit B. Laurentius Justinianus, nimirum S. Marcum Leoni assimilari, eò quòd Evangelium suum à Joannis Baptistæ prædicatione fuerit exorsus, atque sanctissimo ejus exemplo in prædicatione sua ad instar leonis rugientis sese exhibuit. *Ob rugitum vocis suæ, qua docet pœnitentiam agere, deserere vitia, repugnare Diabolo, futurum devitare judicium, atque æterna gloriæ desiderare triumphum, speciem designatur habere leonis.* Porrò de Leone naturalistæ scribunt, eum catulos suos, veluti mortuos aut profundo cuidam lethargo immersos parere, adeo ut totidem veluti cadavera enixus fuisse videatur, demum verò post trium dierum, totidemque noctium decursum, eosdem rugitu suo resuscitare ad vi- Gen. 49. 9. tam. Ad quod illa Geneseos verba alludere videntur: *Requiescens accubuisti ut leo, quis suscitabit eum?* Atque ideo leo, ut jam diximus, velut symbolum adhibetur Christi resurgentis, utpote post triduum à somno mortis evigilavit. Enimvero certum est, quòd populi à S. Petro ad sanctum Marcum conversionis causa destinati, in profundo quodam vitiorum, impietatis, & superstitionum lethargo sepulti fuerint, adeo ut in ordine ad vitam æternam visi fuerint mortui, quos tamen mystici hujus leonis nostri prædicationis rugitus, à lethifero idololatriæ, superstitionum, cunctorumque aliorum vitiorum suorum somno resuscitatos, vitæ, eique immortali restituit. Spiritus sanctus Judæ Machabæi laudes contexens dicit: *Similis factus est leonis in operibus suis, &* 1. Machab. 3. 4. *sicut catulus leonis rugiens in venatione, & persecutus est iniquos, perscrutans eos.* Quod pariter de S. Marco dici potuit; hic namque innumeras ab Aegypto pepulit, & extirpavit iniquitates, animarumque venationi, & prædæ capiendæ strenuam operam navavit. Unde Glossa ait: *Venatio itaque spiritualis fuit quando spirituales venatores retibus Evangelii homines ad fidem rapiebant.* In illis quondam à Samsone dilaniati leonis faucibus suavissimus quidam mellis favus olim inventus fuit; Similis quoque dulcedo in hujus mystici leonis ore inventa fuisse noscitur, siquidem per suavissimam eloquentiam suam Apostolicam, Aegyptios non solùm ad falsa idolorum simulacra demolienda inducere, verum etiam eosdem uno eodemque tempore non solum Christianos, sed & sanctos efficere prævaluit. Unde illi dici potuit, quod quondam Salvatori S. Ambrosius dixit: *Verbum tuum medicina est, verbum tuum lumen est,* Præfat. in Ps. 45. *tu loqueris & culpa lavatur.*

4 *Quasi leo rugiens.* S. Petrus Damianus de S. Marco ita scribit: *Quia à clamore vocis in deserto suum incipit* Serm. 1. *Evangelium, rectè fortitus est speciem leonis.* Enimvero rugitus leoninus in densis sylvis, non verò in civitatibus percipitur; atque ideo specialissimum est hoc sancti hujus laudis præconium, quòd exemplum Salvatoris imitatus pœnitentiam prædicarit, & per hanc populosas reddiderit solitudines, Thebaidesque sanctificarit. Unde optimè ad propositum ei adaptari possunt verba illa, quæ de Baptista Guerricus hunc in modum scribit: *Per ipsum pinguescunt speciosa deserti, & florebit solitudo,* Ser. 2. de S. Joann. *cum ubique novi cultores eremi de Joannis succrescent exemplo*; de Marci exemplo dicere nos meritò possumus, quia teste S. Hieronymo: *Omnes sectatores ad exemplum sui cogebat.* Unde juxta gravissimorum authorum assertionem, Monachismi fundator meritò dici potuit. *Tunc erat desertum quasi deliciæ Paradisi, & solitudo quasi hortus Domini*; ut Chrysostomus de illis de- Hom. 8. in Matth. sertis scribit. Isaias Propheta mirabilem quandam unionem in nova lege Evangelica exorituram esse prædixit, dum ita scribit: *Habitabit lupus cum agno, &* Isa. 11. 6. *pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ovis simul*

mul morabuntur, vitulus & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos comedet paleas. Aegyptii ob malitiam & impietatem suam veluti totidem immanes feræ erant, & tamen S. Marci prædicatione interveniente in mansuetissimos cuncti sunt transformati agnellos, adeo ut in Eremitoriis simul habitarint concordiæ & fraternæ charitatis vinculis inter se constricti, veluti nostri temporis Religiosi. Quisquis igitur lecturus est eam, quam *Esseni*, qui S. Marci fuere discipuli, agebant vitam, facilè colliget, quàm aptè de eo verificetur Glossæ interlinearis super illum Isaiæ textum statim adductum interpretatio: *Pascentur, verbo Dei familia disciplina Domini conjuncta, ipsis inter se conjunctis.* Lyranus in eundem locum dicit. *Pascentur uniformiter vivendo.* Et paulo post illa verba: *Et leo quasi bos comedet paleas*, glossa sua illustrans ita scribit. *Hoc in Religione fieri videmus, in qua nobiles contenti sunt cibus illorum qui sunt de humili plebe.* Ecce tibi igitur quidnam in desertis illis boni effecerit rugitus ille hujus nostri mystici Leonis. Huc quoque spectat quod in sacris Canticis exaratum legitur cœlestis sponsi oraculum, quod edidit, quando cœlestis ille amasius sponsæ suæ, id est, sanctæ Ecclesiæ dicit: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubili-*
Cant. 4. 8. *bus leonum, de montibus pardorum.* Ecce tibi pretiosa monilia quibus pretiosum illud diadema locupletandum & exornandum erat quo sancta Dei Ecclesia redimenda erat, nimirum cavernæ & lustra ferarum, montiumque & alpium juga. Quasi dicere vellet: In nova lege Evangelica insigniores & præclariores sancti è desertis & cavernis, ac solitudinibus vastissimis procedent, licèt hæ antea cubilia fuerint leonum aliarumque ferarum similium. Unde S. Marco sempiterna obligatione obstrictam se agnoscere meritò debet sancta Dei Ecclesia. Vel etiam ut S. Thomas hunc textum interpretatur: *Coronatur & de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum, quando superbos quosque & sævos ac dolosos convertit.* Quod præcipuè Apostolico hoc Evangelista mediante præstitum fuit.

5. *Quasi Leo.* Leo prouti notum est, caput habet amplum & spatiosum, pupillas veluti scintillantes & ignitas, faciem quoque rotundam præ se fert, comis quaquaversum, ad modum radiorum solarium, quaquaversum cinctam. *Circumquaque radiorum more sparsus pilos instar solis: quare & sub folio hori, id est, solis, leo-*
Horis Apollo in Hier. c. 17. *nes supponunt* (ita de Aegyptiis dicitur) *hujus animalis cum Deo similitudinem maximam demonstrantes.* Ecce tibi igitur qualiter in dissipatis atque fugatis ab eadem Aegypto Idololatriæ tenebris, elucescant in hoc mystico S. Marci leone non solum sanctitatis suæ splendores & radii, dum illas instar solis illuminavit, verum etiam vivam ejusdem Dei effigiem, atque Imaginem venerari possumus. Unde Procopius Diaconus hoc S. Marco laudis præconium attribuit, dicens: *Instar splendidissimi solis humanas animas illustravit, Evangelii tui lumen ac splendor, tui etiam animi formosam faciem detegit.* Et quidem quod hanc S. Marci cum Christo similitudinem attinet egregiam hanc laudem S. Marco vitæ suæ Historia attribuit: *Gratia Dei plenus.* Pierius Valerius in Hie-
Lib. 1. c. de V. g. roglyphicis suis, Alexandriam in prima sui fundatione & erectione *Leontopolim* denominata fuisse scribit, idque eam ob causam, quia Philippus Macedonum Rex & Pater Alexandri Magni, tempore parientis conjugis suæ, eandem leonem quendam è ventre suo enixam fuisse somniarat, quæ causa fuit quod idem Alexander occisi leonis exuvias, sive præcisam pellem è capite suo pendulam gestare non erubuerit; unde idem Philippus urbem hanc primitus condens, eandem ob hujus somni mysterium Leontopolim cognominavit, tametsi deinceps eandem urbem, ut filio suo adularetur, Alexandriam denominarit. Verum enimvero longe meliori cum augurio & omine alius quidam leo mysticus Alexandrinam fundavit & erexit Ecclesiam, eidemque esse suum, id est, veræ & salvificæ fidei notitiam contulit, adeo ut Ecclesiæ Alexandrinæ dici possit, quod S. Leo Papa de
Ser. de Petro & Pau. SS. Apostolis Petro & Paulo urbi Romanæ scripsit: *Iste fuit pater, verusque pastor tuus, qui te Regnis cœlestibus inserenda multo melius multoque fœlicius condidit, quam illi, quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata sunt. Iste est qui te ad hanc gloriam provexit, ut esset gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis.* Ipsa namque augusto hoc titulo decorata est, ut vocaretur sedes Patriarchalis S. Petri, haud secus ac sedes Ecclesiæ Romanæ. Idem quoque Pierius refert, quod dum urbis Alexandrinæ mœnia delineanda & exstruenda essent, Lib. 26. c. de Adv.
& calx seu gypsus deficeret, ideoque calcis loco farinam adhibuissent, multa circa mœnia illius congregata fuerint avium agmina, ut suam inde sibi quærerent alimoniam. Quod cum à multis pessimi ominis loco haberetur, Aruspices econtra dixerunt, ex hoc potius significari fertilitatem urbis illius tantam futuram esse, ut multis exteris gentibus & nationibus alendis abunde sufficeret. Porrò augurium istud ad præseos propositum nostrum facile adaptari se sinit: siquidem S. Marcus ad dispensandum urbi Alexandrinæ verbi Dei panem a S. Petro missus fuit, ut notat Baronius, dum ait. *Ubi velut ex quodam orbis theatro ex Asia, Europa tot* An. 64 nu. 13.
gentes essent simul collecta. Ad hæc etenim salutaria pascua inquirenda innumeri deinceps ex omnibus mundi partibus concurrerunt, vitæ se contemplativæ perpetuò consecrantes, qui utpote per volucres cœli præfigurati, cum Apostolo dicere poterant: *Nostra conversatio in cœlis est*, atque solitudines Ægyptiacas, omnesque earum speluncas & cavernas adeo sanctis Eremitis & inclytis Dei servis adimpleverant.

6 *Quasi Leo.* Singulare vigilantiæ symbolum leo est, qui proinde etiam dormiens apertis oculis esse conspicitur. Unde S Petrus Damianus ait: *Leo apertis oculis dormit, & tu sic quiesce sepositus à mundo, ut pervigiles* Epist. 39.
semper oculos habere perseveres in Domino. Enimvero hujus nostri Apostolici Pastoris vigilantiam qua gregis sui custodiæ solicitè intendit, nemo in dubium jure revocare potest, utpote qui *ad literam*, quoad illam attinet, *Fecit opus Evangelistæ, & ministerium suum implevit.* Advertendum est autem quod S. Paulus prius hanc vigilantiæ virtutem requirat & desideret: *Tu vero vigila; in omnibus labora* postea verò *opus fac Evangelistæ.* Laboravit. Quia ut Procopius de ipso scribit: 2 Tim 4 5.
Totus laboribus fractus, ut supra diximus.

7 *Quasi leo.* Sapiens ita scribit: *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit incursum.* Porrò S. Marcus fortitu- Prov. 30. 30.
dinem hanc non patiendo solum & tolerando, verum etiam intentatis sibi contradictionibus & persecutionibus se opponendo, omnemque idololatriam, universumque Sathanæ regnum evertendo satis superque probavit. Hanc quoque fortitudinem & invictum animi robur in suo satis demonstravit exantlato Martyrio, siquidem ita de eo refert vitæ suæ Historia: *Apostolum sanctas divinæ oblationis preces, & ministerium facientem invenerunt: quem cùm comprehendissent fune in ejus collum injecto, trahebant, ita dicentes: Trahamus bubalum ad bubulci stabulum.* Ejus quoque fortitudo perspicuè satis in sequentibus se verbis prodit: *S. Marcus cum traheretur, Salvatori gratias agens, Gratias, inquit, ago tibi Domine Jesu Christe, quod dignus habitus sum qui pro nomine tuo hæc paterer. Ejus autem carnes decidebant, & in sanguine suo lapides inquinabantur.* Demum verò post varias illi irrogatas alias corporis animique exagitationes, carceri eum denuo squalidissimo incluserunt: *In ejus collum funem injecerunt, eumque trahentes dicebant: trahamus bubalum in bubulci stabulum. At B. Marcus eo majores gratias omnipotenti Domino Jesu Christo agebat, dicens: In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* Unde patet quod se per mansuetudinem agnum, leonem verò per invictam fortitudinem suam comprobatit. Unde S. Bernardus ad illa verba Apocal 5. *Agnus qui occisus est &c.* alludens pulchre notat, paulo ante dictum fuisse: Serm 14 in Parv.
Leo vicit. Qui agnus est innocenter moriendo, leo quoque factus est mortem fortiter evincendo.

8. *Quasi leo.* Etenim ex quo Apocalypseos facta est mentio, præterire nequeo visionem quandam quæ in Apoc. 10. 1.
eadem refertur, &ni fallor S. Marco mirabiliter accommodatam: *Et vidi alium Angelum fortem, descendentem de cœlo amictum nube, & Iris in capite ejus, & facies ejus erat ut Sol, & pedes ejus tanquam columna ignis; & habebat in manu sua libellum apertum; & posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram; & clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit.* Enimvero Sanctus Joannes in hoc eodem libro Episcopos Angeli titulo compellat: *Angelo Ephesi Ecclesiæ, &c.* Quia igitur S. Marcus Alexandrinæ Ecclesiæ Pastor erat, præterquam quod juxta ea quæ supra diximus ex mente B. Laurentii Justiniani: *Angelus nuncupatur, quia degens in carne Angelicam ducebat vitam. Fortem* (inquit

Glossa)

Glossa) *Quia fortis armatus fortem Diabolum exsuperavit.* siquidem debellavit Sathanam, qui suam in Ægypto tyrannidem specialiter plantaverat. *Descendentem de cœlo.* Quia illud Ægypti regnum ablegatus est à S. Petro, utpote vertice totius Apostolici Collegii, quod in cœlis præfiguratur: *Cœli ennarant gloriam Dei. Amictum nube.* Ipse namque prout jam probavimus nubis similitudinem gessit. Unde S. Gregorius ait: *Nubium* Lib. 17. moral. 14. *nomine quid aliud, quam Prædicatores sancti, id est, Apostoli designantur, qui per mundi partes circumquaque transmissi & verbis noverant pluere, & miraculis coruscare.* Hic autem è cœlo missus Angelus ex parte Dei ei annuntiavit: *Connumeratus es cum sanctis Apostolis. Et* Sur. *iris in capite ejus.* Quia etenim iris pacis symbolum esse noscitur, ipsi ex nomine ejusdem, de quo dicitur: *ipse est pax nostra,* perspicuis verbis annuntiatur: *Pax tibi Marce.* Enimvero præterquam, quod S. Mareus nubes quædam sit, ut dictum est, etiam notandum, quod ut Glossa in hunc locum advertit: *Tunc fit arcus in cœlo cum radiis solis imbrifera nubes fuerit, illustrata.* Id quod in Sancto Marco adimpletum fuit, quando à vero justitiæ sole Christo illuminatus fuit. *Et facies ejus erat ut Sol.* Lyraous dicit: *Sicut Sol per Fides sua splendorem.* Aut verò cum Glossa dicamus, quod sint *illi, in quibus verè lucet imago Dei, ut in contemplativis: Vel prædicatio* Procopius de S. Marco scribit: *Orbem terrarum illustravit. Pedes ejus tanquam columna ignis* (ubi Glossa ita scribit) *Quia Spiritu sancto accensi & alios illuminantes.* De S. Marco Historia ejus scribit, quod fuerit *Spiritu Dei plenus. Et habebat in manu sua libellum apertum.* Id est, Evangelium suum, quod omnium aliorum brevius est. Unde S. Petrus Damianus ait: *Et plane styli brevitate succinctum, sed profunda mysterii spiritualis ubertate diffusum. Et posuit pedem suum dexterum super mare.* Serm. 8. Circa quæ verba Richardus in Glossa sua dicit: *Quia sua potestati subdidit populum in cultu multorum Deorum, & in amaritudine multorum vitiorum quondam fluctuantem.* Qualis propriè Ægyptus erat. Vel etiam dicere possimus, quod posuit pedem suum dexterum super mare, quia corpus ejus intra urbem Venetam in mari fundatam & ædificatam delatum fuit; ibidemque Rempublicam illam, quæ præter mare, ingens, quoque in terra Dominium possidet, patrocinio defendit semper, eique assistit. Unde Procopius Diaconus ait: *Unam cum Petro tu Petri filius Italorum gentem subjecisti ab oriente sole, & ad occidentem advolans.* Prius etenim in urbe Aquilejensi varias insignes infidelium conversiones instituerat, illisque populis ad veri Dei notitiam conversis *Clamavit voce magna, quemadmodum cum Leo rugit;* quia prædicationis suæ rugitu ad instar Leonis eum tanto fructu, tamque abundante animarum Christianarum messe auditus fuit, non solum in Regno Ægypti, verum etiam ut diximus in diversis aliis provinciis.

DE

SS. APOSTOLIS PHILIPPO ET JACOBO:

Discursus Sex.

Discursus I. Ostenditur S. Philippum in sanctæ Ecclesiæ viridario ad instar Rosæ, Jacobum vero velut Lilium germinasse.

Discursus II. Ambo Apostoli SS. Philippus & Jacobus præ omnibus aliis discipulis Christo similes fuere.

Discursus III. Hi duo Apostoli Christum sequi, ipsumque in cunctis actionibus suis imitari studuerunt.

Discursus IV. De SS. Apostolorum Philippi & Jacobi in Christi vestigiis consectandis vera & viva fide.

Discursus V. In laudem S. Philippi Apostoli declarantur verba sequentia Themati assumpti.

Discursus VI. De Analogiis inter S. Jacobum Apostolum & S. Jacobum Patriarcham intercedentibus præsenti discursu agitur.

Ostenditur S. Philippum in S. Ecclesiæ viridario Rosæ instar: Jacobum verò velut lilium germinasse.

DISCURSUS PRIMUS.

Quasi flos Rosarum in diebus vernis, & quasi Lilia. Ecclesiastici cap. 50. v. 8.

1 Venerabilis Beda in cœlesti Paradiso elegans Ser. 2. de S. quoddam & peramœnum memorat esse viridarium omnigenis floribus consitum: inter cæteros verò flores viridantia & florida ibi refert esse ex rosis & liliis contexta, & permixta peristromata: *Floribus* In Ps. 3 18. *ejus nec Rosa nec Lilia desunt.* Ex hoc florum genere sancti Apostoli utique præcipui erunt, quos proinde Sanctus Ambrosius flores appellat. *Flores Apostoli.* Serm. 6. Atque ideo non sine singulari mysterio hodierna die, quæ prima est Maii & peramœni veris, florum pulcherrimæ matris primum exordium, pro duorum horum sanctorum Apostolorum encomio verba illa Ecclesiastici proposuisse censebor, dicentis: *Quasi flos rosarum in* Sap. 19. 7. *diebus vernis, & quasi lilia.* In veritate namque asseverare possumus S. Philippum inter alios cœlestis Paradisi flores germinasse veluti rosam purpurascentem, sanctum verò Jacobum odoris sui sparsisse fragrantiam velut lilium. *In mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Neque enim credere fas est Mare rubrum passionis, martyrumque carnificinam tempestatibus & naufragiis solum plenam esse; siquidem singulari Dei providentia & liberalitate fit, quod in fundo illius, palmæ & laurus erumpant, feliciterque Rosæ germinent & Lilia, aliique omnigeni flores fragrantissimi. *Et campus germinans de profundo.* In hoc igitur fundo inter rutilantes Martyrii aquas rosam deprehendemus & lilium, atque exquisita videbimus SS. Philippi & Jacobi tormenta, dirasque passiones, virtutes item & dona, omniaque alia utriusque Apostoli singulare encomium exponendum spectantia. Unde B. Laurentius Justinianus in sermone de hoc festo ait: *Ager spiritualis Ecclesia sancta, in ipso ò quanti redolent virtutum flores.* Neque vobis modica utriusque Apostoli laus esse videatur, dum Rosæ comparantur & Lilio siquidem doctissimus Theodoretus gloriæ S. Pauli Apostoli applaudere volens, de eodem dicit, quod videlicet sit *Mundi* 2. Tim. 1. *Lilium, & Ecclesia pulcherrima Rosa: Quasi flos rosarum.* Innocentius III. in sermone quodam Dominicam quartam quadragesimæ, qua Rosa à summo Pontifice benedici solet, scribit: *Rosa præ cæteris floribus colore delectat,* In Dom. Lætare. *odore recreat, sapore confortat, delectat in visu, recreat in olfactu, confortat in gustu.* Et quidem in primis in colore delectat, quia nullus est flos, qui oculis nostris Rosa gratior existat. Unde ut Pierius Valerianus in Hieroglyphis suis refert, Rosa ab antiquis unicum censebatur esse gratiæ symbolum. De sancto Philippo igitur dici potest quod sit. *Quasi flos Rosarum,* en quod præ cunctis aliis Apostolis Christi gratiam & benvolentiam sibi specialitate conciliari, utpote quo Christus maxima cum familiariter uti consueverat; unde quotquot è gentilibus Messiam videre, & agnoscere desiderabant, ad ipsum recurrere solebant. Quando Redemptor noster famelicam illam ex multis millibus constantem turbam in deserto reficere decreverat, Philippum interrogavit: *Unde ememus panes?* denique quantam sibi Christi gra- Joan. 6. 5. tiam præ omnibus aliis vendicarit, ex illa tam confidenter proposita postulatione facile colligi potest, dum ait. *Domine ostende nobis Patrem. Odore recreat;* Estque hæc secunda Rosæ qualitas, utpote quæ suavissimam è se emittit odoris fragrantiam. Etenim per odorem sanctitas & virtus intelligitur. Unde sanctus Ambrosius super illa verba Psalmi: *Susceptor noster Deus Jacob,* dicit: *Imitemur odorem ejus;* ac demum ut in quonam odor ille consistat; apertius declararet, subjungit; *Virtutem ejus.* Porrò in vitæ hujus Apostoli historia speciosissimos ei attributos invenio titulos: *Philippus ille admirabilis. Cum hunc magnum invenisset Philippum. Sacratissimus Philippus Divinus Apostolus.* Undè Sur. facilè colligi potest, quantus in perfectione & eminenti sanctitate fuerit. Rosa per ardentem, & rutilantem colorem suum speciale charitatis symbolum est. De

sancto

sancto Philippo autem scribitur: *In Christum perfectiorem assumpsit charitatem.* Albertus Magnus quoque scribit: *Philippus os Lampadis interpretatur, quæ ardet charitate.* Enimvero si de ejus erga proximum charitate sermo nobis sit, audite obsecro Dionysium Carthusianum, qui dicit: *Commendatur à fervore charitatis fraternæ, zeloque animarum.* Vix autem Philippus in scholæ Christi limine erat, cum ecce invento à se summo & infinito bono, Messia videlicet, eodem solus perfrui noluit, quin potius Nathanaelem ad ejusdem fruitionem & agnitionem perduxit. Similiter supplicationem illam: *Domine ostende nobis Patrem,* non pro se solo, sed pro omnibus Christo proposuit; quod veræ charitatis signum fuit, utpote quæ *non quærit quæ sua sunt.* Dixit enim *ostende nobis, non mihi.* Inter duodecim illos è quibus cœlestis Jerosolyma fabricata esse noscitur, pretiosos lapides sanctus Philippus per illum significatur, cui *sardonix* nomen est, de quo Cornelius à lapide scribit: *Cum candore habet rubedinem, ita Philippus candori sociavit charitatem, idque suxit à Christo, cui fuit familiaris: de quo ait sponsa: Dilectus meus candidus & rubicundus. Sapore confortat,* quæ est alia Rosæ qualitas. Neque enim Rosa alios flores imitatur, qui visui satiando tantum deserviunt, sed potius medicinalis est & benefica, adeout Cyrillus de ea dicat: *Flos ipse fructus est.* Verum inquies, quisnam fuit mysticæ hujus rosæ, sancti Philippi nimirum, in sanctæ Ecclesiæ viridario fructus? Guerricus Abbas nominis sui Ethymologiam considerans ait. *Dictus est os lampadis, eo quod ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini.* Etenim rosæ hujus fructus in lectionibus Matutinalibus tangitur, cum dicitur: *Accepto Spiritu sancto, cum ei Scythia ad prædicandum Evangelium obtigisset, omnem fere illam gentem ad Christianam fidem convertit.* Non obstante enim eo, quod nationis istius homines adeo immanes & barbari, & consequenter indociles essent, admirandum hunc in ipsis fructum produxit. *Innumerabilem multitudinem fecit veræ pietati consentire.* Acute Chrysostomus observat, cum mox ut à Salvatore invitatus fuit, Apostolicum munus exercere cœpisse: *Ab ipso principio Apostolum gerit;* aliorum videlicet conversionem pro viribus suis procurando. *Cito admodum fructum affert;* inquit etiam de eo Cyrillus. Et sanctus Bonaventura de ipso scribit. *Perfectio Philippi in cœlestium charismatum plenitudine, & in operans fructuositate.* Ad hæc rosa tametsi rubicunda sit, symbolum est virginitatis. Unde in hujusce virtutis testimonium S. Dorotheę cœlitus rosæ submissæ fuere. Similiter S. Ludovicus Caroli II. Siciliæ Regis filius primogenitus, sancti Ludovici Galliarum Regis nepos, qui spreto Regno, habitu se induit sancti Francisci, & à Bonifacio Papa VIII. in Episcopum Tholosanum electus fuit, in signum candoris virginalis, quo singulariter dotatus fuit, Rosam quandam post mortem ex ore suo edidit. Unde S. Hieronymus ait: *Ostendam tibi variorum pulchritudinem florum, quid in se Lilia habeant puritatis, quid rosa verecundiæ possideat.* Pauloante jam diximus ex duodecim gemmis cęlestis Jerosolymæ santo Philippo Sardonichen peculiariter attribui, qui Cornelio à lapide teste *Notat candorem, qui in Philippo præ cæteris eluxit.* Qui tametsi de integritate & sinceritate sua possit intelligi, simul tamen de ejus puritate exponi haud incongrue potest.

In cap. 1. Joannis.

Serm. de S. Philip.

Apoc. 21. 20.

Serm. 2. die Purif.

Sur.

Hom. 9. in Joan.

In cap. 5. Joannis.

Epist. 4. ad Rustic.

2 *Quasi flos Rosarum.* Enimvero rosæ id proprium est in medio spinarum efflorescere, imo tanto videtur esse fragrantior, quanto à stipite sua magis transfigitur. Hasce autem spinas, quæ tam sanctum Philippum tanquam Rosam mysticam, quàm S. Jacobum veluti lilium quaquaversum cinxerunt, pulcherrime beatus Laurentius Justinianus sermone de hoc festo exponit, ita scribens: *Erat admirabile aspicere viros sapientia decoratos, sanctitate sublimes, faciendorum miraculorum virtute insignitos, amicos Dei, Christi discipulos, cœlestis regni præcones, Angelorum concives sordescere vestibus, temporali indigere substantia, esurire, sitire, volenti animo perferre contumelias, verbera, plagas, carceres, vincula, exilia, aculeos, ferrum, ignes, gladios, varia tormentorum genera.* Immensaque fuerunt, quæ ambo sustinuere cruciatum genera, adeout S. Nilus merito dixerit: *Tolera tribulationes: inter ipsas enim virtutes ut inter spinas Rosæ nascuntur, & germinant.*

In Parun.

3 *Quasi flos Rosarum.* Idque propter ejus Martyrium, nam ut Hugo Cardinalis ait: *Flos Martyrum in tempore gratiæ.* Et Rabanus: *Quid per flores Rosarum in diebus veris nisi Martyrum sanguis in diebus nascentis Ecclesiæ exprimitur.* Sanctus Eucherius Martyres olim rosis coronari solitos fuisse dicit. Porrò sanctus Philippus per sanguinem, quem in cruce copinsè fudit, se verum Crucifixi Nazareni sequacem esse probavit; Nazarenus enim idem est, quod *floridus.* Unde illa sancti Ambrosii verba, tametsi ad Christum directa fuerint, et applicare opportune possumus: *Fusi cruoris colore vernavit;* ac demum verba hæc, ad illum Isaiæ textum: *Flos de radice &c.* alludens, prosequitur, dicens, quod flos iste etiam postquam recisus est odorem suum retineat: *Regalis flos in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit: nec avulsus evanuit, sed illa lanceæ punctione succisus sane speciosius fusi cruoris colore vernavit.* Etenim rosa hæc quando in cruce aperta fuit, tunc fragrantissimum sanctitatis suæ odorem, per heroicos patientiæ, mansuetudinis, omniumque quæ ad stuporem usque in ipso scintillarunt, aliarum virtutum actus solito amplius de se sparsit.

Marsi Prompt.

In fo: m. alleg.

Lib. de Spiritu S. cap 5.

4. *Et quasi lilia.* Notanda hic sunt verba, quibus Isaac Jacobum filium suum, qui sancti Jacobi Apostoli typus fuit benedixisse fertur: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Circa quæ verba sanctus Ambrosius de Jacob & vita beata ita scribit, *erat enim perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis atque cœlestis redolebat gratiam.* Quod idem de sancto Jacobo Apostolo asserere possumus: *Erat perfectus in omni flore virtutum;* atque ideo honorificus hic lilii titulus, ei optimè convenit, siquidem Lilium inter omnes alios flores se quam maximè prodit. *Lilium est odoriferum, sic justi odoriferi per redolentiam bonæ famæ,* inquit Hugo Cardinalis. Unde Apostolus dicebat: *Christi bonus odor sumus.* Porrò fama & insignis sanctitatis opinio passim apud omnes, etiam ipsosmet Hebræos adeo invaluit, ut major esse aut concipi in ullo Evangelii sectatore vix potuerit; Ipsum namque venerabantur veluti vivam Innocentiæ, virtutis, imo ferè dixissem Divinitatis effigiem. *Vir fuit tantæ sanctitatis & rumoris in populo* (inquit Sanctus Hieronymus) *ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere.* Sanctus Paulus Hierosolymam profectus felicem se ac beatum esse censuit, quod ipsum videndi occasionem habuerit: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Alii quoque Apostoli in tanta eum veneratione habebant, ut ejus consilia haud secus ac inviolabilem, Ecclesiæ legem amplexi fuerint ad observandum. *Ecclesia pro forma tradebat* ejus consilium videlicet. Unde etiam vulgo dicebatur: *Jacobus divinus.* Quod si vero Epistolam ejus Canonicam spectare velimus, de ea Cornelius à Lapide in ejusdem proœmio ita scribit: *Est Catholicæ fidei vitæque canon & regula.* Mater quoque ejus (mulier & ipsa sanctissima) tametsi tres alios filios pariter omnes sanctissimos habuerit, & inter illos quidem duos Apostolos sanctum Thadæum & S. Simonem, ac denique tertium Barsabam, qui per antonomasiam cognominatus est justus, atque cum sancto Matthia ad Apostolatus electionem concurrit, Spiritus tamen sanctus illam specialiter ab omnibus haberi voluit matrem sancti Jacobi: *Maria Jacobi.* Ad hæc audite obsecro, quonam se titulo Sanctus Thadæus in Epistolæ suæ Canonicæ exordio insigniverit, aut quo se nomine vocarit: *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi.* Circa quæ verba Oecumenius ita scribit: *Non ex imperatoriis & inanibus dignitatibus sibi tantum charitatis tribuunt, qui sunt in mundo splendidi, quantum ille sciebat gloriari ex eo, quod esset, & diceretur frater Jacobi, Jacobi enim celebris ob virtutem apud omnes fama effectura erat, ut hujus Apostoli doctrina majorem auctoritatem haberet, libentiusque admitteretur.* Unde historicum istud conficitur argumentum: *Si autem est Judæ gloria dici fratrem Jacobi, quanto est ipsi Jacobo major, quod Christi frater nominetur? ipse solus assecutus fuit hoc privilegium:* Quemadmodum etiam solus præ cæteris Apostolis etiam Petro hanc prærogativam obtinuit, ut pro suo arbitrio in *sancta sanctorum* sibi licuerit ingredi. Viri quoque plurimi in sanctitate, & virtute eminentissimi è longinquo per aspera & ardua itinera ad ipsum videndum & venerandum confluebant, inter quos etiam S. Ignatius Martyr unus fuit.

In c. 35. Isa. 2. Cor. 2. 15. Gal. 1. 19.

Sur.

Sur.

Sur.

5 *Quasi lilia.* Vulgari Analogia Homo justus Lilio comparatur: *Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum.* Ac proinde sanctus Jacobus utique per omnem æternitatem ante Christum in Paradiso florebit, quemadmodum in hac quoque vita præsente coram ipso gratissimam edidit virtutum suarum fragrantiam; utpote qui tanquam proximus Christi consanguineus, continuo cum ipso conversatus & educatus fuit; maximè cum ab Historia vitæ suæ hic ei specialis titulus attribuatur: *Vere est justus, & nominatur.* Cardinalis Baronius quoque de ipso scribit: *Propter summum sapientiæ & pietatis studium, quod in vita assiduè excoluerat ab omnibus justissimus putabatur.* Ubi maximè considerandum venit ly illud *assiduè*, vixit enim 96. annos; neque enim mediocris laus est hominis, si de eo verè dici possit, quod in una semper sanctitate perseveravit, adeo ut nulli unquam sanctitatis suæ dubium moverit aut suspicionem; *Etenim ab omnibus justissimus putabatur.*

An. 63. n. 2.

6 *Quasi Lilia.* *An non lilia virginitatis Deus?* scribit mellifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus. Enimvero ex quo Salvator noster in domo S. Josephi educatus sanctum Jacobum inibi contubernalem semper habuit, verè de ipso dici potuit: *Pascitur inter lilia*; virgo etenim S. Josephus & S. Jacobus omnes liliorum instar puri & candidi erant. SS. Hieronymus & Epiphanius Apostolum hunc virginem fuisse, ideoque tametsi summus sacerdos non esset, privilegio tamen in *sancta sanctorum* ingrediendi gavisum fuisse asserunt: *Non semel sicut ii qui legi, & umbra cælestium serviebant*: Mysterium autem ob quod liber ipsi in sancta sanctorum aditus patuerit, declaraturus subdit: *Ut qui solus posset ingredi propter puritatem.*

De Nativ. Mariæ.

7 *Quasi Lilia.* Lilium symbolum esse talis hominis, qui corpore & anima purus Christum imitatur, tradit Origenes. Talis autem S. Jacobus verè fuit: siquidem corpus ejus ex gravissimorum authorum opinione virgineum fuit, anima autem ejus adeo immaculata extitit, ut in materno utero sanctificata fuisse credatur, denique Christum in corporis & vultus sui figura & specie repræsentasse scribitur. Unde Dionysius Carthusianus ita scribit: *In vultus dispositione, lineamentisque corporis ac modo conversationis Christo simillimus.*

Hom. 2. in Cant.

8 *Quasi Lilia.* Hugo Cardinalis de lilio scribit: *Granum habet super rubeum, quod denotat charitatem viæ.* Quis etenim Jacobo in amore erga Deum ardentior fuit, utpote qui in cœlestium contemplatione continuo hærebat absorptus. Quod si etiam trita est illa sententia; *Pœna interroget, si quis veraciter amet*; quis rigorosissimas austeritates, quibus innocentissimum corpus suum sæculo integro incessanter, afflixit ignorare potest.

Loco cit.

9 *Quasi Lilia.* Sanctus Bernardus de lilio scribens illud *humilitatis insigne* esse dicit. In hac autem virtute S. Jacobus optimè fundatus fuit; ipse namque singularissima dona & privilegia, quibus à Salvatore copiosè cumulatus fuit, secretissimè abscondere novit, quæ cauta unica est, quod ea ad nullius hactenus notitiam pervenerint. Specialem quoque ei à Christo post resurrectionem suam factam apparitionem à solo S. Paulo Apostolo relatam compertam habemus, quis eam revelavit, non Jacobus, sed Spiritus sanctus? Huic quoque humilitati ejus tribuendum est, quod se in Epistola sua Canonica, non Apostolum, non Pastorem vel Episcopum Hierosolymitanum denique, non fratrem Christi, sed servum ejusdem se appellarit.

10 *Quasi lilia.* Quotidiana experientia lilium ab invidia seu æmula quoque manu à trunco suo præcisum, per aliquod temporis spatium solitam elegantiam odorisque fragrantiam firmiter retinere demonstrat. Eodem igitur modo eùm Sanctus Jacobus ex sanctæ fidei nostræ odio è templi cacumine ob commotam ab Anano summo sacerdote sanctitatis suæ lividissimo æmulo persecutionem præcipitatus fuisset; hac tamen in eum exercita barbarie non obstante *Confractis cruribus jacens semivivus manus tendebat ad cœlum, Deumque pro illorum salute deprecabatur his verbis: ignosce eis Domine, quia nesciunt, quid faciunt.*

In lect.

11 *Quasi lilia.* Deus quondam Moysi ingens candelabrum aureum cum procedentibus exinde ornamenti loco liliis fabricare jussit. *Candelabrum de auro mundissimo, & lilia ex ipso procedentia.* Ingens autem hoc Candelabrum aureum Christus fuit, qui illuminavit universum mundum. *Ego sum lux mundi.* Lilia autem ab eodem candelabro egredientia eidemque unita, ejus fuerunt Apostoli, inter quos tamen hic lilii titulus Sancto Jacobo præcipuè convenit, tum quod Christum fidelius vivaciusque imitatus fuisset, tum ob circumquaque sparsum eminentissimæ perfectionis suæ odorem & famam. *Propter singularem justitiæ præstantiam*, inquit Baronius, *justi & oblia, quod latinè populi præsidium dici potest, & justitia.*

Exod. 25. 31.

An. 63. n. 1.

Ambo Apostoli SS. Philippus, & Jacobus præ omnibus aliis Apostolis Christo similes fuere.

DISCURSUS SECUNDUS.

Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Rom. cap. 8.

1 SAnctus Apostolus ad Romanos scribens, Deum ita statuisse dicit, ut quos ad gloriam prædestinat, filio suo per omnia assimilentur: *Conformes fieri imagini filii sui.* Quod quidem tametsi vel maximè in Apostolis suis, utpote immediatis scholæ Christi discipulis, quique multo tempore ei familiarissimè conjuncti fuere, adimpleri debuerit, attamen ut verum fatear in universo collegio Apostolico neminem scio, qui Redemptori nostro similiores extiterint, quam duo hi Apostoli, quorum natalem diem hodierno die celebramus. Videamus idipsum separatim & distinctè: Et primo quidem de S. Philippo.

2 *Conformes imagini filii sui.* *Philippus* juxta nominis Ethymologiam, ut diximus, idem est, *quod os lampadis* adeoque nomen illius Christo quoque correspondet, siquidem de eo Propheta Evangelicus prædixit: *Egrediatur ut splendor ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur.* Adhæc nulla est virtus, quæ DEO nos similiores efficit, quam amor & charitas erga ipsum, hæc enim nos unit, imo unum idemque efficit cum illo: *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Hæc quoque facit, ut ab eo filiorum loco habeamus. De sancto Philippo autem, si historiæ vitæ ejus credimus, constat eum præ cæteris Apostolis vehementiori erga Christum amore exarsisse: *In Christum perfectiorem assumpsit charitatem, ut reputatur perinde ac filius*: adeo ut ei non hominis, sed Dei cujusdam titulus adscribatur: *Verba faciens divinus Apostolus.* Similiter insignitur titulo Magni: *Magnus hic Apostolus.* Dicit autem sanctus Antoninus: *Mundus tales nuncupat magnos, qui vestigia gerunt magni Dei.* Quænam autem desiderari posset in hoc Apostolo major cum filio Dei similitudo & conformitas, quam quod sit Christi crucifixi viva veraque effigies? *Pro Christi nomine affixus.* Unde in illius amoris, quo Christus erga Philippum ferebatur pleniorem notitiam devenire facile possumus; nam juxta tritum illud adagium: *Amor aut pares facit, aut invenit.* Unde Redemptor noster eum sibi similem reddit, quando suam ei communicavit crucem. Assuerus Mardochæum honorare volens, eum armis & vestibus suis indutum, equum suum ascendere jussit, Amane hisce ei verbis acclamante: *Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorare.* Ecce tibi igitur honorem, quo sanctum Philippum Christus affecit; quando ipsi, ut equum suum regiis insigniis indutus ascenderet, indulsit: *vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium.* Sanctus Thomas de Aquino verba illa S. Petri exponens, quibus nos ut Passioni Salvatoris compatiamur, exhortatur, dum ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini*; ita scribit. *Habuit enim in capite galeam, non de auro, sed de spinis; habuit Loricam non de ære, sed carnem immaculatam: habuit in manibus non Lanceam vel gladium, sed magnos clavos manibus infixos; pro equo vero habuit ipsam Crucem.* Ecce igitur sanctum Philippum iisdem armis decorum huic equo insidentem, in signum regiæ æstimationis, & gloriæ suæ; quia *sic honorabitur*, &c. Præterea & illum Scripturæ textum ei applicare possumus: *Et vocavit Philippum unum de amicis suis.*

Isa. 62. 1.

1. Joannis 4. 16.

Sur.

P. 4. §. 15 cap. 28.

In Lect.

Esther. 6. 10.

1. Petri 4. 1.

1. Mach. 6. 14.

Cristus

Christus enim amicos esse declaravit suos Apostolos: *Jam non dicam vos servos, sed amicos. Et praeposuit eum super regnum suum.* Regnum Christi Crucis patibulum est: *Dominus regnavit à ligno. Dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum.* Hæc autem stola fuit cruentæ Passionis suæ purpura, omniaque alia illius arma. *Ut esset conformis imagini suæ.* Observandum est autem, quod sicut Christus prius flagellatus fuit, quam Cruci affigeretur: ita quoque de Sancto Philippo vitæ ejus referat historia: *Acerbè deponunt in carcere: acerbius vero flagris cædunt & verberant.* Similiter sicut in morte Christi ab imis fundamentis commota est terra: *Terra mota est*: ita quoque in Philippi crucifixione: *Movetur repente terra.* Unde impii illius crucifixores metuentes ne terra sub eorum pedibus dehiscens vivos eos absorberet, ad intercessionem confugerunt sancti Apostoli: *Eum circumsistentes invocabant servatorem, & petebant, ut eis dexteram porrigeret ad salutem.* Fueruntque exauditæ mox illius preces, adeo ut qui jam aliquousque deorsum descenderant, divina virtute mox denuo elevarentur; unde scribitur. *Visam esse divinam virtutem, quæ locum scalarum obtinebat, & ascensum præbebat facilem.* Quemadmodum etiam Centurio Christum confessus est esse verum filium DEI, videns quòd sic clamans expirasset, pro suis nimirum crucifixoribus intercedendo, ideoque conclusit, dicens: *Vere filius Dei erat iste.* Item sicut latro pariter eum Regem esse confessus est Paradisi: *Et multi revertebantur percutientes pectora sua.* Ita quoque in sancti Philippi Passione visa admirabili ejus mansuetudine, conversi sunt multi: *Hæc fuit via fidei ad salutem infidelibus; & simul quidem magnum esse Philippum, majorem quoque illum, quem annuntiabat, Dominum prædicarunt.* Insuper advertendum hic est, quod sicut Augustinus de Redemptoris patibulo dixit, illud non solum lignum fuisse, in quo passus est, verum etiam cathedram, in qua docuit, ita quoque de S. Philippo scribitur: *Sublime pendens de iis, quæ erunt eis futura utilia, tota die disserebat: & fiducia ad Deum conformans eorum animas; & pro eis supplicans, sacrosanctè cum sacris excessit eloquiis, & migravit ad eum, quem dilexit Dominum.* Denique sicut Christus non obstante quod de Cruce descendere jussus & invitatus fuerit, in Cruce tamen perseveravit & immobilis mansit, ita quoque de S. Philippo legitur, quod eum è Cruce deponere volentibus minimè consensit: *Ut conformis esset imagini filii Dei &c.*

Sur.

In Theatro.

3 *Conformis imagini filii sui.* Id quod & in sancto Jacobo verificatum fuit. Plato qui ob eminentiam sapientiæ suæ ab antiquis divinùs appellatus fuit, inter alias sententias suas, hanc quoque post se scriptam reliquit: *Deo nihil est similius, quam cum ex hominibus aliquis justissimus est: in hoc enim veri hominis præstantia versatur.* Quo fundamento supposito haud difficile erit probare eam, quæ filium Dei inter & S. Jacobum intercessit similitudinem; de eo namque in annalibus Ecclesiasticis legitur: *Jacobus frater Domini, quem omnes justum appellant. Historia* quoque dicit: *Magnus Jacobus, qui vere est, & nominatur.* Et paulo post: *Jacobo divino Patria fuit Judæa.*

An 63 n. 2.

4 *Conformis imagini filii sui.* Porrò sciendum est, quod ut supra tetigimus, Sanctus Jacobus una cum Salvatore nostro pariter educatus fuerit, de quo Dionysius Carthusianus ait: *Jacobus iste dictus est frater Domini, scilicet Christi: quoniam in vultus dispositione, lineamentisque corporis ac modo conversationis extitit ei simillimus.* Etenim quod in vultu similis illi extiterit, cujus summa laus est, quod sit *speciosus forma præ filiis hominum*, neutiquam miror, cum venustas & elegantia vultus gratuitum DEI donum sit: Dignissimum autem est admiratione, quod Jacobus filio Dei in moribus similis fuerit: *Modo conversationis.* Dicunt nonnulli Judam hoc lictoribus signum vel notam infallibilitatis dedisse: *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*; idque non ideo fecisse quasi ipsi Redemptorem probè satis non agnovissent: sed quia ob magnam Jacobi cum Christo similitudinem metuebat, ne forte in tenebrosi crepusculi obscuritate in alterutro apprehendendo graviter errarent. Sanctus Ignatius Martyr in quadam Epistola sua ad Sanctum Joannem Evangelistam directa ita scribit: *Si licitum mihi est, apud te Hierosolymam volo ascendere, ut videam illum venerabilem Jacobum, quem referunt Jesu Christo simillimum facie, vita, & modo conversationis; ac si ejusdem frater esset gemellus.*

Mansi Prompt.

5 *Conformis imagini filii sui.* Porrò Salvator noster passim apud omnes in tali erat conceptu sanctitatis, ut Hemorrhoissa illa intra se dixerit, nec frustra: *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* De S. Jacobo S. Hieronymus scribit: *Vir fuit tantæ sanctitatis & rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus cuperent attingere.* De Christo scribitur, quod quocunque ibat, ubicunque beneficentiæ suæ vestigia impressa reliquerit. *Pertransiit benefaciendo & sanando omnes.* De S. Jacobo quoque legitur: *Manus quæ semper movebantur ad benefaciendum.*

Matth. 9. 21.

Epist. ad Gal.

Act. 10. 38.

6 *Conformis imagini filii sui.* Salvator noster protestatus est, se de cœlo in hunc mundum alio fine non venisse, quam ut gregis Judaici Pastor fieret: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Simili modo licèt alii Apostoli per totum mundum dispersi fuerint ad annuntiandum gentibus Evangelium, non errans tamen aut fluctuabunda cœli providentia circa Jacobum ita disposuit, ut is in dispersionem gentium abire non sineretur, sed ejusdem gregis Israelitici pastor fieret: *Eum post Christi Ascensionem Apostoli Hierosolymorum Episcopum creaverunt.*

Matth 15. 24.

In Lect.

7 *Conformis imagini filii sui* Sanctus Paulus Christum fundamentalem, & angularem Ecclesiæ lapidem fuisse dicit: *Super ædificati super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Videamus obsecro, num aliquid simile de Jacobo dici possit? Clemens Alexandrinus scribit: *Petrum & Jacobum, & Joannem post Salvatoris in cœlum ascensum, cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendisse inter se: sed uno consensu Jacobum justum Hierosolymorum Episcopum designasse.* Ratio autem quæ ad hoc eos movit, hæc est, quia eum Ecclesiæ basin atque columnam esse noverant: Unde Cardinalis Baronius scribit: *Cum credentium in Christo numerus indies magis magisque augeretur; inter cætera quæ ad coagmentandam nascentem Ecclesiam sunt ab Apostolis salubriter ordinata, Jacobus Alphæi cognomento justus, idemque frater Domini dictus à Petro Apostolorum Principe ordinatur Hierosolymorum Episcopus; sedit annos viginti novem.*

Eph. 2.

Citatus à Baronio. An 34. nu. 291.

8 *Conformis imagini filii sui.* Quonam obsecro motivo perfida & crudelis Synagoga ad inferendam Christo mortem concitata fuit? Nimirum: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Quod sanctum Jacobum attinet, Salmeron & alii existimant Ananum summum Sacerdotem sancti Jacobi Apostoli æmulum, summam in qua Jacobus passim apud omnes erat, venerationem ferre non valentem, præcipuè verò de eo quod semper ei pro libitu in sancta sanctorum liber pateret aditus (cum tamen id ipsi non nisi semel in anno concederetur) dolentem, eo inductum fuisse, ut eum tanquam partialem & Christi sequacem discipulum accusaret, eique necem inferri satageret.

9 *Conformis imagini filii sui.* Sicut Christus filius Dei inter omnes virtutes mansuetudinis virtutem maximi æstimavit: *Discite à me, quia mitis sum*: ita quoque in hac eum summo studio imitari conatus est sanctus Jacobus. *Oculus ejus lenis & placidus.* Etenim S. Jacobus juxta venerabilis Bedæ venerabilem discursum & opinionem post sancti Stephani lapidationem eo præcipuè fine consecratus est Hierosolymorum Episcopus, ut Judæos ex zelosissimi hujus Prothomartyris reprehensionibus, quas illa verba: *Dura cervice & incircumcisis cordibus*, sufficienter indicant, exacerbatos suavitate & benignitate sua Apostolica mitigaret, atque Evangelio lucraretur, quod ipsum magna ex parte assecutum esse valde est verisimile, siquidem viginti novem annis in summa quiete, & absque ulla perturbatione illam gubernavit Ecclesiam.

Sur.

10 *Conformis imagini filii sui.* Denique Christo ad ultimum usque Spiritum conformis fuit, quia sicut Salvator noster se pro suis crucifixoribus interposuit, ita quoque S. Jacobum fecisse legimus in annalibus: *Quoniam dejectus in præceps, non statim mortem obiit sed vultu sursum sublato, genibusque flexis dixit: Obsecro Domine, Pater da illis veniam; nesciunt enim quid faciunt.* Enimvero licèt verum sit S. Jacobum in hac mansuetudinis virtute Christo simillimum fuisse, attamē eidem in modo seu specie supplicii perpessi valde dissimilis extitit, siquidem illud mortis genus sibi elegit, quod Redemptorem nostrum perpetuo fugisse constat, neque enim Christus decapitari,

An. 63 n. 6.

ri, aut lapidari, vel præcipitari voluit; ſcimus enim, quod cum à perfidis Hebræis in montis verticem ductus eſſet, ut inde eum præcipitem agerent, miraculosè ſe inviſibilem reddiderit: *Ipſe vero tranſiens, per medium illorum ibat*. Oſſa quoque ſibi confringi non permiſit, poſtquam enim eorum qui cum eo crucifixi erant, crura fregiſſent, *ad Jeſum cum veniſſent, non fregerunt ejus crura*. S. Jacobus autem tanquam frater Chriſti, prædicta ſupplicia omnia in perſona ſua adimpleri voluit, ut cum veritate dicere poſſet: *Adimpleo ea, quæ deſunt Paſſio-*
Coloſ. 1. 24. *num Chriſti in carne mea*; ipſe namque lapidatus & è ſublimi præcipitatus eſt, nec ſolum oſſium & crurium, ſed & capitis fracturam fortiter ſuſtinuit.

Hi duo Apoſtoli Chriſtum ſequi, ipſumque in cunctis actionibus ſuis imitari ſtuduerunt.

DISCURSUS TERTIUS.

Vado parare vobis locum. Joan. cap. 14.

1 IN celeberrimo illo ſermone, quem Chriſtus Salvator noſter in ultima cœna ad diſcipulos ſuos habuit, è quo Evangelium hodiernum deſumptum fuit, Chriſtus Apoſtolos ſuos erudit, & docuit in domo Patris ſui manſiones multas eſſe, ideoque omnem ab illis metum ponendum eſſe: *Non turbetur cor veſtrum: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; atque ut conceptum hinc gaudium tanto magis adaugeret, ſubjunxit: *Vado parare vobis locum*. Verùm dicat aliquis ex quo cœlum Empyreum ab ipſo mundi exordio hoc fine fabricatum fuit; unde dicitur. *Paratum vobis regnum à conſtitutione*
Matth. 13. 35. *mundi*, quomodo nunc ſe eo fine abire dicit, ut locum pro illis præpararet? Cardinalis Toletus putat Chriſtum Apoſtolis dicere voluiſſe, quod ad Paradiſi portam, generi humano tot ſæculis occluſam aperiendam abiret, quaſi diceret: *Vado aperire januam cœli*. Id quod mediante glorioſa aſcenſione ſua adimplendum erat. Vel etiam: *Vado parare locum*. Quaſi diceret (ut interpretatur Dionyſius Carthuſianus) aſcendo in cœlum, ut inde vobis mittam Spiritum ſanctum, ut per plenitudinem gratiarum, & donorum ejus, digni efficiamini, qui in æternas illas manſiones aditum habere poſſitis. Inſuper idem Cardinalis Toletus dicit, quod *parare locum* idem ſit, quod ſeſe ad ſolvendum pro nobis gloriæ pretium, id eſt, ad effundendum ſanguinem accingere, ut per illius merita æternam nobis compararemus beatitudinem. *Solvere pretium manſionum ipſarum*.
Cap. 2. Doctor Angelicus autem in ea fuit opinione, quod Chriſtus ad diſcipulos ſuos converſus per hæc verba illos monere voluerit, quod abiret ad demonſtrandam illis viam, per quam ipſis eundum eſſet, ut ad beatum illud Regnum pervenirent. *Demonſtrando eis viam ad locum eundi*. Unde Michæas prædixit: *Aſcendit, pandens iter ante eos*. Atque ideo notandum quod hoc dixerit in nocte illa, in qua poſtea die ad Calvariæ montem aſcenſurus, ibidemque Crucis patibulum amplexurus erat, adeoque verbis illis Apoſtolis inſinuare voluit, quod via quæ ad locum illum conducit, quem ipſe illis præparaturus abiret, non ſit alia quam dolere, pati, & mori. Quam vivaciter autem ſalutare hoc monitum amborum Apoſtolorum Philippi & Jacobi cordibus impreſſum fuerit, velim, audiatis.

2 *Qui vult venire poſt me* (inquit Chriſtus) *tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*. Id quod S. Philippus *ad literam* adimplevit, utpote ad ſequelam ipſius promptiſſimus. Unde apud ſanctum Joannem ſcribitur:
Joan. 1. 43. *In craſtinum volebat exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei Jeſus: ſequere me*. Circa quæ verba in primis notandus eſt locus, in quo eum invitavit. Gloſſa dicit: *Ipſo loco innuens, ut ſicut ipſe per paſſionem intravit in gloriam; ſic & ſequaces. Sequere me*. Quaſi diceret, ut exponit ſanctus Thomas: Ad eandem viam ingrediendam accingere, quam ingreſſus eſt ipſe, nimirum Paſſionis. *Sequitur, qui imitatur humilitatem & Paſſionem ejus, ut ſit ſocius Reſurrectionis & Aſcenſionis*. Immediatè igitur, & ſine ulla dilatione ipſius ſe ſequelæ addixit. Unde S. Bonaventura hæc ei verba attribuit,
In Joan. *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus*. Quæ verba indicativa ſunt mortis & Paſſionis Chriſti, juxta illum Sancti Petri textum: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens* 1. Petri 2. 21.
exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Enimvero certum eſt, quod ad hoc ut quis viam aliquam ſecurè perambulet, multum conducat, quod ſemitam, & veſtigia ejus qui in eadem via ipſum anteceſſit, clarè pervideat. *Demonſtrando eis viam*. Salvator igitur eis viam demonſtravit, quam eum in morte imitando, ingredi deberent. Legatur idemmet capitulum ſancti Joannis, in quo ſanctus Philippus ad Apoſtolatum vocatus fuit, ibi namque invenietur, ad eandem Apoſtolicam dignitatem SS. Andream & Petrum antecedenter vocatos eſſe, tandem vero eundem Evangeliſtam vocationem quoque proſequi ſancti Philippi. Circa quem locum S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Erat ejuſdem animi cum prioribus Philippus*, quaſi dicere vellet: increata illa ſapientia probe cognovit ſanctum Philippum quoque exemplo duorum fratrum Petri & Andreæ patiendi, & in Cruce quadam moriendi cupidum eſſe: *Et ad ſectandum Chriſtum per quam idoneus*. Hinc igitur facile intelligetis myſterium, cur ſcilicet Chriſtus de vicina & jam jam imminente Paſſione ſua, ſub grani frumenti ſubtus terram ſepulti tractans, ſanctis Andreæ Joan. 12. 23
& Philippo ſpecialiter locutus fuerit: *Venit hora, ut clarificetur filius hominis: amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Id quod ab authore Hiſtoriæ vitæ ejus benè obſervatum fuit, dum ait: *Atque hæc quidem Chri-* Sur.
ſtus illis diſſeruit, id eſt, Andreæ & Philippo, utpote ad cunctandum veſtigia ejus cæteris promptioribus & ferventioribus. Jam ſupra Philippum ad imitationem Magiſtri ſui flagellatum, & in Cruce ſuſpenſum eſſe diximus, præterquam quod inſuper lapidatus fuerit: *Philippus Apoſtolus Chriſti* (ait Baronius) *apud* An. 54 n. 3.
Hierapolim Aſiæ civitatem, dum Evangelium populo nunciaret, Cruci affixus lapidibus opprimitur. Alexander Jonatham honorare volens, amici titulo eum inſignivit, atque impoſita in verticem ejus corona, purpura quoque eum circumdedit: *Ut amicus vocaris Regis, &*
miſit ei purpuram & coronam, ut quæ noſtra ſunt, ſen- 1. Mach. 10. 28.
tias. Chriſtus Dominus S. Philippum quoque amicum ſuum eſſe declaravit, id eſt, Apoſtolum. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*. Eumque hoc privilegio decoravit, ut ſcilicet eum cruentæ ſuæ Paſſionis & Crucifixionis participem efficeret. *Ut quæ ſunt noſtra, ſentias. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu*. Id quod de Paſſionis ſuæ participatione intelligitur.

3 Ex dictis hactenus igitur in dubium revocari nequaquam poteſt, quin monſtratam ſibi a Chriſto viam perfectè ſecutus fuerit, ſiquidem eum exemplo Magiſtri ſui cernimus Crucifixum. Supereſt nunc, ut ſanctum Jacobum idem feciſſe, demonſtremus. Enimvero unum ex evidentioribus argumentis, unde Apoſtolum hunc veſtigia Chriſti ſecutum fuiſſe probemus, eſt quod à primis vitæ crepundiis una cum ipſo educatus fuerit, prouti ſanctus opinatur Epiphanius, ideoque per longum an- Hæreſ. 78
norum gyrum oculatus teſtis fuit virtutum & mirandorum operum incarnatæ illius Sapientiæ, cujus omnis actio noſtra fuit inſtructio; unde credibile eſt eum ex conſpectu ſanctiſſimorum exemplorum Chriſti plurimum profeciſſe. Salvator etenim noſter Apoſtolos ſuos vivas ſui effigies & copias eſſe volebat *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Quotieſcunque de S. Jacobo ſermo eſt, ſemper ferè cæterorum Coapoſtolorum anteſignani nomine nobilitetur, non quidam in ordine ad dignitatem & poteſtatem; ſed quoad ſanctitatem & perfectionem. Heſichius eum appellat:
Novæ Hieruſalem ſummum ducem, ſacerdotum Principem, In orat. apud Plut. in Bib. n. 833.
Apoſtolorum verticem. Diſcite a me (inquit cœleſtis hic Magiſter ad Apoſtolos ſuos) *quia mitis ſum & humilis corde*, q. d. volo ut inter omnes alias lectiones hanc quàm maximè diſcatis, eamque cordibus veſtris tenaciſſimè imprimatis, id eſt, ut exemplo meo manſueti & humiles ſitis. Porrò S. Jacobum pro lictoribus & carnificibus ſuis orando manſuetiſſimum fuiſſe, jam ſupra diximus; ſupereſt nunc ut de admirandis humilitatis ejus ſpeciminibus mentionem quoque faciamus. *Cum ei liceret* Surius.
ſeipſum vocare Apoſtolum aut Epiſcopum, aut, quod majus eſt, fratrem Domini; quibus nominibus ipſum quoque Paulus ſignificavit, ſcribens ad Galatas, videtur delectari humilioribus: ſe eſſe ſervum Dei ſignificat tribubus Iſ- In cap. 1. Act. Apoſt.
raelis. Acutè Theophylactus obſervat, omnino qui-

dem

dem docuisse, ut S. Jacobus utpotè Episcopus Hierosolymitanus in propria sua sede residens, primus ante omnes loqueretur, & tamen hic Petro libenter primum verbum cessit, ea de causa præcipuè: *Quia vir probus & modestus erat, quia nihil humanum cogitabant, & curabant, sed communem utilitatem propositam habebant.* Adhæc humilitatem suam in eo quoque probavit, quod multos à Christo receptos favores perpetuò absconderit, & quidem in specie eum, quem accepit, quando Christus ei post resurrectionem apparuit: quem sicut & alia eximia dona sua ex profundissimæ humilitatis instinctu sub perpetuo silentio sepelivit.

4 *Demonstrando ei viam per quam ambularet.* Enimvero Redemptorem nostrum aditum sibi in cœlum mediante passione sua parasse, supra jam diximus: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Hæc igitur via erat, quam Apostolos suos docebat. Porrò S. Jacobum toto eo, quo post Christum crucifixum vixit tempore, pedem suum Hierosolymis extulisse minimè constat, adeoque monti Calvariæ semper propinquissimus fuit; undè dubium non est, quin hujus sibi semper præsenti aspectu in meditatione mortis & passionis Christi Redemptoris nostri, præ omnibus aliis profundiùs penetraverit. Adhæc passiones & austeritates vitæ suæ sustinuit rigorosissimas, adeo ut quamdiu vixit, longum quoddam valdeque pœnosum sustinuerit martyrium. Optimè S. Augustinus scribit: *Pervenitur non solum occasu, sed etiam contemptu carnis ad coronam.* Priusquam sanctus hic Apostolus suum pro Christo sanguinem funderet, jam, per 96. annos corporis martyrio per vitæ austeritates & rigores incredibiles, consummando assiduam operam adhibuit, sitique semper vehementissima, in testimonium ejus quam prædicabat, fidei venas suas patulas & fluidas videre desiderabat; quod ex Epistola ejus Canonica satis liquet, in qua unicum hunc sibi finem propositum habuit, ut scilicet fideles ad moriendum pro Christo, & ad perseverandum inter tyrannorum persecutiones in confessione Evangelii animaret. Denique virginitatis speciali dono decoratus fuit. Cujus testimonium Cardinalis Baronius ex S. Epiphanio desumpsit, qui *ipsum semper virginem permansisse* testatur: In lectionibus Matutini hodie recitavimus: *Vinum & siceram non bibit, carne abstinuit, nunquam tonsus est, nec unguento, nec balneo usus.* Egesippus quoque ab eodem Card. Baronio citatus de eo sic scribit: *In templum solus intrare solitus erat; atque ibi genibus humi positis pro populi peccatis veniam postulare; cujus genua, quod tam assiduè tum ad Deum augustè sanctèque adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam procumbebat; cameli instar tuberculis contractis obduruerunt.* His itaque aliisque austeritatibus, quas calamus describere Historicorum prætermisit, corpus suum diu multumque afflixit. Multo autem minus ad nostram pervenere notitiam miracula aliaque opera heroica, interniique actus amoris Dei, mortificationis, omniumque aliarum virtutum, in quibus per tot annorum decursum se exercuit. Josephus Hebræus, tametsi ejus, quam S. Apostolus profitebatur, vitæ inimicus extiterit, post se tamen scriptum reliquit, quòd scilicet huic tam sancto viro irrogatum mortis supplicium, Hierosolymæ fuerit unicum excidium & exterminium. *Tanta enim est virtus* (ut ipse Plutarchus ait) *ut non solum probos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat.*

Serm. de Martyr.

An. 63. n. 3.

n. 2. ibid.

In vita Scipionis Africani.

De sanctorum Apostolorum Philippi, & Jacobi in Christi vestigiis consectandis vera, & viva fide.

DISCURSUS QUARTUS.

Nemo venit ad Patrem nisi per me.
Joan. cap. 14. v. 6.

1 IN hodierno Evangelio Salvatorem nostrum coram Collegio Apostolico protestantem audivimus, & dicentem: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quibus verbis, ut ea Lyranus interpretatur, dicere voluit. Neminem ad beatitudinis possessionem pertingere posse, nisi credat in eum, ipsumque priùs opere ipso imitetur: *In me credendo, & opere imitando.* Quod Christi axioma amborum Apostolorum Philippi & Jacobi mentibus profundè insitum fuit, ac proindè nunc in cœli capitolio gloriosi triumphant; vivam namque fidem habuerunt in Christum, eumque omni studio sunt imitati. Videamus idipsum primò quidem de S. Philippo Apostolo.

2 *In me credendo.* Eodem tempore, quo sanctus hic Apostolus fidem in Redemptorem primitùs est amplexatus, simul etiam ad Christi sequelam invitatus fuit, *Cum venisset Jesus in Galilæam, & hunc magnum invenisset Philippum, jussit ei ut ipsum sequeretur.* Fuit autem hæc S. Philippi fides plurimum admiranda in hoc, quòd oculis corporeis hominem quendam conspiciens, illum nihilominùs Filium crediderit esse ipsiusmet Dei; siquidem eum tanquam verum & indubitatum Messiam tanto tempore desideratum & promissum suspexit, cùm tamen idem Redemptor noster tunc præ se ferret exteriùs hominem pauperem, abjectum, nudum, discalceatum, ab omnibus contemptum, & fabrifilius reputaretur: *Nonne hic est filius fabri? nonne mater ejus dicitur Maria?* Vix pedem suum scholæ Christi intulerat, cum ecce fidei, qua imbuebatur, adeò mox cooperatus est, ut in vitæ ipsius historia de eo scribatur: *Sacratissimus Philippus aures prabens sacris mysteriorum institutionibus, tota mente in illis versabatur, nulla eum cura attrahente ad alia; & luce divinioris cogitationis expurgabat cogitationem.* Porrò fidem hanc S. Bonaventura admiratus scribit: *Figuratur perfectio ejus in plena Christi imitatione, quod implicatur ibi: sequere me.* Baronius Clementem Alexandrinum lib. 3. Stromatum citat, qui in ea fuit opinione, quòd S. Philippus adolescens ille fuerit, cui incarnata Sapientia dixit: *Sequere me; Et dimitte mortuos sepelire mortuos suos;* atque insuper dicit, quòd hic Author idipsum tanquam rem minimè dubiam testatur. Magnum profectò vivæ fidei specimen fuit, quod sanctus hic Apostolus proprium patrem aliis sepeliendum reliquerit, ut tantò promptiùs Christo obedire, ipsumque sequi posset vocantem. *Sed unde Philippus secutus est Christum?* interrogat Chrysostomus: *Nam Andreas quidem audiens à Joanne Baptista; Petrus autem ab Andrea: hic à nullo aliquid discens, solum dicente Christo ad eum: sequere me, confestim persuasus est.* Sine ullo prævio diutino examine, & absque ulla dilatione, ut Christum Messiam esse crederet, persuasus fuit. Undè Theophylactus ait: *In corde Philippi de Christo cogitatio inerat, & in libris Moysi assidua lectio, ut expectaret Christum, & statim cum vidit, credidit.* Etenim quam ex invento Domino & Messia conceepit, lætitia, necnon solicitudo quacum ei occurrit, satis in eo manifestatur, quando totus festivus & gaudio plenus Nathanaeli dixit: *Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth.* Ubi observandum est, quod S. Philippus eum, quem passim omnes alii filium Joseph esse æstimabant, Filium Dei esse firmiter crediderit. Porrò Christus illis verbis; *Sequere me,* juxta B. Alberti Magni expositionem dicere voluit: *Doctrinam & exemplum imitare;* quod & ipse alacriter præstitit: nam à primis adultioris vitæ annis sacræ Scripturæ studio totum se consecravit: *Statim ab ineunte ætate traditus est à parentibus erudiendus disciplinis; cum autem rectè fuisset educatus, & in omni laudabili disciplina jam institutus esset & eruditus, libros perlegit Mosaicos, & quæcumque fuerunt de Christo prædicta Mysteria, imbibit.* Quamvis insuper verissimum sit, quod sapientiam illam atque doctrinam, quacum posteà tot gentes ad veram Christi fidem convertit, una cum aliis in ipsa die Pentecostes in cœnaculo Sionis hauserit. Et quidem quæ & quanta illa sapientia, quam Spiritus ille, *qui docet omnem veritatem,* ei infuderat, fuerit, ex abundantissima messe quam sibi collegit, facilè conjici potest. Salmeron dicit: *Interpretatur Philippus os lampadis, quæ quidem à Christo igne accensa incepit illuminare Nathanaelem; & post Christum in cœlum assumptum, totum mundum.* Audite obsecro qualiter S. Joannes Evangelista, cujus calamum Spiritus Sanctus specialiter direxit, vocationem S. Philippi promptamque ejus in sequendo obedientiam descripserit: *Invenit Philippum, & dicit ei Jesus: sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida civitate Andreæ & Petri.* Quid autem opus hoc loco erat Bethaidæ mentionem facere? Glossa respondet: *Non frustra nominatur civitas: nec frustra dicitur Philippi, Petri, & Andreæ: sonat enim domus venatorum, in qua notatur animus, & officium istorum; sunt enim venatores in capiendis animabus: undè Philippus antequam fiat Apostolus sponte vocat Nathanaelem.* Qua in re Salvatorem nostrum est imitatus, qui ut animas nostras sibi acquireret, de cœlo in hunc

Surius.

Matt. 13. 55.

An 31. nu. 28.

In Cat. D. Thom.

In Cat.

Joan. 1. 46.

In Joan.

In Joan.

Tom 4. Tract. 58.

Joan. 1. 43.

mundum descenderat. Glossa insuper addit: *Cautus venator multis rationibus veritatem fratri adstruit*. Neque credendum est Apostolum in Nathanaelem causaliter incidisse, quia verba illa: *Invenit Philippus Nathanaelem*, satis indicant, hunc adhibito studio quæsitum fuisse. Undè S. Cyrillus Alexandrinus ait. *Cito admodum discipulus ille fructum adfert: invenit Nathanael non casu oblatum, sed studio quæsitum*. Multæ quoque conversiones præclaræ per ipsum institutæ sunt. Ei namque Asia obtigit superior, in qua Evangelium prædicavit, & innumeras Christo lucrifecit animas. Id quod in eo tantò majorem meretur admirationem, quantò Scythia, in qua pariter Evangelii præco fuit, populum habet inhumaniorem, omnibusque aliis intractabiliorem magisque barbarum: *Admirabili huic Apostolo sorte obtigit Asia, quam quidem in orbem obiens, & in multis quidem versans civitatibus & regionibus, innumerabilem multitudinem fecit veræ pietati consentire.* In Martyrologio quoque Romano dicitur: *Postquam omnem fere Scythiam ad fidem Christi convertisset*. In cujus primaria civitate seu metropoli, quæ Hierapolis dicebatur, vipera quædam adorabatur per oblata illa sacrificia, undè facilè colligi potest quales fuerint hujusce Dei adoratores. *Opere imitando*. Est hic alter punctus, qui pariter in S. Philippo *ad literam* adimpletus fuit; siquidem hic exemplo Christi flagellatus, ac demum in crucis trunco suspensus fuit. Advertendum est autem, quod priusquam Salvator dixisset. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, jam anteà satis declaraverat se viam esse, quæ ad æternum Patrem suum secure perducit. *Ego sum via*. Circa quę verba Hugo Cardinalis ait: *Via dicitur ferrata, pro crucis clavis: dicitur signata, pro ipsa cruce, ut omnibus appareat: sicut ponuntur cruces in capitibus viarum; etiam lapides pro lapidibus, quos in Christum projecerunt*. Per omnes hasce vias SS. Philippus & Jacobus perambularunt; primus cruci clavis affixus est: *Pro Christi nomine cruci affixus lapidibusque obrutus*. Ecce crucem, ecce lapides. S. Jacobus pariter ponderosissimam illam crucem portavit de qua S. Maximus: *Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est*. Per spatium namque 96. annorum vitam traduxit austerissimam. Per viam quoque lapidibus pavimentatam pertransiit; siquidem *lapidibus appetitus, Christum Dei Filium constantissimè prædicans*: verùm enimverò plura alia præclara sunt, in quibus imitatus est Redemptorem.

In Joan.

Surius.

Hom. 2. in Natal. SS. Mart.

3 *In me credendo & opere imitando cœpit Jesus facere & docere*. De S. Jacobo non constat, quòd prædicationis suæ aliquod fecerit exordium, nisi post trigesimum annum; cæteris autem annis præcedentibus operatus est. Idque ab eodem Salvatore didicerat, qui prius multo tempore *cœpit facere*, & dum trigiota annorum attigisset ætatem, suam exorsus est prædicationem. Porrò per assiduam cum increata & incarnata Sapientia habitam familiaritatem & quotidianum convictum, in scientiis Theologicis, & disciplina Ecclesiastica ita eruditus evasit, ut ipsemet Collegii Apostolici vertex, imo & S. Paulus, qui in tertio cœlo edoctus fuerat, omnibus ejus consiliis haud secus detulerint, quàm si cœlestia fuissent oracula: in eo namque concilio, de quo in Actibus Apostolicis fit mentio, quod ab Apostolis celebratum fuit, omnia juxta S. Jacobi Apostoli dictamen decreta fuerunt. *Quod a Jacobo fuerat decretum, scriptum est ab Apostolis, & Ecclesiæ pro forma traditum: tanta apud Apostolos fuit ejus reverentia*. Sanctus quoque Apostolus ad Galatas scribens, se nullum alium itineris sui, quod Hierosolymam versus fecerat, habuisse finem declarat, quàm ut Evangelium & doctrinam suam, quam gentibus annuntiaturus erat, cum S. Jacobo conferret. *Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus*, id est, cum S. Petro, S. Joanne, & S. Jacobo. Verum advertendum est quod S. Chrysostomus dicit: *si quis*, inquit, *à me percontaretur, quomodo S. Jacobus sedem Hierosolymitanam accepit, responderem ego hunc totius orbis Magistrum proposuisse Petrum*. Quodnam desiderare potestis majus scientiæ ipsius testimonium? Et tamen quantum ipse hæc omnia celavit? In Evangelio multa quidem aliorum Apostolorum verba leguntur, prorsus tamen nullum ab hujus Apostoli ore dimanasse legitur, utpotè quia illud S. Jeremiæ documentum firmiter observavit: *Sedebit solitarius & tacebit*. Ubi S. Ambrosius ait: *Ut totus possit intendere seniorem præceptis, Prophetarum oraculis, Apostolorum magisterus, laudandus: eo quod vult prius loquenda cognoscere, quam proferre quæ sentiat*.

Act. Ap. 3. 22.

Surius.

Gal. 22.

Hom. 87. in Joan.

Thre. 3 28. Serm. 2 in Psal. 118.

4 *Opere imitando*. Non enim Christo in solo externo vultu similis fuit, verùm etiam in moribus & virtutibus Christianis. Undè à Card. Baronio citatus Origenes ait: *Et sane non magis ob hanc sanguinis propinquitatem, quam ob morum similitudinem, & sermonis mutui cum Jesu commercium, ut justus diceretur effectum est*. Enimvero tametsi tres alii fratres illius sancti, & in eodem parentelæ gradu cum Christo conjuncti essent, solus tamen Jacobus per antonomasiam sanctus, & frater Christi appellatus fuit, eo quod in moribus & vitæ sanctitate illi similis extiterit. Veruntamen quoddam hic mihi subnascitur dubium, quamobrem videlicet omnibus aliis Apostolis per universum orbem dispersis, & Evangelium prædicantibus, solus Jacobus Hierosolymis relictus & reservatus fuerit; quæ difficultas vel exindè magis augeri videtur, quod ad hoc ut Redemptori similis esset: parum videbatur conducere, quod illorum tantùm Pastor esset, qui nomen & memoriam Christi, cujus ipse frater dicebatur, tam pertinaciter oderant, ut dicatur: *Judæis quidem scandalum*; cum tamen ex alia parte in aliis provinciis major prædicationis fructus, quàm in illis sperandus videri potuisset, eo quod non in solo vultu seu facie externa, verùm etiam in sanctissimis suis exemplis Christo, quem omnes annuntiabant, similis esset. Ad hoc tamen responderi potest, hanc eandem fuisse causam, cur Hierosolymis, aliis abeuntibus, ipse solus remanserit, quia scilicet frater Christi esse æstimabatur. Memorandum enim, Deum quondam in Deuteronomio legem condidisse, ut uno fratre sine liberis moriente, is qui reliquus superesset, defuncti fratris sui sibi desponsaret conjugem, quique ex tali conjugio nascerentur liberi, filii primi seu defuncti fratris esse censerentur: Christus quoque synagogæ desponsatus erat, id est, cùm ecclesia Hierosolymitana, ac proindè cùm hic ab Hebræis crudeli morte necatus fuisset, justum erat ut S. Jacobus, utpotè existimatus frater ejus, eidem Ecclesiæ Hierosolymitanæ spirituali sponsalitio nuberet. Porrò idipsum S. Bernardus Doctor mellifluus in lib. *De Consideratione*, dicere voluisse videtur, dum ad Eugenium Papam ita scribit: *Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens: pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille; nam dictus est frater Domini*.

An. 63 n. 3

Deut. 25 5.

Lib. 2. c. 2.

5 *Opere imitando*. Salvator noster in orationibus & sermonibus suis nihil æque premit quàm discipulorum suorum omniumque sequacium unionem atque concordiam. Undè in sermone ultimæ cœnæ earum, quas tunc æterno Patri suo præsentavit, supplicationum una fuit: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum sicut & nos*. Vultisne ejus, quam S. Jacobus inter fideles gregis sui instituit unionis & concordiæ perspicuum videre argumentum. S. Lucas idipsum claris verbis enuntiat, dicens: quod *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una*.

Joan. 17. 11

6 *Opere imitando*. De Christo legimus quòd *Erat pernoctans in oratione*. Quis autem ex omnibus discipulis in altissima contemplatione magis absorptus fuit? *Assiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, ut duritie cameli pellem imitaretur*. Aptissimè his occurrit elegans illa cameli similitudo, ad eliciendum exindè in ejus laudem egregium conceptum. Etenim animal istud onera excepturum genuflectit; ubi verò se satis superque onustum esse advertit, propria se sponte denuo in pedes erigit. Porrò S. Jacobus ad imitationem Christi peccatis commissi sibi populi onerabatur, ideoque sese apud divinæ justitiæ tribunal pro impetranda ei venia interpositurus, vix unquam è terra surrexit, deflexis semper genibus Deum precabatur, ideoque cœlestis vindictæ flagellum, quod ob Salvatoris nostri diram crucifixionem illi civitati imminebat, diu continuit & retardavit. Vix autem in pedes sese erexit, cùm post illatam sibi necem, eùm solitas pro illis preces genuflexus fundere desineret, horrendum illud sub Tito populis illis excidium accidit. Sancto quoque Jacobo S. Petri Christi in terris vicarii conservationem in acceptis referre debemus, cujus tunc in Ecclesia etiamnum magna erat penuria & necessitas. Cùm enim S. Petrus ab Herode squallidis teneretur in vinculis, ut eum, sicut paulò ante S. Jacobum Majorem, neci traderet. S. Jacobus noster universæ Ecclesiæ suæ, id est, toti gregi suo indefessabiles ad Deum preces pro ipso fundere quotidie præcepit: *Oratio autem fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo*. Undè miraculosè protinùs liberatus fuit; in cujus beneficii recognitionem S. Petrus illos de sua liberatione certiores

reddidit, ostendens se liberationem suam, ejus aliorumque devotis orationibus in acceptis referre.

In laudem S. Philippi Apostoli declarantur verba sequentia Thematis assumpti.

DISCURSUS QUINTUS.

Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis. Joan. cap. 14.

1 QUoddam in eo latet mysterium, quod sancta Dei Ecclesia in horum sanctorum Apostolorum festivitate Evangelium quoddam adeo particulare nobis proponat, ut simile in nullius alterius Sancti festivitate fieri aut factum esse legatur: estque illud Evangelium ex ultimo sermone cœnæ desumptum. Credo equidem illius hanc esse rationem, quod nimirum nominatim in eo agatur de S. Philippo: *Dicit ei Philippus, &c.* vult enim sancta mater Ecclesia, ut ex hac postulatione in eminentium meritorum ejus notitiam deveniamus, dignasque ejus eliciamus laudes.

2. Adeo stricta Deum inter & Moysen familaritas intercedebat, ut Spiritus sanctus scribat: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Unde factum est quod Moyses
Exod. 33. 11. illa superioribus sæculis inaudita coram Deo usus sit confidentia, ut dicere non dubitaret: *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Ecce tibi autem cordialem hanc fiduciam in S. Philippo Apostolo renovatam, qui Christi erga se particularem & excessivum amorem videns, petitionem hanc inter omnes, quæ unquam in hac vita factæ fuerunt, maximè arduam Christo proponere non erubuit, nimirum ut sibi, qui mortalis homo erat, oculos suos in divinam essentiam defigere liceret. De hac eadem ipsum inter & Salvatorem solita familiaritate in lectionibus quoque hodiernis Matutinalibus facta est mentio hisce verbis: *Quàm vero Christus eum familiariter adhiberet, illud facile declarat, quod Gentiles Salvatorem videre cupientes ad Philippum accesserunt*. Adeo ut si Christus Magnatum more amplam habuisset aulam, dici posset S. Philippum ab eo declaratum fuisse magnum aulæ suæ seu cameræ præfectum. Similiter quando de ingenti illa se sequentium, sibique triduo integro adhærentium multitudine in deserto pascenda agebatur, tametsi alios quoque secum haberet Apostolos, & quidem hos inter etiam SS. Petrum & Joannem sibi amicissimos, cum solo tamen Philippo consilia sua tractavit: *Dicit ad Philippum: undè ememus panem, ut manducent hi?* Imo nonnulli cre-
Joan. 6. 5. dunt, ad ipsum directa fuisse verba sequentia: *Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Do-*
Luc. 12. 42. *minus super familiam suam?*

3. Verùm enimvero mirum in modum adaugetur S. Philippi meritum, si consideremus quod non obstante ingenti hac familiaritate, mutuoque convictu, quo cum Christo utebatur, nequaquam ab illo bona postularit temporalia, sed sola poposcerit cœlestia. *Primum quærite regnum Dei*. Porrò duo illi fratres, qui mediante matris ipsorum intercessione in gratia & benevolentia Christi multum profecerant, primas regni sui sedes petierunt, temporaliter eum regnaturum existimantes. Alii Apostoli eventus futuros, quantumvis procul remotos, ab ip-
Matt. 24. 3. so scire desiderabant: *Dic nobis quando hæc erunt?* Alii anxiè interrogabant, quamnam ob spreta omnia mundana & terrena, electamque sui sequelam habituri essent remunerationem: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis?* Alii curiosiores interrogabant, quando *restitues regnum Israel?* Verùm quòd in
Matt. 19. 27. Act. Ap. 1. singularem S. Philippi gloriam cedit, ipse solus inter omnes explicitè ab eo postulat, quod ipsemet Christus in tradita oratione Dominica postulandum esse docuerat, nimirum: *Adveniat regnum tuum*; hoc enim ultimus finis noster est, ob quem vocati & conditi sumus, ad quem omnes operationum & desideriorum nostrorum lineæ velut ad centrum terminari deberent.

4. Veruntamen observandum est, quòd sicut ipsemet Deus Moysi dixit: *Non videbit me homo & vivet*, petitio hujus Sancti ex omni parte benè ordinata minimè erat, quin potiùs excessivum suum se cum Deo arctissimè conjungendi desiderium, ad quod tanto tempore per tot suspiria anhelarat, rectum in eo rationis ordinem obliquarat. At verò si in hoc aliquis ab eo error commissus fuit: fuit utique *error pietatis*. Etenim Salvator noster expressis verbis dixerat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Certissimum autem est S. Philippum ex Matt. 5. 8.
hoc capite visionem Dei prætendere potuisse; cum enim is, qui *scrutatur renes & corda*, expressè declararit, nullum in Nathanaele, qui germanus hujus Apostoli frater erat, culpæ nævum invenire potuisse: *Verus Israelita, in quo dolus non est*; hoc tamen non obstante eidem S. Philippum in dignitate Apostolatus conferenda antepofuit, tanquam magis immaculatum, magisque sanctum, uti est verisimile. *Vide qualiter solicitam mentem habebat Philippus* (inquit Chrysostomus) *qui continuo meditabatur in libris Moysi, & expectabat adventum Christi, omnia perscrutans cum veritate*. Enimvero adeo minutis sacra Scriptura est characteribus exarata ut visus noster aliundè debilissimus eos minimè assequi videndo aut intelligendo nimis est insufficiens; at verò si hisce adeo minutis characteribus lympida quædam & nitida superponatur chrystallus, commodissimè legi poterit, id est, si nimis sublimi & imperscrutabili divinorum mysteriorum cognitioni cor aliquod purum, nitidum & immaculatum adhibeatur, Deus ipse oculis, ut ita dicam, quasi corporeis conspici poterit. *Mundo corde Deum videbunt*. Ubi Nazianzenus dicit; *Eo se magis contemplan-* Ort. 40 in
dum nobis præbent, quo accuratius animo purgaverimus: sac. Baptis.
eo denique magis cognoscendum, quo magis amaverimus. Nec mirum S. Philippum ad eximium hoc aspirasse privilegium dicendo: Ostende nobis Patrem; ex quo adeo purus erat & innocens, tantoque insuper Dei amore flagrabat? Diligite illum inquit Sapiens, & illuminabuntur corda vestra. Circa quæ verba Lyranus ait: Diligite illum ferventius amando; & illuminabuntur corda vestra, clariùs intelligendo: nam amor penetrare facit intima amati. Porrò Christus Philippum amabat tenerrimè, sanctus autem Philippus Christum vicissim tam ardenter amabat, ut omnino sibi persuasum habuerit, unumquemque per solum ejus aspectum in ejus ardentissimum amorem rapiendum esse. Quando Philippus fratri Messiam Josephi à Nazareth filium à se inventum insinuarat, isque ei respondisset: *Nunquid a Nazareth potest aliquid*
boni esse? Sanctus Apostolus utpotè prudens valdè & cir- Joan 1. 46.
cumspectus, nequaquam cum eo disputare voluit, Scripturæ textus, in quibus aliàs versatissimus erat allegando, sciens notitiam & lumen, quo Deus cognoscitur, potiùs per viam amoris & devotionis, quàm per viam scientiæ & doctrinæ acquiri, dixit ei: *Veni & vide*, quasi dicere vellet: sufficiet mihi si illum videris duntaxat, & cum illo familiariter converseris, sic enim futurum esse confido, quòd subito eum revera Messiam esse firmiter sis crediturus. Undè Chrysostomus: *Prudenter quidem non indigna-* Hom 9. in
tur non agrè fert, utpotè parum creditus: sed expectat, ut Joan.
ad Christum adducat. Etenim charitatem, qua Philippus ardebat in suo palam præ se tulit nomine. Undè Albertus Magnus scribit: *Unxit eum unctione consecrationis in Apostolum, quod prætendit nomen ejus, Philippus; qui præsago nomine Apostolicæ dignitatis, os lampadis interpretatur, quæ ardet charitate*.

5. Verùm enimvero ut quales quàmque digni sensus ejus sint, quos in hac Christo proposita supplicatione expressit, tantò accuratiùs cognoscere valeamus, verba illius sigillatim ponderemus. Dicit igitur primò, *Domine*: quo nomine Christum etiamnum hic in terris nobiscum viventem, quando majestatis & divinitatis suæ lucem penitùs abscondebat, compellere voluit, tametsi adhuc miseris mortalitatis nostræ exuviis vestitus esset, imo tametsi paulo antè se potiùs illius omniumque Apostolorum servum exhibuisset, pedes videlicet eorum cum tanta sui demissione seu potiùs abjectione lavando. Secundum in hac supplicatione verbum est, *ostende*, in quo ejus denotare licèt modestiam; quia licèt Salvator jam ante dixisset: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt Vado parare vobis locum*; attamen regnum illud in sempiternum possidendum non expetiit, verùm unicum duntaxat per modum transeuntis sibi indulgendum poposcit æterni Patris aspectum. Veruntamen major adhuc in sequenti verbo virtus aperitur: *nobis*; non enim immensum & infinitum illud bonum sibi soli expetiit, verùm etiam aliis consodalibus suis, quod nimirum evidens erat ardentis erga proximum charitatis indicium: *Charitas enim non quærit quæ*

sua sunt. Vix equidem Christi scholam à limine salutavit, cùm ecce se alienæ salutis zelantissimum esse probavit: *Cum ita boni effectus fuisset particeps, assumit etiam alios socios participationis*. Ad Nathanaelem, quem ad Christum adduxit alludendo; undè illud S.Petri spiritua-le monitum, priusquam illud universæ Ecclesiæ annunciatum esset, executioni mandavit: *Unusquisque sicut ac-*
1.Pet.4.10 *cepit gratiam in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. Quotquot in superiori Asia, Scythia, & Phrygia ad fidem convertit (quorum equidem ingens numerus extitit) hujus zeli & ardentissimæ charitatis ejus satis evidens edere testimonium possunt. Quartum supplicationis hujus verbum est, *Patrem*. Optimè S. Hilarius considerat, quod Redemptor noster per mortem sibi proximè imminentem insinuatam, nec non variarum, quas in prædicatione Evangelii subituri essent ærumnarum prædictionem, os nonnihil perterruerit; atque ideo, ut inquit S.Hilarius, sanctus Philippus in hac Christo proposita supplicatione insinuare voluit, quod ad perturbatos eorundem animos erigendos nihil adeo opportunum esset, quàm si æternum Patrem suum eis videndum exhiberet, utpotè aliquale æternæ
Lib. 1. de Trin. c. 8. beatitudinis vestigium. Undè S. Augustinus: *Illa*, inquit *lætitia, quæ nos adimplebit cum vultu tuo nihil amplius requiritur; quod benè intellexerat Philippus, ut diceret: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Nam ut hîc in terris ex Dei amore infernum quendam sustineamus, nullum adhiberi potest potentius medium, quàm si homini conspiciendum præbeatur correspondens doloribus & laboribus suis præmium. Denique ultimum verbum est: *Et sufficit nobis. Nec mirum*, inquit S. Thomas de Aquino, *quia visio Patris est finis omnium desiderabilium: & actionum nostrarum; ita ut nihil amplius requiratur: Qui replet in bonis desiderium tuum*. Postquam S. Paulus Apostolus è cœlo empyreo, in quod in excessu mentis suæ raptus fuerat, descendit, pedibus suis conculcare & prorsus contemnere & vilipendere cæpit, quicquid in hoc mundo divitiarum aut elegantiarum reperitur: *Omnia*
Philip.3.8. *arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Seque ad Christum consectandum tanto eum jubilo, animique conatu applicuit, ut in toto prædicati Evangelii decursu majorem jubilum expertus nunquam fuerit. Etenim inter duodecim illos lapides pretiosos, qui cœlestis Hierosolymæ fundamenta existunt, quintum locum S. Philippus obtinet. *Quintum Sardonix*. Cornelius post declaratas gemmæ hujus proprietates, subjungit: *Notat cœlestem Philippi spiritum; Sardonix enim constat tribus coloribus: inferius nigro, medio candido, superius miniato: hæc sola in signando nihil cera evellit, ait Isidorus libro 10. Orig. cap. 8. Notat ergò illustres animos, qui cùm adhærescant corpori, nihil tamen ex eo terrena labis contrahunt, sed purum servant æthereum ignem, infra pedes res humanas habent, puro virtutum candore collucentes: in apice verò miniati, hoc est primis futuræ gloriæ radiis jam afflati, igneo charitatis rubore purpurascunt*. Rupertus
Lib. 2. in Joan. c. 1. 43. Abbas scribit, quòd priusquam Salvator noster S. Philippum ad sui sequelam provocaret, manibus suis pectus ejus involando, utrum ad majorem amorem provocaret, cor ejus sibi rapiendo vindicasse: *Jam enim gratia sua nescientem prævenerat; & antequam voces ad aures dirigeret, manum suam ad trahendum illum in cor ejus miserat*. Quid mirum igitur, si quo tempore Deus cor ejus manibus suis tenebat, lætus fuerit atque jucundus; quandoquidem *inquietum est cor nostrum*: quousque? *donec requiescat in te*. Deo igitur cor suum pacificè possidente, meritò gaudet, & dicit: *sufficit*.

De analogiis inter S.Jacobum Apostolum & S. Patriarcham intercedentibus, præsenti Discursu agitur.

DISCURSUS SEXTUS.

Plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellavit eum Jacob. Gen. 25. v. 25.

1 SAnctus Petrus Apostolus, in quo nostra ad fidem Christianam vocatio consistat, declarans
1.Pet.2.21. scribit: *In hoc enim vocati estis: quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; atque ideo unusquisque ad tantò sublimius perfectionis culmen, quale in homine Christiano requiritur, pertinget, quantò exempla & vestigia Christi perfectius fuerit insecutus. Undè in eminentis sanctitatis S. Jacobi testimonium de eo congruè dici poterit: *Plantam fratris sui tenuit manu*. Christum namque, cujus ipse frater denominatus fuit, in omni operatione sua ad unguem est consectatus. Quod verò in præsentiarum majori cum studio à nobis considerandum erit, sunt, quæ inter S. Jacobum Apostolum & Jacob Patriarcham ejusque singularissima dona intercedunt analogiæ & similitudines; etenim Jacobum Patriarcham ad literam concernunt verba in Themate proposita.

2. *Appellavit Jacob*. Jacob priusquam in hanc mundi lucem ederetur, à Deo electus & amatus fuit, Apostolo teste, qui ait: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) Jacob dilexi, Esau odio habui*. Veruntamen inter Jacob Patriarcham & Jacobum Apostolum hæc intercedit differentia, quòd Apostolus, ut fert gravium Authorum opinio, non solùm in utero materno, velut Joannes Baptista sanctificatus fuerit; verùm etiam quòd idem præter matrem tres quoque alios sanctos fratres sanctitate conspicuos, ut alibi diximus, habuerit. Etenim in Annalibus Baronianis Egesippus citatur, qui de S. Jacobo Apostolo scribit: *Ab utero matris suæ sanc-* An. 63. n. 2.
ctus fuit. Ac proindè cùm omnes quotquot ex ejus progenie descendunt, sancti sunt, aptissimè asserere possumus dicendo: *Hæc est generatio quærentium Dominum*, Psal. 23. 6.
quærentium faciem Dei Jacob. Mensura etenim sanctitatis à charitate & amore erga Deum desumitur. Ecce etenim rationem cur Jacob tantus Sanctus fuerit: *Jacob dilexi*. S. Ambrosius dicit: *Jacob figuram bonitatis gerebat*. Et idem alibi ad citatum sancti Pauli Apostoli textum alludens dicit: *Negent Jacob sanctum fuisse*, Lib. 1. de Cain & Abel cap. 2.
priusquam nasceretur. Ad hæc sanctus Jacobus Apostolus illud ab Isaia relatum encomium sibi adscribere potuit: Lib. 5. de fide cap. 4.
Et nunc audi Jacob serve meus (nos, *frater meus*, dicere possumus,) *faciens, & formans te ab utero auxiliator tuus*. Deus equidem noster Jacob amavit, ut ejus sanctitatem mundo testificaretur: *Jacob dilexi*. Baronius Eusebium citat, dicentem: *Jacobi Apostoli cathedram* An. 38. n. 104.
(qui primus erat ad Hierosolymitana Ecclesia Episcopatum a Salvatore & cæteris Apostolis ejus electus: quemque fratrem Christi nuncupatum divina perhibent eloquia) ad istud tempus servatam, Episcopi, qui illic ordine successerunt, permagni æstimant. Figuram bonitatis gerebat. Enimverò si qualis ejus perfectio fuerit, quodammodo apprehendere vultis, eandem à ministris ejus conjicere licebit. Sanctus etenim Prothomartyr Stephanus Diaconus ejus fuit. Unde sanctus Ignatius Martyr scribit: *Quid vero Diaconi nisi imitatores An-* Epist. 3. ad Trab.
gelicarum virtutum? qui purum & inculpatum ministerium illis, (id est Sacerdotibus) *exhibent, ut sanctus Stephanus beato Jacob; Timotheus & Linus Paulo; Anacletus & Clemens Petro*. Ipsi soli sancta sanctorum pro arbitrio suo ingredi licebat, quod ne summo quidem Sacerdoti permittebatur, nisi semel in anno. Adhæc apud omnes passim in ea erat sanctitatis opinione, ut licèt antea Hierosolymis Sanctus Paulus Christianos persecutus fuerit, nec non S. Jacobus Apostolus Frater S. Joannis gladio Herodiano necatus fuerit, atque eodem fine sanctus Petrus in terris fuerit vinculis detentus, omnesque alii Ecclesiæ fideles variè dispersi & congregati fuerint: *Facta est autem persecutio magna in Ecclesia*, Act. Apost. 8. 1.
quæ erat Hierosolymis; veruntamen sanctus Jacobus in conspectu omnium Sanctuarium ingrediens, Christumque crucifixum, ejusque sanctum Evangelium usque ad nonaginta sex annorum decrepitam ætatem manifestè annuntians, & prædicans, nulla prorsus patitur persecutionis tempestatem; cujus ratio est; quia licet sanctam Religionem nostram, quam ipse strenuè profitebatur, summo persequerentur odio, ejus tamen innocentiam & sanctitatem, quæ nescio quid supra humanum & divinum à se spirabat, ex altera parte nullus deprimere præsumebat, quin potius quilibet se felicem arbitrabatur, si quando vestium ejus fimbrias sibi permitteretur attingere.

3. *Appellavit Jacob*. Enimverò sanctus Jacobus Apostolus Jacob Patriarchæ in hoc longè dissimilis fuit, quod videlicet de ipso dici nequaquam potuerit: *Vox* Gen. 27. 22.
quidem vox Jacob est, manus autem Esau; siquidem sanctus hic Apostolus et quod lingua & calamo persuadere studuit, opere ipso adæquatè correspondit. Ipse etenim in Epistola sua canonica fideles ad martyrium constanter

& in-

& intrepidè sustinendum est cohortatus; ipseque ideio cum gaudio & exultatione, eoque modo qui omni carebat exemplo, sustinuit, serventissimam oimirum ad Deum pro carnificibus suis effundendo orationem. Similiter si in Epistola præfata fideles instruit fidem sine operibus minimè sufficere, mirum dictu est, quanto cum studio idipsum executioni mandare satagerit, dum licet esset innocentissimus, vitam nihilominus adeo rigorosam atque austeram duxit. *Manus* (inquit Historia vitæ ejus) *qua semper movebantur ad benefaciendum*.

4. *Appellavit Jacob*. Sanctus Ambrosius lib. *de Jacob & vita beata*, de hoc sancto Patriarcha dicit:
Lib. 2. c. 2.
Lib. 2. c. 8.
Peccati abstinens à luxuria omnis ebrietate sobrius fuit. Notatque idem Sanctus eumdem Patriarcham à pulmento illo, quod Esau fratris sui appetitum tantopere irritavit, abstinendo, Primogenituram sibi comparasse; Fuitque hæc eadem mortificatio ac temperantia in eo conservatæ castitatis evidens argumentum. Quodsi autem ab hoc Patriarcha, ad sanctum Apostolum nostrum Jacobum transire velimus, quid mirum, si ipse
Lib. 1. contra Jovin.
An. 63 n. 8.
à S. Hieronymo vir appelletur perpetuæ virginitatis. Baronius quoque S. Epiphanium adducit, qui ipsum *semper Virginem permansisse* clarè attestatur. A vino quoque & carne semper abstinuit & pro fame pellenda vix panem admittebat & aquam, quam amaris semper lacbrymis pro peccatis populi sui ab ejus oculis continuo stillantibus semper commiscuit.

5. *Appellavit Jacob*. Jacob utique parenti suo in amoribus & delitiis semper fuit, quia tam Isaac quam Rebecca purissimo eum affectu prosequebatur. Quod ut Jacobo Apostolo adaptemus, sciendum est gregem Christi Apostolorum temporibus divisum fuisse, quia enim synagoga repudiata, Ecclesiæ se desponsaverat legem Evangelicam profitenti, hinc fideles ex una parte Hebræi erant, qui legem Evangelicam Judaismo relicto amplexati fuerant: altera vero pars erat gentilium, qui ab idololatria ad fidem Christi fuerant conversi; licet autem hi ultimi Hebræis valde invisi essent; Sanctus Jacobus tamen tali cum dexteritate & prudentia cum Hebræis ad fidem comparatis, & cum Gentilibus pariter conversis agere noverat, ut pari amore, reverentia, & honore eum omnes sine discrimine prosequerentur; imo ipsi quoque Judæi, qui in cœcitate, obstinatione, & perfidia sua pertinaciter persistebant, ob insignem, quem ex eminenti virtute ejus de eo conceperant, existimationem, summè eum venerabantur.

6. *Appellavit Jacob*. S. Ambrosius dicit: *Quid sapientius S. Jacob, qui Deum vidit facie ad faciem?* Porrò
Lib. 2. de offi. ca. 25.
præter jam citatum numero præcedenti testimonium de veneratione Jacobi Apostoli, per quam apud omnes, ipsa quoque ejus Cathedra, ex qua gregem suum docere consueverat, summo in honore erat, ipsa quoque ejus Epistola nobis servit, de qua Rabanus Maurus scriptum relinquit, quod hæc eam legentibus *immensam scientiæ*
Lib. de Univer. c. 5.
An. 31. nu. 292.
claritatem infundit. Neque id mirum videri debet, quia ut Clemens Alexandrinus in Annalibus Ecclesiasticis citatus refert; *Jacobo justo, Joanni & Petro Dominus post Resurrectionem suam singularem quandam impertiit cognitionem, quam illi reliquis Apostolis tradiderunt*.

7. *Appellavit Jacob*. Revocandum hic est in memoriam id, quod Jacobo Patriarchæ accidit, hic enim dum ab Esau fratre suo persecutionibus infestaretur, domumque paternam deseruisset, in quadam lapidum capiti cervicalis loco substratorum congerie suaviter dormiens, visionem quandam habuit omnibus passim notam, è qua expergefactus. *Tulit lapidem, & erexit in*
Gen. 28.
titulum. Qui lapis sive titulus typus fuit omnium Ecclesiarum successu temporis in Dei honorem erigendarum. Porrò cum Ecclesia Hierosolymitana ab Esau, id est, ab ostinato, & erga Redemptorem nostrum ab ipsis crucifixum, implacabili populo Judaico, persecutionum pateretur infestationes, Sanctus Jacobus Apostolus ab ea ne latum quidem unguem recessit, attamen in superpositis tum capiti suo genibus lapidibus, tum dormiens tum orans incubuit, adeoque *ita callum genibus obduxerat, ut duritie Cameli pellem imitaretur*. Quis autem cœlestes ejus visiones & revelationes, quibus verisimile est Christum ipsum, quem titulo fratris sui decorare voluit, egregiè honorasse, scire poterit? Hoc tamen certissimum est, eundem hunc sanctum Apostolum fuisse non solùm lapidi, verum etiam fortissimæ & solidissimæ cuidam columnæ persimilem, utpote qui Ecclesiam suo tempore plurimum vacillantem sustentabat. Evidens hujus testimonium Sanctus Paulus Apostolus nobis perhibet, dum scribit, quod postquam Hierosolymæ sanctum Jacobum convenit, visus is sibi fuerit veluti stabilis quædam & fortissima Ecclesiæ columna; talem etenim se exhibuit, quando sublime illud ædificium sustentavit, quod fundatum erat supra petram illam, de qua Christus ait: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; dum enim hæc Ecclesia ex Petri captivitate sub Herode periculosæ trepidaret, S. Jacobus eam sustentavit, idque singulari efficacia orationum suarum, totiusque Ecclesiæ Dei, cui causam hanc summè arduam recommendaverat. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Ac proinde Esichius ut jam diximus, hunc Apostolum eximiis hisce insignivit titulis, quibus eum vocat *Ducem, sacerdotum principem, Apostolorum verticem*. Gal. 2. 9. In orat. ad Phos. in Bib. Vet. P. n. 833.

8. *Appellavit Jacob*. *Jacob autem habitabat in tabernaculis*. Sacra Scriptura Esau vix unquam in domo paterna demoratum fuisse dicit, quin potius venationi continuam dans operam in agris & sylvis circumerrabat: Econtra vero Jacob fratrem ejus domi se perpetuo continuisse asserit. Qua in re alia quædam inter Jacob & Jacobum Apostolum pulchra Analogia se prodit; Cum enim omnes alii Apostoli per universum mundum pro instituenda animarum venatione dispersi fuerint; Jacobus Apostolus domi semper remansit, id est, in Ecclesia sua Hierosolymitana semper substitit, non tamen in otio sed continuo laborando, & animabus Christo lucrandis invigilando. Unde dici potest, quod *habitat in tabernaculo*, quia in templo & præcipuè sub tabernaculo, seu in sanctuario assiduè orabat. Gen. 25. 27

9. *Appellavit Jacob*. *Diu noctuque æstu urebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*; inquit Jacob gregi suo summa cum diligentia & solicitudine pascendo, strenuam navans operam. At verò quisnam rerum adeo ignarus esse poterit, cui manifesta non sit vigilantia & labor indefessus, quo cum S. Jacobus gregem suum tot annis gubernavit? Ipse enim orationi die vacabat ac nocte; *ajunt genua ejus obduruisse callo, tantamque in eo fuisse carnis incuriam*, ut Chrysostomus scribit, *aut adhuc viventis omnia fere membra morerentur*. Porrò de Epistola ejus Canonica, vitæ ejus Historia ita scribit: *Quomodo Episcopus gregem cum scientia pascere debeat, is apertè potest intelligere, qui catholicam ejus legit Epistolam*; adeo ut boni Pastoris officium non uno, sed pluribus modis docuerit, verbo nimirum & exemplo. Gen. 31. 40 Hom. 4 in Matth.

10. *Appellavit Jacob*. Etenim nomen hoc Jacob, idem est, quod supplantator. *Juste vocatum est nomen ejus Jacob, supplantavit enim me*. In qua nominis Ethymologia probe eum sanctus Jacobus est imitatus; siquidem omnia quæ mundus hic æstimare solet, pede suo calcavit, etiam illa, ut ita dicam, quibus ad miserabilem hanc vitam nostram sustentandam quotidie egemus, nam ut supra diximus, carnes nunquam in cibum corporis sui adhibuit, vinum quoque nunquam bibit, nec ulla re alia ad sui sustentationem uti voluit, qua aliàs homines etiam austeri, non ad corporis delitias, sed ad nudam necessitatem uti solebant. Hanc quoque à rebus super luis aversionem primorum quoque Christianorum animis adeo vivaciter hic Apostolus impressit, ut singuli eorum aurum & argentum, & quicquid demum pretiosi possidebant, ad Apostolorum pedes projecerint. Unde Tertullianus de primis illis fidelibus, quibus semetipsum pariter annumerabat, ita loquitur: *Terram suspense pede tenemus* S. Vincentius Ferrerius de S. Jacobo scribit, eum quo tempore Evangelium annuntiabat, ex odio Redemptoris, è circumfusa plebe abreptum, è sublimi loco deorsum præcipitatum fuisse; ex quo præcipitio claudus deinceps semper remansit. Qua in re pariter Jacobo Patriarchę assimilandus esse videtur, siquidem & ille ex lucta quam cum Angelo subire debuit, claudus semper remansit. De quo proposito Hugo Cardinalis scribit: *Ille claudicat, qui tantum uno pede terra innititur: Duo pedes necessitas & voluptas; Ille ergo claudicat, qui tantum necessitatem in temporalibus, non voluptatem sibi postulat*. Unde S. Jacobus spiritualiter quoque claudicasse dici potest, utpote qui ad vitæ sustentationem solùm extremè necessaria adhibebat. Porrò in hac lucta in qua Jacobus cum Angelo congrediebatur, pulchrè insinuatur Judæorum adversus Christianos suscitata persecutio, nec non quæ oritura erat inter synagogam & gentilitatem controversia. S. quidem Jaco- Gen. 27. 37

bus

bus Apostolus victor evasit, multos Hebræorum atque Gentilium ad fidem convertendo, strenueque illi inter unicum duntaxat ovile & unicum Pastorem necessariæ unioni cooperando. Præterea sicut Jacob luctam hanc aggressus est, ut multi Scriptores advertunt, quando nonaginta septem annorum agebat ætatem, tuncque ei nomen Jacob: *Jacob in Israel* mutatum fuit, quod idem significat, quod *videns Deum*; ita quoque S. Jacobus dum annum ageret nonagesimum sextum, postquam plurimorum Hebræorum superasset duritiem & obstinationem, ad Deum eos convertendo cœlestium benedictionum datissimus, Israel effectus est, id est, ad Deum videndum ex hac vita migravit. Enimvero advertendus hoc loco in Jacobo Patriarcha est summæ actus virtutis; Quando enim è Mesopotamia revertens, atque in placato sibi Esau fratre suo, ad simul cum eo ambulandum invitabatur: *Gradiamur simul*, Jacob se urbane (Gen 33.12) excusavit, dicens: quod familiam suam post se, una cum copiosissimo grege sequentem haberet, cosque nequaquam ultra vires fatigari præsumeret. Verum enimvero admodum debilis esse videbatur hæc excusatio, quo minus fratris sui desiderio, & petitioni satisfaceret, maxime cum antea eundem tot modis, & quidem cum multorum donorum dispendio sibi studuerit reddere benevolum; Enimverò latens sub hac historia mysterium hoc præcipuè fuit: Ex quo enim ex habita cùm Angelo lucta notabiliter claudicabat; timens ne ab Esau fratre suo de claudicationis causa interrogatur, ad manifestandos sibi concessos cœli favores quodammodo cogeretur, optimum consilium esse censuit, si eos per hanc prætensam excusationem absconderet; nam si fratri suo omnia manifestare coactus fuisset, dicere quoque debuisset, se ex habita diuturna cum Angelo lucta, tandem feliciter victoria potitum fuisse, habuisse se etidem armatos in sui defensionem Angelorum exercitus, denique facie ad faciem se Deum vidisse, aliaque similia humilitati suæ plurimum repugnantia & præjudicantia. Quo in facto accuratè ipsum S. Jacobus Apostolus imitatus fuit, cum enim verisimile sit multis ipsum visionibus & revelationibus cœlestibus illustratum fuisse, easdem ad nullius hominis voluit devenire notitiam; Licet enim Christus à mortuis resurgens cum particulari quadam apparitione & visitatione dignatus fuisset, ut supra diximus, nullum unquam de hac gratia apud alios verbum protulit, ac proinde ut Spiritus sanctus id ipsum per os sancti Pauli manifestaret, opus fuit.

11. *Appellavit Jacob*. Ægyptii mortem Patriarchæ Jacob per septuaginta dies continuos amarè deplorarunt idque quia Salvatoris regni illius pater fuerat. Fuit quoque hoc in sancto Jacobo summè admirandum, quod cum vulgari nomine Salvatoris nostri frater appellaretur, quod nomen toti Hebraismo magnopere invisum atque exercrabile erat; ejus tamen mortem tanto cum luctu & tristitia defleverint, ac si crederent, in condignum illius Jacobo illatæ morti supplicium iram Dei super civitatem istam in extremum illius exterminium descensuram esse.

DE INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

Discursus Undecim:

Agitur de modo, quo Sancta Crux inquisita & inventa fuit. Nonullæ etiam considerantur moralitates præcipuæ circa tres Cruces.

DISCURSUS PRIMUS.

1. JUre meritissimo sancta mater Ecclesia hunc diem magna cum solemnitate concelebrat, utpote in quo emtus & in publicam lucem eductus est inestimabilis ille crucis Redemptoris nostri thesaurus, tot retro annis in montis Calvariæ rupe absconditus. Equidem Constantinus Magnus Imperator, ut Berengosius Abbas scribit, triumphale hoc lignum, omnium a se gloriosè partarum hactenus victoriarum & triumphorum unicum instrumentum, omni adhibito studio conatus est investigare: *Lignum Dominicum inquirere cœpit a sapientibus, eo studiosius scilicet cupiens ejusdem Crucis venerari memoriam quo per eam ab hostibus suis antea meruit habere victoriam; sed quoniam ipse pro fide Christi, & negotiis Imperii animarum suum in plura divisit; ideo B. Helenam matrem suam pro se Hierosolymam misit*. (Lib. 2. c. 3. laudibus S. Crucis.) Hæc autem sanctissima Imperatrix insuper, ut in matutinalibus lectionibus habemus, somnio quodam cœlesti fortius ad hoc obsequium instigata fuit: *In somnis admonita*, inquit jam citatus Berengosius *ut eo studiosius sibi inquireret Crucem: quo ad hanc inquisitionem ipsum Crucifixorem assensorem haberet ac ducem*. Porrò Divinum illud Davidici oris Oraculum jamolim tot ante sæcula perspicuè prædixit: *Commoveatur universa terra*. Visum namque sibi fuit (Ps. 99. 9.) totum universum ad commotionem seu potius admirationem quandam invitari, & causam protinus subjungit: *Quia Dominus regnavit à ligno* (ita enim legit Psalterium antiquum Romanum, sanctus Augustinus, & alii) universus etenim mundus suspensus hærebat, nesciens quo fine tanta tamque Augusta Imperatrix tanto cum apparatu longum illud & molestissimum adoriretur iter, quemque finem spectarent ingentes illi Magni Constantini conatus & expeditiones, quæ utique in exaltandam illius sibi adeo benefici ligni gloriam dirigebantur. S. Ambrosius Imperatricem hunc in modum intra se discurrentem introducit *Ego in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus?* (In obitu Theodosii.) Imaginemini vobis obsecro, quales ad tanti momenti negotium absolvendum adhibitæ fuerint præparationes. *Militarem manum* (scribit Severus Sulpitius) *& omnem provincialium multitudinem adhibuit, ut montem illum excavare posset*, (Lib. 2 Sacræ Hist.) in quo Crux Dominica sepulta esse videbatur. Ad sacrosancti hujus ligni investigationem ritè faciendam ingens armatorum militum concurrebat numerus, aliique complures ex circumvicinis Provinciis adunabantur imo ipsamet Augusta Imperatrix tali conatui assistere non fuit dedignata, de qua S. Ambrosius ait: *Festinabat tangere remedium immortalitatis*. Demum vero post multos sudores superatos ad absconditi hujus thesauri pertigerunt divitem gazam; tres etenim repertæ sunt cruces. proh Deum immortalem! cum quanta lætitia, quantoque cum jubilo! *Cum tres pariter cruces* (inquit S. Paulinus) *ut quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi justo piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent; aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo, violarent*. (Epist. 11.) Qualis hic esse debebat sanctæ hujus Imperatricis, imo & totius Christianinu

mi perplexitas, utpote qui utrinque ad se coram hac arbore vitæ prosternendum, seque eidem per venerabundam devotionem & obsequium adstringendum avidissimi erant, nec tamen quænam ex tribus hisce arboribus arbor illa esset cognoscere valebant. Veruntamen ut idem sanctus dicit, benignissimus Deus noster *Respexit pias fideliter æstuantium curas, & ipsi potissimum, quæ tam pia solicitudinis princeps erat, hujus consilii lumen infundit; ut aliquem recens mortuum inquiri & inferri juberet: nec mora verbum factum, cadaver illatum est; deponitur: jacenti una de crucibus admovetur: sed earum ligna mors sprevit* (id est, quæ erant in crucibus amborum latronum) *Postremo Dominicam Crucem prodiit resurrectio, & ad salutaris ligni tactum, morte profuga, funus excussum & corpus erectum est*. Rufinus autem, prouti in hodiernis lectionibus audivimus, scribit, quod experientiam facturi, quænam crux Salvatoris esset, adductæ ad locum crucis infirmæ cuidam morti proximæ, sensibusque omnibus destitutæ singulas tres cruces admoverint, dumque prima & secunda crux eidem applicaretur, infirma nequidquam se movit: ad contactum vero tertiæ, *Repente adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta alacrior, quam cum sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit*. Nicephorus denique & alii utrumque miraculum per crucem patratum esse existimant, cui opinioni verba illa fidem faciunt quæ in responsorio quintæ lectionis recitavimus. *Ad crucis contactum resurgunt mortui, magnalia referantur*.

2. Circa hanc autem miraculosam crucis inventionem ad nostrum spiritualem profectum utiliter discurrere possumus. Velut enim indubitatum suppono neminem nostrum crucis in se susceptioni refragari velle, utpote sine qua salvari non possumus, dicimus enim *Salva nos Christe Salvator*, sed quanam id ratione fiet? *per virtutem Crucis*; utique quilibet nostrum cruci Christi astringi vellet, non item cruci latronis improbi; an non ita est? at verò ex quo omnes tres inter se uniformes sunt, oculus autem ad redemptoris crucem discernendam haud æquus sit judex, quonam nobis consilio utendum erit? indubitatum (mihi credite) crucem Christi discernendi signum vobis indicabo; si fortè Deus infirmitatem aliquam mortalem, vel squalidum carcerem aut molestam litem, vel tyrannicam persecutionem, vel quamvis aliam adversitatem immiserit, vel imminenti mortis periculo aut manifestæ jacturæ facultates vestras, vestram quoque famam & existimationem exposuerit; tunc vel inde aperti sunt vestri oculi, lumen Deique notitiam vobis comparastis, malos vestros emendastis vitæ mores, bonaque proposita stipulatasque Deo factas promissiones executioni mandastis, Deoque pro recepto à vobis beneficio gratos exhibuistis, aut verò nihil horum à vobis præstitum fuit? si omnia hæc in vobis adimpleta esse cernitis, scitote crucem hanc veram Christi crucem esse; nam ut statim diximus: *Repente adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta, &c.* Quodsi autem ad talis crucis immissionem immobiles maneatis, id est in peccato mortui esse perseveretis; id est si post talis tribulationis & angustiæ immissionem, pristinam vitæ dissolutionem continuetis, malam societatem non deserueritis, neque deposito odio illatam vobis ab inimico vestro injuriam condonaveritis nec inique parta restitueritis, quin potius vitiis vestris magis quam unquam hactenus insordescatis, scitote certeque vobis persuadere crucem hanc improbi latronis crucem esse nam ut sanctus Paulinus scribit: *ita (ut crucem Christi decuit) experimento resurrectionis inventa & probata crux Christi est*. Si enim hæc crux in te obtinere nequivit, ut à morte peccati ad gratiæ vitam resurgeres, crucem Salvatoris nequaquam invenisti, quin potius improbi latronis supplicium, siquidem ad pœnitentiam minime commo[v]eris, imo magis quam hactenus unquam in culpa obst[ina]tus persistis.

3. Verum enimverò merito hic quærat aliquis, qua ratione tres hasce cruces inter se distinguere possimus, quando omnes tres eandem præseferebant figuram & apparentiam, atque ex uno eodemque ligno omnes fabricatæ erant? Responden per moralem quandam distinctionem adhibitam: scitisne, quæ & qualis crux Christi fuerit? nimirum sine culpa sustinere pœnam: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Unde in Christi cruce illi nobis præcipuè exhibentur, qui ex motivo charitatis faciunt pœnitentiam, pro aliena affliguntur salute, bonum pro malo reddunt, propriam suam abnegant voluntatem, quique in Christiana licèt innocentia viventes vitam tamen traducunt rigidam, austeram & pœnitentem, haud secus ac si enormissimorum peccatorum rei essent, ita contemnuntur, humiliantur. Scitisne item, quonam modo crux mali latronis dignosci possit? nimirum quis in hac vita præsenti à divina justitia ob crimina & scelera sua per carceres, facultatum jacturas, incurabiles infirmitates, aliasque similes ærumnas castigatus, hanc se crucem jure commeruisse non agnoscit, quin potius Divinam providentiam velut injustam arguit, maledicit, blasphemat, ac tandem in desperationis baratrum sese deturbat: Hæc etenim Crux est improbi latronis propria. Verum quæ res iterum, quænam dicenda sit crux boni latronis? equidem quoad externam apparentiam hæc eadem esse videtur quæ latronis improbi; cum hac tamen differentia & distinctione, quod licet tribulationes & ærumnæ tales nostrorum sint demeritorum justa supplicia, in iis tamen ferendis ita constituti simus, ut ferientem nos ferulam humiliter exosculemur, nosque illam commeruisse libenter agnoscamus, eamque tum ad Divinæ justitiæ satisfaciendum, tum ad conformandum nos divinæ voluntatis beneplacito perlibenter sustineamus. Hinc est, quod dum bonus latro è patibulo suspensus penderet, ad sua scelera reflectens ultro citroque confessus fuerit, dicens: *Nos quidem justè: nam digna factis recipimus*, hacque ratione supplicium & crucem illam in peccatorum suorum satisfactionem ordinaverit, spemque firmam in Dei misericordiam conceperit, dicens: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum*, atque ideo per hanc crucem primum inter omnes mortales in cœlos auditum habere meruerit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Felicissimus igitur hic nobis nuntius est, haud obscurè significans, quod non in sola Christi cruce, verum etiam in cruce boni latronis salvari possimus. Unde Chrysostomus ait: *Introivit latro de cruce mercans salutem*. Certum quidem est, quod Christi crucem humeris nostris difficulter adaptare possimus, siquidem *Nemo mundus à sorde*; præterquam quod admodum pauci sint illorum, qui in magna interioris hominis reformatione vivant, & ad perfectionem adspirent; atque ideo Christus nobis aliam ad cœlum obtinendum faciliorem viam patefecit, dum videlicet indulsit, ut boni latronis crucem apprehendere possimus, non solum ex necessitate faciendo virtutem, id est, ærumnas quæ in hac vita utpote misera quadam lachrymarum valle copiosissimè occurrunt ex amore Dei tolerando, verum etiam agnoscendo nos tali peccatorum nostrorum supplicio dignos esse, ideoque illud summa cum patientia suscipiendo. Bonus equidem latro totam vitam suam in Assassiniis, latrociniis, & homicidiis traduxerat, ac proinde ex millenis capitibus patibulum ei debebatur; veruntamen eo quia libens se illud justè commeruisse fatebatur suumque cor ad Christum dirigebat, per supernaturalem quendam gratiæ instinctum agnoscendo quod is pro se & totius mundi salute pateretur, ideo Crux sua eum in cœlum sustulit, eumque à peccatis omnibus purgavit. Unde S. Augustinus ait: *Digna patimur his, quæ commisimus: vidisti, quomodo in Cruce se exuit à peccatis*. Nos igitur, si quicquid adversitatum à Deo nobis immittitur, ex amore illius libenter sustineamus, crucem quandam portamus, quæ virtute prædita est patrandi miracula, eaque non inferiora illis, quæ ab ipsiusmet Salvatoris cruce proficiscuntur; Imo teste S. Chrysostomo: *Pro Christo pati munus est majoris admirationis, quam sit revera mortuos suscitare: nam illic quidem debitor sum? hic vero debitorem habeo Christum*.

4. S. Augustinus, dum in tres hasce cruces in Calvario consistentes oculum defigit, dicit: *Tres cruces in uno loco erant; In una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Christus alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid similius istis crucibus? quid dissimilius istis pendentibus?* Exterior utique oculus omnes hasce tres cruces eodem fine claudendas fuisse, credere potuisset; & tamen quam sunt inter se differentes? multi sæpe eidem paupertatis vel infirmitatis cruci subjacebunt, & tamen inde unus proficiet, & utilitatem hauriret, alter vero non item; imo uni lignum illud crucis serviet, ut ipsum in igne æterno ardere faciat: alteri vero serviet loco scalæ, per quam in cœlum conscendat.

1. Petri 2. 22.

Lucæ 23. 41.

Homil. de Cruce & Latr.

Serm 49. in append de diver.

Hom 4. ad Phil. Epistol 2348.

Cur

Cur Deus Sanctam Crucem tot annis sub Veneris idolo absconditam esse voluerit. Ubi simul Crucis à peccato carnis aversio insinuatur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est. Ad Philippenses cap. 3. v. 18.

1 S. Paulus Apostolus, qui omnem gloriam suam in cruce Redemptoris nostri posuit, quinam illi sint, qui inimici sunt ejusdem crucis, perspicuè satis nobis declaravit, ii videlicet: *Quorum Deus venter est*, id est, si qui ventrem suum velut idolum adorant, sive qui delitiis & voluptatibus carnalibus totaliter dediti existunt. Hi autem vel ideo crucis inimici existunt, ut Lyranus exponit, *quia hæc contrariatur eorum carnalitati.* Porrò inimicus Infernalis qui sacrosancto hoc ligno mediante debellatus fuit, ut omnem qui huic ligno à fideli populo debebatur, aboleret memoriam, cultumque subverteret, quamnam ad hunc finem consequendum adhibuit machinam? nimirum tam Hebræos, quam Gentiles co instigavit, ut super illum locum, in quo sancta Crux sepulta delitescebat, Veneris collocarent statuam, ut hac ratione, si forte Christianorum nonnemo ad eam adorandam illuc se contulisset, obsequium istud & veneratio huic impudicæ Deæ exhibita esse crederetur: aut verò ne hoc causaretur scandalum, unusquisque ab hujus loci cultu desisteret. Verum enimverò quonam putas mysterio astutus & vafer serpens ille eo in loco potius Idolum Veneris, quam Junonis, Palladis, Mercurii, vel alteri Deitati simili erigi curavit? scimus etenim, quod super locum Præsepii Adonidem, in Resurrectionis loco Jovem collocarint, cur autem super defossæ Crucis locum Veneria erexerunt simulachrum? nimirum ut nos veritatem hanc edoceret, quod scilicet nullum sit vitium, quod sanctam Crucem ab oculis nostris fortius submoveat, & quasi sepultam esse faciat, subque pedibus turpiter conculcet, quam hoc Veneris lubricum vitium, sive carnis turpe peccatum. *Inimicos crucis Christi*, siquidem *contrariatur eorum carnalitati.* S. Hieronymus scribit: *Ab Adriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta in loco Resurrectionis simu-* Lib. 1. Ep. 14. ad Paul. *lachrum Jovis; in crucis rupe statua ex marmore Veneri à gentibus posita celebratur; existimantibus persecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem Resurrectionis & Crucis si loca sancta per Idola polluissent.* Certum est etenim crucem Veneri totaliter contrariam esse, nam ut idem Apostolus ad Ephesios scribens asserit: *Qui sunt Christi, crucifixerunt carnem suam cum vitiis & concupiscen-* Eph 5. 24. *tiis suis.* Inter spinas & rosas infinita quædam intercedit contrarietas & antipathia, id est, inter voluptates carnales ex una, & mortificationes austeritatesque corporales vel spirituales ex altera partibus, quia *Caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem.* Crucis & spinarum inimici sunt, qui rosis coronari amant. Ecce tibi autem hoc Veneris Idolum hodie subversum, ex quo Crux hodie inventa fuit. Per quod egregie docemur, adversus vitium hoc quod præ cunctis aliis validiorem circa cor humanum tyrannidem exercet, nullum esse potentius remedium, quam per seriam quandam considerationem oculos nostros in hoc crucis patibulum extollere. *Deus meus pendet in patibulo* (ita doctissimus meditatur Bernardus) *& ego voluptati operam dabo.* Ve- In form. vitæ hone. tusta est illa Homeri fabula, in qua fingitur, quod Syrenes illecebrosis cantibus suis viatores in profundum quendam somnum sepultos devorare consueverint; Ulyssen autem utpote providum & circumspectum, hujusque periculi probe conscium, ne instar aliorum iisdem in prædam fieret, sese ad navigii quo vehebatur malum Lib. 4. in Luca in Præfat. sive arborem arctissimè ligari fecisse. Sanctus Ambrosius in hisce illecebrosis cantibus carnis ac sensualitatis voluptates adumbratas esse docens, hoc inde elicit documentum, scilicet ut si carnem nostram ejusque titilationes vincere & detriumphare velimus, operæ pretium sit; ut per vivam quandam meditationem ad crucis arborem fortiter nos adstringamus: *Non corporalibus ut Ulysses ad arborem vinculis alligandus: sed animus ad crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendus.* Quænam autem inde reportabitur utilitas & fructus? *Ne lassus viarum moveatur illecebris, cursumque natura detorqueat in periculum voluptatis.* Idem quoque mellifluus Bernardus ulterius In Medit. meditatur crucem refugium & vexillum nostrum esse, per quod ad fornicationem nos tentans inimicus in fugam abigatur: *Si pulsat te turpis cogitatio, si premit te caro, si dæmon paravit insidias, fuge ad signum Crucis Christi & liberaberis. Syrenarum quadam suavis figura est mollis concupiscentia voluptatum;* Idem quoque Ambrosius Serm. 5. de Cruce Christi. alio in loco dicit, ubi de Cruce tractat, & in eandem jam insinuatam fabulam paulo latius diffunditur, dicit sapientissimum illum Belli ducem Ulyssem postquam integro decennio per varias tempestates in mari fluctuans, patriæ suæ desideratum portum assequi non potuisset; tandem in eum locum appulisse, in quo incantatrices potius quam cantatrices Syrenæ demorabantur: *In quo Syrenarum dulcis cantus crudeli varietate resonabat, & advenientes sic blanda modulatione mulcebat, ut non tam spectaculum voluptatis caperent, quam naufragium salutis incurrerent.* Tandem vero quonam usus fuerit consilio narrare incipit, dicens: *Igitur cum Ulysses incidisset in hoc dulce naufragium, & suavitatis illius vellet declinare periculum; dicitur inserta cera auribus sociorum, seipsum ad arborem navigii religasse.* Quæ omnia sanctus Doctor proposito nostro aptissimè applicat. In hoc etenim procelloso mundi mari, in quo tot sunt Sirenæ, id est, carnalium voluptatum atque delitiarum irritatrices, hoc ligno seu malo navigii S. Petri mediante securitati & saluti nostræ unicè consulimus: *Arbor enim quædam in navi est Crux in Ecclesia. Hodie omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit. In hac navi quisquis aut arbori Crucis se religaverit, aut aures suas scripturis divinis clauserit, dulcem procellam luxuriæ non timebit.* Ad idem quoque propositum dicere possumus id quod monet Ecclesiasticus, dicens: *Sepi aurem tuam spinis*, id est, Christi Crucifixi spinas meditando, Cap. 28. 28. tertaque rosacea pedibus nostris subjiciendo & conculcando.

2 *Inimicos Crucis Christi.* Enimvero Crucis patibulum adeo est peccato Venereo contrarium & inimicum, ut nonnulli pulchrè observarint, increatam sapientiam, cui in veritate dici potest: *Omnia in sapientia fecisti*, Crucis lignum non sine peculiari mysterio in die veneris, utpote a Venere denominationem suam habente, conscendisse. Mysterium autem istud non est aliud, quam ut hac ratione Veneris Regnum pro virium suarum potentia debellaret. Unde S. Bernardus devotæ contemplationis oculos in hoc lignum elevans, ad nos conversus ait: *Et* In declam. *hæc intuens, qui dicitur Christianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere nullatenus erubescit?* verba illa quæ Christus per regii prophetæ Davidis os dolenter enuntiavit, scilicet: *Infixus sum in limo*, nonnihil consideremus. Propheta igitur se limo infixum esse dolet: Sanctus Bernardus alibi nos vere lutum hoc esse dicat: *Homo enim formam Crucis habet, quam, si manus exten-* Serm. 4. in Vig. Nat. *deris, exprimet.* Hæc autem crux displicet Christo (*iterum Christum in semetipsis crucifigentes*) cum enim tantus sit zelator puritatis (*candor lucis æternæ; speculum sine macula*) in carnalis sensualitatis nostræ luto sive limo se denuo crucifixum esse reputat. S. Augustinus super illa in initio proposita verba: *Inimicos Crucis Christi*, ita scribit *Cum enim Crux Christi in omnibus electis carnem affligat, & mortificet vitia, illi econtrario carnem voluptatibus fovent.* Quodnam insuper in eo mysterium latuisse arbitraris, quod nunquam errans aut vacillans Dei providentia ita disposuerit, ut sacrosanctum hoc lignum postquam tot retro annis absconditum delituisset, hodie per quandam summa majestate præfulgidam fœminam mundi Imperatricem Helenam nomine è terra erutum, & in publicam denuo lucem restitutum fuerit? pro cujus mysterii elucidatione memorandum est, quod ut Poetæ fabulantur, alia quædam raræ venustatis mulier fuerit, eodem Helenæ nomine insignita, quæ impudicæ Veneris trophæa passim erexit. Adsit igitur, inquit Deus, alia quædam longè commendabilior Helena, quæ crucem meam studiosè requisitam inveniendo lascivæ Veneria illecebrosam tyrannidem prosternat & dejiciat; inventamque crucem toti orbi Christiano prædicando, fidelium cordibus carnalium voluptatum horrorem, è contra verò pœnitentiæ, austeritatis internæque mortificationis, in qua crux spiritualis præcipuè consistit

sistit

sistit, affectum efficaciter imprimat. Præterea aliud quoddam non minus profundum mysterium observandum est quod tunc præcipuè accidit, quando in sacrosanctæ Crucis custodiam Roma Hierosolymæ successit: Deus etenim pretiosissimum hoc lignum, ab omnibus fidelibus honorari volens, magnam crucis partem Romam deferri, ibique erigi & collocari disposuit. *Omnia in sapientia fecisti.* Cum enim sancta Crux Hierosolymis tot annis sub Veneris Idolo delitescens, intolerabili esset injuria affecta & contumeliata, siquidem adoratio & reverentia quæ eo in loco publicè fiebat non huic sacrosancto ligno, sed impudicæ illi Deæ deferebatur, ideo Deus in harum injuriarum ab hoc idolo cruci illatarum vindictam disposuit, & Constantino Magno, ejusque augustæ matri Helenæ inspiravit, ut non jam simulachrum quoddam, sed olim in Veneris honorem erectum sumptuosissimum templum funditus solo æquaretur, in ejusque ruinis aliud quoddam erigeretur templum priori longe magnificentius, ut pretiosissimum crucis lignum in eodem
Bart. Marlian. lib. 4. cap. 9. templo erectum, summa cum devotione à cunctis fidelibus veneraretur; estque quæ hodiedum videtur famosa illa Basilica, sanctæ Crucis in Hierusalem intitulata.

3 *Inimicos crucis Christi.* Tanta porrò crucem inter & lubricum hoc vitium inimicitia & hostilitas intercedit, ut Sanctus Franciscus super aliquem huic vitio immersum infirmum solum crucis signum manibus efformare exhorruerit. Refert etenim S. Bonaventura de quodam Canonico Aretino, quod postquam is lubricam infamem, valdeque licentiosam vitam traduxisset, ex infirmitatis vehementia jam moribundus, Seraphici Francisci in illam civitatem adventum intelligens, cum in-
Cap. 11. stanter pro impetranda sibi à Deo reconvalescentia & sanitate rogarit, eidemque Sanctus dixerit: *Cum vixeris olim secundum desideria carnis, non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? verum propter devotas intercedentium preces signo te crucis signabo in nomine Domini.* Sciendum est autem, hoc loco Sanctum post recuperatam sanitatem mox ei dixisse, ut tamen videas crucem Christi ab omni carnali sensualitate infinitam habere aversionem, *scito te graviora passurum si ad vomitum redieris liberatus.* Id quod idem revera accidit; postquam enim in idem lubricitatis peccatum denuò recidivus factus fuisset, Deus disposuit, ut sub corruentis fortuito domus cujusdam ruinis ipse subitaneam & improvisam inveniret sepulturam. Notandum adhæc est, quod S. Mariæ Ægyptiacæ evenit, quæ cum per solidos septemdecim annos vitam traduxisset turpissimam, hodierna die Hierosolymam ad præsentem festivitatem contendit, non ut ipsa crucem adoraret, sed potius ut in contumeliam crucis ipsa à lascivis hominibus adoraretur. Cum autem in vestibulo Ecclesiæ esset, ut eam ingrederetur, ab invisibili quodam manu retrorsum pelli & urgeri sensibiliter percipiebat; cumque adversus Divinam hanc sibi illatam vim tribus quatuorve vicibus per violentiam se opponere conata fuisset, sed irrito cassoque semper eventu, tandem in semetipsam conversa, atque à Deo interius commota, crucem ejus vitæ turpitudinem abominari, ac proinde indignam se esse, quæ coram ea compareret, intellexit; quæ proinde postquam vitæ superioris pœnitudine mota pectus fortiter percussisset, ad quandam Deiparæ Virginis (utpote quæ commune est peccatorum refugium) imaginem conversa, ejus præsidium imploravit, factoque proposito vitam suam emendandi, ac superiorem vitam condigna pœnitentia expiandi, nec unquam deinceps carnis peccatum per umbram committendi, post excitatos in corde suo ad instar Magdalenæ cujusdam ferventis contritionis actus, in templum crucis facilem aditum invenit, in eoque inæstimabilem illum crucis thesaurum summa cum devotione est venerata; ac demum per reliquum vitæ crucem illam humeris suis imposuit, de qua Chrysostomus ait: *Crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisque propositum.*

4 *Inimicos Crucis Christi.* Quid si è Christianis nonneminem videres, qui æquo religionis cultu Idolum quoddam Veneris, & Filium Dei in Sanctissimo Sacramento altaris in unum eundemque locum reponeret, nunquid illum abominationem quandam sacrilegam committere diceres? Audi Petrum Blesensem: *Quicumque*
Serm. 38. *ad altare Domini accedit inquinatus luxuria, juxta filium Virginis idolum ponit Veneris.*

Explicantur aliquæ analogiæ, quæ inter Josephum Ægypti salvatorem, & Crucis inventionem, triumphum, & encomia intercedunt.

DISCURSUS TERTIUS.

Gloriosum diem veneratur Ecclesia, dum triumphale reseratur lignum.

1 Diem præsentem jure merito solennizat sancta mater Ecclesia, propter sacrosancti ligni Crucis Redemptoris nostri felicissimam inventionem, quæ, postquam tot annis sub terra sepulta atque ab oculis & veneratione fidelium subducta fuisset, hodie accidit. Multæ equidem in veteri Testamento Christi, ejusque crucis figuræ extiterunt, nulla tamen est, quæ ut Berengosius fuisse probat, Christi & crucis mysteria vivacius repræsentarunt, quam S. Josephi Salvatoris Ægyptii vita & gesta,

2 In primis igitur fratres S. Josephi metuentes ne somnium ejus de sole, luna & stellis eum adorantibus verificaretur, truculentam illam adversus eum moverunt persecutionem, dicentes intra se: *Numquid Rex noster erit?* Etenim Ismaelitis eum vendiderunt in famam publicam divulgantes, eum à fera pessima devoratum esse, ut hac ratione à Jacobi patris sui eum præ cæteris tenerius diligentis memoria penitus aboleretur. Ubi specialiter una præ cæteris circumstantia observari meretur nimirum quod Joseph ex consilio & malo Judæ venditus fuerit: *Dixit Judas fratribus suis: melius est, ut venundetur.* Ad eundem igitur modum Hebræi, qui Christi secundum carnem fratres fuere, metuentes ne Christus ipsis deinceps dominaretur, & super ipsos regnaret, publicè protestati sunt, dicentes: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Atque mera erga eum invidia moti, mortem ei sunt machinati: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* ac demum Judas inter alios triginta denariorum pretio eum vendere præsumpsit. Quia vero omnibus passim notum erat illud Davidis vaticinium: *Dominus regnavit à ligno*, ideo ut omnem ei ad regnum perveniendi viam atque aditum præscinderent, in crucis patibulum, utpote illius temporis maximè infame supplicium, eum suspendere satagerunt; at vero singulari Divinæ sapientiæ dispositione factum est, ut illo crucis infami ligno mediante regnum suum in universam usque terram extenderet, regiumque illud reipsa verificaretur oraculum: *Impleta sunt, quæ concinit David fideli Carmine dicens: In nationibus regnavit à ligno Deus.* Adhæc Joseph cui Salvatoris universæ Ægypti deinceps inditum fuit nomen, in squalidam quandam immissus fuit cisternam, in eadem ad illud usque tempus permansit, donec vinctus & ligatus velut mancipium consignaretur externis. At vero, ut in- Lib. 1. c. 4.
prædictus author ait, sicut Joseph è caverna ista velut sepulchro ereptus Resurrectionem adumbravit Christi Salvatoris, ita quoque Crux ejus, quæ subtus terram tot annis velut in cisterna sepulta delituit, exinde eruta & in lucem producta, multorum tam corpore, quam animatenus mortuorum resurrectionem operata fuit. *Sicut extractio Joseph è cisterna Dominicam Resurrectionem significat, sic extractio crucis à terra eandem potest habere: quia sicut Joseph pro salute fratrum suorum extractus est à cisterna, ita crux Dominica pro salute populorum hodie trahebatur à terra.* Imo ut fert nonnullorum contemplativorum opinio. Christus in nocte Passionis suæ, in cisterna quadam per aliquod temporis spatium collocatus miserè delituit, & detentus fuit. Crux etiam *Pro salute populorum* subtus terram occultata remansit: de ea enim ita canimus: *Salus ægris, vita lignum, mortis remedium.* Josephum fratrum invidia in cisterna illa vivum quasi sepelivit: Hebræorum quoque invidia crucem Christi tot annis subtus terram sepultam detinuit, ne ab omni populo Christiano adoraretur, quandamque Veneris statuam desuper erexerunt, ut vel sic ne unus quidem debitum loco illi deferret obsequium, utpote qui impudicum illud Veneris simulachrum adorare credi poterant.

3 Et quidem sancti Josephi fratres persuasum porrò sibi habebant, quod eum veluti mancipium vendendo, eum deinceps penitus sustulissent è medio, utpote quem inter catenas & compedes deinceps semper quasi captivum

Serm. 4. de Pasc. vum victurum credebant; & tamen hac eadem via illum licet inviti ad sceptra exaltarunt & ad coronas. Id quod ut sanctus Leo dicit, cruci pariter accidit: *De instrumento, quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam.* Nisi enim Hebræi sanctam Crucem tot annis sepultam occuluissent, Constantinus Imperator & Helena augusta mater ejus tantam in eadem investiganda, tantaque cum gloria eruenda non adhibuissent operam atque industriam, qualem hodierna die adhibuisse noscuntur, ad omnium totius universi nationum venerationem eam exaltando, & manifestando à se receptos eadem mediante triumphos atque victorias. Et hoc sine dubio mysterium illud fuit, ob quod illa nunquam errans cœli providentia ita disposuit, ut cœleste hoc pignus in illud usque tempus non detegeretur, ut deinceps sub hoc Imperatore tanto amplius ab omnibus populis ejus exemplo communiter Epist. 15. ad Sever. honoraretur. Es hic fortè fuit illorum verborum S. Paulini sensus, cum dicis: *Nonne divina manu latuit, ut nunc inveniretur, cum religiosè quæreretur.*

4 In hisce vinculis quibus sanctus Joseph innexus fuit, tres quoque alii præter ipsum detinebantur, scilicet pincerna, & Magister Pistorum seu Coquorum Pharaonis. Pincerna in bonam Domini sui gratiam rediit, & quem commiserat, errore condonato, pristino suo muneri restitutus fuit. Magister autem pistorum in patibulo quodam suspensus, Joseph denique ad solium regium sublimatus fuit. Porrò circa sanctissimæ Crucis inventionem aptior dari similitudo non potuit. In illa namque fossa seu terræ caverna tria distincta patibula occulebantur, nimirum crux latronis iniqui, in supplicio Magistri Pistorum præsignata, ille namque in ira & indignatione Dei ad mortem usque permansit; crux latronis justi in Pincerna expressa; quamvis enim hic antea reus & culpabilis extiterit; sui tamen Regis gratiam sibi recuperavit, sicut gratiam Christi sibi acquisivit latro bonus: Crux autem Christi in S. Josepho adumbrabatur, qui cum innocens esset (*Innocens huc in lacum missus sum*) propter facinus adeo heroicum & gloriosum, quale erat lasciviæ illius mulieris illecebris, restitisse ipsammet Filii Dei innocentiam repræsentavit: sicut etiam Joseph è vinculis ereptus sublimiter exaltatus fuit, ita crux hodie è terræ visceribus eruta super omnia mundi sceptra & regna sublimari meruit.

5 Enimvero quanam putas industria mediante S. Joseph ad hoc pervenit, ut se in tantam Regis gratiam insinuare, compedesque in sceptra regia, ferreasque catenas in torquem auream adeo felici eventu commutare potuis? nimirum per occasionem somnii alicujus, quod duobus illis Pharaonis regiis aulicis in vinculis est interpretatus, nec non per alterius somnii à Rege habiti congruam interpretationem. Simili modo sancta Helena ut regium illud Crucis lignum ex obscuro & tenebroso illo terræ carcere, in quo diu latuerat, erueret, per cœlestem quendam instinctum in somnis admonita fuit. *Helena Constantini mater in somnis admonita, conquirendæ Crucis studio Hierosolymam petiit.*

6 Sanctus Joseph glorioso illo vice Regis titulo, ab ipsomet Pharaone Rege condecoratus fuit. *Uno tantum Regni solio te præcedam.* Purpura quoque vestitus est, missusque est annulus in digitum ejus, ad collum vero torques aurea suspensa fuit, jussusque est currum regium conscendere, & in eo per compita urbis gloriosè circumvehi præcone præeunte, & altum vociferante, ut omnes coram eo se prosternerent, eumque adorarent. Ita quoque hodie quando pretiosum hoc lignum è subterraneis illis cavernis exemptum fuit, ut idem Berengosius Abbas scri- Lib. 20. in Luc. c. 23. bit: *Sicut Joseph a Pharaone annulo & stola & torque aurea ornatus est; sic Helena lignum Crucis exornavit, quando de regalis magnificentiæ thesauro eandem crucem gemmis decoravit & auro.* Audite insuper, qualiter Salvator noster, ex mente S. Ambrosii triumphalem crucis currum Serm. 10. de Pasc. conscenderit: *Currum suum triumphator adscendit.* S. Leo dicit Christum Dei filium, dum sacro Crucis ligno onustus Calvariæ montem ascenderet, Hierosolymitanarum mulierum planctum remisse recipere: *Quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam*; adeoque & hic sanctus Doctor lignum istud triumphi titulo condecoravit. Porrò ad illa verba: *Ecce lignum crucis, venite adoremus.* Omnes quotquot præsentes adsunt, in terram cernui sese prosternunt. Adhæc sicut Pharao Josepho dixit: *Uno tantum regni solio te præcedam*, ita quoque licèt sancta Crux adoratione latriæ adoretur, ob membrorum Redemptoris nostri contactum, prouti S. Thomas Doctor Angelicus apertè docet, attamen longe major latriæ cultus Christo Domino deferri videtur, ita ut ab eodem ad patibulum Crucis suæ dici possit: *Uno tantum regni solio te præcedam.* Verum enimvero num fortè etiam annulos in hoc triumpho desideratis? Ecce clavos. Num purpuram? nec hæc ei deest, tametsi lacera sit, & purpurea Christi sanguine tincta. Num denique torquem auream, quæ authoritatis insigne esse noscitur? Ecce gloriosum Crucis titulum, in quo omnium populorum exprimitur dominium, siquidem per hunc titulum Christi declaratur regnum, idque tribus illis linguis, quæ sunt omnium mundi linguarum celeberrimæ.

7 Joseph semetipsum fratribus suis in hoc tam sublimi gradu constitutus manifestaturus, calicem suum, qui ob auguria, quæ eo mediante faciebat, valde ipsi pretiosus erat in sacco Benjamini occultari præcepit, ut hoc modo illum apparenter furti reum faceret, revera autem se ipsi & cunctis aliis fratribus suis cognoscendum præberet, eumque tanquam chariorem majori cum benignitatis affectu deliniret. Unde Chrysostomus scribit: *Fecit reum rapina, ut teneret obsidem gratia.* Eodem prorsus modo Salvator noster calicem passionis suæ, id est, Crucem (*calicem quem dedit mihi Pater*) aliquanto tempore in campo Benjamini, id est, Hebraismi, populi nimirum paulo ante plurimum à se dilecti absconditum esse voluit, ut hac ratione eodem calice apud eum reperto, id est, semetipso, pro majori parte populi ab eodem, tanquam qui versus Messias sit, agnito suas illi gratias participaret. Unde non solum illi quibus se manifestavit, verum & alii multi conversi sunt: Similiter quando pretiosus ille sanctæ Crucis thesaurus inventus, & Hierosolymis summo cum honore depositus fuit multa circa eundem populum fuit miracula operatus.

8 Proh Deum immortalem quantum sibi fratres Joseph timuerunt, ne se ab ipsis venditum esse recordaretur, non solum quando se illis manifestavit, verùm etiam deinceps diu post Patris sui mortem! Et tamen ipse in voluntate illis omnem noxam perfectè condonandi constans & immobilis permansit. Similiter licet lignum unica causa fuerit omnis culpæ, Deus tamen voluit ut per contrapositionem ligni sanctæ Crucis, quod est omnis perfectæ veniæ nobis comparandæ unicum instrumentum, omne aboleretur peccatum. Origenes cautè considerat prothoparentes nostros mox ut divinum præceptum prævaricati fuerunt, sub arbore quadam suum acepisse confugium: *Impulsu quodam primos parentes ad arborem, tanquam ad asylum se contulisse putandum est: ut significaretur jam tunc unicum perfugium peccatorum, quod subinde constitutum est in arbore Crucis.* Hom. 2. in Gen.

9 Joseph in quadam summa annonæ caritate Ægypto, & aliis omnibus partibus circumvicini de frumentorum copia abunde prospexit, adeo ut granum apud illos nunquam defecerit, quin potiùs penes singulos superabundarit. Pari quoque modo Crux panem nobis cœlestem ad finem usque sæculorum copiosè communicavit, adeo ut sanctissimum Altaris sacramentum ad finem usque mundi nunquam defecturum sit. Unde Hesichius Hierosolymitanus scribit: *Crux carnem crucifixi, quæ ante Passionem esui videbatur inepta, post aptam fecit: si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis ejus non commederetur.*

10 Ehem quanta fuit Jacob Patris sui lætitia & jubilus, quando Joseph fratribus suis se manifestavit? *Jam lætus moriar*; inquiebat sanctus Senecio. Eandem quoque pie meditari possumus, fuisse S. Helenæ lætitiam & jubilum, postquam S. Crucem diligenter conquisitam tandem invenit. Utique & ipsa dixit: Jam læta moriar, erat enim tunc, ut Theodoretus, in octoginta annorum ætate constituta. Lib. 5. hist. cap. 18. Quanta item fuit Constantini totiusque Christianismi exultatio? Andreas Cretensis in quadam oratione, quam de Cruce habuit, dicit: Sur. Tom. 3. 14. Novemb. *Revelatum est maxime insigne opus imperii Christianorum, suum ornamentum hodie accepit Ecclesia, quia quam illa perdiderat drachmam, regala accepit imperium.* Ita quoque Jacob supra modum consolatus permansit, filium suum, quem à feris devoratum esse crediderat, non solum etiamnum vivere, verum etiam tanquam Vice regem Ægypti toti regno dominari videns: *Filius tuus vivit, & ipse dominatur in tota terra Ægypti.*

Osten-

Ostenditur Crucem, quæ olim erat criminosorum supplicium, nunc regium esse vexillum & armaturam.

DISCURSUS QUARTUS.

Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium.

1 NUllum præteritis sæculis inter omnia suppliciorum genera adeo fuit ignominiosum & infame, ut Cruci comparari posset, teste S. Anselmo, Christostomo & aliis. Unde in Scriptura sacra nullum aliud supplicium dictum] fuit maledictum, præterquam supplicium. *Maledictus à Deo qui pendet in ligno*; ut est in Deuteronomio. Et tamen Dei Filius lignum istud vix ascendit, cùm ecce statim eidem acclamat sancta Dei Ecclesia: *Vexilla Regis prodeunt*; adeoque deinceps velut regium quoddam insigne honoratur, & in veneratione summa habetur. Verum inquies fortasse, quomodo connecti & copulari inter se possunt infamia & gloria? patibulum & sceptrum? lignum & regnum? & tamen regium hocce oraculum impletum esse verissimum est. *Impleta sunt, quæ concinit David fideli carmine, dicens: In nationibus regnavit à ligno Deus*. Memorandum est igitur principem tenebrarum, idololatria mediante toti universo tyrannicè dominatum fuisse, adeo ut regnum Dei quaquaversum desolatum & prostratum jaceret, atque adeo Redemptor noster de sanctissima Passione sua tractans ait: *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras*. (Joan 12. 31.) Quonam autem modo immanis illa Principis tenebrarum Tyrannis prosternenda esset, mox declarat, dum in eodem momento futurum esse ait: quo ipse in hoc ligno, seu in regio illo Crucis vexillo erigendus & sublimandus esset: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat* (subdit Evangelista) *significans qua morte esset moriturus*. Et verè ita factum est, siquidem Centurio idololatra ipsum verum Dei confessus est filium: *Vere filius Dei erat iste*. S. Dionysius Areopagita Atheniensis, dum universi mundi subversionem in extraordinaria illa Eclypsi præsentiret, terræque motum qui in ejus crucifixione acciderat, verum Dei filium in humana carne pati mox agnovit & credidit; & tanquam talis agnitus & adoratus est, postquam Crucis patibulum conscendit. Hugo Cardinalis ait: *Proprie dicitur exaltari, quando Rex coronatur, & sceptrum ponitur in manu ejus: in passione coronatus est*: Hicque sensus fuit verborum illorum in sacris Canticis: (Cant. 3. 11.) *Egredimini filiæ Syon, & videte Regem vestrum Salomonem, in diademate coronatum, quo coronavit eum mater sua*. Ipsa namque synagoga à qua hasce mortalitatis nostræ exuvias assumpserat, fuit illa, quæ clamavit: *Crucifige, crucifige*. Considerabile est utique illud Davidis præsagium: *Commoveatur à facie ejus universa terra*. (Psal. 95. 9.) Quamobrem verò? *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno*. Ita enim juxta S. Augustinum, S. Justinum Martyrem & alios legi debet. Et eodem modo legit antiquum Psalterium Romanum. Commotus est igitur totus mundus, quando se regiis hisce insigniis subjecit: *Quo enim non porrectum erat Romanum imperium, Christus jam possidet crucifixus*, inquit S. Augustinus, *& quod adhuc clausum est hisce qui ferro pugnant, non est clausum his, qui ligno pugnant*. Hoc autem Davidis oraculum de hoc pretioso ligno, per quod Christus omnes terræ populos legi suæ subjecit, intelligendum esse, certum est. Unde (Lib. 3. contra Marcio) Tertullianus Marcioni ita scribit: *Expecto, quid intelligas, nisi forte lignarium aliquem Regem significari Judæorum; & non Christum, qui exinde a Passione ligni superata morte regnavit*. De quo enim id alias verificari, quam de Christo poterat; nemo enim unquam inventus, qui regna sibi per Crucis viam acquisiverit?

2 *Dominus regnavit a ligno*. Si præsagium Prophetæ (Isai. 9. 6.) Evangelici considerare velimus, inveniemus ipsum inter alias prærogativas Messiæ venturi hanc quoque enumerare: *Factus est principatus super humerum ejus*. Sanctus (Serm 72. de temp.) Augustinus consideratis hisce verbis scribit: *Christus principatum super humerum habuit, quando Crucem in montem Calvariæ portavit: nec incongruè crux significat principatum, quia per ipsum & Diabolus vincitur, & mors superatur, & totus mundus ad Christi notitiam & gratiam revocatur*. Signum illud quod Redemptor noster, in cujus fœmore scriptum legitur: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, super humeros suos portavit, idipsum esse debebat, quod in futurorum sæculorum progressu imperia stabilire debebat; atque hinc est, quod postquam tot annis sepultum fuit, Divina providentia disposuerit, ut tanta cum gloria & honore investigaretur, & ab Imperatrice quadam ad Magni Constantini filii sui, qui Monarchiæ suæ stabilimentum Cruci in acceptis referebat instantiam, inveniretur. Ad hæc quis est, qui nesciat, ut benè notat S. Augustinus, *quod à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum*? (In Psal. 36. conc. 1.) In medio namque diadematum & coronarum imperialium Crux collocatur, veluti pretiosissimum quoddam monile, quod Regna ipsorum locupletat, & adauget. Ac proinde summa gloria est, hanc Crucem portare. Unde Salmeron ad Simonem Cyrenæum conversus ait: *O Simon noli erubescere de Cruce quam gestas, quia quod tuis humeris portas, erit oculis Regum adorandum, Imperatorumque brachiis reverenter & peramanter amplexandum*. Ehem, quantum Heraclius Imperator, hoc idem pretiosum Crucis lignum super Calvariæ montem deferens, honoratum se esse censuit?

3 *Regnavit à ligno*. Considerabilis profectò est illa supplicatio, quam duo fratres Jacobus & Joannes matre mediante, quoad primas in regno filii Dei sedes occupandas, Christo proposuisse leguntur: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo*. Quamnam poterant hi duo discipuli ad regnandum spem concipere, quando videbant, quod Christus verè esset *opprobrium hominum & abjectio plebis*? Et quidem admiratio rei magis augetur, si consideretur, quod petitionem hanc in tali quadam conjectura fecerint, quando nimirum Salvator de vicina passione sua agebat: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur*, &c. Eratne tunc idonea regna postulandi occasio, quando nonnisi patibuli & ligni Crucis fit mentio? Basilius Seleucius devotæ hujus mulieris fidem summè demiratur. *Vis mulieris fidem cernere? supplicationis quære tempus: quando libellum supplicem offert? quod postulationis tempus? Crux erat parata*. (Orat. 24.) Id quod Evangelista forsitan in illo significanti verbo: *Tunc accessit*, significare voluit; id est, ex illa conjectura, in qua de Cruce potissimum agebatur; nota etenim illis Davidis prophetia erat dicentis: *Dominus regnavit à ligno*. Et quidem notandum quod præter supplicationem reverenter porrectam, eum adorarit; *Adorans & petens*, adoratio etenim actus quidam est obsequii & honoris Regibus præstari & exhiberi solitus.

4 *Regnavit à ligno*. Sanctus Hieronymus de Cruce ejusque dimensionibus & forma tractans ita scribit: *Ipsa species Crucis quid est, nisi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens, Arcton dextera tenet, Auster in leva consistit, Occidens sub plantis firmatur*. Quidnam verò hoc præsignificabat, inquit Beda, nisi quod Christi regnum in quatuor mundi partes extendendum erat? (Tom. 5 in c. 7. Apoc.) Nonne universus Christianismus in Invitatorio Matutini ita intonat: *Christum pro nobis in Cruce exaltatum venite adoremus*? Porrò Filius Dei eo fine de cœlo descenderat, ut supremus totius universi agnosceretur Rex & Monarcha. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. (Psal. 2. 8.) Etenim tanquam supremus terræ cœlique Monarcha agnoscendus erat: *Et tunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore*. Verum inquires, cur igitur Regni sui possessionem non accepit, quando obsequiosæ in deserto per eum saturatæ turbæ Regem eum acclamarunt? Cur potius fugit? seque abscondit? Hoc mysterio id factum est, quia præstolabatur tempus illud, quo in Cruce suspensus verus Rex agnoscendus erat; Crux enim verus ejus thronus regius futurus erat; unde divina dispensatione contigit, quod Pilatus gloriosum hunc titulum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, capiti ejus superimponi fecerit. Et quidem non obstante quod Hebraismus, cui in omnibus complacere satagebat, concordibus animis & vocibus, fortiter apud illum sollicitarit, ut titulum hunc vel moderaretur, vel penitus tolleret, ipse tamen resolutè respondit: *Quod scripsi, scripsi*. Estque singulariter advertendum, quod, ut supra quoque diximus, titulus non sine mysterio tribus diversis linguis sive idiomatibus trium præstantissimarum nationum

quæ

quæ in mundo sunt, propriis incisus vel scriptus fuerit; id namque contigit ad denotandum ligni hujus regnum in omnes mundi partes extendendum esse: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Ad hæc licèt titulus hic per ludibrium & subsannationem Cruci superpositus fuerit, sicut etiam purpura vestitus, spinis coronatus, & tradito in manus ejus ludicro sceptro arundineo, Rex per ludibrium salutatus fuit, attestante tamen S. Athanasio Serm. de Cruce & Pass. *Illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum. O miraculum novum & inauditum! ut ei, quem per ludibrium & subsannationem pulsabant, triumphalia apponerent ornamenta.* S. Augustinus circa hoc talem considerationem instituit. In Psal. 61. *Christus domuit orbem non ferro, sed ligno; vicit mundum non armato milite, sed irrisa Cruce.*

5 *Regnavit à ligno*: Perfidi Hebræi, eum hisce verbis ut de Cruce descenderet, stimularunt: *Si Rex Israel* Matt. 27. 42. *est, descendat de Cruce.* Ubi sanctus Bernardus optimè considerat, consequentiam hanc nequaquam valere, sed mancam esse: *Non est bona consequentia ista: Imo si Rex Israel est, sceptrum regni non deserat.* Probe etenim sciebat, quod ad inimicum infernalem, qui idololatria mediante fortiter invaluerat, debellandum, operæ pretium esset, ut in regio Crucis throno stabiliretur, eoque mediante inimici vires debiliores efficeret. *Dæmones hoc eis immiserunt* (scribit S. Basilius) *qui vellent, ut descenderet: statim enim Crucis virtutem senserunt, & vires suas confractas.* Observandum est etiam, quod mox ut in Pilati prætorio Crucis facta est mentio, Dæmon vicinum Tyrannidis suæ exterminium prævidens, desperatam illam Judæ inspiraverit facti sui pœnitudinem, nec non ut traditionis à se factæ pactum reportaret pretium, innocentem eum declarando: Insuper etiam ejusdem Pilati conjugi sub nocturna quiete in somno apparuerit, ut hac ratione mulier ista, sibi ad eum Matt. 27. 20. à Crucis morte liberandum cooperaretur: *Nihil tibi & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter* Epist. ad Polog. *eum.* S. Ignatius Martyr ita scribit: *Cum patranda esset Crux, Diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immisit proditori, & mulierculam turbans in somniis, ut à crucifixione cessarent, inducere moliebatur, suam ipsius perniciem sentiebat.*

2 *Regnavit à ligno*: Enimvero quod homo quidam facinorosus, qui inter rapinas & homicidia vitæ suæ annos transegerat, qui una cum Christo è cruce pendebat, quod, inquam, Divina luce perfusus, ipsum tanquam verum Dei filium agnoverit, quid mirum? *Siquidem potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* At verò quod eum æterni cujusdam regni Regem & Monarcham contestatus fuerit, quoad hoc meritò cum sancto Augustino interrogare eum hisce verbis quis posset: Serm. 49. in append. de diversis. *Dicito mihi latro regnum petens, quid in eo tale vides, ex quo petis? Dic mihi: nam quod in conspicuo est, clavos & Crucem cernis. Sed hæc, inquit, Crux ipsa regni insigne est, & propterea Regem appello, quia video crucifixum.*

De varietate Crucis spiritualis agitur.

DISCURSUS QUINTUS.

Christo confixus sum Cruci. Ad Galat. 2. v. 20.

1 SPatium nequaquam Crucis sustinuisse Martyrium, prouti fecere S. Petrus, S. Andreas & S. Philippus, sed caput ejus detruncatum fuisse, certius est, quam quod probatione indigeat: sed dices, quanam igitur ratione scribit: *Confixus sum Cruci?* S. Bonaventura respondet: Serm. 3 de S. Andr. *Est duplex Crux: una materialis alia spiritualis; prima est interior quæ portatur in corde; secunda est exterior, quæ consistit in opere. Crux corporalis bonorum est & malorum, sed spiritualis est tantum beatorum.* Huic igitur Cruci S. Paulus confixus erat, valde eam cordi suo semper impressam portans, dicere jure meritò poterat: *Christo confixus sum cruci.* Et quidem unde nam existimatis Crucem hanc suam obtinuisse nomenclaturam? Audite respondentem Sanctum Gregorium dum ait: *Crux à cruciatu.* Quicquid enim tam corpus quam animam affligit & cruciat, crux dici meretur. Serm. 32. de Sanct. *Crux Domini* (inquit sanctus Augustinus) *non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione construitur: sed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur.* Porrò vitam hic in terris ducere immaculatam, continentem, omnibusque Christianis virtutibus informatam, cum majori semper Spiritu ad excellentiorem perfectionem contendendo, vera quædam crux dici meretur. In patibulo crucis ligneo Redemptor noster tribus duntaxat horis, confixus hæsit, & non diutius; at verò in hac, de qua loquimur, cruce triginta trium annorum spatio pependit. *In laboribus à juventute mea*, vel ut alii legunt: *Moribundus agonizans à puero.* Psal. 87. 16. Et hæc est illa Crux, quam Christus nobis prædixit, quamque tollentes ipsum sequi debemus, optimè namque scivit vires nostras ad ponderosissimam crucem suam utpote cui pondus omnium peccatorum totius humani generis adhæsit, portandam impares nimium esse. Quidnam obsecro Cyrenæo humeros suos materiali ligno crucis Christi supposuisse profuisset, nisi eosdem alteri quoque cruci submisisset, ejusque se sequelæ ac disciplinæ, nec non divinorum præceptorum ejus observantiæ consecrasset? Neque enim desunt authores, Pererius. qui ipsum ad sanctam fidem nostram conversum vitam Christianam atque Evangelicam duxisse opinentur. Omnis increatæ & incarnatæ sapientiæ conatus solidis illis triginta tribus annis in id unicè collimavit, ut crucem hanc spiritualem nobis imprimeret, nobisque ut eum non in morte & passione sua, sed in vita & quæ in ea post se nobis reliquit, exemplis imitaremur; Et hinc est, quod non dixerit: *Qui vult venire post me, tollat crucem meam, sed tollat crucem suam;* Quia teste D. Augustino: *Tota vita Christiani, si secundum Evangelium vivat, Crux est.* Hom. 38. de sanct. Quid Costroæ Persarum Regi crucem Domini tot annis in sua potestate & Dominio habuisse profuit? Quot ipso fuere feliciores ex eo quod crucem spiritualem cœlum illis aperientem assiduè portarint, cum tamen ipse præcipitatus sit in infernum? Quonam obsecro fine Christus Deus noster brachia sua in hoc ligno latè adeo extendit? Num forte id in nostrum exemplum fecit, ut nos idem quoque faciamus? Minimè gentium? quin potius D. Augustinum id exponentem audite: In Ps. 62. *Ideo extensæ sunt manus ejus in cruce ut manus nostræ extendantur ad bona opera.*

2 *Confixus sum cruci.* Enimverò si quænam Apostoli tam interna quam externa mortificatio fuerit, consideremus, inveniemus utique ipsum eidem mortificationi crucis titulum haud sine mysterio attribuisse. *Duo sunt crucis genera*, (ita olim Monachis suis prædicabat Eusebius Emissenus) Hom. 2. ad Monac. *unum corporale, alterum spirituale: unum à potu atque epulis temperare: appetitum gulæ à delectationibus & mollissimis suavitatibus coercere; ab his quæ per tactum, per gustum visumque decipiunt, sensum viriliter revocare ac violenter abstrahere.* Postea vero consequenter mortificationem internam majoris meriti crucem esse luculenter ostendit, dicens: *Alterum genus crucis est speciosum atque sublime, motus animi regere & perturbationes illius modestia tranquillitate pacare, ac superbiæ impetus quasi feram bestiam refrænare, litigare quotidie contra vitia sua, increpare se quadam austeritate censoria virtutis, & rixam quodammodo cum hoste interiori conserere.* Nec solus Emissenus hanc crucem agnovit, siquidem S. Augustinus in illa verba: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, declaraturus quale nam hoc sit hoc adeo pretiosum martyrium dicit: *Pretiosa in conspectu Dei & gloriosa crux, cogitationes malas in potestatem redigere, voluntates proprias abnegare, easque interiori examine discutere, & regentis imperio subjugare.* Idemmet sanctus alibi S. Apostolum expressius in exemplum adducit, & præmittit: *Tollit crucem suam, qui aut per abstinentiam corpus affligit: utroque modo crucem suam tulit qui dixit: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis; audiamus nunc in compassione proximi, crucem mentis: Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Sanctus Bonaventura quoque in sermone de S. Andrea crucem hanc mortificationis nobis commendat, dicens: *Verè dicuntur crucem ferre, qui noverunt à delitiis abstinere & carnem ne valeat lascivire, sobrietate coercere. Unde dicitur: Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Cassianus hac de re ita discurrit; dicit enim ferrum clavorum, per quod qui ex spirituali hac cruce pendent; terentur suspensi, timorem Domini esse debere: *Ut* Lib. 4. de instit. c. 35. *affigentes timore Domini carnes nostras universas vo-*

lun-

universas voluntates nostras ac desideria; non nostræ concupiscentiæ servientia, sed mortificationi ejus habeamus affixa. Utiturque similitudine illius, qui cruci affixus se pro suo arbitrio vertere aut movere nequit: *Ita & nos voluntates nostras, & desideria non secundum id, quod nobis suave est, & delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quod nos illa constrinxerit, applicare debemus.* Et sicut qui in cruce hæret, non jam amplius de rebus hisce inferioribus solicitus est, sed alteram semper vitam cogitat, voluptatibus valedicit, sibique appetitus suos dominari nequaquam permittit: *Nulla concupiscentia possidendi permovetur; nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus colet injuriis, non præteritarum jam recordatur.* Eodem modo qui cruci huic spirituali confixus est, omnia hæc ut adimpleat necessum est.

3. Aliam quandam Crucem, quæ unicuique adaptari potest, nos docet Chrysostomus, dum hanc duobus illis fratribus datam responsionem: *Potestis bibere calicem*, maturius ponderat: dicit igitur *Calicem hunc Passionem Domini dicimus* (id est crucem) *non solum persecutionem gentilium, sed omnem violentiam quam patimur, contra peccata certantes.* Non est crux aliqua reperibilis, quæ cœlo nos securius ingerat, quam sit illa; siquidem *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ubi sanctus Augustinus: *Quamdiu*, inquit, *id agunt corpora nostra, ut evacuetur corpus peccati, quamdiu exterior homo corrumpitur, ut interior renovetur de die in diem, tempus est crucis.* (Epist. 119. cap. 14.) Quæ doctrina ab ipsomet Apostolo Paulo desumpta fuit, qui ait: *Christo confixus sum cruci*; Etenim huc Romam scribens, ho nobis salutare reliquit monitum. *Vetus homo simul cum Christo crucifixus est.* Quonam autem fine id factum fuerit, subjungit: *Ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.* (Rom. 6.)

4. *Christo confixus sum cruci.* Quibus verbis Apostolus fortassis ad contumelias, ignominias & opprobria quæ sustinuit, alludere voluit: quæ etiam crux quædam est spiritualis: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus. Facti sumus omnium peripsema. Nos stulti propter Christum.* (1. Co. 4. 13.) Porrò Crux apud latinos idem est, quod patibulum, quod suam denominationem non solum à Patiendo, verum etiam à patendo, seu *patere*, id est, patefieri, seu in conspectu omnium manifestari obtinuit; ii enim, qui crucifigebantur, omnium exponebatur oculis, ut ipsorum tanto magis publicaretur infamia. Hæc autem magni meriti crux est, dum aliquis in conspectu omnium mortificatur & pro Dei amore contemnitur & posthabetur. *Nos stulti propter Christum.*

5. *Confixus cruci.* S. Augustinus ait: *Quid est tollat crucem suam? Ferat quidquid molestum est, & sic me sequatur. Tollat crucem suam, hoc est, tolleret in mundo pro Christo, quicquid intulerit mundus.* (Serm. 47. de diver.) Adeo ut sanctus Paulus, quid diei sibi audit: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, à primis diebus, quibus scholæ Christi pedem suum intulit, hanc in humeros suos crucem sibi assumpserit: verum enimvero, si verba hæc *Quicquid intulerit mundus*, benè considerentur etiam illi, qui magno sui cum dispendio mundo inservierunt, per hanc Crucem salvari possunt, dum nimirum opprobria, injurias, aliaque omnia damna, quæ mundus, suos ut plurimum traditoriè damnificans & decipiens, illis intulit, patienter sufferunt. *Solet Christus* (sunt verba ejusdemmet Sancti) *Passiones & afflictiones crucem vocare.* At vero quia axioma quoddam est indubitatum, quod *Nil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*, ideo Salvator animas nostras hac cruce mediante purificare & mundare contendit. Unde Chrysostomus. *Aurifex*, inquit, *donec aurum benè purgatum viderit, de fornace non extrahit; sic & Deus non abducit aliquando crucem, donec penitus emundaverit.* (Hom. 4. ad Antioch.)

6. *Confixus cruci.* Etenim multi sunt, qui iis qui in monte Calvariæ præsentes fuerunt, aut vero sacrosanctum hoc lignum Hierosolymis venerati sunt, quodammodo felicitatem hanc invident; hi autem, quotquot sunt, sanctum Hieronymum ad sanctum Paulinum scribentem auscultent, dicit enim: *Et crucis & resurrectionis loca prosunt his, qui portant crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exibent habitaculo.* (Lib. 2. Ep. 34.) Enimvero viam quæ ducit ad cœlum Deus noster facilitate contendit, adeo ut in omni loco, in quavis ætate, in omni conditione & professione unumquemque velut suam posse portare crucem: *Et de Hierosolymis, & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis.* S. Bernardus in mystica illa Jacobi scala Salvatoris nostri crucem agnoscit: *crux Christi*, inquit, *Schala utique est, quæ merito per scalam Jacob signatur.* Sicut enim varii in illa gradus conspiciuntur, per quos in cœlum conscenditur, qui varios nobis status & vocationes repræsentant, ita quoque insinuare vult sanctus hic Doctor, crucem quæ Paradiso nos inserit, omni ætati, sexui, & personarum conditioni adaptari: Jacob scalam illam videns exclamavit: *Vere non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.* Quo eodem titulo Hugo Cardinalis crucem insignivit, dum ait: *Crux dicitur domus Dei.* De qua Redemptor noster: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, quæ nimirum variis singulorum vocationibus correspondent.

7. Equidem hæc est inter crucem, quam mundus dat, & crucem quam Deus immittit differentia, quod crucem à mundo provenientem, à Deo nobis immissam esse minimè agnoscemus, adeoque nec illam ob Dei amorem sustinemus, ac proinde velut crux improbi latronis æternam nobis perditionem conciliat. Non vero similis conditionis sit ea, quæ à Deo nobis imponitur, hanc enim sustinemus, ut ei placeamus, ideoque spiritualem nobis impertitur salutem. Pulcherrima profecto est illa à S. Augustino adducta similitudo, dum ait: *Qui trucidat, non considerat, quemadmodum laniet: qui autem curat, non considerat, quemadmodum secet: ille enim persequitur sanitatem, iste putredinem.* (Epist. 48.)

8. Quamnam putas esse causam, ob quam Christus crucem suam portaturus alios in auxilium sui adhiberi voluerit? Salmeron mysterium istud tetigit, dum ait: *Perpende Christum non velle portare crucem sine te, proinde partem crucis tibi porrigit gestandam, quia qui fecit te sine te, non salvabit te sine te.* Ipsemet Christus crucem suam semper portare noluit, sed non voluit, ut illam semper portaret Cyrenæus, quin potius laborem inter se partiuntur, & dividunt, ut exinde intelligeremus, laborem nostrum sine passionis suæ meritis non sufficere, nec hæc in adultis sufficiunt sine nostra cooperatione, adeoque crux ejus nobis nihil profutura fuisset, nisi & nos eandem assumpsissemus in humeros nostros. Id quod in figura adimpletum fuit, quando ingentem illum uvæ botrum detulerunt: *Absciderunt palmitem cum uva sua, quam portaverunt in vecte duo viri.* (Num. 13. 24.) Porrò de Simone Cyrenæo sanctus Thomas ait: *Quod dicitur, coegerunt eum, significat illos, qui exterius crucem ferunt, interius autem coactè ferunt, quia non propter Deum, sed propter mundum.* Hugo Cardinalis ait: *Per istum Simonem*, inquit, *qui portat crucem Christi in angaria, significantur Hypocritæ, qui labores multos sustinent in hoc mundo pro laude humana.*

9. Poterat quidem Christus Redemptor noster alicui ex sibi devotis, qui ejus se discipulatu adjunxerant, nimirum Nicodemo vel Josepho ab Arimathæa crucem suam secum portandam imponere: at verisimile est, quod in singulis eorum summum agnoverit renisum & reluctantiam, eo quod crux infamiæ instrumentum esset. Pauci etenim sunt, qui ad eam usque perfectionem pertigerunt, ut se ob Christi amorem publicè diffamari patientur; Ideo namque Nicodemus absconditus, & nocturno tempore occultè eum convenit, ne ab aliis videretur.

10. Demum vero ut crucem Christi, id est, quas nobis in præsenti vita immittit Passiones cum fructu feramus, ad ea quæ S. Augustinus scribit, reflectere oportet. Dicit enim: *Quanta patiuntur pro sua iniquitate latrones? quanta patiuntur pro suis sceleribus perditi? pro sua nequitia luxuriosi? pro sua avaritia negotiatores mare transmeantes, ventis, tempestatibusque corpus & animam committentes, sua negligentes, ignota quærentes.* (Serm. 149. de tempore.)

De Cruce sub thesauri cujusdam similitudine hic agitur.

DISCURSUS SEXTUS.

Sola digna tu fuisti ferre sacli pretium.

1. Nihil reperiri posse existimo per quod sacrosanctæ Crucis prius absconditæ, postea verò tanto eum jubilo inventæ mysterium vivacius exprimatur, quam parabola illa, in qua increata illa Sapientia Regnum Cœlorum thesauro cuidam in agro abscondito comparavit: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Neque enim negari potest, quin sacrosancta illa crux in agro absconditus thesaurus quidam fuerit inæstimabilis, eo quod *sola digna fuit portare sacli pretium.* Undè Sanctus Petrus Damianus ait: *Hodie quia crucis inventionem colimus, quasi reperto communi totius mundi thesauro, communiter in Christo gaudere debemus.* Sicut enim Christus in solicito illo Pastore adumbratus est, quâ inventa, quam dolenter amiserat, ove, omnes ad secum congaudendum invitavit: *Ita & nos invento eo, non quod ipse perdiderat, sed qui nos perditos acquisierat justum est gloriari.* Enimvero non sine mysterio sanctus Petrus Damianus crucem thesauro comparavit abscondito, si factum istud consideretur, quod Tiberio Imperatori accidit. Cum enim Christianus hic Imperator vir summæ pietatis & religionis, atque in pauperes liberalissimus in magnam redactus fuisset pecuniarum penuriam, accidit, ut dum palatium suum perambularet, in quendam pavimento insertum lapidem offenderet, in quo crux quædam effigiata erat, qui proinde elevatis in cœlum oculis in hosce devotionis prorupit affectus: *Cruce tua Domine frontem nostram munimus & pectora; & ecce crucem sub pedibus conculcamus?* Cumque lapidem hunc in decentiorem locum transferre volens, illum è pavimento erui jussisset, mox sub eodem alium quendam lapidem similem eadem cruce insignitum offendit: quo etiam eruto, mox sub eodem tertium lapidem invenit, eadem pariter cruce signatum; cumque & illum è pavimento sustulisset, tandem opulentissimus quidam ibidem absconditus thesaurus sese prodidit, quocum non solum pauperum, verum & omnium suo subditorum imperio egestati & necessitati abunde subvenit. Constantinus Romanorum Imperator in virtute crucis Christi, quæ in cœlo ei miraculosè apparuerat, Mazentium Tyrannum gloriosè superavit, adeoque dictæ Crucis virtute in suo erat stabilitus imperio, unde non solum hujus beneficii causa, sed & quia modo adeo prodigioso à lepra liberatus fuerat, prostrata, & dissipata omni Idololatria, fidem nostram Christianam est amplexatus; cumque deinceps in summa regnaret prosperitate, piè credere possumus eum Augustæ Imperatrici, & Matri suæ Helenæ frequenter dixisse: Nos in virtute Crucis in tanta pace regnamus & gloria, & Crux quæ hanc nobis gloriam peperit, semper manebit in terra sepulta & abscondita? Quæ vicissim, si sancto Ambrosio fidem adhibere volumus, intra se sæpe repetebat: *Ego in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus?* Tandem vero, ut Berengosius Abbas ait, ambo ad thesaurum hunc solicitè pervestigandum strenui fuerunt & assidui: *Licet inveniendæ Crucis una duobus esset intentio, filium tamen inquisitio, & Matrem nobilitavit inventio, dum enim eidem inquisitioni uterque operam dedit, lignum Crucis filius inquisivit, Mater invenit.* Helena igitur Hierosolymam cum venisset, in eruendo agro illo, in quo pretiosus hic thesaurus absconditus esse credebatur, ingentem adhibuit diligentiam, fueruntque tres quidem Cruces planè inter se conformes inventæ, at vero sub tertia quæ Christi erat, thesaurus ille tandem inventus fuit, per quem redemptus est mundus, unde Andreas Cretensis Archiepiscopus orat. in Exaltione S. Crucis ait: *Thesaurus qui fuerat absconditus ex terra meditullio refulsit.* Berengosius Abbas lignum istud similiter thesaurum esse dixit: *Ad contumeliam nostram* (ita de malignis Hebræis scribit) *tanto tempore thesaurum divinitatis absconderunt.* Enimvero adæquata, & inter cæteras principalior ratio, cur sanctissimo Crucis ligno hoc imponatur gloriosum Epithetum, hæc esse potest, quia in hoc ligno, velut in opulentissimo quodam ærario, solutum est pretium quoddam infinitum; siquidem unica sanguinis Christi stillula mille mundis redimendis abunde sufficiebat: Et quia Crux *Digna fuit ferre sacli pretium.* Cui consonat pia illa melliflui Bernardi meditatio, dicentis: *Totus iste mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest: non enim pro toto mundo animam suam Deus dare voluit, quam pro anima humana dedit.* Quotquot autem salvantur animæ; prompto sanguinis Christi Crucifixi pretio salvari noscuntur. Unde de sancta Cruce dici potest, omnes animas ea mediante fuisse liberatas. *Per sanctam Crucem tuam* (ita Christum alloquimur) *redemisti mundum.* Crux dives illud ærarium est, ex quo hactenus & semper deinceps, in redemptionem cunctarum animarum totum deprometur lytrum & pretium, *Sola fuisti digna portare talentum mundi.* Memorabundus hoc loco est negotiator ille Evangelicus adeo circumspectus & prudens, quâ pro invento pretioso quodam monili, omnia à se possessa libens volens erogavit: *Inventa una pretiosa margarita, abiit, vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Negotiator iste, sancto Leone teste, filium Dei adumbravit, qui pretiosissima hujus ligni margarita inventa, utpote quam super omnia mundi regna æstimavit, omnia erogavit, quæ in sua erant facultate, adeo ut ad omnimodam se nuditatem redegerit, in eaque nuditate, & paupertate, inque illis opprobriis, inæstimabiles voluit esse divitias reconditas, per quas unaquæque anima locupletatur, cœlorumque regnum sibi comparat. Hinc est, quod Apostolus dicebat: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce.* Quinam autem sancti Pauli in hac sua gloriatione sensus fuerit, Divus Augustinus interpretatur, & scribit: *Poterat Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret: poterat in majestate, poterat in potestate, & verum diceret; sed dixit in Cruce. Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit.* Ex quibus verbis perspicuè deducitur sanctum Paulum in Cruce inæstimabilem cepisse thesaurum, quia certum est, quod tribulatio, paupertas, mortificatio, omnesque aliæ mortificationes Christi amore toleratæ gloriam nobis verè concilient. *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in cœlis.* Quodsi in potestate tua haberes universum aurum Peruvianum, per illud tamen ne unicum quidem beatitudinis gradum tibi lucrari posses: at vero si pro Christi amore patiaris, si vel unicum humerum tuum Cruci ejus submittas, certo lucraberis Paradisum. Job. cap. 37. scribitur: *Ab Aquilone aurum venit*; ex alia verò parte in Jeremia legitur; *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Qua autem ratione fieri potest, dicet fortasse aliquis, quod aurum quod passim apud omnes in tanta est æstimatione, quodque omnem domibus prosperitatem secum adfert, ab eodem climate deportetur, ex quo alias universa mala velut è centro suo in nos dimanant? Responderi quidem ad id posset, aurum vel ideo omnis mali occasionem esse atque originem, quia humana cupiditate homines investigante, omnes habet sibi insidiantes. Verum aptius ad præsens propositum responderi posse videtur, quod ubicunque est tribulatio, Crux, ærumna, afflictio, ibi quoque semper sit aurum; sed aurum tale, quo cœlum lucrari, & Deum nobis comparare possumus. Sanctus Ambrosius in vastissima illa regna quæ Magnus ille Constantinus, veluti totius universi Monarcha possidebat, oculos suos conjiciens, hocque pretiosum Crucis lignum ab Augusta Imperatrice Matre ejus inventum esse conspiciens, ait: *Multu amplius invenit, quod Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore acciperet.*

2. In principio hujus discursus diximus; quod *simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Per hoc autem cœlorum regnum Ecclesiam interpretari possumus, quæ omnes thesauros suos in Cruce habet repositos: at vero si per regnum cœlorum Paradisum intelligere volumus certum est, quod tanti Crux valeat, quanti beatitudo, & gloria cœlestis valere noscitur. Unde sanctus Petrus Damianus: *Per lignum de Paradiso fueramus ejecti: per lignum sumus ad Paradisum revocati. Dabo clavem domus David super humerum ejus;*

Serm. de invent. S. Crucis.

Biblioth. vet. PP. Tom. 7.

Hist. Fra. lib. c. 19.

In obitu Theod.

Lib. 2. c. 12.

Apud Surium 14. Septemb.

Lib. 2. c. 7.

Medit. 3.

Ser. 3. de pass.

Serm. 20. de Verb. Apost.

Cor. 4. 16.

Jer. 2. 24.

In obitu Theodosii.

Serm. de invent. Cru. 18

Isa. 28.

eius; ita vaticinatur Isaias Propheta, id est, Crucem, quæ clavis est domus veri Davidis, & gloriosum regni Christi stemma & insigne. Observastisne aliquando, quotnam sæculis cœlum clausum permanserit? aut quisnam primus omnium illud ingressus fuerit? Num forte Adam, Abel, Noe, vel Abraham prothoparens omnium credentium, aut vero Sanctus quidam Joannes Baptista? Nequaquam, sed latro quidem ante omnes cœlos intravit. *Hodie mecum eris in Paradiso*. Ubi S. Augustinus ait: *Crux nobis Paradisum, quinque ab eo amplius annorum millibus præclusum patefecit*. Chrysostomus quoque ait: *Iste latro de Cruce mercatur salutem, furatur cœleste imperium*. Nescio, an aliquando notaveritis, quod Ecclesia postquam cecinit: *Sola dignatu fuisti ferre sæculi pretium*; mox subjungit: *Atque portum præparare arca mundo naufrago*. Hoc etenim pretiosum Crucis lignum efficit, ut in hoc procelloso mundi Mari, tot inter tempestates ad fortunata Paradisi littora feliciter appellamus. Unde Sanctus Augustinus ait: *Interjacet mare hujus sæculi, quid fecit? instituit lignum, quo mare transeamus, nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi Cruce Christi portatus*. Tritum est illud Evangelicum axioma: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quisquis autem Crucem portat in hoc, singularis existit, quod ex quo in præsenti vita pro amore Christi patitur, opus non habeat, ut ad habendum in Cœlos aditum, aliquam illis violentiam inferat, utpote qui Paradisum in manu sua habet. *Qui in Cruce est, non vim facit, est Crux, & statim Paradisus*. Optimè Sanctus Leo consideravit, Hebræos quidem incredulos Redemptorem nostrum per patibulum voluisse affigere: hoc tamen illorum consilium per omnipotentiam & sapientiam suam, in suam nostramque gloriam transmutatum fuisse. In suam quidem gloriam quoad honores, venerationem & obsequia, quibus sanctè à summis quoque & metuendis mundi monarchis afficitur: in gloriam vero nostram, quia: *Quod iniquitas Judæorum paravit ad pœnam, potentia redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam*.

Ser. 40. in Append. de divers. Hom. de Cruce

Tract. 2 in Jo:

Ho. de divin epulone.

Ser. 4. de pass.

Ostenditur Christum velle ut propriam quisque Crucem, id est, eam quæ statui & vocationi suæ conjuncta est, non vero ut suam portet.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Qui non bajulat Crucem suam, non potest meus esse discipulus. Lucæ Cap. 14. vers. 27.

1. NOs sine Cruce Cœlum ingredi non posse adeo verum est & indubitatum, ut probatione non indiget. Unde Chrysostomus verba illa: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, maturius ponderans, hoc inde elicit argumentum: *Christus intravit in gloriam suam per Passionem, & tu vis intrare in alienam sine Cruce?* Etenim Cœlum antea firmiter obturatum & clausum, post quinque millia annorum & amplius eo præcipuè tempore apertum fuit, quo Crux Christi fabricata fuit. *Revera*, inquit Chrysostomus, *non est vita sine miseria, nec potest sine tribulatione, nec potest sine tristitia vita præsens transigi*. Cujus convincentem hanc subdit rationem: *Sicut enim immortalis homo non potest inveniri, ita neque absque tristitia & Cruce à Christiani vita vinculum insolubile est tribulatio*. Similem in modum Thomas de Kempis meditatur, dum ait: *Dispone & ordina omnia secundum tuum velle & videri, & non invenies, nisi aliquid pati debere, aut sponte, aut invite, & ita Crucem semper invenies*. Unde difficultas in eo solum consistit, qualis à nobis Crux portanda sit, ut Christum sequamur, siquidem sine hac salvari nequaquam possumus. *Qui non bajulat Crucem suam, non potest meus esse discipulus*; quæ est æternæ protestatio veritatis. Num forte ipsissimam Christi Crucem humeris nostris imponere debemus? Minimè. Quis enim humeros tali oneri submittere præsumet, quod à divino illo Athlante,

Lucæ 24. 25 Hom. 60. ad pop.

Mansi Prompt.

qui tribus digitis universam mundi sustinet machinam ferri vix potuit? Advertendum est igitur, quod Christus non dicat: *Qui non bajulat Crucem meam*. Cur ita? Nunquid Crux ejus pretiosissima erat, utpote quæ gratiis meritisque innumeris referta erat, & in qua humani generis redemptio consummata fuit? Hoc totum verum est quidem; veruntamen eadem Crux omnibus generis humani culpis & pœnis onusta erat: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*. Unde S. Thomas de Villanova ait: *Tollat Crucem suam, nam meam non poterit; gravissima est enim quam nullius puri hominis humerus portare sustineat*. Christus enim Crucem portavit, omnibus nobis debitam. Adhæc dicere possumus, Christi Crucem Evangelicorum consiliorum complementum, veramque perfectionis viam esse, vel etiam immaculatam quandam esse innocentiam, quæ illis verbis insinuatur: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*. Quinam autem futuri essent humeri illi, quibus Crux ista adaptari possit? Væ nobis, si nobis aditum in Cœlum per hanc innocentiæ aut perfectionis religiosæ semitam comparandus necessario esset: quam pauci enim tunc forent salvandi? Ac proinde notanter & non sine mysterio dixit: *Qui non bajulat Crucem suam*; Etenim qui vivere nequit sicut homo religiosus, valdeque perfectus; vivat ad minus sicut timoratus Christianus, præcepta adimpleat, si consilia Evangelica sectari non præsumat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Unde S. Bernardinus hac de re ita scribit: *Tollat Crucem suam, id est, sibi passibilem, non autem dicit meam: quia totus mundus non potest portare minimam partem Crucis ejus*. Quilibet in statu & vocatione sua propriam Crucem habet, ac proinde opus nequaquam est, ut studiosè illam inquirat. Salutare igitur est illud Apostoli monitum: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. Quodsi igitur unusquisque in sua vocatione salvari potest, nec quisquam sine Cruce salvari queat, per consequentiam necessariam quotquot in statu & vocatione sua salvantur, in eadem suam quoque Crucem habebunt. Id quod ad Ephesios scribens expressius declaravit, dicens: *Obsecro, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis; cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate*. Ecce tibi Crucem. Melius profectò ad propositum nostrum dicere non poteras aureum illud Chrysostomi os, & calamus aureus. *Omnes cujuscunque sortis sint, varias Crucis causas habent, hic quidem ab uxore, hic a filio, alter à servo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vicis quidam, quidam ex fortunarum jactura*. Enimvero credetis forsasse Magnates qui in delitiis & splendoribus degunt, suam quoque Crucem propriam non habere? at verò audite eundem Chrysostomum: *Veruntamen nec Rex procul à curis & Cruce vitam degit sed vitam vivit plenam multis tribulationibus & curis*. Unde Poeta quidam cecinit, habet suas quoque purpura spinas. Etenim Plinii sententia est: *Nullum vestimenti genus, quod tinearum injurias magis sentiat, quam purpura*. Ita quoque nullus magis infestatur curis & molestiis animi angoribus, quam Princeps aliquis: *Neque tu diadema respicias* (inquit Chrysostomus) *sed curarum tempestatem: non ita corona caput circumdat, sicut animam solicitudo: nec enim privata domus tot curis plena reperiri posset, quot regia sunt Cruces per singulos dies expectandæ*. Cum igitur Deus noster unicuique in suo statu Crucem suam imposuerit; ejus expectationi satis faciemus, si illam fortiter & patienter sustinuerimus. Et hoc est, quod Apostolus dicere velle videtur, dum ait: *Cum humilitate mansuetudine, & patientia supportantes*. Etenim illi Patrifamilias incumbit, ut bono exemplo patientiæ, humilitatis aliarumque virtutum suis præluceat ut prolem suam, cunctosque alios sibi subjectos, in bona educatione coerceat. Ad illum Prælatum spectat, ut solicite super grege suo invigilet, divini verbi panem, & Sanctissima Sacramenta eidem subministrando animarum suæ curæ commissarum salutem strenuè promovendo, earumque necessitatibus tam corporalibus quam Spiritualibus subveniendo, imo & vitam suam exponendo, ubi idipsum requisierit necessitas.

1. Petri 2. 24.

1. Petri 2. 22.

Matt. 19. 17.

1. Cor. 7.

Eph. 4.

Hom. 67. ad pop. Antioch.

Hom. 66. ad Pop.

2. *Tollat Crucem suam*. Crux juvenis illius erit v. gr. patienter ferre, si à sodalibus suis cæteroquin dissolutis, digito monstretur; eorum societatem fugere qui ipsum nituntur seducere, in occurrentibus sibi in via Dei mortifi-

cationibus modicam erubescentiam æquanimiter tolerate, continenter vivere, ebullientis sanguinis fervorem & æstum vincendo, oculosque à voluptatum incentivis in bona custodia continere. Hæc enim Crux ad Cœlum ipsum infallibiliter perducet. Neque enim Redemptor noster à nobis exigit, ut Crucem nostram per flagella, spinas, clavos, fella, myrrhas, aliasque similes amaritudines deferamus, prouti suam ipse tulit: *Age igitur pœnitentiam pro peccatis suis, & sufficit mihi, jejuna, plora, vigila, affige modicum carnem suam, & satis mihi est*, inquit veluti in persona Dei S. Thomas de Villa nova: ac proinde in persona Christi subjungit: *Non meam injungo; sed tollat suam levem & facilem*.

Ser. 72. de Div. 3. *Tollat Crucem suam*. S. Augustinus ait: *Tollat Crucem suam, hoc est, tolleret in mundo pro Christo, quicquid intulerit mundus*. Illam nimirum paupertatem, infirmitatem illam vel aliam quamvis ærumnam, quæ à mundo nobis Crucis loco immittitur. Quæ tunc vel maximè ad Cœlum nos perducet, si eam ex amore Christi fortiter sustinuerimus, immissas nobis afflictiones ad amorem & gloriam ejus dirigendo, nosque ejus sanctissimæ voluntati conformando. Verum enim verò sæpè numero continget, quod adversitates occurrentes peccatorum nostrorum fructus existant: siquidem fortassis illam tibi conciliasti infirmitatem per has vel illas obscænorum peccatorum enormitates, per crapulas imoderatas, per rixas & contentiones: Carcerem illum seu bonorum jacturam per contracta debita, per jocos, ludos, luxus, aliaque delicta patrata tibi adscivisti; Molesta lis illa, quæ mirè te contorquet, contractuum illicitorum, seu usurarum palliatarum tuarum est effectus; Et tamen hoc non obstante, inquit Sanctus: *Tolleret pro Christo*, id est, Crucem illam, illam tribulationem, justum, & pro sceleribus suis digne promeritum supplicium esse recognoscat, percutientem se ferulam osculetur, divinæ voluntatis arbitrio se conformet, fructumque pro anima sua ex immissa sibi Cruce eliciat, se humiliando, & intima de peccatis dolendo & pœnitendo, ac demum sciat, quod *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Etiam peccata*, addit Glossa.

4. Veruntamen aliam quandam Crucem audite longè faciliorem: Chrysostomus ait: *Tollis Crucem suam, qui ita paratus est ad pericula, cædem, & Crucem, ut is qui eam portat; ita paratus est, ut is, qui eam humero sustinet. In præparatione animi*. Si videlicet promptus sit pro amore Dei vitam suam prodigendi, vel omnibus aliis periculis eam exponendi. *Crucem suam*. Est quoque alius modus pro commissis peccatis pœnitentiam faciendi, si quis stabile sibi faciat propositum, eadem per DEI adjutorium nunquam denuò committendi, vel iterandi. Dionysius Carthusianus ait: *Tollat Crucem suam, id est, seipsum quotidie per opera pœnitentiæ mortificet*. Constat Crux materialis duobus lignis, uno directo, altero transverso; quorum hoc, statum significat illorum, qui multis subjacent miseriis & ærumnis; Et hæc Crux à majori hominum parte portatur, & sensibiliter admodum percipitur: lignum verò directum prosperitatis statum significat. Verum inquies, ergone etiam in illo statu Crux aliqua reperiri poterit? cuinam pœnæ subjiciuntur, qui vivunt juxta animi sententiam in summis delitiis, & gaudiis, miseriarum omnium expertes? Nimirum illi subjiciuntur Cruci, quæ consistit in Christiana innocentia perpetuo continuata. Quam Crucem S. Bernardus existimat quodvis aliud excedere quantumvis pœnosum Martyrium. Trita enim est illa sententia: *Quod Martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias?* Quondam insignis hæc laus S. Carolo Borromæo (Ser. in festo omnium Sanct.) hisce verbis attributa fuit: *Crucifixus mundo maximè blandienti*.

5. *Tollat Crucem suam*. Id quod notanter dicit. Multi enim Crucem in se accipiunt alienam sicut Simon Cyrenæus, qui humeros suos non suæ, sed Christi Cruci supposuit. Quot sunt hoc errore seducti, ut se per Crucem alienam, id est, per aliena merita abstinentiarum, orationum, Confessionum, aliorumque similium operum salvandos esse existiment, bonis Dei servis sese recommendando, animæ verò suæ culturam, divinorumque præceptorum viam penitus negligendo? Quot sunt, qui confidunt in devotionibus externis, verb. gr. in sanctorum advocatorum suorum intercessionibus, vel in vocalibus sacri habitus Carmelitani, vel Rosarii, vel ad Sanctum Paduanum directis orationibus, parum considerantes hasce illis ad æternæ gloriæ consecutionem parum profuturas esse, quamdiu divinæ leges observantes non fuerint? Crucem propriam portare oportet. *Crucem suam tollat*; Per opera & merita propria, non verò aliorum salvemur, necessum est. *Opera enim illorum sequuntur illos*. Persuadere fortassis quis sibi poterit Heraclium Imperatorem omnium fuisse fortunatissimum, & Redemptori maximè acceptum, eo quod lignum illud, in quo is Crucifixus fuerat, quodque è Cosroe Persarum Regis potestate recuperarat in humeris suis portarit: at verò ex alia parte sciendum est illi, quisquis ille est, id dicto Imperatori parum admodum profuisse, siquidem ejusdem Imperatoris negligentia Mahometis secta in Christianismo firmum sibi pedem fixit, finisque illius admodum probrosus extitit. Verum quidem est, quod Crucem Christi sibi ferendam imposuerit, non vero suam; cum tamen Christus dixerit: *Tollat Crucem suam*. Verum enimverò hactenus quidem multorum, præcipuè verò magnatum errorem deteximus, nimirum quo sibi persuasum habent, per aliena merita salvari se posse, cum tamen ipsi spinarum; clavorum, fellis, & Crucis inimici, solarumque Rosarum, avidi existant: attamen ex quo simul etiam Cyrenæi mentionem fecimus, scire percuperem, cur incarnata illa sapientia non disposuerit, ut sibi Crucem ponderosissimam portanti non Simon sed alius, v. g. S. Joseph ab Arimathæa, Nicodemus, vel similes alii compatientes suppetias in Cruce ferenda ferrent, quin potius gentilem quendam advenam, prolibus onustum, agricolam, & patremfamilias sibi subvenire voluerit. Et quidem quoad mihi videtur causa illius hæc fuit, ut scilicet exinde intelligeretur, quod Christus omnes & singulos Crucis suæ partem habere velit, vult etenim, ut omnes & singuli meritorum passionis suæ participes evadant, vult, inquam, ut singuli in suo statu salventur, dummodo humeros suos Cruci submittant, quam DEUS unicuique in suo gradu immisit. Porrò Cyrenæus iste pariter cum filiis suis ad fidem conversus est.

6. *Tollat Crucem suam*. Hugo Cardinalis ait: *Notanter suam, juxta veritatis mensuram*. Siquidem *fidelis* (In cap. 10. Matt.) *Deus qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus*. Ac proinde S. Anselmus ad idem propositum scribit: *illud facit provenire, quod potest humana fragilitas sustinere: cum viribus tentamenta modificat*.

7. *Crucem suam*. Multi in aliorum Cruces oculum suum dirigunt, ideoque tentantur, & contra DEUM murmurant & lamentantur, quasi Crux illorum gravis nimirum sit, & intolerabilis, siquidem alios majori supplicio & castigatione dignos esse arbitrantur. Nequaquam, inquit DEUS, ita fieri convenit, neque enim vestrum est id examinare, quin potiùs quid pro peccata vestra mereamini ponderare debetis, & impositæ vobis Cruci acquiescere. Sanctus Petrus Christum interrogavit, quam & qualem Crucem S. Joannes portaturus est: *Domine hic autem quid?* Verum Salvatore ei respondisse videtur, ut suam Crucem respiceret, nec oculum seu mentem suam in alienam Crucem deflecteret. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*

Christus per illa verba: *Qui vult venire post me, abneget, &c.* Crucem faciliter portandi modum nos docet.

DISCURSUS OCTAVUS.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me. Lucæ Cap. 9. v. 23.

1. VErum Crucem portandi modum Redemptor noster paucis quidem, sed valde mysticis verbis nos edocet. Et quidem in primis Chrysostomus, (Hom. de ador. Crucis.) verba illa: *Qui vult*, bene considerans ait: *Vide ut nullam necessitatem verbis suis adjungit: Non enim dixit: velitis, nolitis, hoc nobis perferendum est,*

sed

sed quomodo? Si quis vult me sequi: non vim affero, non cogo, sed sua quemque voluntatis dominum facio, utrum Crucem suam mei amore velis ferre.

2. *Post me*. Levius utique pondus impositæ nobis Crucis videbitur, si oculum nostrum in eum defigamus, de quo scriptum est: *Qui peccatum non fecit*; qui tamen sanctam Crucem omnibus peccatis nostris maximè oneravit, quia *Peccata nostra ipse pertulit super lignum*, unde & gravissima ac ponderosissima extitit. Non parum quoque sublevaminis nobis in Cruce positis conciliabit, si quanta cum lætitia & alacritate Crucem suam portari, consideremus: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte mon-*
Exod. 25. 40. *stratum est*. Unde & Apostolus nos exhortatur, dicens: *Aspicientes in consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.*
Hebr. 12. *Post me*. Si quis Christum præcurreret, is certè oculos suos in ipsum defigere minimè posset, ac proinde quia oculos nostros in se perpetuo vult habere defixos, dicit post me. Ad hæc dicere etiam possumus; Christum nobis hisce verbis insinuare voluisse, cavendum nobis esse, ne de nobis ipsis nimium præsumamus, pedes nostros ante Christum figere, seu eum præcurrere volentes, prouti nonnullis accidit, qui de seipsis adeo præsumunt, ut suam in gratiam & auxilia divina fiduciam nequaquam ponunt. Et fortè
Luc. 19. hoc est unum ex mysteriis, ob quæ Christus Zachæo ut ex arbore Sycomoro, quam ejus videndi causa ascenderat, cito descenderet, præcepit: Præcurrens ascendit in arborem Sycomorum; quia enim arbor illa Crucem repræsentabat, quam Christus ipse nondum ascenderat, ideo Zachæus Christum aliquo modo præcurrere velle videbatur. Unde Chrysostomus:
Serm. 54. *Si bene ascenderat, quare ei dicitur, descende? superius dixit: Præcurrens, ascendit arborem, præcurrit servus Dominum; & ante Zachæus ascendit arborem, quam Crucem dominator ascenderet; hinc est, quod dicitur ei festinus descende*. Demum verò ad propositum nostrum loquitur, dicens: *Nisi quis tulerit Crucem suam, & secutus me fuerit, non dixit, præcesserit*. Cyrenæus quidem Christum in Cruce portanda adjuvit; ad illam tamen portandam Christus ipsum non aliter admittere voluit, quam ut non ante, se post Jesum
Luc. 23. 53. incederet: *Imposuerunt illi Crucem portare post Jesum*. Sunt, qui in dubium revocarunt, an Christus simul cum Cyrenæo Crucem portarit, an verò Cyrenæus illam tulerit solus. Cajetanus dubium hoc dirimit: dum ait: *Compulerunt ad hanc ignominiosam sarcinam, quam tamen non solus portabat: sed post Jesum, ne Simon videretur crucifigendus*. Multi adeo sunt temerarii & præsumptuosi, ut multa ex seipsis seu propria virtute se facere posse existiment, qui tamen deinceps turpiter cadunt. Quando Petrus Christum ad Calvariæ montem, ut crucifigeretur, contendere velle audivit, multoties se una cum ipso mori velle arroganter protestando promisit, non obstante futuri lapsus sui prædictione à Christo ei insinuata, ac proinde qui pari passu cum Christo incedere voluit, ut turpiter caderet, promeruit. *Post me*, inquit S. Bonaventura: *Quid est Crucem tollere, & post*
Ser. 2. de S. Andrea. *Dominum ire, nisi post dictam jam humilitatem gratiam pænitentialem accipere, & sic semper post Dominum ambulare? nam & ipse in nostrum exemplum prius se humiliavit, pedes discipulorum lavit.*

3. *Abneget semetipsum*. Origenes ait: *Abneget ergo*
In cap. 16. Matt. *seipsum, qui priorem vitam suam malam bona conversione relinquit: ut puta aliquando luxuriosus denegat se injustum, cum cœperit servare justitiam; & sic in omni malitia denegat, quod fuerat*. Eandem interpretatio-
In cap. 16. Matt. lib. 2. de pœn. cap. 10. Hom. de ador. Crucis. nem S. Bonaventura hisce verbis adjecit, dicens: *Quid est, se abnegare, nisi omnem superbiam cordis abjicere, & perfectam humilitatem induere?* S. Hieronymus ait: *Abnegare seipsum est, veterem hominem cum operibus suis deponere*. S. Ambrosius quoque dicit: *Abneget semetipsum sibi homo, & totus mutetur*. Chrysostomus autem verbum illud *Abnegare* specialiter considerans dicit: Advertamus diligenter, quidam abnegare seipsum significet. Qui negat se nosse alium, sive is filius sit, sive frater, vel alius quicunque amicus, is tametsi omne malum eidem accidere, eumque pessimè ab alio tractari videat, nullum tamen ei auxilium porrigit, quia eum abnegavit, non eum defendit, nec ex ejus infortunio turbatur, eo quod omnem ab eo affectum subtraxerit: *Sic ergo vult nos Deus Corpus nostrum negligere* (inquit Chrysostomus) *ut si qui nos ipsius causa vel verberent, vel supplico afficiant, vel quid aliud faciant, negligamus. Hoc est enim abnegare, hoc est nihil rei secum habeat, sed seipsum periculis objiciat*. Crucem pondus suum habere, nemo inficiari potest, quodsi autem quis ponderi huic aliud pondus majus adjicere velit, id est, si ei affigere velit amorem proprium, seu propriam voluntatem, utique illam promptè portare tandem eidem impossibile erit. S. Augustinus enim amorem nostrum pondus dicere non dubitavit: *Amor meus, pondus meum*. Quodsi autem in hoc Crucis pondere portando facultatem aliquam & levitatem experiri volumus, opus erit, ut ab alio pondere nos exoneremus, id est, voluntatem propriam ab eadem retrahamus, abnegando illam, ipsamque Deo subjiciendo. Prius Dominus noster dixerat: *Nisi quis renuntiaverit, omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. At vero cum de Cruce à nobis portanda disserere incipit, etiam nosmetipsos abnegare suadet. Unde S. Gregorius ait: *Ibi dicitur ut abnegemus nostra: hic dicitur, ut abnegemus nos, & fortasse laboriosum non* Hom. 32. in Evang.
est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Hugo Cardinalis Ly *semetipsum* prudenter ponderat, & dicit, quod quanto renuntiatio aliqua Deo gratior & acceptior fuerit, tanto quoque sit majoris perfectionis, & aptitudinis ad Crucem salubriter portandam. *Est relinquere & abnegare seipsum, se, sua, suos*, deserere seipsum, propria voluntate carere, ab omni eo quod quis habet, haud secus alienari, ac si suum non esset; denique carnem, sanguinem, & parentes proprios derelinquere, proprium est eorum religiosorum, qui in summa exemplaritate vitam degunt.

4. *Tollat Crucem suam*. Chrysostomus ait: *Non semel & bis; sed continuo per totam vitam hanc tecum mortem circumferas, & continuo ad necem paratissimus sis*. Ho. de ador. Crucis.
Ubi notandum quod nos quoque Crucem amplecti & ferre debere dicat. Quærunt etenim sacri Interpretes quid Christo opus fuerit hominem aliquem in Cruce portanda auxiliatorem habere? Albertus Magnus respondet: *Hoc ipsum Spiritus Sanctus ordinavit, non enim sufficit, quod Christus solus portet nobis Crucem: sed oportet, quod etiam nobis imponatur*. Neque enim sufficit, quod Christus pro nobis sit passus, nosque pretioso sanguine suo redemerit, nisi nos quoque ex parte nostra cooperemur, utendo nimirum Sacramentis, in quibus passionis suæ fructus continentur. *Tollat Crucem suam*. Nobis etenim Crux nostra exemplo Christi etiam portanda est, eum in amara Passione sua imitando, eamque Crucem quam Deus in statu & vocatione nostra nobis immittet, pro ejus amore libenter tolerando.

5. *Et sequatur me*. Chrysostomus ait: *Ne credas ipsius Passionis per se naturam sufficere, causam ejus subjecit: quam? ut quæ dicta sunt universa faciens atque patiens ipsum sequaris, ut scilicet propter ipsum omnia sustineas, id est, rectè Dominum sequi, si propter ipsum cuncta sufferas, & alias virtutes non negligas*. In sacro Hom. 96. In Matt.
Evangelio voluntaria illa juvenis Evangelici oblatio de Matt. 8. v. 20.
scribitur *sequar te* (inquit ad Christum) *quocunque ieris*. Ubi Chrysologus: *Decipit, non accedit, qui promittit Dominum incaute sequi: sed ad omnia posse quis pro-* Serm. 19.
mittit? dixisset cautius, sequar te quocunque jusseris, humanius certè, quocunque volueris. Sequar te, quocunque iveris. Sic dicit, qui inter se & Dominum, quid intersit, ignorat Petrus per mare sequitur, sed submergitur: ad Passionem sequitur sed negat. Examinemus autem, quidnam Christus ei responderit: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*. Verum, inquies, quænam est inter juvenis illius spontaneam oblationem, & hoc Christi responsum proportio? Sanctus Augustinus ait: *Intelligi-* Serm. 7. de verbis Dom.
mus istum hominem, si sequeretur Christum sua quæsiturum fuisse, non quæ Jesu Christi. Quot sunt, qui Crucem quidem portant, non tamen pro Christo? quin potius Crucem ferunt, ut ad hanc vel illam Prælaturam pertingant, vivunt in summa exemplaritate & observantia, ut apud homines bonum sibi nomen & existimationem concilient, non verò ut Christum imitentur, multo minus ut vel propriæ, vel alienæ saluti cooperentur. Quot sunt, qui in hac vel illa aula gravem ignominiæ, dispendiorum, aliarumque omnium

laborum, molestiarum, fastidiorumque Crucem libenter quidem & patienter ferunt, & tamen hoc totum eo tantum fine faciunt, ut ad ambitionis suæ metam feliciter perveniant. Unde S. Bernardus ait: *O ambitio ambientium crux*. Quot sunt, qui Christum ad statum usque religiosum consectantur, sed eo tantum fine in conditionem altius sublimiusque promoveant, cum alias, utpote origine sua humiles & viles, domi suæ pauperes fuerint & abjecti? *Respondie*, inquit S. Augustinus: *Vulpes foveas habent, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet: sed ubi non habet? in fide tua: vulpes enim foveas habent in corde tuo, quia dolosus es*. Quot inveniuntur Hypocritæ? *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Volatilia Cœli habent nidos in corde tuo, quia elatus es*, inquit S. Augustinus. Unde concludit: *Dolosus & elatus non me sequeris. Sequatur me*, Hugo Cardinalis verbis illis hanc glossulam adjecit: *Non mea, ut ambitiosi*. Chrysostomus quoque pulchrè observavit, quod postquam Christus dixisset: *Tollat Crucem*, subjunxerat, *sequatur me*. *Posset enim aliquis crucem ferre, & grandia pati: Christum tamen non sequi*, prout multi qui in hac vita affliguntur, accidit, at verò afflictiones ob fines & respectus humanos sufferunt. Idemmet Hugo ait: *Quidam recedunt, quidam antecedunt, quidam cum eo vadunt, quidam post eum: recedunt, quia via opposita currunt ad inferos, id est, per delitias, & honores: antecedunt, qui propria voluntati & sensui proprie innituntur: cum eo vadunt, qui de sua salute & aliorum sunt soliciti: Sequuntur Jesum veri obedientes*. Adhæc dicere possumus, quod Ly *sequatur me* perseverantiam nobis significet, quam in Cruce portanda ad finem usque habere debemus: Salvator etenim tametsi ad deferendum patibulum suum, indeque descendendum, Hebræorum vocibus invitatus ac stimulatus fuerit, in ea tamen ad finem usque cruciari elegit, donec dicendo *Consummatum est, emisit Spiritum*; vel donec aliorum manibus è Cruce deponeretur. S. Augustinus hac de re valde salutare nobis monitum post se reliquit: *Cum quis cœperit Christum sequi, multos habebit contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit dissuasores, & hoc de ipsis quasi comitibus Christi; cum Christo ambulabant, qui cæco clamare prohibebant: sive ergo minas, sive blandimenta, sive qualibet prohibitiones, si sequi vis, in Crucem verte, tolera, porta, noli succumbere*.

Matt. 7.

Hom. 56. In Matt.

Serm. 47. de divers.

Considerantur nonnulla mysteria, ob quę Christus Redemptor noster Crucem inter omnia alia supplicia elegerit.

DISCURSUS NONUS.

Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta. Heb. Cap. 12. vers. 2.

1. CUm Pater æternus unigenito Filio suo in hunc mundum pro humani generis redemptione ordienda venienti, non solius animæ, sed & corporis gloriam proposuisset, adeo ut non ad patiendum, sed ad gaudendum & favendum venire potuisset, ipse gaudio posthabito Crucem est amplexatus, eidemque se adstrinxit. Id quod Biblia Regia asserere voluere, quæ legunt: *Pro gaudio quod habebat, sustinuit Crucem*. Unde dubium istud meritò nascitur, cur scilicet increata hæc Dei Patris sapientia inter omnia alia suppliciorum instrumenta Crucem vel maximè elegerit? Cujus difficultatis mysteria hoc discursu elucidare decrevi.

2. Una ex occurrentibus difficultatibus ob quas haud immeritò credi potuisset, minimè decuisse, ut Christus in Cruce moreretur, hæc est; quia nimirum omnia antiquæ legis sacrificia mortem Christi præfigurabant, hæc autem partim ferro, partim igne perficiebantur, adeoque ut sua figuris hisce veritas correspondere, minimè expedire videbatur, ut ei ad moriendum Crucis proponeretur patibulum. Veruntamen, ut Sanctus Thomas respondit, omnino conveniebat, ut qui pro universali humani generis salutę moriturus, nec non pro primi hominis peccato satisfacturus advenerat, aliam quam Crucis mortem nequaquam sustineret, cujus quidem opinionis aliquot adducit rationes. *Primo propter exemplum virtutis*, quia ut Sanctus Augustinus declarat: *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo rectè viveremus, suscepit: pertinet autem ad vitam rectam, ea quæ non sunt metuenda, non metuere*. Sunt etenim nonnulli, qui licèt mortem in semetipsa non exhorrescant, genus tamen mortis summoperè formidant; ne igitur rectè vivens homo ullum deinceps mortis genus quantumvis illud atrox sit, exhorresceret, Salvator noster homo factus Crucem elegit, utpote quod inter omnia mortis instrumenta maximè est probrosum & formidabile. Adhæc prævidebat Christus, multos sequacium suorum ad prodigendam pro eo vitam suam promptos futuros esse: è quibus tamen multi à prodigenda insuper per infamem & vituperosam mortem fama & existimatione haud immeritò deterriti fuissent, idcirco eosdem exemplo suo animare volens Crucis patibulum elegit, utpotè quod pœnas atrocissimas pariter & infamiam homini natum est adsciscere; nam hoc instar gladii Crucifixi manus & pedes, ut ita dicam, interfecat, corpus ejusdem extendit instar equulei, velut uncini corpus membratim dilaniat, velut ignis idem adurit, siquidem Crucifixus lento velut igne consumitur, ardorem sustinens & sitim inextinguibilem. Beatus Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone, de Christo in Cruce pendente ita scribit: *In Stephano lapidabatur, in Laurentio assabatur, sicque in singulis singula Martyrum, cæterorumque justorum sustinebat tormenta*.

3. part. q. 46. art. 9.

Lib. 83. 8.

Cap. 19.

3. *Cruce*. Insuper lignum istud Christo conveniebat, utpotè culpæ protoparentum nostrorum, quæ propitianda erat, proportionatum. Hæc etenim culpa in decerpto ex ligno pomo vetito consistebat: *Ideo conveniens, fuit*, inquit S. Thomas, *quod Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum pateretur ligno affigi, quasi restituens, quod Adam sustulerat, secundum illud Psalmi: Quæ non rapui, tunc exsolvebam*; nititurque sanctus Doctor illo S. Augustini testimonio dicentis: *Contempsit Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum, sed quidquid Adam perdidit, Christus in Cruce invenit*. Quodsi enim Adam fructum è ligno isto sustulit, Salvator eundem perfectè reposuit; siquidem à Crucis arbore pendere visus est fructus ille, de quo scribitur: *Benedictus fructus ventris tui*. Idemmet alibi S. Augustinus exponit, dicens: *Sacrarum manuum in ligno Crucis extensio, & reverenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Evæ manus ad interdictum ligni cibum ingemiscenda fæculi transgressione, porrectas*. Porrò præcipua motiva, quo primi Parentes nostri ad divinæ prohibitionis transgressionem ducti sunt, non fuerunt alia præterquam ambitio, & voluptas. Ambitio quidem, quia se sublimandos & ad celsa evehendos esse sperarunt, *Eritis sicut Dii*. Voluptas autem: quia *vidit lignum pulchrum oculis, aspectuque delectabile* (mulier videlicet) *& tulit & comedit, deditque viro suo, qui comedit*, ut inquit Sanctus Augustinus. *Ne contristaret delitias suas*, id est, Evam. Merito igitur & ingenti cum mysterio secundus hic Adam Crucem elegit, ut per hujus vituperosissimi supplicii ignominiam & infamiam prævaricatorum superbiæ & ambitioni, perque ejusdem supplicii asperrimos cruciatus & tormenta, habitæ ab ipsis in esu fructus vetiti voluptati & delectationi satisfaceret, easque expiaret. Hisce tamen adjungi potest motivum aliud, cujus in præfatione fit expressa mentio: *Salutem humani generis in ligno Crucis constituisti, ut qui in ligno vincebat in ligno quoque vinceretur*. Inimicus etenim infernalis mediante ligno hominem prostraverat, ideoque ruinæ nostræ reparator alio quodam ligno mediante eundem hominem liberare, hostemque vincere & debellare disposuit. Unde S. Petrus Damianus ait: *Lignum ligno opposuit, dum per Crucis amaritudinem expuit invenenatam pomi illius vetiti voluptatem*; adeo ut venenum quod serpens in extremam perniciem nostram evomuerat, Crucis ligno mediante, in ejus demuo fauces rejectum fuerit. Sanctus Anselmus in libro: *Cur Deus homo*, ita scribit: *Et ut Diabolus, qui per gustum ligni, quem suasit, hominem vicerat: ita & per Passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur*. Aliud quoque hujus myste-

In App. de div. Ser. 4.

Serm de inven. Crucis.

rium

rium superius à nobis insinuatum Sanctus Nazianzenus retigit, dicens: *Ad vitæ lignum unde excideramus, per ignominiæ lignum revocati sumus*. S. Ambrosius ait: *Mors per arborem, vita per Crucem*. Denique S. Jo: Damascenus dicit: *Pretiosam Crucem præfiguravit vitæ lignum quod in Paradiso plantatum est à Deo; nam posteaquam per lignum mors, oportebat per lignum donari vitam*.

Orat. de se ipso ad Arri. L. 4. c. 10. Orthod. fid.

4. *Crucem*. Utitur etiam idem Sanctus Thomas authoritate Chrysostomi dicentis, Christum voluisse pati non sub tecto, sed sub dio in aere aperto: *Ut etiam ipsius aeris Natura mundetur*; postquam terra per effusum ejus sanguinem purificata fuisset; & illa S. Joannis verba: *Exaltari oportet filium hominis*, in medium adducens, ait: *Exaltari audiens, suspensionem intelligat in altum, ut sanctificaret aerem, qui sanctificaverat terram, ambulando in ea*: Considerat pariter idemmet Angelicus Doctor, quod in sublimi moriens, *ascensum nobis parat in Cœlum*. S. Cyprianus in Redemptore Moysen manibus & brachiis extensis in monte illo ad Amalec debellandum orantem memoria repetens, ita scribit: *Elevatum in sublimi, & quasi cœlo proximum, superioribus inferentem consummati agonis vexillum, & inferioribus erexisse scalam in Patris occursum*. Observandum præterea est, quod patibulo Crucis priusquam appropinquasset, paulo ante dixerit: *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras; & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*. Tanquam belli dux generosissimus inimicos suos in eorundem vallis debellare voluit: *Contra Spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, inquit Apostolus: *Visibiliter Dei filius in carne crucifixus est*, inquit Origenes, *invisibiliter vero Diabolus in ea Cruce cum potestatibus & principatibus affixus est*. S. Athanasius scribit: *Dominus venit, ut Diabolum præcipitaret, & viam ad Cœlum nobis inveniret*. Etenim viam versum Cœlum à Spiritibus rebellibus aera occupantibus valde impeditam aperire nobis voluit, unde S. Leo ait: *Sanctorum pœna membrorum* (de Christo in Crucem acto loquitur) *inimicarum fuit interfectio potestatum*. His adde, quod ex quo filius DEI universis populis valde conspicuus esse debuerit, adeo ut sua in eum oculorum lumina figere possent, conveniens erat, ut elevaretur, & exaltaretur: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: Crux enim à terra evehit illum, qui in ea crucifigitur.

De Pass. — Jo: 12. 32. — Ho. 8. in Jul. — De Inc. Ver. — Serm. 59. de Pass.

5. *Sustulit Crucem*. Sciendum quoque est varias veteris Testamenti figuras, quæ mortem ominabantur Messiæ, huic mortis generi correspondendo prælusisse. Arca enim in qua salvatum est genus humanum è ligno fabricata fuit. Virga Moysis, qua percussum est mare rubrum, & populus à Pharaonis tyrannide liberatus fuit, pariter lignea fuisse noscitur. Moyses quoque lignum quoddam in aquas Maris conjecit, easque dulces reddidit, quæ antea amarissimæ fuerant.

6. *Crucem*. Christus in Cruce brachia semper extensa tenens, veluti dicere voluit, se semper erga nos deinceps misericordem futurum, ideoque apertis semper brachiis nos præstolari, ut dulciter nos complectatur, & excipiat: *Non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat*. Ubi Oleaster ait: *Quæ enim major potest esse misericordia, quam manum semper extensam habere ad levandum & dandum*:

7. *Crucem*. Ut Christianus sub Crucis vexillo conscriptus miles, arma quibuscum cum inimico confligendum & pugnandum est, ad manum summa cum facilitate semper haberet; si Redemptor noster ferro mortuus, vel lapidibus & saxis percussus, aut igne consumptus fuisset, hæc arma nobiscum habere adeò facilè non fuisset: sed Crucis signum summa cum facilitate ab unoquoque fieri potest. Ita Sanctus Augustinus discurrit: *Noluit lapidari, aut etiam gladio percuti: quod videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur: elegit vero Crucem, quæ levi motu manus exprimitur, qua & contra inimici versutias armamur*. Hæc arma semper in promptum habemus. Unde Tertullianus scribit: *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, & lumina, ad cubilia, ad sedilia quæcunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus*.

Serm. 59. in Append. de diver. — De corona mil. c. 3.

Mansi Prompt.

8. *Crucem*. Redemptor noster de cœlo descenderat, ut omnia mundi peccata in se reciperet, proque iis satis facere, & præcipuè quidem ad portandam maledictionem illam à mundi exordio terræ naturæ nostræ humanæ post peccatum impressam (*peccata nostra ipse pertulit super lignum*) quonam igitur aptiori instrumento quam Crucis ligno uti poterat, de quo scriptum est: *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno*. S. Athanasius inquit: *Nam si ideo venerat, ut nostra piacula execrationesque portaret, quomodo alia ratione execratio vel piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se recepisset? Est autem hoc ipsum Crux, quemadmodum scriptum est: Execrabilis quicunque pendet in ligno*.

Deut. 21. 23. — De incarn. Verbi

Crux armatura quædam est ad inimicos nostros vincendos, & debellandos.

DISCURSUS DECIMUS.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster.

1. EX quo Crux Christi vexillum quoddam sit victoriosum, multis victoriis, & trophæis præclarum, nil mirum si nos quoque in virtute illius omnium inimicorum nostrorum victores efficiamur. *Triumphale referatur lignum*, canit hodie in Sanctæ Crucis inventione sancta Mater Ecclesia. Et in Hymno ad matutinum: *Pange lingua gloriosi prælium certaminis, & super Crucis trophæum dic triumphum nobilem, qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit*. Porrò quocunque locorum nos verterimus, semper Crucem hisce, trophæi nimirum, victoriæ, triumphi, aliisque similibus titulis honorificis à sacris Doctoribus honoratam inveniemus. Sanctus Ambrosius de Helenæ Imperatricis in Cruce sub rupe quadam profundè sepulta eruenda, sancta anxietate scribens, hac phrasi utitur: *Accedit ad Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi est victoria?* Quo nomine ipsum de Cruce loqui certissimum est, siquidem paulo post eidem Cruci armaturæ nomen attribuit, per quam prostratus fuit Goliath ille infernalis: *Video, quid egeris Diabole, ut gladius; quo peremptus es, obstrueretur*. Unde paulò post subjungit: *Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum*. Andreas Archiepiscopus Cretensis in oratione quadam in exaltatione sanctæ Crucis habita optimè considerat, primos, qui ad sacrosanctum hoc lignum exaltandum & glorificandum conati sunt, fuisse Constantinum Magnum Augustamque ejus Matrem Helenam Imperatricem, idque ex motivo, quoniam eximias in ejusdem Crucis virtute obtinuerant victorias. Dicit igitur: *Cum triumpho totius simul Ecclesiæ, veluti ex excelsa quadam specula jusserunt eam in altum extolli, & ostendi*; hic etenim usus passim apud omnes obtinuit, ut insignia victoriosa & triumphalia in alto suspendantur: *Triumphale referatur lignum, in quo callidum aspidem superavit*. Enimverò astutissimus hic hostis DEI & noster, adorationem & latreuticum veri DEI cultum sibi usurpaverat; unico enim Judææ exiguo angulo excepto, totum Universum coram idolis suis genua sua flectebat. Quid igitur hic DEUS faceret? In Calvariæ montem lignum hoc victoriosissimum erexit, atque infernales potestates pariter debellando, totius humani generis universale debitum, quo divinæ justitiæ obstringebatur, extinxit: Estque hoc idipsum quod innuere voluit Apostolus: *Delens quod adversus nos erat Chyrographum, affigens illud Cruci, & exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*. Enimvero in Antiphonis, quæ ad *Benedictus* & ad *Magnificat* in secundis vesperis canuntur hæc inter alia verba legimus: *Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior: in qua Christus triumphavit. Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit*. Dic, sodes, si nosti, quonam mysterio factum, est, quod quando Jacob idola illa sepelivit: *Terror DEI invasit omnes per circuitum civitates*. Num forte Jacob tantis erat viribus præditus, tantaque potentia præcellens, ut omnes illos invadere potuerit populos? Etenim observandum est, quod infodit ea subter therebinthum hæc autem Therebyn-

Coloss. 2. — Gen. 35. 5.

bynthus ex mente Sancti Ambrosii & Hugonis sacrosanctam denotabat Crucem, id quod conforme est textui illi Ecclesiastici, ubi dicitur: *Ego quasi therebynthus extendi ramos meos.* (Eccl. 24. 22. in Psal. 45.) *Abscondisti idolis.* Hugo Cardinalis ait: *Hostes Jacob, id est, dæmones in Crucis memoria effugantur.* Quando Christus in Crucem exaltatus fuit, idola sepulta sunt, & prostrata est infernalis tyrannidis potentia. Imò illi ipsi Reges & Monarchæ, qui ab initio huic cœlesti vexillo adversabantur, eandem Crucem deinceps super diademata sua extulerunt, seque passi sunt sub glorioso hoc Crucis vexillo conscribi. Sanctus Augustinus ait: (Apol. 5.) *De Cruce sua vicit Reges, & subjugatis eis ipsam Crucem in fronte fixit*, quod amplius quid est, quam quod in ipsa usque diademata subvecta & inserta fuerint. Cuivis notum esse existimo situm & posituram illam Moysis, qui populo DEI adversus Amalecitas dimicante, in monte constitutus per brachiorum suorum continuam extensionem de hostibus gloriosam reportavit victoriam. Circa quod Nazianzenus ait: *Moyses manus in monte extendens, ut crux adumbrata & ante indicata victoriam ferat.* David quondam coram DEO intimè lætatus est in verbis illis: *In brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.* At verò quidnam in eo excellentiæ conspicitur, quod DEUS exercituum inimicos suos omnipotentiæ suæ brachio dissiparit & ad nihilum redegerit? *Tui sunt cœli & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti.* Scitisne forsitan, quidnam ex mente Hugonis Cardinalis dicere voluerit? *In brachio virtutis tuæ, id est, in brachio* (Ps. 88. 11.) *extento in cruce, dispersisti quasi victos & confusos inimicos tuos, scilicet aereas potestates*; siquidem per brachiorum Christi in cruce extensionem, dissipata & comminuta sunt falsa prophanæ Deitatis simulacra, mundus quoque universus legi Evangelicæ subjectus, infernus autem debellatus est. Profecto valde considerabile est propheticum illud oraculum, quod dicitur: *Cornua in manibus ejus. Ibi abscondita* (Hab. 3. 4.) *est fortitudo.* Illis namque verbis prædicitur, Christum omnem suam fortitudinem in clavis habiturum esse, ac proinde ulterius prosequitur, dicens: *Ante faciem ejus ibit mors; egredietur Diabolus ante pedes ejus*; nam tam Mors quam Dæmones per lignum istud victi & detriumphati fuere. Usitatum est passim inter Christianos, quod hoc salutare cruci signum in omni Ecclesia erigatur, cujus causam Sanctus Ma- (Hom. de Cru.) ximus egregiam reddit, dicens, quod sicut malo vel arbore in navigio aliquo deficiente, navigium istud ventorum redditur ludibrium, & unicus scopus maritimarum tempestatum, & in continuo est submersionis periculo: at verò malo navis salvo manente, navis ista ab omni contrario vento defenditur & protegitur: eodem modo Ecclesia, quæ propriè navis (Marc. 6. 47.) illa est, de qua dicitur: *Erat navis in medio mari*, quam etiam ob causam Ecclesia ut plurimum in forma navis fabricatur, ut ab omnibus inimicorum insultibus, cunctisque aliis tempestatibus sese tueri ac defendere possit, lignum hoc Sacrosanctæ Crucis in medio sui erigi facit. *Sicut autem Ecclesiam sine Cruce stare non potest, ita sine arbore navis infirma est; statim enim Diabolus inquietat, & illam ventus allidit: at ubi signum crucis erigitur, statim & Diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur.* Sanctus Ephrem de Cruce ita scribit: *Insuperabilis Christiano-* (Lib. 4. c. 527. in Hist. Eccl.) *rum armatura.* Lactantius Firmianus hoc ei tribuit encomium: *Inexpugnabilis murus.* A Theodoreto vocatur *vallum sacrosanctum & inexpugnabile.* Enimvero perspectum est omnibus Palmam victoriæ symbolum esse; atque ideo sancta illa anima merito dixit: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* (Serm. 3. de S. Andrea.) Sanctus Bonaventura dicit: *Palma quæ arbor victorialis est crucem significat, per quam de Diabolo omnis homo triumphat.* Idque adeo verum est, ut opus non sit corporaliter in crucem ascendere, multo minus eam humeris suis imponere: quin potius sufficiat seria quædam de eadem Cruce habita meditatio, ut per eandem singularem concipiamus generositatem & alacritatem. Audire pulchrum illud Sancti Petri moni- (1. Pet. 4. 1.) tum, dicentis: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Non dicit: Eadem cruce, sed cogitatione. Hugo Cardinalis ait: *Sola memoria & cogitatio passionis & crucis Christi maxima est fortitudo; & arma contra Dæmonis potentiam.* Sanctus Bernardus in suis meditationibus ita loquitur: *Si Dæmon paravit insidias fuge ad signum crucis Christi, & liberaberis.* Sicut enim ii quos serpentes momorderant, oculos suos in serpentem æneum veram hujus patibuli crucis figuram elevando, à Serpentini morsus veneno liberi manebant; *ita & modo quemcumque momorderit astutia Sathanæ, intueatur Christum in ligno pendentem & salvabitur.* Num forté aliquando ad benedictiones illas reflexistis, quas David Divinæ suæ Majestati gratitudinis ergo recitavit, eo quod digitos suos ad præliandum erudiisset? *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* (Ps. 143. 1.) In quo versu prima quidem verba omni difficultate carent, siquidem constat manum ad ferrum stringendum & præliandum aptissimum esse instrumentum; sed non satis capio quamobrem specialem quoque ac distinctam digitorum mentionem faciat? haud dubiè ad illud alludere prælium voluit, quod nobis cum infernalibus intercedit inimicis, vel etiam cum nostris passionibus & appetitibus inordinatis, insinuando nos certam de utroque hoste per sola digitorum arma, id est, per signum crucis digitis expressum obtenturos victoriam. *Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me.* (Psal. 85. 17.) Theodoretus de Ju- (Lib. 3. c. 3.) liano Apostata refert, quod dum vice quadam Nigromanticus quidam in spelunca quadam ad suam requisitionem Dæmones peremptoriè adesse fecisset, ipse perterritus Crucis signum ante se formaverit, ad cujus efformationem Diaboli omnes subito disparuerunt: Astutus verò sagaxque Magus ei innuit, Dæmones ob efformatum crucis signum minimè fugam cœpisse, quin potius ob actionem illam impiam (ita vocabat factam crucis efformationem) adeo ipsis exosam indignati abscessisse.

2. Et tamen singulariter notanda est doctrina quædam, maximum in se momentum complectens, à S. Augustino nobis tradita, qua dicitur: *Signum crucis à nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum habeat Deum inhabitatorem.* Enimvero qua ratione is qui sub Dæmonis insignibus militat, sperare potest, quod quamdiu sub Christi insignia se non recipit, Christi vexillo uti, ejusque beneficio perfrui possit? de famosissimo quodam belli duce narratur, quod ensis ejus qui prodigiosa hactenus virtutis suæ specimina ediderat, in imminenti prælio ab eo per inimicum ejus postulatus fuerit, qui de valore ensis hujus experientiam capere volens, nec tamen eundem famæ respondentem inveniens: illud ab ensis datore responsum acceperit, scilicet bonitatem ensis in brachio illum stringente & vibrante potissimum consistere. Eodem prorsus modo in casu nostro nobis licet dicere: *Per signum crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster*; quando autem liberationem per virtutem signi crucis præcipuè sperare possumus? si nimirum inimici pactis constricti non fuerimus, si sub ejus vexillo nos sacramento militari non obstrinxerimus, sed fideles fuerimus sectatores ejus vexilli, de quo scribitur: *Vexilla Regis prodeunt, fulget crucis mysterium.* Sanctus Augustinus ait: *Ubi signum crucifixi cum fide & devotione præcesserit, ibi inimicus non nocebit. In brachio extento in cruce* (ut diximus) *dispersit inimicos suos.* Brachia sua movere quidem non poterat, sed ea in cruciatu & dolore atrocissimo constitutus extensa semper tenebat, & tamen inimicum suum dispersit. Eodem modo si nos quoque hoc sacrosancto ligno mediante victoriam de inimicis nostris reportare volumus, opus nobis erit, nostros crucifigere sensus, nostrasque passiones mortificare. *Carnem nostram crucifigere oportet cum vitiis & concupiscentiis*; de Helena Sanctæ Cru- (Lib. 1. c. 5. de Cruce.) cis augusta inventrice Berengosius Abbas dicit: *Quæ de vitiis ad virtutes jam tunc bene operando transivit, non immerito thesaurum illum Divinitatis inquisivit, inquisitum invenit, inventum custodivit.*

De gloria, & honore, in quo Sancta Crux passim habetur.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

1. INfame illud crucis patibulum, quod olim adeo ignominiosum, destinatumque enormissimis peccatoribus supplicium erat, ecce nunc factum est gloriæ signum, summæque majestatis gloriosum vexillum, adeo ut Apostolus ad Hebræos scribens, Filium DEI ex Cruce velut à Corona gloriam & honorem recepisse dicat, factusque sit celebris & venerabilis toti Universo. *Videmus Jesum per Passionem* [Heb. 2. 9.] *mortis gloria & honore coronatum.* Quem textum Sanctus Ambrosius Glossa sua dilucidans ait: *Hic ostendit, quia gloria, & honor Crux est Christi.* Etenim quid est, quod ipsum passim ab omnibus Deum agnosci fecit? sola Crux. Neque enim id ex eo obtinuit, quod tres crearit Angelicorum spirituum Hierarchias in novem Choros ordinatè distinctas, neque quod tanta cum venustate ac opulentia cœlum crearit Empyreum; neque tandem ex eo quod amplas cœlorum sphæras extenderit, vel quòd vastissimæ huic mundi machinæ solo verbo esse suum impertitus fuerit: *Dixit, & facta sunt*: Jam enim quinquies mille & amplius annis major pars generis humani non solum hunc Deum non agnovit, verum etiam genua sua coram idolis impiè curvare non erubuit; at verò vix Christus Crucem ascenderat, eum ecce *vidimus Jesum gloria & honore coronatum*, siquidem abinde omnes populi sub hoc Crucis vexillo militare cœperunt; id quod ab ipsomet Redemptore nostro dudum prædictum fuerat, dicente: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Cœlorum Regnum à primo die quo Cœli fabricati sunt, nunquam apertum fuit, nec beatitudo illius ulli animæ communicata fuit, nisi à die [Isa. 6. 2.] quo in Crucem evectus fuit. Isaias quidem scribis, se die quadam oculos suos in DEUM defixisse, veruntamen solus fuit: *Vide Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*; siquidem in sinu sive throno paterno sedebat, & ideo paucis notus erat, præterquam spiritibus Angelicis, major enim humani generis pars falsa simulachra Dei loco colebat; & ille a lius tam vasti Imperii Rex & Monarcha se Deum nescire apertè confitebatur; *Nescio Dominum*. Verum enimvero dicite obsecro, quandonam hic Deus noster ab omnibus universim populis agnosci & adorari cœpit? quo tempore præcipuè Isaias omisso verbo singulari, vidi, in plurali dicere cœpit: *Vidimus Dominum*? quando in Crucem elevatus fuit: *Vidimus eum* [Isa. 53. 2.] *& non erat aspectus. Vidimus nunc per passionem mortis gloria & honore coronatum.* In magnifico illo Patris solio eum adoratum fuisse ignoramus, nisi ab Angelis duntaxat, non verò ab hominibus; hi enim nequidem desiderarunt eum, nisi postquam in hoc ligno conspicuus videri cœpit: tunc enim Isaias dicit: *Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum*; tunc & non ante venerabundæ illæ acclamationes audiri cœperunt; *Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti* [Hom. 4. in Ep. 1. ad Cor.] *mundum, Christus orbem terrarum* (inquit Chrysostomus) *per Crucem ad se allexit*. Quot, obsecro, hic Deus noster, tam in veteri quam in novo testamento operatus est prodigia; neque tamen hoc ab universa terra obtinuit, ut tanquam Deus agnosceretur, & honore latreutico adorationis afficeretur? In N itivitate sua tres Soles radiare fecit. Scintillans it m & prodigiosa in cœlo apparens stella, tres ab Oriente Reges ad eum adorandum evocavit, mutavit aquam in vinum, panes multiplicavit, cœcos illuminavit, mortuis vitam restituit, & tamen unicus duntaxat Petrus ei dixit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: alii vero alium ei non detulerunt honorem, quam eum ad summum, qui magno Prophetæ debetur. *Propheta magnus surrexit in nobis*. At vero quando in Crucem ascendit, omnia ad se converti, ita ut ab omnibus deinceps per totum mundum tanquam verus Deus fuerit adoratus. Unde S. Leo ad [Serm. 8. de Pass.] eum conversus ait: *Traxisti Domine ad te omnia; & cum extendisses tota die manus tuas ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ majestatis tuæ sensus totus mundum accepit. Descendat de Cruce* (sic eum maligni Hebræi ad Crucem deserendam [Matt. 27. 42.] invitabant, & instigabant) *& credimus ei*. Imò hæc una fuit è præcipuis causis, cur de Cruce descendere noluerit, quia nimirum fidem veram virtute Crucis in mundo plantandam & stabiliendam esse [De vita Pro.] sciebat. S. Epiphanius tunc nos veram supremæ Majestatis Christi agnitionem habituros esse dicit, quando *cum potestate magna & majestate* venturus est Judex universorum, tunc enim lignum istud ab omnibus populis adorabitur. *Atque hoc signum adventus illius erit, cum videlicet lignum gentes omnes adorabunt*.

2. Quando Judas traditor ad iniquum & execrabilem mercatum suum complendum è cœnaculo egressus est, Filius Dei paulò ante ad æternum Patrem suum conversus, tempus quo glorificandus esset, [Joan. 17.] jam advenisse dixerat: *Venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Quis mihi hic ritè explicare poterit, de quanam gloria Filius Dei hoc in loco loqui intenderit? nunquid enim glorificatus fuit, quando per triginta trium annorum decursum, tot stupenda patravit miracula, propter quæ ab ipsis quoque malignis spiritibus infernalibus filius DEI acclamatus & solemniter appellatus fuit? Advertendum est igitur legem ejus Evangelicam nunquam promulgatam fuisse, multò minus aliquos se eidem populos subjecisse, nisi postquam in Cruce suspensus fuit. Unde modernus quidam expositor super illa Evangelii verba: *Sicut Moyses exaltavit serpentem, &c.* scri- [Maldon.] bens, ex communi omnium aliorum sententia opinatur: *Eam claritatem, quam miraculis consecutus fuerat, si cum ea comparetur, quam postea victo per Crucem hoste, consecutus est, tenebras fuisse*. Etenim tametsi pauculos è synagoga ad divinitatis suæ agnitionem virtute miraculorum suorum perduxerit: veruntamen per sanctam Crucem suam sub tributum fidei redigit universam gentilitatem, id est, universum mundum. *Omnia traxit ad seipsum*. Sanctus [Cathe. 13.] Cyrillus Hierosolymitanus super illa verba Sancti Joannis: *Venit hora, ut clarificetur filius hominis*, ita scribit: *Vides, quomodo gloriam propriam sciebat esse Crucem*. Chrysostomus quoque ait: *Non sic in gloria* [Hom. 5. de Petri Jo.] *esse putabatur, quam cum pro me affigebatur Cruci*. Quibus verbis quidem de immenso amore tractat, quo cum Filius Dei ex nostrum amore dignatus est pati, simul tamen etiam quantum lignum hoc honorarit, nobis innotescere facit. *Audi ipsum dicentem: Clarifica me tu Pater. Quia dicis? Ad Crucem duceris cum latronibus maledictam sufferre mortem; conspuendus, cædendus colaphis, & hæc gloriam appellas?* Et paulò post concludit, quod *Gloriam vocans etiam id patrio throno magis adjicit gloria*. Idem Chrysostomus alibi etiam considerat, quod increata illa sapientia Crucem æterni Patris sui gloriam appellarit, siquidem patibulo mediante gloriam & honorem recipere postulat, ut hæc tandem in Patris sui [Hom. 79. in Joan.] gloriam denuo redundet: *Ignominiam Crucis non sui solius crucifixi, sed & Patris gloriam appellat*. Et tandem inter montem Thabor in quo transfiguratus est, & inter montem Calvariæ comparationem instituens, dicit: *Ibi accipis gloriam à Patre, hic accipit Pater gloriam à te.* Quando Salvator noster in cœlos triumphabundus redit, omnes ei Angelicæ potestates acclamarunt, dicentes: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Circa quem versum scire percuperem, quid opus fuerit portas illas æternales ab ipsis cardinibus eximere? *Pulchrè jubentur levari portæ, & in* [Ep. 27.] *sublime erigi; siquidem juxta dispensationem carnis, & mysterium & victoriam Crucis, major regreditur ad cælos, quam ad terras venerat*. Enimvero quoniam Angelorum mentionem facere cœpimus, apte hoc lo- [Tom. 11. Tr. 9.] co mihi ocurrit illa doctissimi Salmeronis observatio, videlicet quod Angeli primi fuerint, qui Christi patibulum honorarunt. *Scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis*; quibus verbis in ipsa quoque resurrectionis gloria Crucis mentionem facere non dubi-

bi-

bitarunt. *Angeli primi non erubescunt Crucis nomen, ante prædicationem : & merito sane ; quia, ut Euthymios ait, his quidem, qui ante ipsum crucifixi sunt, crux ignominia erat, cum argumentum esset maleficiis eorum ; hic vero potius gloria, cum fuerit beneficiũ demonstratio in homines collata, propter quod ad Crucem condemnatus est*.

3. *Gloriari in Cruce*. Observandus quoque est modus, quo Apostolus Redemptorem denominavit, quando de ejus Crucifixione disseruit, siquidem tunc ipsum notanter Dominum gloriæ appellavit : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. (1.Cor.2. 8.) *Opportunè Dominum gloriæ vocavit*, inquit Chrysostomus, *etenim quoniam Crux ignominiæ esse videtur maxima, gloriæ eam esse ostendit*. Crucem mundi Reges & Monarchæ in tanta habent veneratione, ut eandem medio diadematis sui veluti inæstimabilis valoris & pretii gemmam inserere non erubescant. Unde Sanctus Augustinus (Ser. 63. de div.) : *Quæ gemma pretiosior in diademate, quam Crux Christi regnantium in fronte ?* Chrysostomus in Orat. *quod Christus sit Deus*, scribit : *Hoc mortis genus quovis diademate gloriosius est : nam Reges positis diadematis, crucem suscipiunt ; in purpuris Crux, in diadematis Crux, in armis Crux, in toto orbe Crux, & super solem fulget Crux*. Hæc ultima verba velim nonnihil examinemus. Canit quoque sancta mater Ecclesia : *O Crux splendidior cunctis astris*. Ac proinde sciendum est, quod, ut Anastasius Sinaita observat (In Exam.), priusquam rota solaris, omnesque alii planetæ, & stellæ firmamenti formarentur, D E U S arbores producere voluerit, cujus ratio est, ut idem author inquit, quia cum ex ligno arboris Crux sua fabricanda fuerit, voluit DEUS arboribus præ Sole, Luna, Stellis, cunctisque aliis Planetis, primatum creationis concedere. Quod etiam mysterio factum est, (inquit idem) quod Deus primo parenti nostro Paradisi arbores assiduè cultivare præceperit. *Quando audis, quod jubetur colere lignum fructiferum, nihil aliud intelliges, quam lignum Crucis faciens fructum*. Equidem certum est, quod dicit sancta mater Ecclesia, nimirum Deum post prothoparentum nostrorum peccatum & prævaricationem, in Paradiso in arborem Crucis suos defixisse oculos. *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret* ; adeoque Deus ante tot sæcula, ab ipso mundi exordio oculos suos in hocce lignum direxisse. Cæterum quod hæc eadem crux tanta fuerit luce amicta, ut ipsam quoque Solis claritatem præcellere videatur, facillimè ostenditur : *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad judicandum venerit*. De eodemque tempore Evangelista dicit, quod tunc *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum Stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cælorum movebuntur*. Moxque causam subjungit, dicens : *Tunc parebit signum filii hominis in Cælo*. Ex quo sequitur, Crucem adeo luminosam futuram esse, ut Stellæ, Sol, & Luna, ad ipsam comparatæ suam videantur lucem penitus amisisse. Unde Sanctus Augustinus ait: *Considerasti, quanta sit virtus Crucis ? Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum : Crux vero fulgebit, & obscurabit luminaria cæli, dilapsis sideribus sola radiabit : ut discas, quoniam Crux Luna lucidior & Sole præclarior sit*. Imò DEUS in ipsis quoque umbris & figuris, quantumvis remotis, quæ ipsam debebant Crucem præcedere, Crucis gloriam demonstrare voluit. Botrus ille uvæ è terra promissionis delatus, quædam Christi in Cruce pendentis figura fuit, ut diximus (*Botrus Cypri*) quia ad instar uvæ cujusdam in patibuli crucis torculari expressus fuit (*torcular calcavi*) Sciendum etiam est, quod ad hunc Botrum deferendum, ex innumerabili hoc populo viri excellentissimi delecti fuerunt : *Mitte viros ex Principibus*. (Num.13.3.) Similiter quando populus Israeliticus contra Amalec dimicabat : Moyses autem diffusis in formam Crucis brachiis in monte consistebat, quisnam tunc Moysi ad ejus subsidium designatus fuit ? Nobilissimi profectò & præclarissimi viri Aaron & Hur. Unde Timotheus Antiochenus ait (Orat. de Transfig. & Cruc.) : *Aaronem de Israelitico Magistratu, Hur de regio, sciebant enim Crucem sacerdotio & regno conservari*. Adhæc cujusnam opera usus est Deus, quando filium suum de Cruce depositum esse voluit ? Nequaquam abjectorum natalium viros ad hocce munus adhibuit ; sed potius Josephum ab Arimathæa decurionem nobilissimum & Nicodemum synagogæ Principem. Denique quando lignum hoc tot annis absconditum delitescebat, voluit ut non ab alio, quam ab Imperatore quodam, qui universæ terræ Monarcha erat, & ab Augusta matre ejus Helena Imperatrice investigaretur, ac demum ad tantam gloriam sublimaretur, ut sumptuosissima ad illius custodiam templa erigerentur. Tandem quando à Cosroa Persarum Rege captum fuit, Deus providentia sua singulari disposuit, ut ab eodem, quantumvis jurato Christi & fidei suæ inimico in summa æstimatione & respectu haberetur, nec non ut a nullo, quam ab alio quodam Imperatore recuperaretur, nimirum ab Heraclio, & ab eodem tanta cum gloria exaltaretur.

DE ASCENSIONE CHRISTI

Discursus Quindecim:

Tra-

Tractatur de Christi ascendentis insigni triumpho.

DISCURSUS PRIMUS.

Triumphator hodie super omnes Cœlos ascendisti.

1. CHristo hodie ad Cœlum Empyreum ascendenti hisce verbis applaudit & congratulatur sancta mater Ecclesia, eumque nobili triumphatoris titulo honorat; Quod idem encomium in Divino officio sæpius ei attribuitur, non solum in verbis præfatis ex Antiphona ad *Magnificat* in secundis vesperis desumptis, verum etiam in Hymno: *Victor triumpho nobili ad dexteram Patris residens*. Hoc eodem Epitheto multi S. Doctores Christi Ascensionem condecorarunt. Unde S. Thomas de Villa Nova ait: *O potentissime Imperator, quanto hodie honore triumphas! qua gloria, qua pompa post partam de mundo & Diabolo victoriam, post laboriosum cruentumque Crucis certamen, ingenti comitatus captivorum numero, cœlestem illam, unde exieras, civitatem ingredieris.* Angeli quoque, qui in Monte Oliveti sese post Christi Ascensionem conspicuos exhibuerunt, teste S. Luca in Epistola hodie ex actibus Apostolicis lecta, candida veste induti prodierunt. *Ecce duo viri astiterunt in vestibus albis*. Id quod Salmerone attestante mysterio nequaquam caret: *Ad indicandum triumphum Ascensionis*. Et rationem subdens, dicit: *Olim Roma triumphantis currum Imperatoris equi albi trahebant, & victimas candidas immolabant*.

Conc. 1. de Ascens.

Tom. 11. tr. 36.

2. *Triumphator*. Chrysostomus propheticum illud Davidis oraculum: *Ascendit in jubilo*, ponderans, ita illud ad præsens propositum nostrum interpretatur: *Quod ergo hic dicit in jubilo, hoc est, ascendit in victoria, cum mortem vicisset, peccatum dejecisset, Dæmones fugavisset*. Et de hoc tropheo Apostolum loqui voluisse, dicit, quando ad Colossenses ita scribit: *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*. Etenim David non solum prædixit: *Ascendit Deus in jubilo*, verum insuper subjungit: *Et in voce tubæ. Hoc est, in præclara victoria*, inquit idemmet Chrysostomus. Etenim à primæva natalium nostrorum origine antiquus serpens inimicus noster implacabilis in Paradiso terrestri ad hoc conatus est, ut sicut Paradisus cœlestis ipsi omnibusque sequacibus suis Apostatis Angelis occlusus est, ita nobis quoque eundem firmiter obseraret. Verum enimvero Sanctus Athanasius tyrannum hunc tartareum hodie hisce verbis interrogat: *Ubi nunc sunt tua Diabole molitiones antiquæ fraudis? ubi capitosus ille serpens, qui Evam ex Paradiso exigat? Qui sic dicat: Quocunque die comederitis, eritis sicut Dii? Præsagisti etiam invitus vates bona mihi; quibus enim ad fraudes usus es promissionibus, has reipsa lucratus sum*; Nam uti hodie in Præfatione Ecclesia cecinit: *Est elevatus in Cœlum, ut nos Divinitatis suæ tribueret esse participes*. Verum non solum omnia inimici hujus machinamenta & insidias elusit, verum etiam ejus tyrannidem pariter debellavit. Unde Sanctus Bernardinus spirituum rebellium aerem occupantium (*spiritualia nequitiæ in cœlestibus*) quos Christus in Cœlum ascendens pertransivit, perturbationem & horrorem meditans ita scribit: *Quanto autem cum timore & tremore, terrore atque dolore, ululatu & mentis stridore, ille teter & horribilis, vel horridus Dæmonum exercitus de illa aeris parte per quam Christus ascendit, tam proprio terrore, quam Angelorum compulsione aufugit*. Id quod verba à Sancto Athanasio in hodiernam solemnitatem conscripta, pulchrè confirmant: *Nunc me magnanimitas quædam contra Diabolicam tyrannidem invadit, cum videam hodie gentis meæ Principem in cœlis regnantem, nunc cecidit hostis robur, defecerunt Diaboli machinationes*. Quicquid enim per quinquies millium & plurium annorum decursum, ex omni possibili conatu, per omnis generis astus & dolos machinatus fuerat, ne homo ruinas illas cœlestes restauraret, id totum hodie invertitur, omnisque ejus incantatio dissipatur. Celebris est illa Isaiæ prophetia, in qua cœlestes illos incolas Christum illud beatitudinis regnum hodie gloriosè ingredientem eum stupore & extasi videntes ita loquentes introducit: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Mirantur victoriosum adventum*, inquit Sanctus Thomas. Hugo Cardinalis autem, verba illa sic interpretatur: *Quis est iste tam magnus, tam potens, tam admirabilis, qui venit de Edom, id est, de terreno & sanguineo sæculo, hoc propria virtute ascendit?* Per illas etenim sanguine tinctas & madidas vestes sacrosancta ejus humanitas sanguine suo tincta intelligitur: *Membris corporeis* (inquit S. Thomas) *tinctus sanguine Passionis. De Bosra, id est, de inferno* (ut idem Sanctus interpretatur,) *prius munito custodia Dæmonum*. *Sanguis Dæmonum super vestimenta sua aspersus* (inquit Hugo) *non quod Dæmones sanguinem habeant, sed talibus verbis ostenditur contra eos pugnasse atque vicisse*. Viderunt eum Angeli totum sanguinolentum, ad instar alicujus, qui vindemiæ tempore sub torculari egreditur. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum; & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* quibus ipse respondet: *Calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea*; omnes namque inimicos suos debellavit, tam Hebræos eum ad mortem usque persequentes, quam Dæmones. Unde Glossa interlinearis ait: *Auferens Dæmonibus mundi principatum, & Judæis locum, & gentem, & sacerdotium, & templum, & omnem dignitatem per Romanos*. Hugo Cardinalis eadem verba glossans sic in persona Christi loquitur: *Licet calcatus sim & occisus ab eis, tamen ipsos hostes meos moriendo superavi. Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea*, inquit Christus ad Isaiam, ubi Glossa dicit: *Sanguis Christi Judæorum dicitur; quia fuderunt, & inde vindictam sustinuerunt. Est à simili victoris dictum & victi, cujus sæpè sanguis super vestimenta victoris aspergitur*. Ponderandus quoque est habitus, quem exercitus Angelici admirantur, necnon potestas quam se habere ostendit: *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor justitiam, & propugnator sum ad salvandum*. Quæ omnia attributa triumphanti aptissimè conveniunt. Et quidem Christus in primis dicitur *speciosus*, quia de hoc triumphatore scribitur: *Speciosus forma præ filiis hominum*; Estque adeo speciosus, ut in eum *desiderent Angeli prospicere*. Fortitudinis suæ specimen in eo satis probavit, quod omnes inimicos suos devicerit, sitque Judex constitutus omnium supremus. *Qui loquor justitiam*. Sanctus Thomas legit: *Habeo auctoritatem judicium gentibus proferendi, propugnator sum ad salvandum*, eo namque fine ad Cœlos ascenderat, ut ibidem contra omnes inimicos nostros, defensor noster esset, & propugnaculum.

Psal. 46.

Colos. 2. 15.

Orat. de Ascens.

Serm. 1. de Ascen. art. 2. cap. 3.

Isai. 63. 1.

3. *Triumphator*. Quia per devictos exercitus infernales, omnem populum legi suæ subjecit; atque ideo priusquam ad eam promulgandam Apostolos per universum mundum dispersit, expressè eis dixit: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra*, prout lectum est in Evangelio. Id quod David in eodem Psalmo prædixit, in quo hunc nobis triumphum descripsit: *Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram; subjecit populus nobis, & gentes sub pedibus nostris*. Secus enim ne quidem in hodiernum usque diem gentilibus annuntiatum esset Evangelium, cujus tamen promulgatio Apostolis hodie præcepta fuit. *Qualique jam parta victoria canitur Epinicion*; inquit Salmeron. Sanctus Gregorius Nyssenus illo Danielis textu nititur: *Considerabam, & ecce stellæ sitæ erant, & antiquus dierum sedebat. Et post nonnulla. Et ecce cum nubibus Cœli sicut filius hominis ascendens ad usque antiquum dierum pervenit, & adductus est honor, & principatus, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ servient ei; potestas ejus potestas æterna*. Porrò Salmeron aliam hic considerat victoriam cunctis aliis longè superiorem, dum ait. *Est etiam major victoria censenda gentibus moribus depravatis, & nil nisi peccare scientibus, religionem Christianam probabilem facere; quo desertis Diis suis, & legibus carnis & sanguinis Christum dura imperantem sequerentur; quam si ducto exercitu cunctos trucidasset*.

Psal. 46.

De Ascens.

4. Trium-

4. *Triumphator*. Scriptum est enim, Psalm. 67. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem*. Expressius [Eph. 4. 8.] autem Sanctus Paulus ait: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Nos quippe fratres* (verba [Ser. 2. de Asc.] sunt Sancti Brunonis) *fuimus illa captivitas; quia per peccatum fueramus a Diabolo captivati: sed hanc captivitatem, scilicet nos, Christus, cum ascendit in Cœlum, captivam duxit, id est, in suam potestatem secum recepit? ad similitudinem alicujus Principis triumphantis, & suos liberantis*, (ita modum Davidis dicentis: *Cepisti captivitatem*, interpretatur) *qui prius sub dura detinebamur captivitate Diaboli, ab eo in melius capti & liberati sumus*.

5. *Triumphator*. In eodem Psalmo priusquam nobis Christum ascendentem repræsentaret, currum nobis videndum exhibet triumphalem. *Currus DEI decem millibus multiplex, millia lætantium*. Circa quæ verba Sanctus Bernardus ait: *Societas quæ cum* [Ser. cit. c. 2.] *Domino ascendebat, quæ dicitur, Currus Dei, quia obsequio & honorificentia quodammodo portabant eum. Iste currus est multiplex decem millibus, id est, constat ex innumerabilibus; numerus enim ascendentium cum Christo, tam sanctorum, quam Angelorum innumerabilis erat*. [Ser. 2. de Asc.] Sanctus Bonaventura eundem nobis currum triumphalem & ipse declarat, dicens: *Currus Dei ascendentis dici potest exercitus Angelorum; currus utique non necessitatis, sed dignitatis*. Numerosissimo enim comitatu stipatus ascendit, eoque *cum Angelorum* (inquit Salmeron,) *cum animarum sanctarum, quæ è juge captivitatis ac servitutis Dæmonis ereptæ, & brachio Domini roboratæ triumphum ejus decorabant*. Veruntamen bis non obstantibus Sanctus Bernardus aliam viam ingreditur, ad hunc Christi à Terra ad Cœlum Empyreum contendentis triumphum non concurrisse Apostolorum obsequium, sed Angelorum duntaxat, multarumque animarum beatarum; nec tamen ob id quicquam de majestate triumphali hujus deperditur aut imminuitur: *Quam felix, quam digna ista processio, ad quam ne ipsi quidem adhuc Apostoli digni fuerunt admitti, cum & animarum sanctarum, & cælestium virtutum triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet a dextris virtutis Dei*.

6. *Triumphator*. In triumphis solent communiter per voces lætitiæ ingeminatas, & exteriorem gaudii jubilum fieri congratulationes & applausus. Unde ipsa quoque Ascensio super quævis alia festa hisce festivis applausibus associata fuit: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*. Ivo Carnotensis hac de re ita scribit: *Hodie victoria Chri-* [Ser. 19.] *sti completa est; hodie triumphalia vexilla ejus eriguntur: de spoliatione sua dolet cum principe suo tartarus; de restauratione damni sui gaudet cœlestis exerci-* [Ser. de Asc.] *tus*. Sanctus Cyprianus cœlestis curiæ lætitiam verbis sequentibus exponit: *Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cœlestis exercitus, & qui descendenti coram Pastoribus Bethlehemiticis decantaverunt in sublimi præconia, modo intensioribus jubilis revertenti ad Patrem, solemniora obsequia impendebant*. Apostoli post Ascensionem, *regressi sunt in Hierusalem* [In Luc.] *cum gaudio magno. Cum gaudio revertuntur*, inquit [Ser. 178.] S. Bonaventura *propter victoriam Domini*. Et S. Augustinus: *Canit totus mundus, & festis agit gaudiis triumphos Domini sui. Plaudunt agmina, tubæ sonant, lætis se miscentia blanda modulamina choris funduntur*.

[9. Sympos. Problem. in q. 5.] 7. *Triumphator*. Plutarcus refert, triumphatoribus olim unam mœnium urbis partem funditus demoliendi potestatem concessam fuisse, idque ad denotandum se mœnibus nequaquam pro urbis defensione indigere, utpote qui sufficientem habent præliantium numerum, quid de occurrentibus inimicis victores facti triumphabant. Micheas Propheta de Christo triumphante prædixit: *Ascendet pandens iter ante eos, divident & transibunt portam, & ingredientur per eam,* [Mich. 2. 13.] *transibit Rex*. Hic utique Angelicarum acclamationum sensus fuit, dum se mutuò hisce vocibus exhortabantur: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Agitur hoc loco*, inquit [Hom. 1. de Ascens.] Eusebius Emissenus, *præclara insignis pompa victoriæ, non tam admirantes Angeli, quam stupentes, & ad magnitudinem novitatis attoniti; peregrinam inferri substantiam in stationum suarum excelsa conspiciunt: & ideo honorabilem ad Cœlos hominem triumphali agmine comitantes, quasi cum exclamatione admirationis interrogant: Quis est iste Rex gloriæ?* Certus quidam interpres hunc [Lorinus.] Psalmi sexti textum exponens dicit, Davidem illis verbis Angelos allocutum fuisse: *Provocando ut se attollant, id est, in alis sese disponant, ut triumphatorem medium excipiant, honorificeque deducant*. Nazianzenus ait: *Por-* [Orat. 42.] *tis ut attollantur, ac sublimiores fiant, imperant, quo Christum à Passione sublimiorem capiant*.

8. *Triumphator*. Solebant olim triumphatores copiosam monetarum quantitatem ad lætitiam contestandam in populum spargere, & solemne quoddam opiparumque convivium instituere. Ideoque Christus Dominus noster *ascendens in altum, dedit dona hominibus*, nam mediante missione Spiritus Sancti beati illius ærarii opulentissimos terræ thesauros cælitus submisit. Et tametsi à nobis discederet, attamen opipari convivii loco carnem & sanguinem suum in Sanctissimo Sacramento nobis reliquit: *O sacrum convivium*, &c. Id quod expresse declaravit, dum ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*.

9. Et quidem tametsi hæc ita se habeant, Sanctus Maximus tamen inter triumphos terræ, & hunc cœlestem Christi triumphum hanc differentiam intercedere notavit: *Ecce Dominum euntem ad Cœlos non præ-* [Hom. 3. de Pent.] *cedit, sed comitatur gloriosa captivitas; non ante vehiculum ducitur, sed ipsa evehit Salvatorem*: cum tamen triumphatores hujus terræ ad majorem pompam & ostentationem inimicos captivos, & catenis innexa debellata mancipia ante currum suum triumphalem agere soleant. In hoc autem triumpho animæ beatæ vera filiorum Dei libertate fruentes, triumphantem Salvatorem subsequuntur per solicitum obsequium.

De gaudiis, quibus in Christi Ascensione mundus, Angeli, Apostoli, & omnes alii perfusi fuere.

DISCURSUS SECUNDUS.

Ascendit Deus in jubilo, Psallite. Psalmus 46. v. 6.

1. PSalmista nos hodie non semel, sed sæpius ad jubilandum & gaudendum invitat; neque enim contentus est, quod in principio Psalmi dixerit: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*, nisi paulò post frequentius dicat: *Psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter*. Enimverò quanta cum lætitia hæc festivitas à nobis prosequenda sit, Sanctus Bernardus optimè demonstrat, dum scribit: *Consummatio & adimpletio est re-* [Ser. 2. de Asc.] *liquarum solemnitatum, & felix clausula totius itinerarii filii Dei*; quam S. Augustinus vocat: *Ascensionis Dominicæ inclytum & regale mysterium*. Etenim universi fi- [Ser. 178. de temp.] deles heri mane in introitu Missæ vigiliæ invitati fuerunt, ut jubilantes voces eousque extollerent, ut ab universo mundo passim audiri possint: *Vocem jucunditatis annuntiate, & audiatur alleluja, annuntiate usque ad extremum terræ: Liberavit Dominus populum suum, alleluja: Jubilate Deo omnis terra: psalmum dicite nomini ejus; date gloriam laudi ejus*. Sanctus Tho- [Conc. 1. de Ascen.] mas de Villa nova de hodiernæ festivitatis gaudio scribens dicit: *A principio sæculi usque nunc, similis non est audita lætitia*. Sanctus Cyprianus de hoc eodem mysterio tractans ait: *Quanta in ejus susceptione in Cœlis jucunditas fuerit, nemo sufficit enarrare: rei hujus magnificentia omnem superat intellectum*. Denique omnes sacri Interpretes in eo unanimiter concordant, quod scilicet lingua humana ad minimam lætitiæ hujus diei partem exprimendam minimè sufficiat. Undè Albertus Magnus ait: *Ascendens* [Tom. 12. tr. 36.] *per congratulationem totius militiæ cœlestis. Quis sapere valeat* (Ita scribit doctissimus Salmeron) *hym-*

num

num in Ascensione illi decantatum, lætitiamque universorum incogitabilem: de qua Propheta: Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ. Equidem ad hanc lætitiam & gaudium parumper adumbrandum sequens & quidem valdè efficax serviet argumentum: Si enim filius prodigus post patrimonium suum adeo turpiter dissipatum, nihilominus à patre cum tot gaudiorum demonstrationibus; cum tam suavi musica & symphonia susceptus fuit; cum quanto putas gaudio & ineffabili exultatione ab æterno Patre suo receptus fuit in Cœlo Filius DEI, prodigus quidem etiam, sed non alterius rei, quam infiniti amoris & sanguinis sui, quem pro nostra redemptione effudit? *Cœlum prorsus* (inquit Gerson) *novo hoc adventu resplenduit, quemadmodum aer lucidus fit solis præsentia absque nubibus.* In vita B. Baptistæ de Genua legitur, eam dicere solitam fuisse: *Quamvis in Cœlo nihil aliud esset; tamen videre humanitatem Christi ingentissima gloria esset.* Hodie autem gloriosissima hæc humanitas Cœlum nova quadam gloria illustravit.

In Medit. de Ascen.

Lib. vitæ c. 25.

Tom. 3. ser. 11. de Asc.

2. *Ascendit in jubilo.* Sanctus Bernardus ait: *Christus ascendit in jubilo Angelorum, in jubilo Apostolorum, in jubilo Redemptorum.* Hosque tres jubilos confestim distinguit, dicens: *Jubilaverunt Angeli propter tria, scilicet de hominum reparatione, de sua ruina restauratione, & de sui Regis exaltatione.* Unde mysterium ob quod hi Angeli in vestimentis albis comparuere: *In vestibus albis,* ex ejusdem Doctoris mente hoc fuit: *Velut diem festum agentes in novo solemnio Ascensionis.* Porrò quantopere ob nostram reparationem gavisi fuerint, ex eo facilè quis arguere poterit, quod Didacus Stella scribit: *Gavisi sunt Angeli, quibus gaudium est, super uno peccatore pœnitentiam agente, ove errante jam reperta, & inventa.* Quam igitur verisimilius erit ipsos summè gavisos fuisse, non ob ruinarum suarum restaurationem; verum etiam, imo longè magis ob concessam eis facultatem in generosissimam illam à verbo assumptam, adeoque in Cœlis exaltatam humanitatem suos defigendi mentis oculos. Unde Sanctus Bernardinus: *Hodie Angelici spiritus novum Divinitatis gustum in Christo homine acceperunt, dum Deum gustant in excessu amoris natura creata superpositum; & per gratiæ unionem hominem Deum, in quem ipsi totaliter transformati per amoris incendium, & in illo gustant Deum, ut suppositum, quod summa dulcedinis ferculum nunquam potuit in illa supernorum civium alias spirituum civitate gustari: donec per Jesum Christum est eorum gustibus dulciter instillatum Jubilaverunt de sua ruinæ reparatione:* Estque hoc secundum hodierni Angelici gaudii motivum. Unde Dionysius Carthusianus ait: *In hac jucundissima solemnitate ruina cœlestis Hierusalem in mundi exordio facta, & quæ per tot annorum millia duraverat, pro magna parte est reparata. Si Christo affirmante: Gaudium est Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, quale gaudium ortum est eis hodie, de tam innumerabilibus millibus animarum sanctarum cum Christo Cœlos intrantibus, ac cœlestis Hierusalem ruinas implentibus? Jubilaverint de sui Regis exaltatione;* quod est tertium gaudii beatorum exercituum motivum. Hugo Cardinalis postquam explicasset, quo mysterio Angeli moti fuerint, ut hodie in candida veste comparerent, dicendo id præcipuè factum esse, *quia prospera nuntiabant, & lætitiam Angelorum de societate humanæ naturæ significabant;* tandem subiungit: *Albæ etiam vestes congruunt exaltationi; qui enim in nativitate apparuit humilis Deus, in ascensione ostenditur homo sublimis.* Neque enim exaltatio ejus sublimior aut eminentior esse potuit: *siquidem sedet à dextris Dei.*

In Luc.

Serm. ult. de Asc.

In Act. Apost.

3. *Ascendit in jubilo Apostolorum.* Quia ut idemmet Sanctus Bernardinus scribit: *Jubilaverunt Apostoli de Spiritus Sancti certa promissione, de gentium multa conversione, & de Christi glorificatione.* Sanctus Evangelista Lucas dicit, quod Apostoli post Christi in Cœlos Ascensionem subito *regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Divitiæ thesaurorum, donorum & gratiarum cœlestium super ipsos ab æternis ærariis & gazis effundi non poterant, nisi Christus ascendisset; unde ut ipsos ob imminentem suum ab illis recessum, quem ipsis prædixerat, graviter contristatos & mœstos consolaretur, dixit illis: *Expedit vobis, ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Hugo Cardinalis circa hunc locum dicit: *Reversi sunt cum gaudio magno ob varia motiva. Gaudebant enim Apostoli propter Domini sui glorificationem, propter Diaboli humiliationem: propter Judæorum confusionem: propter generis humani factam redemptionem, propter Angelicæ ruinæ reparationem.* Præ omnibus tamen aliis Apostolici Collegii lætitiam Sanctus Cyprianus quam fusissimè his verbis ponderavit: *Apostoli sicut Filii Prophetarum olim verum Eliam ascensurum sciebant, & horam illam præstolabantur gaudentes; nec jam anxiabantur parturientes, sed exerta lætitia parati erant prosequi recedentem.* Idemmet Sanctus Doctor, verba illa affectuosissima, quæ Christus iisdem Apostolis suis anticipatè dixit, priusquam ascenderat, ipsos æterni Patris sui denominando filios opportunè ad nostrum institutum meditatur, dicens: *Omnibus itaque ad tam delectabile spectaculum aggregatis; Ascendo, inquit, ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum. Hilarescebant animi eorum paternitatis Divinæ illustrati honore, & fraternitatis Christi honorati consortio, dum audirent & crederent se filios Dei & fratres Christi.* Alio quodam tempore eundem suum in Cœlos ascensum predicans, dixit eis: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* Ac proinde si juxta dilectionis proportionem lætitia eorum correspondit, verisimile est immensam illam fuisse.

Jo. 16.

Jo. 14. 28.

4. *Ascendit in jubilo Redemptorum.* Nam ut Sanctus Bernardinus ait: *Exultaverunt redempti propter Cœli apertionem: propter suam redemptionem, & propter Angelorum associationem.* Beatus Laurentius Justinianus dicit, quod Angelorum & hominum *erat omnium una laudandi voluntas concors charitatis affectus, eadem contemplationis visio, similis fruitio Majestatis, atque interminabilis causa lætitiæ.* Tandem verò in nostrum favorem concludit, dicens: *Verum quoddam hominibus spirituale tripudium infundebatur amoris, dum supra cunctam Cœli militiam propriam in Christo naturam intuebantur evectam. Intrantibus denique Paradisum* (inquit S. Bernardinus) *omnibus simul in Jubilo & voce tubæ, tam Angelis, quam cunctis animabus beatis & Regi nostro Jesu psallentibus sapienter, dum intraret Cœli palatium, Rex noster Jesus intonat alta voce ad Patrem: Pater manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Ad hæc post Christi in Cœlos ascensionem reliquum erat, ut universus mundus ad veri Dei converteretur agnitionem, ac proinde universo generi humano nova imminebat gaudendi occasio, utpote quod propediem ab infernalis tyrannidis compedibus exsolutum, vera fidei luce illuminandum erat. Quam etiam verisimile est sanctas illas animas gavisas fuisse, quando post tot sæcula ex Abrahæ sinu liberatæ, in Christi societate ad Cœlum Empyreum perpetuum lætificandæ contendebant. *Gavisi sunt etiam justi,* inquit Didacus Stella, *si enim Abraham exultavit, ut videret diem Domini, quantum in ejus ascensione cum omnibus lætatus est Sanctis?* Oculos vestros in triumphalem illum Dominicæ Ascensionis currum obsecro convertite, quem Sanctus David nobis delineavit, dicens: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium.* Cujus lætitiæ rationem protinus addit, dicens: *Dominus cum eis in Sina in Sancto.* Sanctus Bernardinus ait: *Quare autem lætentur millia lætantium, subjungit, dicens; Quia Dominus in eis, id est, inter illos, ascendendo cum eis in Cœlum; in Sina, in Sancto, id est, in speculatione beata: Sina enim speculatio interpretatur.* Enimvero erant tunc primæ vices, quibus à tempore quo fabricatum est Cœlum Empyreum, animabus nostris primitus apertum est Cœlum, ejusque hodierna die in Societate Christi accepimus possessionem. Tandem & mundus Ascensioni Christi pariter applaudit, nam ut inquit Augustinus: *Quod Christus terram levavit ad Cœlum, canit etiam totus mundus.* Quibus in verbis bene considerandum est illud ly (*etiam*) quasi dicat, non solum Cœlum, sed & terra lætandi occasionem habuit, quando sol iste increatus supra Cœlum Empyreum ascendit: Rationem vero

Serm. de Asc.

Ser. 1. de Asc. ar. 3. c. 1.

In Luc.

Ps. 67. 18.

Serm 1. de Asc ar. 2. c. 2.

vero cur & nos, Cœlo applaudenti collætemur, protinus subjungit, dicens: *Quia erexit de terra inopem, & de stercore, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* (Ubi supra.) S. Cyprianus in idem consentit, dicens: *Hoc gloriam Christi unigeniti dilecti accumulat, quod beatitudinis suæ non patitur esse solitariam magnitudinem; sed addidit fratres, non qui minuant quasi divisam in plures excellentiam: sed qui altitudinem divitiarum ejus exornent participes & consortes.*

De nonnullis differentiis inter Ascensionem & Assumptionem: Variæ interpretationes verborum illorum: *Assumptus est*, *Elevatus est*. Christus propria virtute ascendit, nos autem id facere non valemus, nisi virtute ipsius.

DISCURSUS TERTIUS.

Assumptus est in Cœlum. Marci Cap. ultimo.

1. SPiritus Sanctus qui sacrorum Evangelistarum Ascensionem Christi in Cœlum explicantium pennas & calamos specialiter gubernavit & direxit, variis loquendi formis utitur. In Evangelio namque Sancti Marci scribitur: *Assumptus est in Cœlum.* In actibus vero Apostolorum: *Elevatus est.* In Evangelio S. Lucæ: *Ferebatur in Cœlum.* (Luc. 20. 17.) Ac tandem Sanctus Joannes in suo Evangelio hujus ejusdem mysterii mentionem faciens, Salvatorem nostrum inducit dicentem: *Ascendo ad Patrem meum.* In aliis quoque scripturæ locis tam veteris, quam novi testamenti, usitatum est verbum istud *Ascendo*. Unde prædictos sensus, utpote mysteriis redundantes paulo fusius examinare operæ pretium esse censeo.

2. *Assumptus est.* Ponderosa & gravis hæc hujus nostræ corruptæ naturæ terra supra stellas evolare, atque super Angelorum Hierarchias exaltata ad dexteram DEI Patris sedere nunquam potuisset, nisi à Verbo fuisset assumpta. Unde eidem dici potest, quod *ascendit de deserto:* id est, ab hoc mundo: *deliciis affluens innixa super dilectum suum.* S. Thomas de Villa-Nova dictum illud Christi: *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo*, accuratè ponderans, postquam illud nonnullis interpretationibus illustrasset, subjungit: *Quamvis posset hoc aliter intelligi, quod videlicet nemo ascendat in Cœlum virtute propria, sed assumatur potius virtute aliena, sicut in Psalmo scriptum est: Domini est assumptio nostra, & Sancti Israel Regis nostri.* (Conc. 2 de Ascens.) Veruntamen in Christo ascendente nequaquam agnoscenda est virtus quædam aliena, utpotè qui ascendit, & in Cœlos assumptus fuit virtute propria, id est, à divinitate sua. Salmeron idipsum clarè docet, dum ait: *Humanitas innixa est dilecto verbo; alioquin pulvis humanitatis non restitisset vento, nisi verbum eam sustentans elevasset.* (Tom. 11. tr. 35.) Enimverò Abulensis rationem reddere satagit, quamobrem sancta DEI Ecclesia hanc solemnitatem Ascensionis, non verò Assumptionis titulo insigniat, dicendo: *Ob hoc Christi volatus in Cœlum non dicitur Assumptio, sed ascensio; quia Assumptionem appellare consuevimus, quando corpus in Cœlum tendit, aut in quemlibet locum alicujus celsitudinis illum non suis viribus petens, sed alia potentia latum: ascensionem vero tunc dicimus, cum in Cœlum aut in quamlibet altitudinem, quodcunque fertur corpus, à nullo motum, sed suis viribus agens.* (Parad. 5. cap. 8.) Et hoc modo certum est ascendisse Christum, quia verbum nostram hanc naturam sibi indissolubiliter unitam propria virtute evexit ad Cœlum. Verum ecquodnam est mysterium, quod Sanctus Marcus scribat: *Assumptus est*, & non potiùs; *Ascendit*? præterquamquod S. Gregorius Nyssenus de hoc festo tractans, Capitulum, in quo de eo loquitur *de Assumptione sive Ascensione* intitulet. Porrò dubium istud Salmeron nobis præclarè exponit, & in primis quidem hactenus à nobis dicta confirmat. *Assumptus ergo est, quasi homo à Deo sit assumptus: nam ut Pater eum à mortuis suscitasse traditur, & tamen ipse seipsum suscitavit: ita assumptus intelligi potest à Deo Patre, quasi homo; vel à Divinitate Filii, quæ Hypostasis erat humanitatis.* Alia autem explicatio: omnem penitus explanans difficultatem, est, quod ly *Assumptus*, idem denotet, quod exaltatum esse, qua phrasi dicere solemus; hic vel ille assumptus est ad Imperium vel ad Pontificatum: *Indicat etiam hoc verbum assumendi dignitatem & gloriam: dicimus enim assumptos esse quosdam ad Pontificatum, alios ad regnum, & ita humanitas Christi ad incomprehensam ineffabilemque assumpta est dignitatem.*

3. Quod alios duos loquendi modos attinet: *Ferebatur in Cœlum Elevatus est*, hi quoque varie à variis Doctoribus sanctis exponuntur. *Dum audis elevatum* (inquit Eusebius Emissenus) *agnosce militiæ cœlestis obsequium; unde hodierna festivitas hominis nobis & Dei sacramenta manifestat, in eo qui elevat, divinam potentiam, in eo autem qui elevatur humanam cognosce substantiam.* (Hom. 2. de Asc.) Cajetanus aliam nobis adfert illius interpretationem, dicens: *Elevatus non ab alio quam à seipso; Elevatus sursum, non scandendo gradiens, sed totus simul elevatus est.* (In Act. Apost.) Cui similis illa S. Thomæ expositio, dicentis: *Notandum quoque est, quod Elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet apertè illis demonstraretur, quia homo purus adjutorio indigebat alieno, Redemptor autem noster non curru, non Angelis sublevatus legitur; quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur.* (In Cat. in Marc.) Ex quibus verbis optimè deducitur, Christum non aliena, sed propria virtute in Cœlum fuisse elevatum. *Virtute propria, nullo egens adjutorio sursum vectus est*, (inquit etiam S. Bernardinus) *unde cantamus: Exaltare Domine in virtute tua; differunt enim Ascensio, Assumptio & Elevatio: nam Ascensio fit virtute propria ascendentis, & ideo pertinet ad solum Christum, assumptio vero, virtute Christi assumentis: quia filius specialiter obsequitur matri; Et ideo pertinet ad Beatam Virginem: Elevatio autem fit ministerio Angelorum, & hoc pertinet ad alios sanctos.* (To. 3. Ser. de Asc. ar. 2. c. 1.) Verbum autem usitatius in expressione hujus mysterii est, verbum ascendit, uti jam diximus, hoc enim indicat ascendere propria virtute. Chrysostomus super illa verba Psalmi: *Ascendit DEUS*, innuit: *ascendit propria potestate: quo circa Lucas quoque sic dicebat. Et fixis oculis intuebantur, cum ille iret in Cœlum, non dixit, cum ipse assumeretur; nec cum portaretur.* (In Ps 46.) Abulensis quoque supra à nobis citatus de hac materia diffusè tractat, & ad probandum id quod diximus, ita scribit: *Christo plena ascendendi in Cœlum facultas erat, nulla extrinsecus petito subsidio, quoniam gloriosum corpus ejus jam beatitudinis acceperat dotes: inest autem hujusmodi corporibus agilitas gloria, ut ubicunque esse maluerint, eis præsto sint. Amplius autem, quoniam verus Deus erat, quamobrem hoc ei velle erat quod efficere.* (Parad. 5. c. 10.) Sanctus quoque Cyrillus Hierosolymitanus ita arguit: *Si Habacuc translatus est, coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum & Angelorum Dominus de Monte Olivarum per nubem ascendens propria virtute ascendere in Cœlum potentior erat?* (Cath. 14.) observatio itidem est Lyrani Angelos ei non auxilio, sed obsequio adstitisse. *Ferebatur in Cœlum per dotem agilitatis, proprio motu: nubes tamen & Angeli apparuerunt ad ejus obsequium.* Nam uti Sanctus Cyprianus similiter testatur: *Non indiguit vectoribus Angelis, qui offenditula tollentes è medio ferrens eum in manibus, sed subsequentes & præcedentes applaudebant victori, & concinentes in jubilatione modulabantur canticum novum; & implebat Cœlos consonantia illius harmonia, Thronis & Dominationibus parantibus Filio juxta Patrem consessum; Cherubim & Seraphim pedes pacificos ambientibus.* (Serm. de Asc.) Abulensis postquam verba illa: *Elevatus est; nubes suscepit eum*, examinasset, & pro ratione dubitandi illud adduxisset, quod scilicet is, qui hoc loquendi modo utitur auxilium externum satis manifestè ostendet, tandem concludit, tanti mysterii magnificentiam creaturarum decuisse obsequium, non auxilii, sed pompæ causa adhibitum. (Parad. c. 8.) *Item si Christus suis viribus fultus ascendere potuisset, rationabile tamen valde erat, ut aliquid Christum ascendentem ad ascendendum adjuvaret, aut eum illuc deferret; si enim dominorum magnatumque conditio per*

vul-

vulgata est, ut quanquam plurima à se ipsis agentes efficere possent, nihil tamen efficere velint, sed à servis suis hæc fieri jubeant. Unde concludit, quod licet hoc admiserit obsequium, id tamen factum sit non tam ex necessitate obsequii, quam ob majorem honorificentiam sui triumphi. Sic enim videmus Dominabus illustribus familiare esse famulorum ministerium, non ob necessitatem fulcri & sustentaculi, sed propter pompam. *Debitum famulatum à Creatura suscepit, non tamen alieno præsidio egens, sed per excellentiam suam faciendo sibi à ministris suis impendi famulatum.*

4. Verum enimvero quis unquam possibile esse credere potuisset, ut in Cœlum ascenderemus per viam, semitæ Christi omnino contrariam? Id quod tamen est verissimum, siquidem tametsi ipse propria virtute Cœlum petiverit, nos tamen è diametro oppositum facere debemus. Unde Richardus à Sancto Victore ait: *Illa*
Lib.3.c.15. *quæcunque est anima, quæ de deserto ascendisse describitur, dilecto suo innixa perhibetur. Quid est ei, dilecto suo inniti; nisi illius virtute, & non propriis viribus promoveri? quid, inquam, est, dilecto suo incumbere, quam de propria virtute pro hac parte nihil omnino præsumere?*
1. Cor.15. 10. *Non ego* (dicebat Apostolus) *sed gratia Dei mecum.* Deus etenim est, qui omnia in nobis facere prævalet. *DEUS est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro*
Phil. 2. 13. *bona voluntate.* Super quem eundem textum Doctor Angelicus ait: *DEUS non solum infundit gratiam, qua nostra opera grata fiant & meritoria; sed etiam movet ad bene utendum gratia infusa.* Sola igitur gratia est, quæ ad gloriam nos facit ascendere, quæ tamen non datur præterquam humilibus, qui de seipsis diffidentes, in divino subsidio omnem suam fiduciam reponunt: *Gratia*
Serm. 2. de verb. Ap. *per Jesum Christum*, ubi Sanctus Augustinus dicit: *Imple vallem, suscipe imbrem, gratia pluvia est, non in montes sed in valles, id est, humiles descendit.* Christus quidem è monte quodam conscendit, in hoc tamen ipsum nequaquam nobis expedit imitari, utpote qui ex valle ascendere debemus. Ac proinde David di-
Ps.83.6. cebat: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Ubinam verò? *In valle;* id est, ascendendum nobis est in virtute humilitatis, & diffidentia nostri ipsius, DEO nihilominus innitendo, omnemque nostram fiduciam in eum collocando.

Declaratur, qualiter intelligendum sit, quod Christus in Ascensione sua ad dexteram Patris fuerit collocatus.

DISCURSUS QUARTUS.

Assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris Dei. Marci Cap. ultimo.

1. REgius Propheta David, prophetico afflatus spiritu ascensionem Filii DEI prævidens, ipsum super Cherubinos usque ascensurum esse dixit: *Et ascendit su-*
Ps.17. 11. *per Cherubim.* Ex alia vero parte Evangelium currens, dicit, *quod assumptus est in Cœlum, & sedet à dextris Dei.* At inquies, si æterni Patris sui dexteræ assidet, qua igitur ratione super Cherubim sedere dicitur? Respondet S. Bernardinus: *Ascendit super Cherubim, quia nulla scientia attingere potest ad ejus ascensionem.* Etenim Ascensionis suæ mysteria non solum cuivis humano & Angelico intellectui sunt imperceptibilia; verum etiam eminentia gloriæ ad quam sacratissima illa humanitas evecta fuit, ne quidem sub imaginationem potest cadere. Unde mirum non est si nulla lingua, nec ulla penna aut calamus ad eam exprimendam aut delineandam sufficiat: siquidem S. Thomas de Villa-Nova ait: *Non*
Conc.1. de Asc. *existimo hujus tantæ festivitatis, neque ipsos qui interfuerunt, Apostolos idoneos oratores.* Similiter Gofredus Abbas omnia hujusce festivitatis sacramenta & mysteria
Serm. de Ascens. admirabilia prorsus esse scribit: *De quorum magnitudine nec homo, nec Angelus de Cœlo tantum dicere posset, quod ad comparationem magnitudinis eorum, modicum non videretur, & esset. Ascendit super Cherubim.* In eandem interpretationem S. Bernardinus alibi consentit, dicens: *Quia super ordinem Cherubim humanitas Christi elevata est; nec ait: super Seraphim, sed super Cherubim, qui est penultimus ordo in Cœlis, quia secundum Alexandrum de Ales, ultra Seraphim non est, nisi Hierarchia, id est, sacer Trinitatis ordo. Si enim diceret, super Seraphim, videretur dicere hominem ascendere usque ad divinam essentiam, & quod humanitas æqualis esset divinitati, quod tamen removet, dicens: Ascendit super Cherubim: Veruntamen Christus homo & Beata Virgo & loco & merito sunt super omnes ordines Angelorum.*

2. *Sedet à dextris Dei. Sedere ad dexteram Patris* (inquit S. Thomas a Villa Nova) *in hodierno Evan-* Conc 2. de Ascen.
gelio dicitur, non quia materiali quodam Throno resideat, sed propter cunctarum rerum præsidentiam, & gubernationem, & dominium; propter gloriæ & dignitatis excellentiam super omnem creaturam; propter honorem & cultum, quo cum Deo ab omnibus simul adoratur & colitur. Porrò similem quandam explicationem Cajetanus hisce verbis adhibuit, dicens: *Per, sedet à dextris DEI, non significatur positio corporis; quoniam Jesus in Cœlo stat, non sedet, stare enim est naturalis situs hominis perfectus; sedere autem imbecillitatis est; per sessionem significatur quietè possidere, quietè regnare.* Enimverò quamdiu nobiscum hic in terris vixit, viator simul & comprehensor esse elegit; siquidem in mari hujus mundi à tot adversitatum procellis infestatus protestatus est, dicendo: *Regnum meum non est de hoc mundo:* hodie autem ab hujus mundi procelloso, & turbulento littore, ad æterni Paradisi portum regnaturus, & ad DEI Patris dexteram collocandus transfertur. *Sedens non cor-*
poraliter, inquit Dionysius Carthusianus, *secundum quod Deus, sed sedet, id est, omnipotenter quiescit, & regnat.* Hodie & non ante Regnum Christi in Cœlo stabilitum fuit, siquidem nullus à tempore creati Empyrei pedem suum eo inferre præsumpsit. Hodie igitur incolatum beati regni illius numerus adaugeri cœpit. Unde Salmeron ait: *In sessione Christi ad* Tom. 58. tr. 35.
dexteram Dei Patris aptissimè adumbratur suprema Christi honorificentia, maxima auctoritas ac potentia ad regnandum & stabiliendum regnum, ineffabilis post labores vitæ requies, primaque judicandi potestas. Ac proinde advertendum est, quod mox ut in sublimi illo Patris throno consedit, Angeli immediatè comparuerint, contestaturi eum suo tempore velut judicem supremum in hunc mundum denuò venturum esse. *Regnat etiam judicariam potestatem* (inquit Lyranus) *quæ communicata est ipsi Christo homini; quia sicut fuit judicatus in forma humana, ita veniet ad judicandum mundum.*

In cap ult. Marci.

3. *Sedet à dextris Dei.* Circa hæc verba Sanctus Isidorus ait: *Dextera autem Patris, ad quam idem filius sedere creditur, non est corporea (quod nefas est de Deo sentire) sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis in resurrectione promittitur, sicut & sinistra ejus rectè intelligitur miseria & pœna perpetua, quæ impiis dabitur.* Porrò animam Christi à primo Conceptionis ejus instanti beatam fuisse, certum est, ac proinde meritò dubitatur, qualenam ipsi hodie gloriæ istius accreverit augmentum? Audite pulchrum Carthusiani hac de re discursum: *Glorificatio Christi secundum suam humanitatem resurgendo & ascendendo completa est; anima equidem Christi à suæ creationis exordio fuit quantum ad superiores suas vires excellenter beata, Deum clarè contemplando, ejusque bonitate immensa perfectè fruendo, sed Christus quantum ad sensitivam suæ animæ partem, & quantum ad corpus suum passibile & mortale fuit viator, & nondum glorificatus; sed exul & diversis mysteriis sponte subjectus usque ad suam mortem.* Tandem prosequitur expositionem gloriæ, quam in resurrectione recepit, dum scilicet dotes gloriosæ in ejus fuere corpus transfusæ: at verò hodie in ascensione. *Etiam habitatione & loco glorificatus est Christus, ut homo & super omnes Angelicos ordines exaltatus.*

4. *Sedet à dextris DEI.* Lyranus hanc Christi sessionem distinguit; si enim illa referatur ad Chri-

Christum ratione suæ divinitatis, sic filii Dei cum Patre æqualitatem significat: Est enim, ut S. Athanasius in symbolo suo scribit. *Aequalis Patris secundum divinitatem.* Si vero hæc sessio consideretur, ut ei tanquam homini competit, duobus iterum modis potest considerari: Primum in quantum humanitas Verbo conjuncta erat; *Et sic ista sessio*, (inquit Lyranus) *importat quandam associationem honoris, quia eadem veneratione veneratur humanitas, in quantum unita Verbo, cum ipsa Deitate*; ad eum modum quo regem actualiter contegens vestis regia eodem pariter cum ipsomet Rege honore afficitur: Alio modo sacrosancta hæc humanitas considerari potest: *Ex se, & sic sedere ad dexteram Patris designat esse in potioribus ejus bonis, sicut dextera est pars nobilior, & potior corporis.* Sanctus Bernardinus illum Psalmi locum: *A summo cælo egressio ejus, usque ad summum ejus*, hunc in modum declarat: *Hoc modo sumendo cælum, dicitur, quod Dominus ascendit in cælum, id est, usque ad Dei æqualitatem; unde Marci 19. ait: quod Jesus assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Et Apostolus ait quod Christus sedet ad dexteram majestatis in excelsis. Per dexteram Dei Patris duo intelliguntur, primum est æqualitas majestatis, ad quam Christus sedet secundum divinitatem: Secundo per dexteram intelliguntur potiora bona gloriæ, in quibus Christus sedet secundum humanitatem: quoniam collatum est ei, quicquid conferri potuit. Importat sedere ad dexteram Patris unionem vel æqualitatem, & quandam eminentiam beatitudinis cum Patre, quod nulli alii a Christo convenire potest.*

5. *Sedet à dextris Dei.* Sanctus Bernardus ait: *A dextris vero, quia die in sinistra adversitatis antea fuit.* Unde paulo ante postquam resurrexisset, dixit: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* (Lucæ 24. 26.) Observastisne aliquando, ex quo loco triumphator noster in cœlos ascenderit? Cur non ascendit ex monte Thabor super quo aperti sunt cœli, ipseque transfiguratus fuit? vel ex monte Syon, in quo ultimam cœnam cum Apostolis celebraverat; monte nimirum adeo mystico, atque in sacris literis adeo celebri atque famoso? Quodnam illud mysterium quod montem Syon præ omnibus aliis montibus pro adimplenda Ascensione sua elegerit? Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus dicit: *De monte Olivarum in cœlos ascendit: illic maximum certamen incepit; hic autem post certamina coronatus est.* (Cath. 14.) Quanta fuit illa agoniæ in horto anxietas & angustia, quando vivum sanguinem effudit, amarissimusque passionis suæ calix ei præsentatus fuit? *Potestis bibere calicem* (ait duobus illis fratribus) *quem ego bibiturus sum?* quasi dicere voluisset, quisquis mecum regnare & in cœlum ascendere desiderat, prius mecum in monte olivarum pati & affligi debet: prius oportet in laborum & adversitatum sinistra commorari priusquam ad dexteram collocetur. (Serm. ult. de Asc.) Dionysius Carthusianus celeberrimum illud recenset miraculum, quod in eo monte accidit, quando in petra, quem pes ejus ultimatè in cœlum ascendens calcavit, pedum suorum impressa manserunt vestigia, super quibus nullum unquam erigi ædificium potuit: *Denique recolendum est*, inquit, *quia ut ait Simplicius Hierosolymitanus Episcopus in loco Ascensionis calcati pulveris pedibus Christi hoc signum quod vestigia ibi impressa cernuntur & eandem adhuc speciem pressis vestigiis terra custodit.* Scitisne quodnam nobis fidelibus per hoc innuere voluerit mysterium? Hoc nimirum, quod Sanctus Petrus nos monendo tetigit, dicens. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Id est, sanctissimorum exemplorum suorum conectemini vestigia, maximè in sustinendis afflictionibus & adversitatibus; *quia si sustinebimus & conregnabimus.*

De datæ à Christo benedictionis, necnon elevationis manuum suarum mysteriis.

DISCURSUS QUINTUS.

Elevatis manibus benedixit eis.
Actorum cap. 1.

1. CHristus Salvator noster cœlos ascendens, ad sanctorum illorum Patriarcharum imitationem Apostolis, & discipulis suis, nec non omnibus aliis ad gloriosum illud spectaculum conspiciendum congregatis, suam impertitus est benedictionem. *Elevatis igitur manibus* (inquit Sanctus Cyprianus) *Hæreditariam eis benedictionem relinquens.* (De Ascen. in Luc.) Didacus Stella hic curiosiùs inquirit: An Christus in impertienda hac benedictione signo crucis fuerit usus? *An vero Christus benedicendo, & bona illis imprecando usus est signo crucis, tacet Evangelista. In veteri lege elevabant manum cum benedicebant; & sic in Levitici cap. 9. habetur, quod Aaron extendens manum suam ad populum, benedixit ei.* Tandem verò suam opinionem exprimit dicendo Christum in crucis figura benedictionem hanc impertitum esse. *Crediderim ego, quod Christus elevavit manum, & facto super eos signo Crucis, benedixit eis.* Certum est equidem hunc in forma crucis benedicendi modum antiquissimum esse, ab ipsis Apostolis in Ecclesiam derivatum. *Quare verisimile est Apostolos didicisse à magistro suo Christo, maximè tunc post triumphum victoriæ per agnomen crucis.* S. Bernardinus ait: *Elevatis manibus suis benedixit eis: in oblationem, in recordationem, in exorationem*; (Tom. 1. Serm. 1. de Ascen art. 2. cap. 1.) ac demum quomodo tria hæc benedictionis genera intelligenda sint, declarat, dicens: *In oblationem, hoc est, ut DEO Patris offerret hostiam viventem.* Usus etenim est antiquissimus, quod in oblationibus victimarum manus offerentis super earundem capita elevarentur, adeo ut Sanctus dicere velle videatur, Christum manus suas elevasse, ut per hanc actionem sacrosanctæ humanitatis suæ victimam, quam cœlis inferebat, æterno Patri tanto redderet gratiorem, & acceptiorem. Sanctus Apostolus de antiquæ legis sacrificiis, ob unicè sibi complacens unigeniti sui sacrificium, spretis & rejectis tractans, dicit: *Hic unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera DEI.* (Hebr. 10. 12.) Ad quam ut diximus, hodie gloriosus est collocatus. *Benedixit eis secundo in recordationem; ut scilicet plagæ passionis suæ in discessu suo totaliter in eorum cordibus figerentur, quod nunquam de eorum deberent memoria deleri; cum talia signa videbant non deleri in cælesti patria.* In hac eadem manuum suarum elevatione eis pariter lateris & manuum pedumque cicatrices, eas extendendo monstravit, *Benedixit eis, & ferebatur in cælum.* Cœlum ingreditur, eodemque tempore passionis suæ vulnera & plagas nobis commonstrat, quasi dicere vellet, quod si cum illo ascendere, suamque benedictionem participare desideremus, opus sit, ut ejus passionem cordibus nostris indelebiliter imprimamus. *In exorationem: ut videlicet ostenderet eis, quod illa vulnera asportabat in cælum, ut eorum ostensione pro eis supplicaret ad Patrem: at per hoc ostenderet, quod qui sanguinem pluerat per vulnera illa in supplicio crucis: per ipsa eadem, tanquam per meritoria instrumenta abundantiam Spiritus sancti effunderet sublimatus in cælum.* Principes & Magnates qua die regni habenis gubernandis coronati admoventur, ad signum festivi gaudii & universalis lætitiæ opulentas ex auro & argento cusas monetas in plebem spargere, nobilibusque, & primoribus patriæ honores, & privilegia specialia concedere consueverunt: *Sic etiam gloriæ Princeps* (inquit Sanctus Thomas de Villa-Nova (Con. 2. de Ascens.) (*postquam sanguine suo partum cælorum regnum intravit, magnifica suis dona divisit: ut ex hoc majestatis & gloriæ suæ divitias ostenderet. Ascendisti in altum, cæpisti captivitatem, accepisti dona in hominibus; accepisti, inquam, in hominibus munera, quæ ipse dedisti: sic enim hunc locum de Spiritu sancto citat Apostolus, dicens: Ascendens in Altum,*

altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.

2. *Benedixit eis*. Verum quidem est, quod per Ascensionem a discipulis aliisque hominibus recesserit, sacratissimam humanitatem suam eis subtrahendo, *quæ ferebatur in cœlum*: Veruntamen ut sanctus Bernardinus notat: *Dum benediceret, recessit ab eis, auferens quidem præsentiam corporalem*: ex altera verò parte *benedictionem plenitudinis amoris & gratiæ derelinquens*. To. 11. tr. 36. Doctissimus Salmeron opinatur Salvatorem ascendentem benedictionem suam unicuique separatim impertiisse, simulque existimat, quod eum qui majori erat præditus perfectione, jamque magis eminentem sanctitatis gradum ascenderat, ea virtute donarit, ut eum longè altius versus Empyreum ascendentem conspicere potuerint. *Cuilibet in fine visionis benedicebat, & quo quis sanctitate præcellebat, eo altius spectabat*. Porrò S. Ambrosius pro nostra consolatione post se scriptum reliquit, quod Christus benedictionem illam etiam ad nos usque transmittat, quemadmodum enim is qui aliquem spicarum manipulum, veluti primitias ad benedicendum defert, non solum illis frugibus quæ tali manipulo clauduntur benedictionem procurat, sed benedictio illa ad omnes quoque illas quæ in campo adhuc degunt, transfunditur & derivatur: ita quoque credibile est, illas gratias, divitiasque cœlestes, quas Christus super devotos ibidem præsentes discipulos effudit, simul etiam cum ipsis ad nos omnes pariter transmiserit. *Sicut de campis à segetibus si quis collectas spicas obtulerit Deo, omnem campo benedictionem reportare perspicitur, sic & Christus per illud corpus fecit benedici nostram naturam.*

3. *Benedixit eis*, Sanctus Bernardinus ait: *Benedixit quoque eis sic manibus elevatis, ut eos contra hostes muniret, & in bonis cœlestibus augeret: benedixit eis sic manibus elevatis, quia desuper est benedictio electorum*. Sciebat enim, quantum contristandi essent, videntes quod ad tantam usque distantiam, in cœlo in sempiternum regnaturus elongaretur, ideoque illos per benedi-
Serm. 2. de Ascens. ctionem suam lætificare voluit. S. Bernardinus dicit: *Benedicens ergo eis ferebatur in cælum fortè concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cum miseros, suos, & pauperem suam scholam relinqueret, nisi quod veniebat parare eis locum*. Enimvero quantum ex sola discessus sui memoria contristati fuerint, vel ex eo deduci potest, quod Christus ipsemet in ultimo sermone cœnæ dixit: *Vado ad eum, qui misit me*. Quid id? *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*; Ubi notandum quod non solum ex hoc præsagio vel prædictione discessus sui contristati fuerint, verum etiam dolor ille adeo vehemens extiterit, ut corda eorum penitus pervaserit, & impleverit, quod multo amplius est, veruntamen pro eorum consolatione subjungit:
Joan. 16.6. *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam*. Unde post hanc benedictionem pectora eorum tanto jubilo imbuta fuere, ut sanctus Lucas de iis post Ascensionem suam Hierosolymam hilariter redeuntibus dicat: *Elevatis manibus benedixit eis; & factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum*. Et statim subdit: *Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno*. Salmeron ita scribit:
To. 11. tr. 36. *Etsi autem benedictionis hujus verba non habemus expressa, virtus tamen hujus benedictionis non obscure cernitur in adoratione Jesu, & in reditu in Jerusalem cum gaudio magno: & in eo quod in templo sine ullo timore in laude & benedictione Dei erant perseverantes: quid enim facerent benedicti à Domino Jesu; nisi ut benedicerent, & laudibus celebrarent Deum Patrem & Filium, & Spiritum sanctum.*

4. *Elevatis manibus benedixit*. Benedictio cum hac manuum elevatione conjuncta fuit. Per manus autem opera nostra intelliguntur; adeoque per illam manuum elevationem hoc fidelibus documentum insinuatur, quod scilicet si benedictiones cœlestes participare velint, opus sit ut opera eorum eleventur, id est, ad cœlum dirigan-
In Luc. tur. Unde Cajetanus ait: *Elevatis manibus suis; ut exteriori etiam signo ad cœlestia mentes discipulorum erigeret*. Hæcque est intentio præcipua, quam Ecclesia in hodierna festivitate habet, dum mentes nostras à terrenis affectibus sequestrari postulat: *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus; ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus*: Ac proinde sanctus Leo hodierna die exclamat: *Sursum vocatos animos terrena desideria non deprimant; ad æterna per electos peritura non occupent: viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent.* Serm 3. de Ascens.

5. *Benedixit eis*. Quod idem est, ac si diceretur, depluit super illos cœlestium bonorum thesauros: *Benedicat tibi Dominus ex Syon, & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ*. Psal. 127. *Exaltare super cœlos Deus*, inquit Psalmista alibi; Psal. 56. 6 Postea verò protinus quis inde fructus in totum mundum redundaturus sit, subdit dicens: *Et in omnem terram gloria tua*; Quia post apertum hodie cœlestem Paradisum, post exhibitam illam magnificentiam, quacum ad supremam illam conscenderat stationem, omnes fideles summo beati illius regni acquirendi desiderio imbuit, & accendit. *Ascendit pandens iter ante eos. Et bene pandens iter* (inquit sanctus Thomas de Villa-Nova) *quia nisi ipse præcessisset, nullus utique sequeretur;* Micho. Conc. 3. *& nisi prior cœlos penetrasset, nemo sanctorum usque in finem sæculi illuc intraret.*

Considerantur aliqua motiva, ob quæ in conspectu Apostolorum, & omnium aliorum Christus ascendere voluerit.

DISCURSUS SEXTUS.

Videntibus illis elevatus est. Actorum cap. 1.

1. Sanctus Bernardinus Senensis scribit, quod tam Christi in terram descensus, quam ejusdem ascensus in cœlum, nullum sibi propositum habuerit alium finem, quam ut nos viam edoceret, eum us- To. 3. Ser. 1. de Ascens. que in beatum illud regnum consectandi, ut ejus fieremus gloriæ participes. *Cum Dominus noster Jesus Christus cœlorum sublimitate descenderet, & inter homines habitaret, atque ad cœlorum regna rediret; nihil aliud intendere demonstravit, nisi quod vita & mors voluit nos docere, quibus illum sequeremur in cœlum, ubi tandem beatificaremur in eo*. Non igitur sine mysterio singulari in conspectu omnium ad cœlum ascendere voluit, siquidem ascensio ejus ad universalem fidelium doctrinam & profectum ordinata fuit. Præcipuè vero idem Sanctus tria mysteria recenset, ob quæ in publico Apostolorum circumstantium conspe- Ser. 5. a. 2. c. 1. ctu ascendere elegit: *Videntibus illis. Propter justificationem, ut ascensionis ejus tanquam ab eis patenter visa firmiores essent testes*. Christum enim propria virtute cœlos conscendere, evidens fuit divinæ ejus omnipotentiæ signum. *Ascensio Domini* (inquit Eusebius Emissenus) *catholicæ fidei confirmatio fuit*. Hom. 2. de Ascens. Cum Sapientia illa increata in Evangelio sancti Joannis de ineffabili Eucharistiæ Sacramento disseruisset, nec tamen ab Auditoribus, qua ratione panis in sacratissimam ejus carnem transsubstantiari posset, nec non qua ratione eodem tempore, quo in cœlum ascendit, nobiscum in hoc Eucharistico pane manere & commorari possit, intelligeretur: *Sciens Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus,* Joan. 6.63. *dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?* quasi dicere vellet: In hujus confirmationem mysterii, paulatim aliud quippiam longè prodigiosius visuri estis, id est, gloriosam meam in cœlos ascensionem. Unde sanctus Augustinus ait: *Christus in sepulchro, mentiuntur custo-* Serm. 179. de temp. *des, Christus in inferno, visitentur quiescentes; Christus in cælo, credant omnes gentes*, ideoque Ascensio ista in cunctorum hominum conspectu facta fuit: *Videntibus illis elevatus est*. Ac proinde beatus Thomas ait: *Non in obscuro & in occulto sed clara lu-* Conc. 1 de Ascens. *ce, palam; videntibus illis, non uno quidem aut duobus, sed plusquam centum & viginti discipulis ad æthera elevatus est*. Subditque idem Sanctus id sine mysterio accidisse nequaquam esse credendum: Tametsi enim, & conceptionem, & nativitatem, & transfigurationem suam, imo & suam resurrectionem occultè & in secreto fieri voluerit, attamen *Publicè destinavit ascendere, ut dum Ascensioni suæ evidentiam facit, nostra quoque olim futura & fidem faciat, & spem erigat: erat enim apud homines non*

minus arduus ad credendum Ascensionis, quam Resurrectionis articulus.

2. Secundum, quod à sancto Bernardino tangitur mysterium, hoc est; nimirum, quod in conspectu ipsorum palam ascendere voluerit, *Propter inflammationem, ut scilicet cœlestis patriæ & gloriæ fidem, & spem, & desiderium firmius exprimeret, & ut desiderium veniendi ad eum, excitaretur in illis.* Etenim verisimile est, Apostolos Christum ascendere conspicientes Magistro & Salvatori suo unanimiter dixisse: *Trahe nos post te: in odorem curremus unguentorum tuorum. O quis exprimere possit,* inquit S. Bernardinus, *desideria, affectus, & lachrymas amorosas totius illius multitudinis circumdantes Jesum.* Sanctus Ambrosius sanctæ illius congregationis glorioso huic spectaculo præsentis devotionem atque suspiria, sequentibus exprimit verbis: *Stabant beati Apostoli toti suspensi corpore, & ascendentem ad cælum Dominum, quia incessu pedum non poterant, oculis sequebantur; & licet ad deducendum Salvatorem visio humana deficeret, fidei tamen devotio non defecit; usque ad nubem enim Christum deducunt oculis: usque ad cælos autem cum Christo fides devotione comitantur.* Dionysius Carthusianus illa sancti Lucæ in Actibus Apostolicis verba: *Cumque intuerentur in cœlum euntem illum;* considerans, subjungit; *Avidissima, devotissima, ac jucundissima mente corporeoque prosequerentur intuitu.* Abulensis scribit Salvatorem nostrum in unico momento à conspectu ipsorum in cœlum ferri, atque ad Patris dexteram collocari potuisse, id tamen circa se fieri noluisse, sed potius sensim, paulatim elevari elegisse; *Ut sic conspiciendus daretur.* Et quidem tametsi nubes se inter ipsorum oculos & Christum ascendentem interposuerit, quia *nubes suscepit eum;* ipsi tamen pupillas suas firmiter & constantissime versus cœlum tenuere defixas. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Cum Dominus nubem ingressus, atque in alta progressus oculis illorum fuisset ablatus, non cessaverunt sursum aspicere post dilectum ut mors est amantium;* ac proinde S. Bernardinus ait: *Propter hoc ascendit Christus, ut sublevaret cor hominis ad suam dilectionem.* Verisimile etenim est, quod tametsi Apostoli & discipuli Christi ad immensam cœli gloriam vehementer aspirarint, utpote qui Christum ipsos ad hanc prosequendam instigantem sæpius audiverant, attamen per hoc quod Christi Ascendentis triumphum, Angelicarumque Hierarchiarum obsequium velut testes oculares spectarint, cœlumque Empyreum ad Christum excipiendum plane apertum viderint, *Amplius* (ut Abulensis scribit) *ita Christi conspecta Ascensio vehementer assistentium Christo corda inflammavit; ut ipsi quoque hinc ascendere desiderarent, quo Redemptorem & Dominum suum ascendere intuebantur, cum ipse dixisset; ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Porrò duos hosce fines incarnata Patris sapientia sibi propositos habuit, (ut beatus Thomas inquit) nimirum primo: ut ad bonorum æternorum contemplationem & lucrum consectandum excitare: Secundò ut aliquod saltem gloriæ suæ indicium daret ad concitandum in nobis tanto majus illius desiderium atque cupidinem. *Ut ergo ad cœlestia promerenda sperandaque noster erigeretur affectus, oculatum Dominus voluit habere regressum; & ut latentis quoque majestatis foris monstrarentur indicia; sicut scriptum est: Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum, viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, Regis Dei mei, Regis mei qui est in sancto.* Adhæc facie orientem versus conversa ascendit, prouti Salmeron Sancti Joannis Damasceni authoritati innixus notat, atque è Davidico hoc colligitur oraculo: *Ascendit super cælum cæli ad orientem. Quia ad gloriam Patris, ex quo ortus est Christus & ad gloriam suam, qui oriens in scripturis dicitur, ascendit: quo nos instrueret, ut ad orientem, in quo erat sit Paradisus, aspiceremus; sed non jam ad terrestrem, sed ad cœlestem & ut terga vertamus ad bona hujus sæculi vilia, atque contempta, quæ per se, utpote caduca & fluxa, intereunt, ac dilectores suos interimunt: sicut cœlestia bona stabilia sunt & vitam præstant æternam.* Enimverò ex ea interrogatione quam Apostoli, hoc ipso eodem die, quo Christus jam jam in cœlos ascensurus erat, inquirendo proposuerant, nimirum: *Quando restitues regnum Israel?* Corda ipsorum ad curas & cogitationes terrenas defixa fuisse, satis colligitur; Quibus proinde Christus sequens hoc reposuit responsum: *Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* E quibus verbis beatus Thomas inquit, insignem nobis, qui in cœlestium bonorum præjudicium, temporalibus hisce bonis nimium adhæremus, stultitiam improperandi occasionem desumpsit, dum ait: *Quanta cæcitas & stultitia humanas ex hoc possidet mentes? Necessaria, utiliaque saluti, in quibus vita æterna & gloria nostra consistit, scire negligimus, & inutilibus & arduis, quæ ad nos non pertinent, quæstionibus curiose vacamus, quid Deus facere possit, quid non possit, discutimus, & quid nos oporteat facere, non attendimus.*

Cant. 1. 3.
Act. 1. c. 1.
Serm. 2. de Pent.
In Act. Apost.
Parad. 3. c. 16.
Serm. 3. ac. 3. cap. 3.
Parad. 3. c. 16.
Conc. 1. de Ascens.
To. 15. tr. 36.

3. *Videntibus illis elevatus est.* Tertium à S. Bernardino acutè recensitum mysterium est: *Propter significationem, scilicet ut mysticè innuatur, quod qui non videt Christum ascendentem, & qui perspicaci oculo contemplationis ejus altitudini, & alta sursum actioni non cohæret, non est dispositus ad redundantiam sui Spiritus suscipiendam.* Ad quod probandum historiam adducit S. Elisæi, cui ab Elia Magistro suo Spiritus illius duplicationem enixè poscenti, responsum fuit, fore eum compotem futurum, dummodo suum in cœlos abitum defixa oculorum acie contueretur. *Recordor Elisæi sancti* (inquit pariter S. Bernardus) *qui cum Elias dixisset; ut in discessu vel ascensu suo postularet, quod vellet, respondit: oro ut fiat duplex Spiritus tuus in me. At ille: Rem difficilem postulasti, attamen si videris quando tollar à te, erit tibi hoc, quod petisti;* Demum vero prædictus sanctus rem hanc prosequitur, dicens: Eliam Christi Ascendentis fuisse figuram; Elisæum vero Apostolicum adumbrasse Collegium; Hoc etenim fixos in verum Eliam suum, id est, Christum oculorum obtutus defigens duplici donatum est Spiritu, non solum ob eorum, qui adventu Spiritus sancti super eos affusi sunt, thesaurorum cœlestium abundantiam, verum etiam ob patrata per Apostolos majora præ iis, quæ in Christo patrata fuere miracula, conformiter illi quod eis prædictum fuerat: *Et majora horum facient.*

Serm. 3. de Ascens.

4. *Videntibus illis elevatus est.* Enimverò ita Divina fuerat providentia præordinatum, ut Apostoli aliique fideles post Ascensionem Christi in fidei testimonium variè cruciarentur & affligerentur: *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt,* ideoque ut ad sustinendam crudelissimorum suppliciorum suorum carnificinam solidè subsisterent præmium, quod illos hanc ob causam jure meritò manebat, eos perfectius contemplari & spectare voluit. Nam ut Tertullianus ait: *Nihil crus sentit in nervo, dum animus est in cælis.* Unde ad suggerendum sanctissimo Prothomartyri Stephano generosiorem fortioremque animum eidem aperti sunt cœli: *Ecce video cælos apertos,* Eodem quoque fine in plurium conspectu in monte Thabor transfigurari voluit, ut qui pro illius amore passuri erant, gloriam quoque, quæ in editæ sanctæ fidei suæ testimonium, in lacerata & dilaniata corpora sua suo tempore diffundenda erat, manifestè conspicere possent; Unde S. Leo ait: *Hanc fidem Ascensione Domini auctam & Spiritus sancti munere roboratam non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt tantum de Ascensione Domini profecerunt; ut quicquid illis prius intulerat metum, verteretur in gaudium.* Ad eum ferè modum inquit Beatus Thomas, quo sole corporali super Zenith nostrum verno tempore ascendente, terra quæ prius arida & sterilis erat, florum denuo germine jucundissimè vestitur, & frondescit arboribus: *Ita Christo in æthera conscendente, arida Ecclesiæ facies multiplici gratiarum & charismatum varietate refloruit. O quales tunc martyrum, & virginum flores! quam candidos & purpureos flosculos Ecclesia pullulavit! O quanta Spiritus viriditate vernavit! quanta gratia virore decorata est! Videres catervatim gentes innumeras ad fidem confluere, & populos cœlestis gratiæ sitibundos avidissimè baptismi aquam exposcere.*

Hebr. 11. 37.
Serm. 2. de Ascens.
Conc. 1. de Ascens.

Variæ

Variæ considerantur rationes, cur Christus nubem ascenderit.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. Ap. c. 1.

1 QUando Dei Filius de cœlo in hanc lachrymarum vallem descendit, tunc regio Propheta teste, amplissimæ cœlorum sphæræ deorsum se submiserunt: *Inclinavit cœlos, & descendit.* Quis futurum fuisse non Ps. 17. 10. credidisset, quòd dum Christus Redemptor noster hodie tanquam victor in cœlum triumphabundus ascendit, cœli ipsimet in scabellum quoddam vel thronum mutandi fuissent, cum in cœleste capitolium ingressus inniteretur, vel contorquendi fuissent ad instar arcus triumphalis, ut hac ratione debitum suum contestarentur obsequium? Et tamen verissimum est, *quod nubes suscepit eum*; id quod multis antea sæculis regius Propheta prædixerat, dum ait: *Ponis nubem ascensum tuum*; Eccur Ps. 103. 3. autem Christo ascensuro non se præsentarunt Cherubini, suumque sacratissimæ illi humanitati dorsum vel tergum inclinarunt, aut submiserunt: *Quia sedes super* Ps. 79. 2. *Cherubin*, id enim quam maximè decuisset, siquidem id quoque idem Propheta prædixerat alibi dicens: *Ascen-* Ps. 17. 11. *dit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum.* Porrò circa nubis hujus mysteria præsens noster vertetur discursus.

2 *Et nubes suscepit eum.* Sanctus Ambrosius in ea (Serm. 2. de Pent.) fuit opinione, quod nubes isthæc Patrem æternum nobis adumbrarit, veluti filium suum peramanter excipientem. *Videamus quæ ista nubes sit, quam splendida, quam præclara, quæ lucem mundi Christum suscipere meretur; neque enim poterat obscura esse vel tenebrosa, quia scriptum est: & tenebræ eum non comprehenderunt: tenebræ enim lucem gestare non poterant.* Tandem S. Doctor concludit: *Ista est nubes, quæ ascendentem suscepit Christum, quæ & testimonium Christo etiam in monte perhibuit: de qua ait Evangelista: vox de nube audita est, hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Non igitur nubes suscepit Christum, sed Deus Pater recepit filium, & occursu quoddam pietatis ascendentem illum gremio molliore complectitur.*

3 *Nubes suscepit eum.* Absalon Abbas per nubem (Serm. 1. de Ascens.) hanc in sensu mystico humanitatis nostræ intelligit naturam, quam Verbum assumpserat. Idque facilè per verba illa probari potest, quibus in Adventu frequenter utitur Ecclesia, prolata à Patribus antiquis priusquam Verbum hac nostra esset mortalitate indutum: *Et nubes pluant justum.* Porrò cuncta verba, quæ hac de re Abbas præfatus scripsit, adeo præclara sunt, ut hoc in loco seriatim transcribi mereantur: *Aqua ante passionem, & nubes in passione potuit appellari, ante passionem aqua; quia adhuc mortalis & passibilis liquescere & solvi potuit, esurire, sitire, pavere, & mæstus esse, tradi in condemnationem mortis; in ascensione vero ideo Christi humanitas nubi comparata est, quoniam sicut aqua ab imo terræ vaporaliter attracta, postmodum condensata in nubem ventis sublevantibus in aere suspenditur: sic Christi humanitas per Spiritum sanctum, qui est vapor paternæ majestatis, ab imo terræ, id est a fæce nostræ corruptionis separata est: postmodum vero resurgendo mortis occasu superato per immortalitatem & impassibilitatem, quodammodo est roborata, & effecta densior, ventis spiritualibus sublevantibus, id est, agilitate & subtilitate naturæ super cælum, imo super cœlos ascendit.* Etenim Ezechiel olim prædixerat: *Solem nu-* Ezec. 32. 7. *be tegam*; quia sol justitiæ Christus intra hanc sacratissimæ humanitatis suæ nubem contectus, & absconditus fuit; eademque nubes hodie solito altiùs non solùm super terram, sed & super omnes cælos exaltata fuit.

4 *Et nubes suscepit eum.* Filius Dei ad dexteram Patris ascendit, ut tanquam Judex supremus ad universale judicium reverteretur, ac proindè Angeli dixerunt: Luc. 21. 7. *Hic Jesus qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Etenim sicut in nube in cœlum ascendit, ita quoque ad finale judicium descensurus est in nube: *Videbunt filium hominis venien-* (Serm. 2. de Ascens.) *tem in nube cum potestate magna & majestate.* Unde S. Bonaventura ait: *Sic utique venit cum tuba judicandos ex-* (In Act. Apost.) *citante, (ascendit pariter in voce tubæ) cum nube judicium approbante, cum benedictione electos lætificante.* Rabanus pariter in glossa citatus ait: *Creatura utique obsequitur Creatori, astra indicant nascentem, patienti compatiuntur ascendentem nubes suscipit, ad judicium comitabitur.*

5. *Nubes suscepit eum* Abulensis nobis modum descri- (Parad. 5. cap. 16.) bit, quem ascendendo observavit, & dicit Christum in monte Oliveti prope Jerusalem cum beatissima Virgine Matre sua aliisque omnibus discipulis longum disseruisse sermonem, in quo eos ob instantem discessum suum consolabatur, eò quòd cœlestes paraturus eis mansiones, & Spiritum sanctum missurus abiret: tandem verò in præfati discursus fine *descendit de aerea regione quædam nubecula usque ad pedes Salvatoris facta que est in modum throni, aut gestatoriæ sedis, ut sic Christus in ea sessurus videretur. Tollebatur autem illa nubes paulatim in excelsum; Christus quoque in ea ascendebat, ac si in ea sederet; major tamen pars corporis Salvatoris nostri nube velata non erat, ut sic discipulis vultus ille videndus concederetur.* Neque vobis huic adeò glorioso triumpho minus videatur honorificum nubis hujus obsequium, sciendum etenim est nubem in multis Scripturæ locis majestatis & magnificentiæ manifestativam esse. *Venientem in nube cum potesta-* Matt. 26. 46. *te magna & majestate*; & paulò antè diximus: *Et in nubibus cœli venientem.* Imo præter sanctum Lucam sanctus quoque Matthæus triumphum hunc cum pari pom- Ps. 67. 35. pa accidisse describit. Psalmista dicit. *Virtus ejus in nu-* Ps. 88. 7. *bibus.* Et alibi: *Quis in nubibus æquabitur Domino? Non quod indigebat* (inquit Didacus Stella) *subsidio nubis; sed voluit ejus uti servitio; virtus enim ejus in nubibus.* Chrysostomus quoque de hac nube in actibus Apostolorum (In Luc.) scribit: *Non ignis, neque currus igneus, quemadmodum factum est in Elia; sed nubes suscepit eum, quod erat cœli symbolum quemadmodum ait Propheta: Qui posuit nubem ascensum suum*; ubi etiam alium quendam Isaiæ textum adducit: *Deus sedet super nubem levem.* Adhæc idem Chrysostomus optimè considerat, quòd cùm Spiritus sanctus per os Davidis dixisset. *Nubes & caligo sub pedibus ejus*; ut ostenderetur hunc eundem, de quo loquitur supremæ majestatis Deum esse hodie dicat: *Et nubes suscepit eum: His verbis declarans illum esse Regem cœlorum: quemadmodum currus regalis declarat ipsum Regem, sic & ad illum missum est regale vehiculum.* Salmeron etiam notat nubem quandam comparuisse in Transfiguratione: Tom. 11. tr. 36. *Non solum ut splendorem Solis & ardoris temperaret, sed ut ostenderetur Deus, vel Deo Patri par, qui habitabat in nube, sive in nebula, ut olim solitus erat apparere in tabernaculo; de quo dicitur: Nubes & caligo in circuitu ejus.* Porrò nubes hæc tantò admirabilior fuit, quantò magis in cœlo sereno apparuit ex improviso. Unde S. Bernardi- (Hom. 1 de Ascens. a. 2. cap. 3) nus ait: *Ut miraculum repentinæ nubis in sereno cœlo miraculo Ascensionis adjunctum, ejus prodigiosam apparentiam duplicaret.* S. Augustinus de hac eadem nube tractans ita scribit: *Candida subitò apparuit nubes evectio parata in* (Serm. 180 de tem.) *cœlo, apparuit nubes, intravit in eam, qui educit nubes ab extremo terræ, ut oblectaret oculos eorum nubis amœnitas, & irroraret eos ascendentis de cœlo suavitas.*

6. *Nubes suscepit eum.* Similiter & S. Athanasius suam circa hanc nubem opinionem edixit: *Nubes pedibus succurrens usum vehiculi ad cursum præbuit*; cum hac tamen restrictione, quam addit Dionysius Carthusianus: *Nubes obsequium, non auxilium præbuit.* Bernardinus eam (Orat. de Ascens.) hoc fine comparuisse scribit: *Ut creatura superior & desuper adveniens suo Creatori deservire, & ad ejus obse-* (In Act. Apost.) *quium famulatoriè advenire, apertè demonstraretur; undè in hac urbe erant multitudines Angelorum Christo obsequentium, & nubem regentium.* Dionysius Carthusianus super Evangelium S. Matthæi ita scribit. *Hæc autem nubes & Angeli apparentes atque cum Christo ascendentes non adfuerunt propter Christi indigentiam, sed reverentiam, ad demonstrandum quod Ecclesia & inferiora corporalia ac spiritualia ad Christi obsequium essent parata.*

7. *Et nubes suscepit eum.* Hugo Cardinalis in hanc rem declarandam historiam quandam introducit lib. 3. (In Act. Apost.) Reg. cap. 18. descriptam; ubi nubecula quædam prodiisse legitur, copiosissimæ cujusdam secuturæ pluviæ prænuntia: *Nubecula ascendit de mari, post quam descendit pluvia gratia in missione Spiritus sancti* Quæ historia diu antè à S. Bonaventura fuerat ad nostrum propositum aptissimè applicata: *Hujus Ascensio fuit præfigurata in ascensione*

nubecula parvæ, de qua dicitur : Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat. Hæc nubes ventum illum ominabatur, qui paulò post audiendus erat: *Tanquam advenientis spiritus vehementis* necnon salutarem illam donorum & gratiarum pluviam in cœlestem usque Hierosolymam redundantem: *Si enim non abiero* (dicebat Salvator noster) *Paraclitus non veniet ad vos. Ac si diceretur: Si nubes non ascenderit, pluvia non descendet.* (S. Bonaventura glossando addit) *scilicet gratia Spiritus sancti. Ecce nubecula parva quasi vestigium ascendebat de mari, id est, humilis caro Christi de mundo.*

Serm. 3. de Ascens.

8 *Et nubes suscepit eum.* Nubes hæc nos defendit à Solis ardoribus; hanc Deus populo suo quadraginta annis præparavit: *Expandit nubem in protectionem eorum.* Christus pariter eo fine ad cœlos ascendit, ut ad dexteram Patris sedens munere patris, protectoris & advocati nostri fungeretur: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, uti promisit in Evangelio: tametsi enim à nobis discederet, nobiscum tamen in sanctissimo altaris Sacramento remansit. Undè ingeniosa est illa Salmeronis observatio, dicentis: *Illud quoque collige, Dominum die Jovis nubecula tectum in polum migrasse; quemadmodum etiam in die Jovis sancto delituit Christus dupliciter: tum sponte sub nube accidentium in Eucharistia; tum à Judæis comprehensus illa nocte, humiliatus, conculcatusque.* Undè in profectum spiritualem nostrum hoc elicit documentum: *Profectò cùm quis in hac vita per humilitatem novit abscondi, ac benè latere, postea ejus gloria in cœlo declarabitur.*

1. Joan. 2.1.
To. 12. tr. 26.

9 Verum, inquies, quodnam in eo latet mysterium, quòd Eliæ in cœlum rapiendo currus missus fuerit igneus resplendens, & luminiosus: Christo autem solùm nubecula quædam occurrerit? *Non est major servus domino suo.* Advertendum est igitur, te nequaquam veritati conformiter loqui, si Eliam in curru ad cœlum ascendisse asseras; siquidem is etiamnum hic in terris inter nos vivit, de Christo econtrà fide dictante scimus, quòd *assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei*: cum tamen Eliæ cum Antichristo dimicandum sit, priusquam eò ingrediatur. Undè manifestus error est, credere quòd quis in curru in cælum evehi possit. Christus *posuit nubem ascensum suum*, quæ ex exhalationibus frigidisque vaporibus componitur, atque à ventis agitatur; ut exindè intelligamus, quòd *oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Quantò magis idipsum nobis conveniet, si ipsum in cœlos usque sequi velimus? Denique dici potest Christum sibi pro ascensu suo nubem elegisse; servo autem suo currum indulgere voluisse, ut per hoc nobis innueret, se in Passione sua multis doloribus & tormentis confectum, proque nobis mortuum fuisse, ut cum tanta majori facilitate gloriam nobis comparare, &, ut ita dicam, curru quasi vecti æternam patriam ingredi valeamus.

De Angelorum in monte Oliveti comparitione; deque verbis: *Viri Galilæi*, &c. quæ Angeli Apostolis dixerunt.

DISCURSUS OCTAVUS.

Ecce duo viri astiterunt juxta illos, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum? Act. Apost. cap. 1.

1 CHristus Redemptor noster æterni Patris dexteram vix occuparat, cùm ecce duo spiritus Angelici in humana specie in montem Oliveti descenderunt: *Ecce duo viri*; idque an ut Apostolos consolarentur, an verò ut eosdem reprehenderent, nescio. *Crediderim hos Angelos* (inquit Cajetanus) *adstitisse non in terra, sed in aere, ut à tanta turba possent simul audiri: non intelligo ambos locutos, sed alterum utriusque nomine.* Sanctus Bernardinus duo à Venerabili Beda expressa motiva adducit, quibus ipse tertium adjungit, rationes, ob quas hi aligeri nuntii cœlitùs expediti fuerint, adducendo. *Primo, ut tristitiam, quam de Christi ascendentis absentatione conceperant, sui reditus commemoratione lætificaret.* Ac proindè Abulensis dicit, illos candidis vestibus indutos comparuisse *quoniam color iste docebat lætitiam ascendentis Redemptoris nostri.* Eandemque Apostolorum cordibus imprimere studuerunt; undè *reversi sunt cum gaudio magno in Jerusalem.* Secundùm comparitionis Angelorum motivum fuit, *ut Christum verè in cælum ire demonstrarent, & non quasi in cœlum, sicut Eliam.* Quam eandem considerationem Cajetanus super illa verba: *Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cœlum*, habuit, dum ait: *Ecce testimonium Angelicum contestans supplendo quod discipuli non viderunt, scilicet Jesum pertransisse cœlum, Tertiò, potest addi,* (inquit S. Bernardinus) *ut Apostolos ab ulteriori aspectu, & à stando illic revocarent, & ad loca sua redire facerent*; ipsi etenim in monte suspensi hærebant, nescientes, vel potiùs non reflectentes ad id, quod ipsis exequendum erat, adeoque hærebant perplexi & ambigui, an Christus reversurus, an verò in cœlis perpetuò mansurus illuc ascendisset. Hugo Cardinalis super illa verba: *Quid statis?* Ita scribit: *Prius dictum erat: Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto; sed hic stant in cœlum aspicientes, quasi subito reversurum sperarent; quasi dicant: non videbitis eum modo, quia non est vir in domo sua, abiit via longinqua, ideo non redibit cito, sacculum pecuniæ secum tulit, corpus & animam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi.*

In Act. Apost.
To. 3. ser. 1. de Ascens. ar. 3. cap. 3.
Parad. 3. c. 16.
In Act. Apost.
In Act. Apost.
Luc. 24. 29.

2 Verùm enim verò quoddam hìc subnascitur dubium, cur scilicet beati hi spiritus tantopere fuerint Apostolos demirati, eosque reprehenderint, eò quòd oculis in cælum defixis suspensi hærerent: *Quid statis aspicientes in cælum?* Quid enim pro illo temporis momento præcipuè, convenientius aut rationabilius fieri ab illis poterat, quàm quòd non solùm cordibus, verùm etiam oculis in cœlestem illam patriam defixis suspensi hærerent? *Potuerunt simul Apostoli respondere:* (inquit S. Bernardinus) *Quid habemus respicere in cœlum? nonne ipsum continet thesaurum nostrum Jesum Christum, qui cor nostrum rapuit, nos hic sine corde relinquens? non possumus ergo de cætero nisi cum Jesu in cælestibus commorari: & nobis licet cœlum intueri, non terram: vestra autem charitatis miramur fervorem, quomodo admittentes Regem vestrum ascendere, ad nos placuit advenire, sed nuntiate dilecto nostro, quia amore ejus languemus.*

3 Enimverò si Apostolis patrocinari velimus, aptissimè eo uti possumus, quod in vita S. Martini Episcopi Turonensis, viri adeo præclari, ut Apostolis compar habeatur, legimus, hic enim cùm supinus jacens, commodiorem corporis sui situm in straro suo captare moneretur, respondit: *Sinite cœlum potius quam terram aspicere ut suo jam itinere, iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Etenim quemlibet ex hisce Ascensionem Christi spectantibus discipulis idem respondere potuisse videbatur, quod sanctus Martinus responderat; quia ex quo amantissimus & prædilectus pater ipsorum Christus Dominus ab ipsis in cœlum abreptus fuerat, justum utique erat ut mentes pariter & oculos suos versus illum & cœlos eveherent, idque tantò magis, quod idemmet Dominus noster aliàs ipsis dixerat: *Qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum illic & minister meus erit.* Ac proindè cùm illum corporis gressibus prosequi minimè potuerint, quid mirum si ipsum usque & usque suis prosequantur in cœlum defixis oculis? Veruntamen videndum nobis erit Angelos rationabili motivo ductos illis condoluisse.

4 *Quid statis aspicientes in cœlum?* Quamnam obsecro habebant ex Christi in cœlos Ascensione admirandi occasionem? Dionysius Carthusianus inquit: *Ac si dicant. Cur tantum miramini, quod Dominus universorum, creator cœlorum, Unigenitus Dei, Salvator mundi cœlos ascendit? Potius admiretur mens vestra quod ad terram descendere, incarnari, cum hominibus conversari, crucifigi & mori dignatus est.* Porrò variis ex capitibus considerabile est verbum istud: *Statis*; memorandum enim, quòd ut in currenti Evangelio legimus, paulò ante discipulos ad prædicandum per totum mundum dispergi & distribui præceperit; *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Porrò Christus pro hominum salute è cœlis descenderat; hodie pro eorundem salute ad cœlum ei aperiendum in cœlum denuo ascenderat; quia vero dixerat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* & hoc Sacramentum ab illis ministrari debebat, ideo Angeli Apostolorum in hujus præcepti adimpletione tardationem

Serm. in Epist. Ascens.

fiem & lentam moram conspicientes, eos reprehende-
runt dicendo: *Quid hic statis?* Nulla est interponenda
mora aut tardatio, ubi salvandarum animarum tracta-
Orat. de tur negotium. Undè S. Athanasius ait: *Quid statis su-*
Ascens. *spicientes in cœlum? quid statis? mundo miraculum hoc*
prædicate & perfectionem adventus ejus. Salmeron addit
Tom. 2. mentem quoque Angelorum fuisse Apostolos ob tempus
Tract. 36. inutiliter sic stando deperditum & collocatum reprehen-
dere. *Quid statis sine fructu aspiciendo regnum, quod non*
nisi à violentia rapitur? Enimverò Salvator noster dixerat:
Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in re-
gnum cœlorum; sed qui fecerit voluntatem Patris mei qui
in cœlis est. Etenim oculos in paradisum defixos tenere,
pigrasque manus inter se convolvere non sufficit; ope-
rari insuper, & cum effræni appetituum nostrorum tur-
ba dimicare, eosque vincere oportet. *Via cœlorum patet*
Con. 2. de (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *jama paradisi aper-*
Ascens. *ta est, quid ergò statis? tanta vos gloria manet, & statis?*
tantum vobis præmium repositum est, & hæretis? cœlis
vobis corona promittitur, & desidiosè pugnatis? Adhæc
valdè ipsorum negligentiam, inquit S. Archiepiscopus,
cœli ipsius aspectus aggravat: *Quod gravius est, aspi-*
cientes in cœlum; aspicitis, inquam, & contemnitis, vi-
detis & negligitis? si non atique videretis, levior esset cul-
pa: at modò quia videtis & aspicitis peccatum vestrum
manet. Hanc, inquam, ex Apostolorum reprehensione
moralitatem sanctus hic Archipræsul velut peculiare
quoddam tepidorum, & in via Dei inertium Christiano-
rum calcar utilissimè elicit. Jacob Patriarcha ex habita
illa cœli aperti visione confestim expavit: *Quam terri-*
bilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & por-
Gen. 28. 17. *ta cœli.* Diceret hic aliquis, videbatur sanctum hunc
Patriarcham ex adeo gloriosa visione potiùs affectus ju-
bili & exultationis, quàm timoris concipere debuisse.
Verùm facilis ad id est responsio: Jacob enim cernens
& accurate considerans quòd ipsimet etiam Angeli, mox
ut apertum fuit cœlum, ascenderent atque descenderent,
ipse verò contrà dormiret, de hac sua somnolentia &
pigritia vehementissimè intra semetipsum dolere cœpit;
quotiescunque enim de gloria comparanda agitur, obser-
vandum est ad id, quod Ecclesia dicit: *Non sit vobis va-*
num manè surgere ante lucem; quia promisit Dominus coro-
nam vigilantibus.

5. *Viri Galilæi.* Hoc nomine cœlestis curiæ aulici sanctos
appellant Apostolos, idque, ut ait S. Bernardinus: *Quasi*
dicant: Vos de transmigratione Christi in cœlum, velut Gali-
læi hoc est transmigrantes, & transmigraturi, mirari non
deberetis. Sed quid opus erat illos hoc nomine compellare,
cur non potiùs illos vocat Apostolos, aut alio eos titu-
lo insignit? *O Galilæi, o viatores, o peregrini* (inquit S.
Thomas.) *Galilæi*, idem est, *quod transmigrantes. An*
nescitis quia Galilæi estis? an ignoratis quia ex præsenti
sæculo quam citissimè transmigrabitis? quid ergo statis?
quid hæretis? hujus namque vitæ nostræ brevitas & æter-
nitas futuræ merito velut efficacia lateribus nostris adhi-
bita calcaria nos excitare deberet. *Quid dicam vobis, o*
desides, o pigri, o inertes! o labor modicus & sempiterna
lætitia! pugna levis, & corona perpetua! o peregrini quid
statis? ex hoc vita vestra momento omnis æternitas vestra
dependet, & statis?

6. *Quid statis aspicientes in cœlum?* Sanctus etiam
Augustinus suum circa hæc verba sensum sequentibus
Q. Evang. exprimit. *Quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse ocu-*
2. q. 13. *los hominum usque in illud penetrare secretum, quo ibat*
Dominus? quodsi fortè Apostoli immensam beatæ illius
patriæ pulchritudinem? de qua ex ipsomet Christi ore
paulo antè intra quadraginta illos resurrectionem ejus
immediatè consequentes dies tanta tamque mirabilia au-
diverant: *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens*
Act. Ap. *de regno Dei*, videre cupiebant; Angeli eos id expectan-
cap. 1. do oleum & operam perdere commonebant, cùm veris-
simum semper sit, quod *oculus non vidit, nec auris audi-*
1. Cor. 2. 9. *vit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis,*
qui diligunt illum.

7. *Aspicientes in cœlum.* Multi quidem cœlum contem-
plantur, sed eo solùm fine, ut planetarum aspectum &
influxum considerent, vel ut bona indè ominentur au-
guria, aut futurarum rerum eventus ediscant. Apostoli
quoque à Christo paulò ante quàm ascenderet, instanter
Act. Ap. interrogarunt: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum*
1. 6. *Israel*; at verò sapientissimus Magister valdè providè &
circumspectè respondit, dicens: *Non est vestrum nosse*
tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.
S. Thomas ait: *Motus cœli dinumeras, & motus cordis*
ignoras? influentias astrorum discutis, & passionum tuarum
influentias non discernis? quantò tibi est facilior & utilior
scientia tui quàm cœli? quantò faciliùs in te deprehende-
re poteris ortus & occasus vitiorum, quàm in cœlo ortus
& occasus signorum? tandemque idem Sanctus morali-
tatem quandam adducit præsenti proposito nostro longè
utilissimam dicens: *Quantò sapientius ageres, si ex as-*
pectu morum tuorum, futuræ tuæ beatitudinis, & damna-
tionis indicia percipias quàm ex aspectu astrorum de fu-
tura tibi prosperitate, vel adversitate vana & mendacia ju-
dicia proferas? considerare insuper possumus, quod ad-
huc ut liberum in cœlos aditum habere mereamur, eo
modo nostra sint regulanda & dirigenda opera, ut divi-
næ sint legi penitùs conformia; quod quidem ut felici-
ter assequamur, necessarium non est, ut astrologiæ ju-
diciariæ studeamus, quin potiùs seriæ meditationis ocu-
los in illud, quòd Deus circa nos facturus est judicium,
est dirigendus; de quo Angeli dixerunt: *Sic veniet quemad-*
modum vidistis eum ascendentem.

8. Alia quædam, quam ex hac Angelorum reprehensio-
ne elicere possumus, moralitas in prima Concione, quam
idem S. Thomas in hac solemnitate habuit, hisce ver-
bis describitur: *Ecce dux vester & Dominus coram vobis*
pendens iter ascendit; vos post illum properate; quid sta-
tis? quanta illum omnis sexus, ætatis & conditionis mul-
tum caterva insequitur? quam alacres post eum in odorem
unguentorum suorum teneræ etiam virgines & delicati pue-
ri percurrunt? & vos statis? vos sedetis: Considera quan-
tò sit fortunatior & melior conditio nostra hisce tempo-
ribus, in quibus non per enses, feras, ignem, vel alia si-
milia supplicia ad cœlum evocamur: *Non equuleis & tor-*
mentis, sed vita modestia, animique continentia possideri
non ignoratis; vos o Galilæi, o Christiani quid statis?

De quibusdam Ascensionis prodigiis, ob quæ eadem à sancta matre Ecclesia admirabilis appellatur.

DISCURSUS NONUS.

Quid admiramini aspicientes in cœlum? Act. c. 1.

1. SAncta mater Ecclesia verbis præcitatis, ex Acti-
bus Apostolicis potissimum desumptis, in Mis-
sæ Introitu utitur; ibi namque dicitur: *Quid statis aspi-*
cientes in cœlum? observandum est autem quod inter om-
nia alia vitæ Christi mysteria, quæ cuncta admiranda
fuerunt, solum Ascensionis mysterium hunc sibi specia-
liter vendicarit titulum, ut admirabile appelletur: *Per*
sanctam Resurrectionem tuam: per adventum Spiritus san-
cti paracliti: per Nativitatem tuam: per mortem & sepul-
turam tuam, de hodierno solùm mysterio dicitur. *Per ad-*
mirabilem Ascensionem tuam; ac proindè hoc discursu my-
sterii hujus mirabilia accuratiùs nonnihil ponderemus.

Admirabilem Ascensionem. Psalmista quondam ceci- Psal. 8. v. 2.
nit, dicens. *Domine Dominus noster, quam admirabile*
est nomen tuum in universa terra! Tandem verò hujusce
admirationis causam expositurus subjungit: *Quoniam*
elevata est magnificentia tua super cœlos. Ubi Rupertus To. 2. tr. 3.
Abbas Tuitiensis ait: *Hæc est admiratio illa, qua longè* c. 2. in Apoc.
antè attonitus in spiritu Psalmista dicebat: Domine Do-
minus noster, quam admirabile, &c. Imò ipsimet An-
geli in altissimum stuporem absorbebantur, prouti in
Isaia scribitur: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis* Isa. 63. 1.
vestibus de Bosra: Unde B. Laurentius Justinianus ait:
Ascendit hodie nonnullis ex beatis Spiritibus mirantibus,
atque dicentibus: Quis est iste qui venit de Edom tinctis
vestibus de Bosra? formosus in stola, gradiens in multi-
tudine virtutis suæ? Mirabantur non modicum, quonam
modo humana natura delicto primorum parentum depra-
vata, vulnerata, ac de cœlorum exulans regione, illuc
tanto cum honore conscenderet. Admiratus est pariter
Propheta regius eorundem Angelicorum spirituum stu- Ps. 23. 7.
porem, qui eum in cœlos introducentes, sese mutuo
summa cum admiratione interrogabant, dicentes:
Quis est iste Rex gloriæ? Attollite portas principes vestras,
& elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis

Hom. 1. de Ascens.

est iste Rex gloriæ? Non tam admirantes Angeli, quàm stupentes (inquit Eusebius Emissenus) *& ad magnitudinem novitatis attoniti peregrinam inferri substantiam in stationum suarum excelsa suspiciunt. & ideo honorabilem ad cœlos hominem triumphali agmine comitantes, quasi cum exclamatione admirationis interrogant: Quis est iste Rex gloriæ?*

3. *Admirabilem Ascensionem.* Pro nobis quidem & ad nostrum commodum creatum erat cœlum empyreum: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Veruntamen quinquies milleni & ampliùs anni effluxerant, à quibus nullam unquam animam creatam intra se susceperant, erantque soli spiritus Angelici beati regni illius incolæ; ac proindè haud dubiè magna in cœlis excitata est admiratio, quando natura & caro nostra cœlum primitùs ingressa fuit. S. Cyprianus ait: *Carnem cœlo intulis.* Salvatoe nostee fragile hoc naturæ nostræ lutum cœlo intulit, illudque non solùm æquali cum spiritibus Angelicis gloria sublimavit; verùm etiam in aliquam cum Deo æqualitatem evexit: *Sedet a dextris Dei. Ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut nos divinitatis suæ tribueret esse participes.* Verum enimverò quod longè excellentius est, parem cum sanctissima Triade sessionem habere. Goffridus Abbas ait: *Hodierna die homo in Deo cælos ascendit, & Deus in homine.* Quis non obstupescat videndo quòd homo hac terra vestitus in cœlum evolet, haud secus ac si purus spiritus esset. *Quid difficilius* (inquit sanctus Gregorius) *quàm homini in terra edito, terrena & fragilia membra gestanti, cælorum alta conscendere, supernorum spirituum arcana penetrare?* In mundi hujus creatione terra collocata fuit velut ingentis machinæ illius centrum, adeoque hæc locum inter omnia alia elementa infimum obtinet; verùm quis stupor, quæ admiratio est illa, quòd hodie terra illa, cui ab ipsomet Deo dictum est: *Pulvis es*; quæque per os Jeremiæ Prophetæ sæpiùs *Terra, Terra, Terra* nominata fuit, nihilominùs non solùm super omnia alia elementa, verum etiam super omnes cœlos in eminentissimam usque cœli empyrei partem subvehatur? Equidem primitùs videri poterat interrogatio quædam valdè temeraria, qua quæritur, in quanam parte terra cœlo altior existat; & tamen revera interogatio mystica fuit, prouti ex dato ad eandem responso clariùs colligitur. Responsum etenim fuit, in cœlo empyreo id videri, ubi sacratissima illa Christi humanitas, quæ de hac communi massa desumpta fuit, super omnes cœlus evecta cernitur: *Hodie stupenda novitate* (inquit Eusebius Emissenus) *super, cœlestes thronos terrenum corpus imponitur, limus carnis humanæ, quid Deum portaverat in terra in supernas sedes Deo subvehente portatur; divinis humana miscentur, cœlestibus terrena sociantur.*

Serm. de Ascens.

Serm. de Ascens.

Lib. 24. Mor. c. 8.

Hom. 1. de Ascens.

4. *Admirabilem Ascensionem.* Homo, qui ob prothoparentum transgressionem condemnatus fuerat ad infernum, ecce hodie in sublimissimo paradisi throno collocatur, homo morti subjectus & adjudicatus sinum ingreditur æternitatis. *Super excelsa cœli* (inquit Eusebius Emissenus) *terrenum corpus imponitur ossa, intra sepulchri angustias paulo antè conclusa, Angelorum cœtibus inferuntur; in gremium immortalitatis mortalis natura transfunditur.* Verùm enimvero id quod maximam admirationem parit, est, quòd hodie homo cum ipsomet Deo de æqualitate certare quasi conspiciatur. *Homo minor Angelis antea factus fuerat,* (inquit Goffredus Abbas) *sed gloria & honore postea coronatus, constitutus est super omnia quæ Deus fecerat: homo siquidem Angelos, Archangelos, Thronus, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes cœlorum, Cherubin & Seraphim sua magnitudine superat, & eis imperat.* Verùm adhuc modicum nimis dixi; siquidem, ut jam diximus, *Sedet a dextris Dei.* Undè idem Pater prosequitur dicendo: *Homo in Dei Filio collocatus in cœlo, in sede majestatis divinæ. O mirabilem exaltationem!* (exclamat sanctus Thomas de Villa-Nova) *o eximiam generis nostri gloriam? ut homo Angelis præsideat, mundum regat, omnibus imperet, & cuncta disponat; frater, inquam, noster & caro nostra in cœlo & in terra dominatur & regnat.*

Hom. 2. de Ascens.

Serm. de Ascens.

Conc. 2 de Ascens.

5. *Admirabilem Ascensionem.* Duæ Christo ascendenti naturæ insunt, natura scilicet humana & natura divina. *Aequalis Patri* (inquit S. Athanasius in Symbolo) *secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Utri autem ex hisce duabus naturis Ascensio adscribenda venit, quæ adeo admirabilis est atque stupenda tanquam Deus ab æterni Patris sui sinu nunquam descendit: *Unigenitus qui est in sinu Patris*; tanquam homo autem cum hisce mortalitatis exuviis ponderosis indutus sit, quomodo in cœlum evolare, atque parem cum Deo sessionem occupare potuit? S. Thomas de Villa-Nova in prima Concione ita scribit: *Sicut corpus in cineres redactum vivificari rursus, & ad auras vitales redire mundo impossibile videbatur; ita etiam carnem & ossa super astra locari, & rationi & philosophiæ, & totius naturæ ordini adversum & dissonum penitus apparebat.* Nullum simile dubium in aliis vitæ Christi mysteriis sese prodit; nam si fatigatur, si jejunet, si ploret, hæc omnia à natura nostra derivari manifestè constat; si peccata dimittat, si mortuos ad vitam revocet, idipsum naturæ tribuendum est divinæ: at verò quid de admirabili ejus in cœlus Ascensione dicemus? num fortè ad cœlum quà Deus ascendit? sed obstare videtur quod de semetipso ait. *Cœlum & terram ego impleo. Dominus in cœlo sedes ejus.* An verò quà homo ad cœlos ascendisse dicetur? majorem id difficultatem in se continet; nam quomodo lutum istud, illa corporis nostri terra in cœlum super Seraphinos elevari potuit? *De nostro fuit, quod Filius Dei pependit* (inquit Sanctus Augustinus) *in Cruce, sed de suo ascendit.*

Joan. 1. 18.

Cit. in gl. in c. 1 Act. Apost.

6. *Admirabilem Ascensionem.* In unico momento à monte Oliveti ad dexteram Patris ascendit. Salmeron Astrologorum calculum adducit, qui tantam abhinc ad octavam usque sphæram intercedere dicunt distantiam, ut si esset qui per octo annorum millia sursum semper procederet, ad firmamentum intereà temporis pertingere nequaquam posset, ab hac autem sphæra ad cœlum usque empyreum alia major reperitur distantia. Sumpto enim calculo, fac computum supponendo quòd concavum firmamenti à terra octoginta milliarium millionibus distet, & tantundem spatii computetur à concavo illius ad ejusdem convexum: quòdque super firmamento positum sit cœlum crystallinum; huic autem superimmineat cœlum empyreum, quod vastitatis est infinitæ: & tamen totum hoc infinitum spatium à terra ad cœlum empyreum usque sacratissima Christi humanitas in unico momento & ictu oculi pertransiit, prouti paulò antè contestati sunt Angeli dicentes: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis.*

To. 11. tr. 36.

Corn. à Lap. in Act. Ap. cap. 1.

7. *Admirabilem Ascensionem.* Magnam meretur reflexionem, quod S. Bernardinus de devotissima illa processione scribit, quam Christus è cœnaculo Sionis ad montem Oliveti præsentibus circiter centum viginti hominibus instituit, in qua primi Ecclesiasticæ hierarchiæ cardines aderant, nimirum sanctissima Mater ejus cum aliis sanctis Mariis, Apostoli quoque & discipuli omnes, & viæ Bethaniæ insistens in montem usque Olivetis eos perduxit. Super omnia autem admiratione prosequitur comitatum illum & obsequium, quod Salvatori deferebatur, licèt oculis humanis invisibile tot videlicet animarum, quas è lymbi nexibus exemerat, tot Prophetarum, Patriarcharum, omniumque aliorum, qui per legis naturæ & Mosaicæ universalem decursum salvati fuerunt, & præter hoc illum conlectabantur Angelicorum spirituum hierarchiæ, quæ ut gloriosiorem redderent illius triumphum è paradiso ei occurrerunt. *Adest itaque dilectus Jesus medius inter has duas turmas utrasque in seipso invicem mirando amore connectens; in baculo namque suo sanctissimæ Crucis pertransiens Jordanem nostræ mortalitatis, nunc cum his sanctissimis turmis: una in se transformata per gratiam, quam ad tempus relinquebat in terris; altera in seipso glorificata vel beatificata per gloriam, quam ad suæ Ascensionis societatem adducebat, ad cœlus reversus erat.* Notandum est autem, Apostolos, discipulos, omnesque alios admirandi hujus triumphi spectatores post hanc processionem absolutam, & Ascensione peracta, solito ferventiores ad persolvendas debitas divinæ suæ majestati laudes protinùs fuisse congregatos. *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum,* inquit S. Lucas; ac statim subjungit: *Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Enimverò ut sancta mater Ecclesia fidelium suorum animos ad ingens & præclarum hoc mysterium celebrandum tantò melius disponat, ideo in triduo Ascensionem Domini præcedente tres instituit processiones solemnes, in quibus Salvatori nostro preces porrigit affectuosissimas. Venerabilis Beda, id quod Apostoli fecerunt, considerans, nos quoque ad eorum exemplum consectandum hisce verbis excitare satagit: *Sit etiam quotidia-*

To. 3. ser. 5. ar. 1. c. 3. de Asc.

Luc. ult.

In Luc.

diana & nos illius etiam mereamur benedictione sublimari, si quotidie triumphalis illius in cœlum Ascensionis memores, laudantes & benedicentes Deum in Jerusalem, id est in superna pacis sperat jamjamque at desiderata visione quiescimus, similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptiis.

Christi humiliatio, exaltationis suæ causa extitit.

DISCURSUS DECIMUS.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis. Joan. cap. 3. v. 17.

1. IN celeberrimo illo Catechismo, quo incarnata Dei Sapientia Nicodemum synagogæ principem erudivit, hanc eidem proposuit protestationem: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis.* Quæ propositio prima facie à posteriori, veritati minimè consona esse videtur; quia ut Doctor Angelicus ait: *Nonne Paulus, & Petrus, & alii Sancti ascenderunt?* Nunquid Christus, qui infallibilis & æterna veritas est, ipsemet promisit: *Ubi ego sum illic & minister meus erit? Si abiero, preparabo vobis locum?* Respondet tamen S. Thomas verissimum esse, quod *nemo ascendit in cœlum, nisi Christus*; subjungit autem simul *& membra sua*. Qui autem sunt hæc Christi membra? *Justi, Fideles*. S. Augustinus à B. Bonaventura citatus ait: *Propterea ille descendit, ut in illo & cum illo unum essent, qui per illum ascensuri essent*. Hugo autem Cardinalis ita exponit, quasi Redemptor noster dicere voluisset, causam, ob quam ad eterni Patris dexteram sublimatus fuit, hanc unicam esse, quia nimirum ex ejusdem sinu descenderat, ut fragili hac nostra humanitatis veste contegeretur. *Nemo ascendis in cœlum, id est, exaltatus fuit tantum ut esset naturaliter in dextera Dei sedentis in cœlo: Nisi qui descendit, id est, de sinu Patris abscondito descendit, in carne assumpta visibiliter apparendo*. Quomodo enim magis se abjicere posset, quàm luto hoc nostro sese vestiendo? *Formam servi accipiens*, adeo ut ille infinitæ majestatis & magnificentiæ Deus dicere potuerit. *Ego autem sum vermis. In hoc datur nobis forma ascendendi in cœlum* (inquit Hugo Cardinalis) *videlicet descendendo*. Adhæc observandum est, quod Christus immediatè post factam gloriosæ Ascensionis suæ mentionem, suæ quoque passionis ignominiam & humilitatem subjunxerit, qua mediante ad throni sublimitatem & celsitudinem subvehendus esset: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis*; id quod de sua in Cruce facta elevatione intelligitur, à qua omnis ejus derivatur exaltatio. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Insuper tritum quoque est alterum illud patitet S. Pauli testimonium, quod dicit Apostolus: *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, quæ terminus ad quem Ascensionis fuit; siquidem *assumptus est in cœlum, & sedet a dextris Dei*. Observandum est autem, quod non sine mysterio ex monte Oliveti cum tanta gloria ascendere elegerit; siquidem ibi principium dedit probrosæ mortis suæ agoniæ; ibidemque à carnificibus & lictoribus velut infamis quidam malefactor captus & vinctus est. Sanctus Cyprianus postquam perspicacissimum intellectum suum in illam adeo gloriosam Ascensionem suam defixisset, dixit: *Hæc merces obedientia Christi, hæc crucis & mortis stipendia*. Ex eoque mysterio factum est, quod Angeli Christum victorem in triumpho hodierno cruentum & sangine conspersum viderint, ajentes: *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Valdè quoque considerabilis est & mystica hora illa, qua in cœlum ascendere voluit, nimirum post sumptum prandium, adeoque post meridiem; nam *Recumbentibus illis apparuit*, & paulò post concesserunt ad montem; mystica, inquam, hora illa fuit, quia paucas ante septimanas eademmet hora in monte Calvariæ è patibulo Crucis pendulus in duorum latronum medio expiravit, ideoque eodemmet tempore tanta cum gloria & majestate, necnon tot animarum sanctarum, spirituumque Angelicorum obsequioso comitatu stipatus ascendere elegit. Similiter in hoc eodem proposito celebris admodum est textus ille S. Pauli ad Ephesios, in quo dicitur: *Quod autem ascendit quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cœlos*. Nam S. Thomas in hujus loci explicatione distinguit: vel enim per *inferiores partes terræ*: terra à nobis inhabitata intelligitur & hoc Filius Dei descendit *non motu locali, sed assumptione inferioris & terrenæ naturæ*; vel per illas terræ partes sinus Abrahæ intelligitur, in quem anima Christi descendit, ut inibi vinctos & compeditos liberaret & utroque modo admodum se profundè demisit. *Quod autem ascendit* (inquit Hugo Cardinalis) *quid est, id est, quæ causa est, nisi ista scilicet, quia descendit? ecce ordo; si vis ascendere, descende*. Quotidiana nos experientia docet, quòd aqua, utpotè elementum deorsum vergens, etiam adversante natura sursum resileat; licèt ad eandemmet proportionem, qua descendit, adeo ut tantundem sursum saliat, quantum deorsum descendit, & nihil ampliùs: atque ideo eodem modo verè nos dicere possumus, Filium Dei hic in terris humiliùs descendere, aut humiliari non potuisse; siquidem sursum versus altiùs aut sublimius ascendere nequivit, quàm sedendo ad dexteram Dei Patris. Et hæc fortè causa fuit, cur Spiritus sanctus per os Davidis de opprobriis in morte sua perpessis loquens hæc ori Christi verba inseruerit. *Sicut aqua effusus sum, aruit tanquam testa virtus mea; circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me; foderunt manus meas & pedes meos*; in iis namque perspicuè videtur, eum de passione ejus disserere; hæc autem aqua *salta est fons aquæ salientis in vitam æternam*; id est, quantum opprobrium sustinuit, tantundem gloriæ redundavit: *Propter quod & Deus exaltavit illum. Excelsior cœlis factus*. Cur autem in die Ascensionis super omnes cœlos ascendit? nimirum quia in eademmet hora *descendit ad inferos*. Quantum descendit, tantundem ascendit. Unde Theophylactus ait: *Descendit ad infimas partes, postquam non est aliud quid*. Nihil supererat infimus, ad quod usque humiliari poterat, atque ideo conveniens erat, ut elevandus sursum. *Ascenderet super omnia* (inquit idem purpuratus author) *ultra quæ non sunt alia*; neque enim altiùs ascendere poterat. *Nec ante ascendit* (inquit Tertullianus) *in sublimiora cœlorum, quam descendit in inferiora terrarum*. S. Athanasius Christum ad dexteram Patris collocatum esse dicit, ut supremus cœli terræque judex agnosceretur. Ideoque Angeli dixerunt: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum*. Dicit itaque Sanctus: *Qui paulo antè sub Pilato judicabatur, hodie in cœlo judex solium occupat: cujus Judaicis spinis caput coronatum, is divina dignitatis diademate cingitur*. Salmeron ex illis verbis suprà in alio quodam discursu ponderatis· *Sedes a dextris Dei*, hoc in Christum ex humilitate sua redundantis gloriæ argumentum elicit: *Quatenus homo, Dominus omnium significatur; servi enim stant, Domini sedent, dum enim vixit, tanquam minister stetit Dominus; at in cœlo sedet tanquam Dominus in dextera Patris* S. Joannes Damascenus circa hoc mysterium breve quoddam instituit capitulum è quo ad præsens propositum nostrum pauca quidem, attamen valdè significantia verba deserviunt: *Te qui usque ad extremum terræ descendisti, hominique salutem attulisti, ac per tuum ascensum eundem in altum extulisti, celebramus*. Enimverò non solus ipse ascendit, verum & nos super cœlos extulit, regni sui nos participes efficiendo. Etenim S. Bonaventura præ omnibus aliis exaltationem Christi ejus humiliationis attribuit: *Meritò super omnes est exaltatus, qui fuit super omnes vilificatus*. Pro cujus majori evidentia S. Thomas pulchro ordine inter se comparat Filii Dei dignitatem, & Passionis ejus ignominiam, dum ait: *Quanta majestas! sed semetipsum exinanivit formam servi sui accipiens: quanta humilitas! sed usque ad quid? usque ad formam servi, usque ad alapas, usque ad irrisiones, usque ad flagella, usque ad mortem Crucis; o descensum maximum! o profundissimam humiliationem! audi nunc similem & correspondentem à justo Deo exaltationem, Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit; &c. Ecce quomodo descendit; ecce quomodo ascendit: eisdem enim gradibus, quibus descenderat, rursus ascendit*. Considera autem tres gradus, quibus

Joan. 12. 26. Joan. 14. 3. — Ps. 21. 17. — Joan. 3. 14. — Hebr. 2. — Philip. 2. — De Ascen. — Isa. 63. 1. — Ephes. 4. 8. — Psal. 21. 17 — Hebr. 7. — Lib. de Anima c. 55. — Orat. de Ascens. — Tom 11. Tract. 35. — De Ascen. — Serm. 3. de Ascens. — Conc. 3. de Ascens.

descendit, modo sequenti: *Tribus gradibus Filius Dei descenderat, scilicet usque ad formam servi, usque ad passionem, usque ad mortem: & per eosdem ascendit.* Quia inter nos servus factus est, exaltatus est, tanquam supremus quidam Monarcha super omnes creaturas, juxta illud: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Quia iniquam a Pilato tulit sententiam, ideo judiciaria potestas et in retributionem collata fuisse noscitur. Quia in Crucem pro universali omnium salute mortuus est, ideo omnibus immortalitatem meruit & æternitatem. *Inde*
Con. 2.
exaltatus (concludit B. Thomas) *unde prius fuerat humiliatus.* Sanctus Bernardinus in sermone quodam de præsenti festivitate, devotè meditatur, quòd quia Filius Dei ex parte naturæ divinæ nil habebat, unde posset humiliari, ideo naturam assumpserat humanam: demum verò viam & methodum ad cœlum perveniendi semetipsum præscripserit: *Vade & tu fac similiter; neque enim ascendere potes, nisi descenderis, quia æterna lege fixum est: Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. O perversitas & abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit ipsi & leviter ascendunt, & difficilius descendunt, parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis etiam Angelicis humeris*
Conc. 2. de Ascens.
formidandos. Quid enim (inquit idem S. Thomas) *per humilitatem Christus sublimatus est in gloriam suam, & tu per superbiam exaltaberis in alienam?* Et paulo post: *Non per dignitatis, sed per virtutis & humilitatis gradus est ascensus in cœlum.* Eadem reprehensione hodie ambitiosos aggreditur Eusebius Emissenus, dum ait: *Cum*
Hom. 1. de Ascens.
humilitatis magistro non ascendit superbia. Et Hugo Cardinalis in eodem sensu loquitur dicens: *Sic oportebat Christum descendere, ut nos ascendere doceremur; cupidi siquidem sumus ascensionis, exaltari cupimus omnes nobiles enim creaturæ sumus: sed væ nobis, si voluerimus sequi eum, qui ait: Sedebo in monte testamenti. Hunc sequuntur quibus dominandi libido dominatur: iste est mons quem ascendit Angelus & diabolus factus est.*

Observandum est igitur, quod in Ascensione Christi ejus humilitas vel maximè eluxerit; siquidem in innumerabilis populi conspectu, tempore Paschali, in facie universæ Hierosolymæ, in duorum latronum medio visibiliter crucifigi voluit; & tamen dum in cœlum ascendit, nonnisi pauculos, id est, centum viginti homines, extra mœnia Jerosolymitana in loco solitario, nec passim obvio ascendere voluit, adhibito tamen immenso animarum & spirituum beatorum comitatu, licèt is humanis esset oculis invisibilis. Ex qua observatione Sal-
Tract. 38.
meron sequens elicit documentum: *Quo nos doceret, ut solo conscientiæ testimonio contenti simus, quæ magna est gloria & solida, atque ut mundi gloriam negligamus.* Ad præsens quoque propositum de hac modestia & humilitate Christi Didacus Stella optimè scripsit: *Gloriosissimam*
In Luc.
Ascensionem & tam mirabilem, & gaudium discipulorum, Matrisque ejus sanctissimæ, videntis Christum ascendere tanta majestate, & Angelorum apparitionem significare volens (S. Lucas nimirum) *inquit: Recessit ab eis, & ferebatur.* E contra verò quando de ejus passione & morte agendum erat, Evangelistæ nequaquam adeo succincti fuere, quin potius ex particulari impulsu Spiritus sancti omnia illius improperia accuratè descripserunt: *Quo quidem condemnatur nostra superbia & insolentia, qui cum de honore nostro ac laude agimus, verbis omnia obtundimus, & aliquando plus vero narramus: vitia autem nostra atque defectus tacemus, nec ullum verbum de eis esse volumus.*

Christus in cœlum ascendit, ut viam nobis pararet, nosque illuc invitatos ibidem præstolaretur.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Ascendit iter pandens ante eos. Mich. cap. 2. vers. 13.

Ser. 2. ar. 3. cap 2.
1. SAnctus Bernardinus inter alios Ascensionis Domini nostri effectus, hanc Michææ prophetiam ponderans, hunc quoque enumerat, quod scilicet viam cœli nobis non solum aperuerit, sed & demonstrarit; undè vocatur *via cælestis ostensio.* S. Leo in serm. 1. de hodierna festivitate & ipse hunc in modum scribit: *Quia Christi ascensio, nostra provectio est, & quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis, dignis dilectissimi exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur; hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus.* Sicut igitur Dei Filius in nostrum commodum & utilitatem de cœlo descenderat, inquit S. Thomas de Villa-Nova, ita quoque in nostrum ingens emolumentum eò denuo ascendere voluit: *Grandis itaque nobis utilitas ex Domini Salvatoris ascensu accrevit; nam qui propter nos quoque* Conc. 2. de Ascens.
descenderat, propter nos ascendere dignatus est; descendit propter justificationem nostram, ascendit propter glorificationem nostram, descendit ut præstaret salutem, ascendit ut pararet mansionem. Via cœli hactenus penitus ignota erat, quia post primam ejus creationem nullus unquam viam istam calcaverat. *Plusquam quinque millia annorum transierant* (inquit in sæculo quo vixit, Albertus Magnus) *quod nullus ascenderat in cœlum: unde* serm. 1. de Ascens.
quasi ignota erat via, & propter hoc oportuit, quod Dei Filius primus eam panderet, & notam faceret animabus electorum. Porrò sanctus Augustinus interrogat: *Quis est qui descendit?* respondet: *Deus homo. Quis est qui ascendit? idem ipse Deus homo.* Consequentia autem, quam ex hisce præmissis elicit, est, quod homo à Deo delatus sit in cœlum: *Quod pro se suscepit, levavit in cœlum, terrenumque corpus fecit cæleste: regnat homo jam susceptus a Christo ad dexteram Patris sedens, &* Lib. 4. de Symb. ad
ut sui ab illo regnum accipiant, invitat, hortatur; festinet ad eum omnis anima, quæ avida est gloriæ. Quis 4. Catech.
est qui nesciat quàm se Christus Deus noster avidum demonstrarit ad nos possessione cœli investiendos & donandos? Adumbratus est in pastore illo, qui relictis in deserto nonaginta novem ovibus, tantis cum laboribus, sudoribus & fatigationibus corporis ovem perditam, id est, naturam, per avia & devia perquisivit, inventamque humeris suis imponens planè lætus & festinus ad ovile perduxit: *Ingenti gaudio triumphans* Serm. de
(inquit sanctus Epiphanius *ovem humanæ naturæ humeris impositam Patri obtulit.* Et S. Joannes Damascenus ait: *Vagam naturam humeris tuis sublatam, o* Ascens. De Ascen.
Christe in cœlum ascendens Deo ac Patri obtulisti.

2. Porrò quemnam sibi Redemptor noster in hac sua ad cœlos Ascensione finem propositum habuerit, Ivo Carnotensis nos docet, dum ita scribit: *Hæc hujus solemnitatis est ratio, ut Christum ad dexteram Patris jam regnare credamus.* Quo autem fructu & utilitate nostra id factum sit deinceps declarat, dicens: *Et interim eum* De Ascen
quasi geminis virtutum alis, charitatis scilicet & spei subsequamur: ut cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum eo sine fine regnemus. Enimvero certum est, quod nos usque ad universalem corporum nostrorum resurrectionem cum Christo in glorificato corpore regnaturi minimè simus; interim ipse hodie in corpore glorioso in cœlum ascendere voluit, ut nos quoque gloriæ animæ, & suo etiam tempore gloriæ corporis participes efficeret. *Ascendit Christus,* (inquit Sanctus Bernardinus) *in cœlum scilicet, ut nos intromitteret in cor-* Tom. 3.
poralem possessionem regni cælorum, ut tam corpore quam serm. 2. de
anima glorificaremur in eo: nam Christi divinitas est Ascens ar.
gloria animarum; sic ejus humanitas est gloria corporum 3. cap. 1.
beatorum scilicet quoad objectum. Quando Angeli dixerunt: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum;* ex mente Sancti Bernardini *Per illud satis insinuant, quod sicut seipsum in cælum assumpsit, seu* Serm 1. ar.
a Patre assumptus erat; sic ad eos & omnes electos in cælum assumendos veniret, & una cum eis tanquam caput cum membris totus integer in cælum abiret. So- 3. cap. 3.
let quidem contra nostram in cœlos assumptionem ex illo loco Scripturæ: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis* talis fieri objectio: Si nemo ad cœlos ascendere potest, nisi qui indè descendit; quid igitur frustra ob id laboramus? *Si ita, Domine, quid frustra contendimus? quid frustra laboramus?* (ait S. Tho- Conc. 2. de
mas de Villa-Nova) *ut quid jejuniis, orationibus & lachrymis quotidie nos ipsos atterimus? væ Martyribus, væ* Ascens.
Virginibus, væ Anachoretis, & cæteris mundi contemptoribus! Hoc tamen dubium ipse cum S. Augustino hunc in modum resolvit: *Solus Filius Dei & hominis ingressurus est cælum, solus, inquam, & totus; an non cum illo manus pedes, brachia, & cætera ejus membra conscendent? Sumus nos, teste Apostolo, membra ejus viva, non omnes, sed*

qui

qui ei fide & charitate adhæsimus. Idemmet Augustinus, Serm. de Ascen. postquam hunc textum adduxisset, subjungit, nequaquam nobis diffidendum aut dubitandum esse, qui in cœlestem illam mansionem nostrum quoque pedem illaturi simus: *Hoc dictum est propter unitatem, quo caput est nostrum, & nos corpus ejus; cum ascendit in cœlum, nos ab illo non separamur, qui de cœlo descendit; non nobis invidet cœlum, sed quodammodo clamat, mei estote, si ascendere vultis in cœlum; in hoc ergo ipsi interim roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus, hoc meditemur in terra, quod computemur in cœlis.*

3 Enimvero verbis ad sufficientiam exprimere nemo valet, qualis fuerit Dei nostri solicitudo ad regnum suum nobis communicandum. Etenim se illud pro nobis creasse expressè protestatur, dum ait: *Possidete paratum vobis regnum*; nos quoque illud in oratione quotidiana indies postulare docuit: *Adveniat regnum tuum*; insuper voluit ut æternum Patrem suum nostrum quoque Patrem confidenter appellaremus, dicendo: *Pater noster qui es in cœlis*; ut hac ratione haud obscurè intelligeremus, sursum esse hæreditatem nostram in supernis, eoque nobis adspirandum esse; quia *si filii, & hæredes.* Atque ideo David
Ps. 26.4. dicebat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Postquam Christus coram Apostolis de suo ex hoc mundo recessu locutus fuisset, eosque propterea mœstos & conturbatos videret, eos protinus consolatus est dicendo: *Non turbetur*
Joan. 14. *cor vestrum; in domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum; & si abiero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum: & ubi sum ego, & vos sitis, & quo ego vado, scitis, & viam scitis.* Idemmet Salvator noster hanc pro nobis supplicam æterno Patri porrexit: *Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.*
Jo. 17. 24. S. Thomas de Villa-Nova considerans quod Christus expressè se ideo ascendere dixerit, ut nobis locum in cœlo pararet, exclamat: *Non vult regnare solus; omnibus no-*
Conc. 2. de Ascens. *bis regna paravit, expectat nos frater noster; dilectissimi, properemus, festinemus exire de carcere, & cœlestes cum illo divitias possidere.* Quodsi certo nobis constaret, quendam è fratribus nostris Regem factum nos summo cum desiderio expectare, ut una cum ipso regnaremus: nunquid alatis ad ipsum pedibus contenderemus pervenire? *Et nos tantam dignitatem & gloriam nobis paratam & promissam negligemus?* Idem S. Thomas in Concione tertia curiosum quoddam proponit dubium, cur videlicet Christus, qui eo fine in terram descendit, ut nos quoque in cœlum extolleret, hoc non obstante, postquam eo fine triginta tribus annis nobiscum commoratus fuisset, tandem nihilominùs sine nobis ascenderit? Num fortè mutata in gloriosa resurrectione facie sua, voluntatem pariter mutavit? aut omnimodam nostri memoriam deposuit? Minimè gentium. *Nunquid oblivisci potest mulier*
Isa. 48. 15. *infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui: Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui; ecce in manibus meis descripsi te, illasque vulnerum memores cicatrices in tui memoriam in meo corpore reservavi. Quid ergo bone Jesu? cur tam citò rediisti? cur sine nobis ascendisti? secura tibi gloria tua erat, cur non expectasti nos? Quantum solatii, quantum securitatis & gaudii ovibus tuis hæc tua præsentia contulisset!* Demum vero cœptum discursum prosequitur, ostendendo quod per ejus præsentiam fideles hoc commodum retulissent, quod scilicet persecutiones tyrannorum, supplicia, & quævis alia hujus vitæ adversa illis minimè graves futuræ fuissent: *Nihil tam durum, nihil tam acerbum, quod non tuo eloquio molliretur: Oves tuas, quas tanto pretio comparasti, inter atroces lupos relinquis, & tu ad cœlestia tutus migras? ubi pietas? ubi viscera illa charitatis flagrantia? haccine cura gregis? hæc solicitudo tuorum*, tandem vero conclusio, in qua totus hic sancti Archiepiscopi discursus terminatur in favorem nostrum cedit; dicit enim: *O verè magnum pietatis sacramentum, mirandumque divinæ dispositionis consilium! qui propter nos venerat, propter nos redit, nos illi adventus causa, nos causa regressus, sic utique nobis expediebat, sic oportebat ut citò rediret; natus propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram, ascendit propter glorificationem nostram.* In quorum omnium confirmationem illud adducit Davidis oraculum: *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti; & synagoga circumdabit te, & propter hanc in altum regredere;* vix etenim cœlos jam ascenderat, cum ecce Evangelium omni populo prædicatum fuit, omnesque gentes fidem Christi amplectentes paradisum tot deinceps Martyribus, Virginibus, Confessoribus, totque aliis animabus sanctis impleverunt, ut numerari vix possint.

Varia bona considerantur, quæ ab Ascensione Domini in nos sunt derivata.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Expedit vobis ut ego vadam. Jo: 16. v. 7.

1. EUsebius Emissenus Hom. 1. de hodierno festo, bona immensa, quæ à Christi in cœlos Ascensione in nos derivantur, considerans, hanc solemnitatem ipsissimet natalis Domini solemniis superiorem præclarioremque esse existimat: *Ille Nativitatis dies Dominum ac Salvatorem nostrum terris dedit; hic cœlo reddidit: in illa Dominus verè hominem se esse in Incarnatione confessus est; in hoc vero Deum se esse in Ascensione testatus est; in illo virginalis templi; in hoc cœlestis regni secreta patefecit: in illo die descendit redempturus nos; in hoc ascendit glorificaturus: in illo salutis nostræ inchoatio; in hoc perfectio continetur; in illo cœpit promissa; in hoc beneficia consummavit.* Et quidem bona illa, quæ per suam in cœlum Ascensionem in nos derivantur, omnia considerabilia sunt, & in magno numero consistunt. Quando sol ab horizonte irradiare incipit, quot bona omnibus rebus creatis tunc communicat? S. Bernardinus illum Ecclesiastici textum adducit, dicentis: *Oritur sol & occidit, & ad locum suum* To. 3. ser. 1.
revertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa per circuitum; hæcque verba Christo Redemptori nostro hunc in modum applicat: *Sol iste Christus est. Undè Malach. 6. Oriens nomen ejus; occidit in passione; ad locum suum revertitur in Ascensione, ibique renascens scilicet effective, quia nos fecit renasci per aquam & Spiritum sanctum.* Est tamen hæc inter solem materialem, & solem justitiæ Christum differentia: quòd dum ille à nobis recedit, horrida hyems succedat gratiæ, nimbis & tempestatibus abundans; & tamen non ita fiat dum sol ille divinus paradisi horizontem ascendit. *In hoc die beneficia consummavit*, ut dictum est. Et Sanctus Leo addit: *Ineffabili modo cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.*

2. Ascensio Christi juxta opinionem Sancti Augustini fidem confirmat, & stabilit ejus divinitatis. Undè verba illa quondam Magdalenæ dicta: *Noli me tangere;* Ser. 153. de Temp.
nondum enim ascendi ad Patrem meum ponderans, interrogat: *Maria non poterat eum tangere in terra stantem, & poterat tangere in cœlo sedentem;* & tamen inquit sanctus hic Doctor, Apostolis suis dixit: *Palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet;* & S. Thomas Apostolus cicatrices ejus tetigit; adeoque veluti per os Christi loquens concludit: *Quod me vides, hominem solum putas; Patri æqualem esse adhuc nescis; ascendam ad Patrem meum, & tunc tange: tibi ascendo, quando intellexeris æqualem. tangere credere esse puto.*

3. Adhæc per Ascensionis suæ arcum triumphalem Serm. 1. de Ascens. art. 2. c. 1.
itidem, pacis insigne erexit. *Revertitur ad cœlos* (inquit S. Bernardinus) *tanquam bonus mediator facta pace & concordia, quoad homines; tanquam strenuus pugnator, habita victoria quoad dæmones.* Primum quoque Ascensionis fructum esse recenset, quòd velut Advocatus noster dexteræ Patris assideat: *Primus fructus Ascensionis est, Patris exoratio. Undè Hebræor. 9. Apostolus ait: Jesus introivit in cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; quot vulnera pro nobis suscepit, tot linguas habet, quibus pro nobis apud Patrem intercedit.* Sicut enim Mosaicæ legis summus Pontifex post oblatum à se sacrificium, ad intercedendum pro populo, ingrediebatur Sancta Sanctorum; ita quoque conveniebat, ut hic Pontifex æternus post sui ipsius sacrificium cruentum in altari Crucis oblatum, paradisi sanctuarium ingrederetur ad placandam divinam justitiam. Et sicut antiquus ille sacerdos in Rationali & super humerali descripta ferebat duodecim tribuum Israelis nomina; ita quoque Chri-

ftus omnes nos cœlo empyreo intulit. *In manibus meis de-* Isa. 48. 16. *scripsi te. Advocatum habemus apud Patrem. Ideò ascendit* (inquit Sanctus Augustinus) *ut nos desuper protegeret.* Ser. 174. de Temp. Ps. 143. Ac proinde sanctus David hanc ad cœlos Ascensionem Christi prophetico spiritu prævidens, dicebat: *Mitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.* S. Bernardinus Ser. 2. de Ascen. de Christo hodie ascendente scribit: *Corroboravit misericordiam suam super timentes se, secundùm altitudinem cœli à terra, ut majores cumulos miserationum Domini sentiant, quam sit spatii inter cœlum & terram.* Albertus Magnus eandem S. Bernardini rationem ad illam quæstionem, cur Christus vulnera sua retinuerit, allegat: *Ut ad interpellandum pro nobis Deo Patri signum suæ victoriæ repræsentaret cicatrices suas.*

5. Alia adhuc utilitas ab Ascensione in nos derivata est, nimirum quòd nobis in cœlo præparat it locum qui Ser. 3. de Ascen. nos capiat. *Vado parare vobis locum. Quamvis locus gloriæ* (inquit Bonaventura) *sit ab æterno præparatus electis; tamen Christus specialiter locum præparavit, quantum ad effectum; quia obstaculum removit, quia placavit Patris offensam; mandavit nostram conscientiam, & aperuit cœli januam.* Sanctus Bernardinus similiter super hac præparatione loci nostri, pro qua instituenda Christus se hinc abiturum esse dicit, suas instituit con- Ser. 2. ar. 3. c. 2. siderationes. *Beatitudo vel locus ejus non indigebat aliqua præparatione; ipsi tamen electi sunt qui præparatione indigent, ad hoc quod possint consequi beatitudinem; quando ergo Salvator ait: Si abiero & præparavero vobis locum, intelligendum non est quod in cœlesti gloria ascendendo aliquid præparaverit; sed quia per Ascensionem suam dona Spiritus sancti fidelibus misit, per quæ præparantur corda eorum ad consecutionem gloriæ. Et subdit: Iterum veniam, scilicet ad præparata corda, & accipiam vos ad meipsum: venit quippe ad accipiendum fideles in hora mortis.*

5. Alius quidam Ascensionis effectus fuit (ut Sanctus Ser. 2. ar. 3. c. 2. Bernardinus inquit) quòd per ipsam natura nostra honorata fuerit; siquidem illa die tota Curia cœlestis adoravit Christum, ac proindè sacratissima ejus humanitas tantam sibi venerationem conciliavit, ut licèt Angeli in antiquo Testamento se à nobis adorari permiserint; in novo tamen Testamento post Christi incarnationem nequaquam ampliùs permittere præsumpserint, *Naturam* Serm. cit. *nostram* (inquit Albertus Magnus) *super omnes Angelorum ordines exaltavit.* Licèt quondam de corpore nostro dictum fuerit: *Pulvis es*; hic tamen pulvis adeo deinceps honoratus fuit, ut factus sit immortalis. Undè Sanctus Athanasius ait: *Etiamsi terra sis, cœlus tamen ascendes.* Ser de Asc. Ipsissima illa caro, quæ aliàs tot tantisque pœnalitatibus subjicitur, donec tandem corrumpatur, & in monumentis in cinerem convertatur, hodie indubitatum obtinet impassibilitatis, subtilitatis, agilitatis, claritatis, & immortalitatis arrham. *Descendit Deus usque* Con. 2. de Ascens. *ad passiones carnis* (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *ascendit caro usque ad proprietates Dei: esurire namque, sitire, lassari, fatigari, pati, mori, passiones carnis sunt: has Deus assumpsit, ut caro fieret impassibilis, incorruptibilis, immortalis, perpetua, sicut Deus* (verba sunt sancti Augustini calamo dignissima) *recepit se intra* Ser. 178. de Temp. *vel omina divina cum carne Majestas, didicit cœlum portare hominem, atque sub pedibus Christi famulantia æthera jacuerunt.* S. Petrus Damianus fines, ob quos de cœlo descendit, ponderet, ac tandem dicit: *Descendit, ut* Serm. 47. *peccata nostra portaret; ascendit verò, ut divinitatis suæ nos participes faciat.*

6. Sanctus Bernardinus alium quendam Ascensionis Serm. 2. de Ascens. fructum considerat, dum ait: *Manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatus est ad dexteram Patris assumptus.* Post primitias alii fructus veniunt; etenim in Christo ascendente Arrhabonem quasi habemus ad paradisum, per quem certificamur nos quoque ad illum aditum sine contradictione habituros. *Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi* (inquit S. Bernardinus in hodier- Ser. 2. ar. 3. cap. 1. nam festivitatem scribens de Christo) *hanc quidem hæreditatem amiserunt primi parentes, propter crimen læsæ majestatis; quia voluerunt esse sicut Dii. Undè Augustinus ait: Voluerunt rapere divinitatem, & amiserunt felicitatem; sed hæc hæreditas, quæ per quinque annorum millia amissa fuerat, per Christum in resurrectione, & potentius in Ascensione restituta est.* Quemnam ex hac festivitate majorem fructum prætendere possumus, quam quod per illam cœlum nobis apertum esse videamus? *Ecce jam porta patet, quam clauserat Adam,* inquit S. Serm. 178. de Temp. Augustinus; hæc porta aperitur, reseratur, imo ex ipsis cardinibus eximitur: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales.* Verùm enimvero quid opus erat, ut portæ cœli illo die extra cardines levatæ in terram dejicerentur, quando nullus alius præterquam Salvator in corpore glorificato, & cum illo animæ & spiritus beati, tametsi in numero valde ingenti cœlum ingrediebantur? ex quo enim Christus etiam per januas clausas cœnaculum ingressus est, utique etiam cœlum ingredi potuisset, absque eo quod portæ illius dejicerentur è cardinibus. Sanctus Ambrosius ait, id Lib. 4. de fide. factum esse: *Quia non unus homo, sed totus in omnium Redemptore mundus intrabat.*

7. *Justitia ante nos ambulavit, & posuit in via gressus* Ps. 84. 14. *suos.* Ecce tibi verbis illis indicatam aliam quandam Ascensionis utilitatem. Nihil etenim est quod viatori alicui, quando via incognita graditur, acceptabilius esse possit, quàm videre vestigia eorum, qui eadem via usi sunt eundo. Hoc fuit propriissimè mysterium sive motivum, ob quod Christus in monte, ex quo ascendit, vestigia sua impressa reliquerit, ut hac ratione unicuique nostrum animum & cor adderet eadem via, Num. 192. qua ipse ambulaverat, gradiendi, id est, patiendi conformiter ad ejus exemplum. Adricomius in Jerosolymæ descriptione, ex forma vestigiorum Christi, quæ in lapide illo, quem ultimo pedibus suis visibiliter calcavit, impressa reliquit, claré ipsum Romam versus conversum fuisse deducit. *Qui ascendit super cœlum cœli ad* Psal. 67. 4. *Orientem*; quasi vero hic specialius benedictiones suas in majori copia depluerret, majorem Romæ promittendo assistentiam. Perspicuè namque videtur, quod fideles hic magis, quàm in ullo alio loco vestigia ejus sequantur in toleratis pro ipso tormentis & doloribus, de quibus sanctus Petrus ait: *Christus passus est pro nobis; vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*; siquidem Romæ numerantur trecenta millia Martyrum, qui vitam & sanguinem pro ipso fuderunt. Sanctus Thomas de Villa-Nova super illa verba Cantici Canti- Conc. 3. de Ascens. corum: *Veniat dilectus meus in hortum suum*, se reflectit, præcipuè vero quòd paulo post dilectum suum ad patiendum invitet: *Fuge, revertere. Quænam hæc levitas, ò sponsa? modo vocas, modo rejicis?* Mox vero dubium istud resolvit dicendo, quod ipsum ad flores colligendos invitarit: *O pulcherrimas rosas! o placidissima lilia Virginum, & Martyrum animas niveo purpureoque candore vernantes! has monet sponsum colligere, & Patri suo gratissimas fide, velut canistro deferre, propter quod & monet, ut redeat, non quidem levitate fœminea, sed quia sic noverat expedire.* Idemmet Sanctus in alia quadam concione, quæ est secunda in ordine, textum illum Davidis declarat dicentis: *Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur sicut Libanus fructus ejus, & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.* Quando enim fructus ille, de quo scribitur: *Benedictus fructus ventris tui*, super Libanum naturæ Angelicæ, & supee celsissimas empyrei cedros exaltatus fuerit: *Tunc rorem Spiritus stillantibus cœlis in nostra hac civitate arida prius corda florebunt, sicut fœnum terræ. O quales tunc Martyrum & Virginum flores, quam candidos & purpureos flosculos Ecclesia pullulavit! o quanta Spiritus viriditate vernavit!*

Varii gradus, per quos in cœlum ascenditur, nimirum varii actus virtutum, & detestationes vitiorum.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum; ibunt de virtute in virtutem. Psal. 83. v. 8.

1. SAnctus Propheta David pulchritudinem paradisi, quando is in Ascensione Christi aperiendus erat, in spiritu prophetico prævidens, Psalmum 83. exorsus est dicens: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria tua*; paulò post subjungit: *Beatus vir cujus est auxilium abs te. Ascensiones in corde suo disposuit, scilicet gradus vel scalam,*

lam, per quam ad domum illam cælestem ascendat, inquit Hugo Cardinalis. Hæc scala & gradus à nobis in cordibus nostris fabricandi quales esse debeant, propheticum declarat oraculum, dum ait: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Est autem hæc Ascensio* (inquit Sanctus Augustinus) *non pedibus, non scalis, non pennis; & tamen si interiorem hominem attendas, & pedibus, & scalis, & pennis: nam si non pedibus, quomodo dicit homo interior: Non veniat mihi pes superbiæ? si non scalis, quid sunt quas vidit Jacob, ubi erant ascendentes Angeli & descendentes? si non pennis, quis est qui dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Idem vero sanctus Doctor declarat insuper quo modo hæ scalæ, hæ pennæ, & hi gressus pedum interpretandi sunt: *In his rebus corporalibus aliud sunt pedes, aliud scala, aliud penna: intus autem & pedes, & scala, & penna affectus sunt, & bonæ voluntates; his ambulemus, his ascendamus, his volemus.* Similiter S. Prosper quales illi gradus sint, per quos nobis ad fruendum Deo in paradisum conscendendum est, clarè nos docet, dicens. *Ascensionum ad Deum sunt gradus pietatis affectus; iter tuum, voluntas tua est; amande accedis, negligendo recedis; constitutus in terra Deo jungeris, quia quæ Deo chara sunt, diligis.* Idem quoque sancti Augustini sensus fuit, qui considerat quod quanto quis ardentiùs Deum amat, tantò ampliùs & altiùs ad Deum ascendat, dicit: *Ascensus in corde ejus, quia ascensiones in corde* (inquit David) *Facit illi gradus, quibus ascendat. Ubi illi facit gradus? In corde. Quanto ergo plus amaveris plus ascendes.* Nimirum oculum suum in immensam distantiam direxit, quæ est inter nos & cœlum, in quod ascendere contendimus. Ubinam vero scalæ? quærit S. Augustinus *Illuc volumus ascendere, scalas non videmus.* Concludit autem: *Ascendimus in cœlum, si cogitamus Deum qui ascensus in corde facit. Quid est ascendere in corde? proficere in Deum.* Enimverò vel in curru ad cœlum ascendere volumus, vel per scalam altiùs pertingere nitimur; sanctus autem Bonaventura utrumque ascendendi modum pulchrè nos docet, dum ait: *Hujus scalæ duo sunt ligna principalia; amor Dei, & proximi; gradus verò sunt timor, castitas, patientia, veritas, & cætera virtutes.* Quis autem currus ad id nobis serviet? *Currus sunt boni fructus, & status bonorum hominum: ascendunt ergo quidam in curru in statu conjugali, quidam in viduali, quidam in virginali; sed quatuor rotæ sunt necessariæ in curru ad ascendendum, de quibus Psalmista: Quis ascendet in montem Domini? Certè innocens manibus; ecce una rota: & mundo corde: ecce alia rota: qui non accepit in vano animam suam; ecce tertia: nec juravit in dolo proximo suo; ecce quarta.* Verùm dicet fortasse aliquis: Nunquid Ascensio admirabilior futura fuisset, si facta fuisset ex infima quadam valle? cur igitur Christus montem pro sua Ascensione elegit? Nimirum ad denotandum nobis, ascendere volenti in cœlum opus esse, ut priùs montem conscendat perfectionis. Ac proindè observandum est, quod quando Christus octo illas beatitudines, quæ sunt veluti gradus quidam, per quos ad supernam Jerusalem ascenditur, tradidit, in monte quodam constitutus fuerit. *Verùm ne prægnorantia te, quod non ascendas, excuses,* (inquit Beatus Laurentius Justinianus) *præceptorem cælestem in montis vertice cum discipulis residentem, perfectionisque monita proferentem, audi quàm disertè quosdam spirituales instituerit gradus: Beati pauperes spiritu.* Rotæ autem, quas Sanctus Bonaventura considerat, à Sancto Thoma de Villa-Nova gradus appellantur: *Hi quatuor sunt gradus, per quos in vitam ascenditur, scilicet innocentia in vita, puritas in corde, fructus in opere, veritas in sermone.* Alii quatuor gradus ab Eusebio Emisseno calcati fuere: *Ascendamus post eum compunctione, benevolentia, concordia, charitate.*

Sent. 391. — In Pf. 122. — Serm. 4. de Ascens. — Serm. de Ascen. — Conc. 2. de Ascens. — Hom. 1. de Ascens.

2 *Ibunt de virtute in virtutem.* Ecce qualiter virtutes Christianæ gradus quidam sunt, per quos in altum ascenditur. Salmeron scribit, quod hoc mysterium *foveat omnes virtutes.* Fidem quidem, quia est *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*; ac proindè cùm Christus nunc post Ascensionem in cœlo absconditus degat, nec hic in terra ampliùs miracula patrare videatur, utique fides nostra majus habet meritum. Nutrit & spem, non solùm quia Ascensio Christi est veluti botrus ille è terra promissionis advectus, qui Israeliticis terram illam invadendi animum & vires suggessit, siquidem *videntibus illis elevatus*, ac proindè magnam illum deinceps insequendi spem conceperunt; verùm etiam quia sedet ad dexteram Patris velut noster advocatus. Nutrit similiter charitatem, quia post Ascensionem ignem nobis mittit divini amoris, id est, Spiritum sanctum, excitat etiam spiritum orationis, cùm sciamus quod nunc habeamus in cœlo addictissimum nobis, qui illam præsentet coram tribunali æterni Patris. Nos quoque agnoscere facit cujusnam pretii humilitas existat, dum illum exaltatum videmus in virtute præcedentis suæ humiliationis. Denique omnes ad extraordinariam quandam virtutem, & perfectionem provocat, dum in eo apertè videmus, quod Pater ne quidem Filium suum ad gloriam admittat, nisi post crucem & amaros passionis dolores: *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Undè dignum & justum est ut & nos cœlum deinceps eodem nobis pretio comparemus. Tandem & timorem nobis inserit; siquidem Angeli nobis eum ad finale judicium reversurum esse denuntiant.

Tom. 11. tr. 35. — Luc. 24. 26.

3. Notandum est autem, quod David dixerit: *Ascensiones disposuit in valle*; humilitas enim est virtus illa, quæ scalam ascensionis hìc in terra firmat & fortiter sistit, ut tanto securius ascendere valeamus. *Ecce ante oculos nostros ponamus ascensurum hominem* (inquit Sanctus Augustinus) *Ubi ascensurum? in corde; unde ascensurum? ab humilitate, id est, à convalle plorationis in locum quem disposuit.* Quantum Christus Salvator noster descendit, tantundem & ascendit. Primus in hac humilitatis suæ scala gradus fuit, descendere in uterum mulieris cujusdam & servus, imò vermis fieri: *Ego autem sum vermis & non homo.* Secundus fuit præcedenti inferior, in stabulum bestiarum diversorium se recipere. Tertius adhuc humilius ipsum consistere fecit, nimirum in patibulo, in medio latronum, velut si caput esset omnium malefactorum. Quartus denique gradus & infimus fuit descendere infernum sive in lymbum. Cumque in hoc gradu constitutus humilius descendere nequiret, tandem usque ad eminentissimum cœli empyrei thronum indè ascendere cœpit.

In Psal. 119. — Psal. 21. 7.

4. *Ascensiones disposuit.* Verùm enim vero quodnam obsecro mysterium latet, quòd non ascenderit Jerosolymis ex superiore parte templi; vel ex cœnaculo Sionis, vel in alio quopiam monte Thaboris, verbi gratia, vel Libani? Cur pertransire Bethaniam, & ab Oliveti monte ascendere voluit? *Neque vacat mysterio* (inquit Salmeron) *Dominum è Bethania venisse in montem olivarum, & cælum subiisse, non solum ut indè perrexit ad passionem, indè quoque pergeret ad Patrem, & locum Lazari & sororum ejus sua honorificaret Ascensione; sed ut etiam indicaret, quod nemo ad eam gloriam ascendere potest, nisi qui ex domo obedientiæ (ita enim interpretatur Bethania) præstita verbo Dei ac mandatis ejus, ac majorum suorum dignus fuerit inventus.* Idem quoque Sanctus Bernardinus dicit: *Educit discipulos suos foras in Bethaniam, quæ in montis Oliveti latere sita est, & domus obedientiæ interpretatur, ut mysticè innuatur, quod per virtutem obedientiæ homo cœlum ascendit. Unde ad Philipp. 2. Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus factus obediens usque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum.* Hugo Cardinalis dicit, Bethaniam monti Oliveti confinem fuisse: *Quia obedientia juncta esse debet misericordiæ & paci, quæ duo per olivam significantur.* Nullum profectò habemus futuri nostri in cœlum ascensus arrhabonem certiorem & infallibilem quàm opera misericordiæ; super illis namque examinabimur quando *sic veniet quemadmodum, &c.* S. Bruno ait: *Mons Oliveti, per quem excelsa misericordiæ virtus designatur.* Davide licèt in persecutione Absalonis multas haberet periculum evadendi vias, eam tamen quæ per Olivetum ducebat, præ cæteris opportuniorem esse judicabat. Undè S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: *Quamvis multæ illi ad fugiendum viæ paterent, per montes tamen olivarum fugere maluit, firmè invocans mente liberatorem illum, qui istinc cælos ascensurus erat.* Didacus Stella scribit, Magistrum nostrum nos docere voluisse, ut & nos operibus misericordiæ mediantibus viam ad paradisum nobis aperiamus. *A monte Oliveti ascendit, quia ex operibus misericordiæ & charitatis ascendimus ad cælos.*

Tract. 39. — Serm. 2. art. 3. c. 2. — Serm. 2. Ascens. — Catech. 2. de Pœn. — In Luc.

5. Verum enimvero quis unquam credere potuisset, quod, ad cœlum quoque ascendere possemus mediis passionibus nostris, de vitiis nostris quasi scalam faciendo?

hoc

hoc etenim prima facie paradoxum, imo & blasphemia quædam reputari posset. *Cum pacis amico non ascendis discordia* (inquit Eusebius Emissenus) *nec cum filio virginis libido atque luxuria; non utique ascendunt vitia post virtutum parentem; si apparere absoluti illuc volumus, hic lachrymis ac jejuniis culpas & crimina in nobis nostra damnemus*. Hoc mysterium cuncta in nobis vitia extinguit, prouti Salmeron testatur: Superbiam quidem; quia hæc una cum Lucifero ejusque sequacibus è cœlo præcipitata fuit, econtra vero humilitas ad Patris dexteram collocata. Vicit avaritiam, quia Christus post Ascensionem suam in erogandis thesauris suis munificum se & liberalem exhibuit, Spiritum nobis sanctum mittendo. Superat invidiam; siquidem solus pro redemptione nostra mori desiderat, econtra verò solus regnare noluit, quin potiùs cohæredes gloriæ suæ libenter admisit. Dissipat similiter omnem pigritiam; siquidem tanta cum velocitate omnes cœlos transcendit. Ingratitudinem condemnat humanam, tergum, Judææ vertendo, utpotè quæ eum recipere aut agnoscere pertinaciter nunquam voluit. Hugo Cardinalis optimè observat. Sanctum Lucam omnium eorum, quæ Christus post resurrectionem suam quadraginta dierum spatio hic in terris egit, relationem studiosè prætermisisse, ideoque resurrectionem in utraque historia sua Evangelica videlicet & Apostolica Ascensioni illius immediatè conjunxerit: *Significans per hoc quod nullus ascendet in cœlum, nisi qui prius à peccato resurrexit*. Undè Sanctus Ambrosius expressè dicit: *Ille verè ascendis, qui propria peccata deponit*. S. Augustinus pariter scribit: *Facilè corpus levabitur in altum, si non premat spiritum sarcina peccatorum*. Qua igitur ratione verificari poterit, quod statim diximus, nimirum nos per scalam quoque vitiorum & passionum nostrarum ascendere posse, cum tamen, ut jam vidimus illæ nobis potiùs obstaculo sint ad ascendendum. Idemmet supra citatus Eusebius Emissenus ait: *Ascendamus & per ipsarum, si placet, adminicula passionum. Quomodo autem post eum per passiones nostras possimus ascendere, si requiras; hoc utique modo: si unusquisque nostrum subdere eas sibi studeat, & eminentia dominantis animi super ea stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construat, quo ad superiora conscendat*. Id Eusebium è Sancto Augustino didicisse, facilè credere possumus; hic namque quasi eadem verba post se scripta reliquit: *De vitiis nostris*, inquit, *scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus: elevabunt nos, si fuerint infra nos*. Summa summarum est, quod quanta fuerit in nobis peccatorum nostrorum contritio, & consequenter amor Dei, tanto altiùs & sublimius ascendemus ad gloriam.

Hom. 1. de Ascens.

Hom. IX. tract. 36.

In Psalm. 113.

O.Ion.16. Ser. de diver. de Ascens.

Hom. 1. de Ascens.

Serm. 176. de Temp.

Circa illa Evangelii verba: *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur*, variæ adducuntur interpretationes. Item corda nostra sursum subvehenda esse ostenditur.

DISCURSUS DECIMUSQUARTUS.

Qui crediderit, salvus erit. Marci cap. 16.

1. IN Evangelio in hodierna festivitate lecto, æterna salus nostra in fide fundata esse scribitur, ac proindè Eusebius Emissenus *in Homilia de Symbolo* fidem jure merito portam cœli, *ostium vitæ* nuncupavit. S. Cyrillus Hierosolymitanus eam nominat *Lampadem ad viam salutis inveniendam*. Ideoque idemmet Emissenus in Homilia 1. de hodierna festivitate nos exhortatur dicens: *Totis itaque fidei viribus nitamur, ut sicut Dominus in hac die nostro cum corpore ad superna conscendit; ita nos quoque membra ejus effecti caput nostrum efficiosis desiderii ac bonorum operum studiis jam sequamur*. Verùm dicat aliquis, ex quibusnam signis nos hac fide præditos esse, agnoscere poterimus? Signa illa recensentur in Evangelio hodierno: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*; veruntamen eadem signa juxta sacrorum expositorum mentem nonnihil in sensu spirituali examinemus.

Cath. 2.

2. *In nomine meo dæmonia ejicient*. Sanctus Thomas de Villa-Nova dicit: *Spiritualiter dæmonia non tam ab alieno corpore, quam à proprio corde ejiciat*. Peccatum etenim est instar dæmonis cujusdam cor nostrum possibentis. Dionysius Carthusianus super illa verba ita scribit: *Spiritualiter dæmonia ejicit, qui peccatorem mortalibus vitiis irretitum convertit, ita ut fiat templum Spiritus sancti, qui paulo ante vas erat diaboli*. Lyranus paulò aliter interpretatus: *Dæmonia ejiciunt, qui dæmonum tentationes fide & signo crucis repellunt*. Glossa interlinearis dicit: *Bonis exhortationibus malitiam auferendo ab aliorum cordibus*. Communior autem interpretatio est, quod per hæc dæmonia, uti paulo antè significavimus, peccata mortalia intelligantur. *Primum opus fidei* (inquit Sanctus Bernardus) *per dilectionem operantis, cordis compunctio est; in qua sine dubio ejiciuntur dæmonia, cum eradicantur a corde peccata*. Et Dionysius Carthusianus alio in loco clariùs dicit: *Unusquisque tot dæmonibus plenus est, quot mortalibus subditus est peccatis: idcirco qui eos, qui mortalibus culpis fœdantur, convertit ad Deum, expellit dæmonia*. Albertus Magnus nos docet, qualiter unusquisque nostrum hæc dæmonia è semetipso, mediante bona quadam confessione & contritione expellere possit. *Ille*; inquit, *dæmonia ejicit, qui verè de peccatis suis conteritur, atque confitetur necnon & dignam pro eis satisfactionem exequitur*.

Conc. 1. de Ascens.

Serm. 1. de Ascens.

Sem. 2. in Evang.

Serm. de S. Steph.

3. *Linguis loquentur novis*. Hoc est secundum indicium. Glossa ordinaria dicit: *Hoc fit dum fideles veteris vitæ sæcularia verba relinquunt, & sancta mysteria infonans*. Albertus Magnus verba illa de iis intelligit, qui à lingua sua verba inhonesta, malitiosa, & alia similia rigidè proscribunt, illamque deinceps adhibent enuntiandis discursibus devotis, & ad honorem Dei animarumque salutem directis: *Ille loquitur novis linguis, qui dolos, & malitias, & turpitudines extirpat à lingua sua, eamque deinceps divino exhibet obsequio per devotas orationes, gratiarum actiones, & per bonas & utiles locutiones*. Dionysius Carthusianus tunc aliquem novis linguis loqui existimat, quando ab illicitis discursibus abstinet, quibus antea deditus erat; item à verbis detractoriis, mendacibus, lascivis & vanis: *Et salubria & ædificatoria loquitur; Deumque laudare, & jugiter orare consuescit*. S. Bernardinus eadem de illis exponit, qui syncerè & fideliter culpas suas, neutiquam eas excusando accusant: *Linguis loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta prothoparentum lingua loquuntur declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis*.

Serm. 2. in Evang.

Serm. cit.

4. *Serpentes tollent*. Est hoc tertium signum, *quod facit qui diabolicas suggestiones, & venenatas tentationes superat*. Albertus Magnus observat hoc spiritualiter in Confessariis adimpleri, quando pœnitentibus absolutionem à peccatis impertiuntur. *Tollunt serpentes de cordibus fidelium per compunctionem, confessionem & satisfactionem*. Aliter tamen verba illa interpretatur in sermone quodam de Sancto Stephano, ubi dicit: *Ille serpentes tollit, qui malorum persecutiones hominum sustinet patienter, mali quippè homines serpentibus comparantur*. Lyranus illa de iis exponit, qui peccatores reprehendunt. *Serpentes tollunt, qui peccatores efficaciter reprehendunt*. Sanctus autem Bernardinus utilissimum quoddam ex hisce verbis adducit documentum, dum ait: *Ubi vere compunctione cordis, & oris confessione sunt deleta peccata, ne recidivum patiantur, & jam sint posteriora pejora prioribus; serpentes tollant necesse est*; deindè verò quinam hi venenosi serpentes sint, quos morte delere debemus, declarans subjungit: *Id est, ut venenatas suggestiones extinguant*. S. Thoma de Villa-Nova per serpentes hosce, passiones nostras intelligit: *Mortiferas venenatasque peccatorum passiones extinguat, quæ serpentino morsu animam enecant*.

In Marc.

Conc. 1 de Ascens.

5. *Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Ecce tibi quartum indicium, quod Dionysius Carthusianus in sensu spirituali hunc in modum interpretatur: *Mortifera sine læsione portare, id est, impiis suggestionibus nequaquam consensum præbere, nec aliorum pravis exemplis corrumpi*. Dicit insuper hoc competere electis, quibus cuncta, quæ illis eveniunt, cooperantur in ipsorum bonum, dum post lapsum ferventiores & sanctiores resurgunt, majorique sapientia conficiunt. Albertus Magnus in superiùs citato sermone de Prothomartyre, dicit: *Ille etiam sine nocumento venenum bibit, qui ad probra & contumelias malorum hominum non movetur*. Et in S. Marcum commentans, illud in Ecclesiæ ministris adimpleri dicit, qui cùm medici sint spirituales, venenum ebibunt, *quando peccata aliorum per auditum & com-*

Serm. cit

& compassionem in se suscipiunt, quod illis non nocet, & sanant peccatores; de talibus dictum est Petro: Macta & manduca. Sanctus Bernardinus jam insinuatam moralitatem prosequens subjungit: *Quid tamen agendum si qua fertè radix pullulat, quæ tam velociter nequeat extirpari, sed stimulat animam concupiscentia carnis? profectò si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; quoniam juxta Salvatoris exemplum, cum gustaverint, nolent bibere, id est, cum senserint, nolent consentire.* Dionysius

In Marc.

Carthusianus ait: *Mortiferum sine nocumento bibit, cui omnia etiam mala cooperantur in bonum, vel qui aliorum pravis exemplis non inficitur.*

6. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Hoc denique ultimum signum est, quod Christus illis applicat, qui fidem vivam habent. Glossa dicit: *Dum proximos in bono opere confirmatos roborant exemplo bonæ operationis.* Eadem quoque *ad literam* fuit Alberti Magni expositio dicentis: *Qui exemplo bonorum operum infirmum & debilem peccatorem roborat & confortat ad benè vivendum.* Sanctus Thomas de Villa-Nova verba illa

Serm de S. Steph. Conc 1. de Ascens.

de iis intelligit, qui spirituali salute in seipsis gaudentes, eandem documentis & exhortationibus suis, aliis bonis communicant: *Demum verò cum fixum permanentemque in seipsis sanitatem persenserint, intimo charitatis affectu super ægros moribus proximos consulendo, corripiendo, commonendo, manus imponant, ut sanentur.* Sanctus Bernardinus hanc nostram infirmitatem naturalem maximè in resistendo inimico & appetitibus nostris optimè ponderat dicens: *Quid tamen? molesta certè & periculosa sic corrupta & infirma affectionis lucta, sed qui crediderint, super ægros manus imponent, & bene habebunt, id est, ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur.* Lyranus de illis intelligit, qui animas à statu salutis deviantes reducunt: *Qui per bona verba & opera alios à peccatis retrahunt, & in bono confirmant.*

7. Verum enimvero aliud quoddam signum ex sensu & mente sanctæ Ecclesiæ circa fidem hujus mysterii addiscere possumus, id est elevationem mentis & corporis nostri ad bona cœlestia: *Concede quæsumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus.* Porrò hunc effectum Ascensio Domini in primis Christi fidelibus operata fuit; siquidem facultates suas ad pedes Apostolorum certatim portabant; & de hisce fidelibus Tertullianus de sui temporis Christianis loquens dicit: *Terram suspenso pede tenemus.* S. Barnabas, qui Christi discipulus erat, omnia quæ habebat, vendidit, unicam duntaxat possessionem sibi reservando, quam tamen posteà mox ut Christus ascendit ad cœlum, inter pauperes eleemosynæ loco distribuit. *De terris ergo ad cœlos ascendit,* (inquit S. Ber-

To. 3. Ser. 1. de Ascens.

nardinus) *ut nos cœlestes efficeret, & ad cœlestia evocaret, unde nulla Christi solemnitas tantum devotas animas elevat ad superna, quantum præclara dies hujus solemnitatis. Ascendisti nobis* (inquit Sanctus Ambrosius ad cœle-

Lib. 10. in Luc. c. 24.

stem hunc triumphatorem conversus) *ut te sequamur mentibus, quem oculis videre non possumus.* Hoc fortè mysterio factum est, quòd *eduxit eos foras ad campum apertum. Foras civitatem* (inquit Hugo Cardinalis) *sic*

In Luc.

oportet exire de mundo, qui Dei benedictionem habere desiderat. Albertus Magnus autem ait: *Ut ostenderet quoniam de civitate egredi oportet, & mundum contemnere, & cœlum aspicere.* Sanctus Bernardinus piè meditatur, quod Christus in cœlestem illam patriam ascendendo, corda quoque nostra eò transtulerit: *Hodie omnium ele-*

Serm. 2. de Ascens.

ctorum mens in cœlestia transportatur, thesaurus cordis eorum Dominus Jesus Christus cœlorum alta conscendens, eorum corda ibi posuit, ubi consedit. Nemo tamen Guer-

Serm. de Ascens.

rico Abbate melius dixit; ita enim ait: *Clamanti sursum corda, Pontifici Magno (qui hodie introivit in sancta sanctorum æterna redemptione inventa, ubi & assistit vultui Dei interpellans pro nobis) responde fideliter: Habemus ad Dominum; sed si aliquando quæsivisti, non quæ sursum sunt, sed quæ super terram; jam teipsum increpa, & dic Domino cum Propheta: Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Enimvero hisce diebus magis quàm unquam aliàs cogitationes nostræ à nobis ad Deum elevandæ sunt. Undè Sanctus Augusti-

In Psal. 85.

nus: *Rectè admonent verba sua, ut sursum corda habeant; audiant ergo & faciant: Levent ad illum quod malè est in terra; ibi enim non putrescit cor, si levetur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus; ne putresceret, levares ad superiora, frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? frumentum levas in superiora, cor leva in cœlum. Et unde, inquis, possum? qui funes, quæ machina, quæ scala, opus sunt? Gradus affectus sunt: iter tuum voluntas tua est; amando ascendis, stans in terra; in cœlos es si diligas Deum.* Pauci quidem, sed valdè substantiosis verbis Guerricus Abbas efficacissima nobis ad sublevandas in cœlum mentes

Serm. de Ascens.

nostras, motiva proponit: *Christus thesaurus tuus ascendit in cœlum; ibi sit & cor tuum, inde ducis originem; ibi habes Patrem & hæreditatem, inde expectas Salvatorem.*

8. Sanctus Bernardinus de milite quodam, qui terram sanctam peregrinando peragrabat, refert quod postquam sacrosancta regionis illius loca, in quibus præcipua vitæ Salvatoris mysteria acciderant, sigillatim visi-

To. 3 Ser. 1. de Ascens.

tasset: *Ultimo venit ad sacrum Oliveti montem, undè Dominus ascendit ad cœlum, ibique totam mentem, & omnes animæ vires elevans ad suprema flexis genibus prostravit se ad vestigia pedum Domini nostri Jesu, quæ reliquit in cœlum ascendens: illa deosculans, illa profluvio lachrymarum irrigans, & corde amoris dulcedine liquefacto, brachiis & manibus elevatis, & ad cœlum erecta facie, inquit: Dulcissime mi Jesu, nescio ubi amplius quæram te, concede mihi quæso ex dulcedine misericordiæ tuæ, ut nunc veniam ad te; & statim his dictis anima ejus ex amoris dulcedine expiravit.* Obstupuerunt ad hoc spectaculum, quos secum habebat vitæ comites, neque tam subitæ mortis causam scientes, medicum quendam consuluerunt, qui qualitatem complexionis militis istius, cùm ab illis sciscitaretur, responderunt ei: *Vir totus jucundus, dulcis, amabilis, devotus, & fervidus in amore Dei; tunc medicus ait: Propter excessum amoris atque dulcoris, & gaudii cor ejus scissum est;* & verè ita esse deprehensum fuit; siquidem cordi suo verba hæc incisa habuit: *Amor meus Jesus.* Observetis velim hujusce solemnitatis hymnum, quàm is sit affectuosus & eximiè devotus: *Jesu nostra redemptio, amor & desiderium; &c.* S. Bernardinus dicit, quod Ascensione completa ad

Serm. de Ascens.

Patris dexteram se collocarit, idque quia *in hac dextera sunt delectationes usque in finem, & ideo monet Apostolus ut quæramus quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

Ascensio Christi in Aquila præfiguratur, cujus variæ ad hoc mysterium adaptatæ proprietates considerantur.

DISCURSUS DECIMUSQUINTUS.

Et facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor.
Ezech. cap. 1. v. 10.

1. VAldè mysticus hic semper visus est currus ille ab Ezechiele adumbratus, in quatuor, quas præseferebat, faciebus variè effigiatis. Facies etenim hominis figurabat Verbi incarnationem: facies Bovis, ejus passionem; facies Leonis, resurrectionem: & tandem facies Aquilæ Ascensionem ejusdem repræsentabat. Hæc autem Aquilæ facies desuper ipsorum quatuor animalium erat, qui mysterium istud præ omnibus aliis, quæ in vita Christi continentur, maximè est

Serm. 1. de Ascens.

admirandum. Undè Sanctus Bruno: *Habuit similitudinem hominis, quia verus homo; vituli, quia sacerdotalis hostia in cruce veluti vitulus moriendo; habuit similitudinem leonis, tertia die resurgendo de sepulchro, & corpus suum ut leo catulos rugitu vivificando: habuit similitudinem Aquilæ quadragesimo post resurrectionem die ascendendo.* Idemmet mysterium nobis Sapiens in Proverbiis in

Prov. 30. 18

Aquila delineavit, dum ait: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia:* per quorum ultimum Incarnatio denotata fuit, in qua *fœmina circumdedit virum: Via navis in medio mari,* ad ejus passionem alludit. Undè Hugo

In Ps. 66. 3.

Cardinalis ait: *Via viri in adolescentia est Christi incarnatio in beata Virgine. Via maris in medio maris, Crux sua fuit ei navis, ad transeundum mare mundi: via colubri super petram,* fuit ejus Resurrectio; quia sicut coluber inter duas petras pertransiens, sese renovat quoad pelliculam, ita Christus sepulchri sui lapidem transiens &

pene-

penetrans, sacratissimæ humanitatis suæ exuvias per resplendentem gloriosarum dotum gloriam renovavit. *Viam Aquilæ in cælo*. Quæ verba Glossa non indigent; siquidem in die Ascensionis velut aquila in cœlum evolavit. Olim sanctus Job interrogabat: Cap. 39.27. *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? in petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, inde contemplatur escam, & de longè oculi ejus prospiciunt: pulli ejus lambent sanguinem*. Albertus Magnus Sermone primo de hodierna festivitate, verba illa de Ascensione Domini interpretatur, dum ait: *Attende quod per aquilam, de qua hic agitur, Dei Filius figuratur, qui ad præceptum Patris elevatus est in Ascensione, & in arduis cœlorum posuit nidum suum; ubi manet in petris, in animabus electorum, quæ tentationibus dæmonum fortiter restiterunt. Commoratur etiam in silicibus, hoc est, in sanctis Angelis, & inaccessis rupibus, hoc est, in eminentia sancta & individuæ Trinitatis*. Nos igitur, qui instar pullorum suorum sanguine ejus nutrimur, ad ipsum nos erigere debemus: multi autem sunt, qui veluti corvi; ab aliquo sensualitatis morticinio vel cadavere attracti, ad Noemum in arcam redire nolunt. Sanctus Bonaventura hanc quoque Scripturæ sententiam adducit, dicens: Serm 1. *Pulli ejus lambunt sanguinem ejus de calice. Aquila licèt sit tantæ liberalitatis, quod escam suam communicet aliis avibus, non tamen propriam carnem vel sanguinem corporis sui, quod utique Christus facit*.

2. *Facies aquilæ desuper ipsorum quatuor*. Ezechiel igitur eam aliis animalibus vidit esse superiorem. Salmeron ait: Tom. 11. 11. 35. *Aquila avis est generosa, & volatilium Regina coronam à natura gestans*. Porro regia hæc aquila hodie in cœlis coronatur per cœli terræque dominium & monarchiam; dum enim ad Patris dexteram evolat, adimpletur quod priùs dixerat: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*: Matth. 28. *In arduis posuit nidum suum*. *Ipse quidem ascendit super Cherubim* (ait Guerricus Abbas) Serm. de Ascens. *& volavit super pennas ventorum, id est, supergressus est virtutes Angelorum*. *In arduis*; nam Albertus Magnus verba illa: *Sedet à dextris Dei*, ponderans, Serm. 1. de Ascens. ita scribit: *Innuuntur tria, videlicet quòd collata sit Christo homini à Deo Patre potestatis æqualitas; secundò, honoris paritas; tertiò omnis boni identitas*.

3. *Facies Aquilæ*. Abulensis scribit: Parad. 5. c. 1. *Inter volatilia nullum æquè ut aquila ad aeris verticem conatur ascendere; altissimum enim volatum habet: Christo hoc congruit, ipse namque altius quàm cæteri homines volatum extulit*. *In nidum altum*, quæ verba Sanctus Thomas de Villa-Nova hac Glossa illustrat: Conc. 2. *Nidum & securum & tutum, nidum sempiternum, quo nequeat venenatus serpens irrumpere*. Inter volatilia nullum est, quod in cœlum altius se evehat, & à terra remotiùs recedat, volando non in gyrum, sed sursum recto tramite. Idipsum generosa hæc aquila pullos suos docere voluit, nimirum hæc terrena bona generosè contemnere, neque circum illa gyrando verti, sed recto tramite tendere ad bona æterna. *Ubi corpus, ibi aquila, legisti in Evangelio*; Lib. 2. fact. cap. 2. ubi Sanctus Ambrosius: *Ubi corpus Christi, ibi & aquilæ volare consueverunt, ut terrena fugiant, cœlestia petant*.

4. *Facies aquilæ. De longè oculi ejus prospiciunt*. Abulensis scribit: *Visivam potentiam, & oculos convenientius ad acutè videndum dispositos, quam omnia animalia habent. In aquila hoc speciale ad cætera volatilia, & cuncta animantia accidit, quod nullum illorum sit, cujus acies ad lucem fortem non retundatur, aquilæ autem contuitus nulli, quantumcumque luci forti, cedit*. Hæc autem proprietas in divina hac aquila pariter conspicitur; siquidem *inter cæteros homines essentiam divinam acutius & immediatius contemplatur; Angelos quoque in hoc excellit: & hoc de Christo, ut homo est, loquimur*. Fuit nonnemo, qui pro corpore emblematis aquilam sibi elegit, scopulo cuidam marino insidentem, indeque quemvis etiam minutissimum in fundo aquarum natitantem pisciculum prospicientem, cui emblemati hanc subjunxit epigraphen: *Profundissima quæque*. Hac quoque oculi ejus præditi sunt excellentia, quod tametsi ipsa in altissimum usque cœli ætei verticem evolet, fixos tamen versus nidum & pullos suos oculos perpetuò tenere non desinet: quem eundem effectum Ecclesiæ fideliumque suorum nidus semper hactenus quoad divinam Aquilam nostram, experientia didicit; utpotè quos hactenus perpetuò defendit atque tutatur, tametsi nunc in celsissima cœli empyrei parte resideat: de hoc etenim ipsemet contestatur dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Matth. 20.

5. *Facies aquilæ; sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans. Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris*; nimirum alludit ad id, quod populum suum in terram promissionis introducendo operatus est. Undè Guerricus Abbas ait: Deut. 32. 11 *Sicut aquila hodie provocabat pullos suos, quando super eos volitabat, cum scilicet videntibus illis elevaretur diuque sequerentur oculis euntem in cælum*. Suo quoque exemplo eis demonstrabat, & ipsos, se post eum aliquando ascensuros esse, sperare firmiter posse. *Corde sursum post se levare nitebatur amore sui, & corpora similiter posse sublevari pollicebatur exemplo sui corporis. Quid aliud hodie Christus* (inquit Thomas de Villa-Nova) Conc. 1. *grandi sanctorum Patrum caterva comitatus apparuit, nisi aquila grandis alarum suarum remigio pullos suos in cœlestia deferens*. Voluit enim ut viderent, quòd non solus ipse ascenderet, nec solos Angelicos spiritus secum haberet; sed & alios generis nostri consortes innumeros. Et hinc est quod Tertullianus carnem hanc nostram de patiendum fortiter animarit, dicens: Hom. 2. de Pentec. *Securi estote caro & sanguis, usurpastis cœlum in Christo Jesu*. Verum enimvero videtur quidem Sanctus Maximus se huic quæ aquilam & Christum ascendentem inter instituitur comparationi omnino opponere, dum ait: *Sed quid facimus, quod aquila frequenter diripit, tollit frequenter alienum?* hic tamen subitò suum emendat errorem, dicens: *Nec in hoc tamen dissimilis est Salvator, prædam enim quodammodo sustulit, cum hominem quem suscepit, ex inferni faucibus raptum portavit ad cœlum, & alienæ dominationis, id est, diabolicæ potestatis servum, de captivitate erutum, duxit ad altiora captivum, sicut scriptum est: Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*. Verum quidem est quòd ipse dexteræ Dei Patris assideat, suos tamen oculos super nos constanter defixos tenere non desinit, haud secus ac si præsens nobis adesset. *Tuæ tamen condescendens infirmitati* (ait Guerricus Abbas) *expandet alas tuas, & assumet te, atque portabit in humeris suis*.

6. *Facies Aquilæ*. Notissima est illa aquilæ proprietas, quòd velut adulterinos pullos illos à se abjiciat, qui in ardentissimi Solis rotam suas non figunt constanter irretortas oculorum pupillas, Salmeron de hac divina Aquila ait: Tract 35 *Pro suis illos non agnoscit, qui terrenis immersi oculos ad divina intuenda non habent*. Ipse quidem nos dummodo voluntariè consentiamus, adoptavit filios: *Dedit nobis potestatem filios Dei fieri*; curandum tamen nobis est, ut ab hac adoptione non degeneremus, sed memores semper simus nos patrem habere Deum, & consequenter in cœlis hæreditatem nostram nos possidere.

7. *Facies aquilæ*. Philosophi naturales aquilam adeo generosi hac magnanimi cordis esse dicunt, ut prædam suam non inter pullos suos tantùm, sed inter omnes quoque alios distribuat, qui in ejus fuere societate. Ita Christus ad cœlum conscendens, non solùm spiritus Angelicos, sed nos quoque regni sui sodales & consortes esse voluit, dummodo eum sequamus: Joan. 26. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*.

8. *Facies Aquilæ. Quamdiu pulli sunt; illic diligenter prospicit*, (inquit Salmeron) *ubi verò grandescunt, & pennæ eorum crescunt, solet per unum & alterum diem abesse: postremo ubi grandes evaserint, omninò eos deserit, ut ipsi cibo subtracto & fame urgente, suo marte & per seipsos vivere addiscant*. Sic quoque Christus, quamdiu in hac mortali vita substitit, cum Apostolis commoratus fuit; à mortuis verò resurgens nonnunquam quidem illis apparuit, ut eos ad cœlestium bonorum considerationem exstimularet? at verò illos sacratissimæ humanitati suæ nimium addictos esse videns. *Illam tanquam cibum sive escam à conspectum illorum subtraxit, ut ea ratione invitaret discipulos ad volandum per universum orbem, & victum sibi compararent ex præda animarum*.

9. *Facies Aquilæ. Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Ad hoc Pontifex summus* (inquit Ivo Carnotensis) Matth. 26. 28 Ser de Ascens. *pro nobis præcursor in vera sancta sanctorum, ad dexteram scilicet Dei Patris, ascendit, ut spem membrorum suorum confirmaret, eò secuturam gregis humilitatem, quo suum credit præcessisse Pastorem; sic enim ipse Dominus promittit discipulis: Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur &*

tur & aquila; aquilas vocat Sanctos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo. Denique proprium aquilæ esse dicitur, cadaveris alicujus etiam ultra mare positi fœtorem odoratu suo persentiscere, atque ad eam prædam invadendam ingenti cum celeritate advolare. *Hæc esuries aquilarum*, inquit idem Author, *significat desiderium animarum sanctarum, quæ caput suum extra mundi turbines in summa quiete locatum fidei naribus sentientes, spei volatu præsentia conditoris vellent assistere, & sanctitate vultus ejus sine fine gaudere.*

DE SOLEMNITATE PENTECOSTES SIVE SPIRITUS SANCTI

Discursus Viginti & Unus:

Discursus I. Nonnullas adducit rationes cur Spiritus sanctus in hoc festo descenderit. Ostenditur etiam quòd manifestum Spiritus sancti in nobis recepti signum sit divinæ legis observantia.

Discursus II. Plurium personarum in oratione facienda unio; sincera cum proximo concordia, humilitas, suique ipsius contemptus, optimæ sunt ad Spiritum sanctum recipiendum dispositiones.

Discursus III. Inspirationibus Spiritus sancti sine ulla dilatione aut mora respondere debemus.

Discursus IV. Soni illius, in quo Spiritus sanctus descendit, mysteria considerantur.

Discusus V. Cur instar venti venerit, variæ adducuntur rationes.

Discursus VI. Tractat de plenitudine gratiarum & donorum, quam Spiritus sanctus confert. Simulque ostenditur quòd Spiritus sanctus alium spiritum nequaquam admittat, quin potiùs solus ipse totam domum, id est, cor nostrum implere velit.

Discursus VII. Sicut linguarum divisio quondam turrim Babel depressit, ita hodie donum linguarum Ecclesiam erigit; siquidem Apostoli per illas in prædicatione & mundi conversione strenuè pugnarunt.

Discursus VIII. Adducuntur aliæ rationes, cur Spiritus sanctus linguarum figuram induerit.

Discursus IX. Quale illud linguarum donum fuerit, declaratur; variæque in hanc rem sacrorum interpretum opiniones adducuntur.

Discursus X. Figura ignis, in qua Spiritus sanctus descendit, divinitatem illius & necessitatem denotat, qua illo extremè indigemus. Et alia nonnulla mysteria tanguntur.

Discursus XI. Hic ignis Spiritus sancti Imperii symbolum est, consumptisque idololatriæ vitiorumque stirpibus humanam illuminavit cæcitatem, ipsosque Apostolos incalescere fecit, & animosos reddidit.

Discursus XII. Alia hujus ignis considerantur mysteria, Spiritui Sancto adaptata.

Discursus XIII. Variæ adducuntur rationes, cur Spiritus sanctus super Apostolorum aliorumque capitibus insederit; simulque ostenditur sessionem hanc stabilitatem denotare.

Discursus XIV. Ex quibusdam vini proprietatibus nonnulli, quos Spiritus sanctus in nobis operatur, deducuntur effectus.

Discursus XV. De ebrietate spirituali, quam mysticum hujus sanctissimi Spiritus sancti mustum in nobis operatur.

Discursus XVI. Tractatur de Spiritu Sancto sub symbolo Aquæ, & per allusionem ad hanc varii considerantur effectus.

Discursus XVII. Verborum illorum Apostoli ad Ephesios: Nolite contristare Spiritum sanctum; variæ adducuntur interpretationes, in quibus monemur ne Spiritum S. contristemus.

Discursus XVIII. Ostenditur quomodo Spiritus sanctus dexteræ Dei digitus nominetur.

Discursus XIX. De multiplicitate effectuum, quos operatur S. Sanctus: necnon de bonis multis quæ confert.

Discursus XX. Castitatis virtutem nobis infundit, atque ad tentationes carnales vincendas opem singulariter præbet.

Discursus XXI. De septem donis Spiritus Sancti, necnon de fructibus ejusdem, aliisque gratiis.

Nonnullæ adducuntur rationes, quibus Spiritus Sanctus in hoc Festo descenderit. Ostenditur etiam, quod manifestum Spiritus Sancti in nobis recepti signum sit divinæ legis observantia.

DISCURSUS PRIMUS.

Dum complerentur dies Pentecostes, factus est de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis. Act. Apost. cap. 2.

1. Jure merito, inquit S. Bernardus, præsentem celebramus Spiritus Sancti festivitatem; cum enim à nobis per anni decursum multorum agantur Sanctorum solemnia magis utique decet & congruit id in ejus honorem facere, a quo omnes Sancti suam participant sanctitatem: *Si celebramus Sanctorum solemnia, quanto magis ejus, à quo habuerunt ut sancti essent quotquot fuere Sancti?* Undè Chrysostomus solemnitatem hanc appellat *Metropolim festorum*. Enimvero ne de tam sublimi festivitate prorsus indignè discurramus, operæ pretium erit sacræ nobis eloquentiæ donum implorare, utpotè quæ ab hoc sanctissimo Spiritu derivatur. *Quis dubitat dona Spiritus sancti* (inquit Absalon Abbas) *esse facundiam verborum?* hanc autem nobis sperare licebit, si nos reddiderimus dignos, qui illum recipiamus intra animæ nostræ hospitium; unus namque inter cæteros ejus effectus est, quod *sermone ditat guttura.* Et quidem primo loco mysteria examinemus, ob quæ magis seu specialius hac, quàm alia quavis anni die ad nos descendere decreverit.

Serm 1 de Pent. c

De Sanct. Pen. lect. 37.

Serm 36.

2. *Dum complerentur dies Pentecostes.* Enimvero ethymologia hujus nominis Pentecostes à Lyrano optimè tangitur: *Pentecostes, id est, quinquaginta, à πέντε, quod est quinque, & δέκα, quod est decem.* Dionysius Cartusianus ait: *Quasi quinquies decem quæ faciunt quinquaginta.* Erat autem hic dies apud populum Israeliticum valdè solemnis, in memoriam legis quondam à Deo in monte Sinai datæ post quinquaginta dies à tempore Agni Paschalis in Ægypto sacrificati, quando à duræ servitutis compedibus liberati erant. *Convenienter in illa die fuit infusum Apostolis Spiritus sancti donum, per quod lex Evangelica impressa fuit, & firmiter radicata in cordibus eorum.* Ita Lyranus. Etenim convenientissimum esse videbatur, si post tot seculorum transactum circulum eodem prorsus die, quo lex scripta Judæorum populo olim data fuit, populo quoque Christiano, utpotè qui populo Hebræorum successerat, ministraretur lex Evangelica. Undè Glossa ait: *Lex in monte Sina, Spiritus in monte Sion.* Id quod Isaias quondam prædixerat: *De Sion exibit lex.* Ad hanc igitur legem, quæ meræ charitatis, merique amoris futura erat, Apostolis omnibusque aliis ibidem congregatis fortiter imprimendam, ut illam deinceps per totum universum promulgare possent, descendit Spiritus sanctus. Quando lex Mosaica promulgata fuit, *totus mons Sinai igne conflagare videbatur; Totus autem mons Sinai fulgebat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne*, cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura. Simile quid hic pariter cernitur; auditus enim hic ventus vehemens instar turbinis, & sonus quidam audiebatur cœlitus instar tonitrui horribilis: *Factus est de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis.* Descenditque Deus in specie ignis: *Congruebat ut responderet figura legis res ipsa figurata*, inquit Salmeron; *ut enim illa post quinquaginta dies ab egressu de Aegypto scripta fuit in tabulis lapideis ac duris: ita post quinquaginta dies à Christi Resurrectione hæc scripta fuit in tabulis cordis carnalibus.* Quamvis etiam non immerito observari possit, Apostolos pariter videri tabulas fuisse lapideas, quando *exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis*, quamvis ex tabulis lapideis facti sunt carneæ tabulæ, ut propheticum illud adimpleretur oraculum: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum ponam in medio vestri.*

Isa. 2. 3.

Exo 16. 18

Tom 12. Tract. 11.

Ezech 36, 26.

stri. Qui idem Spiritus in Jeremia pariter nobis promissus fuit, ut quo tempore totum quasi genus humanum, solo excepto populo Israelis, dæmoni propter idololatriam subjiciebatur, lex nobis ministraretur Evangelica, per quam Deo subjiceremur: *Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*. (Jerem. 31. 33.) Hanc autem novam legem Deus mediante digito suo, id est, mediante Spiritu Sancto (*Dextera Dei tu digitus*) non lapidibus, ut factum est in lege veteri, sed in cordibus nostris incidi aut insculpi voluit: *Christus legem Evangelicam*, inquit Lyranus, *non scripsit in pellibus, vel tabulis materialibus; sed in humanis cordibus, & potissimum quando super credentes misit Spiritum sanctum in die Pentecostes*. Porrò si quis ex me quærat, quamobrem eodem tempore quo nova hæc lex nostris erat imprimenda & inscribenda cordibus, Deus quoque nobis mittere voluerit Spiritum sanctum? opportunum mihi videtur, si cum sacro quodam Interprete respondero, qui illum Apostoli textum adducens: *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*, ita scribit: *Eodem die, quo lex data est, & Spiritus sanctus largitus est, ut sciremus, sine spiritu legem non impleri*. (Joan. Ferus in Acta.)

3. *Dum complerentur dies Pentecostes*. Olim quoque festivitas Pentecostes in Hebræorum populo secundum quendam finem habebat, nimirum gratiarum actionem divinæ majestatis referendam, pro anni illius concessa hominibus messe, nam quo tempore solemnitas hæc celebrabatur, tempus quoque messis colligendæ aderat: *Cum falx mittenda esset in messem*, inquit Chrysostomus, (Hom. 14. in Acta.) *cum fructus essent colligendi. Vides typum? vide jam veritatem: cum falx sermonis esset adhibenda, cum colligendæ fruges; tunc Spiritus ille velut acuta falx advolavit; audi Christum loquentem: Attollite oculos vestros, & videte regiones quod jam albæ sunt ad messem*. Cùm igitur cœli granarium tot jam sæculis obseratum fuisset, adeo ut quasi totum genus humanum degeneraret in paleam mittendam in ignem æternum, tunc prope tempus aderat, quo præceptum adimpleretur Christi dicentis: *Triticum autem congregate in horreum meum*. (Matt. 13. 30.)

4. *Dum complerentur dies Pentecostes. ideò autem quinquagesimo* (inquit Beda in Glossa) *quia indulgentia fiebat in Jubilæo, & per Spiritum peccata remittuntur, charitas diffunditur, quæ operit multitudinem peccatorum*. Hinc est, quòd quando Redemptor noster potestatem remittendi peccata Apostolis conferre voluit: *Insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. (Joan 20. 22.) Undè in hujus solemnitatis Feria tertia in ultima oratione Missæ expressè dicitur: *Ipse est remissio peccatorum*. Joannes Ferus in Commentario super Acta Apostolorum ita scribit: *Quinquagesimo die gratia Spiritus sancti Discipulorum cordibus infusa est; quia quinquagesimus annus jubilæus erat, ut notum esset omnibus ab adventu Spiritus sancti verum & perpetuum Jubilæum incepisse*. Varias autem Jubilæi illius enumerat conditiones, easque cum eximia illa confert utilitate quæ à Spiritus sancti adventu in nos derivatur: *Nunc in spirituali Jubilæo rei solvuntur, debita remittuntur, exules in patriam iterum revertuntur, hæreditas amissa redditur, servi, id est, homines peccato venundati à jugo servitutis liberantur*.

5. *Dum complerentur dies Pentecostes*. Porrò observandum est, quòd Hierosolymis in hac festivitate ex variis mundi provinciis convenire consueverint innumeri homines gentiles pariter & Hebræi; ac proindè divina providentia voluit, ut Spiritum S. cum tanti populi admiratione super cœnaculo Sionis in signo visibili descenderet, ut hi omnes miraculorum, quæ ibi fiebant, oculati essent testes, simulque essent promulgationis novæ legis Evangelicæ fideles auditores, mysteriaque à promisso Messia in ordine ad generis humani redemptionem operata intelligerent, ut vel sic nemo esse posset, qui excusare se posset, quasi, quæ vel qualis Christiana religio esset, quæ annuntianda erat, hactenus ignorasset: *Die solemni Spiritus venit* (inquit in Beda in glossa) *ut tanta virtus haberet multos, qui approbarent, & varias linguas cognoscerent*.

6. *Dum complerentur dies Pentecostes*. Salmeron aliam solemnitatis hujus congruentiam adducit: *Quia post* (Tom. 12. tract. 11.) *quadraginta dies præsentia suscitati Christi, & decem absentia orantis in cœlo per verbum æternum & externum in oratione erant dispositi ad spiritus susceptionem, & per consilia Evangelica significata in quadraginta, & decem præcepta per numerum denarium*. Observandum est autem, quòd quando Deus humano generi Sanctissimum Spiritum suum promisit dicens: *Spiritum meum ponam in medio vestri*, finem quoque principalem, ob quem illum daturus erat immediatè subjunxerit: *Et faciam ut in* (Ezech. 36. 27.) *præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini*. Hoc igitur die Redemptor noster Evangelicam legem nobis dedit, atque ut illam tanto facilius adimplere possemus, Spiritum S. nobis misit, qui mera charitas merusque amor est, ideoque fini præceptorum, qui charitas est, perfectè respondet. Et ob hanc fortè causam Ecclesia Dei ab eodem Spiritu S. directa in ambobus diebus, scilicet tam vigiliæ hesternæ, quàm hodiernæ festivitatis, hanc divinorum præceptorum observantiam tam efficaciter insinuat & inculcat, veluti si observantia isthæc indubitatum quoddam sit recepti Spiritus S. indicium: *Qui habet mandata mea, servat ea, ille est qui diligit me*; quod idem est ac si diceret: Quisquis præcepta mea diligenter observat, habet amorem meum, qui est Spiritus sanctus. In hodierno quoque Evangelio scribitur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; qui non diligit me, sermones meos non servat*. S. Petrus Damianus hujus diei Concionem hunc in modum instituit: *Nos spiritum hujus mundi non accipimus, sed Spiritum qui ex Deo est*. Ut autem distinctiùs explicet, quisnam illè mundi spiritus sit, qui Spiritui Dei contrarius existit, dicit: *Quis est autem spiritus mundi? Ille profectò est, qui suadet homines divina præcepta contemnere*. S. Bonaventura manifestum signum, undè Spiritum sanctum in nobis esse colligere possimus, hoc sequens esse dicit: *In hoc scimus quoniam* (Serm. 11. de Pentec.) *manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis: dat nobis spiritum, ut mandata ejus servando in ipso maneamus, & ipse in nobis*. Idem S. Petrus Damianus hoc quoque adducit præsentiæ Spiritus sancti convincens argumentum: *In hoc profectò constat, quia Spiritum Dei habetis, si Deum verè agnoscitis*, idque hac ratione probat, quia *Nemo quæ Dei sunt novit, nisi Spiritus Dei*. Ex quibus præmissis hæc tandem ducitur consequentia: *Quis ipsum posset Deum cognoscere, nisi ejus Spiritum mereatur habere*: At verò num fortè vos hanc Dei cognitionem & notitiam habere dubitatis? Audite S. Joannem clarè id verbis exponentem: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Undè & ille perfectus mandatorum Dei custos ajebat: Nos spiritum hujus mundi non accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*; quibus verbis eo quo diximus modo inter spiritum hujus mundi & Spiritum Dei distinguit, quia spiritus hujus mundi est ille, qui nos facit divina contemnere, & prævaricari mandata. *Os meum aperui*, dicebat quondam Propheta regius, *& attraxi Spiritum*! quisnam autem fuit hujus sacrosancti Spiritus imbibiti finis? hunc declarat quod immediatè subjungit ardentissimum divina præcepta observandi desiderium, *quia mandata tua desiderabam*.

Plurium personarum ad fundendas orationes concurrentium unio: sincera cum proximo concordia: & humilitas, sui ipsiusque contemptus, optimè sunt ad Spiritum sanctum recipiendum dispositiones.

DISCURSUS SECUNDUS.

Erant omnes pariter in eodem loco. Act. Apost. cap. 2.

1. VAldè notabilis est illa, quam Evangelista in hodiernæ festivitatis historia observat, circumstantia, quòd scilicet omnes æqualiter in eodem loco conjuncti fuerint eo tempore, quo super illos descendit Spiritus sanctus: *Erant omnes pariter in eodem loco*. Porrò Glossa circumstantiæ hujus rationem reddit, dum ait: *In una domo sedentibus infunditur Spiritus, ut Ecclesiæ unitas commendetur*. Hi enim, qui in cœnaculo illo congregati erant, universam Ecclesiam repræsentabant; ibi namque simul congregabantur sanctissima Virgo, Apostoli, Discipuli, aliique illuminatissimi servi Dei, qui Firmamenti hierarchiæ Ecclesiasticæ columnæ erant. Increata igitur Sapientia eos simul esse voluit, ut perpetuam significaret Ecclesiæ unitatem quam in eadem quoque Ecclesia deinceps requirabat, utpotè cui infallibiliter adfuturus esset Spiritus sanctus,

prout

prout in tot Conciliorum celebratione, in iisque propositorum dogmatum veritate, nec non in controversiarum ad fidem Romano-Catholicam spectantium decisionibus, frequenti est experientia comprobatum.

2. *Erant omnes pariter*. Græcus textus *unanimes*; qui proindè ad Apostoli exhortationem alludit, ita monentis: *Unanimes uno ore honorificetis Deum*. (Rom. 15. 7.) Quando in facienda oratione omnes unanimes & concordes sumus, tunc utique sperare possumus futurum esse, ut hic Paracletus, id est, advocatus noster supplicationes nostras clementer expediat, responsumque ad illas favorabiles referat: (Judith 7. 4.) *Filii autem Israel, ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes, ut Deus misericordiam suam ostenderet super populum*. Fuitque oratio isthæc adeo potens & efficax, ut Judith ex peculiari Spiritus sancti instinctu ad facinus illud heroicum feminea & imbelli manu sua caput Holofernis detruncandi patrandum, sese protinùs accinxerit. (Tom. 12. Tract. 52.) *Plurium concors oratio efficit* (inquit Salmeron) *ut efficacius impetrent quod volunt à Domino*. Sanctus quoque Cyprianus de quotidiana oratione tractans, (In Orat. Dom.) ac tandem ad eam quam Apostoli in cœnaculo ad Deum effundebant, considerandam descendens, scribit: *Erant perseverantes unanimiter in oratione; orationis suæ simul & instantiam & concordiam declarantes*. (Hom. 2. in Epist. 2. ad Corinth.) Undè etiam considerabile est elogium illud, quod S. Joannes Chrysostomus plurium unanimiter congregatorum orationi attribuit, dum ait: *Reveretur Deus multitudinem unanimem & consentientem in precando*. Atque ideo institutæ sunt publicæ processiones, quadraginta horariæ orationes, Horarum item canonicarum recitationes, quæ tam à Clero sæculari, quàm Regulari in Choro unanimiter Deo persolvuntur: ad eundem quoque finem erectæ sunt multæ confraternitates, aliæque sacræ Congregationes, Deus etenim Spiritum suum suasque gratias in majori cumulo illis communicat, qui supplicationes suas simul congregati ei porrigunt, & ob oculos præsentant. *Scimus quod concordia ad proximum* (inquit S. Bernardinus) (Ser. de 7. donis Spirit. S.) *seu fratrum collegium cum vacatione attenta orationis ad Deum integra dispositio sunt ad Spiritus sancti cumulatum donum*. Neque enim primos illos fideles, prouti in actibus Apostolicis scribitur, Spiritum sanctum in signo visibili tunc recepisse invenietis, quando singuli orationem suam in propriis domibus privatim faciebant, sed quando simul congregati precabantur, suasque ad Deum orationes fundebant.

3. *Erant omnes pariter*. Interlinearis legit: *Unum cor & animam habentes*. Lyranus super hæc eadem verba ait: *Illi, quibus tunc datus Spiritus sanctus fuit, erant simul habitantes, & Deum orantes, & in his perseverantes*; idque ad dandum nobis utilissimum hoc documentum, curandi scilicet in nobis unionem & pacem cum proximis nostris. *Per quod patet, quòd illi, qui simul juncti sunt charitate, & orant Deum devotè, & perseverant in hac occupatione, donum Spiritus sancti recipiunt abundè*. Idem quoque punctum S. Chrysostomus super hunc actuum Apostolicorum librum scribens, tangere videtur, dum ait: *Cum instant deprecationi; cum charitatem inter se habent, tunc advenit Spiritus sanctus*. Cujus ratio est, quia cùm Spiritus sanctus sit amor & charitas. *Fons vivus, ignis, charitas*; ideo ibi solùm reperitur, ubi hæc virtus vigere cernitur; econtra vero ubi simultas est & discordia, ibi minimè invenitur. (Serm. de Pentec.) *Descendit Spiritus super unanimes* (inquit B. Laurentius Justinianus) *sedentes, atque orantes; diligit hic Spiritus unitatem, amat pacem, diligit concordiam, hunc si suscipere cupis, noli dissidere cum fratribus, noli à visus esse in te; concordet in te voluntas, & ratio, caro & spiritus*. S. Vincentius Ferrerius in sermone de præsenti Festivitate hanc nobis unionem & concordiam cum proximis seriò commendat, omnino existimans, quòd sine hac hujus sancti Spiritus capaces esse minimè possimus; ad quod persuadendum sequenti utitur similitudine: *Quia sicut spiritus humanus ad hoc ut vitam det corpori requirit conjunctionem membrorum; quia si membra sunt divisa, scilicet caput seorsim, & manus, & pedes, & sic de aliis, spiritus recedit, nec remanet cum aliquo membro diviso; ita etiam est de Spiritu sancto*. Qua similitudine nobis sanctus hic vir rempublicam quandam in unico tantùm corpore, v. g. humano adumbrat, ostenditque quòd membra illius varios designent status & vocationes hominum. Populi enim di-

Mansi Prompt.

ci possunt illi (inquit S. Vincentius) qui scientiarum speculationibus dediti sunt: aures sunt judices, quorum munus est aliorum causas audire, easque decidere: nares homines virtuosos & exemplares significant, utpotè bonum nominis odorem sibi attrahentes & vendicantes: os sunt Sacerdotes, qui pane Eucharistico quotidie cibantur: brachia sunt milites, qui rempublicam defendunt; pedes sunt opifices, artifices, laboratores, seu operarii: denique totius corporis caput est Christus. *Sicut enim* (subjungit idem sanctus) *in uno corpore scilicet humano multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, & quamdiu sumus uniti & conjuncti in bona pace & concordia, quando majores diligunt minores; & minores honorant majores; Clerici conveniunt cum laicis, & econverso, vir cum uxores, & econverso; pater cum filiis, & econverso tamdiu Spiritus sanctus vivificat corpus communitatis: sed si membra sint divisa per invidiam & rancorem, statim recedit Spiritus sanctus*. Totus hic discursus est S. Vincentii super verba Thematis à principio proposita: *Erant omnes pariter*; glossa explicat *pariter, id est, concorditer*. Deus die quadam sanctum Prophetam Ezechielem accersivit, eique latum campum ostendit nudis ossibus refertum, & interrogavit, an illa à se resuscitari posse crederet: *Fili hominis, putasne vivent ossa ista?* (Ezech. 37) Qui respondit ei: Tu scis Domine, qui id facere valeas. Jussit itaque Deus ut ossibus istis prædicaret: *Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida audite verbum Dei*. Qui cùm divino jussui obtemperasset, confestim inter cineres, & ossa illa commotionem quandam audire cœpit: *Factus est autem sonus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam*. Unitique sunt pedes simul cum tibiis, capita cum bustis, manus cum brachiis; cumque caro superveniens ossa contexisset, simulque connexisset, protinus in corpus illud ingressus est spiritus, halitus, & vita: *Ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, & steterunt super pedes suos exercitus grandis nimis*. Enimvero id, quod in illa historia proposito nostro deservit, solùm hoc est, ut scilicet sciamus causam, cur Deus ossibus illis non communicaverit vitam quando disjuncta erant, sed voluerit ut priùs unumquodque cum alio in loco suo conjungeretur. In promptu autem est responsio; quia nimis ingens futura fuisset monstruositas, si lingua extra palatum constituta loqui cœpisset, vel si pedes se capiti junxissent, vel si caput potentiarum suarum interiorum & exteriorum usum habuisset, separatum à corporis busto; nunquam visum est naturaliter fieri posse, quòd membrum aliquod à corpore divisum vitam recipiat, & multò minus quòd juxta suas dispositiones operetur, nisi aliis suis compartibus fuerit conjunctum, nisi id miraculosè fiat. Cur verò Deus tale miraculum non fecit? Quia increatæ Sapientiæ consultum fore videbatur, si utilissimum hoc mundo documentum relinqueretur, quo firmiter sibi persuaderent, neminem Spiritum Dei participare posse, nisi perfectè cum proximo suo unitus fuerit; siquidem *unum corpus sumus*; imo mortuus potiùs erit & manebit, quamdiu à fratre suo per invidiam aut rancorem fuerit separatus: *Sicut humanus spiritus nunquam vivificat membra* (inquit sanctus Augustinus) *nisi sint unita; sic & Spiritus sanctus nos non vivificabit, nisi pace fuerimus uniti*. (Serm. 2. ad Fratr. in Erem.) Expositor quidam in Acta Apostolorum scribens ait. (Jo. Ferus.) *Habes, qui primò receperunt Spiritum, quid egerint? unanimes erant, in sublimi loco habitabant, denique orabant; ad hos venit Spiritus sanctus*. Undè ulteriùs dicit, non esse quod miremur, quod nos sancti Spiritus adventum in nobis quoque non experiamur: *Ubi enim pectus ira, rixis, invidiaque lividum est, ibi nullus Spiritui sancto est locus residuus*.

4. *Erant omnes pariter*. Aliam quoque super illud ly *pariter* considerationem facere possumus, ut paritatem seu æqualitatem significet; neque enim jam ampliùs de primatu inter se contendebant, sed omnes in cœnaculo illo adunati orationi summa cum humilitate, suique ipsius contemptu, ferventer instabant. *Ad quem respiciam* (inquit Deus per Isaiam) *nisi ad pauperculum & contritum spiritu*. (Isa. 66. 2.) Idem quoque Propheta cap. 11. gratiarum plenitudinem, qua locupletandus erat Messias, prædicit, & in specie agit de septem donis Spiritus sancti. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis*; & concludit tandem dicens: *Replebit eum spiritus timoris Domi-*

ni. Circa quam donorum Spiritus sancti recensitionem dubium quoddam mihi subnascitur, cur scilicet donum timoris Domini in fine ponat, cùm tamen idem Spiritus sanctus per os Ecclesiastici dicat: *Initium sapientia*
Cap. 1. 16. Lib. de Panib. cap. 14. *timor Domini*. Respondet Petrus Cellensis, quod sicut ad thesaurum aliquem custodiendum vigiles aliqui exponi solent; ita quoque ad cœlestium gratiarum thesaurum custodiendum excellentior aut securior vigil seu custos exponi nequeat, quàm timor Domini. *Beatus ho-*
Prov. 28. 14. *mo qui semper est pavidus*. Semper enim timendum nobis est, ne hæc dona hasque gratias culpa nostra perdamus, ideoque humilitati semper est insistendum. *Quasi enim custos super innumerabiles gazas; sic timor in ultimo charismatum ponitur, ad conservandas innumerabiles gratias.*

Inspirationibus Spiritus sancti sine ulla dilatione aut mora respondere debemus.

DISCURSUS TERTIUS.

Factus est repente de cœlo sonus.

1. Spiritus sanctus super cœnaculum Sionis repentina cum velocitate descendisse dicitur: *Factus est repentè de cœlo sonus*. Undè glossa interlinearis sequens documentum elicit: *Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, juxta illud: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Torrentes, qui ingenti cum impetu rapiuntur, cœlestem Hierusalem inundant & fœcundant, id est, qui ab impetu torrentis inspirationum Spiritus sancti rapi se sinunt, quique sine ulla mora aut dilatione iisdem respondent, hi sunt qui quovis tempore civitatem Dei populosam efficiunt. *Est autem repentinus in fe-*
Serm. 5. de Adventu. *stina conversione* (inquit S. Bonaventura) *ne tardes converti ad dominum; suscipiamus nunc repentinum spiritum ad conversionem, ne accipiamus repentinum interitum ad damnationem.*

2. Observandum est autem, Spiritum sanctum non solum summa cum velocitate descendisse, verùm etiam ad instar venti cujusdam valdè impetuosi super Apostolos dilapsum esse: *Tanquam advenientis spiritus vehementis*. Ex qua venti similitudine argumentum quoddam eruere possumus ad perstringendum illos, qui tardi sunt ad obediendum inspirationibus divinis. Experientia quotidiana demonstrat, quòd si post longam à nautis in littore maris tractam moram, Boreas aliquis seu ventus Aquilonaris, vel alius quispiam Favonius bona fortuna flare cœperit, nautæ tales bonam hanc navigandi occasionem nequaquam negligant, aut dissimulent, quin potiùs confestim, ut talis ventus oboritur, vela sua solvere & expandere incipiant, nec quicquam bonæ occasionis deperdant, jure merito metuentes, ne si post ejusmodi bonæ occasionis neglectum, contrarius aliquis ventus exsurgat, naufragii periculum incurrant. Enimverò omnes quotquot sumus, in mari hujus vitæ procellosissimo degimus: *Hoc mare magnum & spatiosum*; atque ideo opus est, ut donec ad cœli felicem portum appellere contingat, continuò navigemus, nisi in scopulum aliquem impingere, ac tandem in profundo inferni naufragari velimus. Necessum est ut vento favorabili seu Favonio divinæ gratiæ, inspirationumque Spiritus sancti, qui sanctificat animas nostras, benè uti sciamus; punctus enim salutis nostræ ab eo plurimùm dependet, quòd scilicet talibus inspirationibus promptè respondendo, pareamus, nec sinamus prætereire quæ ad hoc nobis ultro offeruntur auxilia divina, secus enim faciendo haud immerito metuere possumus naufragium: *Suscipiamus nunc repentinum spiritum ad conversionem, nec accipiamus*, &c. Ubi notandum est illud ly *nunc*, id est in hoc momento, sine ulla mora, *repentè*. Monet nos salubriter Ecclesiasticus: *Ne tardes converti ad*
Eccl. 5. 8. *Dominum, & ne differas de die in diem*. Sed quænam minæ intentantur illis, qui id facere differunt aut negligunt? *Repentinus interitus ad damnationem*; subdit enim: *Subito enim veniet ira illius, & disperdet te*. Verumtamen insuper observandum est, quod cùm Ecclesiasticus in eo, quod est inspirationibus divinis respondere, dies admittat: *Ne differas de die in diem*; Apostolus, qui ab hoc Spiritu illuminatus fuit, *quando circumfulsit eum lux de cœlo*, undè nominatur *Lux beatissima*, nequaquam ea in te dies admittit, quin potiùs tempus ad hoc deserviens ad momenta restringit; nam declarare volens, quando Deus pœnitentiam nostram sit acceptaturus, tempus illud ad unicum *Nunc* reducit. Nam ad Corinthios scribens, iisque persuadens, quòd sanctissimi hujus Spiritus gratia prompta sit ad insinuandum se nobis, ut salutem nostram operari valeamus, rogat eos ne obicem vel obstaculum ponat: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei* 2. Cor. 6. 1.
recipiatis, ait enim; Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te. Verum inquies, quodnam est hoc tempus acceptum? immediatè idipsum declarat dicens: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Quando divina illa lux Spiritus sancti animæ S. Pauli, dum adhuc Saulus esset, *spirans minarum & cædis in Discipulo Domini*, sese infudit, subito, ut ipsemet ad Galatas scribens ultro fatetur, eidem correspondit: *Cùm* Cap. 1. 16.
autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, continuò non acquievi carni & sanguini, id est, *statim*) ut habet glossa S. Thomæ) *ita perfectò fui conversus, quòd omnis carnalis affectus recessit à me*. Idipsum idem Apostolus ad Timotheum scribit: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus*, 1. Timo. 1. 15.
quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideo misericordiam consecutus sum; mox vero rationem reddit, cur Spiritus sanctus ipsum illuminarit atque converterit: *Ut in me primo ostenderet omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi*. Vult igitur Deus, ut S. Paulus in Ecclesia sua sit veluti norma & speculum quoddam omnibus illis deserviens, qui ad ipsum deinceps sunt convertendi. *Ad informationem*. Sed quodnam nobis exemplum post se reliquit? præterquam dixerit: *Continuo non acquievi carni & sanguini*. S. Lucas insuper dicit, ipsum eodem tempore Deo dixisse: *Domine* Act. Ap. c. 9. 7.
quid me vis facere? quod idem est, ac si cordis sui claves Dei manibus consignasset; quid igitur mirum quod subito & in unico momento factus sit ex persecutore Apostolus, Doctor gentium, vas electionis, & tuba Spiritus sancti; siquidem hi veri sunt effectus, quos operari solet in iis, qui ei promptè correspondent. Divinus quoque hic Spiritus quamlibet, errantem animam ad pœnitentiam seriam invitare non omittit; siquidem *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*. Quæ verba S. Antonius de Padua serm. 2. de præsenti festivitate, ita interpretatur: *Orbis dicitur à rotunditate circuli; est terra obscura, frigida & immunda; orbis est cor peccatoris, qui in circuitu tanquam in rota ambulat; mundum circuit, qui est superbia obscurus, avaritia frigidus, luxuria immundus; sed orbem terrarum Spiritus Domini replet, dum cordi peccatoris gratiam compunctionis infundit, & sic ei væ æternum adimit*. Qua autem ratione verba illa: *Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis*, interpretanda sint, mox declarat, cùm dicit: *Hoc quod continet omnia*, est homo, qui, ut & omnes aliæ res corporales mixtæ, ex quatuor componitur elementis: *Habet scientiam vocis, quia intelligit, quod sibi Spiritus sanctus loquitur*. Undè S. Bernardinus ait: *Toties Spiritus loquitur, quoties bona cogitamus*. Cavendum est autem, ne dum Spiritus sanctus cordi nostro loquitur, bonasque nobis cogitationes, aut inspirationes sanctas amittit, nos easdem acceptare, aut iis respondere negligamus. S. Augustinus in libro qui dicitur: *Speculum peccatoris*, textum illum adducit: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*; & dicit: *Quam terribilis est sententia, & metuenda his qui disciplinam non apprehendunt! ex hac Spiritus sancti sententia patet, quod peribunt: hinc est quod Dominus per Moysen ait: Omnis anima quæ non fuerit afflicta die hac, peribit de populo meo*. Id quod non de afflictionibus corporalibus, jejuniis, disciplinis, ciliciis, vel aliis similibus austeritatibus intelligitur; sed hunc sensum habet: *Anima quæ non fuerit afflicta per disciplinam, subaudi per morum correctionem, per pœnitentiæ satisfactionem, per cordis contritionem, per conscientiæ purificationem*; adeoque Spiritus sanctus, ex mente S. Augustini, vult ut hæc talis pœnitentia, seu malorum morum nostrorum emendatio, nequaquam differatur in crastinum, sed hodie potius fiat: *Si non fuerit afflicta hac die peribit*. Undè merito David nos exhortatur, dicens: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Quænam obsecro ratio est, quod Astrologus aliquis quamvis ille practicus & scientificus, nihilominus juxta professionis

ſionis ſuæ regulas, nunquam ſe de futuris eventibus aſſecurare poſſit, quod ſcilicet futurus ſit aer ſerenus vel nubilus, vel pluvius, aut vero tempeſtates, vel alia ſimilia prognoſtica vident? In promptu cauſa eſt, quia perſæpè inſtabilitas & variatio temporum, à ventis pro tempore incidente ſpirantibus dependet; de his autem nec ſcientia, nec regula certa ſtatui poteſt, eo quod Deus ipſe hos pro ſuo beneplacito ordinet & attemperet: *Qui*
Pſal. 34. 7.
producit ventos de theſauris ſuis. At vero, inquies, quidnam per hanc ſimilitudinem inferre ſatagis? Nimirum, multi noſtrum in votis quidem animi impensè poſitum habent, ut illis bonæ conſcientiæ ſerenitate frui liceat, ita tamen ut ſerenitatis illius tempus in noſtro ſit arbitrio poſitum, ut ſcilicet tunc accidat, quando nobis eſt commodum. Nunquid ita eſt? Et ex hujus ſuppoſitione multi ſe infallibiliter ſalvandos eſſe credunt, præſumentes poſſibilem ſibi eſſe pœnitentiam, quandocunque illam adoriri libuerit; & tamen proh dolor! vehementer decipiuntur; quia niſi hic Spiritus ſancti ventus ſpiraverit, nunquam optatum portum aſſequi, neque ſerenitate conſcientiæ, prouti deſiderant, perfrui poterunt. Sciant igitur & agnoſcant ignorare ſeſe, quando ſalutaris hic ventus ſit ſpiraturus; neque enim hic in poteſtate noſtra conſiſtit, nec à noſtra dependet voluntate, quin potiùs ſuas nobis inſpirationes immittet, quando ei magis lubebit, atque ideo væ nobis ſi illas nobis immiſſas neglexerimus. Undè S. Antonius Paduanus ait: *Spiri-*
Serm. in die Pent.
tus ſanctus dividens ſingulis prout vult, ubi vult, quando vult, & quantum vult, & quibus vult gratiam ſuam inſpirat. Nota verbum iſtud: *Quando vult*; non dicit, quando nos volumus, ſed quando ipſe vult: vento enim ſimilis eſt, qui in breviſſimo temporis ſpatio pertranſit. Piſcis ille, qui Echines vel Remora denominatur, maxima quidem navium moles ad firmiter ſubſiſtendum coercet, propitium tamen ventum ſuſcitandi virtutem minimè habet; favorabiles quidem venti effectus impedire prævalet, dum navigium tumidis expanſiſque velis progrediens vel invitum & contranitens immotum morari & ſiſtere facit; ita quoque liberum noſtrum arbitrium, Spiritus ſancti inſpirationibus contraniti & reſiſtere poteſt, ut tamen eas æquè propitias ſibi de novo aſpirare faciat ejus longè ſuperat facultatem. Dum cœlum rorem ſuum verno tempore ſuper mare quaquaverſum diffundit, conchæ marinæ ejuſdem ſtillantes guttulas patulo ore avidæ excipiunt, eaſdemque in ſinu ſuo recluſas in ſolidas effingunt margaritas; ſi quæ autem ex conchis ora ſua pertinaciter obturata retineant, ejuſdem roris deciduis guttulis minimè locupletantur, id quod tamen ipſis non ex aliquo roris defectu, ſed culpa propria accidit, adeoque ipſæ vacuæ & inanes perſeverant, quia ros ille deinceps jam non diſtillat ampliùs, ipſæque præ divite illa gemma ſeſe deſtitutas eſſe ingemiſcunt. Porrò ros ille cœleſtis Spiritus ſanctus eſt, qui de cœlo lapſus animas noſtras imbuit: *Sancti Spiritus Domine corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet*. Hic nemini hominum abnuitur, quiſquis ille
Joan. 1. 8.
demum ſit: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc*
Pſ. 18. 7.
mundum. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*. Quid in-
Apoc. 3. 20
terea agitur? *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*; culpa noſtra eſt ſi non admittatur, ipſe ad cordium noſtrorum portam pulſat, nec tamen illi aperire volumus, aut vero non niſi dum nobis placuerit, fores cordis reſerare decrevimus: *Vox dilecti mei pulſantis*. Et quidem quo Spi-
Cant. 5.
ritus ſanctus ſuas nobis inſpirationes immittat, ſatis ſuperque intelligit: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*; ingentem enim donorum, gratiarum, virtutumque cœleſtium imbrem in animam noſtram depluere, eamque ad veram ſui notitiam perducere ſtatuit; illa autem ſe excuſat frivolè dicens: *Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quæ excuſationes nonnullorum eſſe videntur, qui voluptatibus, delitiis, vitæque commoditatibus pro nunc immerſi vivunt: alio vero tempore illis benè viſo, divinis vocationibus correſpondere ſtatuunt, ſed graviter decipiuntur; ſiquidem expreſsè in conſequenti textu dicitur, quod cum tandem fores reſeraſſet, dilectus tædio victus abindè receſſerit. *Peſſulum oſtii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat atque tranſierat*.

Marsi Prompt.

Soni illius, in quo Spiritus ſanctus deſcendit, myſteria conſiderantur.

DISCURSUS QUARTUS.

Factus eſt de cœlo ſonus.

1 EOdem met tempore, quo divinus ille ignis de cœlo dilapſus eſt, ingentis cujuſdam ſoni ſtrepitus in aere perſonuit, qui univerſam Hieroſolymæ urbem præ admiratione attonitam gravi timore perculit; multi enim hoc rumore excitati ad cœnaculum Sioniticum properarunt, ut quæ ibi accidiſſent prodigia, oculis ſuis ſpectarent. *Facta autem hac voce convenit multitudo magna, & mente confuſa eſt*. Porrò expoſitores ſonum hunc ad inſtar tonitrui cujuſdam fuiſſe aſſerunt. Undè S. Antonius de Padua hunc Exodi textum in medium adducit: *Jamque advenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat*. Per tres autem hoſce dies, inquit ſanctus hic Pater, ſacroſancta illa incarnationis & mortis Filii Dei, necnon advenientis Spiritus ſancti myſteria denotata fuerunt; audita ſunt tonitrua, fulguraque micabant, quia *Factus eſt de cœlo ſonus*. *Fulgura, id eſt, Apoſtolorum miracula; & nubes denſiſſima, id eſt, cordis compunctio & pœnitentia operire montem Sinai, id eſt, populum qui erat in Jeruſalem*; quia audita ſancti Petri prædicatione *Compuncti ſunt corde; & dixerunt ad Petrum & reliquos Apoſtolos: quid faciemus viri fratres? Clangor buccinæ, id eſt, prædicationis vehementius perſtrepebat*. Siquidem hodierno magis die quàm in ullo dierum ſuperiorum divini verbi efficaciam evidentiſſima experientia comprobarunt, quando ad unicam S. Petri prædicationem tria hominum millia fuere converſa. Ingens hic ſonus, ut venerabilis ille Tuitienſium Abbas Rupertus pariter dicit, Apoſtolorum prædicationem denotavit, quæ per univerſum mundum divulganda erat; ſiquidem. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; cœlis illis, quos nunc firmare veniebat, enarrantibus gloriam Dei*.
Exod. 19. 16.
Lib. 10. de divin. offic. cap. 13.

2. *Factus eſt de cœlo ſonus*. Ad denotandam Dei, id eſt, tertiæ ſanctiſſimæ Triadis perſonæ in terram deſcendentis majeſtatem. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*. Enimvero Verbum æternum in ſui Incarnatione ſine omni ſtrepitu ad inſtar roris in hanc terram deſcendit: *Rorate cœli deſuper*. *Sicut pluvia in vellus deſcendiſti*. Hodie verò dum ſe mediante Spiritu ſancto, veluti ſupremum cœli terræque Monarcham manifeſtare decrevit, audiri ab omnibus voluit. *Facta autem hac voce: Factus eſt de cœlo ſonus*. Undè S. Ambroſius *in Prologo libri de Spiritu ſancto* ait: *Ubi evaſit immortalis, & cœli incola intonuit, & non tam rore, quàm imbre terram ipſam copiosè implevit*. Dionyſius Carthuſianus ſonum hunc ejuſdem Spiritus ſancti majeſtatem ſignificaſſe exiſtimat; in more etenim poſitum eſt apud omnes quòd in magni cujuſdam Principis adventu omnes fortalitiorum baliſtæ in evidens lætitiæ & reverentiæ ſignum ignes evomere, magnoſque in aere ſtrepitus edere ſoleant. *Ad declarationem Majeſtatis Paracleti Spiritus ſancti deſuper venientis, & ut per ſonitum illum corda diſcipulorum ad reverentialem Dei concuterentur timorem, ac profundiori humilitate ad ſancti Spiritus diſponerentur influxum*. Salmeron earundem baliſtarum, licèt alio omninò fine, ſimilitudine utitur, *Fuit* (inquit de hoc ſono) *victoria, & lætitiæ ſymbolum, ob quæ exonerari ſolent tormenta bellica: vel quaſi initium belli ſpiritualis fuit, quo ſolent hoſtes mutuo ſe bombardis ſalutare, ita hoc mundani & dæmones perterrefacti ſunt*.
Pſal. 24. 4
Tom. 12. Tract. 1.

3. *Factus eſt de cœlo ſonus*. Ubi gloſſa ait: *De cœlo datur Spiritus, ut diligatur Deus; in terra datur, ut diligatur proximus: bis enim poſt reſurrectionem eſt datus, ad duo præcepta charitatis commendanda*. S. Bernardinus ſonum hunc ideo accidiſſe cenſuit, ut mentes & corda noſtra ad cœlum extolleret: *Ideo de cœlo, ut ad cœlos eos veheret*. Quaſi diceret, cœleſtis hic ignis in terram venit: ut nos ad cœlum perduceret; undè per hunc ſoni ſtrepitum nos à pigritia noſtra expergefacere voluit, ac ſimul
Tom. 3 ſer. de donis.

judicare jam ante decem dies apertum nobis fuisse paradisum, seque una cum cœlestibus thesauris in hasce terras descendisse, ad animas nostras veris divitiis locupletandas. S. Apostolus de Spiritu sancto loquens ait: *Dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Quasi dicere vellet, en

2. Cor. 5.

ipso quo Spiritum S. nobis communicavit, securum consequentes gloriæ pignus nobis secum attulit. Pignus etenim, ut Doctor Angelicus ait, tantundem valere debet, quanti valet res, pro qua datur; siquidem ad omnis jacturæ periculum præcavendum pignus dari solet: *Ita est de Spiritu sancto, quia Spiritus sanctus tantum valet, quantum gloria cœlestis; sed differt in modo habendi, quia nunc habemus eum quasi certitudinem consequendi illam gloriam; in patria verò habebimus ut rem jam nostram, & à nobis possessam*, *Spiritus tuus bonus* (inquiebat David)

Serm. 10. de Pentec.

deducet me in terram rectam, id est, (ut S. Bonaventura explicat) *in terram viventium*; ex quo enim gratia semen est gloriæ, Spiritus sanctus utique est qui illam animæ communicat. *A quo mittitur?* interrogat Absalon Abbas?

Serm. 36.

Cui infunditur? certè Christus Dominus eum de cœlo mittit, & servo infundit, ut per eundem Spiritum illuc perveniat humilitas servi, ubi sedet majestas imperantis. Etenim Spiritum S. in signum adoptionis nostræ recipimus, qua in filios Dei, & consequenter in cohæredes Christi & gloriæ hæredes adoptati sumus: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater,*

Rom. 16. 15.

ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Idem Paulus ad Ephesios scribens salutiferum hoc illis monitum tradidit: *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis.* Quodnam autem est hoc Spiritus hujusce nobis impressum signaculum? Hugo Cardinalis ait: *Signat oves suas Dominus signo gratiæ.* Undè & illum Canticorum textum adducis, ubi sponsus dicit: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Chrysostomus nostram hac in re, si eum Hebræis comparemus, præcellentiam ponderat, dicens:

Hom. 2. in epistol. ad Ephes.

Signati sunt etiam Israelitæ, sed circumcisionis nota ut pecora & bruta: & nos ipsi signati sumus, sed ut filii Spiritus sancti. Idemmet sanctus Doctor alibi scribit, quòd sacrosancto hoc Spiritu non solum adoptivi filii Dei, verum insuper totidem in terra Angeli sumus: *Per hujus donationem ex hominibus Angeli facti sumus, qui ad gratiam accurrimus, non natura mutati, sed quod multo est*

Tom. 5. de S.Pr. ser. 37

mirabilius, in natura permanentes humana Angelorum conversationem exhibemus.

4. *De cœlo sonus.* Interlinearis addit dicens: *Ut signaret Spiritum cœlestem esse.* At verò sanctus Bernardinus dicit: *Ut cœlestes, imo ipsos cœlos ad gloriam suam efficeret, sicut ipse Spiritus sanctus per Prophetam prædixerat. Cœli enarrant gloriam Dei.* Non dicit quòd sonus hic ab Oriente, vel ab Occidente, vel ab alia parte mundi venerit, sed de cœlo eum descendisse dicit, ad denotandum, finem adventus Spiritus sancti hunc esse, ut videlicet nos è terra plasmati homines, in virtute hujus sancti Spiritus fieremus cœlestes, ab omnibus terrenis rebus cordibus nostris avulsi. Enimvero mox ut rumorem quendam extraordinarium percipimus, ut undè is veniat, agnoscere valeamus, aures & oculos nostros protinùs exporrigere solemus. *Factus est de cœlo sonus*, ut affectus suos sursum elevarent: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Septuaginta legunt: *Superferebatur*; cùm enim per aquas intelligantur bona hujus præsentis vitæ transitoria, *Quasi aqua dilabimur*, ideo vult Spiritus sanctus, ut exemplo suo simus omnibus hisce bonis terrenis superiores, quia su-

Lib. 13. Conf. n. 4. 5.

perferebatur. *Amor illuc attollet nos, dono tuo accendimur* (inquit S. Augustinus) *& sursum ferimur.* Porrò S. Stephanus hac nostra mortali carne etiamnum indutus dicebat: *Ecce video cœlos apertos, & Jesum.* S. Petrus Damianus ait:

Serm. de S. Steph.

Simul signanter recolligere positionem verborum; plenus est Spiritu sancto, & sic intendit in cœlum: quia qui Spiritu divinitatis afflatur, conculcatis terrestribus cœlestibus inhiat & æternis. Tot oculis nostris quotidie videmus hujus vitæ delitiis & voluptatibus, cunctisque aliis; quæ summa in abundantia possideat, bonis renunciantes, eosque non ab alio spiritu motos & instigatos, quam illo Spiritu, qui de cœlorum sedibus hodierna die descendere dignatus fuit. Undè S. Bonaventura ait:

Serm. 5. de Pentec.

Vehemens est Spiritus sanctus, & vehemens in temporalium renunciatione; in spiritu vehementi conteres naves Tharsis, id est, vehicula temporalium; Tharsis, exploratio gaudii interpretatur: stulti enim gaudium in temporalibus quærunt; naves ergo Tharsis in spiritu vehementi conteruntur, quando temporalia instinctu Spiritus sancti contemnuntur. Quotiescunque enim Spiritus sanctus mundi hujus spiritum apud nos deprehendit, animabus nostris sese insinuare semper intermittit. S. Vicentius Ferrerius illa Christi verba quibus Joan. 14. dicit: *Spiritum*

Serm. in Vig. Pen.

veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum; illa, inquam, verba ponderans dicit, in Scriptura nomen hoc mundus, quatuor potissimum modis accipi. Primò enim per hoc vocabulum Ecclesia intelligitur universalis, sic dicitur: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Secundò, nomine mundi terrena hæc mansio & habitatio intelligitur, & hoc sensu scribitur: *In mundo erat.* Tertiò, per mundum mundialis hæc fabrica accipitur; de hac enim scribitur: *Mundus per ipsum factus est.* Quartò denique & ultimò, mundi nomine homo significatur, voluptatibus & delitiis, cunctisque terrenis rebus omninò deditus intelligitur, de quibus intelligenda sunt verba illa: *Mundus eum non cognovit. In isto sensu accipitur, quod mundus non potest accipere, id est, genus mundialis; animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus. Dans flatum populo*) ita quondam Isaias hac de re vaticinatus est) *qui est super terram, & spiritum calcantibus eam.*

Isa. 42. 6.

Circa quæ verba Procopius dicit, Isaiam indicare voluisse, Deum omnibus terræ populis vitam contulisse, eamque respirando continuò conservare; ad propositum autem nostrum maximè facit, quod sequitur, nimirum: *Verum Spiritus sanctus concessus est iis solis, qui terrenas cupiditates calcant.*

Cur instar venti venerit, variæ adducuntur rationes.

DISCURSUS QUINTUS.

Factus est de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis. Act. Apost. cap. 2.

1. HAud sine mysterio singulari Spiritus sanctus, dum hodie Ignis sibi similitudinem assumpsit, pariter ad instar venti passim ab omnibus audiri voluit: qua in opinione tantò magis confirmor ex eo, quòd Christus paulò ante postquam resurrexisset à mortuis, quando pœnitentiæ Sacramentum à se tum institutum Apostolis suis administrandum commisit: *Insufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum sanctum.* Jo. 20. 22.

Adeoque ad instar halitus cujusdam, qui nihil est aliud quàm quædam aeris exhalatio, sicut & ventus aliud nihil est, quàm quædam aeris commotio, Spiritum sanctum contulit. *Quare insufflavit*, interrogat S. Vincentius Ferrerius, *Dico quod ad ostendendam authoritatem Spiritus sancti, qui ab eo procedit.* Et rationem reddit dicens: *Sicut enim anhelitus procedit ab anhelante; ita Spiritus sanctus non solum à Patre, sed & à Filio procedit.*

Serm. 1. de Pentec.

Expositor quidam modernus super Acta Apostolorum scribens ait:

Lorina.

Quadrat Spiritus nomen tertiæ Personæ Trinitatis, ut à spirando & flando dicitur: quia processio ejus est veluti exspiratio & reflatio quasi ex intimo præcordiorum calore, & amore Patris atque Filii.

Jo. Ferus.

Alius quoque superioris sæculi commentator eadem Apostolorum Acta exponens, in hoc vehementi vento hujus sacrosancti Spiritus in operando vehementia pariter denotatam fuisse existimat: *Ventus siquidem elementum invisibile est, sed tamen efficacissimæ operationis; videmus enim ventum nemine obsistente, & mira celeritate totum perflare orbem: sic & Spiritus invisibilis Deus at latentis energiæ infallibilisque potentiæ est: mira enim felicitate, & celeritate per universum orbem doctrinam suam propagavit, neque quisquam tam fortis vel potens, qui ejus impetum reprimere potuisset.* Equidem variæ intercedunt inter ventum & Spiritus sancti effectus analogiæ consideratione dignissimæ.

2. *Tanquam advenientis spiritus.* Ventus nihil est Lib. 5. nat. quæst. 1.

aliud præterquam concitatus aer; unde Seneca eum definit dicens. *Ventus est fluens aer.* Quo supposito certum est nullum esse elementum vento nobis magis necessarium; siquidem aere nutrimur, eumque quovis momento respiramus, dumque illum respirare desinimus, vitæ quoque nostræ finis adsit, necessum est. Atque ideo ecce tibi rationem, eamque potissimam, cur Spiritus sanctus ad instar venti cujusdam super Apostolos suos descendere

voluerit,

voluerit, nimirum ad innuendam nobis summam illius in nobis habendi necessitatem, idque non tam pro conservatione corporalis quàm spiritualis vitæ. S. Petrus Damianus ait: *Sicut anima est vita corporis, ita & vita animæ nostra Spiritus sanctus est*. Vita corporis conservatur aerem continuè attrahendo, Spiritum verò sanctum una cum gratiarum donis attrahendo vita animæ conservatur, utpotè sine quo anima in semetipsa deficeret: *Sine tuo numine nihil est in homine*. Revocate obsecro in memoriam quænam fuerit in agro Damasceno hominis primitiva origo? Etenim ad instar statuæ cujusdam è luto aut creta efformatæ insensibilis erat, mox vero ut supremus ille rerum omnium plasmator suis illum manibus fabricando absolverat, suum in illam statuæ molem spiritum seu anhelitum expiravit: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*; undè corpus ejus protinùs organizatum in adeo mysticam atque perfectam symmetriam redactum fuit, ut Dei imago & similitudo eidem impressa elucescere cœperit. *Et factus est homo in animam viventem*; neque spiraculo seu flatu isto solum corpus, sed & animam aspiravit, Spiritum S. cum omnibus donis & charismatibus eum concomitantibus, innocentia quoque & justitia originali, eidem infundendo. *Spiraculum vitarum* legit Hebræus. Dic sodes, quidnam homo cœlesti hoc Spiritu destitutus futurus esset? utique massa quædam lutea, infinitis miseriis & calamitatibus permixta, Deo rebellis & immorigera, culpæ mancipium, omniumque vitiorum sentina. Uno denique verbo titio quidam infernalis: & tamen mox ut cœlestis hic Spiritus sive flatus animæ communicatur, confestim in quendam elegantissimum paradisi Seraphinum convertitur. Halitu in hoc corpore nostro deficiente, illud protinùs in pulverem reducitur: *Auferes spiritum eorum, & in pulverem suum revertentur*; eadem quoque ratione si ab anima quadam cœlestem hunc Spiritum sustulerit, mortem illi æternam conciliabis. *Sicut corpus nostrum anima recedente collabitur, ita & eadem anima, si Spiritus vivificator abscesserit, necesse est moriatur*, inquit S. Petrus Damianus. S. Antonius Paduanus in hanc rem dilucidandam illa Ezechielis verba adducit: *Veni spiritus, & insufla super interfectos istos ut reviviscant. Insuflat flatu gratia super interfectos gladio culpæ, ut reviviscant vita pœnitentiæ*. Apostolus quoque vitam animæ spiritualem in cœlesti hoc Spiritu consistere egregiè demonstrat, dum ita scribit: *Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus*. Circa quæ verba Salmeron ita scribit: *In hoc flatu sive vento in Apostolorum domum irruente significatus est Spiritus sanctus, quatenus donat initia vitæ spiritualis; nam ut animalia sanguine plena ob calorem non vivunt sine flatu & respiratione, ita homines post amissum spiritum Adæ primò collatum non vivunt, nisi à secundo accipiant spiritum vivificantem, sine quo animus noster atque ejus actiones mortua habentur*.

Serm. de Spiritu S.

Psal. 103.

Ser. in die Pentec.

Gal 5. 25.

Tom. 12. Tract. 12.

3 *Tanquam advenientis spiritus*. Venti variorum hujus mundi bonorum adeo excellentium atque insignium aptissima adeo sunt instrumenta, ut Spiritus sanctus per os Davidis dicere non dubitarit, quin Dei omnipotentia & ineffabilis sapientia eosdem è thesauris suis educat. *Qui producit ventos de thesauris suis*. *Dedit ventos* (ita scribit Seneca) *ad custodiendam cœli terrarumque temperiem, ad evocandas supprimendasque aquas, ad alendos satorum atque arborum fructus*. Venti terram dulcissimis fructibus locupletant, præstantissimisque partubus suis eandem fœcundant. *Veni Auster* (dicebat in sacris Canticis amore Dei flagrantissima sponsa) *persla hortum meum, & fluant aromata illius*. *Per austrum calidum ventum* (ait S. Gregorius) *Spiritus sanctus figuratur*; ut autem quidnam per hæc aromata intelligendum sit declaret, prosequitur dicendo: *Spiritu sancto se infundente virtutum odores emittunt*. Ingeniosè S. Bernardus observavit Apostolum ad Corinthios scribentem Spiritum S. collocasse in medio virtutum: *In castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Vide quomodo tanquam omnia facientem, ordinantem, & vivificantem in medio virtutum, sicut cor in medio corporis constituit Spiritum sanctum*. Sicut enim cor in corporis meditullio situatum omnium actionum ejus primitiva origo existit, omnibusque membris calorem & motum subministrat; eodem modo Spiritus sanctus in nobis omnium virtutum principium est & firmamentum. Undè Chrysostomus: *Ipse opulentia filiorum Dei, ipse æternorum bonorum thesaurus*. Quocirca sanctissimus hic Spiritus in nobis operatur summæ utilitatis effectus, de quibus B. Laurentius Justinianus ita scribit: *Frangit odia, lites dirimit, componit mores, disponit negotia, cogitationes regit, purgat affectus, futura prædicit, discernit præsentia; agnoscit utilia, donat creata, revocat ad gratiam, perducit ad gloriam*.

Psal. 134. 7.

Cant. 4. 16.

Tract. de vita solit.

De Pent.

Sermo. de Pentec.

4 *Tanquam advenientis spiritus vehementis*. Tametsi quatuor tantùm sint venti principales, multi tamen Philosophi ad numerum duodenarium usque ventos multiplicatos admittunt. Undè Seneca: *Qui duodecim ventos esse dixerunt, hi secuti sunt totidem ventorum esse, quot cœli discrimina*. Eodem quoque modo dicere possumus hunc divinum ventum in duodecim alios dividi voluisse, id est, in duodecim Apostolos, qui aliàs quoque cœli denominantur, hi namque super universam terram laborum suorum influxus, necnon dona & gratias cœlestes largiter effundere debebant. Nisi fortè dicere malimus, per duodecim hasce ventorum species Spiritus sancti significari nobilissimos fructus, utpotè quorum totidem & non plures sanctus enumerat Apostolus, dum ait: *Fructus autem Spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Quos Spiritus sancti fructus Absalon Abbas singulariter considerans dicit: *Gaudium in Spiritu sancto facit hilarem, charitas ferventem, pax quietum, patientia probatum, longanimitas perseverantem, benignitas gratiosum, bonitas sanctum, fides securum, modestia disciplinatum, continentia purum, castitas pudicum*.

Cap. 17.

Gal 5. 22.

Serm. 36.

5 *Tanquam advenientis spiritus vehementis*. Unum ex immensis, quæ à vento recipimus, beneficiis, est aeris purificatio, qui dum non agitatur, corporibus nostris admodum perniciosus efficitur. Anno 1570. in urbe Ulissiponensi aliisque Lusitaniæ locis extitiosissima quædam pestilentiæ lues invaluit, quam Deus intra breve tempus, ventos ex omni mundi parte suscitando, qui putrefactum purgarent aerem, dissipavit penitùs atque compescuit. Etenim principalissimus hujus sacrosancti hodierna die adeo vehementer spirantis venti effectus hic est, quod omne contagium & infectionem spiritualem expurget, & planè è medio tollat. Undè Ecclesia ita orare solet: *Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget*.

6 *Tanquam advenientis spiritus*. Venti nubes deferunt, easque nonnunquam ingenti pluvia gravidas, quam tandem, in proportionata quadam quantitate in aridam & sitibundam terram depluunt & stillant. Undè Author operis imperfecti scribit: *Sicut non est possibile, ut sola pluvia fructificet terram, nisi super eam flaverit ventus; sic non est possibile, ut sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius*. Compunctio etenim & planctus, qui terram hanc nostram animatam bonorum operum fructus progerminare faciunt, omnia mystico huic Spiritus sancti vento in acceptis referre debet. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*.

Hom 20.

Rom 8. 26.

7 *Tanquam advenientis spiritus*. *Omnibus inter se populis* (inquit Seneca de vento loquens) *commercium dedit, & gentes dissipatas locis miscuit*. Navigatio sine ventis instituta proficere nequaquam poterit, neque cum locis adeo procul à nobis distantibus deficientibus ventis commercium aliquod intercedere nobis poterit; at verò venti subsidio fretis ad ipsos usque licet Antipodas excurrere; populique mercium variarum commutatione egregiè locupletantur. Eadem quoque ratione navicula Petri aliundè satis ruinosa & fragilis, mystici illius hodie de cœlo spirantis venti subsidio adjuta tanta cum velocitate ab uno polo ad alterum discurrit, unicuique nostrum prædivites illas paradisi merces secum portans. Verùm inquies, quamobrem vento huic ignis quoque associatur, nimirum quia experientia quotidiana satis demonstrat ignem luculentiorem fieri, seque latiùs & velociùs diffundere si promoveatur à vento: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*, inquit Christus; ac proindè quia hunc legis Evangelicæ ignem per totum mundum quaquaversum dilatari cupiebat, ideo illum cum vehementi quodam impetu conjunctum venire voluit.

Cap. 18.

Luc. 12. 49.

8 *Tanquam advenientis spiritus*. Venti ad ventilandum per aera frumentum, illudque à palea separandum, atque à pulveribus emundandum per commodè serviunt,

hominibusque in æstuosissimo anni tempore magnum adserunt refrigerium & refocillationem. Undè S. Augustinus ait: *Flatus ille à carnali palea corda mundabat.* Hic enim spiritus frumentum discernit & disgregat à palea; hanc namque per ignem assumit, illud vero in cœleste granarium recludit; de hoc quoque evento dicitur, quod sit *in æstu temperies*; siquidem in mediis concupiscentiæ ardoribus opportunum nobis refrigerium communicat, quodque vel maximè considerandum venit, effugere aut evadere nos facit æternos ardores. *Tanquam advenientis spiritus vehementis.* Ubi S. Antonius de Padua ait: *Nota quod vehemens dicitur, id est, væ æternum adimens, & sursum mentem vehens.*

Serm. 188. de temp. de vento Spirit. sancti.

Tractatur de plenitudine gratiarum atque donorum, quam Spiritus sanctus confert. Simulque ostenditur, quòd Spiritus sanctus alium spiritum nequaquam admittat, quin potiùs solus ipse totam domum, id est, cor nostrum adimplere velit.

DISCURSUS SEXTUS.

Et replevit totam domum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto.

Serm. 37.

1 SAnctus Joannes Chrysostomus, qui præ cunctis aliis Dei servis in sanctitate insignibus, Spiritus sancti dona atque thesauros abundantiùs participavit, meritò est erga præsens hoc festum devotissimus, ac proinde tanquam is, qui ob admirandam facundiam oris aurei titulum sibi comparavit, hunc in modum de hoc festo scribit: *Magna sunt, nec ulla possunt humana oratione comprehendi, quæ nobis hodierno die à benignissimo Deo impertita sunt dona*; ac proindè ut S. Lucas ingentem illum supernarum divitiarum cumulum, quem Spiritus sanctus in Cœnaculum, ubi Apostoli sedentes erant, copiosissimè effudit, distinctiùs exprimeret, sæpè verbum illud *Replevit* replicavit, dicens: *Replevit totam domum. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, Replevit totam domum.* Per hanc enim repletionem Theophylactus ingentem illam gratiarum abundantiam, quam hodie generaliter super universam Ecclesiam depluit, intelligit: *Ut ostenderetur donum non quibusdam particulariter ac specialiter, sed toti corpori Ecclesiæ datum esse.* Sanctus quoque Bonaventura scribit: *Istius domus repletio ad bonam famam pertinet. Domus repleta est ex odore unguenti.* Et meritò; siquidem Spiritui sancto spiritualis unctionis titulus adscribitur: *Et spiritalis unctio.*

Serm. 5. de Pentec.

2 *Repleti sunt omnes.* S. Petrus in admirabili illa concione, quam hodierna die publicè declamavit: *Prout Spiritus sanctus dabat eloqui illi*, hisce ex Joelis prophetia desumptis verbis usus est: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* In quibus verbis S. Hieronymus ad Hedibiam scribens, verbum illud *Effundam* præcipuè consideravit, dum ait: *Verbum effusionis significat gratiæ largitatem.* Enimvero non fuerunt hæ primæ vices, quibus Spiritus sanctus homini communicatus fuit; undè S. Leo ita scribit: *Non fuit inchoatio muneris, sed adjectio largitatis: quoniam & Patriarchæ, & Prophetæ, & Sacerdotes, omnesque sancti, qui prioribus fuere temporibus, ejusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati, & sine hac gratia nulla unquam instituta sunt Sacramenta, ut eadem semper fuerit virtus charismatum, quamvis non eadem fuerit mensura donorum.* Etenim tametsi verissimum sit, quòd Spiritus sanctus in superioribus veteris Testamenti transactis seculis, multis Deo admodum acceptis animabus sese insinuarit, valdeque eminentem in servis sanctitatem produxerit, in comparatione tamen ad illa dona & gratias, quas novæ legis Evangelicæ Sanctis abundè infudit, certo quodam modo dici potest, eum tunc parcum fuisse, nunc verò liberalissimum esse ac prodigum: *Antiquis temporibus* (inquit Absalon Abbas) *Spiritus sanctus parcus quodammodo fuit, ne dicam avarus; quia tunc nobis thesaurizavit & congregavit divitias, ut tempore gratiæ illas exponeret, & fons divinæ bonitatis per gratiam abundantius emanaret; & unctio spiritualium charismatum cum omnium plenitudine in filios Ecclesiæ descenderet.* Porrò Scriptura dicit: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto*, non quod anteà divini hujus numinis assistentia perfruiti non fuerint, sed ad denotandam donorum thesaurorumque cœlestium plenitudinem & ingentem cumulum, quem super illos copiosè depluit; undè Dionysius Carthusianus ait: *Repleti modò dicuntur Spiritu sancto, non solùm quoad dona gratiæ gratis datæ, quæ ad aliorum præstantur profectum.* Donum namque miraculorum, necnon donum prophetiæ, multiplicitatis linguarum, discretionis spirituum, sapientiæ denique & scientiæ cum potestate longè ampliori solito receperunt: *In tanta quoque plenitudine Spiritum sanctum, quoad dona gratiæ gratum facientis susceperunt, quòd confirmati fuerunt in gratia, ita quòd postea mortaliter non peccarunt.* Sanctus Vincentius Ferrerius quoque excessum, quocum hoc Spiritu cumulati fuerunt, optimè ponderat, dum ait: *Licèt habuissent ipsum per gratiam gratificantem, non tamen habebant ipsum ad plenitudinem gratiæ, & perfectionis spiritualis.* Non dixit Evangelista: *Acceperunt Spiritum sanctum*; jam enim illum dudum anteà possederant; sed ait: *Repleti sunt.* Salmeron dicit: *Repleti intellectu, affectu, atque sensu deitatis, quantum capaces erant, acceperunt dona Spiritus sancti.* Sanctus Vincentius hanc plenitudinem ita interpretatur: *In plenitudine scientiæ intellectualis, potentiæ spiritualis, & eloquentiæ universalis.*

Serm. 1 de Pentec.

Serm. 37.

In Acta.

Serm. in die Pentec.

Tom. 12. Tract. 25

3 *Repleti sunt omnes* Cajetanus ait: *Ecce affectus internus, quòd pleni sunt Spiritu sancto secundum animam: nulla pars animæ remansit carens Spiritu sancto, sed intellectus, voluntas, & appetitus pleni sunt Spiritu sancto.* Etenim ut vas aliquod liquore quopiam totaliter adimpleatur, opus est ut priùs ab omni alio, quem priùs continebat, evacuetur. Undè S. Petrus Damianus illa Davidis verba: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, considerans ait: *Ac si apertè dicat; cor meum Domine ad capienda tuæ largitatis munera præparo, quæ à cunctis hoc pravæ cogitationis squaloribus purgo, nihilque in eo relinquitur, quo gratiæ tuæ munus desuper veniens refundatur. Ego curavi, quæ intus malè servabantur, egerere; tu illud accelera dono tuæ pietatis dignanter implere.* Enimverò Spiritus Sanctus, qui increatus amor est, sancta quadam zelotypia nos prosequitur; totum enim cor nostrum sibi soli vendicat, nec consortem in eo admittit. Undè Glossa interlinearis super illa verba: *Repleti sunt*, dicit: *Ut alium non recipiant Spiritum, quia plena non recipiunt augmentum.* Multorum profectò error est, isque gravissimus, qui se Spiritum habere, seque Dei gratiam & amicitiam possidere falsò sibi persuadeant, tametsi in plerisque mundi partes tueantur atque sustineant. Verùm nequaquam ita est, quin potiùs est hæc insignis serpentis infernalis astutia: *Repleti sunt, ut alium non recipiant spiritum.* S. Thomas de Villanova appositè quoque ad idem propositum ait: *Triplicem spiritum in Scripturis invenio, scilicet Spiritum Dei, spiritum mundi, & spiritum carnis; hos duos abjice, ut possideas primum.* Verè enim tunc in nobis, possessi à nobis Spiritus sancti exprimemus vestigium, si cor nostrum nequaquam in se divisum, sed totum totaliter Dei fuerit, nullam prorsus creaturam pariter amando. *Divinus amor ubi venerit* (inquit S. Bernardus) *cæteros in se omnes traducit & captivat affectus.* Idemmet quoque mellifluus Doctor alio in loco differentiam, quæ Spiritum Dei & mundi spiritum intercedit, considerans, illos se mutuo nequaquam compari posse, optimè demonstrat, dum ait: *Nulla conventio vanitati & veritati & luci & tenebris, spiritui & carni, igni & tepiditati.* Dionysius Carthusianus ad illum sancto Prothomartyri Stephano datum encomium *Plenus Spiritu sancto*, sese reflectens dicit: *Plenus est Spiritu sancto, in quo nihil sui habet diabolus, qui ejus suggestionibus in nullo consentit, etsi in aliquo venialiter peccet, de hoc quotidie pœnitet, seque expurgat.* Erit fortasse qui sibi persuadeat, quod dum consilia Evangelica, cunctaque quæ præcepta sunt, adimplendo, in uno solùm quod prævaricatur, deficit; Spiritus Dei tamen recipiendi capax & idoneus esse possit: verùm quisquis ille est, graviter hallucinatur; nam ut S. Jacobus ait: *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ac proindè regius Propheta David, qui ab ipsomet Deo, vir secundùm cor Dei appellatus fuit, dicere solebat: *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* Ubi notanda est hæc circumstantia: *In omnibus.* In Evangelio tam hujus diei, quam Vigiliæ de divinorum præceptorum adimpletione, ad

Serm. de Spir. San.

Conc. 3. de Pentec.

Serm. 83 in Cant.

Serm. 6 de Ascens.

Serm. 6. de S. Steph.

Jacob 2.10

Psal. 118.6.

quam

quam in nobis cooperatur Spiritus ſanctus, prolixius agitur, ac proindè utiliſſimum hoc monitum perſpicuè intelligere ſatagamus; tunc enim Spiritum Dei in nobis eſſe & habitare comprobabimus, ſi omnia Dei mandata ſine ulla exceptione obſervaverimus. Id quod facili quadam ſimilitudine adhibita clarè demonſtrate valemus. Eſto igitur quòd aliquis in Curia Principis aulicus v. g. Principi ſuo in novenis rebus fideliſſimum præſtet obſequium, & tamen idem ille in unico duntaxat negotio ſeſe Principis ſui traditorem eſſe probet, & cum inimicis Domini ſui ſecretò colludens, vitæ Domini ſui clandeſtinis aſtubus inſidietur; putatiſne talem ob multiplicia alia obſequia aliquam ſibi penes Principem ſuum gratiam, & non potiùs optimè promeritum in furca ſuſpendium comparaturum eſſe? idem igitur de multis affirmari poteſt, qui in multis quidem bonis ſanctiſque operibus ſeſe exercentes gratiam Dei promereri ſatagunt: veruntamen quia carnali quodam affectu ſuadente vel injurias remittere, vel iis, quibus obſtricti ſunt, reſtituere renuunt, ideoque in continua ira & indignatione Dei degunt: *Tantum abeſt* quòd tales Dei amicitiam ſibi comparent, ut potiùs juſtam ſuper ſe iram Dei provocent, eo quod clandeſtina cum dæmone iniquitatis pacta foveant. Idemmet Pſalmiſta David unamquamque animam ad reddendas divinæ Majeſtati ſuæ laudes invitat quidem, ita tamen ut ad has Dei laudes promendas Pſalterium decem chordarum adhibeant: *In Pſalterio decem chordarum pſallite*
Pſal. 32. 2. *illi*. Quodnam obſecro in hoc latet myſterium, quòd non ſolùm divinæ laudi perſolvendæ muſicum præſcribat inſtrumentum; verum etiam præciſum ordinet chordarum adhibendarum numerum? obſervandum eſt igitur, quòd ſi, verb. gr. in ejuſmodi inſtrumento muſico novem chordæ perfectiſſimè inter ſe contemperatæ concordarent, præter illas autem unica duntaxat à cæteris abſonè diſcors eſſet, hæc unica ſola ad aliarum harmoniam ineptam, diſſonam & diſcordantem efficiendam abundè ſufficeret. Porrò S. Auguſtinus per decem haſce chordas decem præcepta interpretatur, ac proindè tametſi novem à vobis præcepta obſervarentur ad unguem, ſi tamen unius ſolius notabilis fieret tranſgreſſio, hæc ſola ad deſtruendum adimpletionis cæterorum præceptorum meritum, Deique Spiritum, & gratiam amittendam abundè ſufficeret. Exiſtimo equidem neminem veſtrum eſſe, cui ſatis probè nota non ſit illa Samſonis hi-
Judic. 13. ſtoria, in cujus corde Spiritus Dei à primis ejuſdem annis, ſuum ſibi vendicavit hoſpitium: *Cœpit Spiritus Domini eſſe cum eo*. Ab hoc autem Spiritu animatus & concitatus varia, maximè in Dei cauſa adverſus Philiſthæos idololatras tuenda & defendenda, molitus eſt heroica facinora. Quando enim leonem illum dilaniavit: *Irruit Spiritus Domini in Samſon.* Quando reduplicatos dirupit funes, quibus arctiſſimè vinctus erat; quando item maxilla aſinina armatus multorum millium militum ſtragem fecit: *Irruit Spiritus Domini in eum*; ſicque per cuncta ejus generoſa facinora percurrendo divini Spiritus impetu illa patraſſe comperietur: veruntamen Spiritum hunc tandem turpiter amiſit, ſcitiſne quomodo? *Alium ſpiritum in ſe recepit*, nempè ſpiritum fornicationis, qui ſpiritus ſi prædominatus ei non fuiſſet, ſanctus utique quovis tempore perſeveraſſet. Hic autem ſolus & unicus fornicationis ſpiritus perdendo Spiritui Dei ſuffecit, effecitque ut tandem in prædam inimicorum ſuorum turpiter cederet. Undè S. Ambroſius ait: *Meſſes incendit alienigenas, & unius ipſe mulieris accenſus igniculo meſſes ſua virtutis amiſit*. Ubi notanda eſt dictio illa *Igniculo*; ſiquidem modicæ affectiones perperam conceptæ, aut verò unicum duntaxat deſiderium, unica delectatio moroſa, unicum verbum laſcivum malo fine prolatum, unica tantùm ſcintilla è damnato concupiſcentiæ igne proſiliens, ad extinguendum in nobis omnem hunc ignem hodie è cœlis dilapſum abundè ſufficit: & tametſi aliàs omnia vitia detriumphaſſes, innumeraque apud divinam Majeſtatem tibi comparaſſes merita, unica tamen mortalis tranſgreſſio ſufficit, ut reum te eſſe faciat: Hæc Dalila, cujus amo-
Judic. 16. 19. re ineſcatus fuerat: *Fecit eum dormire ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput; vocavitque tonſorem, & raſit ſeptem crines capitis ejus*. Porrò per hunc tonſorem ſenſualitatis vitium intelligere poſſumus, quod eum ſeptem Spiritus ſancti donis, quæ per ſeptem illos myſticos capillos denotabantur, miſerè privavit. Qualiſnam autem fuit ejus miſerabilis exitus? *Cœpit abjicere eum, & à ſe repellere*. Præda factus eſt Philiſthæorum, qui erutis ei

oculis molendini molam eum circumagere coegerunt; hæcque omnia illi vel ideo ſolùm evenerunt, quia *unius mulieris arſit igniculo.* Baliſtæ ſive tormenta bellica validiſſimis ictibus ſeu exploſionibus ſuis civitates optimè munitas demoliuntur, & ſolo adęquant, inimicum diſſipant, fugantque exercitum, & tamen haud rarò videbitis ingentem ſimilis baliſtæ æneæ machinam ſive metallum prorſus inutile effici, adeo ut explodi amplius vel laxari ſine ruptionis periculo nequaquam poſſit; undenam id accidit? unicus id efficit tali tormento impactus clavus: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Matt. 11. 12.
Quot ſunt homines qui jejuniis, eleemoſynis, orationibus, Sacramentorum frequentia, aliiſque ſimilibus operibus bonis cœlum expugnaturi, ipſumque inimicum infernalem ad dandum victas manus coacturi eſſent, niſi id impediret vel ſenſualis aliqua affectio, vel invidia, vel mortale aliquod & irreconciliabile odium, vel occulta quædam ſuperbia. Undè S. Hieronymus ad Celantiam ita ſcribit: *Quid autem prodeſt tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? quam laudem merebitur de pallore jejunii, ſi invidia lividi ſimus? quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari?*

Sicut linguarum diviſio quondam turrim Babel depreſſit, ita hodie donum linguarum Eccleſiam erigit; ſiquidem Apoſtoli per illas in prædicatione & mundi converſione ſtrenuè pugnarunt.

DISCURSUS SEPTIMUS

Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ.

1. QUiſquis turris Babylonicæ erectionem pariter & deſtructionem ejus conſiderat, expreſſam quandam in ea conſpiciet figuram illius, quod in regni Sathanæ exterminio, regni autem Chriſti progreſſu & Gen. 11.
profectu accidere conſpicimus. Etenim *Erat terra labii unius, & ſermonum eorundem*: quando temerarii illi ſua mediante ſuperbia & arrogantia in cœlum uſque ſubvehi, ſeque ſupremæ & infinitæ majeſtati Altiſſimi opponere, cum eaque luctari moliebantur; ſed quonam putas modo ſacrilegorum iſtorum arrogantia confuſa, illiuſque grandis molis fabrica impedita fuit? Nullo prorſus alio adhibito remedio, quam multiplicatione linguarum: *Deſcendit Dominus*: Ecquid autem fecit; *Confundamus ibi linguam eorum*; omnium & ſingulorum linguas confudit, efficiendo ut variis inter ſe idiomatibus loquendo communicarent, ita ut unus alterum intelligere nequaquam poſſet: *Et diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras.* Etenim in quem uſque impietatis terminum Babylonia eo tempore excreverit, vel inde ſatis conſtar, quòd ejus impietas per univerſam terram fuerit protenſa. Roma quondam à S. Leone appellata fuit *Sylva frementium beſtiarum; magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem*. In toto Serm. de Nativitat. SS. Petri & Pauli.
enim Univerſo non niſi unicus Judææ angulus ſupererat, qui veri Dei agnitione & lumine illuſtratus eſſet, & tamen etiam hæc, cùm incarnatus Dei Filius & Meſſias à tot ſæculis ab illis ſuſpiratus & expectatus intra eorum confinia natus fuiſſet, eum ipſa in infami Crucis trunco crucifixit; paſſim in omni loco falſa adorabantur Jovis, Mercurii, Veneris, omniumque aliorum prophanorum numinum ſimulachra; inundabat in omni loco vitium, ipſaque ſęviſſima Luciferi tyrannis vel maximè vigebat, quando ecce tertia ſanctiſſimæ Triadis Perſona hodie deſcendit, atque in tot ignearum linguarum veritate & multiplicitate comparens, impiiſſimam hanc idololatriæ Babyloniam proſtravit: *Nunc princeps mundi hujus ejicie-* Joan. 12. 31.
tur foras; ſiquidem *In omnem terram exivit ſonus eorum*. Clamorque linguarum iſtarum veluti totidem tubarum bellicarum ſtritus per univerſum mundum inſonuit, implacabile inferno bellum inſinuans, omneſque populos ſub victorioſo Chriſti vexillo congregans atque conſcribens. Rupertus Abbas verba illa Geneſeos: *Venite deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum*, conſiderans, di- Lib. 4 in Gen. c. 42.
cit: Deus Angelorum exercitus nequaquam in ſuum invitat auxilium, *ſed ad feriendam ſuperbiam ſeſe adeſſe teſtatur tota Trinitas unus Deus*; pari quoque modo ho-

die eucemmet sanctissima Trinitas in hac linguarum multiplicitate mundn manifestatur: *Ubi in ore Apostolorum omnia revocantur genera linguarum, eadem Trinitas sese aperit hominibus, & ea die primum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti humiles homines baptizantur; qua vera structura est altissima turris, qua in cælum fugiat homo Deo conregnaturus.* Psal. 54.10. *Præcipita Domine* (inquit quondam David) *divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in civitate.* Quibus verbis, ni fallor, Spiritum sanctum, tum ut cum celeritate è cœlo descendat, invitare voluit, quod & nbtinuit: quia *Factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis*; tum etiam ut linguas divideret, rogavit, & impetravit: siquidem *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ*, idque tunc præcipuè accidit, quando ampla & vasta hæc mundi civitas iniquitate & contradictionibus refertissima erat, regnante nimirum in ea ingenti superstitionum, sacrilegiorum, aliorumque omnium scelerum excessu. *Igitur nunc, quando Dei consilio* (inquit idem Lib. 10. de offic. c. 19. Rupertus) *turris corporis Christi, quod est Ecclesia, de vivis & electis lapidibus per universum mundum ritè & ordinatè construitur, rectè omnes linguæ ad horum artificum ora revocantur.* Enimvero in illius Babylonicæ molis erectione linguæ sive idiomata multiplicata fuere, ut hac ratione dum unus alterum intelligere non posset, fabricæ progressus cohiberetur, nec quicquam amplius posset proficere: hic autem Deus super Babyloniæ ruinas & rudera cœlestem Hierosolymam erecturus, linguas in Apostolis multiplicari voluit, ut vel sic Apostoli ab omnibus terræ populis & nationibus clarè intellecti, totum hunc mundum ad fidem Christi converterent, novam hanc turrim ædificarent, quæ proindè majori cum jure *pertingit usque ad cælum*. Expositor quidam nuperus Jo: Ferus. super acta Apostolorum scribens dicit: *Ut olim congruum erat, ut eorum linguæ, qui turrim Babel ædificabant, confunderentur, atque per hoc ab incepto desistere cogerentur, sic necessarium erat novis illis ædificatoribus, ut ab omnibus intelligerentur, alioquin quomodo ædificaretur Ecclesia, si vel seipsos non intelligerent, vel ab auditoribus neutiquam intelligi possent?* Scribit quoque Salmeron, quòd sicut ædificium Babylonicum per linguarum confusionem & divisionem imperfectum remansit: *Ita ædificium Jerosolymæ cognitione & conjunctione linguarum expeditum est, quia arma regni Christi verbo Dei continentur. Dominus, inquit, dedit mihi linguam eruditam.* Et alibi: *Posuit os meum quasi gladium acutum. Et Apostolos vocat gladium spiritus verbum Dei.* Debora Prophetissa in Cantico suo nova Domini bella insinuat dicens: *Nova bella elegit Dominus.* Quænam, obsecro, sunt Jud. 5. 8. hæc nova bella, quæ Deus noster elegit? Equidem Romani mediantibus exercitibus suis ad bella gerenda exercitatissimis omnia terræ regna Imperio suo subjecerunt; quonam autem modn Deus noster omnes populos legi suæ subjecit? Jo. 12. 31. *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras, & ego omnia traham ad meipsum.* Nimirum militiæ suæ Duces & Capitanos; pauperes & idiotas piscatores esse, eorumque linguas ensis loco deservire voluit: Psal. 56. 5. *Lingua eorum gladius acutus.* Et quidem hodie vix divinum Spiritum simul cum hoc linguarum dono receperant, cùm ecce confestim unicus & solus Petrus tria obstinatorum Hebræorum millia ad Christi agnitionem reduxit. In Missæ hodiernæ Introitu legimus; *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Sed quid demum sequitur: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant.* Exaltetur duntaxat per universum mundum regium illud Crucis vexillum, ipseque Deus Ecclesiæ suæ sanctæ capiat possessionem, moxque idolorum statuæ pedibus proterentur, veritasque & fides Christiana triumphabit. Enimvero conversionem mundi, sanctique Evangelii prupagationem Apostolorum quantumvis antea rudium & idiotarum prædicationi in acceptis referendam esse certum est; qui verò eosdem Apostolos non solùm eruditos, verùm etiam facundos esse fecit, solus est Spiritus sanctus. *Et eorum similes* (inquit Guerricus Abbas) Serm. 2. de Pentec. *linguis sibi datis magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, cælos aperiunt, quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt, quippe quibus de ipsis cælis linguæ missæ sunt.* Porrò S. Augustinus hisce linguis sagittarum titulum seu nomen imposuit; undè bella, Hom. 5. in Apoc. quæ universo mundo intentarunt, considerans, atque ad propheticum illud Davidis oraculum: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*, alludens dicit: Psal. 44. 6. *Postquam Dominus ascendit in cælum, & aperuit universa, misit Spiritum sanctum, cujus verbo prædicatores tanquam sagittæ ad corda hominum pertingerent, & vincerent incredulitatem.* Hæ autem sagittæ, sive hæ linguæ corda transfixerunt non solùm plebeiorum, verùm etiam Regum & Imperatorum. Undè Hugo Cardinalis super illum textum: *Potentiam tuam Deus usque in altissima quæ fecisti magnalia, Deus quis similis tibi?* ita scribit: *O Spiritus sancte, audivimus illos loquentes nostris linguis magnalia Dei usque in altissima terræ!* Quonam autem modo id ipsum intelligendum sit, declarans subjungit: *Quia Imperatores & Reges convertit gratia Spiritus sancti.* Romanorum arma post tot de exteris dominio suo subjectis nationibus, reportatas gloriosas victorias effecerunt, ut eædem veluti unius ejusdemque Principis subditi, easdem quoque cum ipsis leges profiterentur. Jam verò qualis & quanta erat in tam diversis terræ populis procul adeo à se invicem dissitis, morum cultus, & religionis varietas & discrepantia; Et tamen Apostolnrum prædicatione mediante ad eandemmet Evangelicam legem fuere conjuncti, siquidem *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una.* Undè Chrysostomus ait: Temp. de S. Pent. sec. 37. *Cum olim homines superbia elati turrim exstruere voluerint, quæ ad cælum usque pertingeret, & invecta divisione linguarum pravam illam concordiam dissiparit Deus, idcircò nunc quoque in species ignearum linguarum ad eos advolat Spiritus sanctus, ut per illam orbem terrarum divisum conjungat.* Rabanus à Glossa citatus verba illa: *Dispertitæ linguæ*, observans ita scribit: *Dispersio linguarum est facta in turri; sed quod dispersit superbia, recolligit humilitas: in superbia dispersio, in humilitate fit concordia.*

2. *Apparuerunt dispertitæ linguæ.* Inter alias, quæ à In Acta. Dionysio Carthusiano de hisce linguis adducuntur rationes una est: *Quia cunctis gentibus prædicaturi erant, & linguis prædicantium Spiritus sancti gratia præcipuè necessaria erat.* Quod cum eo coincidit, quod in hymno canit Ecclesia: *Linguæ figuram detulit, verbis ut essent proflui.* S. Bernardinus pulchram adducit rationem, cur in linguarum similitudine apparuerit, dum id factum esse dicit. *In signum, quod facundiam atque linguarum scientiam illis donabat, & quod eos ad prædicandum Christi Evangelium destinabat.* Undè & Psalmista dicebat: Psal. 4. 2. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Scribæ, id est, Spiritus sancti*, glossat Hugo Cardinalis: *Sicut enim calamus non scribit quod vult, sed quod scribens vult; sic homo non prædicat à se, sed à Spiritu sancto dictante & scribente in corde Prædicatoris, & in cordibus audientium.* Esto homo præditus sit intellectu perspicacissimo, memoria tenacissima, ornatus item scientiæ eloquentiæque talento, omnibusque illis qualitatibus imbutus, quæ sibi per studium & industriam humanam unquam comparare poterit; per hæc tamen omnia nihil omnino proficiet, nisi lingua ejus à cœlestibus hisce linguis edocta fuerit. Undè S. Basilius ait: Hom. de Spiritu S. *Da mihi navem vacuam, gubernatorem, nautas, funes anchoras, omnia disposita, & nusquam esse spiritum venti; nonne cessat omnis qualiscunque apparatus, si desit operatio spiritus; ita licet sit sermonis ampla supellex, mens profunda, & eloquentia, & intelligentia, si non adsit Spiritus sanctus qui vim suppeditet, otiosa sunt omnia.* Undè S. Bonaventura ex illis verbis, *Dispertitæ linguæ*, pro iis, qui Dei verbum ministrant, utilissimum quoddam elicit documentum, dum Serm. 3. de Pentec. ait: *Benè dicitur, dispertitæ linguæ, quia non uno modo ad omnes habendus est sermo, nunc enim de pœna, nunc de gloria, nunc autem de vitiis & virtutibus, & aliter infirmis, aliter perfectis loquendum est.*

Adducuntur aliæ rationes, cur Spiritus sanctus linguarum figuram induerit.

DISCURSUS OCTAVUS.

Apparuerunt dispertitæ linguæ.

1. EO ipso quo Spiritus sanctus in specie ignis de cœlo descendit, consequens est quòd dum sacro Apostolorum Collegio se in signo quodam visibili communicavit, in forma linguarum iisdem apparuerit; Ignis etenim in flammulis suis figuram

hanc

hanc pyramidalem communiter habere ſolet; undè & dicere ſolemus: Eſt quædam lingua ignis; veruntamen indubitatum eſt quin infinita Dei ſapientia alia quoque myſteria in hiſce linguis indicare voluerit.

2. *Linguas attulit, qui pro verbo venit*, ait Gloſſa; *Cognationem enim habet lingua cum verbo; & ab invicem non poſſunt ſeparari: ſic Verbum Pater, id eſt, Filius, & Spiritus ſanctus inſeparabiles ſunt, imò & unius natura*. Eundem quoque conceptum Gregorius Nazianz. orat. in ſanctam Pentecoſten habuit, dum ait; *In linguis Spiritus ſanctus datus eſt propter communionem quam cum verbo habet*. Rupertus Abbas Tuitienſis ſimilem [Lib.10. de div. offic. c.16.] quandam obſervationem adducit, dum ita ſcribit: *Hoc ſigno manifeſtè nobis ejuſdem Spiritus ſancti commendatur operatio*; ac demum rationem à Gloſſa adductam adducit dicens: *Spiritus enim coæternus Patri & Filio per linguam; quæ maximam habet cognationem cum verbo, non ſolum expreſſit, quòd ejuſdem ſit ſubſtantia cum eodem Dei Verbo, ſed & hoc, quod per ipſum Deus Pater ſuum nobis eloquatur verbum*. Salvator noſter qui Verbum illud [Jo.14.26.] incarnatum erat, dixit: *Paraclitus autem Spiritus ſanctus; quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*. Atque ideo cùm ex parte Verbi erudire & inſtruere debuerit Apoſtolos, meritò ad inſtar linguæ deſcendit. Ex quo enim ad inſtar ignis venit, in figura utique globi ignei, vel ſcintillæ, vel columbæ venire potuiſſet, ſub tali namque ſpecie olim Hebræis per deſertum ducatum præſtitit; at verò quia inſtar linguæ venit, ſe à Verbo miſſum eſſe demonſtrare voluit; eſt enim lingua verbi expreſſiva. S. Bernardinus ait: [Serm. de 7. donis Spiritus S. c. 7.] *Inſignum quòd à Verbo Patris hoc donum procedebat; quemadmodum lingua movetur à verbo cordis ad formandum & exprimendum ſonum vocis*. Quando in Pſ. 44. æternus Pater Filii ſui mentionem facit, conſequenter etiam Spiritus ſancti ſub linguæ ſimilitudine meminit: *Eructavit cor meum verbum bonum*, & paulò poſt ſubdit: *Lingua mea calamus ſcribæ*. Ubi notandum eſt, quod Spiritus ſanctus non ſolùm linguæ, ſed etiam calamo comparetur: quia ſicuti lingua non loquitur, nec calamus ſcribit niſi verbum priùs mente conceptum fuerit, ita quoque Spiritus ſanctus nec ſcribit in cordibus, nec fidelium movet linguas, niſi ad amandum & laudandum Deum de illis rebus, quæ in mente divina [Jo.16.13.] impreſſæ exiſtunt: *Cum enim venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur*.

3. *Apparuerunt linguæ*. Salmeron optimè notat, linguæ proprium eſſe guſtus & ſapores diſcernere; hancque eandem qualitatem Spiritui ſancto ſimiliter adaptat di- [To.12. tr. 12.] cens: *Quemadmodum lingua nervo parvo per eam & palati anteriorem partem ſparſo, omnes ſapores diſcernit, ut malum & noxium projiciat, bonum & dulce amplectatur, eadem ratione habens Spiritum ſanctum, quæ Dei ſunt, guſtat; quæ verò carnis ſunt ac ſenſus, exſpuit & declinat*. In hujus autem confirmationem illum adducit tex- [1.Cor.2.14] tum Apoſtoli dicentis: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur; ſpiritualis autem judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur*. Sanctus quoque Bernardinus idipſum de guſtuum diſcretione in- [Loco cit.] terpretatur dicens: *Apparuerunt linguæ in ſignum quod intimos guſtus divinorum, vimque guſtativam ipſorum divinitùs dabat*. Spiritus enim ſanctus eſt, qui guſtare nos facit delitias & ſuavitatem Spiritus. Undè in Manna figuratus fuit, quòd omnigenos in ſe ſapores recludat: *Vincenti dabo manna*. Ubi Hugo Cardinalis ait: [In c. 2. Act.] *Hoc eſt, dulcedo Spiritus ſancti, quam ſuper Apoſtolos & fideles ſuos centum viginti viros, qui erant in cænaculo Sion, abundanter effudit Dominus*.

4. *Apparuerunt linguæ*. Super quæ verba nuperus quidam Commentator ſcribit: *Linguarum renovatio in pri-* [Jo. Perus.] *mis neceſſaria erat, alioquin nullum eſt membrum quo plus peccetur; ſic econtra nullum membrum ſalubrius bona lingua*. Quod omnino concordat cum eo quod Sa- [Prov.18.21.] piens dicit. *Mors & vita in manu linguæ. Nullum in homine membrum erat* (ſcribit quoque Salmeron) *quod Spiritus ſancti gubernaculis magis indigeret, quam lingua, linguam enim nullus homo domare poteſt*. Unde niſi à Spiritu bono dirigatur & gubernetur, damna nobis irreparabilia conciliat: *Hominis eſt animam præparare & Domini* [Prov.16.1.] *gubernare linguam*. S. Antonius de Padua admirabili lin- [Serm. in die Pent.] gua ſua, quæ præter linguarum morem poſt 100 elapſa ſæcula viva remanet hodierno die hunc in modum prædicavit: *Lingua eſt membrum frigidum; natat enim in humido: & ideò malum inquietum plenum veneno mortifero, quo nihil frigidius*. Rationemque cur Spiritus ſanctus ſub hiſce linguis apparuerit, aſſignat dicens: *Ideò Spiritus ſanctus in linguis igneis apparuit, ut linguas linguis, ignem veneno mortifero opponeret*.

5. *Apparuerunt linguæ*. Salmeron hunc Sapientis textum: *Mors & vita in manu linguæ*, adducens dicit! quòd licèt hæc verba communiter de corporali lingua intelligantur: *Quia videlicet lingua bona placabilis, aut Eucharis, ut vocatur ab ipſo Sapiente, lignum eſt vitæ, ita lingua maledica mortem efficit; tamen de hac lingua ſpirituali acceptus iſte locus, illuſtrem habet ſenſum: nam qui hac lingua præditus eſt, vivit Deo: quia qui Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus, & hic in judicio repoſcente rationem ab eo obmuteſcet*. In cujus probationem eum, qui veſte nuptiali carens nuptiis ſe impudente ingeſſerat, & ob hoc reprehenſus, quid reſponderet, penitus ignorabat, adducit dicens: *Quicumque hac lingua caruerit, manducabit linguam ſuam præ fame ac rabie*. Ac proindè infallibile accepti à nobis Spiritus ſancti lignum erit, videre qualiter ſermones noſtros inſtituamus, quòd ſi enim diſcurſus noſter de rebus divinis fuerit, ſignum erit linguas haſce cœleſtes cordibus noſtris fuiſſe infuſas. Undè ſanctus Gregorius ait: *Super Paſtores primos in* [2. Par. c. 4.] *linguarum ſpecie Spiritus ſanctus inſedit, quia nimirum quos repleverat, de ſe protinus loquentes facit*.

6. *Apparuerunt diſpertitæ linguæ*. S. Leo in linguis hiſce ſapientiam & eloquentiam indicari exiſtimat, quam Spiritus ſanctus Apoſtolis Evangelium ſacrum annuntiaturis infudit: *O quam velox eſt ſermo ſapientiæ; & ubi* [Serm. 2. de Pent.] *Deus magiſter eſt, quàm citò diſcitur quod docetur*! Cùm enim anteà idiotæ fuiſſent, neque unquam libros, ſed remos tractaſſent, unus tamen ex ipſis ſanctus Joannes videlicet mox intonavit dicens: *In principio erat verbum*. Et reliqui Apoſtoli in myſteriis Theologicis tanta ſe ſapientia imbutos eſſe probarunt, ut ſublimiſſima floridiſſimarum illius ſæculi academiarum ingenia in ſtuporem uſque adegerint. Eadem hæc ſapientia progreſſu temporis in multos quoque alios transfuſa eſt homines, imò & fragili fœmineo ſexui, non quidem per ſcientiam acquiſitam, ſed per Spiritum ſanctum infuſa & communicata fuit, utpotè è quo plurimæ tenellæ virgines altiſſimam quandam divinorum myſteriorum cogitationem poſſederunt. Chryſoſtomus verba illa S. Pauli: *Quæ etiam lo-* [Hom. 7. in Epiſt. 1. ad Corinth.] *quimur non in humanis ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus ſancti, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes*, conſiderans ait: *Vide quò nos deduxerit ab authoritate Magiſtri; tantum enim nos ſumus illis ſapientiores, quantum intereſt inter Platonem & Spiritum ſanctum*: quaſi diceret: Hanc nos præ aliis habemus gloriandi cauſam, quòd hanc cœleſtem ſcientiam nobis non per longum ſtudium acqiſiverimus, ſed ſupernataraliter noſtris infuſam mentibus habeamus. Unde Hugo Cardinalis ſuper illa Davidis verba: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, ita loquitur: *Spiritus enim ſanctus non paulatim & cum mora gratiam ſuam infundit, ſicut acquiritur ſcientia per longum ſtudium; ſed ſubitò, & citò*. *Quis dubitet*, (inquit Abſalon Abbas) *dona Spiritus* [Serm. 36.] *ſancti eſſe peritiam ſcripturarum, facundiam verborum*? Hiſce linguis omnium gentium idololatrarum cordibus inſinuare debebant fidei noſtræ prima facie prorſus incomprehenſibiles, myſteria nimirum unitatis, eſſentiæ, & trinitatis Perſonarum, incarnationem Verbi, maternitatis virginitati pariter conjunctæ, Sacramenti ineffabilis Euchariſtiæ aliorumque ſimilium humano intellectui imperſcrutabilium dogmatum. Hiſce linguis idololatriam profligaturi erant, extirpaturi abuſus innumeros, tot pravos reformaturi mores, confutaturi tot perverſas ſectas, innumerabiles convicturi errores, converſuri multos Philoſophos & mundi hujus ſapientes. Hiſce linguis imperaturi erant creaturis, elementis, infirmitatibus, ipſi denique morti, variaque prodigioſa operaturi miracula. Hiſce linguis confundere debebant tyrannos, omneſque alios Eccleſiæ perſecutores. Denique debebant hiſce linguis diſpenſare Sacramenta, totque animarum ſolvere vincula. *Ex ore vehementia pro-* [Serm. 1. de Pent.] *fluebat torrentis eloquii* (inquit Guerricus Abbas) *cui non poterant reſiſtere & contradicere omnes eorum adverſarii; ſicut de Stephano dicitur: quia non poterant reſiſtere ſapientiæ & Spiritui loquebatur*.

7. *Apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis*. Hinc

S. An-

S. Antonius de Padua morale quoddam elicit documentum, dicens: *Notentur lingua dispertita ignis*. Tria autem ab eo observantur. (Serm. de Pen.) *In linguis confessio: in dispertitis circumstantiarum manifestatio: in igne confessionis & satisfactionis ardor.*

Quale illud linguarum donum fuerit, declaratur, varieque in hanc rem sacrorum interpretum opiniones adducuntur.

DISCURSUS NONUS.

Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

1. ECce tibi hodierna die adimpletum regii Prophetæ oraculum, quod olim prædixit: (Psal. 18. 4.) *Non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Et quidem meritò illis omnium linguarum donum communicatum fuit; siquidem annuntiaturi erant omnibus terræ populis, quoad idiomata & linguas adeo inter se discrepantibus & variis, sanctum Jesu Christi Evangelium. Apparuit igitur Spiritus sanctus in figura linguarum: *Ad innuendum* (inquit Dionysius Carthusianus) *quòd omnium linguarum notitiam, facultatem & usum eis infudit. Ut linguis omnium loquerentur* (ita scribit Hugo Cardinalis) *ne interpretibus indigerent, qui in proximo debebant dividi in omnes terras*. (Marci ult. 15.) Decem ante diebus ipsis præceptum fuerat: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium*; Deus quidem peculiariter electo suo Israelis populo per plurimorum sæculorum decursum lumen quoddam, suique agnitionem communicaverat; undè David dicit: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus. Non fecit taliter omni nationi*; cùm tamen omnes alii populi terræ tanquam infernalis tyranni mancipia viverent, falsa idolorum numina adorantes: hodierna die autem veritas Evangelica per harum linguarum donum omnibus annuntianda erat, discooperiendique astuti serpentis doli & fraudes; ideoque dici jure merito poterat: (Psal. 8. 1.) *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* & subditur ratio: *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos*. Postquam enim Christus ad cœlos ascendit, Spiritum sanctum protinùs dimisit, qui ipsas quoque infantium linguas præ infusa illis cœlesti sapientia disertas redderet atque facundas: (Psal. 8. 3.) *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum*. Per humilium namque Apostolorum (*Revelasti ea parvulis*) eloquentiam idololatria in terram prostrata est, actusque fuit inimicus in fugam. In (T. m. 1 an. 34 n. 2 40.) Annalibus Ecclesiasticis scribitur (fuitque S. Chrysostomi opinio) totidem in hisce linguis sacro illi Apostolorum aliorumque fidelium collegio communicata fuisse idiomata, quot tunc Hierosolymis nationes extraneæ congregatæ erant, ut hac ratione cunctæ in sancta civitate præsentes nationes intelligere possent, quid Apostoli omnesque alii Evangelii disseminatores dicerent: *Et si plures fuissent, plures etiam accepturos fuisse*. Citat quoque idemmet Baronius S. Augustinum de Civit. Dei, lib. 16. c. 6. qui existimavit septuaginta duas linguas communicatas fuisse: quia totidem & non plures fuere populi & nationes, quæ ex progenie Noe descendebant; adducitque S. Epiphanii lib. de mens. & pond. testimonium, dicentis: *Septuaginta duo viri tunc turrim ædificabant, quando in septuaginta duas linguas ex una confusi sunt*. Rabanus pariter in Glossa dicit: *Linguæ omnes dicuntur esse septuaginta duæ; unde & discipuli secundi ordinis sub hoc numero electi, ut numerus prædicatorum concordaret numero linguarum.*

2. *Cœperunt loqui variis linguis*. Gravis est inter sacros interpretes controversia: an Apostoli in unico duntaxat idiomate loquentes in uno eodemque tempore à multis è variis diversisque nationibus oriundis, & consequenter variis differentibusque inter se linguis loquentibus intellecti fuerint; aut verò an quilibet ipsorum omnium linguarum peritiam habuerit, locutusque fuerit cuilibet nationi in lingua propria. Et quidem inprimis quoad hoc, propositio certa est, quod Apostoli *loquebantur variis linguis*; per infusionem namque Spiritus sancti omnium idiomatum acceperunt intelligentiam, facultatemque sermonis expressivam cum omnibus accentibus & circumstantiis haud secus ac si in illis regionibus nati & enutriti fuissent. *Cùm dispersi sunt per orbem terrarum, lingua omnium gentium, ad quas profecti sunt, locuti sunt*, inquit Cardinalis Baronius. *Poterant autem omnium linguas intelligere* (ait Hugo Cardinalis) *& omnium verba formare in quacunque lingua*. (In die Pent.) Similiter S. Antonius de Padua dicit: *Linguis omnibus loquebantur veluti sua*. Undè cum Græcis loquebantur Græcè, cum Latinis Latinè, cum Persis in lingua Persica, & sic de aliis, id quod omnibus ingentis stuporis causa fuit: *Stupebant omnes, & mirabantur dicentes: Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audivimus linguam nostram in qua nati sumus* (Porrò donum hoc linguarum, (Cornel. à Lapid.) prouti nobilis quidam Commentator modernus notavit, tria potissimum in se continebat, videlicet primò, multarum earumque variarum & differentium vocum cognitionem & notitiam; secundò, earundem vocum significationem pronuntiationemque promptam; tertiò, habitum ad formandas promptè & distinctè in potentiis & organis variarum linguarum voces. Rationem autem convenientiæ hujus doni optimam adfert S. Thomas Aquinas: (2. 2 Q. 176. art. 1.) Ex quo enim ipsi à Christo electi & destinati fuerant, ut ad prædicandam gratiæ legem inter varios diversissimosque populos discurrerent, necessarium omnino erat ut linguis loquerentur omnium illorum, quibus prædicabant, ut ab iis intelligerentur; neque enim conveniebat, ut priùs linguas illas addiscendi studio vacarent: nam preterquam quod hoc sine tempore & labore fieri non posset, ipsi quoque Apostoli ignorantes erant & viri simplices & idiotæ, qui expeditè per mundum discurrere, sibique præscriptum ordinem exequi debebant, neque conveniens erat ut interpretes adhiberent, quippè qui pauperes & egeni erant, nec habebant undè remunerarent; atque insuper ab his facilè quoque decipi poterant. Ad hæc ex quo Deus novam religionem Christianam in mundo plantare decreverat, quodnam patrare potuisset præ hoc linguarum dono potentius magisque stupendum miraculum, utpotè quod ad conciliandam apud omnes sui æstimationem & reverentiam aptissimum erat.

3. *Audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes*; adeo ut S. Antonius Paduanus dicat: *Hebræa lingua loquentes ab omnibus intelligebantur, ac si propriis singulorum loquerentur*. Id quod Dionysius Carthusianus pulchrà adhibita mannæ similitudine explicat; hoc enim licèt unicus duntaxat cibus esset, operatione tamen divina omnes in se sapores complectebatur, adeo ut illud manducans quidquid degustare liberet, perfectè saperet. Habuerunt quoque idemmet linguarum donum, uti Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 6. c. 5. optimè probat, aliorum Sanctorum plurimi, nimirum S. Antonius de Padua, S. Franciscus Xaverius, S. Vincentius Ferrerius, & alii. Undè probabilius est idem quoque privilegium concessum fuisse Apostolis. *Uno eorum aliquam proferente loquelam*, (inquit Dionysius Carthusianus) *omnes qui aderant, quantumlibet idiomatum consisterent diversorum, loquelam illam, tanquam proprium idioma, audierunt atque intellexerunt*. (In Acta.) Verùm enimvero nascitur hoc loco dubium, an miraculum istud ex parte audientis, an verò ex parte loquentis acciderit? Undè Nazianzenus quærit, An Petro v. g. verbum aliquod in Hebraica lingua proferente, verbum istud in aere multiplicatum & variatum fuerit, adeo ut Persarum aures in eorundem lingua immutaret, aures autem Romanorum in Lingua Latina, Græcorum in Græca, & sic deinceps: aut verò locutus fuerit Græcis Græcè, Latinis Latinè? Respondetque verisimilius sibi hoc ultimum videri: (Lib. 50 de offic. c. 57.) *Nam si priorem modum sequar, eorum potius qui audiebant, quam qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit*. Ejusdem quoque opinionem fuisse reperi Rupertum Abbatem Tuitiensem ob eandem Nazianzeni rationem, S. Thomas autem opinionem asserentem Apostolos unica lingua tantùm locutos à variarum linguarum hominibus intellectos fuisse non reprobans subjungit: (In 1. 1. pont. ad secund.) *Tamen convenientius fuit, quod omnibus linguis loquerentur quia hoc pertinebat ad perfectionem scientiæ ipsorum, per quam non solum loqui, sed intelligere poterant quæ ab aliis dicebantur*; ac tandem progreditur monstrando, quod si omnes quotquot unam duntaxat Apostolorum linguam audiebant, in illa singuli propria sua idiomata percepissent: *Hoc vel fuisset per scientiam illorum, qui eos*

loquen-

loquentes intelligerent, vel fuisset quasi quadam illusio: dum aliorum verba aliter ad eorum aures perferrentur, quàm ipsi ea proferrent. Verùm enimvero tametsi omnes hæ opiniones dignissimæ sint quæ æstimentur, attamen non minus æstimari meretur modus idipsum explicandi Sancti Cyrilli Hierosolymitani, qui in hanc rem sequentem adhibet comparationem: Cath. 6. *Una pluvia in universum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra in rosis; sic Apostolorum verba, quæ dictabat Spiritus sanctus, diversorum sonorum fœcunda & gravida, diversa accedebat ad diversorum aures.* Oecumenius de Apostolis dicit, illos quidem probè intellexisse & scivisse id quod annuntiabant: non tamen sciebant; cum quali lingua id facerent. *Apostoli quidem noverant quæ dicerent, nempè quod magnifica Dei: quibus autem linguis ea loquerentur, non noverant, nisi viri religiosi qui audiebant, puta Schyta fortassis, aut Indus putabant, quod Schytica aut Indorum lingua Apostoli loquerentur.* Lyranus hac de re ita scribit: *Mira in Apostolis gratia, quæ non solùm diversitatem eos docuit, sed etiam distantiam proprietatum in unaquaque linguarum, juxta numerum provinciarum in eorum loquela fecit.* Idem nihilominùs eandem cum prædicta sustinet opinionem, nimirum auditores singulos idem verbum ab Apostolis in unica tantùm lingua prolatum, in singulis propriis linguis intellexisse: *Ipsis loquentibus in uno idiomate quodcunque esset illud, omnes audientes, quantumcunque essent diversorum idiomatum, intelligebat quilibet idioma proprium divina virtute id faciente.*

4 *Loquentes magnalia Dei.* Cœlestibus hisce linguis de divina differebant magnificentia, id est, ioquit Dionysius Carthus. *Christi resurrectionem, ascensionem, Paracliti missionem exponebant.* Deinde verò pergit confirmare quidquid circa hoc linguarum donum hactenus diximus dum ait: *Unus ille non nisi unus idiomatis protulit voces, omnibus tamen videbatur quod sua loquela verba proferret; & virtualiter non formaliter, ita fuit;* moxque suprà insinuatum mannæ exemplum adducit, & sic concludit: *Deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.*

Figura ignis, in qua Spiritus sanctus descendit, divinitatem illius denotat, necnon & necessitatem, qua illo extremè indigemus; & alia nonnulla mysteria tanguntur.

DISCURSUS DECIMUS.

Tanquam ignis.

1 MEritò Spiritus sanctus hodie in specie ignis descendit; siquidem Cap. 15. *Deus ignis consumens est* Sanctus Dionysius Areopagita *de cælesti Hierarchia*, optimè probat nihil esse inter omnia creata, quod majorem analogiam & proportionem cum suo Creatore habeat quàm vivacissimum ignis elementum: Deut. 19. *Deus tuus ignis consumens est*, ait Deus ad populum suum de semetipso; pluriumque annorum circulo in famosa illa ignis columna dux eidem populo suo extitit. Adhæc quando finem sui in terram adventus declarare voluit, dixit: Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. Cur in specie ignis apparuit*, Interrogat Theophylactus; *ut ostenderet se ejusdem esse naturæ cum illo, qui super rubum visus est in specie ignis.* Rupertus Abbas Lib. 5. de divin. offic. c. 28. de mysteriis ignis illius, qui Sabbato sancto manè postquam priùs omne aliud lumen extinctum est, ex percusso silice eductus accenditur, tractans, dicit, ignem istum significare quòd Deus ille, qui *jussit de tenebris lucem splendescere*, quando Filium suum veram illam lucem (*Ego sum lux mundi*) ad illuminandas cæcitatis nostræ tenebras in hunc mundum demisit, mediante morte à Judæis extinctus sit; si lex autem, è quo ignem elicimus, denotat Christum, de quo Paulus ait: *Petra autem erat Christus*; de quo proindè etiam Ecclesia in oratione, quam matutino tempore ad cæremoniam ritus hujus adhibet, ita orando loquitur: *Deus qui per Filium tuum angularem scilicet lapidem, charitatis ignem tuis fidelibus contulisti; productum è silice nostris profuturum usibus novum hunc ignem sanctifica.* Id verò, quod in hac cæremonia huic nostro proposito quàm maximè fervit, est, quòd mysticus hic lapis, Salvator nimirum à Judæis percussus ignem ad nos mittat Spiritus sancti. *Lapis ergo, quem percutientes ignem elicimus, Christum significat, qui percussus verbere crucis Spiritum sanctum nobis effudit.* Porrò Catholica veritas est Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere: *Ex Patre Filioque procedit.* Cum igitur ambo ignis titulo denominentur, quid mirum si etiam Spiritus sanctus *tanquam ignis* descenderit. Sanctus Ambrosius scribit: *Corpus Christi fructus divini Spiritus est*; at verò quomodo intelligi poterit quòd panis hic cœlestis fructus sit Spiritus sancti? Lib. de myster. Ratio illius hæc esse potest, quia nimirum divinus hic ignis eum coxit; undè Rupertus Abbas ait: Lib. 2. in Exod. c. 10. *Quia de Spiritu sancto, qui æternus est ignis, Virgo illud concepit. Et ipse per eundem Spiritum sanctum, ut Apostolus ait, obtulit semetipsum hostiam vivam Deo viventi; eodem igne assatur in altari: operatione namque Spiritus sancti panis corpus, vinum fit Sanguis Christi.*

2. *Tanquam ignis.* Ignis est non elementaris, sed divinus; undè de eo sancta canit Ecclesia. *Decorus ignis almus est*; quæ ideò quoque lucis beatissimæ titulum ei attribuit, dicens: *O lux beatissima, reple cordis intima.* Cur autem hic ignis adeo speciosus existat, rationem illius mox reddit; nimirum quia *de patris est lumine*: non enim ex tertia aeris regione emicat, sed ex sinu Patris æterni; undè S. Vincentius Ferrerius scribit: Ser. 1. de pen. *Videbant ignem clarum, non comburebat, sed illuminabat; videbant fumum album & fumum incensi.* Luci proprium est, quod innumeris objectis sine ulla sui ipsius diminutione communicetur. Qua eadem proprietate ignis pariter præditus esse noscitur; undè S. Ambrosius in benedictione cerei Paschalis ait: In preconio pasch. *Divisus in partes mutuati non sentit detrimenta luminis.* Tametsi hodie divinus hic ignis dona, gratias, omnesque cœli divitias in maxima copia super discipulos depluerit; siquidem *replevit totam domum; repleti sunt omnes Spiritu sancto*, sua tamen æraria indè nequidquam deficiunt, sed æquè plena esse perseverant, & pristinam semper retinent opulentiam. Non ita in antiqua lege Mosaica accidit; nam ut Glossa de Moyse loquens advertit: In c. 2. Act. Apost. *Cùm oporteret alios afflare Spiritu, ipse diminutus est; hic verò non eodem modo, sed quemadmodum ab igne quotquot volet aliquis lucernas accendit, nec ignis imminuitur: ita & in Apostolis tum temporis accidit.*

3 *Tanquam ignis.* Tametsi omnia elementa valdè quidem sint necessaria, attamen pro vastæ hujus mundi machinæ conservatione ignis præ omnibus aliis maximè necessarius existit, ut potè qui activitate & calore suo cunctis viventibus vitam & motum subministrat. *Ignis*, inquit Rupertus Abbas Libr. 10. de div. offic. c. 14. cœlum in sole, luna, stellis, aliisque planetis luminosum efficit; terramque splendoribus suis, quos super eam diffundit, non solùm restaurat, verùm etiam caloris sui virtute eandem ad germinandum herbas, flores, fructus, mineralia, omnesque alios partus producendos efficaciter juvat: *Cœlum in sole, luna, sideribusque illustrat, terram autem non solùm fuso desuper lumine lætificat, sed & beneficio caloris ad gignendum provocat.* Hoc autem pulchrè nobis necessitatem, qua Spiritu sancto extremè indigemus, clarè subindicat; hæc enim tanta est ut major dari non possit: siquidem ab ipso creatio & productio omnis boni dependet: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Vitam quoque animæ nostræ Spiritui sancto in acceptis referre debemus. *Spiritus est qui vivificat. Sine tuo numine, nihil est in homine.* Quicquid sancta Dei Ecclesia habet Sacramentorum, infallibilitatis sacrarum literarum, decisionum conciliorum, aut veritatum Catholicarum; id totum opera Spiritus sancti possidet. Tot facinora heroica, tot tenellulæ Virgines, tot denique Martyres qui per fortitudinem quandam, humanæ debilitate longè superiorem, vitam suam pro Christo prodegerunt, per solum hujus sancti Spiritus impulsum prodierunt in lucem.

4. *Tanquam ignis.* Igni proprium est illuminare, calefacere, resolvere, liquefacere, indurare, aliosque beneficio communi deservientes similes effectus efficere, atque ideo non sine causa & mysterio ad instar ignis Apostolorum se pectoribus insinuavit: *Ut per effectus quos novimus* (inquit Rupertus Abbas) *hujus nostri ignis, intelligamus quid hic ignis, hic Deus, hic Spiritus sanctus operetur in nobis.* Ecce tibi effectus, quos in Christi sequacibus discipulis produxit varios pariter & admirabiles. Illos namque in sublimissima cœli Theologia reddidit scientifi-

cos,

eos ardentes quoque, fervidos, intrepidos ipsos effecit; vivam quoque illis infudit fidem, mysteriorum cœlestium intelligentiam, ardentissimam erga Deum & proximos charitatem & amorem, dona insuper prophetiæ, miraculorum, linguarum, discretionis spirituum illis communicavit; subitò quoque illos fecit esse eloquentes & disertos in prædicando, in patiendo constantes, efficaces & stabiles in operando. Hoc igne mediante ex pastoribus idiotis facti sunt Magistri, Doctores, Pastores, Judices, & tanquam tales dispersi sunt per universum mundum ad erudiendum omnes nationes, easque in vera fide illuminandum, ad corrigendum quoque pravos & perversos eorum mores, ad eradicandum cunctos abusus, totumque mundum legi Christi subjiciendum.

5 *Tanquam ignis*. Ignis proprium est calefacere, undè & illi, qui natura sunt ignea præditi, ordinariè sunt animosi, quia & pectus habent quasi leoninum, omnem à se propulsantes timorem atque formidinem. S. Bernardus Apostolorum metum, quem priusquam hic ignis in illorum corda descendisset, præ se ferebant, necnon invictum intrepidi animi robur, quocum postea cunctis sese opposuerunt adversis, considerans dicit: *Constantius modo prædicant quam delitescerent anteà timidius: mutationem illam dexteræ Excelsi manifestè declarat Princeps Apostolorum prius quidem inter ancillæ verba formido, postmodum inter Principum verbera fortitudo*. S. Leo formidinem, qua S. Petrus olim coram Caiphæ ancilla trepidavit, & animositatem, quam in facie totius Romæ ad illam Christo subjiciendam exhibuit, considerans ait: *Nec mundi Dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expavescis sacerdotis ancillam*. Ostendatis mihi unum, si placet, qui quaquaversum circumdatus sit igne, aut qui ex omnibus corporis membris flammas foras emittat, & certum esse pariter comperietis, quòd quisquis talem offendere tentaverit, ab illo priùs sit offendendus, ita enim accidere solet iis, qui divino hoc igne sunt perfusi, siquidem in incendiis, in suppliciis, in tyrannorum carnificina nequaquam damna patiuntur in anima, quantumvis fuerint lacerati in corpore; quin potiùs suos debellarunt & devicerunt persecutores. Undè Chrysostomus in Acta Apostolorum scribens ait: *Quemadmodum enim igneus homo si in medias incidat stipulas nihil læditur, sed magis vim exercet suam; nec enim ille quicquam patitur mali, sed qui his velluctantur, ipsi seipsos perdunt: ita nunc evenit*. Et hæc causa fuit, cur Apostoli hoc igne armati (inquit Chrysostomus) semetipsos adversum tyrannos sine timore intrepidi ingerint: *Itidem videlicet & Apostolis illos adorti sunt cum multa fiducia. Hoc igne* (ut constat de S. Laurentio) *B. Laurentius incensus flammarum non sensit incendium*, inquit Sanctus Augustinus.

Serm. 1. de Pent.

Serm. 5. de Nat. SS. Petri & Pauli.

6 *Tanquam ignis*. Proprietas ignis est sursum continuo ascendere; aut verò si in locis subterraneis recludatur, uti in cuniculis videre est, integra fortalitia & vastos montes susque deque evertens in aera propellere; qua propietate effectus significatur, quem in nobis operatur ignis cœlestis dum terram carnis nostræ in cœlum usque empyreum evehit, nosque adversante natura sursum ascendere facit. Undè Drogo Episcopus Ostiensis ait: *Columna ignis per noctem Spiritus sanctus est, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit, qui cæcitatis nostræ caliginem illuminat, & sursum erigit, ut sapiamus ea quæ sursum sunt, non quæ super terram*. Porrò nolite mirari quòd ignis contra morem suum descenderit, cùm tamen proprium illi sit ascendere. *Propter hoc enim ad nos ille descendit* (inquit S. Augustinus) *ut nos ad illum possimus ascendere*. Enimverò postquam Apostoli ab hac flamma fuerunt accensi, *loquebantur magnalia Dei*. Optimum valdeque securum recepti Spiritus sancti signum est, si de rebus ad Deum pertinentibus disserere gaudeamus, nec quicquam mente nostra revolvamus, quam cœlestes cogitationes & desideria. Denique Spiritum tum instar venti, tum instar ignis de cœlo descendit. Unde idemmet Augustinus ita concludit: *Uterque autem tam Spiritus quam ignis corda sursum levabat & super seipsos salire faciebat, ut ad superna properarent*.

Serm. 181. de temp.

Serm. 188. de temp.

Hic ignis Spiritus sancti symbolum Imperii est, consumptisque idololatriæ vitiorumque stirpibus humanam illuminavit cæcitatem, ipsosque Apostolos incalescere fecit, & animosos reddidit.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Tanquam ignis.

1 SUpervacaneum est pluribus ea probare, quæ evidens nos edocet experientia, nimirum quòd Salvator noster Apostolis suis mediantibus omnium sibi populorum compararit Imperium, eosdemque legi suæ subjecerit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, prædixit Christus; quod tametsi de morte sua principaliter intellexerit, id tamen nequaquam adimpletum fuit, nisi *quando elevata fuit magnificentia ejus super cælos*, nimirum in gloriosa Ascensione sua, & hodie in die Pentecostes, quando Spiritum sanctum ad nos misit. Undè S. Petrus hodierna die vix os suum aperiebat, cùm ecce tria obstinatissimorum Hebræorum millia protinùs convertit. Quod eo tantùm fine dico, ut per hoc ostendam quòd non immeritò ad instar ignis descenderit ignis etenim semper imperii prægnosticum fuit. Sic flamma illa super Servio Tullo visa regni augurium fuit. Persarum quoque Reges in publicum procedentes eandem ob causam ante se ignem portari fecerunt: deinque de Commodo Imperatore scribitur, eum Martiæ consorti contorali suæ omnes honores regios indulsisse, hoc solum excepto, quòd ignem ante illam seu coram ea portari minimè permiserit. Denominatur quoque divinus hic ignis unctio spiritualis (*& spiritalis unctio*) idque, uti credo, ex illa causa, quia nimirum eum, qui illo præcipuè ungendus est, in Regem vel Monarcham terræ uncturus vel consecraturus erat; ut hac ratione adimpleretur Propheticum Davidis oraculum, quo de seipso prædixit *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus*. Siquidem postquam Spiritus sanctus supra Sionis Cœnaculum descendit, mox hic in terris Ecclesiæ stabilitum est regnum, promulgata est ad totius universi aures lex Evangelica, ipsiusque Sathanæ tyrannicum imperium penitùs dissipatum fuit. S. Leo Papa Romam, quæ tunc caput mundi erat, in qua Imperatores residebant, omnesque potentatus in nationum & provinciarum capita evehebant frementium bestiarum silvam denominavit: *Silvam istam frementium bestiarum*; revera enim silva quædam erat à totidem feris inhabitata, quot in ea adorabantur deitates prophanæ, ex nimirum, quæ ibidem adorabantur, quales omnes illæ erant, quibus in omnibus aliis mundi partibus cultus exhibebatur superstitiosus & indignus: *Magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem, omnium gentium serviebat erroribus*. Quot obsecro in civitate illa, quæ totius mundi sibi vendicaverat principatum, abusus, superstitiones, incantationes, quot, inquam, aliæ innumeræ abominationes dominabantur? *Tam magnus ignis* (inquit Chrysostomus) *immensam silvam potest accendere, mundi peccata quasi silvam exussit*. Agricola, qui agrum stirpibus, fruteris & arbustis ubique obsitum cultivare & fructiferum reddere disponit, in eodem agro variis in locis ignes excitat, qui stirpium & dumetorum radices funditùs exurant. Judæa tanquam malè cultus ager non solum fructuum loco spinas proferebat, & tribulos, eratque versus Deum, qui dixit: *Pater meus agricola est*, quoad omnem fructum sterilis, verùm cum illa pariter universa terra: *Non erat qui faceret bonum non erat usque ad unum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti fuerant*. Quid igitur cœlestis hic Agricola remedii adhibuit? Ignem hunc Spiritus sanctus hodierna die misit, qui spinas peccatorum & vitiorum totius humani generis radicitùs evulsa exureret, adeo ut alia quasi post ejus adventum in terra facies videatur: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Nazianzenus causam, cur linguæ illæ igneæ fuerint, investigans, dicit: *Quæro utrum ad purgationem? sciebat enim verbum & ignem nobis purgativum*. Et Spiritum sanctum Deum esse, de quo scribitur: *Ignis consumens*, ostendere volens subjungit: *Est ignis consumens malitiam*. Chrysostomus quoque pariter rationem, cur Spiritum sanctum in specie

Psal. 2.

Orat. in Natal. Apostol. Petri & Pau.

In Acta Ap.

Orat. in Pen.

Tom. 5. ser. 36.

cie

cie ignis receperint, reddere volens, dicit: *Ignem accipiebant, ut orbis terrarum peccata exurerent, & cuncta delerent; nam quemadmodum ſi incidat ignis in ſpinas, illas facilè delet omnes: ſic & Spiritus gratia peccata hominum abſumebat*. Hæ igitur tot abuſuum totque culparum ſpinæ, quæ in genere humano inundabant Apoſtolorum prædicatione eradicandæ & exurendæ erant, ideoque Spiritus ſanctus illos ad hoc præparans atque diſponens non ſolùm ignis, ſed etiam linguæ ſpeciem aſſumpſit. Unde S. Auguſtinus ait: *Quid ſibi vult quod Spiritus ſanctus apparuit in linguis igneis, niſi quia nullius linguæ duritia eſt, quæ non illo igne ſolvatur?* S. Ambroſius ſuper illa verba Pſalmi: *Ignitum eloquium tuum vehementer. Bonus ignis qui calefacere novit neſcit exurere niſi ſola peccata*. Inſtituatur obſecro comparatio inter ſæcula ſuperiora, quæ Spiritus ſancti adventum hodiernum præceſſerunt, & alia quæ hujus ignis in terras deſcenſum ſubſecuta ſunt, magnamque confeſtim videbitis utrimque differentiam, adeo nimirum ut S. Bernardus verba hæc S. Pauli: *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum*, exponens dicat: *Nimirum abundantia temporalium oblivionem fecerat æternorum; ideoque tunc dici poterat, quod conglutinatus erat in terra venter eorum*; neque enim erat qui oculos in cœlum erigeret: ſiquidem terrenis agglutinati erant, omnes falſa ſimulacra adorabant, at verò poſtquam divina hæc flamma deſcendit, protinùs primitivi fideles facultates ſuas ad piſcatorum pedes certatim deferebant, ac deinceps vitam traducebant Angelicam; eremi ingenti implebantur Anachoretarum numero, ipſumque ſolum tot ad martyrium properantium virorum ac mulierum ſanguine innundabatur. Qualis erat ante hujus ſanctiſſimi Spiritus adventum mortalium ignorantia & cæcitas? qualis in unoquoque ſalutis æternæ neglectus & oblivio? Quanta accumulabatur multitudo ſcandalorum? *In igne Spiritus ſanctus venit*, inquit Gloſſa, *quia peccatores Spiritus purgat, illuminat, accendit, urit; ignis enim quatuor habet naturas: urit, purgat, calefacit, & illuminat; ſimiliter Spiritus exurit peccata, purgat corda, torporem excutit, ignorantias illuſtrat*. Quouſque non pervenerat humana cæcitas, quæ etiam porros, cepas, allia, aliaſque ſimiles plantas Dei loco agnoſcebat. Undè Poeta ille de Ægyptiis per ironiam ita cecinit. *O ſancta gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis numina!* Serpentes quoque adorabant & crocodilos; poſt adventum verò Spiritus ſancti, S. Marcus per hujus ignis lucem tenebras iſtas eo modo diſſipavit, ut ejus ſectatores facti ſint viri ſumma perfectione, ingenti lumine, & agnitione veri Dei præditi. *Ignis per ſplendorem illuſtrat*, inquit Innocentius III. *per calorem purificat, & Spiritus ſanctus per ſapientiam illuminat mentem*. Deindè de anima noſtra proſequitur dicendo: *Purificatur in Spiritu per ſapientiam à tenebris ignorantiæ per charitatem à maculis culpæ*. Cœleſtis hic ignis lucernas illas accendit, quæ ſuper magnum illud poſitæ ſunt candelabrum, Apoſtolos nimirum, qui hoc decorantur titulo, quod *vera mundi lumina*, dicantur: *Vera mundi lumina*. Hæ autem lucernæ idololatriæ diſſipant obſcuritatem; ac proinde S. Leo de duobus Apoſtolis Petro & Paulo tractans, ad Romam converſus: ait *Iſti ſunt viri, per quos tibi Evangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis*; imo & *Magiſtra veritatis*, eandem veluti Magiſtra omnibus annunciando.

In Pſ. 93.
Ser. 1. de Advent.
Serm. 1. de Pentec.
Ser. 1. de Natali Apoſtol.

2 *Tanquam ignis*. Ingentem valdeque vehementem habet elementum hoc activitatem, in continuo motu perſiſtit, inceſſanter operatur, adeoque purum eſt & mundum, ut nullius generis ſordes aut maculas admittat: tali quoque eſt potentia prædita, ut æra liquefaciat, incineret marmora, muros dejiciat quantumvis validiſſimos, exercitus in confuſionem adigat, fortalitia municiſſima ſubvertat; quos eoſdem effectus ſpiritualiter etiam divinus hic ignis operatur; eſt enim & hic in motu continuo: *O ignis qui ſemper ardes*; ad cor noſtrum continuò pulſat: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*; & non ſolùm maculam prorſus ullam admittit, verùm etiam eaſdem abluit, aut penitùs tollit: *Lava quod eſt ſordidum*. S. Bernardus ait: *Spiritus iſte odit ſordes, nec habitare poteſt in corpore ſubdito peccatis; cui enim proprium eſt peccata repellere, ipſi & proprium eſt peccata odiſſe*. Pectora quoque chalibea licèt exiſtant, ad hunc ignem emolleſcunt. Ecce tibi exemplum in Saulo, qui *adhuc ſpirans minarum & cadis in diſcipulos Domini*, vix ab hac flamma illuminatus fuit: *Circumfulſit eum lux de cœlo*; quid petit? quid poſtulat? *Domine, quid me vis facere?* Quas non turres Apoſtoli per hunc ignem everterunt, quando ab hoc Cœnaculo fuere egreſſi? Ex perfidis illis Hebræis qui ad ipſiuſmet Chriſti prædicationem & miracula duri permanſerunt, imò eundem quoque crucifixerunt, ad ſola verba unius piſcatoris Petri multa millia fuere converſa: *Dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres?* Quot ædificia quondam in honorem Jovis; Saturni, aliorumque ſacrilegorum numinum erecta hic ignis non proſtravit & contrivit? Quot ſtatuas argenteas, æneas, aureas, ferreas per hunc cœleſtem flammam non liqueſcunt? Quot confuderunt & confecerunt tyrannos, fideique Chriſtianæ perſecutores? Nunquid igne hoc mediante longè ampliora præſtiterunt, quàm olim omnes præſtiterint Monarchæ per validiſſimos ſuos exercitus? Hi enim ſibi ſolum corpora ſubjicere potuerunt, non verò animas ſubjugare, non convincere intellectum, non movere voluntatem, prouti fecerunt Spiritu ſancto pleni Apoſtoli: *Sedete hic in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*, inquit ad diſcipulos Chriſtus priuſquam aſcenderet. Ubi Chryſoſtomus: *Sicut milites invaſuros nullus dux exire non ſinit, donec armati ſint, ne inermes hoſtium gladiis trucidentur; ſic & Chriſtus diſcipulus ante Spiritus adventum ad conflictum egredi non permittit*. Quando autem ab hoc igne æſtuare cœperunt: *Nonne contempſerunt omnium furores? Illud mirabilius quod Apoſtoli nudo corpore conſiſtebant adverſus armatos*.

Serm. 2. de Pentec.
Luc 24. 29

Alia hujus ignis myſteria Spiritui ſancto concinnè adaptata conſiderantur.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Tanquam ignis.

1. POſt prothoparentis tranſgreſſionem Deus noſter per Cherubinum illum, quem igneo gladio armatum eſſe voluit, aditum ad paradiſum terreſtrem præcluſit; at verò benedictus Deus! ecce tibi hodie ingreſſum ad paradiſum cœleſtem non mediante gladio igneo, ſed linguis igneis denuo reſerari, piſcatores ſimplices & idiotæ in virtute doni ſcientię & ſapientię eidem hodie infuſæ in Cherubinos ſunt traſmutati. *Ingreſſi ſunt rudes piſcatores*, (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *exierunt eloquentes prædicatores: ingreſſi ſunt idiotæ, exierunt ſapientes*. Gladio quoque igneo armati & accincti fuere; hoc enim titulo Apoſtolus verbum Dei decoravit: *Gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei*. Potuitque de ſingulis eorum idem dici, quod de Elia olim dictum fuit: *Verbum ipſius quaſi facula ardens*. Undè S. Cyrillus Hieroſolymitanus ait: *Gladius igneus anteà prohibebat ingreſſum paradiſi, ignea verò lingua ſalutarem præſtitit gratiam*. Et quidem ad quid Chriſti in cœlos Aſcenſio profuiſſet, qui proteſtatus fuerat dicendo: *Vado parare vobis locum: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; niſi nobis in pædagogum & viæ ducem miſiſſet Spiritum ſanctum? Quis viam ad cœlum unquam invenire potuiſſet? *Obſerva quàm neceſſarius fuerit Spiritus ſancti adventus; certè adeo neceſſarius, ut fruſtrà Pater creavit fruſtra Filius redemerit, niſi Spiritus ſanctus nobis datus eſſet. Chriſtus quidem ſanguinis ſui pretio amiſſam nobis hæreditatem recuperavit; ſed incognita nobis erat via: neceſſarius ergò nobis erat Spiritus ſanctus, qui per Apoſtolos eam nobis pateſaceret*. S. Auguſtinus poſtquam ignem hunc eo fine deſcendiſſe ait, ut nos aſcendere faceret, mox ſubjungit: *Hominem portavit ad cœlum, & Deum miſit ad terras; quanta eſt auctori cura pro inſtauratione facturæ ſuæ!* Etenim animæ noſtræ ingreſſum in cœlum habere nequibant, niſi priùs ſanctificatæ fuiſſent, vel niſi primò per filiationem Dei adoptati fuiſſent in filios Dei; ex tunc enim & non anteà capaces eramus, ut Chriſti cohæredes eſſemus: *Parum erat Patri tradidiſſe Filium ut redimeret ſervum, niſi daret & Spiritum ſanctum*, (ait Guerricus Abbas) *quo ſervum adoptaret in filium; dedit Filium in pretium redemptionis, dedit Spiritum in privilegium adoptionis*. S. Bonaventura verba illa: *Aſcendit ignis de petra; petra autem erat Chriſtus*; conſiderans ait: *Ignis ergo de petra aſcendit, quando Spiritus ſanctus in igne à Chriſto miſſus fuit diſcipulis: & benè dicitur aſcendere, quia nos fecit aſcendere*.

Conc 1 de Pent.
Eph 6. 17.
Eccl. 48 1.
Cath 17.
Jo: Ferus in Acta.
Ser 185 de temp.
Serm. 1. de Pen.
Serm. 4 de Pentec.

2. *Tan-*

2. *Tanquam ignis*. Absalon Abbas tres ignis species di- Serm. 34. stinguit, qui sunt figuræ trium primariorum donorum Spiritus sancti: *Est ignis ardens, ignis fovens, ignis lucens; ardens, qui subjectam materiam consumit; ignis fovens calor ingenitus qui corpora nutrit; lucens ignis est splendor lucidorum corporum, qui expellit tenebras, & inducit claritatem*. Per ignem qui ardet charitas intelligitur & amor Dei, per secundum, Spiritus consolationum internarum; per tertium Spiritus veritatis: *Primi spiritus calore urebantur qui dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, cum loqueretur nobis in via? Spiritum consolationis habebat David, cum diceret: Secundùm multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. De Spiritu autem veritatis dicit Dominus: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Primus Spiritus operatur in desiderio cœlestium; secundus, in patientia tribulationum; tertius in eruditione sive illuminatione prædicantium*.

3. *Tanquam ignis*. Proprium est igni, calore suo resolvere nives, frigus dissipare, ita pariter cœlesti hinc igni innata qualitas est in animabus illis, quibus communicatur resolvere & abigere gelu omnis tepiditatis & pigritiæ, easque ferventes reddere in divino servitio. *Facta autem hac voce convenit omnis multitudo*. Subitò postquam ignis hic cum quodam venti tumore excitato de cœlo descendit, ingens quædam multitudo gentium in Sion congregata est; ipsi verò Apostoli & omnes alii deposito omni metu ac formidine linguam suam laxarunt in laudes Redemptoris. *Apostolorum & aliorum cum eis existentium, Deum voce magna laudantium*, (inquit Lyranus) *qui prius timore ducti non audebant loqui*. Chrysostomus Apostolorum animositatem, quam postquam Gem. 74. in joan. ab hisce flammis cœlestibus æstuare ac fervere cœperunt, palam manifestarunt, sequentibus verbis admiratione plenis claré repræsentat: *Qui prius timebant ac formidabant, post Spiritus sancti acceptionem in medium prosilierunt, per ferrum, ignem, bestias, pelagus, & ad omnem calamitatem intrepidi se exposuerunt, ex luteis ferreos & in cælum erigens nulli humano affectui subjectos*. Jeremias Propheta quondam prædixit: *De excelso misit* Thren. 1. 16 *ignem in ossibus meis, & erudivit me*. Quisnam autem est hic ignis, qui in Prophetæ hujus ossa se insinuavit, interrogat Innocentius III.? *Hodie completum est quod* Serm. 2. de pent. *in persona Ecclesiæ Propheta prædixerat: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me; de excelso namque, id est, de cœlo, misit ignem, id est, Spiritum sanctum in linguis igneis: in ossibus meis, id est, Apostolis, per quos totum corpus Ecclesiæ sustentatur: quos & tunc fecit ossa, id est, fortes, constantes*. Verùm enimverò num fortè videre desideratis, an gelida pigritiæ glacies Serm. de Spir. sanct. ab hoc igne resoluta & fugata sit? S. Petrus Damianus certum nobis signum traditurus, undè Spiritus Dei à mundi spiritu discernere valeamus, dicit: *Spiritus qui ex Deo est, quas replet mentes ad cœlestia provocat, & expulso torporis & negligentiæ frigore ad amorem divinum inflammat*. S. Thomas de Villa Nova, Apostolorum Conc. 1. de pent. à tempore, quo in Cœnaculum Sion ingressi sunt, & indè denuò recesserunt, mutationem considerans dicit: *Ingressi sunt timidi, exierunt fortes; ingressi sunt tepidi, exierunt ardentes*. S. Bruno Carthusianorum Patriarcha Serm. 2. de pent. optimè reflectit ad hoc, quod scilicet fortunatus hic ignis Apostolos, qui in dolorosa passionis nocte *Omnes relicto eo fugerunt, subito ardere fecit interius, & confirmavit jam, ut non solum vocem unius ancillæ non timerent: sed nec flagellati conspectum Judaici consilii formidarent, nec etiam ipsius Romæ mundi Dominæ minas perhorrescerent*.

4. *Tanquam ignis*. Ignis elementum omnibus aliis superius est, idemque meritò symbolum est charitatis, de qua dicitur: *Major autem horum est charitas*. Hic autem amore est Spiritus sanctus: *Fons vivus, ignis charitas*. Descenditque in linguis igneis, ut Apostolos charitate accenderet: *Verbis ut essent profluí, & charitate fervidi*. Ad Spiritum Sanctum quoque pertinet virtutem hanc cordibus nostris infundere: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Hoc igne Apostolos accendi & ardere voluit, priusquam ad prædicandum egrederentur. Un- Serm 1. de pent. dè Innocentius III. *Ardeat prius ignis dilectionis in corde ut posteà sonet lingua prædicationis in ore: charitas informat vitam, & sapientia informat doctrinam*. Quod idem confirmat illa S. Gregorii sententia dicentis: *Officium prædicationis assumere non debet, qui charitatem ad proximum non habet*.

5. *Tanquam ignis*. Ignis, prouti perspicuè videmus, alimento semper opus habet, nunquam satiatur, nec unquam dicit, sufficit; secus verò extinguitur: eadem pariter est proprietas Spiritus sancti; anima enim Spiritu hoc sancto imbuta, perfectione & virtute quam habet, nunquam acquiescit, aut satiatur, sed ad majorem semper aspirat. Undè S. Paulus dicebat: *Ego me non* Philip. 3. 13. *arbitror comprehendisse; unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens meipsum*.

6. *Tanquam ignis*. Ignis vel ut amicus, vel ut inimicus noster considerari potest: & quidem quanta ab ipso velut amico nostro quotidie bona recipimus? nos enim in tenebris illuminat, calefacit in hybernis gelu rigoribus, cibum, qui vitæ fomentum est, sapidum efficit; & multa alia non minora nobis præstat: ex altera verò parte, quanta nobis damna conciliat, ubi inimicus noster fuerit? domus & fortalitia subvertit, quamvis opulentissimam suppellectilem disperdit, ac demum quanta fulminibus & fulguribus ac sagittis è cœlo missis terræ mala immittit? Quantas in metallis concavis, sive illa sclopeta sint, sive balistæ majores, in corporibus humanis strages & clades producit? Eodem quoque modo de hoc divino igne asserere possumus, quod inter omnes tres personas divinas nulla sit nobis aut benignior, aut beneficentior Spiritu sancto, dummodo inter ipsum & nos bona intercedat correspondentia? væ autem nobis si abjecerimus & repudiaverimus eum. Un- Ser. de pen dè B. Laurentius Justinianus ait: *Ipse justificat impios, defunctos suscitat, reducit erroneos, cæcos illuminat, pascit famelicos, erudit inscios, damnat ingratos*. Legite quas apud S. Matthæum hac de re scriptas invenietis comminationes: *Quicumque dixerit verbum contra* Matth. 12. 23. *Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*.

7. *Tanquam ignis*. Sanctus Cyrillus Hierosolymita- Cath. 17. nus scribit: *Ignis portendit tribulationem magnam & multiplicem, quas passuri erant Apostoli & fideles, sed superaturi per ignem amoris divini, quem idcirco eis indidit Spiritus sanctus*. Quando hic ignis de cœlo descendit, exordium mox persecutiones & martyria habuere, tuncque adversus Petri naviculam sævissimæ exortæ sunt tempestates. Et tamen hoc non obstante *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu Contumeliam pati*. Ad hujus ignis bonam custodiam utilissimum nobis Absalon Abbas monitum subministrat dicens: *Attendat quilibet Apostolorum filius, si igne divini* Serm. 36. *amoris intus ardeat: iste enim in altari cordis debet esse perpetuus, nec unquam extingui quandiu in hac vita militamus*. Secus enim idem nos supplicium expectat, quo Deus olim filios privavit Aaronis, qui ab igne devorati fuere, eo quod thuribula sua igne instruxissent alieno: *Quis est iste ignis alienus? Ignis alienus est luxuria, quæ est in cubilibus & impudicitiis: ignis alienus est iracundia, quæ est in dissensionibus & contumeliis: ignis alienus est invidia, quæ est in detractione alienæ virtutis. De hoc igne dicitur per Prophetam: Quia incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt*. S. Vincentius Ferrerius illum Ezechielis textum: *Introducam in vos* Serm. 1. de pent. *spiritum, & vivetis*, adducens, similitudine quadam utitur à viribus lignis desumpta: Sicut enim illa primò exsiccata sint oportet, antequam ad ignem concipiendum disposita sint; ita quoque Apostoli primò jejuniis se afflixerunt, in oratione perseverarunt, atque ad aliquantum temporis à communi hominum turba se subduxerunt, & solitudini vacarunt, hacque ratione divinum istud incendium fructuosè conceperunt.

Variæ

Variæ adducuntur rationes, cur Spiritus sanctus super Apostolorum aliorumque capitibus insederit; simulque sessionem hanc stabilitatem denotare ostenditur.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Seditque supra singulos eorum. Act. Apost. cap. 2.

1 RECeptus & solemnis in Ecclesia mos est, linguas Spiritus sancti veluti super Apostolorum capitibus defixas repræsentare; imò ipsemet S. Lucas, qui pictor pariter & Evangelista fuit, illum capitibus
Tom. 12. tr. 2. insidentem depingit: *Seditque supra singulos eorum* Interlinearis hic ait: *In singulis totus, nec in multis diversus aut divisus.* Et Salmeron super eadem verba dicit: *Id est, totus in quovis; quia totus Christus, & omnia ejus mortis merita, ac proindè totus Spiritus, cuivis applicantur.* Divitiarum tamen cœlestium abundantia major aut minor fuit, secundùm beneplacitum Spiritus illius: *qui dividit prout vult. Cur super caput?* interrogat Theophylactus: *Quia Apostoli orbis terrarum Doctores designabantur & ordinabantur: Ordinatio non fit nisi in capite; igitur per hoc, quod linguæ erant super capita, ostenditur figura ordinationis, super caput enim manu extensa posita ordinatio fit*: Estque hic Ecclesiæ usus & ritus antiquissimus, qui etiamnum hodie conservatur. Quia verò communicatio Spiritus sancti invisibilis est oculis nostris, ideo nunc capiti Episcopi ordinandi liber Evangeliorum super imponitur, qui in substantia aliud nihil præterquam linguam quandam igneam capiti ejus insidentem significat. *Lingua propter prædicationem: ignea propter eum qui dicebat: Ignem veni mittere in terram.* Salmeron Ammonii Alexandrini, super Acta Apostolorum scribentis testimonium adducit, dicentis, hunc ignem super capitibus comparuisse: *Quia Apostoli ordinabantur orbis Magistri.* Quædam tamen hic observanda est differentia in communicatione Spiritus sancti sacro Apostolorum collegio hodie facta, & in communicatione, qua se Spiritus sanctus aliàs ipsis fidelibus visibiliter insinuavit; prout ex Actibus Apostolicis pleniùs constat: nam quando super alios fideles dilapsus est, super capitibus eorum sedisse minimè dicitur, licèt id hodie factum fuisse constet. De Samaritanis namque legitur: *Accipiebant Spiritum sanctum.* De Cornelio Centurione: *Cecidit Spiritus sanctus.* Super Corinthios *venit Spiritus sanctus*, Hodie autem dicitur; *Seditque supra singulos eorum.* Scitisne causam cur ita factum sit? Illi omnes privati homines erant, quibus participatio quædam mediocris sufficit, non verò tales erant Apostoli, utporè qui columnæ erant firmamenti Ecclesiæ. Et iden *sedit*; ad sedendum super ipsos sese composuit, in ipsis velut in propria residentia, aut sicut in proprio centro substitit & quievit; siquidem omnes suos etiam prodigiosissimos effectus in ipsis operaturus erat.

2 *Seditque supra singulos eorum.* S. Cyrillus Hierosolimitanus ait: *In specie linguarum ignearum sedit super illos, ut nova corona spirituales per linguas igneas imponantur capiti eorum.* Principes terræ declarandi erant: *Constitues eos Principes super omnem terram*; ideoque hæc eorundem capitibus diademata imponere voluit. S. Bernardinus super illud verbum: *Sedit*, ita scribit: *Id est, una flamma lingua super caput unius, & alia super caput alterius: primo in signum superioritatis, secundo tranquillitatis, tertio gravitatis.* Et quidem in signum superioritatis non solùm in ordine ad ipsos, verum etiam in ordine ad hunc sanctissimum Spiritum, ad denotandum videlicèt quietum regimen quod illos gubernando obtinebat. *Et ipse quoque sedens in eis quietè regnabat, carne subjecta rationi, & ratione subjecta Deo.* Unde quilibet illorum meritò dicere poterat: *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. In signum tranquillitatis*; quia quocunque ingreditur Spiritus sanctus, pax ibi, quies, & bonæ conscientiæ serenitas perpetuò dominatur: *Pacemque dones protinus. Seditque* id est, inquit S. Bonaventura, *Sedentes nos facit per quietem contemplationis.* Interlinearis verò, cujus est hæc interpretatio: *Quod sedet, regia potestas est*; subjungit: *Vel quia requiescit in Sanctis*; vel addi potest, *quia requiescere eos facit.* Nazianzenus hac de re ita scribit: *Sessio hæc regia in Spiritu sancto dignitatis excellentiam designat, ejusque super Sanctus requiem; quandoquidem Deus quoque pro throno Cherubinos habet.* Verùm enimverò quia throni Dei mentionem facere cœpimus, sciendum est quod Tertullianus hoc verbum *sedit* interpretando, scribat *Seditque, ut ostenderet quemvis hominem; qui alicujus muneris & operis administrationem atque functionem suscipit, esse solum Dei.* Tertium hujusce sessionis mysterium juxta sanctum Bernardinum est, quod sederit *In signum gravitatis*, id est, Spiritus sanctus idem est quod firma & solida in adversis constantia. In cujus confirmationem S. Bernardinus illum Psalmi textum adducit: *In populo gravi laudabo te, id est, in populo discipulorum, non cadenti omni verbo persecutionum, per populorum conversionem laudem & gloriam tibi dabo.*

Cath. 17.

Tom. 3 ser. de 7 donis Spiritus S. cap. 9.

Apoc. 5. 10

Serm. 5. de Pentec.

Orat. 44. in Pentec.

3 *Seditque supra singulos.* Oecumenius dicit: *Super singulos sedet, stabilitatem ac permanentiam significans; dictio enim, sedit, idem significat quod permansit.* S. Bonaventura idipsum quasi dicit: *Potest tamen & melius in sessione Spiritus sancti significari, quod ipse sit mansionarius in perseverantibus.* Etenim Spiritus sanctus in nobis non solùm perseverantiæ author est, utporè quæ donum ejus est; verùm etiam per hanc sessionem nos in hac tam necessaria stabilitatis virtute instruere & perficere voluit: undè memorandum, quòd quando Christus hunc Spiritum sanctum Apostolis suis promisit, in eodemmet tempore hujus quoque persistentiæ mentionem pariter fecerit: *Alium Paraclitum dabit vobis* (inquit de Patre suo) *ut maneat vobiscum in æternum*; gratias enim illas & locuplerissima dona quæ receperant, nunquam amissuri erant, utporè confirmati in gratia. *Sedendi verbum*, inquit etiam Chrysostomus, *stabilitatem & mansionem declarat.* Regius Propheta David spiritu quodam principali à Deo confirmari postulabat, dicens: *Spiritu principali confirma me.* Qualis autem hic, quem petebat, spiritus fuerit, S. Gregorius declarat, dicens: *Sciebat enim quod infirma sit omnis anima, nisi Spiritus sancti virtute fuerit firmata.* Porrò omnes gratiæ & dona, omnesque aliæ divitiæ cœlestes, quas in nostras animas clementer depluit, quantum est ex parte sua, sunt permanentes, nisi illas culpa nostra à nobis abjecerimus; ac proindè, ut Salmeron ait: *Ejus sessio denotabat stabilia esse dona, quæ dabat, nisi nostro vitio ea respuamus.* Verùm, eheu! quot sunt è Christianis hodie, quibus idipsum, quod obstinatis Hebræis olim S. Stephanus, exprobare possumus dicentes: *Dura cervice vos semper Spiritui sancto resistitis.* S. Philippus cuidam roganti, ut à Deo hanc gratiam obtineret, nimirum ut manum suam super caput illius extensam servaret, eumque ab omni quod offendere posset, protegeret; respondit: si vis ut Dei manus super te semper protensa permaneat, cura ut ipsum semper & firmiter tecum retineas; quo responso eum monebat, ut in bonis propositis, operibusque virtuosis stabilis semper persisteret. Quot sunt qui in bono fatigantur, ideoque pertæsi convertuntur retrorsum! Guerricus Abbas ait: *Sanè quantò mirabilior Dei gratia prædicatur, tantò damnabilior hominis duritia convincitur, si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non servet.* Apostolus ad Galatas ita scribit: *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Quibus verbis immensum illud damnum insinuant, quod sibi conciliant, qui Spiritum posthabentes & deserentes ad vomitum redeunt, omniumque bonorum operum merita dissipant & disperdunt: *Tanta passi estis sine causa.* Equi illi sive mystica animalia, quæ Ezechiel quondam vidit vastum illum currum, cui Deus insidebat, protrahentia: *Ibant, & non revertebantur*; scitisne quamobrem id fecerit? *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur dum ambularent. Quia electi sic ad bona tendunt* (inquit Hugo Cardinalis) *ut ad mala perpetranda non redeant: qui enim perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* Non fortasse aliquando ad illum Apostoli textum reflexistis, quo dicitur: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ?* quænam est isthæc Spiritum sanctum inter & pignus similitudo? quisquis pignus manu sua tenet, securus est de eo nequaquam perdendo, monet tamen Estius: *Arrham ab eo custodiri debere tunc repræsentandam, quando res promissa accipienda est; quod nisi fecerit, jus accipiendi amittit.* Undè hanc elicit conclusionem: *Quare nisi Spiritum sanctum pro pignore acceptum qui servaverit usque in finem, excidet hæreditate promissa.* Regius ille

Joan. 14. 16

In Acta.

Psal. 50.

Serm. 1. de Pentec.

Cap. 3. 4.

Ezech. 1.

Ephes. 1. 13

Psal-

Psalmographus Deum ita precabatur, dicens: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Quæ verba Hugo Cardinalis ita exponit: *Donum spiritus sancti, quo peccatum meum cognosco, confiteor & pœniteo, ne auferas, petit perseverantiam & præsentiam Spiritus sancti continuam.* Seraphicus Doctor Spiritum sanctum olim sæpiùs in columbæ forma descendisse considerans: *Vidi Spiritum sanctum descendentem quasi columbam de cœlo, & manentem super eum*; hanc indè ad nostram instructionem elicit moralitatem, dicens: *In quibus verbis tria attenduntur, quæ maximè ad perseverantiam in bonis operibus necessaria sunt: humilitas, mititas, stabilitas: humilitas in prosperitate; unde dicit Spiritum descendentem, non ascendentem: mititas in adversis; unde dicit: Quasi columbam; in qua mansuetudo significatur: stabilitas in voluntate; unde ait: Manentem super eum.*

Serm. 6. de Pent.

Ex quibusdam vini proprietatibus, nonnulli quos Spiritus sanctus in nobis operatur, deducuntur effectus.

DISCURSUS DECIMUSQUARTUS.

Musto madere deputant, quos Spiritus repleverat.

1 OMnes universim admiranda officia, quæ Spiritus S. per linguarum multiplicitatem & varietatem, per donum sapientiæ & scientiæ, miraculorum operabatur, necnon omnes alios stupendos effectus admirabantur undè hæc omnia, sacrosanctum & divinum illud mysterium ignorantes, vini potentiæ & efficaciæ adscribebant: *Musto madere deputant, quos Spiritus repleverat. O vesaniam, o malitiam inauditam!* (ait Glossa) *atqui ne tempus quidem illud habebat mustum; mustum namque dulce vinum est, quod ab ipso fluit torculari.* Veruntamen quia Spiritus sanctus in iis, quos thesauris suis accumulat, multos operatur effectus, iis persimiles, quos vinum largiùs potatum operari solet, ideo operæ pretium erit, ut aliquas idipsum declarantes analogias exactiùs examinemus.

2 *Musto madere deputant.* Quondam Poeta ille cecinit: *Fœcundi calices quem non fecere disertum!* quisquis largiùs bibit, in verbis quoque copiosior esse solet. Apostoli quidem ex receptione Spiritus sancti facti fuere eloquentes & diserti, cum hac tamen ab ebriorum loquacitate notanda differentia, quòd ebrii multum quidem & solito copiosiùs loquantur, pauca tamen dicant ad propositum & rectam rationem spectantia: hi verò tametsi multorum Hebræorum incapacitati extra propositum loqui viderentur, in hoc tamen graviter errabant; siquidem *Cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Etenim igneis hisce linguis altissima declarabant mysteria; humanam intelligentiam longè transcendentia; undè in Hymno de sanctissimo Spiritu cecinimus: *Sermone ditans guttura.* Fuitque adimpleta illa quondam nobis à Salvatore facta promissio: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* (Luc. 21. 15.) *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Ita passim protestabantur omnes.

3 *Musto madere deputant.* Quotidiana satis testatur experientia, quanta cum facilitate secreta in ebrietate revelari soleant: *Quid non ebrietas designat? aperta recludit.* (Hor. l. 1. Epist. 5.) Unde Sapiens ait *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* (Prov. 31. 4.) S. Bernardinus illum Psalmi locum declarans: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum,* dicit, per hosce cœlos Apostolos denotari; licèt enim cœli denominentur à celando, attamen mystici hi cœli post adventum Spiritus sancti omnia manifestarunt secreta cœlestia: (Tom. 3. ser. de 7. donis Spiritus S. cap. 9.) *Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* (Joan. 15. 15.) *Eructabant absconsita a constitutione mundi. Videmus Apostolos,* inquit Salmeron; *quod metu celaverant, quod in occulto didicerant, nunc in vulgus effundere, & prædicare super tecta.* Et quidem quænam excogitari possunt secreta magis arcana & incognita, quàm sit unius Dei Unitas, & Trinitas Personarum? (Tom. 12. tr. 12.) vel Verbi æterni incarnatio in utero Virginali? vel ejus de cęlo descensus absque eo quòd ab æterni Patris sinu descenderit? vel totius Dei & hominis in unica panis modica specie inclusio, *quem cœli capere non possunt?* vel Spiritus sancti tanquam amoris à Patre & Filio processio talis, ut ea non obstante ambobus par sit & omnino æqualis. *Qui cum Patre & filio simul adoratur & conglorificatur.* Profectò quisquis hæc aliaque similia mysteria audiret, absque eo quod interiùs in eo per vivam quandam fidem operaretur Spiritus sanctus, credidisset utiq; verum quendam esse ebrietatis effectum.

4 *Musto madere deputant.* Quid vinum liberalius haustum in homine operetur, expositione non indiget; siquidem ipsamet experientia satis evidenter ingentem in ebriis ostendit affectuum, inclinationum, & motuum mutationem, quæ tamen eousque duntaxat perdurat, donec quod biberunt vinum in ipsis fuerit digestum. S. Petrus Damianus ait: *Numquid non quadam divina ebrietas est præsentia & præ oculis posita cuncta despicere, atque ad ea quæ non videntur, toto mentis desiderio medullitus anhelare, mollia quoque & jucunda contemnere, dura vero & aspera pro divino libenter amore perferre.* (Serm. de Spiritu S.) Porrò fidelibus aliisque omnibus, qui Spiritus sancti inspirationibus correspondebant, satis manifestum erat, Apostolorum cuilibet accidisse idipsum, quod primo Israelis Regi fuerat prædictum: *Insilient in te Spiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* (1. Reg. 10. 6.) Siquidem divitiis paupertatem, contumelias honori & gloriæ humanæ, voluptatibus vitæ asperitates, mortem denique vitæ longè anteponebant, nihilque aliud præterquam persecutiones, nuditatem, famem, & quidquid mundo & carni opponitur, desiderabant. Unde S. Augustinus ait: *Hoc musto spirituales animæ inebriatæ, & penitùs commutata abstinentiam delitiis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt; arduum contra vitia laborem jucundissimam computant voluptatem.* (Serm. 185. de temp.) Saulus mox ut hoc divino igne accensus fuit, sive ut hoc musto incaluit, admiranda mutatione sua neminem non obstupescere faciebat: *Stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud?* (Act. 9. 21.) Pariter inter se velim mores nobilis alicujus delicatè enutriti, mundique vanitatibus totaliter dediti juvenis, cum ejusdem vita quam ducit, postquam in eum ingressus est Spiritus sanctus, jamque se in austerissimæ religionis cujusdam claustrum recludens, perfectioni religiosæ se totum consecravit, utriusque, inquam, vitæ mores inter se velim combineris & conferatis, certus sum enim id sine stupore, & extasi ex parte vestra fieri nequaquam posse. Undè S. Augustinus ait: *Hoc musto inflammantur, & hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, & animæ convertentium; quoad frequenter fieri videmus, quando præ desiderio salutis suæ parentes & patriam suam fugiunt; exeunt, nullo compellente, de terra & cognatione sua; & mortui huic mundo alios spiritualiter animarum acquirunt parentes, & liberi sub jugo veniunt, & paulo antè elati atque sublimes, humilia affectant.* (Loc. cit.) Enimvero aptissima quædam ad præsens propositum de juvene quodam refertur historia, qui cùm post habitam cum muliercula quadam minus honesta incautam familiaritatem vitæ superioris pertæsus resipuisset, die quadam eidem mulierculæ obvius factus, cùm illa fixis eum oculis intuita, vitæ præteritæ lascivos amores ei revocare in memoriam conata fuisset, ipsa eam se non agnoscere simulans; cùm illa ego sum illa tibi nota amica, ei dixisset, mox ipse, sed ego non sum ille qui fui, prudenter subjunxit.

5 *Musto madere deputant. Vinum lætificat cor hominis;* (In c. 2. Act.) maximè si abundanter & in copia bibatur. *Spiritualiter ebrii erant* (inquit Dionysius Carthusianus) *hi sancti, introducti in cellam vinariam, & torrente voluptatis deifica usque ad plenum potati; in quibus illud ex Canticis fuit impletum: Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi; etenim fervor amoris, sapientiæ sapor, gaudiorum excessus inebrieverat eos, biberuntque vinum quod Christus sapientia Patris miscuit.* Porrò Apostoli ex recepto Spiritu sancto adeò hilares erant, quòd *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* In hodiernæ Missæ sacrificii Sequentia legimus hęc verba: *In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.* Angelicus quoque Doctor (Ser. in die Pent.) ideo Spiritum sanctum Paracletum denominari scribit, quia verè nos consolatur, idque tribus præcipuè modis efficit: *Primò, cœlestes consolationes largiendo*; in cujus probationem illum S. Pauli textum adducit: *In tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti.* (Thess. 1. 6.) Secundo, *Dona charismatum nobis in tribulationibus augmentando*, juxta

illud

illud ad Romanos hunc in modum scribentis: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Tertiò denique nos consulatur, *Quanta sint gaudia, quæ recipiemus pro illis modicis tribulationibus, demonstrando.* Id quod Apostolus ad eosdem Romanos scribens inferre voluit, dum ait: *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei; si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ac tandem Apostolus prosequitur dicens: *Existimo enim quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

6. *Musto madere deputant.* Vinum corpori vigorem & vires ministrat, confortat stomachum; aliàs debilem & languidum; facitque bibentes animosos atque audaces. Quantam ehem vinum hoc è cœlesti penuario depromptum Apostolis, cunctisque aliis Christi sequacibus animositatem olim suggessit. Rupertus Abbas vini hujus (Lib. 4. in Zac.) vim declarat dicens; *Vinum Domini Spiritus est Domini; sicut vino non solum extinguitur sitis, sed & vegetatur calor naturalis: ita dulcedine Spiritus sancti provocatur mens ad amorem Dei.* Undè Christus Dominus noster tyrannidem infernalem, omnesque alios persecutores expugnaturus, alia suis arma non ministravit, quàm Spiritum (Serm. 4. de Pent.) sanctum. Undè S. Bonaventura ait: *Mittens Apostolos contra violentiam tyrannorum, & astutiam dæmonum, voluit eos primò donis sive armis spiritualibus munire, & virtute Spiritus sancti corroborare.* Ab hac autem Spiritus sancti armatura adeo fuerunt Apostoli roborati, ut S. (Conc. 1. de Pent.) Thomas de Villa-Nova Apostolorum, & discipulorum Christi in tormentis, cunctisque aliis in prædicatione Evangelii occurrentibus difficultatibus fortiter sustinendis intrepidum animum considerans exclamet: *O vini potentiam inæstimabilem! ò musti fervorem immensum! inter cadentes prunas, & micantes gladios, inter stridentes feras, & rugientes leones, inter laniantes ungulas & discerpentes lætabundi laudes & gloriam Christo Domino decantabant.*

7. *Musto madere deputant, quos spiritus repleverat.* Id quod iis accidisse mirum non est nam *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus.* Quando S. Philippus Nerius ex motivo mortificationis, ut se contemptibilem omnibus redderet, prima die Augusti publicè in platea juxta basilicam S. Petri ad vincula saltavit; actus hic passim ab omnibus stultitia manifesta esse censebatur, eo quod spiritum quem ipse imbiberat, sicut & sequens Apostoli (1. Cor. 3. 18) consilium minimè intelligerent: dicit enim Apostolus: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. Per hoc autem* (inquit Lyranus) *quod maligni illam varietatem linguarum imputabant ebrietati, boni vero gratia Spiritus sancti; significatur, quod homines perversi orationum & prædicationum varietates & exercitium deputant fatuitates; illi verò qui sunt devoti, deputant beneficia Dei.*

De ebrietate spirituali, quam mysticum hujus sanctissimi Spiritus multum in nobis operatur.

DISCURSUS DECIMUSQUINTUS.

Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt.

1. HEli summus sacerdos, Annam Samuelis matrem ferventissimæ orationi insistentem, velut (1. Reg. 1. 13.) ebriam olim calumniatus fuit: *Loquebatur in corde suo, tantumque labia ipsius movebantur, & vix penitus non audiebatur: existimavit ergo Heli eam temulentam, dixitque: Usquequò ebria eris?* Responsio autem, quam ipsa huic re- (Lib. 5. in Matt c. 5.) prehensioni subjunxit, non solum cum summa innocentia, verùm etiam cum profundissima humilitate & modestia conjuncta fuit: *Nequaquam, inquit, Domine mi, nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi: sed effudi animam meam in conspectu Domini.* Ecce tibi in hac historia figuram illius effigiatam, quod prouti Rupertus Abbas observavit, Hierosolymis hodie accidisse noscitur. Quando enim Collegium Apostolicum *loquebatur variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Hebraismi sive synagogæ Hebræorum sacerdotes, omnesque alii *irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti.* S. Petrus autem Annæ mansuetudinem sectatus, majori cum modestia calumniam retundere, seque & cæteros collegas Apostolos justificare non poterat, quam dicendo: *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Observandus autem est modus, quo S. Petrus ex ejusdem Spiritus sancti instinctu respondit: *Non sicut vos æstimatis hi ebrii sunt*; quasi diceret: equidem hosce ebrios esse nequaquam nego; *sed non sunt ebrii, sicut vos æstimatis*; id est ex vino. *Quamvis irridebant* (inquit glossa) *mystico tamen verum dicebant, quia non vino veteri, quod in nuptiis Ecclesiæ defecit; sed musto gratiæ spiritualis erant impleti.* Ejusdem cum Glossa sententiæ alii quoque fuerunt sacri interpretes, qui Spiritum sanctum vinum appellarunt, ob variorum effectum, quos cum vino communes habet, miram inter se analogiam. Christus Magister noster in aliis quoque locis, ut Salmeron scribit, per hanc vini allusionem do- (To. 11. tr. 11) ctrinam suam significavit Evangelicam: *Cum musto rumpi veteres utres dicebat, hoc est, corda, quæ per peccatum inveteraverunt, non facile suscipiunt vinum novum Spiritus: Apostoli autem cum corda haberent renovata, mustum hoc continere poterant, & cum Propheta dicere regio: Calix meus inebrians quàm præclarus est; vere enim temulenti erant Apostoli: sed Spiritu.* B. Cyrillus Hierosolymitanus dicit, (Cath. 17.) quod tametsi Judæi Apostolos irriserint, illos, quasi largiter nimis bibissent, calumniando: attamen quadantenus id, quod verum erat, afferebant: *Vera dicunt Judæi, sed irridendo? novum enim illud vinum novi testamenti gratia.* Declaraturus autem è qua vite vinum hoc expressum fuisset, dicit: *Inebriati sunt bibentes vinum spiritualis vitis illius, quæ dicit: Ego sum vitis, vos palmites.* Porrò sponsam in Sacris Canticis Ecclesiam præ- (Cant. 2. 4.) figurare certissimum est; hæc autem dixit: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Centum quoque & viginti illi viri, qui in cœnaculo Sionitico congregati erant, Ecclesiam repræsentabant: *Ego autem* (inquit per os Davidis Christus Dominus noster) (Ps. 2. 6.) *constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Hic igitur Rex Ecclesiam sponsam suam in hujus cœle- (Serm. 49. in Cant.) stis vini penuarium gratiosè introduxit: *An non sibi videtur cella fuisse vinaria illa domus, in qua erant discipuli pariter congregati, tum factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes: ubi repleti Spiritu sancto discipuli, musto ebrii a populo putarentur:* Ac demum applicationem prosequens dicit: *Tunc tanquam amicus sponsi pro sponsa stans Petrus in medio eorum dixit: Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt. Attende quòd non omninò ebrios; sed ebrios, sicut ab illis æstimati sunt, denegavit, erant enim ebrii Spiritu sancto, sed non musto.* S. Bernardinus verba illa Psalmi: *Visitasti terram, & ine-* (To. 7. Ser. de 7. donis Spiritus S. Act. 3. c. 4.) *briasti eam*, de hac ebrietate spirituali explicavit; per hanc etenim terram Apostolos intelligit, qui tunc nobiscum demorabantur in terris: *Visitavit nos Oriens ex alto, & inebriasti eam, id est, intus Spiritu Sancto multiplicasti locupletare eam charismatibus atque donis, ita quòd flumen Dei, idest, Apostoli, repletum est aquis, id est, Spiritu sancti donis.* S. Ambrosius lib. de Elia & jejunio, benè considerat factum illud, quod in Exodo nobis describitur, quando Moyses post rigorosum, quadraginta dierum jejunium, datæ sibi à Deo supra montem legis tabulas, eidem populo vix promulgatas, ad ejusdem quoque montis radices statim comminuit. *Indignum judicans, ut ebrio populo lex daretur; itaque tabulas legis, quas accepit abstinentia, rumpi fecit ebrietas.* Enimverò Apostolis datus hodierna die Spiritus sanctus, ut mundo novam promulgarent legem Evangelicam, illosque proindè ebrios esse voluit, sed ex hoc vino hodie de cœlo delapso. Atque hinc est quòd nemini mirum videri debebat quòd vinum ab Hebræorum synagoga propinatum, idololatricè & sacrilegè adorari fecerit vitulum: econtrà verò per hoc vinum id effecerit, quod quovis in loco in terram dejicerentur passim falsa idolorum simulachra.

2. *Ebrii sunt.* S. Bernardus dicit: *Hoc vinum vera illa vitis fuderat de excelso, vinum lætificans cor hominis, non statum mentis evertens*, Id quod Ambrosius confir- (Ser. 3. de Pent.) mat dicens. *Ebrietas illa magis sobrium facit.* Advertendum est autem, quòd secundum discursum humanum hujus contrarium potiùs verum esse videbatur, quia *anima-* (Ser. de S. Cypri.) *lis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Ad hæc Poëta

ille quondam cecinit; quòd ebrietas *In prælia trudit inermes*. Id quod etiam Spiritu sancto ebriis accidere solet. Apostoli etenim, & tot alii hoc solo Spiritu armati inter medios compedes, enses, catastas, equuleos, feras, igneasque fornaces ultrò citroque sese conjiciebant. Unde S. Augustinus ait: *Pœnis & cruciatibus roborantur, calefacti & accensi mero Dominicæ charitatis exclamant: Non sunt condignæ hujus temporis passiones ad futuram gloriam; dilectionis magnitudinem sanguinis effusione testantur*. Clemens Alexandrinus ebrietatem appellare solebat compassione dignum mentis ac discursus naufragium. Scriptor quidam modernus de quibusdam ebriis in una domo pariter congregatis narrat, quòd iidem se in medio maris inter procellosas quasdam tempestates constitutos, navigiumque sarcinis nimium onustum exonerandum esse arbitrantes omnem substantiam suam & supellectilem domesticam per fenestras in publicas plateas ejecerint; eosdem prorsus effectus vinum illud cœlestia in multis operari videtur; siquidem omnes quas habebant facultates & bona sua inter pauperes erogabant, eorumdem pretium ad pedes deferentes Apostolorum. Undè S. Augustinus ait: *Hoc spirituali mero calebant Martyres, quando abjicientes & post se jactantes omnia sæculi blandimenta ibant ad passiones, obliviscentes facultates, & affectiones, patrimonia & matrimonia sua*. Eusebius Emissenus, vel quisquis alius author est, id quod in multis, qui Spiritui quem receperunt, perfectè cooperantur & correspondent, accidere solet, considerans, de uno ex hisce spirituali ebrietate æstuante ita scribit: *Affluentia offenditur, inedia pascitur, jejuniis delectatur, corde humiliatur, habitu mutatur, affectorem prodigum despiciens, & spem avidus sequens dimittit quod possessione tenet, & quærit cogitatione quod non videt, animam cœlo inserens; quod amavit, odit; studet velle quod noluit*. Quando hic Spiritus animam quandam possidere incipit, admirabiles protinus in ea metamorphoses causat: *Annunciate inter gentes opera ejus*. Aquila vertit: *Mutationes ejus*. Quam translationem sequens Theophylactus dicit: *Revera mutatio fuit rerum omnium maxima, qui quondam inimici erant, amici facti sunt; longinqui, proximi, servi filii; qui in ignorantia erant, in cognitione sunt; qui in tenebris, in luce; in spe vitæ, qui mortui erant*. S. Thomas de Aquino in ea est opinione, quòd quando David coram Achis stultum se finxit, idipsum ex peculiari fecerit Spiritus sancti instinctu. *Immutavit vultum suum* S. Hieronymus vertit: *Os suum*. Aquila legit: *Gustum suum*. Symmachus: *Mores suos*. Chaldæus: *Cogitationem suam*. Hebræus: *Consilium & rationem suam immutavit*; qui omnes sunt effectus, quos in nobis divinus hic operatur Spiritus, quando verè animam quandam ingreditur, eamque Deo prorsus deditam esse facit. Eorum qui ad ebriatatem usque biberunt proprium est multa, quæ vix verisimilia esse videntur, fideique humana difficulter admittere potest, effutire; atque ideo nil mirum, si de Apostolis quoque dixerint: *Quia musto pleni sunt isti*; siquidem Spiritus sanctus non solùm effectus superhumanos atque admirabiles operatus fuerat, verùm etiam Apostolorum, discipulorum, omniumque aliorum fidelium linguas ad mysteria omnem humanam intelligentiam transcendentia annuntianda laxarat. Solet ventus communiter aquæ secuturæ prodromus seu etiam bajulus esse; hic verò Spiritus dum instar vehementis cujusdam venti in cœnaculo prorumpit: *Tanquam advenientis spiritus vehementis*; indè secum subinfert: *Tanquam ignis*. Ignis quoque proprietas est, sursum ad sphæram suam ascendere, hic autem deorsum delapsus in terram descendit. Ignis urit & comburit; hæc autem flamma nec quicquam ostendit, quin potiùs benefica est omnibus, omnesque restaurat & fovet. *In æstu temperies*. Lingua faciei centri loco habet, hæ autem linguæ super Apostolorum vertice conquieverunt. Solent etiam piscatores inter idiotas rudissimi maximeque ignari esse, adeo ut vix verba formare sciant: & tamen idem hodie in unico momento eloquentissimi fiunt oratores, apti qui celeberrimos illius mundi Philosophos confundere & convincere valeant. Undè S. Bern. ait: *Sobria illa ebrietas vero non mero ingurgitans; non madens vino, sed ardens Deo*. Cui omnino concordat quod sanctus Ambrosius scribit: *Bona ebrietas spiritualis, quæ turbare nescit corporis incessum, levare mentis novit vestigium, quæ mæstitiam peccatricis abolet conscientiæ, jucunditatem vitæ infundit æternæ*.

Ser. 185. de temp.

Lib. 2. Pæd. cap. 2.

Hom. de Pent.

Psal. 9. 12.

2. 2. q. 11. a. 3. a. 1. ad 1.

Tract. de diligendo Deo.

Ser. 21. in Ps. 118.

3. *Ebrii sunt*. De hac sancta ebrietate verè dici potuit, eam in illos quoque transfusam esse, qui audita S. Petri prædicatione *compuncti sunt corde*; hi namque cum veritate huic sacrosancto Spiritui dicere poterant: *Potasti nos vino compunctionis*. Absalon Abbas ait: *Transfer te ad vinum, quod propinat Engaddi vinea, vinum scilicet lachrymarum & compunctionis; de hoc genimine vitis bibit Petrus, cùm recordatus est verbi, quod dixerat Jesus: & egressus foras flevit amarè; de hoc bibit & ille Publicanus, qui percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi maximo peccatori*. Psal. 59. 5 Ser. 36.

4. *Ebrii sunt*. D. Gregorius super illa verba: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*; ita ait: *Quid per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus?* Audite qualem spiritum David, æternitatem meditatus, conceperit; dicit enim: *Annos æternos in mente habui*. Sed quid indè secutum est: *Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabam & scopebam spiritum meum*. Nihil æquè facilè alicui ebrietatem conciliat, quam vinorum diversitas; dum nimirum nunc bibuntur vina dulcia, mox acida; nunc aspera, mox amabilia; nunc alba, mox rubella, & sic de aliis. Sunt quoque in hac Spiritus sancti cella vinaria varia vinorum genera, vinum scilicet dulce beatitudinis bibitur, quando mens & animus noster ad gaudia paradisi elevatur. Est quoque ibidem vinum asperum considerationis inferni. Est ibi vinum amabile, scilicet consideratio misericordiæ Dei. Est & acidum, scilicet nostra erga beneficum Deum ingratitudo, quæ post se trahit rigorosa supplicia. Per hasce etenim aliasque similes considerationes ebrietatem spiritus nobis facile conciliabimus. Psal. 76. 6.

Tractatur de Spiritu sancto sub symbolo aquæ; & per allusionem ad hanc varii considerantur illius effectus.

DISCURSUS DECIMUS SEXTUS.

Fons vivus.

1. IDemmet Spiritus, qui in specie ignis super Apostolos descendit, quique, ut Discursu immediatè præcedente vidimus, vinum denominatur, aqua etiam appellatur à sancta matre Ecclesia: *Fons vivus*: Et meritò; siquidem ipsa quoque æterna Patris veritas, à qua procedit, hoc eum nomine appellat; die enim quadam ex industria hunc in modum exclamare cœpit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, nondum enim erat Spiritus datus*. Porrò Ecclesia hunc Spiritum nobis primò sub aquæ symbolo, ac tum demum sub specie ignis repræsentavit; siquidem heri in Missæ Introitu legebatur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis spiritum novum*. Per hoc namque aquarum & fluminum gratum nomen, dona, gratiæ, aliique cœlestes thesauri, quos è paradiso ad nos descendens Spiritus sanctus, animabus nostris attulit, nobis describuntur: *Ab hoc die imbres charismatum, (inquit S. Leo) flumina benedictionum, omne desertum & universam aridam rigaverunt*. Magnam habet aqua proportionem ad hoc, ut per cœlestium gratiarum abundantiam summa cum facilitate effundatur & dilatetur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*. Ubi Chrysostomus ait: *Non dixit: Data; sed Diffusa, laxitatem ostendens*; ac demum progreditur dicendo: *Cumulatè ac plena manu bonorum fontem effudit*. Hujus quoque divini Spiritus effectus sub fontis vivi similitudine egregiè declarantur; sicut enim hic terram fœcundat, herbas, omnesque alias plantas humectando, seque uniuscujusque naturæ & qualitati accommodat, efficiendo ut flores, frondes & fructus producant; ita divina hæc aqua corda nostra subingrediens per dona & gratias suas efficit, ut variæ producantur virtutes, merita, sanctæque operationes. Unde Euthymius ait: *Sicut aqua de cœlo descendens nutrit ac vivificat; cumque sit unius speciei, vario modo operatur, dealbans in lilio, denigrans in narcisso, rubricans in rosa, purpurissans in viola, dulcorans in ficu, amaricans in absynthio: ita divinus quoque Spiritus de*

Joan. 7. 38.

Serm. 1. de Pent.

Ho. 8. ad pop.

cælo

cœlo descendens, nutrit ac vivificat animum, cumque unus sit, variis operationibus gratiam dividit ac virtutem. Item sicut aqua non producit eundem colorem, saporem & odorem in floribus & fructibus; ita quoque hic Spiritus, tametsi in omnibus idem prorsus sit ac unus, eosdem tamen minimè operatur effectus. S. Bernardinus Senensis spiritu præditus erat benigno & miti: econtrà verò B. Joannes Capistranus spiritu agebatur austero & rigido. Simon Salus stultitiam publicè proferebat, cùm tamen alii Sancti magna cum seriositate ac circumspectione vivere soliti fuerint. Unus hic idemque Spiritus alios cogit ad martyrium, ad eremos & solitudinem alios, alios ad castitatem conjugalem, ad virginitatem verò alios; & sic de singulis.

2. *Fons vivus.* Scitis utique quòd postquam populus Israeliticus ab Ægypto egressus usque in Mara pervenit, ibidemque aquas usuales salsas esse deprehendit, easdem
Exod. 15. 27. immisso certo quodam ligno indulcorarit: *Inde venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum; & septuaginta palmæ, & castrametati sunt juxta aquas.* Porrò aqua hæc amara, quam in prima mansione sua comperetunt, legem figurat Mosaicam, de qua S. Petrus ait: *Jugum quod neque vos, neque patres nostri portare potuimus*; quæ tamen Christi ligno, id est, Cruce mediante suavis evasit, hâc nimirum lege in Evangelicam gratiæ legem transmutata. *Jugum meum suave est & onus meum leve.* Per duodecim dulcium aquarum scaturigines sive fontes, duodecim figurantur Apostoli, qui salutarem hanc aquam per universum mundum diviserunt. Per septuaginta denique palmas intelligi possunt Discipuli; at verò omnis hæc distributio opus fuit Spiritus san-
Isa. 52 3. cti, qui *Ferebatur super aquas*; hic etenim omnibus legis gratiæ operationibus virtutem impertiebatur & efficaciam: *Castrametati sunt juxta aquas*, id est, juxta virtutes, dona, omnesque alias cœlestes divitias ab hoc sanctissimo Spiritu diffusas: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*; fons ille alius non est quàm Spiritus sanctus, qui dicitur *Fons vivus*. Hæ aquæ priùs amaræ erant, quia in antiqua lege *Acceperunt spiritum servitutis*
Rom. 8. 15. *in timore*; at verò in lege gratiæ *Acceperunt Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater.*

Cant. 4. 15. 3 *Fons hortorum*; ut habetur in sacris Canticis: *Puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Ubi
Ser. 17. in Ps. 118. v. 8 S. Ambrosius ait: *Descendit impetus a Libano, quando collectis in unum Apostolis, & pluribus credentibus factus est repentè de cœlo sonus: tanquam vi magna spiritus*
Reg. 18. *ferretur.* In Regum libris de Elia scribitur, quod postquam sanctissimus hic Carmeli incola & Monachorum Proto-patriarcha in veri Dei testificationem varia operatus fuisset prodigiosa miracula, tandem ut populum Israelis idololatriæ vehementer deditum à Baalitico cultu pro viribus diverteret, cœlum quasi repagulis obstruxerit, ut non plueret super terram; tandem verò ut eundem populum de erroribus suis convinceret, concordibus votis in hæc pacta congressi sunt; ut videlicet duo assumerentur boves; unus quidem ex parte Pseudo-prophetarum; ex parte autem Eliæ alter; hique boves in partes discerperentur, ac tandem congestis super utrumque bovem lignis, caveretur ne ullus in altari utrimque accenderetur ignis, quin potiùs ille cœlitùs vel ab Israelis Deo vivo & vero, vel à Pseudo-prophetarum idolo Baalim expectaretur; hunc enim in finem hi invocare jubebantur Baal, Elias verò Deum suum invocare satagebat; denique per utriusque partis compromissum ita inter ipsos convenerat, ut is pro Deo vivo & vero ab utraque parte agnosceretur, qui invocatus ignem in alterutrius partis bovem cœlitùs dimitteret. Verùm negotium istud Prophetis non ita feliciter ad intentum & votum ipsorum successit, sicut evenit Eliæ, qui assumptis duodecim lapidibus, altare quoddam erexit, per cujus circuitum aquæductum fieri curavit, in eoque superpositum bovem, necnon ligna benè multa congesta, tribus vicibus ingenti aquarum imbre irrigavit, adeo ut aqua torrentis instar ab altari in terram deflueret, & aquæductum inundaret; factaque hac oratione: *Exaudi me domine, exaudi me, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus. Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum & ligna.* Moxque universus populus uno ore & corde confessus est: *Dominus ipse est Deus*, omnesque Pseudo-prophetæ ab Elia internicioni traditi sunt. Ut hanc historiam proposito nostro applicemus, revocanda sunt vobis in memoriam ea, quæ hactenus audivimus à Salvatore nostro patrata miracula, in facta in deserto panum pisciumque multiplicatione, in cæcis, surdis, mutis, paraliticis, moribundis, aliisque similibus miraculosè sanatis, variisque defunctis resuscitatis; & tametsi hæc manifestissima fuerint divinitatis Christi testimonia, attamen eo tempore non nisi à paucis admodum verus esse Deus agnoscebatur, quin potiùs per universum mundum Baal adorabatur, imo Christus ab impiis Judæis in Crucis ligno miserè dilaniatus fuit, non obstante quòd latro & centurio ipsum Dei Filium esse confiterentur. Deindè luminosus instar Solis resurrexit à mortuis, & veluti aquila quædam ad cœlos ascendit; & tamen idololatria indè nec quicquam commota aut oblita fuit: at verò quando *flumina de ventre ejus fluxerunt aquæ vivæ*, quando super duodecim illas petras, id est, Apostolos ignis ille divinus à cœlo empyreo descendit, tunc multa etiam contumacissimorum hominum millia conversa fuerunt, qui omnes orationibus intenti & simul congregati, viso ignis illius delapsu una voce confessi sunt *Dominus ipse est Deus*; ac tum demum dissipatus est omnis idololatriæ cultus, atque in veri Dei adorationem religiosam est commutatus. *Nunquid ingressus es thesauros nivis? aut thesauros grandinis aspexisti quæ præparavit* Jacob. 38 22.
in tempus hostis, in diem pugnæ & belli? inquit verum illud patientiæ speculum Jobus. Verùm quænam est hæc nix, quænam ista glacies, quam Deus ad inimicorum suorum dissipationem præparatam conservat? Hi thesauri ad instar nivis per calorem supervenientem resoluti fuerunt Apostoli, qui præ timore gelidi obriguerant, quando in cœnaculo reclusi hærebant *propter metum Judæorum*; timidi erant quando Auster ille cœlestis nives hasce resolvens eosdem aspiravit, tunc ad instar copiosissimi torrentis universam adaquarunt terram: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*: quia cunctas provincias Deo tributarias reddidit, omniaque regna legi Christi subjecit, universamque infernalis inimici tyrannidem profligavit. *Quis dedit*, inquit Job eodem in loco, *vehementissimo imbri cursum, & viam sonanti tonitrui, ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur?* Hanc divinam pulviam, quæ deserta germinare fecit plantas paradisi, quando deserta Ægypti refertissima esse fecit tot servis Dei sanctitate celeberrimis, hanc, inquam, pluviam hodie operatus est Christus. *Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit,* Isa. 9. 19.
ita vaticinando loquitur Isaias Propheta. Ubi S. Hieronymus ita scribit: *Si scire volumus quomodo Spiritus sanctus fluvius violentus sit, Acta Apostolorum relegamus, ubi factus est subitò de cœlo sonus quasi spiritus vehementis.* Hæc flumina ab hoc vento vehementissimo cum impetu agitata, secum traxere integras nationes, civitates, populos; hunc enim in modum hic Spiritus sancti torrens ad veri Dei & Evangelii fidem & agnitionem attrahere debebat universa mundi regna, provincias & nationes. Theodotio legit: *Quasi fluvius oppugnans*; Vatablus verò vertit: *Spiritus Domini vexillum excitabit contra eos.* Quando enim ingens flumen istud super terræ faciem dilatatum fuit, tunc omnes sub cruento Crucis vexillo in militiam Christi fuere conscripti, profligatique sunt omnes ejus inimici.

4. *Fons vivus.* Aquæ proprium est omnes eluere maculas: id quod spiritualiter in animabus nostris operatus est Spiritus sanctus. De quo S. Ambrosius ait: *Discant* Lib. 5. de
Spiritum sanctum non solum aquam, sed etiam flumen Spiritu S.
dictum. Isaias quoque prædixit: *Si abluerit Dominus* c. 20.
sordes filiarum Sion, & sanguinem Jerusalem laverit de
medio ejus in spiritu ardoris. Ecce tibi hic ad vivum de- Isa. 4. 4.
scriptum Spiritum sanctum, qui tanquam aqua lavat & velut ignis purificat. In Hebræo legitur: *In spiritu combustionis.*

5. *Fons vivus.* Aqua sitis extinguitur. Quisquis enim sitibundus est, ad unam hujus aquæ vivæ scaturiginem labia sua admoveat. Spiritus enim sanctus per dulcissimas gratiarum suarum aquas illam cuilibet nostrum innatam inextinguibilem terrenorum bonorum sitim perfectissimè extinguit. Undè Salvator ad Samaritanam ait: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeter-* Jo. 4. 13.
num; sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

6. *Fons vivus.* Viatores in ardentissimo Solis æstu juxta fontem qui aquas scaturit frigidas, & limpidas, reficiuntur, restaurantur, confortantur. Infirmus quoque, qui febris ardoribus depascitur, majus refocillamentum non habet, quàm si ei haustus aquæ fri-

frigidiusculæ libandus porrigatur. Quamdiu velut viatores ad cœlestem peregrinando tendimus partiam, adversus concupiscentiæ ardores animam nostram depascentes aliud non habemus efficacius refrigerium, quàm Spiritum sanctum, qui dicitur *in æstu temperies*. Quod in horto quodam amœnissimo, herbis & floribus consertissimo, æstivo tempore fons est, hoc in animabus nostris est Fons vivus Spiritus S. sine illo enim animæ nostræ nec flores nec fructus aliquos bonorum operum, imò ne quidem salutarium desideriorum germinare possent. Judic. 15. 16. Samson gloriosam quidem adversus Philisthæos reportavit victoriam, attamen ardentissima quadam siti æstuans lamentabatur dicens: *En siti morior*, mox vero ut aqua divinitùs scaturire cœpit, *Refocillavit spiritum & vires recepit*. Septuaginta legunt: *Revertit spiritus ejus & revixit*. Nos quoque nisi divinus hic nobis assisteret Spiritus, sine ullo prorsus remedii solatio infernalis inimici nostri nobis præparatas insidias & dolos incideremus.

7 *Fons vivus, ignis, charitas*. Sancta mater Ecclesia in Hom. 31. in Jo. hisce verbis post aquam, ignem quoq; protinùs adjungit. Qua de re Chrysostomus ita scribit: *Spiritus sancti gratiam nunc ignem nunc aquam Scriptura appellat ut nobis non substantiæ, sed operationis has intelligentias esse demonstret: ita Spiritum ignem appellat, ut excitamentum & fervorem gratia, & peccatorum absumptionem significet, aquam autem ut ablutionem & refrigerium, quibus ipsum accipientes anim fruuntur*. Et quidem quod præstat refrigerium, tale est, ut etiam indè cor in medio planctu exsiliat præ gaudio; undè dicitur: *In fletu solatium*. Et iden S. Ephrem huic Deo dicere solebat: *Contine Domine undas gratia tua*. Et Xaverius: Satis est Domine, satis est. Sanctus quoque Philippus Nerius ob nimiam qua cor ejus superabundabat, Spiritus sancti suavitatem & dulcedinem inter suspiria deficiebat.

8 *Fons vivus*. Quantò magis aqua in montibus subterraneis restringitur & coercetur, tantò magis accumulatur & crescit, atque cœlum versus magis erigitur; quantò plus descendit, tantò quoque ascendit altius. Eodem modo quantò magis hæc divina aqua constringitur & coercetur, quantò quis magis solitariè ab omnibus terrenis abstractus vivit, tantò amplius in spiritu proficit, tantoque majorem meretur gratiarum abundantiam; maximè si in humilitate & demissione animi sese contineat. Undè Cæsarius Arelatensis ait: *Sicut de* H. n. 34. *fonte terreno & corporali fluvio non potest quis bibere, si se noluerit inclinare, ita & de vivo fonte Christi; & Spiritus sancti fluvio nemo aquam vivam haurire poterit; nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*.

9 *Fons vivus*. Aliud quoque valdè considerabile bonum ab aquis recipimus, dum illis mediantibus ab uno polo mundi ad alium navigamus, omnesque Provinciæ & regna, quantumvis inter se distantia, & quoad clima, mores, & religionem diversa, inter se communicant, cumque ingenti Reipublicæ humanæ beneficio communes merces suas faciunt. Pari quoque ratione aquæ Spiritus sancti nos ab hac terra ad cœlum trajicere posse faciunt. Undè gloriabatur Apostolus: *Conversatio no-* Phil. 3. 20. *stra in cœlis est*, licèt etiamnum hic in terris commorare- Hom. de Sanct. tur. Undè Chrysostomus ait: *Quem Ecclesia Christiana, imo cœlum hodie suscipit, facta est reipsa cœlum, & cœlestes homines efficit, qui cœlestem Spiritum intra se ferant*.

Verborum illorum Apostoli ad Ephesios: *Nolite contristare Spiritum Sanctum*, variæ adducuntur interpretationes, in quibus monemur, ne Spiritum Sanctum contristemus.

DISCURSUS DECIMUSSEPTIMUS.

Nolite contristare Spiritum Sanctum.
Ad Ephes. 4. v. 30.

1 Apostolus ad Galatas scribens, & fructus Spiritus Sancti sigillatim enumerans, secundum locum gaudio assignat dicens: *Fructus autem Spiritus charitas, gaudium*. Similiter in Sequentia seu Prosa hodierna de ipso legimus: *In fletu solatium*. *Habet iste Spiritus* (inquit Absalon Abbas) *opera sua quæ sunt gaudere lætitia spirituali*. Serm. 37. Porrò certum est quòd cùm Spiritus Sanctus sit tertia sanctissimæ illius Triados Persona, omnes quoque paradisi Beatos sua fruitione lætificet; ideoque nonnulli potest esse passioni, & multò minùs melancholiæ alicui, aut tristitiæ subjectus, ac proindè quomodo monere nos S. Paulus potest dicendo: *Nolite contristare Spiritum sanctum*. Solemnis sacræ Scripturæ mos est in rebus doctrinaliter tradendis phrases aliquas capacitatis & intelligentiæ nostræ adaptatas adhibere. Sic in Isaia scribitur: *Angeli pacis amare flebunt* cùm tamen omnis planctus & luctus Cap. 33. 7. prorsus sint incapaces. Apostolus igitur, nisi fallar, denotare vult tristitiam, quam habituros esset Spiritus sanctus, si illius capax existeret, dum nos ei minimè corre- Serm. 3. spondemus, quin potiùs sanctas ejus inspirationes negligendo contemnimus.

2. *Nolite contristare, id est*, ut S. Thomas inquit, *eum fugare, vel expellere per peccatum*. *Spiritus iste odit sordes*, ait Sanctus Bernardus in hoc festo prædicans, *nec habitare potest in corpore subdito peccatis; cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse*. Verbum æternum, a quo procedit Spiritus sanctus, in terram descenderat, ut implacabile bellum peccato indiceret; idemque accuratissimè præstitit: quia *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut* 1. Pet. 2. 24. *peccatis mortui, justitia vivamus*. Vix quoque resurrexerat, cùm ecce prima vice, qua Spiritum sanctum suis Apostolis est impertitus, id eo solum fine fecit, ut peccatum extingueret & aboleret: *Insufflavit in eos dicens. Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata* Joan. 20. 22. *remittuntur eis*. Quanta illa futura esset injuria, si magnum quendam Principem in domus nostræ hospitio habentes, à quo magnis essemus beneficiis cumulati, eum nihilominus à nobis ejiceremus ut tantò major nobis facultas esset vilissimum quoddam mancipium inimicum suum recipiendi: Spiritus sanctus in Prosa ecclesiastica hujus festi *Dulcis hospes animæ* appellatur & hunc à nobis propulsabimus, ut diabolo inimico ejus aditum dare valeamus? Quot sunt qui hodierna die Spiritum sanctum in confessione, communione, aliisque devotionibus suis receperunt, & tamen illum hac eadem pro una voluptate sensuali, aut pro vili lucro, vel pro alia quadam indigna satisfactione turpiter è corde suo ejiciunt! Quando Noe columbam extra arcam suam foras emiserat, reversa est ad arcam, eo quod non invenisset locum, *ubi requiesceret pes ejus*; atque ideo *reversa est ad eum in arcam*; siquidem omnia præ luto Gen. 9. 9. sordida erant. Ita quoque metuendum est, ne mystica illa columba Spiritus S. quæ pro nostra salute ad nos de cœlo descendit, absque ulla in nobis sumpta quiete, cœlos denuò repetat, eo quod nos in omni vitio conspurcatos esse inveniat. Qua de re S. Vincentius ita scribit. *Noe*, Ser in Vig. Pent. *id est Deus, de arca, de cœlo mittit columbam Spiritum sanctum, venit ad palatium Dominorum temporalium, & invenit eos plenos de injustitia rapina: non inveniens ubi requiescat pes ejus, vadit ad Pralatos & invenit eos plenos de simonia, gulositate, & luxuria & de excessibus & superfluitatibus, & negligentiis circa curam animarum, & non inveniens ubi requiesceret pes ejus, venit ad mercatores*, sicque progreditur exemplificando per omnes personarum status, ac tandem concludit, quòd in nemine ferè aditum inveniat, ita id causantibus eorum peccatis, & affectu quo in peccata feruntur; ideoque sine ullo post se fructu relicto in cœlum denuò revertitur.

3 *Nolite contristare Spiritum*, nimirum ejus respuendo subsidia & gratiæ auxilia, quæ nobis in tanta copia pro salute nostra ministrat. Sanctus Ambrosius hac de re ita scribit: *Gaudet Spiritus sanctus saluti nostræ, non sibi qui non indiget lætitia: ita è contrario si obedientes ei non fuerimus, contristatur, quia non habet profectum in nobis; non tamen sic contristatur ut patiatur quippe cùm impassibilis sit: sed cùm eum contristatum dicit, nostri causa hoc significat quod deserimus eum contemnendo monita ejus: contristatio itaque ejus indignitas nostra est*. Id Sess. 6. c. 11. quod Concilium Tridentinum hisce verbis magis declarat, dum ait: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Ea autem est nostra insolentia, ut non solum nullum Spiritui sancto indulgeamus ingressum; sed & quando hunc ei permisimus, ipsum à nobis per peccatum turpiter ejiciamus. B. Laurentius Ju- Serm. de Pent. stinianus ait: *Nemine in prorsus nisi se contemnentem*

re-

Serm. de Pentec.

relinquit, nullumque quantum in se est gratia sua cupit esse exortem. Verùm ingens hoc malum nostrum est, quòd *diligimus magis tenebras quàm lucem*. Nulla dari potest major solicitudo, quàm qua Spiritus sanctus salutem nostram curat, atque ideo altera ex parte tantò erit damnabilior nostra negligentia. Undè S. Augustinus ait:

Ser. 185. de temp.

Quanta est auctori cura pro instauratione facturæ suæ! Ecce iterum infirmos per seipsam Majestas divina visitare dignatur. Eo tempore, quo Deus Spiritus sanctus ad contumaces & rebelles Hebræorum animas salvandas tanta cum admiratione ab empyreo cœlo descendit, ipsi non solùm Apostolos, sed & ipsummet Deum derident & subsannant, Spiritum sanctum injustum esse existimantes: *Alii autem irridentes dicebant:*

Jo. Ferrus in Acta.

Quia musto pleni sunt isti. O cæcitatem! o ingratitudinem! eos deridere qui tanta bona afferunt: ex imis cordium medullis oportebat grates persolvere dignas tantis bonis; sed ecce illis derisui sunt: an non etiam hoc fieri videmus jam in hoc perverso mundo? Quot sunt qui spiritualiter viventes ridentur & subsannantur, digito monstrati & vulgi fabula facti! *Vos Spiritui sancto resistitis*, ita exprobrabat illis S. Stephanus, *cum esset plenus Spiritu sancto.*

Act. 7. 51.

Ubi Dionysius Carthusianus ait: *Resistitis, ejus instinctum non prosequendo, & verbis sanctorum contradicendo.* Vel etiam juxta Hugonis Cardinalis interpretationem: *Quia nunquam pœnitentiam egistis.*

4 *Nolite contristare Spiritum sanctum.* S. Bonaventura in Serm. 1. de hodierno festo id exponit dicens:

2. Cor. 6. 14.

Nolite eum per mala opera fugare; quia *quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? qui consensus templo Dei cum idolis?* Absalon Abbas de Spiritu sancto ita scribit: *Habet iste Spiritus opera sua, quæ*

Serm. 37.

sunt fervere spiritu, devotè orare, vigilanter insistere lectioni, & sancta meditatione rimari cælestia, & alia hujusmodi, quibus in tantum dulcoratur anima, ut vilescat ei mundus cum delectationibus suis. Enimverò in quocunque homine opera mihi hujus inveneritis, audacter de eo dicite, quod fugatus ab eo sit Spiritus sanctus: numerate quæso septem dona Spiritus sancti, & insuper omnes ab eo dimanantes fructus ab Apostolo ad Galatas enumeratos, quorum sunt omnino duodecim; & in quocunque contraria hisce virtutibus opera deprehenderitis, cum omni veritate & rotundo ore dicere vobis de eo licebit, ab eo in fugam actum esse Spiritum sanctum.

5 *Nolite contristare Spiritum sanctum*, usurpando licentiam loquendi obscœna, maledica, aut similia: *Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat, sed si quid bonum ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*; & paulò post subdit: *Nolite contristare Spiritum sanctum.* In superioribus Discursibus varia tetigimus mysteria, ob quæ linguarum figuram sibi vendicare voluerit; præter alia autem hactenus recensita mysteria aliud quoddam est, idemque maximè præcipuum, videlicet quòd in linguæ figura apparere voluerit, ut linguam nostram coërceret & refrænaret. Legitote S. Jacobum Apostolum, qui ait:

Jacob. 3. 6.

Lingua ignis est, universitas iniquitatis. Linguæ igitur figuram assumpsit Spiritus sanctus, qui est universitas sanctitatis, ut huic linguæ nostræ virtutem insereret, ut se intra modestiæ & honestatis limites continere posset. Chrysostomus in moralitate hujus textus ita scribit:

Hom. 14. ad Eph.

Os habes spirituale obsignatum Spiritu sancto cogita quæ sit oris tui dignitas; cogita qua mensa signatum sit os tuum, quæ contingat, quæ degustet. Albertus Magnus inter alias rationes, cur Spiritus S. in specie linguarum descenderit, hanc quoque assignat, quia

Serm. 1. de Pent.

Fideles debent os & linguam non solùm a malo sed etiam ab otioso verbo refrænare. S. Bonaventura illa verba ponderans:

Ser. 11. de Pentec.

Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis; dicit: *Quoties ergo utilia & ædificatoria loquimur, Spiritus Patris cælestis est in nobis; in eis autem qui detractoria & increpatoria, contentiosa & scurrilia, ac carnalia verba loquuntur, patris infernalis spiritus loquitur.* Et quidem! ehem! quàm circumspecti sumus, ne personam aliquam magnæ authoritatis & æstimationis verbo aliquo temerario offendamus! Qua de re S. Petrus Damianus ita loquitur:

Serm. 72.

Perpendant miseri, qua illis lætitia in vanis sermonibus potest lenocinanter obrepere quibus sciunt se non potentem sæculi, non etiam quemlibet sanctum hominem, sed ipsum Spiritum sanctum, qui proculdubio Deus est, contristare. S. Basilius lib. 1. de Baptismo ita scribit: *Cum Apostolus tradiderit nobis, quod & hic, qui bonum verbum prolatum non ad ædificationem fidei dispensat, contristet Spiritum sanctum; ita debemus etiam attendere, quod sit judicium ejus, qui indignè edit & bibit*, id est, Eucharistiæ Sacramentum.

6. *Nolite contristare Spiritum sanctum, id est, ipsum peccatis vestris ad iracundiam provocando. Dulcissimus*

Serm. 1. de Pent.

quidam in Deo Spiritus est (inquit Bernardus) *benignitas Dei.* Advertendum est autem, quod sicut ex potenti & generoso vino fortè quoddam præparatur acetum; ita quoque si Spiritum sanctum, qui ipsissimus Deus est, exasperaverimus, *thesaurizamus nobis iram*. Verum quidem est, quòd Spiritus sanctus ab Ecclesia passim appelletur *Dator munerum, lumen cordium, consolator optimus, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium*; firma tamen semper memoria nobis recolendum est, quod idem Spiritus sanctus in specie quoque ignis, qui ardet & urit, & tanquam impetuosus quidam ventus, qui tempestates excitare solet, ad nos descenderit. Olim quidem in specie columbæ apparuit, hodie autem velut ignis quidam descendit ad condemnandam eorum obstinationem, qui ei resistunt, suaque bonitate abutuntur. Undè Rupertus Abbas ait:

Lib. 9. de glor. Trin. cap. 13.

Spiritus, qui ut columba visus fuerat, quasi ignis demonstratus est, quia non per ignorantiam delinquitis, sed voluntariè peccatis subversi; & proprio judicio condemnati. In Isaia scribitur:

Cap. 63. 10.

Ipsi ad iracundiam provocaverunt, & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos. Quibus verbis de electo Israelitarum populo, tot à liberalissima Dei manu beneficiis cumulato loquitur, qui tamen adeo se posteà erga Deum sese ingratum exhibuit. Undè meritò factus est deinceps omnibus aliis populis in ludibrium, & velut grex quidam mancipiorum per omnes nationes dispersus circumvagatur. Verùm ut ad nos quoque Catholicos propriùs accedamus, quis est qui ignoret, quantum in Græcia olim tum fides tum sanctitas, tum denique doctrina floruerit? Et tamen quia eadem Græcia progressu temporis Spiritum sanctum à Patre & Filio simul procedere obstinatè negavit: *Conversus est eis in inimicum, & debellavit eos*; siquidem ipsamet Græciæ metropolis urbs Constantinopolitana præcisè tertio die Pentecostes Turcis in prædam turpiter cessit.

Ostenditur quo modo Spiritus sanctus dexteræ Dei digitus nominetur.

DISCURSUS DECIMUSOCTAVUS.

Dextera Dei tu digitus.

1. PRima facie haud immeritò nonnemini videri posset, quod sancta Dei Ecclesia per hoc Spiritui sancto ab ipsa attributum epithetum, quod illum appellat Dexteræ Dei digitum, æqualitati Spiritus sancti cum Patre & Filio multum præjudicet; siquidem nulla est inter brachium & manum ex una, & digitum ex altera partibus proportio: attamen in præsenti Discursu videbimus hunc titulum ob multa mysteria eidem aptissimè convenire. Tametsi enim dexteræ divinæ digitus est, eandem tamen cum Patre & Filio participat æqualitatem: *Patris, & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria; coæterna majestas*, dicitur in Symbolo Athanasiano. Brachium & manus sunt ejusdem substantiæ cum reliquo corpore; at vero quid brachium, quid manus proderit, si digitorum expers fuerit? Meritò autem digitus appellatur: quia si per brachium Patrem per manum verò Filium intelligamus, Spiritus sanctus utrique ab utroque procedit, sicut & digitus à brachio & manu. Sciendum vero est quod ipsemet Spiritus sanctus se quondam per os & calamum sacrorum Chronistarum hoc eodem titulo denominaverit, dum Salvator noster ait:

Luc. 11. 20.

Sin digito Dei ejicio dæmonia. Undè S. Augustinus scribit:

De verb. Apost.

Nonne digitus Dei Spiritus sanctus intelligitur? lege Evangelium, & vide; quia ubi dicit unus Evangelista, dicente Domino: Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia; alius dicit: Si in digitio Dei. Hugo Cardinalis ait:

In c. 1. Ep. 2. ad Cor. Lib. 1. de glor. & hon. Filii.

Idem appellatur digitus & Spiritus, manus Filius, digitus Spiritus sanctus, a quo diversa dona, quasi junctura, & sicut manus & digiti a brachio, ita Filius & Spiritus sanctus a Patre. Rupertus Abbas insigne movet dubium, cur scilicet titulus Spiritus Sancti soli tertiæ Triados Personæ ita appropríetur, ut hoc nomen illi solitariè proprium existat, cum tamen & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus

ctui spiritus sint, & omnes quoque sint sancti; ac tandem dubium hoc resolvit dicendo: *Nimirum quia tota Persona hujus operatio non aliud, nisi sanctificatio est.* S. Bernardus autem aliam hujus quæstionis adfert resolutionem dicens: *Filius spiritus, Pater spiritus, Spiritus sanctus spiritus est; Spiritus tamen sanctus, quasi specialiter spiritus dicitur, quod ab utroque procedat firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis; tanquam proprie sanctus quod sit donum Patris & Filii, omnem sanctificans creaturam.* S. Leo paritatem hanc, quæ inter has omnes divinas Personas intercedit, hisce verbis deprædicat: *Cum ad intelligendam dignitatem Spiritus sancti mentis aciem extendimus, nihil diversum ab excellentia Patris & Filii cogitemus; quia in nullo ab unitate sua discrepat divinitatis essentia.*

Serm. 3. de Pent.

Serm. 1. de Pentec.

2. *Dextera Dei tu digitus.* Digitus viam, vel alia quævis, quæ prosequi aut declinare desideramus, indicat, monstrat & docet: *Ductore sic te prævio vitemus omne noxium;* canit Ecclesia de Spiritu Sancto. Undè Albertus Magnus dicit: *Viam cœli demonstrat Spiritus sanctus; unde & ipse dexter digitus appellatur Dei, ipse enim est index, indicat & demonstrat nobis viam salutis.* Sanctus Propheta David in hac ærumnosa hujus vitæ via, omnem spem & fiduciam suam in hoc duce collocatam habebat: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* In Isaia quoque scribitur: *Spiritus Domini ductor ejus fuit.* Undè merito Sanctus Petrus Damianus hisce verbis nos exhortatur: *Quærat assiduè anima nostra hunc Spiritum, quo vegetante vivat, quo illustrante videat, quo docente sapiat, quo duce inoffenso amoris cursu ad patriam tendat.* Et ideo idem David gloriatur dicens: *Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo; quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea.* Hugo Cardinalis ait: *Ductor via est Spiritus sanctus, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* S. Bonaventura quoque in hoc digito pretiosum quoque notavit annulum, cum ait: *Cum autem Spiritus sanctus digitus Dei dicatur, annulus hujus digiti donum est Spiritus sancti; quo mens nostra sigillatur.*

Serm. 1. de Pent.

Ps. 142.

Cap. 63.

Ser. de Spiritu S.

Ps. 17. 22.

Serm. 7. de Pent.

3. *Dextera Dei tu digitus.* Per dexteram in nonnullis sacræ Scripturæ locis nobis favorabilis quædam & propria Dei altissimi assistentia subindicatur: *Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus.* Atque ideo meritò Spiritus sanctus hujus dexteræ digitus esse dicitur; hic namque Dei assistentia & patrocinio Spiritu sancto mediante fruimur, sicuti mediante digito operam manus participamus. *Qui Paraclitus diceris*, idest, advocatus, defensor, tutor. Tertullianus Spiritum sanctum ad Apostolos missum esse dicit: *Ne illos quodammodo pupillos, quod minimè decebat, relinqueret, & sine advocato & quodam tutore desereret.* Sanctus Augustinus Spiritui sancto huic titulum attribuit, ut dicatur *Vicarius Redemptoris, ut beneficia, quæ Salvator Dominus inchoavit, peculiari Spiritus sancti virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet; quod ille acquisivit, ipse custodiat.* Eheu in quantis angustiis innocens Susanna inter circumstantes manus ad illam lapidandam, lapidibus armatas habentes constituta erat! At verò *suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris.* Ad manifestandam namque calumniam Deus disposuit, ut Spiritus sanctus Danieli viam & methodum inspiraret, perversos illos & libidinosos senes falsitatis convincendi, adeo ut Spiritus sanctus regio hoc puero mediante factus sit Susannæ advocatus.

1. Glos.

Serm. 158. de temp.

Dan. 13. 20.

2 Cor. 3. 3.

4. *Dextera Dei tu digitus.* Lex illa vetus, quam Deus olim Moysi contidit, ipsomet Dei digito in tabulas lapideas incisa fuit; undè & hodie lex nia amoris hoc eodem digito conscribitur? *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi.* Huic eidem digito unicè debemus universum sacrarum literarum volumen, utpotè quarum primus & veridicus author est Spiritus sanctus, adeo ut *non atramento, sed Spiritu Dei vivi exarata fuerint.* O quàm inops & egena esset sancta Dei Ecclesia, nisi hunc thesaurum felicissimè possideret! In quantis ignorantiæ tenebris immersi & sepulti jaceremus, si hac luce, de qua dicitur: *O lux beatissima!* destituti essemus? *Paraclitus Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Præterea S. Ambrosius scribit; *Implet igitur Spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda sanctorum.* Hic etenim Dei digitus sanctorum corda tangens, sanctam quandam & gratam cœlo armoniam resonare facit.

Jo. 14. 26.

Tom. 5. epist. 3. ad D.m.

5 *Dextera Dei tu digitus.* S. Augustinus dicit. *Ideò dicitur Spiritus sanctus digitus Dei, propter partitionem donorum, quæ in eo dantur unicuique propria sive hominum, sive Angelorum: in nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quàm in digitis. Divisiones gratiarum sunt,* (scribit Apostolus) *idem autem Spiritus; alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum: hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Quibus verbis Apostoli Tertullianus hanc Glossam subjungit: *Hic est qui Prophetas in Ecclesia constituit, Magistros erudit, linguas dirigit, virtutes & sanctitates facit, opera mirabilia gerit, discretiones spiritus porrigit, gubernationes tribuit, consilia suggerit; verè multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur.* Ac tandem sanctus Bernardus ait: *Ut non sit qui se abscondat a calore ejus; siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem.*

Lib. 2. in Evan. c. 17.

1. Cor 12. 4.

Serm. 5. de Pent.

6 *Dextera Dei tu digitus.* Per digitum Dei pariter intelligitur operatio miraculorum, quæ ad Spiritum sanctum peculiarissimè pertinet, maximè in ordine ad inimicos infernales penitùs debellandos: *Si in digito Dei ejicio dæmonia. Digitus Dei est hic.* Fatebantur olim magi Pharaonis, quando ex una parte præstigia & incantationes suas inutiles & delusas esse; ex altera verò prodigiosa Moysis miracula adversus eos prævalere conspexerunt. Notandum quoque quòd vix Spiritus sanctus S. Petro collatus hodie fuerat, quando mox miracula patrare cœpit, estque verisimile idipsum quoque ab aliis Spiritu S. donatis præstitum fuisse. *Editis miraculis occurrit & docet Petrus falsa profari perfidos, Joële teste comprobans* canit in hodierno hymno S. Mater Ecclesia.

Exod. 8. 19.

7 *Dextera Dei tu digitus.* Per hunc quoque Dei digitum, rigidum quod ab inviolabili illius derivatur justitia, intelligi potest supplicium & pœna. *Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt.* Spiritus etenim sanctus à nobis offensus, nos id impunè facere minimè permittit. Quando sacrilegus ille Balthasar sacra templi vasa prophanavit, tanto cum opprobrio Deo vivo & vero insultando, suis verò idolorum simulachris acclamando: *Apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis,* qui regni pariter & animæ totalem jacturam eidem intimarunt. Undè Glossa ait: *In qua conscriptione scribens est Deus Pater, manus Filius, digiti Spiritus sanctus, & de ipso cantat Ecclesia: Tu septiformis munere, dextera Dei tu digitus.* S. Leo illum S. Matthæi textum adducens, quo dicitur: *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Dicit idipsum de Macedonianis intelligendum esse, qui Spiritum sanctum Patre & Filio inferiorem esse, autumabant: *Permanens itaque in hac impietate sine venia est, quia exclusit eum a se, per quem poterat confiteri, nec unquam pervenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinantem sibi non habet advocatum.* Porrò hic textus ex mente S. Augustini unus est ex difficilioribus, qui in sacra Scriptura inveniuntur. Et quidem variæ à sacris expositoribus huic loco adhibentur interpretationes; ea verò, quæ vel maximè proposito nostro deservit, est sequens nimirum, quòd illi præcipuè Spiritum sanctum offendant, qui contra attributa ipsi præ cæteris specialissimè convenientia peccant; etenim Patri potentia adscribitur, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas attribuitur. Porrò qui per humanam fragilitatem peccat, contra potentiam Patris peccare dici potest; qui proindè facilè excusare se poterit, si Deo dicat: *Memento quæso quod sicut lutum feceris me.* Qui peccat per ignorantiam, Filii sapientiam offendit, qui proindè cum Apostolo dicere poterit: *Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* At verò qui peccat per puram & meram malitiam sciens & volens, hic contra bonitatem peccat Spiritus sancti, atque ideo nec veniam meretur, nec excusationem: *Sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.* Enimverò Spiritus S. quoad animam hominis locupletandam, donorum & gratiarum suarum liberalis est distributor; etenim lumen ei infundit ad agnoscendam verita-

Psal. 20. 9.

Dan. 5. 5.

Serm. 2. de Pent.

Job 10. 9.

1. Tim 1. 13.

Luc. 12. 47.

tem,

tem, cordi ipsius continuò sanctas inspirat cogitationes & affectus, multa ei subministrat auxiliorum subsidia, & in sinu ejus omnes infundit totius paradisi thesauros, atque ideo si post hanc Spiritus sancti munificentiam peccator nihilominùs indies magis magisque evadat rebellis & ingratus, & ultrò dæmoni & peccato in prædam se dare velit, tunc verè peccat in Spiritum sanctum. Sanctus Thomas circa illa verba. *Non remittetur eis*, dicit: *Peccatum irremisibile est, non quia impossibile sit quod remittatur; sed quia tanta labes est peccati, quod ex divina justitia fit, quòd non pœniteat.* Undè tali animæ dici potest: *Sicut lumen ejus, ita & tenebræ eius.* Porrò Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 28. de satisfactionis necessitate rationem reddit, cur adulto in baptismo condonetur omnis culpa & pœna, non verò in Sacramento pœnitentiæ, & dicit: *Divina justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidaverint.*

Serm. 1. de Pent.

Guerricus Abbas verò in eo totus est, ut divinam hanc lucem quantum est ex parte sua, omnibus communicari demonstret. *Cui enim non offertur?* inquit *super quem non fulget lumen illius? quis se abscondit à calore ejus?* Deindè ostendit quòd *solem suum oriri facit super bonos & malos.* At quid tandem concludit? *Sed væ illis sunt rebelles lumini, id est, resistunt Spiritui sancto nec qui acquiescunt veritati quam intelligunt; & sicut lutum ex calore Solis, ita ex bonitate & beneficiis Dei duriores efficiuntur.*

De multiplicitate effectuum, quos operatur Spiritus sanctus: necnon de bonis multis quæ confert.

DISCURSUS DECIMUSNONUS.

Veni dator munerum.

To. 5. ser. 30.

Jacob. 1. 17

1. SAnctus Joannes Chrysostomus de hodierna festivitate, id est, *de sancta Pentecoste* prolixè tractans, scribit: *Multa quidem sæpenumero de cœlo in terram generi humano delapsa sunt bona; qualia verè demissa sunt hodierno die, nunquam anteà;* S. Jacobus Apostolus omnia bona à Patre luminum descendere dicit *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Hæc autem dona & bona Spiritui sancto specialiter in acceptis referenda sunt. Qua de re S. Thomas de Villa-Nova ita scribit: *Petat alius divitias, delitias, honores & dignitates, exoptet sibi sapientiam, eloquentiam, prophetiam, ingenium, aut quævis alia clariora charismata: ego Spiritum ipsum mihi volo & exopto istorum omnium largitorem.* Et quidem bona, quæ ab hoc paradisi thesaurario recipimus, verè sunt innumera, ponderemus velim nonnulla in hoc Discursu, juxta quod divini illius Spiritus nobis suggeret instinctus.

Conc. 2. de Pentec.

Ibid.

2. *Dator munerum. Si non esset Spiritus sanctus* (inquit Chrysostomus) *Dominum Jesum dicere non possemus; nemo enim potest dicere Dominum Jesum nisi in Spiritu sancto: si non esset Spiritus sanctus, Deum orare fideles non possemus; dicimus enim. Pater noster qui es in cœlis: ut igitur Dominum vocare non possemus, sic neque Patrem Deum vocare possemus.* In confirmationem verò predictorum illum Apostoli textum adducit: *Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater;* adeoque non solùm dum operamur, verùm etiam dum cogitamus bonum, id totum Spiritui sancto unicè debemus. Undè S. Augustinus illum hisce verbis invocat, dicens: *Veni sancte Spiritus mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, relevator labentium; veni humilium Dator, superborum destructor; veni omnium viventium singulare decus, morientium unica salus.* Chrysostomus quoque quidquid pro salute nostra servientis boni habemus, Spiritus sancti donum esse sic probat: *Quidem enim quæso eorum quibus salus nostra continetur, non per Spiritum dispensatum est nobis? Per ipsum à servitute liberamur in libertatem vocamur, in adoptionem deducimur; ac de-*

Lib. Medit. c. 9.

Ser. 37. de S. Pent.

2. *Marsi Prompt.*

nuò, ut ita dicam fingimur, grave, fœtidumque peccatorum onus deponimus. Et paulò infrà immensa, quæ Ecclesia ab hoc Spiritu recepit, bona considerare prosequitur, dicens: *Per Spiritum sanctum sacerdotum cernimus choros, Doctorum ordines habemus; ab hoc fonte manant & revelationum donationes, & gratia sanitatum & reliqua omnia quibus Ecclesia Dei condecorari solet, inde promuntur.* Denique sanctus Thomas de Villa-Nova ei, in quo liberalissimus hic donator adest, nihil unquam deesse posse attestatur, dicens: *Ubi Spiritus Dei adest, deesse quid potest? Spiritus operatur omnia in omnibus; Spiritus scrutatur secreta Dei, loquitur mysteria, docet omnem veritatem; testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus filii Dei. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; Spiritus interpellat pro nobis; si in peccato sumus, ipse nos arguit de peccato; & si in servitute, ipse liberat: Quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Omnis namque gratia, qua à dœmonis tyrannide liberamur, ipso mediante nobis confertur.

3. *Dator munerum.* Fidei donum utique est unum ex majoribus donis, quæ à Deo possumus recipere, hanc autem à Spiritu sancto habemus; undè Spiritus sanctus à sancto Leone *Inspirator fidei* appellatur. Verùm quidem est, quod in Ascensione *Videntibus illis elevatus est & nubes suscepit eum;* ipsum tamen in cœlo empyreo ad Patris dexteram considentem minimè viderunt; at verò hodie, ut scribit sanctus Augustinus: *Credimus eum regnare in cœlis, quem cernimus munera sancta donare in terris.* Exemplo nobis sunt sancti Apostoli, omnesque alii, qui in cœnaculo congregati, per adventum Spiritus sancti facti sunt fide pleni: *Qui fida Christi pectora calore verbi compleat.* Spiritus sanctus est, qui effecturus erat, ut universus mundus Christum promissum Messiam & Redemptorem esse crederet. Undè verba illa: *Ille me clarificabit*, sacer quidem interpres hac adjuncta Glossa elucidat, *ut ab omnibus agnoscatur verus Salvator;* & ideo tunc & non anteà per universum orbem extensa est Christiana fides nostra. Sanctus Augustinus acutè observat, quòd Apostoli Christum post resurrectionem suam super aquam maris ambulantem videntes, ipsum phantasma quoddam esse crediderunt. *Post infusionem vero Spiritus sancti jam non dicunt quod phantasma est, sed in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et iterum: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Inter hasce humanæ ignorantiæ & cæcitatis plusquam palpabiles tenebras (quia marmora & metalla Dei loco adorabantur) Christus nobis Spiritum sanctum veluti lampadem quandam ad tenebras illas dissipandas subministravit. Unde Chrysostomus ait: *Quoniam nox est, ut ita dicam, lucerna carens, & in hac nocte ambulamus; dedit nobis Deus præclaram lampadem, ut quæ Spiritus sancti gratiam in nostris animis accenderit.*

Serm. 1. de Pent.

Hom 7. de Pent.

Jo: Forus in Acta.

Serm. 185 de temp.

Hom 12 in Ep. 1 ad Thess. 5.

4. *Dator munerum.* Inter cætera epitheta Spiritus sanctus etiam Paracliti titulo decoratur: *ideo Spiritus sanctus dicitur Paraclitus* (inquit S. Gregorius) *vel advocatus, quia pro errore delinquentium apud justitiam Patris intervenit, juxta illud Apostoli: Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* Confirmat idipsum B. Laurentius Justinianus, dum ait: *Vides quoniam Spiritus sancti adjutorie indiges, ut postules quod non noceat, sed quod deceat, quodque expediat: ipse namque Spiritus orantibus nobis, nostros erudit cogitatus, informat actus, inflammat affectus, ut non nisi quod liceat, postulemus.* Hugo Cardinalis illa verba ponderans: *Ipse Spiritus, reddit testimonium spiritui nostro quod sumus filii Dei,* inquit: *Hoc testatur Spiritus sanctus quinque modis. Primo, quando pœnitentia dulcis est homini. Secundo, quando homo abominatur & fugit, quicquid credit Deo displicere. Tertio, quando dolet vehementer de malis, quæ fiunt ab aliis. Unde David dicebat: Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Quarto, quando dolet de malo, quod infertur bonis,* 3. *Reg.* 19. *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; altaria tua Domine destruxerunt. Quintò; quando dolet quod non potest plus boni pro Domino facere.* Servit quoque nobis Spiritus loco correctoris & pædagogi: *Dabit vobis alium Paraclitum;* quæ verba Euthymius interpretatur hoc modo: *Alium admonitorem & præceptorem.* S. Petrus Damianus idipsum per arboris similitudinem præ-

In cap. 14. Job.

Serm. de S. Jacobo.

In Ps. 21

Serm. de Spiritu S.

clarè explicat: sicut enim amisso in arboris radicibus humore vegetativo ejusdem quoque frondes, flores, rami, imo & truncus ipse protinùs exsiccantur. *Sic & anima nostra, nisi Spiritus sancti gratia fuerit rore perfusa, funditus arefacta ad nullius sancta operationis germen potest esse fœcunda: ille enim lumen mentibus ingerit, desiderium excitat, vires infundit; illustrat siquidem ut videamus, provocat ut velimus, roborat, ut bona quæ volumus, implere valeamus.*

5 *Dator munerum.* Christus Magister noster de hoc Spiritu nobis firmiter promisit, dicens: *Docebit vos omnem veritatem*; [Jo. 6. 13.] attamen ideo denominatur *Spiritus veritatis*: [Lib. 9. c. 46 qu. 18. de Spirit. S. Hom. 79.] *Quia procedit à Filio*, inquit S. Cyrillus. S. Hieronymus autem hunc titulum Spiritui sancto ideò attribui existimat: *Quia figuras & umbras antiquæ legis declarat.* Quis unquam Evangelistis aut aliis sacrorum Canonicorumque librorum scriptoribus crediturus fuisset, nisi ab iis scripta, ab infallibili Spiritus sancti veritate authentica fuissent. Hugo Cardinalis circa illam [Ps. 50. 12.] Davidis petitionem: *Spiritum rectum innova in visceribus meis*; ita scribit: *Dicitur rectus, quo fit ut anima in veritate quærenda deviare atque errare non possit.* S. Vincentius Ferrerius ait: [Serm. in Vig. Pent.] *Nulla veritas potest esse nec in corde, nec in ore, nec in opere alicujus personæ, nisi à Spiritu sancto.* Ejus fidei altissima, imperscrutabilia, atque incomprehensibilia Christianæ religionis nostræ mysteria commissa sunt: *Videlicet Deum esse trinum, & unum* [Conc. 2. de Pent.] (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *Dei Filium hominem pro hominibus factum, Virginem peperisse, eundem crucifixum, mortuum resurrexisse, hominem verum in cœlos ascendisse, futuram quoque omnium hominum post cineres resurrectionem, peccatorum in baptismo ablutionem; corporis Domini in synaxi existentiam; hæc, inquam, hujusmodi, quæ Catholica fides firmiter complectitur, quis unquam hominum credere potuisset, nisi exterius resonante Apostolica turba, interius Spiritus sancti potenti virtute fulciretur.* [Ser. 76. de S. Pent.] Ecclesia, ut Chrysostomus ait, sustineri non posset, nisi ei Spiritus sancti assistentia adesset: *Nisi esset Spiritus sanctus, sermo sapientiæ & scientiæ in Ecclesia non essent, Pastores & Doctores non essent, nam ipsi per Spiritum sanctum fiunt, sicut & Paulus dicit: In quo vos Spiritus sanctus posuit Pastores & Episcopos. Nisi Spiritus adesset, Ecclesia non consisteret; si vero consistit Ecclesia, dubium non est, quin adsit Spiritus sanctus.*

6 *Dator munerum.* Præstantissimum quoque Spiritus sancti donum in nobis est, quo operatur, ut lingua nostra adeò sit restrænata, ut non loquatur nisi de Deo, aut sermonem proferat ædificatorium; sic enim de Apostolis dicitur, quòd postquam linguas hasce recepissent *loquebantur prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* [Luc 22. 24.] Antea juxta passiones suas loquebantur: *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*: duo illi fratres primas in regno Christi sedes ambitiosè solicitarunt: omnes denique curiositate ducti interrogarunt: *Quando restitues regnum Israel?* [Act. Ap.] at verò postquam in eos descendit Spiritus sanctus, *loquebantur magnalia Dei.*

7 *Dator munerum.* Ad obtinendam efficaciter animarum conversionem, prædicationi Evangelii efficaciam & energiam subministrat. David primò postulat à Deo: [Ps. 50. 15.] *Spiritu principali confirma me*; ac tandem subjungit: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* In illis, quibus sese insinuat, admirandos prorsus præstat effectus: *Ab omni peccatorum immunditia potenter purgat* [Lib. 2. c. 2. in I. Reg.] (inquit S. Gregorius *quia ut se menti infuderit, eam protinùs in vitiorum odium, & in virtutum amorem infallibiliter excitat: facit enim statim odisse quod amabat, & quod odio habuerat, ardenter diligere, atque in utroque valdè ingemiscere: quia & mala quæ odit, se damnabiliter amasse recolit; & bona quæ diligit, odisse.* Pacem quoque nobis & bonæ conscientiæ serenitatem infundit: [Diadoch. cap. 15. de Perfect. Spir.] *Sicut mare cum turbatur, oleo infuso, cedit natura sua tempestas bonitate olei procellam extinguente; sic anima gratia Spiritus sancti jocunde tranquillatur*, ut pius quidam spiritualis Magister devotè meditatur. Verbum quoque auribus nostris insonaret inutiliter, nisi cor nostrum aperiret Spiritus sanctus: *Frustrà vox doctrinæ* [Serm. 7. de Pent.] (inquit S. Bonaventura) *extra terreret, nisi Spiritus S. intus cor in contritione ad modum sagittæ vulneraret; utinam hæc sagitta nunquam exeat de cordibus nostris.* Spiritus sanctus est qui cor hominis tangit. Undè S. Jo. Chrysostomus de Apostolis ait: *Elingues, imperiti, simplices, & idiotæ adversus impostores & circumventores, adversus Sophistarum, Rhetorum ac Philosophorum turbam; & tamen, hos ita superavit Petrus, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset.*

8 *Dator munerum.* Quippè inter alia etiam dulcedines & consolationes spirituales communicat. [Cap. 9. Ser. 36.] *Consolator optime Impleta gaudent viscera, afflata sancto Spiritu.* S. Augustinus in suis meditationibus ait *Potame torrente voluptatis tuæ, ut nihil jam mundanorum regustare libeat venenatæ dulcedinis.* Absalon Abbas de hoc igne ita scribit: *In eo quod lucet, suavitatem divinæ consolationis notat; in eo quod ardet, favorem sancti desiderii.*

9 *Dator munerum.* Tandem etiam in operationibus nostris singularem nobis virtutem confert: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* [2. Cor. 3. 5.] Innocentius Papa III. ait [Ser. 2. de Pen.] *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus, omnis firmitas a Deo Patre per Verbum in Spiritu sancto confertur.* Undè S. Thomas de Villa-Nova piè nos exhortatur, ut à Deo petamus: *Spiritu principali confirma me; ut jam quidem rectè prætendentes, ac benè volentes* [Conc. 2. de Pent.] *sua virtute roboret ad opus, ut quod ardenter desideramus, efficaciter impleamus; qui operatorius spiritus meritò principalis vocatur; quia in eo maximè vita consistit: ex operibus enim & non ex solis affectibus judicabitur quisque.*

Castitatis virtutem infundit nobis, atque ad tentationes carnales vincendas opem singulariter præbet.

DISCURSUS VIGESIMUS.

Infirma nostri corporis, virtute firmans perpeti.

1 INter alia dona, quæ nos hodierna die à Spiritu sancto petere docet sancta mater Ecclesia, unum, idque valdè præcipuum est, ut petamus ut debilissimæ hujus nostri corporis parti virtutem & fortitudinem subministret, vel quod idem est, ut continentiam carnis nobis donet, fructum nimirum, quem sublimis hæc arbor progerminat; *Fructus autem Spiritus continentia, castitatis.* [Cap. 9.] *Veni sancte Spiritus*, ita meditabatur S. Augustinus, *fortitudo fragilium, & confirma tua virtute nostram debilitatem.* Portio autem hujus nostri compositi debilior non est anima, sed corpus; non spiritus, sed caro: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; atque ideo hæc valdè opus habet, ut ab hoc sacrosancto Spiritu corroboretur; [Serm. 1. de Pentec.] ipse etenim est, quem S. Leo hoc glorioso epitheto decorat *Signaculum castitatis.* Undè postquam S. Agatha S. Luciæ dixisset: *Jocundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti*; ipsa sancta Lucia celebre hoc subjunxit responsum. *Castè viventes templum sunt Spiritus sancti*; hæc etenim columba candidissima maximè sibi complacet, quandò sibi in anima quadam pura veluti in nido suo conquiescere licet. *Cùm omnes templum simus Dei*, (inquit Tertullianus) [De cultu fœm. c. 1.] *illato in nos & consecrato Spiritu sancto, ejus templi æditua & antistes pudicitia, quæ nihil immundum nec prophanum inferri sinat.* Verùm quonam modo efficere poterimus, ut in nobis de hoc Hospite verificetur illud epithetum Ecclesiasticum: *Dulcis hospes animæ?* certè si volumus ut ei gratum sit hoc hospitium, in hac nos exerceamus castitatis virtute. Nam ut ait S. Augustinus: [Serm. 185. de temp.] *Anniversarium diem celebramus de adventu Spiritus sancti, sed nos ita agamus, ut quotidie eum ad nos castis operibus & castis pectoribus invitemus.* Hæc virtus ad conciliandum cordibus nostris cœlestem hunc ignem sufficiens est, sanctus Bernardus serm. 3. de hoc festo hoc nobis post se scriptum reliquit insigne documentum: *Scias vas tuum possidere in sanctificatione & honore; & non in passione desiderii; Spiritum sanctum accepisti.* Discamus igitur corpus nostrum custodire immaculatum, & castum, quia sic in nostra facultate habebimus Spiritum S. Columba non inveniens locum ubi requiesceret pes ejus, subito reversa est in arcam. Sed inquies fortasse, quomodo corvus emissus locum quietis invenire potuit, maximè cùm columba post corvum emissa fuerit; si igitur hæc nullibi quiescere potuit, quomodo ille quievit? notandum est igitur, quòd corvus insidere soleat cadaveribus animalium, quæ figura sunt hominum carnalium & lascivorum; nec fastidiebat corvus lutum: at verò columba symbolum Spiritus S. nusquam invenit ubi quiescere posset

quia

quia omnia luro plena erant: abhorret enim Spiritus S. omnem umbram sensualitatis. *Non permanebit Spiritus* Gen. 6. 3. *meus in homine*. Quamobrem? *quia caro est*. Apostolus ad Galatas scribit: *Sed quomodo tunc is, qui secun-* Cap. 4. 29. *dum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc*. Per Ismaelem enim figuratur caro, per Isaac spiritus, per Saram virtus; hæc antem nequaquam permittit, ut duo illi, simul inter se conversentur aut ludant: quia *Caro concupiscit adversus spiri-* Hom. 7. in c. 21. Gen. *tum, & spiritus adversus carnem*. Undè Origenes dicit: *Hujusmodi blandimenta acerbissimam persecutionem reputat Paulus*, id est, lusum Ismaelis cum Isaac, qui præfigurat carnis conspirationem adversus spiritum per- Serm. 5. de Pent. vertendum. Albertus Magnus inter alia monita, quæ in via spiritus ambulantibus post se reliquit, illud quoque habet: *Debent immundis cogitationibus repugnare, & contra incentiva carnis quotidie litigare, contra omnem delectationis faciem trepidare*. Idem quoque monitum S. Thomas à Villa-Nona Concil. 1. de hoc festo nobis tradit sequentibus verbis: Si quis illecebrosis turpitudinibus sordidatur, in hunc Spiritus Dei non intrat, hunc Spiritus sanctus non in habitat, quoniam puritatis amor est. Undè Sapient. cap. 1. de Spiritu sancto dicitur: Spiritus sanctus auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu; è quibus verbis Richardus à S. Victore hanc deducit consequentiam: Perversæ cogitationes separant à Deo; & præfatum textum adducens dicit: *Auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu: quid fiet de his cogitationibus, quas admittere non possumus sine turpi & illecebroso affectu: vel de his quæ libenter accipimus non sine pravo, quodam consensu; si ab his se aufert Spiritus sanctus, quæ sunt sine intellectu?* Nota passim est omnibus Jud. 14. illa Samsonis historia, cujus in Discursu 6. mentionem supra fecimus, quando leonem sibi obvium dilaniavit: sed quomodo? quibus viribus? quibus denique armis? *Irruit in Samson Spiritus Domini, & dilaceravit leonem*. Leo animal est calidissimum, ideoque concupiscentiæ carnalis est symbolum; vult igitur Scriptura sacra per hanc historiam insinuare, hanc concupiscentiam mediante Spiritu sancto totaliter superari. Porrò à primis anni *cœpit Spiritus Domini esse cum eo*, scilicet Samsone, qui proindè prodigiosam illam ei communicavit fortitudinem, per quam tot heroicorum facinorum patrator est factus. Verùm enimvero qua ratione, aut qua culpa hunc Spiritum sanctum amisit? Dalila, cujus amore inescatus erat, *Dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput; vocavitque tonsorem, & rasit septem crines capitis ejus*. Per hunc tonsorem intelligi potest vitium sensualitatis, quod nobis septem præscinduntur capilli mystici, id est, privamur septem donis Spiritus sancti. At verò quid tandem ei accidit? *Et cœpit abjicere eum, & à se repellere*, traditus est in potestatem inimicorum suorum, & erutis oculis velut jumentum quoddam ad circumagendum molendinum est destinatus. Eheu quot sunt hodie, quibus eadem miseria accidit? qui postquam diu Spiritum penes se conservarunt, postquam multo tempore permanserunt continentes, in eam tandem incidunt ignominiam, ut una Dalila illecebris & blanditiis suis omni eos spiritu denudet, eosque in irreparabilia præcipitia proturbet? diximus supra, quòd ex quo Spiritus sanctus alium in sua societate spiritum secum non patitur nec admittit, ideo censendus sit velle, ut eorum qui illum recipiunt, cunctæ cogitationes & affectus eò tendant, ut spirituales fiant, & totaliter ad Deum dirigantur. Enimvero num fortè argumentum desideratis evidentius, quo nobis Spiritum sanctum in homine sensuali habitare non posse, apertè demonstretur? ecce tibi igitur illud; qua ratione Spiritus sanctus habitare in eo poterit, qui præter delitias & voluptates aliud mente sua non volvit, aut cogitat? talis autem est homo sensualis & carnalis: Gen. 6. 5. *Videns Deus quod cuncta cogitatio hominis intenta erat ad malum omni tempore*. *Gustato spiritu*, inquit S. Gregorius, *desipit omnis caro*; ubicunque enim Spiritus locum obtinet, ibi semper efficit, ut homo cœlestium consolationum suarum experiatur suavitatem, totalemque concipiat delitiarum carnalium nauseam.

2 Valdè etiam considerabilis est ille Spiritus sancti effectus, qui hisce verbis insinuatur: *In æstu temperies*. Videmus in media æstate flores, herbas, omnesque alias plantas à Solis ardoribus veluti decoctas & depastas; nocturno verò tempore eosdem flores & herbas è frigidi roris stillicidio denuo resoveri & resocillari; undè & nos pro interioribus concupiscentiæ ardoribus sedandis & mitigandis cœlestem hunc rorem pro nostro refrigerio à Deo postulare debemus, ut scilicet *sui roris intima aspersione fœcundet*. Columna illa, quæ diuturno tempore à Solis ardoribus protegebat, nocturno verò tempore lumen ministrabat, illa, inquam, juxta Lyranum, præfigurabat Spiritum sanctum: *Fuit columna nubis in protectionem contra æstum Solis de die, & columna ignis contra tenebras de nocte, & hoc fuit in figura gratiæ Spiritus sancti danda Christi discipulis in signo visibili, quæ protegit ardorem contra concupiscentiam, & illuminat contra tenebras ignorantiæ*. Idem Spiritus sanctus etiam in monte Thabor ad instar nubis apparuit: *Hic* Hom. 2. in Cant. *est sol lædens*, inquit Sanctus Gregorius Nyssenus de igne sensuali, *quando ejus æstus non arcetur à nube Spiritus, quam expandit Dominus ad tegumentum*. In vita S. Irenes scribitur, quòd cùm tyrannus virginitatem ejus violari precepisset: *Castissimæ mulieri Spiritus sancti gratia tanquam quibusdam radiis obumbrata, pudicitiam conservavit; ut nemo turpe aut impurum in eam moliri præsumeret*. Similiter ex eo, quod circa Susannam accidit, Dan. 13. 20. satis clarè deducitur, quam solicitè Spiritus sanctus defendat castitatem; cùm enim à lascivis illis senibus calumniaretur, quæ innocens & pudicitiæ ac honestatis conjugalis speculum erat, ac demum lapidanda ad locum educeretur supplicii: *Suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris*, detectaque calumnia mundo ejus In Exhor. ad Gen. pudicitiam per omnia secula celebrem reddidit. Optimè igitur magnaque cum efficacia Clemens Alexandrinus ad voluptates carnales fugiendas adhortatur, & quidem vel maximè eum, qui in illo peccati genere habituatus est: *Fugiamus consuetudinem, fugiamus tanquam scopulum difficilem, aut charybdis minas aut fabulosas syrenes; mala est insula accumulata ossibus & cadaveribus, in ea autem canit formosa meretricula voluptas*. Sed quale ad scopulum hunc fugiendum adhibendum est remedium? *Fert tibi opem divinus Spiritus; si solum velas, vicisti interitum, & ligno alligatus eris solutus ab omni exitio; gubernabit te verbum Dei, & ad portum cælorum te adducet Spiritus sanctus*. In Osea scribitur: *Ad-* Ose. 13. 15. *ducet ventum urentem Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venas ejus*. Rupertus Abbas per hunc ven- Lib. 6. in Ose. tum intelligit Spiritum sanctum: *Ventum urentem in hoc loco Spiritum sanctum dicit; hoc fieri non desinit per ventum de deserto ascendentem, ventum urentem, id est, carnis petulantiam & humores vitiorum suo calore desiccantem*. Sanctus Leo serm. 1. de hodierna solemnitate, valdè nobis recommendat jejunium: *Ad præsentem solemnitatem etiam ista nobis est assumenda devotio, ut jejunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta observantia celebremus*; redditque rationem, cur in adeo præcipua solemnitate hæc instituta sit afflictio corporalis: *Quia & hoc inter maxima Spiritus sancti dona numerandum est, quod nobis adversus illecebras carnis, & insidias diaboli jejuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes Deo adjuvante vincamus*. Elias Cretensis in primam orat. Nazianzeni observat acutè, quòd Spiritus sanctus sese apud illos insinuet, qui quantum est ex parte sua, adhibitis virtutum exercitiis ad illum recipiendum sese studiosè disponunt; adducitque Apostoli exemplum, qui de se scribit: *In patientia multa, in tribulatione, in necessitate, in angustia, in labore, in jejuniis, in Spiritu sancto. Videsne quemadmodum Spiritus sancti potentiam tunc posuerit, postquam ipse partes suas explevit: ergo Spiritui quidem ipse confidit, sed tamen quod etiam muneris sui est, præstat, nec corpori habenas laxat, dicens: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*. Sanctus Bonaventura ad idem intentum Serm. 11. de Pentec. hoc textu utitur: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti id est, Spiritus sancti*; simulque quænam sint hæ muscæ volantes, mellique adhærescentes, declarat dicens: *Superfluæ cogitationes, curiosæ, rancosæ affectiones, carnales delectationes. O miseri, ecce muscas corpori importunas abigimus diligenter: & muscas animæ sustinemus nocivas negligenter!* Denique Chrysostomus Hom. 45. in Joan. dicit: Panem quidem cœlestem magna præditum esse virtute ad hunc concupiscentiæ ignem in nobis extinguendum; veruntamen avvertere nos jubet, quòd panis ille hanc virtutem à sacratissimo Spiritus sancti numine accipiat: *Si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur; mundat squalorem & sordes, æstus*

mitigat,

mitigat, non solares, sed quos ignita sagitta imprimunt: multi hujus fontis rivi, quos Paracletus diffundit.

De septem donis Spiritus sancti, necnon de fructibus ejusdem, aliisque gratiis.

DISCURSUS VIGESIMUSPRIMUS.

Tu septiformis munere.

1. VAldè mystica fuit illa visio, qua Sanctus Joannes in Apocalypsi quondam vidit Agnum, Cap.5.6. qui erat quasi mortuus, qui paulò ante sibi demonstratus fuerat ad instar victoriosi leonis: *Ecce vicit leo de tribu Juda.* Hic idem leo visus est illi ad instar Agni occisi: *Agnum stantem, tanquam occisum, habentem oculos septem.* Quidnam obsecro hic latet mysterii, quòd idemmet qui videbatur simul fuerit leo & agnus? Victor & quasi extinctus seu mortuus? Nimirum denotat, quòd Christus in Resurrectione sua fuerit velut leo victor, sed tanquam agnus mortuus in sua passione. Dixi, tanquam mortuus, quia verè quidem mortuus, sed ad vitam immortalem resurrecturus. Nec est quòd hi septem oculi, quos Sanctus Joannes in hoc agno vidit, monstruositatem aliquam in se habere videantur, quia subjungit: *Oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Quinam autem sunt hi septem spiritus in universum mundum diffusi, nisi septem dona Spiritus sancti, siquidem *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Audite S. Bonaventuram: Serm.3. de Pent. *Nota*, inquit, *quod de Agno tanquam occiso dicitur, quod habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. O quam magnum esset, qui nobis in signum dilectionis unum oculum mitteret; & ecce noster Agnus nobis septem oculos, id est, septem dona Spiritus sancti mittit, quibus videre possumus veritatem, & omnia ad salutem necessaria; dona Spiritus sancti oculi nobis sunt ad cognoscendum.* Propheta Evangelicus de thesauris gratiarum, quibus Messias aliquando locupletandus erat, tractans, omnes septem enumerat dicens: Isa.11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hugo Cardinalis multas adducit figuras ex sacris literis in ordine ad hoc septiforme donum explicandum: *Hi sunt septem oculi in lapide uno.* Zach. 3. *Hæ sunt septem lucernæ candelabri.* Exod. 27. *Hæ sunt septem stellæ in dextera filii hominis.* Apoc. 1. *Hæ sunt septem lampades ardentes ante thronum Dei.* Apoc.4. Inter omnes autem figuras, quæ Spiritum Sanctum cum septem donis expressius prænotant, nulla est quæ id excellentius faciat quàm magnum illud candelabrum aureum, quod Deus præcepit fieri ut in Tabernaculo suo continuò arderet cum septem lucernis suis: hoc namquè totum aureum erat ex eodem pretiosissimo, è quo conflata erat mensa panum propositionis, necnon venerandum illud Arcæ Fœderis oraculum, ad denotandum quòd Spiritus sanctus ejusdem sit substantiæ cum Patre & Filio, a quibus procedit; siquidem oraculum prædictum, Patrem; mensa verò panum, Filium perspicuè repræsentat.

Corn. à Lapide in Isa. 2. *Septiformis munere.* Porrò primum donum est sapientia, quæ nihil aliud est quàm virtus quædam Christiana, per quam bona contemplantur æterna, & juxta quam æstimamus omnia reliqua. Donum verò scientiæ, quod est secundum, illud est, per quod judicamus, seu ut melius dicam, in æquissima lance ponderamus bona æterna & temporalia sive terrena, in quantum hæc ad bona æterna, animæque salutem promoventia adjutorio esse possunt, nosque illis ad eundem finem utimur; unde Poeta ille optimè cecinit, qui illa benè eadem æstimantibus, veram ad Factorem illorum scalam esse dixit. Donum autem intellectus est virtus illa, per quam obscuriora sacræ Scripturæ mysteria penetramus, estque privilegium quoddam sacris Expositoribus & Doctoribus peculiariter concessum. Donum autem consilii idem est quod prudentia Christiana, qua mediante omnia opera nostra ad finem honestum dirigimus. Adhæc donum fortitudinis eo præcipuè spectat, ut omnes in via Dei occurrentes adversitates viriliter sustineamus, imò si ita opus fuerit, martyrium quoque subire non refugiamus. Donum quoque pietatis ad religionem, necnon cultum & reverentiam erga Deum spectat. Timor denique, per quem non is qui servilis dicitur; sed qui filialis est, quique ab amore & dono Spiritus sancti derivatur, intelligitur: *Est consummatio quædam dilectionis, & quasi fons & complementum omnium.* Et quidem verisimile est Hugonem Cardinalem ad septem hæc dona suos direxisse oculos, quando septem alios sacrosancti hujus Spiritus effectus exposuit, dicens: *Spiritus descendens septem facit; Mentem renovat; Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis* In cap. 8. Lucæ. *faciem terræ; A servitute liberat; ubi Spiritus Domini, ibi libertas: Infirmum adjuvat; Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, Deo reconciliat; Columba reportat ad arcam ramum olivæ: Gemitum suscitat; Spiritus postulat a nobis gemitibus: Ad cælum elevat; Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? Cor mundat; Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.*

3. Enimvero Spiritus sanctus, prouti in præcedentibus Discursibus insinuavimus, non solùm nos septem donis locupletat & auget; verùm etiam per duodecim suavissimos fructus ab ipso derivantes, atque a S. Paulo in Epistola ad Galatas recensitos nos spiritualiter nutrit; sunt autem ex Sancto Paulo sequentes: *Fructus autem* Cap 5.22. *Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Dicuntur fructus*, inquit S. Thomas, In c.11. Isa. *in quantum mentem syncera dilectione reficiunt.* Vel etiam ut Anselmus ait: *Quoniam ex bona arbore; sicut optimi fructus prodeunt, ut refectionem perpetuæ saturitatis præbeant electis. Fructus Spiritus* (inquit sanctus Thomas) *dicuntur opera virtutum, quæ habent in se suavitatem & dulcedinem.* Porrò primus fructus *Charitas* est, utpotè quæ meritò primum inter alias virtutes locum obtinet, tanquam Regina omnium aliarum virtutum: *major autem horum est charitas, quia diligitur Dominus & proximus.* Undè S. Anselmus & Sanctus Fulgentius dicunt, quòd signum infallibile commorantis in anima Spiritus sancti sit charitas: *quia Deus charitas est.* Secundus fructus est *Gaudium*, quod, ut S. Thomas docet, ab objecti amati præsentia & fruitione procedit; undè quisquis charitatem & amorem Dei habet, Deum ipsum in sua habet potestate; siquidem *Deus Charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*; & ab hoc in corde nostro gaudium procedit & lætitia. Tertius autem magnæ hujus arboris fructus *Pax* Ps.118.165 est, quæ pacem & conscientiæ tranquillitatem communicat: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*; undè Dionysius Carthusianus ait: *Pax tranquillitas est mentis.* Sanctus Anselmus pacem ab amore erga Deum derivari demonstrare volens, dicit: Pacem quoque servat erga Deum, qui diligit illum, quia in quantum potest, cavet eum offendere; pacem cum proximo custodit, non inquietans eum, si diligit eum. *Hostem repellas longius*, inquit in hodierno hymno Ecclesia, *pacemque dones protinus.* Monet autem Sanctus Augustinus, quod *Ab hoc dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt qui oderunt gratiam pacis, qui societatem non retinent unitatis.* Quartus fructus est *Patientia*, quæ facit adversa patienter tolerare. Ita S. Thomas & Dionysius pariformiter dicit: *Patientia est æqua nimis perpessio contrariorum.* Sanctus Anselmus autem per patientiam condonationem intelligit injuriarum: *Per quam injuriæ & adversitates æquo animo tolerantur.* Quintus fructus est *Benignitas, id est largitas rerum.* Undè S. Thomas de Aquino super illa verba: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, dicit: *Benignitas dicitur, quasi bona igneitas, quæ facit hominem fluere ad subveniendum necessitatibus aliorum*; in cujus confirmationem illum ad Colossenses locum adducit: *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera misericordiæ benignitatem.* Per bonitatem vero idemmet Doctor Angelicus voluntatis nostræ rectitudinem intelligi dicit: *Si homo omnes alias potentias bonas habeat, non potest dici bonus, nisi habeat bonam voluntatem, secundum quam omnibus aliis, bene utitur. Longanimitas est longitudo animi patienter adversa tolerantis, & æterna præmia diu expectantis*; ita hanc virtutem S. Anselmus explicat, Lyranus autem dicit: *Mansuetudo cohibet iram.* Denique Sanctus Thomas ait: *Quantum ad mala ab aliis illata, ut mansuete ferat ac sustineat: Discite à me quia mitis sum. Proverb. Mansuetis dabit gratiam.* Acutè quoque notat

Chryso-

Chrysostomus, quòd Sanctus Petrus postquam ab hoc cœlesti igne sub linguæ specie dilapso cor ejus accensum fuisset, solito longè factus sit mansuetior; cùm enim [Hom 5 in Act.] Judæi Apostolos tanquam ebrios deriderent: *Alii verò irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti*; ipse calumniam istam summa cum æquitate & mansuetudine à se repulit dicens: *Non, sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt; non dixit, sicut vos subsannatis; neque sicut vos ridetis: sed sicut suspicamini.* *Fides* quoque est alius hujus sanctissimi Spiritus fructus: *Quæ*, ut S. Thomas ait, *est cognitio quædam invisibilium cum certitudine*, Vel etiam juxta Lyranum, per fidem intelligere possumus fidelitatem, *per quam non infertur neque per fraudem, neque per odium nocumentum proximo. Modestia dirigit actus exteriores corporis, actibus seu dictis modum imponit*; id quod etiam Sanctus Thomas dicit: *Continentia ubi ab illicitis actibus carnis temperatur* (inquit S. Anselmus) *cum jam caro sedata fuerit, castitas dicitur: continentia in luctamine est; castitas etiam in pace; non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei resistit adversitas voluptatis.* Dionysius Carthusianus in idipsum consentit, dum ait: *Continentia refrænatio voluptatis laboriosa; castitas, id est, repressio concupiscentiæ sine labore & impugnatione.*

4. Verùm sciendum est quod præter duodecim fructus ad Galatas enumeratos, idemmet Apostolus ad Corinthios scribens, varias quoque gratiarum Spiritus sancti divisiones recenseat: *Divisiones gratiarum sunt, idem* [1. Cor. 12.] *autem Spiritus; alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ; alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Quas Spiritus sancti gratias Sanctus Thomas ita interpretatur: *Sermo sapientiæ, ut possit persuadere ea, quæ ad cognitionem divinam pertinent; sermo scientiæ, ut per creaturas ea, quæ sunt Dei, manifestare possit: Fides, pro certitudine fidei, quam aliquis habet excellenter. Gratia* [Marc. ult.] *sanitatum*, virtus & potestas est sanandi infirmos: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Operatio virtutum est donum ad prodigiosa patranda miracula opportunum. Prophetia est infallibilis quædam eventus futuros videndi, prævidendi, ac prædicendi certitudo. Discretio spirituum corda & intentiones ingrediens fines maximè internos detegit. Undè S. Thomas finem hujus gratiæ esse dicit: *Ut scilicet homo discernere possit, quo spiritu aliquis moveatur ad loquendum, vel operandum, puta utrum spiritu charitatis, vel invidiæ*, Joan. 4. *Nolite omni spiritui credere, probate spiritus, si ex Deo sunt.* De linguarum varietate supra egimus. *Interpretatio autem sermonum*, ut idem Sanctus Thomas ait, *est expositio difficilium Scripturarum.*

DE FESTO

SANCTISSIMÆ TRINITATIS

Discursus Octo.

Discursus I. Sanctissimæ Trinitatis mysterium credere oportet, eò quòd à Deo nobis revelatum sit. Similiter per similitudines aliquas de Unitate essentiæ, & Personarum Trinitate tractatur.

Discursus II. Ut tribus divinis personis laudes & gratias referamus, invitamur; non verò ad adeò sublime mysterium capiendum astringimur.

Discursus III. Deus magis se cognoscendum præbet iis qui student devotioni, & humilitati & bonitati vitæ, quàm qui literis operam navant.

Discursus IV. Ad capienda incomprehensibilia sanctissimæ Trinitatis mysteria cor potiùs quàm intellectus adhiberi debet.

Discursus V. Scientia cognoscendi Deum, potiùs per viam amoris, quàm studii acquiritur, & comparatur.

Discursus VI. Spiritum sanctum ad sublimiora & ineffabilia Divinitatis mysteria intelligenda interpretem nostrum esse ostenditur.

Discursus VII. Sanctus Isaias Propheta ante sanctissimæ Triados thronum duos Seraphinos, non verò Cherubinos vidit, ad denotandum quòd ad divinorum mysteriorum intelligentiam habendam, amor potiùs quàm scientiam viam nobis aperiat.

Discursus VIII. Ostenditur nefas esse si quis per brevem intellectum investigare secreta cœlestia velit; utpotè quæ credenda potiùs sunt nobis & veneranda.

Sanctissimæ Trinitatis mysterium credere oportet, eo quod à Deo nobis revelatum sit; Tractatur etiam de unitate, essentia, & personarum Trinitate per aliquas similitudines.

DISCURSUS PRIMUS.

Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: Et hi tres unum sunt 1. Joan. 5. v. 9.

1 CUm hoc sanctissimæ Trinitatis ineffabile mysterium, cuivis creato intellectui, quantumvis is perspicax & elevatus existat, incomprehensibile sit, ideo ad hoc ut credatur, testimonio quodam nobis opus erit adeo veridico & infallibili, quale ab ipsismet tribus divinis personis derivari poterat: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et quidem si verum est, sicut est verissimum, quod Christus Redemptor noster æterna illa veritas dixit: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*, [Matt. 8. 16] quam expectare possumus Fidem hujus sanctissimæ Triadis attestatione majorem? Sanctus Joannes, qui ejus, qui de semetipso dixit: *Ego sum veritas*, fidelissimus Secretarius fuit, postquam proposita verba recensuisset, mox argumentum quoddam formare cœpit, cui nullus hominum contradicere potest, dicendo *Si testimonium hominum accipimus, testimonium DEI majus est.* Quot sunt, quæ vel ideo solum credimus, quia à personis fide dignis, expertis & eruditis nobis dicta fuere, tametsi illa nec oculis videamus, nec ratione aut discursu naturali illa assequi valeamus? Quanto igitur convenientius erit, ut tam certo, veridico, & infallibili testimonio, quale est testificatio ipsiusmet Dei, fidem habeamus; Etenim quanto est majoris authoritatis persona testificans, tantò major illi fides adhibeatur, necessum est. Si rei illius quam insinuare volumus, Rex, vel Imperator, vel Papa aliquis testis oculatus esset, major utique oriretur Fides, quam si idem vidisset homo aliquis privatus. Si de aliquo sacræ Theologiæ, vel Scripturæ dubio esset inter doctos orta controversia, & unicus Sanctus Thomas, vel S. Bonaventura, vel sanctus Augustinus, aut S. Hieronymus vel alii similes alterutrius partis testes essent, quanta inde nascitura Fides esset? *Verax est Pater* (ita in quadam Antiphona Matutini cecinimus) *Veritas Filius, veritas Spiritus sanctus ò Beata Trinitas!* Quantò igitur rationabilius erit, ut tribus hisce Divinis Personis fidem adhibeamus? *Quid hac veritate firmius* (inquit Sanctus Thomas de Villa- [Serm. 2. de] Nova *quid certius, quid sublimius, cui talia adstipulan-* [Pentec.] *tur testimonia? non Angelos non Archangelos misit in testimonium, sed ipsa Majestas venit, ipsa descendit, & testimonium perhibuit.*

2 Prætetea cum hoc mysterium adeo sit arduum, atque ad capiendum difficile; minoris authoritatis, quam Divini testimonii pondus minimè sufficiebat. Tametsi enim Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres personæ sint, veritas tamen Catholica est, quod hæ tres personæ unicus duntaxat sit Deus; *Et hi tres unum sunt. Quid sibi vult iste absque numero numerus?* quærit San- [Lib 5 de] ctus Bernardus: *Si tria quomodo non numerabis? si unum,* [consid.] *ubi numerus? sed habeo quid numerem, & quid non numerem; substantia una est, persona tres*; atque hac ratione inter se conciliantur unitas essentiæ, & personarum Trinitas. Porrò naturæ summi & infiniti boni, quale Deus est, convenit, ut sui ipsius sit communicativum. Sic enim Pater æternus per divinum intellectum suum generat Filium, eique substantiam suam communicat:

cumque

cumque hi unam eandemque numero voluntatem habeant, seque mutuò infinitè diligant, tertiam producunt personam, scilicet Spiritum sanctum, cui etiam eandem essentiam & Deitatem suam communicant. Verum enim verò, sicut de anima nobis constat, quod hæc *sit tota in toto, & tota in qualibet parte*, ita quoque ut Sanctus Fulgentius de Fide scribit: *Per hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu sancto est: totus Filius in Patre & Spiritu sancto est; totus Spiritus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est; quia nemo alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.* Nullæ admittuntur aliæ emanationes, præterquam illæ quæ per viam intellectus, & per viam voluntatis habentur. In hac simplicissima substantia distinctionem habemus personarum; *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*; Ecce tres personæ distinctæ, tamen non nisi unica sunt substantia & essentia, quia omnes tres unicus duntaxat Deus existunt. *Et hi tres unum sunt.* Siquidem unica tantum est natura & essentia, quæ est in omnibus tribus. Estque hæc conditio naturalis in DEO, nec in ulla creaturarum invenitur, sive illæ sint rationales, sive intellectuales, homines vel angeli; ubicunque enim in hisce una est substantia, ibi quoque unica tantum est persona: In illa vero natura divina, hæc est singularis excellentia, quod licèt sit una essentia, tres nihilominus distinctæ personæ existant. Porrò differentia quæ inter Verbi Incarnationem & sanctissimam Trinitatem intercedit, in eo consistit, quòd in illa habeamus distinctionem duarum naturarum in unica Christi persona conjunctarum, id est, Humanitatem & Divinitatem: In sanctissima Triade autem tres adoramus & confitemur personas distinctas, in una sola natura & essentia. In Incarnatione duæ sunt naturæ, & una persona: in Trinitate una substantia, & tres personæ, *Alia est persona Patris* (inquit S. Athanasius) *alia Filii, alia Spiritus sancti, sed Patris, & Filii, & Spiritus sancti una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas.* In corde beatæ Claræ de Montefalco, quæ huic mysterio devotissima fuit, post ejus mortem tres parvuli globi carnei inventi fuerunt, quorum unus in bilance positus tanti ponderis erat, quanti duo, & tanti duo, quanti tres: Per quod miraculum Deus nobis demonstrare voluit trium divinarum personarum paritatem, & æqualitatem.

3 Sanctus Apostolus scribit: *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*; unicum enim esse debet rerum omnium visibilium primum principium, unusque infinitæ potentiæ & sapientiæ Deus, qui illas creavit, quique conservat & gubernat universum. Veruntamen qualis Deus ille sit, nemo intellectu asserere aut capere poterit, nisi divina id revelatione ei manifestatum fuerit. Undè Nazianzenus ait:
Orat. 40. *Hoc est Deus, quod cum dicitur, non potest dici, cum æstimatur, non potest æstimari, cum definitur, ipsa definitione crescit.* Hoc adeò sublime & imperscrutabile sanctissimæ Trinitatis Sacramentum per viam rerum naturalium & visibilium cognosci non potest, quia eum effectus & partus sint DEI, in quantum is unus est, in ejusdem, in quantum in personis trinus est, cognitionem nos deducere minimè possunt. Neque enim sive à providentia & gubernatione creaturarum inferiorum, sive à mundi creatione, sive à structura aut fabrica Empyrei, sive ab Angelicorum spirituum productione, arguere seu colligere possumus, quod DEUS sit trinus in personis & in essentia unus, vel quod Pater per fœcundum intellectum suum generaverit Filium, aut verò quod ab hisce ambobus procedat Spiritus sanctus, tanquam indissolubile vinculum amoris. Unde etiam fit, quod omnes ad hoc mysterium quadantenus adumbrandum, ex rebus hisce creatis desumptæ similitudines imperfectæ sint & diminutæ; quia impossibile est aliquam in creaturis invenire perfectionem, quæ in adeò sublimem nos cognitionem deducere possit, cum infinita quædam distantia intercedat. Veruntamen inest rebus naturalibus, nescio quod vestigium sublimis hujus mysterii licèt imperfectissimum. Unde meritò assimilari potest pulcherrimo omnium operum, quæ unquam ab omnipotenti dextera Altissimi profecta fuerunt, id est, Soli. In hoc namque cœlesti planeta tria, eaque admirabilia contemplamur, & admiramur; videlicet Rotam sive orbem ejus immensum, lucem, quæ ab hac rota derivatur, inaccessibilem, & calorem ab ambobus procedentem. In rota Solis æternum Patrem intelligere possumus, qui generat Filium, qui lux est, Hebr. 1.3.
& quidem illa, de qua ipsemet dicit: *Ego sum lux mundi*; & de qua Apostolus scribit: *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*: ac denique Sapiens: *Candor lucis æternæ.* Spiritus sanctus qui ab ambobus procedit, in calore denotatur, qui à rota solari, ejusque luce derivatur. Unde S. Augustinus *Patrem igni, Filium splendori, Spiritum sanctum calori comparat.* Citatus à S. Bonav.

4 Alia quædam haud impropria, nostroque intelligendi modo valdè adaptata, hujus mysterii similitudo ab anima nostra desumitur, quæ cum unica tantum substantia sit, tres tamen in se continet potentias, in officiis & operibus suis inter se planè distinctas, cum tamen omnes tres in una eademque substantia simul unitæ existant; sunt autem hæ, scilicet memoria, intellectus, & voluntas. Memoria quidem Patri adaptatur, quia sicut in hac omnium scientiarum depositum recluditur; ita in Patre omnes Divinitatis divitiæ asservantur: In intellectu Filius agnosci potest, qui à Patris intellectu genitus esse noscitur. In voluntate, per quam amamus, adumbratur Spiritus sanctus, qui à Patre Filioque procedit. Sunt hic tres potentiæ, & unica duntaxat anima, ita quoque in hoc mysterio sunt tres personæ, & unicus tantum DEUS, unaque sola essentia. Unde S. Isidorus ait: *Appellatur, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi trium unitas: ut memoria, intelligentia & voluntas, in quibus mens habet in se quandam imaginem Divinæ Trinitatis, nam cum tria sint, unum sunt.* Lib. 7. Ethimol. Cap. 4.

5 Ad subveniendum quoque humilitati intellectus nostri, alia insuper fieri potest reflexio, quasi unius qui naturæ, fortunæ, & gratiæ dona, quibus præditus est, considerando, quendam sui ipsius in intellectu suo conceptum, id est, quandam esse sui imaginem vivamque effigiem producit; unde demum amor quo seipsum prosequitur, procedit. In tali namque consideratione tria inveniuntur; scilicet homo qui super semetipso reflectit, bona à se possessa cognoscendo; deinde conceptus quem format; ac demum affectus quo hanc perfectionem seu bona ista diligit. Idem prorsus in trium divinarum personarum emanatione considerare possumus: Etenim æternus Pater, qui summum & infinitum bonum est, per suum intellectum generat Filium, tanquam imaginem quandam, divinarumque perfectionum suarum effigiem, & ab his duobus, Patre scilicet & Filio se mutuo amantibus, procedit Spiritus sanctus, qui est amor. Veruntamen inter conceptum hominis, & conceptum æterni Patris nonnullæ interveniunt differentiæ; Et hæc quidem inter alias plures, quod hic conceptus & amor nostri ipsius, in nobis sint accidentia, cum tamen conceptus ille in Deo sit substantia, & ipsissimus Deus. Protinus ut nos speculum aliquod inspicimus, illud ipsum nobis imaginem nostram ad vivum repræsentat; ideoque nil mirum si Pater æternus, cujus potentia est infinita, semetipsum contuendo perfectissimam intra se Filii sui producat imaginem. Advertendum est autem, quod imago hæc increata sit persona subsistens, quæ à se esse suum habet, cum tamen imago quam speculum repræsentat, merum sit accidens.

6 In Arca Testamenti tria erant, scilicet virga Aaronis, tabulæ legis, & vas quoddam continens manna. Arca in seipsa una erat, ecce tibi essentiam Divinam, quæ tres in se concludit personas divinas. Virga potentiæ symbolum erat, Patrisque referebat potentiam: tabulæ legis ab increata Sapientia dictatæ, verbum, quod Patris sapientia est, repræsentabant. Manna quòd suavissimum est, Spiritum sanctum, qui totus bonitas & amor est, denotabat. In Isaia de divina omnipotentia scribitur: *Appendit tribus digitis molem terræ*; circa quæ verba Glossa interlinearis dicit, in tribus Isa. 40 12.
hisce digitis, tres personas divinas symbolizari, quæ unicam eandemque essentiam communem habent, ad eum modum, quo tres digiti in eadem manu, quæ unica est, repetiuntur. Quæ propositiones sive similitudines omnes incomprensibile mysterium istud non adæquant, sed tantum aliquo modo repræsentant, utporè quod sola divina fide cognoscitur.

7 Jeremias ait. *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ubi Caldæus legit: *Nescio vaticinari.*

ticinari. Ubi nonnulli dicunt, Jeremiam triplex illud a, a, a, repetendo indicium edidisse linguæ balbutientis, denotasseque tres illas uniformes literas, tres illas consubstantiales divinas personas; ideoque Prophetam indicare voluisse, se de tam alto & ineffabili mysterio, loqui penitus non posse. *Nescio loqui*; siquidem omnis similitudo claudicat & deficit, quantumvis multæ adducantur humili, & limitato intellectui nostro conformes.

Ut tribus divinis Personis laudes & gratias referamus, invitamur; Non vero ad tam sublime mysterium capiendum adstringimur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.

1. Optimè Rupertus Abbas Tuitiensis sanctissimam Trinitatem immensa humanæ naturæ impensa beneficia inter se peculiariter distribuisse, considerat, dicens: *Humana quippe creatura est illud opus, quod eadem beata Trinitas magna sibi dignatione divisit, ut Pater conderet, Filius redimeret, Spiritus sanctus igniret.* Bona autem quæ à tribus illis personis Divinis recepimus, & continuo recipimus, innumera sunt & incomprehensibilia; quæ proinde gratitudinem nostram ad agnitionem exstimulant. Etenim sancta mater Ecclesia non invitat nos ad ineffabile & imperceptibile mysterium istud intellectu nostro perscrutandum, sed potius ad referendas huic sanctissimæ Triadi devotissimas gratias: *Gratias tibi Deus, Gratias tibi vera & una Trinitas.* In Hymno quoque Matutinali hanc DEO supplicam præsentavimus: *Da dexteram surgentibus, exurgat & mens sobria, flagrans & in laudem DEI, grates rependat debitas.* Denique in Responsorio Matutinali, quod in ordine quintum est, Ecclesia dicit: *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, o beata Trinitas.* Et meritò ad hanc nos gratiarum actionem exstimulat, siquidem ab immensorum nobis præstitorum beneficiorum mole opprimimur. Unde David tantis se beneficiis cumulatum agnoscens, non æstimavit se aliquam erga Deum gratitudinem exhibere posse, nisi id faciat continuas DEO persolvendo laudes; ac proinde ait: *Septies in die laudem dixi tibi.* (Psal. 118. 164.) Unde etiam sancta mater Ecclesia hunc laudabilem usum introduxit, ut omnes Ecclesiastici in specie diu noctuque hunc DEUM in septem horis Canonicis, aliisque divinis officiis, in hymnis pariter, & Psalmis collaudent: *Te mane laudum carmine; te deprecemur vespere; te nostra supplex gloria, per cuncta laudet sæcula.* Laudabilissimus quoque usus est, tribus hisce Divinis personis in fine cujuslibet Psalmi, gloriam & laudes decantandi; sicut & in fine quorumlibet ferè Hymnorum, imò versus ille *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, est laudis hujus principale, cui reliquum Divinum officium, velut commentum, & glossa deservit. Optimè verò Ecclesiasticus monet: *Non est speciosa laus in ore peccatoris*; (Eccl. 15. 9.) ac proinde quomodo nos qui in peccato nati, & concepti sumus, & in peccato semper vivimus, dignas & convenientes DEO laudes exsolvere poterimus? eò quidem vel maximè, quod Psalmista dicat: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* (Psal. 144. 6.) Ubi Sanctus Augustinus ait: *Ideo dixit nimis: quia magnitudinis ejus non est finis; noli ergo putare eum, cujus magnitudinis finis non est, te sufficienter posse laudare.* Seraphini qui supremum illum Thronum Prophetæ Evangelico in visione exhibitum, in quo ingens hoc adumbrabatur mysterium, circumstabant, velabant os suum, tametsi etiam Divinum vultum suum alis suis contexissent: *Velabant ora*, ut scribit Theodoretus, (Isa. 6.) ad denotandum, quod tametsi *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, acclamarent, propter hoc tamen digni non erant, qui tantæ Majestati laudem & gloriam exsolverent. Nihilominus hoc non obstante æternum Verbum incarnatum laudem & gloriam Divinitati suæ à quocunque tandem ore decantatam minimè dedignatur, imò ad illam continuò persolvendam in oratione Dominica quotidiana, nos per primam illius petitionem erudit & invitat, dicens: *Sanctificetur nomen tuum.*

In hodierno autem Festo ad eandem laudem dicendam excitamur & provocamur hisce verbis: *Benedicamus Patrem & Filium, cum sancto Spiritu; laudemus & superexaltemus eum in sæcula.* Verum quidem est, quod Angeli in novem trium distinctarum Hierarchiarum choros distincti, *Incessabili voce proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, notandum tamen quod ait Augustinus: *Et tamen cum de illo nihil dignè dici possit; admisit etiam humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit;* (Lib. 1. de doct. Christ. c. 6) tametsi vilissimi terræ vermiculi simus, nostras tamen laudes pariter accipere minimè dedignatur. Cassiodorus de Deo scribit: *Cujus definitio est finem in sanctorum laudibus non habere.* Unde clare satis colligitur, quod tametsi ab unoquoque etiam peccatore se laudari, & benedici gaudeat, magis tamen sibi in eo complaceat, si ab hominibus sanctis honoretur & glorificetur.

2. Inter cæteros autem Deo gloriam referendi modos unus est ei longè acceptissimus atque gratissimus, nimirum si divina illius attributa contemplando admiremur: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus & immortalis. O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Benedictum nomen majestatis ejus. Quis Deus magnus sicut Deus noster.* Hæ & aliæ similes sunt acclamationes, quibus Ecclesia Dei officio hodierno utitur. Et quidem unum ex Divinis hisce attributis est sapientia. De qua Apostolus meminit, dum ait; *Multiformem sapientiam:* sanctus Dionysius quoque Areopagita de illa dicit: *Seipsam noscens divina sapientia noscit omnia.* (Eph. 3. 10) Et cap. 5. (de Div. nomm. cap. 7.) illam vocat *Sapientiam omni sapientia superiorem.* Hanc quoque laudem Sapiens ei attribuit, dum ait: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* (Sap. 11. 21.) *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* (Psal. 146. 4.) Scribit etiam de eadem Propheta regius David.

3. Aliud horum attributorum est fortitudo. *Quis loquetur potentias Domini.* (Psal. 105. 2.) Ubi Chaldæus legit: *Quis poterit eloqui fortitudines Domini? Appendit*, inquit Job, *terram super nihilum.* Et Isaias: *Appendit tribus digitis terram.* Ac demum item Job ait: *Ad cujus conspectum columnæ cæli contremiscunt & pavent.* (Job 26. 7)

4. Adhæc de Majestate Dei legimus in Daniele *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* (Cap. 7. 10) Sublimissimi, maximeque scintillantes Seraphini, reverentiæ causa alas suas demittunt: *Adorant Dominationes, tremunt potestates.* Postquam hoc sanctissimæ Trinitatis mysterium in spiritu duntaxat, Isaiæ revelatum fuit, protinus scribit, quod *Plena erat omnis terra majestate ejus*, prouti in lectionibus legimus. Præterea Rex ille, cujus femori gloriosus hic inscriptus est titulus: *Rex regum & Dominus Dominantium*; omnium totius universi Regum & Monarcharum voluntates & corda dominio & potestati suæ subjecta coercet, unde Apostolus scribit: *Regi sæculorum immortali, soli Deo honor, & gloria.* (1. Tim. 1. 17) Illi viginti quatuor seniores, qui sedebant super thronos, de quibus scriptum est. *In capitibus eorum coronæ aureæ, procidebant & adorabant mittentes coronas suas ante thronum.* (Apoc. 4. 4.)

5. Pariter inter attributa Dei recensetur immensitas ejus. unde *Cælum & terram ego impleo*, inquit in Jeremia. Et in Isaia scribitur: *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* (Jer. 23. 24. Cap. 66. 1.) Omnes quoque nationes terræ *quasi stilla situlæ & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.* (Isa. 40. 15.) Sanctus Isidorus Hispalensis de hoc attributo ita scribit: *Immensitas Divinæ magnitudinis ista est, ut intelligamus eam intra omnia, sed non inclusam, extra omnia, sed non exclusam: & ideo interiorem, ut omnia contineat, ideo exteriorem, ut circumscripta magnitudinis suæ immensitate, omnia concludat.* (Lib. 1. de summo bono cap. 2.) S. Dionysius Areopagita *De Divinis nominibus*, de hac immensa Majestate scribens vocat illam *ubique præsentem & nusquam.* (Cap. 3.)

6. De potentia ejus scribitur: *Solus potens:* Psalmista etiam, ut modo diximus: interrogat: *Quis loquetur potentias Domini? omnia quæcunque voluit fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis* S. Judas in Epistola sua ita scribit: *Soli Deo gloria, & magnificentia, imperium, & potestas ante omne sæculum & nunc, & in omnia sæcula sæculorum.* Cajetanus interpretatur *Magnificentiam factivam magnorum operum*, eo quod unico verbo vel unico nutu, imò unico duntaxat voluntatis actu mille mundos de novo creare potest. *Si subverterit omnia* (inquit Job) *vel in unum coarctaverit*, (Job. 11. 19)

quis

quis contradicet ei? unico verbo disperdere cœlum & terram prævalet, quemadmodum adeò potens fuit, ut protinus ac *Dixit & facta sunt. Verbo Domni cœli firmati sunt.*

[1.Tim. 5.] 7. Æternitas quoque indivisa dos est Divinitatis. Unde *Antiquus dierum* denominatur. Et Daniel habitatio- [Cap.7. 9.] nem ejus æternitatem esse dicit; *Excelsus & sublimis habitans æternitatem.* Ideoque nec principium habet, nec finem, sed semper fuit & semper erit teste Psalmista [Ps.101. 28.] qui ait: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Similiter quando de æterna ejus generatione agit, per os ejusdem Regis dicit: *Dominus dixit ad me Filius meus es tu, ego hodie genuite.*

8. Pariter Dei illius qui trinus & unus est peculiare attributum esse noscitur infinitas. *Prima tu causa es* (in- [Lib. contra gentes.] quit Arnobius) *locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcunque sunt, infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatis, expers* [Orat. 38. de Myst. 1h.] *quantitatis, sine situ, motu & habitu*, Nazianzenus de hac infinitate scribens, illam vocat: *Interminatum Pelagus essentiæ.* Areopagita vocat illam *Infinitatem omnem essentiam superantem.*

[Marc 7.37] 9. De providentia Divina hæc verba in Collecta quadam ab Ecclesia dicuntur: *Deus cujus providentia in sui dispositione non fallitur.* De eadem quoque Spiritus sanctus attestatur, quod *Bene omnia fecit.* Omnes gubernat creaturas visibiles & invisibiles, rationabiles & intellectuales, curam sibi vendicans à primo Angelo usque ad vilissimum terræ vermiculum. De eadem quoque [Lib. 3 confess c 11.] S. Augustinus ita meditatur: *Sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures, sic omnes tanquam singulos.*

10. Quodsi de Divina bonitate nobis sermo sit, huic [Rom 2.14.] Apostolus incomprehensibiles adscribit divitias atque thesauros: *Divitias bonitatis ejus*; cum boni hæc sit specialis proprietas, sui esse communicativum. Hanc quoque S. Dionysius Areopagita dicit: *Exuberare continua & nunquam interrupta largitione.*

11. Magnificentiam vero ejus intelligere quis poterit? [Ps.88. 12.] *Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti.* Et S. Jacobus Apostolus ob eam di- [Lib. 2. de apol. Dav.] cit: *Qui dat omnibus affluenter.* Unde S. Ambrosius Deum dicit esse *Opulentæ largitatis; nec avarum mune-* [Orat. 20.] *rum, nec beneficii parcum.* Nazianzenus quoque scri- [Orat. 2. de Paschat.] bit, Deo *Nihil esse tam proprium quam in omnes esse munificentissimè liberalem*; & alibi de eodem attributo loquens eam appellat: *Redundantem effusionem.*

[Ps 32. 5. Lucæ 1.78. Ps.144. 9.] 12. Ad hæc misericordiam ejus quis infinitam esse ignorat? *Misericordia Domini plena est terra. Per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos oriens ex alto. Miserationes ejus super omnia opera ejus.*

[Ps.118.135 Ps 118. 75 2.Pet.2. 4.] 13. Inter Divina attributa Justitia quoque locum suum habet. *Justus es Domine & rectum judicium tuum. Cognovi Domine quia æquitas judicia tua.* Imò adeò justus est, ut S. Petrus dicat: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.*

14. Denique & immutabilitas Deo attribuenda venit: [Malac. c.3 6.] *Ego Deus & non mutor*; necnon & pulchritudinis decor: [1.Petr.1.12] *In quem desiderant Angeli prospicere.* Hæc inquam & multa alia attributa in omnibus hisce tribus Personis Divinis agnoscere, & humillimè venerari possumus: Et hoc ipsum erit devotionis & obsequii nostri aureum Deoque acceptissimum tributum. Advertendum tamen, [Ps.49. 16.] quod *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas?* Hugo de S. Victore super illa verba: *Sanctificetur nomen tuum*, dicit: *quidquid de illo dici potest, totum sanctum est; sed tibi non est, si non diligis, si non revereris.* Unde Deo gloriam tribuere nihil nobis proderit, nisi nos mediante Christiana innocentia, ejusque sanctæ legis observantia nos gratia sua reddiderimus dignos. Author operies imperfecti super eadem verba, ita scribit: *Sanctificamus Deum in nobis, quando scientes eum sanctum, timemus, & solicitè vigilamus, ne forte violemus sanctitatem nominis ejus in nobis per opera nostra mala.* Chrysostomus dicit quod ly *sanctificetur*, idem significet quod *glorificetur*: optimeque qua ratione dignas ei laudes & gloriam tribuere possimus, declarat, dicens: *Dignare vitam sic munda conversatione servare ut per nos cuncti te omninò glorificent.*

Deus magis se cognoscendum præbet iis, qui devotioni, humilitati, & bonitati vitæ student, quam qui literis operam navant.

DISCURSUS TERTIUS.

Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Matth. 11. v. 25.

c. INter alios egregios gratitudinis actus, quibuscum increata illa, & incarnata Sapientia se erga æternum Patrem suum gratam exhibere voluit, unus fuit, quo ei gratias egit, quod altissima & incomprehensibilia judicia mundi hujus sapientibus absconderit, eosque celaverit, eaque econtra patefecerit & manifestarit humilibus, devotis, ac demum iis, qui terrenorum contemptui cœlestibus verò sibi comparandis dediti erant: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Unde clarè liquet quod si suprema mysteria, maximè verò illud sanctissimæ Trinitatis arcanum intelligere avidè desideremus, necessum sit, ut quis sibimetipsi vilescat, & humilitati, mortificationi, & devotioni totaliter deditus sit, siquidem potius flexis à nobis genibus, quam intellectu elevato nos ad æternam illam & cœlestem sapientiam, illam inquam supremam Theologiam, quæ omnem humanam & Angelicam intelligentiam transcendit, capiendam idoneos efficiemus. Sunt quidem nonnulli, qui fatuè fieri posse, credunt, quod per studia, disputationes, & argumentationes suas eousque penetrare possint, ut qualis sit essentia Divina perfectissimè comprehendant, & in secretorum æternorum penetralia admitti possint, sed turpiter in eo hallucinantur; non enim res ita se habet, inquit sanctus Bernardus, nam in schola Divinæ sapientiæ major per viam orationis & contemplationis quam per assiduam [Lib. 5. de cons.] librorum lecturam profectus comparatur, *Non ea disputatio comprehendit, sed sanctitas.*

2. Sapiens Proverb. cap. 1. scribit, immortalem illam Sapientiam die quadam sumptuosum decrevisse instituere convivium: *Sapientia ædificavit sibi domum excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.* Sed quos ad illud opiparum convivium invitatos fuisse existimatis? fortè Aristotelem quendam, vel Platonem aut Socratem, vel Demosthenem, aut Tullium aliquem? minimè gentium. Quin potius convivarum invitatorum qualitatem, ab iis quos ad invitandum quaquaversum dimisit, conjicite: *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis: si quis est parvulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est.* Non invitat studiosissimo & perspicacissimo intellectu præditos, ne fortè perspicacia & studio suo se divina secreta, & incomprehensibilium illorum mysteriorum, omnem intellectum humanum longè superantium scientiam assecutos fuisse, gloriari possent. Unde beatus Laurentius Justinianus ait: *Hic namque in scientia Divini-* [Serm. de S.Matth.] *tatis rectissimus noscitur esse profectus, ut quanto magis intelligis, minus te scire cognoscas, cum incomparabiliter excedat, quod scire non valeas, id quod tibi innotescit esse sciendum.* Unde si quis intellectus, quantumcunque etiam elevatus & perspicax sibi persuadere præsumeret, quod Divinitatis inteligentiam, & reconditissimorum sanctissimæ Trinitatis, aliorumque omnium mysteriorum cœlestium intimam notitiam per viam studii assequi posset, is utique manifesto signo proderet se in errore positum & ignorantem esse. Siquidem *insipientibus locuta est* increata Sapientia; *abscondit hæc a sapientibus, & revelat ea parvulis. Quoniam non cognovi literaturam*, dicebat David, *introibo in potentias Domini.* [Psal 70 16] In quanam velint Academia David studiis operam dedit? In quadam universitate literas didicit? nunquid à pecorum directione assumptus, accinctus est gladio ad bellum; & tametsi aliquanto tempore in Saulis commoratus fuerit regia, certum tamen est, quod ibi non studerit, nec libros multum tractarit; & tamen prouti ex Psalmo videre licet, audacter sibi promittit, dicens: *Introibo in potentias Domini.* Et fatendum est, quod vera sanæ Theologiæ medulla in ejus sit comprehensa Psalterio: *Super se-*

nes

intellexit; verum enimvero prouti ipsemet in eodem loco fatetur, ideo in penetralia Dei adire se posse confidit, quia totaliter Dei erat servitio deditus, & quia vitam suam in summa innocentia transigebat. Unde postquam dixisset: *Introibo in potentias Domini*, continuo subjunxit: *Domine memorabor justitiæ tuæ solius: Deus docuisti me à juventute mea.* A Deo igitur scientia infusa ei erat. Sanctus Thomas de Villa-Nova illam Salvatoris agnitionem, qua discipuli illi in Emaus abeuntes donati fuerunt, quando erga ipsum in hoc hospitium invitatum, & ingredi ferè coactum, hospitalitatis beneficientiam exercere decreverant; Is inquam, agnitionem illam ponderans, optimè notat, quod hanc agnitionem non acceperint per sacrarum literarum explicationem & interpretationem, tametsi hanc ab ipsiusmet æternæ Sapientiæ ore perceperint. *Valde notandum est, ut inquit Gregorius, quod isti discipuli, quem non cognoverunt disputantem de scripturis, cognoverunt eum in fractione panis: quia sæpius contingit, ut major lux & cognitio Dei reperiatur in bonorum operum exercitio, quam in sacrarum Scripturarum scrutinio; sicut scriptum est: A mandatis tuis intellexi. Et iterum: super senes intellexi, quia mandata tua exquisivi.* Joan. cap. 1. scribitur. Sanctum Philippum Nathanaeli viro satis docto & in sacris literis versato, fortuito sibi obvianti dixisse: *Invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth.* Cui vir ille hæc verba protinus subjunxit: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Ita enim est: *scientia inflat*, intellige humana, *charitas vero ædificat*. Et mox subjungit: *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire: si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo.* Illi, illi tantum, qui amore Dei ardent, & veræ sunt dediti devotioni, illi, inquam, soli illuminantur. Advertendum est autem Sanctum Philippum, tametsi & ipse doctus esset, in nullam tamen cum Nathanaele disputationem descendisse; non enim Deus per viam enthymematum & quæstionum inutilium, sed per viam sanctitatis, & cœlestium contemplationum, charitatis & amoris agnoscitur. Potius igitur summa cum affabilitate ei dixit: *Veni & vide*, quasi dicere voluisset; sufficit mihi, quod illum videas, neque enim dubito, quin protinus ubi eum videris, ejus quoque amore sis accendendus, eumque tunc perfectè agniturus: *Non indignatur, non ægrè fert* (inquit Chrysostomus) *utpote parum creditus; sed expectat virum, ut ad Christum adducat.* In Concilio Nicæno, cui 318. interfuerunt Episcopi, multique alii totius Christianismi viri doctissimi; eò quoque inter alios accessit Philosophus quidam subtilissimus, qui varios Episcopos, ad disputandum de altissimis fidei nostræ dogmatibus, quibus contradicebat, provocavit; cumque nullus ei se opponere, eumque erroris sui convincere aut arguere præsumeret, ex toto sanctissimo cœtu prodiit sanctus Spiridion in sanctitate quidem eminentissimus, magis tamen baculo pastorali ad pecora pascenda, quam pervolvendis libris assuetus. Hic, inquam, petita à sacrosancto Concilio cum hoc scientia tumido, elato, & obstinato Philosopho congrediendi licentia, ejus, quod nos Catholici credimus plenam substantiam, paucis iisque simplicibus verbis ei exposuit, moxque Apostolico spiritu, & generositate eum, an idipsum prætermissis tot disputationum ambagibus, & ipse simpliciter crederet, audacter interrogavit, qui confestim plane obmutescens, & interius in corde & animo suo omnino mutatus, se omnia hæc firmiter credere, & victas ei manus dare respondit, eique quod hac ratione eum ad hanc agnitionem erudiendo perduxisset, ingentes gratias egit; Ac tandem ad suos conversus eisdem dixit; quod si argumentis disputatoriis res commissa fuisset, utique responsurus, seque illis oppositurus fuisset, nunc verò non credere & victas non dare manus non potuerit, ex quo Deus in servo suo loqui cœpit. Unde respondere potuisset cum Sancto Bernardo: *Non ea comprehendit* (id est, sacramenta cœlestia) *disputatio sed sanctitas.* Beatus Salesius in Tractatu de amore Dei, de quodam Abbate Vercellensi S. Andreæ, qui olim S. Antonii de Padua magister fuit, refert, quod in Commentariis suis quos in Dionysium Areopagitam conscripsit, sæpius repetat, quod amor eo penetret, quò nulla pertingit scientia, dicitque, multos Episcopos sanctissimæ Trinitatis mysterium optimè intellexisse, licet indocti essent, nec in ulla alia quam amoris schola literis operam dedissent; simulque suum admiratur discipulum sanctum Antonium, utpote qui sine ulla scientia acquisita, quandam didicisset Theologiam mysticam admodum profundam; adeo ut instar alterius cujusdam Joannis Baptistæ nominari potuerit *Lampas ardens & lucens*. Sanctus quoque Bonaventura in vita sancti Francisci refert; Seraphicum Patrem interrogatum; num placeret, ut Fratres sui literis operam darent, respondisse: *Mihi quidem placet, dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur, quam legisse, orationis studium non omittant.* Primus autem qui in ordine Seraphico Theologiam suis prælegit, fuit idemmet S. Antonius, qui discipulorum suorum corda devotione potius accendere, quam curiosis & vanis quæstionibus obumbrare satagit.

Conc. in Fer. 4. Pasch.

1. Cor. 8.

Hom. 9. in Joan.

Parte 1. l. 6 cap. 4.

3 Deus noster animæ Philotheæ in sacris Canticis ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa; in uno oculorum tuorum.* Verum quidnam in eo latet mysterii, quod ab uno duntaxat oculo raptum se esse dicat: Num fortè monocula erat? aut vero lusca? Minimè gentium; quia de ea idem Deus ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Unde potius ita accidisse credendum est, quod tametsi utroque lumine prædita esset, illorum tamen unum alio pulchrius esset, quod proinde omnis erat vitii atque defectus expers. Sanctus Bruno ad sensum spiritualem recurrens, dicit: *unum oculorum dixit, quoniam non de pluribus, sed de una virtute loquebatur: habet tamen duos oculos soror & sponsa Christi, quorum altero terram, altero verò respicit cœlum; per hoc autem humilitas, & contemplatio designatur; & plus sæpe placet Deo oculus humilitatis qui terram respicit, quam oculus contemplationis, qui ea quæ sciri non licet, aliquando perscrutatur.* Quando Salvator noster triumphabundus ingressus est Hierosolymam. *Commota est universa Civitas, dicens: Quis est hic?* Interrogabant, quis esset, quia eum non agnoscebant, ne quidem unus ex sacerdotibus, scribis, legisque Doctoribus ejus aliquam notitiam habebat. Quis igitur illum tanquam Filium Dei, & promissum in lege Messiam acclamabat? Quibusnam se Deus cognoscendum exhibuit? iis nimirum qui ex omni populo simplicissimi & devotissimi erant, qui nulla erant literatura imbuti. *Populi autem dicebant; Hic est Jesus Propheta à Nazareth.* Etenim non obstante quod in contumaciam & in illorum conspectu multa operatus est miracula, quæ clarum divinitatis suæ reddebant testimonium, in sua tamen ignorantia æquè profundè remanserunt sepulti: Imo verò *indignati sunt, & dixerunt, audis quid isti dicunt?* quibus Salvator confestim respondit: *Utique nunquam legistis; quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem; & relictis illis abiit*: eosque in sua ignorantia deseruit. *Nunquid non sapientia clamitat, & dat vocem suam?* Quos igitur alloqui desiderat, quos vocat, quos invitat? *Intelligite parvuli, & insipientes animadvertite; audite, quoniam de verbis magnis locutura sum.* Vult igitur Sapientia increata, ut idiotæ & simplices, humiles tamen & devoti ad sublimium, & incomprehensibilium mysteriorum notitiam pertingant. *Quantos vidimus sæculares simplices* (inquit sanctus Thomas de Villa-Nova) *& sine literis, eleemosynis, & fractione panis vacantes, bonis operibus fervidos; devotissimos, illuminatissimos? quantos literatos, & prædicatores, Theologos, tepidos, mundanos sine lumine; Illa lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; credite mihi, operibus & Eleemosynis potius, & perfectius invenitur, quam in libris.* In cujus confirmationem illum adducit Isaiæ textum, ubi Propheta nos exhortatur, dicens: *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & implebit splendoribus animam tuam*: Ita sanctus hic Propheta scribit. In sancto Joanne legitur, quod sacerdotes aliique synagogæ Principes aliquos ad Christum Magistrum nostrum capiendum, ablegarint justitiæ ministros, & lictores: *Miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum.* Videri poterant eo usque vesaniæ devenisse, ut eum comprehensibilem esse crederent: Veruntamen notandum est, quod mi-

Cant. 4. 9.

De ornatu Eccl. c. 15.

Matth. 21.

Prov. 8. 1.

Conc. cit.

Isa. 58. c.

raculo-

raculosam ejus facundiam, & sapientiam audientes, adeo ipsi capti remanserint, ut à principibus sacerdotum interrogati, cur eum, ut jussi fuerant, vinctum & captivum non adduxissent, responderint. *Nunquam sic locutus est homo.* Unde Principes illi mox subjunxerunt: *Nunquid & vos seducti estis? nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? sed turba hæc quæ non novit legem*, id est, qui nec quicquam studuerant. Alia quadam vice quando superhumana & prodigiosa operante miracula calumniantes; dixerunt: *in Belzebub principe Dæmoniorum ejicit*
Luc. 11.27. *Dæmonia*: seque hac ratione omnes quotquot sapientes erant, in veri Dei hujus agnitione cœcos esse probarunt, devota quædam mulier eum agnovit, ejusque confessa est divinam essentiam, acclamando: *Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti*; adeo veritatem suam sortitum est verbum Christi dicenti: *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Theophilactus utilem quandam & ingeniosam, nostroque proposito valdè accommodam observationem instituit super illa verba: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Notandum*, inquit, *quod primo jubetur lumbos præcingere. Secundo lucernas ardere, nam primo quidem operatio, secundo speculatio.* Abraham Cethuram in ætate satis matura in conjugem duxit. Per quam mulierem denotatur sapientia.
Hom. 11. in Gen. *Ego puto*, (inquit Origenes) *quod melius tunc uxor accipitur, quando emortuum corpus est, quando mortificata sunt membra*: Verum inquies, quomodo hoc verum esse poterit, siquidem ad prolis conceptum corpus requiritur vigorosum & juvenile? *Omnia in figura contingebant, major enim ad sapientiam sensibus nostris capacitas inest: cum mortificatio Christi circumfertur in corpore. Sapientia*
Job. 28. 12. (ita S. Job interrogat) *ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ; nescit homo pretium ejus, nec invenitur in terra suaviter viventium.* Claustra ingrediamini Monachorum, ubi in vigiliarum, orationum, ciliciorum, jejuniorum austeritatibus continuo vivitur, ibidemque altissimorum divinitatis mysteriorum scientiam & intelligentiam invenientis; hi enim sunt, qui lumen ad agnitionem Dei veram habent. S. Bernardus qui quoddam sæculi sui oraculum fuit, quique quantum illuminatus fuerit, per edita opera sua satis demonstrat; vice quadam interrogatus, ubinam in sacris literis tradendis & explicandis comparasset sapientiam subridendo respondisse fertur: Modicum hoc quod scio (quod certè plurimum erat) inter fagos, & quercus Claravallenses ego didici. Et hinc est, quod in Capitulo, quod ultimum est de interiori domo, scripserit: *Deum cognoscere, plenitudo est scientiæ*; ac tandem declaraturus, quanam ratione ad hanc scientiæ plenitudinem pertigerit, dicit: *Ad hujus scientiæ plenitudinem opus est potius intima compunctione, quam profunda investigatione; suspiriis, quam argumentis; crebris lamentationibus, quam copiosis argumentationibus: lachrymis quam sententiis, oratione, quam lectione; gratia lachrymarum, quam scientia literarum.* Denique considerarunt nonnulli, tres illos Orientales Magos, aurum quidem Jesulo recens nato obtulisse, veruntamen junctum myrrhæ & incenso; ideque non sine mysterio sanctus Gregorius ait: *Aurum offerimus si sapientiæ lumine*
Hom. 10. in Evang. *splendemus.* Quod si autem hanc sapientiæ & scientiæ, quam de mysteriis cœlestibus nobis comparamus, oblationem Deo gratam esse volumus, eandem cum incenso continuæ orationis, & cum continuæ mortificationis tam internæ, quam externæ myrrha conjungere & associare debemus, nam juxta salutare illud monitum atque consilium quod habuimus: *Ad hujus scientiæ plenitudinem opus est potius intima compunctione.*

Ad capienda incomprehensibilia sanctissimę Trinitatis mysteria cor potius quam intellectus adhiberi debet.

DISCURSUS QUARTUS.

Diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.
Eccl. cap. 2. v. 10.

1. HÆc nobis ab Ecclesiastico facta promissio valde est considerabilis: siquidem ad hoc ut pertingamus ad agnitionem Divinitatis, per viam charitatis, & amoris nos procedere jubet: *Diligite illum ferventius amando* (inquit Lyranus) *& illuminabuntur corda vestra, clarius cognoscendo: nam amor penetrare facit intima ipsius amati.* Enimvero dubium quoddam hìc nobis haud immeritò subnascitur, cur videlicet ad acquirendam DEI cognitionem, & notitiam voluntas nostra divino inflammari amore debeat, & non potius excitari & exacui ipse intellectus, utpotè ad quem solum spectat intelligere & cognoscere, sicut ad voluntatem amare. Ad hoc tamen breviter respondetur, dubium hoc solummodo vim suam in scientiarum humanarum scholis habere, nullum verò in Academia cœlesti nervum habere; In hac etenim sublimiores Theologiæ addiscuntur non per intellectum, sed per affectum; non per studium, sed per devotionem. *Res ista non scholam quærit, sed cor* (inquit Doctor Seraphicus) *non magistrum, sed sponsum*; Divinis mysteriis à Sapientia increata imbuimur, non tanquam à Magistro, sed tanquam à sponso, per viam amoris & non studii. Sapiens qui se ad mysteria extendit divina, animam suam erudiri volens, eadem non per potentiam intellectivam, sed corde perquirit, illudque amore plenum esse debet eo præcipue fine, ut præcepta & imperia divina adimpleat. *Præbe fili mi cor* Prov. 23.
tuum mihi, non dicat: *intellectum, & oculi tui vias meas* 26.
custodiant. David libris tractandis nunquam assueverat: *Non cognovi literaturam* prouti jam diximus, & de se nihilominus dicit: *super senes intellexi*, quia ad perfectissimam divinitatis intelligentiam & agnitionem perductus & elevatus fuit; idque quia paulò antea di-
xerat: *Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die* Psal. 118.
meditatio mea est; Ab omni via mala prohibui pedes 97.
meos, ut custodiam verba tua. Ecce tibi securum quoddam medium secretorum cœlestium intelligentiam assequendi, quæ David tanta cum profusione revelata fuere. Enimvero circa Magdalenam pœnitentem nonnulli notant, quod hæc ad convivium Pharisæi dissipatis capillis, oculisque non solum à capillatura, verum etiam à fletu & planctu obfuscatis ingressa, Christum Salvatorem nostrum tamen inter multos convivas subito sine ullo errore cognoverit, eique humillimum, & devotissimum illud unicuique satis notum obsequium præstiterit; at verò post ejusdem Salvatoris resurrectionem, cum nequaquam discernere potuerit, eum hortulanum illius loci, ubi sepulcrum erat, esse existimans; cumque illum tangere vellet, benignissimus
Salvator id ei recusarit, dicendo: *Noli me tangere*; cum Jo. 20 17.
tamen antea sanctissimos pedes ab ea tangi, & comis suis abstergit, ac demum iis ab ea oscula infigi permiserit. Responderi quidem posset, quod tunc eum per viam amoris inquisiverit; *Dilexit multum*; ac proinde *cognovit, quod Jesus accubuisset*: alia autem vice eum investigasse videatur per viam scientiæ; unde &
eum Magistri titulo honoraverit. *Rabboni*, quod idem Luce 7.
est, quod *Magister*, ideoque mirum non esse, quod eum non cognoverit; quia res ista non Magistrum, sed
sponsum quærit. *Quis posuit in visceribus hominis sapien-* Job. 38 35.
tiam (interrogat Jobus) *aut quis dedit gallo intelligentiam?* ubi advertendum est, quod non dicat: *Qui posuit in intellectu sapientiam*: sed *in visceribus*, per quæ affectus denotantur amoris, & compassionis; Et hinc est, quod Jeremias compassioni & amori Dei omnino
deditus, ideoque vehementer illuminatus dixerit: *De* Thr. 1. 13
excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me; adeoque hæc eruditio, & sapientia non ex studio nascitur, neque suam ab intellectu derivationem habet; Notandum est etiam, quod in Hebræo, vice nominis *Gallo*, legitur *Cordi*: *Quis dedit cordi intelligentiam?* sed dices forsitan, quod cordi & gallo commune intercedit? Quotidiana nos experientia docet, quod gallus cantu suo omnes quotquot in domo sunt, excitet, & expergefaciat: id quod etiam de amore Dei dici potest, hic enim cum in corde nostro centrum & quietem suam habeat, omnes alias animæ nostræ potentias exsuscitat. Unde Philo Carpathius scribit: *Hic est enim primus ille animi affectus, qui omnia docet & monet.* Sicut etiam omnium sensuum nostrorum primum mobile est, omnibus hujus nostri corporis partibus motum, calorem, & vitam subministrando, eodem modo amor est qui cunctos stimu-
lat & regulat nostros affectus. Lib. 5 rat.
a *Diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Fa- Hist. c. p. 8.

bulam

bulam esse existimo, licet Plinius eam inter Historias suas recenseat; nimirum certam quandam gentem inveniri, quæ non nisi in pectore oculum defixum habeat; *Gentem quandam, quam Blemmiam vocant, quæ oculos tantum habet in pectore*: Veruntamen non fabula, sed veritas est, quod sanctus Paulus scribit, dum ait:
Philip. 1. *Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, ut Deus det vobis Spiritum sapientiæ illuminatos oculos cordis vestri*. Ecce tibi oculos qui hoc cœlesti sapientiæ lumen recipiunt, in pectore constitutos, id est, prius accensos & præ amore ardentes? *Oculos cordis illuminatos*. Nonnulli ex Apostolis Christi, post ejus resurrectionem piscationi operam dabant, cum ecce cœlestis ipsorum Magister Christus eis apparens interrogavit eos: *Nunquid pulmentarium habetis*? Sanctus
Joan. 21. 7. Joannes autem qui factum istud recenset, scribit: *Non tamen cognoverunt discipuli, quia Jesus est*: Quis igitur est ille, qui eum agnovit? *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus Petro: Dominus est*: Scitisne causam, cur dilectus hic Christi discipulus præ cunctis aliis acutiores, magisque Lynceos habeat oculos?
Serm. 78. Chrysologus ait: *Primus qui diligitur, videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur, & semper vivacius; qui diligitur, sentitur*. Ibat sponsa in sacris canticis dilectum suum magna cum anxietate investigans:
Cant 3. 2. *Quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum & non inveni, Surgam & circuibo civitatem, per vicos, & plateas, quæram, quem diligit anima mea*. Theodoretus in ea est opinione, quod hic anima quædam adumbretur, quæ prius secreta naturalia investigans: *Circuibo civitatem*, postea per vestigare nititur naturam Angelicam: *Per vicos & plateas, custodes supremæ Civitatis me pervagantem atque inquirentem conspexerunt*. Tandem verò interrogat: *Num quem diligit anima mea vidistis*? Sibi namque persuadebat cœlestes illos Spiritus perfectè eum comprehendisse: Illis autem id negantibus, ab eis se elongavit, & paulo post dixit: *Inveni, quem diligit anima mea*. Quanam autem ratione dilectum hunc tandem invenit? quando eousque elevata est, ut ipsum incomprehensibilem esse, omnique intellectus creati capacitate superiorem esse agnosceret? *Inveni ipsum in iis, quæ ingenii orationisque vim atque intelligentiam superant*. Si postquam eum imperceptibilem & incomprehensibilem esse intelleximus, eum ulterius eousque cognoscere volumus, quousque humana nostra fragilitas id faciendi capax est, necessario ei non solum intellectu, sed etiam in corde præparandus, & assignandus est locus. *Quoniam incomprehensum illum inveni, intus eum tenui & in medio cordis, Patrique coæternum esse cognovi*.

Matth. 5. 8 3 Inter alias Beatitudines hæc quoque recensetur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Por-
Orat. 40. in Sact. Bapt. rò Nazianzenus scribit, Deum lumen quoddam inaccessibile esse, quod intellectu humano intueri non possumus, animam verò eo modo illuminare, quo sol corporeus res hasce sensibiles illustrare consuevit; lumen autem, & agnitionem istam tanto magis communicat, quanto homines mundiores sunt, & puriores; sol etenim majorem lucem Chrystallo alicui vel alteri corpori diaphano, & transparenti communicat, eo quod objectum quoddam sit altero longè mundius, & purius: non tamen ita lumen suum marmori aut lapidi cuipiam communicare poterit. *Eo se magis contemplandum nobis præbens*, inquit de hoc Sole divino, *quo accuratius animos purgaverimus, eo denique magis cognoscenaum, quo magis amaverimus*. Sapientia illa incarnata altissimam hanc cœli sapientiam Apostolis suis, paulò antè idiotis piscatoribus post suam ad cœlos ascensionem infundere disposuerat; sed quem id faciendi modum servavit? Nimirum prius ipsos mediante Spiritu sancto amore suo accendit, & hoc igne corda ipsorum plenè purgavit: *Advenit ignis divinus*, (ita in quodam matutinali Responsorio canit infra octavam Pentecostes sancta mater Ecclesia) *non comburens, sed illuminans: non consumens sed lucens, & invenit corda discipulorum receptacula munda*. Haud dubiè hujus nota erit illa trina Angelorum Abrahæ facta apparitio, à quo & hospitio recepti fuere; Hi autem Angeli, juxta communem Patrum sensum hoc sanctissimæ Trinitati mysterium repræsentabant; siquidem Abraham *tres vidit, & unum adoravit*: Unde licet
Gen. 18. ipsorum tres essent, ad ipsos tamen in numero singula-

Mansi Prompt.

ri dixit: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis*. Multæ autem in hac Historia concurrunt proposito nostro optimè servientes circumstantiæ. Et quidem in primis dicitus: *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre in ipso fervore diei*. Observat autem Sanctus Augusti- Ser. 70. de Temp.
nus, quod *Ilicem Mambre* in lingua Latina idem significet, quod *visio*; & subjungit: *Erat enim mundus corde, ut posset Deum videre: in tali ergo loco & in tali corde potest Deus habere convivium*. Porrò memoranda est, quam Philippus Christo nomine omnium consodalium suorum proposuerat, petitio, dum ait: *Ostende* Jo. 14. 21.
nobis Patrem; quando autem eis Spiritum sanctum promiserat, dixit eis: *In illo die vos cognoscetis; quia ego sum in Patre meo: Qui diligit me, diligetur à Patre meo & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum: si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Ecce tibi tres divinas personas, in unico cordis Deum amantis hospitio, siquidem ipsemet amor divinus nihil est aliud, præterquam Spiritus sanctus, Sanctus Antonius Magnus, prouti in ejus vita refertur, dicere solitus erat: *Animam Deo servientem si in ea permanserit integritate, qua nata est, plus scire posse* Hom. 1. in
quam Dæmones. Sanctus quoque Chrysostomus dicit, Matth.
ad divina mysteria perdiscenda nihil nobis libris opus futurum esse, dummodo puram mundamque haberemus conscientiam, Observanda vero sunt verba quibus idipsum enuntiat: *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, sed tam mundam in nobis exhibere vitam, ut librorum vice gratia Spiritus sancti uteremur, & sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu*. Non vult igitur, ut intellectus, sed cor sit hujus cognitionis, hujusque cœlestis intelligentiæ hospitium. Præterea Glossa futurum esse dicit, ut anima aliqua beata tanto majori cum perspicacia in cœlo obtutum suum fixura sit in divinam essentiam, quanto in hac vita habuerit puriores, mundioresque cordis sui oculos:
Omnes ibi communi felicitate Divinæ visionis fruuntur, Lib. 3.
tanto quis sublimius, quanto mundiores ad videndum ocu- Reg. c. 7.
los cordis habuerit: Scribit etiam Guerricus Abbas: vit. tursus.
Quanto autem verius illuminato corde Deus agnoscitur, tanto fiducialius in eo speratur. Quis unquam in hac vita inventus fuit, aut deinceps ad finem usque sæculorum invenietur, qui majorem habuerit Salomone sapientiam, si magnam Dei matrem excipias? Notandum est autem, quod sapientissimus hic Rex à Deo non intellectum aliquem subtilem, acutum & perspicacem postularit, sed oculum cordi imposuerit: *Dabis ergo servo tuo cor docile*, ubi Lyranus ait: *id est illustratum à te*: imò & Deus ipse dicit ei. *Dedi tibi cor sapiens & intelligens*. Undè & Spiritus sanctus satis perspicuè de eadem admirabili Salomonis sapientia attestatur, eandem potius in corde ejus, quam in ipsius intellectu sedem suam habuisse: *Universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat* 3. Reg. 10.
Dominus in corde ejus. Quam etiam David Pater ejus 3.
in altissimis cœli mysteriis illuminatus fuit, idque quia petierat, & obtinuerat, dum ait: *Cor mundo crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*.

Scientia cognoscendi Deum potius per viam amoris quam studii acquiritur, & comparatur.

DISCURSUS QUINTUS.

In Charitate radicati, & fundati; ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi: ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ad Ephes. cap. 3. v. 17.

1 SAnctus Apostolus qui reconditissimorum secretorum Divinitatis particeps factus fuit, siquidem etiamnum inter homines in carne mortali vivens ad cœli penetralia sublimari meruit, unde *audivit arcana verba*, hic inquam optimum nos docet modum altissima & imperscrutabilia intelligendi mysteria, sive divinorum attributorum, sive Incarnationis verbi, vel proces-

ſionis trium Divinarum perſonarum, ſive ut, uno verbo dicam, *ut impleamur in omnem plenitudinem Dei*. Quodſi enim theſauris illis locupletari volumus, de quibus ſcriptum eſt: *Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*; ecce tibi modum, quo id obtinere poſſis:
Coloſſ. 3. *In charitate radicati & fundati, ut poſſitis comprehendere*. Et quidem ſi unquam opus fuit, ut hujus intelligentiæ nos capaces reddamus, nunc certè ad id neceſſitas maxima urget; ſiquidem ante octo dies corda & mentes noſtræ hoc amoris igne ſuccenſæ ardere cœperunt; *Ut impleamur in omnem plenitudinem DEI*. Oecumenius, & Theophylactus verba hæc de tribus perſonis, earumque attributis intelligenda eſſe declarant. Licèt Sanctus Bernardus alio quodam ſenſu explicet; dum
Lib. 1. de conſid. c. fin. ait: *Divina eſſentia res una cum ſit, eſt tamen longitudo propter charitatem, ſublimitas propter majeſtatem, profunditas propter ſapientiam*.

2 *In charitate radicati*. Ab ipſo uſque Platone, qui Divini nomen ab antiquitate ſortitus eſt, ſcriptum extit: *Amor omnia ſcit*; Amor in ſchola DEI, tanquam Theologus ſubtiliſſimus omnia penetrat reconditiſſima ſecreta. Utitur autem Apoſtolus Phraſi illa loquendi, *Supereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*, per illam innuere volens, charitatem & amorem Chriſti omni ſtudio, omnique ſcientia ſuperiorem eſſe; ſiquidem amor eſt, qui primus in ſcholam Chriſti pedem figit, non verò ſcientia aut ſapientia; atque ideo Sanctus Auguſtinus, qui intellectu adeò elevato præditus adeoque prodigioſa doctrina imbutus fuit, attamen dixit: *Qui vult habere notitiam Dei, amet*. In rebus qui-
In Manuali cap. 20. dem hiſce inferioribus ſatis perſpicuè videtur, quod nihil ad voluntatis affectus tranſeat, niſi mediantibus notionibus intellectus: ideoque ordinariè nullum objectum amari ſolet, niſi prius cognitum fuerit: at verò in rebus divinis contrarium frequenter accidit, ſiquidem ab amore communiter ſumitur initium, & hunc poſtea ſequitur notitia, quæ afficit intellectum. Unde Doctor Gentium ſatis manifeſtè nobis inſinuat, primo loco jaciendum eſſe fundamentum Charitatis; *In charitate radicati & fundati*, poſtea vero divinorum, & ſupernaturalium myſteriorum ſcientiam promittit, &
4 Reg. 2. cognitionem: *Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit, &c.* Elias in curru igneo in cœlum aſcendit, & hoc ut S. Gre-
l. 5 moral. cap. 22. gorius notat, ſymbolum fuit animæ cujuſdam quæ alis ſpeculationis tranſcendit Empyreum; *Per hoc quod Elias in igneo curru aſcendit, ſignificatur, quod ad culmen contemplationis plus ſatis dilectionis fervor, quam ſplendor cognitionis; unde dicit Commentator ſuper cap. cœleſtis Hierarchiæ; ubi ſcientia foris ſtat, dilectio intrat*. Conſideres quæſo primas, & fundamentales Eccleſiæ Dei columnas, nimirum S. Joannem Baptiſtam. S. Petrum, & S. Paulum, & S. Joannem Apoſtolum & alios ſimiles, & ſemper invenies, quod ſupra omnes alios cœleſtium myſteriorum lumen & agnitionem habuerint, tametſi in nulla ſchola alia edocti fuerint, quam in ſchola charitatis & amoris Dei; Et tametſi S. Paulus priuſquam in Academiam Chriſti pedem inferret, in ſynagogis Judæorum ſub Gamaliele legis Doctore ſtudiis operam dederit, ipſe tamen ſatis apertè proteſtatur, dicens:
1 Cor. 2. 2. *Non judicavi me ſcire aliquid, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum*, utpote qui liber ille eſt, in quo tanto cum profectu multi ſtuduere Theologi & ſancti & inter illos ſpecialiter Seraphicus Bonaventura.

3 Sanctus Joannes Apoſtolus Præcurſori Chriſti Joanni Baptiſtæ æternæ veritatis perhibet teſtimonium, dum ait: *Ille erat lucerna ardens & lucens*; ubi
Joan 5. 35 per ardorem amor denotatur, ſcientia verò per lucem: ubi tamen advertendum, quod prius dicatur ardens, ac deinde lucens; quia amor eſt, qui illuminat intelle-
Serm. de S. Joan. Bap. ctum. Unde S. Bernardus ait: *Non ait lucens & ardens: quia Joannis ex fervore ſplendor, non fervor prodiit ex ſplendore*. Hic ardor lucem & agnitionem ei contulit, per quam digito Filium Dei demonſtravit, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Super ipſum aperti ſunt cœli, & altiſſimum Trinitatis myſterium ei manifeſtatum fuit; In Columba namque intelligitur Spiritus ſanctus, in voce quæ intonuit, redditur teſtimonium Patris, & Filius Dei incarnatus erat is quem manibus ſuis contrectabat. Sanctus Bernardus hunc textum adducit: *Sapiens permanet ut Sol, ſtultus ut luna mutatur*; quibus verbis ſapiens verum ſapientem Soli aſſimilat, qui calorem & ſplendorem in ſe complectitur, cum tamen luna e contra ſolum habeat ſplendorem, cui proinde ſimiles ſunt ſapientes & ſcientifici hujus mundi, quæ cauſa eſt, quod *ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*; habent namque exterio 1. Cor. 3. 19.
rem quidem apparentiam, per quam intumeſcunt, & inflantur: non verò ad interiora & reconditiora penetralia uſque penetrant; eo quod Spiritus & charitas illis deſit. *Primum quære fervorem* (ita per experientiam S. Sermo. 3. de
Bernardus loquitur (*nec dubium, quin & ſplendor adjiciatur tibi*. verb. Iſaiæ

4 *In Charitate radicati* S. Petrus ad ſempiternam laudem ſuam, inſignem illam divinitatis Chriſti confeſſionem, ſibi ab æterno Patre revelatam: *Caro & ſanguis* Matt. 16. 17
non revelavit tibi, ſed Pater meus, apertè coram omnibus inſtituit. Nullam verò hac aſſequi poterat altiorem, eminentioremque ſcientiam, videre ſcilicet carnem humanam euſque depreſſam & humiliatam, ut de ſemetipſo Salvator dixerit: *Ego autem vermis ſum, & non* Pſalm 21. 7
homo, opprobrium hominum & abjectio plebis, & tamen ſub illa latentem venerari Altiſſimi divinitatem & Majeſtatem. Et quidem Petrum non in alia ſchola, quam in amoris Dei gymnaſio edoctum fuiſſe probatione nullatenus indiget, ſiquidem ipſemet id ipſum fateatur, dum à Chriſto interrogatus: *Petre amas me*? reſpondit, *Tu* Joan. 21. 17
ſcis Domine, quia amo te. Et quidem non tantùm ſemel ſed ter circa hanc virtutem examinatus fuit. Pithagoras ſolo naturali lumine inſtructus ait, quod qui bona terrena deſiderat cognoſcere, eadem odio habere debeat, qui verò Deum cupit cognoſcere, eundem neceſſario debeat intimè diligere. Sancto Joanni Apoſtolo (de quo ſancta mater Eccleſia canit, *Beatus Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia*; ob quam cauſam de Apocalypſi quoque ſcribitur: *Tot Sacramenta, quot apices*) Aquila paſſim adſcribitur, utpote qui elevari intellectus ſui oculum in immortalis & æterni Solis rotam præ quovis alio altius defixit, cujus in Evangelii ſui exordio reddit teſtimonium, idque fecit, cum antea piſcator & idiota fuerit, quem nullos unquam manibus ſuis contrectaſſe libros ſcimus; ſoli ipſi in veræ ſapientiæ librariam liber ſemper patuit introitus: *Fecit Bibliothecam ſuam pectus Chriſti*; quicquid autem in cœleſti ſapientia dicendo profecit, id ardentiſſimi amoris ſui meritis acquiſivit. Sanctus Thomas de Aquino gloſſa ſua illa verba illuſtrans: *Erat ergo recumbens unus ex diſci-* Joan. 13. 23
pulis ejus in ſinu JESU, quem diligebat Jeſus, dicit ſanctum Petrum avidum ſciendi quiſnam Domini futurus traditor eſſet, magna cum inſtantia petiiſſe à Joanne, ut hac de re Redemptorem interrogaret, ſciens quod illi tanquam præ cæteris dilectiori diſcipulo, nullum celaturus eſſet ſecretum, prouti re ipſa accidit. Dicit igitur ſanctus Thomas: *Myſtice per hoc datur intelligi quod quanto magis homo vult divina ſapientia ſecreta capere: tanto magis conari debet, ut propinquior fiat Jeſu; ſecundum illum Pſal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini: nam divina ſapientia ſecreta illis præcipuè revelantur, qui Deo juncti ſunt per amorem*. Sanctus Thomas, in cujus pectore ſol depingitur, quaſi ſuper omnes Eccleſiæ Doctores, quibus ſolis lucis titulus attribuitur: *Vos eſtis lux mundi*, doctrinæ præſtantia emineat; quique quidam in Theologia Angelus, ſeu Doctor Angelicus appellatur; hic inquam licèt multos in lucem libros ediderit, ſtudiiſque literarum ſacrarum ap- In L. ct.
primè deditus fuerit, de eo tamen ſcribitur: *Nunquam ſe lectioni aut ſcriptioni dedit, niſi poſt orationem jejunium adhibebat; dicere ſolebat; quicquid ſciret, non tam ſtudio, aut labore ſuo peperiſſe, quam divinitus traditum accepiſſe*. Sanctus Bonaventura quoque Doctor appellatur Seraphicus, cujus ſcientia admiranda fuit, omnemque humanam intelligentiam tranſcendit, adeò ut ipſummet obſtupeſcere fecerit Doctorem Angelicum; A quo die quadam interrogatus, quoſnam libros ſtudendo pervolveret, Crucifixi imaginem oſculis fere detritam libri loco eidem oſtendit. Scribitur etiam in Chronica ſancti Franciſci, Fratrem Ægidium ei aliquando dum Miniſtri Generalis officio fungeretur, dixiſſe, eos qui Magiſtri in Theologia, ideoque multa ſcientia imbuti eſſent, meliori & utiliori modo Deum laudare, & cognoſcere poſſe, quam ipſe ſibique ſimiles idiotæ, & ſimplices viri facere valerent; cui ſanctus Bonaventura reſpondit: Tametſi Deus nullam aliam homini gratiam contuliſſet, quam ipſum amare poſſe, hæc unica pro multis aliis abunde ſufficeret.

ret. Subjunxit igitur fratres Aegidius, potesne igitur homo ignorans & idiota Deum ita laudare, sicut homo literatus. Potest, utique respondit Sanctus, ideò etiam ut unus seu vetula aliquam Deum plus amare possit, quovis insigni in Theologia magistro. Ex quibus verbis consolatione plenus & animatus frater Aegidius ad hortum sese contulit, & cum ingenti spiritus fervore ad Civitatem conversus altum exclamare cœpit: O paupercula anus, idiota & simplex, ama Dominum Jesum Christum, & poteris Bonaventura fieri excellentior; Et hoc dicto per trium horarum spatium in extasim raptus fuit. Similiter in vita beati Francis Ruggeri de Provenza Franciscani legitur, quod cum aliquando interrogaretur, quonam modo facienda esset unio voluntatis propriæ cum divina, responderit: Quotiescunque vis legere, priusquam librum aperias cor tuum ad Deum dirigito; eique cum humilitate sincera dicito: O Domine, hic hominum vilissimus indignus servus tuus, Gazam tuam ad videndum ingentes thesauros tuos, ingredi desiderat; ac proinde per tuam clementiam & benignitatem tuam te obtestor, ut fores illius aperire digneris, pariterque efficere, ut ipse te cognoscat, ad hoc ut etiam te diligat, tantumque ei concedito amorem, quantam largitus es cognitionem, nec permittas, ut plus te cognoscat, quam te actualiter diligat, neque enim. O mi Domine te cupio alio fine cognoscere, quam ut te valeam amare. Quisquis talis futurus erit, qualem re ut fieres edocui, protinus ut librum aperuerit, Deum quoque inveniet.

5 *In Charitate radicati*. De sancto Antonio sanctus Atanasius tantam hominis sapientiam fuisse scribit, ut per hanc sapientissimis suorum temporum Philosophis summè admirabilis fuerit, ipsumque illuminatissimi Ecclesiæ Theologi obstupuerint, è quorum numero unus *justam de eo tulit, veramque sententiam dicens: verè ipsum esse Dei famulum, nec in rustico homine tantam aliquando potuisse inesse sapientiam, nisi divino amore regeretur*. De sancto Francisco, qui verus quidam in amore Seraphim fuisse noscitur, sanctus Bonaventura in ejus vita scriptum reliquit. *Quamvis non haberet sacrarum literarum peritiam, vel doctrinam, æterna tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutabatur acumine: penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, & ubi magi-*
Cap. 12. *stralis scientia foris stat affectus introibat amantis*. Tantum nimirum sanctus Bonaventura sapientiæ & eruditionis suæ testimonium perhibuit, tametsi nunquam in ullo alio libro, quam in folius Crucifixi imagine libri loco studuerit. *Ita tamen à divino Magistro Christo didicit, ut viros etiam doctissimos humanitus instructos, sua eruditione & Scripturarum intelligentia superaret*. Occurrunt mihi hoc loco nonnulla a Pico Mirandulano ad Angelum Politianum miro cum ingenio concepta, & proposito nostro inservientia verba: *Sed vide mi Angele, quæ nos insania teneat, amare Deum, dum sumus in hac vita plus possumus quam vel eloqui vel cognoscere; amando minus laboramus, nobis magis proficimus, illi magis obsequimur; & tamen volumus magis quærendo per cognitionem nunquam invenire, quod quærimus; quam amando possidere, quod sine amore frustra etiam inveniremus*.

Spiritum sanctum ad sublimiora & ineffabilia Divinitatis mysteria intelligenda interpretem nostrum esse ostenditur.

DISCURSUS SEXTUS.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium, te utriusque Spiritum; credamus omni tempore.

1. UTique non modicam vobis conciliabit admirationem, quod ego post absoluta Festa Spiritus sancti, nihilominus in hac Dominica, quæ singulariter gloriæ sanctissimæ Trinitatis dedicata esse noscitur, recitata verba thematis loco usurpem. Admirari tamen desinetis, si ad sequentis dubii resolutionem reflexeritis. Quodnam igitur in eo latet mysterium (ita nonnemo, ex devota quadam curiositate motus, sciscitari posset) quod sancta mater Ecclesia inter omnes Dominicas, quales per anni gyrum multæ occurrunt, hanc præcipuè Dominicam, quæ festum Pentecostes immediatè subsequitur, ad obsequii sui tributum tribus hisce Divinis personis exolvendum elegerit? Enimverò quodsi benè consideraverimus, quam sit ineffabile hoc mysterium cuivis intellectui creato imperscrutabile, inveniemus utique quod ad id præstandum hoc tempus convenientissimè præ omnibus selegerit, in quo loco magistri Spiritum sanctum habuimus; quem etiam eo præcipuè fine specialiter invocavimus, dicentes: *Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium, te utrinsque* In Act. Apost c. 2.
Spiritum credamus omni tempore. Porrò Theophylactus convenienter admodum ad præsens propositum illum ab antiquissima Ecclesiæ traditione introductum fidelium ritum in hoc præcisè festo, non verò ante hoc festum genuflectendi, cum alias à Paschate usque huc orationes nostras recto corpore stantes exsolvere consuevimus: hisce verbis nobis explicat, dicens: *Postquam igneis linguis Spiritus sanctus nobis apparuit, genuflectimus; significantes per spiritum perfectam & absolutam nos didicisse Trinitatis adorationem*. Sic quoque Venerabilis Beda in Glossa citatus, horam in qua divinus hic ignis è cœlis descendit, acutè observat, nimirum horam tertiam, indeque pulchrum hoc deducit mysterium: *Spiritus sanctus gloriam Trinitatis mundo prædicaturus tertia hora convenienter descendit*. Increata illa Sapientia mortalitatis nostræ exuviis vestita, suos quidem Apostolos multo jam tempore docuerat & erudierat; veruntamen ut illos tam sublimis scientiæ, qualis est essentiæ Divinæ cognitio, capaces redderet, illos præmonuit, mittendum illis esse Spiritum sanctum: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis; vos autem cognoscetis eum; quia apud vos ma-* Joan. 14.
nebit, & in vobis erit; ac tandem subjungit: *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo*. Sancta quoque mater Ecclesia Spiritum sanctum Magistrum nostrum esse declarat, qui nos docet, nobisque Patris æterni & Filii sui notitiam & agnitionem ministrat, idque non solum in hoc mysterio præstat, verum etiam in quavis alia veritate & mysterio, ipse ipse est, qui nos docet & erudit; atque ideo in quadam Oratione Feriæ quartæ precedentis ita oramus: *Mentes nostras quæsu-* Joan. 14.15
mus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem sicut tuus promisit Filius, veritatem. Et quidem quot fuerunt Apostolis mysteria abscondita, tametsi Salvator iis dixerit: *Quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis*? Siquidem ad Spiritum sanctum spectabat, eos ad illa intelligenda capaces effi- Joan. 16 n.
cere: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Imò eadem incarnata Sapientia eos de pluribus docere distulit, quia eos sine Spiritu sancto pro altissimorum mysteriorum intelligentia, dociles aut capaces minimè futuros esse prævidebat, unde ait: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed* Act. Ap.
non potestis portare modo: cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos; prout deinceps reipsa accidit; Nam in die Pentecostes Apostoli, qui hactenus ignorantes & elingues fuerant, vix recepto Spiritu sancto, eademmet die *Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei*; & cum prodigiosa facundia & animi libertate de mysteriis altissimis Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis & Ascensionis Christi, necnon Eucharistiæ, omnibusque aliis adeo sublimiter cœperunt discurrere, ut omnes attoniti illos audierint, siquidem ingens illa multitudo *mente confusa est*, ut ait
Scriptura. 1. Reg. 2. 4.

2 In veteri testamento adumbrata invenimus multa Evangelicæ legis Sacramenta. Et quidem in Cantico Annæ matris Samuelis legimus Spiritum sanctum dicentem: *Deus scientiarum Dominus, & ipsi præparantur cogitationes*; quasi Spiritus sanctus dicere vellet: Frustra pervolvuntur à discentibus libri, frustra in scholis disputatur, frustra ingenia circa scientiam Theologicam per altas speculationes exercentur & exacuuntur, nisi Deum Magistrum suum habeant, qui studia ipso- In Morali
rum dirigat: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore*, quasi dicat Deus reconditissima Divi- glossa.
nitatis suæ mysteria simplicibus & humilibus communicavit: *Dedit eas simplicibus in novo Testamento*.

Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Arcus fortium superatus est, id est, scientia Scribarum & Pharisæorum; hi enim sapientiores & eruditiores erant, qui in synagogis docebant alios; hi vero manserunt, & neglecti sunt; siquidem *infirmi accincti sunt robore, id est, Apostoli simplices & illiterati accincti sunt robore in Spiritus sancti datione, per quem facti sunt intelligentes Scripturarum, & eloquentes in omni idiomate.*

Hom. 1. in Matth. Chrysostomus Homiliam suam primam super Matthæum, prouti supra diximus, hisce verbis exorsus est: *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio literarum, sed tam mundam in nobis exhibere vitam, ut librorum vice, gratia Spiritus sancti uteremur, & sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à spiritu.* Optaret, quod digitus Spiritus sancti esset ille, qui cordibus nostris Dei sapientiam inscriberet; hoc enim ad veram sapientiam addiscendam abundè sufficeret; id quod os aureum Chrysostomi multorum Sanctorum veteris Testamenti testimonio & exemplo confirmat, qui in Theologia cœlesti abstrusissima excellentissimè illuminati fuerunt; prout videre est in Noë, Abraha, Jobo, Davide, Moyse, & plurimis aliis, qui cum Dei amore accensi in summa innocentia viverent, pleni erant Spiritu sancto; Tandem verò sanctus Doctor idipsum in sanctis Apostolis exemplificaturus dicit: *Nec Apostolis Christus aliquid scriptum tradidit, sed pro literis Spiritus sancti gratiam se daturum illis promisit; ille, inquit, docebit vos omnia.* Spiritui sancto in Hymno Ecclesiastico: *Veni Creator Spiritus*, datum est nomen, quo appellatur unctio spiritualis: *Et spiritualis unctio*

2. Reg. 23. Sciendum est autem, quod ubi vulgata nostra legit: *David sedens in cathedra sapientissimus.* Chaldæus vertat: *Unctus unctione sancta*; per hoc innuere volens Spiritum sanctum magistrum fuisse Davidis, quia adeò admirabilem ei scientiam infudit, maximè si statum & professionem ejus respicere velimus, nam Pastor, miles, aulicus, ac tandem Rex fuit; & tamen licet libros nunquam pervolvisset, nemo nescit, quam fuerit in sacris mysteriis versatus, & in reconditissimorum Divinæ sapientiæ Sacramentorum intelligentia eruditus, adeo ut sancta Dei Ecclesia gloriam, & laudem DEO decantatura, in hodiernum usque diem pienissimo ejus Psalterio utatur. Quadam vice amore fla-

Psal 54. 7. grans Deum precabatur, dicendo: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo?* Cur autem supra cœlum Empyreum evolaturus non potius Aquilæ alas sibi dari postulat, quales habuit sanctus Joannes Apostolus, maximè quando oculos suos in lucem illam luminosissimam Solis illius, qui tribus lucibus in una luce resplendet, defigere volebat? Aut cur non potius dari sibi postulat alas Phœnicis, unicæ in terra volucris, totiusque alarii gregis Reginæ, & ut ajunt, tantæ ipsiusmet Solis æmulæ, unde & avis solaris appelletur? Columba quidem volatile quoddam est simplex purum & candidum, illam tamen visus sui perspicaciam, & in evolando, ut ita dicam, velut supra cœlos, instar Aquilæ agilitatem & velocitatem non habet, atque hæc est specialissima ratio cur David columbæ alas sibi postulatit; intelligebat enim, quod ad hoc ut quis in illam scholam intromittatur, in qua sanctus Paulus *Audivit arcana verba*, non opus sit subtili ingenio, vel intellectu elevato, sed potius simplicitate, devotione, & in-

Prov. 3. 32. nocentis vitæ puritate: *Cum simplicibus sermocinatio ejus.*

Ptolomæus in proœmio Almag. Author quidam valde eruditus ait: *Meditatio est clavis sapientiæ.* Columbæ symbolum sunt devotorum contemplativorum, illarumque maximè animarum, quæ charitatis, & amoris annulo mediante desponsantur Christo; *Una est columba mea.* Similiter repræsentat illos, qui in ferventi oratione gemunt? Hæc autem est, quæ reconditissimorum Sacramentorum intelligentiæ viam aperit, prouti sancti Thomæ Aquinati multisque aliis fecisse constat. Veruntamen existimo Davidem, utpotè Spiritu prophetico à DEO exornatum prævidisse, quod Spiritus sanctus tandem in plenitudine temporum in columbæ specie in terram descensurus esset, ideoque columbæ alas sibi popoicisse, id est, sanctissimi hujus Spiritus instructionem, per quam semper directus fuit. Quis etenim Messiæ adventum ipso vivacius prædicendo repræsentavit, tametsi tot ante Messiam natum sæculis vixerit? quod sine Spiritus sancti directione fieri non potuisset; nam ut benè Tertullianus ait: *Cui enim veritas comperta sine Deo? cui Deus cognitus sine Christo? cui Christus exploratus sine Spiritu sancto?*

I. de anima do Deum c. 1. Eccl. 1. 9. Ecclesiasticus de cœlesti sapientia tractans scribit: *Ipse creavit illum in Spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.* Unde clarè deducitur, quod cum Deus sapientiam Spiritui sancto unitam, & annexam creaverit, sine ejus quoque auxilio consequi vel haberi non possit. Sanctus Dionysius Areopagita, qui *De cœlesti Hierarchia, de Divinis nominibus, de mystica Theologia* tam sublimiter scripsit, summè admiratus est lucem illam igneamque divinam, qui in mente Hierothæi chari amici, & discipuli sui accensus fuit, simulque insinuat, per quam viam ad tam sublimem intelligentiam pervenerit. Nam

De divin. nominibus cap. 2. *Ex compassione ad ipsa quæ doceri non possunt*, intellectum humanum tam eminente capacitate inferiorem esse intelligebat, ideoque suprema illa mysteria incomprehensibilia esse cognoscebat, quibus proinde sola devotione mediante afficiebatur. Veruntamen inquit Dionysius, non ob id sacras literas legere, superque illis meditari, easque ruminare desistebat, nihilominus *Diviniore inspiratione doctus non solum discens, sed patiens divina.* Ecce qualiter cœlestem illam, & admirabilem doctrinam didicerit., *Diviniore inspiratione doctus.* Per hunc adeo intensum amorem sublatus est ad visiones cœlestes, extases, revelationes, illustrationes internas, per quas se Deo valdè familiarem reddidit, utpote qui ei divina sua mysteria revelavit. Similiter sanctus Joannes Baptista etiamnum infans, in deserti abdita se subduxit, nec studuit unquam, aut literas didicit, & tamen cum tanto spiritu & energia prædicavit, seque in maximè imperceptibilibus cœlestis sapientiæ mysteriis adeo illuminatum esse reapse probavit, ut à multis Synagogæ sapientibus ipsamet creditus fuerit esse Sapientia incarnata, eoque fine, ut scilicet hujus ab eo veritatem edîscerent, solennem illam legationem ad eum in deserta exspediverunt; Unde Sanctus Bernardus ait: *Neque enim Joannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem replevit Spiritus sanctus ex utero matris suæ.* Serm. de S. Joanne Bapt.

Sanctus Isaias Propheta ante SS. Triados thronum duos Seraphinos, non vero Cherubinos vidit, ad denotandum, quod ad divinorum mysteriorum intelligentiam habendam amor potius quam sapientia viam nobis aperiat.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus Sanctus, Sanctus.

1. SAncta mater Ecclesia hisce verbis non solum in hujusce solemnitatis officio divino, sed & omnibus diebus Dominicis, ut laudibus, & gloriæ sanctissimæ Trinitatis applaudat, utitur, suntque desumpta ex celebri illa visione, quam Isaias cap. 6. recenset; Postquam enim ei tres illæ Personæ Divinæ in magnifico illo Throno considentes revelatæ fuissent, mox ad earum majorem reverentiam ter illis acclamari audiit: *Sanctus, Sanctus, Sanctus; Seraphim stabant super illud.* Enimverò dum rem hanc penitius considero, in magnam protinus admirationem rapior, quia intelligere nequeo, cur quando de hoc adeò sublimi, & ineffabili Sacramento agebatur; magnificum hoc solium non potius Cherubini, quibus scientia attribuitur, quam Seraphini cinxerint? cur enim coram tribus illis personis divinis potius amore fragrantes Seraphini scintillare conspiciuntur? Porrò certum est, ut Hugo Cardinalis observat, quod per Angelicum illud Trisagium sanctissima Trinitas repræsentetur; unde verba illa quæ triplicatum illud *Sanctus* sequuntur, nimirum: *Dominus Deus exercituum* exponens dicit: *Non ait Domini, vel Dei, sed unus Dominus, & unus Deus, quasi dicat: dicendo tertio sanctus Trinitatem personarum & æqualitatem innuunt: addendo: Dominus Deus singulariter unitatem essentiæ in Trinitate demonstrant.* Etenim ut quis in schola DEI perfectam supremæ illius majestatis cognitionem asse-

qui

qui valeat, amore potius quam scientia opus habet, prouti in Discursibus antecedentibus abundè probavimus; atque ideo cum Seraphini præ cæteris spiritibus Angelicis amore & charitate maximè ardeant, ideo magnifico illi Throno viciniores & consequenter illuminatiores existunt. *Seraphin stabant super illud*: cum vero de Cherubinis, quibus sapieotia adscribitur, mentio fit, Spiritus sanctus illo Divinæ Majestatis sedis loco
Psal. 79. 6. servire dicit: *Qui sedes super Cherubim. Ascendis super*
Psal. 17. 10. *Cherubim & volavit*: Seraphim autem velmi Deo propinquiores, coram illos astantes assistunt: *Seraphim stabant super illud, velabant faciem ejus*; quia in cœlesti Academia amor præ sapientia primatum obtinet: *Stant*
Serm. 3. de verb. Isa. *planè Seraphim* (inquit sanctus Bernardus) *quia charitas nusquam excidit*. Notari quoque meretur, quod quando Isaias per visionem illam hanc circa inaccessibile sanctissimæ Trinitatis mysterium meotis illustrationem accepit, ipsemet de se dicat: *Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum & dixit: ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*. Ecce Seraphim ille, qui totus ardor, & merus ignis erat, forcipe accensum arripit carbonem, eodemque labia Prophetæ tangit, ad denotandum, quod ne adeò sublimi mysterio locuturus, opus habeat verbis igneis, & charitatis ardorem spirantibus, ut ab aliis intelligi possit, eo quod in hac intelligentia charitas præ studio optimam partem teneat; promittitur etiam ei: *Auferetur iniquitas tua*; non solum quia *Charitas operit multitudinem peccatorum*, verum etiam ad denotandum, quod illi cœlestium rerum intelligendarum capaciores existant, qui præ reliquis mundiorem obtinent conscientiam. Sanctus Beroardus super illum Isaiæ textum commentans, Luciferum pulcherrimum illum Paradisi Aogelum, tametsi immensa fuerit sa-
Isa. 14. 12. pientia præditus, attamen veluti stellam errantem eclypsatum fuisse, dicit: *Ut quid tu qui mane oriebaris, lucifer in veritate non stetisti, nisi quia Seraphim non fuisti: Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur: tu vero habuisti miser lucem; sed ardorem non habuisti; bonum tibi erat, si ignifer magis esses, quam lucifer*. Quot suoi, qui cætero quio doctissimi à fide apostatæ facti, in hæreseos barathrum fuere prolapsi, eo quod non habuerint doctrinam cum vitæ bonitate coojunctam, vel quia magis de acuendo per disputationes, & quæstiones ingeniosas intellectu, quam de voluntate & corde divino amo e accendendo soliciti fuere? quærere solent sacri expositores, cur Isaiæ ad Magisterii munus pro populi instructione deputato, Seraphini astiterint, ut eloquentem ipsum facerent: cum tamen Ezechieli in simili ministerio occupando Cherubini adstiterint, sed cum sileotio, cum tamen hisce spiritibus magis propriè facundia, quam Seraphinis competat? Respondetur autem id factum esse ad denotandum quod ad erudiendas io cœlestibus mysteriis animas, pluris Seraphinorum amor valeat, quam scientia Cherubinorum, quodque aptiores eligere volentes qui pro lucrandis Deo prædicationis ioterventu animabus, subministrandoque ignorantibus lumioe, Deique veri agnitione operam suam locarent, magis attendere debeant ad amorem Seraphioorum, quam ad Cherubinorum scientiam, id est, præferendos esse censeant illos qui in amore Dei sunt ferventes, præ illis qui
Ho. 27. in Acta. in scientiarum studio excellunt; unde Chrysostomus scribit. *Lingua clamet, & cor amet*. Quibusnam ad penetranda secretissima increatæ illius essentiæ mysteria veram sapientiam, cui soli ad thesauros divioos aditus patet, communicari existimas? quod idem Spiritus sanctus per os Ecclesiastici interrogat, dum ait:
Eccli. 1. 20. *Disciplina sapientiæ cui revelata est & manifestata, & multiplicationem ingressus illius, qui intelligit?* ac tandem clarè & perspicuè concludit, hanc iis præcipuè participari, qui illam non per disputationum, sed per amoris viam investigant: *Præbuit illam diligentibus se*. Paulo ante facta est mentio textus illius Psalmistæ Davidis: *Qui sedes super Cherubim*. Circa quæ verba advertendum est nullibi in Scriptura sacra reperiri, quod Deus super Seraphinos sedeat. Unde S. Hieronymus ad Damasum scribens, nonnullos id asserentes graviter reprehendit, dicens: *Super Cherubim sedere Deum scriptum est, super Seraphim verò nulla scriptura commemorat*. Seraphini enim qui amore Dei flagrant & ardent, de ipsamet Divinitate, nescio quid, participant, unde dicitur: *Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et S. Augustinus ait: *Ascendit super Cherubim, & volavit; exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret, nisi per charitatem*. Quodnam obsecro in en latet mysterium, quod Deus spiritum illum Cherubicum igneo ense armatum ad fores Paradisi collocarit? Author quidam respondet, quod Cherubini Angeli sint scientiæ magnitudine conspicui, iden Paradisi foribus gladium tenentes immineant, ut occurentes in disputationibus de Deitate quæstiones & difficultates præscindant & detruncent, Seraphini autem intra secretorum Divinorum penetralia reconditi degant. Priusquam ad Deum pertingamus, primi occurrunt Seraphini, sub illis autem Cherubini consistunt, ad insinuandum, quod priusquam studium scientiarum Divinitatem, & increatæ ac immortalis substantiæ intelligentiam assequi possit, necessum sit, ut per Seraphinos transeat, id est, ut Deum amet; siquidem ut frequens experientia docet, ingenia quantumvis sublimia hoc timoris, innocentiæ & devotionis fundamento destituta miserabile persæpe passa sunt naufragium.

2 Verum enimvero ex quo jam pluries Cherubinorum mentionem fecimus, opere pretium erit, ut cele- Ezech. 1. 10.
brem illam visionem currus illius à quatuor animalibus homine videlicet, leone, bove, & aquila protracti, quam Ezechiel Propheta habuit, ad memoriam revocemus. Saoctus Bernardus verba illi Apostoli ad Ephesios: *Ut possitis comprehendere, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum* (quæ superius in Lib. 5. de Consid. in fin.
alio quodam discursu significare diximus, quatuor primaria essentiæ Dei attributa, scilicet æternitatem, amorem, majestatem & sapientiam) ponderans, subjungit: *Hæc est quadriga Dei*; unde deduci potest, currum hunc veram esse omnipotentiæ, & magnificentiæ Altissimi effigiem: at vero quod in maximam me admirationem rapit, est quod idem Propheta alibi sub hoc curru loco bovis Cherubinum quendam viderit; *Facies una facies Cherubim*; quæro etenim, qua ratione fieri potuerit, quod bos in Angelicum quendam spiritum transmutatus fuerit, & quidem in Angelum Cherubicum, cujus proprium attributum scientia est? Et quidem si fortasse visionem hanc à prima totaliter distinctam & differentem esse dicere quis vellet; huic ego respondeo, id sustineri non posse, siquidem tres aliæ facies, cum superioris visionis faciebus omninò concurrunt: *Facies secunda facies hominis, & in tertio facies* Ezech. 10. 14.
leonis; & in quarto facies aquilæ; neque in hoc Propheta deludi aut decipi potuit, siquidem ipsemet Spiritus sanctus per os ejusdem Ezechielis ait: *Ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar*. Mea quidem opinione responderi potest, quod *omnia in figura contingebant*. Io Hebræo igitur *Cherubim* idem, est quod *magister cognitionis ac scientiæ multitudo*. Huic autem currui auriga quidam præerat admodum peritus & doctus, sed omninò igneus, & merus amor; & quem hunc fuisse censetis? erat ipsissimus Spiritus sanctus *ubi erat impetus spiritus illuc gradiebantur*, ac proinde quid mirum si bos ille, qui huic currui junctus erat, Cherubinus quidam factus fuerit; siquidem spiritus Dei ejusque sanctissimus amor boves in Cherubinos transmutat, exquisitumque sui suorumq; attributorum alias incomprehensibilium lumen & agnitionem ministrat, etiam iis qui velut boves ignorantes, & idiotæ, & tardo præditi ingenio sunt. Observari quoque non immerito poterit, quod bos utpotè jugum ferens, animal mansuetum, patiens & laboriosum, illos præcipuè denotet, qui in lege & consiliis Evangelicis adimplendis observantissimi sunt, quibus dicitur: *Tollite jugum meum super vos, &* Matth. 11. 29.
discite à me quia mitis sum; illos inquam qui in operibus bonis & virtuosis indefatigabiles existunt, qui ærumnis & adversitatibus exagitari, in summa nihilominus patientia vivunt, vitamque ducunt pœnitentem & austeram, hi accepto spiritu instar Angelorum inter mortales vivunt, & his lumen & agnitio Dei cœlitus abundè communicatur: ac proinde de Sancta Theresia scribitur: *Tanto divini amoris incendio cor ejus conflagravit,* In Lect.
ut merito viderit Angelum ignito jaculo sibi præcordia trans verberantem. Hæc enim Seraphica virgo per vitæ suæ innocentiam, per exactam consiliorum Evangelicorum executionem, imo per votum faciendi omne id quod

in quaslibet re majoris perfectionis esse cognosceret, denique per austeritates atque rigores quibuscum virgineum corpus suum continuò maceravit, ad tantam pervenit sapientiam, ut etiam sublimiores sæculi sui Theologos erubescere cogeret, & tamen nusquam alibi, præterquam in cœlestis sponsi amatoris sui schola didicerat, quæ causa fortasse fuit, quod Ecclesia in ejus festivitate in oratione hisce verbis utatur, quibus à Deo postulat gratia, *ut cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur*. Adhæc quis unquam majores habuit secretorum Dei revelationes, quam quibus sancta Birgitta illustrata fuit? ubinam verò studiis operam dedit, ut intellectum adeo illuminatum acciperet? certe in ipsa verè adimpletum fuit, quod scilicet *revelavit ea parvulis*. *Cum simplicibus*
In Lect. *est sermocinatio ejus*. Siquidem adeo simplex erat, ut quando decimum ætatis annum agens de Christi Passione sermocinantem audivit, hanc ipsa cordi suo adeo tenaciter impresserit, ut Christus nocte sequenti cruci affixus ei apparuerit, totus cruore conspersus; unde eum recenter Cruci affixum esse credens, cum eum quisnam hanc in eum crudelitatem committere præsumpsisset, interrogaret, hoc à Redemptore responsum retulit. *Ab his hoc factum qui contemnerent charitatem ipsius*. Num vero quantum ipsa cor suum hac virtute accenderit, plenius intelligere desideratis? Audite quid de ea vitæ ejus Historia refert, dum ait: *Romam Dei jussu venit, ubi plurimos ad amorem Divinum vehementer accendit*. Ecce tibi igitur Magistrum, qui eam erudivit; qui alius non fuit quam amor Dei, quo cor ejus continuo æstuabat. Quando sacer textus Fabricam templi describens tandem ad Tabernaculum venit, ait: *Domum quoque ante*
3. Reg. 6. *oraculum operuit auro purissimo*. Et paulò post *Fecit in ora-*
21. *culo duos Cherubim de lignis olivarum* Quibus verbis Glossa aliquas proposito nostro aptissimas subnectit interpretationes, dum ait: *Domus ante oraculum auro tecta est: quia perfecti in hac vita, nec dum de Patre palam audire, id est, nec dum palam videre queunt, sed fidem & opus justitiæ divino ornant amore, per quem plenam Dei cognitionem mereantur. Lamina aurea, quibus operitur domus, operationes sunt multifariæ pietatis, quas in obsequium creatoris vel fraternæ necessitatis castus amor impendit*. Quot sunt viri sancti, qui charitatis & misericordiæ operibus totaliter dediti, Deique amore accensi ad altiorem pertingunt divinorum mysteriorum cognitionem, quam doctissimus quicunque Theologus? cur autem Cherubim illi non fundebantur ex argento vel alio metallo, sed ex ligno olivarum fiebant? *De lignis Olivarum sunt facti* (ait Glossa (*quia lucem nobis scientiæ tribuunt, juvante flamma charitatis Dei, quæ per spiritum diffunditur in cordibus nostris*. Præfigurabant igitur illos sanctæ Ecclesiæ doctores, quales fuerunt sanctus Augustinus, sanctus Ambrosius, sanctus Hieronymus, sanctus Gregorius, qui potius per sanctissima opera sua mediantequæ oratione, contemplatione, aliisque misericordiæ operibus intervenientibus, quam per adhibita studia sua ad eminentem adeo sapientiam pervenerunt. Similiter mare fusile,
3. Reg. 7. quod fecit Salomon, quodque à bobus sustentabatur,
23. haud dubiè profundissimi maris Divinæ sapientiæ sym-
2. Paral. 4. bolum extitit; boves autem Doctores sacros referebant,
2. qui laboribus & sudoribus suis mediantibus hereses omnesque alios errores convincunt, & confutant, nostræque religionis dogmata, doctrina & libris suis intacta conservant. *Per bovem sapiens designatur* (inquit Hugo Cardinalis (Sciendum vero, quod hi boves efformati fuerint veluti genibus flexis mare illud sustentantes, ad denotandum, quod ad hoc ut sapientia illa Ecclesiæ utilis sit ac proficua; & ut Doctores illi veram solidamque habeant cœlestium mysteriorum notitiam, opus sit, ut scientiam cum oratione, & studium cum devotione & amore Dei conjungant, verorúmque Ecclesiæ Doctorum sequantur vestigia, qui orationem semper studio conjunxerunt, sicque utriusque adhibitione mundum illustrarunt.

Ostenditur nefas esse, si quis per brevem intellectum investigare secreta cœlestia velit; utpotè quæ potius credere & venerari debemus.

DISCURSUS OCTAVUS.

Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.
Prov. 25. v. 27.

1. MEritò in hac solemnitate illa nobis proponuntur verba Apostoli: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Tametsi enim per illa ad celebrandam sanctissimæ Trinitatis gloriam invitemur; eodem tamen tempore, quoad hanc veritatem firmiter nobis persuadere debemus, quod hoc tantum mysterium venerari quidem, simul tamen etiam firmiter idipsum credere oporteat, utpote quod omni nostra capacitate superius, intellectum nostrum longè transcendit; ideoque illud nobis potius humiliter adorandum, quam curiosè investigandum sit: quia *qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria*. Unde beatus Thomas de Villa-Nova ait: *Possesso-* Con. 2. de
rem non scrutatorem cœlorum teipsum præstato. Ut quis Ascens.
in luminosissima Solis rotam aciem suam defigere præsumat, aquilæ requiruntur acutissimi oculi; secus enim ab illa inaccessibili luce hebetabuntur, & offendentur, non ob Solis, sed ob pupillæ nostræ defectum, tantam claritatem sustinere nequaquam valentis. Quisquis in vastissimo hoc divinæ essentiæ mari evadere desiderat naufragium, sciat contemplationis suæ oculum ex una parte in Dei altissimi majestatem, immensitatem & infinitatem; ex altera verò parte in debilis & brevis intellectus sui, intra hujus terræ seu potius luti hujus organa limitati, finiti, & restricti infirmitatem defixum teneat. Ipsemet quoque Aristoteles solo naturali lumine motus scribit, Deo, ob invariabilem sui perfectionem, & constantiam, nihil quidem in hoc mundo intelligibilius reperiri posse, & tamen subjungit idem: nihil quoque à nobis ob intellectus nostri debilitatem minus posse intelligi. Sol in se ipso splendidissimus est, præcipuè in meridie, & tamen vespertilio, aliaque similia animalia nocturna eum non vident, idque ob nativum oculorum suorum defectum. *Non causeris, si non te subjiciat sensui tuo ordinationum cœlestium magnitudo* (inquit Eusebius emissenus) Hom. 1. de
excedit opificii Divini dignitas humanæ mentis angu- Symb.
stias, quid sibi specialis, quid proprium reservaret incomprehensibilis illa Majestas, si semper comprehendere posset sapientia hominum altitudine cœlestium secretorum? quid haberent superna pretiosum, si nostra familiariter scientiæ subjacerent? De Epicteto Philosopho narratur, quod cum ille tametsi nullo veræ, & catholicæ Fidei lumine instructus, discipulis suis Dei veri Naturam multis exposuisset, in eumque finem multas intento suo convenientes rationes & doctrinas adduxisset, illi autem se illas minimè capere posse, causati essent, is eis summa cum prudentia respondetit: *Si omnino ego declararem Deum, vel Deus essem, vel quem declarassem, non esset Deus*. Ad eundem modum si quis ad hæc recondita & ineffabilia unitatis essentiæ, Trinitatis personarum, Incarnationis Verbi, aliaque similia Sacramenta capienda, nullam prorsus convincentem rationem adinvenire valeat, is sese ad intellectus sui, utpotè qui humanus est, & nihil amplius, inæqualitatem & debilitatem reflectat, & facile acquiescet. Scite etenim nostrum limitatum est, quia intellectus noster hujus corporis carceri inclusus, illud duntaxat intelligere valet, quod ad corporeorum sensuum nostrorum relationem consequitur, ideoque ad rerum cœlestium intelligentiam se nequaquam potest erigere, nisi à gratia supernaturali elevetur, & confortetur. Porrò Trinitatis mysterium quod essentiale fidei nostræ est sustentaculum, paucis admodum in veteri testamento cognitum fuit, adeò ut populus ille circa hanc notitiam valde obscurè processerit; cujus ratio est, quia cum mysterium istud captu difficillimum sit, ingens suberat periculum, ne populus ille ad Idololatriam valdè proclivis, plures adoraturus esset Deos, utpote qui trinitatem personarum in unitate essentiæ subsistere posset, hasque tres personas in substantia unicum duntaxat Deum esse, capere non poterat. In novo autem testamento mysterium hoc manifestari omnino conveniebat, idque ob Verbi Incarnationem, ut hanc à Spiritu sancto, qui tertia est Trinitatis persona, atque à

Patre

Patre Filioque procedit, operatam eſſe, Filium autem noſtra ſe mortalitate in utero virginali veſtire dignatum fuiſſe, intelligeretur. Hinc autem efficax valdè & fortiter ſtringens formare poſſumus argumentum, videlicet: quodſi quomodo in caſtis Mariæ Virginis viſceribus conceptus noſtraque carne indutus fuerit Dei filius intellectu noſtro aſſequi non poſſumus, quomodo æternam illius à Patre generationem penetrare præſumemus? Benè igitur S. Maximus ait: *Si inveſtigare niteris qualiter Deus in hominem, vel homo tranſivit in Deum, inveſtiga prius, ſi potes, quomodo ex nihilo factus eſt mundus, cælum undè reſplenduit.*

Serm. 1. de Nativit.

2 Sanctus Bernardus ad Eugenium Papam ſcribens, hanc quoque nobis circa altiſſimam hujus magni myſterii cognitionem, inſtructionem poſt ſe reliquit, dum ait: *Sacramentum hoc magnum eſt, & quidem venerandum non ſcrutandum, ſcrutari temeritas eſt, credere pietas eſt, noſſe vita & vita æterna eſt. Scrutator majeſtatis opprimetur.* Quot hactenus fuere, qui auſu temerario debilem anguſti intellectus ſui aciem in Solem hunc increatum defigere conando turpem paſſi ſunt eclypſim? in quot non fuere hæreſeos errores prolapſi Arrius, Sabellius, Manichæi & plures alii? Iſaias cujus labia, ut ſupra diximus, ad annuntianda, & prædicanda Divinitatis altiſſima myſteria, peculiari quodam modo mundata & adaptata fuerunt, ad illud tamen munus inſufficientem ſe eſſe adeo cenſuit, ut diceret: *Generationem ejus quis enarrabit? Cum Iſaias Propheta Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum vidiſſet* (inquit ſanctus Thomas de Villa-Nova) *& Seraphim clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum audiſſet, protinus dictum eſt ei vade, & dices populo huic; audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere*, quaſi dicere vellet Myſterium iſtud argumentis & rationibus humanis examinandum non eſt, ſiquidem *ſcrutari temeritas eſt*; quin potius credendum eſt venerandum eſt, adorandum eſt, non verò inveſtigandum: *Audite audientes, & ſolum credite; nam hoc vobis proderit ad ſalutem, credere enim pietatis eſt, velle ſapere temeritatis.* Seraphini illi duabus alis faciem Dei velabant, duabus autem alis pedes tegebant, ad denotandum quod neque ad infinitam illam ſubſtantiam & eſſentiam intelligendam, neque ad ſupremam illam majeſtatem temerariorum & curioſorum oculis, qui rationibus humanis illam aſſequi præſumerent, occultandam ſufficiant. Voluit enim Deus, ut quamdiu hic in terris inter mortales degimus, ſolo fidei oculo eandem contemplemur; *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Iſaias perhibet, quod protinus ut ſibi ſacroſanctæ Triados viſio repræſentata fuit, *domus repleta eſt fumo*: cur autem fumo, qui viſum obfuſcat, repleta fuit? quia *Dominus dixit, ut habitaret in nebula.* Evidentiſſimum quod habemus, Divinæ magnificentiæ & majeſtatis ſignum, hoc eſt, quod ejus intelligentiam minimè aſſequamur. Unde ſanctus Auguſtinus ait: *Dices, quomodo iſtud creditur? quomodo iſtud capitur? rectè dicis, quomodo creditur? non rectè dicis: imo ideo benè dicitur, quia non capitur: nam ſi caperetur, non opus erat, ut crederetur; quia videretur, Ideo credis, quia non capis.* Et quidem quis capacitatem noſtram ob naturalem ſuam debilitatem, à multorum naturalium effectuum intelligentia plurimum deficere non videt? quod argumentum in hac materia communiter adduci ſolet. *Quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore: quæ autem in cælis ſunt, quis inveſtigabit?* maximè ſi infinita quæ inter intellectum noſtrum, & interminatum illud divinæ eſſentiæ pelagus intercedit diſtantia conſideretur. *O cæca ſuperbia* (inquit ſanctus Thomas) *ut vilis vermiculus, & formica de terra, vaſculo modico, ſui intellectus Oceanum Divinitatis velit concludere, & pugillo comprehendere univerſitatis creatorem!* Quot ſunt res quas noſtris quidem oculis conſpicimus, nec tamen ad eas per argumenta, & rationes humanas cognoſcendas, & inveſtigandas pertingere poſſumus? qua de re ſanctus Aſterius ita ſcribit: *Si inquiſitione Cyniphis ſuccumbit tua ratiocinatio ò homo, erubeſce, altiora te quærere, & fortiora te inveſtigare: nam ſi teipſum, & brevem abyſſum animi tui non colligis, in infinitatem majeſtatis qualiter aſcendis?* Quinam intellectus, quantumvis is ſublimis ſit, & acutus, intelligendo aſſequi poteſt, quonam modo vermes ſive bombyces fila producant ſerica, è quibus opulentiſſima pro ipſiſmet palatiis regiis exornandis conficiuntur laqueari, & periſtromata, cum tamen in ſua ſubſtantia viliſſimi cujuſdam vermis opus exiſtat? Similiter ſi cuipiam qui nunquam ſericam aliquam materiam vidiſſet, veſtis demonſtraretur ex Damaſco vel holoſerico confecta, iſque interrogaretur, quomodo vel unde materia veſtis illius contexta ſit, vel unde materia illa ſuam habeat originem, is utique tametſi omnibus contenderet ingenii ſui viribus, nunquam tamen vel intelligendo vel divinando, vel conjiciendo aſſequi poſſet, quod filium illud ſericum, unde materia illi contexitur, incrementum quoddam ſit talium animalium, quæ priuſquam moriantur domunculam quandam, quam inſtar carceris ſibimetipſis fabricant, ingrediuntur, in eaque ſenſim, & paulatim ſeſe eviſcerando, ſubtiliſſimum quoddam ab ore filum emittunt, quod ſericeum eſt, è qua globum quendam rotundum, in quo recluduntur, fabricant, e quo globo deinceps ingenti cum artificio ſericum extrahitur. Ad hæc quiſnam cogitando aſſequi poterit modum, quo granum aliquod in terram projectum, & ſub illa emortuum, & putrefactum progreſſu temporis ſpicam quandam progerminet centuplicatis nonnunquam ſeminibus abundanter & copioſe refertam atque onuſtam? Item ſi tibi vas aliquod vitreum artificioſiſſimè laboratum, limpidum atque cryſtallinum exhiberetur, ſimulque interrogareris, quo modo illud ex herbis, & calculis è flumine collectis, ſolo flatu oris fieri potuerit, quid, niſi antea furnum in quo fabricatum & elaboratum fuit, vidiſſes, interroganti reſponſurus eſſe? Item ſi doctiſſimum quemvis maximeque eruditum hujus mundi hominem interrogares, quonam modo mel & cera ab apibus fabricetur, quid is reſpondere poſſet, niſi fortè prius per ocularem experientiam, aliquam ſaltem illius haberet notitiam? Denique quis capere poterit, qualiter in utero materno ex una eademque ſeminis humani materia, tanta membrorum, oſſium, nervorum, arteriarum venarum ſanguinis, pellis, aliarumque omnium partium affabre adeò inter ſe conexarum, cum tanta motus, officiorum, ſenſuumque diverſitate, formetur varietas? Ac proinde S. Thomas Doctor Angelicus ingens illud artificium quod natura nobis in minutiſſimis quibuſque animalibus clariſſimè exhibet, nec tamen à nobis intelligitur, conſiderans, dicit: *Exiguas Creaturas quas videmus, non intelligimus, & abſconditum Deitatis abyſſum volumus intelligere?* Infimi naturæ effectus qui oculis noſtris obverſantur continue, per intellectum & diſcurſus noſtros minimè penetrare aut intelligere valemus, qua igitur temeritate inacceſſa & imperſcrutabilia Divinæ omnipotentiæ & ſapientiæ myſteria intelligere præſumemus? Ergone nobis promittere audebimus, quod unitatem divinæ ſubſtantiæ, & perſonarum Trinitatem earumque relationes & proceſſiones, nomina, attributa, cunctaque opera ad extra & ad intra, actus notionales, perſonarum æqualitatem, ſimilitudines, miſſiones, multaque alia ipſis quoque ſublimibus ſpiritibus abſcondita ſacramenta, comprehendere intellectu noſtro poterimus? Nimis profectò coarctata, reſtricta & limitata eſſet illa Dei Majeſtas, immenſitas, & infinitas, ſi ab hoc modico hominis luto comprehenſibilis foret: *De quo nihil dici* (inquit S. Ambroſius) *& exprimi mortalium poteſt ſignificatione verborum; qui ut intelligaris, tacendum eſt*, ita ipſummet Deum alloquitur ac demum ſubjungit; *Non eſt mirum, ſi ignoraris: majoris eſt admirationis, ſi ſciaris.* Caſſiodorus inſigni quadam ſententia ſua noſtram coercet & tranquillat ignorantiam, dum increatam illam & immortalem eſſentiam atque ſubſtantiam inexplicabilem, omnique humana intelligentia ſuperiorem eſſe demonſtrat: *Deus eſt virtus inexplicabilis, pietas incomprehenſibilis, ſapientia ineffabilis*, adeò ut nobis cum S. Bernardo repetere liceat: *Scrutari temeritas eſt.*

Lib. 5. ad Eugen. — Concil. 1. de Trinit. — 1. Cor. 13. 12. — Tract. 16. in Joan. 5. — Sap. 9. 16. — Hom. 1. de Partu Vir. — Lib. 1. Con gen. — In Pſalm. 47.

3 Myſticus ille currus à quatuor illis alatis, & oculis undique plenis animalibus agitatus, & protractus Ezechieli Prophetæ olim repræſentatus, hoc in ſe præter multa alia prodigioſum habuit, quod reſonante ſuper firmamento aurigæ voce, currus immobiliter ſubſtiterit, illa verò prædicta animalia alas ſuas protinus demiſerint: *Cum fieret vox ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput eorum, ſtabant, & ſubmittebant alas ſuas.*

Circa quæ verba S. Gregorius egregium quoddam nobis reserat mysterium, dum ait: *Occulta Dei judicia profundè cogitare, quid est aliud, quam alas deponere, id est, de nulla virtute confidere: sed suo magno timore trepidare?* Ad nostrum verò propositum eadem verba aliter interpretari possumus, dicendo, quod cum currus ille mysticus inaccessibilia præfiguret Divinitatis mysteria, ideò illa coram dicto curru astantia, & in cœlo Empyreo consistentia animalia, quantumvis alata, oculisque undique plena essent, suas tamen alas demittebant, oculosque claudebant, id est, coercebant curiositatem, discursus temperabant, ac demum captivato intellectu suo cœlestia illa sacramenta non examinabant, sed venerabantur potius & humillimè adorabant, *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*: ubi alia quædam litera legit; *Incancellaturis*. Hebræus verò: Inreticulis. Verba autem illa ad gemmarium quendam videntur alludere, qui in publico quodam officinæ suæ aditu armariola quædam gemmis, margaritis, lapidibusque pretiosis in sua sigillatim loca affabrè distributis plena, ab omnibus transeuntibus spectanda, ita quidem exponere solet, ut tamen armarioli ostium vitro quodam eoque reticulo ferreo vel æneo benè munito obductum sit, ut hac ratione gemmæ custodiantur securius, sicque viatorum quidem oculis, non tamen manibus passim expositæ. Hanc igitur similitudinem applicat ineffabilibus Divinis mysteriis, vultque dicere, quod tametsi illa oculo quidem fidei contemplari, nostraque devotione & humili obsequio venerari liceat, brevis tamen nimiumque angusti intellectus nostri curiosa investigatione attingere nequaquam fas sit. Similiter sicuti gemmas illas manibus contrectare licet gemmario, utpotè qui non solum earum virtutes & qualitates, verum etiam valorem ipsarum & pretium probissimè novit, non tamen idem aliis facere permittitur: ita quoque factis quidem Doctoribus & profundè eruditis Theologis materiarum Theologicarum exactior intelligentia & notitia facilè permittitur, utpotè quorum professioni id vel maximè congruit, non tamen aliis: tametsi nec Theologi licet doctissimi omni etiam adhibito studio perfectissimam illarum intelligentiam minimè assequantur. *Divina opera* (inquit Eusebius Emissenus) *non discutienda sunt, sed credenda. Non te confundat, nec tepidum faciat rerum novitas sed sufficiat tibi omnipotentis authoritas: sed sit pro luce rationis magni potentia Conditoris.*

Hom. 8. in Ezech.

Prov. 25. 11

Homil. cit.

DE SOLEMNI FESTO

SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI

Discursus Decem.

Discursus I. Ostenditur primò Festum hoc à Davide fuisse prædictum. Secundò de prima ejus origine, deque primis motivis quæ Urbanum IV. ad festum hoc instituendum permoverunt, tractatur. Tertio ad festum hoc decenter honorandum opus esse, ut Dei offensam deferamus, docemus.

Discursus II. Explicantur nonnullæ hujus institutæ solemnitatis convenientiæ, & cur eadem in hunc præcipuè diem translata fuerit. Pulchra etiam exponitur moralitas, qua ostenditur acceptissimum Christo obsequium esse honorem, qui sacratissimo ejus corpori exhibetur.

Discursus III. Sancta Dei Ecclesia in hoc festo sanctissimo Sacramento debitum exsolvit gratitudinis debitum. Similiter laudes & gratias quas Sacramento huic referimus, non tam à lingua quam à puro & mundo corde procedere debere, ostenditur.

Discursus IV. Sanctissimum Sacramentum in hodiernis processionibus gratias & benedictiones suas erogando erga nos liberalissimum esse declaratur. Ubi eadem occasione malorum Christianorum irriverentia, qua hoc sacramentorum tractant, perstringitur.

Discursus V. Lætitiam ad quam in hac festivitate invitamur potius in sinu interiori bonæ Conscientiæ, & virtutibus Christianis, bonisque operibus, quàm in externis demonstrationibus consistere ostenditur.

Discursus VI. Corpori Christi acceptiora sunt spiritualia virtutum, bonorumque morum, puritatis item mentis & corporis peristromata, quam quævis ornamenta exteriora.

Discursus VII. Sacramentum hoc, quod basis est fidei nostræ, & immobile Ecclesiæ firmamentum, in hoc festo hoc unicè intendit, ut nimirum ad frequentiorem, reverentioremque sui cultum populum inducat Christianum, confundatque hæreticos. Ubi etiam aliqua hujus institutionis tanguntur motiva; Et de congrua ad hanc Eucharisticam mensam præparatione.

Discursus VIII. De hujus Sacramenti, hodiernæque solemnitatis institutione sub sponsalitii & nuptiarum figura tractatur.

Discursus IX. Ecclesia in hodiernis processionibus, Passionis Christi opprobria recompensat, mortisque suæ victoriam & triumphum ob oculos nobis ponit.

Discursus X. Multæ inter processionem, qua David Arcam circumferri fecit, & hodiernas sanctissimi Sacramenti adducuntur analogiæ, agiturque de reverentia, qua eidem assistere debemus.

Ostenditur primo festum hoc à Davide fuisse prædictum. Secundo de prima ejus origine, deque primis motivis quæ Urbanum IV. ad festum hoc instituendum permoverunt, tractatur. Tertio ad festum hoc decenter honorandum, opus esse, ut Dei offensam declinemus, docemur.

DISCURSUS PRIMUS.

Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris. Ps. 117. v. 27.

1 INter alios eventus quos quondam Propheta regius de Ecclesia DEI prædixit, etiam recenseri potest hodierna ad sanctissimum Christi corpus honorandum instituta solemnitas; hæc etenim in verbis propositis, ni fallor, clarè insinuatur: *Constituite diem solemnem in condensis; usque ad cornu altaris.* Ubi Glossa dicit: *per altare intelligitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi: cornu altaris est potestas, id est, virtus ipsius Sacramenti.* Et quidem ad hanc veritatem ratificandam multi inter se in expositionibus suis consentiunt sacri interpretes; Albertus Magnus ait: *Usque ad altaris sacramentum.* Enimverò ne ulla ratione in dubium revocari possit, quin verba prædicata de hoc festo intelligantur, David ante illa verba: *Usque ad cornu altaris;* pro majori claritate præmittit: *In condensis*: nimirum ad numerosam alludere volens multitudinem populi illius, qui hisce quas cordialissimè honorat processionibus, per varios apparatus, ramorum viridantium, florumque ornatus, omnesque alias obsequiorum, gaudiorumque demonstrationes, evidentiaque argumenta, devotissimè adsistit. Lyranus hisce verbis: *Usque ad cornu altaris*, hanc glossam adjicit: *quasi dicat, quod Ecclesia impleatur populo & clero*: Euthymius verba illa: In condensis, ita exponit: *Festivitatem agite in germinantibus, hoc est in florentibus coronis: atque in virentibus arborum ramis. Serta & ramos* (ita pariter glossa scribit) *suspendite in templo*, & Chrysostomus ab Agellio circa hunc versiculum citatus ita scribit: *In condensis, diem festum agentes, templum densis frondibus, & sertis, & ramis frondentibus ornate.* Et meritò quidem; Cum enim per universum anni circulum tot aliorum Cœlitum celebrentur solemnia, justum & æquum erat, ut hæc quoque Sancti sanctorum solemnizaretur celebritas, utpotè qui divinissimo hoc Sacramento in finem usque sæculorum nobis donatus fuit: *Hoc circa Sanctos* (ita scribit Urbanus

Papa

In Bull. instit. festi Corporis Christi.

Papa IV. *quos per anni circulum veneramur, ipsa obeservat Ecclesia*; indeque æquissimam hanc deducit consequentiam: *Potissimè exequendum est erga vivificum hoc Sacramentum corporis & sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria & corona, ut celebritate ac festivitate præfulgeat speciali.* Advertendum tamen est, quod tametsi increata Sapientia (quæ *omnia in mensura, &*

Sap. 11. 21.

numero, & pondere disposuit) jam ab æterno id sacratissimum corpus suum in toto Christianismo honorandum, hodiernum hunc diem institui decreverit, nihilominus institutionis hujus executionem, sæculorum progressum, in tempus usque, pronti suo loco dicemus, opportunius reservaverit; Ac proinde si ita vobis placet, minimè aberrantia providentiæ ejus admirabiles periodos nonnihil despiciamus.

2 Enimverò verissimum semper est, quod Deus non

1. Cor. 1. 27
Matt. 11. 25.

solum *infirma mundi eligit*, verum etiam ubi de secretis cœlestibus, altissimisque magisque reconditis mysteriis agitur, *abscondat hæc a sapientibus & prudentibus, & revelet ea parvulis.* Etenim frequenti hactenus experientia comprobatum est, DEUM ad æterna decreta sua, magisque abscondita Sacramenta Ecclesiæ suæ revelanda, fragiliori sæpenumero sexu usum fuisse. Quot enim quantorumque mysteriorum notitiam vel sancta Catharina Senensi, vel Sancta Birgitta Sveca, vel Seraphica Virgine, & Matre sancta Theresia mediantibus allecuti fuimus? Ac proinde sciendum nobis est, quod salutis nostræ decimumtertium decurrebatur seculum, quan-

Bartholo. Phis de orig. Fest. Corporis Christi.

do in Leodiensi Diœcesi, quæ Gallia Belgica, vel ut alii dicunt Flandria, clauditur, quædam in humanis vitam degebat insignis DEI famula sanctitate & miraculis celebris, perque extases, visiones, & revelationes, quibus à cœlesti sponso suo, cui per virginitatem perpetuam adstricta erat, persæpè demulcebatur, vehementer illuminata, cui Juliana nomen erat; quæ cum in primis conversionis suæ annis vel maximè in sanctis meditationibus absorberetur; *magnum ei signum & mirabile apparebat*, idque non semel duntaxat, sed per longum tem-

Joan. Chapeavillus, c. 2. de vera orign. Festi Corporis Chr.

poris spatium etiam sæpius; nam *Apparebat ei luna in splendore, cum aliquantula tamen sui spherici corporis fractione.* Hanc vero historiam quidam magnæ eruditionis, nec minori spiritu præditus author, summa cum diligentia recenset, utpotè quæ ab ipso tanquam Vicario generali, & Cathedralis Leodiensis Canonico omni cum vigore discussa, perque multorum insignium Theologorum, aliorumque eruditissimorum Ecclesiasticorum consilium & directionem diligenter, & assiduè ventilata fuit. Porrò prudens hæc Virgo visionem suam cum Confessario suo, aliisque viris multa experientia præditis sæpius contulit, sed casso prorsus & irrito eventu, ideoque randem DEO suo eandem per ferventiores preces recommendare decrevit, ad hoc ut is visionis illius mysteria revelare dignaretur. Et ecce cum die quadam in suavem somnum rapta fuisset, *revelavit ei Christus in luna præsentem Ecclesiam, in luna autem fractione defectum unius solemnitatis in Ecclesia figurari, quam adhuc volebat in terris à suis fidelibus celebrari*; Hæc autem Solemnitas alia non erat, quam Sanctissimi Corporis

Tobiæ 12. 7.

Christi festivitas hodierna. Quia vero uti Raphael Archangelus Tobiam optimè monebat: *Sacramentum Regis abscondere bonum est; opera autem DEI revelare & confiteri, honorificum est*, ideò sancta hæc Virgo totum habitæ visionis negotium, modestia & humilitate sua ita suadentibus, in vigesimum usque annum cunctando distulit, nec factam sibi a Deo revelationem manifestavit; Demum verò visione & revelatione cum Episcopo Leodiensi seriò collata, discussisque cunctis ex hoc tanti momenti negotio emergentibus contradictionibus, Anno 1246. cunditum est Decretum Diœcesanum, quo festum hoc instituendum, atque in sanctissimi Corporis Christi honorem particulare de eo officium, necnon publicas processiones solemni cùm apparatu deinceps in perpetuum celebrandas esse præcipiebatur.

3 Quia verò humani generis hostis hunc sanctissimo Sacramento decretum honorem in magnam Divini amoris gloriam, hominumque consolationem cessurum esse prævidit, ideò ad decreti illius executionem impediendam omnibus nervis contendit, effecitque ne decretum illud ullibi in tota Diœcesi reciperetur, aut executioni mandaretur, præterquam à Canonicis sancti Martini Leodiensibus, qui à sancta hac Virgine persuasi idipsum promptissimis sunt animis amplexati; Interea verò sancta Juliana Evæ consodali suæ, raræ perfectionis fœminæ prophetico spiritu futurum esse, quod Solemnitas hæc non solum per urbem & universam Diœcesim Leodiensem, verum etiam intra breve tempus per universum Christianismum sit extendenda, prædixit. Paulo post autem multæ omnesque truculentæ persecutiones hanc ob causam, adversus sanctam Virginem Julianam suscitatæ fuerunt, quæ tamen subitò dissipatæ evanuerunt, eò quòd huic se negotio æterna illa interposuerit sapientia; quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, quæque omnia à se inspiratum, & à nobis cœptum opus ad suam perfectionem generosè pariter & suaviter perducit; *Ubique semper perfectè agit* (ita Hugo de sancto Charo interpretatur) *finis enim notat perfectionem*; unde de DEO nostro meritò dicere possumus: *Bene omnia fecit.* Accidit autem, quod dum Hugo præfatus Religionis suæ Dominicanæ Provincialis esset, eidem una cum aliis celeberrimis Theologis revelationis sanctæ Julianæ dudum, uti diximus, à DEO factæ exactissimum examen commissum fuerit, qui proinde omnibus rationibus utrimque seriò discussis, & ponderatis, revelationem illam approbavit mirisque laudum encomiis deprædicavit, tametsi id pro illo tempore cum satis exiguo fructu factum fuerit. Postquam verò Hugo sæpedictus ad dignitatem Cardinalitiam assumptus, atque ab Innocentio IV. in Germaniam & alia loca Legatus à latere amplissima cum facultate declaratus esset, Leodium ejusque Diœcesim pertransiens, decretum istud quondam à Synodo factum confirmavit, conscensoque pulpito summa cum energia & Apostolico spiritu publicas hasce in venerationem Corporis Christi institutas processiones populo huic magna cum efficacia recommendavit; à quo tempore festi hujus Solemnitas ab unoquoque acceptata & executioni demandata fuit. Verùm hæc omnia Ecclesiam Romanam ad exemplum illud consectandum permovere non sufficiebant. Audite igitur, quonam medio Divina sapientia usa fuerit, ad hoc ut Divinum decretum suum ad perfectionem & executionem paulatim perduceret. Etenim Anno 1258. sancta Juliana moritur, ita tamen ut operis hujus prosecutionem debitè urgendam dudum ante menti & cordi Evæ consodalis suæ magna cum efficacia impresserit: hæc autem cum apud Archidiaconum Leodiensem, tanquam mulier eminentissimæ virtutis, in summa esset æstimatione, hinc ei tanquam personæ religiosissimæ, magnique valoris, facilè fuit, dicto Archidiacono in variis colloquiis defunctæ Virginis mentem atque sententiam insinuare, eique publicam hanc venerationem sanctissimi Corporis Christi, quam DEUS à Christi fidelibus per hanc sanctam Virginem exposcere decreverat, animitus imprimere. Dionysius Carthusianus quorundam opinionem esse scribit, Julianæ consodalem dicto Archidiacono Papalis culminis prædixisse dignitatem, ideoque verisimile est, recommendationem hujus Festi promovendi ab Eva factam animo hujus Prælati tanto altius impressam fuisse, siquidem ab illo tempore, omnibus præcedentibus contradictionibus nec quicquam obstantibus dictus Prælatus sæpiùs omnibus huic festo instituendo devotum exhibuit,

Sap. 8. 1.

Serm. in Festo Corpor. Christi.

Interea verò divina providentia ita ordinante Prælatus hic ad summum Pontificatum assumitur, quod quanta cum lætitia devotæ illius Virginis factum fuerit, facilè sibi quilibet persuadere poterit: ab illa namque hora rem hanc pro voto obtinendam esse minimè dubitabat: veruntamen ut solicitationibus suis tantò majorem energiam adderet, vivaciusque hactenus tanquam Archidiacono proposita, nunc recens electo Pontifici tantò vivacius revocarentur in memoriam, hoc apud Episcopum Leodiensem obtinuit, ut is pro Decreti illius Diœcesani circa festum *Corporis Domini*, conditi confirmatione, ad electum Pontificem specialem transmiserit supplicam. Dionysius Carthusianus super illa Sapientiæ verba: *Disponit omnia suaviter*, dicit: *Cuncta regit & ordinat convenienter secundum naturam uniuscujusque eorum per media apta ad finem congruum*; Etenim prima quidem facie parum conveniens esse videri poterat, quod Christi in terris Vicarius ad privatæ cujusdam personæ, quantumvis etiam sanctæ, & religiosæ instantiam & solicitationem, ad Festum aliquod adeò insigne, adeoque novum in tota Ecclesia determinandum & instituendum permoveretur. Attamen quia Dei Filius, qui ipsissima illa est sapientia, quæ in hoc Sacramento

adora-

mus; Etenim multi dissoluti homines hisce processionibus potius ad lasciviæ suæ utuntur fomentum, magisque erga sensuale quoddam objectum, quam erga tantum Sacramentum sese venerabundos exhibent: *Mundamini & mutate vestimenta vestra*; quibus verbis nos tam ad mutandos habitus, quam ad morum perversorum commutationem, malosque habitus & pravas vitiorum inclinationes deponendas monemur, &c.

Explicantur nonnullæ hujus institutæ solemnitatis convenientiæ, & rationes exponuntur, cur eadem in hunc præcipuè diem translata fuerit. Pulchra etiam exponitur moralitas, qua ostenditur acceptissimum Christo obsequjum esse honorem, qui sacratissimo ejus corpori exhibetur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Dies solemnis agitur, in qua mensa prima recolitur hujus institutio.

1. SAnctus Thomas Doctor Angelicus, qui hujusce festi officium & Missam ad summi Pontificis Urbani IV. instantiam composuit, nos prouti in sequentia seu Prosa Missæ hodiernæ audivimus, specialiter monet; diem hunc ob primæ cælestis hujus mensæ institutionis memoriam tanta cum solemnitate præcipuè celebrari; Quia tametsi sancta Mater Ecclesia illius institutionis commemorationem in die Jovis sancto devotè peregerit, illa tamen commemoratio solemnis nequaquam dici potuit, siquidem potior diei illius pars in dolentissima passionis & mortis Redemptoris nostri memoria transsigitur. Porrò totum anni circulum sine ulla tanto Sacramento exhibita solemnitate & veneratione pertransire
Clem. l. 3. Tit. 15. minimè conveniebat, siquidem ut scribitur. *De reliquiis & veneratione sanctorum: Si Dominum in sanctis ejus laudare jubemur, dignum profectò; justum & salutare nobis existis, ut sibi in fus, quo nos quotidie spiritualiter reficie, memoriam corporis, laudes festiva venerationis, & gratias referamus.* Verum quidem est, quod fideles Divinum hunc panem per multiplicatos adurationis &
In Bul. devotionis actus, venerentur, uti Urbanus Papa ait, *veruntamen conveniens arbitramur, & dignum* (sunt propria verba ipsius) *ut de ipso saltem semel in anno memoria solemnier & celebrior habeatur.*

2. *Dies solemnis agitur.* Præsens hæc sanctissimi Corporis Christi solemnitas non minori cum gloria ac majestate peragitur, quam quodvis aliud quantumcunque principale vitæ ejus mysterium, sive illud sit Resurrectionis, sive Ascensionis, sive Pentecostes, vel aliud simile. Inter hodiernum verò festum, & alia Salvatoris nostris quantumvis primaria & primæ classis, ut vocant, Festa, talis præcipuè est differentia, quod hæc actionum illarum, quæ à tot retro sæculis contigerunt, memoriæ sint & commemorationes, verbi gratia Nativitas celebratur ex gratitudine, & ob memoriam nativitatis Filii Dei, quæ à mille sexcentis & amplius annis in stabulo Bethlehemitico accidit, quando ad salvandum genus humanum Angelorum Regina eundem felicissimè parturiit; Idemque proportionaliter de omnibus aliis vitæ ejus mysteriis dici potest, quorum licèt viva quædam in festis illis habeatur memoria; quia tamen mysteria illa ab oculis nostris, & ferè etiam ut plurimum à cordibus nostris procul absunt, adeò devotionem & gratitudinem nostram adeò non exstimulant, aut accendunt, sicut facit Festi Corporis Christi institutio: tametsi enim. *Dies agitur, in qua mensa prima recolitur hujus institutio*, attamen *Dies solemnis agitur*; neque enim solum ultimæ Cœnæ, in qua Christus hunc Angelorum panem consecrasse noscitur, memoria celebratur, verum etiam idemmet DEUS qui Cœnam illam instituit, quique corpore, anima & divinitate tectus ibidem præsens existit, in hoc Sacramento honoratur & adoratur, adeo ut jure merito versus hoc Sacramentum longè magis, quam erga alia mysteria crescat nostri obsequii affectus, nosterque perpetuus cultus. Unde Doctor Angelicus in lectionibus matutinalibus ita scribit: *Convenit itaque devotioni fidelium, solemniter recolere institutionem tam salutiferi, tamque mirabilis Sacramenti, ut ineffabilem modum divinæ presentiæ in Sacramento visibili veneremur.* Quotidiana nos edocet experientia, quod quando sanctorum Confessorum vel Martyrum corpora sive quia de uno loco ad alium transferuntur, sive quia in urgentioribus Ecclesiæ necessitatibus per eorum intercessionem gratiæ à Deo requiruntur, in processionibus circumferri solent, viæ publicæ aulæis & peristromatibus ex serico auro & argento contextis exornentur, universus quoque tam regularis quam sæcularis Clerus concurrat, ingens item devotissimi populi condensetur turba, talesque processiones cymbalorum, campanarumque compulsantium sonitu & cantibus, altaribusque variis in locis erectis mirificè honorentur, unusquisque enim erga pretiosos illos thesauros obsequii sui suæque devotionis specimina edere satagit. Quodsi autem ipsiusmet sanctissimæ Crucis lignum, cui Salvatoris nostri sacratissima humanitas affixa fuit, circumferretur, cum quanta putas reverentia, quantaque cum veneratione recipiendum foret? Quænam autem inter sancti alicujus corporis cineres & ossa, aut inter lignum Crucis, tametsi idipsum sanguine Christi copiosissimè tinctum, rubricatum, & sanctificatum fuerit, & inter ejusdem Christi corpus & sacratissimum sanguinem tres secum divinas personas per concomitantiam habentem, esse aut adinveniri potest proportio? Quanto igitur justius est & equius, ut hoc ipsum in hac præsenti solemnitate in hoc throno Eucharistico publicè expositum, omni possibili venerationis, apparatuum & obsequiorum nostrorum excessu honoretur, atque à fidelibus omnibus adoretur? Postquam Concilium Tridentinum ritè declarasset, quanto cum jure supremus latriæ cultus Eucharistiæ de- Sess. 13. c. 5
beatur, mox subjungit: *Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum præsentem adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoraverunt: quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, scriptura testatur.* Facienda quoque hic est peculiaris reflexio, quod postquam Concilium profundam hanc & humilem Christianorum Orthodoxorum adorationem huic sanctissimo Sacramento debitam insinuasset; confestim ex proposito prosequatur laudando festi hujus in ejusdem Corporis Christi honorem, nec non solemnium harum processionum, sumptuosorumque apparatuum institutionem, ut hac ratione quanto cum debito jure dies ille hodiernus tanto cum jubilo tantaque cum magnificentia quotannis solemnizetur, debitè demonstret: *Declarat præterea sancta synodus, piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebretur, utque in processionibus reverenter & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur.*

3. Verum enimvero haud immeritò nonnemo hic quærere posset, quibusnam motivis Urbanus Pontifex permotus fuerit, ut inter omnes, qui per totius anni decursum elabuntur dies, hunc præcipuè diem Jovis, ad tale aliquod mysterium, quod in ultima cœna, & consequenter tot septimanis ante hoc tempus, quod Resurrectionem, Ascensionem, & Pentecostem consequitur institutum fuit, solemnizandum elegerit? Quod primum punctum attinet Bulla hisce verbis respondet: *In die Cœna Domini, quo die ipse Christus hoc instituit Sacramentum, universalis Ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione Chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & alia quamplurima occupata, plenè vacare non potest celebrationi hujus maximi Sacramenti.* Præterea cum Sancta Ecclesia festivitatem hanc extraordinariis lætitiæ & spiritualis jubilis signis celebrare intenderet, ad hanc vero exprimendam lætitiam dies Jovis sanctus, ut poté amaræ Redemptoris nostri morti deplorandæ destinatus, inconvenientissimus esset, diligenter ventilatum fuit, quisnam dies alius in illius locum oportunius substitui posset, tandemque primo loco conclusum fuit, quod pro hac solemnitate celebranda inter omnes totius septimanæ dies Diei Jovis primatus indubitanter deberetur,

utpo-

utpote qui præ ceteris primitus prima hujus Sacramenti institutione honoratus fuisset, ac proinde fas non sit eundem hoc honore defraudare: at vero quia Ecclesia per quinquaginta dierum decursum partim Resurrectionis Christi gaudiis celebrandis, partim Ascensionis ejus recolendis triumphis occupatur, demum verò Pentecostes cum sua octava immediatè succedit, ideo tandem primum diem Jovis, qui octavam Pentecostes consequitur, elegit, hoc præcipuè admodum considerabili motivo, quod etiam à S. Thoma hisce verbis tangitur: Opusc. 57. *Ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus quo Spiritus sanctus corda discipulorum edocuit, ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti; nam in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à Fidelibus frequentari.* Serm. 2. Dionysius Carthusianus super Evangelium hodiernum idipsum observat, quod scilicet cœlestis hujus panis consecratio ejusdemque inter Christifideles distributio præcisè post adventum Spiritus sancti, & non ante, suum in Ecclesia exordium sumpserit. *Inceperunt gloriosi Apostoli, cæterique fideles sub eorum regimine Sacramentum hoc celebrare, consecrare, accipere, & aliis dare*, idque ex Actis Apostolorum probat, in quibus sanctus Lucas scribit, quod postquam sanctus Petrus prædicatione sua multos in Pentecoste convertisset: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis; id est, perceptione Sacramenti istius*; diciturque insuper, sanctum Petrum hoc eodem tempore ordinasse sanctum Jacobum minorem in Episcopum Hierosolymitanum; primumque post Christum Missam celebrasse, huncque panem Eucharisticum consecrasse, postque illum idipsum quoque facere cœpisse reliquos Apostolos, *idque circa tempus festi præsentis*, scribit idemmet Dionysius.

4 *Dies solemnis agitur*. Enimverò valdè nobis necessum est, ut quænam solemnitates Deo, & consequenter sanctissimo ejus corpori gratiores acceptioresque Thren. c. 4. sint, intelligamus. Jeremias Propheta quondam lamentabatur, dicens: *Viæ Syon lugent: eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem*. Hoc quidem nunc de Christianis dici nequit, utpotè qui in hodiernis processionibus, sacra templa vias & plateas copiosissimè adimplent, Et tamen videtur præfatus Propheta per Spiritum propheticum ad hocce festum alludere, siquidem de viis Syon mentionem faciat, hocque Sacramentum in Cœnaculo Syonitico fuerit in ultima cœna institutum, unde Luc. 1. 69. Doctor Angelicus non invitat, dicens: *Lauda Syon Salvatorem*. Et S. Lucas ait: *Erexit nobis cornu salutis, in domo David pueri sui*; Glossa addit *Christi*; Hæc autem Davidica domus in Syon erat. Lyranus *Cornu salutis* interpretatur *virtutem consequendi vitam æternam*; quibus verbis hic panis vitæ sine dubio circumscriptivè innuitur; Ac proinde valde timeo, ne licet hæ viæ Syon ob hanc solemnitatem magno sint apparatu instructæ, atque ex ingenti populi numero festivæ, ut proinde quis nullam hodie de viis Syon plangendi causam esse, existimare possit, timeo inquam nihilominus, ne culpa quoque nostra verificari possit, quod *viæ Syon lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem*; quia licet verissimum sit, quod multi hodiernis processionibus intersint, & assistant, dic tamen pariter potest: Isai. 9. 3. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*, pauci etenim sunt, qui ad solemnitatem hanc honorandam huc se contulerint. Oleaster Prophetam In C. 18. Lev. dicere voluisse scribit: *Non sunt, qui veniant ad solemnitatem: quia pios & cultores Dei desiderabant?* Multi quidem inveniuntur præsentes ad vias adimplendas, ad accensas portandum faces, ad baldachinum deportandum, ad cantandum, ad deportandum reliquias: quam pauci vero sunt, qui ad tanti Sacramenti contemplationem corda & mentes erigunt? quot sunt, qui assistunt vel ex sola curiositate, vel ex certa quadam faciendi idem quod alii faciunt, consuetudine, vel ut suæ satisfaciant obligationi, vel ob similes alios fines indifferentes? Verum enimvero parum hoc esset, nisi insuper lætitiam & solemnitatem istam sua irreverentia, scandalis & dissolutionibus suis, quæ Sacramenti hujus honorem ardenter zelantes ad sanguineas lachrymas fundendas cogere possent, intimè contristari & lugere facerent. S. Isidorus hujus dictio- L. 6 Ethy. c. 18. nis (*celebritas*) quæ in nostra lingua idem quod festum significat, Ethymologiam exponens scribit: *Celebritas eo quod non ibi terrena, sed cœlestia tantum agantur*. Unde Festum hoc divinæ majestati suæ tanto erit ex parte nostra honorificentius, gratius item & acceptius, quanto magis idipsum corda & conscientias nostras mundando veræ cujusdam pœnitentiæ actibus cohonestabimus, Nam ut S. Ephrem ait: *Celebritas bona & pulchra, & Deo grata est pœnitentia cum lachrimis.* De Cruce Domini.

Sancta Dei Ecclesia sanctissimo Sacramento justum in hoc festo exsolvit gratitudinis debitum. Similiter laudes & gratias, quas Sacramento huic referimus, non tam à lingua, quam à puro & mundo corde procedere debere ostenditur.

DISCURSUS TERTIUS.

Quantum potes, tantum aude; quia major omni laude, nec laudare sufficit.

1. UT inæstimabili huic beneficio Ecclesiæ suæ per tantum ei relictum thesaurum collato debitè respondeamus, in assumpti thematis verbis ad referendas ei quantas per vires nostras possumus, laudes invitamur: *Quantum potes, tantum aude*; Quia vero tanto debito satisfacturi aliam monetam præter cor & vocem adhibere nequimus, omnino convenit, ut tanto benefactori omnino grati linguam ad benedictiones & laudes persolvendas laxemus, non obstante quod *sit major omni laude, nec laudare sufficiat*. Regius Propheta David in bona infinita, quæ a liberalissima Altissimi manu receperat, suum dirigens obtutum, quærebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et nonnihil supra se evectus, divinum hunc calicem per Spiritum propheticum prospiciens, operæ pretium futurum esse censuit, si eum gratiarum actione eundem Deo offerret; unde ait: Ps. 115. 13. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo; vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*. Et revera hoc est, quod fidelibus devotis hisce diebus faciendum est, ad hoc ut aliqua saltem huic Sacramento gratitudinis signa exhibeant, nimirum ut non solum in adorationibus externis, quin potius per interiorem Spiritum suam in conspectu omnium protestentur devotionem & obsequium, *Convenit devotioni fidelium*, inquit S. Thomas, Opusc. 58. *solemniter recolere institutionem tam salutiferi, tamque mirabilis Sacramenti.* Interque plura alia hoc valde rationabile adducit motivum: *Ut de tam salubri, tamque suavi beneficio exsolvantur Deo gratiarum debitæ actiones.* Quod idem motivum Concilium Tridentinum tangit, dum de ea quæ passim à fidelibus hoc tempore fieri solet Eucharistiæ veneratione tractans, ait: Sess. 13. c. 4 *Aequissimum est sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & planè divino beneficio*: Denique ipsemet Christi in terris Vicarius, qui festi hujus primus institutor extitit, postquam in Bulla sua multa immensa enarrasset beneficia, quæ ab hoc Angelorum pane ante festivi hujus diei determinationem recepimus, tandem hunc in modum eloquitur: *O excellentissimum Sacramentum! O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum studiis.*

2. *Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude*. Etenim magnam meretur reflectionem illa, qua sancta Mater Ecclesia filios suos commonet, exhortatur: *Lauda Syon Salvatorem, lauda ducem & Pastorem, in hymnis & canticis*. Num igitur illa quasi infinita beneficia in Eucharistia nobis communicata, per gratitudinis obsequia exsolvenda, nihil aliud à nobis requirunt, quam ut pro illis laudes referamus? Nihil omninò, neque enim in facultate nostra aliud tributum habemus, per quod nos Divinæ Majestati suæ gratos & devotos exhibeamus, præterquam quod laudes, benedictiones, & gratias pro Ps. 64. 2. eo illi referamus: *Te decet hymnus Deus in Syon. Septies in die laudem dixi tibi*; ita multis à Deo beneficiis cumulatus David per gratitudinem eidem corresponsurus protestabatur; Idemque ab universo Clero sæculari & Eccle-

siasti-

Lib. 5. de Doct. Christ.

Hom. 2. in Joan.

siastico in horarum Canonicarum recitatione observatur. *Et tamen cum de illo nihil dignè dici possit* (inquit S. Augustin.) *admisit etiam humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit.* De cætero enim verissimum est, quod S. Thomas ait, quod scilicet *est major omni laude, nec laudare sufficis.* Chrysostomus quoque ferequid simile interrogat, dicens: *Tantum Christi amorem quo amore pensobis? tantos in te benevolentiæ fructus quo officio comparabis? Quicquid in ejus obsequium erogaveris, parum est, quicquid in ejus servitutem impenderis, minus est.* Nec tamen iden ab hoc gratitudinis debito immunes sumus, quin potius eidem juxta possibilitatis nostræ vires satisfaciendum nobis est. *Quantum potes, tantum aude;* Ad minus namque vocum & canticorum nostrorum acceptum habebit obsequium: *Lauda Syon Salvatorem in hymnis & canticis.* Ehem quot experimur ad Sacramentum hoc debitè venerandum & honorandum lateribus nostris admota calcaria? *Nunquid non meritò hujusmodi panis honoratur?* (inquit S.

Conc. 1. de festo Cor. Christ.

Thomas de Villa-Nova) *Si quis ex vobis pane aliquo ærumnosam hanc vitam centum annos producere posset, nunquid non sicut oculi pupillam, panem illum custodiret? nonne illum omnibus mundi divitiis anteponeret?* Jam vero certum est, quod panis ille cœlestis vitam nobis communicet æternam *omnium bonorum plenitudine felicissimam.* Enimverò quotquot in veteri testamento instituta fuerunt festa, suam ab aliquo insigni à Deo accepto beneficio habuere originem; unde in illius memoriam, & gratitudinem, quotannis certo quodam tempore festa celebrarantur. Ex quidem Pascha celebratur in exitus illius memoriam, quo Israeliticus populus à duræ illius servituris compedibus liberatus, Ægyptum deseruit: Festum quod *Encœnia* dicebatur in restaurati templi memoriam institutum fuerat; quem eundem ritum multorum festivorum dierum promulgatione sectata est sancta mater Ecclesia: Quis autem est, qui clarè non videat, quod sacratissimum Redemptoris nostri corpus, nos longè amplius & ad majorem gratitudinem & solemnitatem obliget, quam ullum aliud festum institutum, siquidem non solum voluit, ut Sacramenti quod in ultima cœna, instituit, & in quo seipsum nobis in cibum præbuit, aliqua à nobis commemoratio fiat, verum insuper ipsemet corporali præsentia sua, nec non divinarum gratiarum abundantia hodiernas processiones dignatus est honorare; atque insuper non solum hodie, sed semper ad finem usque sæculorum nobiscum commorari voluit, promptus semper ad nutum vel ad pauca cujuslibet sacerdoris verba à Patris dextera descendere, seque in minimo quodam hostiæ atomo perpetim recludere, ut pro peccatis nostris in sacrificium offeratur divinæ justitiæ, & ut animabus nostris in cibum porrigatur & potum, denique ut in quotidianis necessitatibus nostris veluti in throno signaturæ gratiæ resideat. Unde Timotheus Presbyter Hierosolymitanus *Orat. de Simeone, qui Christum portavit:* de hoc ineffabili beneficio hunc in modum scribit: *Divina ac mystica mensa operam demus per quam mundus formatur, per quam terrarum orbis consistit, per quam regnum conservatur.* Quidnam Deus ille ad commodum & emolumentum nostrum amplius facere poterat? *Corpus dedit in cibum* (inquit Albertus Magnus) *sanguinem in potum, animam in pretium, Deitatem in condimentum, tantum in hoc dono dedit, quantum ipse est in corpore, & anima, & Deitate.* Sanctus Thomas dicit: *O si datum illis fuisset* (de Israeliticis loquitur) *habere & videre, quæ nos habemus & videmus, quid non agerent, quid non in eorum cultum & reverentiam exhiberent?* Quis est, qui nesciat, quibusnam honoribus Rex Ægypti Josephum affecerit, quem Salvatoris titulo insignivit, eo quod tempore duntaxat septem annorum, in illa ingenti annonæ caritate universo regno de sufficienti frumento prospexerit? Ab omnibus primatibus regni stipatus, indutus purpura, & torque aurea decoratus, atque in triumphali curru considens circumductus & vice-Rex acclamatus fuit, omnibusque expressè ut coram eo genua sua flecterent præceptum. Hic autem umbra tantum & figura Christi in hoc Sacramento existentis fuit, in quo non tantum per septennium, sed ad finem usque seculorum Ægypto mundi hujus de illo frumento abunde providit, deque eo gloriosus hic scribitur titulus, quo vocatur *Frumentum electorum;* meritò igitur in throno hoc Eucharistico honoratur, & sub opulentissimus baldachinus hodie circumfertur, ut ab omnibus universim populis adoretur: *ut memores & gratos testemur animos erga communem Salvatorem.* Herodotus refert Scythis antiquitus in more positum fuisse, quod post Regum suorum mortem, circumquaque eorum circumferrent cadavera, ut ad eorum conspectum subditi per interiorem animi sensum ad compassionem aliquam erga eos commoverentur, utpote quos erga se valde beneficos sepenumero fuissent experti. Ecce tibi idipsum pariter facientem sanctam matrem Ecclesiam, quæ corpus Regis illius, de quo hodie ad initium matutini cecinimus: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus,* quique olim in Calvariæ monte amarissima morte occubuit, hisce diebus quaquaversum spectandum, non tamen mortuum, sed in hoc Sacramento magis quam unquam aliàs vivum, & impassibilem, prout est ad dexteram Patris sedens circumfert, ut nos ad gratitudinis affectum exstimulet, nosque gratiarum, & favorum, quos ab eo continuo recipimus memores reddat. Tanta cum magnificentia portari disposuit, ut per reliquum anni spatium animos nostros ad majorem reverentiam & devotionem excitaret, considerando videlicet, quod tametsi hodie angustis valde apparatibus vel maximè honoretur ipse tamen idemmet sit, qui quotidie in incruento Missæ sacrificio offertur, qui ministratur in communionibus sacris, qui tanquam viaticum ad infirmos defertur, qui in 40. horarum orationibus publicè adorandus exponitur: Item quod licet ad nostram commoditatem quavis contentus sit privata reverentia, & quovis mediocri obsequio sine tot ei exhibitis ornatuum apparatibus, propter hoc tamen ne vel minimus gradus venerationis, & cultus ei in cordis nostri interiori sit subtrahendus; *si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit;* Et licet in progressu anni hæc desint obsequia, nec videantur hodierni ornatus & pompæ, seu illa hodierna populi non conspiciatur frequentia, ea tamen omnia ad ipsum honorandum nostra suppleat fides, nostra interna devotio, & bonæ conscientiæ puritas.

Exod. 33. 9

3 Memorandum est, quod qualiscunque Deum inter & Moysen intercesserit familiaritas; utpote cui Deus facie ad faciem loquebatur, attamen ad hanc Deo porrectam supplicam: *Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine obsecro, ut gradiaris nobiscum, & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas;* favorabile responsum minimè retulit; Non enim ipse cum suis ea gavisus est Dei præsentia, qua nos perfruimur: Nam in columna, quæ castra præibat, non aderat Deus, sed tantum Angelus quidam assistebat: Similiter unus ex spiritibus beatis erat ille, qui velut Dei interpres cum Moyse passim loquebatur: In arca quoque infinita Dei majestas minimè aderat visibiliter & actualiter præsens, tametsi ab illa abundantiores dimanarent gratię & favores cęlestes; singularissimum etenim hocce privilegium populo reservabatur Christiano, quippe Deus noster nobis in hac Eucharistia corpore, anima & divinitate tenus semper est præsentissimus, adeoque in hisce processionibus verificatur, quod *gradiatur nobiscum,* iisdem namque passibus & gressibus quos nos facimus, ipse per vias publicas inambulat. Unde Rupertus Abbas ait: *Cum dicit, ut gradiaris nobiscum, fiducialiter fides Evangelica gaudet subintelligere, ut Verbum caro fiat & habitet in nobis.*

Cit. in Cath.

Hoc Verbum caro factum est in Eucharistia, & habitat nobiscum, & in nobis. *In me manet & ego in eo. Immensa divina largitatis beneficia* (inquit S. Thomas) *exhibita populo Christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem, neque enim est aut fuit aliquando tam grandis natio, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest nobis.*

Opusc. 57.

Nulla hac dari aut excogitari potest major vicinia, siquidem non solum *graditur nobiscum,* sed ut ita dicam, fit una caro nobiscum, utpotè qui nostrum fit nutrimentum. Prodiga mehercle Dei cujusdam liberalitas, plus dare nobis non potuit, quam seipsum. *Quomodo non etiam secum omnia nobis donavit?* Cardinalis Bellarminus *de cultu sanctorum* de hodiernis Processionibus tractans, Hæreticorumque adversus illas adductas oppositiones & argumenta dissolvens & impugnans ut nos erudiat, quantum hæ processiones in recognitionis nostræ protestationem deserviant, ita scribit. *Etiamsi non esset verè Christus in Eucharistia, ut Calvinistæ dicunt; vel non deberet adorari ut dicunt Lutherani, tamen adhuc justum est, habere certum diem, quo recoleremus memoriam institutionis hujus Sacramenti.*

Lib. 3. c. 13

D. st. 2. Tr. 2. c. 1.

Conc. 3. de festo Cor. Christ.

Gen. 41. 42

4 Hic

4 Hic tamen advertendum est, merito nos timere posse, ne de nobis propriè verificari possit, quod dicitur in Prosa hodierna: *Nec laudare sufficit*, non quidem ob rationem à Doctore Angelico adductam, scilicet: *Quia major omni laude*; sed propter indignitatem nostram; quia *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Deus olim per os Isaiæ Eccl. 15. 9. Isai. 19. 15. de populo suo lamentabatur, dicens: *Labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est à me.* Neque enim sibi in cantibus & laudibus nostris, quas ipsi in hisce processionibus depromimus, complacet, nisi hæ à reverenti & devoto corde deriventur. Unde bene sanctus Thomas nos monet, dum ait: *Ex præcordiis sonent præconia.* Sanctus quoque Petrus Damianus, licet ad aliud intentum, dicit: *Eliminemus omnes spurcitias de nostri cordis hospitio.* Etenim immaculatum Salvatoris nostri corpus non tam curat, ut à viis publicis per quas transibit, tollantur immunditiæ, quam ut peccatorum nostrorum sordes à cordibus, & animabus nostris expurgentur: *De nostri cordis* Serm. de Spiritu S. *hospitio, & quibus possumus variis virtutum floribus aspergamus: delectetur Deus nitidum nostri pectoris tabernaculum ingredi, & suavibus in eo bonorum operum deliciis epulari.* Demum vero ubi hæc omnia adimpleverimus sanctus Doctor libenter nobis acquiescit, ut linguam nostram ad hujus Sacramenti laudes liberè laxemus: *Sicque præparato atque composito decoro intima domus ornatu psallamus.* In Bulla Papali de hisce processionibus ita scribitur: *Devota turba fidelium ad Ecclesias affectuose concurrant & tam Clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant: tunc enim omnium corda & vota, ora & labia hymnos persolvant lætitiæ salutaris.* Ubi notandum, quod prius præmittat: *Devota turba*, devotio enim debet omnia alia præcedere.

SS. Sacramentum in hodiernis Processionibus gratias & benedictiones suas erogando erga nos se liberalissimum esse declarat. Ubi eadem occasione malorum Christianorum irreverentia erga hoc Sacramentũ graviter perstringitur.

DISCURSUS QUARTUS.

Pertransit benefaciendo & sanando omnes. Act. Ap. cap. 10. v. 38.

1 BEnignissimus Salvator noster in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento tanquam in throno misericordiæ, vel tanquam in signatura gratiæ considens, nihil æquè desiderat, nec ulli alteri rei ita studet, quam ut nos gratiis & donis suis locupletare, nobisque per largam cœlestium spiritualiumque thesaurorum copiam benefacere possit. Unde firmiter credere possumus, quod Salvator noster hoc potissimum fine se in hoc Sacramento per vicos & plateas portari, seque ab omnibus videri permittat, ut nimirum nos ad postulandos ab ipso favores & gratias, suæque beneficentiæ dona in nos effundenda humanissimè invitet: *Pertransit benefaciendo.* Quodsi enim in rebelli sibi & ingrata Judæa benignissimæ pietatis suæ ad quemlibet gressum impressa post se relinquebat vestigia, quanto igitur credibilius est, quod erga Christianismum, utpote qui hodie omnibus sibi possibilibus devotionis & obsequii demonstrationibus, eum venerari & adorare omni suo studio satagit, futurus sit liberalior & beneficentior. Porrò Propheta Evangelicus solemnitatem hanc hodiernam prædicare voluisse videtur, quando prophetiæ suæ c. 62. ita scribit: *Comedent & laudabunt Dominum, bibent in atriis sanctis meis: transite per portas: præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, elevate signum ad populos: ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo.* Etenim Sacramentum hoc sub speciebus panis & vini institutum fuit *per modum cibi & potus*; merito igitur de novæ & Evangelicæ legis fidelibus Propheta prædicit, *Comedent & bibent*: Devoti quoque in hisce diebus per omnes plateas & vicos de porta in portam ad parietes exornandos ad expurgandas vias & plateas discurrunt, sacra quoque in processionibus vexilla extolluntur, *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ.* Denique Ecclesia festum hoc per universum mundum solemnissimè celebrari instituit. *Dicite Filiæ Syon.* Et quidem præ cæteris Filiæ Syon ad id faciendum invitantur, quia in Syon memorabilis illa Eucharistiæ institutio peracta fuit, prouti superius diximus. Per has autem filias famelicæ animæ intelliguntur panem hunc cœlestem avidè esurientes. Porrò in prædicta Prophetia sequentia verba in proposito nostro vel maximè deserviunt: *Ecce Salvator tuus venit.* Sed quonam id fine fieri existimas? Non alio utique quam ut nobis copiosissimè benefaciat, neque enim vacuis ad nos manibus venit: *Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo.* Sacratissimum enim corpus suum secum portat, in quo omnes recluduntur Cœlorum thesauri: *In quo sunt omnes thesauri.* Æternam illam secum habet retributionem, de qua Abrahæ quondam dixit: *Ego ero merces tua magna nimis*; illa nimirum quæ nos Gen. 14. 1. æternæ beatitudinis facit esse commensales; hoc enim est illud opiparum convivium, *in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* An non igitur vobis verum esse videtur, quod hodie Christus in Eucharistia omnes plateas obit, & *pertransit benefaciendo*? Enimvero Arca prouti suo inferius loco probabitur, augustissimi hujus sacramenti figura erat; hæc autem quantumvis brevi temporis spatio in domo Obededom demorata, *Benedixit omnem domum ejus* quod David videns eandem magna cum solemnitate, & cum ingenti apparatu & magnificentia in processione quadam deportari & bajulari fecit. *Adduxit arcam Dei in civitatem David, cum gaudio, & erant cum David septem chori, &* 2. Reg 6. 12. *victima vituli, immolabant bovem & arietem, & David saltabat totis viribus ante Dominum: & omnis domus Israel ducebant arcam in jubilo, & in clangore buccinæ.* Quæ adeo sumptuosa arcæ hujus translatio hodiernarum solemnium processionum Corporis Christi manifesta figura fuit; cum aliquali tamen utriusque differentia. Arca enim ex ligno licèt incorruptibili fabricata fuit: hic autem in Eucharistia *habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Quodsi igitur lignum istud *Benedixit omnem domum*; multo securius nos in Evangelica veritate dicere possumus. Deum nostrum in hoc sacramento omnes reclusisse benedictiones, quodque *Benedicat omnem domum*; siquidem *pertransit benefaciendo.* *Benedicat tibi* Ps. 127. 5. *Dominus ex Syon, & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.* Ubi nota Davidem dicere *ex Syon*, ad cœlestem hunc panem alludens, qui in Syonis cœnaculo consecratus fuit: paulò ante autem Psalmista salvatori nostro dixerat *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Denique S. Thomas non sine mysterio in Graduali Missæ hisce verbis utitur: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

2 Advertendum est autem, quod non solum pertransit benefaciendo, verum etiam sanando omnes, & meritò, quia est Panis vitæ: *Panis vivus & vitalis hodie proponitur.* Joan. 5. 56. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Nisi manducaveritis caraem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* Doctor Angelicus Christum Dominum nostrum in hujus Eucharistici convivii institutione, Pastoris titulo decorat, dum ait: *Lauda Syon Salvatorem, lauda ducem & Pastorem*; unde hodie mihi adimpleri videtur parabola illa, olim à Christo de amantissimo illo Pastore proposita, qui amissam oviculam studiosissimè investigabat; Christus enim nobis in hoc pane corpus suum tunc præcipuè reliquit, quando sanguis ejus in venis vel maximè bulliebat, ob magnam aviditatem, qua eundem pro nostra salute desiderabat effundere, imò quando nil aliud adeo cordialiter suspirabat, quam quomodo ipsos quoque assassinos, crudelissimos carnifices & traditores impiissimos satagebat ad pœnitentiam reducere; *In qua nocte tradebatur, accepit panem.* Quis nobis hodie dabit benignissimos illos contueri oculos, quos per omnes urbis plateas in animas conjicit errabundas, ut illas à perditionis barathro ad beatitudinis semitas revocare possit? quot uniuscujusque cordibus inspirationes internas immittit? quot stimulos & calcaria in desidiosos defigit, ut in viam quæ ad cœlum ducit, eos dirigere possit? optimè nos amorosi hujus Pastoris benevolentiam & pietatem implorare docet sancta mater Ecclesia hisce verbis: *Bone Pastor, panis vere, Jesu nostri miserere, tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium.* Vestros velim oculos in ipsum conjicite, quando ad lucrandas Paradiso animas per vias Hierichuntinas totus anxius atque solicitus oberrabat; etenim tunc illum

qua-

quaquaversum innumerabilis circumdabat populus, qui miraculis ejus applaudens eum pro viribus suis impensissimè honorabat; & ecce peccator quidam valde famosus Publicanorum antesignanus. Luc. 19. *Princeps publicanorum*, quia mira de Christo audierat curiositate motus, videre ipsum desiderabat; quia verò statura pusillus existens, ob densam populi multitudinem & concursum, desiderio suo potiri non poterat, arborem quandam sibi conscendendam esse censuit. *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum, quia inde erat transiturus*. Sed ò rem summè admirandam! Salvator noster per conjectum in eum oculorum obtutum talem ei compunctionis spiritum protinus impressit, ut ex titione Inferni in unico momento in Seraphinum quendam transmutatus fuerit cœlestis Paradisi; nam qui antea ad facies usque lucris injustis immersus usurisque deditus erat, immediatè sine ulla cunctatione præpotentium facultatum suarum medietatem inter pauperes jussit distribui: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*: Non dicit, *dabo*, in futuro, sed *do* in tempore præsenti; *Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; ac tandem Deum nostrum in domum suam cum infinito jubilo recepit, ideoque audire meruit: *Hodie huic domui salus a Deo facta est*. Quo ex facto tale formare possumus argumentum; quodsi Christus in illa, ut ita dicam processione Hierichuntina, quando adhuc passibili & mortali carne indutus erat, alicui publicano tamque famoso peccatori in vitiis & peccatis habituato tot beneficia contulit, quid igitur nunc faciet, quando studiosè per omnes vicos & plateas circuit, ut gratiarum suarum thesauros spargere possit, quando, inquam, *pertransit benefaciendo & sanando omnes*? numquid credibilius est, quod nunc vel maximè fidelium animarum salutem anhelet, ut se gratum exhibeat erga honores & obsequia, quæ ipsi hodie certatim præstantur à singulis fidelium domibus sanctissimum cujus corpus hospitio excipere desiderantibus? Hoc solum nobis vel maximè curandum erit, ut ex parte nostra, nullum ei per obstinationem & duritiem nostram obicem ponamus; Joan. 3. 19. *Lux venit in mundum & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Peccatorum nostrorum tenebræ, & inordinati appetitus nostri plus à nobis amantur, quam lux divina quæ ad nos venit, ut dummodo consentire velimus, iniquitatum nostrarum à nobis dissipet obscuritatem: *pertransit benefaciendo & sanando*, dum nos non magis plagas & vulnera, lethalesque infirmitates, Marc. 6. 56 quam salutem & vitam nostram diligamus; *Quocunque introibat in vias, vel in villas aut Civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, & quotquot tangebant eum salvi fiebant*. Quis autem nostrum est, qui non ex aliqua vel spirituali vel corporali infirmitate languescat? devota illa mulier, quæ per solidos duodecim annos sanguinis fluxum perpessa fuerat, vestis Dominicæ fimbriam tetigerat, quando Redemptor noster, veluti in processione ab ingenti hominum turba undique cinctus erat, & *pertransibat benefaciendo & sanando*, unde ut sanctus Lucas scribit, Christus ait: *Novi virtutem de me* Luc. 8. 4. *exisse*. Et sanctus Petrus Christo interroganti: *Quis me tetigit*? respondit: *turba te comprimunt*. Hæc porrò mulier cum ingenti & generosa fide fimbriam quandam Serm. 33. vestis tetigit; *Tetigit fimbriam vestimenti ejus & confestim stetit fluxus sanguinis ejus*. Qua de re pulchrum audite Chrysologi argumentum: *Tetigit vestimentum mulier, & curata est: miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Non Christus infirmitatibus, sed fides deest: nam multo magis modo in nobis manens poterit vulneratos curare, qui latentem mulierem præteriens sic curavit*.

1. Tim. 2. 4. 3 Porrò cœlestis hic Prothomedicus, quantum quidem est ex parte sua *Omnes homines vult salvos fieri*, & hodie plusquam aliàs unquam *pertransit sanando omnes*. Veruntamen ingens malum nostrum est, quod vulnera & plagæ mortiferæ in hisce processionibus potius recrudescant; nonnunquam propria nostra voluntate concurrente ad mortem usque infirmamur, nec sanari volumus. Qualis etenim est multorum perperam viventium erga sanctissimum Christi corpus irriverentia? quot obscænorum obtutum scandalis, quot sensualitatibus, quot crapulis & ebrietatibus aliisque licentiosæ vitæ excessibus processiones hodiernæ prophanantur? Moyses, ut supra diximus, à Deo petebat, dicens: *Obsecro ut gradiaris nobiscum*; sed quo id fine petiit? *ut auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas*. Exod. 34. 6 Ubi Glossa interlinearis ait: *Quod Dominus hoc se promittit facturum, nunquam est Judæis datum ad literam* sed speciali quadam prærogativa nobis duntaxat fuit concessum. Advertendum autem nobis est, quod dicit Chrysostomus: *Ipsa excellentia dignitatis majoris tibi fiet causa supplicii*. Deus quidem noster in hisce processionibus ad nos venire, & nobiscum gradi non dedignatur, sed ad benefaciendum nobis, & ad sanandum spirituales nostras infirmitates; non verò ut in iisdem à nobis offendatur, Ecclesia quoque toto conatu ipsum hodie, si umquam alias, in hoc triumpho honorare contendit, eumque in processione circumfert, *ut auferas iniquitates nostras atque peccata*, & nos adeo inverecundi erimus, ut illa de novo committere non dubitemus? quantam obsecro stragem Arca Domini in illis edidit, qui eam dum circumferretur varia curiositate inspicere præsumpserunt? *Quanta gravitas, quanta severitas* (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *quanta majestas, quantus honor,* Conc. 2. de fest. corp. Christi. *quantus terror in arca lignea? Tantane tibi Domine cura de ligno? non utique; sed propter nos hæc omnia facta sunt, in illis terremur, in illis admonemur, in illis instruimur*, quodnam autem est documentum, quo nos erudire contendit? *Illos examinas, ut nos erudias, ut in eis discamus quanti piaculi simul & periculi sit indigne tractare, aut sumere sacrosanctam Christi carnem in hostia salutari, cujus typum sic Deus magnificavit, sic sublimavit sic vendicavit*. Meritò & nos metuere possumus, ne idem quoque super nos inducatur supplicium, illos præsertim qui *indigne tractant hoc Sacramentum*, hoc eodem tempore, quo Ecclesia idipsum *sic sublimavit, & magnificavit*, idque tantis cum apparatibus, tantisque adorationis & reverentiæ religiosissimis signis. De tribus Regibus Orientalibus dicitur: *Procidentes adoraverunt eum*, nimirum ut Christo homagium præstarent, idque præcise eo tempore quo pauperculis pannis circumvolutus, in duorum stolidissimorum animalium medio super paleis jacebat, non verò in Majestatis suæ throno considebat, prouti nobis eum in hodierno festo videre contingit; in quo hisce verbis ad eum invitamur: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus*; qua igitur fronte eum tanta eum irreverentia aspernari & contemnere audebimus? *Illi* Hom. 61. ad 1 op. *cum præsepe & tugurium* (inquit Chrysostomus) *tantummodo, neque eorum quicquam quæ tu nunc intueris, viderent, summa accesserunt reverentia & horrore, tu vero non in præsepi, sed in altari*.

Lætitiam, ad quam in hac festivitate invitamur, potius in interiori bonæ conscientiæ sinu & virtutibus Christianis bonisque operibus quam in externis demonstrationibus consistere, ostenditur.

DISCURSUS QUINTUS.

Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio!

1 POstquam sancta Mater Ecclesia hanc corporis Christi solemnitatem per totum Christianismum sufficienter promulgasset, ad hoc ut à cunctis populis eum omni possibili reverentia & honorificentia celebretur, hodie nos ad effectus lætitiæ & gaudii dulciter invitat, dicens: *Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio*. Nec obstante quod septimana præterita jucundissimum illud Alleluja deposuerit, eo quod Paschale tempus in prædicta solemnitate feliciter terminarit, hodie nihilominus in totius hujus octavæ officio & Missa idem Alleluja denuo reassumpsit, & frequentissimè repetit. In introitu quoque Missæ verba illa recitat: *Exultate DEO, jubilate DEO*. Item in Hymno matutinali dicit: *Sacris solemniis juncta sint gaudia*; denique in antiphona quadam cecinimus: *In voce exultationis resonent epulantes in mensa Domini*, adeo ut per omnes officii hodierni partes ad lætitiam, & gaudium spirituale invitemur. Glossa in Clementina, in qua de hodierno festo agitur, præcipuè super illa verba: *Plaudat, jubilat*, scribens dicit: Lib. 3. tit. 15.

Plau-

Plaudat quasi manus jungat, jubilet quod est cantare voce quadam confusa pra gaudio, unde dicunt quidam, quod jubilus est gaudium, quod verbis explicari non potest, nec tamen penitus reticeri. Sancta igitur Ecclesia per duo hæc significantia verba omnes filios suos ad festivandum,
Joan. Till. 6. c.15. super sacr. huicque solemnitati cum jubilo applaudendum humaniter invitat, dicens: *Plaudat, jubilet*. Adhæc gravis quidam author scribit, quod cum in territorio Lucbent omnia ad solemnem quandam corporis Christi processionem præparata essent, Musici autem ad eandem conducti nondum advenissent, Deus ingens hoc operatus sit miraculum, ut scilicet à processionis principio usque ad finem suavissimi per aera concentus & melodiæ auditæ ab omnibus fuerint, hosce autem cantores ipsosmet Angelos fuisse omnibus persuasum & indubitatum fuerit. Sanctus Thomas in prima Concione de hodierna festivitate summam illam Israelitarum admirationem, qua manna primitus videntes & degustantes percelebrarunt dicentes: *Manhu, quid est hoc?* considerans dicit, mirum non esse, si etiam quisquis de tanti Sacramenti mysteriis non satis informatus, modicam panis particulam tanta cum majestate, tantoque cum apparatu & triumpho quaquaversum circumferri videns, exclamando diceret: *Quid est hoc?* quod vero huic nostro proposito vel maximè deservit, est quod suo tempore fieri solitam præsentis hujus solemnitatis lætitiam aliquatenus describendo nobis ob oculos ponat, dicens: *Inspecta hac nostra celebritate, viso populi jubilantis concursu, sacerdotum laudantium apparatu, ministrantium ordine, canentium jubilo, saltantium tripudio, instrumentorum sonitu, vestium splendore, plebis exultantis applausu, inspectato honore, reverentia cultu, &c.*

2 *Sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.* Enimverò operæ pretium erit horum verborum Ecclesiæ sensum accuratius nonnihil ponderare, utpote quibus potius ad interiorem mentis & cordis lætitiam concipiendam excitamur: *Sit decora mentis jubilatio.* Ideo etiam dicitur quidem: *Sacris solemniis juncta sint gaudia*, immediatè tamen sequentibus verbis undenam hæc gaudia derivari debeant, apertè satis declarat, dum ait. *Ex præcordiis sonent.* Isaias quoque qui vetus Evangelicæ legis propheta fuit de cœlesti hoc Pane loqui voluisse videtur,
Isa 61. 10. quando uti existimo per os ipsiusmet Ecclesiæ ait: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo.* Ubi notandum quod verbum jubili expressivum bina vice repetat, ita tamen ut illud semper cum Deo unitum & conjunctum enuntiet: *Gaudebo*; sed in *Domino*: *exultabit anima mea*, sed *in Domino*; *Exultabit anima mea, sed in Deo meo.* Insinuare volens, gaudium hoc à divina præsentia nunquam dissociandum esse. Observandum quoque qualiter sacramentum istud verbis sequentibus circumscribat, dum ait: *Induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ.* Ubi septuaginta legunt: *Tunica justitiæ*, hæc autem salutis & lætitiæ vestis non est alia, quam Christus, qui animam nostram
Ro 13. 14. vestit & contegit: *Induimini Jesum Christum*; ac proinde verum intra nos insinuat gaudium, siquidem est Deus totius consolationis. *Quicquid præter Deum est, dulce non est*, inquit S. Augustinus, *quicquid mihi vult dare*
In Ps.26. *Dominus meus auferat totum, & se mihi det*; id quod in Eucharistia veracissimè adimpletur, in qua seipsum omnino & totaliter donat, in corpore, anima, & Divinitate, & unum idemque nobiscum efficitur; atque ideo tunc verè sapidissimos beatitudinis gustus percipiemus, si cœlesti hoc manna velut alimento nos nutriamus, poteritque quilibet dummodo illo se nequaquam indignè cibet, verè dicere: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Unde Apostolus ad Corinthios scribens nos exhortatur, dicens: *Itaque epulemur non in fermento*
1 Cor. 5. 8. *veteri, neque in fermento malitiæ: sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Circa quæ verba Chrysostomus existimat, Apostolum idipsum solius festi occasione
D.S. Pent. scripsisse: *Indicat non tempus, sed conscientiam mundam festum efficere: nihil enim aliud est festum quam lætitia.* Et ideò summi Pontifices ut festum hoc quoad possent, solemne efficerent, tanta eum solicitudine ad lætitiæ signa edenda nos cohortantur: *Sit laus plena sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.* Verum enimverò ne forte in errorem incidamus nescientes discernere lætitiam, de qua Scriptura sacra & Ecclesia exhortando intelligit sciendum est ad spiritualem præcipuè lætitiam nos commoneri: *Spiritualem vero lætitiam* (inquit Chrysostomus) *nihil aliud gignit, quam conscientia bonorum operum.* Etenim Salvator noster nos illo dignatur convivio excipere, *in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, mens impletur gratia*, quodnam autem vel quale à nobis vicissim Christo exhibendum est convivium, ut nostrum dignetur ingredi hospitium? *Secura mens* Pro 15.15.
juge convivium. Igitur exhibeamus illi conscientiam puram & ab omni etiam si possibile est, venialis culpæ coinquinatione mundam. In hoc etenim convivio, ut Hugo Cardinalis ait, *Convivæ hujus convivii virtutes sunt, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur.* Summus quoque Pontifex Urbanus IV. dum in Bulla institutionis hujus festi omnes nos ad lætitiam invitat, ad choreas & tripudia, & hymnos & Cantica nos provocare videtur, sed ad qualia putatis tripudia, & cantica? ad excellentiores, quas exercere possumus virtutes Christianas: *Tam Clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant, tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas jucundetur, tunc singuli alacri animo puraque voluntate conveniunt sua studia laudabiliter exequendo, tanti Festi solemnitatem celebrantes.* Similiter in Processione illa Hierichuntina, prouti præcedenti discursu diximus, Zachæus in eo à Salvatore nostro honoratus fuit, ut ipsum domus suæ mereretur excipere hospitio: *Hodie in domo tua oportet me manere.* Subdit vero sacer textus, quod *festinans descen-*
dit, & excepit illum gaudens; Quanam verò in re gau Ho. 89. in Matth.
dium hoc sive lætitiam probavit? Chrysostomus optimè idipsum exponit, dicens: *Cum audisset Christum in eam ingressurum, quomodo eam ornavit? non curriculo ad vicinos contendit, mensas, sedes, subsellia petens eburnea: sed ornatu gratissimo Christum decoravit. Quis porro iste? Dimidium, inquit, bonorum meorum do pauperibus & quadrupliciter reddo, quod rapui.* Tandem sanctus hic Doctor per opportunum quoddam, nobisque in hac octava utile monitum sermonem concludit, dicens: *Sic & nos domos nostras exornemus*; quasi diceret: Faciamus bonam confessionem, facultates alienas & famam restituendo iis, quibus tenemur, malam deserendo societatem bona à nobis facta proposita serio exequendo: hac enim ratione augustissimum Christi corpus, sumptuoso gratoque cum apparatu recipiemus; quia *Confessio &* Ps. 95. 6.
pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus. Afferte Domino gloriam & honorem. Magnificentiori eum apparatu recipere non possumus quam si bonam induamus conscientiam. Tunc enim solemnissimo sibique gratissimo festo fruitur, quando animarum nostrarum saluti promovendæ impensè studemus. *Est ei magna festivitas*, inquit Origenes, *huma-* Ho. 23. in Num.
na salus.

3 Summus Pontifex in Bulla institutionis præcipit, ut dum prælati Ecclesiastici subditos suos ad hasce processiones invitant, pariter eosdem de nonnullis devotionibus illa die peragendis, ut processionibus illis tanto dignius assistant, anticipatè moneant. *Salutaribus monitis sollicitè per vos, & per alios exhortantes, ut per veram & puram confessionem eleemosynarum largitiones attentas & sedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die.* Pariformiter in volumine illo, quod *Acta Ecclesiæ Mediolanensis* inti- Cap. 139.
tulatur. S. Carolus in Concilio Provinciali ita decrevit: *Quo religiosius Provinciæ nostræ Fideles sanctissimi Corporis Domini solemnitatem colant, pietatisque operibus, quæ sacro illius solemnitatis tempore præstanda sunt, indulgentias à summis Pontificibus Urbano IV. Clemente V. Martino V. item & Eugenio IV. concessas consequantur, Parochorum cura sit die Dominico solemnitatem præcedenti, hac paterna charitate, gravique sermone illos promonere atque hortari, primo ut confessi sacram communionem sumant ut pro facultatibus eleemosynam dent, ut purè casteque in orationibus frequentes atque assidui sint, in pietatisque Christiana exercitationibus versentur, ut pridie solemnitatis jejunent.* Unde clarè deducitur, Superiorum intentionem nequaquam esse, ut homines in hac festivitate solum de aulæis, tapetibus, musica, ignibus artificialibus, fontibus, altaribus aliisque similibus ornamentis solliciti existant, sed potius in veram Confessionum, Communionum, Eleemosynarum, aliorumque bonorum devotionem operam suam collocent. De illis igitur qui omne studium suum in externa illa cultus & ornamentorum apparentia positum habent, id quod majoris ponderis est

om-

omninò negligentes, idem dici posse videtur, quod de gentilium sacerdotibus, qui ut auspiciis suis vacent, oblatarum victimarum viscera tanta cum curiositate investigabant, cum tamen ipsimet in cordium animarumque suarum interiori sinu vitiosissimi essent, inquit Tertullianus. *Miror cum hostiæ probantur penes vos à vitiosissimis sacerdotibus, cum præcordia potius victimarum quam ipsorum sacrificantium examinantur.* O si quis videre posset, quanta hodie in multis Ecclesiasticis sit inter externas vestes & ornamenta sacerdotalia candida, opulenta, pretiosa, & inter internos vitiorum habitus, malasque ipsorum inclinationes, quibus affecti sint, discrepantia? quanta immunditiæs, quot sunt intus in anima talium maculæ? Nervosè hanc deplorat miseriam Sanctus Bernardus dicens: *Cernitur in* Epist. 42. *nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus aut exiguus.* De eadem pravitate Chrysostomus ita argumentatur: *An non vides vasa ablura adeo nitida & splendida?* Imo verò, quia opulentissima tam propliana quam sacra suppellex publicè spectanda exponitur; evacuantur sacristiæ & gazophylacia, ad meram ostentationem & pompam. Sed quid inde? *His longè mundiores nobis oportet esse animas, his anctiores & splendidiores; quare? quoniam illa propter nos sunt talia.*

Corpori Christi acceptiora sunt spiritualia virtutum bonorumque morum, puritatis item mentis & corporis peristromata, quàm quævis ornamenta exteriora.

DISCURSUS SEXTUS.

Parate viam Domini. Isaiæ 40. v. 3.

1 DUm solemnes illos apparatus & ornamenta, quibus hodie viæ illæ exornantur, per quas hodiernæ in honorem Sanctissimi Corporis Christi institutæ Processiones diriguntur, accuratius considero, hoc ipsum adimpleri video, ad quod Propheta Evangelicus novæ legis gratiæ Fideles olim propheticè invitat, dum inpropositi thematis verbis ita loquitur: *Parate viam Domini.* Porrò in œconomia totius vitæ Christi id specialiter obsecro, quod quandiu Salvator noster nobiscum hic in terris commoratus fuit, omnium quidem virtutum choro stipatus fuerit, inter omnes tamen virtutes humilitatem præcipuè dilexerit, adeo etiam ut eousque se per humilitatem demiserit, ut veluti malefactorum antesignanus in medio & societate duorum latronum crucifixus fuerit; Et tamen hoc non obstante, quando paulò ante passionem suam de sacrosancto corpore in Eucharistiæ Sacramento in ultima cœna instituendo eidem Salvatori nostro negotium erat, Apostolis suis præceperit, ut ad hanc functionem omni cum honorificentia celebrandam sumptuosum quoddam cœnaculum præpararent? *Vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum,* Mar. 14. 15 *& illic parate.* Ubi certus quidam interpres hanc glossam Aug. de adjicit: *Diligenter excultum.* Insuper in Græco textu Pas. additur, *paratum.* Hoc autem cœnaculum tantæ amplitudinis erat, ut ibidem per decem dies congregati permanserint centum viginti, qui *erant perseverantes* Act. Ap. 29 14. *unanimiter in oratione cum Maria matre JESU,* in quod etiam Divinus Spiritus sancti ignis cœlitus delapsus fuit. Unde omninò mihi persuadeo, Christum cœlestem Magistrum nostrum per magnificum hujus cœnaculi apparatum, ad sacratissimum corpus suum, hodierna die honorandum, nos invitare voluisse, utpotè in quo *dies solemnis agitur, in qua mensa prima recolitur hujus institutio,* idque per specialia augustæ magnificentiæ & ornatuum specimina. Observandum nihilominus est, quod in spirituali sensu Albertus Magnus de hoc cœnaculo scribit hisce verbis: *Cœnaculum istud significat conscientiam, & cordis receptaculum, quod stratum est picto pavimento, varietate virtutum, grande autem est charitatis amplitudine.* Cui Cajetanus verbis à nobis in exordio discursus hujus propositis per similem subjungit interpretationem, dum ait; *Parate viam Domino procul dubio actibus virtutum.* Chrysostomus autem de Pentecoste quidem loquens simile quid dicit, quod tamen hodie nobis facile applicare possumus, dicit enim: *Festum celebremus, non januam coronantes, sed animas comentes; non* Serm. 2. de Pent. *solum tapetibus exornantes, sed animam splendidam virtutis amictu reddentes,* quasi diceret sanctus hic Doctor. Antiquitus quidem templorum fores variis circumquaque pendulis exornare solebant coronis, hoc autem à vobis minimè requiro, quin potius horum ornamentum & coronarum loco animas nostras condecorent virtutes, gratiæ, & opera sancta; opulenta aulæa, & phrygio opere contexta peristromata potius sint actionum meritoriarum & virtuosarum sancta exercitia: *Via ad recipiendum Dominum parata & recta* (inquit S. Thomas) *via justitiæ, secundum illud Isaiæ 26. Semita justi recta est: tunc enim recta est quando homo totus subjicitur Deo, ut scilicet intellectus per fidem, voluntas per amorem, operatio per obedientiam Deo subdantur.*

2 *Parate viam Domini.* Albertus Magnus ait: *Paratur via dum sternitur exemplis bonorum operum.* Multi quidem sunt, qui hisce diebus erigendis altaribus, fabricandis arcubus triumphalibus, fontibus artificialibus curandis, spargendis floribus; pretiosis aulæis vestiendis parietibus, laxandis tormentis bellicis, aut in concentibus harmonicis procurandis, omni sunt studio dediti, nec tamen intelligunt, quod omnia hæc obsequii & suæ erga hasce processiones devotionis specimina, sanctissimo huic Sacramento in tantum sint futura accepta & grata, in quantum bonis moribus, optimisque exemplis futura sint conjuncta. Ad quod confirmandum dicto illis uti possumus, quod sanctus Augustinus tametsi alia occasione, ad nostrum tamen intentum aptissimè post se scriptum reliquit, dum ait: *Præparemus hanc* Serm. 286. Temp. *domum ad sacri Regis adventum, eamque diversis probabilium merum floribus adornemus.* Examinemus igitur, quales sint mores nostri, quibus vivimus, illosque adeo reformemus, ut proximorum nostrorum ædificationi deservire possint; specialiter autem hisce diebus modestia & honestas in nobis resplendeat, & non tam per decerptos è viridariis & hortis nostris flores, quam per odoriferam bonorum morum nostrorum fragrantiam sacratissimum hoc corpus velut acceptiori obsequio devotè honoremus. *Repleamur* (est exhortatio ejusdem sancti Augustini) *jucundis pretiosisque odoribus castitatis, fidei, & compunctionis incenso, balsamo benevolentiæ, & thymiamathe charitatis.* Quid opus est ad hoc laborando conniti, ut aqua contra naturalem cursum suum in aera usque ascendat? Effunde sicut aquam cor tuum, potius erit, si oculi vestri ex peccatorum vestrorum concepto dolore aquam veræ contritionis scaturiant, per hoc etenim medium supremæ illius & cœlestis aquæ recipietis abundantiam, & *fies in vobis fons aquæ salientis in vitam æternam.* In vicem suffitus, & incensorum odoriferorum potius discutire qualiter per puræ & innocentis cujusdam vitæ decursum bonum famæ odorem per vitam & mores spirare valeatis, ut pariter cum Apostolo dicere possitis: *Christi bonus odor* 2. Cor. 2. 15 *sumus.* Nam ut benè monet Chrysologus. *Non tam li-* Serm. 81. *benter odoratur Arabicæ arboris guttam, quam synceri cordis & pectoris sanctitatem.* Chrysostomus quoque acceptissimum DEO nostro apparatum præparare docet his verbis: *Vis corpus Christi honorare? ne nudum despi-* Hom. 51. *cias, ne eum hic quidem sericis honores vestibus, extra* ad Pop. *vero gelu & nuditate pereuntem contemnas: qui enim dixit: Hoc est corpus meum; hic & dixit: Esurientem me vidistis, & non pavistis.* Verum enimvero quoniam aliqua hic pauperum à me facta est mentio, advertendum est, hosce præcunctis aliis hodie ad hoc sacramentum invitari, utpote qui præ omnibus aliis primatum & præcedentiam obtinent. Etenim in Antiphona ad *Magnificat* in primis vesperis dicitur: *Esurientes replet bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.* Similiter in sequentia dicitur: *Manducat Dominum pauper, servus, & humilis.* Et alibi dicitur: *Edent pauperes, & sa-* Ps. 21. 27. *turabuntur, & laudabunt Dominum.* Verum inquies: Hi pauperes & egeni carent pretiosis aulæis atque tapetibus, ideoque platearum compita, aut domorum facies exornare non possunt; Quibus igitur ornatibus ipsum gloriæ Regem, in hisce quæ tanta cum solem- Hom. 51 in nitate celebrantur processionibus, excipere & honora- Matth. re poterunt? Optimè Chrysostomus considerat, mensam illam, super qua Panis ille Angelorum in ultima cœna institutus fuit, non fuisse argenteam, nec

calicem in quo pretiosus ipsius sanguis consecratus fuit, fuisse aureum: *Pretiosa tamen erant omnia, & venerationis plena;* Cur ita? *Quia spiritu abundabant;* ac proinde concludit: *Vis corpus Christi honorare? non amictu, sed anima munda indiget; usque ad hoc non est opus vasis, sed animis aureis.* Nec tamen hæc à me ideò dicta esse existimes, subdit idem Sanctus, quasi omnia opulenta & pretiosa vasa, omnesque alios magnificos apparatus & honores, quibuscum Deum nostrum in hoc Sacramento veneramur, excludere velim; sed ut Fideles intelligant, cordium animarumque nostrarum puritatem Deo comprimis gratam & acceptam esse: *Animarum munditia opus est, propter quas etiam vasa hæc Deus recipit.* Jam verò ipsamet experientia satis demonstrat, hanc bonæ conscientiæ munditiem pauperibus potius inesse, quam divitibus, hi namque in apparatibus quos faciunt, pro motivo suo nonnunquam potius ostentationem, quam Sacramenti hujus cultum & reverentiam habent, utpote quod tot diversis aliis modis contemnunt & vilipendunt; ideoque *fastidiosos divites dimisit inanes.*

3 *Parate viam Domini:* Interpres quidam modernus circa hæc verba ita scribit: *Repurgate, complanate; metaphorica locutio, est sumpta a similitudine civium, qui si Regem, quem expectant, honorificè excipere, & testari gratum esse ipsius adventum, viam qua venturus est, a sordibus, incommodis, atque impedimentis omnibus liberam reddunt.* At inquies, quænam sunt hæ, quæ à viis publicis amovendæ sunt sordes? & incommoda aut impedimenta illa qualia sunt? Peccata nostra, dissolutiones & scandala nostra. *Parate viam Domini.* Hugo Cardinalis, majoris claritatis causa adjicit: *Peccata abjiciendo. Animo peccata ejicias* (inquit Author quidam modernus) *quemadmodum solent è via sordes, nova vita studeas, qua non secus ornetur ac via aulais.* Christus Dominus paulò antequam hoc Sacramentum institueret, deposuit vestimenta sua; Quo in facto illud fortè monitum insinuare voluit, quod nobis deinceps Aposto-

Eph. 4. 22. lus daturus erat: *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, renovamini spiritu mentis vestræ & induite novum hominem.* Quod propriè cum eo coincidit, quod in Matutino nobis insinuavit Ecclesia, dum ait: *Recedant vetera, nova sint omnia, corda voces & opera. Ad altaris officium nemo accedat* (est pon-

Serm. 3. de Kalur. deratio sancti Bernardi) *veste communi, sed quisquis accessurus est, albis induatur;* Per quod nobis puritas & innocentia vitæ & morum insinuatur, quacum huic mensæ a nobis appropinquandum est. Observatisne aliquando quasnam præparationes institutionem hujus Sacramenti antecesserint, quæ hodie fidelibus reducuntur in memoriam? *Quod in Cœna Christus gessit faciendum hoc expressit in sui memoriam.* Enimverò signum ex quo Apostolos cœnaculum, quod præparandum

Marci 14. 14. erat, dignoscere voluit, hoc præcipuè fuit: *Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum, ipse ostendet vobis cœnaculum grande stratum, & illic parate.* Quodnam putas in eo latet mysterium quod apparatus & ornamenta cœnaculi pariter cum signo aquæ conjungatur? Nunquid clariora Eucharistiæ sub speciebus panis & vini instituendæ indicia vel panis, vel vini vasa fuissent? *Sacerdos in æternum Christus Dominus, secundum ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit.* Porrò certissimum est, hanc aquam mysticè repræsentasse tanquam finem, id quod in hoc cœnaculo operandum erat. Unde Tertullianus ait: *De signo aquæ ostendit, ut qui aqua*

Lib. de Bapt. cap. 15. *se lavassent, etiam sanguinem potarent.* Christus prius Apostolis aquam occurrere voluit, quæ elementum quoddam est maculis emundandis destinatum, postea verò stratum assequerentur cœnaculum; ad insinuandum, hanc diligentiam & industriam omnes alias præcedere debere, priusquam quis ad corpus Christi honorandum admittatur; prius enim animæ nostræ aqua veræ compunctionis diluendæ sunt, & postea sacrosanctum hoc corpus congruis est apparatibus honorandum. Imo increatæ & incarnatæ illi Sapientiæ non videbatur sufficere, quod interiorem hanc purificationem in hydra illa insinuasset, quin potius priusquam panem illum Angelorum consecraret; *deposuit vestimenta sua. Et cum accepisset linteum, præcinxit se;*

Joan. 13. *deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo;* Per hanc lotionem insuper declarando, quanta cum munditia nobis ad hoc Sacramentum accedendum sit, nimirum ut animæ nostræ ab omni levi & veniali culpa immunes quod etiam per illam protestationem insinuat, qua dicit: *Vos mundi estis.* Voluit quoque Salvator noster, ut corpus suum jam mortuum per virum quendam nobilem & opulentum à Pilato postularetur, qualis Math. 27.

erat Joseph ab *Arimathæa: Venit homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph; hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu:* Matthæus adjicit: *Nobilis Decurio mercatus syndonem.* Tametsi enim tanquam vir dives & nobilis multa haud dubiè domi suæ lintea habuerit, nullum tamen ex iis corporis Christi adhibuit, sed novum quoddam linteum utpote subtilius, majorisque valoris comparare voluit. S. Lucas dicit, quod *posuit illud in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Nicodemus pariter magnæ authoritatis Princeps eum è patibulo deposuit: *Ferens mixturam myrrhæ, & aloes,* Luc. 23. 53.

quasi libras centum, acceperunt corpus Jesu, & ligaverunt linteis cum aromatibus. Theophylactus de Josepho scribit: *Pretiosum corpus pretiosè sepeliens; cum enim esset discipulus Domini, sciebat qualiter corpus Domini honorari deberet.* Et Glossa ait: *Syndone munda Jesum involvit, qui pura mente eum suscipit:* Cunctos igitur hosce honores infinita illa sapientia sacratissimo corpori suo exhiberi voluit, ad demonstrandum illud quovis devotorum fidelium obsequio & veneratione esse dignissimum.

4 *Parate viam domino.* Sanctus Maximus ait: *Ille viam domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuens* Hom. 3. in Nat. Joan. Bapt.

voluptates, toto mentis sua spiritu suspensus ad Deum vigore se castitatis accingit. Coram hoc sacratissimo corpore in hisce processionibus tanto obsequiosiores esse censebimur, tantoque magis ipsum honorabimus, quanto hoc tempore majorem habuerimus curam continentiæ & castitatis: sed quæ est ingens nostra miseria, nos hisce diebus, nutibus & oculorum jactibus obscœnis plusquam aliàs unquam frænum laxare, hancque solemnitatem tripudiis, choreis, aliisque minus honestis recreationibus prophanare videmur.

Sacramentum hoc, quod basis est fidei nostræ, & immobile Ecclesiæ firmamentum, hoc unice in hoc festo intendit, ut nimirum ad frequentiorem, reverentioremque sui cultum populum inducat Christianum, confundatque hæreticos. Ubi etiam aliqua hujus institutionis tanguntur motiva: Et de congrua ad hanc Eucharisticam mensam præparatione.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem.

1 QUidnam obsecro hîc subest mysterii, quod Salvator noster qui quandam humilitatis cathedram in terra erecturus de cœlis descendit, juxta illud: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde;* ideoque in solemni illo Hierosolymitano triumpho, licèt cum olivis & palmis triumphalibus passim ab omni populo exciperetur, humilitate tamen suadente, non equo generoso, sed vili jumento insidere voluit, is, inquam, nihilominus hodie per omnes quaquaversum urbis plateas in magnifico Majestatis throno, sub pretiosissimis auro nimirum & gemmis phrygio opere elaboratis baldachinis, illustrissima Principum tam sæcularium quam Ecclesiasticorum corona cinctus circumferri velit, idque ut tanquam supremus mundi totius Monarcha latreuticè adoraretur, & ut hoc assequatur, omnes ad id faciendum ab Ecclesia hisce verbis invitare velit: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus?* Pro cujus resolutione memoranda est illa Davidis Prophetia, quam Psal. 2. refert, in qua ipsemet Altissimi Filius sui ipsius præco factus de seipso protestatur, dicens: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Verum inquies, ubinam hoc ei ab æterno Patre suo omnium animarum collatum est dominium? *Super Syon*, id est, in Cœnaculo Syon, quando sanctissimum

hoc

hoc instituit Sacramentum; Ibi namque regiam adeptus est authoritatem, juxta illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. *Et nunc Reges intelligite: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Et ideò post hanc institutionem, quę mortis suæ memoriale quoddam exititit, Redemptor noster legem suam Evangelicam universo mundo promulgavit; Et ideò non sine mysterio sanctus Joannes ante hujus Sacramenti institutionem præmisit, dicens: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; siquidem priusquam de se diceret: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus*, id est, per præsentiam temporalem in hac hostia, paulò ante protestatus fuerat, dicens: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*; adeoque certò asserere possumus Christum Sacramento hoc mediante omnes totius universi populos dominio suo venerabundos atque devotos subjicere voluisse. Unde dicit Ecclesia: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem*. Sciendum est autem hoc Christi dominium & regnum calamitosis illis sæculis, quæ tempus, in quo hodierna solemnitas instituta & stabilita fuit, diu præcesserunt, majori ex parte penitus defecisse; etenim navicula Petri sævissimis conquassabatur persecutionibus, quibus non tantum ab hæreticis, verum etiam à malis infestabatur Christianis: Quot enim injuriis, calumniis, & à contumaci inobedientia proficiscentibus bellorum tumultibus Fridericus II. Imperator, & Manfredus Filius ejus universum statum Ecclesiasticum per Saracenorum adhibitam auxiliarem manum affixerunt & perturbarunt, utpotè quem flamma & igne depopulantes, ne quidem ipsismet pepercerunt purpuratis Patribus, quos squalidis fœdisque incluserunt carceribus? superstitiones, sacrilegia, hæreses passim per omnia loca inundabant; Firmum sibi pedem figebat Turcicus Alcoranus, paganismus pariter & atheismus in optimo flore erat. Verum enimverò quonam existimatis divinam providentiam ad tantarum ruinarum reparationem, usam fuisse remedio? Priusquam ad id respondeam, primò velim audiatis, quod S. Bonaventura scribit: *Tolle*, inquit, *hoc Sacramentum de Ecclesia, & quid erit in mundo, nisi error & infidelitas? & populus Christianus erit idololatriæ deditus, per hoc stat Ecclesia, roboratur Fides, viget Christiana Religio, & divinus cultus*. Legite obsecro Historias sacras usque ad sæculum decimum tertium decurrentes, & invenietis utique quòd temporibus, quæ sæculum istud antecesserunt, Fideles hoc Sacramento valde parum usi fuerint, neque in ea apud omnes veneratione erat, in qua nunc ab illo sæculo & deinceps esse conspicitur, postquam Festum hoc per universam Christianitatem institutum fuit. Divina igitur providentia ut fidem paulatim ad interitum collabentem sustentaret, ac universum Catholicum gregem obedientem redderet, atque ad ovile Ecclesiæ reduceret, devotæ illius Virginis Julianæ cor & spiritum excitavit, & permovit, ut solemnes hasce processiones ad majorem Corporis Christi reverentiam in Diœcesi Leodiensi promoveret; postea verò eadem divina operante providentia varia insignia contigerunt miracula, superius à nobis in Discursu primo circa Eucharistiam recensita; Denique suo in terris Vicario persæpe ut Festum hoc per totum Christianismum celebrari præciperet, inspiravit. Justum igitur & æquum erat, quod Ecclesia Fideles suos ad hæc Festa concelebranda non aliis quam verbis propositis invitaret, dicendo: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus*, siquidem hoc Sacramento mediante omnium populorum recuperavit dominium & devotionem, nec non hæreticos, cunctosque alios Christianos catholicæ religionis barbaros persecutores & hostes profligavit, dissipavit, abegit. Observandum quoque hic est, quòd hoc Sacramentum per calicem quendam cum superimminente eidem hostia nobis communiter repræsentetur, quodque Sacerdos vinum in calice consecraturus hisce inter cætera verbis utatur: *Mysterium Fidei*, quasi insinuare vellet, Sacramentum hoc unicum esse Fidei nostræ firmamentum & sustentaculum. Cathedra Petri, quæ errare aut falli non potest, de finibus ob quos celebritas hodierna instituta & promulgata fuit, tractans, ita scribit: *Nos itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ Fidei, dignè ac rationabiliter duximus, statuendum, ut de tanto Sacramento præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solemnior & specialior annuatim memoria celebretur*. Enimvero quando Deus noster in ordine ad hodierni Festi institutionem promovendam primos circa beatam Julianam mediante visione illa, cujus mysterium eidem postea declaravit, conatus sui impetus fecit, inter cætera quæ Christus adducit impetus illius motiva, unum hoc fuit: *Ut fidei confirmaretur integritas, quæ posterioribus ante mundi excidium ætatibus labefieret plurimum*. Etenim certissimum est, quod hæresis nullam habeat in Ecclesia Catholica potentiorem machinam, quam in ejusdem Ecclesiæ excidium & exterminium explodere efficacius possit, quam Sacramenti hujus omnimodum neglectum atque contemptum, contra quod proinde omnes centuriæ infernales tot strinxerunt errores seu potius blasphemias. Ex alia verò parte Ecclesia ad illos confundendos, convincendos, & profligandos, nullam quoque adhibere potest potentiorem machinam, quam vivam hujus mysterii fidem, publicamque & solemnem Eucharistiæ venerationem; Et hinc est, quod Concilium Tridentinum de hisce processionibus per totam octavam quaquaversum institutis tractans, ita scribat: *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant; vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant*. Summus quoque Pontifex Urbanus IV. in Bulla sua specialiter se Festum hoc omnibus per totum mundum dispersis Ecclesiis celebrandum noviter præcepisse insinuat, ut pessimam hæresis sementem totaliter exterminaret. *Licet hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur, & dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insaniam, memoria solemnior & celebrior habeatur*. Et revera ipsamet nos edocuit experientia, quod nova, publica, universalis & solemnis hæc Corporis Salvatoris nostri in hisce processionibus venerario hæreticos vivacissimo sensu affecerit, utpote qui eidem institutioni tot variis modis facto & scripto attentatis oppugnarunt; veruntamen per repositas illis à nostris responsiones, hæresis majori ex parte devicta & prostrata remansit, tanti verò Sacramenti veritas, fides & devotio gloriosè triumphavit, maximè cum Bulla Urbani IV. à multis aliis Pontificibus, nimirum Joanne XXII. Clemente V. & Eugenio IV. fuit confirmata.

2 Revelavit quoque Deus Julianæ ancillæ suæ aliam quandam causam, ob quam novam hanc solemnitatem institui voluit, nimirum ut crescente per hos apparatus & processiones publicas & sumptuosas, erga Eucharistiam reverentia, cresceret pariter eodem tempore apud fideles panis hujus cœlestis æstimatio, & Communionis frequentia; hoc enim unicum quoddam & efficacissimum est medium, ad faciendum insignem in via Dei progressum. *Deinde ut hominibus recti amantibus instrumentum esset ad progressus faciendos*. Enimvero verissimum est, & negari non potest, quod qui sæcula antecedentia cum tempore illo, quo facta est nova illa hujus festi institutio ad invicem comparat, haud dubiè compertum sit, quod devotio credentium tam ad Communiones quam ad sacrificia, omnesque alios hujus Sacramenti usus deinceps mirabiliter adaucta fuerit.

3 Tertia causa eidem Sanctæ à Deo revelata, coincidit cum illa, quam etiam Urbanus quadantenus indicat, dum ait: *Ut quod negligentia hominum, & quandoque impietate contra mysterii hujus Majestatem peccatum fuerit, debito & synceriore aliquando cultu expietur*. Hisce verbis Salvator noster ancillam suam allocutus fuisse refertur, Bullæ autem verba sunt tenoris sequentis. *Quatenus in eo quod in aliis Missarum officiis, circa solemnitatem est forsan prætermissum, devota diligentia suppleatur*. Est autem hic omni cum diligentia ad nostrum profectum observandum, quod ad supplendas à nobis per anni decursum in veneratione Eucharistiæ admissas negligentias festivitas illa externa minimè sufficiat, siquidem præter hanc internas quoque præparationes requirit, dicens: *Et Fideles festivitate ipsa instante intra se præterita memorantes, ad*

Joan. 13. 3.
Matth. 28. 18.
De præp. Sacr. c. 2.
In bulla.
Sess. 13. c. 5.

Mansi Prompt.

quod in ipsis Missarum solemniis secularibus forsan agendis implicit; aut alias ex negligentia & fragilitate humana minus plenè gesserunt, tunc attentè in humilitate spiritus & animi puritate restaurent. Ex quibus verbis clarè satis deducitur, quanto major à nobis cura habenda sit pro interiori animarum nostrarum præparatione, quam pro apparatibus externis.

4. Isaias Propheta quondam de nationum & populorum ad sacra templa concurrentium multitudine, quæ per viarum compita conspiciebatur, loquens, dicit: *Erit* Isa. 2. 2. *præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes*. Curiosè utique inquires, cur Propheta non potius dixerit, *fluent ad eam*, scilicet, *domum*, sed dicit, *ad eum*? Oleaster dubium hoc optimè resolvit, dicens: *Fluent ad eum, ut non picturas aut cælaturas ibi videas, aut ornatos aulæis parietes; sed ad Dominum colendum; unde non dicit textus: Fluent ad eam omnes gentes; sed ad eum*. E qua Scriptura utilissimum pro nobis elicere possumus documentum: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus, qui se manducantibus dat spiritus pinguedinem*. Hisce igitur processionibus assistere debemus, non ob vanam ornamentorum & tapetum pictorum curiositatem, sed ad humillimum, & quoad possibile erit profundissimum huic Regi gloriæ præstandum obsequium: atque insuper debemus reflectere cibum hunc in hac cœlesti mensa ob salutem & commodum nostrum, & ad animarum nostrarum nutrimentum factum esse, ut spiritu & vera devotione impinguemur: siquidem *se manducantibus dat spiritus pinguedinem*. Absit ne in vobis verificetur, quod suo tempore acriter reprehendit Chrysostomus, dicens: *In Ecclesia apud multos videmus hanc vigere consuetudinem ut studeant mundis ingredi vestimentis; sed ut* Hom 25. in Matt. *Deo mundam exibeant animam, nullam habent rationem*. Quem errorem etiam Philo Hebræus detestatur in illis, qui templa benè compti exterius ingrediebantur, Lib. de Cherub. conscientiæ propriæ maculas minimè curantes: *Ut candidati templa subeant, dant operam diligenter emaculatis amicti vestibus; mentem vero maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non verentur*. Quanto autem hæc negligentia reprehensibilior est in Fidelibus, qui hisce diebus in purgandis plateis, ornandis domuum parietibus, in exponendis ad Solis splendorem vasis aureis & argenteis omnem industriam adhibent, de mundandis Conc. 3. de Fes. Corp. Christi. vero & expurgandis ab iniquitatum sordibus conscientiis suis nec quicquam cogitant. Opportunè B. Thomas hunc Isaiæ textum *Mundamini, qui fertis vasa Domini*, ad propositum adducit, dicens: *id est, pectora vestra, quibus veluti in vasis sacrum Domini corpus & pretiosissimus Christi sanguis infunditur, si enim puros & mauratos calices ad hæc mysteria celebranda paramus: quanto magis aurea & fulgida debent esse pectora, in quibus veluti in sacrariis eadem mysteria reconduntur*? Enimvero in Parabola Filii prodigi multas hujus Festi invenimus Analogias & similitudines: *Vitulum saginatum occidite, & manducemus, & epulemur*. Ecce enim tibi Salvatorem in sacrificio incruento ad instar victimæ oblatum; saginatum quoque; quia *dat spiritus pinguedinem*. *Manducemus & epulemur*. Ecce enim illum in Communione cibum nostrum. Non fortè Musicæ harmoniam & cantica desideratis? *Audivit symphoniam & chorum*. Num fortè apparatus ornamentorum? *Proferte stolam primam, date annulum in manu ejus, calceamenta in pedes ejus. Gaudere oportebat*. Si mensam respicias Eucharisticam, ecce tibi lætitiæ, ad quam invitati sumus, egregia specimina: *Sit laus plena, sit sonora, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio*. Ex altera verò parte, audite quales præmissæ sint dispositiones, priusquam huic mensæ assidere, & de festivis illis præparationibus participare inciapiant. *Fame pereo*: Ecce jejunium: *In se reversus*: Ecce orationem & meditationem. *Dicam ei: Pater peccavi in cœlum & coram te*: Ecce peccati sui confessionem. *Non sum dignus vocari filius tuus*: Ecce tibi sensus humilitatis & notitiæ sui ipsius. *Fac me sicut unum de mercenariis tuis*. Ecce agnitionem & lumen, quod in actibus contritionis acceperat, indignum se agnoscendo; id quod quævis anima ad hanc cœlestem mensam accessura dicere debet; *Non sum dignus vocari filius tuus. Non sum dignus, ut intres sub tectum meum*.

De hujus Sacramenti, hodiernæque solemnitatis institutione sub sponsalitii & nuptiarum figura tractatur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Egredimini, & videte filia Syon Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Cant. cap. 3.

1 SAncta mater Ecclesia omnes quidem fideles piè invitat, ut habitationibus suis egressi Regem pacificum à matre sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus diademate coronatum contemplentur: præcipuè verò filias Syon, id est, animas corpori Christi, quod nobis in Cœnaculo Syon datum est, intimè devotas invitat. Enimvero in die Jovis sancto, quo hæ celebratæ fuerunt nuptiæ, in funesta illa tragœdia, cui pro ultimo actu Calvariæ mons scenæ loco deserviit, repræsentanda, occupata fuit Ecclesia, prouti nemini non constat, ideoque sano cum consilio, ut nuptiarum istarum lætitiæ, per musicos concentus, ornamentorum apparatus, frequentem populorum concursum, perque alias jubili interioris demonstrationes dignè applaudere & congratulari possimus, totam hanc octavam deputavit. Porrò Spiritum sanctum in sacris Canticis in propositi thematis verbis de hoc sponsalitio loqui voluisse, haud difficile erit probare; Nam ut Theodoretus in hunc textum scribit: *Nuptiarum communio facta est: nam post cœnam accipiens panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate; hoc est corpus meum. Edentes igitur sponsi membra, & bibentes ejus sanguinem nuptialem ipsius communionem assequuntur*; Salvatori nostro in hoc throno Eucharistico considenti, Regis Pacifici titulus imponitur eo quod Sacramentum pacis existat: *Posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*; unde dum communicamus hæc verba præmitti solent: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*. Hanc etiam ob causam Christus Dominus noster, prouti olim B. Julianæ revelatum fuit, hoc sanctissimi corporis sui Festum institui voluit, ut esset *ad hostium vim repellendam præsidium*: Et forte ob hanc causam S. Thomas in hymno laudum hisce verbis utitur: *O salutaris hostia, qui cœli pandis hostium; Bella premunt hostilia, da robur, fer auxilium. In diademate coronatum. Videte* (inquit idemmet Theodoretus) *Charitatis ejus diadema*. Charitate veluti diademate coronamus, cum ipsa veluti Regina, superior sit omnibus aliis virtutibus; hac Christus in hujus Sacramenti institutione coronatus fuit; quia *in finem dilexit eos*. Nisi forte per diadema istud accidentia Sacramentalia intelligere malimus, quæ corpus ejus velut corona quædam circumcidunt. *Mater sua*. Per hanc li- Jo. 13. teraliter B. Virginem intelligere possumus, ipsa enim corpus illud ei subministravit. Unde sanctus Augustinus ait: *Corpus Christi caro est Mariæ*; nobis ministratur caro illa, quam ipsa ei subministravit, *in die desponsationis illius*, quia tametsi naturæ nostræ humanæ in Incarnatione desponsatus fuerit, majori tamen jure hic dies institutionis Sacramenti altaris desponsationis dies denominari meretur; quia Eucharistiæ hic titulus à sacris Doctoribus attribuitur, quo dicitur esse; *extensio Incarnationis*: quia cum unio Verbi, quando naturam nostram assumpsit, ad unicam duntaxat humanitatem terminata fuerit, in hoc tamen Sacramento omnibus illis unitur, qui hoc Sacramento cibantur, unde & nomen sortitur, quo communio passim ab omnibus vocitatur; Si in Incarnatione *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; hic, *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Et in die lætitiæ cordis sui*, hæc verba Philo Carpathius ad ultimam cœnam refert; *In die lætitiæ cordis sui, cum in illa die Paschatis, in qua Jesus lætitia affectus dixit discipulis suis; desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: quia ut sanctus Bernardus sermone in Cœna Domini scribit: *Hæc sunt vera festa Paschalia, hæc sunt gaudia, hic bibuntur in toto uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cœlestis; hic efficitur una caro sponsa cum sponso, unus Spiritus sancta anima cum Christo*.

2 *In die desponsationis illius*. Examinemus obsecro, si ita placet, antiquorum circa nuptias & sponsalia ritus

sie

ſic enim Chriſto Domino noſtro hujus Sacramenti, ſeu quod idem eſt myſticarum nuptiarum harum inſtitutori cum ſolido fundamento dicere poterimus: *Omnia in ſapientia feciſti.* Veteres etenim Matrimonia nr plu-
Alexan. ab Alex. lib. 2. gen. dier. cap. 5. rimum nocturno tempore celebrare ſolebant: *Nuptias caſtas & legitimas auſpicabantur noctu*: Similiter Chriſtus Dominus noſter *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Antiqui antecedenter ad matrimonium Deorum ſuorum aſſiſtentiam devotè implorabant, eiſque ſacrificia offerebant: *Sacrificio perfecto, conſulto Deorum numine.* Hic pariter quoad caſum noſtrum in Canone dicitur: *Elevatis oculis, ad te DEUM Patrem ſuum omnipotentem*: ſacrificium autem & victima quæ offerebatur, ipſiſſimum ſacratiſſimum corpus ſuum erat. Græcis & Macedonis in uſu poſitum erat, quod ambo ſponſi ex eodem per ferrum diviſo pane deguſtarent. Galathæ autem ex eodem cyatho bibere ſolebant;
Matt. 26. 26. Sanctus Matthæus autem de Chriſto dicit: *Accepit panem, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis*; utpotè qui ſponſam, id eſt, Eccleſiam repræſentabant, & ait: *Accipite & comedite; hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem; dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus. Mos erat veteribus* (ſcribit idem Alexander) *ut caput ob nubat; unde nuptia.* Et Calepinus, *in verbo, obnubo*, ait, *Nuptia dicta à capitis operitione.* Sic pariter cœleſtis hic ſponſus ſponſæ tuæ datus eſt velamis, ſubque panis & vini acciden-
Eph. 5. 22. tibus abſconditus; *Chriſtus caput eſt Eccleſia.* Conſuetudo quoque eſt apud omnes receptiſſima, quod ſponſa ſponſo ſuo cohabitet, eique convivat; ac proinde
Sap. 8. 9. ſapiens dicit: *Quæſivi ſponſam eam mihi aſſumere*, & paulo poſt: *propoſui hanc adducere mihi ad conviveadum, ſciens, quod mecum communicabit de bonis.* Sanctus Bonaventura, Hugo Cardinalis, & Gloſſa legunt: *Ad convivandum.* Cum igitur ſponſus noſter hujus naturæ noſtræ amantiſſimus eſſet: *Delitia mea eſſe cum filiis hominum. Amator factus ſum forma illius; hanc amavi & exquiſivi à juventute mea*: ex alia verò parte *ſcitas, quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, cum hoc eximium celebraſſet ſponſalitium, idemque ne quidem per mortem diſſolutum eſſe vellet; ecce tibi amoroſam inventionem, qua in hoc ſacramento ſemper cum ſua ſponſa, id eſt, cum Eccleſia in corpore, anima, & Divinitate permanere voluit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, non ſolum *ad convivendum*, ſed vel maximè *ad convivandum*; quia *eſt ſacrum convivium. Scimus quoniam nobis communicabit de bonis. Germanorum fertur mos* (inquit idem author) *ut ſponſus complacita mulieri, quam ducere animo deſtinavit, dotem det.* Dilectiſſima hæc Eccleſiæ ſponſa mire Chri-
Eph. 5. 25. ſto Domino complacuit, Paulo atteſtante, qui ait: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Verum inquies, quænam eſt dos illa, quam ſponſæ ſuæ erogavit: *Seipſum tradidit pro ea.* Urbanus Papa in Bulla ait: *Semetipſum nobis exhibuit, tranſcendens omnem plenitudinem largitatis, omne modum dilectionis excedens*; ac proinde plus eidem dare non potuit, ſiquidem ipſe eſt, *in quo ſunt omnes theſauri.* In urbe Athenienſi ſponſi porta ſeu fores domum ſuarum lauris exornando, ingenti cum apparatu coronare ſolebant. Unde Poeta illa canit:

Tu feſtas Hymenea faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Quis eſt, qui hodie non videat ex hortis elegantiſſimos decerpi flores, quibus corollæ intexantur, detruncari lauri frondes, viridantibus quoque ramis paſſim ſterni ſemitas, per quas tranſituræ ſunt ſacramentales hodiernæ proceſſiones, aliaque lætitiæ exhiberi ſpecimina, haud ſecus, ac ſi auguſtæ & ſumptuoſæ celebrarentur nuptiæ?

3 Verum enimvero quodnam eſt iſtud, ſi prima facie illud contemplaris, adeo impar & inæquale ac improportionatum ſponſalitium? quis unquam totius univerſi Monarcham viliſſimæ cuidam ancillæ ſuæ, mancipio ſuo deſponſari vidit? *Si vis aptè nubere, nube pari*: Et Solon in legibus ſuis ita ſtatuit; *Par pari jugato*? quænam proportio inveniri uſpiam poteſt inter Deum & hominem, inter Creatorem & creaturam, inter vilis luti pugillum ſeu abjectiſſimum vermem, & immenſæ Majeſtatis Deum, *quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates.* Equidem tametſi id veriſſimum eſſe inficiari non poſſim, attamen idemmet Deus, qui improportionem hanc penitiſſimè cognovit, infinitam hanc ſponſæ ſuæ diſparitatem ſupplere & aliundè recompenſare dignatus eſt, opulentiſſima Paradiſi æraria in ſponſæ ſuæ ſinum totaliter effundendo, & evacuando, ac proinde non ſine myſterio priuſquam Chriſtus Sacramentum inſtitueret. S. Joannes de eodem Salvatore noſtro præmittit: *Sciens* Joan. 13. *Jeſus, quia omnia dedit ei Pater in manus*, quicquid in regno naturæ & gratiæ boni præſto erat, totum & totaliter ſponſæ ſuæ communicavit. *Quid ultra potui facere, & non feci?* Præterea ut S. Bernardus ſcribit: *Ve-* Serm. 8. in Cant. *re ſpiritualis ſanctique connubii contractus eſt iſte, parum dixi contractus, complexus eſt; nec verendum, ne diſparitas perſonarum claudicare in aliquo faciat convenientiam voluntatum: quia amor reverentiam neſcit, & dominum quærat.*

4 *Deſponſationis illius.* Iſaias Propheta Eccleſiam velut ſponſam quandam elegantiſſime comptam & ornatam, gemmarum ditiſſimam, & ob ſalutaria veſtium ſuarum ornamenta feſtivam & gaudioſam introducit, Cap. 61. 10. dicens: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimento ſalutis.* Ubi S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Hic non immerito Eccleſia perſona introducta eſt, præ inſigni gaudio in has voces erumpens: Exultet anima mea in Domino; induit enim me veſte ſalutis, & tunica lætitiæ*; ac tandem qualis illa veſtis ſit, declarans, ait: *Tunicam vocat dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Quaſi ſponſum* (ita Iſaias loqui pergit) *decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Ubi S. Hieronymus ait: *Sponſa aſſimilatur ornatus; quæ ornatur mundo muliebri.* Porrò ipſamet nos edocet experientia, Eccleſiam in hac ſolemnitate haud ſecus ac ſponſam quandam elegantiſſimè adornari, utpote quæ hodie opulentiſſimos quoſque apparatus, & quam in armariis ſuis depoſitam habet pretioſiſſimam ſuppellectilem in publicum exponit. Idemmet Propheta, qui quod novæ legis Evangelicæ ſucceſſus deſcribat, Propheta Evangelicus per anthonomaſiam deſcribitur, alio in loco ita ſcribit: Iſai. 49. 18. *Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis, tibi eos quaſi ſponſa.* Quibus verbis dictus Propheta inſinuare velle videtur aliam veſtium harum interpretationem, nimirum ut per ſponſæ hujus veſtes, quotquot ad myſticas haſce nuptias confluunt, innumeri devotique populi intelligantur; quem conceptum ipſe quoque Chryſoſtomus tetigit, dum ait: *Eſt Eccleſia ve-* De S. Pen. *ſtis aſtantium multitudo*; ad quod probandum hoc Iſaiæ teſtimonio utitur. Ac proinde advertendum eſt, quod ut ſuperius in ſententia Apoſtoli diximus, *Chriſtus dilexit Eccleſiam*: quonam vero modo eam dilexit? *Ut illam ſanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi: ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Unde ſi ſponſam hanc pretioſa quadam veſte adornare volumus, opus eſt, ut puram habeamus conſcientiam, vitamque traducamus ſanctam & innocentem, verum enim verò ut diſcurſum noſtro ad hoc ſponſalitium denuo dirigamus; B. Laurentius verba illa: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare* De Trium. Chriſti agone c. 2. *vobiſcum*, conſiderans ait: *Hujuſmodi eloquia de cellario ardentis pectoris ideo mediator iſte protulit, ut in amorem ſui ſanctam excitaret Eccleſiam, traheret ad ſe, & copularet ſibi.* Demum verò ut oſtenderet, quod ſicut voluit, ut ambo prothoparentes noſtri *fierent duo in carne una*, ita quoque hoc cœleſti pane mediante ſtrictam quandam animarum noſtrarum cum ipſo unionem facere decreverit, ſiquidem *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, varias myſtici hujus matrimonii analogias proſequens, ſubjungit dicens; *Ob amorem ſponſæ immaculatæ Eccleſiæ reliquit in cœlo Patrem ſuum, quando formam ſervi ſuſcipiens ſemetipſum exinanivit; reliquit & matrem ſuam Synagogam de qua carnis traheas originem, propter infidelitatis demeritum repudiando contempſit; ſuæque adhæſit uxori, cum in Cruce pendens dato ſanguinis pretio, atque aquæ lavacro, ſibi eam inſeparabiliter copulavit; cui etiam pro amoris pignore, proque fœdere maritali corporis & ſanguinis ſui Sacramenta conceſſit,*

ut non solum in spiritu, verum etiam essent duo in carne una.

5 Enimvero præ cunctis aliis hodiernam corporis Christi solemnitatem sanctus Joannes Apostolus in mystica illa Apocalypseos visione conspexit, ubi Ecclesiam

Apoc.21.

veluti sponsam viro suo ornatam, deque cœlo descendentem introducit dicens: *Vidi sanctam Civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Sponsus etenim Ecclesiæ est Christus Sacramentatus; quia vero dies hodiernus solemnissimum illum nuptiarum suarum diem repræsentat, in quo nobis in Eucharistia donatus fuit, ac deinceps cum Ecclesia sua tanquam viro suo elegantissime adornata sponsa habitare cœpit, ideo S. Joannes se vocem quandam in hæc verba sibi acclamantem audisse, subjungit: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*, quamnam hac majorem evidentiam desiderare potestis; hoc etenim tabernaculum, prouti hodierna idipsum clarè demonstrat experientia in processione quaquaversum circumfertur & nobiscum semper perseverat. *Et ipsi populus ejus erunt*; siquidem hodie in Christianitate fideles catholici ab hæreticis manifestè discernuntur; quo enim tempore hi se publicæ & solemni corporis Christi venerationi opponunt, nos, si unquam hodie vel maximè erga eandem solemnitatem obsequiosos nos & egregie devotos ac venerabundos exhibemus, dicentes: *Christum Regem adoremus*, ipse vero alia ex parte in hoc Sacramento realiter præsens Christus tot gratiarum ingenti copia nobis magnifice correspondet, quia *pertransiit benefaciendo & sanando omnes.* Unde S. Joannes prosequitur, dicens: *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Notandum est insuper eundemmet Apostolum & Evangelistam paulo ante nimirum cap. 9. viginti quatuor illos vidisse Agnum hunc adorantes seniores, festivasque audisse voces hunc in modum acclamantes: *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei*, moxque ejus subjunxisse rationem, dicentes: *Quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido.* Verum enimvero quodnam ex hac visione ad nostrum profectum addiscere possumus documentum?

6 Væ nobis nisi elegantibus nuptialibus indumentis

Matt. 22. 13.

nuptiis hisce adstiterimus: severam namque hanc condemnationem haud immerito formidare possumus. *Ligatis

Serm. 1. de dedic. Ecclesiæ.

manibus & pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* S. Thomas ait: *Illud nuptiale convivium est Eucharistiæ Sacramentum, istud convivium in Cœna Domini fuit paratum.* S. Augustinus vero dicit: *Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad convivium nuptiale, id est altare

Conc. 3. de Fest. Cor. Christi.

Dei aut ebriosus, aut odium in corde retinens præsumit accedere.* Idem quoque S. Thomas nobis suggerit monitum: inquiens; *Si rectè, si pie ad cœlestis Regis nuptialem epulam accedere cupimus, prius aurum illud charitatis ignitum, quo locupletemur, apostolico moniti consilio nobis emamus, & vestibus albis puritatis & sanctitatis, ne nuditas nostra appareat, nos induamus.* Sacrum Conc. Trid. nobis non tam hodiernarum processionum magnificentiam quam devotionem & reverentiam unice nobis recommendat, dum ait; *In processionibus reverenter & honorifice per vias & loca publica circumferatur.* In Concilio quoque Provin-

Acta, Eccl. Med. cap. 139.

ciali Mediolanensi per S. Carolum habito dicitur: *Pio religiosoque apparatu, solemnique celebritate circumferatur.* Ex quo loquendi modo deducitur, hodierna die reverentiæ & obsequii interni, in animarum nostrarum puritate fundari præ ceteris omnibus vel maximè curam habendam, demum vero curandos esse exteriorum ornatuum apparatus.

Ecclesia in hodiernis processionibus Passionis Christi opprobria recompensat, mortisque ejus victoriam & triumphum ob oculos nobis ponit.

DISCURSUS NONUS.

Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Ad Hebræos cap. 2. v. 9.

1 A Prima & æterna veritate Christo Domino nostro pronuntiatum axioma est: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*; ac proinde in nullo magis adimpleri debuit, quam ipso, utpote qui in probrosa morte sua ad intimum humiliationis gradum se demiserat: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. 2. 3. Imò si benè consideretur, incomparabiliter major humilitatis demonstratio fuit, quod ille infinitæ Majestatis Deus se instar alicujus frustri panis, nobis vilissimis terræ vermiculis, è millenarum potius iniquitatum, quam luti sordibus plasmatis, idque ad usque mundi finem devorandum dederit. Æternus quoque Pater Filium suum etiamnum in terris mortaliter viventem exaltavit, idque toties quoties exigentibus id occasionibus, notabiliter se humiliavit & abjecit. Mox enim ut in stabulo abjectissimo nasci voluit, novam quoque in cœlis stellam exoriri fecit, tresque Reges Orientales ad eum adorandum è regionibus suis per eandem evocari fecit. Quando per circumcisionis impressam cicatricem in aliorum peccatorum numerum se recenseri dignatus est, mox Pater æternus gloriosissimum illud Jesu nomen ei cœlitus imponi voluit, ad cujus nudam pronuntiationem *omne genu flectitur cœlestium terrestrium, & infernorum.* Quando se in Jordane à Baptista baptizari permisit, mox cœlum apertum est super eum, clarumque de co testimonium cunctis hominibus reddidit dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, atque insuper super caput ejus in co- Matt. 3. 16 lumbæ specie descendit Spiritus S. Quando instar cunctorum criminosorum antesignani super monte Calvariæ in duorum latronum medio crucifigi voluit, lugubri statim tristique amictu Solem Pater æternus contexit; montes sese dividere, terram tremere, velum templi scindi, & rumpi per medium, ipsumque per centurionem & justum latronem præconizari, fecit, tanquam verum Dei Filium, quod idem alii quoque omnes verum esse etiam confitebantur, qui *revertebantur percutientes pectora sua.* Verum enimverò per fidem vestram vos obtestor, dicite sodes, cum Christus Dominus unquam actum aliquem commiserit magis heroicum ipsamet institutione hujus augustissimi Sacramenti? Quodnam infinita illa majestas, *quam cœli capere non possunt*, subire poterit majus vilipendium suique contemptum, quam quod in eo subiit, quando sese invisibili cuidam hostiæ atomo inclusit, ut vermem quendam vilissimum nutriret, seque huic nostræ fragilitatis putredini, & pulveri uniret? Jam de facto perspicuè ei notum erat, quod corpus suum paulo post a traditore illo, cui dixerat, *Diabolus est*, tradendum esset, ut à barbaris dilaniaretur, quodque non minores injurias & probra ad finem usque mundi à plurimis sibi rebellibus recepturus esset; similiter quod hisce sacramentalibus speciebus delitescens murium quoque & tinearum dentibus corrodendus, subjiciendus esset; denique quod a tot hæreticis perversisque Christianis in varios abusus, imo usque ad ipsas incantationes & maleficia esset adhibendus, nec tamen ab hujus Sacramenti institutione revocari potuit. Ad hæc quænam excogitari potuit humiliatio abjectior, quam sit illa, qua Deus ille, cui *obediunt omnia*, ad unius sacerdotis nutum, imo ad mille millium sacerdotum, si tot essent, imperium, velut obligatissimus servus & vile quoddam mancipium promptissimè obediens à Patris dextera descendat, seque illis exterioribus panis accidentibus velut carceri includat, *obediente Deo voci hominis*? Nec tamen uspiam hanc ejus tantam humilitatem ab æterno Patre aliquo honorificentiæ signo exaltatam fuisse comperietis. Et tamen cum Angelico Doctore teste verissimum sit, quod *hoc Sacramentum instituit, tanquam passionis suæ memoriale perenne*, nunquid tot ejus opprobria & vituperia quibus in hoc Sacramento libens se subjecit, totidem honoribus & obsequiis recompensari convenientissimum erat? Etenim tempus septimanæ sanctæ, utpote aliis permagnis redemptionis nostræ mysteriis deditum minimè permittebat, ut Ecclesia eo tempore vel minimis honorificentiæ demonstrationibus in hujus Sacramenti honorem edendis, mortisque ejus opprobriis totidem devotionis & reverentiæ testimoniis compensandis intenderet, ideoque hanc præcipuè octavam sibi elegit, ut in ea illud adimpleretur sancti Pauli oraculum; *videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*

2 In passione Domini invida Hebræorum gens, cum missis à Pilato justitiæ ministris sese conjungens tanto eum strepitu, tantuque cum insultibus Christum

stum ut caperent, vinculisque & catenis ferreis onerarent, aggressi sunt, ut S. Petrus quin in justam indignationem prorumperet, continere se minimè potuerit. Sed ecce tibi hodie is qui Petri in Ecclesiæ cathedra gubernanda successor est, omnes gentes præstandum sanctissimo corpori ejus reverentissimum obsequium eique cum jubilo & festivis gaudiis applaudendum humanissimè invitat. Tunc unusquisque Judæorum ad Christum injuriis, blasphemiis, & calumniis onerandum certatim contendebat, hodie autem Ecclesia unumquenque hisce verbis invitat: *Lauda Syon Salvatorem, lauda ducem, & Pastorem, in hymnis & canticis: Quantum potes, tantum aude*. Tunc Redemptorem nostrum subsannaturi coram eo genua flectebant; at verò hæ simulatæ genuflexiones, hodiernis frequentissimis & devotissimis adorationibus certatim recompensantur: *Christum Regem adoremus*. Patibulo Crucis super caput Jesu ad majorem ejus infamiam inscriptus fuit hic titulus: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Hisce verò diebus totus mundus Christianus hilariter ei acclamat: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus*. Tempore Passionis publicè per urbis Hierosolymitanæ vicos & plateas probrosissimè raptatur, multis fuit injuriis & opprobriis affectus: in hodiernis verò processionibus, non in una duntaxat urbe, sed in omnibus civitatibus, oppidis, pagis ac territoriis, ad quæ se fidei nostræ extendit processio, in magnifico & augusto majestatis throno cum omni uniuscujusque possibilitati correspondente magnificentia circumquaque circumfertur. Passionis tempore, tanquam læsæ majestatis, religionisque violatæ reus, ad tribunalia judicandus, & condemnandus ducitur, & reducitur: hodie autem in plerisque platearum compitis sumptuosa eriguntur altaria, in quibus in hoc Processionum circuitu requiescens, ab omnibus tanquam Salvator & Redemptor noster devotissimè adoratur. Quod si tempore Passionis à synagogæ Pontificibus, ab Herode Rege, à Præside Judææ Pilato, nec non ab omnibus synagogæ Principibus cuntumeliosè tractatus fuit; ecce tibi in hodierna solemnitate à summis Pontificibus velut in triumpho quodam reverenter circumfertur; eademque cum veneratione per humillima Regum, Imperatorum, & Monarcharum obsequia devotissimè passim adoratur. Quod si in penosissima illa passionis suæ nocte columnæ flagellandus adstrictus fuit, hodie certe ad majorem illius honorem & gloriam mausolæa, obelisci, arcusque triumphales hic & ubique eriguntur. Si in nocte illa vestimentis suis spoliatus ad majus ejus ludibrium lacera fuit purpura indutus, hodie illum pretiosissimis ornamentis circumamictum exponi videmus, siquidem ad Ecclesias, altaria & plateas ubique locorum decenter exornandas tota exhauritur tam prophanorum quam sacrorum ornamentorum suppellex, qua sacerdotes quoque omnesque alii ministri Ecclesiastici circumornati præfulgent. Quodsi Passionis tempore pungentibus fuit spinis coronatus, hodie ad illius altaria & per quæ transiturus est loca exornanda, quotquot in hortis nascuntur Rosæ & Lilia adducuntur. Quodsi in morte Calvariæ in ligno quodam in totius populi conspectu, tanquam homo maledictus elevatus fuit: *Maledictus qui pendet in ligno*; hodie à sacerdotibus in altum elevatur, ut innumeris benedictionibus præsentem cumulet populum. Vere igitur, imo verissimè dicere hodie possumus: *Videmus Jesum propter Passionem mortis gloria & honore coronatum*.

3 Advertendum est autem, dictionem hanc, *Coronatum*, ad victoriam & triumphum alludere; Et ve-
Sess. 13. rè ita est, siquidem Concilium Tridentinum, de in-
c. 5. troducto hoc Corporis Dominici festo tractans, expressè declarat, quod per hasce processiones hodiernas passionis & mortis ejus victoria repræsentetur & triumphus: *Aequissimum est*, inquit, *sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & plane divino beneficio; quo mortis ejus victoria & triumphus repræsentetur*. Enimvero quod si
In theat. vocis hujus *Triumphus*, ethymologiam examinare vo-
vitæ hu- lumus, *Triumphus vox est Græca: significat omnium*
manæ ver. *honorum, qui à populo Romano dari poterant, maxi-*
triumph. *mum*. Portò quotannis nos hic Romæ docet experi-

Mansi Prompt.

entia, omnes huic solemnitati honorandæ excogitari honores & obsequia, quæ ab sancta Sede exhiberi ullatenus possunt, idemque per universum Christianismum pariter præstatur. De Saule scribitur, quod post obtentam adversus Amalecitas gloriosam victoriam *Fornicem sibi triumphalem erexit*; Ubi Glossa ait: *Ar-* 1. Reg. 15.
cum extulit, ubi descripsit triumphum gloriæ suæ. De Davide pariter legitur, quod post captam Syriam. *Fecit sibi nomen in valle Salinarum*; ubi Glossa dicit: *Ere-* 2. Reg. 8.
xit sibi fornicem triumphalem. Equidem olim non ita facili negotio contingebat assequi triumphum; neque enim ad id sufficiebat multas obtinuisse victorias, nisi triumphator pariter vel proconsul, aut consul esset vel dictator; prælium quoque requirebatur prævium, in quo ad minus hostium quinque millia occubuissent, & in quo per eandem stragem provinciam, de qua agebatur, & subjugasset, & paci denuo restituisset, necessum quoque erat, ut victoriosus denuò cum triumphatore reduceretur exercitus, bellumque non defensivè, sed offensivè novorum scilicet statuum & dominiorum acquirendorum causa inchoatum fuisset; Denique in templo Jovis Capitolino claudebatur triumphus, ubi post universam prædam & spolia exhibita sumptuosum tandem apparabatur Convivium. Qualiter autem omnes hi paraleli & ab hoc Romanorum triumpho desumptæ analogiæ in hoc nostro præsenti Sacramentali triumpho perfectè verificentur, velim audiamus; *Mor-* Apoc. 5.6.
tis ejus victoria & triumphus repræsentatur. Etenim quis est, qui nesciat, quod *vicit Leo de tribu Juda*, gloriosam de universo mundo, de Inferno, cunctisque aliis inimicis reportando victoriam? Quis adeo cæcutit, ut non videat, qualiter omnes universæ terræ provincias & regna sibi in cruento illo passionis suæ Joan. 12.
certamine compararit? *Nunc princeps mundi hujus* 31.
ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus. Christum quoque in multis provinciis & regnis Evangelicæ legi suæ subjectis, regnasse & etiamnum regnare clarius est, quam ut probare necessum sit, ac proinde invitamur ab Ecclesia hisce verbis: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus: mortis ejus victoria & triumphus repræsentatur*. Solebant in triumphis effigiata circumferri præcipua triumphatoris facinora & insultus, quibus mediantibus hanc assecutus gloriam fuisset. Eundem quoque finem spectare videtur Ecclesia, dum in hac solemnitate in memoriam nobis revocat gloriosiora, magisque memorabilia Redemptoris nostri facinora, dicendo: *Pange lingua gloriosi corporis mysterium, sanguinisque pretiosi*, & cætera quæ sequuntur. In triumphis sumptuosi instaurabantur statuarum, fontium, arcuum, pontium, & obeliscorum apparatus; quod idem partim in hodiernis fit processionibus, dum, prout quilibet perspicuè videt, eædem variis iisque valdè elegantibus ac prædivitibus apparatibus & ornamentis honorantur. Triumphatores ante currus suos triumphales hostes suos vinctos agebant & catenis onustos, in hoc autem Corporis Christi triumpho, nos mancipia sumus, qui paulò antè propter culpam hostes ejus & inimici, nunc verò gratia mediante reconciliati, indissolubilibus charitatis vinculis eidem devicti & colligati sumus; *In funiculis Addam traham eos* (Ita hic Deus per Oseam prædicit) *in vinculis charitatis, & ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum, & declinavi ad eum, ut vesceretur*. Triumphatores similiter Republi- Osea 11.4.
cæ pacem adferebant, persæpe etiam post debellatos inimicos Jani claudebant templum; ideoque pariter Ecclesia non sine mysterio per universam hanc octavam canere solet: *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Syon: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem*. Denique triumphatores in evidens magnificentiæ & liberalitatis suæ signum opulenta clargiri munera, magnique valoris monetas in populum spargere & affundere solebant; ideoque hic cœlestis triumphator etiam, ut diximus, *pertransit benefaciendo & sanando omnes*.

Verum enimverò inter cæteras antiquorum triumphorum circumstantias, una est, quæ in summa nostram confusionem in hodierno triumpho nostro deesse sæpe conspicitur. Etenim senatores aliique Reipublicæ primates ad præparatum in Capitolio convivium triumpho expleto invitati, illud ipsum frequentare neutiquam renue-

bant. Ad hanc autem mensam Eucharisticam, de qua dicitur: *O sacrum convivium in quo Christus sumitur. Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos*; Sed quo eventu? prouti in Evangelio Dominicæ proximæ, quæ est infra octavam, audietis: *Cœperunt simul omnes excusare*; Eheu quanta est ab hoc pane in nobis aversio, quanta nausea? quam tarde & inviti ad hanc mensam accedimus? Erat insuper & alia quædam triumphalis apparatus circumstantia, quia nimirum post currum triumphalem proximus semper ibat quidam, qui hæc triumphatori verba in memoriam revocabat: *Hominem te esse memento*, vel qui, ut alii dicunt, defectus ei suos exprobrabat, gravibusque eum onerabat injuriis, id quod in hodierno quoque triumpho proh dolor in maximam confusionem nostram plus nimium observari conspicimus, dum multi perversi & dissoluti Christiani per scandala sua, magnamque quam huic tanto Sacramento exhibent irreverentiam præsentium processionum triumphos injuriis & contumeliis suis dedecorant. Vestras obsecro huic tanti ponderis veritati arrigite aures: Etenim Christus Deus noster in magnifico majestatis throno residens hodie quaquaversum circumfertur, ut is ei honor, illa gloria & obsequium restituatur & compensetur, qui ei in sua passione ab hominibus turpiter ademptus fuit; Et quidem in spectabili illo in die Palmarum ei exhibito triumpho, qui mortem suam immediatè antecessit, quando paulo post inter duos latrones probrosissimè crucifigendus erat, tanta cum Cœremoniarum & acclamationum pompa honorari & condecorari voluit, ut proindè facilè unusquisque conjicere poterit, quanto majori cum apparatu sanctissimum corpus suum in hoc Sacramento, nunc dum ad Patris dexteram impassibilis residet honorari & celebrari desideret ut adimpleatur, quod dixit Apostolus, nimirum quod *propter passionem mortis gloria, & honore coronatur*. Mancipia & servi triumphalem victoris currum præcurrentes, junctis ad invicem per manicas ferreas manibus & inclinata cervice eundem stipare solebant; talis quoque nostra, dum processiones hasce comitamur, deberet esse devotio. A devotis proinde Hierosolymæ civibus eorumque pueris, ex iis, quos in prædicto Palmarum triumpho exhibuerunt pientissimis moribus, discamus obsecro, quonam nos modo in præsenti triumpho gerere debeamus. Illi ad eum impensissime honorandum percupidos se esse demonstrarunt, demonstremus igitur & nos ipsi hæc ferventissima reverentiæ & devotionis exhibendæ desideria: *Esurientes replet bonis. Sitientes venite ad aquas*. Ipsi quidem frondes & flores per viarum compita sparserunt, sint in nobis loco frondium & florum bona proposita, sanctæque meditationes sacram communionem immediatè præcedentes. Illi vestes suas in terram quam calcaturus erat eum portans asellus, prosternebant, nobis autem vitiorum nostrorum, malarumque nostrarum inclinationum exuendi & deponendi sunt habitus. Illi ex olivis quæ pacis sunt symbola, & palmis, quæ victoriam præsignificant, ramos decerptos Christo obviam tulerunt; nobis quoque curandum est, ut imperturbata bonæ conscientiæ pace fruamur, nostrarumque efficiamur tentationum victores, ac tandem cœlesti huic triumphatori occurrere possimus. Ipsi Christo Domino advenienti acclamarunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Nos quoque nostras in ejus laudem linguas laxemus ad reddendas ei pro tam immenso beneficio condignas gratias: *Lauda Syon Salvatorem, lauda ducem & Pastorem in hymnis & canticis*.

Multæ inter processionem qua David arcam circumferri fecit, & hodiernas sanctissimi Sacramenti processiones adducuntur analogiæ, agiturque de reverentia, qua eisdem assistere debemus.

DISCURSUS DECIMUS.

Adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio, & erant cum David septem Chori. 2. Reg. 6. v. 12.

1 Dionysius Carthusianus solemnitatem processionis illius, in qua arca Dei cum tot Instrumentis musicis, canticis, aliisque lætitiæ & magnificentiæ demonstrationibus circumlata fuit, considerans, ex altera verò parte ad hodiernas solemnes Corporis Christi processiones oculum deflectens, ita scribit: *Corporaliter quoque & quasi ad literam ista fiunt in processionibus Ecclesiæ in deportatione dignissimi Sacramenti*. Conc. 3 in fest. Corp. Christ.
Porrò arcam illam in qua manna reclusum erat, tabernaculum hoc Eucharisticum præfigurasse adeò certum est, ut probatione non indigeat: *Quanta majestas, quantus honor in arca lignea?* inquit sanctus Thomas: *tantane tibi Domine cura de ligno? Non utique* inquit Sanctus. Hanc autem venerationem, hancque reverentiam arcæ exhiberi voluit, eo quod augustissimi hujus Sacramenti figura existat: *cujus typum sic magnificavit, sic sublimavit*. Admirabiles quæ inter arcam, & hujus festi ac processionum quæ in corporis Christi honorem habentur, institutionem versantur, Analogias & parallelos, non nihil accuratius examinemus.

2 *Benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus nuntiatumque est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus propter arcam Dei; abiit* 2. Reg. 6. 12 *ergo David & adduxit arcam*. Ecce tibi motivum, quo sanctus hic Rex adigebatur ad transferendam hanc arcam, nimirum quia domum Obededom multis cumulatam fuisse benedictionibus noverat. Quodnam verò motivum fuit, quo summi Pontifices Urbanus IV. multique alii ejus successores ad novam hanc solemnitatem in universa Republica Christiana omni cum solicitudine & cura promovendam permoti fuere? Nimirum bona infinita, quæ Christifideles ab hoc tam augusto Sacramento perceperant, & prodigiosa illa miracula, quæ eo tempore quo mysterium hoc à multis hæreticis controvertebatur ad fidem illius tanto solidius authenticandam in variis Orbis partibus patrata fuerant; prouti in discursu primo vidimus.

3 *Iniit autem consilium David cum tribunis & centurionibus, & universis principibus; si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor, mittamus* 1. Par. 13. 2 *ad fratres nostros, in universas regiones Israel, & reducamus arcam*. Ecce in novæ hujus festivitatis institutione adimpletum omne id, quod David in arcæ processione ordinanda instituerat; nam prouti Urbanus IV. in litera quadam ad magnam illam Dei famulam Evam conscripta, in qua ei ob consolationem, quam ex festi hujus institutione perceperat, collætatur, attestatur, dicens: *Scias, quod nos hujusmodi festum cum omnibus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis tunc* Parth. Ibl. cen. de Orig. festi Corp. Chr. *apud sedem Apostolicam commorantibus (ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrandum*. Poterat equidem solus Papa vel Romæ, vel in statu Ecclesiastico Processiones istas unà cum festo hoc instituere; id tamen facere noluit, sed potius solemnem hanc venerationem ad omnes fideles extendere placuit; *Mittamus ad fratres nostros in universas regiones*, ac demum dicit: *à Domino egreditur sermo, quem loquor*; jam enim de revelatione hac super re B. Julianæ facta certior factus fuerat.

4 Porrò facet textus numerosum quendam virorum ex omnibus tribubus Israel excellentissimorum, qui ad 1. Para. 15. 12. hanc functionem festivam convenerant, contexit Catalogum: *Congregaverit universum Israel in Jerusalem*. Et enim utilissimum valdeque considerandum est insigne illud à Davide illis datum monitum: *Dixit ad eos: Sanctificamini & afferte arcam Dei Israel ad locum qui ei præparatus est*. Ubi Lyranus ait: *Per quod significatur, quod in ministerio Sacramenti Eucharistiæ non sufficit gradus ordinis, nisi cum hoc sit puritas mentis & corporis*. Similem quoque Urbanus circa decernendum huic Sacramento honorem, exhibuit solicitudinem; siquidem in Bulla verbis satis perspicuis expressè præcipit, ut quilibet ad hujus sacrosancti corporis venerationem debitè se præparet, dum ait: *Per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitiones, attentas & sedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod hujus pretiosissimi Sacramenti mereantur fieri participes*. S. Augustinus scribit: *Nunquid* In Q. 127. in utrum. Fest. *non tunica mediocris hominis quamvis munda, Imperatori tamen sordida & illicita est? Antistites Dei puriores esse debent quam cæteri qui & Christi habent personam; & ministros Dei mundiores esse oportet: nemo enim Imperatori ministrat, nisi vestimentis claris & mundis indutus*. Vult Christus

Domi-

Dominus noster in hac festivitate tanquam supremus cœli terræque monarcha adorari; *Christum Regem adoremus*, &c. hoc tamen non à quovis grato modo fiet; nam ut David ait: *Illicitum est, ut à quocunque portetur arca Dei, nisi à Levitis, quos elegit Dominus ad portandam eam, & ad ministrandum sibi*. Per quod significatur
1.Par.16.a ait Lyranus, *quod in ministerio Sacramenti Eucharistiæ, in quo continetur Christus, soli Sacerdotes & ministri ad hoc ordinati accedere debent, & non alii*. Id quod etiam sanctus Thomas in Hymno matutinali hisce verbis declarat: *Cujus officium committi voluit solis presbyteris*; ad hos etenim solos pertinet animatæ, & divinæ hujus arcæ summa cum reverentia portandæ humeros suos subjicere.

2 Reg.6.1. 5 *Congregavit David omnes electos ex Israel*. Multi in veteris illius processionis comitatu numerantur principes: *Uriel Princeps fuit, Asaa princeps, Joel princeps, Semejas princeps &c. Dixit David principibus Levitarum*. Adeoque processionis illius nobilitas & magnificentia ex omni parte resplendebat; Quia verò *omnia in figura contingebant illis*, ideò tanti apparatus & pompæ veteris
1.Paral. illius processionis mysterium & causa fuit, quod videlicet processioni hodiernæ inter omnes, quæ per totius anni decursum celebrantur processiones, hæc debebatur excellentia ac prærogativa, ut eidem à Pontificibus, Cardinalibus, Prælatis, Regibus & Imperatoribus summa cum humilitate & reverentia debita obsequia certatim exhiberentur.

1.Paral.15. 27. 6 *David erat indutus stola byssina, & universi Levitæ, qui portabant arcam, etiam induti erant ephod lineo*. Hæ autem vestes ornamenta præfigurabant sacerdotalia aliosque prædivites apparatus, qui hodie potius quam alio quovis tempore, ad præsentis festivitatis majorem pompam explicantur. Advertendum verò est, quod lini illius candor internam denotare debebat animarum, & cordium nostrorum præparationem; Atque ideo Anastasius Sinaita nonnullos reprehendit, dicens:
Orat. De sacra syn. naxi. *Multi quidem non laborant, qua puritate & pœnitentia ad sacram mensam adeant; sed quibus vestimentis exornentur* Glossa quoque ait: *Per stolas byssinas candida munditia corporalis castitatis designatur, hac induuntur omnes, qui Dei officio assistant, & laudes ei ore, moribus & actu concrepant: Cymbala oris confessionem, psalteria mortalitatem, cythara carni mortificationem denotant*.

1.Reg.6.3. 7 *Imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum*: Hodierna quoque die vasa aurea & argentea, quæ Gaza nostra continent, pretiosissima & elegantissima publicè à nobis exponuntur ad Eucharistiam corporis Christi mensam tanto magis locupletandam, novisque splendoribus illustrandam: *Recedant vetera, nova sint omnia, corda, voces, & opera*.

1.Par.15.27 8 *Constituerunt cantores in organis musicorum, nablis videlicet & lyris, & cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ; erant cum David septem chori; deducebant arcam in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & cytharis concrepantes*. Quis est, qui non videat cantus & musica illa instrumenta, præludia fuisse quibus Harmoniæ musicæ, cunctaque alia lætitiæ & universalis jubili signa, quibus hodiernæ processiones passim afficiuntur, præsignificabantur? audite Pontificem in Bullà sua loquentem: *Tam Clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant: tunc enim omnium corda, & vota, & ora, & labia hymnos per-*
In c.6 lib. 2 Reg. *solvant lætitiæ salutaris*. Dionysius Carthusianus eadem de re ita scribit: *Per arcæ reductionem præfigurata est processionalis circumductio Sacramenti, in qua cum Prælato sunt diversi chori psallentium, & cum interiori & exteriori Deitatis laudatione, symphonia, & devotione educitur Sacramentum. In cytharis pro octava canebant epinicion*, id quod de hac processione dicitur: Ubi Lyranus ait: *Per octava canebant, est significatio ista; victori Deo triumphus sive palma, hoc erat principium cantici, quod cantabant. & frequenter resumebatur in processu cantici*. Nos in hodiernis matutinis pariter persæpe replicamus: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus*, & in præcedenti discursu de facto probavimus, quod in hac processione *mortis ejus victoria, & triumphus repræsentatur*.

2 Reg.6 14 9 *David saltabat totis viribus ante Dominum*. Sanctus Ambrosius saltus hosce devotionis, mortificationis, & conceptæ erga arcam reverentiæ effectus fuisse hisce
In Glossa. verbis commonstrat: *Saltabat ante arcam potentissimus Regum docens contemptum regalis potentiæ non esse habendum, ubi religioni exhibetur obsequium*. Porrò in saltibus hisce ludi titulus à Scriptura tribuitur: *David & omnis Israel ludebant coram Domino, saltantem atque ludentem*; Ubi Glossa ait: *Iste ludus non erat dissolutionis, sed devotionis, secundum illud Psalmi 83. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Hanc devotionem, exultationem & interius gaudium, quilibet Christifidelis in hac sanctissimi Corporis Christi publica veneratione in se manifestè experitur.

10 *Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit* 2.Reg.6.16
Regem David subsilientem atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo. Redeuntem quoque asperrima reprehensione corripiens ait. *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus ex scurris*. Ubi Glossa ait: *Cunctis exultantibus, & ad arcæ cœlestis introitum hymnos resonantibus sola Michol filia Saul abest*. Michol isthæc à Saule reprobo & à Deo totaliter abjecto genita expressa fuit hæreseos figura, quæ processionum istarum augustis honoribus & applausibus sese pro viribus oppositura erat. Unde sanctus Thomas de Vil-
lanova ait: *Filia Saulis Michol quæ pium Regem Do-* Conc.3 cit
mini cultorem irrisit, quorundam impiorum fidelium typum habet, qui neque Dominici Corporis Sacramentum ipsi suscipiunt; neque alios suscipere patiuntur: irrident namque in suis conventiculis & subsannant devotos & pios hujus Sacramenti cultores. Quodnam autem fuit ipsi a Davide redditum responsum? *Ante Dominum qui elegit me potius, quam Patrem tuum, ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis*. Id quod motivum quoddam est valdè opportunum, ad hominem in devotionem erga sacratissimum Christi Corpus magis magisque accendendum, dum immensa quæ ab ipso recepimus, & continuò accipimus beneficia grata memoria recolentes, debitam ei gratitudinem exhibemus. Memorandum verò est, hanc Michol in contemptus istius pœnam & vindictam perpetua à Deo sterilitate fuisse castigatam. Quid autem hæreticis Eucharistiam ejusque cultores & adoratores deridentibus accidit? quantum ex eo quod hisce se processionibus opposuerint, & etiamnum opponant, fuere mulctati. Jam superius ex Sess 1 .c.5.
sententia Concilii Tridentini diximus: *Sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant*. Memoriane fortasse recolitis quid acciderit, quando Arca Dei trans muros Hiericunthinos per
circuitum deportata fuit? *Sacerdotes tollant septem buc-* Josue 6.4
cinas; & præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis civitatem, & muri funditus corruent. Nunquid idem circa harum processionum solemnitatem accidere quotannis videtur, quando Arca Eucharistica magnam Hierichuntis id est, Hæreseos, Deo rebellantis partem prosternit & subvertit? Arca Domini Dagonis Idolum contrivit: Hoc autem Sacramentum hæresin totaliter confundit, atque prosternit. Nam *ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam & insaniam*, se festum hoc instituisse Pontifex in supradicta Bulla ex-
pressè declarat, de Area insuper dicitur: *Postquam au-* 2.Reg 6 6
tem venerunt ad aream Nachon (id est, durante illa processione) *calcitrabant boves, & declinaverunt eam*. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod arca ad aream viri illius appellente, boves, currum, qui arcæ vehiculum erat, trahentes recalcitrare cœperint, adeo ut periculum evidens esset sacrum illud depositum susque deque invertendi? Dionysius Carthusianus respondet: *Per aream Nachon intelligi potest Ecclesia hæreticorum loquax, & pertinax*. Hi enim veluti totidem ignorantes & stupidi boves solemni huic festo & venerationi publicæ corporis Christi recalcitrant, eidemque pertinaciter sese opponunt; verumtamen à libris errores eorum manifestè refellentibus confunduntur, utpote quia adversus dictos hæreticos, quanta cum congruitate & convenientia universale hoc festum pro tota Ecclesia Dei institutum sit, manifestè demonstrant. Verum enimverò possumus quoque hoc loco moralitatem quandam tangere præsenti nostro proposito perutilem: *Michol prospiciens per fenestras despexit in corde suo David*. Ergo Michol illum saltem non contempsit in publico, neque per hoc consequenter universæ Hierosolymæ

scanda-

scandalum aliquod attulit. Quam igitur deplorandum est, quod hodie multi solo nomine Christiani, hisce diebus potius quam alio quovis tempore *prospiciunt ad fenestras*, & tantum tamque augustum Sacramentum notabili cum irreverentia & impietate despiciunt. Audite obsecro, qualenam illos pro hoc tanto scelere maneat supplicium. [Conc. cit.] Sanctus Thomas de Villa-Nova de illorum pœna ita scribit: *Quorum pia & debita retributio est, ut omnis justitiæ, & pietatis fructu, & sancto charitatis affectu vacui in summa bonorum omnium spiritualium Charismate egestate & sterilitate moriantur.*

[2.Reg.6.7.] 11 *Obtulit David holocausta & pacifica coram Domino, & benedixit populo in nomine Domini, & partitus est universæ multitudini collyridam panis, & assaturam bubulæ carnis, & abiit omnis populus unusquisque in domum suam.* Hic fuit processionis hujus circumlatæ arcæ finis. At verò observetis obsecro, quam aptè omnes hæ circumstantiæ nostræ festivitati respondeant. Etenim nos quoque sacrificium quoddam, sed incruentum, panem scilicet cœlestem in Missa offerimus, ac demum in fine processionum populus solemniter benedicitur, omnibusque ad hanc processionem confluentibus, multæ à summo Pontifice distribuuntur indulgentiæ. Unde [Serm. 3. in Fe. Corp. Christ.] Dionysius Carthusianus ait: *Sciendum quod in hac solemnitate meritò sic auctæ sunt indulgentiæ istæ: quoniam celeberrima ista festivitas est de eo, a quo omnes indulgentiæ efficaciam sortiuntur & oriuntur.* Glossa verò super verba illa: *Collyridam panis unam*, ita scribit: *illius scilicet qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo! & assaturam bubulæ carnis unam, & illius scilicet vituli saginati, qui pro revertente filio mactatus, igne passionis assatus est.*

12 Denique S. Thomas Davidis tanta cum pompa arcam quaquaversum circumducentis lætitiam considerat, & ingens gaudium, & tale format argumentum: Quod si tam festiva gaudia instituit ille, qui stul-[Conc. 3. de Fest. corp. Christ.]tus reputatus est, *Cum esset alioquin gravissimus & severissimus: quid faceret coram isto sacrosancto, & Deifico Sacramento? Qui sic se humiliavit ligno, quomodo se dejiceret Christo?* Arca tantum umbra quædam Eucharistiæ fuit, & tamen non solum David Rex, sed & universus populus, quantus, quantus erat, ipsam in summa veneratione habebat: *Verè gens illa & populus ille* (inquit B. & Angelicus Thomas) *surgent in judicio contra nos & condemnabunt nos: quia amplius illi umbræ, quam nos veritati detulerunt.* Considerandum quoque hoc loco est, quod hæc eademmet arca, licet tot benedictionum cumulandarum instrumentum, Ozam nihilominus morte repentina mori fecerit, cum tamen is revera aliud nihil fecisset, quam quod ad sustinendam arcam, ne illa caderet, manum suam extenderit: *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est.* Verum inquies, qua ratione temeritatis vitio aut labe notari meretur is, qui pretiosi illius & inæstimabilis thesauri casum in terram impedire mirebatur? Sciendum est igitur, Ozam in eo temerarium fuisse, quia nimirum arcam currui tanquam ferculo imposuerit, qui eandem humeris suis ferre debebat: Eadem quoque & longè major est temeritas multorum, qui exiguum huic Sacramento deferunt respectum, & nonnunquam vix tanti faciunt, quanti panem usualem facere solent, siquidem ex mera consuetudine ad illud accedunt, vel ut facere videantur, quod alios facere vident sine debita præparatione & reverentia, damnum autem inde illis emergens minimè considerant; siquidem *mos est malis*. Quot sunt, qui in hisce processionibus majus deferunt honoris obsequium objectu cuidam lascivo casualiter obvio, quam huic infinitæ Majestatis Deo? Philistæi lethiferas illas sibi acciverunt infirmi-[1.Reg.5.9.]tates, quia idolum suum in pari cum arca Dei loco statuerunt, eandem per hoc se honoraturos esse existimantes; quem eundem excessum multi indigni Christiani committunt, qui malitiosè non jam in pari, quin potius inferiori loco hoc Sacramentum habent, quo objectum aliquod lubricum & diabolicum, vel carnale aliquod, quod in corde suo adorant idolum. Unde beatus Thomas ait, *Majestas ad quam acceditur, non ad* [Concil. 3.] *arcam ligneam, & altare aurum, sed ad ipsam sublimem celsitudinem beatis spiritibus præsidentem, sub qua curvantur, qui portant orbem, & ad judicem vivorum & omnium mortuorum Christum, coram quo omnes Reges terræ & omnes Principes trepidabunt.* Meritò illi ab ipsis-met quoque mundi Monarchis, & Potentatibus huic Deo in Eucharistia hisce diebus exhibiti honores, ad majorem non excitare deberent reverentiam Hæbræi arcam, postquam à Philistæis eandem reciperent, summo cum jubilo & veneratione exceperunt, & tamen Deus eosdem ingenti illa strage graviter mulctavit, in qua è Magistratibus septuaginta, è primaribus vero quinque millia fuerunt mortui de populo; *Quænam, iniquitas* interrogat idemmet Sanctus *quod flagitium, quod peccatum? utique non aliud, nisi quia viderunt oculis suis arcam nudam, quia eam non statim pallio operuerunt, ne aspicerent, quia ausi sunt in eam occulos intendere.* Hinc utique arguere licebit, quod si Deus adeo severus extitit, in castigandis nudi alicujus ligni prophanatoribus, idque ob solius curiositatis levissimam causam, qualis pœna decernenda sit illis, qui adeo indignam irreverentiam attentare præsumunt, ut non solum multis culpis mortalibus coinquinati coram ipso comparesnt, verum etiam hisce processionibus nonnunquam in concupiscentiarum suarum abutuntur fomentum, easdemque multis dissolutionibus & scandalis suis compeenunt atque prophanant. *Cogitemus* [Hom. 3. ad Ephes.] (est consideratio Chrysostomi) *quod illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab Angelis adoratur.* Et multò expressius Gregorius dicit: *Intuendum est, quantum delinquat, qui ad corpus Domini reus* [In c. 9. lib. 2. Reg.] *accedit, si ille morte mulctatur, qui arcam Dominici corporis figuram minori quam debuit, veneratione corripuit.* Oleaster præceptum illud Moysi à Deo datum optimè considerat, quo leprosos, omnemque aliam personam immundam extra aliorum qui incolumes erant, habitacula coercere jubebatur, idque ob eam duntaxat causam, quia inter sanos suum habebat fixum tabernaculum & arcam; *Summam munditiam nos admonet locus iste disce, quantum abominabitur voluntarias immunditias peccatorum, qui sic abominatur, eas, quas homo invitus* [Luc 50.] *patitur.* Opponat mihi fortaisè quispiam Abiathar sacerdotem eò quòd arcam portasset, à morte præservatum fuisse, non obstante ira & indignatione regia, quam Salomon Rex adversus eum conceperat; *Equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, & sustinuisti laborem;* [3.Reg.2.26] Hoc tamen quod objicitur, gratanter accepto; exinde enim nos hanc quoque deducere possumus congruentiam, videlicet quod Deus ab illis, qui ad honorandas pro viribus suis processiones illas præparandis & congerendis apparatibus & ornamentis necessariis operam suam impenderint, tametsi peccato sint mortali obnoxii, & consequenter iræ Dei subjaceant, suum tamen dignè promeritum supplicium misericorditer suspendet, ut tempus habeant resipiscendi & ad seriam redeundi pœnitentiam, aut vero aliam quandam iisdem impensurus sit gratiam, ut obsequiis ipsorum in sanctissimi Corporis sui Festivitatem & venerationem adhibitis aliqualiter correspondeat.

DE

NATIVITATE SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Discursus Novem.

Discursus I. De miraculis, & prodigiosis actionibus in Conceptione, Nativitate & pueritia S. Joannis patratis, deque ejus in annis puerilibus eximia sanctitate.

Discursus II. Ex Ethymologia nominis S. Joannis deducitur, quantus fuerit gratiarum, donorum & meritorum ejus cumulus.

Discursus III. Super illis verbis: Erit magnum coram Domino, nonnullæ instituuntur considerationes.

Discursus IV. Mundus lumen & agnitionem veri Dei S. Joannis Baptistæ in acceptis referre debet.

Discursus V. Eminens S. Joannis Baptistæ sanctitas, infirma cum humilitate conjuncta summè est admirabilis.

Discur-

De miraculis, & prodigiosis actionibus, in Conceptione, Nativitate, & pueritia S. Joannis patratis; deque ejus in annis puerilibus eximia sanctitate.

DISCURSUS PRIMUS.

Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo dicentes; quis putas puer iste erit? Lucæ cap. 1.

1. OMnes quotquot ea quæ in Conceptione Sancti Joannis Baptistæ acciderant stupenda, audierant, quique eum per adeo prodigiosa miracula in lucem editum esse viderant, sese mutuo cum stupore nimio intuentes dicebant: *Quis putas puer iste erit?* Nec sine ingenti mysterio factum esse, credendum est, quod sancta mater Ecclesia eidem in ipsa ejus Nativitate non infantis aut pueri nomen attribuat, sed potius magnum virum admirabili epitheto appellet; dicens: *Elizabeth*
Jer. 31. 22. *Zacharia magnum virum genuit, Joannem Baptistam.* Quippe de solo Filio Dei, dum adhuc utero clauderetur materno scribitur; *Fœmina circumdabit virum*; utpote qui eodem perfectissimo rationis usu, eademque immensa, & infinita sapientia præditus erat, quam modo habet, dum æterni Patris sui dexteræ assistit; at verò qua ratione idipsum de sancto Joanne, dum adhuc paulo ante natus tenellus infantulus erat, affirmari potuit? Ex altera verò parte, quis in sancto Joanne, dum adhuc in senili Elisabethæ utero constrictus delitesceret, rationis usum acceleratum fuisse non credat, de quo constat, quod ad æterni Verbi incarnati, ejusque sanctissimæ matris præsentiam, *Exultavit in utero*;
Serm. 91. Chrysologus ait: *Sexto mense sua matris exultat in utero, & in uterum Virginis venisse nuntiat Christum, fervens nuncius! qui ante gestivit nuntiare, quam vivere, quia tardabat corpus; solo spiritu implet evangelizantis officium.* Nescio profectò num aliquando ad id advertentis, quod tametsi in proposito thematis verbis puer denominetur: *Quis putas puer iste erit*, hoc tamen nomine non ab alio quam à vulgo, quod alienorum meritorum competens judex nequaquam esse censetur, vocitatus fuerit? nobis autem sanctæ Ecclesiæ Dei, quæ Spiritum sanctum pro suo directore habet, omnino credendum & acquiescendum est; quæ perspicuis verbis nobis dicit, quod *Elisabeth magnum virum genuit Joannem Baptistam*; non sufficit ei dicere: *Virum genuit*, sed protinus addit? *Magnum.* Et hinc est quod sanctus quoque Gabriel Archangelus vicinam ejus Nativitatem annuntians, hisce fuerit verbis usus: *Erit enim magnus coram Domino. Advertite obsecro* (inquit sanctus Thomas de
Conc. 1. de Nat. S. Jo. Bapt. Villa-Nova) *quantus sit iste puer, qui tali cognomento in suo ortu decoratus est, quid de illo grandius dici potuit, quam, Erit magnus coram Domino? Cui nihil est magnum: nisi quod ipse magnum voluerit reputare.* Evangelium porrò, licet in Baptistæ laudes copiosè excurrat, nullam tamen sive infantiæ sive pueritiæ ejus mentionem facit; cujus veram rationem sanctus Ambrosius tangit, dicens: *Neque ullam infantia sentit ætatem, qui supra naturam, supra ætatem in utero situs matris, à mensura cæpit ætatis plenitudinis Christi.* Sanctus quoque Hieronymus ad Rusticum, teneram puerorum ætatem Eremiticæ vitæ rigori minimè convenire scribit, dicens: *Si igitur hoc vitæ genus non tyronibus, sed veteranis militibus convenit, qua admiratione, dignum est parvulum Joannem hoc vitæ genus elegisse?* Infans igitur dici nequit, tametsi *teneris sub annis petierit antra deserti*, quia *hoc vitæ genus veteranis militibus convenit.* Nihil etenim in ipso reperitur infantiæ, præterquam tempus, dies, & menses; cæterum in eo non nisi maturæ ætatis virtutes fulgere conspiciuntur, nimirum prudentia, austeritas, solitudo, abstinentia, omnesque aliæ rarissimæ dotes? *Nondum nascitur* (inquit Chrysostomus) *& saltibus loquitur: nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur; nondum ducit vitam, & Deum prædicat; nondum aspicit lucem, & Solem indicat.*

2 *Quis putas puer iste erit? Quanta in ejus ortu miracula facta sunt? Angelus nuntiat* (inquit sanctus Thomas de Villa-Nova) *pater obmutescit, sterilis concipit,* Conc. cit.
virgo salutat, puer exultat, mater prophetat, nomen de cælo mittitur, à matre per spiritum agnoscitur, à patre conscribitur, vinculum linguæ solvitur; ex muto, Propheta pater efficitur. Idemmet Archangelus, qui Verbi incarnationem annuntiaturus ad virginem missus fuit, ad hanc quoque Baptistæ Nativitatem intimandam cœlitus demittitur; Ab eodem quoque Angelo nomen ei imponendum cœlesti ordinatione allatum fuit. Idemmet Propheta Isaias qui vitæ Christi eventus prævidit & descripsit, de hujus Baptistæ Nativitate tractare incipit, & velut ore Baptistæ dicit: *Dominus ab utero* Isa. 46. 1.
vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Et verè ita accidit, siquidem prius sanctus fuisse noscitur quam natus. *Videtis quemadmodum Joannes* (inquit Chrysostomus) *ante pervenit ad cœlum quam tan-* Serm. 93.
geret terram: ante accepit divinum Spiritum, quam haberet humanum; ante suscepit divina munera, quam corporis membra. Chrysostomus sanctum Joannem in materno utero delitescentem cœlestibus superextulit paranymphis: *Quæ in cœlo*, inquit, *ignoraverunt Angeli*, (id est, verbum Patris æternum in Mariæ Virginis utero fuisse incarnatum) *cognovit Joannes, qui gestabatur in utero.* Prius verum contemplatus est Solem, quam intra matris tenebricosum carcerem seclusus prodiret ad lucem: *Prius gratiam suscipere, quam vitam* (inquit Eusebius Emissenus) *prius benedictionem meruit habere quam lucem.* Et S. Ambrosius ait: *Nondum* In Cat. D. Th. m.
erat in eo spiritus vita, & jam erat spiritus gratia; adeoque ut Chrysologus ingeniosè advertit: *Ante cæpit vivere Deo, quam sibi; imo ante vixit ille Deo, quam Deus viveret illi, juxta illud Apostoli; Vivo ego jam non ego,* Serm in Nat. Joan. Bapt.
vivit vero in me Christus. Beatus Laurentius Justinianus hanc in Joanne priusquam nasceretur, gratiarum cœlestium præventionem, & præparationem optimè consideravit, dicens: *Ipsum in benedictionibus dulcedinis prævenerat Deus, cum adhuc in materno teneretur corpusculo, nam ante fuit sanctificatus, quam natus.* Prius anima ejus Paradisi thesauris exornata, & locupletata fuit, quam ejus corpusculum debitè organizaretur. Quodsi vos aliquem hujus mundi Regem, Imperatorem, aut Monarcham è regio palatio suo celeri gressu ad visitandum mulieris cujuspiam prægnantis conceptum fœtum properantem conspiceretis, licet is materno adhuc esset utero clausus, nunquid omnes exstupefacti clamaretis: *Quis putas puer iste erit? Non potest non factum istud meipsum in admirationem rapere* (inquit Didacus Stella) *id namque quod prius fecit Christus post Incarnationem, fuit Joannem visitare: nec dubitandum est captum fuisse Dominum Joannis amore, quandoquidem protinus ut humanam induit vestem, ad ipsum accedit.* In cujus rem declarationem Regis cujusdam adducit similitudinem, qui nocturno tempore priusquam Sol illucescere incipiat, ad quendam è servis visitandum se recipit: *Magnam certe familiaritatem videtur exprimere; nonne satis esset servum accersere? non equidem, si Dominus nimio ipsius tenetur amore.* Serenissima quidem cœlorum Regina ad Elisabetham visitandam abiit, sed tamen hunc ei honorem detulit, in quantum Joannem gravidante utero ferebat, non verò aliam ob causam; Christus quoque eodem sese contulit, ut Joannem sanctificaret; hoc primum ejus opus est eorum quæ hactenus unquam fecit, hæc fuit prima omnium à Redemptore operata sanctificatio, postquam ab æterni Patris sui sinu in terras descendit. Unde Sanctus Ambrosius: *Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.* Dum puer aliquis sub constellatione propitia nascitur, Astrologi eidem fortunatum præsagire solent prognosticum. Sanctus Joannes non solum in utero ma-

ro materno etiamnum reclusus, verum etiam inde egressus sub fœlicibus veri justitiæ solis Christi auspiciis ortum suum habuit, illiusque divini zodiaci fasciis involutus fuit, de quo scribitur: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Unde S. Bonaventura ait: *A Maria adhuc in utero salutatus, & natus ab ipsa in brachia elevatus.* Nam ut sanctus Bernardus opinatur beatissima Virgo cum Elisabetha cognata sua mansit, donec Joannes nasceretur: *donec puerum natum sinu beatissimo confoveret, & uno pariete remoto propinquiorem redderet præsentia Creatoris.* Imò idem sanctus Doctor subjungit; *Alii qui librum justorum diligentioribus oculis inspexerunt se vidisse testantur, quod ipsa Dei genitrix felicem puerum prima de terra levavit.*

Serm. 2. de Nat. Joan. Bapt. Ser. Privi. Joa. Bapt.

3 *Quis putas puer iste erit?* quodsi quando adhuc in ventre materno reclusus delituit, intra membranas illas vinctus & ligatus, exultavit, exsiliitque præ gaudio, & Christum adoravit, facile est conjicere, qualis fuerit devotio & reverentia, quam in pueritia, & in adultiori ætate ei exhibuit: *Quia lingua non poterat,* (inquit Hugo Cardinalis) *animo exultante salutat, & suæ præcursionis officium inchoat.* Priusquam viator esset, præcursoris officium peragens currit, & præcurrit. *Beatus Joannes,* inquit Chrysologus, *qui ante Dei spiritu meruit intonare, quam hominis vagiret in fletu; beatus, qui ante divina possidere meruit, quam sortiretur humana; beatus; qui ante Deum capere potuit, quam suo ipse caperetur à corpore.* Didacus Stella saltus quos sanctus Ioannes in utero matris edidit, considerans, titulum ei servi diligentis & soliciti attribuit: *O quam diligens servus appellari potest, qui cum nondum cœlum & terram vidisset, jam cœli & terræ creatorem adorabat;* ac tandem de hisce saltibus subjungit; *Prosilit puer nondum natus, velut occurrere gestiens Domino suo, ad debitum honoris officium exhibere.*

Serm. 88.

4 *Quis putas puer iste erit?* Albertus Magnus multa Nativitatis ejus prodigia enumerat, dicens: *Quod ab Angelo annuntiatus, ab Angelo prænominatus, antequam natus, quod in utero sanctificatus, & quod nondum natus in occursum Salvatoris est in gaudio motus.* At vero quod demum postquam pueriles fascias vix egressus, in antris se deserti absconderit, hoc est miraculorum omnium maximum: *Suam inde inchoans vitam* (inquit beatus Thomas) *Ubi perfectus quisque desinere solet; o puerum mirabilem; ò prodigiosum septennium! ò eremitam ipsis etiam Angelis cunctis stupendum!* utique in hac tam tenella ætate, austeritatis cujusdam adeo rigidæ incapax erat, nisi Deus miraculosè concurrisset, ut portentum istud dignè comparere deinceps posset coram mundo. *Neque enim tantæ perfectionis capax erat humana fragilitas, ea maximè ætate, nisi Deus cunctis sæculis sanctitatis miraculum in Joanne pro libitu facere decrevisset.*

Cant. cit.

5 *Quis putas puer iste erit?* verba hæc sunt populi vicini, ex miraculorum concurentium magnitudine & copia, uti quidem existimo penitus obstupefacti & attoniti, quæ tamen specialiter eo fine protulisse credendi sunt, ut denotarent ipsum ab humana stirpe suam trahere originem, non vero spiritum esse Angelicum, qualis à Malachia descriptus fuerat: *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum. Non virtute naturæ conceptus fuerat: Sed virtute gratiæ* (inquit Guerricus Abbas) *Joannis nativitatem gratia operatur, natura miratur.* Chrysologus utriusque genitoris sterilitatem considerans dicit: *In Zacharia & Elisabeth stupet sexus; frigescit caro, præterit tempus, ætas risit, abolescit totum quicquid est & humani ordinis, & negotii conjugalis, ut divino munere non partu ex hominibus Angelus nasceretur.* Idem in alio quodam sermone scribit, quod in decrepitæ matris sterilitate. *Mundabatur longo tempore sanctitatis hospitium, Angelis domicilium aula Spiritus sancti.* Innocentius III. sterilitatem genitorum Isaaci, cum parentum sancti Joannis sterilitate inter se mutuo comparans dicit: *Uterque natus de sene, uterque de sterili, uterque & pronuntiatus & prænominatus ab Angelo, ille Isaac, iste Joannes.* Verum enim verò quod valdè considerabile est, hoc est præcipuè, quod in Isaaci nativitate Sara dixerit: *Risum fecit mihi Deus:* in nativitate autem sancti Joannis Baptistæ omnes vicini Elisabethæ congaudent & congratulantur. Inter cæteras divini hujus infantis prerogativas unam sanctus Maximus tetigit, dum ait: *Verè hic omnium beatissimus parvulorum: Nullus ignorat omnem parvulum materno ab utero prodeuntem inter ipsa lucis exordia mœstis concrepare vagitibus: Solus Baptista Domini ultra legem nascentium nativitatem suam lætitiæ exultatione prævenit, siquidem exultavit in utero.* Didacus Stella hac de re ita scribit: *Christus largitur illi gratiam, Joannes ipsi gratiam rependit ob acceptum beneficium: ita ut uterque infans invicem certabant, alter gratiam tribuendo, alter vero gratum animum ostendendo ob acceptum beneficium.*

Serm. 63. Serm. 83. Hom. 1. de Nat. Joan. Bapt.

6 Nativitas ejus cum excessiva cœli terræque lætitia conjuncta fuit; sed advertendum est gaudium hoc spirituale fuisse, & de hoc gaudio hodierna die intelligenda est S. Mater Ecclesia, dum ait: *Da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ,* Unde B. Thomas quoque ait. *O sancte Baptista hi prophanis ludis tuam se putant celebrare festivitatem, & non celebrant, sed prophanant: Nam quale est sanctum virum in eremo commorantem, cilicio camelorum vestitum, non comedentem nec bibentem, talibus ludis & choreis, & cibis & potibus honorare? scriptum est quod multi in Nativitate ejus gaudebunt, sed isti gaudent non de Nativitate, sed de vanitate.*

Conc. 2. de Nat. Joan. Bapt.

Ex Ethymologia nominis S. Joannis deducitur, quantus fuit gratiarum, donorum & meritorum ejus cumulus,

DISCURSUS SECUNDUS.

Joannes est nomen ejus. Lucæ cap. 1.

1 S. Thomas à Villa-Nova in sancti Ioannis Baptistæ laudes per tres Conciones sese diffundens, dum ad ejus se nomen reflectit, ita scribit: *Secundum nomen tuum, ita & laus tua in fines terræ, eo quod nemini dubitandum sit omnem ejus vitam, ingenium, fortunam, virtutes, mores unico hoc vocabulo sibi à Deo imposito comprehendi.* Innocentius III. in hodiernum diem scribens dicit: *Joannes interpretatur gratia Dei.* Et hoc quidem nomen ejus proprium fuit, siquidem ut Salmeron observat, alia quibus insignitus fuit nomina varia potius ipsius denotarunt officia: *Nomen proprium fuit Joannes; Baptista vero ab officio baptizandi dicitur; dicitur testis: Quia de luce testificatus est Lucifer; quia solem prævenit justitiæ; lucerna, quia tanto vita illuxit splendore, ut ipsam veram in humanitate Christi velut in Crystallo latitantem ostenderet Deitatem.* Nomen istud, ut sanctus Bonaventura ait, summæ omnibus admirationi fuit; *Et mirati sunt universi:* Neque ipsi causaliter aut fortuito fuit impositum, sed singulari Dei dispositione Gabriele Archangelo mediante fuit intimatum; hic etenim Zachariæ Patri suo, dum incenso in templo adolendo intentus esset, apparens, eique felicissimum hunc partum annuntians, dixit: *Vocabis nomen ejus Joannem.* Cum vero ei jam in hunc mundum nato, Patris nomen In circumcisione imponere decrevissent, sancta Elisabeth totis se viribus omnibus opponens dixit: *Nequaquam: sed vocabitur Joannes;* cumque alii neminem ex tota hactenus familia hoc nomine vocitatum fuisse replicarent, ipsa nihilominus in verbis suis constantissime perstitit. *Et hoc quidem dicebat edocta à Spiritu sancto,* inquit Seraphicus Doctor, unde Ambrosius ait: *Spiritu prophetiæ didicit, quod non didicerat à marito.* Cæteris vero patrem ejus solicitantibus, ut imponendum filio nomen ederet, ipse à linguæ usu impeditus, nomen hoc, *Joannes,* in tabulas exaravit. *Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus.* S. Bonaventura ulterius subjungit: *Sequitur, quod mirati sunt universi: Unde mirati? quia sic ab Angelo nuntiante, sic à matre concipiente, sic à Patre generante puer concorditer Joannes est nominatus.* Tandem concludit, nomen istud immensæ gratiæ magni hujus sancti expresse esse indicativum; *Dum ergo totius asserunt eum esse Joannem, ostendunt in eo plenitudinem gratiæ.*

Lib. 3. tr. 21. Serm. 2. de Nat. Joan. Bapt.

2 *Joannes est nomen ejus.* Ab ore magni Baptistæ, ut audivimus, hæc videntur verba emanare: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei;* siquidem in ipso matris utero tantam cœlestium gratiarum assecutus est abundantiam, ut merito di- Isai. 49. 1.

to dicere potuerit, Deum nominis sui tunc quoque memorem fuisse, quando nondum editus, neque hoc nomine etiamnum insignitus fuerat; siquidem *gratia* & *Joannes* Synonima sunt. Hugo Cardinalis dicit: *Recordatus est nominis mei, id est, dedit mihi rem nominis hujus Joannes, id est, gratiam.* Ejusdem quoque nominis Ethymologiam nobis Chrysostomus insinuat, dicens: *Hoc nomen Joannes gratia Dei interpretatur, quod ergo gratia divina favente non natura Elisabeth hunc filium concepit, beneficii memoriam in nomine pueri conscripserunt.* S. Bonaventura eandem quoque rationem reddit hujus denominationis, dum ait: *Quia enim non virtute naturæ conceptus fuerat, sed virtute gratiæ, non debebat vocari Zacharias à Patre; sed Joannes à dono gratiæ, ut novo modo natus novo nomine nuncupetur.*

In Cath. S. Th.

3. *Joannes est nomen ejus*. Albertus Magnus postquam nominis hujus interpretationem exposuisset, dicens: *Joannes interpretatur, in quo est gratia Dei*, illum Apostoli textum adducit: *Gratia Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit*, eademque verba S. Joanni peregregiè adaptat, dicens: *Omnibus enim Joannes innotescit per gratiam quicquid in eo videtur gratiæ est, non natura.* Si enim Conceptio ejus respiciatur, hæc miraculosa fuit, siquidem genitores ejus nequaquam maturæ aut vegetæ, sed quasi decrepitæ ætatis erant; amboque insuper sancti, *incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela*. Si de ejus intra viscera materna sata sanctificatione agatur, hæc specialissimus quidam fuit gratiæ effectus; *Gratia fuit, non natura*. Quod Nativitas ejus à Prophetis in sacra Scriptura vaticinata, annuntiata ab Angelis, à Filii Dei ejusque magnæ matris præsentia honorata fuerit, quodque nomen ejus cœlitus allatum sit, ipseque suis natalibus nondum lætificarit; *Gratia fuit, non natura*; Quod etiamnum puer lactens, sese velut Scorpionum & ferarum socius, in vastæ solitudinis speluncis sepeliverit, feceritque pœnitentiam, quando adhuc culpæ incapax erat; denique quod ob summam ejus innocentiam Angelus quidam, imo verus promissus Messias existimatus fuerit, *Gratia fuit, non natura*. Sanctus Thomas de Villa Nova, super hoc adeo mysticum nomen hanc observationem instituit: *Quodsi rem perscrutari diligentius libet à principio creaturæ usque nunc, nulli hominum tam solemniter, & tam celebriter nomen impositum est, sicut Joanni Baptistæ; hoc enim nomen non a Patre, non à matre accedit, sed à Deo compositum est, ab Angelo promulgatum, de cœlo allatum, a Patre auditum, a matre prophetatum est.* Jam in foribus aderat plenitudo temporis, in quo faciendum erat novæ legis gratiæ exordium, eandemque Baptista tanquam præcursor annuntiaturus advenerat, quid igitur mirum si gratiæ nomine, quod cum hoc nomine *Joannes* coincidit, appellatur? Idemmet sanctus Thomas in prima Concione de hodierno festo dicit, humanum genus sanctitatis cujusdam adeo eminentis, qualis hæc præcursoris extitit, omnino quidem incapax fuisse, Divinam tamen omnipotentiam, ut suo satisfaceret divino beneplacito, decrevisse ipsum velut portentum quoddam in hunc mundum comparere. *Neque enim tanta perfectionis capax erat humana fragilitas, nisi Deus cunctis sæculis sanctitatis miraculum in Joanne pro libitu facere decrevisset.*

In cap. 1. Luc.

1. Cor. 15.

Conc. 3. de Jo. Bap.

4 *Joannes interpretatur, in quo est gratia. Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, ait Angelus ad Zachariam; cogitate obsecro, quam inexhausti fuerint thesauri, quo Spiritus Dei magnæ huic animæ infudit, cogitate inquam, qualiter Spiritus sanctus eum sanctissimam Deiparam vix Verbo æterno fæcundasset, gratiaque cœlesti replevisset, (quæ causa fuit, cur conceptionem Filii Dei annuntians, eum hisce verbis, *Gratia plena*, salutaverit) mox eandem ad Judææ montana, ingenti cum celeritate conscendenda permoverit, ut immensas & infinitas gratias, quibus ipsa refertim plena erat, sancto huic puero in sextum usque mensem in matris utero recluso participaret. Unde valde considerabilia sunt illa Angeli verba: *Replebitur Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ. Replebitur*, hoc verbum enim plenitudinem denotat, siquidem in tanta copia communicata ei fuit divina gratia, ut pariter in S. Elisabeth matrem ejus redundavit: *Et Repleta est Spiritu sancto Elisabeth*. Ubi sanctus Thomas ait: *Non dubium est, quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium fuit repleta*. Unde benè Guerricus Abbas observat, S. Joannem genitoribus suis pro collatis sibi beneficiis valde abundanter retribuisse: *In eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui & gratiæ superabundantiam refundebat.* Audite autem quonam modo Spiritus sanctus sanctificationem Joannis in matris suæ visceribus operatus fuerit; Sanctus Bernardus ait, *Sanctificatus est à peccato, & ita dominante spiritu superfusus, ut & purgatus exeat & repletus.* Hanc quoque gratiæ plenitudinem clarius expressit doctus ille Emisseni calamus, dum ita scribit: *Magnum est Spiritu sancto illustrari, sed multo est majus repleri.* Sicut enim vas aliquod plenum est, alium liquorem capere nequit: *ita in eum nihil sæcularis maculæ introire jam poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat.* Neque enim solum illam gratiam accepit, ut ab originali macula purgaretur, priusquam ederetur in lucem, verum etiam in gratia & amicitia Dei confirmaretur & stabiliretur, puerilemque suam illibatam conservaret innocentiam: *Replebitur Spiritu sancto; hoc est* (inquit Dionysius Carthusianus) *gratia, donisque Spiritus sancti, antequam egrediatur ex utero, qua gratia à peccato originali purgabitur, & donis Spiritus sancti anima ejus ornabitur.* Unde mirari nequaquam debemus, inquit Paulus de Palatio, si Baptista ipsomet Christo teste à nullo unquam tentationis aut culpæ vento quassatus fuerit, utpote quem Deus ingenti gratiæ pondere firmaverat: *Si Joannes, Christo teste, vento non agitatur; habet ergo Joannes grande gratiæ pondus. Advertisne, quantus fuerit Joannes? quantum gratiæ habuerit? Nomen ejus fuit Joannes* S. Bonaventura dicit: *Joannes est nomen ejus, quasi vir magnæ gratiæ, vel magnorum meritorum.* Sanctus Thomas S. Ambrosii testimonium adducit, qui super illa verba: *Spiritu sancto replebitur*, scribit: *Cui Spiritus sanctus infunditur, magnarum est plenitudo virtutum.* Etenim immensæ virtutes, eæque omnes valde admirandæ, magnam hanc animam adornarunt. *Prudentia magnus fuit* (scribit Albertus Magnus) *quia omnes docuit: temperantia, quia non solum a delitiis, sed a necessariis temperavit; Justitia quia unicuique quod suum erat, attribuit bonis & malis: fortitudine magnus, quia insaniam Regis & Reginæ sustinuit.* Sanctus Thomas rationem nobis reddit, cur deserta, in quibus sanctus præcursor demorabatur, instar urbium populi frequentia referta fuerint, & dicit: *Undique ad ripas Jordanis videre mundi spectaculum & audire: erat enim homo gravis, serius, constans, mansuetus, pius, prudens, quietus, ingeniosus, sapientissimus, eloquentissimus, conversatione gratus, moribus suavis.* Beatus quoque Laurentius Justinianus, hoc Joannis encomium. *Erat lucerna ardens & lucens*, considerans egregiam insignium virtutum ejus contesit corollam: *Lucebat adeo*, inquit, *ut fieret humilitatis speculum, magisterium pudicitiæ, virginitatis decus, sapientiæ lumen, innocentiæ forma, norma virtutum, disciplinæ doctor, præco veritatis, paupertatis specimen, contemptor mundi, perfectionis ostensor, charitatis liber, martyrum decus, patientiæ fastigium, & pœnitentiæ propalator.*

In Cat.

Serm. 1. de Nat. Jo. Bapt.

Serm. de Præv. Jo. Bapt.

Hom. 1. de Nat. Jo. Bapt.

In Matth. 11.

Ser. 2. de Nat. Jo. Bapt.

In Cat.

In cap. 1. Luc.

Conc. 3. de Nat. Jo. Bapt.

5 *Joannes est nomen ejus*. Dionysius Carthusianus ait: *Rectè Joannes vocari præcipitur, cui tanta fuerit gratia danda, ut de ipso Christus testatus sit: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*: Salmeron rationem reddit, cur hoc nomine fuerit insignitus; *Joannes interpretatur gratia Domini; quia gratiosè à Deo parentibus donatus est, & quia annuntiavit cessationem legis Moysis, quæ jugum importabile, & gratiam Evangelii, quæ jugum Christi suave est.*

Tom. 2. Tr. 21.

6 *Joannes est nomen ejus* S. Thomas de Villa-Nova ait: *Nihil aliud est esse Joannem nisi esse Deo gratum vel acceptum, illustris profecto titulus & celebre cognomen; nulla quippe major dignitas creaturæ quam suo placere Creatori.* De hoc sancto Præcursore S. Lucas dicit: *Etenim manus Domini erat cum illo*, quod dictum Carthusianus hunc in modum interpretatur. *Id est supernaturalis operatio Dei, & gratiosa ejus præsentia fuerat cum Ioanne.*

Conc. cit.

Ser. 5. in Evang.

7 Pro nostra autem spirituali instructione advertendum est, quod quantumvis sanctus Joannes omninò securus esset, se à gratia & amicitia Dei corruere non posse, utpotè qui in illa confirmatus erat, hac tamen ejus tam rata innocentia non obstante, incessabilem tamen valdeque austeram ac rigidam fecit pœnitentiam; quantum igitur nobis timendum erit, qui licet Sancti

Joan-

Joannis innocentiam non habeamus, ejus tamen non imitamur pœnitentiam. Ipse primus fuit inter omnes, qui nobis Regnum cœlorum quasi appertum commonstravit; à diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. Sed cum quanam putas cautela idipsum
Matt. 3. 2. effecit? prius ait: *Pœnitentiam agite*, & postea subjunxit: *appropinquavit enim regnum cœlorum*.

Super illis verbis: *Erit magnus coram Domino*, nonnullæ instituuntur considerationes.

DISCURSUS TERTIUS.

Erit magnus coram Domino. Lucæ cap. 1.

1 GAbriel Archangelus ad S. Zachariam, dum in altari adoleret incensum cœlitus missus fortunatum ei de nasciuturo sancto præcursore nuntium attulit, simulque dixit: *Erit magnus coram Domino. Mirabile dictu* (inquit Didacus Stella) *Angelum dixisse futurum magnum Joannem coram Domino*. Quodsi enim omnes Nativitatem ejus audientes exclamarunt, dicentes: *Qui putas puer iste erit?* qua ratione eidem vix concepto & nato Magni titulus adscribi poterit? Respondet Angelicus Doctor:
In Cat. *Non corporis sed animæ magnitudinem declaravit*.

Hom. 2. in Luc. 2 *Erit magnus*. Origenes scribit; *Peccatum hominem parvum facit, & exiguum, virtus eminentem præstat ac magnum*: Ex qua propositione clarè, quam aptè hoc encomium S. Joanni conveniat, deducitur; siquidem non solum quamdiu vixit, peccatum devicit, puerilem suam innocentiam illæsam conservando, verum etiam hunc inimicum tunc debellavit, quando etiamnum intra materna viscera reclusus erat. *Repletus fuit Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ*. Equidem si gratia & virtus homines magnos & eminentes efficit, maximum illum fuisse necessum est, ut ex discursu præcedenti constat, ubi divinarum gratiarum inæstimabiles thesauros, nec non admirabiles illius virtutes, quibus magna ejus anima locupletata fuit, examinavimus. Unde merito Ecclesia de sancto Joanne canit: *Elisabeth magnum virum genuit*, non dicit, *hominem*, sed *virum*, quia *vir a virtute* dicitur, *Sanctificatus est a peccato*, ut supra ex mente sancti Bernardi diximus. Albertus Magnus Sancti Lucæ Evangelium exponens, super
In Cat. illud Epithetum *Magnus*, ita scribit: *Erit magnus syncera & vera magnitudine virtutis*. Sanctus Thomas de Aquino præfati Doctoris discipulus ait; *Est coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis*. Dionysius Car-
In Matt. c. 11. thusianus illum Apostoli textum ad Ephesios: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, & sublimitas & profundum*; exponens, quatuor hujus magnitudinis dimensiones mysticas adducit: *Magnitudo*, inquit, *spiritualis habet quatuor dimensiones: in altitudine conversationis seu contemplationis, vel dilectionis divinæ; in latitudine charitatis fraternæ: in profundo humiliationis: in longitudine perseverantiæ usque in finem*; Indubitatum vero est omnes hasce mensuras in sancto Joanne ad vivum expressas fuisse, quod de qualibet prolixius discurrendo facile deduci posset.

3 *Eris magnus*. Magnus fuit ob sublimen culmen quod in gratia, & benevolentia Filii altissimi assecutus fuit. Unde S. Bonaventura ex illo S. Joanni à Christo dato encomio: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*; hoc elicit argumentum; *Cum ergo non sit inter homines in gradu gratiæ infimo vel medio, necesse est, quod sit in supremo; unde non solum ex hoc dicitur, quod sit magnum, sed etiam ita magnus, quod de eo possit dici illud, quod dicitur de Josue, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, quia enim magnam habuit gratiam, ideo Joannes vocatus est; magnus enim fuit per vitæ meritum, major per doctrinæ magisterium, maximus per gratiæ privilegium*: vel etiam cum Dionysio Carthusiano dicere possumus: *Magnus magnitudine spirituali, quæ est magnitudo gratiæ, & sapientiæ, & virtutis*.

4 *Eris magnus*; ob ardentissimum amorem, quo
Serm. 27. in Cantic. Deo adstrictus fuit; ac proinde scribit Sanctus Bernardus: *Quantitas cujuscunque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet, ut quæ multum habet charitatis, magna sit*. Testimonio æternæ veritatis, quæ charitas & amor est (*Deus charitas est*) *Joannes erat lucerna ardens. Hinc patet* (inquit Salmeron) *quantum a Deo diligeretur Joannes: Nam qui multum a Deo amatur, magnus est, qui vero parum diligitur, parvus est; qui nihil amatur, nihil est*; ac proinde Paulus dicebat: *Si autem charitatem non habeam, nihil sum*. Idemmet Salmeron 1. Cor. 13. 2.
illud Christi dictum: *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*, observans dicit, *Joannes autem qui lucerna erat sibi ardens, & aliis lucens, utrumque & quidem cumulate præstitit*.

5 *Erit Magnus*. Sanctus Bernardinus verba illa Samuelis ad Saulem dicta: *Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* ponderans dicit: *ac si aperte dicat: Magnus fuisti, quia despectus tibi*. Serm. 3. in Dom. 10. post Pent.
Verissimum hoc est in Joanne; hic enim quanto magis exaltabatur, & deprædicabatur à Salvatore, tanto magis in semetipso humiliabatur, sibique vilescebat. Unde quando Filius Dei (*qui spirituum ponderator est*) Prov. 16. 2.
eo illum dignatus est honore, ut ad se baptismo tingendum, manus illius capiti suo imponeret; ipse econtra protestabatur dicens: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*. Seneca in moralibus scribit: *Nihil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens*, ac proinde ingens fuit Baptistæ magnitudo, qui Joan. 1. 27.
altissimam Messiatus sibi oblatam dignitatem renuit acceptare, seque ipsum vilifecit, ut Christum honorificaret, seipsum repercussam quandam vocem, sive quoddam in solitudine resonans Echo, aut nihilum esse contestans: *Ego vox clamantis in deserto. Illum oportet crescere*, inquit Joannes de Christo, *me vero minui*. At vero quia verissimum est, quod *qui se humiliat exaltabitur*, idemmet qui hoc promiserat, ad Joannem honorandum & exaltandum, non solum ab Archangelo nuntiari voluit: *Erit magnus*, verum etiam, ut diximus ipsemet declaravit, dicens: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*.

6 *Erit magnus*. Albertus Magnus ait: *Magnus fuit honore, magnus opinione, ut à multis Christus reputaretur*. Admirandus omnibus erat, scribis turmarum, sacerdotibus, Pontificibus, Synagogæ principibus, populo, militibus, publicanis, imo ipsimet Herodi tervotum Dei implacabili inimico & persecutori; Evacuabantur civitates, quia omnes ad eum videndum & audiendum in deserta confluebant. *Quid existis in desertum videre? Ac si diceret* (inquit S. Thomas) *propter quid civitates dimittentes convenistis in desertum? non enim plebs tanta cum tanto desiderio in eremum venisset, nisi magnum quendam, & admirabilem, & petra solidiorem se videre existimans*. In Cat.
Innocentius III. qua in re magnitudinem ejus admirari debeamus, pulchrè declarat, dicens: *Magnus in prædestinatione*, quia Deus per Isaiam multis seculis ante prædixit: *Priusquam te formarem in utero novi te. Novit enim Dominus, qui sunt ejus. Magnus in annuntiatione*, quia futura ipsius nativitas ab eodem Archangelo qui ad annuntiandum Verbi incarnationem missus fuerat, magna cum solemnitate de cœlo nunciata fuit. *Magnus in conceptione: quia conceptus est non exigente natura, sed gratia operante; Magnus in natura, quia de Sacerdotali genere: Magnus in persona, quia præcessit ante Deum in spiritu, & virtute Eliæ: Magnus in gratia, unde vocatum est nomen ejus Joannes, repletus Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ; Magnus in officio; ipse enim vox Verbi, præco judicis, paranymphus sponsi, lucerna solis, finis legis, initium Evangelii, Magnus in merito, in dignitate, & potestate, in opinione, in prædicatione, in passione*. Didacus Stella insuper de eo dicit: *Habuit sacros Evangelistas suorum gestorum scriptores, & Christum suarum virtutum egregium concionatorem*. Serm. de Nat. Joan.

7. De Christo utique dici non potuerit, quod in exaggerandis sancti Joannis laudibus hyperbolicè locutus fuerit, siquidem *ipse sciebat, quid esset in homine*, ipsissimaque veritas est, quæ adulari nequit. Est author ali- Joan. 2. 25.
quis, qui ingeniosè observavit, quod quanto quis proximius ad Christum accedit, tanto magis ab ipso lumen accipiat, & in sanctitate proficiat: *Accedit ad eum, & illuminamini*. Nullus autem Christo vicinius Joanne Psalm. 33.
appropinquavit, ideoque de divino lumine nullus illo magis participavit, siquidem *Ipse erat lucerna ardens & lucens*. Sancta Maria Magdalena ad Salvatoris pedes Joan. 33.
sese prostravit: *stans retro secus pedes ejus*, & tamen omnium peccatorum indulgentiam plenariam accepit:

Dum-

Luc.7. 48. *Dimittuntur tibi peccata tua*. Hemorrhoissa vestis ejus extremitatem tetigit, & sanitatem protinus recepit. Sanctus Thomas digitum suum cruento ejus lateri immisit, & depulsis infidelitatis suæ tenebris illuminatus fuit. Sanctus Joannes super pectus ipsius requievit. *Et fluenta Evangelii potavit de ipso sacri Dominici pectoris fonte*; nullus autem eousque pertigit, ut manus suas capiti ejus imponeret, ipsumque baptizaret, ut fecit Baptista, qui illum ad pedes suos genibus flexis prostratum vidit, in cujus reverentiam *omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum*, ideoque de illo non solum dicere possumus, quod sit *Magnus*, verum etiam addere possumus.

8. *Magnus coram Domino*. Hæc circumstantia admirandam præcursoris sanctitatem notabiliter auget, dum scilicet in infinitæ illius Majestatis conspectu & præsentia magnus esse dicitur. In mundi æstimatione magnum censeri, nihil in se eximium habet, secus vero si coram Deo quis magnus judicetur. Magni titulus mundo pro re parva vænalis est, non vero Deo, & ideo pro nihilo reputatur, si coram mundo magni titulo macteris, quod vel ipse gentilis Seneca agnovit, dum ait: *Nemo magnus in puncto*. Tota hæc universi mundi machina in comparatione ad cœlum Empyreum, atomus quidem est; magnum vero esse in conspectu Dei illius, coram quo tota terra est instar stillæ roris decidua (*Sic est ante te Orbis terrarum tanquam gutta roris*
Sap. 11.23. *antelucani*) hoc miram excellentiam indicat. Si luna in ipso meridiani solis splendore, ita clarè luceret, sicut de nocte lucere conspicitur, miraculum esset inauditum, nec unquam hactenus visum, majoremque meretur admirationem, si lucerna accensa in ipsiusmet solis præsentia luminosa appareret, & splendida. Ecce tibi igitur rationem ob quam jure merito miranda sit sancti Joannis sanctitas. *Magnus coram Domino*; Ipse enim erat lucerna non solum ardens sed & resplendens, *ardens & lucens*, idque in ipsiusmet justitiæ solis conspectu, id quod ejus sanctitatem adeo magnificavit, ut ipsemet Deus ejus encomiastes fieri non sit dedignatus: Lux sanctitatis in Joanne in ipsiusmet veræ lucis præsentia adeo radiabat, ut mundus vix valeret discernere, an Christus an vero Joannes pro vera luce agnoscendus esset; unde Evangelista necessarium esse censuit expresse di-
Con. 1. de S. Joan. cere: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*. Lux sancti Joannis ipsorummet quoque Pharisæorum atque Scribarum oculos, quantumvis hi perspicaces essent, caligare faciebat, prouti videre est in legatione, quam ad eum expediverant. Bene igitur beatus Thomas ait: *Non magnum quod aliquis coram mundo magnus sit, sed coram infinito Domino magnus quis poterit dici*. Didacus Stella hac de re ita discurrit: si nullus subditorum in comparatione terreni Regis magnus vocari potest: *Qualem illum existimatis, qui coram Deo ante cujus conspectum universi Imperatores, & Reges terræ nihil sunt; magnus appellatur*. Alio modo Salmeron argumentatur, dum ait: *Quodsi omnes*
Tract. 34. *gentes sunt quasi non sint, & sicut stipula, & aqua stilla ante Dominum, qualis quæso est Joannes, qui ante Deum magnus dicitur*; Porrò fatendum saltem est Joannem talem esse, qualis jubente Deo, præconizatus est ab Angelo, & qualis ab ipsomet Deo fuit deprædicatus; *nam Deus non decipitur in æstimando, nec decipit. Unde B. Franciscus dicere solitus erat; tantus quisque est, quantus est apud Deum: contra vero mendaces filii hominum in stateris judiciorum suorum; ut decipiant, qui quos volunt, erigunt, & exaltant, & quos volunt, hos deprimunt, atque dejiciunt*.

9 Notatu dignissima est differentia, quæ intercedit inter illos, qui magni sunt apud mundum, & alios qui tales sunt apud DEUM: In mundanorum æstimatione hi magni censentur, qui in divitiis, imperiis, delitiis, omnibusque aliis bonis temporalibus magis abundant; in cœli verò Magnatibus omnino contrarium accidit, in his namque magni æstimatur humilitas, sui ipsius contemptus, paupertas, & quanto in propria æstimatione se minores esse reputant, tanto majores sunt in oculis supremæ majestatis: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Multi sunt, qui cum Reges & Imperatores fuerint, non tanti æstimantur, quanti æstimarentur, si in humilitate & paupertate Christiana vixissent, dignitatibus renuntiando terrenis, & monitum adimplendo Boetii dicentis: *Non in hoc terra puncto; sed in cœlo propaganda gloria*.

Mundus lumen, & agnitionem veri Dei Sancti Joanni Baptistæ in acceptis referre debet.

DISCURSUS QUARTUS.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine ut omnes crederent per illum. Joan. cap. 1.

1 Divinitas humanis oculis adeo erat abscondita, ut scriptura sacra de Deo differens pluribus in locis restetur, quod *lucem inhabitat inaccessibilem. Posuit* 1.Ti 6 16
tenebras latibulum suum. Deum nemo vidit unquam; at Psal.17 12
vero postquam nostram mortalitatem induius nobiscum Joan.1.18
vixit; *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ut se tanquam promissum Redem- Philip.2.7
ptorem, & Messiam humano generi cognoscendum præberet, haud dubiè multo minus tanquam Deus habitus aut creditus fuisset, nisi id contestatum fuisset per testem omni exceptione majorem. Quis autem ad hunc tam sublimem finem electus est? solus sanctus Joannes Baptista, nam *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Sanctus Bonaventura in hanc rem authoritatem adducit Santi Augustini dicentis: *Quia* In cap. 1.
filius Dei sic erat homo, ut lateret in illo Deus, missus est Joan.
magnus homo, per cujus testimonium inveniretur plusquam homo. Enimvero si ad hoc ut testimonio alicujus integra adhibeatur fides, necessum sit ut testis in tali sit apud omnes conceptu, & æstimatione, ut fide æstimetur dignissimus, in hoc utique sanctus Joannes vel maximè excedit, siquidem Evangelista subjungit: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine*; quasi dicere vellet, præcursor Domini radiis adeo claris resplendebat sanctitatis, ut non stella lucis prodroma, sed ipsemet videretur esse Sol justitiæ, adeoque opus fuerit, & Spiritu sancto mediante alterius Joannis calamo expresse specificaret, dicendo: *Non erat ille lux*.
Sanctus Thomas de Villa-Nova optime notat, quod Con. 1. de
quando ad Joannem solemnis illa destinabatur legatio, S. Joan.
exploratura an ipse verus esset in lege promissus Messias: *Tanta erat authoritas viri, ut sibi liceret de se dicere, quicquid vellet*. Verum dicat fortassis aliquis vestrum, quonam modo sanctus Joannes Solem indicare poterat, quando ipse vera lux non erat? Audite similitudinem, quam sanctus Bonaventura ac hujus rei intelligentiam adducit, *Sicut enim*, inquit, *monte irradiato cognoscitur, quod Sol sit ortus, ideo Joannes sicut mons magnus prior radiatus lumen excepit, ut oculis nostris nuntiaret*. Sanctus Athanasius illum alio glorioso titulo insignire non dubitat, vocat enim eum *Luciferum matutinum, Solis præcursorem*. Et hæc quidem comparatio proposito nostro aptissimè deservit; sicut enim illucescente Sole, non solum omnes vulgares stellæ verum etiam illa quæ magni illius planetæ prodroma est, lucem suam apud nos amittit: eodem modo postquam sanctus Joannes verum Messiam mundo innotescere fecit, ipsum verum justitiæ Solem Christum digito suo demonstrando, ipse excessivam opinionis & conceptus, quem de se tanquam Deo habebant, claritatem, aliqua ex parte eclypseos deliquium pati aut diminui nihil faciebat. *Illum oportet crescere, me autem minui*. Etenim quemadmodum sapientissimus rerum omnium conditor disposuit, ne Sol subito totaliter una & eadem vice exoriatur, & illucescat, sed auroram clarum ejus splendorem præcedere voluit, ut visus noster cæteroquin debilis, & infirmus ad claram Solis lucem contuendam disponatur, & præparetur, eodem quoque modo voluit, ut priusquam in excessivæ sanctitatis Messiæ Solem oculos nostros defigeremus, insigne hoc lumen innocentiæ, spiritus, & sanctitatis præcursoris sui intueremur, sicque verificaretur, quod à cœlesti oraculo pronuntiatum fuit: *In lumine tuo vi-* Psal.35 10.
debimus lumen.

2 *Ut testimonium perhiberet*. Sanctus Thomas Do- Joan. 1.
ctor Angelicus ait: *Hoc officium Joannis testificandi est valde magnum, quia nullus potest de aliquo testificari, nisi eo modo, quo illud participat; quod scimus, loquimur; quod vidimus, testamur: unde testimonium perhibere di-*

vina

vitæ & castitati indicium est cognitionis ipsius veritatis. Hoc supposito omnino asserendum est, sanctum Joannem inter omnes à Deo peculiariter electum esse, ut majorem præ cunctis aliis de eo cognitionem haberet, utpotè qui lumen istud toti universo communicaturus erat, *ut omnes crederent per illum*, adeo ut universus mundus ob notitiam veramque fidem, quam de Filio Dei habet, sancto Joanni magnopere obligatus existat. Unde Salmeron

To.2.tr.21. ait: *Testimonium Joannis ad omnium salutem hominum pertinuit. Quid profuissent venisse, si non contigisset agnosci?* Ita S. Thomas interrogat: *Quid mundo sine fide redemptio contulisset? Paganis, Judæis, & Turcis mors Christi quid confert? Filius Dei missus est, ut mundum redimat & pretium Deo redemptionis exsolvat; Joannes missus est, ut hac ipsa redemptio mundo innotescat; Christus in redemptionem mittitur, Joannes in fidem, id est, ut omnes crederent per illum.*

Conc.1. de Nat. Joan. Jam dudum Verbum incarnatum Spiritus sancti opera interveniente à Virgine conceptum erat, novam quandam & miraculosam stellam super stabulo emicare & scintillare fecerat. Tres orientales Reges ad eum adorandum, solvendaque tributa è suis procul dissitis regionibus discesserant; Jam dudum duodenis sapientia superhumana cum Doctoribus in templo, cum uniuscujusque stupore Jerosolymis disputaverat, & tamen ut idem sanctus Archiepiscopus optimè considerat. *Mirares, triginta annis inter homines Deus erat, & factus homo cum hominibus versabatur, & non agnoscebatur.* Sed dices: Quis igitur ipsum non solum Hebræorum synagogæ, sed & toti mundo innotescere fecit? Respondeo cum eodem Sancto: *Missus est Joannes, ut ad tanti Sacramenti advertentiam mortalium oculos excitaret, & tantam Dei dignationem in populis proclamaret.* Verum quidem est, quod de Apostolis scribatur: *In omnem terram exivit sonus eorum. Annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt*; at verò a quonam hanc ignitionem & lumen acceperunt, præterquam à sancto præcursore? Unde sanctus Thomas merito ait: *Apostolus ergo mundi universalis Joannes natus est, non promotus; Apostolus conditus, non electus; non in unam provinciam ut cæteri, sed in orbem maximum destinatus.* Imperscrutabile illud Sanctissimæ Trinitatis mysterium, quinque millibus & amplius annis humano intellectui ut plurimum absconditum fuit, Baptistæ verò temporibus clarè revelatum &

Serm. de Priv. Jo. manifestatum est, quando ut sanctus Bernardus notat: *Prima revelatio de Trinitate a creatione cœli & terra, usque ad hunc locum* (nimirum quando Christus baptizatus est) *nunquam Trinitas manifeste apparuit hominibus.* Et tamen mysterium istud basis & primum molis est, circa quod omnia fidei nostræ mysteria circumvolvuntur, hæ etenim tres divinæ personæ unitum S. Joanni revelatæ manifestatæ fuere. Pater namque vocem suam audiri fecit, Spiritus sanctus in columbæ specie apparuit, & Filius Dei coram ipso in genua provolutus fuit. *Adest Joannes totius medius Trinitatis* (inquit S. Bernardus) mox vero quærit: *Domine quis est iste, quia invotuisti ei?* cui facilè respondetur, dicendo: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.*

3 De Præcursore suo Salvator perhibet, quod sit *Plus quam Propheta*. Porrò quisquis Prophetiæ dono præditus denominatur, in Scriptura sacra pluribus in locis hoc titulo insignitur, ut *Videns* appelletur: Quisquis igitur acutiorem magisque synceram oculum habet, ampliora quoque prophetiæ dona habere jure dicetur, talis autem S. Joannes fuit, qui *Erat lucerna ardens & lucens. Vidit Filium Dei* (inquit Paulus à Palatio) *vidit Spiritum descen-*

In C. 18. Mat. *dentem, & super Christum manentem, vidit cœlos apertos? audivit Patris vocem. Alii fuere testes de auditu. Audiebant aliquem Angelum in se loquentem, licet Spiritu sancto essent inspirati.* S. Joannes autem *oculata fidei testis est.* Quid amplius desideratis? De ejus testimonio Author hic dicit: *Joannes affertur testis a sanctissima Trinitate dicente. Super quem videris Spiritum, ipse est: affertur vero testis super re omnium penitus rerum gravissima, id est, super Christi Deitate, & affertur, ut ejus testimonio tota gens Judæa credat, & affertur, ut universa hominum salus ex unius hominis ore dependeat.* Quamnam putatis causam esse, quod sancta Dei Ecclesia nullius alterius Sancti Nativitatem tanta cum festivitate celebret, sicut nativitatem Sancti Joannis Baptistæ. Sanctus Thomas de Villa-Nova ad id respondet, dicens: *Merito illius nativitas in orbe colitur, qui tantum contulit orbi, merito, ut Angelus prædixit in ejus natali, totus mundus exultat, qui se de illo tam benè meritum recognoscit*, aliam quoque rationem protinus subjungit dicens; *Non solum quia inter sanctos natus est sanctus, sed quia ejus nativitas plus mundo conducit, quam omnium Sanctorum natalitia*, quia mundus Christi fidem ei se debere agnoscit. Quis enim illum agnovisset, nisi ipse eum digito monstrasset, dicens: *Ecce agnus Dei?* quis Christo post tot ab ipso patrata miracula, post adeo prodigiosam, quam vita sua testabatur, sanctitatem ei credidisset? Et fortasse hanc ob causam factum est, quod Ecclesia se Joanni Baptistæ tantopere obligatam esse agnoscens, eundem ob insignia in se collata merita super omnes sanctos, imo ut Bernardus observat, super ipsummet S. Petrum honoraverit, primum videlicet templum Romæ ad ejus honorem & gloriam erigendo, & ejus sancto nomini dedicando, templum videlicet S. Joannis in Laterano *Mater & magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est: Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, in honorem Joannis Baptistæ post Salvatoris nomen consecrata est? & signata*; & jure quidem meritissimo; siquidem fidem & agnitionem Dei non solum in universum mundum transfudit, verum etiam eandem sedem suam erga Christum fidelitate stabilivit. Didacus Stella de S.

Joanne dicit: *Christi honor in ipsius manibus fuit constitutus*, idque hac ratione probat, dicit enim Christum sponsam suam, id est, Ecclesiam consignasse Petro, Matrem suam S. Joanni Evangelistæ & Apostolo, sacratissimum corpus suum Josepho ab Arimathæa: *at honorem, qui totius humana vita pondus est, & quo nihil pretiosius & pulchrius hominibus æstimatur, Joanni Baptistæ tradidit.* Honor etenim Christi in ancipiti pependisset, si Joannes se Messiam esse respondisset, indubitatum namque est, quin mundus coram eo in genua provolutus, eum tanquam verum Dei Filium agnovisset, & adorasset: ipse vero per heroicum suiipsius contemptum se indignum esse declaravit, qui calceamentorum ejus corrigias solveret, eumque toti Judææ, omnibusque aliis manifestavit; *Christi honor totus ab ore & responsione Joannis pendebat.* In Luc.

4 *Ut testimonium perhiberet.* Quis vestrum mihi causam explicabit, cur S. Joannes in triginta annorum spatio Salvatorem nostrum nunquam videre curaverit, tametsi adeo stricto parentelæ vinculo cum ipso conjunctus esset, imo licet ejus præcursor à Deo destinatus esset, attamen protestatus est, dicendo: *Ego nesciebam eum*, cum tamen Joan.1. 31. uti facilè conjicere possimus, tanto cum desiderio cum Christo conversari concupiverit: S. Thomas dicit: *Cum sciret Christum inter homines habitare, privavit se consortio Christi & familiaritate, & mansit in deserto, quod fuit illi magnum martyrium, acerbius omni illo rigore pœnitentia. O quomodo sitiebat videre Christum, alloqui, gaudere, & frui ejus præsentia & colloquio, quem sciebat esse Deum in carne.* At vero cur se inæstimabilibus consolationibus illis privavit, quibus ex conversatione cum Deo illo perfrui poterat, de quo scribitur: *Gustate & videte, quam suavis est Dominus!* Cur corpore tenus adeo remotè ab eo substitit, cui spiritu adeo coniunctus erat? *Abstinebat* Ps. 33. 19. *propter hoc, ne putarent homines, quod amicitia & familiaritate Christi de ipso redderet testimonium, non veritate:* Testimonium quoque pro hac re habemus Chrysostomi dicentis: *Ut autem non videatur ex amicitia propter cognationem ei testimonium perhibere, quia cognatus ei secundum carnem, propterea dicit: Ego nesciebam eum.*

5. *Ut testimonium perhiberet.* S. Joannes in utero materno sanctificatus fuerat, & in gratia confirmatus erat, & consequenter securus erat se deinceps nequaquam peccaturum esse, & tamen *Antra deserti teneris sub annis, civium turbas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam famine posses*: at vero quænam sunt illa peccata ab eo commissa, ob quæ vitam duxit adeo rigorosam & pœnitentem? Certum est enim, quod ad illum non pertinuerit debitorum nostrorum satisfactio aut exsolutio, siquidem ipsemet Redemptorem demonstrans dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Noverat* (inquit sanctus Thomas de Villa-Nova) *peccata mundi morte Domini, non sua pœnitentia expianda, quæ causa ergo tanta pœnitentia? utique sola mundi charitas, solus amor proximorum; noverat enim illud magnum Sacramentum, quod absconditum* Conc.1. in Nat. Jo. *erat inter homines, Deus homo: Noverat, quod omnis salus & vita mundi consistebat in eo cognoscendo; noverat se ad hoc natum & missum, ut ipsum manifestaret mundo.*

mundo. At vero inquies, an non expedientius fuisset, si eum extra desertum constitutus generi humano annuntiasset, & prædicasset? Sanctus Archiepiscopus sapienter respondet dicens: *Noverat, quam difficile erat hoc credere, & quod illud rationibus non poterat persuadere, & ideo elegit vitam illam asperrimam, ut sic persuaderet sua authoritate, & crederent ei, & mundus notitiam salutis acciperet.*

Eminens sancti Joannis Baptistæ sanctitas, infima cum humilitate conjuncta, summè est admiranda.

DISCURSUS QUINTUS.

Veniet fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum illius. Lucæ cap. 3. v. 16.

1 TRita est illa sancti Bernardi de humilitate scribentis sententia, quæ ait; *Magna & rara virtus humilitas honorata*, hæc enim virtus tunc vel maximè admirationem meretur, quando in honorum humanorumque applausuum culmine exercetur; nam quod quis intra se aliquos humilitatis sensus experiatur, dum extra honores, & obsequia est constitutus, nihil mirum est: at verò quod quis sibi non solum exterius, sed etiam, & multo magis in conceptu suo interno vilescat, quando mundus eum veneratur, eique applaudit, hoc verè mirandum est. Sciendum est igitur, sanctum Joannem Baptistam eo præcipuè tempore in hæc verba prorupisse: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*, quando universa Judæa eum veluti Deum venerabatur, & adorabat. Unde Evangelista scribit: *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Joannes, dicens omnibus: Veniet fortior me*, &c. Quod quis semetipsum contemnat, humilietque inter abdita ferarum latibula se abscondendo, inter ulmos & fagos veluti si scorpionum socius esset, in sylvis conversando, quid mirum? At vero à Palæstinæ Metropoli expeditam ad se à Pontificibus, & synagogæ principibus solemnem spectare legationem, quæ ipsum tanquam Altissimi Filium veneretur, & agnoscat, & tunc sese in humilitatis cujusdam adeo infimæ abyssum demittere, hoc vere portentum est tale, ut sancti Augustini linguam in hoc stuporis plena verba relaxet:
Tract. 4. in Joan. *Nullum tantum meritum habuit Joannes, quam de hac humilitate, quod cum posset reputari Christus, confessus est apertè se non esse Christum.* Et quidem hæc tanti tamque egregii, & circumspecti Ecclesiæ Doctoris sententia valde est considerabilis, nec minus intellectui difficilis, nam si Joannis vitam bene examinemus, inveniemus utique omnia Magni Baptistæ merita multa esse, eaque valde stupenda & transcendentia: qua igitur ratione verum esse poterit, quod sanctus hic Doctor dicit: *Nullum tantum meritum habuit Joannes, quam de hac humilitate*? *Repletus est Spiritu sancto adhuc*
Malac. 3. 1. *ex utero matris suæ*; ubi sanctus Ambrosius ait: *Cui spiritus infunditur, magnarum in eo est plenitudo virtutum.* Angelus quoque in annuntiatione sua prius prædixerat: *Erit magnus coram Domino*, circa quæ verba Carthusianus ait: *Magnus magnitudine gratiæ, sapientiæ, virtutis coram Domino, id est, vera.* De Joanne similiter scribitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, quia duxit vitam Angelicam*, ut inquit Lyranus. Præterea quænam censendus non est sibi comparasse merita, quando *Antra deserti teneris sub annis petit, nec levi saltem maculare vitam famine posset*, quando in iisdem deserti antris per totum vitæ suæ cursum asperrimo cilicio vestitus, in perpetuo sive continuo, nec unquam intermisso jejunio constantissimè demoratus fuit, adeo ut ipsamet
Matt. 11. vers. 18. æterna veritas dixerit: *Venit Joannes non manducans, neque bibens*? Qualia sibi comparasse censendus est merita, quando turbis ad ipsum in deserto confluentibus tot annis ferventissimè prædicavit, tot animas errabundas revocando ad pœnitentiam, transmutando corvos in columbas, viperas in turtures, è durissimis cordium illorum silicibus aquam eliciendo compunctionis, alium quendam in divini honoris zelo Eliam sese probando & exhibendo, denique efficiendo ut evidens omnibus fieret se non volubilem quandam esse arundinem, à quovis levi tentationis vento agitatam, sed potius stabilem esse Libani cedrum? Quantum sibi meritus est, dum universum mundum, ut supra diximus, ad veri Dei agnitionem perduxit, hisce eum verbis indicando: *Ecce Agnus Dei*, innumeris hominibus Baptismum suum, figuram videlicet & dispositionem ad Christi baptismum, conferendo, semetipsum in castitatis victimam sacrificando. Herodi denique præciso etiam capite sacrilegum incestum suum improperando: *Fuit plusquam Propheta*, inquit Salmeron. *Apostolus Apostolorum, Martyr, Doctor, Confessor, Eremita.* Qua igitur ratione S. Tom. 2. Tra. 23.
Augustinus de Joanne in tam insignium virtutum ac meritorum culmine constituto asserere potuit. *Nullum majus meritum habuit Joannes, quam de hac humilitate*? Et tamen verissima est illa sancti Augustini sententia; & quidem pro illius faciliori intelligentia diligenter ponderandum est, quam excellens quid sit, quod quispiam tanquam Filius Dei æstimetur, veneretur & adoretur, & tamen indignum se esse dicat, qui talis viri calceamentum resolvat & exuat, qui licet verus Deus & promissus in lege Messias esset, & tanquam talis à Joanne agnosceretur, & adoraretur, apud alios tamen nomen obtinuerat hominis seditiosi, & deceptoris, Samaritani, Dœmoniaci, imo ut uno verbo dicam *opprobrium hominum & abjectio plebis*. Prothoparens noster in felicissimo innocentiæ statu, ornatissima justitiæ Originalis Chlamide indutus, mirisque donorum & cœlestium gratiarum thesauris locupletatus: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum*, dum ab animali quodam licet tortuoso & fraudulento dici audiret: *Eritis sicut Dii*, in obedientia & fidelitate Creatoris sui, licet hunc paulò ante adeo erga se beneficium expertus fuisset, solidè & constanter consistere nequivit. Lucifer quoque pulcherrimus ille cœli Empyrei Angelus in abyssum præcipitatus fuit; eo quod altiora ambiens, æqualitatem & similitudinem cum Deo usurpare præsumpserit: *Ero similis Altissimo.* Ecce igitur tibi Joannem Baptistam, elegantissimo Paradisi Angelo, & primo homini licet in statu innocentiæ constituto, & justitiæ originalis paludamento contecto longè superiorem; quia cum in æstimatione & veneratione mundi ipsomet Dei filio superior esse posset, humiliavit se & ad infimum contemptus sui ipsius gradum se demisit, dicens: *Ego vox clamantis in deserto; Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Etenim Eremi incolam esse, rudissimo vestiri cilicio, famem suam non nisi locustarum & mellis sylvestris esu compescere, austeritates quidem sunt, quæ Corpus & portionem ejus inferiorem macerant: at vero contemnere hoc, quod est Dei loco adorari, hoc est, quod superbiæ & ambitionis spiritus, qui huic naturæ nostræ corruptæ à primis ejus natalibus per ly *Dominamoni*, ut ita dicam, fuerunt congeniti, vel maximè reprimit. Unde Hildebertus ait: *Superbia na-* Epist. 32.
tione cœlestis sublimes appetit mentes, & velut ad proprios revolans ortus in gloriam & puritatem irrumpit hominum, qua à gloria & puritate irrumpit Angelorum, Quanto arbores sunt altiores, & in loco eminentiori plantatæ, tanto fortius impetuntur à ventis: id quod arboribus in vallibus seu in planitie plantatis non ita accidit: Porrò Baptista cedrus quædam erat ex sublimioribus, quæ sunt in Lybano (*Inter natos mulierum non surrexit major*) & tamen summè mirandum est, quam solidus, constans, & immobilis semper perstiterit: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* in profundissimo contemptus suipsius centro, humilitatis suæ radices profundissimè demiserat, ac proinde quid mirum si venti quantumvis vehementissimi gloriæ & fastus humani eum in cassum & frustra afflatent? S. Augustinus pulchre considerat S. Joannem à primo homine didicisse, qualiter se fortiter & solide in pedibus conservare posset:
Ser. 23. de Sanctis. *Putari Christus potuit, & noluit; dixerunt homines, cum fallerentur in eo, num forte hic est Christus? respondit ille quod non erat, ut remaneret, quod erat: inde quippe Adam lapsus perdidit, quod erat, quia quod non erat, usurpavit? recolebat hoc ille magnus, sed in parvo Christo minimus.*

2 *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* S. Bernardus de humilitatis dotibus tractans, ita nos monet: *Humilitatis virtus habet hæc tria superiori subdi, æquali non præferri, minori potius subdi quam præferri.* Per omnia hæc munia S. Joannes humilitatis partes est executus. Primo enim Christo superiori suo se subjecit,

cit, dicendo: *Non sum dignus solveret corrigiam calceamentorum ejus*. Secundo etiam sibi æqualibus se submisit; Matth. 11. 14. cum enim ipsemet Christus dixisset. *Ipse est Elias qui venturus est*; ipse se talem esse negavit, dicens: *Elias non sum*, quin potius repercussum aeris sonum seu Echo se esse dixit: *Ego vox clamantis.* Tertio denique Prophetis se inferioribus subjecit, cum enim à Christo dictus legatur: *Plusquam Propheta*; ipse nihilominus econtra protestatus est, dicendo: *Propheta non sum*. Enimvero si ita est, prout quotidiana nos edocet experientia, quod aqua ad eundem usque limitem sursum ascendat, à quo descendere cœpit deorsum, quid mirum, si Joannes adeo fuerit exaltatus? Serm. 2 de Nat. Joan. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur, ergo qui se magis humiliat* (inquit S. Bonaventura) *magis exaltabitur; & qui maximè, maximè. sed B. Joannes summè humilis fuit, vilia maximè de se sensit, vilia de se prædicavit, vilia de se quærentibus respondit*; tandem vero idem Seraphicus concludit: *Ergo quia sic in summo humilis fuit, summè* Serm. 3. de N. 1. Joan. B. pt. *exaltari promeruit*. Guerricus Abbas notat Angelum hæc verba prædixisse; *Erit enim magnus coram Domino; illa magnitudo Joannis fuit, quia inter magnos tam magnus excrevit: quia videlicet virtutes suas magnas & innumeras, quibus nullus mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulavit*. Tritissima sunt illa S. Augustini verba: *Magnus esse vis, à minimo incipe; cogitas magnam fabricam construere? de fundamento prius cogita humilitatis.* Quantum se spirituale hoc Joannis ædificium cœlum versus erexerit, ex illis æternæ veritatis verbis colligere licebit: *inter natos mulierum non surrexit major*. Unde per necessariam consequentiam dicendum est, in nemine hominum majus fuisse fundamentum humilitatis, idque vel maxime quoniam ædificium hoc ipsamet veritate teste adeo fuit solidum, constans, & stabile. S. Petrus Damianus postquam in Joanne observasset, nullum ventum, imo nullum flatum vel halitum vanitatis, hanc adeo perspicuam & claram crystallum aliquo saltem modo obfuscare potuisse, mox in- Serm. 88. terrogat: *Quis est, quem vel ventosa felicitas; vel adversitas turbida, vel cujuslibet peccati aura tenuior inflexit? Ad extremum subinfertur, quod terram excedat, transeat cœlum, ipsumque verticem angelicæ dignitatis contingat. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Serm. 86. *Quid vis amplius?* Chrysologus de sanctitatis & perfectionis ejus eminentia ita argumentatur: *Qui coram Deo magnus est, quantus sit penes homines, quis probabit?* ac tandem ipsum denominant *sanctitatis exemplum*: at vero valde parum dixit in comparatione ejus quod de illo, dum de genitricibus ejus à tot annorum spa- Serm. 89. tio sterilibus ita scriptum reliquit; *In illis parabatur unde tota sanctitas nosceretur*, ac proinde cum Deus illum adeo in sanctitate eminentem reddiderit, justum erat, ut eum quoque ad eandem proportionem faceret humilem. Eccl. 3. 10 *Quanto magnus es, humilia te.* Scriptor quidam modernus historiam quandam recenset proposito nostro convenientissimam. Cum enim Phidias immensæ magnitudinis statuam quandam sculpsisset, quæ sedens capite suo supremam domum contignationem contingebat à nonnemine artis pictoriæ imperito censore reprehensus fuit, de commisso in arte sua errore, eo quod statua hæc si in suos se pedes erigeret, domus tectum utique penetratura esset; prudens vero sculptor protinus respondit, se statuam istam ex data opera & studio ex materia gravi & ponderosa fabricasse, ad hoc ut se nunquam erigeret, sed continuo sedens maneret. Quam historiam S. Joanni per omnia facilè adaptare licet, dicendo, quod tametsi supremus gratiæ artifex, ingens hoc sanctitatis simulacrum, in tam eminenti magnitudine fabricaverit, huic tamen tam excessivæ magnitudini, qua capite cœlum tangere poterat: *Inter natos mulierum non surrexit major; Ecce ego mitto Angelum meum*, pondus quoque adjecerit profundissimæ humilitatis, per quam se altera ex parte adeo humiliabat, adeoque de se submisse sentiebat, ut di- Serm. de Nat. Joan. ceret: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Guerricus Abbas pulchram reddit rationem, cur Christus hunc Præcursorem suum tam præclaris laudum encomiis in cœlum usque extollere non dubitarit; nimirum quia probè sibi perspectam habebat humilitatem ejus, adeoque sibi metuendum non erat, quod ex pronuntiatis ejus laudibus inaniter esset efferendus: *Deus neminem facilè laudat, quem laude posse inflari videat*: Ex ipsiusmet Christi, suæque sanctissimæ matris præsentia in utero materno sanctificatus fuit, quod privilegium hic præcursor strictæ, quæ inter Christum & se intercedebat, parentelæ attribuere potuisset, quod tamen minimè fecit, non enim se Christi nepotem, sed humilem servum ab ipsa sua conceptione expressè denominat, dicens: *Formans me ex utero servum suum sibi*. Data quoque ei fuit Eliæ & Prophetæ nomenclatura: *Elias es tu? Propheta es tu?* ipse autem respondet: *Non sum, non sum, Ego vox clamantis in deserto*. Adhæc sublimissima Messiæ dignitas ei oblata fuit, quam ille protinus respuit, dicens; *Non sum dignus solvere, &c.* Ubi Guerricus Abbas ait: *Nobis non solum miranda, sed & imitanda* Serm. 3 de N. 1. Joan. Bapt. *proponitur virtus humilitatis ejus, qua major se credi cum potuit, noluit? imo credentes, ne errarent, quantum valuit, compescuit*. Denique ipse inter cunctos viventes unicus & solus electus fuit, qui Christum baptizaturus manus suas ejus sacratissimo vertici imponeret, & tamen ipse se reputabat indignum, qui ad solvenda ejus calceamenta manus suas extenderet; adeoque *quanto major erat, humiliabat se in omnibus*.

3 Alterum humilitatis ejus punctum à nobis imitandum est, quod licet confirmatus esset in gratia, ipse tamen salutem *cum metu & tremore* operari non intermiserit. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Occasiones peccati perfectissime evitavit; quia nec sanctitate parentum,* Serm. 5. de Nat. Joan. *nec plenitudine gratiæ sibi collata, nec promissis Angelicis & divinis contentus, mox ut infantiæ annos egressus est, properavit ad eremum*.

4 Est & illud quoddam documentum, quod ab heroico sui ipsius contemptu à Joanne laudabiliter exercito pariter addiscere possumus. Ipse namque nihil æque desiderabat, quam ut cum diminutione gloriæ suæ, suorumque honorum præjudicio Christi cultus & veneratio egregiis incrementis augeretur: *Illum oportet crescere, me vero minui*. Nos verius Deum & proximos nostros omnino contrario modo nos gerimus, siquidem nos cum diminutione & gloriæ & honoris Dei, in conceptu & opinione mundi hujus crescere satagimus, quot enim modis, quot scandalis Deum offendere non erubescimus, ut fines nostros assequi valeamus? *Quanto salu-* Serm. 3. *brius* (inquit Guerricus Abbas) *imitarentur humilitatem Joannis, qui detrahebat sibi, ut adderet aliis; qui contendebat minor credi, ut alius inciperet apparere, quod non putabatur*.

Analogiæ & Paralleli inter Christum & S. Joannem Baptistam.

DISCURSUS SEXTUS.

Quem dicunt homines esse filium hominis? at illi dixerunt; alii Joannem Baptistam. Matthæi cap. 16.

1 NOta est omnibus illa à Salvatore discipulis suis proposita quæstio, quisnam aut qualis ipse hominibus esse videretur: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Et primo quidem loco veluti quod in communiori, & pervulgatiori opinione positum esset, responsum fuit, aliquos ipsum existimare esse Joannem Baptistam. Et revera hic conceptus sive opinio non vulgi tantum, sed & sapientorum quoque mentibus adeo firmiter impressa erat, ut tam Joannes ipsemet, quam Christus Dominus discipulos è schola S. Præcursoris ad hunc errorem deponendum summa cum difficultate promovere potuerint. Hanc quæstionem (*quem dicunt homines esse filium hominis*) Redemptor noster Collegio Apostolico eo præcipue tempore proposuit, quando jam pridem multa patraverat miracula, quando jam cæcis lumen, surdis auditum, mutis loquelam, defunctis vitam prodigiosè restituerat: Sanctus verò Joannes altera ex parte nulla etiamnum miracula operatus fuerat, ac proinde meritò hic quis dubitare posset, quomodo etiam sapientes permoveri potuerint, ut Joannem filium Dei crederent, cum de venturo Messia Isaias ipsum miraculis celebrem futurum esse prædixerit? Et tamen Sanctus Joannes apud Pharisæos, scribas, legis Doctores, Sacerdotes, Pontifices, & omnes alios in tali erat sanctitatis opinione, ut Christus ad hoc ut Petro dicenti? *Tu es Christus filius Dei vivi*, fides adhiberetur, necessarium esse duxerit subjungere: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis* In cap. 15 Matth. *est*. *Tantus erat Joannes* (inquit Paulus de Palatio) *ut*

plane

planè creditus esset Messias, & ut Messias esset susceptus, si se ille Messiam fingere voluisset. Christum homines difficulter pro filio Dei agnoscere potuerunt, *Joanni etiam nolenti ab eisdem offertur.* Ad hæc similitudo quæ Christum & Joannem intercessit, tanta erat, ut postquam Christus Joannem adeò mirificè laudasset, ad hoc ut Baptista non æxistimaretur esse Messias, opus esse censuerit protestari, se majorem esse Joanne. *Periculum enim erat, ne orbis crederet Joannem esse Christo aut majorem, aut non certè minorem.* Dicat autem fortasse aliquis quænam causa sit, quod cum Christus Præcursorem suum supra omnem modum honorare voluerit, illum nihilominus dono miraculorum nequaquam dotaverit? *Joannes nullum signum fecit.* Salmeron respondet: Jo.n.4. 43. *Si signa edidisset, magis de Christo dubitassent, & majorem proculdubio refutandi Jesum & Joannem in Messiam accipiendi habuissent occasionem Judæi.* Et tamen licèt miraculorum videndorum avidissimi essent, adeo ut Salvator noster eos reprehenderit, dicens: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis,* attamen ut sanctum Præcursorem, licèt ne quidem per umbram ulla ab eo patrari vidissent miracula, velut verum Dei filium adorarent, promptissimi erant. Adeo sanctus Joannes & Redemptor noster inter se conformes erant, ut vel ipsemmet infernalis coluber cum omni astutia & calliditate sua, uter eorum sanctior & velut expectatus Messias adorandus esset, dignoscere haud potuerit; Cum utroque enim singulare certamen inire non dubitavit, hoc tamen observato discrimine, quod Christo, si ipsum supplex adoraret, omnia universæ terræ regna & imperia obtulerit, dicens. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me;* quod utique nunquam fecisset, si eum verum esse credidisset Dei filium, quid enim stultius, quam id quod Dei filio proprium est, eidem offerre? *Domini est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo:* Imo quid insipientius, quam ea illi promittere, qui omnes ad regnorum terrenorum contemptum invitat, ut cœleste regnum sibi acquirant? Unde S. Remigius ait: *Miranda etiam Diaboli dementia! illi promittebat dare regna terrena, qui suis fidelibus dat regna cœlestia, & gloriam mundi ei, qui est cœlestis gloriæ Dominus.* Enim verò Baptistam promissum esse Messiam certiori sibi habebat opinione impressum, siquidem magno Hebræorum Concilio, ut solemnem illam ad eum legationem amandarent, firmiter persuasit, vel ut ex ipso an verus Messias esset, perspicuè intelligerent, vel etiam in casu quo is ille non esset, ipsum tamen per arrogantiæ præcipitia deturbarent, idque non jam terrenorum regnorum, sed quod augustius est, ipsiusmet Divinitatis in ipso agnoscendæ sponsione; neque ab ipso petiit adorari, quin potius ut adorationes soli Deo convenientes admitteret, totis viribus contendit.

2. Præterea tanta talisque Christum inter & Præcursorem suum conformitas fuit, ut sicut nonnulli observarunt, æternus Pater Spiritum sanctum super caput Salvatoris data opera in columbæ specie, Joanne ipsum baptizante visibiliter submittere voluerit, ut hac ratione quisnam filius ipsius esset in conspectu omnium astantium perspicuè indicaret; unde vox de cœlo resonans, Matt. 3. 16. dicebat: *Hic est filius meus dilectus,* ille nimirùm, super cujus vertice columbam requiescere cernitis: *Vidit spiritum Dei descendentem, & venientem super se, & ecce vox de cœlo dicens: Hic est filius meus dilectus,* id quod tunc tanto amplius requiri videbatur, quanto major erat existimandi occasio sanctum Joannem in illa functione, qua circa Christum fungebatur esse Christo superiorem, utpote qui ad pedes Joannis genuflexus hærebat; Imo ipsimet sacerdotes & Hebraismi Pontifices eam de Joanne To. 15. in Joan. habebant opinionem, ut Chrysostomus dicat: *Indignum existimabant subjici eum Christo propter multa, quæ Joannis claritatem demonstrabant.* Sanctus Joannes Apostolus qui aquilinos oculos suos inaccessibilem illam divinæ essentiæ lucem defigere consueverat, postquam in ipsum justitiæ solem Christum oculorum suorum aciem direxisset, eosdem deinceps immediatè in sanctum Joannem declinavit. Unde Didacus Stella ait: *Postquam mysteria divinitatis originem & nativitatem verbi pertransisset, ad humanas res descendens, prior, in qua, gradum* In c. 1. Lu. *sistit, fuit Joannes Baptista, tanquam in sublimiori vertice, & cacumine totius mundi. Fuit homo missus à Deo,* inquit sanctus Joannes de Baptista, ut præcaveret, ne ipsum alium quendam Deum, sive aliam quandam sanctissimæ Trinitatis personam esse crederemus, quin potius eum suspiceremus, velut in quo plus divini quam humani elucesceret, quique proinde cœlitus, ut ita dicam dilapsus esset; unde postquam dixit; *Fuit homo,* protinus subjunxit, *missus à Deo; Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine: Baptista non contendit, nec certamen init cum aliquo sanctorum* (inquit idem Stella) *nam homines suam sanctitatem videntes non cum alio quam cum Filio Dei illum conferunt.* Sicut de Joanne scribitur: *Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine,* ita quoque de se Christus pariter declarat, dicens: *Ad hoc veni, & ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati.* Unde S. Thomas ait: *Est magnum officium Joannis, & ex participatione divini luminis, & ex similitudine ad Christum, qui hoc officio usus fuit.* 1. C. 1. Jo.

3 *Ex similitudine ad Christum.* Qua de re S. Thomas de Villa-Nova ita scribit: *Cogita nunc si potes hujus hominis dignitatem; Filius Dei mittitur ad salutem, Joannes ad fidem; Filius Dei ut operetur salutem in medio terræ, Joannes ut illa salus à tota terra credatur; Filius Dei ad mundi vitam, Joannes ad mundi sapientiam; Filius Dei ut vivificet, Joannes ut illuminet, ut omnes, inquit, crederent per illum.* Con. 3 de Nat. Jo. Ba. Dionysius Cartusianus de utraque hac conformitate ita disserit: *Mente erant simillimi, carne quoque propinqui, & se invicem lympide cognoscentes etiam nondum ex utero nati materno.* Serm 4. de S. Joan. Malachias postquam de sancto Joanne tanquam Præcursore sub Epitheto Angeli mentionem fecisset dicens: *Ecce ego mitto Angelum meum,* Cap. 3. mox quoque Christi mentionem subinfert, eumque pariter eodemmet Angeli epitheto condecorat, dicens: *Statim veniet Angelus Testamenti.* Eusebius Emissenus alias insuper inter utrumque Analogias considerat, dum ita scribit: Ho. 1. de S. Joan. *Joannes nascitur de Patre sene, Christus ex matre mundi senescentis ætate, ætate inquam illa, quæ erat fide & operibus infœcunda; Joannes venit desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescente per Virginem; Ille salutem prædicavit, hic contulit, ille baptizavit in pœnitentiam, iste generavit in gratiam:* Adhæc Salvatoris nativitas à multis fuit Prophetis vaticinata, sancti quoque præcursoris nativitas ab iisdem pariter prophetata fuit; nimirum per Jeremiam cap. 1. *Priusquam te formarem in utero novi te;* Per Isaiam cap. 49. *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei;* Per malachiam dicentem. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Gabriel Archangelus de cœlo missus Mariæ apparuit, ut Verbi incarnationem annuntiaret: de sancto Joanne autem inquit Sanctus Petrus Damianus: *Salva reverentia Redemptoris, quia non derogamus Regi, si Regis militem honoramus, digniori præmonstratione Joannes nuntiatur, quam Christus:* Serm. 1. de Nat. Jo. Bap. Hic enim in privato quodam conclavi Virgini annuntiatus fuit, S. Joannes autem in templo, ante sancta sanctorum in die solemni annuntiari meruit; Unde Sanctus Bernardus ait: *Joannes ab eodem Archangelo in digniori loco; tempore sanctiori, apertiori miraculo prædicatur.* Serm. 1. de priv. S. Jo.

4 *Ex similitudine ad Christum.* Salvatoris nostri nomen cœlitus delatum fuit, antequam in utero Virginis conceptus esset. *Et vocatum est nomen ejus, quod vocatum fuerat ab Angelo, priusquam in utero conciperetur:* Serm. 61. Baptistæ quoque nomen ab eodem Archangelo annuntiatum fuit, quando S. Zachariæ ejus nativitatem prædixit: *Vocabis nomen ejus Joannem, Debuit Præcursor* (inquit S. Ambrosius) *& prævius Christi aliquid simile habere nativitati Domini Salvatoris.* Præterea sicut Christus natus est ex Virgine, ita quoque Præcursor à parentibus nascitur sterilibus in decrepita ætate: Neque id sine mysterio factum fuisse credendum est; cum enim Joannes antiqui testamenti terminus esset, Christus vero novi testamenti esset exordium, æquum erat ut ille ex vetula, hic verò ex teneræ ætatis nasceretur juvencula. Porrò multorum hactenus fuit opinio Verbi incarnationem per Virginis Deiparæ orationes acceleratam fuisse, hanc quoque miraculosam prolem amborum parentum S. Joannis orationes cœlitus impetrarunt: *Exaudita est deprecatio tua, & uxor tua pariet tibi Filium.* Item sicut partus virginis, qui Filius Dei erat Divinæ potius gratiæ quam humanæ naturæ opus fuit. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei:* itaque Elisabethæ Filius naturaliter conceptus tanta fuit

gratia locupletatus, ut sanctus Ambrosius dicat: *Concipit Joannem non natura, sed gratia*, indeque hanc deducit consequentiam: *Necesse erat sanctum nasci filium, qui non tam complexibus, quam orationibus gigneretur*. (Ser. 11.) Aureus quoque sancti Ravennatum Archiepiscopi calamus hunc in modum de eo scribit; *Evangelista virtutes patris, matrisque describit, ut ex generatorum tantis meritis, dignitas germinis nasceretur, & probaretur major homine, qui in ortu suo excedebat legem nativitatis humanæ*.

5 *Ex similitudine ad Christum*. Idemmet Archangelus de S. Joanne prædixit: *Erit magnus coram Domino*, qui de Salvatore Mariæ prædixerat: *Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur*; deque eodem Præcursore Pater quoque ejus prophetaverat: *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis*. Virgo Deipara sive ab Angeli apparitione, sive ob verba ejusdem turbata fuit: De Zacharia quoque dicitur: *Turbatus est videns & timor irruit super eum*. Virgo Angelum interrogavit: *Quomodo fiet istud*. Zacharias quoque ab Angelo quæsivit; *Unde hoc sciam?* Virgini responsum fuit: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*: Zachariæ quoque promissus est filius, quia appellandus erat Joannes, quod idem est, quod *Domini gratia*. Præterea sicut Mariæ dictum fuit; *Spiritus sanctus superveniet in te*; ita quoque de Elisabetha dicitur: *Repleta est spiritu sancto Elisabeth*, deque ejus partu Angelus prædixit: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*. De Christo sanctus Gabriel ait: *Regnabit in domo Jacob*: de sancto Joanne vero scribitur: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur*. Beatissimæ Virgini dictum fuit; *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*: atque à Spiritu sancto diu ante dictum fuerat: (Serm. cit.) *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te*. De nostro autem hoc infante S. Bernardus scribit. *In hac die natus est sanctorum splendor*. De Christo prophetatum fuit: *Fumina circumdabit virum*, eo quod à primo instanti conceptionis suæ perfectissimo præditus fuerit usu rationis; De sancto Joanne è materno utero prodeunte canit sancta mater Ecclesia; *Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam præcursorem Domini*; Estque credibile satis ei, dum adhuc in visceribus matris seclusus delitesceret, acceleratum fuisse usum rationis, siquidem ad primam Christi ejusque prægnantis matris sibi propinquiorem præsentiam exultavit in utero. In Nativitate Filii Dei gavisi sunt Angeli pariter & Pastores; Herodes verò anxietate plenus visus est turbari. *Turbatus est Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo*. Non vero idem accidit in nativitate hodierna, quin potius adimpleta fuit illa ab Archangelo facta promissio: *Erit gaudium tibi & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*.

6 *Ex similitudine ad Christum*. Filius Dei vox in scriptura denominatur: *Ego ex ore altissimi prodivi*. Vox quoque denominatur sanctus Joannes: *Ego vox clamantis*
(Eccl. 24. 1.) unde bene ait author operis imperfecti: *Quanto vox proximior est verbo; non tamen verbum: tanto Joannes proximior est Christo, non tamen Christus*. Sanctus Joannes a Christo lucerna appellari meruit. *Ille erat lucerna*;
(Ho 27 de Mat. Isa.) De ipso autem Evangelicus Propheta prædixit; *Propter Syon non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, ut lampas accendatur*. Messias & Salvator noster Evangelistas eosque à Spiritu sancto inspiratos gestorum suorum habuit Chronistas: idemque Spiritus, iidemque Evangelistarum calami laudem quoque & vitam recensuere Joannis. Christus multos discipulos habuit. Sanctus Joannes verò non solum quoque multos habuit, sed etiam ex suis multos Christo submisit. Idem quoque habuere ambo prædicationis suæ exordium: *Pœnitentiam agite*. Sanctus Joannes Baptismum instituit, talem vero qui ad Christi Baptismum dispositio esset, quem etiam baptismatis unda tinxit. S. Joannes in desertum quoddam se procul ab hominibus subduxit, *non manducans, neque bibens*: Christus quoque per quadraginta dies & noctes in deserto sine cibo & potu perseveravit. Unde merito concludere possumus, quod si Christo hæc proponeretur interrogatio; *Domine quis similis tibi?* sine ulla hæsitatione respondere possit: *Joannes Baptista Ex similitudine ad Christum*.

De mysteriis ob quæ S. Jonnes Baptista se vocem appellavit, deque prædicationis ejus efficacia ex quo præcipuè exorta, quod verbis semper unire contenderit opera; ac demum de admirabili ipsius in semetipsum austeritate & benignitate in alios.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Ego vox clamantis in deserto.

1. S. Ambrosius eminentem Magni Baptistæ sanctitatem considerans, eandem devoto quodam silentio venerandam potius quam exponendam esse censebat quidem; at vero mox se reflectens, quod vel solum Baptistæ nomen ea virtute polleat, quod linguas etiam mutas resolvens disertas esse faciat, prout Patri suo Zachariæ accidit, nostras quoque linguas eloquentes futuras esse confidit, eo ipso quo se ad ejus laudes enuntiandas consecrant, qui vox quædam esse perhibetur: *Quis igitur vocem laudet, & taceat?* Cui sanctus Petrus Damianus consentit, dum ait: *Quis taceat in nativitate vocis?* Et Beda: Neque enim Patrem à laudibus silere decebat, qui verbi præcone sibi nato gaudebat. (Serm 3 de S. Joan.)

2 *Ego vox* Sanctus Zacharias signum aliquod ab Angelo expetiit, unde vera esse verba illa conjicere posset, quibus sibi promittebat nasciturum esse filium: *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis*. (Luca 1.) Et ecce mox ei intimatum fuit. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant*. Quonam autem mysterio idipsum factum fuisse existimatis? Sanctus Augustinus ait: *Merito obmutuit Zacharias, quousque vox nasceretur*. Origenes ait: *Amisit vocem Zacharias, sumens eam nascente voce*. (Ho. 44. & 30.) De S. Elisabeth matre ejus scriptura dicit, quod *repleta est Spiritu sancto, & exclamavit voce magna*. Cur autem voce elatiori exclamarit, S. Bonaventura optimè exponit dicens: *Magnitudo namque vocis signum est magnæ affectionis: quia voces sunt notæ passionum, ideo voce magna clamabat, quia illum continebat in utero, qui erat vox verbi*. Enimverò sanctus Joannes à scribis & sacerdotibus interrogatus quis esset, multifariam respondere potuisset, optimè enim ad sui submissionem dicere potuisset: *Ego autem sum vermis & non homo*, vel alia similem humilitatem redolentia responsa edere potuisset, cur igitur ita præcisè respondere voluit; *Ego vox clamantis?* Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Quærentibus quis esset, nihil aliud respondit de seipso, quam vox sum in deserto clamantis: voce verbum proditur: quia ergo verbum Dei gentibus prodere venerat, vocem se esse rationabiliter asserebat; quantus hic est, qui illius est vox cujus verbum Christus est*: (Con. 1. de Nat. Joan. Bap.) Notandum vero quod non dixerit: *Ego sum vox clamans*, sed *clamantis*, quia vox erat Christi. Nescio profecto num aliquando observaveritis æternum Patrem supra Jordanem de Salvatore nostro dixisse; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; In monte vero Thabor adjunxisse *Ipsum audite*. Possetisne differentiæ hujus reddere rationem? Nimirum ratio erat; (Pf. 67. 34.) Quia S. Joannes Baptista vox Christi erat; unde quia hæc juxta Jordanem personaliter præsens aderat. Pater æternus filium suum audiri vel auscultari nequaquam jussit, eo quod hic juxta Jordanem per os præcursoris sui loqueretur; non vero in monte Thabor, ubi Joannes præsens non aderat.

3 *Vox clamantis in deserto*. Cœleste in Davide resonans oraculum de Messia venturo prædixit; *Dabit voci suæ vocem virtutis*; quæ verba de Magno Baptista aptissimè intelliguntur, hic enim vox Christi erat, cui tanta communicata fuit gratia, ut S. Thomas de eo ita (Luca 9. 35) scribit; *Quos non igitur ad se traheret, qui etiam viperas traxit? Ipse etiam Herodes qui crudelitate & nequitia omnes nequissimos superabat, eum libenter audiebat, & eo audito multa faciebat; cedebat omnis nequitia Joannis, & tanti hominis auctoritati nulla poterat obviare duritia*. (Conc 1. de Nat. Joan.) Prædicante Salvatore nostro, S. Petrus jure merito ei dicebat: *Verba vitæ æternæ habes*; longo quoque tempore hi qui ut ipsum caperent, omnis generis ei struebant, insidias, ab admirabili facundia ipsius attoniti stabant, & quasi obriguissent, movere se non poterant, quia *Nunquam sic locutus est homo*; nec mirum, quia (Joan. 7 46.)

verba

verba ejus miraculis semper & ubique conjuncta erant; & tamen prędicatio magni Baptistæ adeo auditorum animis grata erat, ut non tam ad eum videodum, quam ad audiendum ipsum iotegræ, ut ita dicam, civitates cum incolis à sedibus suis divulsæ ad deserta, ut eum audirent, magno cum desiderio sese transtulerint. Unde S. Nilus ait: *In solitudine versabatur, & civitates ipsa cum hominibus ad eum confluebant. Posuit os meum* (inquit sanctus Præcursor Domini) *quasi gladium acutum*. Quis est, qui verbum Dei gladio assimiliari ignoret? Didacus Stella ait; *Verba ejus Spiritu sancto erant plena, & hominum corda penetrabant, ita ut ea renovaret, & sanctitatis institutionibus compeneret*. Vix etiamnum natus in solitudinem quandam se subduxit, ubi multo tempore omnibus penitus incognitus delituit, quæ causa fuit, cur adeò curiosè ab eo exquisiverint: *Tu quis es*? & tamen nativitas ejus adeò facta est famosa & celebris, ut non Palæstinam duntaxat, sed & universum mundum lætificarit; idque ni, fallor, ea præcipuè de causa factum est, ut nobis insinuaretur, quod si is cui prædicandi munus incumbit, in auditorum animabus fructum producere desiderat, ea ratione vivere necessario debeat, ut suos relinquat auditores ambiguos, an non Angelus potius sit quam homo, spiritus potius quam corpus. Rupertus Abbas hac de re ita scri-

In cap. 1. Matt. bit: *Et hoc maximè illius reverentiam augebat, quia veniebat ignotus, quia cum hominibus non fuerat conversatio ejus*. Unde per Malachiam prædictum de eo fuit: *Ecce ego mitto Angelum meum*: Beda ait: *Prædicator pœnitentiæ futurus, aspera solitudinis elegis, ubi primævam ætatem transegit, ut juvenis liberius ab amore mundi auditores*

Cap. 3. 3. *suos revocaret*. Porrò observandum est, quod sanctus Matthæus, sanctum Joannem juxta prophetiam Isaiæ illam vocem fuisse receoseat, de qua scriptum est: *Ego vox clamantis in deserto*; cumque præmisisset ipsum prædicasse & anountiasse pœnitentiam, ac demum progressus fuisset, dicendo. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem ejus erat locusta, & mel sylvestre*, tandem hæc magna cum Emphasi significantia verba de eo subjungit; *Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua*; ubi Lyranus ita scribit: *Quia in moralibus magis movent facta, quam verba, & vita sancta, quam loquela composita, ideo statim subditur exhortationis sua efficacia, cum dicitur; Et exibat ad eum Hierosolyma*: Valde ootabilis illa Gregorii Magni sententia: *Loquens authoritas perditur, cum vox opere non adjuvatur*. Verum inquies, quid opus erat ad conciliandam Præcursori fidem sanctis & virtuosis operibus; quando ipse repletus fuit Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ? quando ipsemet Christus de ipso testatus est, ipsum revera esse eum, de quo Propheta ait: *Ecce ego mitto Angelum meum*? Imo quando ipsamet æterna veritas hoc ei encomium attribuerat: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*? Et tamen hoc non obstante scribit S. Maximus? *Conversatus in deserto, vestimentum habens de pilis cameli,*

Hom. 1. de Nat. Joan. Bapt. *& zonam pelliceam circa lumbos suos; locustas edebat & mel sylvestre, ut increpaturus hominum mala, nullam penitus haberet vel in veste, vel in epulis voluptatem*. Sanctus Thomas de Villa-Nova hunc vitæ rigorem considerans,

Conc. 2. de Nat. Joan. quærit: *Ad quid pœnitentiæ tantus rigor*? maximè cum innocens omnisque peccati expers, & in gratia confirmatus fuerit, priusquam nasceretur; ac tandem respondet: *Nempe, quia prædicaturus erat pœnitentiam peccatoribus, prius illam in seipso operibus ostendit, quam sermonibus docuit*. Eundem quoque Baptistam denominavit *Apostolum mundi*, quia docuit totum

Serm de Nat. Joan. Bapt. universum, *ut omnes crederent per illum*. Quænam autem fuit præcipua Apostolorum perfectio? Sanctus Bernardus ait: *Habentes victum & vestitum, ait Apostolus, his contenti simus; Apostolica perfectio ita est: Sed Joannes etiam hæc contempsit; venit enim non manducans neque bibens, plane nec vestiens: Sicut enim non est locusta cibus, nisi aliquorum forte irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli hominum est indumentum. Et erat in desertis*, inquit sacer textus, *usque in diem ascensionis suæ ad Israel*. Ubi S. Bonaventura ita scribit: *In hoc erudiuntur omnes Prædicatores, ut prius vacent perfectioni propriæ, & deinde ædificationi alienæ; quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur*.

Mansi Prompt.

4 *Ego vox clamantis in deserto*. Joannes utpotè prædicator qui in verbis suis magnam habebat persuadendi energiam, non solum austeritatem & solitudinem amabat sibimetipsi, verum quia prædicaturus erat pœnitentiam (*Pœnitentiam agite*) suo nos exemplo docere voluit, quonam eam modo facere debeamus, ad hoc ut stabilis sit & perseverans. Sancta mater Ecclesia sancto Joanni hoc attribuit elogium, quod scilicet inter omnes sanctos: *Non fuit sanctior quispiam genitus Joanne*, & tamen ab infantia usque ad ultimum spiritum excessivis corpus suum rigoribus affixit. Nam ut Eusebius Gallicanus ait: *Servi quod non sufficeret eligentis gratiæ, nisi invigilaret collaborantis industria; sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus, sed agonibus jejuniorum, & laboribus abstinentiæ atque justitia in se vota servare contendit*. Porrò si Dei matrem excipias, utpote quæ cum nullo aliorum sanctorum est comparabilis, nolla dari potest in humana creatura sanctitas, Baptistæ sanctitate sublimior: *Inter na-* In cap 11. Matt.
tos mulierum non surrexit major. Unde Paulus de Palatio infert *quod terram excedat, transeat cælum, ipsum verticem angelica dignitatis attingat, quid vis amplius*? & tamen quantum corpus suum castigavit & maceravit? Serm. 4 de Nat. Joan.
Sciens utique (inquit Guerricus Abbas) *quia sicut peccatoribus ut sancti fiant sic sanctis ut sanctiores fiant, necessaria est severior videndi disciplina*. Vel ut S. Leo scribit: *Hæc perfectiorum veri justitia, ut nunquam præsumant se* Serm 2. de Epi.
esse perfectos.

5 *Ego vox clamantis in deserto*. Enimvero tametsi in opacis sylvarum recessibus habitando tantam in se austeritatem atque rigorem exerceret, attamen prouti sanctus Thomas optimè advertit, sermo ejus fuit Severus In Cat.
& Lenis, vox ejus rigorosa, austera fuit pariter & amabilis, id quod fortè cum eodem coincidit, quod alter Thomas de eo dixit: quod scilicet fuerit: *Aspectu, pulcher, conversatione gratus, moribus suavis*. Etenim secum rigorosissimus erat, cum omnibus vero aliis mitis, beoignos, & discretus, uniuscujusque se capacitati adaptando; *Omnibus omnia factus, ut Christo lucrifaceret. Omnino necesse est* (inquit Guerricus Abbas) *ut qui de publicanis, & peccatoribus plebem perfectam Domino* Serm. 1. de
parare festinas, humanius ei loquaris, quam vivas; ac Nat. Joan.
proinde paulo post subjungit: *Loquitur eis, prout possunt audire: facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ, humanum, inquit, dico propter infirmitatem carnis vestræ. si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium pœnitendo malorum*. Publicani quidem eum interrogabant, dicentes: *Quid faciemus*? Lucæ 3.
nec tamen ipse iis imponebat, ut vastas quoque incolerent solitudines, ut cilicio sese accingerent, vel jejuniis quotidianis sese conficerent; quid igitur? *Nihil aliud quam quod constitutum est vobis, faciatis*. Quid igitur militibus præcipiebat? *Estote contenti stipendiis vestris, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis*. Equidem sanctum Joannem in vitæ suæ austeritate imitari admodum difficile est, non item in perseverantia, & quam in Christianarum virtutum exercitio probavit & exhibuit stabilitate. Unde Guerricus Abbas ait: *Tu ergo si non potes imitari Joannem in asperitate vesti-*
tus & parsimonia, victus, vel in hoc imitari contende, ut non Serm. 6 de Nat. Joan. Bapt.
sis arundo vento agitata; & ut sapiens ait: Non te ventiles in omnem ventum & non eas in omnem viam: sed esto firmus in via Domini.

Ponderatur ipsiusmet Christi de S. Joanne Baptista concepta æstimatio ex laudibus quas ei attribuit: eminens quoque sanctitas ejus consideratur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Matt. 11. v. 11.

1 EXistimo omnino, quod ut quis adæquatum faciat traoscendentium meritorum sancti Joannis Baptistæ cooceptum, sufficere possit, si se ad encomiorum ejus panegyricum reflectat, optimè enim Eusebius Emisse-

Hom. 1. de Nat. Joan. nus dicit: *Agnosce magnificentiam laudis ex dignitate laudantis, & si dum nemo esse illo major asseritur inter natos mulierum, datur intelligi, quod Joannes humanorum fuit mensura meritorum.* Etenim quemnam mihi ex tota hominum propagine invenietis, quem incarnata sapientia tantoperè laudare, aut cujus adeò prolixum contexere panegyricum satagerit, sicut sanctissimi præcursoris sui panegyrim exposuit, etenim Nathanaelem quidem laudavit, sed Joan 1. 47. quid de eo deprædicavit? *Hic vere Israelita est in quo dolus non est.* Commendavit & Magdalenam dicendo: *Sinite illam, opus enim bonum operata est in me.* Laudavit quoque sanctum Petrum, dum ait: *Beatus es Simon Barjona.* Centurionem quoque laudibus extulit, dicens: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Apostolum quoque ad gloriam electum esse testimonio suo assertum esse voluit hisce verbis; *Vas electionis est mihi iste.* At verò ut Didacus Stella optimè advertit: *Has laudes Dominus obiter, & velut interascursu protulit, quæ duo tantum vel tria verba continent.* Non vero ita agendum esse censuit, quando de laudibus sancti Joannis sermonem instituit, sed *Pleno ore & absoluto sermone in ejus laudes prorupit.* Postquam enim ipsum quoad ejus in austeritate & innocentia vitæ stabilitatem & perseverantiam & heroicam perfectionem digne collaudasset, ipsumque Angelum, Prophetam, & plusquam Prophetam appellasset, tandem ita concludit: *Amen dico vobis, inter natos mulierum, &c.* Circa quæ verba specialiter notandum est, sapientissimum magistrum nostrum in iisdem summa cum circumspectione procedere; ne enim mundus sibi fortè persuaderet quod in deprædicando præcursore suo aliquem dedisset hyperbolicis exaggerationibus locum, quin potius summam ipsius veritatem asseruisse crederet; verbis præfatis juramentum quoddam solenne præmittere voluit, dicendo: *Amen dico vobis.* Unde Paulus de Palatio ait: *Tantus erat Joannes, ut Christus juramento suo firmarit, inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne: & quia verbum Dei tantam habet efficaciam, ut ea quæ non sunt, faciat esse, ideo etiamsi Joannes omnibus major non esset, hoc unico Christi verbo major redditus esset.* Ac proinde non est, quod quis sibi imaginetur, encomium istud fuisse, aut esse potuisse adulatorium.
Ser. 3. de S. Joan. *O quantum præconium* (inquit Dionysius Carthusianus) *ore infallibilis veritatis prolatum!* imò verba ista non solum ne umbram quidem adulationis præseferunt, verum insuper certissimi sunt fidei articuli; ac proindè sanctus Bernardus scribit, dicens; *Non est humana eloquentia differendum, sed evangelica dignitatis eloquio comprobandum.* Enimverò Paulus neminem laude dignum esse censet, qui seipsum collaudat, dignissimum vero eum quem Deus ipse commendat. *Qui gloria-*
1. Cor 1. 13 *tur, in Domino glorietur, non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat;* cujus ratio est, quia *ille scit, quid sit in homine, scrutatur renes & corda, spirituum ponderator est,* ac proinde Beda ait: *Ipse qui solus virtutem magnitudinis & donavit, & novit, dixit: inter natos mulierum, &c.* Enimvero quodsi fortè Apostolus aliquis, vel alius quispiam illuminatissimus Dei servus Privilegium istud Baptistæ attribuisset, forsitan de aliqua exceptione latente suspectum haberi posset, Siquidem *omnis homo mendax: Menda-*
Ps 61. 10. *ces filii hominum in stateris*; at vero *ille probatus est, quem Deus commendat.* Sanctitas Baptistæ ponderata fuit, non pondere publico & vulgari, sed pondere sanctuarii: *Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur;* ne-
Lev. 27. 27. que enim in controversiam vocari potest, quin pondus hoc è sancto sanctorum deriveturn & procedat. *Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor.*
1 Reg. 16. c. in c. 15. Matth. Scribit Dionysius Carthusianus, quod Salvator noster per hoc juramento firmatum testimonium; *Amen dico vobis, non surrexit major, ostendit se esse Deum ac judicem hominum, aliter non judicaret nullum Joanne majorem: quoniam Salomone teste, spirituum ponderator est Dominus.* Maxima igitur huic Baptistæ attributæ laudi adhibenda est fides, tantique æstimanda, ut
Conc. 2. de Nat. Joan. Bapt. sanctus Thomas de Villa-Nova scribere non dubitarit: *Si totum cælum & tota terra simul voluissent laudare Joannem, non esset ei tanta gloria,* ac proindè concludit, pro laudum suarum Panegyri hoc unicum sufficere, ipsum à Christomet commendatum & celebratum esse,
In cap 7. Luc. *Sufficit Joanni ad omnem gloriam, quod talem habuit laudatorem.* Etenim per hunc prætextum multi sacri Doctores excusantur, quod à conscribentis Baptistæ laudibus calamum suum suspendant, atque à laxanda in ejus honorem & gloriam lingua sua abstineant. Unde Chrysostomus ait: *Sufficit quidem Domini vox præbens testimonium præeminentiæ Joannis inter homines.* Sanctus Hieronymus quoque scribit. *Sermo humanus inferior est laude cælesti.* Quis enim linguam suam illi Ad Ianor. materiæ ingerat, cui exponendæ ipsamet increata Sapientia operam dedit. Chrysologus considerans Angelum primum fuisse laudum Baptistæ præconem, ac deinceps ipsum quoque Christum, se non obiter & per Serm. 91. transennam ut dicitur, sed studio & data opera in ejus sese laudes extendisse, protinus subjungit: *Vacat humanus sermo, quando angelico præconio Joannis profertur gloria, virtus intonat, laus collaudatur; nec est, quod illi adjiciat homo, cui Deus contulit totum.* Beatus quoque Laurentius Justinianus scribit: *Humanæ dignitatis transcen-* Serm. de *dere videtur merita, dum commendatur à Christo.* Quanti Nat. Joan. enim hoc à filio Dei perhibitum Joanni testimonium referre existimatis? Audite id explicantem S. Augustinum? *Quisquis Joanne major est, non tantum homo,* In Ps 39. *sed Deus est.*

2 *Non surrexit inter natos mulierum major.* Quidquid uspiam in sancto Joanne concurrere cernitur, stuporem ingentem & admirationem conciliat. Quis enim in admirationem non rapiatur, dum ipsum omnibus aliis sanctis superiorem declarari audit, quem nullum unquam miraculum fecisse legit, huic tamen admirationi sanctus Thomas de Villa-Nova unica responsione satisfacit, dicens: *Nullum fecit signum, sed ne signis* Conc. 1. de *quidem indiguit; quicquid in eo erat, si rectè inspicis,* Nat. Joan. *signum erat: quid enim in illo vacat à miraculo? conce-* Bapt. *ptio, sanctificatio, ortus, pueritia, sermo, victus, & omnis vita ejus.* Sanctus Maximus alia in ejus Nativitate mirabilia ponderat, dum ait: *Quis hujusmodi Prophetam non tota admiratione suscipiat, quem tan-* Hom. 1. de *tum recognoscit obtinuisse de Deo, ut ante ejus merita lau-* Nat. Joan. *darentur, quam nativitas formaretur?* Conceptio il- Bapt. lius miraculosa fuit, utporè quæ à Divina gratia potius, quam à natura humana originem suam habuit. Chrysologus decrepitam genitorum ætatem considerans ait; *Abolescit totum quidquid est, & humani ordinis & negotii conjugalis, ut divino munere non partu* Serm. 89. *ex hominibus Angelus nasceretur.* Ad hunc partum anticipatè & præmaturè annuntiandum Angelus de cœlo mittitur. *Nec quilibet Angelus,* inquit sanctus Bernardus, *Sed ille sublimior, qui beatæ Virgini nuntium* Ser. de Nat. *attulit,* perque eundem paranymphum cœlestem no- S. Joan. men ejus explicatur; adeoque ut Sanctus Thomas de Bapt. Villa Nova ait: *A principio creaturæ usque nunc nulli hominum tam solemniter, & tam celebriter nomen imposi-* Conc. 2. de *tum est;* illudque nomen tale fuit, ut de eo dici po- Nat. Joan. tuerit, quod Sanctus Ambrosius de S. Agnete scriptum reliquit; *Cujus ne nomen quidem vacuum est luce laudis.* Quodsi de ejus sanctificatione sermo sit, alium quendam in ipso Hieremiam videmus, licet in hoc Propheta singulares sancti præcursoris prærogativas minimè inveniamus; Etenim postquam sextum à Conceptione sua mensem attigit, factum est, quod Virgo protinus ut verbum æternum Spiritu sancto fœcundante concepit, ad magnam ejus se matrem Elisabeth recepit, & ipse *repletur Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ;* Cum tamen Collegium Apostolicum plenitudine ista perfrui nequaquam potuerit, nisi post Christi in cœlos ascensionem decimo die. Quinam unquam visus est, qui creatori & Deo suo servire cœpit, priusquam nascendo in lucem prodiisset? *Nondum na-* In Luc. 1. *tus* (inquit Albertus Magnus) *in occursum Salvatoris est motus. Ex utero vaticinari incipiens* (inquit Sal- To. 2. tr. 34. meron) *& præcursoris officium agere. Alii Prophetæ te-* In C. 11. *stes sunt Christi ex auditu* (inquit Paulus de Palatio) Matt. *Joannes oculata fidei testis est.* Si ejus considerentur natales, totus mundus exultat, & festum diem agit. Unde sanctus Bonaventura ait: *In nativitate ejus to-* Serm. 2. de *tus mundus gavisus est:* Et sanctus Bernardus *serm.* Nat. Jo. *de privilegiis sancti Joannis ait: Nullus hominis nati-* Bapt. *vitatem, præterquam solius Dei in authoritatis arcem recepit Ecclesia.* Fuit quoque valde mirabilis infantia ejus & pueritia, siquidem quando etiamnum lactens erat, vestivit se cilicio, vitam instituens durissimam & rigidissimam. *Non solum à deliciis* (inquit Albertus Magnus) *sed etiam à necessariis temperavit.* Imò abstinentia

ipsius adeo excessiva fuit, ut dicatur de eo, quod *venit non* [Ho. 27. de Priv. S. Jo.] *manducans, neque bibens*. Quod si morum ejus innocentiam consideremus, de ea Author operis imperfecti ita scribit: *Nihil carnis erat in eo, nisi visio sola*; Et sanctus Bernardus ait: *Sic novem Angelorum ordinibus insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur*. Prodigiosa pariter opinio fuit, quam Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes & Pontifices, cœteroquin erga Christum mirè malignantes & æmuli, de ejus sanctitate conceperant; Milites item & Publicani, imo & ipsemet sacrilegus Herodes in summa eum veneratione habuerunt. Quod considerans Albertus Magnus ait: [In Luc.] *Magnitudo opinionis, & laudis ad omnium intuentium ædificationem*. Denique si immensus quem in prædicatione sua protulit, fructus consideretur, novum nobis ministratur admirationis motivum, quia ut sacer quidam interpres [Paulus de Palatio.] ait. *Universa hominum salus ex ore ipsius pendebat*. Sanctus Thomas ait: *Apostolus mundi universalis in orbem destinatus*. Sanctus quoque Bernardus obstupescit, & exclamat: *Quem Cherubim & Seraphim vix audent aspicere, tu nudum tenere præsumis*, ita Joannem alloquitur: [Conc. de Nativ. Jo. Baptist.] siquidem *nefas facli meruit lavantem tingere lymphis*. Nihil item melius dici poterat eo quod Sanctus [Hom. 3 de Nat. Joan.] Maximus hisce verbis scribit: *Cujus tanta est prærogativa meritorum, ut uno eodemque momento cæli terræque arbitrum submersum aquis tingeret in Jordane, Spiritum quoque sanctum venientem cerneret in columba, & attestantis vocem Patris audiret è cælo*. Denique sanctus Thomas solemnem ad eum expeditam legationem con- [Con. 2. de Nativ. Jo.] siderat, dicens: *O miram legationem populi, apud eos natus, & nutritus fuerat, patre sacerdote notissimo generatus, & quærunt ab eo: Tu quis es?* Moxque idem Sanctus veram ejus rationem reddens ait: *Tantus namque omnibus videbatur, ut vix crederetur esse, qui erat*: imo ut Sanctus Augustinus scribit: *Tanta erat excellentia Joannis, ut posset credi Christum esse, si voluisset*.

3 Tandem ab Epithetis gloriosissimis sancto Præcursori attributis, ingentium meritorum ejus singularitatem etiam deducere possumus. Ait enim Guerri- [Serm. 4. de S. Joan.] cus Abbas: *Etsi moretur in desertis, non est tamen arundo deserti, sed cedrus Paradisi, columna cæli, gloria generis humani, miraculum mundi, virtute & merito ultra mensuram hominum, conditione citra naturam Angelo-* [Li. 2. The. cap. 4.] *rum*. Sanctus Cyrillus de eo pariter scribit: *Dicatur major inter natos mulierum virtutis sublimitate, qua ad eos perveniat terminos, quo natura humana pervenire potest*. Sanctus Bernardus item de eo ita scribit; [Ser. de S. Joan.] *Unus est & similem non habet, qui choris insertus Angelicis sublimioris corona tituli universitatis humanæ transcendit ascensum*. Similiter in sermone quem de Privilegiis sancti Joannis inscribit, hisce eum encomiis exornat: *Sanctorum est splendor, justorum gloria, lætitia Angelorum, Orbis exemplum, mortis expulsio, janua vitæ*. [Serm. 86.] Chrysologus in variis in ejus laudem conscripti sermonibus eum vocat *Sanctitatis exemplum*: Deque utero [Serm. 91. Serm. 89] matris ejus scribens, illum appellat *Sanctitatis hospitium, aulam Spiritus sancti*; & uti superius diximus; *In illis parabatur* (idest, genitoribus ejus) *unde tota* [Conc 1. de Nat. Joan. Bap.] *sanctitas nasceretur*. Denique Sanctus Thomas hisce eum condecorat præconiis, dum ait: *Sanctitatis prodigium, & totius perfectionis monstrum, & admirandum saculis virtutum omnium spectaculum Joannes a Deo factus est*.

Varia tanguntur mysteria, ob quæ S. Joannes Baptista denominatus est Angelus.

DISCURSUS NONUS.

Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum. Lucæ cap. 7. v. 27.

1. ENcomium hoc, de quo in assumpti thematis verbis fit mentio, tanto majoris æstimandum, majorique admiratione dignum est, quanto idem redditur ex eo excellentius, quod eodem præconio Divina & incarnata Sapientia præcursorem suum honorare voluerit, atque ab illius lingua dimanet, qui de se ait: *Ego sum* [Serm. 3. de Nat Joan.] *veritas*. Unde Guerricus Abbas dicit: *Salomon ait, laudent te labia proximi tui, sed quantò felicius & gloriosius, cum laudant quempiam labia Dei sui!* Hoc etenim nec de adulatione, nec de fraude, & dolo potest esse suspectum, *Deus quippe nec falli potest, nec adulari*. Hic igitur adeò veridicus Deus, qui prima & æterna est veritas, à multis retrò sæculis de prodromo suo per Malachiam Prophetam ipsum Angelum quendam futurum esse prædici voluit hisce verbis: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*. Christus Dominus antiquæ paginæ veritatibus testimonium perhibiturus, in hasce terras cum venisset, ait: *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*. Et quidem ut verba Thematis [Jo. 18. 37.] proposita declararet in Evangelio Lucæ, ut diximus, ait *Hic est, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum* Verum dicat fortasse aliquis, qua ratione S. Joannes hoc epitheto condecorari potuit, quem Spiritus sancti Conceptionem & Nativitatem ejus describentis testimonio à S. Zacharia ex Elisabeth utero genitum esse constat?

2 *Angelum meum*. Considerandum est igitur conceptionem, nativitatem, & vitam, quam S. Joannes hic in terris traduxit adeo fuisse omni humana conditione superiores, ut meritò in dubium revocare potuerit. Homo ne esset an Angelus, adeo etiam ut S. Evangelista Joannes coram toto mundo necessario eum hominem fuisse contestari debuerit, dicens: *Fuit homo missus à Deo*: videtur autem idem Evangelista iisdem verbis, uno eodemque tempore Baptistam velut Angelum nobis proponere & describere voluisse, dum de illo ait, quod fuerit *missus à Deo*, Angelorum namque proprium est huc in terras à Deo deorsum mitti. Unde Doctor Angelicus ait: *Licèt Joannes natura non fuerit Angelus, fuit tamen officio, quia missus à Deo; proprium enim Angelorum officium* [In Joan. 1.] *est, quod à Deo mittantur, & sint nuntii Dei, unde Angelus nuntius interpretatur*. Sanctus Thomas de Villa-Nova alium adducit modum, quo utrumque ei titulum [Conc. 1. de Nat. Joan.] congruè adaptari posse optimè declarat, dicens; *Vita ejus non erat humana, sed Angelica; Erat quidem homo, sicut & nos, sed mihi videbatur nihil hominis, nisi effigiem, & colorem habere; totum quod cogitabat, quod volebat, quod desiderabat, quod agebat, totum erat Angelicum*. In quam considerationem Didacus Stella con- [In cap 7 Lucæ.] sentiens dicit: *Licèt ex carne, & ossibus sit compactus, moribus tamen & vita istâ purus est, & cælestis ut nihil nisi de cælestibus agat*; Quibus verbis sanctum Joannem ad instar nostrum ex carne, & ossibus compositum fuisse minimè quidem negatur, sed potius in omnibus aliis Angelo simillimus fuisse dicitur adeo ut spiritus potius quam corporeus fuisse visus fuerit; cujus Author operis imperfecti perspicuum perhibet testimonium dicens: *Joannes specie homo, gratia Angelus, quia nihil carnis erat in eo nisi visio sola*. [Hom. 27.] Unde si cui soli mores, innocentia, dona & gratiæ, quibus à Deo locupletatus erat, non vero conceptio ejusdem & nativitas nota fuisset, is haud dubiè illum verum quendam personata carne indutum Angelum credidisset; at verò oculus humanus decipi non poterat, dum enim ad instar nostrum hominem esse conspiciebat, præterquam quod eum insuper fidei oculo aspiciens facilè crediderit, quod de eo scribitur: *Fuit homo missus à Deo*.

3 *Angelum meum*. Spiritus Angelici qui Filio Dei in cœlis assiduè ministraverant, eidem in hasce terras descendenti, quantum nobis constat, visibiliter saltem minimè ministrabant, præterquam in deserto, ubi post gloriosam illam à Sathana relatam victoriam, *accesserunt Angeli, & ministrabant ei*. [Matt 4. 11.] Scitisne causam, cur hic in terris paratissima, & promptissima Angelorum ministeria dimittere noluerit? In promptu causa est, quia unicus duntaxat in carne Angelus abunde ei pro cunctis aliis ad præstanda necessaria obsequia sufficiebat, quamvis ab illo dissitus esset: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Undè Chrysologus ita scri- [Serm 89.] bit: *Cum Christus Deus nasceretur in carne, Joannes Angelus est generatus in terris, ut ita officia terrena officiis se cælestibus miscerent, sicut humanis se divina miscebant, & in terra Deo Angelus, Domino ordo cælestis obsequii non deesset*. Enimvero Salvator quoque noster denominari voluit *Magni consilii Angelus*, & apud Malachiam *Angelus testamenti* appellatur: quid igitur mirum, quod & Angelum quendam in suum elegerit prodromum, & præcursorem. Veruntamen maximè in Baptista æstimandum est, ut ait Chrysostomus, quod is Angelus fuerit non natura, sed gratia, & virtute, & merito: *Puto, inquit, sed non audeo dicere, quod gloriosior est Joannes, quia homo fuit: & propter meritum*

Ser. de Pri. S. Joan.

virtutis Angelus est vocatus, quam si nomine Angelus, & natura fuisset. Sanctus Bernardus titulum hunc ei ex alio quodam capite convenire considerat, dum ait; *Mira rerum conversio, hominem vix mundum ingressum, mundum fugere, gloriam & seculi cupiditates non solum oblivisci, sed nescire, perpetuumque cum Divinitate habere consortium.*

4 *Angelum meum.* In hisce verbis præcipuè observandum est, ut ait Paulus de Palatio, illud ly *meum*; *Angelus non quivis, sed ille meus.* Sciendum est etenim,

In cap. 11. Matth. In cap. 7. Lucæ.

quod prouti Didacus Stella ponderat, Baptista non solum hoc nomine Angelus ob vitam verè Angelicam dignus sit, verum etiam propter officium, & ministerium ad quod fuit electus: *Angelus vocatur, non solum propter vitæ puritatem, sed etiam ratione officii, Angelus Latinè nuntius est.* In eundem quoque sensum Dionysius Carthusianus eum vocat: *Opus Angeli exercentem,*

Lu. cap. 7.

annuntiando Christi adventum. Adhæc, ut alter ille Dionysius scribit, Angelis proprium est, quod purgent, illuminent, & perficiant, quæ tria bona synagoga à Baptista egregiè recepit, siquidem efficacissima prædicatione sua mediante, multos à vitiis & peccatis enormibus purgavit, ad pœnitentiam eos reducendo, eisdemque in ignorantiæ suæ tenebris lucis, & ducis loco fuit: *Illo erat lucerna ardens, & lucens*; veram quoque eis demonstravit lucem. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; *Ecce Agnus Dei.* Unde Hugo Cardinalis ait; *Joannes Christum dicit Agnum, Christus Joannem dicit Angelum.* Multos denique discipulorum suorum ad statum perfectionis perduxit, è quibus ad Apostolatus gradum fuere evecti, alii verò septuaginta duobus Christi discipulis annumerati.

5 *Angelum meum.* Porrò certissimum est quod in Angelicæ naturæ creatione non sicut in nostra ætas infantilis computetur, quia in primo instanti quo creati fuere, omnem habuerunt esse sui *in naturalibus* perfectionem, usumque liberi arbitrii perfectissimum; Et ecce tibi aliam quandam rationis congruentiam, ob quam hic titulus, & Epithetum Angeli sancto Joanni convenire censeatur, quia si non solum infantia, verum etiam Conceptio, & Nativitas ejus consideretur, hæc nequaquam fuit instar aliorum, siquidem à parentibus sterilibus per miraculum conceptus fuit, cumque alii flentes, & ejulantes nascantur filii iræ, hic prius sanctificatus quam natus etiamnum intra materna viscera reclusus exultavit, & præ gaudio gestiere & salire cœpit: *Exultavit infans in utero*, cœlum & terram gau-

To. 4. tr. 21.

dere fecit, *Multi in nativitate ejus gaudebunt, supra naturam ex senibus* (inquit Salmeron) *& sterilibus venit, quod non est naturæ, verum solius Dei opus.* Potest itidem certo quodam modo affirmari Joannem nullam prorsus egisse infantiam, utpotè cui in sexto Conceptionis suæ mense rationis usus acceleratus fuit, de quo etiam nascente Ecclesia canit: *Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit Joannem.* Illam quoque quam per totam vitam continuavit austeritatem in ipsis, ut ita dicam, fasciis exorsus fuit, *Teneris sub annis*, eandem ad usque ætatem magis provectam constantissimè est prosecutus. Præterea Angeli in illo instanti, quod scholæ vocare solent Angelicum, gratiæ sibi à Deo communicatæ cooperantes Sancti facti sunt, & in divino servitio stabiles, adeo ut ab illa sanctitate deinceps nunquam possent recedere. Ecce tibi hic alium quendam, inter Angelum hunc terrenum & cœlestes Angelos parallelum; Etenim S. Joannes priusquam proditet in lucem, gratiæ nactus est confirmationem, fuitque prius sanctus quam natus,

Conc. 3. de Nat. Joan.

Sola ejus Nativitas recolitur (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *pro eo absque dubio, quia alii fiunt, sed non nascuntur Sancti, Joannes sanctus natus est.*

6 *Angelum meum.* Indivisa Angelorum proprietas & dos est puritas Virginalis, unde Christus de corporum nostrorum resurrectione tractans ait: *In resurrectione ne-*

Ma. 22. 30.

que nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. Hunc autem immaculatum candorem Joannes adeò feliciter est assecutus, ut *a matris utero* (ut inquit Al-

Serm. de Nat. Joan.

bertus Magnus) *usque ad mortem in virginitate permanserit, & propter virginitatis privilegium agnum virgineum, virginis filium virginea indice demonstrare, nec non*

In cap. 7. Lucæ.

& virgineis manibus meruit baptizare. Unde Didacus Stella de eo scribit: *Ob excellentissima vitæ puritatem & virginalem munditiam Angelum appellavit.*

7 *Angelum meum*, Angeli hac sunt inter cæteras prærogativa condecorati, quod nunquam à Deo divellantur, quantumvis enim adhibeantur, sive hic in terris ad nostram custodiam, sive illic sursum ad sphærarum cœlestium circumvolutionem, sive ad aliud quodcunque ministerium, attamen semper per contemplationem in essentia divina defixi hærent; *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Meritò igitur sanctissimus Præcursor Angelus dicitur, siquidem ab illo temporis momento quo Filius Dei in paternam Joannis domum pedem suum figere cœpit, ipse licèt in tenebricoso materni ventris carcere reclusus, in eum tamen oculos suos figere non prætermisit; quia *Exultavit in utero.* Unde S. Bernardus ait. *Qui choris insertus Angelicis sublimioris corona titulis universitatis humanæ transcendit ascensum.* Chrysostomus eum notat uno eodemque tempore, quo in terra constitutus erat, secundum animam in cœlo quoque substitisse. *Sic in terris quasi in cœlo versabatur.* Unde Didacus Stella ita scribit: *Tam profundam contemplationem erat sortitus, ita ut magis cœlestis, quam terrenus habitator appareret, magisque spiritum habere Angelicum, quam humanum videbatur, quia ut Angelus sine lecto, sine potione, sine comestione, sine dormitione in cœlesti contemplatione dies noctesque consumebat, & per Angelicos choros deambulabat.* Idemmet præfatus S. Bernardus, etiam hoc inter alia ejus privilegia connumerat, dicens: *Lætantur Angeli, & utrisque naturæ numerositas admiratur hominem sic ingressum abyssum luminis, & intra interna Divinitatis absorptum, ut ipsam reverberet aciem Angelicæ puritatis.* Idemmet sanctus & mellifluus Doctor eundem Precursorem Seraphinis quoque insertum esse observat dum ait: *Silentio transeo quod sic novem Angelorum ordinibus insertus est, ut etiam ad Seraphim apicem transferatur.*

Matth. 18

Serm. de S. Joan.

Ho. 38. in Matth.

In Cap. 7 Lucæ.

Ser. de Pri. Jo. Bapt.

8 *Angelum meum.* Angelorum denique proprium est pasci & nutriri Dei visione; Et ideo Raphael Archangelus Tobiæ dixit: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* De S. Joanne pariter Christi testimonium habemus dicentis; *Venit Joannes non manducans, neque bibens.* Unde S. Basilius vitam ipsius congruo nomine perpetuum appellavit jejunium.

Tob. 12. 19.

Hom. de jejun.

DE SANCTO PETRO APOSTOLO

Discursus Quatuordecim.

Discursus I. Varia considerantur motiva, ob quæ credibile efficitur S. Petrum omnibus aliis in regimine Ecclesiæ fuisse prælatum.

Discursus II. Variæ exponuntur prærogativæ, quibus S. Petrus super alios Apostolos eminuit.

Discursus III. Sanctus Petrus velut caput Ecclesiæ consideratur, variæque ad id probandum rationes adducuntur.

Discursus IV. Hanc petram S. Petri omnes boni fundamenti conditiones habuisse ostenditur, simulque quo sensu Christus pariter & Petrus petra illa sint, super quo fundata est Ecclesia, declaratur.

Discursus V. Christus Petrus petram denominando nomen suum S. Petro communicavit; ideoque nonnullæ inter ipsos emergentes analogiæ considerantur; simulque variæ ad hanc petram alludentes Figuræ & Scripturæ in medium adducuntur.

Discursus VI. Sanctus Petrus notitiam Filii Dei mundo suggessit; indeque nonnullæ super verba Petri Christi divinitatem exprimentia considerationes instituuntur.

Discursus VII. De Clavibus Sancto Petro consignatis, & specialiter de clavibus Juirisdictionis & scientiæ tractatur.

Discursus VIII. De Fide Sancti Petri, ejusque stabilitate.

Discursus IX. Defectus in Sancto Petro notatos in majorem ejus laudem & gloriam redundare ostenditur.

Discursus X. De obsequiis quæ omnes fideles, præcipuè verò Reges pedibus Sancti Petri exhibent, fusius differitur.

Discur-

Varia considerantur moriva, ob quæ credibile efficitur S.Petrum omnibus aliis in regimine Ecclesiæ fuisse prælatum.

DISCURSUS PRIMUS.

Tu es Pastor ovium,

1 SAlvator noster post resurrectionem suam priusquam abhinc in cœlos gloriosè ascenderet, coram Apostolis suis simul congregatis alium quendam in terris Pastorem in custodiam gregis sui, & felix ovilis sui regimen loco suo substituere volens, unicum ex omnibus Petrum elegit, dicens: *Pasce agnos meos,*
Joan 21. 15 *pasce oves meas.* Unde mox dubium quoddam exoritur, nimirum quamobrem Sapientia increata sponsam hanc unice sibi dilectam, utporè *quam acquisivit sanguine suo,* Act. Apos. 20. 28. Petro potiùs quàm cæteris Apostolis, ipso, ut facilè credere possumus, tum experientia, tum innocentia, tum insigni gubernandi aptitudine minimè inferioribus concedere voluerit.

Hom. 1. de nat. Apos. Pet. & P. 2 *Rectè ei* (inquit S. Maximus) *arbiter occultorum Dei filius pascendas oves suas, tuendasque commisit cui noverat in nutriendo grege dominico nec studium deesse, nec fidem.* Christus dominus noster probè cognoscebat vivaciorem quandam in pectore Petri relucere fidei & cognitionis lucem, quàm in omnibus aliis. Ad officium quoque & curam pastoralem quàm maximè pertinet distinctam habere ovium suarum notitiam. Joan. 10. 14 In c. 6. Jo. Undè Salvator noster ait; *Ego sum pastor bonus:* moxque rationem reddit dicens; quia *Cognosco oves meas.* Sciendum autem est, quòd, ut Hugo Cardinalis notat, hac à Deo notitia singulariter dotatus fuerit; nam *Petrus interpretatur agnoscens & significat fidem.* Adhæc requiritur in pastore talis quædam erga oves affectio, ut pro illarum defensione nullum prorsus curet periculum, sed continuis se exponat ærumnis, sudoribus, passionibus atque molestiis, proque iis à luporum, cunctarumque aliarum ferarum faucibus eripiendis miram quandam exhibeat pectoris animositatem: Undè Chrysostomus, qui velut optimi cujusdam Pastoris ecclesiastici speculum omnium oculis obversari debet, dicere solebat: Hom. de Expulsione sua ipsius. *Quidquid terroris habet mundus, contemno; quidquid delectabile habet, rideo, divitias non curo, paupertatem non horreo, mortem non timeo.* Porrò de S. Petro doctissimus Salmeron ait, eum præ cunctis aliis ardentiori fuisse animo præcellentem: Tom. 11. tr. 29. *Præ aliis noverat esse ardentioris animi;* optimè sciebat Christus, nullum subesse periculum, quò idem illi objiceretur, quod olim pigris illis Ezech. 13. & socordibus pastoribus apud Ezechielem exprobratum fuisse legimus: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini;* quem textum S. Gregorius in hunc sensum interpretatur: In p. 2. Past. c. 4. *Ex adverso ascendere, est pro defensione gregis Christi voce libera mundi hujus potestatibus contraire,* jam verò certissimum est, quòd Petrus se non solum synagogæ principibus, summisque Hebraismi Pontificibus opposuerit, dum libera voce est protestatus; Act. 2. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus;* verum etiam potentissimum totius mundi monarcham, crudelissimumque, quem Ecclesia unquam habuit, inimicum: Neronem videlicet sibi suisque conatibus obsistentem contempserit: *In die Domini in prælio stare est malis decertantibus ex justitia zelo fortiter resistere.* Vidit S. Petrus Simonem Magum instar lupi rapacis gregem suum, ut illum dilaniaret, infestaret, adeoque se illi fortiter opposuit; primò quidem in Samaria, demum verò eundem hic Romæ aggressus est, cœptumque contra illum certamen adeò generosè est prosecutus, ut gloriosam de illo reportarit victoriam. *Si pro grege se objicit* (inquit idem Gregorius) *murum pro domo Israel, id est, pro Christi Ecclesia, hostibus opponit,* Hanc quoque animositatem ardentemque zelum in Luc. 22. 33 Christo defendendo manifestè probavit, dum ait: *Tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire.* Undè ipse solus adversus armatum illum militum & lictorum gregem insurrexit, servo illi amputando auriculam, tametsi se manifesto carceris vel mortis expositum videret periculo.

3 *Pastor ovium.* Supremus Pastor noster Christus summo odio pastorem detestatur mercenarium, qui nullum habet erga gregem suum amorem & affectum, nisi in quantum illos trahit proprium ipsorum interesse & commodum, tales non vult esse ovilis sui custodes. Undè S. Gregorius ait: L. ep. c. 128 ep. 28. *Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas.* Hanc in se conditionem S. Petrus expressit, si S. Augustino fidem habere volumus dicenti: Ser. 24. de Sanctis. *In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum sed bonorum,* eorum videlicet, *qui sciant oves pascere Christo, non sibi.* In hoc etenim optimus quisque pastor cognoscitur, quando omnem curam & solicitudinem suam in animarum salutem dirigere cernitur, utporè pro quibus Christus sanguinis sui pretium exsolvit; talis Petrus erat, qui in hoc specialiter gloriatur: Act. c. 3. quia *Argentum & aurum non est mihi;* & tametsi fideles ad pedes ejus thesauros suos certatim effunderent, attamen quanti eos fecerit, in hoc satis perspicuè videtur, quando eos manu nequaquam contrectans, subtus pedes suos prostratos jacere sinebat: Sap. 18. 24. *In veste enim Poderis quam habebat* (ita de antiquæ legis summo sacerdote scribitur) *totus erat Orbis terrarum,* id est, in veste illa totus mundus delineatus erat, utporè quæ coloribus talibus imbuta erat, qui omnia elementa cœlum aerem, aquam, ignem & terram repræsentabant, atque insuper aliquid saltem in se continebat eorum, quæ hic in terris pulchiora sunt, magisque æstimantur; voluitque increata illa Sapientia in hoc denotare, quod supremus Pastor oculum suum ad omnes animas directum habere debeat, ut easdem ad ovile perducat cœlorum. Enimverò tametsi S. Petrus quicquid penes mundum in pretio est, pedum suorum plantis calcaret, totum tamen mundum in humeris suis ferebat, ad salutem invigilando omnium & singulorum; undè S. Augustinus S. 103. optimè scribit: *Prorsus totum mundum dimisit Petrus, & totum mundum Petrus accepit,* non solùm quoad imperium, verum etiam quoad amorem, quo uniuscujusque zelabat salutem.

4 *Pastor ovium.* Petrus enim ut Chrysostomus testatur, & ex Evangelio clarè colligitur, Salvatorem nostrum plus omnibus aliis dilexit: Hom. 87 in Joan *Majorem omnibus Apostolis in Dominum habere charitatem ostendit.* Quis hominum adeò est rudis, ut hanc charitatis virtutem Ecclesiæ suæ basim & immobile fulcrum esse ignoret? unde fit, quòd priusquam suam illi Ecclesiam consignaret, trino illum quoad hanc virtutem examine probavit. Ac proindè Origenes ait: Lib. 5 c. 6. ad Rom. *Nullius alterius virtutis exigitur confessio, nisi charitatis:* & Chrysostomus dicit: Lib. 2. de Sacer. *Propter magnitudinem dilectionis præfectura ovium Petro fuit commissa, & cæteris Apostolis fuit prælatus.* Socrum suam habebat domi suæ gravissimè infirmantem: Luc. 4. 38. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus;* nec tamen pro illius convalescentia & curatione Salvatorem, ut eam visitaret, solicitavit; quin potius id eousque facere distulit, donec Christus illis in finibus prædicans multos alios infirmos sanitati restituere cœpisset; charitatis enim proprietas est, quòd *non quærit quæ sua sunt.* 1. Cor. 13. 5 *Ab ipsis initiis aliorum commoda suis ut præponeret, institutus erat;* Hom. 26. in Matth. inquit Chrysostomus. Deus noster nonnullos pastores gravissima hac reprehensione exprobrando perstringit: *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum* Ezec. 34. 5. *erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis; quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrum non sanastis, quod confractum est non alligastis, quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Moyses quoque post datum sibi à Deo generale populi illius imperium probè satis cognoscebat, sibi præ cunctis aliis virtutibus charitate opus esse, eaque sibi velut sceptro regni sui utendum esse, ideoque ad Deum conversus dicebat: *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, ut dicas mihi: porta eos in sinu tuo.* Num. 11. 12. Amor

Dei

Dei sive charitas Regina est omnium aliarum virtutum; *Major autem horum est charitas*; atque ideo hanc velut coronam & diadema Pontificium vertici S. Petri imposuit.

5 *Pastor ovium*. De Petro dici potest quod olim de summo Pontifice Aarone Apostolus ait: *Vocatus a Deo tanquam Aaron*. Ambo etenim primi summi sacerdotes fuere: ille quidem antiquæ, hic verò legis novæ. Quonam autem modo Aaronem eunctis aliis ad summum Pontificatum cum ipso concurrentibus competitoribus antelatum fuisse existimas? Nimirùm præcepit Deus, ut unaquæque tribus, quorum duodecim erant, virgam quandam aridam & siccam deferret, cujus autem virga germinare inciperet, is super cunctas alias haberet præeminentiam; & quia felix sors illa super Aaronem cecidit, ideo hic ad summum Pontificatum fuit evectus. Porrò certum est quòd inter duodecim Apostolos. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*, unusquisque majoratum ambiebat. Quonam autem modo sapientissimus Magister noster hanc inter Apostolos de primatu exortam controversiam composuit? Nimirum omnes pariter Apostolos interrogavit: *Quem dicunt homines esse filium hominis*? Cui quæstioni nonnulli per os aliorum responderunt, ipsum esse Baptistam, Jeremiam, aut Eliam, vel alium quendam ex Prophetis; at vero unica virga quæ effloruit, id est, quæ divinum illum florem, qui in Scriptura sacra divinitus promissus hisce verbis fuerat: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*, in claram usque lucem edidit & publicavit, quænam alia quàm Petrus fuit? qui publicè & sine metu illustrem hanc fidei professionem edixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*; undè mirum non est, quod eum immediatè post illa verba prolata suum in terris Vicarium declararit; undè Eminentissimus Cardinalis Baronius ait: *Illa in Petro causa præcessisse videtur, ut princeps omnium constitueretur Apostolorum, quod in professione fidei cæteris antecelluit*. Legatur caput se primum S. Pauli ad Hebræos, ubi de Christi Pontificatu quondam in Melchisedechi summo sacerdorio præfigurato, tractatur; quis autem alius eundem mundo manifestavit, nisi Petrus. Ecce igitur quanto cum jure & merito super omnes alios electus & evectus fuerit; Christus antea credebatur esse Samaritanus quispiam, aut dæmoniacus, vel vir quidam seditiosus, aut fabri cujusdam ignarii filius quæ erroneæ opiniones continuò cessarunt, postquam Petrus cœlesti revelatione edoctus publicè dicit: *Tu es Christus filius Dei vivi*.

Num. 17.

Luc. 22. 24.

Isai. 15. 1.

An. 31. n. 4.

6 *Pastor ovium*. Is etiam omnibus aliis prælatus, quia vivacissimè quæ in magisque solida in eo fides resplenduit, prouti ipsum sacri interpretes optimè consideraut. Etenim S. Bernardus ait: *Omnibus erat fide robustior*. Porro basis fidei nostræ Christi divinitas erat, quam soli Petro manifestare specialiter æterno Patri complacuit. Undè S. Epiphanius ait: *Petrus à Patre instructus stabilitatem fidei fundaturus erat*; ac proindè Innocentius III. in ser. 1. de hoc Festo ita scribit: *Hæc vera fides & sancta non de figmento processit humano, sed de revelatione divina*; atque ideo Christum tunc subjunxisse dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; *super hanc fidem Ecclesia est in petra fundata, uni Petro claves commisit propter illam excellentissimam fidem quæ in uno Christo duas naturas veraciter recognovit*.

Serm. 6. in Cœna Domini.

In Inst. Anchor.

7 *Pastor ovium*. Ex mente S. Gregorii paulò ante diximus, quòd Redemptor noster à sacerdote nihil aliud quàm animarum expectet salutem: *A sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas*; meritò igitur S. Petrus ad summum sacerdotium evectus fuit, siquidem se præ quovis alio salutis animarum avidum zelatorem exhibuit. Quando circa horam prandii famelicus erat, quemnam tunc ejus sapidiorem in cœlis præparatum, & ad se missum cibum fuisse existimas? nimirum linteamen quoddam animalibus immundis & venenosis, quæ convertendos ab eo peccatores præfigurabant, omninò refertum; undè vox de cœlo insonuit: *Occide & manduca*. S. Cyrillus super illa Christi Apostolis respondentis verba: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me; quod est hominum salus*, ita subjungit: *Apostolici ministerii conditionem describit*. Optimè S. Maximus observat, quod Christus S. Petrum & S. Andream fratrem ejus ad Apostolatum vocans, eisdem dixerit: *Faciam vos fieri piscatores hominum, ut qui captura piscium alebatur, salute hominum pasceretur*. Equidem quousque factæ ab eo infidelium conversiones ascenderint sanctus Chrysostomus paucis quidem, sed efficacibus verbis declarat dicens: *Sagenam misit in mare, & piscatus est Orbem*. Ipse novæ legis gratiæ primus prædicator extitit qui in una concione tria millia, & in alio quodam sermone quinque auditorum suorum millia convertit, e quibus haud dubiè multi erant, qui paulò antè acclamaverant: *Tolle, tolle, crucifige eum*.

Hom. 4.

Hom. 4. de verb. Isa.

8 *Pastor ovium*. Infallibilis regula, & indubitata ab ipsomet Christo pronuntiata veritas est quod *qui se humiliat, exaltabitur*; ideoque meritò credendum est, Petrum inter omnes alios humillimum fuisse, siquidem super eunctos alios evectus & exaltatus fuit. Quando humilitate suadente Christo dixit: *Exi à me quia homo peccator sum*; tunc præcisè ab eodem Domino ad innumeras in Ecclesiam Dei congregandas & lucrandas animas vocatus fuit: *Ex hoc jam eris homines capiens*. Porrò ipsum præ cæteris omnibus humillimum fuisse, duo præcipuè argumenta evidenter declarant, quorum unum est, quia divina Sapientia occultissima secreta sua solis humilibus revelare solet: *Revelat ea parvulis*; alterum vero est, quòd Spiritus sanctus illis præcipuè infundatur, qui ob humilitatem se vel maximè præ aliis contemni patiuntur. *Barjona*, idem est quod *filius columbæ*. Hoc etenim Petri cognomen erat; super eum itaque *requievit Spiritus Domini*, cui proprium est super humiles requiescere.

Luc. 5. 10.

9 *Pastor ovium*. Asserere etiam possumus Deum nobis insinuare voluisse, illos, qui sanctiores sunt & digniores ad officia ecclesiastica eligendos esse, qualis Christi judicio S. Petrus erat, quem proindè etiamnum viventem canonizationis honore affecit, dum ait: *Beatus es Simon Barjona*. Circa quæ verba Albertus Magnus ait: *Filius Columbæ, id est, Spiritus Sancti*. In hunc S. Petri primatum omnes tres divinæ sanctissimæ Trinitatis personæ conspirarunt: & quidem in primis Spiritus sanctus ut diximus; deinde Filius: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; & tandem ipse quoque Pater æternus; *Pater meus revelavit tibi*; quarenam hac requiritis sanctitatem majorem? *Omnibus erat sanctitate præstantior*, inquit S. Bernardus, *amore devotior*; ex quo enim Deum plus omnibus aliis amabat, necessariò consequebatur, quod omnibus quoque sanctior esset. Optimè S. Hieronymus mirum Christi loquendi modum animadvertit, dum super illa verba: *Quem dicunt homines esse filium hominis*, ita scribit: *Pulchrè interrogat, quem dicunt homines esse filium hominis? quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt, qui vero divinitatem ejus intelligunt, Dii appellantur*. Et tamen inter omnes hosce Deos, Apostolos videlicet, Petrus præstantior quia ardentior erat. Verùm enimvero opponat fortasse hic aliquis: qua igitur ratione Petrus adeo infeliciter in perjurii & negationis Christi horrenda peccata cecidit? cui ego respondeo, id cœlestis illius sapientiæ & providentiæ minimè in sua dispositione errantis singulari permissione ita accidisse, utpotè quæ expedientius illi fore judicavit eum labi permittere, quàm ab omni labendi periculo præventum erectum in pedibus sustinere, ut hac ratione *haberemus Pontificem qui posset compati infirmitatibus nostris*. Unde Optatus Milevitanus ait: *Bono unitatis B. Petrus præferri omnibus Apostolis meruit*. Veruntamen quia paulò post ad innocentiam quasi infantilem S. Joannis, necnon ad illam in S. Jacobo à primis annis relucentem eximiam sanctitatem sese reflexit, tandem subjungit: *Stant tot innocentes, & peccator accepit claves* (quia postquam Petrus illum negasset, eidem dixit: *Pasce oves meas*) *ut unitatis negotium firmaretur provisum est, ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores*.

In Nat. Ap.

Serm. 6. in Cœna Domini.

Heb. 4. 15.

Lib. 7. con. Par.

10 *Pastor ovium*. Porrò S. Petrus non verò Sanctus Joannes ad summum electus fuerit pontificatum, hujus Salmeron aliquas satis solidas adfert rationes, dicens id factum esse: *Primo, quia plus Deum diligenti committenda Ecclesia, non autem plus amato à nobis, quia nos frequenter eos amplius diligimus, qui minus sunt apti ad regendas Ecclesias. Secundo illud consilium Domini fuit, ne plus dedisse consanguineo videretur ob humanum carnis affectum, quàm Petro ob ejus singularia & præclara merita. Denique consulto Ecclesiam Petro, & non Joanni tradidit, ut juniores, cæteris paribus, maturis ac senioribus præferamus*.

Tom. 11. tr. 31.

Variæ

Variæ exponuntur prærogativæ, quibus S. Petrus super alios Apostolos eminuit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Tu es Princeps Apostolorum.

1 PLurima profectò, eaque valdè considerabilia sunt privilegia, quibus Salvator noster S. Petrum super omnes alios Apostolos larga manu condecoravit; undè sancta mater Ecclesia eum meritò veneratur verbis in præsenti themate propositis: *Tu es princeps Apostolorum.* Hom. 3. de Nat. Apo. *Quanti meriti*, inquit S. Maximus, *apud Deum suum Petrus erat, ut ei post navicula parvæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur?* omnes quidem alii Apostoli in hujus navigii obsequiis strenuè laborarunt, soli Serm. 1. de S. Petro. verò Petro temonem concredidit. Undè Dionysius Carthusianus hoc ei valdè proprium attribuit encomium: *Universorum Christianorum piissimus & affectuosissimus Pater.* Neque enim duntaxat pater est omnium fidelium, Joa. ult. 18. sed pater est omnium Capitum, Superiorum, Episcoporum, *Princeps Apostolorum.* Porrò Salvator noster ei speciatim dixit: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Circa quæ verba Eusebius Emissenus ait: *Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed pastorum Pastorem eum constituit; pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves; pascit filios, pascit & matres; regit & subditos* Lib. 7. con. Par. *& Prælatos.* Optatus Milevitanus, postquam ipsum in omnibus aliis præferri meruisse dixisset, adjecit continuò: *Claves regni cælorum communicandas cæteris, solus accepit*; adeoque alii Apostoli harum clavium & potestatis, quam Christus Ecclesiæ suæ delegavit, participium à Petro receperunt. Ipse in Episcopum Hierosolymitanum S. Jacobum Minorem elegit, eumque consecravit, huicque functioni ritus atque cæremonias deinceps observandas An. 34. nu. 291. præscripsit. Undè Cardinalis Baronius ejus super omnes alios Apostolos præminentiam rectè conclusit. Alii Apostoli Evangelii prædicandi causa per universum mundum fuere dispersi; Petrus autem Romam, quæ totius mundi caput erat, accessit, ut quemadmodum cor veluti vitæ nostræ primum mobile in omnes totius corporis partes influit, ita quoque ipse tanquam caput, vel potius tanquam cor religionis Christianæ ex urbe Romana, tanquam totius mundi capite, in omnes alias provincias & terræ regna, veræ fidei spiritum vitam infundere posset. In Nat. Petri & Pauli. Undè S. Leo ait: *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus diffunderet.*

2 *Princeps Apostolorum.* Advertendum est, Christum non dixisse: *Vobis dabo claves*; sed *tibi*, id est, Petro solùm, adeo ut S. Bernardus in sermone quodam de hoc Festo dicat: Tom. 4. p. 2. tr. 4. *Claves regni cælorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cæli.* Undè Salmeron scribit: *Soli Petro dictum est: Tibi dabo claves: &, pasce oves meas; nam etsi multa Dominus dedisset Apostolis, nunquam tamen illa sine Petro dedit; quæ vero Petro singulariter dedit, etiam in aliorum præsentia, soli tamen Petro convenire intelliguntur: & licet jus clavium & pascendi a Domino & ad reliquos Apostolos transierit; per Petrum tamen transivit, per quem Dominus aliis contulit, quicquid aliis non negavit.* Innocentius III. qui Petri successor fuit, sermone 1. de S. Petro considerat, dictionem hanc Cephas, qua Christus Petrum appellavit, juxta unius linguæ loquendi usum, idem significare quod *Petrus*; secundùm alium verò loquendi modum idem esse quod *Caput*. *Quia sicut plenitudo sensuum consistit in capite, in cæteris autem membris pars est aliqua pulchritudinis, ita cæteri vocati sunt in partem solicitudinis, solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis*; in cujus confirmationem textum illum adducit sancti Joannis, in quo Christus omnibus Apostolis suis dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; at verò quando allocutus est Petrum, dixit ei in singulari: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; quia Petrus potest ligare cæteros, sed non ligari potest a cæteris utpote summus & primus Magister & Princeps Ecclesiæ.*

3 *Princeps Apostolorum.* Variis prærogativis S. Petrus cæteris Apostolis præeminuit, nimirum in cathedræ suæ infallibilitate, in facta ei cœlitus divinorum secretorum revelatione, in assistentia continua Spiritus sancti, Spiritus veritatis. Aliis dixit: *Laxate retia vestra in capturam*; soli verò Petro dicitur: *Duc in altum*, utpotè cui altissimum & imperscrutabile divinitatis & incarnationis Filii Dei mysterium specialissimè revelatum fuit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Undè S. Bernardus ait: Serm. 23 in Cant. *Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo secreti hujus gratiam sunt assecuti.* Ad hanc igitur Petri prærogativam velim vos reflectatis, nimirum quòd non hìc in terris super Christi incarnati pectore, veluti Joannes edoctus fuerit; sed potiùs de sursum è cœlis in sinu Patris æterni, qui increatæ Sapientiæ centrum est, doctrinam fidei suæ hauserit: *Unigenitus qui est in sinu Patris, &c.* In Luc. l. 4. 51. 3. S. Ambrosius verba illa: *Duc in altum*, considerans ait: *Denique etsi aliis imperatur, ut lavent retia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum; hoc est, in profundum disputationum; quid enim tam altum, quàm altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium & professionem divinæ generationis assumere.* Idemmet sanctus Archiepiscopus Christum Dominum nostrum solam Petri navim, non verò aliorum Apostolorum navigia conscendisse considerat, & illius nobis referat mysteria, dicens: *Hanc solam Ecclesiæ navim ascendit Dominus, in qua Petrus magister est constitutus*; siquidem in hoc ligno, in hac Petri cathedra per Spiritus sancti assistentiam decidenda erant omnia dubia, & controversiæ ad fidei nostræ veritatem & integritatem spectantes; atque ab hac eadem sede in futurorum sæculorum progressu, velut ab infallibili oraculo omnia veræ theologiæ dogmata emanere debebant.

4 *Princeps Apostolorum.* Præ omnibus quoque aliis Apostolis se in dono miraculorum admirabiliorem esse probavit; quia tametsi S. Lucas dicat: Act. 5. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe*, attamen in patrandis miraculis primus omnium Petrus fuit, quando procellosum & liquidum maris elementum siccis pedibus inambulavit. Similiter in sacra die Pentecostes, claudum illum, qui ad portam speciosam sedebat mendicans, in conspectu omnium erexit & sanavit. Undè S. Serm de S Pet Ap. Bernardus miracula ipsius hisce verbis admiratur, dicens: *Quid illo potentius, cui & terra obedivit, cum mortuos redderet & mare sub pedibus ejus se calcabile præbuit, qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit?* verùm enimverò prærogativa, quæ in ipso eximia prorsus, & in hanc horam usque nulli aliorum, quantum saltem scire licuit, participata fuit, ea est, quam sacer Evangelista hisce ferè verbis tetigit: *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* In quo loquendi modo in primis observandum est, quòd portentosum hocce miraculum non corporum duntaxat, sed & animarum salutem, quod excellentius quid est, operatum fuerit; siquidem S. Lucas perspicuis verbis dicit: Serm. de S Ap. Petr. quòd *magis augebatur credentium in Domino multitudo.* Undè præ nimia admiratione S. Petrus Damianus ita scribit: *Ad umbram apostolici corporis languores fugere, discedere iniquitates, & omnem morborum instantiam inaudita velocitate fugari.* Hugo etiam Cardinalis ait: In c. p. 5. Act. Ap. *Tanta erat multitudo credentium, ut omnes non possent Petrum contingere; vel tanta fidei fortitudo, ut crederent solam Petri umbram ad curationem infirmorum sufficere; vel tot infirmi afferebantur a credentibus, ut Petrus omnes non posset tangere.* Thomas Bozius gravissimus moderni temporis scriptor in ea opinione fuit, quod quando umbra L. 18 c. 2. de signa Eccl. Petri unum contingebat, alii omnes quotquot illi vicini otes erant, curati fuerunt, virtute nimirum umbræ illius à primo, qui immediatè contactus fuerat, successivè transeunte ad omnes alios, idque ex illis consideratione dignissimis verbis deducit *Obumbraret quemquam illorum*, post quæ mox in plurali numero prosequitur dicens: *Et liberarentur ab infirmitatibus suis.* Quod idem à Sal- To. 4. par. 3. tr. 4. merone notatum fuit hisce verbis: *Ut liberarentur omnes ab infirmitatibus suis, quod est plus quàm sudariis & semicinctiis, ut Paulus; vel tactu fimbriæ, ut Dominus integram conferre hominibus sanitatem.* Cardinalis Baronius An 34. nu. 274. rationem reddit, cur omnes oculos suos in Petrum magis defixerint, itque magis prodigiosis condecoratus fuerit miraculis, ita scribit: *Sicut inter omnes Apostolos Petrus à Christo primatu in omnes est auctus, ita etiam præclariora quædam & insigniora ab eo miracula edi concessit.*

5 *Prin-*

5 *Princepes Apostolerum*. Dionysius Carthusianus ait: [Serm. 5. de S. Petro.] *Ecce quam ad miranda est dignitas Petri, quàm sublimis est excellentia ejus, tanta, ut Paulus Apostolus vas æterna electionis in sua fateatur Epistola: Deinde post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim;* [2. Cor. 12. 4.] *qualis & quantus iste, ad quem videndum divinus ille Apostolus Paulus tam longum & laboriosum arripuit iter, cum undique esset tam multipliciter occupatus?* Quodsi de Sancto Paulo scribitur. *Raptus ad tertium cœlum audivit arcana verba*; certè Petrus adhuc in terra commoratus, ibique subsistens, diu antè in divinorum secretorum penetralia admissus fuit; id enim innuunt verba illa: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*; [Serm. 2. de Nat. Apo.] prætereaquam quod Guerricus Abbas insuper scribat: *Cui magis pervium fuisse cœlum credendum est quàm ipsi janitori, cujus lingua clavis cœli facta est? Beatus cœli janitor* (ita quoque Sanctus Hilarius hac de re scribit) *cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur*. [Can. 16. in Matth.] Chrysostomus Petrum cæterorum Apostolorum linguam cognominavit, dum ait: *Os Petrus erat Apostolorum, & princeps, propterea & Paulus eum inter alios visurum ascendit*. [Cat à Lor. in c. 8. Act.] S. Hieronymus in quadam Epistola sua, quæ inter Augustini Epistolas undecima recensetur, ita ait: *Tanta Petrus authoritatis fuit, ut Paulus in Epistola sua scripserit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*, & porrò illud ex vana curiositate ab eo minimè factum fuisse, in Epistola ad Galatas scribens perspicuè satis demonstrat, dum ait: [Epist. 38.] *Non puto Apostolica fuisse gravitatis, ut post tantam triennii preparationem aliquid humanum in Petro voluerit aspicere*; quonam igitur fine Hierosolymam se contulit? *Ut videret Apostolum non discendi studio, qui & ipse eundem prædicationis haberet authorem, sed honoris priori Apostolo deferendi*. [Ep. ad Leo.] Theodoretus quoque in quadam Epistola sua ita scribit: *Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum excurrit*. Lorinus quoque in capitis 13. Actuum Apostolicorum versum primum scribens, textum quendam adducit *Glossa Decreti* Cap. *Quis nesciat* dist. 2. ubi dicitur: *Docet Paulo Petrum dedisse licentiam prædicandi authoritate Domini, dum dicit: Segregate mihi Saulum & Barnabam. Leo quoque IX. ibi asserit Petrum fuisse, & huic operi præfuisse*.

6 *Princeps Apostolorum*. Præter hactenus addicta, aliud quoque privilegium Sancti Petri eruere possumus, undè eminens S. Petri super omnes alios Apostolos sanctitas luce clarius elucescat, estque non admodum difficilis illius probatio; cùm enim mensura sanctitatis ex intensioribus desumatur gradibus charitatis, nemo facilè inficiari audebit S. Petrum omnibus aliis majori Christum fuisse dilectione prosecutum; qua de re adeo certus erat, ut ipsummet quoque Christum Dominum, cui omnia patent, hujus rei testem interpellare non dubitaverit, dicens: *Tu scis Domine, quia amo te*. Tritum omnibusque notum est axioma illud aliàs quoque ex S. Bernardo relatum; quòd *quantitas uniuscujusque animæ æstimatur de mensura charitatis quam habet*. Chrysostomus verò ait: [Ho. 80 ad Pag.] *Per totum urbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit, & quod omnibus majus, illum nobis majorem omnibus Apostolis in Dominum habere charitatem ostendit*.

7 *Princeps Apostolorum*. Æternus ille Pontifex; de quo scribitur: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*. S. Petrum etiamnum nobiscum hic in terris viventem canonizare voluit; dicens: *Beatus es Simon Barjona*, id quod mysterio nequaquam caruit, siquidem ad ipsum, suosque successores tantum, non vero ad alios pertinebat hac vita defunctos justos declaratos in sanctorum recensere Catalogum. Unde S. Petrus Damianus de hodierna festivitate ita scribit: [Serm. 1. de S. Petro.] *Sacra profectò, quia sacratissimo hominis consecrata, & illius assignata præconiis, quem conventus angelicus non mediocriter reveretur*.

8 *Princeps Apostolorum*. S. Petrus super omnes alios à Christo Gazæ & ærarii cœlestis declaratus est Thesaurarius; [Ps. 104. 21.] *Constituit eum Dominum domus suæ & Principem omnis possessionis suæ*; Ipse solus potestatem habet meritorum Christi, sanctissimæ Virginis, cæterorumque sanctorum omnium dispensandi thesauros. *Tibi dabo claves Regni cælorum*.

Sanctus Petrus velut caput Ecclesiæ consideratur, variæque ad id probandum rationes adducuntur.

DISCURSUS TERTIUS.

Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Joan. cap. 1. v. 43.

1 Venerabilis Rupertus Abbas Tuitiensis ingeniose considerat, sapientissimum Redemptorem nostrum, mox ut sanctum Petrum mutato nomine appellasset, eidem quoque id sine causa nequaquam factum fuisse, insinuasse: [4. lib. 3 de gratis in honcie filii hominis.] *Quæ causa vel ratio fuit mutationis hujus nominis? nunquid enim otiosè, id est, sine causa, sine ratione mutaret vocabulum hominis sapientia Dei Jesus Christus?* Porrò sciendum est, quod ut sanctus Bonaventura asserit *Cephas* idem significet, quod *caput*, [Cap. 21. in Joan.] id quod Baronius Optati Milevitani authoritate confirmat, [An. 31 nu. 24.] unde subjungit: *Sic divina quadam dispensatione factum videtur, ut una eademque voce duabus linguis Petri principatus exprimeretur*, siquidem in lingua græca *Cephas* idem est quod *caput*, & in Syraca, idem quod *Petra*. Sacri interpretes de Petro loquentes, illum tanquam caput, & supremum Pastorem circumscribunt. Unde Dionysius Carthusianus ait; [Serm 2. de Nat. Apo.] *Toti præsidebat Ecclesiæ, universasque oves suas, imo totum genus humanum Christus ei commisit, ac subdit*. Chrysostomus super illa dictione *Cephas*, ait: *Hæc omnia quæ solius DEI sunt, Christus pollicetur se daturum Petro*. Jeremias (ita discursum suum os illud anteim prosequitur) à Deo multis populis datus, & assignatus est in Patrem; *Hunc universo Orbi terrarum præposuit Christus*. Ingeniosa profectò est illa Scriptoris cujusdam moderni observatio, quod videlicet tametsi Divina sapientia duos illos Apostolos Petrum, & Paulum adeo stricto inter se charitatis vinculo in omnibus rebus conjunxerit, nihilominus licet cæteroquin uno die, pro eadem causa, & ab uno eodemque Tyranno mortis condemnati fuerint, in palma tamen Martyrii assequenda eos adeo inter se diversos esse voluerit, ut non solum diverso in loco, verum etiam diverso mortis genere fuerint affecti; siquidem ut constat, unus eorum capite deorsum in terram posito crucifixus, alter vero capite detruncatus fuit. Sciendum est insuper quod sanctus Joannes Baptista Christo cæteroquin adeo gratus & unicè charus, & ipse decapitatus, Christus verò paulo post cruci affixus fuerit, idque ut graves authores asserunt, ne sanctus Joannes caput Ecclesiæ reputaretur, cujus, resecto illi capite, nullum erat periculum, Christi vero caput in loco valde conspicuo sursum erectum & exaltatum fuit, ad demonstrandum quod cœli terræque caput esset. Eandem igitur ob causam S. Paulo caput amputatum fuisse, asserere possumus, ne scilicet Ecclesiæ crederetur esse caput. Petrum vero econtra fuisse cruci affixum capite in terram depresso ad denotandum ipsum terræ hujus visibile caput esse, omnesque illius successores. *Tu vocaberis Cephas*. Jam nonnullas primatum hunc spectantes analogias consideremus.

2 Sanctus Bernardus ad Eugenium Papam scribens, [Lib. 2. vers. fin.] consideransque sanctum Petrum, ut ad Christum properaret in mare se conjecisse, cum tamen cæteri Apostoli veherentur navigio, facti hujus mysterium solicitè inquirit, & dicit: *Nempe signum est singularis Pontificii Petri, per quod non navem unam, ut cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum, mare enim sæculum est, naves Ecclesiæ*. Alia quadam vice pariter ad Christi imitationem super aquas ambulans denotavit, futurum se illius in terra Vicarium, ideoque non unum sed plures populos esse gubernaturum: *Siquidem aquæ multæ, populi multi, ita cum quisque cæterorum habeat suam, sibi uni commissa est grandissima navis, facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia toto Orbe diffusa*; ac proinde sanctus Augu- [Ser. 24. de Sanctis.] stinus scribit: *In uno Petro figurabatur unitas omnium Pastorum*. Quando Petrus à Christo petiit: *Jube me venire ad te super aquas*; *non est temeritatis*, ut Albertus Magnus optimè advertit; [Matth. 14.] *Quia instructio fuit mundi gubernatoris, qui non in una navicula veniret, sed totum mundum gubernans Vicarius Christi perfectius esse*

proba-

An.34. nu. 201. *probaretur*. Similiter Cardinalis Baronius in illis Galilæi maris littoribus subsistit, illamque adeo celebrem piscationem considerans scribit: *In ipsa piscatione typus quidam ac figura Petri primatus fuerat præsignata, dum ipse primus piscandi init consilium, & piscationem aggreditur*, tametsi alii quoque retibus trahendis & intra aquas conjiciendis suam navarent operam: *Educere tamen ex aquis in terram Petri solius fuit opus, ascendit, inquit Joannes, Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus*: fuit autem numerus hic omnino mysticus, tot enim, ut naturalium rerum scrutatores asserunt, sunt notabiliores piscium species, in quo pariter insinuabatur Petrum in sagenam Evangelicam omnes populos, omnes terræ nationes, cujuscunque demum ætatis, sexus, conditionis, aut professionis inclusurum esse: *Ascendit Simon Petrus, & traxit rete* (inquit S. Thomas) *in terram, quia ipsi sancta Ecclesia est commissa*. Verum enim vero priusquam ab hisce aquis recedamus, inquiramus velim, quodnam in eo latet mysterium, quod sapientissimus Salvator noster tributum exsoluturus soli Petro, ut piscaretur, præceperit? Sanctus Ambrosius ait; *Est & aliud Apostolicum piscandi genus,*
14. in Luc. c. 5 *quo genere solum Petrum piscari Dominus jubet, dicens; mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit; tolle*; dum vero inventam in ore piscis monetam pro se & Petro tributi loco extradi jubet; Quid aliud (sunt
An.33. nu. 33. verba ex Annalibus Ecclesiasticis desumpta) nisi Petri primatum insinuat?

3. Petro non vero aliis Christus dicit: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Prævidens enim in multis Ecclesiis veram fidem ab aliis Apostolis plantatam progressu temporis perdendam, Ecclesiæ vero Romanæ, sedis & primatus Petri fidem nunquam interituram esse, imo vero hanc omnium aliarum Ecclesiasticarum fidem firmam & stabilem conservaturam esse, ad hanc duntaxat Petri sedem præclara hæc promissio directa fuit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*.

4. Vocaberis Cephas, Petrus fuit ille, qui tanquam caput universalis Ecclesiæ portam aperuit gentilitati, ut eam thesaurorum cœlestium faceret esse participem, & ad ipsum directa fuit illa eidem in extasi expressa revelatio, in qua linteum illud vidit, immundis animalibus plenum, unde ei quoque præceptum, ut ad domum Cornelii centurionis se conferret, in eaque jam dictum centurionem cum omnibus domus suæ familiaribus sacra Baptismatis unda tingeret: *Petrus moniti divino primus omnium gentilem hominem Cornelium centurionem baptizans cæteris gentibus aditum*
Ser. r. 68 *ad Ecclesiam reseravit*; ita Baronius. Neque in hac occasione extra propositum esse censeo, quod scribit sanctus Ambrosius: *Pransuro Petro desunt coquorum apparatus, desunt obsequia famulorum, sed quod est melius ministeria divina non desunt; ut reficiatur Petrus non cellarium solicitè reseratur, sed cœlum ipsum protinus aperitur*. Porrò Eliæ ministrabant corvi, Petro autem non animal quoddam adeo deformæ morticinis devorandis assuetum, sed integrum convivium multitudo angelica subministrat.

5. *Vocaberis Cephas*. Unigenitus Dei filius priusquam in celos ascenderet, in societate omnium aliorum Apostolorum constitutus, prandio absoluto, sanctum Petrum ad partem traxit, suumque ad eum discursum solitariè direxit, sciscitando ab eo num se dili-
Hom. 87. in Joan. geret. Unde Chrysostomus ait. *Duntaxat Petrum affatur*, cur vero illum solum & non alios alloquitur? rationem reddit dicens; *Os erat Apostolorum, & princeps & vertex ipsius cœtus*. Quando Christus totum collegium Apostolicum, cujusnam circa se velut Messiam opinionis essent, interrogavit. *Vos autem quem me esse dicitis*, quis tunc fuit qui respondit? Albertus
In c. 4. Matt. to 4. p. 3. tr. 2. Magnus dicit: *Ille pro omnibus, & pro omnibus respondit, qui omnibus præesse & prodesse debuit*. Salmeron ideo Petrum solum respondisse dicit: *Quia summus Pontifex & Pastor Ecclesiæ futurus, cujus fides ab omnibus sectanda esset, quia unica est tantum fides*; & hinc est, quod ei tunc fuerint cœli claves & Ecclesiæ primatus concessus; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

6 *Vocaberis Cephas*. Aliud quoque indicium unde illum caput Ecclesiæ esse ostendi potest, tangitur à sancto Petro Damiano, dum ait: *Petrus ungit omnes, cum* Ser. 2. de S. Petro.
dicit; Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Innocentius I. in Epist. ad Concil. Carthaginense, quæ est 91. inter Epistolas S. Augustini, ita scribit; *A quo, id est à Petro, ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit*; & tametsi alia quoque privilegia aliis Apostolis participata esse reperiantur, attamen S. Leo scribit: *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apo-* Epist. 89.
stolorum officium pertinere voluit; ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ita ut ab ipso quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet: qua in re optimè in illum quadrat insignis illa similitudo capitis, sicut enim hoc in parte eminentiori, magisque præcipua corporis nostri residet, omnibusque illius partibus spiritus vitales communicat: ita Petrus velut supremum Ecclesiæ caput, omnibusque aliis Pastoribus utpote hujus mystici corporis membris, claves suas, id est, potestatem & Jurisdictionem absolvendi, ligandi, consecrandi, Sacramenta conferendi, & quævis alia faciendi, quæ ad bonum & salutem animarum, & cultum divinum, religionisque & fidei stabilimentum pertinere dignoscuntur. *Caput influens* (inquit Salmeron) *in omnem Ecclesiam, & in* tr. 2. loc. ci.
omnia ejus membra, adducitque Cardinalis Baronius An. 34 nu.
testimonium Arnobii super Psalmos, qui ita scribit: 206. in Ps.
Nullus Apostolorum Pastoris nomen accepit, solus enim 138.
Dominus Jesus Christus, dicebat: Ego sum Pastor bonus, me sequuntur oves meæ, hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pænitenti concessit. Idemmet Cardinalis S. Bernardum citat, qui ad Eugenium Papam ita scribit. *Sunt qui-* Loco cit.
dem & alii cœli janitores, & gregum Pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditasti: habent illi sibi assignatos greges singuli singulos, tibi universi crediti sunt, uni unus, nec modo ovium, sed & pastorum, tu unus omnium pastor: unde id probem quæris? ex verbo Domini, cui etiam non dico Episcoporum sed & Apostolorum sic absolute, sic indiscrete tota commissa sunt oves: si me amas Petre, pasce oves meas: quas, illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe regni? oves meas, inquit: cui non planum non designasse aliquas, sed designasse omnes? hinc est, quod in partibus orientalibus creavit Antiochiæ Episcopum Evodium, cui obediebant omnes Episcopi Orientis: Mediante sancto Marco charissimo discipulo suo, quem pastorem Alexandrinum esse voluit, totam sibi Ægyptum, Arabiam, Æthiopiam & bonam Africæ partem subjecit. In occidente fundavit Ecclesias Franciæ, Hispaniæ, Italiæ, aliarumque insularum adjacentium. In septentrione quoque Pontum, Cappadociam, Bythiniam, Græciam, Dalma- L. 14. signo
tiam, Germaniam sibi acquisivit, prouti Thomas Bo- 6.
zius de signis Ecclesiæ fundatissimè discurrit, qui demum subjungit: *Romam vero voluit esse in medio positam, veluti cunctarum Principem ac matrem, ut lux veritatis, ait Leo Magnus, quæ in omnium gentium revelabatur salutem efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet*.

7 *Vocaberis Cephas*. Aliud quoddam argumentum, An. 34 nu.
S. Petrum caput Ecclesiæ esse demonstrans, ab Evodio 49.
Episcopo Antiocheno, quem Baronius citat, manifestum accepimus, qui ait: *Christus manibus suis Petrum tantummodo baptizavit, Petrus vero Andream & filios Zebedei, is denique reliquos Apostolos*. Lorinus in Actuum Apostolicorum cap. 13. versum 5. scribens citat Turrecrematam de Petro sic differentem; *Solum à Christo immediate ordinatum, cæterorum Apostolorum ordinatorem, quidam asserunt, ut sit verum, Romanam omnium Ecclesiarum esse matrem*.

8 *Vocaberis Cephas*. Cardinalis Baronius ait. *Cur* An. 34. nu.
autem Petrus præ cæteris tam ad suorum defensionem 147
quam aliorum ad fidem conversionem verbi prædicationem exorditur, nisi quia primatum tenet inter Apostolos? Clemens I. Romanus S. Petri discipulus in quadam Epistola ad S. Jacobum Minorem Apostolum scripta ita ait. *Domini ore cognominatus est Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini, Apostolorum primus*, primus enim inter Apostolos Christum post Resurrectionem suam vidit, primus ante Joannem sepulchrum intravit, tanquam caput & Judex supremus sacrilegos vo-

ci

ti transgressores Ananiam & Saphyram castigavit, ad substituendum in locum Judæ traditoris alium quendam Apostolum propositionem peroravit, nec non septem Diaconorum electionem instituit, Petrus cum undecim, Petrus & Apostoli, in quo loquendi modo superioritas ejus satis manifestè conspicitur.

An. 31. nu. 275. 9 *Vocaberis Cephas*. Audite quæso qualem Cardinalis Baronius considerationem ad præsens propositum nostrum, super prodigioso illo miraculo instituerit, quo Sanctus Petrus sola sui corporis umbra mediante tot sanavit infirmos. Dicit enim: *Quid umbra Petri, nisi imago expressa corporis Petri? certe quidem non aliunde, quam ex ejusmodi imaginibus umbra formatis picturam duxisse originem ferunt, ut ex his videas imaginum pium cultum in umbra Petri à Deo primitus in primori illa Ecclesia tot tantisque miraculis esse divinitus consecratum. Cum eandem Deus virtutem umbra Petri indiderit, quam & corpori Petri, illud certe typicè expressum esse videtur, tanquam à Deo Principi Apostolorum gratiarum copiam esse collatam, ut eadem dona persona Petri concessa sic in umbram transtulerit, ut eadem in successoribus, qui referunt personam Petri, feliciter propagari voluerit, nimirum ut quamvis non omnes æquè sancti, ut Petrus, sed ex ipsis aliqui moribus essent futuri dissimiles, tamen quia ejusmodi gererent personam Petri, eandem etenim à Deo retinuerint illi traditam potestatem scirentque omnes respectu Petri in honore esse habendos qui umbram saltem Petri ex hac parte referrent.*

Hanc petram S. Petri omnes boni fundamenti conditiones habuisse ostenditur, simulque quo sensu Christus pariter & Petrus petra illa sint, super qua fundata est Ecclesia, declaratur.

DISCURSUS QUARTUS.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. cap. 6.

1 SAnctus Paulus Apostolus ad Ephesios scribens, ingentem amorem, quo Dei Filius, sese Ecclesiæ suæ strictissimè adstrinxerat, vehementer admiratus ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eo, ut illam sanctificaret*; (Eph. 5. 30.) qui & alibi de eadem quod Christus sanguine suo eam sibi acquisiverit, attestatur, dum ait: *Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*; (Act. 20. 28.) ut autem hanc suam Ecclesiam adeo sibi gratam, pretiosam & charam ad finem usque sæculorum perennaret, stabiliretque, solidiorem pro fundamento jaciendo petram invenire non potuit, quam quendam Galilææ piscatorem, siquidem Simoni, qui cognominabatur Petrus, dixit, *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Mira profecto res, quod super virum quendam cæteroquin infimis natalibus oriundum, professione abjectum, vocatione non adeo perfectum, quia conjugatum, literarum, divitiarumque expertem, omnique humano fulcro destitutum, magnam nihilominus Ecclesiæ machinam, quæ in omnes deinceps futuras ætates, cum inferno dimicare, & in sanctitate cum ipsomet cœlo decertare debebat, inædificare decreverit? Et tamen de hac Ecclesia Doctor quidam adeo illuminatus attestatur dicens: *Dignus certo; qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum*. (S. Aug. ser. 29 de SS.) Enim vero quam digna Ecclesiæ basis & fulcrum Petrus fuerit, ex doctrina quadam ab ipsomet nobis alibi tradita deduci facilè potest; Dicit enim: *Quantum quisque vult, & disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum*. (Serm. 10. de Verbo Dom.) At verò quisnam architectus ille fuit; qui miram hanc Ecclesiæ erexit fabricam? Ipse fundavit eam Altissimus. (Psal. 86. 6.) Credibile est igitur, hunc optimè eligere novisse pro fabricæ illius stabilimento petram æquivalentem, omnibusque numeris perfectam, siquidem ipsamet increata & æterna Sapientia ædificium istud erexit; *Sapientia ædificavit sibi domum*. (Prov. 9. 1.)

2 *Lapis ad fundamentum*. Fundamentum aliquod tribus potissimum conditionibus debet esse præditum, quarum prima est, ut sit immobile, solidum, & forte, adeo ut superædificatum ei ædificium nequicquam commoveri, aut concuti possit. Secunda conditio est, ut primum in fabrica locum obtineat, utpote quod primum est illis principium. Tertia denique ut nulla structuræ aut fabricæ parte dependeat, sed potius omnium ejus partium sustentaculum existat, neque enim convenit, ut fundamentum ab aliquo fabricæ membro sustentetur, quin potius illud omnia illius membra sustineat. Omnes autem hasce conditiones in mystica hac petra simul conjunctas reperiemus. Lapis ad fundamentum. Et quidem quod fortitudinem illius attinet, S. Leo illa Christi verba; *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ponderans, ita eadem interpretatur: *Super hanc fortitudinem æternum exstruam templum*. (Serm. de nat. Apost.) S. Gregorius quoque ait: *Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit ex nomine, ut Petrus a petra vocaretur?* (Lib. 6. Regist. Epist. 37.) Eminentissimus Cardinalis Baronius super commutatione nominis Simon in Cephas (quod ut præcedenti discursu vidimus, idem est quod Petrus) quam æternus Pontifex fecit, discurrens, ita scribit: *Cephas cum Syriacè petram significet, non tamen quamlibet petram, sed quæ sit omnium durissima, cautem*. Quærit etiam, cur potius petræ nomen ei imposuerit, quam alterius solidioris metalli, ferri, v. gr. chalybis, aut alterius similis durioris materiæ, & respondet: *id quidem non ob aliam causam factum esse apparet, nisi quia & ipse Christus petra dictus est, ut quem sui gregis relinqueret Vicarium successorem, eundem suo nomine insigniret*. Aliam quoque rationem proposito nostro haud incongruam adducere possumus, dicendo, ideo Christum ei non attribuisse titulum metalli, vel similis materiæ, sed saxi, petræ, lapidis nomine ipsum insignivisse, quia Ecclesiæ suæ fundamentum jam pridem destinaverat, fundamentum autem jacitur ex petris, non vero ex metallis, & quidem ex petris, fortissimis, solidissimis, maximis, ut toti machinæ sustentaculi loco deserviant: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. (Serm. 47.) Sanctus Ambrosius ait: *Petrus petra dicitur, eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat*. Sanctus Basilius de hac petra pariter scribit: (In cap. 2. Isaiæ.) *Propter firmitatem maximam fidei, & infractum robur animi ad non cedendum ictibus tentationum & periculorum, super quam petram promisit Dominus ædificare Ecclesiam suam*. Firmitas quoque hujus fundamenti in eo satis enituit, quod tametsi totus infernus per tot sæcula adversus eam omnem suam potentiam ad eam subvertendam adhibuerit, attamen Portæ inferi non prævaluerint. Omnes quidem Tyranni hujus mundi, omnes hæresiarchæ, idololatriæ, Mahometani, Atheistæ, cæterique omnes Religionis nostræ inimici adversus Ecclesiam dimicarunt, & etiamnum continuo decertant: sed non prævalebunt, idque ob invictam hujus petræ fortitudinem: *Quis petra firmior* (ait Chrysostomus) *universo terrarum orbe reluctante*. Paulo ante diximus, quod quanto ædificium aliquod sublimius est, tanto profundius pro illo jaciatur fundamentum; atque ideo quisquis videre vult, quantum hoc ædificium Ecclesiæ sese in altum erigat, consideret necessum est, quod vertice suo cœlum contingat, siquidem Ecclesia hic in terris etiamnum militans, cum Ecclesia triumphante unitur in cœlis: Fundamentum vero ejusdem fabricæ ipsismet inferni portis proximè & potestativè imminet, ac proinde dicitur: *Portæ inferi non prævalebunt*. Unde mirum non est, quod Petro & successoribus ejus cum Sathana omnibusque aliis inferni potestatibus semper dimicandum sit. Advertendum est autem, quod sanctus Augustinus postquam sanctum Petrum hisce condecorasset titulis: Lapis ad fundamentum, columna ad sustentaculum, protinus subjungat titulum sequentem, quod videlicet sit clavis ad regnum, idque non sine mysterio, nec ad propositum nostrum inopportunè: pro majori namque

fa-

fabricæ alicujus firmitate & fortitudine, solent nonnunquam in ipsa murorum grossitie solidæ è ferro fabricatæ catenæ ioterjici, quæ claves ab architectis appellantur; pro majori igitur sublimis illius ædificii soliditate & firmitate, ecce tibi quoque porrectas Petro claves: *Tibi dabo claves regni cælorum*; per quod regnum cœlorum insselligere possumus Ecclesiam, per claves vero jurisdictionem & potestatem supremam ligandi, solvendi, decidendi, consecrandi, omniaque alia faciendi, quæ ad Ecclesiæ firmitatem & stabilitatem pertinere dignoscuntur, sibi suisque successoribus perpetuo delegatam.

3 *Lapis ad fundamentum*. Secunda conditio quam fundamento alicui propriam esse diximus, est, quod primum in ædificio locum obtineat, sitque primum illius principium. Porrò licèt Petrum caput Ecclesiæ esse, aliqua indigeret probatione, quoad hoc tamen nobis ex iis, quæ in præcedenti discursu dicta sunt, satisfactum esse censeo; at vero quod sit hujus fundamenti primus lapis, hoc aliquam adhuc paritur contradictionem. Quodsi enim verum est, uti est verissimum, quod à veridico & sancto quodam calamo scribitur, videlicet:
1.Cor.3.11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere; præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*, quonam modo Petrum petram esse asserere poterimus? Et tamen ex alia quoque parte verissimum est, quod ipsamet æterna veritas declaravit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Sanctus Ambrosius, nisi fortè sit Augustinus sermonis illius author, Petrum hoc titulo denominatum esse scribit: *Eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit*. Paulus de Palatio ait: *Super hanc petram, quod hunc sensum habet, lapis super quo tota ædificii moles surgit, primus est, & qui super eo lapide non*
S.47 In c. 16.Matth. *radicantur, ad ædificium non pertinent, ita Petrus primus est in ædificio Christiano*. Verum dicat fortasse nonnemo, quando hæ propositiones cum illo textu Pauli concordant: *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Chri-*
Eph.2.20. *sto Jesu*? Cui accedit, quod ipsemet Petrus in quadam sua Epistola idipsum quod Paulus ait, suo testimonio corroboret, dum ait: *Ad quem accedentes lapidem vi-*
1 Petr.2.6. *vum* (de Christo loquitur) *ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini*. Responsio huic difficultati, ni fallor, congrua est, quod scilicet quotidiana nos experientia edoceat, quod quando plura saxa in unum fundamentum jaciuntur, omnes illi mediante calce veluti glutine uniantur, & sic connexi unicum tantum efficiant fundamentum. De S. Petro S. Maximus ait: *Hic est Petrus, cui Dominus sui nominis communio-*
Hom. 1. de Nat. Apo. *nem libenter indulsit, ut enim sicut Apostolus edocuit, Petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra, dicente Domino; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. S. Leo in eundem sensum scribit: *Cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui fa-*
erm. 2. *cio utraque unum, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria sint tibi mecum participatione communia*. Beatus Laurentius Justinianus ait. *Super hanc petram participative dictam*. Sanctus Basilius: *Christus est immobilis petra, Petrus autem propter petram*. Dionysius Carthusianus super hodie recitatum Evangelium ita scribit: *Super*
Ser. de nat. Apost. Pet. Homil. de Pœnit. *hanc petram quam confessus es, videlicet super meipsum, quis lapis sum, angularis*. Sanctus Augustinus verò in libro retractationum suarum supra hunc Matthæi textum scribens, (ut illum exponit Doctor Angelicus à quo citatur) dicit verba illa super hanc petram, ab unoquoque intelligi posse, prout placet, vel de Christo, vel Petro. Sed quid est? Estne Christus & Petrus fundamentum? Dicendum quod Christus secundum se, sed Petrus secundum quod est Vicarius ejus. At verò Cardinalis Baronius quoad hoc propositum ita scribit. *Nemo quid abjectum, & humile cogitet, dum audit super Petrum à Christo esse superædificatam Ecclesiam quasi tanta*
An. 33. n. 20. *structura super hominem quempiam innitatur, nam sic eam dicimus supra Petrum esse à Christo fundatam, ut idem ipse Christus basis quædam sit, ac totius structura fundamentum, de quo Paulus ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere*, &c. adeoque concludit, quod primo & principaliter fundata sit super hanc petram, Christum, quæ tametsi ab eo per sapientiam admirabilem defendatur & gubernetur, *nihilominus tam in cælo, quam in terra statuit principatus, quibus qui sunt subditi, pareant, quamobrem licet ipse sit author Ecclesiæ, protector, & moderator, tamen principatum quendam in ea esse voluit, ac Monarchiam, quam Petro contulit*.

4 *Lapis ad fundamentum*. Tertiam fundamenti conditionem esse diximus, quod omnes ædificii superstructi partes innitantur illi, ipsum verò à nulla fabricæ parte sustentetur. Præcipua ejusdem sancti Petri laus est, quod omnes fideles ad ipsos usque Apostolos, tametsi hi alias vocentur *Ecclesiarum Principes*, Petro subjecti fuerint, tanquam capiti suo; id quod per Isaiam Isa. 28. 16.
prædictum fuit, dum ait: *Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem* (ubi bene notandum, quod in singulari numero sermo fiat) *probatum, angularem, pretiosum in fundamentum*, moxque subjungit: *Qui crediderit, non festinet*; Quis obsecro locum istud, in quo de Syon, ubi quondam templum fuerat, de fide, de petra, de fundamento tractatur, de sancto Petro intelligendum esse non dicat? Veruntamen textus quidam ex Apocalypsi opponi potest, in quo scribitur sancto Joanni visionem quandam exhibitam fuisse duodecim lapidum pretiosorum, per quos denotati fuere duodecim Apostoli, quos in cœlestis Hierosolymæ, id est Ecclesiæ, fundamentis positos fuisse vidit: *Fundamentum primum Jaspis, secun-* Apoc. 21. 19.
dum Zaphyrus, tertium Chalcedonius, &c. Quomodo igitur solum sanctum Petrum fundamentum hoc fuisse dicere audebimus? Facilis ad hoc est responsio, si tamen sequentem similitudinem primo præmiserimus; Etenim quando novi alicujus templi ædificium erigitur, in fundamentis multa quidem saxa simul conjiciuntur, veruntamen primus lapis qui in fundamenta jacitur, lapis quidam est electus, quadratus, atque singulari studio politus, cui medallium quoddam includitur argenteum vel aureum Sancti illius, cui dedicanda est Ecclesia, imaginem referens, cum variorum characterum incisione, qui ad templi illius consecrationem alludunt, lapis autem iste ab Episcopo, vel alio quodam Prælato ritibus & cæremoniis sacris benedictus, ingenti cum solemnitate fundamento immittitur, super quo deinceps omnes alii rudiores lapides successivè conjiciuntur. Et ecce tibi per omnia casum nostrum, in quo versamur, perfectissimè expressum: *Superædificati super fundamentum Apostolorum*, etenim Apostoli per alios hujus fundamenti lapides intelliguntur: Nam ut Ecclesia dicit: *Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam Dei sanguine suo*: at verò primus lapis & sustentaculum omnium aliorum Petrus fuit, qui, ut ita dicam, ab ipsomet Pontifice æterno tantis eum benedictionibus in hoc fundamentum collocatus fuit, dicente Christo: *Beatus es Simon Barjona; Petre super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Lapidem probatum*, talem enim ipsum in magna illa Divinitatis suæ confessione fuisse ipsemet Salvator noster probavit; *Lapidem pretiosum*; quidni enim pretiosius dicatur, qui opulenti inæstimabilium meritorum suorum, suæ sanctissimæ matris, omniumque aliorum sanctorum & beatorum cœlitum ærarii à Dei filio constitutus est cum plenitudine potestatis magnus thesaurarius: vel etiam pretiosus nominari potest, utpote in Jaspide figuratus: *Fundamentum primum Jaspis*; huic namque gemmæ similis visus est in throno illo, quem illi viginti quatuor seniores adorabant. *Qui sedebat similis erat aspectui lapidis Jaspidis*, ante hunc vero thronum seniores præfati in reverentiæ & obsequii signum Apoc. 4.
coronas & diademata sua projiciebant, ad Petri suorumque successorum majestatem denotandam, utpote coram quibus ipsi etiam Reges & Orbis Monarchæ obsequiosissimè sese prosternunt.

Christus Petrum petram denominando, nomen suum S. Petro communicavit; ideoque nonnullæ inter ipsos emergentes analogiæ considerantur; simulque variæ ad hanc petram alludentes figuræ & Scripturæ in medium adducuntur.

DISCURSUS QUINTUS.

Imposuit Simoni nomen Petrus. Marci c. 3. v. 16.

1 HÆc à Christo circa nomen Petri, qui antea Simon appellabatur, facta mutatio tot suis myste-

fteriis referta, ut Innocentius III. in sermone quodam de hodierno Festo scriptum reliquerit: *Ex hac nova nominis impositione traxit Ecclesia, ut quando Petri successor eligitur, novum ei vocabulum imponatur.* Porrò præter illas quas de imposito nomine Petri adduximus rationes, [Lib. 1 c. 13. con. Marc.] Tertullianus aliam assignat, dicens: *Christus Petrum ita vocat, quia & lapis & petra ipse est; itaque affectavit charissimo discipulorum de figuris suis peculiariter communicare.* Et quidem parum a Tertulliano sanctus Prosper disterepat, dum ita scribit: [Lib. 2. de voc gen. c. 28.] *Hæc fortissima petra ab ipsa principali petra communionem & virtutis sumpsit & nominis*; siquidem uti multis in rebus facilè ostendi potest, Salvator noster eum sibi simillimum effecit: Etenim quando ad declinandum exactorum scandalum tributum pendere decreverat, illud tum pro se, [Matth. 17.] tum pro Petro expediri præcepit: *Da eis pro me & te.* Apostolus, ut paulò antè diximus, de Christo ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*; & tamen hoc non obstante Petrus quoque pro primo hujus ædificii fundamento positus fuisse scribitur, Christus de se dicit: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas*; huic verò pastori substitutus & pastor declaratus est sanctus Petrus: [In c. 6. Joan.] *Tu es pastor ovium.* Omnes ei consignatæ sunt oves: *Pasce oves meas*, ut potè quas præ cunctis aliis optimè cognoscebat; [Joan. 10. 9.] undè *Petrus interpretatur agnoscens*, inquit Hugo Cardinalis. [Matth. 11. 27.] Christus se ostium esse dicit ovilis: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Hujus autem ostii atque ovilis cœlestis claves Petro consignatæ fuere: [Ps. 134. 6.] *Tibi dabo claves regni cælorum. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, inquit Christus; Petrus autem similiter dicere potuit: *Omnia mihi tradita sunt a Christo*; qua *omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra, & in omnibus abyssis*; cœlum namque pro suo aperit arbitrio aperitque pariter & claudit infernum: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ipse tanquam caput Ecclesiæ Reges & mundi monarchas ante pedes suos conspicit reverenter & obsequiosè prostratos: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Salvator ait: [Mat. 11. 27.] *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius & cui voluerit Filius revelare*; S. Petrus autem per revelationem Patris, perfectam habuit Patris & Filii notitiam & agnitionem, quando ait: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, id quod illi ab ipsomet Patre revelatum fuit. Christus super aquas maris sine ullo metu ambulasse scribitur; Petrus quoque Christo dicere non dubitavit: [Hom 2.] *Jube me venire super aquas.* Verùm quamnam ob causam super instabile hoc maris elementum ire postea formidavit? S. Maximus ait: *Quia postea mergebatur, ut mihi videtur, necessariam fuit, ne tanti sublimitate miraculi in perniciem fortè sui æquata Christo carnis fragilitas superbiret.* Theophylactus quoque dicit: *Neque enim hominis est super aquas ambulare sed Dei*; quia *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* De Redemptore nostro scribitur: *Virtus de illo exibat & sanabat omnes*, adeo ut Hemorrhoissa illa diceret: *Si tetigero fimbriam vestimētō ejus, salva ero.* [Luc. 8. 16.] Petrus autem miracula Christi multum trāscendit: [Act. 5. 15.] *ita ut in plateas ejicerent infirmos, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Id tamen minimè mirandū est; etenim divinam promissionem adimpleri omnino conveniebat, qua dicebatur: [Joan. 14.] *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*, cui autem hujus promissionis adimpletio magis conveniebat, quàm Petro, qui omnes alios in fide longè excedebat, majorique eum lumine Christum agnoscebat? *Majora miracula*, inquit S. Bernardus, [Hom. 7. in cons. Dom.] *est operatus per Petrum, quam fecerit ipse.* Et Theodoretus ait: *Certè enim plus est quod Petro Dominus contulit, quam quod sibi sumpsit; is namque aut verbo, aut contactu manus aut vestis ægra corpora sanabat; Petrus autem sola etiam umbra, quo virtutis & potentiæ genere non legimus usum Dominum fuisse.* Lorinus in actis Apostolorum de Petro scribit: [C. 8. v. 16.] *Vicarius Christi Petrus habuit aliquando quandam veluti participationem potestatis ejusdem Christi, quam vocant excellentiæ, ut sine Sacramento Sacramenti conferret effectum, vel certè potius, ut illum impetraret.* Cardinalis Baronius autem de Simone Mago tractans, [An. 35. n. 24.] aliam quandam observationem habuit, nimirum quod humani generis inimicus Ecclesiam Christi super hac petra erectam cernens, Simonem Magum ex adverso Petri, veluti ejus futurum hostem suscitarit: *Super quem impietatis omnis fundamenta jacta consurgerent.* Christus in collegio suo Apostolico Judam habuit & pertulit traditorem suum; S. Petrus pariter hunc Magum, quem paulo antè ad fidem suam converterat, & in discipulorum suorum numero habuerat, suum passus est traditorem, & persecutorem. Tandem vero quamnam Christum inter & S. Petrum desiderare possumus majorem similitudinem, quam dum utrumque in cruce mortuum conspicimus. Veruntamen ne mundus fortasse in persona Christi aut Petri errare posset, hic inverso deorsum capite, pedibus vero sursum erectis crucifigi voluit.

2 *Imposuit nomen Petrus*: Multæ etiam in ipso circa hujus nominis allusionem adimplendæ erant allegoriæ, figuræ & vaticinia in sacris literis celata. Nota quippè est omnibus illa Jacob proposita scalæ illius visio, in qua Angeli ascendebant pariter & descendebant, quæ vertice cœlum, extremitate sua verò terram tangebat, symbolumque erat hic in terris militantis Ecclesiæ cum illa, quæ sursum est, Ecclesia triumphante conjunctæ. Et quidem postquam Jacob protestatus fuisset, dicendo: *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* [Gen. 28. 17.] Dicit sacer textus, quod *erexit lapidem in titulum*; quisnam verò aptius per hunc lapidem in domo Dei significari poterat, quàm Petrus Apostolus ad dignitatem adeo eminentem evectus & sublimatus? *Petre super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; fundens oleum desuper*; quia unctus est unctione illa, de qua scribitur: *Et spiritalis unctio*; ideoque denominatus est Barjona, quod idem est quod *filius columbæ*, scilicet Spiritus sancti; vel etiam dicere possumus, hanc unctionem ipsummet Christum esse, qui Petro unitus & conjunctus fuit, quique petra denominatur. *Petra autem erat Christus*, quod nomen idem significat quod *unctus*. Porrò memorabiliora facta, quæ in Scriptura sacra ab omni potentia divina patrata leguntur in petris communiter acciderunt. Petra illa deserti crystallinam è sinu suo aquam scaturivit, eaque populus Israeliticus tanta cum suavitate per tot annorum curricula potatus fuit, ut mellis sapore referre videretur: *De petra melle saturavit eos.* [Ps. 80. 17.] S. autem Maximus de silice illo, qui lympidas illas aquas scaturiit, ad propositum nostrum valdè congruè ita scribit: *Sicut in deserto sitienti populo aqua fluxit è petra, ita universo mundo perfidiæ ariditate lassato de ore Petri fons salutifera confessionis emersit, aqua sapientiæ salutaris potavit nos.* [Homil. de Nat. Apo.] Quibus verbis addamus ea, quæ de doctrina Apostolica sanctus Bernardus scribit. *Quid dulcius Petro, qui tam dulciter ad se omnes convocat peccatores, sicut & actus Apostolici, & Epistolarum ejus series attestatur*: [S. rm 1. in fest. Ap. Pet. & Pa.] Moyses excelentem hanc a Deo gratiam expetiit; *Ostende mihi gloriam tuam*; cui petitioni Deus noster benignissimè annuit: [Exod. 33 18.] *Ego ostendam tibi omne bonum.* Advertendus est autem locus ille, in quo Deus ipsum stare præcepit: *Ecce est locus apud me*, inquit Deus, *& stabis supra petram; cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Quodnam in hac petra aliud latuit mysterium, præterquam ut per illam nobis significaret, neminem in eum suos defigere oculos, aut vero æternam sibi beatitudinem comparare posse, nisi huic petræ insistat, id est, nisi Petro adhæreat eique per fidem conjunctus existat; siquidem solus ipse cœli claves possidet? Undè Glossa ait: *Stabis supra petram, quia super hanc petram ait Dominus, ædificabo Ecclesiam meam; in petra Moyses ponitur ut faciem Dei contempletur, qui enim non tenet soliditatem fidei, divinam præsentiam non agnoscit.* Enimvero gloriosissimus pariterque mysteriis plenissimus fuit ille Davidis cum Goliath habitus singularis prælii congressus? in hoc etenim temerario gigante, qui *exprobrabat Israel*, superbus ille Lucifer figuratus fuit, [1. Reg. 7.] qui animas nostras idololatria mediante sub servitutis suę tyrannide se retenturum esse gloriabatur; sed quonam modo Christus verus ille David hunc gygantem tandem prostravit? *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Quibus id armis obtinuit? nimirum petram quandam de torrente, seu potius de mari Galilææ sublatam in eum vibravit, eandemque fronti ejus, quæ corporis nostri elevatior pars est, infixit: hæc namque petra ad posternendum in Paganismo tenebrarum principem, totius mundi capiti infixa fuit, id est, Petrus tanquam Ecclesiæ petra ad nobilissimam maximeque conspicuam mundi partem, id est Romam destinatus & missus fuit, utpotè *quæ omnium gentium serviebat erroribus. Et magnam*, inquit S. Leo, [Serm. in Nat. Apo.] *sibi videbatur assumpsisse*

je

se religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Similiter notum est omnibus stratagema illud Gedeonis, quo usus est ad obtinendam famosam illam adversus Madianitas Iudic. c. 7. victoriam: etenim sono usus est tubarum, necnon figulinorum vasorum fractione, efficiendo ut lumina in vasis illis abscondita inter noctis tenebras subitò transparerent. Porrò per tubas Evangelii prædicatio figurabatur, quæ in omnibus mundi partibus longè lateque insonuit: vasa autem figulina quæ fracta fuerunt, multorum fidelium denotarunt martyria, factum est igitur ut fractis per varia tormenta fictilibus corporibus nostris, in hujus naturæ nostræ fragilitate lux protinus emicare cœperit miraculorum & vivæ fidei. Observandum est autem, quod Gedeon signum aliquod ab Angelo postulans, ex cujus intuitu firmam posset trophæi hujus obtinendi spem concipere, dum in procinctu esset sacrificium illud offerendi, perspicuis verbis sibi dici audierit: *Tolle carnes & azymos panes & pone supra petram*; quam protinus ut virga Iudic 6. 20. tetigit, ignem indè elicere cœpit, qui oblatum à se sacrificium penitùs consumpsit. Sed ecce tibi reseratum quod in hac historia latet mysterium. Etenim Salvator noster, qui *magni consilii Angelus*, dicitur virga omnipotentiæ suæ: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*; mysticam hanc petram Ps. 109. 2. tetigit, quando ei hanc virgam, id est, hanc potestatem, quam super universam Ecclesiam cunctosque fideles obtinet, delegavit, dicens: *Tibi dabo claves*. Demum verò ignem Spiritus sancti misit, indubitatum videlicet victoriæ contra Madianitas obtinendæ sive spirituum infernalium debellandorum, omniumque paulò antè Deo rebellium populorum Deo perfectè subjiciendorum prognosticum, atque adeo vix supra illam Calvarii montis petram cruentum illud sacrificium consummatum fuit, cùm ecce ille è Paradiso dilapsus ignis divinus protinùs effecit, ut Petrus in una concione sua tria, in alia vero quinque obstinatissimorum hominum millia converterit. Valdè etiam notandum est, quòd Angelus ille, qui in Christi resurrectione in sepulchro apparuit, super lapide sepulchri sedere visus fuerit, ubi opportunè Chrysologus Serm. 74. interrogat: *Et angelo quæ causa sedendi erat, cui nulla inerat lassitudo? sed sedebat ut fidei Doctor, ut resurrectionis Magister sedebat super petram, ut soliditas fidei daret credentibus firmitatem.* Etenim Angelus ille testimonium perhibiturus erat articulo cuidam juxta naturæ principia adeo difficulter credibili, nimirum quod Christus à semetipso resurrexisset à mortuis, ideoque optime noverat quod tametsi Angelus quidam esset, vix tamen verba sua fidei locum habitura fuissent, nisi adhæsissent petræ, id est, Gal. 1. nisi ex loco illo haud secus ac è Petri cathedra in lapide illo, cui Angelus insidebat, figurata, locutus fuisset; nec mirum, quia ut Gentium Doctor monet: *Licèt Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; soli enim Petro reservata est indubitatam fidei veritatem annuntiandi prærogativa & authoritas: *Ponebat Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Eccle-* Ps. 39. 33. *siam meam.* A multis retro sæculis à Psalmista scriptum fuit: *Et statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Zacharias in cantico suo Christum eo fine venisse 3. Reg. 18. dicit, ut in viam salutis gressus nostros dirigat, utpote qui 21. Luc. 1. claudi eramus: *Usquequo claudicatis in duas partes*, in- 79. quit Elias, de idololatria loquens; ac proindè *illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigen-* Ps. 103. 18. *dos pedes nostros in viam pacis*: ecce quonam modo Deus nobiscum operatus sit: *Statuit supra petram pedes nostros*; cui simile est quod alibi scribitur, quòd *petra refugium sit herinaciis.* Quando igitur de peccatorum remorsibus intra nos sentimus puncturas, ad hanc petram recurrendum est, Petrus nostrum debet esse refugium, ipse namque solus ab illis nos absolvendi potestatem habet. Undè David ait: *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* Hugo quoque Cardinalis ait: *Dum homo multum an-* Ps. 60. 3. *xiatur in contritione, tunc assumit duram pœnitentiam, quæ per petram significatur.* Aut verò dicere etiam possumus, quod quando Petrus *flevit amare*, Deus illum ad sublimius Ecclesiæ culmen evexerit, nobisque illum reliquerit præclarum nos affligendi, nostraque peccata plangendi, ac denique severissimam quamque pœnitentiam agendi exemplum.

Mansi Promp.

S. Petrus notitiam Filii Dei mundo suggessit; indeque nonnullæ super verba Petri Christi divinitatem exprimentia considerationes instituuntur.

DISCURSUS SEXTUS.

Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Matth. 16. v. 16.

1 SUblimissimum gloriæ & meritorum Petri culmen, sine dubio in eo consistit, quod per æterni Patris revelationem, Filii sui divinitatem humano generi manifestarit. Undè S. Maximus Homil. 1. de hoc festo jure merito dicit: *Quis meritorum ejus gloriam, quamvis magnu æquiparare posset eloquio, à quo nobis admiranda divinitatis fides & cœpit & permanet? Quid tante gloriosius viru qui fidem secreti inscrutabilis loquendo edidit, vivendo edocuit, patiendo firmavit?* Filius quidem Dei hac nostra mortali carne indutus pro redemptione nostra in terram descenderat: *In similitudinem hominum factus,* Phil. 2. 17. *& habitu inventus ut homo*; nec tamen unquam se Filium Dei esse apertè manifestaverat, sed semetipsum filium hominis esse dicebat; adeo ut à vulgo passim filius Josephi esse crederetur; undè die quadam instanter eum rogabant dicentes: *Si tu es Christus, dic nobis* Joa. 10. 24. *palam.* Ex altera vero parte consecutio vitæ æternæ à Dei Filiique ejus agnitione & notitia unicè dependebat: *Hæc est vita æterna, ut cognuscant te, & quem misisti Je-* Joan. 17. 3. *sum Christum.* Quis autem aliter inter omnes tam clara atque perfecta Dei cognitione præditus fuit, ut hanc notitiam toti mundo publicaret, nisi solus Petrus? Alii omnes hallucinabantur Filium Dei, vel Baptistam, aut vero Jeremiam, vel Eliam, aut alium quendam ex Prophetis esse asserendo. Unicus duntaxat Petrus ex divina & infallibili revelatione magnam hanc protestationem fecit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Undè S. Ful- Lib. 3. ad gentius ait: *Nec hoc prætereundum existimo, quod Chri-* Transimundum *sto primum se Filium hominis nuncupanti Petrus dicit; Tu* Reg. c. 5. *es Christus Filius Dei vivi.* Porrò justum & æquum erat, ut ex quo Christus ex humilitatis instinctu filium se hominis appellabat, atque pro nostra salute atque utilitate homo factus fuerat, nos ipsum tanquam verum Dei Filium recognoscentes adoremus: *Num Filius Dei humanitate suscepta debuit in se sacramentum magnæ pietatis ostendere, homo verò redemptus debuit in filio hominis veram divinæ nativitatis substantiam prædicare, ut dum à Redemptore beneficium gratuitæ miserationis ostenditur, à redempto divinæ confessionis obsequium redderetur?* Hæc à Petro facta confessio, necnon quam mundo de filiatione divina Christi manifestavit notitia, ea valdè excellens erat, quod eadem ei cœlitus revelata esset, S. Epi- In Anch. phanius acutè considerat, quod S. Joanni illa ab eo conscripta mysteriis referta Apocalypsis à Christo revelata fuerit, ejusdem vero Christi divinitas Petro manifestata fuerit à Patre æterno: *Joannes cum à Filio didicisset Apocalypsim seu revelationem suam scripsit; Petrus verò à Patre instructus est certitudinem fidei fundaturus.* Cùm enim fides Petri per omnia futura sæcula in Christianismum transfundenda esset, justum erat ut hæc certitudinem & infallibilitatem suam ab æterno Patre acciperet, qui non sine peculiari mysterio eandem à Petro circa filiationem divinam Christi factam confessionem, non solùm in Jordanis aquis, verum etiam in monte Thabor ratificare & confirmare voluit, dicens utrobique, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Sanctus Thomas dicit, quod quando Salvator noster In Matth. Petro dixit: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est*; sensus illorum verborum hic fuerit: *Hoc non habes ex naturali industria, sed ex Patre meo; nemo cognovit Filium nisi Pater, illius enim est manifestare, cujus est & cognoscere; unde nemo novit, nisi Pater voluerit revelare*; ac proindè Albertus Magnus In c. 9. Lu. scribit: *Hæc est confessio, quam non decepta hominum opinio genuit, sed Pater de cœlis Deus, qui suum Filium mundo ostendit, per seipsum revelavit.* Sancti Petri opera in hunc effectum utendo. S. Maximus in alia quadam Homilia, quæ est secunda de hoc festo, notat, quod agnitionis illius, quam magnus hic Apostolus quoad Messiæ divinitatem se habere demonstravit,

excellentia variis ex capitibus magnoperè augeatur; dicit enim: *Quid insignius Petro, qui in carne positus mensuram carnis egressus, Christum Jesum vivi Dei Filium verum confitetur & quod omnium mortalium adhuc pectus latebat, prima Petri lingua novo est sermone confessa.* Verùm enimvero ut S. Petri in facta hac confessione relucens sapientia tanto amplius se prodat, operæ pretium erit ut omnia & singula verba, quæ velut cœleste quoddam oraculum protulit, accuratè ponderentur. Et quidem S. Bo-
In c. 9. Lu. naventura benè observat, quod tametsi omnes Apostoli interrogati fuerint: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* solus tamen Petrus responderit: *Unus pro omnibus respondet, ut commendetur unitas Ecclesiæ in fide, confessione, & prælatione; unde Petrus tanquam unus Prælatus universalis Ecclesiæ unus pro omnibus respondet, idque ex mero instinctu divino: Non ex impetu, sed Spiritu sancto invitatus prior respondet Petrus.* In primis igitur ad primam dictionem scilicet *Tu*, nos reflectamus. Albertus Magnus ait: *De persona dicit, tu, discretionem notans*
In Mat. 16. *& articulationem.* Dictio hæc *Tu*, pronomen quoddam est secundam personam significans, id est, Filium Dei, qui est sacrosanctæ Triados secunda persona; quemad-
Psal. 2. 7. modum pronomen, *ego*, attribuitur Patri: *Ego sum qui sum; Ego hodie genui te, Filius meus es tu*; ac denique Spiritui sancto pronomen hoc, *ille*, appropriatur: *Ille vos docebit omnia, & suggeret quæcunque dixero vobis.* Secun-
Joa. 14. 16. dum verbum à Petro prolatum, est *es*, cui idem Albertus Magnus superaddit: *Qui verè es*, juxta illud Exodi c. 3. *Qui est, misit me ad vos.* Tertium verbum est, *Christus*, de quo Albertus Magnus ita scribit: *Christus humanam naturam significat penetratam divina quasi unctione.* Dicit autem S. Bonaventura: *In nomine Christi, & divinitatis, & incarnationis est expressio, & fides passionis; Christus enim exprimit personam unam in duabus naturis: & dignitatem regiam & sacerdotalem, & gratiæ plenitudinem propter unctionis prærogativam, de quo in Psalmo: Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ; unde in nomine Christi intelligitur unctus, ungens, & quo ungitur, ac per hoc simul Pater, Verbum, & Spiritus; secundum illud Isaiæ: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me.* S. Thomas Doctor Angelicus suas quoque super verbo isto observationes habet; etenim super Matthæum ita scribit: *In hoc perfecta fides tangitur, quia tangitur fides humanitatis, tu es Christus, id est, unctus, & constat quod unctus est oleo Spiritus sancti; unctio non convenit ei secundum divinitatem, quia ab ipsa procedit, sed secundum humanitatem. Hoc ergo dicit, ut humanitatem Christi aliter æstiment, quam turba, usque ad divinitatem transcendit dicens: Tu es Christus Filius Dei.* Notandum est insuper, quod non solum dixerit *Tu es Filius Dei*; sed adjunxerit: *Filius Dei vivi*: quia tametsi Deum veræ vitæ fontem esse posse nemo nesciat, tamen ideo adjungere voluit: *Ad excludendum errorem gentilium, qui quosdam homines mortuos dicebant Deos, ut Jovem, &c. sed sciendum quod cum dicitur Deus vivus, & homo vivus de homine dicitur per participationem vitæ, sed de Deo dicitur, quia fons vitæ, Psal. 35. Apud te est fons vitæ.* Enimvero memorandum quod scribitur Matthæi cap. 14. videlicet quod priusquam S. Petrus hanc sæpedictam fidei confessionem faceret, jàm dudum antè, nimirum postquam Salvatorem nostrum aquis inambulantem vidissent, Petro quoque præmissis verbis illis: *Jube me ad te venire super aquas*, liquidum illud elementum sub pedibus consolidari animadvertissent, stupefactum Apostolorum collegium Christum adorarit, eique dixerit: *Vere Filius Dei es*; quæ verba haud irrationabilem ministrant occasionem dubitandi de eo, quod hactenus diximus, nimirum veritati satis conforme non esse quod Petrus primus fuerit, qui Christum Filium Dei esse cognovit, aliisque manifestavit. Veruntamen Chrysostomus omne dubium
Hom. 55. in N. t. resolvit, dum ait: *Quamvis verè dixerint, beatificati à Deo non sunt*; increata enim & incarnata Dei Sapientia soli Petro dixit: *Beatus es*, postquam ipsum Filium Dei esse proclamavit: *Non enim ita ut Petrus, sed unum ex multis verò filium æstimabant, præcipuum, quidem, magisque dilectum, non tamen ex Patris substantia natum*: undè quia, ut inquit Chrysostomus, unicuique notus erat, ardentissimus ille amor, quo Petrus magistrum suum prosequebatur, idenne fortasse aliquis crederet, ea quæ in illa fidei confessione dixerat, ex aliqua affectus teneritudine & vehementia dicta fuisse, protinus subjunxit: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* S. Th. inquit: *In Christo erat caro, & sanguis, & divinitas; ideo quia Petrus non respexit ad carnem & sanguinem, ei dicitur: Beatus es, quia non judicas secundum quod caro & sanguis revelat, sed secundum quod Pater meus.* Verùm, inquies, quid opus erat, Petrum filium Jonæ appellari: *Simon Barjona*? Notandum est igitur, quod Barjona idem sit quod *filius columbæ*; & proindè iden hoc nomine appellatur, ut significetur, quod tunc, cùm hæc diceret, habuerit assistentiam columbæ, id est, Spiritus sancti; aut vero, prouti Chrysostomus ponderat, Christus Patrem Petri nominare voluit, sicut Petrus patrem quoque suum nominaverat: *Patrem meum prædicasti, ego etiam illum nomino qui te genuit, ac si diceret; quemadmodum tu Jonæ filius es, sic ego Patris mei Filius sum*; neque enim patrem Petri nominaturus fuisset, nisi in hoc aliquod latuisset mysterium: *Verum quia ille dixit, tu es Filius Dei, ut sic se esse Filium Dei ostendat, sicut ille Jonæ filius, ejusdem videlicet substantiæ cum Patre, idcirco illud adjecit.*

2 Immortales igitur Petro à nobis reddendæ sunt gratiæ, quod talem ac tantam nobis communicaverit notitiam, incarnationis nimirum & divinitatis Filii Dei. Quis unquam intellectus sui obtutum in hunc solem, in lucem illam incomprehensibilem & increatam figere potuisset: *Nisi ab ore Petri* (inquit S. Maximus) *salutaris hujus fidei veritas radiasset? A quo nobis adorandæ divinitatis fides & cœpit & permanet.* Num forte aliquando ad id reflexistis, quod scilicet in una Epistolarum suarum Romam Babyloniæ titulo cognominarit? *Salutat vos Ecclesia, quæ est in una Babylone collecta.* Scitis cur hoc nomen huic urbi 1. Pet. 5. 3.
imposuerit? *Hic dissolvendæ erant* (inquit S. Leo) *terrenæ* De Nat.
sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic Ap. Pet. &
omnis sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima Paul.
superstitione habebatur collectum, quicquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Eo ipso verò quo Petrus Romæ idololatriam destruebat, hanc Babyloniam in veram quandam transmutando Hiemtolymam veramque huic civitati impertiendo veri Dei notitiam, eandem pariter in totum hoc universum transfundebat; siquidem *quæ uspiam gentes ignorarent, quod Roma didicisset?* Dionysius Carthusianus in quodam sermone de hodierno festo ait: Serm. 2.
Innumerabiles ex variis mundi partibus ad Christum conversi confluebant ad Romam, ut principem Apostolorum, & totius Ecclesiæ viderent summum Pontificem, pleniusque instruerentur ab ipso; adeoque tota messis, quam alii Apostoli alibi colligebant, suam à Petro consistentiam & stabilimentum nanciscebatur, quicquid Deus operatus est à tempore jacti primi lapidis loco fundamenti sublimis ædificii Ecclesiæ suæ, & quicquid in finem usque sæculorum operaturus est, hoc totum Petro in acceptis referendum est, qui etiamnum adhuc in suis successoribus operatur, nam ut S. Leo ait: *Vivit adhuc in successoribus Petrus.* S. Petrus Episcopus Ravennatum in Epist. ad Eutych. ait: *Hortamur te frater, ut his quæ a Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Deus post trecenms annos, quibus navicula Petri in continuis persecutionum procellis fluctuavit, tandem Magnum Constantinum ad fidem perducendo ad felicem portum perducere volens, pro ejusdem instructione utique potuisset nuntium aliquem cœlestem è cœlo expedire; aut verò poterat id per semetipsum facere, vel alio aliquo mediante, non verò sine mysterio Petrum & Paulum ad eum destinavit; siquidem *Petrus Apostolus & Paulus ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* S. Petrus mundum in vera fide illuminaturus S. Paulum hic Romæ collegam & socium habere voluit, ut veritatis Evangelicæ lucem universo mundo conjunctim manifestarent, utpotè in tot errorum tenebris pmfundissimè sepulto.

De clavibus S. Petro consignatis, & specialiter de clavibus jurisdictionis, & scientiæ tractatur prolixius.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Tibi dabo claves regni cœlorum. Matth. cap. 16.

1 UNum ex illis privilegiis, quibus tanquam specialioribus Sanctus Petrus omnes alios transcendit

dit est, quod ei datæ sint claves regni cœlorum, atque ideo ab Ecclesia communiter veluti claviger depictus repræsentatur. *Diligenter attendite* (inquit Sanctus

Hom. 2. de Nat. Ap. Maximus) *quæ sit ejus gloria magnitudo, cui dum claves regni cœlorum committuntur æterni, cœlum illi claudere & aperire permissum est.* Porrò clavium officium, prouti experientia nos edocet, est, aperire & claudere domus vel cujuscunque armarii fores & ostia, hacque ratione unicuique ad hunc vel illum locum aditum pandere aut præcludere; ac proinde eo ipso quo Salvator noster cœli claves S. Petro donavit, simul ei absolutam omnes, quos dignos vel indignos judicaverit, ad æternam beatitudinem admittendi aut rejiciendi potestatem delegavit. Quonam autem modo hisce clavibus ad paradisum claudendum vel aperiendum usus fuerit, ab illo, qui easdem velut successor ejus administravit, audiamus. Ait igitur Innocentius III. *Uni Petro duas claves commisis propter illam excellentissimam fidem,*

Ser. 3. in Fest. Ap. Petri. *quæ in uno Christo duas naturas veraciter recognovit; Petrus ergo per claves acceptas & claudit & aperit, claudit cum ligat, aperit cum absolvit.* Sanctus Thomas in hujus textus interpretatione verba hæc in alio sensu exponit, dum ait? *Christus vicarium suum Petrum instituit, ut introduceret in cœlum*; ipsum namque cœli portarium effecit, atque ad dandum omnibus animabus electis ad æternam beatitudinem aditum deputavit: *Illud ministerium dedit, unde claves dedit; clavis enim introducit unde Petrus habet ministerium introducendi.* Quicquid Petrus tanquam Vicarius Christi, & Ecclesiæ caput operatur, hoc totum ad animarum salutem dirigitur & ordinatur, ut easdem ad cœlestem semitam perducat. Alii autem sacri expositores alia in hisce clavibus observant mysteria, quæ cuncta in Sancti hujus majorem gloriam efficaciter cedunt.

2 Innocentius III. dicit: *Prima clavis intelligitur scientia discernendi & dijudicandi*; id quod etiam Ra-

In Caten. D. Th. banus docet, dum ait: *Claves regni cœlorum ipsam discretionem & potentiam nominat; potentiam, qua liget & solvat; discretionem, qua indignos ab indignis excludere debet à regno:* adeoque Christus Petro & successivè omnibus successoribus scientiam ad discernendum illos, qui cœlo digni aut indigni sunt; verùm etiam eos, qui digni aut indigni sunt, communicatione & participatione Ecclesiæ suæ hic in terris, & simul cum hoc discernendi & judicandi dono facultatem quoque ei dedit & potestatem eos repellendi, arcendi, viamque illis præscindendi, tam ad militantem, quàm ad triumphantem Ecclesiam. *Secunda clavis intelligitur potentia ligandi & absolvendi*, inquit idem Innocentius. Sanctus autem insuper clavis ethymologiam considerat, ad hoc se reflectendo, quod quando quis in domum clausam intrare nequit, clavis sit unicum instrumentum, quo impedimentum istud è medio tolli possit.

Apoc. 4. Porrò cœlorum regnum obstaculum istud non ex sua parte habebat, quia ut S. Joannes testatur: *Vidi, & ecce ostium apertum*; sed ex parte nostra impedimentum erat, peccatum videlicet; siquidem *nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum*; Christus autem morte & passione sua mediante impedimentum istud submovit: *Quia lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo; & hanc communicavit, ut per ministerium peccata tollerentur, quod expletur per virtutem sanguinis Christi; unde Sacramenta virtutem habent a virtute passionis Christi.* Quibus verbis vult dicere, quod Petro distributionem & applicationem meritorum mortis & sanguinis sui dederit, ut Sacramentis mediantibus animas nostras expiaret, mundaretque à peccatis, sicque purificatas introduceret in gloriam. In cujus confirmationem acutè observat, Christum non dixisse in tempore præsenti: *Tibi do claves*; sed *dabo*, in tempore scilicet futuro. *Nondum enim erant fabricata, erant enim fabricanda in passione*; post mortem namque & resurrectionem suam Petro, & dependenter ab ipso omnibus successoribus suis hanc clavem dedit, id est, peccata remittendi potestatem. In libro Job scribitur: *Si habes brachium sicut Deus, & similis voce tonas.* Etenim singularissimum fuit hoc privilegium, quod scilicet potestas Dei alicujus vivi & veri, homini collata fuerit; quia *quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Et tamen hoc non obstan-

Ioan 4. 4. te, quando Petrus & cum ejus licentia omnes alii ministri sacri ad hoc ministerium deputati brachium suum in absolutione sacramentali extendunt & elevant, omnia illa peccata remittunt & condonant, quæ illis ut absolvantur bonum videtur & placet, & non plura, ipsique soli ab illo Deo dictum est, quia *omnia quacunque voluit fecit. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis; quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis.* Et quidem hæc est ratio, cur Ecclesia Catenarum ejus per officium particulare solemne festum celebret; cum tamen hunc honorem aliorum Sanctorum vinculis nequaquam deferat, ne quidem catenis, quibus vinctus fuit S. Paulus Apostolus, licèt hæ ab ore Chrysostomi aureo tantopere celebrentur; fueritque per divinam utique dispositionem, minimeque errantem providentiam, sumptuosissimum quoddam templum in vinculorum ejus honorem hic Romæ erectum, nimirum ad denotandam specialissimam hanc ei præ omnibus aliis concessam alienarum culparum catenas uno verbo rumpendi prærogativam: *Solve terrarum Petre catenas, qui facis ut pateant cœlestia regna beatis.* Quot Matt. 27. 4.

sunt qui beatum illud regnum per peccata sua quotidie amittunt? ad quem vero, ut ab hoc æterno exilio remittantur, suum habent refugium, præterquam ad Petrum? quando traditor ille venditionis magistri sui pœnitens, acceptos à sacerdotibus 30. denarios iisdem retulit, suum confessus delictum dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum*; hoc ab illis responsum accepit: *Quid ad nos, tu videris*; quasi dicere vellent: nobis peccata remittendi authoritas concessa non est; siquidem soli Petro & non aliis hæc potestas reservata fuit.

3. Alia quædam clavis, qua mediante regnum beatitudinis æternæ nobis aperitur, sunt Sacramenta, quæ Christus Salvator noster in Petri manus pariter depo- Tom. 4. p. 3. tr. 4.

suit. Undè Salmeron ait; *Similiter etiam per Sacramenta ingredimur in Christum, quorum legitimum usum & ministerium Petro tradidit, & per eum omnibus aliis Episcopis & sacerdotibus; dixit in plurali claves, quia duplex est Ecclesiæ potestas: altera ordinis, quæ confertur per aliquam certam conservationem ad conficienda & ministranda Ecclesiæ Sacramenta*, adeoque omnes fideles a principio nascentis Ecclesiæ ad finem usque mundi participationem Sacramentorum, quæ recipiunt, Sancto Petro in acceptis referre debent, utpotè quæ ab hac clave suis duntaxat manibus commissa suum habent esse & subsistentiam; *altera est jurisdictionis, ad moderandos & regendos populos Christianos; prima potestas super corpus Christi verum, secunda super corpus Christi mysticum.* Hæc Ser. 1. de fest. SS. Petri &c.

autem potestas adeo est efficax & valida, ut de illa Sanctus Bernardus memorabilem hanc post se scriptam reliquerit sententiam: *Claves regni tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam Cœli.* Id quod Sanctus Petrus Damianus quo- Serm. de S. Pet.

que asseruit dum ait: *Judicat Petrus, & Petri judicia confirmat Omnipotens, & est in manu Petri manus Altissimi.* Estque hoc adeo verum, ut Sanctus Ma- Hom. 3 de nat. Ap. Petrus & Paull.

ximus cum admiratione scribat. *Cujus tanta à Deo est approbata justitia, tantaque ei potestas attributa est judicandi; ut in arbitrio ejus poneretur cœleste judicium.* Idem Petrus Damianus defixo in omnes Angelorum Hierarchias obtutu, vidit easdem summo cum stupore & extasi admirantes supremam hanc potestatem pauperi cuidam piscatori delegatam. Dicit enim: *Licet assistant Angeli præsidentis imperium expectantes, & administratorii spiritus assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi atque solvendi possidet potestatem. Adest Petrus, & ad ejus arbitrium orbis universitas solvitur & ligatur, & præcedit Petri sententia, sententiam Redemptoris, quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso idipsum attestante; quodcunque, inquit, ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Origenes à sancto Thoma in catena sua citatus, circa hanc Petri jurisdictionem similem quandam ponderationem instituit, dum ait: *Vide autem quantam potestatem habet petra, super quam ædificatur Ecclesia ejus, ut etiam judicia maneant firma, quasi Deo judicante per eam*; vult nimirum dicere, quod Petrus specialem habeat Spiritus sancti assistentiam, qui in judicio sententiam profert convenientem & justam, eique Pater æternus potentia sua specialiter assistit, efficitque ut timeatur, & æstimetur. Sanctus Maximus hac de re gravissimis verbis ita loquitur: *Clavis cœli lingua est Petri quia singulorum merita* Hom. 1. de nat. Apost.

censendo Apostolus unicuique regnum cœlorum aut claudit, aut aperit, non est ergo clavis ista mortalis artificis aptata manu, sed data à Christo potestas est judicandi.

4 *Tibi dabo claves.* Quæ verba etiam de clave scientiæ intelligi possunt, ad quam verba illa sancti Lucæ alludunt. *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem* Luc. 11. 52 *scientiæ, ipsi non introistis.* Paulus de Palatio in cap. 16. S. Matthæi ita scribit: *Clavis una est Cathedra, magisterium, & docendi authoritas; cum Dominus dat claves Petro, dat cathedram docendi, dat & imperium gubernandi in Ecclesia;* Neque enim ei duntaxat contulit ordinis potestatem, id est, authoritatem consecrandi & ordinandi sacerdotes, conficiendi & ministrandi sacramenta, peccata remittendi, fulminandi censuras, promulgandi leges, Canones, Decreta, Bullas, Concilia, prohibendi, castigandi & corrigendi; verum etiam dedit simul potestatem definiendi, declarandi & decidendi omnes difficultates & dubia fidem Catholicam, Apostolicam, Romanam concernentia; ac proinde idem Author prosequitur, dicendo: *Igitur omnes difficultates definire ad eum spectat, admittere ministros in Ecclesiam, item norma ministerii divini, altaris, Sacramentorum.* Habent autem hæ tantam, quantam Ecclesia ipsa habet imperii latitudinem: *Si enim Petro datur cathedra, ergo ipse definiet, si Petrus habet Ecclesiasticum imperium; ejus mandatis parendum erit.* Audiamus quidnam Eminentiss. Cardinalis Baronius de Pontificia Petri cathedra scribat: *Ipsa prima pontificia sedes Petri, cathedra lignea, dignum planè tantæ rei* An. 45. n. 24 *eximiumque monumentum quamplurimis semper miraculis illustrata, à majoribus asservata in ejusdem Petri Basilica Vaticana recondita hactenus custoditur.* Notandum est vero, quod ipsam in Vaticano custodiri voluerit, idque non sine mysterio, siquidem ad hunc locum quondam gentiles ab omnibus mundi partibus fluebant, ad requirenda Deorum suorum vaticinia & falsa oracula, ibi igitur cathedram Petri collocari voluit, ut esset infallibile cœli oraculum, toti Reipublicæ Christianæ Leges sanciens, æternasque nos edocens veritates.

An. 36. nu. 35. Idemmet proinde Baronius ita scribit: *Non possum hic non mirari magnopere divinum consilium, quod sic præ ceteris Apostolis Petrum Apostolorum principem missum esse in Samariam certum est, ut primum omnium hæresiarcham in ipso ortus sui principio condemnaret; sicque Petri partes esse ostenderetur (ut præcipui veritatis custodis) adversus Catholicam fidem insurgentes hæreticos, eorumque hæreses Apostolica authoritate condemnare.* Hæc clavis indubitatæ & veridicæ scientiæ ipsi soli data fuit, L. 3 sign. 5. ut bene probat *de signis Ecclesiæ Dei* Thomas Bozius de eatione 7. hoc puncto *Fides ex auditu* tractans, ita de eo scribit: *Quem Deus elegit, ut per os ejus gentes audirent verbum Evangelii & crederent, idque teste Cypriano. Divina erat institutionis, & Ecclesiasticæ traditionis, propter quam scribit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, do-* In 1. ad Timoth. L. de div. Nom. cap. 3. *ctrinam suam Paulus contulit cum Petro.* Atque ideo fit, quod Petro in ordinem ad hanc clavem gloriosissima attribuantur encomia. Chrysostomus eum appellat *Totius orbis magistrum.* Dionysius Areopagita: *Supremum* Hom. 4. in Act. *decus, & antiquissimum Theologorum culmen,* Chrysostomus etiam alibi de eo dicit: *Doctrina sua instituit omnes,* Ser. de SS. Appet. & Paul. *ipse præcipuus Catechista habetur, & primus extitit verbi concionator.* S. Petrus Damianus, *sublimis illa sermonum doctrina,* de Epistolis ejus loquitur. *Nunquid non mirabiliter pascit Ecclesiam Dei?* Bonifacius I. Archiepiscopus Moguntinus & Germaniæ Apostolus, qui tandem martyrio vitam suam finiit, tanti Epistolas ejus æstimavit, ut referente Cornelio à lapide, in earundem præmium & honorem, eas literis aureis transcribi præceperit.

5 *Claves Regni Cœlorum.* Porrò Petrus clavium cœlestium se moderatorem constitutum esse, in ipsiusmet Romani Imperatoris, & totius Romæ, & consequenter totius mundi conspectu optimè demonstravit; nam Hom. 5. de nat. Ap. ut sanctus Maximus advertit: *Dum Simon se Christum diceret, & tanquam filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem, prior enim ascendit ad Dominum oratio quam volatus;* Neque enim volare poterat in cœlum, quia Petrus qui claves cœli habebat, ei præcluserat aditum; unde potestatibus illis aeris atque rebellibus, ut eum in sterquilinium quoddam præcipitem agerent, præcipiens effecit, ut miserabiliter in terram dilapsus crura ejus minutim confracta fuerint, sicque clausum inveniens cœlum in inferni præcipitatus est barathrum.

6 *Claves Regni Cœlorum.* Eusebius Emissenus interrogat quonam modo sanctus Paulus in cœlum aditum Hom. de nat. Ap. habuere potuerit, quando claves illius Petro, non vero ipsi fuere consignatæ? & respondet: *Agnoscamus veras cœlorum claves meritorum esse virtutes;* prius igitur S. Petrus eximia possedit merita virtutum; unde idemmet Eusebius pro nostra consolatione concludit: *Quantum autem arbitror, omnes in nobis habere possumus claves Regni cœlorum, & quidem duplicem vim gerentes, duplicem habentes effectum fides, humilitas, patientia, castitas quasi bonæ claves aperiunt Dei portam.*

De Fide S. Petri, ejusque stabilitate.

DISCURSUS OCTAVUS.

Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.
Lucæ cap. 22. v. 32.

1 UNa ex præcipuis quas in sancto Petro admirari debemus, virtutibus, est fides ejus, in magna illa, quam de Christi Divinitate fecit, confessione manifestata. Unde Innocentius III. ait: *Hæc vera fides* Serm. 1. in Fest. S. Ap. *& sancta non de figmento processit humano, sed de revelatione divina.* Angelicus Doctor etiam ait: *In hoc perfecta fides tangitur,* de qua in Discursu 6. prolixius egimus. Quodnam vero in eo latet mysterium, quod Christus, quando Petro ipsum notitiam hanc Divinitatis non per scientiam humanam, sed per æterni Patris revelationem accepisse, dixit, ipsum denominarit *Bar Jona,* quod idem est, ac *Filius Columbæ.* Sanctus Thomas ait; *Dicit eum filium columbæ, scilicet sancti Spiritus, quia hæc confessio non potuit fieri, nisi à Spiritu sancto.* Antea Simon vocabatur, postea vero Salvator noster hoc ei nomen in Petri nomen communicavit. *Tu vocaberis Cephas, quod est Petrus.* Hugo In c. 6. Jo. Cardinalis ait: *Petrus interpretatur agnoscens, & significat fidem.* Super hac autem cœlitus ei revelata fide fundata est Dei Ecclesia: *Super hanc fidem* (inquit Innocentius III.) *Ecclesia est in petra fundata, propter quod Dominus addidit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* adeoque omnes quotquot fidem profitentur Christianam, eandem se Petro debere in acceptis referre, agnoscere debent: ac proinde sapientissimus Magister noster Christus, postquam se pro fidei suæ stabilitate & perpetuitate Patrem rogasse dixisset, protinus subjungit. *Confirma fratres tuos;* circa quæ verba Theophylactus ait: *Intellexerit autem quis non solum de Apostolis dictum, quod confirmati fuerint à Petro, sed de omnibus, qui usque ad consummationem sæculi futuri sunt, fidelibus.* Nescio an hactenus aliquando adverteritis, quod Deus noster, cui in veritate dici potest: *Omnia in sapientia fecisti.* Petri fidem singulariter specificaverit & expresserit absque ulla aliorum Apostolorum facta mentione; *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua;* Cujus hoc, ni fallor, esse potest mysterium, quia cæterorum Apostolorum fides à fide Petri dependebat, illa enim sola vera fides dici meretur, quæ à Petro in nos derivatur. Quis ita cæcutit, ut fidem in eo vivaciorem quam in omnibus aliis fuisse non videat, prouti in magna illa confessione satis Serm 6. in cœna Dom. probavit; *Tu es Christus filius Dei vivi.* Sanctus Bernardus de eo dicit; *Qui omnibus erat sanctitate præstantior, amore devotior fide robustior.* Sanctus Lucas refert Salvatorem nostrum ad Petrum conversum dixisse: *Simon, Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribaret* Serm. 2. de nat. Ap. *sicut triticum, ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* S. Leo hic interrogat, cur ex eo quod Sathanas omnes cribare voluit Apostolos, Christo se pro fidei unius Petri, non vero aliorum orasse dicat: *Diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro Petri fide propriè supplicatur;* moxque insigni cum fundamento respondet: *In Petro omnium fortitudo munitur & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum*

stum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Fides quidem omnium aliorum deficere poterit, nunquam verò Petri fides patietur deliquium, adeo etiam, ut Lib. 1. de Ro. Pont. quemadmodum Cardinalis Bellarminus optimè probat, nunquam acciderit, quod verus aliquis Pontifex Romanus, Petri successor verus & legitimus, hæresi aliqua manifestè contaminatus, vel in quemcunque In cap. 4. Matt. errorem ejusdem fidei integritatem concernentem prolapsus fuerit. Paulus de Palatio conceptum quendam proposito nostro optimè inservientem ex textu illo Matthæi deducit: in quo Evangelista primo de duobus fratribus Petro & Andrea dicit, quod retia in mare miserint, *Mittentes rectè in mare*; & paulo post de duobus aliis fratribus Jacobo & Joanne asserat quot retia resecerint; *Reficientes retia sua*; Quoniam isthæc differentia tendit? inquit hic author: *Arbitrer authoritatem prædicandi, & doctrinam sanam docendi in Petro residere, cujus quia fides non deficiet, ideo non habet quod reficiat, sed habet, quod mittat; porrò quia in aliis fides rumpi potest, in aliis morum doctrina piscium magnorum impetu nonnunquam laceratur, ideo Joannes & Jacobus (qui vicem minorum Prælatorum gerunt) reficere dicuntur retia.*

a *Porta inferi non prævalebunt adversus eam*, quasi diceret, inutiles erunt omnes infernales machinæ, quotquot adversus Ecclesiam, hujusque sedis suæ fidem ex- In c. Matt. 16. solventur. Unde S. Cyrillus ait: *Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaque circumventione manet immaculata, super omnes præpositos & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum & populorum in suis Pontificibus, in fide plenissima & authoritate Petri, & cum aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ, stabilita inquassibiliter ipsa regnat, silentium imponens, & omnia obturans ora hæreticorum*. Quot sunt in Africa, Asia, & Europa Ecclesiæ, in quibus omnes ferè sæculo aliquæ exortæ sunt hæresum & errorum Religioni nostræ perniciosissimorum urticæ & vepres, rametsi in eisdem olim à principio ab Apostolis vera plantata fuerit fides: Id quod de fide Ecclesiæ Romanæ individuæ sponsæ Petri suorumque legitimorum successorum dici nequaquam potest. Quot fuerunt procellosæ tempestates, quæ quassarunt quidem, at nunquam submerserunt hanc Petri L. 3. Dial. naviculam? S. Gregorius ait: *Sunt etiam portæ inferi quædam potestates hujus mundi: Quid enim Nero, quid Diocletianus, quid denique iste, qui hoc tempore Ecclesiam persequitur; nunquid non omnes istæ portæ inferi!* Cur au- In cap. 16. Matt. tem prædicti hujusce fidei inimici portarum nomine appellantur? Paulus de Palatio ait; *Memento in portis urbis fuisse Judices, consilia, & totam urbis authoritatem; in portis sunt arma & tormenta bellica; itaque in portis erat authoritas & potentia urbis: Cum ergo infernus sit veluti civitas, cujus Rex est Lucifer; per portas urbis intellige consilium, authoritatem, potentiam Dæmonum, hæc non prævaluerunt contra Ecclesiam*: Porrò ex illis Christi præmissis hæc deducitur consequentia; scilicet *nullam errorem posse totam Ecclesiam maculare; nunquam erit tota in peccato mortali; nunquam deerit pugna inferni cum Ecclesia; nunquam Petrus carebit Ecclesia, siquidem totus infernus non prævalebit contra Ecclesiam in Petro fundatam*. San- In Matth. ctus Hilarius qui hujusce fidei acerrimus defensor extitit hanc ab æterna Veritate Petro factam promissionem considerans, continere se non potuit, quin exclamaret dicens: *O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferni leges & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolveret!* Hugo Cardinalis ad explicationem verborum illorum, quibus in actibus Apostolicis liberatio Petri è carcere Herodis Angelo mediante facta refertur, nimirum: Act. 12. 10. *Venerunt ad portam ferream*, perveniens, dicit: *Ferrea ostia Petro cedunt, custodi aulæ cælestis, qui Ecclesiæ tenens cacumen infernum superat*; Quot non fuerunt ab inferno adversus hanc naviculam Apostolicam, à primis Ecclesiæ diebus usque huc suscitati implacabiles persecutores? sed *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Observastisne aliquando, quod Ecclesia tam hodierna die qua festiva Sancti Petri solemnitas celebratur, quam prima die Augusti vinculis S. Petri dedicata, illa utatur in Missæ officio Epistola, in qua de supradicto miraculo fit mentio? num fortè alia facta memorabiliora deerant, videlicet mortuorum resuscitationes, vel etiam infirmorum per solam umbram Petri factæ sanationes, vel alia similia, quæ in ejus honorem legi poterant aut decantari? certum est hujusmodi non defuisse; verumtamen Ecclesia è Spiritu sancto gubernata, nobis, ni fallor, demonstrare voluit, quantum DEUS Vicarium suum in omnibus angustiis & persecutionibus suis defenderit, inutiles reddendo omnes inimicorum suorum persecutiones, utpote qui ei promiserat, *Portæ inferi, &c.* An. 41. n. 3. Cardinalis Baronius, occasione hujus ab Herode factæ incarcerationis, ita scribit. *Magno sanè terræ motu Ecclesia Christi tum concuti visa est, dum ipsa petra in Ecclesiæ fundamento locata tanta agitatione quassari conspiceretur, hinc tum juges illæ Fidelium omnium (quod mirandum est) pro Petro ad Deum preces effusæ: nam etsi alios complures Apostolorum carceri mancipatos sæpè legamus: de nullo tamen ipsorum universam Dei Ecclesiam adeo solicitam fuisse reperimus, sicut de Petro, ut communi omnium parente atque Pastore*. DEUS igitur noster fidem promissionis suæ servare contendit, quia dixit. *Portæ inferi non prævalebunt*, inutiles reddendo sacrilegi illius Regis adversus Vicarium suum excogitatas persecutiones. Quam benè hac de re discurrit Chrysostomus, dum ait: Ho. 55. in Matt. *Deus concedere solus potest, ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, atque ut homo piscator quavis petra firmior reddatur universo terrarum orbe reluctante*. Fuit quondam nonnemo, qui pro corpore Emblematis scopulum assumpsit marinum, ad quem procellosæ illum infestantes undæ franguntur, cum hac subjecta Epigraphe: *Frangit, non frangitur*: Pulchrior ad explicandam fidei Petri soliditatem adduci vix potuit, quæ omnes superavit hactenus sibi illatas ærumnosas molestias, omnibusque persecutionum tempestatibus facta est superior, absque eo, quod navicula ejus vel minima sui parte hiscere aut rimas agere incipe- Serm. 47 ret. Ad hoc allusit sanctus Ambrosius, dum ait: *Petrus petra dicitur, eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat*. Vivacissima quoque ejus fides in eo præcipuè reluxit, quod videlicet operatus sit miracula superiora & excellentiora omnibus aliis à quocunque alio etiam ipsomet Christo patratis, qui in hoc Vicarium suum privilegiare voluit, prout videre licuit, quando per solam corporis sui umbram, ut jam sæpè diximus infirmos, quibus plateæ refertæ erant, sanavit; Quando à Christo petiit, dicens: *Jube me ad te venire super aquas*, ut Chrysostomus benè observat. Ho. 51. in Matt. *Non dixit, ora & deprecare Deum, ut venire possim sed jube ut veniam; vide quanta fides ipsius etiam tunc esset*. Alia quoque vice qua se in mare demisit, inquit idem Chrysostomus: *Non solum charitatem, sed & fidem etiam ostendis*. Unde S. Thomas scribit; *In omnibus locis ardentissimæ fidei invenitur Petrus, eodem igitur fidei amore, quo semper, nunc quoque tacentibus cæteris credit, se posse facere per voluntatem Magistri, quod non poterat per naturam*. Optimè Salmeron considerat sapientissi- To. 9. tr. 46 mum Magistrum nostrum Christum in ea occasione, qua dixit: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, replicata vice ipsum nominasse, bis enim illum nominavit dicens: *Simon, Simon, attentiorem eum reddit tum in se, tum in suis, quibus proficiendus erat, ad ea quæ dicturus erat, tanquam magni momenti, & ut intelligamus illum, quatenus Simon est, tentatum fuisse & cecidisse, non autem quatenus Petrus: Intelligamus etiam, non solum Petro, ut Papa est, hoc illi donum concessum indeficientis fidei: Verum etiam ut illi peculiari personæ, quia ipse primus Apostolicus lapis futurus erat, quem decebat esse talem, ut nulla ratione à recta fide posset deficere*. Ejus in negationem turpem lapsum infinita illa Sapientia ad majorem illius ordinavit gloriam, majusque Petri bonum, ut in tam sublimi dignitatis culmine positus semper maneret humilis; unde eodem tempore quo lapsum suum ei prædicit, constantem quoque ei in fide sua stabilitatem promittit. Unde Theophylactus ait: *Quamvis brevi tempore concutiendus sis, habes tamen recondita semina fidei, ut etiam si folia abjecerit spiritus invadentis, radix tamen vivet, & non deficiet fides tua.*

Defectus in S. Petro notatos in majorem ejus laudem & gloriam redundare ostenditur.

DISCURSUS NONUS.

Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. cap. 8. v. 28.

1 HUjus Apostolici axiomatis veritatem sanctus Paulus Apostolus in semetipso per experientiam comprobaverat; idemque in se adimpleri Sanctus Petrus quotidie videbat, quia tametsi ambo à Deo pro Ecclesiæ suæ stabilimento ad facinora adeo heroica patranda electi fuissent, per infinitam nihilominus sapientiam suam, quæ in prædestinatis cuncta ad bonum finem ordinat & dirigit, permisit, ut unus illorum electi gregis sui persecutor fieret, alter verò trina ipsum vice negaret. (L. l. de cor. & grat. c. 5.) Sanctus Augustinus assumpti thematis textum ita exponit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam peccata, nam ex casu humiliores, cautiores & ferventiores resurgunt*, cujus manifestum in Sancto Petro habemus exemplum, qui in Christi amore ferventissimus fuit, quemadmodum ex ter repetita Christi interrogatione, qua an eum plus aliis diligeret, quærebatur, liquido apparet; quando nimirum respondit: *Tu scis Domine*. Ex quo igitur indubitate verum est quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, videndum nobis igitur & examinandum in præsenti discursu erit, qualiter omne id quod Petro imputatur ad culpam, in majorem ipsius redundaverit laudem & gloriam. Sanctus Leo ad præsens propositum de Sancto Laurentio Martyre agens, cujus gloriæ lucem Tyrannus omni conatu nitebatur obfuscare, ita scribit: *Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii?* Ac proinde quænam poterit magno huic Apostolo Petro major laus attribui, quam si ostendamus, quod etiam ab eodem commissi errores & graves imperfectiones, ad sanctitatis suæ cooperatæ fuerint majus augumentum? penitius igitur veritatem hanc examinemus.

Matt. 16. 2 Sanctus Matthæus Salvatorem nostrum Petro dixisse scribit: *Vade post me Sathana, scandalum es mihi*. Sed inquies: quamnam Petrus causam dederat, ut hujusmodi responsum à Christo acciperet? nullam aliam quam hanc, Christus se à scribis, senioribus, & principibus Synagogæ crucifigendum esse Apostolis suis prædixerat; cum ecce de repente assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens; *absit à te Domine; non erit tibi hoc*; quibus verbis postquam de ignominiosa Domini sui morte audierat, se honoris, & vitæ magistri sui præ cunctis aliis zelantissimus esse probavit, quid enim mirum quod is qui paulo ante eum filium Dei (Ps. 90. 10.) esse confessus fuerat, illi Davidis oraculo firmissimam fidem adhiberet, quo dicitur: *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*? Hugo Cardinalis ait: *Dicitur hic Petrus Sathanas, quia adversatur Domino*, advertendum est autem motivum ejus fuisse virtuosum, *sed ex amore & zelo*; idque verum esse, vel ex eo liquet, quod Christus illum à se minimè repulerit, quin potius majori ipsum, quam unquam desiderare potuisset, promissione dignatus fuerit privilegio, nimirum eum suo tempore in morte sua imitandi; *Et nota quod non ideo repellitur Petrus*, inquit Hugo, *sed sequi jubetur*, id quod etiam post resurrectionem suam ei replicavit: *Tu me sequere*. Atque ideo nemo persuadere sibi debet Petrum in debito erga Christum respectu & reverentia quicquam defecisse, quia ut diximus, licet sacer textus dicat, quod *cœpit increpare illum*, ille tamen Deus, qui *scrutatur renes & corda*, verba Petri ab excessivo Magistri sui amore procedere probe cognovit. Unde (In Catena.) S. Hieronymus ait: *Error Apostolicus de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum mihi videbitur Diaboli*.

3 *Cooperantur in bonum*. Matthæi cap. 14. scribitur quod Petrus in navi Christum videns, aquas ingressus sit maris, ut ad Christum perveniret; cum vero inopinata in mari excitaretur tempestas, ipse pavore plenus exclamare cœpit: *Domine salvum me fac*, & quidem licet Salvator noster manum ei porrigeret dicendo: *Modicæ fidei quare dubitasti?* in hac tamen occasione, ut bene Sanctus Maximus observat, fidem ipsius egregie exercuit: *Sed quid illum tantopere dicimus trepidasse, cum trepidatio sua majorem profecit ad fidem? ut enim credidit Petrus imperio Domini sui posse se a fluctibus sustentari, ita nihilominus dum mergitur credidit ipsius Domini sui se virtute salvandum. Vere enim B. Petri dum trepidat mirabilis fides, quam nec perurgentis periculi potuit turbare formido, clamando enim dum mergitur, libera me Domine, de se diffisus est, non de Domino dubitavit*.

4 *Cooperantur in bonum*. Licet quando Petrus in monte Thabor à gloriosa Christi transfigurati visione raptus ait: *Bonum est nos hic esse*, sanctus quidem Evangelista idipsum dixisse referat; *Nesciens, quid diceret*, indubitatum tamen est, verba illa derivata fuisse ab excessu amoris, quo Christum potius in monte Thabor, quam in Calvariæ monte videre desiderabat, *videns quando Christi amore incendebatur*, (Hom. 7. in Matt.) inquit Chrysostomus; Etenim quod ibi tria erigi tabernacula desidrrarit, id fecit, de se minimè existens sollicitus, de se namque nec quicquam cogitabat, dicebat enim: *Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum*, quasi diceret, me quod attinet, toto tempore quo Christus moram hic trahet, omnibus cœli injuriis expositus, quarumlibet commoditatum contemptor nihil curabo. *Omnia cooperantur in bonum*. Prætetea facile nonnemini Petrus temerarius & Præsumptuosus fuisse, videri posset, dum se præ cunctis aliis Christum ad montem usque Calvariæ sequi posse confidit, dicens: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego* (Matt. 17. 4.) *nunquam scandalizabor; tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire; etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Veruntamen hæc præsumptio in excessivo fundabatur amore, quo magistrum suum ardentissimè prosequebatur. Unde Hugo Cardinalis ait: *Petrus in se considerat amorem & fervorem, sed* (In Luc. 22.) *non attendit propriam infirmitatem*; Adhæc quando in horto Gethsemani crudeles illos insultus, quibus innocentissimum agnellum ii qui ipsum ad macellum ducere decreverant, aggrediebantur, videbat, tametsi contra tot armatos milites ipse solus esset, tamen ferventissimo zelo & amore correptus, arrepto manu gladio eum, qui lictorum atque satellitum caput erat, aure truncavit; & quidem tametsi prius petierit à Domino: *Domine si percutimus in gladio?* ad hanc tamen propositam interrogationem nullum expectavit re- (In Joan. 18.) sponsum. *Quamvis* (inquit Albertus Magnus) *quæreret a Domino si percutiendum esset; tamen ex zelo concitatus prius percussit*; Id quod Carthusianus quoque admiratur, potius quam vituperet: *Percussit*, inquit, *Pontificis servum ex magno amoris fervore, quo Jesum dilexit præ cæteris, quem Petrus stans juxta Jesum non magis læsisset, quam alium, nisi ille primo cœpisset mittere manum sacrilegam in filium Dei*; neque enim id fecit ex motivo propriæ vindictæ, sed in justam innocentis defensionem: *Non se ulciscebatur*, in- (In Cat. D. Th.) quit Sanctus Thomas, *sed magistrum*: idque evidenter probat: *videbis Petrum verberatum & humiliter ferentem*. Chrysostomus pariter eum excusat, imo laudat: *Ejus fervore dignum fuit facinus*, quod enim so- (In Matth.) lus existens armatis se cohortibus opponere non dubitarit, id à temeritate procul abest, sciebat enim se illi Deo vicinum esse, de cujus auxilio David dicebat: (Ps. 26. 3.) *Si consistant adversum me castra non timebit cor meum, si exurgat adversus me prælium in hoc ego sperabo*; sciebat etiam ipsum esse Deum illum, qui est *Deus exercituum*; qui Samsoni vires indulserat, ut in maxilla asini integros profligaret armatos exercitus; unde & unico duntaxat verbo haud secus ac si fulmen de cœlo dilapsum fuisset, omnes illas furibundorum militum cohortes retrorsum collapsos in terram prostravit solum dicendo: *Ego sum*.

5 *Omnia cooperantur*. Quando etiam gravissimus, qui Petro accidit, lapsus, scilicet ejus in atrio Caiphæ trina vice cum perjurio facta magistri sui abnegatio particulatim considerabatur, videbitur manifestè, quod & hunc Deus in bonum servi sui clementer convertit. Enimvero quæstio est diligenti examine dignissima, quamobrem Deus sublime & stabile Ecclesiæ suæ ædificium

in ter-

in terra adeo solidè erigere & fundare volens; ut nulla unquam posset potentia commoveri, pro illius tamen fundamento jaciendo petram quandam elegerit, quæ ad levissimum mulierculæ alicujus flatum vacillaret. Respondetur Regulas bonæ & perfectæ architecturæ id exigere, ut quanto altius erigenda est fabrica, tanto quoque profundius sit illius fundamentum: *Quanto erit magis ædificium* (inquit sanctus Augustinus) *tanto altius fodit fundamentum*. Supremus igitur artifex ille, qui *ædificavit sibi domum*, profundissimum jacere fundamentum voluit, id est, Petrum in tam eminenti culmine positum, per lapsus sui memoriam humilem semper conservare decrevit. Sanctus Bernardus in ea est opinione, quod in negatione sua: *Peccavit peccatum grande*
Serm. 2. in fest. Ap.
Petrus Apostolus, & fortassis quo grandius nullum est, & tam velocissimè quam facillimè veniam consecutus est, & sic ut nihil de singularitate sui primatus amitteret. Adeo nimirum dolens fuit ejus pœnitentia, ut divina pietas in cor ejus cœlestes gratias in tali abundantia depluerit, ut in amando divinum magistrum suum, eique inserviendo multo factus sit ferventior. In cujus rei fidem sanctus Gregorius hanc adhibet similitudinem: *Dux in prælio illum militem plus diligit qui post fugam conversus, fortiter hostem premit, quam qui nunquam fugit, & nunquam fortiter egit*. Enimverò quis nostrum hoc, *flevit amare*, nunquam ad sufficientiam satis ponderare poterit? quippe agnito errore suo in amarissimum fuit planctum resolutus, idque non sine egregio prudentiæ
In Matth.
specimine; nam uti sanctus Thomas ait: *Quia declinavit à consortio eorum, qui induxerant eum ad peccatum, flevit amare*. Hæc autem fletus sui amaritudo in multis notata fuit, quia in toto vitæ suæ residuo tempore hanc à se commissam culpam ita deploravit, ut in continuo fuerit amittendi visus periculo, imò lachrymæ ob planctum continuum, profundos in ejus facie sulcos egerint. Notandus quoque est loquendi modus, quo sacer usus est Evangelista. Dicit enim *Cœpit flere*, quasi diceret, cœpit quidem, sed ad ultimum usque spiritum nunquam finivit. Porrò quin in hac negatione fidem nunquam perdiderit, certissimum est, solum enim charitas in illo ob mortis timorem nonnihil intepuit; interea vero in præsentissima hac agnitione fuit, se nimirum scholæ Christi esse discipulum, nam ut Scriptura ait: *Loquela sua manifestum eum faciebat*. Enimvero minimè dubitandum est, quin sanctus hic Christi Apostolus plurimum gaudeat, infelicem hunc lapsum suum ab omnibus Evangelistis ad cunctorum fidelium instructionem in annali-
Tom. 10. Tra. 23.
bus Evangelii diligentissimè enarrari, *Ad Dei gloriam illustrandam*, inquit Salmeron; *Et ad peccatores divinæ misericordiæ ac suæ venia alliciendos*. Imo sanctum Marcum, quem, utpote tanto tempore secum demoratum, filium suum agnominavit, præ omnibus aliis in recensendis, amplificandis, & aggravandis imperfectionibus suis fusum, imo singularem esse voluit. Aliud quoddam ex hoc suo lapsu emergens bonum sanctus
In Joan.
Thomas tangit, dum ait: *Ideo Petrum negare permisit, quia voluit, ut ipse, qui præponendus erat toti Ecclesiæ, infirmus & peccatoribus magis compateretur, expertus in seipso infirmitatem peccati*. Porrò similem quandam ponderationem in venerab. Ruperto Tuitiensi Ab-
Lib. 2. de oper Spir. sanct. c. 18.
bate reperio, ait enim: *Quando autem vel quomodo sciret, homo positus in celsitudine honoris, in magna conscientia sanctitatis condescendere pravis, condolere miseriis; opportebat prædestinato atque vocato ad tantam celsitudinem Petro causam subesse, & magnitudinem honoris ejus præire, unde illi humilitatis atque compassionis scientia jugiter posset accedere*. Imò ejus pœnitentia Domino suo grata adeo & accepta fuit, ut post tres ab hinc dies resurgens (postquam illum antea benignissimè respexit: *Respexit Petrum*) ad eum consolandum summa cum teneritudine & affectus singularitate ei apparuerit: *Surrexit Dominus & apparuit Simoni*. Angelus quoque sanctis illis Mariis sepulchrum visitantibus in mandatis dedit, ut Apostolis, & inter eos specialiter Petro Salvatorem à mortuis resurrexisse annuntiarent: *Ite, & dicite discipulis ejus, & Petro*. Similiter priusquam ad cœlos ascenderet, eundem seorsim vocatum non semel tantùm, sed trina vice, num se plus omnibus aliis diligeret, interrogavit, eique gregem suum de novo consignavit & recommendavit; *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, animas videlicet illas, pro quibus per triginta trium annorum decursum ingentem perpessus fuerat innumerabi-

lium passionum & tormentorum iliadem, quasque pretiosissimo sanguine suo redemerat. Unde Sanctus Ma-
Hom. 1.
ximus ait: *Pascendas oviculas suas agnosque commendat, ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute servaret*.

6 *Omnia cooperantur in bonum*. Celebris est controversia, cujus in Epistola ad Galatas c. 2. fit mentio, quæ Petrum inter & Paulum circa Hebraismi ritus, cæremonias & observantias legales agitabatur, quæ ad gentilium aures delata in magnum cedere poterat novæ & Evangelicæ legis præjudicium; de qua Cardinalis Baro-
An. 51. n. 35
nius ad longum pertractat, ostendens in eadem nullam prorsus intercessisse ex parte utriusque culpam, quin potiùs in eadem Petri reprehensione à Paulo facta singularem quoque eluxisse Petri virtutem. Undè S. Gregorius ait; *Tacuit Petrus, ut qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate*. Et S. Augustinus
Ho. 18. in Ezech. Ep. 9 ad Hier.
similiter scribit, *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corripi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores majoribus, pro defendenda veritate, salva charitate resistere*.

De obsequiis, quæ omnes fideles præcipuè verò Reges, & Imperatores pedibus S. Petri exhibent, fusius disseritur.

DISCURSUS DECIMUS.

Dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus, & dicit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem posteà. Joan. cap. 13. vers. 7.

1 SAnctus Petrus, qui tanquam universalis Ecclesiæ caput divinitatis majestatisque infinitæ Filii Dei speciale lumen & agnitionem habuit, ad pedes suos illum cernens prono corpore prostratum, in cujus nomine *omne genuflectetur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, nil mirum si attonitus & obstupefactus exclamat dicens: *Domine, tu mihi lavas pedes*. Porrò spirituales animarum nostrarum sordes emundare proprium esse Spiritus sancti, sancta Dei Ecclesia hisce verbis attestatur, dum ita canit. *Lava quod est sordidum*; at verò quod Filius Altissimi, quem *adorant Domi-*
Joan. 15. 15
nationes, tremunt potestates; candor lucis æternæ, & speculum sine macula, iisdem manibus, quæ amplas fabricarunt cœlorum sphæras, de quibus scribitur: *Cœli non sunt mundi in conspectu ejus*, pulverem, luctum, cunctasque alias sordes vilissimi cujusdam piscatoris pedibus ad-
In Joan.
hærescentes non dedignetur abstergere, quis sine admirabili stupore audire poterit: *Domine, tu mihi lavas pedes?* S. Thomas ait: *Hæc dicebat Petrus territus ex consideratione majestatis Christi?* Unde ex mente Doctoris Angelici Petrus dicere voluisse videtur: *Tu, qui es Filius Dei vivi, mihi lavas pedes, qui sum Simon Barjona? Tu, qui es agnus immaculatus, speculum sine macula, mihi lavas pedes, qui homo peccator sum?* Sanctus autem Doctor Seraphicus hosce admirationis & stuporis actus considerans dicit: *Expavit Petrus, quasi diceret: Quid est, Tu? & quid est, Mihi?* infinitam nimirum quæ inter majestatem Dei; & pedum suorum vilitatem intercedit, disproportionem & distantiam ponderans; ac si diceret: *Filius Dei æternus, & ego homo mortalis. Unde* inquit Chrysostomus; *tu lavas pedes meos manibus, quibus oculos cæcis aperuisti, leprosos mundasti, & mortuos suscitasti?* Dionysius Carthusianus sensus animi, quos S. Petrus in eo momento utique habuit, hisce quoque verbis pulchrè ac devotè meditatur: *Tu talis ac tantus, cui dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi; & turba paulò ante clamavit: Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, Osanna in altissimis; tu tanta sapientiæ, sanctitatis & potestatis, qui solus sine peccato es, qui mortuos suscitasti, mihi piscatori in tam abjecto, & infimo actu ministras? ante genua mea te prosternis? tuis sanctis & venerabilibus manibus pedes meos immundos ac sordides tan-*
De iis qui initiantur c. 6.
gere vis & purgare? Porrò S. Ambrosius reluctantiam Petri, qua obsequium, quod Christus pedibus suis impendere decreverat, admittere recusavit, nequaquam admi-

ratur, quia, inquit, pro eo tempore nondum intelligebat ministerii illius mysterium: *Petrus non advertit mysterium, & ideo ministerium recusavit*. Idem quoque sentit Carthusianus, dum ait. *O quam magnus fuit Jesus in oculis Petri, cum dixit: Tu; & quam parvus fuit Petrus in oculis propriis, quando adjecit, mihi!* verùm enimvero venia vestra mihi dictum hoc Petri in ejusdem laudem convertere liceat, & dicere: *Quam magnus fuit Petrus in oculis Jesu*, quando ejus lavit & osculatus est pedes: Etenim piè credere licet, Christum obsequium istud Petri pedibus magno cum sacramento exhibuisse; nimirum ut illos per omnia sæcula cunctis fidelibus cujuscunque demum sint status & conditionis, ipsis quoque Regibus & mundi monarchis non solum in Petro, sed & in omnibus aliis legitimis successoribus suis venerabiles efficeret. Id quod forsitan incarnata illa Sapientia insinuare voluit, quando dixit: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Quasi diceret: Tu quidem pro nunc obsequii & venerationis illius, quam pedibus tuis exhibeo, non intelligis mysterium erit: autem tempus quando illius sensum & intentum manifestè intelliges, quando videlicet cunctos Christi fideles pedibus tuis obsequiosè & devotè advolutos videbis, ut illos adorent, iisque devotionis & venerationis oscula infigant. Enimverò varias, si ita placet, sacrarum Scripturarum examinemus figuras & testimonia, quibus sacrosanctorum pedum Petri exaltationem è longinquo prævidisse, nobisque prædicere voluisse videntur.

2 A multis retro sæculis Isaias Propheta felicissimum Ecclesiæ successum, præcipuè verò gentium conversionem ad fidem hisce verbis clarè prædixit; *Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum*, id est, crucem meam, sub cujus vexillo tot exteræ nationes terræ anteà idolorum cultui deditæ conscriberentur: demum verò dicendo, sive ut melius & verius dicam, prædicando prosequitur, & ait: *Et erunt Reges nutritii tui*; velut Hugo Cardinalis interpretatur: *Potentes sæculi in temporalibus nutrierunt Ecclesiam, ut Constantinus & alii.* Denique illud, quod hodie pedibus summorum Pontificum à Regibus ipsismet præstatur obsequium, claris verbis prædicit, cùm ait. *Vultu in terram demisso* (ita de ipsismet terræ hujus potentibus loquitur) *adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*; cum enim pedes, utpotè terram proximè contingentes ut plurimum sordido aspersi sint pulvere & luto, hæc ab iis, qui illos osculantur, facilè imbibuntur. Pergit Isaias ulteriùs deindè; quòd in illo tempore nemo amplius ambigere possit, an Filius Dei in terram descenderit, veraque promulgata sit fides: *Et scies quia ego Dominus super quo non confundentur qui expectant eum*; quodnam enim veritatis fidei nostræ clarius excogitari posset argumentum, quàm principes & mundi hujus monarchas in præstiti homagii signum, ad piscatoris alicujus pedes humillimè videre prostratos? Idemmet Propheta, qui eò quòd eorum, quæ nova lege contigerunt, punctualissimus sit scriptor, per antonomasiam Propheta Evangelicus denominatur, dum de aditu, quem Gentiles in Ecclesiam habituri erant, tractat, paulò post ita ait:
Isa.26.6. *Aperire portas, & ingrediatur gens justa* S. Isidorus: *de vocatione gentium ita scribit, quo vaticinio ostenditur, justum humilemque gentium populum successisse in locum, quem superba gens Judæorum perdiderat; vetus error abiit*, inquit
Cap.3. Isaias, id est, ut Interlinearis declarat, *cultus idolorum*. Porrò Roma, quæ caput erat totius universi, & à Petro Babylonia denominatur, inter omnes alias civitates à B. Petro ad demoliendam omnium aliorum paganorum idololatriam prælecta fuit, quia *omnium gentium serviebat erroribus. Civitatem sublimem humiliabit*; quia eandem piscatori alicui subjectam esse fecit. Et ideo Hugo Cardinalis per illam civitatem sublimem intelligit Romam; cui opinioni Dionysius, Interlinearis, & alii consentiunt: *Quæ multo tempore tenuit mundi monarchiam, humiliabit superbos, habitatores ipsius producendo ad veram & Christianam humilitatem, humiliabit usque ad terram, usque ad humilem coram Deo prostrationem*; adorando, seque humillimè prosternendo non solum coram crucis Christi patibulo; verùm etiam coram pedibus suis in terris Vicarii. *Detrahet eam usque ad pulverem*; quia ipsos quoque Reges & monarchas, ut se in signum reverentiæ, & in sanctæ fidei nostræ protestationem pulveribus pedibus Petri adhærescentibus admoveant, inducet, sicut induxit Constantinum Magnum, ut dum sumptuosissimæ, quam in hujus S. Petri honorem erexit, Basilicæ prima jaciebantur fundamenta, duodecim cophinos onustos, in suæ erga divum Petrum intimæ devotionis signum humeris suis deportaret, ac proindè Isaias subjungit: *Conculcabit eum per pedes pauperis*, id est, per illius, qui dixit: *Ecce nos reliquimus omnia. Argentum & aurum non est mihi*; qui, ut Nazianzenus in Annalibus Ecclesiasticis citatus scribit, famem suam ex comparatis pro uno obulo lupinis pellebat, cæterùm facer incedens & repetiatus; pes, inquam, illa sceptra sibi & diademata imperialia subjiciebat. Undè Constantinus Imperii insignia deposuit, quando, ut illius ædificio deserviret, humeros suos terræ gleba oneravit, ut se Petri servum esse ostenderet. *Pedes pauperis gressus egenorum* (inquit Dionysius Carthusianus) *prædicatio & introitus Petri & Pauli eam salubriter conculcavit, ut quæ erat domina mundi, ancilla fieret Christi*. Possessio, ut omnibus constat, pedibus accipitur, undè *Possessio, quasi pedum positio*: atque ideo David dominium, quod sibi in Idumæam comparaverat, ostendere volens,
dicebat: *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt*; & consequenter eo ipso quo Ps.58.10
Petrus pedes suos extendit ad fideles; ad Principes & Reges, ut illos osculentur, simul etiam dominium & potestatem insinuat, quam velut supremus Pastor & Caput Ecclesiæ in omnes sæculi potestates & Principes obtinet. Quoad Jurisdictionem spiritualem Petri omniaque alia quæ eidem annexa sunt, à cœlestis Davidis oraculo scribitur. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus,*
oves & boves universas, insuper & pecora campi. Circa Ps.8.8.
quæ verba Hugo Cardinalis scribit: *Petro dictum est, pasce oves meas, & boves; scilicet Prælatus, & prædicatores in agro Domini laborantes*; Albertus autem Magnus reliquum explicat, dicens: *Et pecora campi; hic ostendit potestatem super malos*, Enimverò observandum est, quod S. Joannes, priusquam Christum manus suas Petri pedibus subjecisse dicere, paulò antè præmiserit: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus*; ideoque videtur Evangelista dicere voluisse. Christum Petri pedibus totum hoc universum subjicere voluisse, ut jam dictum Psalmistæ adimpleretur oraculum.

3 In maximam semper admirationem me primum rapuit miraculum, quod magnus hic thaumaturgus in Ecclesiæ exordio patravit, dum claudo illi rectos denuo gressus restituit; nunquid enim majus patraturus fuisset miraculum, si per umbram infirmis sanitatem, aut verò defunctis vitam restituisset? Respondet S. Ambrosius: *Primum ergo signum mirabile, quod B.*
Petrus Apostolus fecit, claudo pedum restituendo, ut diximus, vestigia: audistis frequenter ipsum Petrum à Domino petram nuncupatum; si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, ut sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet: rectè, inquam, primo in Christiano pedes curat, ut jam non trepidus quis & imbecillis possit super petram Ecclesiæ stare, sed robustus & fortis incedere. Ser.75.in appen. de divers.
Hinc fuit S. Ambrosii sensus: at verò ad propositum nostrum possumus dicere, quod meritò primum miraculum in eo, qui pedibus claudus erat, operatus fuerit; eo quod claudus ille figura fuit idololatriæ; unde magnus ille Carmeli patria cha Elias idolo Baal devotis dicebat: *Usquequo claudicatis in duas partes?* Etenim Petrus ad hoc propriè electus fuerat, ut hunc paganismi claudum erigeret, atque ad veram fidei agnitionem perduceret, aut verò dicere etiam possumus Petrum primum suum patrasse miraculum circa hunc claudum ad templi ingressum seu fores consistentem, ut denotaret, quod quia in hoc tanquam in figura omnem idolorum cultum profligavit, ideo illa falli aut fallere nescia cœlestis providentia hoc Petri insigne obsequium remunerare disposuerit, per hunc gloriam & universale à toto Christianismo pedibus suis in hodiernum usque diem exhibitum
obsequium. *Pes meus stetit in directo*, ita Petrus dicere Ps.25.
poterat, *in Ecclesiis benedicam te Domine*. Ubi Albertus Magnus ait: *In directo, in Christo, qui est recta via*, pedes namque suos super pectus imposuit, quando illos Christus lavit. Cassiodorus dicit: *In via recta, scilicet in mandatis*, id quod etiam de Petro verificatur; siquidem non solum fuit divinorum præceptorum punctualissimus executor, verùm etiam quia ut

nos

nos quotidie confitemur: *Petrus Apostolus & Paulus Doctor Gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine*; quis autem est qui non videat quàm perfectè in Petro sequentia etiam verba verificentur: *In Ecclesiis benedicam te Domine*; etenim omnes Dei laudes, quæ divinæ majestati suis in Ecclesiis persolvuntur, suam à Petro originem habent & approbationem.

4 Ipsamet quotidiana experientia teste manifestus est cultus & adoratio, quæ hisce pedibus continuo & quotidie præstatur. In Actis Apostolorum legitur, quòd quando Petrus Herodiano carceri inclusus in procinctu erat ut indè liberaretur ab Angelo, primò sibi dici audierit Act. 12. 8. hæc verba: *Calcea te caligas tuas*. Num fortè calcei illi tanti pretii & valoris erant, ut magna æstimanda fuisset jactura, si illo intra carceris muros tenebricosos dereliquisset? Imo verò; neque enim conveniebat ut calcei illi intra lictorum manus relinquerentur, qui ab ipsismet mundi Monarchis, imo ab ipsis etiam fidei nostræ inimicis ad Ecclesiam redeuntibus venerabundis & obsequiosis osculis honorandi erant, prouti dudum à Spiritu sancto Ps. 71. 8. fuit prædictum: *Inimici ejus terram lingent*. Imo certissimum est, quod in eorundem pedum honorem ipsummet mare cum certa quadam ambitione ad eosdem magis honorandos in stabile se elementum consolidarit, Undè S. Serm. 49. Ambros. ait: *Eadem unda quæ fluctuat sustentat ibi idem gurges qui mergitur & famulatur*. Ob eundem hosce pedes honorandi finem Christum ita disposuisse, certo mihi persuadeo, ut Petrus in crucifixione sua, temetsi nihil cogitans, plantas hasce in altum, nimirum cœlum versus erigeret, ut hac ratione oculis & honoribus uniuscujusque tanto magis essent expositi: cumque S. Joannes Baptista, postquam Christus de eo gloriosum hoc edidisset testimonium *Inter natos mulierum non surrexit major*: de Christo dicat: *Non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, hic econtrà videmus, quod pedes Petri lavare & osculari non dedignetur ipsemet Christus, caput suum iis submittendo, eosque sicut & successorum suorum pedes in terra pro viribus exaltan- Apoc. 3. 9. do & honorando: *Faciam illos ut veniant & adorent ante pedes tuos*.

5 Demum verò quàm hi sacrosancti pedes Petri ab omni terreni pulveris nævo puri & mundi fuerint, deduci potest non solùm ex lotione, qua Christus illos propriis manibus suis honoravit, verùm etiam ex eo, quod sub hisce pedibus visi sint thesauri inæstimabiles auri & argenti, velut conculcari, & velut lutum nihil æstimari; primi etenim fideles comparatum ex divenditis possessionibus & facultatibus suis aurum & argentum ad Apostolicos pedes certatim congerebant. Undè Chrysostomus ait: *Magnus honor, quandoquidem non in manus, sed ad pedes* In glossa. *Apostolorum ponebant*. Cur autem ad pedes? Hugo Cardinalis respondet: *Ut significaret aurum esse calcandum, quod ad pedes projicit*; quid igitur mirum, si pedes hi aurum calcantes tanti æstimentur, tantoque in honore habeantur? S. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert, quod cum certa quædam persona per hunc sanctum Abbatem magno beneficio affecta, eidem loco gratuiti doni considerabilem quandam auri summam offerre voluisset, Sanctus idipsum recipere detrectarit, & solum admiserit panem hordeaceum. Subjungit autem sanctus Doctor, id nequaquam mirandum esse, eò quod Sancti aurum parvi pendant, seque tam vili ciborum genere nutriant, Idem quoque nos de S. Petro dicere possumus, quid mirum quod S. Petrus animum habuerit omnibus mundi thesauris superiorem, qui, ut diximus, famem suam pauculis lupinis sedare consueverat? Et quidem tametsi eo tempore, quo dicebat: *Reliquimus omnia*, in sua facultate solum habuerit malè sibi cohærens & laceratum rete quoddam, naviculam piscatoriam ruinosam, & unum alterumve remum carie exesum; attamen ut benè ponderat S. Augustinus: *Prorsus totum mundum dimisit Petrus, & to-* In Ps. 103. *tum mundum Petrus accepit*. Per affectum namque omne id deseruit, quicquid illi larga manu dare poterat mundus. Levit. 19. In Levitico de victimarum pedibus scribitur: *Pedibus lotis* L. de vict. *aqua*. Ubi Philo Hebræus ait: *Pedum lotio significat non humi post hac incedendum, sed per æthera; amans enim Deum anima, revera in cœlum à terris emicat*. Hæc Petri victima (siquidem flevit amare, quod est sacrificare juxta illud: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*) lotos pedes habuit, ut ambularet in cœlum, à terra autem divelleretur. Undè Serm. 2. de SS. Apost. Guerricus Abbas ait: *Cui autem magis pervium fuisse cœlum credendum est, quàm ipsi janitori, cujus lingua clavis cœli facta est*? In S. Mattheo scribitur: *Excutite pulverem de pedibus vestris*. Circa quæ verba Angelomus ita scribit: *Pulvis levitas terrenæ cogitationis, a quo ipsi etiam summi prædicatores esse nequeant, cum pro auditoribus suis soliciti salubribus curis incessanter intendunt, sed hunc pulverem quotidie per effusionem abluere festinant lachrymarum*. Quis Petro magis pedes suos ab hoc pulvere mundos conservavit, utpotè qui illos quotidie 1. Reg. 2. 9. amarissimis effusis lachrymis abluebat: *Pedes Sanctorum suorum servabit*; ita in Annæ matris Samuelis cantico scribitur; atque ut Sanctus Gregorius interpretatur, verba illa de sanctis Apostolis intelliguntur. Verùm inquies, cur magis se pedes, quàm aliam corporis partem custoditurum esse dicit? Abulensis respondet: *Quia nulla est pars in toto corpore humano, quæ magis lædi possit quàm pedes, quia super eos tota corporis moles sustentatur*. Hinc igitur tale fieri poterit argumentum, quodsi hanc Altissimus protectionem omnibus Apostolis universim exhibuit, quando eandem Capiti ipsorum & totius Ecclesiæ credendus est exhibuisse, pro quo æternum Patrem suum rogarat: *Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua*? Utique tantò magis servavit pedes ejus, quia *super eos tota corporis moles sustentatur*, id est, corpus Christi mysticum, sive Ecclesia, quæ pedibus S. Petri innititur & sustentatur.

De Sancti Petri humilitate à Christo exaltata.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Simon Petrus procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine; & ait ad Simonem Jesus: Ex hoc jam homines eris capiens. Luc cap. 5. v. 8.

1 Adeo inter se, quoadusque in hac vita simul vixerunt, animis fuere conjuncti duo illi Apo- Philip. 1. stoli Petrus & Paulus, ut Ecclesia de illis canat: *Quo-* 23. *modo in vita dilexerunt se, ita in morte non sunt separati*. Et tamen utrumque penitius considerans, Sanctum Paulum nihil aliud æquè ardenter ambivisse invenio, quam cum Christo indissolubiliter conjunctum eidem semper adesse, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*; cùm tamen S. Petrus econtra eidem Salvatori dixerit: *Exi à me*. S. Bonaventura ait: *Hoc ex fide & reverentia dicebat, sicut ille Centurio: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*. In cujus expositionis confirmationem similitudinem quandam adducere possumus eorum aulicorum, qui Principem suum summa reverentia prosequuntur, nullus enim eorum est, qui Principi suo è propinquo obsequi & inservire, infimumque in ejus gratia & favore locum possidere non desideret: & tamen ipsa experientia teste, dum eidem Principi fortuitò occurrunt, ad eum magis honorandum, dum ei se inclinant, maxima cum submissione retrocedere solent; ita quoque Sanctus Petrus ex mente Carthusiani dicere voluisse videtur: *Tibi assistere, adesse, cohabitare indignus sum, quia homo fragilis & peccator, ac servus inutilis; tu autem tam potens, tam sanctus es Dominus*. Moxque subjungit, quòd quantò lumen & notitia, quam de immensa & infinita Christi sanctitate & majestate habebat, erat major, tantò quoque profundius in nihili sui deveniret notitiam. *Hunc Christum a se exire rogavit, non eum indignanter repellens, sed ex profundissima humilitate honorans*. Sanctus Bonaventura citat S. Gregorium sermonem suum ad Petrum hisce verbis dirigentem. *Petre, imò si te peccatorem considerans, oportet ut à te Dominum non expellas, sed certè sic humiliando non expellebat, sed attrahebat*. Et revera ita est; siquidem per merita adeo profundæ humilitatis ipsum ab illo tempore & deinceps ad mundi conversionem, & primatum Ecclesiæ suæ destinavit, cùm dixit: *Ex hoc jam homines eris capiens, id est, hujus tuæ obedientiæ* (inquit Dionysius Carthusianus) *ac reverentiæ mihi exhibita, stuporis, humilitatisque merito*. Ipse se peccatorem denominavit, divina se præsentia indignum existimans; Deus autem, cui proprium est exaltare humiles, ipsum ad omnia peccata remittenda, omnesque peccatores clavibus suis mediantibus reconciliandos deputa-

vit

vit; ipse se ad sancti sanctorum consortium, & communicationem inhabilem esse censuit; ac proindè à Deo ad sanctuarii sui custodiam & dominium electus fuit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; quantò magis se in conspectu Dei abjicere & dimittere studuit, tantò ipsum infinita illa Sapientia magis adaugere & exaltare conata fuit. Petrus toti mundo protestatur dicens: *Homo peccator sum*; & Christus, qui mentiri nescit, *non est Deus quasi homo, ut mentiatur*; & pariter Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis: *Spiritus veritatis qui à Patre procedit*; sanctitatem ejus toti quoque mundo testatam esse voluit; etenim Christus ipsum canonizavit, dicendo: *Beatus es Simon*; *Barjona* autem idem est quod *filius columbæ*. Beda super Evangelium ait: *Justa laude remunerat, cum eum sancti Spiritus filium esse testatur, à quo ipse Filius Dei vivi asseveratur*. Paulus de Palatio autem super idem vocabulum Barjona aliam quandam observationem adinvenit, quæ in Petrinæ humilitatis à

In Matth.

Christo exaltatæ gloriam mirè resultat: *Admonet tamen eum*, inquit præfatus author, *esse filium Jonæ, ut intelligat, è quàm humili loco in quàm excelsum ascenderit; nec enim sine humilitate vult Dominus sublimare, memorque sui sit, qui in Dei consortium adsciscitur, & planè indignus cœlo est, qui non memoratur se esse terram*. Considerate igitur quàm S. Petrus, qui cœli claves sibi concreditas habuit, humilis fuerit, quantum se uniuscujusque pedibus submiserit. Qui majorem Christo teniteotiam fecit, quando in ultima cœna se ad ejus pedes abluendos accinxit? Ex fide nobis eum Christo recalcitrasse constat, de aliis verò Apostolis nihil tale scimus. Porrò S. Thomas ait: *Si quæratur quare hoc præ aliis recusaverit? respondet Origenes, quia hoc fecit propter nimium favorem amoris, quem habebat ad Christum*: Veruntamen si verba ab eo in hac occasione prolata bene examinemus, repugnantiam ejus humilitatem pro solo motivo habuisse, expreisè deducitur: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Ecce igi-

Joan. 13.

tur quantum Deus ejus humilitatem exaltarit; siquidem ut Discursu præcedente vidimus, Monarchas hujus mundi ad pedes ejus reverenter prosterni, eorumque sceptra & coronas deponi coram eo voluit.

2 Ab eximia utique humilitate profectum est, quòd sanctus Apostolorum Princeps deorsum in terram verso capite crucifigi voluerit, ne pari gressu eum divino magistro suo videretur incedere; veruntamen in hoc vel maximè eminentem humilitatem suam mundo manifestam reddidit, dum illam etiam in supplicio quodam suapte natura summè infami & ignominiosissimo exercere voluit. Sed ecce dum Nero Imperator hoc mortis genere eum tanquam vilem mundo contemptibilem & probrosum facere studuit, suprema illa & falli nescia Dei providentia idemmet supplicium in majorem crucifixi Apostoli gloriam redundare voluit, non solum quod per hoc supplicii genus Christum in sua morte imitatus fuerit, verum etiam quod in inversa cruce fuerit passus; sic enim capite terram versus pendulus fuit, ut ex hoc terræ caput esse agnosceretur, ut suprà diximus: fueruntque etiam pedes ejus hoc crucifigendi modo in sublime elevati, utpotè dignissimi, qui eminentiori loco positi suum ab hominibus cultum & reverentiam acciperent: Undè S. Leo martyrium Apostoli triumphum appellare non dubitabat: *Cujus hodierna solemnitas recurrente triumpho martyrii*, &c.

3 Ejus quoque modestia & humilitas ex eo plurimum commendari meretur, quod tametsi summa cum Christo confidentia & familiaritate uteretur, esletque apud Christum in summo gratiæ gradu constitutus, attamen ipsum in cœna quis traditor ejus futurus esset, interrogare neqnaquam præsumpserit, sed ad id explorandum S. Joannis usus fuit opera; & tamen licèt Joannes multorum mysteriorum & Sacramentorum, quæ in Apocalypsi ab eo seriatim recensita leguntur, revelationem habuerit, Petrus in secretissima divinæ Sapientiæ admissus est peoctralia; ipsique, ut jam fusius ostendimus, consignatæ fuerunt claves regni cœlorum, ita ut nulli prorsus revelationi, nullique secreto, cuicunque demum Sanctorum revelato, sine Petri accedente censura, fides adhibeatur; hæcque ipsius præeminentia solo humilitatis suæ merito ei concessa fuit, siquidem increata illa Sapientia

Matt. 11. 25.

expreisè protestatur, dicens: *Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis*. Enimvero quicquid Petrus scit aut novit, id totum divina sibi revelatione comparavit. Undè B. Laurentius Ju-

Serm de Nat. Apo Petri.

stinianus ait: *Nonne piscationis arte Petrus humanæ vitæ alimoniam quærebat? pauper erat, non splendore nobilitatis insignis, non Scripturarum gnarus, neque ingenii acumine pollens, & tamen sancti Spiritus dono præventus legem docuit, prædicavit Evangelium, miraculis fulsit, atque sacerdotalis dignitatis tenuit arcem*. Imo parum etiamnum dixi, nam ut superius de clave scientiæ tractans dixi, Dionysius Areopagita illum appellat *antiquissimum Theologorum culmen*. Merita quoque D. Petri hoc ipsum mirè adauget, quod sine pervolutione librorum convicerit Philosophos, oratores confuderit, omnesque erudierit Theologos: *Dominus noster Jesus Chri-*

In Cat. D. Th. sup. 1 Joan.

stus, inquit S. Augustinus, *volens superborum frangere cervices, non quæsivit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem, magnus Cyprianus Orator, sed prius Petrus piscator*. Vix inveniuntur homines simpliciores, magisque Idiotæ quam sint piscatores, & tamen *de piscatore* (inquit Doctor Angelicus) *lucratus est Imperatorem & Oratorem*.

4 Quando in actibus Apostolorum cap. 11. illi plus nimium zelosi fideles causam à sancto Petro scire desiderabant, ob quam Gentilibus reseratus & apertus fuisset in Christi ovile liber aditus cum eos unico tantum verbulo compescere potuisset, dicendo: *Sic volo sic jubeo*, nihilominus causam suam justificaturus, illius rationem summa cum modestia & humilitate reddidit; *Sed si in querela fidelium* (inquit S. Gregorius) *aliquid de sua potestate di-*

Lib. Ep 5.

ceret, profectè Doctor mansuetudinis non fuisset. Qua propter Deus noster mitam hanc submissionem ejus remoneraturus decrevit, ut deinceps concepta à fidelibus erga ipsum reverentia & veneratio indies majora acciperet incrementa, ejus verba eodem apud omnes loco haberentur quo oracula cœlestia. Unde c. 15. scribitur, quod postquam ad persuadendum cunctis, Gentiles quoque ad participium legis gratiæ admittendos esse, eleganter coram omnibus peroraffet: *Tacuit omnis multitudo*, ubi Ter-

Act. 15. 12.

tullianus à Lorino citatus ait: *Neque enim silentium factum est ad audiendum Paulum*. Unde perspicuè colligi

Conc. 2. Magdeburg. c. 5.

tur, quantopere Deus humilitatem illius exaltare decreverit. Similiter post resurrectionem Redemptoris, ter ab eodem interrogatus, an eum plus cunctis aliis diligeret, certum est, quod majori cum modestia & submissione respondere non potuerit, dicebat enim: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te*. Ubi S. Thomas ait: *Non audet confiteri suum amorem, nisi sub testimonio & protestatione Domini humilians se Christo, dicens: Domine, tu scis, quia amo te; item humilians se Apostolus, non dicit: plus his, sed simpliciter, amo te*. Porrò quam evidenter humilitas ipsius à Domino agnita fuerit, à functione pastorali totius Ecclesiæ ipsi à Salvatore imposita manifestè satis colligitur. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*.

5 Adeo de semetipso humilem sensum sanctus Petrus habuit, ut se Herodianum carcerem suis promeruisse peccatis sibi firmiter persuaserit, reum se credens non quidem apud tribunal terrenum, verum apud divinæ justitiæ cynosuram: unde de suis vinculis nequaquam dolebat quin potius suavi somno illa dissimulabat *Erat Petrus dormiens*, quasi diceret: *Merito hæc patior*. at vero Deus noster, quanti ipsum faceret, manifestare volens, omnium fidelium corda ad fundendas pro ejus liberatione preces permovit, proinde ab Empyreo submisit Angelum, qui carcerem ei aperiret, cum tamen per humilitatis suæ sensum progrediens, catenas quibus vinciebatur, tanquam pœnas peccatis suis debitas agnoscebat. Christus ei absolutam delegavit potestatem, ut catenas omnium illorum *quos delictorum catena constringit*, facilè posset dirumpere, ideoque Ecclesia in honorem Petri canit: *Solve terrarum Petre catenas*. De Joseph in Psalmis scribitur; *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, manus ejus in cophino servierunt*: Idem verò Joseph postea à Deo honoratus fuit; audite quam id Deus superabundanter præstiterit: *Constituit eum Dominum do-*

Ps. 104. 17.

mus suæ, & principem omnis possessionis suæ: Tu eris, inquit ad eum Rex, *super domum meam, & ad oris tui imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni solio te præcedam*. Quæ omnia S. Petro facili negotio applicari poterunt, utpote qui ab Herodiano carcere egressus tanta nunc cum gloria regnat in Vaticano.

6 Petrus in monte Thabor à glorioso illo abreptus spectaculo, ad Christum conversus dixit: *Bonum est*

nos

nas hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. De se vero Petrus minimè solicitus fuit, quia cum se veluti vilem hominem in proprio sensu reputaret, se in ministerio Christi occupatum temporum & aeris injuriis espositum, & instar sylvestris feræ ad nemora damnatum esse minimè curabat: Deus autem noster hunc in Petro sui ipsius contemptum egregiè recompensavit, disponendo ut in præcipua totius mundi Civitate, suæque sedis metropoli progressu temporum non quidem per trium tabernaculorum, sed potius trium augustarum Basilicarum, sumptuosissimo opere in ejus honorem constructarum, nimitum templi S. Petri in monte aureo, sancti Petri ad vincula, & S. Petri in Vaticano erectionem gloriosissimè honoraretur.

Lib. 4. de consid. c. 4.

7 Porrò quam contemptibiliter S. Petrus vixerit, atque vestitus incesserit, optimè S. Bernardus ad Eugenium scribens exponit, dum ait: *Petrus nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris, absque his tamen satis credidit posse impleri salutare mandatum, si amas me, pasce oves meas.* Cardinalis Baronius quoad primitivam tonsuræ clericalis originem locum quendam S. Germani adducit hisce verbis: *Duplex corona circumposita capiti sacerdotis capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri qui cum missus esset ad prædicationem Domini, & magistri, ei tonsura est ab iis qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus Magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit, & posuit super caput ejus coronam, non ex lapidibus pretiosis, sed lapide & petra fidei ejus fulgescentem super aurum & topatium, & lapides pretiosos.* At vero qui oculos in diademata & regna Pontificia Petri nunc defigit, confitebitur utique, quod pretiosissimi gemmarum thesauri, quibus ejus tempora locupletantur, non tam aurum & gemmæ sint, quæ ex Indiis adducuntur, sed potius fides, humilitas, amor, contemptus suipsius, omnesque aliæ virtutes &c.

An. 59 an. 25.

De amore S. Petri erga Christum.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Tu scis Domine, quia amo te. Joann. cap. 21.

De Pass. c. 17.

1 S. Bernardus de ardentissimo sancti Petri erga suum magistrum amore tractans, nobilissimum hoc ei attribuit encomium, dum eum vocat *Rosam Charitatis.* Sicut enim Rosa regina quædam est florum, & in hujus rei signum coronam auream defert, cinctaque est pungentibus spinis, veluti armatis satellitibus, eodem modo dici potest, quod amor & charitas in Petro præ omnibus aliis ejus virtutibus veluti Regina primatum obtineat in eoque præ cunctis aliis sanctis præexcellat, quod faciliter pariter & efficaciter probari potest; Cum enim omnes Apostolos, cunctosque alios cœli beatos Petrus præcedat, omnibusque ipse superior existat, idque non solum in dignitate & primatu, verum etiam in vitæ sanctitate, necessario ipsum quoque plus omnibus Salvatorem amasse consequitur. Porrò veritas hæc ore proprio authenticata fuit, dicentis, *Tu scis Domine quia amo te* id est *plus his*; imo in confirmationem ejusdem veritatis illum interpellavit DEUM, qui *sciebat, quid esset in homine*, quique prima & æterna veritas est; *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te*; *Trina Confessione Domino, cui mentiri non potuit, perfectæ charitatis affectum contestatus est.* Porrò DEUS noster amoris titulo cognominari solet: *DEUS charitas est, qui manet in charitate in DEO manet, & DEUS in eo*; Deque eodem Deo veridicus Spiritus sancti calamus scribit, quod *scrutatur renes & corda*; ac proinde cum Christus illum plus omnibus amasse approbet, excessiva ejus erga Deum charitas & amor in dubium revocari nequaquam potest. Unde S.

Tom 14. in Ioan.

Augustinus ait: *Sciebat Dominus non solum quod diligeret, verum etiam quod plus illis eum diligeret Petrus; Domine tu scis, quia amo te; quasi diceret*, inquit Albertus Magnus;

In Nat. Ap. Pet.

Amo te ex omni cordis cogitatione, ex omni oris locutione, ex omni operis exhibitione. Audite qualiter eum Rupertus Abbas Seraphini titulo condecoret; dum enim visioni ab Isaia Propheta habitæ exponendæ insistit, ad illa verba: *Et volavit ad me unus de Seraphin*, dicit; *Iste Petrus Apostolus extitit.* Porrò clarissimum ejus super omnes alios præcellentioris amoris argumentum à Chrysostomo hisce verbis tangitur, dicente: *Ter interrogat, & semper idem præcepit, ut demonstret, quanti ovium suarum curam faciat, & quod hoc maximum sit amoris argumentum.* Idemmet os aureum alibi rationem reddit, cur Christus Petrum unicum & universalem gregis sui pastorem declarat: *Majorem* inquit, *omnibus Apostolis in Dominum habere dilectionem, ostendit.* Siquidem inæstimabilem sanguinis sui thesaurum in Sacramentis depositatum recommendavit; eique Ecclesiam sponsam suam, *quam acquisivit sanguine suo*, animas itidem, quas ejusdem sanguinis pretio in cruce redemerat, concredidit. Audite quam aptum proposito nostro sanctus Bernardus hac de re faciat discursum; *Non otiosè toties repetitum est in commissione ovium, Petre amas me, ac si diceret Dominus, nisi testimonium perhibente tibi conscientia quod ames me, & valde, ac perfectè ames, hoc est, plusquam tuos, plusquam te, & hujus repetitionis mea numerus impleatur, nequaquam suscipiat curam hanc non te intromittat de ovibus meis pro quibus effusus est sanguis meus.* Cum igitur S. Petrus curam pascendi gregem Christi acceptarit, opus est dicere, quod eo se amore accensum persenserit, quem Deus ille, qui charitas est ab eo requirebat.

Lib. 1. Isa. c. 19.

Hom. 87. in Joan.

Hom. 80. ad Pop.

Ser. 76. in Cant.

2 Quantopere etiam Christus Petrum super quosvis alios amarit, non est opus pluribus ostendere, siquidem satis evidens illius signum per hoc ediderit, quod eum instituerit suum in terris Vicarium. Sanctus Gregorius quod sancto Petro, quando Neronis iram fugere volens Roma abscedebat; Christus ei obviam factus ab eoque interrogatus: *Domine quo vadis?* responderit: *Vado Romam iterum crucifigi*, Verum dicat aliquis ex quo ipse Christus jam patris desteræ impassibilis assidebat, quomodo de novo crucifigi poterat? Nimirum illis verbis intensissimum amorem suum, quo erga Petrum ferebatur, demonstrare volebat; hic etenim tantus erat ut si possibile esset, utique ob illius conservandi amorem se denuo crucifigi libenter passurus fuisset: *Petro ait Christus: Venio Romam iterum crucifigi, qui enim in seipso jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterum se crucifigendum dicebat.* Verum quidem est, quod sanctus Joannes appelletur. *Discipulus ille quem diligebat Jesus*, veruntamen Salmeron scribit: *Quanquam autem Jesus in hoc dilectionis genere Joannem prædiligeret, Petro tamen & non illi Ecclesiam suam tradidit regendam? quia plus Deum diligenti committenda est Ecclesia, non autem plus amato a nobis.* Verum inquies, quidnam per hunc loquendi modum intendit asserere, dum ait: *In hoc dilectionis genere?* Congruentissima est illa eruditio, quæ in præsenti proposito ad declarandam amoris Christi erga Petrum & Joannem differentiam in medium adduci solet. Alexander Magnus etenim duos magnos amicos habuisse dicitur, Craterum videlicet & Ephestionem: *Craterus amat Regem, Ephestion Alexandrum.* Hic personam Alexandri tantum amabat, ad eo illum tenere diligebat: alter verò simul cum Rege ejus quoque Regnum prosequebatur amore, cujus proinde Status gubernans multis Alexandrum curis & laboribus sublevabat. Nazianzenus ait: *Habes ea quæ totius Ecclesiæ sunt, Petro, quæ amoris privati, Joanni attributa.* Sancto Joanni sanctissimam suam recommendavit matrem, Petro vero Ecclesiam. Joanni lecto quietis pectus suum præbuit. Petrum verò Corporis sui mystici caput declaravit. Quando sacri interpretes de amore Petri loquuntur, titulum amoris solidi eidem adscribunt; *Tria inveniuntur in Petro* (inquit sanctus Bernardus) *fidei unitas, pœnitentiæ veritas, amoris soliditas.* Hoc amore succensus ingens illud promissum est pollicitus: *Tecum paratus sum in carcerem & in mortem ire, & si omnes scandalizati fuerint in te ego nunquam scandalizabor*; In horto satalitem illum sauciavit, idque ut Carthusianus ait: *Ex magno amoris fervore, quo Jesum præ cæteris dilexit*; & tametsi armatos contra se procedere videret exercitus, non tamen timuit, quia *perfecta Charitas foras mittit timorem.* In ejusdem amoris evidentiorem demonstrationem, ut magis pateretur, capite in terram verso crucifigi voluit; ac proinde scribit Chrysostomus, quod quando à Christo, num se plus aliis diligeret, interrogatus fuit, hoc ei pariter prænuntiatum fuerit: *Cum de sui amore sermonem præmisisset, prædicit & martyrium, quod passurus erat, ostendens,* quod

T. 11 tr. 30

Or. de Moderat. in disp.

In sent.

Hom. 87. in Joan.

quod maximè crederet; volens amoris in eum signum demonstrare, & nos erudire quonam pacto amandus sit. Christus Petro dixit: Cum esse junior cingebas te, cum autem senueris, alius te cinget: atque hoc volebat & desiderabat, ideo & hoc ipsi manifestum fecit. Sanctus Thomas ponderat, quod ut indoli & genio dilecti sui Apostoli nonnihil condescenderet, futurum ei prædixerit martyrium; In Cat. *Quia Petrus semper volebat in periculis esse cum Christo, dicit ei, confide, ita implebo tuum desiderium, ut quæ passus non es juvenis, oporteat te pati senem.* Sanctus Leo quam acerbum & crudele ejus martyrium fuerit, considerans, ait: *Nunquid aut judicio* Serm. 1. in Nat. Ap. *Pilati, aut sævitia Judæorum minor erat, vel in Claudio potestas, vel in Nerone crudelitas? vincebat ergo materiam formidinis vis amoris, nec æstimabas terrori cedendum, dum horum saluti consulis, quos susceperas alendos.* In cap. 21. Joan. Sanctus Thomas scribit, quod populo sese adversus Imperatorem erigere, & Petrum liberare volenti, ipse se opposuerit, utpote qui patiendi & moriendi pro amore Domini sui avidissimus erat. Albertus Magnus Serm. in Nat. Ap. observando quod Barjona idem sit, quod *Filius Columbæ, id est, Spiritus sancti*, hanc idem deducit consequentiam: *Fuit igitur Filius columbæ, id est, Spiritus sancti per veram fidei confessionem & per synceram Domini dilectionem.*

3 Eundem quoque amorem Petri colligere poterimus ex iis verbis, quæ ad Salvatorem nostrum mari inambu- Matt. 14. lantem locutus est: *Si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Ex quo enim mare turbulentum & procellosum erat, cur Petrus liquido, instabili, & quod pessimum erat, tempestatibus agitato mari sese confidens non potius timebat, totoque corpore trepidabat? Nimirum verè in ipso tunc verificata sunt verba illa: *Aquæ multæ non poterant extinguere charitatem, nec flumina, nec ma-* Tom. 6. tr. 28. *ria obruere illam.* Salmeron ait: *Petrus prævenit reliquos, qui confidentior erat, & in fide ardentior & dilectione, postulavit Christo movente, & ex amore manendi cum eo.* Chrysostomus quoque hunc ardentissimum amorem suum admirabatur, qui in eo super omnes alios eminebat, dum ita ait: *Nemo ita ut ipse Jesum amabat; propterea* Hom. 1. in Matth. *nec dixit jubo, ut super aquas ambulem, sed jube, ut ad te veniam.* Paulus de Palatio idipsum scribit hisce verbis: *Petrus qui erat ardentior hac voce præ cæteris inflammatur, & flammæ vigorem sustinere non valens, rem supra omnem naturam à Christo petivit.* Verum inquies, quanam ratione vel arte, aut auxilio Petrus super aquas ambulabat? Sanctus Augustinus respondet: *Ambulabat* Ser. in Cat. S. Petri. *in mari Petrus magis dilectione, quam pedibus, non enim videbat, ubi pedum vestigia figeret; videbat autem, ubi* Joan. 21. 7. *figeret vestigium Charitatis.* Alia quadam vice prouti in sancto Joanne scribitur, Apostolis post Resurrectionem piscandi exercitio intentis, apparuit illis JESUS in littore constitutus: Et quidem tametsi sanctus Joannes primus omnium Salvatorem cognoverit; *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est;* attamen in laudem & gloriam ejusdem Petri prosequi- Tom. 11. tr. 28. tur, dicens: *Simon Petrus ut audivit, quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare.* Salmeron ait: *Petrus qui amore præstare dignoscitur, omnium immemor in mare prosilivit, quo celerius veniret ad Dominum, natura charitatis est periculum non timere, socios cunctantes non expectare.* Chrysostomus quoque suas super hoc facto Petri considerationes instituit, di- Ho. 86. in Joan. cens: *Ut ergo cognovit eum, omnibus rejectis, & piscibus, & rete succinxit se Petrus, vides & reverentiam & desiderium? at qui ducentis quasi cubitis aberat, non tantum navi appellere non expectavit, sed natando ad Jesum venit.* Sanctus Thomas similiter hunc fervorem in eo admiratur dicens: *Cujus fervor apparet, primo quantum ad promptitudinem. Secundo, quantum ad reverentiam ejus ad Christum quia noluit præ pudore nudus accedere: Tertio quantum ad ejus securitatem, quia ex nimia dilectione noluit cum navi ire, quia retardabatur, sed misit se in mare, ut citius perveniret ad Christum.* Dionysius Carthusianus phrasi quadam utitur, quæ ignem amoris ejus exprimit ad stuporem: *Ex fervore*, inquit, *& gaudio cupiens celerrime venire ad supercharissimum suum magistrum & Dominum.* In sermone illo quem Christus in ultima cœna ad Apostolos suos peroravit, in- Jo. 13. 36. ter cætera dixit: *Quo ego vado, vos non potestis venire: Dicit ei Simon Petrus: Domine quo vadis? respondit Jesus, quo ego vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: quare non possum te modo sequi? animam meam pro te ponam.* Ad hoc certamen amore plenum Chrysostomus se reflectit, dicens: *Magnum quidam dilectionis & igne ipso vehementius ipsum cœlum petit, cujus vim nihil retardare potest, qua-* Hom. 72. in Joan. *re ejus fervore accensus Petrus, audito Jesu, quo ego vado vos non potestis venire, inquit, Domine, quo vadis? hoc autem dicebat, non tam discendi, quam sequendi eum desiderio.* Super eundem textum sanctus Thomas quoque de hoc amore scribit: *Petrus adeo afficiebatur ad corporalem Christi præsentiam, quam ferventissimè dilexerat, quod post Christi ascensionem cum dulcissima præsentiæ & sanctissimæ conversationis memor esset, totus resolvebatur in lachrymas, ita ut genæ ejus viderentur adustæ.*

Causæ cur Petrus capite deorsum verso crucifigi voluerit, explicantur.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Extendes manus tuas, & alius te cinget: hoc autem dixit, significans, qua morte esset clarificaturus Deum. Joan. c. 21.

1 S. Joannes qui simul cum Petro præsens aderat, quando Redemptor consignato illi grege suo, eum quoque suum in terra Vicarium declaravit, nobis quoque prædictionem refert, qua Christus eidem quod post multa annorum curricula passurus erat, martyrium prænuntiavit, dicens. *Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget.* Non est hoc loco nobis necessum, quod sensum verborum istorum operosius investigemus, siquidem ipsemet Evangelista, qui dum hæc verba dicebantur, præsens aderat, illa à Salvatore nostro de morte Petro inferenda, intellecta fuisse declaravit dicens. *Hoc autem dixit, significans qua morte esset clarificaturus Deum; insinuavit per verba illa* (inquit Dionysius Carthusianus) *quali martyrio Petrus honoraret Deum;* Verum inquies, quisnam futurus erat hujus Petro inferendi martyrii modus, dum eum aliena manu cingendum esse dicit: *alius cinget te, & extendes manus tuas.* Sanctus Thomas ait: *Exponit passionis modum, nam Petrus crucifixus fuit, sed non cum clavis, sed cum funibus: alius te cinget*, juxta expositionem Carthusiani, *Hoc est apparitor Imperatoris Neronis manus tuas cruci alligabit, non enim clavis affixus, sed funibus alligatus fuit patibulo crucis.* Ubi advertendum est, quod tametsi Christus dixerit, *cinget; & ducet, quo tu non vis*, hoc tamen, prouti idemmet interpretatur Dionysius, intelligendum de renitentia circa partem sensitivam, siquidem & ipsemet Dei Filius ad demonstrandam naturæ nostræ infirmitatem, non obstante, quod *exultaverit ut gygas ad currendam viam, & proposito sibi gaudio sustinuerit Crucem*, attamen quando eidem amarus passionis suæ Calix præsentatus fuit, Marci 14. 33 *cœpit tædere, pavere, & mœstus esse*, imò & dicere: *Si possibile est transeat à me Calix iste, ducet quo non tu vis, hoc est, ad locum passionis & amaritudinem mortis, quam secundum naturalem ac sensitivum appetitum abhorrebis atque refugies, quamvis secundum appetitum intellectivum eam libentissime patieris, cupiens dissolvi & esse mecum; extendes manus tuas ad brachia Crucis cui appenderis, quod utique Petrus promptissimè fecit secundum rationem & appetitum superiorem.* Sanctus Maximus ardentissi- Hom. 1. de Nat. Ap. mam Petri pro Christo patiendi sitim hoc ex argumento convincit, quod videlicet Carnifices sollicitè interpellarit & requisierit, ut converso deorsum capite, pedibus vero in sublimè elatis Crucis patibulo affigeretur: *Quam securus*, inquit, *perrexit Petrus ad Crucem, qui repulso timore mortis moriendi ordinem tam acerba in passione quæsivit;* Porrò amori à nonnullis titulus ingeniosi attribuitur: *Ingeniosus amor; Notas facite in populis adinventiones ejus:* Ecce tibi inventiones novas à Petro ut magis & diutius cruciaretur, inventas; neque enim solum caput suum terram versus inverti petiit, verum etiam ut longius & diuturnius esset supplicium sine clavis crucifigi elegit, Sanctus Thomas enim ait: *Crucifixus fuit sed non cum clavis, sed cum funibus, ut diu-* In cap. 21. Joan. *tius viveret*, & in supplicio quodam mortali superstes ali-

aliquandiu maneret. Modus hic martyrii non fuit adinventio Tyranni, sed amoris Petri, in toto namque mundo manifestum fieri voluit, quantopere Deum suum amaret: *Pœna interroget, si quis veraciter amet*: Unde Rupertus Abbas ait: *Petrus affigendus Cruci humiliter fortis, & fortiter humilis dixit; Quoniam Dominus meus Jesus Christus de cœlo ad terram descendit, recta Cruce sublimatus est; gyrate Crucem meam, quia non sum dignus ita crucifigi, sicut Dominus meus, at illi verterunt Crucem, & pedes ejus sursum, manus vero deorsum fixerunt.* Idem quoque nobis sanctus Maximus ante Rupertum Abbatem dixit, dum in Homilia quadam de hoc festo ita ait: *Hic est Petrus, qui dum ad crucem tanquam crucifixi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non renuit, sed æqualitatem Crucis Dominicæ declinavit.* In actis quoque sancti Lini Papæ (tametsi ea à nonnullis habeantur pro suspectis) hæc sancti Apostoli Petri circa suam crucifixionem exhibita Humilitas describitur: hæc enim ei adaptantur verba; *Ita alloquens ministros carnificum exoravit; precor vos bonæ salutis meæ ministros ut crucifigentes me caput deorsum ponatis, pedes vero sursum, non enim decet me servum ultimum ita crucifigi, ut Dominus universitatis, qui pro salute totius mundi est crucifixus.* Verum enimvero accuratius quænam alia sub hoc inverso crucifixionis modo lateant mysteria examinemus.

Lib. 6. de operi Spir. S. cap. 10.

2 *Verso se poscens corpore crucifigi. Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam.* Suam erga Christum fidelitatem & zelum ad ultimum usque Spiritum demonstrare voluit; cogitabat enim, quod si eodem modo quo Christus magister suus crucifigeretur, mundo forte daturus esset aliquam idololatrandi occasionem, dum unum ab alio in cruce discernere non possent; ac proinde hanc circa se à Christo differentiam statui petiit, dicens intra se *Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor & gloria.* Theodoretus in Annalibus Ecclesiasticis citatus ita ait: *Rogavit carnifices, ne similiter atque Dominus affigeretur sed contrario modo, veritus (quod est verisimile) ne eadem passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret, ideo rogavit, ut manus inferius, superius autem pedes affigerentur.*

An. 69. n. 9.

3 *Verso corpore.* Incarnata Sapientia sapientissimè disposuerat, ut præcursor suus capite truncaretur, ad hoc ut non existimaretur, caput esse Ecclesiæ, quemadmodum scribæ & sacerdotes falso sibi persuadebant, solemnem propterea ad illum legationem destinantes; ipse verò econtra crucifigi voluit, & consequenter disposuit, ut caput suum in sublime erigeretur, ad denotandum eum caput verum Ecclesiæ esse; *Caput Ecclesiæ Christus.* Et quidem ex eadem ratione nos quoque discurrere possumus prouti in discursibus præcedentibus nonnihil tetigimus, quod tametsi Sancti Petrus & Paulus, quoad usque vixerunt semper inter se conjunctissimi fuerint, atque ab eodem Tyranno, eandem ob causam, eodem prorsus die mortis condemnati, atque ad supplicium educti fuerint, attamen Pauli caput à busto corporis amputatum fuit, non verò caput Petri; cujus hoc fuit mysterium, quia Deus ille, qui *omnia in sapientia fecit*, per hoc nobis insinuare voluit, sanctum Paulum non esse caput Ecclesiæ, ideoque caput ejus amputari, Petrum verò crucifigi ordinavit; at verò cur *verso se poposcit corpore crucifigi?* Similiter & hoc mysterio minimè vacat, dum enim in cruce suspensus capite terræ proximè imminet, toti terræ & universo mundo se illius verum visibile caput esse, significari voluit; nam ut diximus, *Cephas* idem, quod *Petrus & caput.*

4 *Verso corpore.* Præclarum nobis sanctus Petrus in vita sua reliquit documentum, nimirum quod peccatorum nostrorum memoria continuò nobis ob oculos obversari debeat, ut ea continuis lachrymis defleamus, divinamque pietatem in nobis tantò magis faciamus elucescere, quæ illa nobis remisit, tantaque cum longanimitate expectavit ad pœnitentiam. Undè non solum negationem suam ad longum ab omnibus quatuor Evangelistis recenseri voluit, id quod de multis illustribus Redemptoris nostri actionibus factum nequaquam fuit, sed dum idem negationis peccatum memoria ipsius continuo exstimularet, ipsoque quotidie lachrimando se, ob negatum à se Magistrum suum, conficeret, ipse tamen sibi satisfactum esse minimè censuit, quin potiùs tametsi per tot vitæ suæ toleratos rigores condignam de semet-ipso vindictam sumpsisset, insuper eandem culpam suam in morte castigare voluit, faciendo se eo corporis situ crucifigi, quo traditores suspendi solent, videlicet pedibus sursum, capite verò deorsum locato.

5 *Verso corpore.* Tritum est illud Apostoli dictum: *Primus homo de terra terrenus*, id est, Adamus, *in quo omnes peccaverunt; secundus homo de cœlo cœlestis*, qui Salvator noster fuit; æquum igitur fuit, ut hic versus cœlum, alter verò terram versus capite locaretur, utpotè de massa communi, & de progenie Adami descendens, & quia progenitorum suorum proprium erat incurvari. Undè Psalmista ait: *Conglutinatus est in terra venter eorum.* Jordanus Augustinianus scriptor antiquus ait: *Hoc fecit ad designandum lapsum humani generis, per quem homo caput mentis in terram defixit, pro cujus emendatione Petrus capite ad terram verso supplicium mortis pati voluit; Christus autem, quia nunquam peccavit, sed pro peccato satisfecit, ideo capite erecto pati voluit.* Quem conceptum paulò antè in prædictis actis sancti Lini quoque audivimus, & Dionysius Carthusianus simile quid nobis scriptum reliquit, dum Petrum ita cum Christo loquentem introducit: *Tu semper erectus, excelsus & altus; ego autem peccando sum incurvatus,*

1. Co. 15. 47.

Ps. 43. 25.

6 *Verso corpore.* Porrò quàm bene sanctus Petrus in humilitate fundatus fuerit, jam nonnihil examinavimus. Sanctus Maximus notat, quòd illam ad ultimum usque spiritum exercere voluit; *Ut ostenderet universis admiranda se humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam & inter tormenta servasse.* Divinus Magister ejus ei præcepit *sequere me*, id est, (ut inquit Dionysius Carthusianus) *hoc de signo, quod imitaturus es me, sustinendo mortem crucis*; nec tamen sicut ipse crucifigi voluit, ex solo motivo humilitatis. Undè in Actis sancti Lini sanctus Petrus ita discurrit: *Te imitari etiam in passione optavi, sed rectus crucifigi non usurpavi. Insuper* (sunt verba Carthusiani) *profundissima Petri humilitas in hoc patuit evidenter, quod instar Christi Magistri ac Domini sui noluit verso sursum capite crucifigi, sed pedibus suis sursum sitis & suspensis.* S. Augustinus primus fuit, qui in hanc considerationem incidit: *In illa cruce imitari metuens sacrificium Redemptoris, capite in terra demergi elegit: O virtus humilitatis ingenita: honorari etiam supplicii genere pertimescit, & qui non recusat Dominici tormenta patibuli, similitudinem expavescit triumphi.* Quis sanctius Petro gloriari poterat, dicendo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ?* Et tamen licèt Christus ipse præter diadema gloriæ triplicata insuper corona caput ejus cinxisset, se tamen ea corona, quæ sibi in Ecclesia triumphante præparabatur, indignum esse censuit, eamque veluti fugiens verso se poposcit corpore crucifigi, eo quod hac ratione sibi inverso corpore consistenti nullum diadema sive corona imponi possit, Sanctus Ambrosius ait: *Crucem suam futura remuneratione indignam arbitratus, inverso poposcit suspendi vestigio.* Enimverò advertendum est, quod licèt cœli claves manibus suis concreditas circumferret, ad aperiendas tamen æternales cœlorum portas ipse tamen alia præter humilitatem clave minimè indiguit; ac proindè Rupertus Abbas scribit; *Noverat ex humili cœlum citius solere adiri, dejicit ora spiritum daturus.*

Hom. 1. de Nat. Ap.

Ser. 29 de Sanct.

2. Tim 4. 7

De Interpell. Iob. li. 1. cap. 1.

Lib. 6. de oper. Spir. S. cap. 10.

7 *Verso corpore.* Sanctus Petrus frater erat germanus sancti Andreæ, ac proindè perspectum ei utique erat, quanto hic Crucem amore & desiderio profecutus fuerit, quantaque cum energia in eadem Crucis cathedra virtutem & efficaciam ejus deprædicarit; atque ideo hodierna die se fratre nequaquam inferiorem esse intellexit licèt annorum ætate inferior esset, ac proindè eo se modo crucifigi petiit, ut capite deorsum posito, totum illum truncum oculo suo conspicere, & consequenter fratri conformis fieri posset, qui ad instar ardentissimè amantis dicebat: *O bona Crux, quem decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti accipe me.* Sanctus Linus Petrum ita loquentem introducit: *Et etiam ut mysterium Crucis intento vultu semper possim conspicere, quod facilius, quid indè dixero, possit audiri; & ex hoc ligno pendulus velut è cathedra & pulpito prædicationi incubuit*; inquit idemmet Sanctus: *Grande & profundum mysterium Crucis.* Nisi fortè etiam considerare velimus, ideo Petrum adeo diverso modo à Christo crucifixum: quia si Christus & Petrus cruces suas simul

con-

conjungere vellent, videretur indubiè, quod Petrus omnem à Christo crucifixo emanantem sanguinem super se reciperet; & meritò ipsius enim erat totum hunc effusum sanguinem velut in depositum accipere, ad eundem in progressu sæculorum fidelibus dispensandum in Sacramentis, in indulgentiis, in beneficiorum Ecclesiasticorum distributione.

8 *Verso corpore*. Petri maximum & urgentissimum desiderium erat amantissimo Magistro suo perfectissimè uniri, atque ideo pedibus suis se cœlum versus elevari fecit, inquit sanctus Augustinus; siquidem *propriis gressibus proficiscebatur ad Christum, oculisque superiora respiciens beatum spiritum deducebat ad cœlum*. (Ser. 28. de Sanct.) In hujus octavæ lectionis quidam ad hoc alludens legitur divi Chrysostomi conceptus dicentis: *Ad Magistri quidem similitudinem voluisti crucifigi, non recta quidem figura ut Christus, sed capite in terram verso, tanquam qui à terra in cœlum iter faceres*: Christus pro terra reconcilianda patiebatur, atque ideo in tali corporis situ Cruci affixus erat, in quo illos aspicere posset, pro quibus moriebatur. Petrus verò recta cœlum aspiciebat, utpotè cujus manibus cœli claves consignatæ erant, & ad illud tanto eum animi conatu anhelabant, ut pedibus suis illud invadere, illiusque portas perstringere velle videretur. *Sic elegit mori* (est consideratio cujusdam Authoris) (Guelielmus Episcopus,) *ut sic videre posset cœlum, ad quod aspirabat: econtra autem Christus in Cruce caput deorsum habebat, ut sic videre posset terram, & homines pro quibus mortem sustinebat*.

9 *Verso corpore*. Ita nimirum illa falli aut fallere nescia cœli providentia disposuit, ut vel sic Petrus in ipsa quoque morte sua ab universo mundo venerationem acciperet, tanquam verum Ecclesiæ caput, quando capite in terram verso crucifixus erat. Porrò homo est arbor inversa, cujus radices à capite sequaquaversum extenduntur & dilatantur; terræ igitur possessionem Petrus in morte sua, tanquam universæ terræ universale caput capere voluit, ad perennandum in finem usque sæculorum illius dominium.

10 *Verso corpore*. Pedes suos in locum maximè conspicuum dignissimumque elevari; in locum verò infimum caput suum collocari voluit: cujus hoc, ni fallor, esse potuit mysterium, ut hac ratione os & lingua, quæ Christum negaverant, conversæ sint versus infernum: pedes verò, utpotè a Christo loti: & dulcissimis oculis honorati, cœlum versus sublimentur, ideoque potissimum quando hi quoque in suis successoribus omnium fidelium recepturi erant oscula, aliaque venerationis obsequia, in signum suæ erga Romanam, & Apostolicam monarchiam debitæ subjectionis.

11 *Verso corpore*. Enimvero Petrus hoc corporis inverso situ crucifigi petiit, & obtinuit; tyrannus quoque huic supplicii modo acquievit, ac demum Deus idipsum per infinitam sapientiam suam permisit, idque uti planè existimo, ad veritatem quandam nobis inculcandam, omnibus retrò temporibus, prouti in Annalium Ecclesiasticorum decursu videre licet, usitatam & practicatam. Etenim per pedes, qui ultima corporis nostri pars sunt, quique terræ immunditiei proximè insiguntur, homines coram mundo viles, abjecti & contempti; per caput verò quod pars corporis nostri superior & nobilior est, magnates & potentes sæculi hujus Principes designantur. Etenim quando hi in tormentis & persecutionibus suis servos Dei, de quibus scribitur: *Infirma mundi elegit Deus*, conabantur deprimere, tunc eosdem magis etiam ad mundi gloriam exaltatos & sublimatos coacti sunt videre, cum tamen ipsi, qui capita mundi erant, humiliati dejicerentur & deprimerentur.

De honoribus S. Petro exhibitis, deque insigni ejus erga urbem Romanam patrocinio, necnon de obligationibus, quibus hæc civitas præ cunctis aliis eidem Apostolorum Principi obstringitur, latius agitur.

DISCURSUS DECIMUSQUARTUS.

Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

1 TAmetsi sancta mater Ecclesia verba hæc omnium Apostolorum communi gloriæ adaptet, hoc tamen cœleste oraculum magis propriè in Capite Ecclesiæ & Apostolorum Principe adimpletum fuisse noscitur; siquidem quos illi Deus præparavit & exhibuit honores, & quæ continuò illi mundus præstat & præstitit obsequia, cujus humano intellectui imperceptibilia existunt. Undè S. Petrus Damianus scribit: *Cum intueor Petrum, quem ipsa manus omnipotentis regni cœlestis clavibus investit, cui Pater revelat Filii majestatem, super quem fundatur Ecclesia, cui potestas ligandi & solvendi conceditur, qui cœlos claudit & aperit, quos Cherubim & Seraphim habere non legitur, vehementer admiror*. (Serm 2. de SS. Apost.) S. Maximus quoque se Petri magnificentiam præ stupore attonitum semper considerare hisce verbis fatetur: (Hom.) *Quid, fratres mei, magnificentius Petro, qui tanta confessionis meritò, cum corruptibili adhuc esset in corpore, & necdum ipse ascendisset cœlum, regnum illi cœleste & claudere & aperire permissum est?* Augetur verò admiratio non modicum, si ejus considerentur natales atque professio; etenim sine ullo erat literaturæ, nobilitatis, divitiarumque ornamento, & tamen ad tantam est dignitatem sublimatus, ut ipsimet hujus terræ Monarchæ coram ejus se pedibus devotè prosternant, quis hanc divinæ omnipotentiæ virtutem non summoperè admiretur? de honoribus huic sanctæ sedi, utpotè cathedræ Petri, pleni sunt libri. Sanctus Augustinus ait: *Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provoluta adorat excellentia Imperatoris*. (Ser. 35 de div. Serm. 28. de San.) Et alibi pariter ita scribit: *Nunc ad memoriam piscatoris flectuntur genua Imperatoris; ibi radiant gemmæ diadematis, ibi fulgent beneficia piscatoris*; quasi dicere vellet, luminosæ, inæstimabiles, & splendescentes coronarum suarum imperialium gemmæ tantò magis scintillant quantò profundius se Petri pedibus subjiciunt, & ab eodem beneficiis majoribus afficiuntur. Idem Sanctus ad nonnullos Paganos scribens consuetudinem esse dicit: *Imperii nobilissimi culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare*. Quot Principes, Reges, Reginæ, Imperatores & Monarchæ ab ultimis terræ finibus huc properarunt, ut coram Petri se prosternerent cineribus; Carolus Magnus (To 2 ep 42) Imperator iter hoc Romanum quatuor vicibus est aggressus & quotiescunque ad montem, qui proximè Vaticano vicinus est, hodieque Mons Marius dicitur, appulit, undè Basilica S. Petri eminus primò conspicitur, ex equo se proripuit, ut quod reliquum erat itineris, pedes conficeret, gradibusque, quibus ad Basilicam ascenditur, flexis continuò genibus, post impressa singulis gradibus devotissima oscula, ascendit. Undè dictum illud suam traxit originem, quod homines *Ad limina* venire dicuntur. Similiter quotiescunque Episcopi & alii Magnates ad corpus S. Petri debitè honorandum huc accedebant, priusquam se coram confessione S. Petri in terram prosternerent, prius liminaribus portarum advolvebantur, terram primò, & posteà manum, quam portam tetigerant, humillimè exosculantes. Et hic fuit verus verborum Chrysostomi sensus, dicentis: *Templi vestibula & aditum osculamur*. (Ho 30 in 2 ad Cor.) Et in tractatu, cujus titulus est: *Quod Christus sit Deus*, ex una parte contumelias & opprobria, quibus sancti Petrus & Paulus à fidei persecutoribus divexati fuere, ex alia vero parte honores, quos vicissim etiam in hac vita acceperunt, considerans dicit: *Ubi defuncti Regibus ipsis erant magis venerabiles, etiam Roma, quæ urbium est regalissima, relictis omnibus ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt, & Reges, & præsides, & milites, & Constantinopoli Reges nostri magnam*

gra-

gratiam putant si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii Reges. In celebri illa victoria, quam Constantinus Magnus adversus Maxentium gloriosè reportavit, per prata Quintia revertens, dum adhuc nulla esset Christianæ religionis nostræ notitia imbutus, Vaticanum pertransiit, ut sepulchrum S. Petri veneraretur. Multoque augustior honor ille fuit, quem, sumptuosam Augusti templi sui molem in ejus honorem erigere volens, eidem exhibuit; nam, ut supra tetigimus, vestibus & imperiali diademate depositis, ligonem sceptri loco in manus acceptam, terram eruderaturus, contrectavit, atque effossæ è fundamentis terræ duodecim cophinos benè confertos Cæsareis humeris suis impositos, summa ipsum erga Petrum devotione & reverentia perurgente, in locum suum deportavit; ac tandem in ejusdem templi porticu hæc verba incidi seu insculpi jussit.

Quod duce te mundus surrexit ad astra triumphans.
Hanc Constantinus victor tibi condidit aulam.

2 *Nimis honoratus est*; si innumerabilem spectes eorum frequentiam, qui ad sepulchri ejus venerationem in quavis ætate eo confluxerunt. Petrus Manilius in Opusc. ad Alexandrum III. scribit: *Multi ex diversis mundi partibus ob reverentiam ejusdem Apostoli huc conveniunt oratores, in tantum siquidem; quod multoties vix ad altare possumus accedere.* Oblationes quæ ordinariè ad ejus altare fiebant, ad triginta florenorum millia annuè ascendebant. Et ex quadam decretali Innocentii III. colligitur, quòd concedendo Canonicis redditus illos, qui è nonnullis plumbeis vel stanneis imaginibus levabantur, quas peregrini ad eorum domos deferebant, per necessariam consequentiam insinuet, nimirum illorum omnem prorsus numerum excessisse. Pro eo tempore, quo olim ho-
An. 398. 13 dierna celebrabatur festivitas, in Ecclesiasticis Annalibus scribitur *solemnem fuisse consuetudinem, ad natalem diem Apostolorum Romam, nulla habita æstivorum calorum ratione, religiosissima celebritate concurrendi.* Quis unquam adæquatum facere conceptum poterit opulentiæ illius & inæstimabilis supellectilis, quæ per tot elapsa sæcula sepulchrum & templum sancti Petri adornavit? Lampades coram Apostolico sepulchro ardentes non jam ex oleo, sed ex balsamo fovebantur. Talis erat de opulentia thesaurorum ejus in mundo opinio, ut persæpè ad illos adaugendos huc ab extremis terræ finibus formidabiles sese receperint peregrinorum exercitus. Quis est qui ignoret, quot milliones in hanc fabricam, quæ ad finem usque sæculorum æternum dici potest duratura? Nunquid verum est, quòd quicquid mundus unquam in picturis, sculpturis, monilibus, cunctisque aliis rebus rari aut pretiosi habuit, id totum ad gloriam ejus exaltandam & sublimandam ex omni mundi parte ad hanc Basilicam exornandam allatum fuerit.

3 *Nimis honoratus est.* Eum fideles omnes de Petri in conferendis gratiis liberalitate habuere conceptum, ut summi Pontifices magnifici doni seu potiùs pretiosissimi thesauri loco summis etiam Principibus claves aliquas mittere soliti fuerint, quæ ex eo solum, quòd super cancellis Confessionis sancti Petri positæ aliquandiu fuissent, multa protinus patrare cœperunt miracula sanando infirmos, &c. Atque insuper catenas ferreas, quæ sacrum illud corpus olim in vinculis circumdederant, limabant, indeque deciduam limaturam pariter nonnullis parvis clavibus aureis inclusam, veluti infiniti valoris reliquiam ad potentissimos sæpè Reges doni loco mittebant.

4 Roma meritissimo jure, utpotè quæ præ quavis alia totius universi parte præstantissimis se ab hoc Apostolo beneficiis affectam esse novit, præ cunctis pariter nationibus se erga eum obsequiosiorem demonstrare deberet & gratiorem: *O felix Roma, quæ tantorum Principum es purpurata pretioso sanguine, non laude tua sed ipsorum meritis excedis omnem mundi pulchritudinem?* Quibus in versibus dictio illa (*purpurata*) specialiter notanda venit, quia sicut purpura dignitatem & honorem adauget, pari quoque modo sanguis & martyrium horum Apostolorum immensam huic civitati adjicit gloriam. S. Ambrosius illos in hac Romana urbe martyrio affectos esse
Serm. 87. dicit: *In urbe Roma quæ principatum & caput obtinet nationum scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis; & ubi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarum Principes morarentur.* S. Leo ad Romanos conversus eosdem ad concipiendos gratitudinis & reverentiæ affectus existimulat, dicens: *Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis & regia, per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quàm dominatione terrena; quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit.* Cardinalis Baronius simi- An. 69. nu.
liter obligationes immortales, quibus Roma magno huic 20.
Apostolo arctè adstringitur, ad vivum exprimit dicens: *At quis eruditus ac prudens velut è sublimi speculo mentis oculos lustrans orbem, & omnes qui unquam fuerunt, principatus & regna considerans, non intelligat ea Principum in eis regnantium sceleribus esse convulsa, ac funditus periisse; Romanum verò imperium sub tot tantisque illud regentibus feralibus monstris nonnisi divina virtute potuisse subsistere; quo enim potissimum tempore sub omnium scelestissimo Imperatore ipsum Romanum imperium in majori videretur positum esse discrimine, eidem velut collabenti parieti trabe suffulto Crucis virtute succurritur, & duabus hisce vivis columnis in medio nutantis molis erectis, urbi cum imperio pariter casuræ opportunè consulitur.* Roma olim victores illos maximis honoribus afficiebat, qui devictis inimicis suas provincias & regna extera Romano imperio subjecerant, summos illis decernendo honores, & triumphi gloriam singularem; quantum igitur à Romanis promeritus est Petrus, qui infernum devicit: siquidem *portæ inferi non prævalebunt adversus* hanc monarchiam, quam Apostolorum Princeps hìc Romæ stabilivit, & cui omnes nationes & populos Christianos subjecit: *Adorent eum omnes reges terræ.* S. Prosper de Roma ita canit:

Sedes Roma Petri quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

In hodierno Evangelio ab Ecclesia canitur: *Tantorum Principum es purpurata sanguine*; nec solùm horum duorum Apostolorum, sed aliorum trecentorum millium Martyrum sanguine rutilat, quorum ossa & cineres Catacumbarum locupletant minerales meatus & foveas. Sanguis Petri triginta tribus summis Pontificibus ad martyrium subeundum animum adjecit: *Duo ista præclara divini germina seminis* (inquit S. Leo Pontifex) *in quantam sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum urbem nostram purpuratis, & longè lateque rutilantibus populis ambierunt.*

5 Denique solicita protectio atque custodia, qua S. Petrus Romam tuetur, probatione non indiget; siquidem hæc variis temporibus urgentissimis subnascentibus necessitatibus toti mundo manifestè satis comprobata fuit. Chrysostomus, qui S. Paulo specialissima devo-
tione deditus fuit, qua instigante variis in locis in eximias Ho. 32. ad
ejus laudes amplè & fusè extenditur, ad sacrosanctum Rom.
ejus depositum veniens, de illo dixit: *Hoc corpus urbem hanc munit quod quavis turri innumerisque mœnibus &
vallis est tutius, & cum isto corpus etiam B. Petri.* In hi- Lib. 5. c. 2.
storia sanctæ Franciscæ Romanæ visio quædam describitur: nam Anno 1430. apparuerunt ei viginti sex dæmones horrendi, & supra modum feroces, ignem in manibus sui circumferentes, qui dicebant: Hæc est ira Dei, quam huic civitati ob graves illius excessus immittit, quaque omnes domus & incolæ earum conflagrabunt. Deus autem sanctæ Franciscæ hanc gratiam concessit, ut beatissimam Virginem pretiosissimo diademate redimitam & ex una parte coram illa S. Joannem Baptistam, ex alio verò latere S. Petrum & Paulum genuflexos, & pro Roma supplices videre mereretur; audivitque sancta hæc Dei ancilla vocem, qua Deus horum Sanctorum orationibus motus, conceptam vindictæ revocavit sententiam. Undè etiamnum ad sepulchrum sanctorum Apostolorum hæc verba appensa leguntur: *Aspiciens sepulchrum vestrum nunquam desiturum, & quæ libenter pro me geritis stigmata, iram misericordia vincam.* S. Gregorius in quadam Epistola Rusticanam Patritiam, ut salva & secura Romam commigret, exhor-
tatur: *Si gladios Italiæ & bella formidatis solicitè debetis* L. 7. ep. 13.
aspi-

aſpicere, quanta B. Petri Apoſtolorum Principis in hac urbe protectio eſt, in qua ſine magnitudine populi, & ſine adjutoriis militum tot annos inter gladios illæſi, Deo auctore ſervamur. Idem quoque argumentum S. Leo hiſce verbis urget: *Si hanc pietatis ſuæ curam populo Dei, ſicut credendum eſt, ubique protendit, quanto magis alumnis ſuis opem dignatur impendere, apud quos in ſacro dormitionis thoro eadem, qua præſedit, carne requieſcit?*

An.539. 2. Belliſario, prouti Annales Eccleſiaſtici de eo fidem perhibent, muri quandam partem, laxata jam pridem lapidum compagiue non ſolùm à ſolo, ſed à medio ad ſummum uſque faſtigium ſciſſam, verſus portam Flaminam, quæ nunc porta Populi dicitur, ſituatam, ſolo tenus dejicere volenti, ut eandem demum repararet, & urbem ex ea parte impotentem fortificaret, univerſus obſtetit populus Romanus, aſſeverando Petrum Apoſtolum pro indubitato pollicitum eſſe ejus loci curam ſe ſuſcepturum; nec ſpe ſua fuere deluſi, ſed res hæc Romanis ex voto ſucceſſit, ſiquidem nec ea die, qua urbs Romana infeſtabatur à Gothis, nec in toto obſidionis tempore ex ea parte ulla fuit exercitata hoſtilitas, id quod maximi miraculi loco habentes, urbem ex ea parte nunquam recuperarunt; ſed illa muri hiſcens ruina in hodiernum uſque diem etiamnum perſeverat. Optimè igitur S. Bernardus de ambobus Apoſtolis Petro & Paulo ita ſcribit: *Si in terra adhuc poſiti omnia poterant, non quidem in ſe, ſed in Chriſto; quid non poterunt hodie viventes in æterna felicitate cum ipſo? mortales adhuc & morituri imperium vitæ & mortis videbantur habere, ſolo nimirum verbo mortificantes vivos, & ſuſcitantes mortuos; quantò magis nunc, cùm honorati ſunt nimis, nimis confortatus eſt principatus eorum?* Serm. 2. de nat. Ap.

Finis Secundæ Partis.

PROM-

PROMPTUARII SACRI ET MORALIS R. P. JOSEPHI MANSI

PARS TERTIA,

Tres Menses, Julium, Augustum, & Septembrem Complectens.

DE SANCTA MARIA

MAGDALENA

Discursus Tredecim.

Variis ex motivis admirabilis esse ostenditur Magdalenæ conversio.

DISCURSUS PRIMUS.

Et ecce mulier. Lucæ cap. 7. v. 37.

1 SAnctus Evangelista Lucas, qui pari cum laude calamum & penicillum moderari novit, Sanctæ Mariæ Magdalenæ conversionem spiritu sancto instigante ad vivum depingere volens, hanc inter cæteras super chartæ Evangelicæ tela lineam duxit: *Et ecce.* Sanctus Antonius de Padua notat, *quòd Ecce est ad verbum admirationis, quia ipsa mirabiliter erat peccatrix, vel fuit mirum de ejus conversione.* Nec tamen ipse solus fuit, qui similem super dictionem illam, observationem instituit; siquidem etiam Dionysius Carthusianus ita scribat: *Per demonstrativum hoc, Ecce, insinuatur magnum, notabile, attentioneque dignum esse quod subditur.* Didacus Stella pariter scribit: *Ecce, ait Evangelista, advertite, considerate, attendite, & memorabile, & inauditum narrabo facinus, & mirabile.* Etenim sive ea quæ fecit Magdalena, sive quicquid Pharisæus ipsi objecit, sive verba quæ incarnata Sapientia loquendo protulit, sive denique tempus, locus, & omnes aliæ hujus historiæ circumstantiæ considerentur, omnia & singula ingentem parere in nobis admirationem sunt nata. Undè Sanctus Bernardinus ait: *Ecce mulier denotat admirationis excessum; in admirationem posuerat non solum homines, verum etiam ipsum Dominum. Undè Isaia 21. Dominus ait: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum; Babylon enim confusio interpretatur, & signat Magdalenam, quæ peccatorum confusionibus plena erat.* Nonnullas vero circumstantias, ob quas admirabilis fuit ejus conversio, examinemus.

Ser. in fe. 5. Dom. Pass.

In Luc.

In Luc.

Ser. 4. in fe. 5. Dom. Pass. a. 1. c. 28.

2 *Ecce mulier.* Enimvero quòd Petrus aliquis cadat & resurgat; quòd unus Saulus transformetur in Paulum;

quòd Publicanus aliquis in unico momento fiat Apostolus, denique quòd ad Deum se ferventer convertat aliquis Augustinus, mera quidem divinæ omnipotentiæ, & pietatis sunt opera: attamen in illis mutationibus haud immerito nos ad hoc reflectere debemus, quod ex omnes cosummatæ fuerint in sexu quodam, qui longè superior est fœmineo, utpotè aliundè adeo fragili & lubrico, adeoque ad resurgendum difficili, adeo tardo ad bonum, adeoque in eodem semel inchoato instabili, ac proindè S. Lucas non sine mysterio dicit: *Et ecce mulier*; moxque adjungit, quòd *erat in civitate peccatrix*, id est, ad collum seu faciem usque luto immersa fuit inhonestatis: *Si vis videre magnitudinem peccatorum ipsius Magdalena* (inquit S. Bernardinus) *considera verba Evangelii dicentis. Ecce mulier, ad demonstrationem peccatorum suorum, ac si digito ostenderentur præ admiratione dicendo: Ecce mulier proterva, &c.* S. Antonius de Padua arguté observat verbum hoc, *Erat*; hoc enim inveteratam quandam & diu multumque continuatam significat peccandi consuetudinem, & consequenter magnam in sui emendatione difficultatem: *Si mutare potest Æthiops pellem suam?* Et quidem difficultas hæc in ipsa tantò major erat, quantò innumerabilioribus fuit laqueis constricta; siquidem *erat in civitate peccatrix*; non in villa quadam, aut castello, sed in ampla quadam civitate, nimirum juxta multorum opinionem in urbe Hierosolymitana, ubi haud dubiè incentiva erant multò majora, in objectorum illecebrosorum multiplicitate & varietate, ad eum ferè modum, quo merces aliqua in publico foro exposita majus habet spatium, emptorumque invenit majorem numerum; & quidem verè de illa dici poterat, quòd esset *merces ultronea*, non vero coacta; siquidem non lucri causa, aut propter aliud quodcunque alicujus interesse motivum (utpotè quæ variorum castellorum insignium opulentissima domina erat) corpus suum prostituebat, sed tantummodo ut effræni carnis appetitui & sensualitati habenas laxaret; erant quidem sine dubio in civitate illa aliæ impuræ & lascivæ, cæque publicæ fœminæ, veruntamen ex quo Magdalena hoc titulo peccatricis specialiter nominatur, credibile est eam omnium aliarum fuisse antesignanam. *Hujus mulieris peccatum* (inquit Didacus Stella) *ex eo maximè apparebat, quod genere illustris atque nobilis erat, qua quidem peccata magis notantur, magisque scandalizant*; ac proindè credibile est, quod proprio nomine amisso deinceps per antonomasiam appellaretur meretrix. Quis igitur pœnitentiam ipsius admodum admirabilem fuisse non dicat, quando è luto infamium peccatorum suorum eo modo se erexit, ut in Ecclesia Dei facta demum sit veræ speculum conversionis? S. Cyprianus impudicitiam *matrem impœnitentia* appellat. Ipsiusmet quoque æternæ Veritatis calamo de sensualibus scribitur: *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*; ac proindè quis est qui vel ex hoc capite, quam hæc conversio admirabilis fuerit, non videat; siquidem non solum *dedit cogitationes suas ut reverteretur ad Dominum*, verùm semetipsum in manus Domini sui totaliter consignavit, adeo ut ab eo nunquam in tota vita sua, sive vivens, sive moriens divulsa fuerit? ei etenim se totaliter consecravit cum omnibus potentiis internis, cum omnibus sensibus suis, adeo ut ipsemet S. Cyprianus de ea scripserit: *Nihil sibi de se retinens totam se tibi devovit*. Prætereà *Dominum cognovit*; novit ipsum, inquam, tanquam verum Deum, quando pro peccatorum suorum venia, & remissione ipsum accessit. *Quis enim potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Porrò S. Lucas clarè dicit: *Ut cognovit*. Quotquot autem hac sensualitatis pice infecti sunt, hunc Deum, qui *candor est lucis æterna, speculum sine macula*, ne nominare quidem præsumunt. Undè Scriptura sacra Rahab meretricem exploratoribus a Dei populo missis dixisse refert: *Dominus Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum*; ubi S. Cyrillus Hierosolymitanus ait: *Deum suum dicere non audebat, eo quod se impuram sentiebat*. Et tamen hoc non obstante. Magdalena, tametsi anteà *in civitate peccatrix esset, ut cognovit, totam se illi devovit*; siquidem arreptos fidenter pedes ejus lachrymis suis rigavit, capillis suis abstersit, & osculis dulcissimè delinivit, factaque est protinùs in unico momento sponsa ejus individua, & inseparabilis rationabilius Davide dicere valens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. De mulieroso illo, qui ad sumptuosam lautamque cœnam illam honorificè invitatus venire renuit, scribitur, ipsum aliam non habuisse cœnam illam declinandi rationem, quàm quod conjugali vinculo esset adstrictus, *Uxorem duxi, & ideo non possum venire*. Quæ excusatio aliquo modo fundata & rationabilis fuisse videtur; nam ut Apostolus monet: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*. Undè etiam circa illa verba S. Anselmus & Beda scripserunt, illos qui satisfactionibus suis carnalibus, quamumvis honestè & intra matrimonii limites fruuntur, rerum spiritualium ut plurimum minus esse capaces: *minor est enim divina sanctitas ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas*. Undè facili negotio sic licet arguere: si is, qui uxorem duxerat, *uxorem duxi*, id est, qui uni duntaxat mulieri, eidemque conjugi & consorti suæ adstrictus erat, se cœnæ illi assistere non posse, quod idem est ac si diceret, se invitationes inspirationesque cœlestes respuere debere, ne Deo se dicare cogatur, expressè declaravit, facilè erit unicuique conjicere, quibus ligiculis & nexibus illa impedita fuerit, quæ *erat in civitate peccatrix*, quæ innumeris erat amasiis circumdata & obsepta, denique quæ ei vitio totaliter immersa erat, undè *carnalis semper ab ea cogitabatur voluptas*; ac proindè prodigium erat omni prorsus carens exemplo, quod tametsi ad prandium Simonis à nemine invitata fuisset, nihilominùs, *Ut cognovit quod Jesus accubuisset in domo Simonis*, non vocata, non ad convivium, sed ad nuptias abierit; ut desponsaretur Christo, omnes illas dirumpendo catenas, quæ ipsam dæmoni, mundo, & carni tenebant adstrictam? *Sponsabo te mihi in fide*. Ipsamet testatur quotidiana experientia, quod tametsi multi ab hac inveterata voluptatibus carnalibus vacandi consuetudine reducantur ad pœnitentiam, pauci tamen sint qui in eadem stabiles persistant, *Carnale peccatum*, inquit S. Bernardus, *propter originalem quandam suavitatem, maximè si solitum sit, pœnitentiam salutarem excludit*. Considerastine aliquando de mysterio, cujus causa sapientissimus Magister noster bina vice se inclinans, in terram sive pulverem scripserit, ut miseriam illam è Pharisæorum manibus eximeret adulteram? Hugo Cardinalis ait: *Dicunt aliqui quod secundo scripsit pœnitentiam mulieris*. Cur autem eandem pulveri, qui ventorum quoddam ludibrium est, inscribere voluit? nimirum ut denotaret pœnitentiam eorum, qui sensualium voluptatum præda facti sunt, ad quemvis tentationis & occasionis ventum esse instabilem, utpotè qui instar venti flantis protinùs evanescit; id quod Cajetanus quoque confirmat dicens: *Luxuriam facit hominem instabilem*. Hujus autem sanctæ peccatrix pœnitentia & vitæ conversio in eo præcipuè summè est admiranda, quod fuerit stabilis; quia Christus ei dixit; *Vade in pace*, id est, ut Sanctus Vincentius Ferrerius declarat, quasi dicat: *Ego dabo tibi bonam perseverantiam*.

3 S. Hieronymus velut indubitatam regulam esse tradit, quod *Ubi cœperit quis luxuriari, incepit deviare à vera fide*. Undè veritas practica est, quod hæretici, licèt veræ fidei notitiam habeant, nihilominùs ab hoc sordido carnalitatis luto, cui semper insordescere pergunt, ad eam negandam & detestandam permoveantur, sancta autem hæc pœnitens, non obstante quod lasciviæ & sensualitati totaliter in prædam cesserit, *tantum abest*, quod ab aliquo fidei defectu retardata aut impedita fuerit, quominus se ad Deum converteret, ut potiùs hæc Christo attestante, eam impulerit, & coram Christo se sistere fecerit: *Fides tua te salvam fecit*. Dionysius Carthusianus vincula considerat, quæ eam in dissoluta & lasciva vita sua constricta tenebant, qualia erant: *Corporis pulchritudo, affabilitas in conversatione, nobilitas generis, opulentia rerum, irrefrenata libertas, prava societas, consuetudo iniqua, juventus*; ac tandem omnino attonitus concludit: *Cum tot haberet incitamenta peccandi, tot retinacula in peccatis, tot impedimenta salutis, quis unquam putasset tam subito esse convertenda*. S. Bernardinus in easdem ferè considerationes incidit, dum ait: *Pulcherrima in facie, magni, naturalis, & boni intellectus habebat valde pulchros capillos, & splendentes oculos*; ac demum prosequendo dicit ipsam ad imitationem Divitis illius Evangelici firmo se proposito deliciis, & voluptatibus consecratam esse voluisse, una cum eodem dicens: *Habens multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, epulare*. Adhæc impugna-

Marginal notes: Serm. 39. sabb. post Dom. 5. Quadrag. — Serm. cit. — Jer. 13. 23. — De bono pudic Ose. 5. 3. — Tract. de ablut. pedum. — Marc. 2. 7. — Sap. 7. 26. — Jos. 2. 11. — Cath. 2. — Ps. 72. 28. — Luc. 14. 20. — 1. Cor. 7. 34 — Ose. 2. 20. — Serm. 46 in fer. 5. Pass. ar. 1. cap. 3. — Joan. 8. 8. — In cap. 16. Eccli. — Serm. de S. Maria Magdal. — Epist. 36. ad Sabin. — Serm. 1. de S. Maria Magdal. — Ser. 39. cit. — Luc. 12. 19.

gnabant ipsam assiduè variegatæ, quibus abundabat, delitiæ, floridissima illa in jucundissimo annorum suorum Aprili consistens ætas, robusta corporis sanitas, atque naturæ suæ complexio, numerosæ charissimorum amasiorum suorum turbæ, recens voluptatum præteritarum memoria, inestimabilis mundi sui muliebris in margaritis gemmisque prætiosissimis, totque aliis puellaribus ornamentis consistentes divitiæ, quæ unicum sunt, quod ab hoc sexu quodammodo adoratur, idolum; & tamen, *ut cognovit quod Jesus*, &c. pedibus se advolvit Salvatoris. Ser. infer. 5 Pass. Dom. Quærit S. Vincentius Ferrerius, quodnam in eo lateat mysterium, quod sancta mater Ecclesia hoc Evangelium usque in septimanam Passionis reservet, cùm tamen prima facie nullam cum hoc mysterio connexionem habere videatur? ac tandem cum prudentia id factum esse respondet; *Ad ostendendum finalem fructum Passionis Christi, qui est, auferre peccata, & conferre remissionem, & quia in tota Scriptura non est Evangelium, in quo ita declaretur remissio peccatorum, sicut in hoc*. Ostendat etenim nihil aliquis, si potest, in toto sacrarum literarum volumine conversionem aliquam adeo admirandam, & obstupescendam, sicut est ista, in qua titio infernalis in brevissimo temporis spatio in Cherubinum convertitur paradisi. In Luc. Præterea, ut Cajetanus optimè ponderat: *Novum & inauditum genus oblationis & sacrificii pro peccatorum venia ad invenit hæc mulier procul dubio a Spiritu sancto inspirata*. Olim quidem varia instituta fuerant sacrificia in peccatorum expiationem offerenda; at vero Magdalena in Christo præstitis obsequiis *novum & inauditum, &c. a Spiritu sancto inspirata*.

4 Admirabilis quoque fuit istæc conversio, ob ingentem, quam in sancta hac pœnitente causavit, mutationem, dum illam in unico momento ex peccatrice in Sanctam quandam eminentissima sanctitate conspicuam convertit; siquidem *dilexit multum*; *vides hanc mulierem?* quærebat ex Pharisæo Christus; non est dubium quin eam viderit, dixerat enim: *Si hic esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est*; In Luc. at vero Christus ex mente Carthusiani per hæc verba dicere voluit: *Attende fœminam istam valdè notabilem, cujus gesta sunt consideratione dignissima*; nolebat ut in ea, quæ anteà fecerat, oculos suos defigeret, sed tantùm in id, quod modo operabatur. Magistri spirituales tres in via spirituali gradus distinguunt, ad quos gradatim, & post aliquot annorum curriculum ascenditur. Primus quidem gradus viæ purgativæ insistit, in quo anima Christiana passiones, malasque cordis sui inclinationes, pravosque habitus radicitus extirpat & deponit. Secundus gradus viæ illuminativæ est deditus, in eoque anima lumini & notitiæ perfectæ Dei acquirendæ studet, seque in Christianis exercendo virtutibus ad majorem semper perfectionem contendit. Tertius denique gradus viæ unitivæ vacat, quando nimirum anima divino amore mediante Deo totaliter unitur, nec ab eo per quodcunque objectum externum divellitur. Supra modum admirabilis æstimanda est Magdalenæ conversio; siquidem omnes hasce tres vias, non post multos annorum, mensium, septimanarum, dierumve gyros, sed ad summum intra unius horulæ tempus percurrendo absolvit; 3. part. qu. 80. art. 5. per viam quidem purgativam ambulavit, dum audiit: *Remittuntur tibi peccata tua*; hancque viam sancta hæc pœnitens adeo strenuè trivit, ut non solùm ei peccata remissa fuerint quoad culpam & pœnam externam, sed etiam quoad temporalem, atque insuper ab ea in sempiternum omnes malorum habituum, pravarumque ad peccatum inclina- In Hym. tionum evulsæ fuerunt radices: *Pro multiformi gratia, qui culpas & supplicia remittit, & dat præmia*; imo tametsi David valdè de se lamentetur, quod præteritorum voluptatum sensualium continua memoria irreconciliabili Psal. 50. 5. ipsum interiori bello infestet; undè dicebat: *Peccatum meum contra me est semper*; attamen sanctissima hæc pœnitens internam à Deo recepit quietem & pacem, perpetuamque obtinuit præteritarum voluptatum obscœnitatumque oblivionem, adeo ut Chrysostomus de ipsa scri- Hom. 6. in Matth. bere non dubitet: *Illa in Evangelio meretrix virgines quoque ipsas honestate superavit*. Quodsi autem de via illuminativa loqui velimus, quis unquam cogitatione assequi valebit, quales illæ fuerint illustrationes internæ, quas Christus sponsus ejus illi, in illo *cognovi*, communicarit? *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ipsa autem *dilexit multum, & ideo optimam partem elegit sibi, quæ non auferetur ab ea in æternum*, *Mansi Prompt.*

hanc nimirum charitatem ardentemque Dei amorem. *Et osculabatur pedes ejus*, scribitur ulterius de ipsa. Triplex est enim osculum secundùm Bernardum, ut ponderat Bernardinus: *Primum est pedum, secundum manus, tertium oris; osculum pedum competit incipientibus, sed osculum manuum proficientibus, tertium vero sola experitur, & rara perfectio*; omnia autem hæc oscula sancta hæc pœnitens Christo cœlesti Magistro suo impressit, *hæc tria oscula per amorem affectualem obtinuit Magdalena*. Ser. 46. in fer. 5 Pass. art. 1. c. 3.

5 Mirabilis item fuit hæc conversio, si consideretur quod illa, quæ anteà inferni mancipium erat, adeo ut à septem dæmoniis, quæ septem vitia capitalia præfigurabant, possessa fuerit, tandem adeo sancta evaserit, ut cum increata & incarnata illa Dei Patris Sapientia os suum non aperuerit, nisi ad raram deprædicandam Joannis Baptistæ innocentiam, ex proposito tamen & dedita opera Magdalenam non post elapsos aliquos à conversione sua annos, sed in eodemmet conversionis suæ actu summa cùm facundia collaudarit. In Revelationibus S. L. 1. c. 108. Birgittæ legitur, quod tres præcipuè animæ Deo super omnes alias magnoperè placuerint, nimirum anima magnæ Matris ejus, anima S. Joannis Baptistæ, & anima Mariæ Magdalenæ; verùm, inquies, quænam esse poterit inter Magdalenam & beatissimam Virginem, quæ ab ipsa quoque originali macula exempta remansit, & S. Joannem Baptistam, qui in utero materno sanctificari meruit, proportio? ecce pœnitentiæ virtutem in eminentissimo gradu sui in Magdalenam expressam, de qua S. Ambrosius ita scribit; *Plus acquisivimus, qui plus peccavimus; in illis namque ferventissimis, & replicatis veræ contritionis divinique* amoris actibus tantum sibi lucrata fuit. In psal. 37 Chrysologus dicit: *Conspicimus non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse*; ac proindè fallit indubiè in ipsa communis illa regula: quod scilicet nemo repente fit summus; Ecclesia quidem in principio Missæ & Evangelii ipsam velut peccatricem introducit; in Introitu nimirum dum ait: *Me expectaverunt peccatores ut perderent me*; in Evangelii verò principio etiam dicitur: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*; at verò protinùs in fine ejusdem Evangelii de ipsa dicitur: *Dilexit multum*. Sicut & in fine Missæ ab omni desiderio & affectu peccati, necnon ab omni via, quæ ad illud nos valet invitare, libera & immunis, atque ab omni culpa per immensum odium & aversionem absoluta describitur: *Omnem viam iniquitatis odio habui*.

Exponitur ratio, quare S. Lucas ipsam proprio nomine non appellarit; ubi etiam præcedens vitæ suæ dissolutio, & ingens circa ipsam facta mutatio consideratur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Et Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix.
Lucæ cap. 7. v. 37.

1 TAmetsi in quæstione positum sit, an una tantum, an verò plures Magdalenæ fuerint, sancta tamen mater Ecclesia de hac nostra sancta Pœnitente testimonium nobis perhibet, ipsam esse peccatricem illam, de qua in currenti agitur Evangelio; & quidem si ita est, cur igitur Evangelista per spiritus sancti directionem illustratus ipsam proprio suo nomine non appellavit, sed tantùm dixit: *Et ecce mulier?* Porrò dubium istud magis augetur, si consideretur quod idemmet sacer Chronista paulò post in sequentis capituli principio devotarum illarum mulierum, quæ Salvatorem per vicos & castella evangelizandi causa proficiscentem sequebantur, mentionem faciens, Mariam Magalenam expressè nominet: *Maria quæ vocatur Magdalena, de qua septem dæmonia exierant*; cur igitur hic in tanti ponderis historia nomen ejus subticet? Cajetanus inquit: *Nomen mulieris hujus tacetur a Luca propter honorem mulieris, cum describitur peccatrix, quam tamen Joannes cap. 12. nominat Mariam describendo eam à laudabili officio, quod unxerit Dominum, & extersferit pedes ejus capillis suis.* Sanctus Antonius de Padua inquit: *Non ponitur hic nomen, quia peccatores quamdiu sunt in peccato, de libro Domini sunt deleti*; nam ut indelebili Spiritus veritatis sententia scribitur: *Deleantur de libro viventium* Ser. in fer. 5. post Do. Pass. Psal. 68. 29.

Luc. 16. *tium, & cum justis non scribantur*. Hinc est quòd idemmet Evangelista pauperem illum quidem suo proprio nomine appellaverit, cujus anima in sinu usque Abrahæ certatim portabatur ab Angelis, nomen verò divitis Epulonis omnino subticuerit, hoc tantùm de eo dicendo, quod *sepultus fuit in inferno*. Didacus Stella morale quoddam ad nostram spiritualem eruditionem adducit responsum, dicendo S. Lucam in nomine & familia divitis illius Epulonis perquirenda minimè fuisse curiosam, *ut doceat quod non debemus esse nimis anxii in inquirendis proximorum peccatis, potissimè in peccato carnis*; indeque progreditur ad perstringendam nonnullorum Prælatorum imprudentiam, qui, ut scribit, *dum exactè quærere volunt quædam semiocculta, pluribus ea faciunt manifesta*. Modestus Archiepiscopus Hierosolymitanus, ita appellatus *in Bibliotheca Photii Cod. 91.* in ea est opinione, quòd sicut Petrus, qui anteà Simon vocabatur, posteà Petrus denominatus est *ab immobili fide, quam habuit in petram Christum: sic & illa princeps discipulorum ob puritatem & amorem quo Christum complexa est, ab ipso nominata est, cui idem sit nomen quod Dei Matri*. Sciendum est enim quod Magdalena non sit ejus nomen proprium, sed appellativum, eo quod castelli, quod Magdalum vocabatur, Domina & patrona erat, nomen verò illius proprium est Maria. Ac proindè hoc supposito cessat omnis admirandi ratio, cur scilicet Evangelista ipsam pridem sequenti capite, non verò antea Mariam appellarit; siquidem ex illius opinionis suppositione dici potest Salvatorem nostrum ei tunc pridem hoc nomen imposuisse, non verò anteà, eo quod tunc, & non antè ipsum & discipulos secuta fuerit; & fortasse hoc est quod S. Ambrosius dicere voluit, dum ita scribit: *Quando non credit, mulier est; quando converti incipit, Maria vocatur hoc est, nomen ejus accipit, quæ parturivit Christum*. Lib. 3. de Virg. Venerabilis Beda autem observans quòd eademmet, quæ cap. 7. dicitur peccatrix & mulier, ipsissima illa sit, quæ capite octavo vocata est Maria Magdalena, ita scribit: *Pulchrè Evangelista, ubi eam cum Domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo manifestat; ubi verò peccatricem, sed pœnitentem describit, mulierem generaliter dicit, ne nomen tantæ famæ prisci erroris nota fuscaret, de qua dæmonia septem exiisse referuntur*. Qua in re omnibus nobis utilissimum suggeritur monitum, videlicet celandam & abscondendam esse, quoad fieri potest, alienam infamiam, & quantumvis etiam scandalum aliquod publicum sit, cavendum tamen esse, nec nomen & cognomen personæ indicetur, quando nulla id requirit necessitas. Aliter tamen Didacus Stella opinatur; dum ita scribit: *Qui potissima peccatrix erat, & ita cognita & famosa peccatrix, quod nomen amiserat*; ideo nomen peccatricis subticuit, existimans quod eo ipso quo hoc solum literis consignaret. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, ipsam iis verbis clarè & perspicuè satis denotarit; veruntamen ut verum fateat, quisquis subitaneam illam mutationem, qua ex statu culpæ translata est ad statum gratiæ, seriò considerat ipsam eandem esse haud immeritò dubitabit. Enimvero totam hanc difficultatem B. Laurentius Justinianus duobus quasi verbis mirabiliter resolvit, dum ait: *Erat quippè ipsa, sed altera: per essentiam ipsa, per gratiam altera*; undè jure de ipsa dici potest: *Hæc mutatio dextera Excelsi*, prouti liquet examinanti infinitam distantiam, qua illa verba: *In civitate peccatrix*, incredibiliter distant à sequentibus: *Dilexit multum; Remittuntur tibi peccata tua, fides tua te salvam fecit, vade in pace*; quæ omnia eminentissimæ sanctitatis, & perfectionis sunt indicativa. Serm. de S. Maria Magdal. psal. 76. 11.

2 Sanctus Bernardinus sanctam hanc Pœnitentem insignibus hisce & exquisitis elogiis condecorat, dum ait: Ser. 46. ar. 3. cap. 7. in fer. 5. Pass. *Tu speculum peccatorum; tu gaudium Angelorum; tu pœnitentiæ forma; tu sanctitatis exemplum; tu mulierum pœnitentium fortitudo; tu disciplina Veritatis; tu Sapientiæ stola; tu Apostolorum Apostola; tu solitariarum securitas; tu contemplativum titulus; tu divini amoris fornax; tu lætitia devotorum, tu divinorum sensuum apotheca: tu ærarium charismatum divinorum; tu templum Dei, tu habitaculum Spiritus sancti*, ac tandem concludit quòd quicquid lingua hominis in ejus laudem valet exprimere, id totum meritorum suorum eminentiæ longè sit inferius: *Quicquid potest lingua enarrari, minus est à laude tua, à gloria tua*. Didacus Stella dum majores iniquitatis suæ excessus circa carnis, & sensualitatis vitium accidisse considerat, opportunè ipsam ad sacratissimam Salvatoris humanitatem veram omnis puritatis scaturiginem genuflexam accessisse dicit: *Ut divino contactu pudicitiæ suæ sarciret ruinas, & concupiscentiæ deinceps frænum injiceret*. Sanctus Paulinus quoque piè admodum meditatur ipsam sanctam quadam cum astutia calici vini illius se astrinxisse, Epist. 4. de quo scribitur, quod *Germinat virginem, vivificum panem manibus, & ore præsumpsit, sanguinem quoque calicis, antequam fieret calix sanguinis, osculis fulgentibus prælibavit*. Zach. 9. 17. Sanctus Petrus Damianus itidem hanc mutationem admirandam fuisse ex eo considerat, quòd Serm. 18. fomitem concupiscentiæ anteà ei prædominantem extinxerit: *Cælestis sapientia carnis ejus incentiva perdomuit & extinxit*; ac tandem ad divini amoris ignem, qui in ejus corde flagrabat, dirigens subjungit: *Sic sancti Spiritus ardor lumbos ejus ac renes excoxit, ut dum vasculum suum quotidianis superna gratia fluentis infunderet, carnis extincta materia nullum titillanti luxuriæ fomitem ministraret*. Sanctus Bernardinus ad hoc se reflectit, quod in septem rebus præcipuè Deum suum offenderit, quas sequentibus verbis enumerat dum ait: Ser. 46. cit. ar. 2. cap. 1. *In delitiarum cultu, in infestivis oris osculis & affatu, in vano capillorum ornatu, in lascivo oculorum aspectu, & respectu, in superbo totius corporis incessu; in inverecundo luxuriæ actu, & in peccandi proposito & conatu*. Præ cunctis tamen verissimum est quod Sanctus Gregorius, & venerabilis Beda pariter hisce verbis notavit: *Quod ergò sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat; oculis terrena concupierat sed hos jam per pœnitentiam conterens, flebat; capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed jam capillis lachrymas tergebat; ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat*.

3 *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me*, sancta hæc pœnitens verè dicere potuit; Psal. 117. 16 siquidem *hæc mutatio dextera Excelsi*; Etenim quis unquam credere potuisset, quandam adeo famosam meretricem in quandam adeo heroica perfectione conspicuam Sanctam transformandam esse? *Ecce mulier* (inquit Didacus Stella) *in qua sanctissimæ Trinitatis gloria refulget, in cujus eximia pœnitentia gaudent Angeli, dæmones stupent; segnes & ignavi viri confunduntur*. Dionysius Carthusianus serm. 1. ex iis, quos in ejus laudem conscripsit, cum stupore admiratur ingentes cœli thesauros, qui larga manu in magnam hanc animam fuere effusi: *Tantis à Deo vivo, & vero est decorata virtutibus, tantis gratiis exaltata, tantis privilegiis honorata, ut certè ab ejus præconio omnis deficiat lingua hominum in hac vita*. Porrò Deus noster ipsemet, qui *spirituum ponderator est*, in ejus laudem dixit: *Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*; Luc. 10. 42 estque credibile laudem hanc excessivam prorsus atque eximiam fuisse; siquidem Ecclesia sancta Dei, quæ à Spiritu sancto regitur, & gubernatur, in festo solemnissimo, quod inter cætera festa de beata virgine per totum anni circulum celebratur, id est, in Assumptione & coronatione illius, hæc à dilecto Filio ejus ad sanctam Mariam Magdalenam pronuntiata verba, eidem adaptat; hæc quæ anteà septem dæmonum receptaculum fuerat, posteà in solitudine Marsiliensi, ut cum cœlesti sponso suo arctiùs constringeretur, ab Angelorum choris septies in die cœlum versus evecta fuit. Sanctus Thomas de Villa-Nova in Concione de hoc festo, ita nobis ipsam cum Angelis sermocinantem introducit: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, ut si inveneritis dilectum, nuntietis ei quia amore langueo*; quàm discrepans finis ab exordio vitæ! Demum verò sanctam hanc Eremicolam exteriori quidem in vultu à sole denigratam, & obfuscatam, illuminatam verò tantò magis interiùs hisce verbis alloquitur: *Nunquid tu Magdalena illa potens & nobilis, quæ quondam rivalium oculos tua pulchritudine detinebas, mentesque hominum decoro tuo nimio enervabas? nunquid non tu insignis illa peccatrix, & delitiosa, quæ mundi hujus inanes pompas longo apparatu superfluoque fastu ducebas? ubi obsecro tam multæ divitiæ? ubi turba ministrantium? ubi splendor vestium? ubi mollities unguentorum: ubi thorus delitiosus? ubi ampla ædificia? ubi gemmarum candor? quænam mutatio hæc? quid tibi & eremo?* tandem verò in persona sanctæ pœnitentis per illa ex sacris Canticis desumpta verba sanctus Archipræsul respondet: *Nolite me considerare*

quòd

quòd fusca sim, quia decoloravit me sol; quæ tamen verba non de luce corporali solari, sed de corusco Solis justitiæ lumine intelligebat; *sol inaccessibilis charitatis, cujus amore flagro, hic me decoloravit, hic omnem fuscum terrenæ vanitatis in me penitus absumpsit, potentis virtutis illius omnis ista mutatio est*.

Deum hanc sanctam mundo in preclarum pœnitentiæ speculum dedisse, ut unumquemque, quantumvis etiam impium ad eandem peragendam invitaret; & quis sit verus pœnitendi modus, ejus exemplo docetur.

DISCURSUS TERTIUS.

Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.
Lucæ cap. 7. v. 37.

1 VAlde celebris est illa, quam Surius refert, S. Mariæ Magdalenæ à S. Michaele Archangelo facta apparitio, dum is ei Massiliæ deserta inhabitanti felicissimum hoc attulit nuntium: *Deus quem tantum. O Magdalena, concupiscis, & semper habes te velut hunc locum lachrymis irrigare profusis, ut futuris seculis exemplum pœnitentiæ perpetuo fias*; atque ideo etiam B. Laurentius Justinianus in hoc festum scribens, de ea dicit; *Nobis facta est occasio spei, conversionis speculum, magisterium pœnitentiæ*. Verum inquies fortasse ex quo Evangelista illam nobis velut meretricem ob oculos ponit: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, qua ratione igitur hæc ex tot tantisque scandalis famosa mulier nobis exemplar loco servire poterit? Didacus Stella ait: *Ecce mulier, quæ antea fuit causa, ut universus mundus periret, nunc iterum est causa suo exemplo, ut per pœnitentiam ad Deum revertamur*: Id quod etiam Dionysius Carthusianus confirmat, dum ait: *Appellatur peccatrix, ut ejus exemplo ad pœnitentiam provocemur*. Videamus igitur quænam nobis ad bonam quandam, & stabilem conversionem instituendam documenta ministret.

2 Cæsarius Arelatensis optimè considerat, quod sancta hæc pœnitens in pulcherrimo ætatis suæ flore, in jucundissimo delectationum suarum vere, quando si unquam alias, tunc vel maximè libertate sua, divitiis atque delitiis suis frui poterat, ad Deum syncerè conversa, rigidam inceperit agere pœnitentiam. *Nec ipsa se reservavit, ut in fine vitæ pœnitentiam ageret, sed dum adhuc poterat peccare, sic voluit peccata deserere, ut illam de adulteriis suis non impossibilitas subtraheret, sed voluntas*. Omnino mystica sunt illa sancti Lucæ verba: *Ut cognovit*. Siquidem ad primum animæ ipsius infusum lumen, ad primam ei datam inspirationem, nulla ne vel unius diei aut horulæ mora interposita, in eodem puncto temporis, quo cœlestem illum protomedicum præsto esse cognovit, ad illum se pro salute recuperanda protinus recepit, neque convivii finem præstolata fuit: *irruens quasi importuna convivio*, (ut hodie in lectionibus legimus) *opportuna beneficio*, quia sine ullis petitis induciis Deo sese dedere optimè novit, vocationique interiori perfectè respondit & correspondit, idque cum plenitudine non solum affectus, sed & effectuum subsecutorum, omnibusque ostendit, quanta eum cura exequendum sit illud
psal 94. 8. Spiritus sancti monitum, & salutare consilium: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Unde Didacus Stella ait: *Ubi primum fuit conscia quod Christus erat in domo Pharisæi, absque mora aliqua propria domo deserta officina peccatorum, tetendit ad domum, ubi erat vera salus*. Quamnam putas esse causam cur Magdalena nunquam Salvatorem nostrum ad aliquod domi suæ præparatum convivium invitasse legatur, ne quidem post suam conversionem? Hospitio quidem in domo Marthæ sororis suæ exceptus fuit, at verò prouti sanctus Vincentius Ferrerius probat, duæ hæ sorores jam inter se divisam habebant hæreditatem paternam; ac proinde seorsim habitabant. Zachæus Christum in habitationem suam gaudens recepit: Sanctus Matthæus pariter etiam postquam ejus se disciplinæ subjecit, lautum ei instruxit convivium, cur igitur non & Magdalena illum invitat? scitis, quid ad id respondeti possit? Nimirum duo illi Zachæus videlicet & Matthæus avaritiæ peccatis immersi erant: at verò Magdalenæ domus publicum quoddam erat postribulum, atque ideo minimè consentaneum erat ut filius virginis, *qui est candor lucis æternæ* pedibus limen domus suæ calcaret. Didacus Stella verò dicit: *Sic Petrus, ut pœnitentiam ageret, locum & societatem peccati deseruit, hoc est, palatium Pontificis*. Quo in facto ipsum nobis insigne documentum morale tradidisse, ait: *Ut per hoc nobis innuat, quod nulla est vera pœnitentia, ubi occasio peccandi non tollitur*. Sancta quoque pœnitens nostra tergum domui illi vertit, in qua peccaverat, siquidem ex voluptatum præteritarum memoria, ex effigierum inhonestarum, donorum & munerum ab amasiis collatorum, nec non ab universæ alterius à pestilenti fornicationis habitu contaminatæ suppellectilis præsenti objecto, multi in ipsa concupiscentiæ stimuli resuscitari poterant, aut verò dici quoque potuisset, ideo ipsam non invitasse unquam Christum in domum suam, sed potius ad publicum quoddam importunè irruisse convivium in præsentia plurium, qui ipsam gravissimorum peccatorum ream fœminam esse cognoscebant, seque in habitu cujusdam publicæ pœnitentis Christo Domino stetisse, quia *erat in civitate peccatrix*, ad significandum, quod ex quo scandalum & peccatum ejus publicum fuisset, justum & æquum esse, ut omnibus manifestè appareat ejus emendatio & pœnitentia.

3 *Verè hæc mulier fuit perfectè conversa & reversa*, inquit Bonaventura, qui & Sancti Gregorii authoritatem sequentibus verbis adducit: *Quia quot in se habuit* In Luc.
oblectamenta, tot de se invenit holocausta. consideratque insuper mulieres in quatuor hisce rebus specialissimè peccare solitas esse: *in nutibus oculorum, in capillorum superflua præparatione, in voluptatibus osculorum, in suavitatibus unguentorum, & ideo perfecta pœnitentis oculi serviebant ad lachrymandum, capilli ad tergendum, os ad osculandum, unguenta ad ungendum*. Beatissima Virgo Maria de Zachæo, & sancta hac pœnitente sanctæ Brigittæ hæc verba revelavit: *Quia in om-* L. 4. c. 10.
nibus membris offenderant Deum, omnia membra dederunt ei ad satisfaciendum pro offensis. Ecce tibi hic insinuatam aliam conditionem ad veram solidamque pœnitentiam valde necessariam, etenim si tot modis, perque tam varias culparum species Deum offendere præsumpsimus; justum & equum est, ut eum nobis per varios servitii & obsequii actus reconciliare satagamus. *Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum*. De impio in Ezechiele scribitur: *Si egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium, & pignus restituerit,* Ezec. 33. 15.
rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet. Observate, obsecro, quot & quanta facere debeat, ut Deum sibi reconciliet: *Fecerit, restituerit, reddiderit, ambulaverit*, adeoque non sufficit pœnitentia, nisi satisfactionem annexam habuerit; etenim restituere rem oportet aut famam ablatam, injuriam remittere, reconciliari inimico, ab injusta lite desistere, resarcire illata damna, scandalum è medio tollere, denique malæ societatis & conversationis filum totaliter rumpere, ac tandem via à priori quæ ad præcipitia ducebat, rursus differente incedere, & ambulare: *Rigavit, tersit, non cessavit osculari, unxit, dilexit*; Quibus actionibus egregiè nos docuit, qualiter post resipiscentiam nobis operibus virtuosis, & Christianam pietatem redolentibus strenuè ac fervidè nobis sit insistendum. Sanctus Cyprianus de hac sancta pœnitente ita scribit: *Usa est capillis pro linteo,* Tract. de abjur. pedum.
oculis pro catino, lachrymis pro baptismo, cor contritum erumpit in lachrymas, fides lavit, charitas unxit, caput vero pro suppedaneo stravit, crinibus circumfusis pedes sacros involvit, & tersit; ad ejus proinde imitationem unusquisque sinceram pœnitentiam agere volens, omnem in id operam collocare debet, ut si antea satyricis, maledicis, aut lascivis pœmatibus aut compositionibus faciendis deditus fuit, deinceps verbo Dei prædicando, erudiendis in via salutis indoctis, libris sacris, & spiritualibus componendis, & in lucem publicam divulgandis serio vacet: Divitiæ, quæ antea pompæ, & superbiæ fomentum, vel quæ in ludos, crapulas, lubricam conversationem, impendebantur, inter pauperes & egenos liberaliter distribuantur, faciatque, ut cum debito decore resplendeat cultus divinus, Hom. 8. 19
& sic de omnibus aliis licet discurrere. *Humanum dico*

propter infirmitatem carnis vestra, sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditia & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitia in sanctificationem. Notentur verba illa: Humanum dico, quasi dicere vellet; ad magna & ardua vos adstringere nolo, sed in debilitatem vestram oculum dirigens, facillimum quoad possum, vobis consulo, nimirum, ut quicquid antea in vobis ex dispositione arbitrii vestri servire debebat peccato, nunc synceram agentes pœnitentiam in Dei servitium adhibeatis. Unde Origenes ait: *Pudorem hisce verbis auditoribus incutit Apostolus, ut hoc saltem obsequii justitiæ impendant, quod prius impenderunt iniquitati*. Idemmet Doctor qualiter gressus nostros qui antea currebant ad effundendum sanguinem, deinceps ad bonum retorquere debemus, egregiè exemplificat, dicens: *Currebant prius pedes vestri ad effundendum, nunc ad liberandum sanguinem currant, protendebantur manus prius, ut aliena diriperent, nunc protendantur, ut propria largiantur, circumspiciebant prius oculi aliena ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserendum, & uniuscujusque membri ministerium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus.*

4 Considerandum est insuper, quantum se sancta hæc pœnitens continuato semper fervore in via Dei progrediendo reformarit; Etenim quæ antea continuò jocabatur & ridebat, postea *lacrymis cœpit rigare*, ab iis deinceps fundendis nunquam cessatura, quæ antea fastuosa, & elata, superbisque vestimentis induta incedebat, rudibus deinde vestibus fuit contecta, iisque usu ac temporis diuturnitate consumptis capillis suis totum corpus contexit, utpote quæ ad terram usque crescentes defluxerunt; quæ antea in superbiæ signum *extento collo* ambulabat, postea ad pedes Salvatoris humillimè prostrata jacebat, quæ prius velut Samaritana, & Dæmoniaca omnibus execrabilis erat, demum insigne hoc à Salvatore retulit elogium, optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea; quæ paulò ante in lautis conviviis primum obtinere locum quærebat, nunc à convivis mensæ accumbentibus contumeliari & digito monstrari, & ut ita dicam, canis instar sub mensa convivantium Salvatoris pedibus adrepere non erubescebat, ad adeò rigidam se abstinentiam reducens, ut Sanctus Thomas de Villa-Nova de illa scribens dicat: *In humanis artubus angelicam personam agebat: sine cibo, sine potu, sine veste solis cœlestibus inhians*. Antea conversationibus hominum, & vanis mundi gaudiis totaliter dedita fuerat, nec alteri rei studuerat, quam ut videre posset alios, & ab aliis videretur, siquidem *erat in civitate peccatrix*: postea verò ab uniuscujusque se aspectu subducens per triginta annos continuos in solitudinem quandam sese abdidit; quæ antea ad nihil adeo afficiebatur quam ad gemmas, margaritas, monilia, vestes, auro, argentove rigescentes, & cujuslibet aromatici odoris fragrantiam, illa postea vix sibi assumsit, unde corporis sui nuditatem contegeret, factaque est corpore tenus scorpionum duntaxat atque ferrarum socia, licèt anima tenus cum Spiritibus Angelicis, cœlestique sponso suo jugiter conversaretur. Ecce igitur ad vivum tibi delineatum illud, in quo vera quædam pœnitentia consistit, nimirum si operam demus, ut in nobis vera sit mutatio affectuum, motuum, verborum, cogitationum, ac desideriorum totaliter ab iis differentium, quibus quondam in statu peccaminoso agitari solebat; *Agnosco jam verè O beata mulier* (inquit S. Thomas de Villa-Nova) *quoniam omnia illa sæcularia non tam reliquisti, quam commutasti; Angelos pro rivalibus amatores suscepisti; cœlestibus dapibus pro terrenis frueris, & pro coruscantibus gemmis meliores multo, pretiosioresque animæ margaritas invenisti*.

Concii. de S. Maria Magdal.

5 Verùm enimverò dicite sodes, o Auditores, ex quo sancta hæc pœnitens nostra plenariam consecuta fuerat omnium peccatorum suorum remissionem, & indulgentiam & quoad culpam, & quoad pœnam, quo fine igitur ad ultimum usque annorum vitæ suæ finem adeo rigidam atque austeram prosequi voluit pœnitentiam? Etenim illud Spiritus sancti dictum in ipsa locum non habuit; *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit*, siquidem ipsiusmet æternæ veritatis testimonio ipsam in gratia Dei stetisse, sanctamque fuisse certissimum esse novimus, dixerat enim illi; Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam *dilexit multum*, ac denuo: *Vade in pace*; in interiori animæ suæ sinu imperturbabilem quandam experiebatur conscientiæ suæ quietem, nec nullis subjecta erat tentationibus, neque jam extra Dei amicitiam statui aut excidere poterat, utpotè quæ inviolabilem illius in æternum duraturæ acceperat promissionem illis verbis: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*, & tamen licèt nullam quoad se pœnitentiæ necessitatem haberet, quia tamen perpetuum quoddam futura erat illius exemplar & speculum, ideo omnibus in semetipsa manifestum esse voluit quod quantacunque aliquis salutis suæ securitatem & promissionem habeat, & tametsi certus sit remissum sibi esse peccatum, ejusdemque pœnam temporalem pariter & æternam; attamen à pœnitentiæ prosecutione cessare nunquam debeat, cum illud habeamus indubitatum axioma; *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Quis de gratia & amicitia Dei certior Petro erat? & tamen ad ultimum usque spiritum peccatum suum quotidie deflevit. Unde idem Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Audistis tenera atque delicata fœmina tam duram, tam rigidam, tamque diuturnam pœnitentiam triginta enim annis, ut dicitur, solitariam vitam duxit, disparique Angelorum brutorumque comitatu sociata* (postea verò nobis pigritiam nostram atque socordiam graviter exprobat, qui licèt gravissimo peccatorum pondere onusti simus, pœnitentiam tamen semper declinamus) *Idcirco credendum est Dominum voluisse in corpore tamdiu manere, & in vasta eremo habitare, ut sicut illam remittendo peccata, futuris sæculis exemplum misericordiæ reliquerat, ita etiam vitæ asperitate eadem pœnitentiæ fuerit cunctis spectaculum, ut etiam inde peccator, & ad sperandam veniam, & ad agendam pœnitentiam invalesceret, essetque in ea, & speranda & consequenda gratiæ documentum, frustra enim speratur commissi criminis venia ab eo, qui negligit pœnitentiam*. Tandem ulterius prosequendo docet nos quod oculos nostros non ad facilitatem quacum sancta hæc pœnitens nostra peccatorum suorum consecuta est absolutionem, quam ad continuatam à se cœptam rigidissimam pœnitentiam. *Postquam enim audierat peccatorum suorum indulgentiam; & postquam secura facta fuerat, adhuc tamen non contemnit pœnitentiam, quia se meminit deliquisse, tu autem nondum audisti, vocem Domini peccata tua remittentis, & in tanto discrimine, & periculo malè securus dormis, & quasi recepta venia negligis pœnitere?*

Eccl. 9. 8. — Luc. 10. 3 (?) — Eccl. 5. 5

De lumine, & notitia, qua peccatum suum agnovit, nec non de modis, quibus Deus illam vocavit ad pœnitentiam.

DISCURSUS QUARTUS.

Ut cognovit, quod Jesus accubuisset in domo Pharisæi. Lucæ cap. 7.

1 EX quo conversi Magdalenæ, utporè tenacissimo sensualium voluptatum luto profundè admodum immersæ valdè admirabilis fuerit, scire percuperem, undenam vel maximè ad resipiscendum, habituatumque peccatum suum detestandum permota & excitata fuerit. Porò ad hoc ut Petrus perjurus factus ad fletum permoveretur, benigni Salvatoris nostri oculo opus fuit: *Respexit Petrum, & flevit amare*; ut Saulus in Paulum, sive ex persecutore in Apostolum transmutaretur, necessum fuit; ut in terram ipse prosterneretur, prodigiosamque Cœli lucem prius intuendo oculorum suorum lucem amitteret: *Circumfulsit eum lux de cœlo, apertisque oculis nihil videbat*: ut Publicanus ille transformaretur in Apostolum, relictisque cunctis thesauris suis pauper evaderet, opus fuit voce Redemptoris; aut verò, ut sanctus Hieronymus scribit: *Fulgor & majestas Divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*. At verò in præsenti casu nostro in obscuro relinquitur, an Salvator ipsam ad resipiscendum vocaverit, aut invitarit. Sancta quoque Mater Ecclesia & sacri Evangelistæ, quinam ipsius ad resipiscendum efficacissimus impulsus fuerit, nobis minimè declarant. Existimo tamen, ni fallar, emendationis & pœnitentiæ suæ causam hisce verbis: *Ut cognovit*, attribuendam esse: *Tenebræ erant super faciem abyssi, terra inanis, & vacua*. O quam

Luc. 22. 6. — Act. c. 22. 6 — L. 1 in Matt. cap. 9 — Gen. 1. 2

quam confusum Chaos mundus erat, priusquam Deus lucem creasset! *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux*; Vix autem Deus lucem crearat, cum ecce mox venustas & pulchritudo, nec non insignis totius universi architectura sese prodere cœpit. Enimvero quis est, qui in animo hujus peccatricis confusum quoddam Chaos extitisse non agnoscit? *Tenebræ erant super faciem abyssi* sufficiat dicere, quod *erat in Civitate peccatrix; bibebat sicut aquam iniquitatem*. Sed quid tandem? *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; interius in corde suo laborabat Spiritus sancti inspiratio, quæ ipsam invitaus densas illas enormium peccatorum tenebras serenabat, enormitatis illorum suggerendo notitiam: *Dixitque Dominus: Fiat lux*; Deus enim ipsam ad resipiscentiam perducere volens radium ei immisit illius sanctissimi Spiritus, qui lucis titulo passim decoratur: *O lux beatissima reple cordis intima tuorum fidelium*: Ser. 39. in sabb. post Dom. 5. Quad. Unde sanctus Bernardinus ad eam conversus: ait: *Aperias fenestram tui intellectus, ut intret lumen veritatis, & illuminet illum*; agnoscere eam fecit infamiam suam, ob quam passim per universam urbem digito demonstrabatur ab omnibus: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*. Ipsa namque erat quoddam veluti totius Inferni mancipium, ac proinde septem Dæmonia in hujusce servitutis evidens signum in anima ejus continuò tripudiabant, utpote quæ quidam Sathanæ uncinus erat, qui in illud perditionis barathrum innumerabiles animas attrahebat; unde idem Sanctus non immeritò de illa dicit: *Occidisti mille animas*; Hanc ei agnitionem multasque alias illustrationes ei Deus ille communicavit, qui *erat lux vera, illuminans omnem hominem*. Idemmet sanctus Bernardinus insuper dicit, quod ad hoc ut anima quædam in culparum abysso sepulta vere resurgat. *Primum oportet, quod habeat lumen, intellectum, & cognitionem, quia si non cognoscit malum non potest deserere illud*, atque ideo protinus ut illud cœlestis lucis spiraculum animam ejus subintroivit: *Abje-* Joan. c. 9. *cit opera tenebrarum, & induit arma lucis*.

2 *Cognovit*. Nimirum eum, quem Pharisæus, ne quidem Prophetam esse credebat, verum Dei filium esse, qui pro animarum nostrarum salute, nec non peccatorum remissione in hanc exterminii terram descende- Ho. 20. inter 50. rat. Unde sanctus Augustinus ait: *Noverat, quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum esse idoneum, ad quem venerat, sciebat*. Porrò si qualiter ipsa perspicacis intellectus sui oculum acutiorem reddiderit, scire desidero- De conv. ad cler. tis, audire, quid S. Bernardus hac de re scripserit: *Purgatur lachrymis oculus caligans, & acuitur visus, ut intendere possit in serenissimi luminis claritatem*. Verùm enimvero pulchram quandam audite Alberti Magni ob- In Luc. servationem, dicentis: *Recognovit salutem in salutis auctore, & hoc est, quod dicit, quod Jesus accubuisset*; Non illum Magistri, Domini, Christi, aut Messiæ titulo honorat, sed Jesum quod idem est, quod *Salvator* appellat etenim probè ipsum eundemmet esse intellexit, cui sacratissimum hoc nomen cœlitus inditum fuerat; quonam putas fine? *Ipse enim salvum faciet populum suum à* Matt. 1. 21. *peccatis?* ideoque prima esse voluit è toto numero populi illius, quæ ad peccatorum remissionem postulandam coram hoc Jesu sese suppliciter præsentaret; *Hac igitur spe concepta*, inquit idemmet Albertus, *ex notitia nominis Salvatoris amplius tracta fuit*.

3 *Ut cognovit, quod accubuisset*. Videtur sancta pœnitens ab illo momento à superiori luce illustrata, sacratissimi illius corporis intellexisse virtutem, in convivio Eucharistico animabus infirmis communicandam; intellexisse, inquam, videtur, quod ad sistendum san- psal. 50. 16. guinis illius fluxum, de quo David adulter factus quondam dicebat: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ*, sacrosanctæ humanitatis Christi fimbriam contingere expediret. Unde Chrysostomus dicit: *Cernens in mensa Dominum, non quæsivit sicut Chana-* Ser. in pec. i have. *nea micas, sed ipsum panem amplexata est*. Porrò audito nunc Chrysostomo, Chrysologum quoque audire non displiceat, qui ingeniosè admodum considerat, quod ex illo Christi in convivio Pharisæi super lectum cœpto accubitu sancta pœnitentis anima velut ex evidenti signo perspicuè intellexerit, se cœlestibus ejus locupletandam esse thæsauris, ipsumque infinitam suam Serm 93. erga illam exercere pietatem decrevisse: *Ut cognovit, quod Jesus accubuit, non ad stantem, non ad sedentem audet venire peccatrix, Deus enim cum stat corripit, cum*

Mansi Prompt.

sedet, judicat, prostratis ergo conjacet, dum decumbit; nimirum intelligebat clarè ipsum convivium hoc adisse, non tam ut Pharisæi invitantis nutriretur epulis, quam ut ejus potaretur amaris lacrymis: *Pharisæi domum Christum intravit, non accepturus Judaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus, accubuit pœnitentis lachrymas potaturus*.

4 *Ut cognovit*, quod accubuisset in domo Pharisæi. Efficacissimum hoc sanctæ pœnitentis ad generosam resipiscentiæ ordiendæ resolutionem statuendum motivum fuit, Jam enim primum veritatis lumen, & agnitionem Christum prædicantem auscultando receperat: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & in-* Psal. 118. 13 *tellectum dat parvulis*, audiens vero Christum hac prima illustratione communicata minimè contentum ad instar soliciti & anxii pastoris, amissæ ovis vestigia indefessè quærendo sectari, divino amore magis sauciata fuit. *Ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi*. Circa quæ verba Sanctus Vincentius ita scribit: *Chri-* *sto ordinante quidam invitavit Christum, scilicet Simon* Serm de S. Maria Magdal. *leprosus, cujus domus erat circa domum Magdalenæ; & Christus, ut Magdalena haberet majorem occasionem videndi, voluit, ut comederent circa januam domus, januis apertis, & Christus voluit tenere dorsum ad januam, ne ipsa verecundaretur intrare*. Et credibile est, sanctam pœnitentem mox, ut Christum ad Pharisæi illius prandium accessurum esse intellexit, simul etiam per Spiritus sancti instinctum finem à Christo intentum omnino penetrasse, scilicet quod ad illud convivium accederet, *non accepturus Judaicos cibos, sed divinam misericordiam largiturus*. Cajetanus verò aliam opinionem sectatur, à jam dicta parum differentem, dum ait: *Nacta commoditas mulieri huic significatur, ex accubitu Jesu in domo Pharisæi, aut ex vicinitate, aut quod in eadem domo, in alia tamen contignatione habitaret, vel etiam in domo Pharisæi, ubi erat accessus familiarior* (inquit Albertus Magnus) *& quietior, & ma-* In Luc. *jor opportunitas obsequendi, quam in via publica, in quam frequentantium impediebat multitudo*. Magdalena igitur, una cum hac agnitione & lumine, quod non solum ex prædicatione in templo habita, verum etiam interius per Spiritus sancti impulsum hauserat, Salvatoris combinando benignitatem, & solicitudinem, qua ad ipsam in viam salutis redigendam urgebatur, *ut cognovit, obtulit alabastrum*, id est, cor suum in veræ compunctionis serventissimos actus contritum attulit, sibique se eum ad misericordiam proclivem & inclinatum inventuram tanto magis persuasit, quanto is se ad ipsam inquirendam, & invitandam ad veniam magis anxium & solicitum esse probaverat. Unde Chryso- Serm. 92. logus ait: *Inclinem ad misericordiam supremam didicit majestatem, & ideo credidit, quod esset ad veniam sibi promptus*, cujus hanc reddit rationem: *Qui Pharisæi venerat tam promptus ad mensam*. Huic Chrysologi opinioni Didacum Stellam pariter adjungere possumus dicentem. *Videns B. Maria Magdalena Christi benignitatem, & quod tam familiariter conversabatur cum superbis Pharisæis, quod in domo eorum accumberet, cum essent inimici ejus, & hostes, ex hoc mota fuit ad quærendum illum, non, inquit, repellet me iste, quamvis peccatrix sim, quandoquidem cum suis inimicis, & cum peccatoribus conversatur*.

5 *Cognovit*. Nimirum infelicem & miserabilem statum suum, in quem eam peccatum suum redegerat. Quærit sanctus Augustinus, quidnam Spiritus san- Lib. 14. de Civit. Dei ctus insinuare voluerit, quando primos parentes no- cap 17. stros post prævaricationem suam oculos aperuisse dicit: *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognovissent se esse nudos*. Ergone antea non se videbant, interrogat San- Gen. 37. ctus: Imo verò, & quod plus est, adeò benè & acutè vidit Adam, ut non solum omnes viderit animalium species, earumque singulis propria nomina indiderit, verum etiam in distinctione proprietatum uniuscujusque discernere potuerit: *ut videret, quid vocaret ea*, Imo & de Eva scribitur: *Vidit mulier lignum*. *&c.* Respondet igitur sanctus Augustinus, oculos prothoparentum post peccatum apertos esse ad cognoscendum bonum quod amiserant, & mala innumera, ad quæ ob culpam suam condemnati fuerant. *Aperti sunt oculi amborum, non ad videndum, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant*: Magdalena antea veluti cœca fuerat, siquidem perditionis barathrum, cui jam pedes suos

immuierat, minimè videbat; *cognovit*, quod pro voluptatibus momentaneis jacturam fecisset regni cœlorum, quod in gravi Dei indignatione consisteret, quod inimicas haberet creaturas universas ob Creatorem offensum, qui *armat creaturam ad ultionem inimicorum*. [Sap. 5. 18.] *Cognovit* semetipsam ab inferni Spiritibus esse possessam, suamque domum vivum quendam esse infernum, siquidem de uniuscujusque lascivæ mulieris habitatione propriè dici potest: *Via inferni domus ejus*: [Prov. 7. 27.] Item sanitatem, pulchritudinem, juventutem, in quibus suam positam habebat fiduciam, fugaces esse & evanidas: *florida & virens juventus* (inquit S. Bernardinus) *ad instar floris, & fœni arescit*. [Eccl 9. 10.] *Cognovit* vitam & conversationem suam etiam in mundi æstimatione vituperosam & infamem esse, quia mulier meretrix. *Tanquam stercus in via conculcabitur*; seque perpetui vituperii nota nobilissimam suam contaminare prosapiam. *Cognovit* Divinam justitiam instar ensis cujusdam ex filo tenuissimi super seipsa penduli, sibi imminere, nisi serio conversa resipiscat. *Cognovit* quam longanimis erga se fuerit divina misericordia ad pœnitentiam eam expectando, quam solicita in ea invitanda, quam prompta & benigna in ea recipienda & amplexanda, cunctisque peccatis suis æternæ oblivioni tradendis. [Rom 5. 20] *Cognovit* enim, quod *ubi abundavit delictum, superabundaret & gratia*; *Cognovit* intra se tot scelerum conscientiam suam procellosi maris instar perturbantium synderesim, & continuum remorsum, quia *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest*; [Isa. 57. 20. prov. 15. 15] cum tamen econtra *secura mens sit quasi juge convivium*. *Cognovit* quantopere verum sit, quod rosa subito quidem virescat, semper tamen spinis obsepta remaneat; nec ullam esse voluptatem hic in terris, quæ suas secum non adferat zelotypiarum, suspicionum, anxietatum, & infirmitatum sæpe numero valdè fastidiosarum & incurabilium puncturas. *Cognovit* quod *Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat*. *Cognovit* quam fugax sit hæc vita, tametsi in venustissimo annorum flore, in delitiarum divitiarumq; culmine constituta, prouti in filio viduæ Naimiticæ viderat, utpotè in qua civitate, prout graves authores asserunt, morabatur, quique Naimiticus juvenis, prouti alii tradunt, inter amasiorum suorum amantissimos unus, nec infimus erat, & tamen in eundem in feretro extinctum, ac demum ab eodem Salvatore resuscitatum conspexit. *Cognovit*, quod suspiriis & lachrymis non solum ab inferni, sed & tot tantorumque scelerum abysso eximi, & in cœlestem quendam Seraphinum transformari posset, quodque sua pœnitentia non solum solicitum hunc pastorem, tanta cum anxietate requirentem, sed & omnes lætificatura esset Hierarchias cœlestes; nam si verum est, quod *gaudium est coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, [Lucæ 15. 10.] quanto magis super ea quæ omnibus sæculis futuris cunctis peccatoribus ad sui conversionem animum præbitura erat, firmamque fiduciam? *Cognovit* denique cum quanto lucro, & profectu suo amorem, quem antea in creaturis habebat dispersum, in suum posset transferre Creatorem & Salvatorem, quodque alias veriores delitias majoresque ac solidiores consolationes, & gaudia stabiliora ab hoc cœlesti Sponso receptura esset, quam à mundo, ut proindè satis perspicuè videatur quantu cum lumine, quantaque cum agnitione intra se resoluta dixerit: *Surgam & circuibo Civitatem, quæram, quem diligit anima mea, &c.*

Qualiter Magdalena omnes respectus humanos contempserit, omnem ruborem vicerit, atque in omnibus contradictionibus, & insultibus constans semper remanserit.

DISCURSUS QUINTUS.

Ut cognovit, quod Jesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. Lucæ cap. 7.

[De an. l. 25 cap. 5.] 1 ALbertus Magnus inter alias humanæ naturæ proprietates verecundiam quoque, & erubescentiam à pravis operibus nostris obortam recenset: hæc etenim homini adeo est propria, ut in nullo animalium cæterorum deprehendi possit; Et quidem tametsi id de omnibus hominibus universaliter verum sit, verissimum tamen esse, quod verecundia in fragiliori sexu hominis potissimum locum habeat, ipsa nos edocet quotidiana experientia. Hoc autem velut indubitato fundamento supposito, consequens est, ut sanctæ Magdalenæ virtus ex eo vel maximè elucescat, quod scilicet in conversione omnem vicerit ruborem, & erubescentiam. *Irruperat mulier* (inquit sanctus Augustinus) [In psal 35] *In habitaculum alienum, sed non accesserat ad Deum alienum*, quamvis enim Deum se summa cum benignitate recepturum esse firmissimè crederet, attamen simul etiam, Christum Deum illum esse sciebat, qui *in Angelis suis reperit pravitatem*, [Job. 4. 18.] ipsam autem ex altera parte illam esse, de qua dicitur: *Erat in civitate peccatrix*. Adhæc ipsa domum ingrediebatur talium virorum, de quibus ipsemet Salvator dixerat, quòd quoad [Luc. 6. 41.] exteriorem apparentiam boni aliorum exempli, laudabilisque & virtuosæ vitæ adeo zelantes esset, ut quod aliis ne festuca quidem esse credebatur, hoc illis ingens quædam trabs esse videretur; & tamen licèt se enormibus peccatis obnoxiam esse sciret, utpotè quibus universam graviter scandalizaverat civitatem, ad hosce tamen adeo criticos & rigidos censores ingressa fuit; unde facilè est unicuique conjicere, qualis fuerit ipsius confusio, utpotè quæ se ab illis digito monstrandam, atque ab illis Pharisæis hypocritis gravis rigidæque censuræ fulmine impetendam esse sciebat. Nazianzenus Nicodemum synagogæ Principem *Nocturnum tantum Dei cultorem* appellat; [Orat. 42.] & alibi alia quadam occasione de ipso loquens dicitur: *Dimidia tantum ex parte Christum amans Nicodemus*; [Orat. 16.] siquidem cum Christo sociatus, ab aliis videri erubescebat, ideoque ne ab aliis observaretur, sub noctis tenebris ad eum meticulosè accedebat: [Joan 3. 2.] Magdalena autem licèt nobilissima esset progenie oriunda, variorum castellorum proprietaria Domina, dives & opulenta, rarissimaque pulchritudine conspicua, cui proindè nobilissimi Hierosolymæ heroes & equites ab obsequiis quotidie erant, nihilominus in ipsa meridie, sub tempus prandii è domo sua sola, sparsis post tergum & in facie capillis, neglecta & lacera veste induta, plorans & ejulans Christum humillimè accessit; non præstolata noctem, neque incognita ipsum convenit, quin potius ab unoquoque videri & observari voluit; & sicut anteà per suam dissolutionem atque licentiosam vitam toti civitati scandalum dare non erubuit, ita quoque nunc omnem verecundiæ ruborem vincere voluit, emendationem, resipiscentiam, & conversionem suam unicuique manifestando. Potuisset utique nonneminem famulorum suorum ad Salvatorem mittere, eundem ut domi suæ ipsam conveniret, enixè rogando; siquidem jure sibi persuadere potuisse, quod instar soliciti pastoris; qui amissam ovem suam anxiè investigat, perque montes & devia sectatur, quique ut Samaritanam lucrari posset; *Fatigatus ex itinere sedebat supra fontem*, [Joan 4. 6] ad ipsam non dedignanter quantocius venturus esset, ut ipsam veluti amissam oviculam lucrari, & ad ovile suum lætus reducere posset; id tamen neutiquam facere voluit, quin potius ipsamet adeo contemptam se confusioni & pudori huic subjicere & exponere voluit; poterat quoque hanc suam insignem pœnitentiam ad finem usque prandii differre, & donec Salvator solus esset, præstolari, id tamen nequaquam fecit. *Discite quo dolore ardet* (inquit Gregorius) [Ho. 33 in Evang.] *quæ flere & inter epulas non erubescit*. Hoc quoque erubescentiæ & ruboris sui meritum magis augetur, si consideremus, qualiter Redemptor noster eo tempore in nullo prorsus apud Synagogæ Principes pretio aut æstimatione fuerit: *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum?* [Joan. 7. 48.] Passim per ludibrium meribibulus, Samaritanus, dæmoniacus appellabatur; extrinsecus misere vestitus, paupertatem, mortificationem, mundique contemptum annuntiabat: & tamen hoc non obstante non solùm ad ejus pedes se prosternit, verùm etiam eosdem lachrymis suis abluit, capillis abstergit, osculatur, & pretiosissimis delinivit unguentis; quam igitur, quantamque ipsam interius expertam fuisse existimatis contradictionem? quantum illi bellum movere potentissimi humani respectus? quantam in ea sensus nondum satis edomitus, sed tunc vel maximè, si unquam aliàs recalcitrans, sustinuit repugnantiam? quia *erat mulier in civitate peccatrix*. O felicissimam peccatricem? siquidem domo sua egreditur firmo sibi facto decreto, de

mundo

Matt. 21. 33. mundo pedibus conculcando. *Mundum sub pedibus constituit*, inquit Didacus Stella. Author operis imperfecti, dum verba parabolæ de vinitoribus, filium Domini vineæ ad eos cum hac concepta spe: *Verebuntur filium meum*, benignè missum occidentibus, tractaret, alludens ad id quod Deus sola pietate motus, pectoribus, postquam ab iisdem sæpenumero mortaliter offensus est, facere solet, alludens dicit: *Misit confundere illos, non punire, nam pro tantis injuriis benigna Domino sufficiebat sola vindicta pudoris*; quæ verba sanctæ huic pænitenti facilè applicare possumus; nam tametsi verum sit, quòd hæc *erat in civitate peccatrix*, attamen *pro tantis injuriis benigno Domino sufficiebat sola vindicta pudoris*. Considerat Sancta culparum suarum, quibuscum Deum suum & non alios offenderat, multitudinem & gravitatem, ac proindè pro eisdem omnino satisfacere decreverat, idque magno cum rubore & confusione sua, utpotè qui omnes respectus humanos pedibus suis subjecerat, ut deinceps coram solo Deo constituta, soli quoque Deo placere posset. Undè Chrysologus ait: *Venit* Serm. 93. *Deo satisfactura, non hominibus placitura*. S. Paulinus sanctum Magdalenæ ausum, quo domum alienam ingressa, ad convivantes invitata non accessit, conside- Epist. 4. ad S. Ver. rans dicit: *Illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cælorum*, & ut verum fatear, cautam ejus significantioribus, magisque mysticis verbis significare non poterat: siquidem *Regnum cælorum vim patitur, & vio-* Matt. 11. 12 *lenti rapiunt illud*, id est, illi ejus sibi possessionem vendicant, qui sibimetipsi violentiam inferunt, qui contra mundi torrentem vestigia sua figunt, omnesque in animo supplantant humanos respectus. Nec est quòd veluti duriusculè sonans verbum illud, petulans, admiremini, siquidem S. Augustinus eam quoque in hac In Ps. 125. occasione impudentem & invetecundam appellet: *Qua fortasse frontosa erat ad fornicationem, frontosior facta est ad salutem*: quotiescunque enim de animæ suæ salute asseveranda agitur, omnis deponendus est verecundiæ rubor: hancque viam ingredientes, audaces esse oportet & generosos. Deus, qui animarum nostrarum sponsus est, in sacris Canticis hoc à sponsa sua unicè efflagi- Cant. 2. 14. tat; *Ostende mihi faciem*: quasi diceret, vultum tuum coram me discooperias. Verum, inquies, nunquid majoris modestiæ & pudicitiæ signum est, si sponsa vultu & facie obvelata incedat? S. Vincentius Ferrerius Ser. 10. post Dom. Tri. dicit: *Loquitur hic Christus persona pænitenti*; etenim quando anima aliqua à pristinis peccatis resipiscens, veram vult agere pœnitentiam, sponsus nequaquam permittit ut verecundetur & erubescat, ac diverticula quærat, quin potiùs revelatam peccatricis animæ faciem videre desiderat, ita ut virtuosè operando non erubescat: hoc enim si in ipsa deprehendat, eandem veluti unicè dilectam sponsam tractabit, eique gratiarum omnium communicabit abundantiam; undè pergit dicere: *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora*. Hac virtute David se præditum fuisse probavit, qui tametsi potens & coronatus Rex esset, publica tamen obsequii, devotionis & reverentiæ erga Deum, necnon contemptum sui ipsius evidentissima signa exhibuit. Undè sanctè gloriabatur. *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem*; idemque sancta hæc pœnitens *ad literam* adimplevit: siquidem quæ *erat in civitate peccatrix*, in eademmet civitate publicè coram omnibus, sine ullo humano respectu, qui detinere posset, publica pœnitentiæ signa edidit.

2 *Frontosior facta est ad salutem*. De ejus heroica in Homil. de Pœn. superando se ipsam mortificatione scribitur: *Subitò quasi meretrix audax intravit in domum, & attritam publicis aspectibus frontem obtulit Salvatori*. Primum quod fecit, quòstquam Pharisæi domum ingressa fuit, est, quòd faciem suam, deposito omni verecundiæ rubore, Salvatori nostro nudam & revelatam ostenderit: *Au-* Oliver. in c. 48 sub vers. 16 *dacter intravit, non respexit ad Pharisæum, sed recto limite direxit ad fontem pudore privata, & pœnitudine armata*. Innocentius III. in sermone de hoc Festo, peccatum hujus pœnitentis publicum esse considerat; *Quia notorium notabili satisfecit pudore*. In moderno quodam Ecclesiasticum exponente Commentatore legisse memini, quòd peregrini caput S. Mariæ Magdalenæ venerantes, in fronte ejus quandam carnis notabilem particulam conspiciant, haud secus ac si in ea parte, qua Christus eam tetigit, etiamnum viveret: quod si verum est, necessum est dicere, infinitam illam Sapientiam ex peculari mysterio ita disposuisse ut continuum hocce miraculum in ea præcipuè corporis parte perseveraret, in qua tantum habuit meritum; siquidem frontem suam pœnitentiæ tempore revelando, omnibusque sine metu exhibendo, adversus omnes respectus humanos, lascivorum juvenum derisiones (nam *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus*) Pharisæi ob murmurationes, omnesque alias a dæmone, mundo, & carne, quibuscum anteà arctissimè colligata & dedita fuerat, sibi intentatas contradictiones solidam & constantem esse probavit: neque solùm in hac conversionis suæ occasione imperterritam omnibus frontem exhibuit, verùm etiam deinceps semper in aliis occurrentiis, tametsi enim magnifici territorii Domina, ex patrimonio opulentissima pariter & nobilissima esset, vestigia tamen Salvatoris pedestri semper itinere, unà cum Apostolis, qui viles piscatores erant, aliisque Mariis, & nonnullis fœminis devotis, sibi tamen quoad natales & potentiam longè inferioribus prosequi nequaquam erubuit. Quando pretiosissimum illud unguentum super caput & corpus Salvatoris munificentissimè effudit, à Juda traditore publicè increpari patienter sustinuit. Denique cùm Christum in passione sua in ipsum usque Calvariæ montem, donec spiritum emitteret, imperterrita sequeretur, sine ulla formidine inter medios deguit lictores: ac demum posteà dum corpus Christi mortuum è Cruce depositum clauderetur in sepulchro, armatis militum turbis tanto cum rigore custoditum inter milites imperterrita permansit: denique perfidis quoque restitit Judæis in ipsius mortem coojurantibus, quando eam mari sine remigio impositam, ventorum ac tempestatum voluerunt esse prædam. Manutius in Apophtegmatibus suis de quodam Philonide Syracusano refert, quòd cùm multis obnoxius esset infirmitatibus, intolerabilem parentibus suis causaverit nauseam: accidit autem die quadam, quod cùm soror ipsius insignem Menecratis medici eximii deprædicaret scientiæ & experientiæ præstantiam, ipse subito ingenti medicum illum consulendi desiderio correptus, eum diligenter pervestigavit, ac tandem eum apud certum quendam Dominum convivam esse intelligens, vehementi sanitatis suæ desiderio excitatus, ad eundem mensæ etiamnum accubentem accesserit, cumque eo de statu morbi sui multis contulerit: scribit autem insuper dictus Author: *Ejus adventus ira & fremitus in Principibus causa fuit, sed in Menecrate propria gloria cupido summi gaudii & delectationis*. Infirmus autem se excusavit dicendo: *Parcite quæso, parcite graviter laboranti, nemo acriter laboro*. Dicite fodes quis unquam magis nauseabunda infirmitate correpta fuit, ipsa Magdalena, siquidem *erat in civitate peccatrix*: ideoque dicere poterat. *Non est sanitas in carne mea à* Ps. 37. 4. *facie iræ tuæ, putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ*, ob ingentia scandala sua ab omnibus execrabilis habebatur & exosa: protinus vero ut à Martha sorore Christi, qui medicus ille erat, qui de seipso dicebat: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*, summam benignitatem intellexisset, omni eundem cum solicitudine perquisivit. *Et ut agnovit quòd Jesus accubuisset in domo Simonis*, inter medios convivas irruit, Matt. 9. 12. ut vulnera animæ suæ huic cœlesti medico ostenderet, quicquid in eam cæteri convivæ convitiorum & calumniarum murmurando effutirent. Nihil ad propositum aptius aut melius dici poterat. S. Augustinus in Homilia, quæ hodie ad Matutinum lecta est, ita ait: *Vidistis mulierem in civitate famosam mala utique fama, quia erat peccatrix, non invitatam irruisse convivio, ubi suus medicus recumbebat; & quæsisse pia impudentia sanitatem, irruens quasi importuna convivio, opportuna beneficio; noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad sanandum idoneum esse, ad quem venerat, sciebat*. Undè propriè ei illa Canticorum verba competunt: *Quis det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ,* Cant. c. 8. 1. *ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?* Exhibet enim se hæc anima, quasi nihil adeo vovens & optans, quàm ut foris extra portas Hierosolymæ dilecto suo occurrere, & suaviter deosculari posset, substrato sub pedibus suis quovis vano mundi respectu, parvi & flocci faciendo quicquid mundus dicat. Undè S. Apostolus dicit, *Propter quod & Jesus* Hebr. 13. 12. *ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra por-*

tam

tam passus est; nosque ad similem contemptum fideliter exhortans statim subjungit: Exeamus igitur ad eum extra castra improperium ejus portantes. Porrò sancta nostra pœnitens idipsum executioni fideliter mandavit, priusquam moneretur à S. Paulo, & antequam Christus ipsi & nobis hoc post se relinqueret exemplum, siquidem ipsa foras extra Hierosolymam per tot dominia & castella secuta est Christum, qui *erat opprobrium hominum, & abjectio plebis*, & præcipuè usque in Calvariæ montem, & ubi Christus tanquam infamis malefactor inter duos latrones crucifixus fuit. Non potuit tamen tunc dicere: *Me nemo despiciat*; quia incredibile est, quot ibi pro amore Christi injurias, opprobria & convitia sustinuerit. Idem Paulus iterum scribit: *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, id est, ut ait S. Anselmus, *neglecta verecundia humana*. (Habr. 12.) Porrò Christus eam licèt publicam meretricem suscipere, & pro illius peccatis tanta cum infamia crucifigi non est dedignatus aut verecundatus, ideoque justum quoque erat ut ipsa non verecundaretur ipsum publicè profiteri & sequi, hacque ratione ruborem, qui nihil est aliud quàm genas tingens sanguis, pro rubore Christi reponere. Enimvero hoc in ipso mirandum est, quòd cùm Petrus Cellensis animam quandam ad peccatum suum etiam cum modico verecundiæ rubore confitendum invitaturus, eidem dicat: *Sanguinem pro sanguine repone, scilicet profuso in ara Crucis effusum in rubore confessionis*; (De Panibus c. 1.) hæc tamen sancta pœnitens nostra toties hunc ruborem devicerit, priusquam sacrosanctum hunc sanguinem in Cruce pro se effundi videret. S. Gregorius pulchram adducit rationem, cur scilicet solida, firma & imperturbabilis ab erubescentia se superari nunquam permiserit, dum ait: *Non erubescit convivas, non timet despici; namque semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris, & vehemens salutis amor foras expulit humanum timorem*. (Ho. 31. in Evang.) Dionysius vero Carthusianus sanctam pœnitentem in eo, quòd scilicet tantoperè vexaretur à respectibus humanis, tamque graviter à rubore & verecundia, huic sexui, maximè à lasciviæ pice coinquinato adeo familiariter propria infestaretur, summè gavisam fuisse existimat, ut vel sic moneram sibi compararet, quacum aliqua saltem ex parte divinæ justitiæ satisfacere posset, *Non solum non verebatur confundi, despici, irrideri, imo omnia ista optavit, ut Deo, quem ipsa inhonoravit, aliquam compensationem honoremque faceret*.

Suavissimum à Magdalena ad Salvatorem allatum unguentum multarum, earumque valdè mirabilium in ejus conversione relucentium virtutum exercitium fuisse demonstratur.

DISCURSUS SEXTUS.

Attulit alabastrum unguenti. Lucæ cap. 7.

1 QUando vas illud unguento pretiosissimo refertum considero, quod Magdalena ad Salvatorem attulit, cujus fragrantia sese per omnia sæcula effudit non solùm in cœlo, sed & in terra; undè ad stuporem usque innumeras per omnem ætatem animas attraxit, dicentes: *In odorem unguentorum tuorum currimus*, verificari mihi videtur, quod quondam Salomon de vero Salomone in sacris Canticis prædixit, dum ait: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis*. (Cant. 1. 11.) *In accubitu suo*. Etenim Deus noster nuptias adire videtur, quando animas convertit; ideoque quando mulierem illam Samaritanam ab errore ad salutis statum reduxit, animarum conversionem sapidissimum cibum suum appellavit: *Cibum habeo manducare, quem vos nescitis*. (Joan. 4. 32.) Ubi Chrysostomus ait: *Hominum salutem hic cibum vocavit*. *Nardus mea dedit odorem suavitatis*; Porrò ad convivium istud vas quoddam odorisem unguento refertum subintulit. Hugo Cardinalis ait, id est, Maria Magdalena humilis & devota dedit odorem suum; hac Glossa verba illa: *Nardus mea dedit odorem suavitatis*, illustrat. Quemnam vero odorem alabastrum illud spiret, S. Ambrosium exponentem auscultate: *Multorum enim florum*, inquit, *in unum collecta gratia spargit odorum varias suavitates*. (Act. 32. 25.) Albertus Magnus de eodem ita scribit: *Hoc igitur unguentum de diversis aromatibus confectum unctionem significat devotionis, & compunctionis, & charitatis*. Enimvero si alabastri hujus pretiositas & valor consideretur, de hoc Cardinalis Baronius, non inopportunè ad propositum nostrum refert, potentissimum Persarum Regem Cambysen Regi Æthiopiæ inter cætera regia dona alabastrum quoddam ungenti misisse, de quo in specie dicit illud à Constantino Magno unà cum multis aliis reliquiis collocatum fuisse in foro Constantinopolitano, ab eodem demum loco in longè digniorem translatum fuisse à Theodosio Magno. S. Bonaventura quoque prædictum sacrorum Canticorum oraculum in hac occasione effusi ex alabastro unguenti adimpletum fuisse scribit: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. Hæc autem aromata sive unguenta, quæ attulit Magdalena Christo, designata sunt in 2. Paralipom. 9. vers. 9. Non fuerunt aromata talia, ut hæc, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni*. (In Luc.) In præsenti igitur Discursu in id totus connitar, ut in pretiosissimis hisce unguentorum odoribus, multarum, earumque valdè insignium virtutum, quæ in magnæ hujus sanctæ conversione mirificè resplenduerunt, agnoscamus exercitium.

2 *Dedit odorem suavitatis*, vivacissimæ nimirum fidei, per quam cœlesti sponso suo mirifice placuit, qui proindè ei protestatus est: *Fides tua te salvam fecit*. (Concord. Evang. cap. 15.) *Primum quidem in Magdalena hoc admirandum est, quod cum reliqui omnes à Christo sanitatem corporalem requirerent, hæc sola in omnibus Evangeliis mentis sanitatem, & peccatorum remissionem requisivit*. Porrò hac consideratione diu ante Jansenium usus est D. Chrysologus, dum ait: *Sola hæc ad honorem ei conferendum, & animæ incolumitatem acquirendam accessit*. (Hom. 81. in Matt.) Cananæa ut filiam suam à spiritibus infernalibus liberaret, Christum accessit: *Filia mea malè à dæmonio vexatur*: Maria Magdalena autem Christum quæsivit ut peccatorum suorum ab eo absolutionem acciperet. *Pro honore Dei & animæ directione, nec sicut ad hominem nudum accessit*. Damnatos spiritus ab obsessis corporibus expellendi donum Apostoli quoque & alii habuerunt; imo & septuaginta duo discipuli dixerunt: *Etiam dæmonia subjiciuntur nobis*; (Luc. 10.) *at vero quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Porrò hæc illius de Christi divinitate viva fides tantò in ea admirabilius resplenduit, quantò Pharisæi, scribæ & sacerdotes, qui majori scientia, lumine & agnitione Dei præditi fuisse supponuntur, Salvatori horribilius hisce verbis contradicebant, *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*; (Luc. 11. 15.) ipsa verò non obstante quod à septem dæmonibus possideretur, hanc tamen vivam fidem erga Deum exercuit; quæ etiam in ea tantò clariùs eluxit, quòd in convivium hoc irruens ne verbum quidem dixerit, imo ne quidem os suum aperuerit, nec finem, ob quem pedibus ejus advolveretur, manifestarit; sed tantùm inter amarissimas lachrymas atque suspiria, promptissima humilitatis & devotionis exhibuerit obsequia; nimirum perfectè credens; illum verè esse eum, qui *scrutatur renes & corda*: qui proindè optimè *sciebat, quid esset in homine*; flebat etiam, quia probè sciebat, *quod cor contritum & humiliatum non despicit Deus*. Simile quid S. Ambrosius in Petro amare flente notat, qui nullo prorsus verbo Christum est allocutus; quia ipsum angustias suas in corde suo perfectissimè legere sciebat, ut proindè verbis, quibus mentem suam ei explicaret, minimè opus esset.

3 *Dedit odorem suavitatis*. Sanctus Bernardinus scribit, alabastrum hoc juxta S. Isidorum, lapidem fuisse candidum variis coloribus distinctum, ex eoque vas istud unguenti fuisse fabricatum; (Serm. 46. in fer. 5. Dom. Pass. art. 1. cap. 2.) addit quoque lapidem hunc ea fuisse virtute præditum, ut facilem faceret reportari in controversiis & præliis victoriam, valdeque fuisse ad conciliandum & conservandum sibi bonos amicos potentem; undè sanctus hic Pater per alabastrum illud cor intelligit sanctæ nostræ pœnitentis: *Firmissimum cor candidum per propositum innocentis vitæ variis coloribus intertinctum, propter dolentem memoriam præteritarum culparum, valuit ad victoriam obtinendam de carne, diabolo atque mundo, & in eo ad Christum admirabilis amicitia generata & conservata est*. Possemus meritò adjungere, per varios hujus alabastri colores varias figura-

figuratas fuisse virtutes, quas sancta hæc pœnitens io semeripsa exhibuit, de quibus B. Laurentius Justinianus
Serm de S. M. Magdalena. ita scribit: *Maxima perfectio fuit hujus mulieris fides, vehemens amor, vera compunctio, humilitas sancta, manifesta cognitio, perseverantia constans, obedientia velox.*

4 *Dedit odorem suavitatis*, vivæ cujusdam spei, qua se ab ipso benignè excipiendam, atque ab omnibus quantumvis innumeris & enormibus peccatis absolvendam esse confidebat, quæ in ea magnoperè ex ea notitia excrevit, qua Pharisæum à lepra ab ipso sanatum fuisse
Ho 80. in Matth. sciebat. Undè, ut ait Chrysostomus: *Vehementer speravit animæ quoque suæ sordes facilè posse ab eo detergi.* Est quoque haud parum verisimile ipsam ex eo quoque majori cum audacia se coram eo stetisse, quia probè satis perspectam sibi habebat ejus erga alios peccatores haud obscurè exhibitam benignitatem, utpotè qui *cum publicanis & peccatoribus manducabat.*

s. Tim. 5. 5 *Dedit odorem suavitatis*, amoris & dilectionis erga Deum, quoniam dilexit multum. Apostolus ait: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Num fortè ardentissimam hanc flammam videre in ea aut experiri desideratis? conscientiam suam per amarissimas super Salvatoris nostri pedes effusas lachrymas abluit, indeque imperturbabilem quandam obtinuit conscientiæ puritatem, adeo ut audire meruerit: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace. De fide autem non ficta*; quàm hæc in ejus corde valida fuerit, satis liquet ex hactenus dictis.

6 *Dedit odorem suavitatis.* Heroici contemptus suiipsius, & omni exemplo carentis mortificationis, profundissimæque humilitatis, utpotè quæ illam à Sancto Hieronymo postea traditam veritatem diu antè cognovit, videlicet quòd *prima Christiani virtus est contemnere & contemni*; nihili fecit Pharisæi illius, omniumque aliorum convivarum sannas & derisiones, ad plurimas sibi à rivalibus & amatoribus suis, qui huic ejus tam ingenti maximè displicenti mutationi acquiescere nequaquam poterant, illatas injurias & improperia solida stetit: neque solum illa vice, sed & aliàs sæpè visa est solutis passisque capillis capitis sui, pauperculis lacerisque vestibus induta, maleque composita per publicas plateas discurrere, pectusque suum continuis singultibus, & planctu ferire, per urbem haud secus ac si furibunda esset, oberrans, donec tandem summa cum humilitate animique submissione ad Christi se pedes prosterneret, qui, ut alibi diximus, tunc *vermis erat, & opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

7 *Dedit odorem suavitatis.* Nimirum veræ cujusdam compunctionis: *Magno lachrymarum imbre madefacta* (ita Didacus Stella scribit) *ex gemitibus e cœlo irruentibus divino ardens amore in Deum transformata se intra privatam domum claudens vociferabatur.* Sanctus Vincentius Ferrerius istud Magdalenæ alabastrum considerans
Ser. in fer. 5 Do. Pass. ita scribit: *Alabastrum est cor peccatoris, in quo est unguentum pretiosum & medicinale contritionis ad curandum peccata: nam gutta hujus unguenti curat omnes culpas peccatorum mortalium*; undè subjungit, quod de hoc unguento intelligendus Psalmista loqui, quando scribit: *Qui sanat contritos corde, scilicet à plagis peccatorum, & alligat omnes contritiones eorum*; Etenim unico, vel saltem paucis ferventissimæ contritionis suæ actibus omnia sua licèt innumera peccata delevit, non solùm quoad reatum culpæ, verum etiam quoad pœnæ temporalis reatum.

8 *Dedit odorem suavitatis*, scilicet plenæ cujusdam perfectionis; siquidem semetipsam una cum omnibus suis potentiis interioribus & exterioribus Deo suo promptè consecravit, illud Apostoli monitum perfectissimè
Rom. 6. 19. exequens, dicentis: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc membra vestra exhibete servire justitiæ in sanctificationem. Attulit Salvatori unguenta* (inquit Sanctus Bo-
In Luc. naventura) *ad impendendum familiare obsequium, ad quod admissa fuit, scilicet ad exhibendum Christo ex devotione, quod carni suæ exhibuerat ex libidine.* Beda quoque super eundem Sanctum Lucam ita scribit: *Quod ergò turpiter sibi exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat.*

9 *Dedit odorem suavitatis*, id est, promptæ cujusdam solicitudinis, qua divinis respondebat inspirationibus. Sanctus Thomas de Villa-Nova ita de illa scribit. *Quid insolentius, quid inconsultius, tam sine modo, tam sine tempore? numquid non expectaret medicum, ut Dominus exiret de domo Pharisæi, aut in eadem domo post convivium?* nequaquam, sed in eodem momento ut *cognovit* quòd Deus se invitaret, *attulit alabastrum unguenti*, id-est, cor suum contritum tulit ad Christum. Didacus Stella ita scribit: *Dilectio nescit supportare moram, pœ-* Serm. de Lau.
nitentiam non distulit, nec ad vesperam, nec ad mane prostolata est. Cui consonat S. Asterius dicens: *Nec uno quidem temporis momento peccatorum medicum dimisit.* Undè illud nobis documentum reliquit, quod posteà à Libr. de
Tertulliano de pœnitentia tractante traditum fuit, ni- Pœn. c. 4.
mirum: *Rara occasionem inopinata felicitatis.*

10 *Dedit odorem suavitatis*, stabilis videlicet & perseverantis cujusdam conversionis: quia postquam plenariam illam recepisset peccatorum suorum indulgentiam, nunquam deinceps lapsa fuit; undè melius Sanctus Augustinus dicere potuit: *Postquam intellexi me pretioso Christi sanguine esse redemptum, nolui me amplius exhibere malo*, fuitque hoc ipsum ex mente venerabilis Bedæ per illa verba significatum, dum ait: *Vade in pace; quasi dicat, ne a via veritatis in via scandali ulterius labaris.* Et quidem ex quo S. Gregorius ait: *Quæ diu malè ambulaverat, vestigia recta quærebat*, ad pedes se Salvatoris prosternens, nullum profectò erat periculum, ut deinceps, postquam illa vestigia prosequi proposuisset, in viam, imo præcipitia, pristina denuò deflecteret; dicit enim Christus: *Ego sum via.*

11 *Dedit odorem suavitatis*, nimirum perfectæ cujusdam gratitudinis, & singularis erga benefactorem suum. Ex quo enim anxii illius pastoris pedes amissam ovem, quæ ipsa erat, solicitè quærentis defatigati erant, justum esse censuit, ut profundissima cum humilitate coram iisdem sese provolveret, devotissimaque iis oscula imprimeret, lachrymis dilueret, & abstergeret capillorum suorum concinnis, ac denique pretiosissimis unguentis perfumaret, & quid ampliùs in sinceræ gratitudinis signum facere poterat?

12 *Dedit odorem suavitatis*, liberalitatis nimirum & perfecti omnium bonorum temporalium contemptus; siquidem non solùm in domo Pharisæi coram convivantibus, sed & in aliis occasionibus unguenta magni valoris & pretii in Christi honorem liberaliter effudit, miram quoque modestiæ suæ sparsit fragrantiam, quando in conspectum Christi se sistere non præsumpsit, *stans retrò pedes ejus*; odorem quoque contemptus omnium rerum mundanarum fragrabat, dum deinceps divitias, nobilitatem, libertatem, pulchritudinem, voluptates, delitias, conversationes lascivas penitus aspernata, totaliter se humili Christi sequelæ, necnon vitæ plusquam Apostolicæ addixit; exemplum quoque dedit mansuetudinis, dum ad Pharisæi injurias & murmura non indignabatur, &c. Undè meritò Innocentius III. in serm. de hac festivitate de ea dicit: quod fuerit *virtutibus universis exornata.*

Variæ illorum verborum S. Lucæ: *Stans retrò*, expositiones considerantur, indeque nonnullæ moralitates eliciuntur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Stans retrò. Lucæ cap. 7.

1 DUo hæc verba, quantumvis brevia, magnum in se continent mysterium, ideoque justum ut illa seorsim ponderemus. Porrò verbum hoc *Stans*, situm quendam corporis in pedes erecti denotare, ideoque prima facie cum obsequiis ab ipsa Redemptori præstitis minimè concordare videtur; quòd si enim in pedes erecta stabat, quomodo Christi plantas prono corpore prostrata lavare, osculari, & capillis suis abstergere poterat? & tamen S. Lucas ait: *Stans retro secus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Sciendum est igitur, olim apud convivas in more positum fuisse, quòd manducantes in lectis quibusdam procumbentes jacuerint, ita ut capite mensam versus spectaverint, pedibus & reliquo corpore in directum extenso; quo supposito magis augescit mora difficultas: cùm enim sancta Pœnitens altioris staturæ fuerit, pro-

ut

uti ex capillis pedumque ejus magnitudine, utpotè quorum unus hic Romæ in Ecclesia S. Celsi asservatur, clarè videri potest; qua ratione igitur in hisce obsequiis non genuflexa ministrare poterat? & quidem verè ita est; veruntamen ly *stans*, quoad literam, corporalem ejus coram Salvatore præsentiam indicat, non tamen in pedibus erectè consistentis, cùm etiam genuflexa præsens esse possit; magna igitur cum advertentia Evangelista pœnitentem nobis per ly *stans* depinxit; siquidem anteà in sensualitatis lutum prolapsa nunc demum ad pœnitentiam resurrexerat, anteà de illorum numero erat, de quibus scribitur: *Allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.* Psal. 144. 14. Ubi S. Hieronymus legit, *omnes jacentes*. Ex Hebræo legitur, omnes incurvatos. Maldonatus literalem dictionis *stans*, sensum declarans dicit: *Stans, id est, consistens retro, credibile non est eam altum fuisse thorum, ut stans recta mulier pedes oscularetur, & capillis tergeret; stetisse igitur, id est, constitisse dicitur.* Enimvero ut ad rem propriùs accedamus, à sacris interpretibus ex hoc verbo stans eruta mysteria penitus contemplemur.

2 *Stans*. Hugo Cardinalis addit: *Parata servire Deo, quem jacendo serò offenderat*; etenim servorum proprium esse dominorum suorum reverentiam erecto corpore circa eorundem mensam consistere, ut administranda fercula, & quodvis aliud occurrens servitium prompti existant.

In Luc. 3 *Stans; in quo* (juxta Alberti Magni expositionem) *notatur, quod per rectitudinem erecta & parata stetit. Stans enim paratus est obsequi*; quamvis ex eodem verbo aliud insuper documentum eliciatur, nimirum necessariæ rectitudinis, quam anima quædam in divino servitio apprehendere debet; siquidem ut Salvator ait: Matth. 6. 22. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; & significat quod qui obsequi debet Domino, rectitudini debet se coaptare*; intentionis enim rectitudo omnium anima est operum nostrorum, utpotè quæ meritum suum apud illum Deum recipiunt, qui *scrutatur renes & corda*.

4 *Stans*; Papæ, quot ante ejus conversionem in pauculis hisce verbis: *Et ecce mulier in civitate peccatrix*, in ea notantur miserrimi lapsus! at verò mox ut se coram Salvatore stitit, seu ut melius dicam, mox ut ad sacrosanctos pedes provoluta cecidit, de ea si, inquam, aliàs verè dici potuit ipsam ab omnibus lapsibus suis erectam gloriose resurrexisse. Serm. 93. *Et bene stans* (inquit Chrysologus) *quia jam cadere non poterat, quæ ad pedes Christi meruit pervenire.*

5 *Stans* ad denotandam pœnitentiæ ipsius stabilitatem & permanentiam; undè sanctus Bernardinus ait; *Stans*, Ser. 30. In Sab. Dom. 5. Quadr. *quia quando convertitur* (verba sunt de muliere quadam sensualitatibus dedita loquentis) *debet stare firma, ita & taliter quod sit semper propositi, quod nolit amplius peccare.* Et alibi idemmet pariter Sanctus ait: Ser. 46. In fer. 5. Pass art. 1. cap. 3. *Stans, id est, non ultra in malis progreditur; stans in tanto castitatis & honestatis proposito firma, quod potius eligeret millies mori, quam amplius ruere in lapsum carnis.* 2. Cor. 7. 10. Undè Apostolus ait: *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; cum igitur concepta ejus ob Deum suum offensum tristitia, mœror & planctus supra modum intensus fuerit, quid mirum si ipsam in sanctis suis propositis adeo stabilem esse experiamur.

6 *Stans*; quia, ut in Discursu V. de hac solemnitate superiùs diximus, ad cunctas occurrentes sibi contradictiones, adversus omnia ludibria & subsannationes, quibus conversioni ejus obstaculum ponere moliebantur, intrepidam se, constantique & cordato pectore præditam esse probavit; vel etiam dici potest Evangelistam per ly *stans*, prophetico spiritu prædixisse, quam post aliquot deinceps annos Christum inter carnifices ad passionem ejus consectando, demonstratura erat generosam animositatem, qua Deiparæ Virgini correspondebat, de qua dicitur quòd *stabat juxta crucem*, ad ejus alludendo constantiam. Pariformiter enim veridicus Spiritus sancti calamus hoc eodem verbulo *stans*, ad S. Mariæ Magdalenæ ad Salvatoris sepulchrum mœsto corde consistentis honorem utitur, dum ait: *Stabat ad monumentum*; denique de eadem in Calvario monte consistente Evangelista pariter dicit: Joa. 20. 11. Joa. 19. 25. *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, & Maria Magdalena.* Undè sicut 4. pa. tit. 15. cap. 41. §. 1. S. Antonius de sanctissima Virgine Deipara ait: *Stabat non murmurabat quod filius innocentissimus pateretur*; ita nos quoque idem verbum *stans* glossare possumus dicendo, quòd Magdalena ad Pharisæi murmura, populi derisiones & ludibria, aliaque sexcenta conversionem ejus impedire conantia obstacula minimè indignata fuerit, eo quod oculum in peccata sua directum semper haberet, sed *stans* intrepidè perseveravit.

7 *Retro*. Porrò quando de sui in omnium convivantium conspectu mortificatione subeunda agebatur, apertum eis vultum intrepida ostendit, at verò duos oculos suos jam in duos lachrymarum fontes conversos, nec omnia alia quæ sacrosanctis pedibus ipsius præstabat humillima obsequia, ab eorundem oculis abscondere omni conatu studuit, siquidem omnem prorsus fugiebat exteriorem apparentiam, jactantiam & ostentationem, ad oppositum ejus, quod in suis cæteroquin virtuosis operibus, pharisaica intendebat hypocrisis.

8 *Retro*: Sanctus Gregorius ait: *Peccatores cum mala committunt, à facie Domini fugiunt*, cujus rationem Lib. 5. in 1. Reg. ca. 2. David reddit, dum ait: Ps. 33. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*: ulterius verò Gregorius prosequitur, dicens: *Sed cum redire pœnitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt quia & discedere longius nolunt, & tamen præsumere de Deo quasi amici non possunt*; ac tandem ad sanctam hanc pœnitentem descendens dicit: *Hinc est, quod peccatrix mulier retro stetisse dicitur*. Didacus Stella super illud ly Retro aliam quandam considerationem habuit dum ita ait: *Retro itaque stetit, illic enim assistere voluit, ubi peccata eam constituerant; nam quemadmodum mundos corde Deus præ oculis habet, sic peccatores post terga habet*; quanto igitur locum hunc rationabilius possidet, quæ erat in civitate peccatrix? Chrysologus quoque & ipse hujusce positu- Serm. 93. ræ sive situs mysterium pulchrum adducit, dum ait: *Stans retro, quia reus animus post tergum stat ad veniam, quia per culpam novit se vultus fiduciam perdidisse*; denique Dionysius Carthusianus dicit, ipsam ob peccatorum suorum turpitudinem coram Salvatore comparere non præsumpsisse, ad eum fere modum, quo de Publicano illo scribitur, quod *non audebat oculos ad cœlum levare*; Unde S. Bernardinus dicit: *Quia Mariam pudebat ire ante vultum Christi stabat retro confusa ad instar* Ser. 30. In Sab. Dom. 5. Quadr. *Publicani.*

9 *Stans retro*. Ex ea namque notitia, quam habuit, *ut cognovit*, Redemptorem peccatorum suorum grave onus humeris & tergo suo impositurum esse probè sciebat juxta illud *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*. Undè Didacus Stella ait; *Propterea retro stetit*, Ps. 128. 3. *quia legerat in Psalmo: supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: & sic supra dorsum Christi peccata constituere voluit; denique stabat retro, quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens; à tergo ut scapulis suis obumbret nos; a tergo, inquam, ut post tergum suum projiciat omnia peccata nostra.* Enimverò adeo immensum in se pondus peccatorum continet, ut eorum unicum duntaxat, tametsi illud vanitatis & superbiæ peccatum esset, pulcherrimum cœlorum angelum a sublimissimo cœli empirei vertice in profundissimam abyssi voraginem præcipitare sufficiat, atque ideo væ nobis & væ Magdalenæ, nisi Redemptoris humeros præsto habuisset, in quos ingens illud onus exonerare posset, secus enim in infernum usque ipsam nobiscum præcipitasset.

10 *Stans retro*. Sanctus Gregorius ait: *retro quidem stat pro verecundia peccati*. Et Sanctus Bernardinus dicit: Ser. 46. in fer. 5. Pass. art. 1. c. 3. *maximam verecundiam peccati sumens, ideo dejicitur retro; unde nec præ verecundia audebat aspicere in faciem Christi Jesu, sed retro accessit*; solent etenim impii, ut plurimum confundi & erubescere, quo minus peccata carnalia in conspectu uniuscujusque publicè committant, nec tamen Dei oculos quidquam verentur, unde nonnulli eorum intra se dicebant; *quis me videt? tenebræ circumdant me, quem vereor?* Eccl. 23. 25 & tamen majorem meritò Dei quam hominum habere respectum deberent; hunc igitur turpem errorem Magdalena exemplo suo correxit & emendavit, siquidem pœnitentiam agere instituens, coram hominibus nec quidquam erubuit, nec ab illis subsannari, & derideri se curavit, cum tamen in conspectu Christi peccatorum suorum verecundiam nequaquam dissimulaverit; atque ideo *stans retro* pœnituit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Retro propter verecundiam, secus per confidentiam*; ideoque in Esdra quo- 2. Esd. 9. que scribitur, quod illi applicare haud est difficile;

Deus

Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum: etenim evidentissimum optimæ cujusdam conversionis vestigium censendum est, si proterva & insolens, quæ in peccatis & dissolutionibus committendis antea se prodebat inverecunda, in sanctam quandam & virtuosam commoveretur peccatorum commissorum erubescentiam; unde S. Bonaventura ita nos docet, dum ait: *In pœnitente anima debet esse pudor, timor & dolor; pudor erat, quia stabat retro; timor, quia secus pedes; dolor, quia lachrymis rigabat.* Undè Innocentius III. ser. de S. Maria Magd. ait: *Notabili confusa pudore stetit retro erubescens ante faciem Domini apparere.* In Luc.

11 *Stans retro*; Sanctus Vincentius Ferrerius optimè considerat, quod inter alias ad veram quandam pœnitentiam requisitas conditiones, hæc non sit omnium minima, scilicet *mala societatis vitatio, hanc habuit Maria Magdalena, & tangitur ibi: Venit retro secus pedes ejus, in quo innuitur, quod retro mittenda est mala societas*; adducitque testimonium quoddam Origenis dicentis, sanctam hanc post ejus conversionem in nullum virorum præterquam solum Christum Dominum oculos suos defixisse, *quia occasione hominum tantum offenderat Deum; ecce quomodo dimisit retro malam societatem juxta verbum Domini: Vade retro Sathana.* Ser. in fe. 5. Dom. Pass.

12 *Stans retro*: Dicere etiam cum Alberto Magno possumus, quod *se directè penes Dominum in via ad sequendum eum aptavit*; Is namque dixerat: *Qui vult venire post me, sequatur me*; non dixit *præcedat*, & ideò Christi imitationi cum omni humilitate, & diffidentia sui ipsius debita, fiduciæque in Christum firmiter collocandæ totaliter intenta erat. Unde S. Antonius de Padua ait: *Retro, quia ejus vestigia imitari proponebat.* In Luc. Ser. in fe. 5. Dom. Pass.

De mysteriis, ob quæ se Magdalena ad Salvatoris nostri pedes conjecit.

DISCURSUS OCTAVUS.

Stans retro secus pedes ejus. Lucæ cap. 7.

1 Sanctæ huic pœnitenti retrò se post Salvatorem collocasse (*stans retro*) minimè sufficiebat, verum insuper pedibus ejus se arctius adstringere cupiebat, *Secus pedes ejus, ne inverecundam putaret, & impudentis audaciæ*, ut Cajetanus scribit, facilè enim audacia & præsumptio ejus scandalizare nonneminem potuisset, qui postquam de ea dici audisset, ecce *quæ erat in civitate peccatrix.* Christo tamen versa in eum facie inverecundè se stetisset, & ideò non coram Christo prodiit, sed *stans retro secus pedes ejus, non juxta caput aut latus; sed juxta pedes Jesu se collocavit.* Cui observationi Origenes quoque consonat, dicens: *Non fuit ausa ad caput Christi venire, sed lachrymis pedes ejus lavit, quasi vix etiam pedibus ejus digna, præ tristitia operante pœnitentiam in salutem stabilem.* Ipsam alias odoriferis unguentis pretiosissimis caput Salvatoris deliniviſſe legimus, hodie verò vix se ad deliniendos eodem pretiosissimo unguento pedes se prosternere ausa fuit, idque summa cum prudentia (ut sanctus Hieronymus notat) probè namque sciebat, quod *non poterat statim capite Domini meretrix digna fieri*, sciebat, inquam, quod peccatrici adeò enormi primum vitæ spiritualis gradum conscendenti ad pedes usque Salvatoris pertigisse sufficeret, sic namque progressu temporis sperare poterat futurum aliquando ut altius ad caput usque proveheretur, illoque dignissimo encomio digna fieret, *Maria optimam partem elegit*, quia ut scribitur in sancto Marco, *Fracto alabastro effudit super caput ejus.* Enimverò graves à multarum earumque enormium iniquitatum conscientia patiebatur remorsus, & ideò indignam se esse censebat, quæ in ejus conspectu compareret, sed solum hoc unicum sperabat Salvatorem non dedignaturum esse, quin eam velut vile propudium pedibus suis conculcaret; unde Dionysius Carthusianus ait: *Secus pedes; quia pedes sunt inferiores partes corporis ejus, ad eos audacius fiducialiusque accessit.* Marc. 14. 3.

2 *Secus pedes.* Sanctus Bernardinus sanctam hanc pœnitentem veluti in seipsam reversam, sibique propriam suam superbiam hisce verbis improperantem introducit: *O cor meum & corpus meum superbum! o gressus mei inflati, humiliamini ad pedes; imo si fas est, sub pedibus Salvatoris, esto caput meum scabellum pedum suorum, ut de humilitate sua recipiat remissionem superbiæ suæ.* Didacus Stella optimè considerat, quod Spiritus sanctus nobis Magdalenam ad Redemptoris pedes sex diversis vicibus provolutam repræsentet; primo videlicet, ut jam diximus, in hac conversionis suæ occasione. *In signum contritionis; secundo cum sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius: Tertio quando pro fratre mortuo Lazaro orabat; Quartò in cœna Bethaniæ, cum unxit pedes & caput Domini; Quinto in die resurrectionis Christi, cum cadens ad pedes, noluit Christus, ut tangeret eum; Sextò in eodem die resurrectionis Domini, cum cæteris mulieribus, quando tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Et quidem tametsi Evangelium id quod jam dicturus sum, non expressè asserat, verisimile tamen est, sanctam hanc pœnitentem primam fuisse, quæ pedibus Salvatoris sese advolveret, eosdemque osculis deliniret, alias verò Marias idipsum quoque exemplo ejus fecisse, *præ multa reverentia*, (inquit Theophylactus) *non audiens aliam partem corporis attingere quam extremas illas*, nec mirum sanctam pœnitentem adeo sacratissimis Salvatoris pedibus fuisse devotam, cum enim juxta hos veram in via salutis directionem accepisset, erga eosdem devotam quandam & reverentem semper conservavit gratitudinem: imo ex quo de Resurrectione mentio facta fuit, advertendum est, ipsam à Christo a mortuis resurgente ut resurrectionis gaudium Apostolis annuntiaret, ad eosdem ablegatam fuisse. Unde S. Cyrillus Alexandr. ait: *Mercedem autem perseverantiæ lachrymarumque suarum illico reddidit, quia mittitur ad discipulos, ut eis hoc Evangelium afferat, quod Christus jam surrexerit*; indeque Christum sanctæ Pœnitentis pedes honorare voluisse, colligit, idque ut piè credere possumus, ut obsequiis pedibus suis exhibitis piè corresponderet, unde subdit: *Largitur ergo Dominus illi mirabilem quamdam pedum pulchritudinem, pulcherrimi enim sunt, ut Propheta dicit, pedes Evangelizantium bona.* S. 45 in ser. 6. pas. Lib. 12. in Joan. c. 51.

3 *Secus pedes ejus.* Sanctus Bernardinus dicit: quod per hoc innuatur *timor reverentialis; cum dicitur secus pedes ejus: Ubi prius esset superba, & volebat sibi inclinari, & antecedere alios superbia, nunc stabat humilis secus pedes Christi.* Et quidem ob hujus suæ profundæ humilitatis merita piè credere possumus ipsam tot gratiis cœlestibus fuisse locupletatam; unde sanctus Augustinus ad illa verba, *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, se reflectens ita scribit: *quanto autem humilius sedebat, tanto amplius capiebat, confluit enim aqua ad humilitatem convallis*; ideoque mirum non est, quod in animam illam quæ paulò ante septem erat Dæmoniorum receptaculum, integros depulerit cœlestium divitiarum torrentes. Porrò in Epistola hodierna sanctæ nostræ Pœnitenti verba illa Canticorum applicari audivimus. *Inveni, quem diligit anima mea*, tenui eum, nec dimittam, neque enim unquam deinceps sive in vita sive in morte, sive post Resurrectionem Salvatoris sacrosanctos hosce pedes deseruit, prouti videre est, (*observante id ipsum Didaco Stella, & sancto Bernardino confirmante*) in sepultura Christi; dum enim hic è cruce deponitur, sanctissima Virgo & Magdalena pœnitens sacrosanctum hoc corpus, sustinuerunt: qua autem id ratione fecerint, si placet, audite: etenim virgo caput, Magdalena verò pedes est amplexata, prouti post se scriptum reliquit Simon de Cassia dicens. *Dominicos pedes illico recognovit, ad quos admota multorum peccatorum remissionem acceperat* (id est, quando ad eosdem post resurrectionem tenendos & amplexandos accurrit.) *Ex quo in amore facta ferventior semper illos animo & situ sui corporis repetebat.* Severus de hoc sanctis Mulieribus concesso privilegio resurrectionem Salvatoris ante omnes alios cognoscendi tractans, ait; *Illa quidem tenent pedes Christi, & merentur excursum, ac fide adstringunt sui vestigia Salvatoris, ut totius Deitatis perveniant ad honorem.* In Genesi vaticinium illud quo Esau frater natu major Jacobo natu minori deserviturus esse prædicabatur, hi- Se. 30 in S. Do. Quad. Serm. 7 de verb. Do. Cant. 3. 4. Serm 45 in f. 6. paraf. Li 9 c. 33. Se de R C Gen. 25 23.

hisce

ſce verbis deſcribitur, *Major ſerviet minori*; at verò obſervari ſne aliquando modum quo duo hi fratres divina in lucem ediri fuere providentia? Scriptura dicit: *Qui prior egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus, protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu.* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Illud quod ſub planta eſt, conculcatur*: Verum enimverò, quanam ratione Jacob ſimul cum fratre Eſau ex utero materno egrediens, manumque ſuam illius pedibus ſupponens majoratum, quem ſuper Eſau deinceps habiturus erat, indicare poterat: potius enim exindè omninò contrarium formari debuiſſet
Apud Lipom. in me. judicium & prognoſticum, ſiquidem *illud quod ſub planta eſt, conculcatur*. Sciendum eſt igitur regulam hanc in Chriſti ſchola omnino fallere, quanto enim magis quis pro ejus amore contemnitur & humiliatur, tanto amplius erigitur & exaltatur. Unde Diodorus ait: *Jacob Eſau fratris ſui calcaneum tenens ex utero matris egreſſus eſt, quo facto oſtendit Deus Jacob in certamine pietatis Eſau fratre ſuo præſtantiorem fore*; quæ omnia Magdalenæ quadantenus applicari poſſe videntur, dicendo, quod ex eo
Pſ. 37. 5. quod ad pedes Salvatoris in loco videlicet adeo humili proſtrata jacuerit, nequaquam in æſtimatione noſtra diminui debeat mirus ſanctitatis ejus conceptus, ex quo enim ſacratiſſimas haſce plantas tenebat, ſuam ſuper omnes alios peccatores pœnitentes exaltationem haud obſcurè indicabat.

Pſ. 37. 13. 4 *Secus pedes*; ſancta Pœnitens meritò dicere potérat, *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me: multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei*. Hoc autem iniquitatum ſuarum grave onus ad Redemptoris noſtri pedes depoſuit, certo ſciens eaſdem inventuras eſſe ibidem plenam remiſſio-
Ho. in Dom. infra oct. Epiph. nem. Unde S. Bernardinus ait: *Gratia tibi ò beatiſſima peccatrix, oſtendiſti mundo tutum peccatoribus locum, pedes ſcilicet Jeſu, qui neminem ſpernunt, neminem projiciunt, neminem repellunt, ſuſcipiunt omnes*. Verum enimverò advertendum eſt quod ſimul cum fiducia & plena erga pietatem divinam confidentia, metus quoque juſtitiæ ejuſdem Dei conjunctus eſſe debeat, unde B. Petrus Damianus in hoc feſtum ita ſcribit: *Pedes duo Chriſti ſunt miſericordia & judicium, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda*; ac proinde ſancta hæc pœnitens ambos hoſce amplexata eſt pedes, ſiquidem poſt receptam hanc plenariam indulgentiam, ſpecialem immenſæ redemptoris pietatis effectum adhuc divinæ juſtitiæ adeo rigoroſam & aſperam per univerſum auſteriſſimæ ſuæ vitæ decurſum facere voluit pœnitentiam.

5 *Secus pedes*. Hugo Cardinalis ait, *quia qui antiquitus ſuſcipiebant hoſpites multa eis exhibebant officia, abluebant enim eis pedes, miniſtrabant eis neceſſaria: ipſa feſtinavit abluere pedes ejus, ut hoſpitem præveniret in hujuſmodi obſequiis*, etenim Salvator noſter potius in corde & anima Magdalenæ hoſpitabatur, quam in domo Phariſæi, & ideo meritò diſpoſuit, ut illa non hic illud præſtaret obſequium. Albertus verò Magnus dicit, *pedes etiam Domini laſſi hoc obſequio indigebant*. Divinus enim hic paſtor ob ſolicitè per avia & devia montiumque ardua præcipitia quæſitam ovem hanc perditam, defatigatus planè erat, inque animam ejus velut hoſpes & advena ingreſſus eſt, ſiquidem *Erat in civitate peccatrix*; defatigatus inquam erat, quia ut quis è lubricæ ſenſualitatis luto animam aliquam eripiat, ſanguinem etiam; Ipſemet Dei filius ſudare debet, prouti in converſione Samaritanæ perſpicuè videre licet, ubi dicitur, quod *fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem*; hoſce autem pedes ſancta pœni-
Ser. 45. in fer. 4. Paraſ. tens noſtra lachrymis ſuis rigavit & balneavit. Unde S. Bernardinus ait: *Magdalena proſtravit ſe ad pedes Domini ipſos oſculando, & ſuis ſolitis lachrymis balneando & clamando, dicens: O ſanctiſſimi pedes, vos docuiſtis me quo pacto debeam aufugere & exire de manibus diaboli*.

6 *Secus pedes*. S. Auguſtinus ait. *Acceſſit non ad caput Domini ſed ad pedes, & quæ diu male ambulaverat, veſtigia recta quærebat*, id quod etiam S. Gregorius ſimilibus
Ho. 31 in Evang. 30. ferè verbis confirmat; cùm enim rectam ingredi viam ſtatuiſſet, eum ſolicitè inquirit, qui dicit: *Ego ſum via*, ſuoſque pedes poſt ipſum dirigit, quia veſtigia recta quærebat, idque ut Chryſologus ait, *Ut Chriſti veſtigiis innixa percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis*.

7 *Secus pedes*. Didacus Stella exiſtimat Magdalenam ex ſolius humilitatis inſtinctu Dominum non in ſuam invitare domum, ſed in aliena eidem occurrere voluiſſe, utpotè quæ verum eſſe ſciebat, quod *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*. Loquitur autem præfatus author velut ex ore & perſona pœnitentis dicens: *Scio, ſed iſta ſum peccatrix, quod non mereor, ut ſub tectum meum venias, nam quæ communicatio lucis ad tenebras, mihi enim ſufficit, ſi tanquam caniculæ concedatur, eſſe ad pedes ejus ſub menſa, & quod micas immenſæ ejus bonitatis & miſericordiæ colligere detur*, ac tandem conceptum ſuum hiſce verbis concludit: *Quia igitur beata hæc mulier in hoc fuit modeſta, quod dedignata eſt Chriſtum introire domum ſuam, ideo poſtea meruit, quod ſæpenumero in illa hoſpitaretur*.

8 *Secus pedes*. Quemadmodum ſancta pœnitens ſolicita erat, ut invitationibus quibus à Deo invitabatur ad pœnitentiam integrè reſponderet, ita ad Salvatoris pedes ſeſe provolvens aliud nihil intendebat, quam ut peccatorum ſuorum velocem & acceleratam ſibi acquireret veniam & abſolutionem; nam ut Chryſologus ſcribit: *Ad pedes tendit ſemper, citam veniam qui requirit*; Ser. 93. Et ideo de Sunamitide illa muliere ſcribitur, eam ad pedes ſe Eliſæi proſtraviſſe, ut filii ſui ab eo obtinere poſſet reſuſcitationem; *apprehendit pedes ejus*; unde Magdalena quæ antea per culpam mortua fuerat, 4. Reg 4. 17 *per peccatum mors*, protinus per obtentam peccatorum veniam conſolationem accepit. *Secus pedes ejus*; Et quidem tametſi nullum penitus locuta fuit verbum, ejus tamen pro ea loquebantur lachrymæ; hæ enim in cauſa illius adeo efficaciter perorabant, ut audire meruerit: *Remittuntur tibi peccata tua*. Et S. Paulinus ait: Epiſt. 4. ad Sever. *Ad pedes Chriſti cucurrit, ſeque in illis abluit*.

De lachrymis & fletu Magdalenæ, & quanti hic æſtimatus fuerit.

DISCURSUS NONUS.

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus. Lucæ cap. 7.

1 GUerricus Abbas de lachrymarum virtute tractans, in ea fuit opinione, quod videlicet in Ser. 2. de Pen. via Dei, ſeu in via ſpiritus & ſanctitatis, primum & præcipuum locum obtineat, *Luctus pius atque religioſus in doctrina ſpiritus, & in ordine primus, & utilitate invenitur præcipuus*; atque adeo Magdalena huic luctui in converſione ſua meritò primum locum attribuit, *lachrymis cœpit rigare pedes ejus*. Ser de S. M. Magd. Neque fletus & planctus hic mediocris fuit, ſiquidem Sanctus Petrus Damianus illum hac phraſi expreſſit: *Oculus inundantibus veſtigia Salvatoris infundit*. In Luc. Cajetanus dum illam priuſquam ſe Chriſti pedibus advolveret, cœpiſſe conſiderat, inde per efficacem conſequentiam fletum hunc amariſſimum fuiſſe colligit: *Stans cœpit rigare: non dixit rigavit, ſed cœpit rigare, quia ſtans in tantum prorupit fletum, ut antequam ſe inclinaret, inceperit rigare lachrymis pedes ejus*. Idem quoque Cardinalis meditatur, ſanctam hanc pœnitentem tantarum gelu iniquitatum congelatam (nam *quoniam abundabat iniquitas, refrigeſcebat charitas*) ingentem quandam glaciei molem in pectore ſuo condemnaſſe: *Genuerat mulier hæc gelu quoddam intra pectus peccatorum frigore confectum, ſed accedente ad divinum ignem, liquefactum eſt gelu de corde ſuo, & magno impetu defluxit unda*. Lorinus in Pſalm. 6. Porrò author quidam magnam arguè notat differentiam, quæ inter verba *abluere & rigare*, intercedit: primum namque raram quandam denotat pluviam, quæ madefacit, ſed terram interius minimè penetrat: Verbum *rigare* autem indicat aquam ipſa terræ viſcera permeare, ideoque Sanctus Lucas non ſine myſterio verbo *rigare* utitur, nimirum ut copio- Luc. 8. 6. ſiſſimum ejus fletum nobis demonſtret. Semen quod ſuper petram cecidit, poſtquam nonnihil germinaſſet, exaruit: cujus in promptu cauſa eſt, quia humorem, unde nutriretur, ſibi attrahere non potuit, *natum aruit, quia non habebat humorem*; nec tamen id de eo quod in templis ſpargitur, Verbi Dei ſemine dici poteſt, ſiquidem illud hodie quando adhuc *erat in civitate peccatrix* ſuper duriſſimam cordis Magdalenæ petram cecidit, & tamen *Ut cognovit, cœpit rigare pedes ejus*, perque hanc amari fletus ſui pluviam illud divini verbi ſemen eo modo in corde ſuo creſcere fecit, ut ad

illud

illud promptè, & expeditè excipiendum ad ejusdem [Luc. 10. 39.] Verbi pedes frequentissimè consederit: *Sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*. Chrysostomus de copioso, quem Magdalena effudit, planctu, & lachrymis tractans, ita scribit: [Hom. 2. in Psalm. 50.] *Grandis gloria martyrum, sed martyres effundunt sanguinem, peccatores effundunt lachrymas*, ac tandem ad illas quas gloriosissima hæc pœnitens effudit, perveniens, dicit: [Serm. 93.] *Meretrix non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, & delevit peccata sua*. Chrysologus fletui huic pluviæ epithetum attribuit, simulque in eadem pluvia naturæ ordinem perversum fuisse considerat, siquidem terra pluvias suas cœlum versus submittit: *En mutatur ordo rerum, pluviam terra cælum dat semper, ecce nunc rigat terra cælum, imo super cælos, & usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lachrymarum, ut juxta Psalmistam, & de aquis fletuum cantetur, & aquæ quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*. [Serm. 39 in Sab. Dom. 5. Quadr.] Sanctus Bernardinus ad hoc speciatim reflectit, quod in Evangelio frequenter flevisse legatur. *Legitur Mariam semper flere, & cœpit tunc per contritionem, & ejus lachrymæ etiam moverunt Christum lachrymari pro fratre*. Suis quoque amarissimarum, quas circa sepulchrum effudit, lachrymarum meritis, specialissimam illam attribuit prærogativam, qua Christum a mortuis resurgentem præ cunctis aliis videre meruit.

2 *Lachrymis cœpit rigare*. Probè quidem Christum peccatores recipere sciebat, nullos tamen alios, quam [Orat. 2. de Baptis.] verè pœnitentes. Unde Nazianzenus veluti ex Dei ore loquens dicit: *Recipio pœnitentes si lachrymis rigatos videro*. Hæ autem lachrymæ in ipso tanto magis inundabant, quanto amplius divina erga eam misericordia acerescebat, id quòd Simon de Cassia optimè consideravit, [Lib. 9. c. 29.] dum ait: *Et quo mansuetius patiebatur Jesus illas lachrymas defluentes* (hic enim illas tanto cum gaudio super pedes suos emanare patiebatur, ut ne vel unicam illarum lachrymulam in alium decidere locum permiserit) *& ejus admotas manus*, (pie enim credere possumus, ipsam eosdem pedes manibus suis lavisse, & abstersisse capillis suis, ac demum ungnento imbuisse) *eo fluebant uberius*, inquit idem Venerabilis Doctor; quantò enim lachrymas suas Salvatori acceptiores esse videbat, in tanto prorumpebat largiores suavitatis, & dulcedinis planctus, de quibus sanctus Augustinus scribit: *Dulciores sunt lachrymæ pœnitentium, quam gaudia theatrorum*.

[Libr. 2. in Luc.] 3 *Lachrymis cœpit rigare*. Sanctus Ambrosius considerabilem quendam describit lachrymarum effectum, dum ita ait: *Bonæ lachrymæ in quibus est redemptio peccatorum*; Hæ autem peccatricis lachrymæ, non solum bonæ, sed & optimæ fuerunt, siquidem sibi dici audivit: *Remittuntur tibi peccata tua, vade in pace*. [In libr. 2. Reg.] Sanctus Eucherius scribit, quod eodem temporis momento, quo aquæ lachrymarum à pœnitentis oculis manarunt, omnium quoque peccatorum suorum indulgentia plenaria eidem cœlitus affulserit: *Gutta lachrymarum cadit in terram, & venia delictorum descendit de cælo*. Athenis inter alios Deos, quibus sacrificia offerre consueverant, unus erat, quem Deum incognitum nominabant; *Ignoto Deo*: Huic autem Deo lachrymarum sacrificium offerri solitum fuisse dicunt. [Act. Apo. 17. 23.] Unde sanctus Paulus Apostolus Atheniensibus Evangelium prædicandi & annuntiandi, iisdem veram Christi notitiam ministrandi occasionem captavit: [Isa. 45. 15.] *Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, hincque ipsis ignotum Deum Redemptorem nostrum esse apertè monstravit: De ipso etenim verè scribitur: *Vere tu es Deus absconditus*; Quid igitur mirum si Magdalena eidem in peccatorum suorum expiationem hoc lachrymarum sacrificium obtulerit, eo vel maximè, quod eum antea ipsi ignotus fuisset, mox tamen ut aliquam ipsius agnitionem & notitiam accepit, *ut cognovit, lachrymis cœpit rigare pedes ejus*; probè namque sciebat, quòd verum sit *sacrificium Deo spiritus contribulatus, corque contritum, & humiliatum Deus non despiciat*, ut David ait, qui & alibi scribit: [psl. 19. v. 3.] *Memor sit Dominus omnis sacrificii sui, & holocaustum tuum pingue fiat*; ubi Origenes ex Græco legit: *Holocaustum tuum pingue fiat & speciosum*: Ex Hebræo verò legitur: *Holocaustum tuum pretiosum fiat*. Quonam autem modo sacrificium hoc Deo gratum futurum esse existimaris? [Hom. 10 in Ezech.] S. Gregorius ait: *Sunt quidam qui etiam sæculum relinquentes, totum quidem quod habent, efferunt, sed tamen in bonis quæ habent, minime compunguntur, & bonum quod agunt, holocaustum est, sed quia flere non sciunt, seque ex amore ad lachrymas non accedunt, perfectum eorum holocaustum non est, holocaustum quippe siccum est bonum opus, quod orationis lachryma non infundunt, holocaustum vero pingue est, quando hoc quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur*.

4 *Lachrymis cœpit rigare*. Nescio an fortè aliquando animadverteritis, quod licèt sancta pœnitens ad impetrandam sibi peccatorum suorum absolutionem, atque ad tot excessuum, & scandalorum, quæ pro tempore quo *erat in civitate peccatrix*, publicè dederat, veniam postulandam, Christum accesserit, nunquam tamen os suum aperuisse legatur, nisi fortè ad sacratissimos Christi pedes osculis demulcendos; verisimile est enim, quòd si aliqua verba locuta fuisset, eadem a sancto Luca, qui in enarranda nobis sanctæ pœnitentis historia adeo accuratus fuisse noscitur, silentio nunquam præterita fuissent. Sanctus Ambrosius quoque de pœnitentia sancti Petri tractans, se quidem amarum ejus fletum legisse dicit, non tamen legisse, quod verbum aliquod inter hasce lachrymas protulerit: *Non lego quod dixerit, lego quod fleverit*. Singultus, igitur suspiria; & planctus, interioresque compunctionis actus, causæ suæ fuerunt eloquentissimi, & efficacissimi advocati; hi coram signatura gratiæ emphaticè perorarunt. *Veniam non postulant*; (inquit de lachrymis idemmet Archiepiscopus) *& merentur, causam non dicunt, & misericordiam consequuntur*. [Ser. 46. de Pœnit.] Ipsa quidem, ut Carthusianus ait; promptissima fuisset ad instituendam viva voce generalem culparum suarum confessionem, veruntamen benè sciebat Christum eadem peccata sigillatim in corde suo descripta perspicuè legere, quamvis etiam dici possit, *sua quippe peccata non verbis, sed vocibus confitebatur*. Chrysostomus de hoc Conversionis ejus mysterio in Homilia quadam tractans, cum ipsa Cananæam mulierem contulit, dicens, quod hæc *fortiter clamabat, miserere mei fili David; at peccatrix hæc non clamorem edebat, sed considerans, quod ipse omnia ut Deus nosset; silens ore, corde cum cordis inspectore loquebatur*. Sic quoque Magdalenæ ad impetrandam peccatorum remissionem minimè opus fuisset, in domum Pharisæi se ut reciperet, siquidem planctus & fletus ejus, qui ad ipsum usque Dei thronum in Empyreo ascendit, etiam à longinquo pro ea intercedere potuisset; Unde Petrus Cellensis ait: *& lachryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum, tribunal judicis non vereris*, nisi tamen in Pharisæi domum ipsa concessisset, alterum illud mortificationis, verecundiæ, submissionis & contemptus sui ipsius sacrificium, Christo magnopere acceptum, nequaquam obtulisset. [Lib. de pœn. c. 11.] Notanda autem sunt verba, quæ idem author de lachrymarum efficacia, & virtute subjungit, dum ait: *Non est, quis te perturbet ab ingressu secretorum, ab interpellatione pro culpis reorum, non est, qui te accedere vetet*. Sanctus Eligius Episcopus Nov. id [Hom. 8.] quod de Sancto Petro flente, quidem nullum verò verbum proferente jam diximus, considerans, ait: *Cur hoc? nisi quia utiliores sunt preces lachrymarum, quam imploratio sermonum, quia sermo in precando falli non potest; sermo enim interdum non totum hominis profert negotium, lachryma totum semper loquentis produnt affectum*. Utinam nobis oculus esset adeo perspicax & ad videndum acutus, qui eousque pertingere posset, ut quam gratæ lachrymæ Deo illi, qui *spirituum ponderator est*, existant, quantaque sit earundem efficacia & energia perspicuè videre posset. Chrysostomus ait: *Ea quæ in secreto mentis agitabat, multo his ferventiora erant, quæ tantummodo Deus ipse cernebat; cernebat autem amorem & dolorem, unde illa procedebant*. [Hom. 6. in Matth.] Prætetea nunquid mirum est, animam ejus adeo strictè cum Deo unitam & conglutinatam fuisse, ut ipsemet de ea dicat: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea*, nam ut idem Sanctus prosequitur dicens: *Nihil ita nos conglutinat, atque unit Deo, ut illæ lachrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit?* Sanctus Macharius ad illa verba: *Optimam partem elegit sibi Maria*, oculos suos dirigens, exclamat: *O pretiosas illas margaritas in defluxione beatarum lachrymarum, ò societatem arctam sponsæ erga sponsum animarum*.

5 *La-*

5 *Lachrymis cœpit rigare*; conversioni suæ ad increatam Sapientiam in compassionem erga se commovendam initium nequaquam per teneras affectuosasque conciones dare voluit, siquidem ut sanctus Maximus ait: *Lachrymæ verecundiæ consulunt pariter & saluti, neque erubescunt in petendo, & impetrant in rogando*, verecundiam etenim suam omnino dedecebat, causam suam verbis perorare, ideoque lachrymas interponendas esse censuit; observanda autem hic est phrasis quædam, qua S. Lucas in hoc Evangelio utitur; neque enim de unguentis, de abstersis per capillos pedibus, aliisque obsequiis eodem modo quo de fletu & osculis loquitur, de his enim dicit: *Cœpit rigare*, nec terminum Serm. ad Fratres 20 rigandi declarat, de osculis quoque Christus dicit: *Non cessavit osculari*, idque ut denotaret, quod tametsi in omnibus aliis pietatis & devotionis exercitiis aliqua indulgeri possit intermissio, hæc tamen in deflendis peccatis nostris, & amando Deum locum habere non debeat; Hom. 16. *Cœpit rigare*, nunquam cessatura. Undè S. Augustinus ait: *Non solum in domo Simonis, sed etiam post adventum Spiritus Sancti hoc ardenter perfecit, semper enim delebat, semper in vita sua flebat*; unde dicere potuit: *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*, quia sicut panis semper manducatur, ita quoque monere voluit David, dandam esse quotidie operam quotidiano planctui, veluti solido animæ nutrimento, ad eum modum quo panis necessarium est corporis nostri nutrimentum & sustentatio.

De capillis, quos hæc Sancta in detergendos è lacrhymis madefactos, & ablutos Salvatoris pedes adhibuit. Qua occasione simul ostenditur ipsam omne id, quod offensæ instrumentum extitit, in instrumentum convertisse pœnitentiæ.

DISCURSUS DECIMUS.

Et capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat. Luc. cap. 7.

1 QUin Magdalena Salvatoris pedes lachrymis suis lavare volens, magnam subtilissimi & candidissimi lini quoad eosdem abstergendos uti potuisset habuerit abundantiam, prorsus indubitatum est, & tamen operæ pretium se facturam putavit, si elegantem comam suam solveret, eandemque in ministerium adeo dignum adhiberet. *Et capillis capitis suis tergebat*, facti hujus examinemus mysteria.

2 *Capillis*. Lachrymis communiter margaritarum titulus tribuitur, nec immeritò: revera enim tanti sunt valoris, ut iisdem æternum quoddam regnum nobis com- Hom. 30. in Genes. parare valeamus. Chrysostomus de lachrymosis S. Davidis peccata sua deflentis oculis tractans dicit: *Quid oculis illis formosius perpetuo lachymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis*. Porrò monilia isthæc, hasque margaritas lachrymarum pœnitentis Sancta hæc, ut piè credere possumus, tanti pretii esse existimavit, ut ne vel unicam lachrymæ stillam infructuosè effunderet, omnes à se effusas lachrymas super capillis suis excipere & colligere voluerit, ut indè diadema in cœlis capiti suo imponendum magis locupletaretur; optimè namque intelligebat illam omnibus in via & servitio Dei ambulantibus & laborantibus summè proficuam veritatem, nimirum quòd quidquid Deo datur, aut ad ejus obsequium exhibeatur, id totum in maximum redundet beneficium & lucrum nostrum; Deus enim *bonorum nostrorum non eget*, & proindè quando Magdalena lachrymas suas super Christi pedes effudit, ex iisdem veluti totidem monilibus ditissimam gloriæ coronam capiti suo imponendam abundè locupletavit.

3 *Capillis*. In principio hodierni Evangelii animam sanctæ pœnitentis ad gulam usque peccatis immersam vidimus: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*; in ejusdem verò Evangelii fine eam veluti sanctam adeo venerati sumus, ut ipsamet prima, & infallibilis Veritas de ea testimonium perhibuerit, quod videlicet ad eminentissimum usque sanctitatis gradum pertigerit: *Dilexit multum*. Undeve superiùs ex sententia Chrysologi diximus: *Conspicimus eam non solùm caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse*, siquidem ab omnibus culpis & pœnis etiam temporalibus peccatis suis debitis haud secus absoluta remansit, ac si sacro lavacro tincta fuisset; imò verò hic unicus ejus finis fuit, ob quem lachrymas in capillis suis collegerit, ut videlicet hac lachrymarum suarum aqua baptizaretur, quam proindè postquam super Redemptoris pedes effudisset, super caput suum spario capillitio pariter refudit; estque hic conceptus ipsiusmet Chrysologi, cujus hæc Serm. 93. sunt verba: *in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum*; non ei baptismus, qui *flaminis* appellatur, sufficiebat, utpotè quæ conata est quantum potuit, ut alterum sibi adhiberet, qui *fluminis* cognominatur; siquidem *lachrymis cœpit rigare*.

4 *Et capillis capitis sui*. In sacris Canticis cœlestis amator animæ dilectæ sponsæ suæ dixisse fertur: Vul- Cant. 4. 9. nerasti cor meum soror mea sponsa, *vulnerasti cor, in uno oculorum tuorum & in uno crine*. Porrò divinam justitiam, quæ gladio vindicativo ad peccatores castigandos dexteram suam obarmavit, per oculos plangentes animæ cujusdam contritæ vulnerari exemplo nobis clarissimo in hujus sanctæ pœnitentis conversione ostenditur; ... vero quodnam in eo mysterium latere potest, quòd per unicum hujus animæ capillum rapiatur? Quotidiana nobis demonstrat experientia, quod non solùm mulieres, sed & viri comam nutriant, eidemque anulos hinc indè inserant, atque ideo capilli vanitatem mundanam repræsentant. S. Ambrosius dum sanctam hanc pœnitentem capillos capitis sui Redemptoris pedibus substernentem considerat, ita ait: *Expande capillos, sterne coram eo tui corporis dignitates*. Etenim tunc nos vanitatibus nuntium remittere verè probamus ut veritatem sectemur, quando nos Christi pedibus substernimus, id est, quando ob ejus amorem omnes humanos respectus abjicimus; tunc enim hunc Deum verè ligamus, pleneque nostri juris esse facimus: verum enimvero quanto Magdalenæ amore Filius Dei captus fuerit, quantoque amoris vulnere cor ejus vulneraverit, vel ex hoc satis arguere possumus, quòd in ea non tantùm unus oculus plorare visus fuerit, *non in uno oculorum*, sed ambo flumina lachrymarum effuderint; non unico duntaxat crine Christum vulneravit, sed omnes cincinnos comæ suæ solverit, ut exindè peditergium plantis ejus pararet. *Capillis capitis sui tergebat*.

5 *Capillis*. Memorandum quod Scriptura sacra heroica Sampsonis facta celebrare volens, eadem virtuti Spiritus sancti attribuat, undè frequenter dicit: *Spiritus* Jud. c. 16. *Domini irruit super Sampson*; huic enim Sampson admirabilem illam in acceptis referebat fortitudinem, quacum solus omnique subsidio aliorum destitutus, integros dissipavit armatorum exercitus; at vero, inquies, qua ratione Philisthæorum mancipium & ludibrium factus, robur istud unà cum cæteris donis deperdidit? quia nimirum amoribus captus fuit Dalilæ rex illius fœminæ, quæ capillos, in quibus omnis ejus fortitudo residebat, ei præcidit, indeque factum est, quod *recessit eo Dominus*. Quantò autem feliciores hujus nostræ Dalilæ, quæ erat *in civitate peccatrix*, capilli fuere; hi etenim anteà quidem funes & catenæ erant, quibus innumeræ animæ, quas lascivis ejus amoribus ibi astrictas tenebat, veluti mancipia in æternæ perditionis barathrum agebantur præcipites; at vero dum eosdem solutos super Salvatoris sacratissimos pedes explicabat, eundem, quem antea amiserant, tunc reunierunt, sibique adeo perenniter adstrinxerunt, ut ab illa immaculata anima nunquam deinceps recesserit. *Non recessit*, sed *accessit Dominus ad eam*; siquidem *optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*. Quodsi præcisi Sampsonis capilli jacturam causarunt Spiritus sancti, hi sanctæ pœnitentis capilli in adeo pium & religiosum ministerium adhibiti sanctissimum hunc Spiritum sanctæ pœnitenti conciliarunt, licèt anteà à septem Spiritibus tartareis obsessa fuisset. Fortè habitantis in ea Spiritus sancti indicium aliquod desideratis? proprius Spiritus sancti effectus est plena peccatorum remissio; undè in oratione quadam, quæ *in Feria 3. Pentecostes* ultima est, ab Ecclesia dicitur: *Ipse est remissio peccatorum*. Amorem cordibus nostris infundit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*. Hostem quoque infernalem penitùs dissipans pacem ani-

mæ

mæ conciliat: *Hostem repellas longius, pacemque dones protinus*. Ecce igitur qualiter Magdalena capillos suos explicante, *irruit in eam Spiritus Domini*; neque enim solum candida facta est per puritatem columbæ sed, & *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, sibique a Christo dici audivit: *Vade in pace*.

6 *Capillus*. Magdalena veram vitæ morumque conversionem instituere volens, ad id singulariter connitebatur, ut Christo sponso suo dicere posset: *Regnum mundi, & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi*; ad contestandum enim, quòd omnem mundum muliebrem pedibus suis substravisset, quod cunctas margaritas disperdidisset, sericas Phrygiique operis vestes dirupisset, omnesque dissipasset suffitus, unguentorumque odores, & cunctas alias fœmineas vanitates & elegantias pedibus suis protrivisset, clarum quoddam & indubitatum hujus in dissolutione comæ capillorum suorum edidit testimonium, utpotè qui vera sunt vincula, quæ fœminas inhonestas vel maximè irretitas & illaqueatas retinent; per comæ namque dissolutionem & sparsos crines unicuique notum esse volebat se in sanctam denuo libertatem restitutam esse. Unde Clemens Alexandrinus ait: (Lib. 2. pædag. c. 8.) *Soluti capilli prædicabant liberationem à nimio amore superflui ornatus*.

7 *Capillus*. In sacris Canticis quædam sponsa, id est, ipsiusmet Dei anxietas artificiosè exprimitur; siquidem ab anima solicite exposcit, ut cordis sui januam sibi aperiat, utpotè cujus coma ex guttis nocturno tempore caput ejus irrorantibus immaduerit: *Aperi mihi, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*. (Cant. 5. 2.) Per hos autem capillos rorem antelucanum inter nocturnas tenebras delapsum stillantes, peccatorum multiplicitatem intelligere possumus, utpotè quæ *opera tenebrarum* communi nomine appellantur, de quibus etiam David ait: *Multiplicata sunt super capillos capitis mei*; (Ps. 39. 13.) & hinc est quòd Sponsus animam ad indulgendum sibi in ejus corde hospitium solicitet. Ecce tibi igitur, quanta cum circumspectione sancta hæc pœnitens, quæ *fuit in civitate peccatrix*, majori jure quam Psalmista de suis iniquitatibus dicere poterat: *Multiplicata sunt super capillos capitis mei*, totam comam seu capillaturam capitis sui cum omnibus cincinnis Christi pedibus subjecerit, ut illam abstergeret, lavaret, atque in fletu & lachrymis suis purificaret. *Lavamini, mundi estote*, mone- (Isa. 1. 16.) bat olim Isaias, id est, ut Lyranus bene glossat, *à peccatorum maculis, lachrymis contritionis*.

8 *Capillus*. Isaias c. 3. compassionem suam, qua erga mulieres Hierosolymitanas afficiebatur, hisce verbis ex- (Isa. 3. 16.) pressit: *Elevatæ sunt filiæ Syon, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant*; huic autem fastui, si de Magdalena sermo fuerit, adde quòd *erat in civitate peccatrix*, ac proindè eam vobis veluti mulierem quandam perditam omnisque modestiæ, ruboris, & verecundiæ expertem imaginari potestis; sed ecce qualiter, ut se emendet, ad pedes Christi provolvatur; capillos suos super eosdem in signum verecundiæ explicans, ut se deinceps pudicam, mortificatam, modestam probare velle (Tom. 7. in Cant.) ostendat. Etenim, si S. Gregorio Nysseno credamus: *Per capillos pudicitiam, & pudorem, & continentiam, & mortificationem corporis intellige*.

9 *Capillis capitis sui tergebat*. Observare insuper hoc loco possumus, quòd dum capillos suos pio huic & religioso ministerio adhibet, eodem tempore ad id conata fuerit, ut Christus animæ suæ corporisque, & omnium potentiarum suarum possessionem acciperet, adeo ut deinceps perenniter sua maneret? *Optimam partem elegit*, quæ non auferetur ab ea: possessio enim, ut Legistæ dicunt, idem est, quasi pedum positio. Qui quidem conceptus, ni fallor, a Chrysostomo indicatus fuit, dum ait: (Hom. 81. in Matth.) *Capillis abstergebat pedes ejus, honorabilius in toto corpore membrum, caput dico suum, pedibus subjecit*. Et quidem piè credere possumus in ipsa, utpotè quæ Apostolorum Apostola fuit, adimpletam esse Apostolis à Salvatore (Matth. 10. 10 Luc. 21. 18.) nostro factam promissionem, qua dixit: *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt*. Capillus de capite vestro non peribit. *Hoc est*, ut Origenes declarat, *omnes actus, omnes sermones, omnes cogitationes eorum servantur apud Deum*; id namque quoad ipsam plenè verificatum esse invenimus: siquidem ad perpetuam ejus laudem, omnia quæcunque fecit, a sacris Evangelistis accuratissime conscripta esse voluit, prouti non solum in Evangelio currente, sed & in multis aliis occasionibus factum esse perspicuè videmus, præcipuè quando pretiosum illud unguentum super caput ejus effudit, cujus fragrantia non solum domum istam, in qua contigit, sed & omnia sæcula futura adimplevit: *Ubicumque prædicatum fuerit hoc* (Matth. 26. 13.) *Evangelium in toto mundo*.

10 *Capillis capitis sui*. Titus Bostrensis ait: *Ut per ea aucuparetur sanitatem, per quæ juventutem pellexerat ad noxam*; cum quo consonant sequentia verba Euthymii dicentis: *Vide quòd ab his, unde prius ipse venabatur perditionem, ab eisdem nunc venata est salutem; lachrymis enim amatoriis & capillis curiosius concinnatis, ac unguento lascivio juvenes dementabat? quæ vero primum fuerant instrumenta peccati, ea nunc facit instrumenta virtutis*. Chrysologus quoque in hoc obsequio præcipuam quandam veræ conversionis agnoscit conditionem, in eo vi- (Serm. 93.) delicet consistentem, quòd id, quod instrumentum pœnitentiæ faciat, idipsum quod anteà culpæ fuerat instrumentum, *ut juxta Psalmistam verticem capilli, ex quo ambulaverat in delictis suis, in sanctitatem tali verteret servitute*. Hugo Cardinalis observat, quòd mulieres incautam juventutem tribus incentivis ad peccata pertrahere soleant, nimirum, *Oculis, capillis, & osculis; oculis, aspectus illicitos faciendo, & luxuriosè amando; capillis, eos ornando, componendo, & tingendo, osculis, &c. ideò tria ponit Lucas, in quibus Magdalena obsequium tribuit Christo*. Arsenius Abbas admodum celebris interrogatus, cur in cella sua aquam valde putridam, intolerabilem in ea causantem fœtorem, semper servaret? respondit: *Lubens fœtorem hunc excipio in locum odoramentorum quibus in palatio Regum fui olim oblectatus, ut in die judicii de intolerabili illo gehennæ fœtore liberet me Dominus*. Omnino igitur credibile est Magdalena post acceptum à Deo lumen, *ut cognovit*, omnia incentiva, quibus hactenus ad peccandum usa fuerat, in pœnitentiæ instrumentum piè convertisse. Undè S. Paulinus ait: *Quicquid Christo* (Epist. 4.) *impendimus, nobis potius conferimus; denique illa profundendo Christum, se abluit; pedes illius detergendo sua peccata mundavit; illum diligens se dilexit, & ideo meruit audire: Fides tua te salvam fecit*: Verum quidem est quod suos dissipaverit capillos, quòd pretiosissima ungenta, quæ habebat, consumpserit & disperdiderit; quòd sanguineas lachrymas ediderit; veruntamen omnis hæc jactura lucrum pariebat: undè de unguento illo, cujus causa ipsimet quoque Apostoli murmurabant, utpotè prodigè super Christum effuso, Christus illud minimè profusum, dissipatum aut perditum esse, quin potiùs in omnem usque æternitatem servari dixit: *Sinite illam ut servet*. Undè Salmeron ait: *Sic effusa non pere-* (To. 4. par. 3. tract. 30) *unt, sed servantur*.

Circa unguentum, quo Magdalena pedes Christi unxit, nonnulla tanguntur mysteria.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Et unguento ungebat. Lucæ cap. 7.

1 QUòdsi Magdalena Salvatore nostro ad mensam considente, convivio illi subintulisset vel exquisita fercula, aut vina genemsa, vel appetibiles ex taritate fructus, videri potuisset manus obtulisse opportunius, magisque proprium, quàm pretiosa secum adferendo unguenta, quid vas unguenti cæteroquin pretiosi manducantibus prodesse poterat? Enimvero Lucas Burgensis benè notat, antiquis in amore positum fuisse, quòd peregrinis ad mensam suam invitatis aromatum suffitus, nec non unguenta pretiosa offerrent, prouti ex Discursu, quem Christus Magister noster cum Pharisæo habuit, haud obscurè deducitur: *Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos*. Meritò igitur sancta hæc pœnitens hoc alabastro instructa inter præsentes convivas apparuit, faciliorem enim ad hanc mensam aditum se habituram esse speravit, adferendo id quod in tali convivio deerat, obsequio tali ac tanto hospiti ex debito præstando, maxime cum Poeta canat: *Munera crede mihi placant homines que Deosque*. Didacus Stella exemplum Jacobi Patriarchæ adducit; sicut enim hic fratrem sibi iratum muneribus obviam missis placare studuit, ita quoque

Magdalena se Deum offendisse, eumque consequenter sibi iratum esse sciens, vas illud attulit pretiosissimo ungnento refertum, tandem verò omnes alios obsequiorum actus, quibus Christum prosecuta fuit, considerans, ita scribit: *Quia retro stetit, conspectum resurgentis prima omnium meruit, quia pedes Christi humiliter tenuit, ipsius discipula esse meruit, & ut ab eo doceretur; quia lachrymarum emisit flumina, flammam in se voluptatis extinxit: quia Christi lavit pedes; occasiones peccati a se mundavit, quia crine suo tersis Domini pedes, ideo maculas suorum criminum à Dei memoria detersit; quia pedes Christi osculata est, reconciliationis pacem acquisivit.* Demum vero finem declaraturus, quem sibi alabastrum hoc unguenti adoptando propositum habuit, ulterius discursum suum prosequitur dicens: quia *unxit unguento, severum & iratum judicem placavit*, Enimvero indubitatum est huic pœnitenti, utpotè fœminæ nobili, opulentæ, variorum castellorum Dominæ & Gubernatrici, alia dona tum pretiosiora, tum nobiliora minimè defuisse, & iden merito dubitare quis posset, cur relictis aliis donis unguentum istud secum attulerit? Idemmet Stella ait: *Sciebat quod peccata coram Deo sunt valdè fœtida.* In præsenti Evangelio, in cujus enarratione S. Lucas aden exactus est & punctualis, certa quædam concurrit circumstantia peculiari quadam nota dignissima; Evangelista enim unguentum solummodo nudè & simpliciter nominat, non vero addit, illud pretiosum fuisse, aut exquisitam de se spirasse fragrantiam, prouti aliàs in aliis occasionibus scriptum fuisse noscimus, quando eadem pœnitens hunc eundem Dominum unguento perunxit; alibi enim de unguento allato dicitur: *Maria accepit libram unguenti Nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis, & domus impleta est ex odore unguenti.* (Joan. 12. 3.) Nec est quod mibi hic aliquis id ex oblivione calami S. Lucæ factum fuisse dicat; siquidem in cunctis aliis historiis tantis accuratus, prudens & circumspectus fuisse noscitur; ac proindè haud dubiè hic aliquod latet mysterium, id quod tandem Origenes deprehendisse videtur dum ait: *Considero quam cautè apud hos, qui peccatricem non retulerunt, unguentum ejus pretiosum laudatur: apud Lucam autem, qui exposuit peccatricem, unguentum simpliciter nominatur, nec pretiosum, nec Nardi pistici. Et rationem hujus reddit* (Ho. 35. in Matt.) concidentem cum ea, quam paulo antè ex prædicto Stella didicimus, ait enim: *Adhuc habere non poterat unguenta hujusmodi*; siquidem iniquitatum & lascivarum abominationum suarum sordes aerem intoxicabant. S. Ambrosius de nomine Salvatoris ita scribit: *Unguentum exinanitum nomen tuum, hoc est, totus immundis impuritatibus diversorum facinorum fœtebat hic mundus.* (Ser. 1. in Ps. 118.) Ecce tibi veram hujus peccatricis pro eo tempore, quo unguentum hoc attulit, effigiem; siquidem septem dæmonia, quibus obsidebatur, septem denotabant vitia capitalia. Pergit verò Ambrosius dicendo? *Nunc spirat ubique suavitatem pudicitiæ, unguentum fidei, flos integritatis*; quæ verba ei post ejus conversionem adaptari possunt: siquidem tunc nitidissimum pudicitiæ speculum fuit. De hoc insuper unguento, quoad sensum moralem, idem Stella ait: *Non erat quid rude & crassum, sed velut liquida, & tenuis, & suavissima aqua, quæ ex Arabia adferri solebat; erat, inquam, velut aqua Angelorum, & multo præstantius, quia maximo in pretio & æstimatione habebatur*; (Ser. de S. Mar. Mag.) neque sine mysterio instar aquæ Angelorum erat, quia, ut S. Petrus Damianus scribit: *Gaudent Angeli super peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cœlestis ille conventus aspergitur.*

2 *Unguento*, Chrysologus scribit: *Mulier habebat vulnus; sciebat illud; & ideo taliter tanti vulneris medicum perquirebat*; (Serm. 94.) quibus in verbis notandum est ly *taliter*, id est unguentum in manibus portans pro curandis lethiferis animæ suæ vulneribus, medici sectabatur vestigia. Didacus Stella ait: *Cum esset vulneribus plena, impensas attulit unctiones.* Et prædictus Chrysologus alibi pariter scribit: (Ser. 93.) *Attulit alabastrum; unguenti portavit oleum, quia medicinam lethali vulneri à supremo medico perquirebat*; qua in re inæstimabilis nobis valoris reliquit documentum, illiusque pretium quovis alabastro & unguento incomparabiliter pretiosius. Etenim quod quis medicum quendam conveniat, ut se ab eo *gratis* curari faciat, hoc quidem ob pietatis & benignitatis conceptum quem de eo habet, ab eodem sperari poterit: at verò quod insuper pretendat (prouti in triviali quidem, utilissimo tamen, & in hac occasione opportunissimo proverbio dicitur) ut medicus sumptus, id est, unguentum & alia pharmaca, necnon & lintea ex proprio ære adhibeat, hæc utique temeritas esse interpretabitur, & præsumptuosa arrogantia. Pari quoque modo quod vos in divinam misericordiam spem concipientes peccata vobis condonanda, animæque vestræ vulnera curanda & solidanda esse confidatis, hoc quidem transeat, ipse namque Dominus ait: *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus; non veni vocare justos, sed peccatores*; at verò quod insuper vobiscum unguentum portare nolitis, id est, ex parte vestra proximam peccandi occasionem tollere, hanc vel illam restitutionem facere, vel à certo quodam peccandi periculo discedere recusetis, aut vero quod toto conatu vestro auxiliis divinis pro salute vestra vobis subministratis, cooperari nolitis, Denm omnia hæc se solo facturam esse præsumentes, hoc, inquam, ingens quædam est temeritas & præsumptio; tritum enim est illud axioma; *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*, vult enim Deus nostram cooperationem; & *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Undè tametsi sancta hæc pœnitens summam habuerit securitatem se deinceps peccaturam non esse; siquidem hæc à Christo encomium retulit: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*; attamen pœnitentiam facere, omnesque peccandi occasiones & præcipitia declinare nunquam destitit.

3 *Unguento ungebat*; circa quæ verba scribit Chrysostomus: (Conc. 1. de Laz.) *Te non oportet olere unguentum, sed spirare virtutem, nihil immundius anima quotiis corpus talem habet fragrantiam*; id quod de Magdalena peccatrice, nondum tamen non pœnitente verè dici potuit, quando cum hoc vase alabastrino ad pedes Christi ungendos properavit; tunc enim *spiravit virtutem, & nihil mundius ipsius anima*, utpotè quæ hanc Christi declarationem audire meruit: *Dilexit multum.* S. Petrus Damianus certam quandam unguenti speciem nos facere docet, & quidem facilè nobis persuadere possumus unguentum, quod Magdalena attulit, ejusdem prorsus fuisse qualitatis, si tamen spiritualiter intelligatur. *Vilissimæ sunt species*, inquit Petrus Damianus, *ex quibus conficitur ut magna eorum copia intra nostros hortulos poterit inveniri; peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris; quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species ejus sunt: ipsa igitur in mortariolo pœnitentiæ macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ concocta unguentum exhibent pretiosum, & acceptum pedibus Salvatoris.* San(Ser. 10. in Cant.)ctus & mellifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus in quodam sermone suo super Cantica, tria distinguit unguentorum genera; circa quæ scribendo diffunditur, nimirum *devotionis, contritionis, & pietatis*; quæ omnia in sanctæ hujus pœnitentis manibus perfectè inveniemus. Et primò quidem unguentum devotionis, siquidem ipsam semper & ubique reperietis perpetuam Christi sectatricem, divinumque ejus verbum devote auscultantem. Deindè unguentum contritionis; quia per totum vitæ suæ decursum lachrymis & singultibus noctes diesque peregit. Denique unguentum pietatis: quia misericordiæ operibus semper debita fuit; quia Christum ad usque Calvariæ montem constanter secuta, tenerrima erga eundem compassione ferebatur, ejusque corpus mortuum in sepulturam aromatibus condivit.

4 *Unguento ungebat.* Magdalena trinis distinctis vicibus, (An. 32. n. 24.) prouti Cardinalis Baronius accuratè ponderavit, Salvatoris caput & corpus pretioso unguento perfudit: estque celebris illa apud Joannem cap. 12. descripta unctio. Obsequium etenim insolitum, omnique carens exemplo fuit, unguento Nardi pistici pretiosi pedes Salvatoris inungere & perfumare, id est, unguento non adulterato, de cujus exquisita synceritate Plinius prolixius agit, ad quod proindè obsequium ne quidem ipsimet Imperatores Romani unquam pertigerunt, ut videre est in Annalibus Ecclesiasticis. Undè Plinius de Ottone velut (L. 13. nat. hist. c. 1.) singulare quoddam prodigium *refert*, quod is Neronem illud præparare docuerit. Undè clarè deducitur, in quanta æstimatione & pretio sancta hæc pœnitens Christum habuerit; siquidem ex syncerissimo amoris & reverentiæ motivo, hæc tanti valoris & pretii unguenta adeo eidem accepta diversis ei vicibus adhibuit. Talem autem unguentum istud edidit odoris fragrantiam, ut tametsi jam ab illo tempore plus quàm milleni & sexcenti elapsi sint anni, odoris tamen illius fragrantiam per universam ter-

ram

Matt. 26. 13.

ram cœlumque nemo non percipiat. *Amen dico vobis:* (ita Deus ipse promittit) *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Ubi Nissenus ita scribit: *Domum autem*

Hom. 3. in Can.

bono odore repletam pro toto mundo & universo orbe terrarum admonet esse intelligendum dicens? Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium, odor unguenti simul distribuitur cum prædicatione Evangelii; & monimentum, inquit erit ejus Evangelium; adeoque si Magdalena ad præparandum Redemptori nostro lautum convivium omnes dissipasset Erithræi maris margaritas & uniones, omnia monilia, cunctosque lapides pretiosos, id ei adeo acceptum futurum minimè fuisset, sicut ei gratum ex-

Hom. 8.

titit istud unguentum. Optimè Chrysostomus observat, quod tametsi sub æternæ oblivionis lapide sepulta jaceant tot armis comparata potentissima regna, tot Imperatorum victoriæ atque trophæa, tametsi exciderint tot innumerorum heroicorum facinorum memoriæ, totque admirandorum operum monumenta; attamen *hoc omnes concinunt in orbe terrarum, & tempus tantum pertransiit, & memoria ejus non est labefactata;* quilibet enim nostrum huic sanctæ pœnitenti dicere potest. *Trahe me post te curremus in odorem unguentorum tuorum,* quot enim sunt & fuere enormes peccatores, qui exemplo ipsius animum conceperunt in divinæ misericordiæ brachia incurrendi? quot odore & fragrantia unguenti ejus ad Deum adduxit, dum universo mundo testatam esse facit Christi immensam benignitatem, qua peccatores quantumvis maximos & impiissimos recipit ad pœnitentiam? S. Augustinus per unguentum Dei interpretatur

Conc. 3. in Ps. 30.

misericordiam: *Unguentum effusum nomen tuum, in omnibus gentibus diffundens misericordiam tuam.* Christi namque pedes hoc unguento ungendo pietatem divinam sibi tantò magis faciebat esse propitiam, ad concedendum ei omnium peccatorum suorum plenariam indulgentiam.

De ipsius erga Christum ferventi, & perseveranti amore.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Lucæ cap. 7.

UT quis in notitiam amoris Magdalenæ devenire possit, hoc unicum dixisse sufficiat, quod idem ille, qui charitas est, de ipsa contestetur: *Non*

In Luc.

cessavit osculari pedes meos; in quo signatur fervens dilectio, ut Seraphicus Doctor sanctus Bonaventura scribit, *& permanens: ideò non cessabat ab osculo, quia non*

Lib. de Isac & Anim.

cessabat ab interiori desiderio. Sanctus Ambrosius circa illa verba ex sacris Canticis: *Osculetur me osculo oris sui;* ubi Septuaginta legunt? *Osculetur me osculis oris sui,* in numero plurali; reflexionem faciens dixit: *Non unum osculum quærit, sed plura, ut desiderium suum possit explere; qui enim diligit, non est unius osculi parvitate contentus, sed plura exigit; plura vendicat;* idque exemplo sanctæ hujus pœnitentis probat, de qua scribitur, quod *non cessavit osculari pedes meos.* Necessariò quoque hìc facienda est ad hoc reflexio, quod Christus dum Pharisæo omnia obsequia ab hac pœnitente sibi in ipsiusmet Pharisæi oculis exhibita enumerat, dicendo: *Lachrymis rigavit pedes meos, capillis suis tersit, unguento unxit;* tandem ad recensenda oscula pedibus suis impressa phrasim omnino mutarit, dicendo: *Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos;* cur obsecro hìc duntaxat dicit: *Non cessavit,* non vero in aliis servitiis sibi exhibitis? Respondetur quod in lachrymarum balneo ejus demonstretur compunctio, in pretiosissimi illius ungenti effusione ejus indicetur liberalitas, in comæ suæ indecora dissolutione vanitatum mundanarum insinuetur contemptus: at verò in osculo testimonium edatur amoris & dilectionis; cuncta alia finem habent, at vero charitas continua est, perseverans, semperque magis magisque ardens. Undè trita est illa melliflui Ber-

Lib. 4. past. c. 5.

nardi sententia, dicentis: *Modus diligendi Deum est amare sine modo.* Sedulius oculos suos in sanctam hanc pœnitentem pedibus Salvatoris advolutam dirigens, eam contemplatur omnino fervidam & amore æstuantem:

Serm. 39. Sab. Dom. Pen.

Provoluta vestigiis, ait, *nec fletu proluere, nec crinibus detergere, nec pretioso quiescebat unguento pedes osculans irrigare.* S. Bernardinus hæc adeo continua & avida Salva-

Mansi Prompt.

toris in pedibus infixa oscula, immensi amoris ejus interpretatur fuisse indicia: *Osculabatur pedes ejus, quod significat charitatem individui amoris divini. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo;* id quod in præsenti casu nostro perfectè verificatur: siquidem Christum & Magdalenam duo hæc ardentissima corda semper & individuè simul esse videmus, Christum persæpè in domus ejus hospitio receptum & commoratum fuisse legimus, ipsam vero ad divinum ejus verbum audiendum pedibus ejus indivisibiliter affixam: *Sedens secus pedes illius audiebat verbum ejus;* similiter sæpè ipsam pretioso Christum

Mar. 14. 3.

unguento perlinivisse novimus: *Fracto alabastro effudit super caput ejus;* ipsum quoque in cunctis itineribus suis per Judæam & Galilæam cum aliis quibusdam devotis mulieribus insequens, ei & discipulis suis de suis facultatibus eleemosynas in sustentationem amplissimas contulit. Insuper tametsi ab Apostolis in nocte passionis derelictus fuerit; siquidem *omnes relicto eo fugerunt;* ipsa ab eo nunquam divelli potuit, sequendo illum inter lictorum & apparitorum gladios & hastas, necnon ad omnia ludibria & opprobria constantissimè perseverando: *Adstare non timet Cruci, sepulchro inhæret anxia; trucos nec horret milites, pellit timorem charitas.* S. Thomas de Villa-Nova in concione hodierna ita scribit: *Attendite qua dilectione prosequebatur vivum Magistrum, quæ etiam pro mortuo se exponit morti, non minus pro defuncto, quam prius fuerat officiosa viventi. Oblita erat timere* (sunt verba Origenis) *oblita erat gaudere, oblita erat denique omnia præter ipsum,*

Ho. de S. Mar. Mag.

quem diligebat super omnia, & quod mirabile erat, sic oblita, ut etiam ipsum non cognosceret. Addit insuper quod si Josephus ab Arimathæa specialissimo hoc perfruitus fuerat favore, ut corpus Redemptoris in suo reponeretur sepulchro: Maria *ibi sepelivit pariter spiritum suum, & ita indissolubiliter junxit, & quodammodo univit cum corpore tuo* (cum ipsomet Christo loquitur) *ut facilius posset separare animam se vivificantem à vivificato corpore suo, quam spiritum suum te diligentem à defuncto corpore tuo.* S. Bernardinus id, quod sancta pœnitens Christo sibi in incognita hortulani specie apparenti dixit, considerat, ni-

Joan. 20. 15.

mirum: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Joseph corpus Christi in patibulo suspensum abindè divellere aut tollere ausus non fuit, nisi inter medias noctis tenebras, & post obtentam id faciendi à Pilato licentiam, & tu respectu tenebrarum nocturnarum nullo timore percelleris? imo tibi promittere audes, quod illum tollere è quocunque demum loco poteris? Sed quid si in summi Sacerdotis delatus fuisset atrium, in quo Apostolorum princeps Petrus ad ignem sese calefaciebat, quodnam tunc amplexurus esses consilium? Respondetque Sanctæ pœnitenti nomine sanctus hic Pater? *Et ego eum tollam.* Quid si autem corpus ejus ab armatis in Pilati palatio custodiretur militibus, quid factura esses? *Et ego eum tollam.* Si vero in publica quadam platea ab ingenti Judæorum multitudine jacet circumdatum? *Et ego eum tollam. O admirabilis mulieris audacia; ò mulier non mulier; nullum locum excipis, nihil anteponis sine timore dicis, absolute promittis: Dicito mihi ubi posuisti eum, ut ego eum tollam. O mulier magna est constantia tua, magna est fides; sed quomodo mulier? qua valetudine? quibus viribus? quo ingenio corpus tam grave posses portare sola, cum una fueris de portatoribus ad sepulchrum? numquid secum tuas socias habere te credis? recesserunt.* Tandem vero concludit, quod his non obstantibus forti & generoso concepto animo responderit: *Et ego eum tollam, amor enim impossibile ad possibile sua opinione reducit, & quod nequit efficere posse se credit.*

Amorem illum vehementem, quo cum ante conversionem suam Creaturas diligebat, in Creatoris amorem tanto evidentiori cum argumento commutavit, quanto objectum quod diligebat excellentius amoreque dignius erat. Quando benignissimus Salvator Lazarum fratrem ejus, ob singularem quo sorores ejus & præcipuè Mariam prosequebatur amorem à mortuis suscitavit, accidit, ut qui prodigium hoc spectaturi advenerant, ipsum ad monumentum resuscitandi Lazari amare flentem videntes, hanc ex viso fletu arguerent consequentiam: Ecce *quomo-*

Jo. 11. 13.

do amabat eum. Hoc autem supposito, ad illa verba *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus,* nec non ad omnes lachrymas, quas donec anima ejus in cœlum evolaret, copiosissimè effudit, oculos & animum vestrum pariter intendatis, sic enim quadantenus in aliqualem ardentissimi ipsius erga Christum amoris cognitionem devenire po-

teritis. Carbo aliquis ignitus & candens aqua conspersus in luculentiorem flammam inde erumpit, eodem quoque modo de divini amoris igne in corde Magdalenæ accenso dicere possumus, eum perfusas ab ipsa lacbrymas & planctum continuum magis magisque semper exarsisse. Drogo Episcopus Ostiensis ita de ea scribit:
Ser. 5. de Pass. *Ad lavanda sui Domini vestigia, non alias quam oculorum suorum undas attulit, capillis suis pro linteis usa est, tum vero ubi affectus vehementer incanduit & uberavit, carbo lachrymarum imbre resperfus fortius exarsit.* Nunquam ignem per naturæ metamorphosin in Aquam conversam esse reperietis: econtra verò hoc elementum in ignem aliquando fuisse transmutatum ex
2. Mach. 5. sacræ Scripturæ testimonio è Machabeorum libris petito clarè convincitur; nam cum Filii Israelis tempore Sedeciæ Regis in servitutem abducerentur Babylonicam, Sacerdotes Jeremia Propheta monente ignem sacrum puteo alicui incluserunt: in reditu vero posteri eorum, qui eo in loco ignem deposuerant, cupidi & curiosi videndi quid in dicto puteo reperturi essent, puteum aperientes, non ignem sed aquam crassam invenerunt, quæ foras educta, & suadente Neemia super sacrificia effusa, cum vix à radiis solaribus contingeretur, in ignem conversa protinus fuit. Quam historiam author quidam modernus admodum ingeniosè sanctæ pœnitenti sequentem in modum applicat. Observat enim, quod Deus inter medias dissolutiones, delitias, voluptates, & vana hujusce peccatricis gaudia, aliquantulum sacrosancti & Divini amoris sui ignem in ejus corde abscondiderit, qua ex audita in templo Divini verbi prædicatione accensa, perque illud lumen, quod ei per illud, *cognovit*, communicatum fuerat, nec non per salutaria Marthæ sororis suæ consilia & exhortationes mitis incrementis adaucta, in amarissimas tandem lachrymas erumpit, quæ super contriti cordis sui sacrificium ab ea Deo oblatum, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, cor contritum & humiliatum effusæ, atque veri justitiæ Solis Christi radiis contactæ in Deo ardentem charitatis ignem efflagarunt, ut ipsomet Christo teste de ea dicere sufficiat; *Dilexit multum.*

2 Tritissima est illa D. Gregorii sententia, qua dicit: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Hodiernum velim Evangelium in manus accipiatis, & post prima illius verba, quæ hoc mane audivistis, nimirum: *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, idipsum ad finem usque prosequamini, & invenietis: quod hunc ignem amoris & charitatis erga Deum in cunctis suis actionibus in gradu intensissimo fecerit resplendere. S. Thomas de Villa-Nova idipsum late de ea deducit hisce verbis: *Non solum enim, ut succinctè multa transmittamus, facultates amplissimas, & sæculi hujus omnes delitias, honores, potentiam, & quicquid in eo desiderabile est, contempsit, & penitus reliquit, sed etiam Apostolica mulier, postquam post Christi ascensionem Evangelium prædicavit, multasque ad Christum animas convertit, post longa itinera & nimios labores, post frequentes populi Judæorum contumelias, pro vera fidei confessione prolixam vitæ hujus diuturnitatem molestè ferens in eremum in fine solitaria perrexit, ubi se totam in Sponsi sui contemplatione tradidit, quamdiu non permittetur jucundissima illius perfrui visione.* Carthusianus nonnullos in sanctæ hujus Pœnitentis laudem sermones composuit, in quorum tertio ita de ea scribit: *Quid enim aliud egit die ac nocte per annos illos triginta nisi Deo vocare, Deum laudare, orare, contemplari, diligere quasi continue, omnique hora validius ipsum amaret, intensius inflammari; ita quod tota resolvebatur ac transformabatur in Deum!* num fortè animo & intellectu vestro concipere poteritis, quantum in divinæ justitiæ bilance infinitum illud debitum quod contraxerat, illisque verbis, *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*, insinuatur, præponderarit? & tamen notum est omnibus, quod primi divini amoris actus, quos in corde suo in Christi præsentia excitavit ad totum hoc immensum debitum extinguendum suffecerint, uti per illa Christi verba innuitur, *Remittuntur tibi peccata tua*; neque hoc solum, verùm etiam eadem eodemmet tempore sanctam & eminenti quadam perfectione & sanctitate præditam effecerit, ipsomet Christo id hisce verbis declarante *Dilexit*
Ser. 94. *multum.* Unde Chrysologus ait: *Audistis quemadmodum cœlestis creditor totum debitum charitate compensat, & ad incrementum totius fœnoris amoris solius exigit & requirit usuram.* S. Petrus Damianus hoc ei epithetum mirifice eidem proprium attribuit, *Dilecta propriè Salvatoris.* Ser. de Maria Magd.
S. Vincentius Ferrerius notat Christum huic sanctæ Pœnitenti post conversionem multa attribuisse officia, quæ omnia ad hunc amorem & confidentiam relationem habent; ipsam namque suam fecit esse thesaurariam, quia *ministrabat ei de facultatibus suis*; prout jam diximus, adeo ut non solum ipse, sed & universum collegium Apostolicum ex liberalitate & charitate Magdalenæ magna ex parte victum reciperet; ipsam quoque suam fecit esse secretariam, siquidem ad ipsum audiendum ad ejus pedes affixa hærebat, idque dum solus cum sola loqueretur absque eo, quod ab aliis circumstantibus audiretur, quid diceret; neque etiamnum scitur quænam fuerint illa altissima & imperscrutabilia mysteria, quæ cum ea contulit, hoc solum excepto quod nobis constet, quod Martha Salvatorem interpellante ut sororem sibi in auxilium ad cœnam ei præparandam assurgere juberet, ipse responderit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*; ipsam non solum intimam suam, sed & sanctissimæ matris suæ familiarem & domesticam declaravit, licet enim intemerata Virgo sole purior esset, cum Magdalena tamen intimè conversari nequaquam est dedignata; denique ipsam Apostolorum Apostolam constituit, unde à S. Petro Damiano appellatur, *Apostolorum Apostola*, & idemmet S. Vincentius dicit, *Petrus & Paulus, & alii fuerunt Apostoli, id est, missi ad peccatores, sed Maria Magdalena Apostolorum Apostola, scilicet missa ad convertendos Apostolos dubios de Christi resurrectione: Vade ad fratres meos & dic eis, &c.* Sanctus & mellifluus Bernardus in hujus amoris probationem ad hoc se reflectit, quod quotiescumque Magdalena ab iis qui purita- Ser. de Assumpt.
tem charitatis & amoris ejus non intelligebant, contumeliabatur, Christus semper ejus defensor & advocatus fuerit: *Vide prærogativam Mariæ, quæ in omni causa Jesum habet advocatum; indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur soror; & etiam discipuli murmurant, ubique Maria tacet; & pro ea loquitur Christus*, unde meritò sancta Pœnitens dicere debebat, *Domine vim patior, responde pro me.*

Aliqui ardentissimi amoris Magdalenæ effectus considerantur.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Dilexit multum. Lucæ c. 7.

1 MEnsuram sanctitatis & perfectionis animæ à magis vel minus intenso charitatis & amoris Dei gradu desumi certissimum est, *Perfectio Christianæ vitæ* (ita scribit Doctor Angelicus) *attenditur secundum charitatem*; hoc principio supposito, facile nobis erit in meritorum heroicarumque virtutum, quibus 2. q. 184. art. 3.
Magdalena Dei sibi benevolentiam conciliavit, notitiam devenire, siquidem ipsissima prima & æterna veritas primo conversionis suæ die de ipsa attestatur, quod *Dilexit multum.* Equidem incarnata illa Sapientia multos alios servos suos laudare non fuit dedignata; nam Nathanaelem commendavit ob sinceritatem & simplicitatem suam, dicens: *Hic est verus Israelita, in quo dolus non est.* Centurio ab eo circa fidem suam laudatus Io. 1. 47.
fuit, dum ait: *Non inveni tantam fidem in Israel.* Cananæam admiratus est ob perseverantem suam fiduciam *o mulier magna est fides tua.* Jo: Baptista ob suam stabilitatem laudem retulit: *Quid existis in desertum videre: Arundinem vento agitatam? hic est, de quo scriptum est, ecce ego mitto angelum meum.* Sanctus Petrus ex eo laudatus fuit, quod dignus factus fuerit divinitatis suæ revelatione: *Beatus es Simon Barjona quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in cœlis*; omnes quoque alios Apostolos lau- Luc. 22. 8.
davit, quod ejus se sequelæ addixerint: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*; at verò Magdalenam laudaturus ejus illi virtutis laudem attribuit, quæ cunctis aliis longè supereminet, quæque universas amplexatur. *Major autem horum est charitas*, sine qua nulla alia virtus habere meritum, aut Deo accepta esse potest. Eruditissimus quoque

Idiota

Idiota de ea scribit: *Maria charitate vulnerata non quamlibet partem, sed optimam elegit*. Lib. 1. de amore Dei cp. 28. Ipsa ibi exorsa est, ubi alii finiunt; illam perfectionem, illum donorum, divinarumque gratiarum cumulum, quem alii post longum quemdam annorum gyrum in continuis rigoribus, & innocente & pœnitente quadam vita sibi adsciscunt, ipsa primo conversionis suæ die consecuta fuit, undè meritò ad eam illa sancti Paulini verba dirigere possumus: *Cum hoc tibi fuerit virtutum in Christo rudimentum; quod longorum laborum paucis consummatio est, dubitamus etiam nunc, an perfecta sis, quæ de perfectione cœpisti? & si legitimo coronanda sis agone decurso, cum currere cœperis a Corona?* Sanctus Thomas de Villa-Nova de ea dicit, quodsi noctu diuque ad ejus laudes deprædicandas laborando contenderem, nullum tamen adinvenire encomium possem, quod illud ei à Christo attributum encomium, *Dilexit multum*, adæquaret; etenim si ipsa Christum multum dilexit, consequens est, ut multum quoque ab eo redamata fuerit, *& quo magis dilecta, eo magis cæteris excelsior & gloriosior effecta*; enimverò quod si scire desideramus, quam ardens hæc amoris sui flamma, à reciproco Christi sponsi sui amore compensata fuerit, Seraphicum quendam, Doctorem Seraphicum intelligo, hac super re interrogemus, qui ait: *Supra humanum eloquium dilexit Christum*, etenim nec lin- Ser. 2. de S. Maria Magd. gua, nec calamus unquam sufficienter amorem hunc declarare poterit, adeo ut ipse jam dictus Doctor sermone antecedente fatetur: *Quam ardenti desiderio, quam flagranti incendio se Magdalena ad Christum habuerit, quis ullis exprimat dignis verbis*. S. Bernardinus hac de re ita scribit: *Septem amoris flammis seu amoribus inflammatis ardebat cor Magdalenæ*; Ser. 46. in fer. 5. pass. art. 2. *Primus dicitur amor insuperabilis; secundus inseparabilis; tertius infatigabilis; quartus invariabilis; quintus insatiabilis; sextus insociabilis, septimus inaccessibilis*. Insuperabilis quia ad Pharisæi & Judæ murmurationes, nec non ad Marthæ sororis suæ querelas solida & imperterrita remansit; unde dicere potuit: *Pone me juxta te: & cujusvis manus pugnet contra me*. Job. 17. 3. Fuit etiam amor ipsius inseparabilis; siquidem ei præ cunctis aliis Deo charis animabus convenit illud Apostolicum: *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*; à primo quoque conversionis suæ momento, ipsam semper cum Christo in vita, morte, sepulchro conjunctam & associatam esse reperimus; & post suam à morte resurrectionem, eidem præ cunctis aliis omnium primò apparuit. Fuit similiter hæc ejus charitas infatigabilis, quia *infatigabiliter illum audiebat, in vita & in morte secuta est, unguenta præparavit corpori defuncto, ibat ad sepulchrum & redibat; propter hunc infatigabilem amorem Apostolorum Apostola facta est*. Fuit pariter amor ejus invariabilis, quia si quis tempore vitæ ejus in Massiliensia deserta concessisset, ibidemque ipsam per triginta annorum decursum in austerissimis illis pœnitentiis magis magisque quotidie infervescentem considerasset, huic ipsa utique dicere potuisset: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam*; In hoc amore quotidie facta est stabilior & perseverantior, quia amor idem insatiabilis fuit, unde idem sanctus Bernardinus exclamat: *O insatiabilis Mariæ Magdalenæ amor, prægustans Dei delitias amplius in desideriis ardebas, quia si tibi dabantur ad plenitudinem, nunquam tamen ad satietatem*. Fuit insuper insociabilis, quia nulli unquam creaturæ deinceps quoadusque vixit hujus amoris sui participem fieri permisit, quin potius eundem ab eo momento, quo hæc verba: Ser. 1. de S. Mar. Mag. *Dilexit multum prolata fuere, Creatori suo indivisibiliter exhibuit*. Unde sanctus Bonaventura ait: *Poterat sancta dicere Magdalena, quod de sponso in Canticis dicitur: sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo, quoniam triginta annis in deserto absque humano solatio fuit, ubi nihil aliud gustavit, quam Verbum æternum*. Adeo amor hic insociabilis fuit, ut ipsam nulli alteri præterquam dilecto suo adstrictam fuisse constet; unde *quando tenuit pedes ejus*, dicere Cant. 3. 4. potuit: *tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*; sæpenumero enim illum in domum genitricis suæ, multo autem magis in cubiculum cordis sui introduxit, eumque ibidem hospitio excepit, siquidem *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea*. Sanctus Bernardinus ait. *Septies in die*

Mansi Prompt.

ab Angelis elevata amoris ebrietate transformabatur in Christum. Fuit denique amor hic inaccessibilis, quia il- Ser. cit. ar. 5. cap. 5. lum capere nequivit ullus quantumvis sublimis & perspicax humanus intellectus, prouti jam diximus.

2 *Dilexit multum*. Ponderetur obsecro hoc verbum: *In civitate peccatrix*, & circa illud hunc in modum discurramus, Sanctus Paulus antea quidem Ecclesiæ persecutor fuit, attamen protestatus est, dicens: Gal. 1. 3. *ignorans feci, æmulator existens paternarum mearum traditionum*; neque in eo præter hanc noxam alii unquam defectus notari fuere. S. Petrus Christum quidem negavit, mortis tamen ingenti metu perculsus id commisit. Sanctus Thomas aliquantulum quidem obstinatus permansit Salvatoris Resurrectionem credere, nolens hic tamen quidam error fuit intellectus. Sanctus Matthæus usurarum & lucri amore captus; David vero enormi adulterii scelere obnoxius fuit: at verò in Magdalena septem Dæmones, qui omnium septem peccatorum & vitiorum capitalium expressivi erant, nidificaverant; & ideò ardentissimos elicuit Divini amoris actus, qui immensum innumerabilium peccatorum, & enormissimorum excessuum suorum onus adæquarunt, & ideo de ea Christus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Porrò peccatorum remissio soli amori adscribitur. Unde beatus Laurentius Justinianus ait: *Quamvis lachrymis Domini rigaverit pedes, crine terseris, frequenter osculata fuerit,* Serm de S. Mar. Mag. *minimè tamen pro his meruit indulgentiam, sed pro dilectione tantum, dicente de illa Domino: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Imo amor hic adeò intensus fuit, ut non solum ipsam eripuerit ab inferno, verum etiam ipsam pertingere fecerit ad eminens adeo perfectionis & sanctitatis culmen, ad quantum Petrus aliquis, Paulus, Thomas, Matthæus & plures alii per plurimorum annorum curricula potuerunt pertingere, nam ut supra ex mente Chrysologi scripsimus: *Conspicimus eam non solum caruisse peccatis, sed ad totum sanctitatis verticem pervenisse*. Sanctus Au- Ser. 94. gustinus in *Tract. de Laudibus Charitatis* ait: *Charitas mors est criminum, via virtutum*, & Sanctus Gregorius in quadam Homilia sua de hac flamma loquens ait: *incendit planè peccati rubiginem, quia ardet validè* Hom. 33. *per amoris ignem; tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur*. Similem ferè conceptum Venerab. Beda adducit, dum ait: *Quid esse credimus dilectionem, nisi* In Luc. *ignem; & quid culpas nisi rubiginem? unde nunc dicitur: Remittuntur ei pecata multa, quia dilexit multum*. Idiota considerat, quod tametsi multa Salvatori in sua conversione præstiterit obsequia, ut Justinianus ait: *Tamen istis non attribuitur remissio, sed soli dilectioni, quia sine dilectione parum valuisset*; Cajetanus observat, Christum non dixisse: *Dilexit multoties*, sed *multum, ut hinc discas non oportere ad delendum centum peccata, exigi centum actus diligendi, exigi centum contritiones, quoniam semel diligere multum delet innumerabilia peccata*.

3 *Dilexit multum*: quia ut Chrysologus scribit: *Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, periculis insultat, mortem irridet*; Et ideo Magdalena ob Pharisæi maledicentias, ob ludibria convivarum, vel per aliorum quorumcumque contradictiones post conversionem suam nequaquam retro abiit, neque carnificum truculentiam quicquam formidavit, neque armatorum militum ad sepulchri custodiam excubantium verita est sævitiem, nec synagogæ & totius adversus eam conjurati Hebraismi persecutiones expavit, utpotè specialissima & individua Christi comes, & fidei suæ annuntiatrix Apostolica, maris non timuit scopulos nec procellas, quando in fracta & ruinosa navi ventis exposita fuit. S. Ephrem considerat, quod ingrediens domum Pharisæi, qui se Divinæ legis observantissimum, magnumque honestatis profitebatur zelotem, idque tunc vel maximè, quando Christum domi suæ hospitio susceperat, cùm tamen illa famosa meretrix esset, ob hoc tamen animo nequaquam concidit, *nec janitores ac famulos domesticos generosa mulier timuit, nec duram adstantium increpationem, unum hoc totum cogitans, dicensque, quodsi totam meam faciem quasi ferream aut æream non reddidero, salvari ex turpi inundatione lasciva mea non potero*. Verum dicat aliquis, undenam sibi hanc tantam animositatem acquirere potuit? *Perfecta charitas foras mittit*

timorem. Hoc totum mirè cum eo convenit, quod S. Thomas de Villa-Nova in persona sanctæ pœnitentis loquens, ita meditatur: *Si quis me desidem aut inertem vocat si quis indignatur, si quis irascitur, si quis murmurat, nihil confundar, quoniam quicquid accidere potest, parata sum pati, dummodo nemo mihi suavissima præsentia solatia impediat, aut jucunda conversationis dilectionem surripiat*.

In cap. 7. Mich. 4 *Dilexit multum*. S. Hieronymi sententia est: *Amor aut pares accipit, aut facit*. Etenim quis non videt, qualiter sancta pœnitens intimam sibi cum Christo familiaritatem conciliarit, adeo ut eam veluti individuam Christi comitem in vita & in morte, & post mortem, imò post suam quoque in cœlos ascensionem eidem semper associatam videamus, siquidem etiam in quotidianis raptibus & extasibus suis in Massiliensibus illis speluncis ei adstricta permansit? *Tam læta ac jubilans* (inquit de Massiliensi rupe Laurent. Surius) *Angelorum turba adfuit, ut æternam vitam in hoc antro credidisset*. Quodsi autem horrida illa rupes sive antrum Magdalenæ quædam Angelorum mansio, & cœlum Empyreum fuit, prouti nobis sanctus Thomas fidem facit, utique Angelis plena fuit, qui Magdalenæ rivales & amasii erant: *Angelos pro rivalibus amatores suscepisti*.

5 *Dilexit multum*. S. Bernardus de amore divino ita
Serm. 83 in Cant. scribit: *Divinus amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captivat affectus*. Vultisne videre: qualiter amor ejus ipsam totaliter in Deum transformet? Quando Angeli juxta sepulchrum Domini cum ipsa sermocinati cœperunt, ipsam interrogando: *Mulier quid ploras?*
Io. 20. 13. ipsa eosdem nequaquam vidit, utpotè in dilectum suum totaliter rapta & absorpta; unde respondit: *Tulerunt Dominum meum*. Origenes quoad hanc consolationem attinet, quam ei Angeli juxta sepulchrum considentes exhibebant, ita sanctam hanc pœnitentem alloquitur: *Ecce habes Angelos, sufficiat tibi Angelorum visio*; mox verò ejus nomine respondet, dicens: *Onerosi sunt mihi omnes consolatores, gravant me, non consolantur, ego enim quære Creatorem, & ideo gravis est mihi omnis creatura ad videndum*. S. Bernardus alibi, scilicet de triplici cohærentia tractans, infallibilem veri amoris notam assignat, dum ait: *Perfecta charitas est, quando nihil dulcescit homini sicut Deus*, addere possumus, *præter Deum*, Gilbertus Abbas quoque scribit: *Quam durum est in dilectionis jura peregrinas admittere curas*.

6 *Dilexit multum. Pœna interroget*, inquit S. Gregorius, *si quis veraciter amet*. Quotiescunque enim quis in afflictione positus, molestiam hanc pro objecto amato patienter sustinet, verum veræ dilectionis indicium veraciter prodit, Sancta hæc pœnitens corpus suum capillis suis duntaxat contectum, cætera verò aeris temporisque injuriis expositum per triginta annos duris jejuniis, aliisque corporis macerationibus afflixit, illud non aliunde quàm ea sola provisione cœlesti nutriens: nam ut Carthusianus scribit: *In illo deserto nec aqua fuit, nec arbor, nec herba humano esui apta; ex quo innotescit, quod non terrenis sed cœlestibus alimoniis eam Deus sibi nutrire decrevit*.

7 *Dilexit multum*. Quisnam obsecro post hoc præclarum Magdalenæ exemplum excusare se poterit, quo minus ad obtinendam scelerum suorum remissionem ad veram conversus pœnitentiam, peccatum detestetur? *Quis accusabit jam infirmitatem suam?* inquit S. Thomas de Villa-Nova, *quis prætexet corporis teneritudinem, cùm ista fœmina delicata quæ tamdiu fuerat in deliciis, tantum rigorem & asperitatem vitæ tam longo tempore sustinuerit?* Num fortè vos exinde excusandos esse existimatis, quod in culpa habituati sitis? *Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*. Num fortè in eo difficultatem aliquam experimini, quod vitiorum, inordinatarumque passionum vinculis, omnisque generis sceleribus innexus existas? Frustra id prætendis; Quis enim hisce abominationibus magis Magdalena obnoxius fuit. *De qua Dominus septem Dæmonia ejecerat*? Num fortè te ratione juventutis, nobilitatis, sanitatis, aut propter ingentes divitias excusari putabis? Erat hæc sancta pœnitens omnibus tam naturæ, quam fortunæ bonis
Ser. 93. dotata, & tamen pœnituit. Chrysologus nos docet nihil esse in rerum natura, quod Christo à nobis pro peccatorum remissione oblatum, eidem non sufficiat? *Dominicos pedes lavat lachrymis, crinibus tergit, vacat ab excusatione paupertas, inhumanitas veniam non habet, quia in totum sibi natura sufficit ad obsequium creatoris*. Aut vero dato etiam quod omnes hactenus adductæ excusationes admitti debeant, nulla tamen adhuc tibi superest te excusandi occasio, quo minus hunc Deum tuum amare non possis; siquidem ad amoris & charitatis actus eliciendos, nulla alia re opus est, quam corde, id quod in vestra facultate positum esse, haud dubie nequaquam negabitis, quandocunque autem ad Deum amandum usque pertingitis, ad peccatorum quoque vestrorum veniam & generalem absolutionem pertigisse censemini; *Remittuntur ei peccata multa; quia dilexit multum*, etenim certissimum est, quod *Charitas* 1. Pet. 4. 8.
operit multitudinem peccatorum; Nullus autem verè dicere poterit, quod qua ratione Deus amandus sit, nesciat; Quia *Non est qui se abscondat à calore ejus*; ubi Hugo Cardinalis ait: *Nec est, qui se possit excusare, quin eum diligere possit*.

DE FESTO

S. JACOBI MAJORIS APOSTOLI

Discursus Quinque.

Variæ tonitrui proprietates S. Jac. Apostoli virtutibus & actionibus adaptantur.

DISCURSUS PRIMUS.

Imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui.
Marci Cap. 3. v. 17.

1 MYsteriis utique plena fuit illa duobus fratribus Jacobo & Joanni ab incarnata Sapientia facta nominis impositio, eò vel maximè, quòd eodem prorsus tempore acciderit, quod sancto Petro nomen pariter mutaverat, prouti ex Cap. 3. Marci clarè colligitur, ubi primò dicitur: *Imposuit Simoni nomen Petrus*, & immediatè idem S. Marcus subdit, eodem prorsus honore Christum Zebedæi filios honorasse: *Et Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui*, Enimverò si primus humani generis parens ea præditus fuit sapientiæ discretione, ut singulis animalibus singula quoque nomina aptissimè sciret imponere: *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia*: multo magis se- Gen 2 20
cundus hic Adam, *Adam de cœlo cœlestis* nomina dilectissimorum discipulorum & Apostolorum suorum donis, virtutibus, & meritis correspondentia imponere noverit: siquidem *ipse sciebat, quid esset in homine*. Cum igitur illos Tonitrui Filios appellarit, convenit credere ipsos suis in operibus multas tonitrui virtutes & proprietates expressisse, prouti circa personam S. Jacobi discurrendo clarè innotescet.

2 *Filius Tonitrui*. Seneca in ea fuit opinione, quòd Lib 2. nat.
tonitru per nubium ad se invicem factam collisionem q. c. 27.
produceretur, ad eum ferè modum, quo per complosionem manuum ad invicem rumor aliquis & strepitus excitatur. Huic quoque opinioni Hugo Cardinalis consentire

sentire videtur, dum circa illa verba: *Intonuit de cœlo Dominus*, ita scribit: *Tonitru est ex collisione nubium*. Porrò per nubes Apostoli intelliguntur: *Qui sunt hi, qui ut nubes volant*. Et S. Augustinus super illa verba: *Sagitta tua transeunt*, ita ait: *Apostolos quos dudum nubes vocaverat, modo sagittas nominat*. Et Hugo Cardinalis circa illum textum: *Nubes transierunt*, hanc glossam addit, *id est, Apostoli*. Hæ mysticæ nubes perstrepebant ad invicem, quando ut sanctus Matthæus scribit: *Audientes decem indignati sunt de duobus fratribus*, & quando ut sanctus Lucas ait? *Facta est contentio inter eos*, audita nimirum ea petitione, quam mater Jacobi, & Joannis, ut in currenti Evangelio scribitur, Christo de primis regni ejus sedibus proposuit. Vel etiam dicere possumus, quòd cum fulgur *filius tonitrui* existat, sciendum sit fulgur hoc suam à terra originem trahere, & tametsi terrestris sit quædam exhalatio, terram tamen in martem agnoscere dedignetur, unde à Solis radiis in altum sublevata, cœlum versus erigitur, nubes verò in illa regione consistentes, ut transitum ei intercludant, eandem supplantant, ne altius evehi possit, hæc verò à terra nata exhalatio ab hac oppositione majorem sibi vigorem acquirens, eo usque volvitur, & revolvitur, donec incalescens luto cingatur, & in fulgur transformata per fulmina, & tonitrua magno cum strepitu in terram dilabatur, ibidemque turres fortissimas dissipet. Similem ferè ob rationem S. Jacobum *filium tonitrui* dictum asserere possumus, tametsi enim vilibus fuerit natalibus progenitus, humilemque piscatoris conditionem & professionem subierit, attamen a vero Justitiæ Sole instar humilis vaporis ad collegii Apostolici cœtum evectus est; cumque primum in schola Christi locum ambiret, visa oppositione ab aliis Apostolis, imo & ab ipsomet Christo facta, ambitione terrena in cœlestem commutata, id est, petitionem Christo propositam ad primas regni cœlestis, non verò terrestris sedes ordinando, eo usque volvebatur & revolvebatur, id est, tali cum fervore, tantaque cum velocitate Evangelii lucem vibravit, ut quoad posset, idololatriam dissiparet, ut exinde meruerit primus præ cunctis aliis beatum illud regnum ingredi, & primus duodecim illos occupare thronos Apostolis promissos, siquidem primus inter Apostolos in suo throno consedit, Author operis imperfecti in ea est opinione, quod mater ad filiorum instantiam primas non inter nos, sed inter Seraphinos sedes poposcerit: *Laudanda est mater*, inquit, *quæ non terrena sed cœlestia filiis suis petebat*. Est & aliud in hac tonitrui analogia latens mysterium, enimverò Christus Dominus ad exprimendam velocitatem, qua cum ad judicium universale est descensurus, fulguris similitudine utitur, dicens: *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, sic erit adventus filii hominis*; Etenim vix terrestris hic Galilææ vapor in die Pentecostes Spiritus S. ignem concepit, cum ecce ab ardentissimo fidem propagandi zelo stimulatus, præ omnibus aliis solicitissimus & velocissimus fuit, ut per varias mundi partes discurreret. Unde in lectionibus hodiernis dicitur: *Post Jesu Christi ascensum in cœlum in Judæa & Samaria prædicans ejus Divinitatem plurimos ad Christi fidem convertit*. S. Vincentius Ferrerius in Sermone de hoc Festo in ea est opinione, quòd sanctus Jacobus mox ut mandatum audivit Salvatoris dicentis: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, nequaquam distulerit eidem parere, licet credendum sit, quod prius Spiritum S. præstolatus fuerit, juxta ejusdem Redemptoris nostri commissionem dicentis, *Manete in civitate, donec induamini virtute ex alto*, *Quis fuit primus Apostolorum*, inquit Ferrerius, *qui hanc legationem exequebatur eundo per mundum? non Petrus, nec Andreas, nec Joannes, sed Jacobus iste; mox Hispaniam adiisse, & ibi aliquot ad fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ traditio est*. Et quidem tametsi traditionem esse dicat, non tamen ideo minus id certum est: pro quo notanda sunt verba illa Chrysostomi dicentis: *Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam; est traditio, nihil amplius quæras*. Porrò difficultas quæ objici posset quoad iter S. Jacobi in Hispanias, hæc a Cardinali Baronio in annotationibus ad Martyrologium soluta est; observat enim quòd cùm S. Jacobus Hierosolymis martyrio affectus fuerit, priusquam inter Apostolos mundus divideretur, ipsique fidei prædicandi causa ad provincias illis assignatas discederent, necessario dici debeat S. Jacobum utpotè omnibus aliis ferventiorem, immediatè post mortem S. Stephani in Hispanias concessisse, & tametsi S. Lucas scribat, in illa persecutione discipulos dispersos esse, non Apostolos; dicit enim expresse: Non Apostolos, id tamen de majori parte Apostolorum intelligendum est. Notandum quoque est illud significantissimum & mysticum adverbium, *Mox*, dum dicitur *mox Hispaniam adiisse*? ex eo namque fervidus hujus Apostoli in dilatanda & prædicanda sancta fide zelus clarè deducitur; siquidem ad instar fulguris & fulminis longa & ærumnosa itinera decurrit in ultimas usque mundi partes, moxque reversus est, ut se aliis discipulis Hierosolymis conjungeret.

In Ps. 17. — Mat. 20. 24. — Matth. 24. — In Lect. — Marci ult. — Luc. 24. 49. — Ho. 4. in Ep. 2. ad Thessal. — Act. Ap. 8. 1.

3 *Filius tonitrui*. Lucretius de tonitru scribit: *Sic fulgur quoque cernimus antequam tonitru accipiamus*. Etenim experientia demonstrat, quòd prius fulgur & fulmen oculis nostris appareat, quàm tonitru strepitus aurem pulset, non obstante quod prior sit nubis disruptio, quæ tonitrui rumorem causet; & ratio est, quia *Segnius irritant animos immissa per aures, quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus*. S. Jacobus tametsi in Hispaniarum regnis tanta cum efficacia prædicaverit, imo tonitrua ediderit, undè illud ei epithetum dare possumus, quo S. Hieronymus S. Paulum insignivit, dum illum vocat *Tonitru gentium*, illa tamen à S. Jacobo Hispaniis illata Christianæ fidei lux, tametsi ad eorundem populorum aures penetrarit, nullum tamen pro tunc in obstinatis eorundem cordibus ictum dedit, sed paulò post mortem Apostoli; fulgur enim quamdiu in aere suspensum est, ictum non facit, sed posteà quando labitur; tunc enim nulla ei fieri potest resistentia: ita quoque de hoc Apostolo dicere possumus; quòd tametsi quoad usque vixit paucos ad Christum converterit, attamen postquam occubuit, id est, per mortem cecidit, tunc prædicationis anteà seminatæ copiosissimum fructum collegit. Examinemus velim Scripturam quandam, quam in S. Jobo descriptam reperio, ubi dicitur: *Spiritus ejus ornavit cœlos*, id est, inquit Hugo Cardinalis, *Discipulos, quando repleti sunt omnes Spiritu sancto; vel ornavit, id est, verbo firmavit: Verbo Domini cœli firmati sunt*, id est, Apostoli. *Et spiritu oris ejus omnis virtus eorum: & obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus*, id est, mediante divina omnipotentia & sapientia serpens ille tortuosus, qui in idolis adorari se curabat, à mundi tyrannide est dejectus; in verbis vero sequentibus cœleste Spiritus sancti oraculum felices prædicationis S. Jacobi prædicit progressus, dum ait: *Et cum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis ejus sustinere*; cùm enim S. Jacobus ab ardentissimo zelo suo instigatus primus fuerit, qui pro defensione fidei sanguinem suum fundere non dubitaverit, & consequenter pro annuntiando Christi Evangelio modicum tempus sibi reliquum habuerit, attamen per modicum illud, quod in Judæa & Hispaniis prædicavit, tantum fructum edidit, ut à nemine satis pro meritis explicari possit. Quis enim sufficienter tot populorum conversiones, miracula, omniaque alia admiranda opera, quæ post hujus Apostoli martyrium in illis regnis subsecuta sunt, annuntiabit? Enimverò S. Paulus, tametsi Sergium Paulum converterit, omni tamen adhibita energia & spiritu suo, quo cum prædicare solebat, Elimam magum convertere non prævaluit: S. Jacobus autem non solùm multos convertit obstinatissimos Hæbreos, quorum causa ingens illud Herodis contra ipsum excitatum est odium; verùm etiam Hermogenem magum famosum una cum pluribus aliis perversæ sectæ possessoribus ad sanctæ fidei notitiam perduxit; unde jure merito ipsi tonitrui titulum adscribere possumus, utpotè quem non minus quàm Paulus promeruit. Notabilia quoque sunt verba illa: *Cum vix parvam stillam sermonis ejus, &c.* Etenim cœlestis sapientiæ ejus salutaris aqua eò usque excrevit, ut solis illius ariditatem, quod excessivo Solis ardore quasi concremarat, abundè humectarit; undè dici potest de illo. *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum*, quæ verba adeo in illis regnis verificata fuerunt, ut in illis ad præsentes dies nostros sancta fides stabilita videatur, ita ut hactenus nullam illius jacturam passa fuerit, quam tamen tot alia regna passa fuerunt, imo potentissimus Hispaniarum Rex ob ingentem zelum à majoribus suis hæreditariè acquisitum, quocum fidem defendit, gloriosissimum Regis Catholici titulum sibi comparavit. Eruditissimus quidam Episcopus scribit, quòd inter omnia, quæ de

Lib. 6. — Job. 26. 13. — Ecc. 15. 3. — Monopol. Episc.

S. Jacobo dici possunt, hoc maximè considerabile sit, quòd quam ipsemet in Hispaniis annuntiavit Evangelii lucem, adeo firmarit & solidarit, ut *quam semel recepit lucem, nunquam deseruerit*; quia tametsi in aliis locis ab aliis Apostolis Christiana religio plantata fuerit, progressu tamen temporis eandem ab iisdem eliminatam videmus: *At Hispania postquam semel recepit fidem, ab ea non discessit*: Undè S. Jacobus Hispanis dicere potest, quod S. 2.Cor.4.15. Paulus olim dixit Corinthiis: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*; quia tametsi noo nisi pauci prædicatione ejus ad fidem conversi fuerint, attamen benè ponderanda sunt verba illa lectionum hodiernarum: *Ex quorum numero septem postea Episcopi à beato Petro ordinati in Hispaniam primi directi sunt*; hi autem septem Episcopi, quia veluti Hispaniarum Apostoli fuere, à S. Jacobo immediatè conversi esse noscuntur. Duo Scipiones Imperio Romano regna illa subjugarunt, undè glorioso hoc titulo fulminum decorari meruerunt: *Duo fulmina belli*; en vero aliud quoddam fulmen, quod Imperio Romano sed Apostolico ingentem illam & potentissimam subjecit monarchiam: in cujus signum Petrus princeps ordinavit Episcopos, eosque ut omnes illos populos sanctæ suæ sedis obedientiæ subjicerent, in Hispaniarum regna submisit. Ictus à sagittario factus non sagittæ, sed manui quæ illam dirigere novit, & oculo ad scopum illam collimanti attribuitur: ita quoque dicere possumus, quod gloria, quæ ex regnorum Hispaniæ conversione subnata fuit, non discipulis sancti Jacobi, sed ipsimet sancto Apostolo attribui debeat, utpote qui eos edocere, suaque assistentia & patrocinio post mortem defendere, illisque in colligenda copiosa illa messe assistere prævaluit: undè in eo adimpletum fuit, quod licèt ad aliud propositum scribit Ambrosius, dum ait: *Illustres præstantioresque viri disci-* L.1.2.Offic. c. 41. *pulorum certaminibus magis quàm suis vincunt*.

4 *Filius tonitrui*. In S. Bernardo scriptum reperio: *Habet Ecclesia cœlos suos, homines spirituales vita & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate,* Serm. 6. in Can. *contemplatione suspensos*. Apostolis autem, prouti jam diximus, hoc cœlorum nomen specialiter tribuitur; *Cœli enarrant gloriam Dei*. Sanctus autem Bernardus ad propositum nostrum ulterius prosequitur dicens: *Et hi pluentes pluviam verbi salutarem tonant increpationibus, coruscant miraculis*. Paulò antè adduximus verba illa textus: *Tonitrum magnitudinis ejus*. Circa quæ verba modernus quidam interpres ita scribit: *Ut nihil aliud* Bolduch. *sit quam divina virtutis immensitas, atque vis admirabilis efficiens magnificentissima natura miracula, ad qua audita & conspecta obstupescerent mortales, veluti ingenti tonitru attoniti*. S. Bernardinus quoque scribit: Ser. 10. Domin.1. Quad. art. *Etiam hodie extant in Barbaria de gentibus Aquilonis, qui tonitruum pro Deo adorant*. Enimvero quodsi homines cultu, qui Deo tribuitur, adorari possent, quis inter omnes alios adorandus foret, quàm mysticum hoc prodigiosum Tonitru, sanctus videlicet Jacobus? siquidem is ad instar tonitrui, fulguris & fulminis cujusdam sæpenumerò in aere apparens barbaros inimicorum nominis Christiani exercitus penitus dissipavit. Miraculosa portenta, quæ à tot sæculis in hunc usque diem quotidie in conspectu totius mundi ad gloriosum ejus sepul- Psal. 19. chrum Compostellæ fiunt, ingentia adimplent volumina. Priusquam diceretur: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*, jam anteà dixerat: *Vox tonitrui tui*; nos quoque de hujus tonitrui fulmine ad literam dicere possumus: *Commota est & contremuit terra*; ubi S. Hieronymus ait; *Apparuerunt fulgura orbi*. Etenim Apostolus hic ob miraculorum & prodigiorum suorum famam magnam sibi per totum universum conciliat venerationem, per ingentem totius populi Christiani ad gratiosum ejus sepulchrum concursum. Sanctus Thomas Doctor Angelicus circa verba in principio Discursus proposita, authoritatem adducit Chrysostomi dicentis: *Filios quidem Zebedai sic nominat propter hoc quod magna & clara divinitatis edicta debebant orbi terra diffundere*. Dicite sodes num aliquando vos reflexe- Ps. 76. ritis ad illa ejusdem Psalmi antecedentia verba: *Vocem dederunt nubes*; quæ Hugo Cardinalis ita exponit, id est, *Apostoli prædicantes*; *etenim sagitta tua transeunt*, *id est, verba prædicationis tua sunt penetrantia*; *sagitta potentis acuta, populi sub te cadent, nec tantum, quia ad intima cordium penetrant, dicitur quod transeunt: sed etiam quia cito multarum terrarum spatia transeunt. secundum quod dicitur in Psalmo: Velociter currit sermo ejus, hoc est, quod sequitur: Vox tonitrui tui in rota, id est, in circuitu totius orbis*. Quæ omnia in S. Jacobo perfectè verificantur; siquidem ejus patrocinium & assistentia quoad fidei & religionis Christianæ conservationem, per universæ terræ circuitum extenditur & dilatatur. Cùm enim potentissimi Reges Catholici suum dominium per universum, ut ita dicam, mundum extenderint, & ubique Christianam fidem pro viribus enutriant, ideo S. Jacobus ab omnibus nationibus huic monarchiæ subjectis, tanquam primarius protector in veneratione summa habetur; præterquam quòd, ut Hugo Cardinalis super illum S. Marci textum in themate hujus Discursus adductum commentatur; *Tonat Jacobus modo per fratres S. Jacobi*, id est, illustrissimis Equitibus Ordinis S. Jacobi mediantibus. Adhæc, ut diximus, *Illucescunt coruscationes sua orbi terra*; quia sepulchri ejus veneratio, & prodigiorum suorum fama per universum mundum extenditur. Hugo Cardinalis verba illa ita glossat: *id est, miracula qua te faciente coruscabant orbi terra, id est per totum mundum*.

5 *Filius tonitrui*. Memorandum quòd dum Christus in societate SS. Jacobi & Joannis fratris ejus Samariam versus contendens, ab ejusdem incolis ignominiosè rejiceretur, portas videlicet urbis in conspectu & coram oculis eorum, ut dicitur, claudendo, ambo sancto zelo succensi fuere; & verisimile est S. Jacobum, utpotè natu majorem, Joannis quoque nomine Salvatori dixisse: *Vis dicimus ut ignis descendat de cælo & consumat illos?* Verùm, inquies, quam ipsi tunc potestatem habebant, jubendi ut ignis de cęlo descenderet: num fortè in se aliquod in elementa imperium hactenus experti fuerunt? aut an fortè illis delegata fuit quædam similis Eliæ potestas? S. Ambrosius dicit: *Benè præsumunt, quia ad sermonem* Lib. 7. in *suum ignis de cælo descenderet, quoniam filii sunt tonitrui*; Luc. c. 18. ubi fulget, ubi tonitru adest, ibi quoque protinus ignis conspicitur. Ab hoc autem aliisque hujus Apostoli factis ardentissimum ejus zelum haud obscurè colligere possumus, quo instigatus Hebraismo fidem Christi apertè prædicans, adversum se Herodem specialiter ad mortem sibi inferendam concitavit, utpotè qui ut Ecclesiam penitus deleret, solidissimum Christianæ religionis fulcrum & basim demoliri & evertere voluit. Unde Chrysostomus ait: *Statim ab initio rerum tanto ardore concaluit, ut huma-* Hom. 66. *nis omnino rebus neglectis ad tantam sublimitatem ascen-* in Matth. *deret, ut à persecutoribus confestim occisus sit*. S. Lucas Evangelista in Actibus Apostolicis observat, quòd universa Judæa, quæ in Evangelicæ legis perniciem conjuraverat, toto corde ob hujus Apostoli mortem exultaverit, & festiva gaudia instituerit, adeo etiam ut impius ille Rex per Jacobi trucidationem majorem sibi apud populum gratiam conciliaret; unde ut parium hunc populi erga se benevolum affectum tantò magis stabiliret, operæ pretium esse duxit, si Petri quoque captivitatem & mortem deinceps procuraret: *Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio; videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut* Act. Ap. 12. 3. *apprehenderet; & Petrum*. Per hoc haud obscurè insinuans opinione sua in majus Hebraismi damnum cedere vitam S. Jacobi ejusque prædicationem, quàm ipsiusmet Petri, Matth 4. licèt is Collegii Apostolici caput, & fulcrum Ecclesiæ primarium esset; siquidem priùs S. Jacobum in vincula conjecit & trucidavit. Theophylactus *S. Jacobum* considerat pro eo tempore, quando Transfigurationi præsens adstitit, idquè factum esse putat, *quod & ipse æmulator fuerit, & manifestum est illum ingentis zeli fuisse, tum ex eo,* quod *Herodes, ut placeret Judæis, gladio illum occidit*. Dionysius Carthusianus scribit, quòd fuerint denominati *filii tonitrui propter altissimam & efficacissimam prædi-* In cap. 3. *cationem ipsorum, & quia in Transfiguratione Christi au-* Marc. *dierunt, vel potius audituri erant vocem Patris dicentis: Hic est Filius meus dilectus; hujuscemodi enim vox appellatur tonitruum, eo modo quo scriptum est in Job: Quis poterit tonitruum, &c.*

6 *Filius tonitrui*. Cur autem increata illa Sapientia illos potiùs filios tonitrui appellavit, quàm quòd illos fulminis & sagittarum titulo honoret? Observandum quod cœlum interdum fulminet & fulgurat absque eo quod strepitum aliquem faciat; nonnunquam verò tonitruat, absque eo quod fulmina edat. Filius igitur Dei sapientissimus magister noster scire nos voluit, duos hosce Apostolos edituros esse tonitrua per prædicationem, fulmina

autem

autem per sanctitatem. Fulmina sunt illi tonitrui, quæ ictum inferunt, ita ut præter ictum rumor etiam aliquis auribus percipiatur, ab oculis vero lux quædam conspi- Apoc. 4. 5. ciatur eosdem hebetans. In Apocalypsi scribitur. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua*; ubi Rupertus Abbas notat, quod priùs dicatur ly *fulgura*, & posteà ly *voces & tonitrua*; quia sicuti priusquam ad aures strepitus perveniat, ab oculo fulguris splendor conspicitur, ita quoque priusquam Evangelicæ vocis rumor ictum faciat, necessum est, ut in Evangelii præconibus lux boni exempli, virtutis & spiritus præcedat: Matt. 5. 16 *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*. Sunt nonnulli, qui solummodo tonitrua edunt, & per artificiosæ floridæque dictionis compositionem & eloquentiam ingentem rumorem excitant; at vero nullum penitùs ictum imprimunt, quia vim persuasivam suæ facundiæ non adjungunt, cordaque obstinata ad compunctionem non reducunt. Alii duntaxat fulgurant, non vero tonitruant, id est, vitam sanctam agunt, nullam vero ad prædicandum aptitudinem habent, sed sibimetipsis tantùm sancti existunt. S. Hieronymus ad Pammachium, ut suprà insinuavimus, de S. Paulo scribit: *Paulum Apostolum quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua; videntur quidem verba simplicia, sed quocunque respexeris, ful-* In Cant. *mina sunt*. Nazianzenus de Basilio Magno ita scribit: *Oratio ejus erat tonitruum, quia vita erat fulmen*: S. Thomas Doctor Angelicus de hoc nostro Apostolo contestatur dicens: *Jacobum scilicet, qui supplantata habet tota desideria carnis*; Etenim si Epiphanio credimus, & hic noster Apostolus virgo fuit, sicut & S. Joannes. S. Job. 37. 5. Job in prophetia sua dicit: *Tonat Deus voce sua mirabiliter*; suam tamen energiam & prodigiosam efficaciam iis præcipuè imprimit, qui virginalem zelant integritatem, ac proindè fratri suo germano factam habemus visionem, quam hisce verbis enarrat: *Audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vo-* Apoc. 14. 4 *cem tonitrui magni*; ubi notandum est, Agnum hunc choris Virginum cinctum fuisse, dicit enim: *Hi sunt qui* Act. Ap. 24. 25. *cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum*. S. Paulus, qui hujusce virtutis zelantissimus fuit, adeo tonabat, ut *tremefactus Felix*.

7 *Filius tonitrui*. Tonitru hanc quoque proprietatem habet, quod cervas parturire faciat, quæ alias indubiè facturæ fuissent abortum: *Vox Domini præparantis cervos*; Chaldæus legit, *Parturire faciens cervas*. Psal. 28. 9. Et ratio est; quia viscera earum in illo ex tonitruatione concepto terrore adeò dilatantur, ut partus suos facili negotio in lucem edere possint. Eheu quot sunt de quibus perfectè verificatur illud Isaiæ: *Venerunt usque ad* Is. 37. 3. *partum, & virtus non erat pariendi*! Meritò igitur S. Jacobi patrocinio nos recommendare debemus, hic enim mysticum illud tonitru est, quo mediante spiritum & virtutem impetrare possumus, ut bona nostra proposita sine ulla dilatione & mora executioni mandare valeamus, ipsius in hoc exemplum imitantes; qui dum vix Matt. 4. 22. una cum fratre suo germano ad Christi sequelam invitatus fuerat, *statim relictis retibus & patre secutus est eum*.

Copiosa consideratur messis, quam S. Jacobus Ecclesiæ horreo invexit, tametsi aliàs quoadusque vixit, ad veram fidem paucos converterit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Ego vos elegi de mundo, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Joan. cap. 15.

1 CUm sancta mater Ecclesia in omni sua determinatione, præcipuè verò in iis, quæ ordinem divinorum officiorum, quæ ad Festa Sanctorum concelebranda attinent, Spiritum sanctum unicum suum directorem habeat, observandum est quòd eadem sancta mater Ecclesia hodie ad debitum S. Jacobo honorem exsolvendum in Missæ Graduali prædictis Thematis nostri verbis uti soleat; & quidem prima facie videri alicui non immeritò posset, eadem verba huic Apostolo minimè gentium adaptari posse; siquidem ut in lectionibus hodiernis audivimus, & vitæ ejus acta expressè confirmant, in Hispaniis valdè modicam in animam ad fidem Christianam à se annuntiatam conversione messem Christi horreis intulit, tametsi alia ex parte fructus, quem in Judæa demessuit, copiosus fuerit: *In Judæa & Samaria prædicans plurimos ad Christianam fidem perduxit*: in Hispania vero minimè; de ea enim dicitur: *Mox Hispaniam adiisse, & ibi aliquos ad fidem convertisse, Ecclesiarum illius provinciæ traditio est*. Porrò verba assumpti thematis, à cœlesti illo agricola, qui æternum quoque *Patrem suum agricolam* esse Joan. 15. 5. contestatus fuit, ad illos præcipuè dicta fuerunt, qui ad copiosum animarum fructum Christi horreis invehendum tanquam ejus delegati sancti Evangelii semen per universum mundum seminaturi erant: *Ego vos elegi de mundo, ut eatis & fructum afferatis*. Sanctus Vincentius Ferrerius in sermone de hoc Festo de hoc Apostolo dicit: *Solum novem discipulos convertit*; & tamen idem sanctissimus Doctor idemmet dubium aptissimè resolvit, dicit enim, quod sicut Redemptor noster duodecim tantùm Apostolos, qui veluti duodecim extitere grana frumenti, convertit, qui deinceps semen Evangelii per totum mundum disseminandum, fructificarent: *Ita B. Jacobus; nam illi novem discipuli fuerunt novem grana fructificantia, quæ totam Hispaniam converterunt: in hoc tenuit consilium Christi dicentis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut plurimum fructum afferatis, & efficiamini mei discipuli*. Insuper etiam dici potest, quod Deus, qui interiora cordis intuetur, sibique magis in affectu, quàm in effectibus complacet. S. Jacobum adeo fervidum & zelosum videns, primumque esse considerans, qui advenis & gentilibus populis fidem imperterritè annuntiaret, tametsi indè non tam copiosos, uti speraffet, enatus fuerit fructus; attamen tanquam remunerator largus atque munificus, Apostolicum hunc zelum & fervorem adeo sibi gratum ha- L. 5. contr. c. 5. buit, ac si cœli granaria copiosissima messe effectivè adimplevisset. Undè S. Augustinus scribit: *Sicut malignus suasor peccati, etiamsi non persuaserit, meritò pœnam deceptoris incurrit; ita fidelis justitiæ prædicator, etiamsi ab omnibus respuatur, absit, ut apud Deum sui officii mercede fraudetur*. Porrò in hujus Apostoli defensionem doctrina quædam adduci potest Authoris operis imperfecti, qui optimè observat, quod incarnata Sapientia per piscationem materialem, Apostolos, quid Hom. 7. in Matt. illis circa animarum piscationem faciendum esset, instrueri voluerit; unde quando sanctos Jacobum & Joannem vocavit, dixit eis: *Faciam vos fieri piscatores hominum*. Matt. 4. 19 Hic igitur citatus Author doctrinam quandam adducit valdè consolatoriam iis, qui pro voto & desiderio laborum suorum fructus non recipiunt; nimirum quod ad piscatoris officium non spectet, quod magnam semper piscium prædam faciat; siquidem id ab eo minimè dependeat, nec in ejus sit positum voluntate: quin potius muneris ejus sit, hamum aquis injicere, retiaque extendere, & ut uno verbo absolvam, omnem ex parte sua possibilem operam & industriam, quantam novis & debet, impendere, ut finem hunc assequatur, Joh. 6. 44. reliquum verò Deo debeat committere, qui dicit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. S. Petrus quoque dolenter Christo dixit. *Præce-* Luc. 5. 5. *ptor per totam noctem laborantes nihil cœpimus*. Animarum quoque piscatio atque captura à nostro labore & industria minimè dependet; sed potiùs ab efficacia divinæ gratiæ, quæ demum nostræ cooperationi & applicationi mediorum, necnon industriæ conjungitur, ac proindè tametsi ex laboribus nostris fructum speratum non colligamus, ab hoc tamen fructu nostro & merito apud Deum orbari minimè erimus. *Sicut enim in piscatore solus labor requiritur piscandi & jactandi retia; Deus autem transmittit capturam: sic & in Doctore contigit, quia populum non corrigit homo, sed Deus*. Enimvero aliis quoque modis thema propositum verificatum fuisse ostendere possumus.

2 *Fructum afferatis*. Omnibus nota est illa propositio: *Qui per alium facit per seipsum facere videtur*, atque ideo cùm S. Jacobus novem illos discipulos ad fidem converterit, hi autem copiosæ illius messis collectores & messores fuerint, quam ex omnibus hisce regnis in cœli granarium reportavit, laus illorum, uti jam diximus, in S. Jacobum redundare debet, qui ad Christi imitationem certo quodam modo idipsum quoque di-

Luc. 9 47. cere potuit, ſcilicet: *Ego elegi vos ut eatis, & fructum afferatis*. De cœleſti hoc magiſtro ſcribitur: *Et erat quotidie docens in templo*. Et S. Petrus de eo dixit: *Verba vitæ æternæ habes*; & tamen quàm pauci fuere, quibus divinitatem ſuam perſuaſit: ſiquidem multi fuere, qui ipſum dæmoniacum, ſeductorem, Samaritanum eſſe æxiſtimabant, imo totius populi voce ad Crucis ſupplicium poſtulatus & condemnatus fuit: *Tolle, tolle, crucifige eum*; & quod deterrimum eſt; Barabbæ latroni à Judæis fuit poſtpoſitus; copioſa vero meſſis, quam tandem Eccleſiæ horreo cœleſtis hic agricola invexit, mediantibus Apoſtolis eò illata fuit, de quibus dicitur: *In omnem terram exivit ſonus eorum*; hi aliquam Hebraiſmi & paganiſmi partem ad veram fidei notitiam perduxerunt; S. Jacobus Judæis per ſeipſum immediatè prædicavit, &, ut diximus, multos convertit, diſcipulis vero mediantibus, quos in Hiſpania ſibi comparavit, omnia hæc regna ad veram Chriſti fidem perduxit, qui proindè jure meritiſſimo Evangelii lucem ipſi, non vero aliis principaliter in acceptis re-
Joan. 12. ferre debent: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Sanctus Jacobus granum iſtud frumenti fuit, quod neſcio an in cœlo vel terra ſeminatum fructum reddidit centuplicatum; ſiquidem
Mat. 13 30. quando anima ejus in cœlum recepta fuit: *Triticum autem congregate in horreum meum*, quando ſacroſanctum ejus corpus tot honoribus hic in terris fuit affectum, converſionem numeroſiſſimi hujus populi operando, & quovis tempore ex omni mundi parte, non ſolùm devotos ad ſui corporis venerationem; ſed etiam eos, qui perverſi ſunt, ad ſui compunctionem, & ad veram pœnitentiam pertrahendo fructificavit. *Multum fructum attulit*, præcipuè in Hebraiſmo inter obſtina-
Serm. 2. de S. Jacobo. tos. Dionyſius Carthuſianus ſcribit, quòd poſtquam ſanctus Jacobus ex Hiſpania in Judæam rediit, Hermogenes celebris ille magus Philetum diſcipulum ſuum ad eum miſerit, ut is in conſpectu totius populi ſanctum Jacobum verum impoſtorem eſſe convinceret; at verò contrarium accidit: ſiquidem Philetus ille ab Apoſtolo de perfidia & falſitate ſua convictus remanſit: *Prædicatione Apoſtoli audita, & viſis ejus miraculis compunctus eſt corde, rediitque ad Hermogenem dicens, ſe velle fieri diſcipulum ſancti Jacobi*. Incantator autem graviter eidem indignatus, ſuis illum præſtigiis prorſus reddidit immobilem: quod cùm ſanctus Jacobus percepiſſet, ſuum illi miſit ſudariolum, ut eo tangeretur, & protinus magia evanuit, & ad Sanctum denuò confugit. Tunc Hermogenes dæmones conjuravit, ut hi Jacobum & Philetum vinctos ad ſe perducerent, qui ſe ab Apoſtolo mirè torqueri, & ad magum vinctum Apoſtolo ſine ullo ei illato nocumento perducendum violenter adſtringi publicè ſunt conteſtati, quod ab iis re ipſa præſtitum fuit. *Viſis tot mirabilibus Hermogenes* (eſt hic merus Carthuſiani diſcurſus) *eſt converſus, omneſque libros ſuos magicæ artis projecit in mare, atque ad Jacobum rediens coram ipſo proſtravit ſe, & tenens pedes ipſius dixit: Animarum liberator accipe pœnitentem, quem invidentem ac detrahentem diu ſuſtinuiſti. Cum baptizatus fuiſſet, cœpit in Dei timore & omni virtute proficere, atque in brevi ad tantam pervenit perfectionem, quod etiam Deus per ipſum multa miracula fecit*.

3 *Fructum afferatis*. Theophylactus egregium S. Jacobo encomium attribuit, dum ab eo *vocaliſſimus omnium Apoſtolorum eſſe dicitur*. Scio equidem phraſim illam, qua Apoſtolus, dum de Redemptoris ſanguine locuturus & ſanguinis innocentis Abel ab ejus impio fratre occiſi, mentionem faciens utitur, dum ait: *San-*
Heb. 12. 24. *guinis aſperſionem melius loquentem quàm Abel*; qua phraſi ſanguini tam à Chriſto, quàm ab Abele effuſo quandam ſonoræ vocis expreſſionem attribuit, quam vocem pariter ſanguini D. Jacobi attribuere poſſumus; hic namque ab invido fratre, id eſt, à Judæis effuſus vocaliſſimus fuit, quia veluti ſonora voce omnes alios ad martyrium ſubeundum animavit; ſiquidem primus inter Apoſtolos Chriſti fidem non minus voce, quam ſanguine confeſſus eſt, huncque Apoſtolicum ſanguinem multos alios poſt ejus mortem, ad moriendum pro Chriſti nomine cohortando animaſſe tantò nobis firmius perſuadere poſſumus, quantò admirabiliori cum conſtantia, & majori cum lætitia eandem ſuſtinuit; de ipſo namque legimus: *Cùm hic, qui eum duxerat ad tribunal, martyrium ſubeuntem vidiſſet, ſtatim ſe & ipſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt; ad ſupplicium cum traheretur, petiit ille a Jacobo veniam, quem Jacobus exoſculatus: Pax, inquit, tibi ſit*. Ex alio autem capite titulus ille prædictus ei convenire videtur, eò quòd vo- In Lect.
cem ſuam ad finem uſque mundi audiri fecerit, ut præ cunctis aliis Apoſtolis de eo verificetur: *In omnem ter-* Pſal. 5.
ram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Lorinus lib. 8. in Ep. ad Rom. c. 10. teſtimonium quoddam Origenis adducit; ſuntque hujuſce Commentatoris verba ſequentis: *Fines terræ eruditiores quoſque ac ſapientiores, quia verba dicuntur in fines terræ exiviſſe, & finis perfectionem importat, econtrario terræ imperitos & indociles, in quos exierit ſonus ſolus, communis videlicet ſimplexque prædicatio: nec vero deſunt qui Jacobum fratrem Joannis re ipſa, quod hoc loco prædicitur, impleviſſe aſſerunt, cum in Hiſpania pervenit provinciam Galitiam, cui loco nomen inditum eſt, fines terræ*. Etenim pauculos illos, quos S. Jacobus convertit, è ſapientioribus fuiſſe, vel ex eo credere poſſumus, quòd omnes hi ſeptem à S. Petro ordinati fuerint illarum provinciarum Epiſcopi & paſtores, qui eaſdem vera fidei notitia illuminarent.

4 *Fructum afferatis*: Equidem quis ita mente cæcus eſt, qui fructum illum abundantiſſimum non videat, quem myſticum illud frumenti granum, id eſt, corpus Apoſtoli, non ſolùm tunc, ſed & in omnibus aliis ſequentibus ſæculis produxit? *Vocaliſſimus omnium Apoſtolorum*: hoc quoque titulo Apoſtolum noſtrum honorare poſſumus ob devotionem, venerationem & protectionem ejus in omnes illas provincias, in quas Catholicorum Regum extenſum eſt dominium, imo per univerſam terram habitabilem longè lateque diffuſam. Re-
cordabimini utique Patriarchæ Jacob, cujus S. Jacobus Gen. 32.
quadantenus nomen præ ſe fert; is in domum ſuam paternam cum duabus filiorum & ſervorum turmis reverſus dixit. *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior*. Idem quoque S. Jacobus dicere potuit, quando cum oſſibus & cineribus ſuis in Hiſpaniam redit: ſiquidem qui vivus in Hiſpania conſtitutus paucos converterat, poſt mortem incredibilem omnium illorum converſionem cauſavit; ſiquidem ab illis Apoſtoli cineribus in Hiſpaniam relatis ignis ille egreſſus eſt, de quo ſcribitur: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Cum duabus turmis regre-*
dior; ſiquidem in Hiſpania non ſolùm Hebræi ſive Ju- Luc 12. 49.
dæi, quorum multi in regnis illis morabantur, verùm inſuper omnes gentiles converſi fuerunt. Dionyſius Carthuſianus Apoſtolo huic illa Eccleſiaſtici verba cap. 48. de Eliſeo dicta pulchre adaptat; *Mortuum prophetavit corpus ejus*, quia reſuſcitatus fuit qui cadaver illud tetigerat. *Quanto magis verbum iſtud dici poteſt de ſacratiſſimo Apoſtolo Jacobo, qui poſt mortem ſuam tam multa & magna, tam præclariſſima, ſolique Omnipotenti poſſibilia fecit miracula, inter quæ etiam plures ſuſcitavit defunctos*. Pergit demum præfatus Auctor demonſtrare quam veneranda ſint Dei judicia, utpotè cujus diſpoſitione Apoſtolus hic adeo modicum fructum in regnis illis tempore vitæ ſuæ fecit, & poſteà demum poſt mortem in iiſdem tanta operatus eſt miracula & prodigia. *Eo autem in Judæa occiſo corpus ejus illuc Angelo duce miraculosè delatum, tantis ibidem radiavit prodigiis, ut per hoc plurimi ſint converſi*. Facite, obſecro, quendam miraculorum annis abhinc mille ſexcentis ab eo patratorum, peregrinationum quoque ad ejus venerationem ex toto mundo inſtitutarum, & conſequenter converſionum tot infidelium, totque habituatorum peccatorum ejus meritis & interceſſione factarum ingentem catalogum, ac tum demum reſolutè dicetis, quod *electus eſt ut fructum afferret*. Verùm enimvero id, quod perfectiſſimè adimpletum eſſe videmus, eſt divinum illud ſequentium verborum oraculum: *Ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*; nam, ut præcedenti Diſcurſu tetigimus, fructus prædicationis multorum aliorum Apoſtolorum in aliis provinciis & regnis productus progreſſu temporis deperditus evanuit; non vero item fructus, quem S. Jacobus etiam poſt mortem ex laboribus & ſudoribus ſuis in vita exantlatis reportavit. Eruditus quidam Epiſcopus ſcribit: *Quod de Jacobo magni faciendum cenſeo, illud eſt, quod Hiſpaniam pri-* Monopo
mo per ſe aſcendit, primus eam per ambulant & prædi- lit. Epiſ.
cant,

tans, quæ illum, quam semel recepit, lucem, non deseruit. Et quidem piè credere possumus huic S. Apostolo ad populi illius conversionem beatissimæ quoque Virginis intercessionem magno subsidio fuisse; nam ut multi gravissimi Authores referunt, huic sancto Apostolo etiamnum viventi beatissima Virgo Saragusæ in columna Jaspidina visibiliter apparuit, eique, ut ecclesiam quandam in suum honorem ibidem fundaret, præcepit; undè demum ingens illa erga beatam Virginem devotio ad omnia illa regna se dilatavit. De S. Gertrude legimus, quòd die quadam à Deo percontata fuerit, cur sepulchrum S. Jacobi tantoperè exaltasset, siquidem id nulli alteri sepulchro fecerit, præterquam illi, in quo corpora sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli condita fuerunt; eique responsum fuerit, id factum esse præcipuè, quia hic Apostolus sanctam Christi fidem propagandi adeo cupidus fuit, ac proindè quia in hoc ejus sancto desiderio fuit impeditus, eo quod inter alios Apostolos primus fuerit, qui pro ejusdem fidei defensione vitam suam prodegit: Deus nihilominùs corpus ejus post mortem per tot populorum venerationem & concursum in omnibus mundi nationibus honorare voluerit, ut hac ratione continua operando miracula, continuas quoque eodem tempore operaretur conversiones, essetque corpus illius in dicta regni illius parte contra omnes Christiani nominis inimicos Catholicæ religionis nostræ fortalitium, & invincibile quoddam propugnaculum.

Cornel. à Lapide Lorin. in c. 12. Act. Ap.

De gloria, & insigni honore, quo S. Jacobus major Apostolus in hac præsenti vita exaltatus fuit, & de veneratione sepulchri ipsius.

DISCURSUS TERTIUS.

Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo.
Matth. cap. 20.

1 QUandoquidem dextera, ut omnibus constat, locum obtinet digniorem, haud dubiè inter duos hosce fratres, quorum unus dexteram, alter sinistram Christi in ejus regno postulabat. Dexter locus sancto Jacobo deberi videtur, ac proinde existimo eidem in introitu Missæ illa Psalmi verba, *Domine tu cognovisti sessionem meam*, non sine mysterio adaptata fuisse; per hanc namque sessionem gloriam & honores, quibus sanctus hic Apostolus glorificatus fuit, interpretari possumus; Unde sanctus Thomas de Villa-Nova multorum sacrorum opinionem esse dicit, quod illa verba, *sedet à dextris DEI*, nequaquam de locali ad dexteram patris sessione intelligenda sint, sed de concessa filio DEI omnium rerum creatarum gubernio, dominio, & authoritate delegata, unde paulò antè dixerat: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; nimirum quia ab omnibus Spiritibus angelicis cunctisque aliis creaturis obsequium & adorationem recepit; ita quoque hæc verba, *tu cognovisti sessionem meam*, de gloria sancti Jacobi interpretari posse videntur, quasi grata mente verbis illis agnoscat, se Christo omnes honores & gloriam, ad quam in cœlo & in terra exaltatus fuit, in acceptis referre debere. Unde Lyranus verba illa *sessionem meam* idem dicit significare quod *inthronizationem meam super regnum Israel*. Et quidem si per regnum illud mysticè intelligatur Ecclesia, juxta illud actuum Apostolicorum: *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, id est, de rebus ad Ecclesiam suam spectantibus, quis adeo rudis est, cui honores illi manifesti non sint, quibus DEUS sanctum hunc Apostolum in Ecclesia sua exaltavit? Et primò quidem mutatio nominis qua Christus illum post sanctum Petrum suum in terris Vicarium decoravit, vocando ipsum ut diximus filium Tonitrui, ex mente Carthusiani indicium fuit doni abundantissimi thesaurorum cœlestium: *Hæc autem mutatio nominum spiritualem innovationem & gratiam specialem designavit.* Præterea ipsum in aliis quoque prærogativis super alios Apostolos decoravit, siquidem ipsum cum Petro pariter & Joannem in monte Thabor conduxit, ut gloriosæ transfigurationis suæ spectator fieret; Unde Abulensis ait: *Illos ergo solum assumere voluit, qui meritis majores forte erant, hoc autem Christus noverat* & Theophylactus ait: *Solos hos tres assumpsit, tamquam discipulorum vertices.* Carthusianus hanc partialitatem confidentiæ adscribit, quam erga hosce tres majorem habebat, & quidem in specie de nostro Apostolo agens scribit; *Magnum omnino fuit, tanti regis, tanti magistri, utpote unigeniti Filii DEI, esse tam familiarem discipulum.* Sanctus Antoninus hujus Apostoli supereminentiam ex aliis indiciis à Salvatore aliis in occasionibus insinuatis acutè arguit, dum ait: *Ad secretiora admissus in transfiguratione Christi; in resuscitatione filiæ archisynagogæ facta à Domino, in expressione in horto sui intensi doloris ex passione imminente.* Albertus Magnus hanc ejus supereminentiam per magni æstimans id loquitur: *Cum Petro* (de ambobus hisce fratribus Apostolis loquitur) *ad omnia secreta Deitatis Domini præ aliis quasi testes idonei adhibebantur.*

Ps. 138. 1. — Serm. 2. de Ascen. — Marc. ult. — Act. Ap. 1. — In cap. 4. Marc. — In cap. 17. Matt. — q. 22 — Ser. 2 de S. Jacob. 1 p. tit. 6 c. 7. — In Marc. c. 3

a *Dic ut sedeant.* Sanctus Thomas de Villa-Nova inquit; *Ad minus in hoc regno cœlorum, id est, Ecclesia petitionem illorum impletam videmus*, & rationem reddit, *nam Joanni sedes data fuit in Asia, quæ est ad dexteram Jerusalem, & Jacobo in Hispania quæ ad sinistram partem.* De sancto Joanne, inquit sanctus Hieronymus, *totius Asiæ fundavit, rexitque Ecclesias*, ideoque dexteram, id est, orientem occupavit, Sanctus Jacobus autem tametsi natu major frater fuerit ex motivo humilitatis sinistram, id est, occidentem sibi vendicavit, ibique per discipulorum illorum conversionem quos provinciarum illarum Episcopos ordinavit, & per directionem suam in vita, & protectionem post mortem fidem Christianam in illis regnis stabilivit. Unde in breviario quodam Toletano, ut in annotationibus ad martyrologium refert Cardinalis Baronius, in hymno quodam ita canitur:

Regens Joannes dextera solus Asiam
Et leva frater positus Hispaniam.

Serm. de S. Jacobo.

In sacris canticis inter alia scribitur; *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*; hic autem Aminadab strenuus quidam erat, tribus Juda capitaneus, & Lyranus asserit eo præcipuè tempore, quo Hebræi ex Ægypto egressi mare rubrum transierunt, unde ait: *Aliis tribubus Moysen sequi renuentibus per mare divisum tribus Juda constanter secuta fuit ipsum, & aliis constantia dedit exemplum, tunc autem Aminadab erat princeps tribus Juda*, qui aliis generositate sua animum suggessit audacter mare rubrum transvadendi, quia omnes tribus Juda ipsum sunt subsecutæ, easque tandem insequens Pharao cum universo exercitu suo inter maris rubri undas submersus est: Porrò historiam hanc sancto Jacobo haud difficulter applicare possumus. Etenim inter duodecim Apostolos, qui per 12. tribus Israel præfigurabantur, quia *sedebunt super sedes judicantes duodecim tribus Israel*, Sanctus Jacobus omnium primus rubrum sanguinis sui mare transeundo superavit, cunctisque aliis generosum & intrepidum animi robur suggessit. Unde cum sanctus Petrus immediatè post martyrium sancti Jacobi ab Herode in carne vinctus esset, utpote die postera pariter moriturus, mortis sententiam tanta cum æquanimitate accepit & sustinuit, ut nocte intermedia suaviter indormierit: *Erat Petrus dormiens.* Sed quid accidit? Herodes velut alter Pharao una cum toto populo Judaico severè à Divina justitia punitus fuit, siquidem ob machinatam huic innocenti mortem protinus dispersus est: Et quidem quod proposito nostro quam maximè deservit, est, quod sicut tribus Juda propter hoc facinus super omnes alias principatum meruit, ita quoque DEUS hunc suum Apostolum super omnes alios evehere & sublimare constituit, siquidem illi adeo vastorum regnorum tutelæ suæ recommendatorum patrocinium & protectionem assignavit, ejusque sepulchrum sicut & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in incomparabili gloria & veneratione passim ab omnibus fidelibus haberi voluit. *Jacobus primus ex Apostolis* (inquit sanctus Ambrosius) *Conscendit sacerdotale solium*; Quidnam vero ipsum per hunc loquendi modum inferre voluisse existimatis? Num fortè insinuare voluit, quod sanctus Jacobus ante omnes alios sacerdotes fuerit consecratus? nequaquam; Hoc enim Petro potius conveniebat; Ideoque potius ipsum dicere voluisse existimo,

Cant. 6. 11. — L. 9. in Luc.

mo, ſanctum Jacobum ante quoſvis alios Apoſtolos regale & ſacerdotale Crucis ſolium conſcendiſſe, id eſt, primum pro Chriſto fuiſſe mortuum. Unde ſanctus Antonius de Padua ait: (Serm. 1. de quadr.) *Loquitur Ambroſius de ſolio ſacerdotis æterni; quia primus inter Apoſtolos occiſus eſt ab Herode*. Gloſſa interlinearis rem hanc ita declarat: *Ceſſionem meam humiliatam in Paſſione*; & quia *qui ſe humiliat, exaltabitur*, ideò dicitur, quod *aſcendit ſolium*. Eximius profecto & ſpecialis honor ſancto Jacobo à Chriſto exhibitus, in eo fuit, quod poſtquam ipſemet DEI Filius calici paſſionis ſuæ labia ſua ſemel applicuiſſet, primus cui illum inter omnes Apoſtolos libandum in ſignum honoris & excellens privilegium dedit, (Tom. 12. tr. 35.) filius DEI fuerit: *Calicem quidem meum bibetis*. Doctiſſimus Salmeron curiosè quærendo dicit: *Quæres, cuinam Apoſtolorum magis accommodavit DEUS, Jacobone an Petro: videtur quod Jacobo, quia illum citius in cælum ſubduxit ut gratum eſſet ſpectaculum ſanctis Angelis ſuis cupientibus jam ſecum aliquem Apoſtolorum Chriſti videre*.

3 *Dic ut ſedeant*. Nazianzenus ſuper illa actuum Apoſtolicorum verba, quibus de Spiritu ſancto dicitur, *ſeditque ſupra ſingulos eorum*, ait: (Act. Apoſtol. 34.) *Seſſio hæc regia in Spiritu ſancto dignitatis excellentiam deſignat*. Sanctus Bernardinus hanc ſeſſionem dicit exprimi *in ſignum ſuperioritatis*. Sanctum Jacobum Apoſtolum DEUS noſter ſpeciali honoravit ſuperioritate & authoritate ſiquidem ipſi non regnorum tantum, ſed etiam Monarchiarum dominium conceſſit, atque ideo qua ratione DEUS illum in terris magis honorare poterat, quem ab hinc annis mille ſexcentis prodigiis & miraculis continuis, nec non concurſu & devotione univerſali omnium mundi nationum ad ejus ſepulchrum concurrentium illuſtravit? (Iſai. 11.) *Radix Jeſſe qui ſtat in ſignum populorum; ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Porrò ſanctus Jacobus ex progenie Jeſſe deſcendit, quia certum eſt, quod ſecundum carnem cognatus Chriſti fuerit. Unde ſanctus Bonaventura de hujus ſepulchri gloria tractans ait: (Ser. 2. de S. Jacobo.) *Non fuit fœtidum ſed odoriferum, non deſpectum ſed glorioſum, ut nullus unquam regum habuerit ſepulchrum ſic ab hominibus honoratum. Unde bene eſt dictus, & erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Sanctus Antoninus rationem reddit, cur Salvator noſter mentibus fidelium omnium cujuſvis ætatis tantam erga reliquias hujus Apoſtoli venerationem impreſſerit, & cur votum peregrinationis Compoſtellanæ ad haſce reliquias non minus ſummo Pontifici reſervatum ſit, atque reſervata eſt peregrinatio ad ſepulchrum ſanctum Chriſti, quod eſt Jeroſolymis, aut ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ exiſtens: (1. p. tit. 6. cap. 7.) *Ut quod minus honoris & gloriæ cæteris Apoſtolis illi in vita collatum ſit à fidelibus, propter brevitatem vitæ ejus, hoc quaſi divina munificentia ſuppleverit poſt mortem ejus, plus quam Apoſtolorum omnium viſitatis & honoratis ejus reliquiis*. Obſervari quoque hoc loco poteſt, quod Deus ſervos ſuos poſt eorum mortem in iiſdem locis ſoleat exaltare, in quibus ob ſui amorem dum adhuc viverent, contempti & illuſi fuerunt; ac proinde cum veriſimile ſit S. Jacobum ab Hebræis cunctiſque aliis gentilibus, qui eo tempore Hiſpaniarum regnum incolebant, peſſimè tractatum fuiſſe, quæ cauſa etiam fuit, cum modicum adeo numerum hominum ad Chriſti fidem converterit, ideo, inquam, DEUS hanc ignominiam, quam ob ſui amorem ſuſtinuit, cum tanta ejus gloria recompenſare diſpoſuit, ſiquidem hodie ad ejus ſepulchrum, tot reges & mundi monarchæ cunctis temporibus reverenter & devotè proſtrati eſſe cernuntur. Germanus (Apoc. 21.) ſancti Jacobi frater in ſua Apocalypſi inter alias viſiones celeberrimas unam refert, qua vidit duodecim lapides pretioſos, & *in ipſis duodecim Apoſtolorum* nomina deſcripta. Beda de his lapidibus tractans ait: *Tertius lapis calchedonius quaſi ignis lucernæ pallentis ſpecie renitet, & habet fulgorem in dio & non in domo*, hunc autem lapidem huic noſtro Apoſtolo applicans, dicit: *Jacobus domi quidem non videtur habere ſplendorem, quia piſcator erat, ſed ubi ad prædicandum exiit, mirè mundum illuſtravit, primum doctrina, deinde ſanguine*; ac demum ad glorioſi ſepulchri ejus venerationem deſcendens ait: *Sed & poſt mortem pallens lapis, illuſtravit Hiſpaniam reliquiis ſancti corporis ſui, nec non pace, fide, ac pietate, quam illi impetravit*. Locus hujus glorioſi ſepulchri Compoſtella vocatur, id eſt, *Campus ſtellæ*, ob ſplendorem quem pretioſus & inæſtimabilis ille theſaurus omnibus illis regnis attulit. Sanctus Bernardinus ſupradictis actuum Apoſtolorum verbis, *ſeditque ſupra ſingulos eorum*, hanc Gloſſam addit, *in ſignum tranquillitatis*. Sanctus Thomas de Villa-Nova teſtimonium perhibet de hoc ſancto Apoſtolo, quando ſacroſanctum ejus corpus in Hiſpaniam deportatum fuit, *omnia bella quieviſſe*. Et quidem quoties ſanctus hic Apoſtolus in aere miraculosè apparens adverſus Mauros nominis Chriſtiani hoſtes viſus eſt pugnare, eoſque diſſipare & penitus ſternere, hacque ratione Hiſpaniarum populos tranquilliſſima pace frui fecit? Idemmet S. Joannes in Apocalypſi ſcribit: *Et audivi unum de quatuor animalibus, dicens tamquam vocem tonitrui magni, veni, & vide; & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens, ut vinceret*. (Apoc. 6. 12.) Porrò quiſnam videt, qualiter in hac viſione omnes recenſeantur victoriæ & triumphi quas S. Jacobus de Chriſtianæ religionis hoſtibus ſæpenumero reportavit, ſiquidem ſæpè ſæpius in equo armatus ad Catholici exercitus defenſionem comparuit, & inimicum voce ſua in fugam convertit, fuitque hæc vox tonitrui magni, non ſolum quia ſuper inimicum exercitum fulmina vibravit, verum etiam quia ut diximus *filius tonitrui* appellatus fuit: In ſacris hymnis quos in ejus honorem Hiſpaniarum Eccleſiæ concinunt, hæc inter cætera verba habentur.

Tu, bella nos cum cingerent
Es viſus ipſe in prælio,
Equoque & enſe acerrimus
Mauros furentes ſternere;

Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, inquit S. Joannes alibi, *fides noſtra*, in hac autem victoria ſive vincendi genere S. Jacobus adeo privilegiatus fuit, ut fidem quam in illis regnis plantavit, nunquam deperdita fuerit, quod alibi non ita evenit, tametſi fides ab aliis quoque Apoſtolis plantata eſſet. Prædicta Apoſtoli in aere ſæpè viſa apparitio, qua Catholicis in ſubſidium & defenſionem ſæpe viſus eſt aſſiſtere ab Iſaia quondam, ni fallor, prædicta fuit, hiſce verbis: *Quis eſt iſte glorioſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? propugnator ſum ad ſalvandum*. (Iſa. 63.) Etenim Deus corpus hujus Apoſtoli velut propugnaculum & fortalitium quoddam eſſe voluit ad fidei in illis locis defenſionem, nec non ad coercendos omnes inimicos illam perturbare nitentes.

4 *Dic ut ſedeant*. Sanctus Jacobus cœleſti magiſtro ſuo quoque dicere potuit, *tu cognoviſti ſeſſionem meam*, id eſt, ſtabilitatem & perſiſtentiam, qua erga DEUM ſemper fideliſſimus permanſit; etenim è collegio Apoſtolico nonnulli ipſum tradiderunt, negarunt alii, multi per infidelitatem peccarunt, ſed nihil horum ſanctus Jacobus commiſit, quia licet una cum fratre primas in regno Chriſti ſedes matre mediante poſtularit, attamen prouti ex ſententia authoris operis imperfecti ſuperius diximus ea petitio de primis gloriæ ſeu regni beati ſedibus intelligenda eſt. Albertus Magnus circa illud verbum Boanerges ita ſcribit: *Iſti ergo duo tanquam in arce & primates vocati ſunt, ut aſſiſtant ei, in quo eſt plenitudo poteſtatis, ſignificati per duas columnas, quas Salomon poſuit ante oſtium templi*: ſed quibus nominibus haſce columnas appellavit? *Quarum una vocavit firmitatem* quæ ſanctum Jacobum deſignat, qui ſancto Joanne annis firmior & major erat; *& alteram fortitudinem*; quia S. Joannes in divino ſervitio etiam ſemper ſtabilis & firmus permanſit.

De fervore, magnanimitate & promptitudine S. Jacobi Apoſtoli in ſuſtinendis tormentis, imo & morte ipſa pro Chriſti nomine.

DISCURSUS QUARTUS.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Matth. cap. 20.

1 POſtquam duo illi fratres matre ſua mediante à Chriſto primas in ejus Regno ſedes poſtulaſſent, hoc ab eodem retulerunt reſponſum: *Poteſtis bibere Calicem, quem ego bibiturus ſum?* quaſi diceret, prom-

ptine

ptine eſtis ad ærumnas, paſſiones, tormenta & mortem ad mei imitationem fortiter tolerandum, voſque amariſſimi calicis mei faciendo participes? S. Jacobus Mat. 19. 22 protinus ſine ulla hæſitatione reſpondit: *Poſſumus*. Juvenis ille Evangelicus, qui divinæ legis jugum tanta cum exactione, perfectione & punctualitate à primis annis portaverat, ut de divinorum præceptorum obſervantia interrogatus, reſpondere non dubitarit: *Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea*, quando nihilominus audivit, quodſi ad perfectionem Evangelicam aſpirare contenderet, neceſſarium foret, ut omnia quæ haber ſigillatim divenderet, & ſubſtantiam inde comparatam da- Matt. 8. 22 tet pauperibus, ulterius audire nequaqnam ſuſtinuit, ſed *abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones*. De alio quodam in ſancti Matthæi Evangelio pariter narratur, quod priuſquam ſe Chriſti ſequelæ adjungeret, licentiam domum ſuam repetendi à Domino poſtularit, ad defunctum patrem ultimo ſepulturæ honore cohoneſtandum: *Domine permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum*: at verò apud hoſce duos fratres Jacobum & Joannem non agitur de eo, quod eſt, exuere ſe bonis temporalibus, Chriſti ſequelæ ſe conſecrare, non de exercitatione in operibus pietatis; ſed ſanguine & vita pro Chriſti nomine prodigenda: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis*, & tamen quanta cum promptitudine ſanctum Jacobum reſpondentem audivimus, & dicentem: *Poſſumus*.

2 Dionyſius Carthuſianus interrogationem duobus hiſce fratribus à Chriſto propoſitam hunc ſenſum habere dicit: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, id eſt, ſuſtinere paſſionem, quam ego ſuſtinebo*. Reſponſio autem à S. Jacobo reddita interrogationi prorſus conformis fuit: *Dicunt ei: Poſſumus, id eſt, pro veritate fidei pro Deo, pro juſtitia mortem pati parati ſumus*. Quis autem impatientiori cum deſiderio labia ſua huic amariſſimo calici, erga quem, uti ſcimus, ipſemet Chriſtus in horto a principio tantum horrorem & nauſeam demonſtravit, admovere concupivit ſancto Jacobo? Chriſtus dum ei calix amariſſimæ Paſſionis ab Angelo propinaretur; reſpondit: *Si poſſibile eſt tranſeat à me calix* Mat. 26. 39. *iſte. Triſtis eſt anima mea? cœpit tædere, pavere, & mœſtus eſſe*. Sanctus Jacobus autem propoſitum ſibi paſſionis tolerandæ calicem alacriter ſine tædio, ſine pavore, ſine, ulla nauſea aut triſtitia apprehendit, dicendo. *Poſſumus*. Sanctus Jacobus hanc inter omnes Apoſtolos gloriam habuit; quod prius os ſuum huic eidem calici tanta cum animi alacritate & lætitia admoverit, ut per illam non Chriſtianos tantum, ſed & ipſos Carnifices & Lictores Martyres effecerit. Baronius in Annotationibus ad Martyrologium notat; quod ſanctus Jacobus ante omnes alios ad Evangelium prædicandum miſſus fuerit, id eſt, priuſquam inter ipſos ſuæ cuique dividerentur Provinciæ, ipſius enim ardentiſſimus zelus & fervor longioris moræ impatiens continere ſe nequaquam poterat. Unde Chryſoſtomus ait: *Nam ſtatim* Hom. 68. in Matt. *ab initio rerum tanto amore concaluit, ut humanis omnino rebus neglectis ad tantam ſublimitatem aſcenderet, ut à perſecutoribus confeſtim occiſus ſit*. Idem ſanctus Doctor alibi ſcribit, quod quando Salvator prædixit, quod calicem ſuum bibituri eſſent, dicere voluerit, quod vitam pro ipſo in diſcrimen poſituri eſſent: *Hoc eſt, quod di-* Hom. 26. in acta *cebat Chriſtus: poculum quod bibiturus ſum, bibetis & baptiſmo, quo ego baptizor; baptizabimini; Occidit autem Jacobum, inquit, fratrem Joannis gladio*. Haud Gen. 44. 13. dubiè analogias, quæ Chriſtum inter & Joſephum Patriarcham notari poſſunt, ſæpius audiveritis; ad noſtrum verò propoſitum quam maximè ſpectabit, conſiderare, ubinam Joſeph calicem ſuum abſconderit, ſive in cujuſnam fratrum ſuorum ſaccum eundem immiſerit; certum eſt, quod Sacco Benjamin impoſitus fuerit; Benjamin autem idem eſt, quod *filius dexteræ*, idemque agnominatus eſt Benoni, id eſt, *filius doloris*; Ecce tibi ſimile quid Chriſtum hoc loco facere; Salvator enim noſter calicem Paſſionis & mortis ſuæ ante omnes alios undecim Apoſtolos ſancto Jacobo porrigit, utpote qui fuit *Filius doloris*, tum ratione ſui martyrii, tum ob intenſiſſimum, quo flagrabat continuò pro Chriſto patiendi deſiderium, qui etiam Benjamin dici potuit, quia ſuper omnes alios in eo privilegiatus fuit, quod primus poſt Redemptorem calicem ejus bibere meruerit; ſimili quoque ratione Filius dexteræ appellari potuit, utpotè qui ante omnes alios in cœlo ad dexteram, quam tantoperè deſiderarat, collocatus fuerit: *Delectationes in* Pſ. 15. 11. *dextera tua uſque in finem*. Amabo vos O Auditores! obſervationem quandam in hujus ſancti honorem circa ipſius & ſancti Petri carcerem inſtituamus. Ambo eodem anno, ab eodemque Tyranno in tetrum carcerem detruſi fuere, eo quidem fine, ut ambo ad conciliandam Herodi Judæorum amicitiam & benevolentiam, traderentur morti. Et quidem ſanctus Jacobus intentum ſuum obtinuit, quia Herodes *occidit Jacobum*: Sanctus Petrus autem per Angeli manum liberatus fuit. Cur obſecro cum eo tempore reſpectu utriuſque de una eademque cauſa, fidei ſcilicet Apoſtolis mediantibus per totum univerſum propagandæ ageretur: Illa omnis erroris neſcia cœli providentia Petrum non verò Jacobum à morte liberat? Reſpondebit fortaſsè nonnemo eandem providentiam in æternis & infallibilibus decretis ſuis diſpoſuiſſe, ut ſanctus Jacobus tametſi defunctus & mortuus eſſet, tanta nihilominus de cœlo per beatiſſimam animam ſuam, in terra verò per ſacras corporis ſui reliquias Regnis illis, quibus vivens prædicaverat, conferret beneficia, & infidelium converſiones molitetur, quantum facere potuiſſet etiamnum inter nos vivus laborando. Unde de ipſo contrarium ejus quod de Samſone ſcribitur, dici potuit; De Samſone enim dicitur: *Multo plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat*; De Jacobo autem dici debet: Multo plures *vivificavit moriens*. Verum enimverò ut diſparitatem, quæ ſanctum Petrum inter & ſanctum Jacobum interceſſit, melius intelligamus, memorandum eſt, quod dum Petrus eſſet in carcere, *oratio fiebat ab Eccleſia ſine inter-* Act. Apoſt 12. 8. *miſſione ad Deum* pro eo, hanc autem orationem pro ſancto Jacobo ſalvando & liberando factam fuiſſe non conſtat. Cur ita? utique id non ideo intermiſſum fuit quaſi ejus ſalutem non eodem zelo & dilectionis fervore deſideraſſent, ſed quia, uti mihi omninò perſuadeo, impatienti aviditate hunc calicem bibere deſiderans, fideles ne orationes ſuas pro ſe ad Deum interponerent, enixè rogavit, cum non fuerit in eo minus pro Chriſto moriendi deſiderium, quam fuerit in ſancto Ignazio Martyre, qui omnes rogavit Eccleſias; ne fuſis pro ſe orationibus Martyrium ſuum impendirent Ezechielis cap. 13. ſcribitur: *Offerant mihi vitulum de armento pro peccato & aſſumens de ſanguine ejus, pones ſuper qua-* Cap. 43. *tuor cornua altaris*. S. Hieronymus per hunc Chriſtum in ara crucis in peccatorum noſtrorum expiationem pro nobis æterno Patri ſuo ſacrificatum intelligit: paulo verò poſt in ſacro textu ſubjungitur: *& in die ſecundo offerens hircum caprarum immaculatum pro peccato, & expiabunt altare, ſicut expiaverunt in vitulo*. Per hanc verò aliam victimam, quam DEUS poſt oblatum & ſacrificatum ſibi filium inſuper offerri voluit, ſanctus Jacobus intelligitur. Unde ſanctus Hieronymus dicit: *Iſte eſt Jacobus, qui transformatum Salvatorem vidit in monte*, ac demum alios plures ei à Chriſto præſtitos favores Gloſſ. 1. 24. proſequens, tandem concludit: *Hunc interfecit Herodes, & quaſi hedum immaculatum poſt paſſionem Salvatoris in die immolavit ſecunda*. Unde S. Jacobus dicere potuit: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea*, non quaſi paſſio Redemptoris quoad efficaciam aliquo laboraſſet defectu, ſed quia inſuper noſtra requirebatur cooperatio, opus erat, ut & nos huic Calici labia noſtra admoveremus, ac proinde S. Jacobus inter alios Apoſtolos primus eſſe voluit, qui Redemptori noſtro pro ſuo effuſo ſanguine ſanguinem redderet.

3 *Poſſumus*. Una ex iis rationibus ob quas Apoſtolus tanto urgebatur pro Chriſto moriendi deſiderio, uti quidem exiſtimo, ea fuit, quia glorioſæ transfigurationi, in qua Salvator noſter unà cum Moyſe de ſua Luc. 9. 31. Paſſione, & de amariſſimo calice bibendo ſermones miſcuerat, tanquam ſpectator adſtitit. S. Damaſcenus Cit. à Cor. de lap. in Matt. ſingulari ex myſterio factum eſſe arbitratur, quod Dominus noſter, tres illos Apoſtolos duntaxat ad ſpectandam transfigurationem ſuam in montem Thabor conduxerit: Petrum quidem, ut is vocem æterni Patris audiens, qua dicebatur: *Hic eſt filius meus*, in fide Divinitatis ſuæ, quam antea generosè conſeſſus fuerat, tanto magis & ſolidius ſtabiliretur: Sanctum Jacobum verò ut tanto animoſius Paſſionis & mortis ſuæ calicem & ipſe epotare & exſorbere poſſet, ſiquidem ipſe ex toto Collegio Apoſtolico primus futurus erat, qui martyrio honorandus & afficiendus erat: Denique ſanctum Joannem, ut ejus de eſſentia divina Verbi incarnati illis

inchoan-

inchoantis Evangelii sui verbis: *In principio erat verbum, &c.* editum testimonium cunctis sæculis indubitatum efficeret. Porrò Redemptor noster Passionem suam calicis nomine vel titulo insignivit, non obstante quod à Psalmista torrens fuerit appellatus: Pf. 109. 7. *De torrente in via bibet, magna velut mare contritio tua: veni in altitudinem maris.* Threu.3. 17. Pf.68. 3. Joan.18 11. Cur autem ipsum tormenta passionis calicis nomine expressisse existimatis? *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Theophilactus ait: *Poculum dicit Dominus suam mortem, ostendens, quod ipse præ amoris magnitudine sic suaviter accedat mortem, quod mare Passionis calix videatur.* Sanctus Basilius pariter inquit: In Pf.115. *Supplicia requiem & refectionem animæ & corporis, non dolores ducens.* Sanctus Jacobus charitatis Christi in tolerandis excessiva cum lætitia tormentis & doloribus imitator, seu potius æmulator strenuus huic calici os admovit, atque in ipsomet actu bibendi tantam in se exhibuit animi fortitudinem, tantumque jubilum, ut *præ amoris magnitudine suaviter accesserit ad mortem*. Et hæc fuit ratio, cur cum sapientissimus Magister noster in hodierno Evangelio dicere potuisset: *Moriemini pro me*, vel alia phrasi martyrium ipsorum exprimente potuisset uti, id tamen non fecit, sed dixit: *Calicem meum bibetis*, sciens futorum esse, ut pro suo amore mortem eadem essent suavitate toleraturi, qua calix suavissimo & generoso vino refertus epotari solet. Porrò quando amarus ille calix Christo in horto præsentatus fuit, dixit: *Transeat à me Calix iste.* Verum dicat aliquis, ex quo Christus adeo vehementi ardebat moriendi & patiendi desiderio, cur propinatum sibi passionis calicem abnuere voluit, dicendo: *Transeat*: Sanctus Hilarius argutè observat, Christum non dixisse *transeat me*, sed *transeat à me*, quo loquendi modo petiit, ut à se ad suos quoque transiret electos, ab iis pariter epotandus, ut hi eundem lubentes, volentesque apprehenderent: *Transeat à me calix iste, id est, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis.* Scribit Clemens Alexandrinus, ut Eusebius Cæsariensis refert, quod certus quidam Josias qui primus extitit, qui præ cæteris summo cum furore & rabie suis in sanctum Apostolum manibus involavit, postulata à S. Jacobo & impetrata venia, conversus fuerit, quem S. Jacobus summa cum teneritudine amplexatus fuit magnam in hoc consolationem demonstrans, quam illi ministratus hic calix ingesserat, de quo dicere poterat: Pf. 22. 2. *Calix meus inebrians, quam præclarus est.*

4 *Calicem quidem meum bibetis*, id est, vos quidem me imitabimini hilariter & alacriter pro amore mei moriendo, quod & reapse factum est, siquidem S. Joannes ex illo olei bullientis caldario vigorosior & jucundior egressus est, quam fuerat ingressus: S. Jacobus vero ad supplicium concedens superhumanum jubilum præ se tulit. Eben quanto cum desiderio Christus se ad hunc calicem anhelare demonstravit? *Exultavit ut gigas ad currendam viam*; similiter quando Petrus hunc ei è manibus calicem eripere conabatur, eidem se opposuit, dicens: Matt. 16. 23. *Vade post me Satana, scandalum es mihi*: Judæ quoque hunc sibi calicem ministrare, paranti dixit: *Quod facis fac citius.* Et quidem tametsi deinceps in horto dixerit. *Si possibile est, transeat à me calix iste*, in eo tamen momento potius nostræ debilitas naturæ in eo loquebatur, tunc enim ut S. Gregorius ait; *Nostræ mortis in se certamen expressit*: simile quoque desiderium patiendi S. Jacobus in se expressit, siquidem non expectavit, donec alii Apostoli missis inter se sortibus mundi inter se partes dividerent, quin potius postquam vix Christus dixisset. *Euntes in mundum prædicate Evangelium*, martyrii subeundi avidus ad longum quoddam & ærumnosum iter se accinxit: Unde & Christus ei gratiam ab eo, ut pie credere possumus, tantopere desideratam libens præstitit, quia *Primus Apostolorum Jerosolymis perfuso sanguine testimonium Jesu Christo dedit.* In vita S. Martini recensetur, quod cum Maximus Imperator eum convivio excepisset, allatum sibi, juxta regionis illius usum, multo vino refertum calicem, ut eum primus ebiberet, ob reverentiam qua sanctum Martinum prosequebatur, id facere nolens, ministro præcepit, ut primus haustus ante eum sancto huic Prælato propinaretur, futurum existimans eundem sibi calicem secundo loco à sancto Martino propinandum esse, at verò S. Martinus eundem non Imperatori, sed Clerico suo ministrari fecit, existimans nullam mensæ huic assistere personam (tametsi ipsemet Imperator in ea præsens esset) quæ sacerdoti præferri posset; Enimverò hanc historiam ad casum nostrum applicemus, dicendo: quod æternus Pater in nuptiis quas fecit filio suo: *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*, passionis calicem filio suo propinavit; *Calicem quem dedit mihi Pater*; qui eo exhausto, non obstante quod nuptiali huic mensæ omnes alii Apostoli assiderent, quodque omnes eidem calici admoturi essent labia, neminem alium dignum esse existimavit, qui post ipsum immediatè eundem exhauriret, præterquam sanctum Jacobum. Equidem si quidam equestris ordinis nobili receptam à rege suo crucem velut equestris ordinis insigne in servum suum transferri, acquiesceret, nunquid hic dignationem hanc sibi meritò summo honori duceret: Idem prorsus DEI Filius fecit, quando præ omnibus aliis hunc servum suum sanctum Jacobum Apostolum mortis & Passionis suæ cruce singulari privilegio dignatus fuit; etenim calicem istum Redemptor noster Jerosolymis ebibit, utpote qui ei ac Judæorum manibus post tot ab eo recepta beneficia propinatus fuit, Sanctus Jacobus quoque ab iisdem, quibus tanto cum Spiritu verum Evangelii lumen annuntiaverat Jerosolymis crudeli morte affectus fuit, & quidem ut sanctus Antoninus advertit. *Sententia Herodis Jacobus decapitatus est tali die,* 2. p.11.6.c.7 *qua incarnatus est; & eodem die passus est*; adeoque hic Apostolus eodem die Christi Calicem epotavit, quo ab ipsomet Christo haustus fuit. Advertendum quoque est, quod sicut in morte Salvatoris ad Christi fidem conversus est Longinus, qui post fauciatum Christi pectus non solum in oculis corporis, sed & in anima illuminatus fuit: ita quando S. Jacobus mortem est passus, is qui principale fuit martyrii sui instrumentum ad fidem se Lib 6 hist. Christi convertit: Unde Eusebius ait: cap 9. *is sane qui eum ad tribunal duxerat, cum martyrium subiturum cerneret, ire motus Christianum se esse, ultro confessus est.*

5 *Possumus.* Mater magnificentissimos pro filiis thronos exquirit, in quibus in Christi regno collocari & excipi possent: *Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam & alius ad sinistram in regno tuo*, Christus autem filios ejus interrogat, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* quod idem erat, ac si diceret: inestne vobis illa animi generositas & robur, ut ad ludibria, ignominias, flagella, equleos, feras, accensas fornaces, patibula, uno verbo ad atrocissimam truculentissimorum tormentorum carnificinam solidos & constantes vos futuros esse, confidere possitis? cui nulla præmissa tardiori deliberatione, summa cum promptitudine respondent, *possumus.* Ipsi honores postulant supremos, Christus autem illis offert infamiam; ipsi thronos requirunt, & patibula eis exhibentur, neque Conf. mon. cap.23. tamen ut sanctus Basilius, inquit, responderunt, *alii adducti spe ad te accesseramus, & tu contraria nobis atque speravimus, imperas: nos quietem speravimus & tu in periculo protrudis? honores nobis proposuimus, & tu ex adverso ignominiam inquiris?* Enimverò valdè est verisimile Christum per propositam illis interrogationem cor illorum commovisse, necnon illuminasse intellectum, ut regnum Christi non temporale, sed æternum esse intelligere posset: *Regnum meum non est de hoc mundo*, & tamen os suum huic amarissimo calici admovere toto corde desiderarent, utpotè qui quoad sensum quidem amarus, quoad æternæ gloriæ retributionem, necnon regni beati lucrum suavissimus existit. Christus de vicina morte sua cum discipulis agebat, quod mater illa advertens, oblata sibi occasione utendum esse existimavit; quia, Mat.20. 20 *Tunc accessit ad eum.* At inquies, si Christus de patibulis loquitur, quomodo illa thronos postulare præsumit? 2.Tim.2 12. nimirum ut sciamus. *Si sustinebimus, & conregnabimus.* Orat.24. Basilius Seleucus ait: *Vis mulieris fidem cernere? supplicationis quære tempus, quando libellum supplicem offert, crux erat parata*; sed quid mirum, cum & filii de hac veritate edocti & illustrati ad patiendum & moriendum promptos se esse responderint, dicendo: *Possumus.*

Expli-

Explicantur virtutes heroicæ, & merita insignia, quibus mediantibus S. Jacobus gloriam cœlestem est assecutus.

DISCURSUS QUINTUS.

Sedere ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.
Matth. 20.

Mat. 11.27 Jo.10.9. 1 NOlite credere Salvatorem nostrum, qui dixit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, quique constitutus est, ut sit ostium & porta paradisi: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*, duos hosce adeo sibi gratos & acceptos Apostolos in regni sui possessionem reponere minimè valuisse, quin certi estote quòd quando dixit. *Sedere ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis*, ut S. Ambrosius ait, dicere voluit: *Non esse officii sui ut id faciat*; eò quòd cœli sedes iis dare statuisset, qui suis illas meritis promeruissent. S. Apostolus Paulus gloriam bravio comparavit; *Sic currite ut comprehendatis; omnis autem* 1.Cor.9.24. *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. Qua similitudine supposita facilior erit verborum Christi intelligentia; si enim post expositum à Principe currentibus aut luctantibus pretiosum monile, sumptuosam vestem, aut aliud præmium aliquis ex spectabilioribus aulicis Principem audiret, illudque præmium ab eodem instanter expeteret, is autem se hujus donationi faciendæ potestatem non habere, eò quòd jam dudum iis præmium hoc mente destinasset, qui è cursoribus vel agonizantibus primus metam attingeret, nunquid talis ipsissimam veritatem diceret? aut verò nunquid in tali casu justam haberet tale petitum præmium negandi rationem? utique: neque enim tali solicitatori aliud respondere posset, quàm quòd illum ad strenuè currendum; hacque ratione post obtentam victoriæ palmam bravii se possessorem faciendum cohortaretur. Et hoc præcisè est quòd incarnata Sapientia duobus hisce Apostolis in currenti Evangelio dicere voluit, dum ait: Non est meum dare vobis, &c. quasi diceret, ad primas regni mei sedes à vobis solicitatas admittere vos nequeo, obstante æterni Patris & meo immutabili decreto, quo sancitum est, quòd *non corona-* 2.Tim.2.5. *bitur, nisi qui legitimè certaverit*. Porrò nomen, quod sanctus hic Apostolus ab incunabulis suis sibi impositum præ se tulit, mysteriis nequaquam vacat, prouti Al- In Marc.3 bertus Magnus egregiè observat, dum ait: *Interpretatur autem Jacob luctator, quia semper fuit in lucta virtutis & Sapientiæ*. Cognovit Christus S. Jacobum vali- 2.Tim.4.8. dum fortemque luctatorem futurum esse, quodque non minori jure & merito quam Paulus dicturus esset: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex*; siquidem Christus in tantum illi regnandi cum eo spem dederat; in quantum priùs calicem suum epotasset, id est, in quantum eum in morte sua fuisset imitatus; atque in hujus vitæ militia & campo strenuè decertasset.

2 *Semper fuit in lucta virtutis*. Sciendum quòd quando ad Christi sequelam ab eodem Domino vocati fuerunt, Christus *procedens indè vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, cum Ze-* Matt.4.21. *bedæo patre eorum reficientes retia sua, & vocavit eos*. Quonam verò modo illos huic vocationi correspondisse Hom. 4. in Matt. existimatis: *Illi autem statim relictis retibus & patre secuti sunt eum*. Porrò sacri expositores hunc textum considerantes multas horum sanctorum fratrum virtutes certatim admirari leguntur. Et quidem Chrysostomus ad hoc se reflectit, quòd paulò antè ad eandem sequelam suam sanctum Petrum & Andream vocaverit, aliis tamen verbis, quia illis dixerat: *Faciam vos fieri piscatores hominum*· quibus verbis dictis duobus etiam fratribus veluti calcaria addidit, imo alas pedibus inseruit, ad promptè currendum & obediendum; quia magna dignitas & sublimatio est, si quis in hominum piscatorem evadat: *Faciam vos fieri piscatores hominum, Petro & Andreæ promisit: Jacobo verò nihil tale pollicitus fuit*: & tamen hic sanctus Apostolus nec diu obedientiam distulisse, vel unius diei moram traxisse legitur; sed *statim* ipsius se societati & sequelæ perpetuæ addixit. Unde Albertus Magnus ait: *Ecce obedientia velox, expedita, & perfecta! velox, quia statim; expedita, quia relictis retibus; spiritualis, quia relicto carnali patre secuti sunt eum. Ecce perfectio obedientiæ*. Nondum scholæ Christi pedem intulerant, & tamen valdè eminentis perfectionis homines esse probarunt; siquidem non propter aliquod interesse privatum, aut spe premii ejus se servitio tunc dedicarunt, quando ipse *erat opprobrium hominum, & abjectio plebis*; sed potiùs ab efficacia divinæ gratiæ id totum processit. Undè S. Ambrosius ait: *Imitatores Christi perfecti uti-* L.de interpell. c.120. *que non propter spem boni sunt*. Glossa interlinearis verba illa: *Cum retibus & patre*, considerans dicit: *Perfecta est conversio, ubi cum cupiditate rerum carnalis quoque rumpitur dilectio*.

3 *Semper fuit in lucta virtutis*, Charitas sublimis quædam est Regina virtutum: *Major autem horum est* Apoc.2: 18 *charitas*, eaque in gradu intensissimo in S. Jacobo scintillavit. Cornelius à Lapide existimat S. Jacobum inter illos duodecim pretiosos lapides, per quos præfigurati fuere duodecim Apostuli, per chalcedonium symbolizatum fuisse. Porrò in summi Sacerdotis Rationali loco hujus gemmæ ardens erat carbunculus ita nominatus, quia in scopulis littorum Chalcedoni vicinorum L.16. c.1 nascitur, & carbunculi colorem refert, adeo ut igni tus quidam carbo esse videatur. S. Isidorus ait: *Carbunculi fulgor nec nocte vincitur, colore ignitus ut carbo, lucet in tenebris*. Hanc verò gemmam huic sancto Apostolo nostro applicando dicere possumus, quòd lux prædicationis S. Jacobi in ignorantiæ & cæcitatis Judaicæ tenebris mirè scintillarit, dum ex iis in ingenti numero varios ad veræ fidei agnitionem converterit; qui verò ab ipso convicti & confusi in propria duritie perseverabant, eidem obstinati machinati sunt mortem. Amor & charitas ejus mirum in modum sese prodidit, adeo ut Victor Antiochenus de ambobus hisce fratribus scribat: *Animadvertebant se plurimum à Christo diligi*, ac proindè ad secretissimorum mysteriorum, quæ aliis non communicabantur, participationem admittebantur, nimirum ad Christi Transfigurationem filiæ Archisynagogi mortuæ resuscitationem, multaque alia similia. Etenim ex uno eodemque cratere bibere, strictæ amicitiæ, magnique amoris indicium est. Et ratio est, inquit Philostratus, quia bibendo labia crateri admoventur, velut per impressum illi osculum, sicque post osculum eidem infixum amico porrigitur, quem immensè diligimus: *Labris attingens imple osculis poculum, & prabe rogantibus*; ita quoque Salvator noster, ut quàm tenerè duos hosce fratres amaret palam faceret, eidem se calicem suum eis daturum esse promisit, dicens, *Calicem quidem meum bibetis* S. Ambrosius ait; *Quid obte-* L. de Elia & jejun. c. 17. *stationes potantium loquar? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro salute ejus non biberit*. Enimvero ad hoc ut in perfectam charitatis S. Jacobi notitiam pertingere possemus, hoc unicum dixisse sufficiet, quòd à Christo amatus fuerit; veruntamen non desunt alia amoris illius expressiva specimina, nimirum quod primus fuerit, quia sua calici Christi labia admovit. Cùm supremus ille architectus Ecclesiam suam super Apostolorum suorum sanguine fundare decrevisset: *Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo*. Hic sanctus Apostolus primus fuit, qui suum in Ecclesiæ fundamenta jacenda sanguinem fudit. Undè illi hæc S. Laurentii Justiniani verba *De triumphali Christi agone*, propriè adapta- Cap.4. re possumus, dicentis: *Neque peto ut aqua sapientiæ me potes, & spiritualem mihi illam prabeas aquam, quam Samaritana mulieri pollicitus es dicens: Qui biberit ex hac aqua, quam dabo ei, fluet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: hanc in præsenti postpono atque recuso, calicem exposco, quem in mensa positum conspicio tuo sanguine fœcundatum; de ipso prophetico ore dixisti: Calix meus inebrians quàm præclarus est; hunc postulo, hunc habere desidero*. Quia verò tam ingenti Calicem illum bibendi desiderio exarsit, tandem ei desiderata hæc gratia ultro præstita fuit, undè de eo dicere possumus idipsum, quod de sancto Protho Martyre S. Maximus ait: *Mortem, quam Salvator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Salvatori*. Et

quod

quod Eusebius Emissenus licèt ad aliud propositum de eodem S. Stephano dicit : *Beatus , qui fumantem ad huc Dominici victimam sanguinis primus honoravit recenti sacrificio passionis* ; primus etenim Apostolorum martyrium sustinuisse noscitur.

4 *Semper fuit in lucta virtutis*. Quis unquam majorem & ardentiorem ipso erga cœlestis magistri sui cultum & honorem promovendum zelum exhibuit ? Enimvero ipse una cum S. Joanne fratre suo de nimio zelo reprehensus fuit ; & quia synagogas confundere & convincere non desistebat, ideo qui obstinatiores erant, licèt veritatem perspicuè satis agnoscerent, victas tamen dare manus nolentes, vitam ei eripere inter se conjurando statuerunt, & apud Herodem velnti de negotio maximi momenti solicitantes eundem ad decernendum illi martyrium induxerunt ; qua in re indicibilem in animis suis persenserunt complacentiam. *Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio* ; moxque additur : Videns quia placeret Judæis. Ubi Chrysostomus ait : *Sic acer ac gravis Judæis erat, ut magnum munus illis obtulisse, cum eum interfecerit Herodes, visus sit*. Joseph Hebræus & Philo impium Herodem religionis Hebraicæ zelosissimum fuisse scribunt ; eumque proindè interitu & morte S. Jacobi illam jugiter conservatam esse voluisse. Ho. 57. in Matth.

5 *In lucta virtutis*. Cardinalis Baronius in annotationibus ad Martyrologium ait : *Addimus & illud de eodem Apostolo, ipsum nimirum, sicut Joannem virginem permansisse* ; adducitque S. Epiphanii testimonium dicentis : *Quinam igitur hi fuerint, quàm generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, ac deinceps virgines ? Joannes quidem & Jacobus filii Zebedæi qui manserunt in virginitate*. Albertus Magnus postquam dixisset quod ethymologia hujus nominis Jacobus *Est à lucta virtutis*, illum Ecclesiastici textum subjungit : *Colluctata est anima mea cum sapientia*. In Glossa dicit Hieronymus : *Supplantata habet desideria carnis*. Hæresi 51.

6 *In lucta virtutis*. Ex quo enim Christus dixit : *Discite à me quia mitis sum*. S. Jacobus se singularem mansuetudinis ejus imitatorem esse probavit : quia sicut Christus osculatus est Judam, qui captivitatis & mortis suæ præcipuum instrumentum fuit, & amici titulum insuper ei attribuit ; ita quoque S. Jacobus cum vehementi amore osculatus est illum, qui mortem ei machinatus fuerat : *Quem Jacobus osculatus, Pax inquit, tibi sit*. Et sicut superiùs quoque ex sententia S. Antonini diximus, cum Hermogenes magus dæmonibus, ut S. Jacobum vinctum ad se perducerent, præcepisset, Sanctus econtra eisdem maligni spiritibus, ut magnum ad se accerserent, mandavit, ita tamen ut nullum ei malum inferrent ; indè vindicta, quam Apostolus de Mago sumpsit, fuit ejus ad fidem sincera conversio ; sciendum quoque hic, quòd dæmonibus a S. Apostolo licentiam se de incantatore vindicandi poscentibus, ipse ut protinùs discederent, præcepit dicendo : *Quia Dominus mandavit reddere bona pro malo*.

7 *In lucta virtutis*. Considerandus quoque hic est omnium rerum temporalium, omnisque umbræ ambitionis contemptus ; nam, ut Dionysius Carthusianus observat : *Jacobus cum consanguineus esset Salvatoris, nequaquam est contristatus aut motus de hoc, quod Salvator non se aut fratrem suum Joannem, sed Petrum toti præfecit Ecclesiæ ; sed sibi à Domino injunctum onus fidelissimè adimplevit*. Et quidem licèt non desint Authores, qui hanc primarum sedium Christo propositam solicitationem mundanæ ambitionis motivo attribuant, nihilominùs potiùs Authoris operis imperfecti opinioni credendum esse existimo, qui scribit : *Petebant quasi Religiosi cœlestis gloriæ amatores*. Ser. 4. de S. Jacobo.

DE S. ANNA
MATRE BEATISSIMÆ VIRGINIS
Discursus Quinque.

S. Annam sanctissimam Virginem filiam suam pariendo se omnium Deo charissimis, & sanctissimis antiqui Testamenti animabus superextulisse ostenditur.

DISCURSUS PRIMUS.

Multæ filiæ congregaverunt divitias. Prov. 21. v. 90.

1 SAnctus Damianus dubio cuidam, quod non sine fundamento à multis Deiparæ devotis cultoribus moveri solet, videlicet cur sacri Evangelistæ suis in Evangeliis adeo modicas beatæ Virginis laudes recenseant, hunc in modum respondendo satisfacit : *Maria in solo partu quem edidit, omnium proculdubio Sanctorum virtutes & signa precellit*. Enimvero idipsum de sancta Anna affirmari posse videtur ; licèt enim hujus in sacris paginis vix ulla fiat mentio, ad ejus tamen laudem & gloriam dicere sufficit, quòd partu suo omnes longè superet totius veteris Testamenti gratissimas Deo sanctissimasque animas ; unde non sine mysterio hæc ei verba adscribuntur : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus* ; vel ut Syriaca legit : *Benedictionem omnium antiquorum*. In vita S. Redul. Eccl. 44.

2 *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. Etenim in multis quidem animabus nobilitatem simul cum perfectione unitam videmus ; in hoc tamen nobilitatis præconio S. Anna præter vitæ suæ sanctitatem super cunctos alios mirè resplenduit. *Etsi clara quidem proavorum titulis* (inquit Damascenus) *sed incomparabiliter clarior generositate prolis ; filia siquidem Regum, sed & mater Regis Regum*. Andreas Cretensis idipsum confirmat dicens : *Dico autem claritatem generis, parentum utrinque insignem nobilitatem, quia hinc sacerdotalem, illinc regiam nacti erant dignitatem*. Ubi enim in toto veteris Testamenti decursu nobilitatem aliquam huic parem invenire poteritis ? siquidem (ut S. Bernardinus notat, sanctus Matthæus in genealogia Christi secundùm carnem, quæ & S. Annam respicere censetur) quatuordecim enumerat Patriarchas, quatuordecim Reges, ac demum quatuordecim alios Principes, cunctos famosos & celebres. Serm. 1. de Nat. Virg. Orat. 1. de Assumpt. To. 1. ser. 6. a. 1. c. 2.

3 *Supergressa es universas*, in fœcunditate ; quia tametsi secundùm opinionem authenticam atque receptam, unicam duntaxat filiam enixa fuerit, ob hanc tamen, licèt unicam, de ea dici potest : *Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur* ; eique illa Chrysologi verba, licèt ea de Baptista dicta sint, adaptare possumus, dicentis : *In uno fœtu nascebatur, numerositas congesta virtutum*. Anna Samuelis mater Ps. 111. 2.

psto-

postquam post diuturnam sterilitatem enixa fuisset filium, debitas Deo gratias agens, inter alia dixit: *Donec sterilis peperit plurimos*. Circa quæ verba Abulensis ait: *Quando ista dixit, erat in Silo offerens filium* 1. Reg. 2. 5. *suum Samuelem Domino, & tunc nullum alium pepererat*. Quod cùm revera ita se habeat, quomodo se plurimos peperisse filios asserere poterat? Respondeo, id eam dixisse, quia eùm partum adeo Deo gratum, adeoque sanctum peperisset, eundem plurimorum filiorum loco habebat; quanto igitur magis de Sancta Anna dicere poterimus: *Sterilis peperit plurimos*, rametsi aliam non genuerit filiam præterquam intemeratam Virginem Mariam, idque non solùm ob eminentissimam ejus sanctitatem, verùm etiam & longè potius quia cunctorum viventium mater futura erat?

4 *Supergressa es universas*. Multæ quidem aliæ veteris Testamenti sanctæ fœminæ, aliquanto tempore steriles fuere, videlicet Anna Samuelis mater, de qua jam diximus; Rebecca, Sara, Elisabeth, & multæ aliæ, quæ tametsi postea feliciter pepererint, suamque Deo prolem summa cum devotione obtulerint; omnes tamen hasce Sancta Anna post diuturnam sterilitatem à Deo fœcunda effecta longè superavit; nam, ut Sanctus Joannes Damascenus ait: *Sterilitatis depulsio ab* Orat. 1. de Nat. virg. *utero Annæ apertissimè indicabat*; quid autem depulsionem hanc indicasse existimatis? num fortè idipsum, quod Chrysologus de eodem sancto Præcursore scribit: serm. 91. *Probatur major homine, qui in ortu suo excedit legem nativitatis humanæ*? Aut verò id, quod Beda de eodem dicit: *Quantus ortus ejus miraculo patesceret virum magnæ virtutis futurum esse qui nascebatur*? Minimè gentium, quin potiùs id vobis, quod omnium aliorum, quos matres steriles genuere, Sanctorum merita excedit, imaginari licebit; nam, ut Damascenus ait: *Indicabat fore, ut bonorum sterilitas, qua mundus laborabat, submoveretur*, Verùm, inquies, quænam erat illa, cui mundus miserabiliter subjacebat, sterilitas? num fortè defectum humanæ prolis in debiliori sexu protendebat? neutiquam; quin potiùs audite, qualis tunc penuria humanum genus affligebat, nimirum sterilitas divinæ gratiæ, quæ semen est æternæ gloriæ, *arcanaque beatitudinis seges produceretur*. Enimvero quisnam partus ille erat, qui fortunatissimis claudebatur Sanctæ Annæ visceribus? *Maria mater gratiæ*. Igitur ibi beatitudinis semen abscondebatur, sive fœtus ille, de quo Cant. 4. 13. canit sancta mater Ecclesia: *Beatus venter; emissiones tuæ paradisus*. Sanctus Bernardinus Deiparæ Virgini peculiarissimam quandam attribuit prærogativam, eidem absque ullo in aliis viso prævio exemplo in utero To. 2. ser. 51. cap. 2. sanctissimæ Annæ matris suæ concessum, dum ait: *Beata Virgo etiam dum erat in utero matris habuit usum arbitrii, atque lumen perfectum in intellectu & ratione*; de quonam autem hoc perfectius verificatur, quàm de partu filiæ suæ, de qua divinum prophetaverat oraculum: *Fœmina circumdabit virum*; veruntamen ad majorem Orat. 2. de Nat. virg. satisfactionem Sanctum Joannem Damascenum de duobus sanctis consortibus Joachimo & Anna ita disserentem audite: *Per vos donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempè castam matrem, quæ sola Creatore digna est. O beatum ventrem, qui vivum cœlum cœlis ipsis latius peperit*.

5 *Supergressa es universas*. Etenim in quarundam matrum utero animas fœtuum suorum sanctificatas fuisse novimus, prout de Jeremia & Joanne Baptista constat, & fortè in pluribus aliis id contigit, licèt ii ad nostram notitiam hactenus minimè pervenerint; omnes tamen illæ animæ originalem contraxere maculam: at vero de beatissima Virgine Maria sanctæ Annæ filia canit Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo*, ipsa etenim ex specialissimo privilegio sola etiam à peccato originali præservata fuit: undè maternus sanctæ Annæ uterus dono quodam & prærogativa sine exemplo privilegiari meruit, quæ nunquam ab aliis participata fuit, nec unquam participabitur: *Sola sine exemplo*.

6 *Supergressa es universas*. Videri equidem posset primæ matri nostræ Evæ super omnes alias mulieres (sola excepta Virgine) deberi primatum: at verò qualiter genitrix Matris Dei etiam huic protho-matri superemineat, pauci audite. Eva quidem totius humani generis genitrix fuit, utpotè quæ prima illius stirps, & radix extitit. Sed quid demum? hæc intra paradisi terrestris delitias mundum hunc funesta quadam metamorphosi in vallem quandam commutavit lachrymarum. Audite quid hac de re Antiochus in Bibliotheca Veterum Patrum in Appendice de Sancta Anna hisce verbis scribat: *Flens in horto suo cum petitionem suam* Hom 107. *obtulisset pro impetrando filio, promeruit accipere sanctam Virginem Mariam Matrem Dei, quæ omnium hominum, & etiam Angelorum est præstantissima*. Eva in paradiso terrestri circumvagando ruinæ generis humani causa extitit: sancta Anna per solitudinem, & contemplationem suam hasce ruinas per partum, quem in horto orando obtinuit, reparare & restaurare meruit. Simon de Cassia ait: *Orat inter arbores Christus, quia inter arbores peccavit & non oravit Adam*. Id quod etiam Lib. 3. c. 30. de oratione Sanctæ Annæ in horto illo non sine mysterio facta dicere possumus; ubi namque illius Evæ donum receptura erat, quæ primæ ruinas receptura erat: *Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine*. Nullus unquam ab ipso mundi exordio visus est homo, qui orationem Deo adeo gratam, totique generi humano adeo utilem, & proficuam perfecerit, qualem Sancta Anna ad Deum fudit. Sanctus Joannes Damascenus beatissimam Virginem orationum à suis genito- Orat. 3. de Nat. ribus effusarum efficaciæ potissimùm attribuit. *Orationis fructum perceperunt hanc Reginam*. Eva non solùm non oravit, nec mentem suam ad Deum extulit; verùm etiam a turpi gula seducta pomum toxico plenum ab arbore vetita decerpsit, indeque toti progeniei humanæ mortem intulit, eandemque æternæ famis reatui subjecit, de qua in Psalmo scribitur: *Famem patientur ut canes*. Sancta Anna fervidæ orationi suæ rigorosa jejunia sociavit. Undè Lanspergius ait: *An-* Serm. de S. Anna. *nam propriarum virtutum venustas summè decorat, ut in hoc ipso cunctis fœminis præstet jejuniis, & orationibus, quibus tandem obtinuit uteri fœcunditatem*.

7 *Supergressa es universas*. In quorundam sanctorum hominum nativitate, veluti Isaaci & Joannis Baptistæ mira diffusa sunt gaudia; at vero nulla est lætitia, quæ aliquam proportionem habeat cum ea, qua cœlum & terra exultarunt in Nativitate Mariæ. *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit in universo mundo*. Undè si Sara quondam dixit: *Risum fecit mihi Deus*; quanto majori jure jubilare Sancta Anna debebat, quæ filiam quandam paritura erat, undè lætificandi erant Angeli pariter & homines. Meritò igitur Sanctus Joannes Damascenus ait: *Lætentur cœli desuper, & exultet terra, commoveatur mundi mare; in* Orat. 1. de Nat. virg. *ipso enim concha gignitur, quæ cœlitùs ex divinitatis fulgetra in utero concipiet, & Christum ingentis pretii unionem pariet*. Quòdsi vero de spirituali jubilo, quem filia sanctæ matri suæ participavit, sermo sit, ipsamet beatissima Virgo sanctæ Brigidæ revelavit dicens: *Cùm anima mea sanctificaretur, & corpori conjungeretur,* Lib. 1. c. 9 *tanta matri meæ advenit lætitia, ut impossibile esset dictu*. Adhæc quotidiana docet experientia, quod mox ut fœminæ suos sunt enixæ partus, genitores ut plurimum in plurima distrahi & conturbari incipiant, utpotè quibus de dote suo tempore habenda est ratio: hi vero fortunatissimi conjuges per Angelum quondam cœlitus missum, qualis hic, quem in lucem mater editura erat, partus futurus esset, didicerunt, ideoque probè sciebant, quod suam secum dotem conferret, eamque talem, quæ cœli terræque pretium longissimè excederet, quippè quæ Mater Dei futura erat. Sanctus & mellifluus Ecclesiæ Doctor Bernardus Præcursorem, pro Serm. 1. de Assumpt. immenso, qui ex Mariæ præsentia ejus se animæ insinuaverat, jubilo, in materno utero exultantem hisce ferè verbis considerat: *Hæc est, cujus salutationis vox & ipsos facit exultare in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt; quodsi parvuli nondum nati anima liquefacta est, ut Maria locuta est: quid putamus quenam illa fuerit Cœlestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, beata ejus præsentia frui meruerunt*? quodsi tam excessiva lætitia eum incessit infantem, qui filii ejus præcursor fuerat, necnon & Angelos, qui ejus erant subditi: quantus igitur credendus erit fuisse lætitiæ excessus, & jubilus spiritualis, qui sanctissimæ ejus Matri fuit communicatus non solùm illorum novem mensium spatio, quibus in ejus visceribus reclusa permansit; verùm etiam in toto reliquo tempore, quo ei convixit?

8 *Supergressa es universas*. Aliæ quidem matres Deo suos obtulerunt filios, prouti in sacris literis legi-

mus; hæc autem sanctissima Deipara genitrix cunctis aliis matribus supereminuit, si qualitatem oblatæ Deo filiæ suæ respiciamus? quam enim proportionem omnes sanctæ animæ, quæ Deo unquam consecratæ fuere, etiam simul junctæ habere possunt, si cum ea sola conferantur, quæ immensis, ne dicam infinitis meritis suis omnia omnium aliarum animarum merita adæquavit, imo quæ omnes Beatos, omnesque spiritus Angelicos multis titulis superavit; siquidem hæc S. Annæ oblatio jure meritissimo dicere potuit; *In plenitudine Sanctorum detentio mea*; atque ideo Ecclesia in oratione, qua in festo Præsentationis ejus in templo uti solet, hæc verba adhibet: *Deus qui beatam Mariam semper Virginem Spiritus sancti habitaculum hodierna die in templo præsentari voluisti*. Porrò oblationes partuum, quas aliæ matres in templis fecerunt, eo potissimum fine fiebant, ut a loco sacro sanctitatem sibi conciliarent & virtutem? at vero præsentatio, quam S. Anna in filia sua fecit, templi sanctitatem adauxit. Porrò verisimile est ipsam templum introeuntem hæc labiis suis verba protulisse: *Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*; tametsi enim prolem hanc adeo ardenti cum desiderio suspirarit, attamen eadem se, utpotè Deo promissa, lubenti animo privare voluit, ut suis in promissis fidelem se esse probaret.

9 *Supergressa es universas*. Quot fuere qui bonis non solùm gratiæ, sed & fortunæ ex eo solùm capite locupletati sunt, quia munifici fuerunt erga pauperes eleemosynarii? Sancta Anna autem ex omnibus facultatibus suis, quæ amplissimæ erant, tres omnino partes in eleemosynam distribuit, quorum unam applicavit pauperibus, alteram hospitandis peregrinis, tertiam ministris, & templi sacerdotibus, reliquum verò in propriam retinuit sustentationem; atque ideo certum est quòd quemvis alium in retributione superaverit. *Supergressa es universas*. 2.Cor 96. Ad Corinthios scribit Apostolus: *Qui parcè seminat, parcè & metet; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*; cum igitur sancta hæc Christi avia temporalium bonorum, quæ in sorte obtinuit, eleemosynam tanta cum abundantia seminarit, justum omninò erat ut copiosam quoque benedictionum messem reportaret; hæcque fuit illa, de qua Archangelus dixit: *Benedicta tu in mulieribus*; & de cujus partu scribitur: *Benedictus fructus ventris tui*. Serm de Nat. Mar. Sanctus Hieronymus, vel quisquis est Author, Angelum dixisse refert: *Ego sum Angelus Domini, missus ab ipso ad te ut annunciem tibi eleemosynas tuas ascendisse in conspectum ejus*; idque quando hunc Mariæ partum matri ejus sanctæ Annæ annuntiavit; & idem Lanspergius ait: *In hoc ipso cunctis fœminis præstat eleemosynis, quibus tandem obtinuit uteri fœcunditatem*.

10 *Supergressa es universas*. Nonnulli Sancti, & inter hos Abraham præcipuè, ob hospitalitatis meritum eximias à divina manu receperunt gratias. Epist. 27. Undè Petrus Blesensis ait: *Hospitalitatis gratia suscepit Abraham de Sara sene & sterili filium, in quo Dominus benedictionem omnium gentium repromisit*. Chrysostomus Hom. 41. in Gen. de eodem pariter scribit: *Et qui hospitalitatis sagenam expanderat, meruit & universitatis Dominum cum Angelis suis suscipere*; at verò cum sancta Anna Abraham Patriarcha in comparationem minimè venire potest: quòd si enim ille in tabernaculo suo tres recepit Angelos, qui tres referebant divinas personas, Sancta Anna in sacratissimo utero suo illud composuit tabernaculum, in quo per novem menses demoratus est Altissimus; undè filia ejus sanctè his verbis gloriatur: *Requievit in tabernaculo meo*. Et S. Epiphanius ait: *Joachim porro, Anna, & Maria tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant*. Richardus à S. Laurentio verba illa a Christo dicta considerans: *Hospes eram, & collegistis me*, addit: *In tabernaculo uteri virginalis*; veruntamen Filius Dei non solùm in Virginei ventris tabernaculo, verùm etiam quoadusque in domo sanctæ Annæ permansit, hospitium suum habuit.

11 *Supergressa es universas*. Spiritus sanctus de tribus hujus nominis insignibus feminis varias recenset virtutes & encomia, nimirum de Anna matre Samuelis, Anna Phanuelis, ac demum de Anna Tobiæ consorte. Prima orationibus & lachrymis suis mediantibus partum quendam Deo divinoque ejus cultui adeo acceptum, & congruum obtinuit. Anna Prophetissa in die Purificationis Filium Dei incarnatum in templo videre & laudare meruit. Tertia vero Tobiæ videlicet junioris mater ob filii absentiam amarè doluit, Sanctæ Annæ Christi aviæ dicere meritò possumus: *Tu supergressa es universas*; siquidem ipsa per ferventissimæ orationis suæ merita sacratissimum illum partum, nimirum Mariam, quæ est Spiritus sacrarium, obtinuit, probabiliter quoque credere possumus ipsam ob filiæ & Christi in Ægyptum per fugam se subducentium absentiam vehementer indoluisse; ac demum ob lachrymas propter sterilitatis suæ opprobrium suas meruit divinum illum Infantem, mundi Salvatorem & Redemptorem, utpotè partus sui dulcissimum partum, non solùm in domus suæ hospitium, verùm etiam, ut verisimile est, in proprias ulnas suas sæpiùs excipere.

12 *Supergressa es universas*. Multæ matres hanc habuere gloriam, quòd tales mundo ediderunt filios, qui ingenti Reipublicæ auxilio pariter & subsidio fuerunt: cui autem laus hæc majori jure debetur, quàm S. Annæ, utpotè quæ eam, à qua totius mundi Salvator natus est, in hunc mundum protulit? S. Joannes Damascenus ad duos illos fortunatissimos conjuges Joachim & Annam conversus ait: *Vobis omnis creatura obstricta est*; homines Orat. 1. de Nat. Virg. quidem, eò quòd illis ediderit Refugium peccatorum, Matrem gratiæ & misericordiæ, & felicissimam cœli portam: Angeli verò quia ipsis dedit eorum Reginam & Paradisi Imperatricem; imò dicere ausim, ipsummet ei obligatum esse Deum, utpote quæ peperit, lactavit, & solicitè educavit ejus matrem.

Sanctæ Annæ nonnullæ accommodantur margaritarum proprietates, & conditiones, siquidem ipsa adinstar conchylii fuit, in quo uniones nascuntur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa margarita abiit & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Matth. cap. 13.

1 APtissimum profectò Evangelium est, quod in hodierna S. Annæ festivitate in Ecclesia legitur, maximè si proposita parabola congruè ponderetur. Etenim negotiator ille margaritarum studiosissimus perquisitor Dei filius est, qui alia inter consilia, quæ ab æterno in Divina mente sua agitavit, huic uni specialiter incubuit, ut Divinitatem suam nostra cum humanitate permutaret. Unde meritò sancta mater Ecclesia canit. *O admirabile commercium! creator generis humani animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem*. Prudentissimus hic negotiator per quinque millium, & amplius annorum decursum, Paradisi ærarium locupletaturus, per omnes mundi angulos pertransiens curiosissimè scrutatus est, ut quandam inæstimabilis pretii margaritam sibi compararet, eamque tandem post varios sæculorum gyros in sanctissimo Annæ Christi aviæ utero felicissimè adinvenit; Illam videlicet de qua S. Cyrillus ad Mariam conversus ait: *Sit tibi sancta Dei Mater laus, tu es enim pretiosa margarita orbis terrarum*; Ho contra Nestor. cujus Conchylium Sancta Anna fuit, sequitur: *Vendidit omnia, & emit eam*, quia ad tantam se inopiam redegit, ut Apostolus dicat, quod *exinanivit semetipsum*; *propter nos egenus factus est, cum esses dives*; 2.Cor. 8. 9. idque eo potissimum fine, ut inæstimabilis pretii monile illud, sanctissimam videlicet matrem suam nancisci posset. Porrò Author thesauri sacræ Scripturæ, de monilibus, unionibus, gemmisque aliis, ac demum de thesauro tractans, Io. Ferd. c. 96. testimonium hac in re perhibere meretur; postquam enim Virginis genealogiam declarasset, tandem hisce verbis concludit: *Felix concha, quæ talem edidit margaritam*. Demosthenes, postquam in Philippi Macedoniæ Regis laudes amplissimè decurrisset, tandem easdem modicis verbis in compendium redigere volens dixit: *Sufficit te filium habuisse Alexandrum*. Hanc eandem laudem videmus nos longè eminentius supra omnes sanctos unico verbo attribuere sanctæ huic matri, cujus hodie festa celebramus, dicendo: *Sufficit te filiam habuisse Deiparam*. Enimverò

Vir-

Virginem inter & pretiosa margaritarum monilia va-
Lib.9.c.35. riæ recenseri possunt analogiæ & similitudines: *Principium & culmen omnium rerum pretii margaritæ tenent*, inquit Plinius: ita quoque cunctis tam humanis quam angelicis creaturis superior extitit.

2 *Una pretiosa margarita*. Aliæ gemmæ suam quæque diversam habent originem, & genituram, aliquæ enim in aquis, aliæ inter saxa, aliæ denique in profundioribus terræ visceribus oriri noscuntur. Adamas ex solidi lapidis massa in Indiis progignitur: Smaragdus in littoribus Bactrianis inter Saxorum commissuras reperitur: Coralla è salsis aquis marinis foras extrahuntur: at margarita, tametsi conchylium ejus in mari inter medias undas amaras commoretur, ipsa tamen ex rore cœlitus delapso semper generatur. Et quidem quando tempus partus ejus in propinquo est, quod in serenioribus, & clarioribus frigidi veris noctibus ut plurimum accidere solet, conchæ in undarum superficie natantes, ibique se sensim aperientes cœlestem roris liquorem recipiunt, qui de cœlo super ipsas sensim distillatur, qui intra concham paulatim solidatus margaritam generat, de qua idem Plinius dicit, quod in ejus productione cœlum potiorem partem obtineat, quam mare, *cœlique eis majorem esse societatem quam maris*. Enimvero mystica Concha nostra, id est, sancta & venerabilis mater Anna in salso quodam, & amaro probrosæ cujusdam sterilitatis mari consistebat, ab omnibus, etiam sacerdotibus contempta, atque intra solitudinis, jejuniorum, orationum, aliarumque austeritatum asperos sales affligebatur, quando Deus misericordiæ suæ serenitatem in Incarnatione coruscare volens, *ubi ve-*
Gal 44. *nit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, in jucundissimo legis gratiæ vere, eandem super hujus maris undas elevavit, id est, sanctam Annam honoravit, dignamque fecit, quæ aperto sinu suo beatissimam illam animam super omnes alias primam electam reciperet, de qua proinde illud Plinii optimè adimplebatur, *Cœlique ei majorem fuisse societatem quam maris*; quia tametsi sancta mater Anna ex contaminata Adami stirpe in medio hujus mundi mari progenita fuerit, ex hisce tamen aquis salsis ne minimam quidem stillam contraxit, utpotè quæ per gratiam specialem ab originali quoque macula præservata fuerat; quod privilegium nulli unquam mulieri concessum fuit, neque deinceps dabitur; ipsa namque sola est, quæ in visceribus suis animam quandam immaculatam, eamque adeo eminenti sanctitate præditam, ut ab hoc usque momento omnes superaret Angelorum hierarchias, recipere, atque insuper ex suis sanguinibus corpus illud dare meruit, ex quo deinceps corpus subministratum Dei altissimi filio, qui *candor lucis* denominatur, adeoque iterum de ea verificatur; *Cœlique ei majorem fuisse societatem, quam maris*. Siquidem hujus partus conceptio magna ex parte ob antecedentem sterilitatem supernaturalis fuit. Damascenus quærit: *Quid est, cur*
Serm.2. de *virgo ex sterili matre orta sit*? Et mox rorem indicando
Nat. Virg. cœlestem respondet: *Quoniam scilicet oportebat, ut ad id quod solum sub sole novum erat, ac miraculorum omnium caput, id est, ad incarnationem via per miraculum sterneretur*.

3 Majorem haud dubiè in hoc partu locum gratia quam natura habuit; ac proinde idem sanctus rationem reddit, cur sancta Anna adeo diuturno tempore in ipsam videlicet senectutem usque prolem hanc suspiravit, & præstolata fuerit: *Natura voluit cedere gratiæ in conceptu Virginis, ut Virginis conceptio gratia Dei, non natura viribus tribueretur; ex sterili orta est, ut non ex carnis concupiscentia, sed ex divina gratia mirabiliter oriretur*. Sanctissima hæc mulier ad cœlestem hunc Paradisi rorem excipiendum cor suum semper patulum habuit, in altissima semper contemplatione absorpta erat; & quia pretiosissimas lachrymarum suarum margaritas ab oculis suis in magna copia continuo manabat, ideo inæstimabili hac magnæ filiæ, nec non, & matris suæ sicut, & aliorum omnium viventium: *Mater cunctorum viventium* margarita præ cæteris locupletari meruit. Sanctus Vincentius Ferrerius verba illa Geneseos *Spiritus Domini* (qui est ros ille, de quo dicitur: *Sui ro-*
Serm.2. de *ris intima aspersione fœcundet*) *ferebatur super aquas*
Nat. Mar. in laudem sanctæ nostræ matris Annæ egregiè explanat: Audite ipsissima ejus verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas; dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Ecce conceptio Virginis. Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta est*; hancque interpretationem verborum illorum: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, ulterius prosequens, subjungit: *Ecce hic promissio de Virgine Maria, ad Joachim cum fleret dicens: Domine si ista sterilitas venit ex peccato meo, indica mihi, idem de Anna super istas aquas lachrymarum ferebatur spiritus Dei*; id est ros ille cœlestis, sub hoc namque epitheto sancta mater Ecclesia nobis Spiritum sanctum repræsentat. Petrus Cellen-
sis de hac lachrymarum aqua scribit; *Aqua hæc aut fa-* Libr.5.de
cit, aut invenit Paradisum. Nescio equidem an dice- panibus c.a
re mihi liceat, quod sancta Anna per lachrymas fecerit, aut invenerit Paradisum, siquidem per illarum merita Mariam peperit, de qua dicitur: *Beatus venter; Emissiones tuæ paradisus*, ejus namque partus Paradisum in terram attulit, id est supremum cœlorum regem, ipsa denique filiam quamdam, quæ *janua cœli* dicitur, in hunc mundum produxit.

Mansi Prompt.

4 *Una pretiosa margarita*. Porrò quanto ros purior est atque serenior, qui ex aere in concham stillatur, tanto margarita pulchrior est, atque candidior. *Pro qualitate roris accepti*, inquit Plinius, *si purus influxerit candorem conspicimus generari*: Porrò margarita hæc quam pretiosa conchæ, id est, sancta Anna, enixa fuit, adeo pura & candida prodiit, ut sanctus Hieronymus Epi.22. ad
scribat: *Tantæ puritatis Maria extitit, ut mereretur effici* Euch.
mater filii Dei. In Philosophia axioma quoddam circumfertur satis vulgare, nimirum; *omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*, unde deducere possumus, quod in hujus tam perlucidæ, tam claræ adeoque puræ margaritæ matre immaculata quoque puritas quædam tametsi conjugalis emicuerit; & revera ita est, nam filia ejus S. Brigittæ revelavit, hisce verbis; *Filius meus* Lib.6. Re-
conjugium patris mei, & matris tanta castitate conjun- vel.cap.9.
xit, ut tunc non inveniretur castius conjugium, ut nunquam invenire vellent, nisi juxta legem solummodo causa suscitandi prolem, & voluptas in eis mortua erat; ex charitate divina, & verbo Angeli convenerunt carne non ex concupiscentia. Sanctus Hieronymus ad eandem virginem Eustochium Sanctæ Paulæ filiam ita scribit: *Laudo nuptias, quod mihi virgines generant; lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margaritam*; quæ omnia partui S. Annæ congruè adaptari possunt, hujus namque proles hisce titulis ab Ecclesia honoratur, nimirum, *Rosa mystica, domus aurea*, estque etiam, ut paulò ante diximus, verè pretiosa margarita: Porrò Sanctus Hieronymus meritorias, & dignas appellat nuptias illas, quæ celebrantur non tam voluptatum carnalium desiderio, quam ut per inde natam prolem numerus adaugeatur virginum. Millies igitur, & iterum millies beatæ sunt istæ nuptiæ, quæ illum produxerunt benedictionis fructum, de quo canit Ecclesia, *Afferentur virgines post eam: Fœlix concha quæ tantam ededit margaritam*.

5 *Una pretiosa Margarita*. Observandum hoc loco est, quod negotiator non dicatur quæsisse multas margaritas sed unam, una pretiosa margarita: *Una est co-* Cant.6.8.
lumba mea perfecta mea, una est matri suæ perfecta genitricis suæ, hanc pretiosissimam margaritam post mundi creationem per tot sæcula inquisivit, ac tandem in concha, id est, S. Anna invenit illam quæ unica & sola in donorum, virtutum, meritorum culmine sine exemplo consistit: *Nec similem visa est, nec habere sequentem; sola sine exemplo placuit Domino nostro Jesu Christo*. Margarita in lingua Latina unio appellatur, eo quod conchæ non nisi unicam duntaxat enitantur, unde argumentum quoddam deduci potest valde efficax in ejus opinionis confirmationem, quæ docet S. Annam non pluries generasse, sed semel duntaxat, solam videlicet Deiparam virginem; id quod per prædicta è sacris Canticis desumpta verba corroboratur, *una est matri suæ*, per quam Dei mater intelligitur; enimverò ingenti cum mysterio hic nobilissimus margaritæ titulus Mariæ convenit, siquidem Margarita idem est dicere quod unio, in ipsa namque consummata est *unio* illa naturæ humanæ cum divina, terræ cum cœlo, Dei cum homine. Dicunt insuper Philosophi naturales margaritas *uniones* appellari, eo quod nunquam vel saltem tarò duæ inveniantur planè conformes & omninò similes, id quod pariter de beata Virgine verificatur, quæ ut diximus, *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem*.

Tract. 9. in epist. Joan.

6 *Una pretiosa margarita.* S. Augustinus ait; *Hæc margarita est pretiosa charitas, sine qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris, quam si solum habeas, sufficit tibi;* & quidem ex hoc pariter capite S. Annam concham margaritam matrem denominare possumus, quia Virginem enixa est, quæ corpus ministravit illi Deo de quo scribitur: *Deus charitas est.* Hæc quoque sancta mater intra pientissima viscera sua hanc charitatis habuit margaritam, siquidem pauperum sustentationem ferventer procuravit, atque insuper hujus se virtutis zelosissimam semper esse probavit, prout in cunctis operibus suis perspicuè satis emicuit, quod si enim *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur,* ipsa profectò in se satis liquidè ostendit patientem se esse in sufferendis opprobriis, quibus suam deridebant sterilitatem; eam culpa sua sibi accidisse existimantes, & hoc modo quoque in omnibus aliis dotibus & effectibus hujus virtutis discurrere possumus.

1. Cor. 13. 4.

7 *Una pretiosa margarita.* Singularissima hujus sanctæ matris gloria fuit, quod cum nonnisi hanc unicam inæstimabilis valoris gemmam in ærarii sui gaza contineret, libens tamen volensque illa privari, ut Deo illam offerret, atque donaret ad templum ejus locupletandum, prouti factum est in virginis filiæ suæ præsentatione. Estque hæc quoque specialis conchæ margaritæ matris proprietas, quod partum suum non sibi ad privatas divitias retineat, sed alios inde locupletet, siquidem ad regia diademata exornanda, nec non ad eximiorum monilium decorem & elegantiam unicè deservit.

8 *Vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Prudens hic negotiator, ut hanc sibi margaritam compararet, omnibus quæ in facultate sua habebat, ultro se privavit, & idipsum S. Anna fecisse noscitur, ut hanc sibi prolem lucrifaceret, siquidem majorem melioremque divitiarum suarum partem inter pauperes, peregrinos, & ministros sacros, ad cultum item Dei aliaque pietatis & misericordiæ opera distribuit, minorem duntaxat partem sibi in usum proprium retinendo. Concha margaritæ mater procellosis maris undis supernatat, ibidemque ad cœlestem rorem excipiendum sinum suum pandit, hacqui ratione diversarum adversitarum, procellarum, ventorum, aliorumque inquieti illius elementi motuum impendio ros ille cœlestis imbibitur, & concha locupletatur. Enimverò vos sanctæ hujus mulieris vitam si placet pervolvite, eamque inveniretis in mari hujus vitæ (*hoc mare magnum*) à persecutionum, opprobriorum, subsannationum, turbulentis ventis variè fuisse jactatam, dum alii ipsam prole indignam propriaque culpa sterilitate, quæ in veteri lege maledictio existimabatur, mulctatam fuisse censebant: unde ab ipsismet templi ministris è templo turpiter ejecta fuisse perhibentur. Undè meritò verba illa psalmi ori S. Annæ inserere possumus, utpotè quæ illi, ni fallor, mirè convenire videntur, nimirum: *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* ipsa namque præ quavis alia muliere Messiæ in terram adventum suspiravit; potuit item præ quavis alia hujus mundi creatura illa verba dicere, quæ mox sequuntur: *Et substantia mea apud te est:* siquidem de ejus substantia corpus Christi formatum fuit, utpotè de cujus sanguinibus Dei matrem generatam fuisse scimus; unde oritur illa sancti Augustini propositio, *caro Christi caro est Maria.* Paulo post tamen in eodem Psalmo sequitur: *Ab omnibus iniquitatibus erue me, opprobrium insipienti dedisti me, obmutui & non aperui os meum,* cui petitioni Deus plenariè satisfecisse, reperitur; ipse namque in conspectu omnium sæculorum eam justificavit, eo quod in omnibus hisce contradictionibus, quæ porrò multæ fuerunt, patientissima semper extitit; cor etiam suum ad cœlestem illum Paradisi rorem excipiendum patulum semper habuit, quia in oratione perpetuò absorpta fuit, unde S. Joannes Damascenus ait: *Quemadmodum prisca illa Anna cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreavit: eodem modo Anna mater Virginis per obsecrationem, & promissionem Dei genitricem a Deo accepit;* enimverò magnam hanc Deiparæ matrem ad cœlestem hunc rorem recipiendum optimè dispositam fuisse S. Germanus luculentius ostendit, dum eam hæc proloquentem introducit: *Ad ipsum os meum ex animo aperiens cum luctu cordis clamavi & lachrymis.* Ubi notandum est, quod salsæ mystici hujus maris aquæ, quibus concha hæc innatabat, sanctæ hujus planctus & gemitus fuerint, ac proinde ad duos hosce sanctissimos conjuges illa Salviani verba tametsi ad aliud propositum dicta dirigamus dicendo: *Nequaquam ergo vobis dolenda est hæc afflictio, quam intelligimus matrem esse virtutum.*

Psal. 38. 8.

Lib. 4.

Orat. 1. in Encom. Virg.

Libr. de Prov.

Sanctissima Virgo thesaurus ille fuisse ostenditur, de quo in Evangelio fit mentio: Sanctam verò Annam ejusdem thesauri ærarium fuisse, monstratur.

DISCURSUS TERTIUS.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.
Matth. cap. 13.

1 EVangelium hodiernum quod S. mater Ecclesia festivitati sanctæ Annæ adaptat, exiguo glossemate opus habere videtur, quia quod parabolam de thesauro in agro abscondito propositam attinet, nemo est, qui non perspicuè satis intelligat, per thesaurum illum Mariam Dei matrem præfiguratam fuisse, per agrum vero, seu ut melius dicam, per ærarium, in quo thesaurus ille clauditur & absconditur, gloriosissimam B. Virginis Genitricem Sanctam Annam demonstrari. Sanctus Joannes Damascenus duos illos sanctissimos conjuges alloquens dicit: *Castè enim ac sanctè munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis.* Ex quibus certum est in primis thesaurum hunc per novem mensium spatium in sacrosancto Venerabilis Annæ utero fuisse absconditum, atque insuper in primis infantiæ suæ annis priusquam in templo præsentaretur, tribus deinceps annis in ejus domo fuisse zelatum. Unde ipsa in Revelationibus sanctæ Birgittæ nominatur *Gazophylacium omnipotentis Dei. O quam prope erat jugiter cor Dei huic thesauro, qui postmodum in Evangelio dixit: Ubi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum est.* Porrò in discursu primo verba illa Proverbiorum Sanctæ nostræ adaptavimus, ubi dicitur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas;* Etenim innumeræ fuerunt in veteri Testamento sanctæ, & devotæ animæ, quæ omnes gratiarum, donorum, virtutum & meritorum divitias in se adaugere certatim contenderunt, ut se dignas efficerent, ut ex ipsis magna illa nasceretur Virgo, de qua infallibile illud conscriptum est oraculum: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium;* at S. Anna merito suo cunctas superavit. Unde Author Thesauri Scripturæ sacræ ait: *Anna felix terra tam pretiosum protulit thesaurum, unde & Ecclesia militans & triumphans ditata est?* Nemo equidem dubitare potest, quin supernus motor omnium cœlestium gratiarum thesauros illi magnæ filiæ suæ in magna abundantia effuderit; certum quoque est thesauros hosce longo temporis spatio in utero S. Annæ fuisse reclusos, ac proindè cum Spiritus sanctus dicat: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem,* cumque S. Anna adeo digna beatæ Virginis genitrix fuerit, hæc autem erga matrem summè fuerit reverens, venerabunda & obsequiosa, qualis credenda est fuisse communicatio, qua omnes Paradisi exhaustas divitias suas ei communicavit? Etenim omnibus nota est illa S. Bernardi sententia, qua ita loquitur: *Christus redempturus mundum, universum thesaurum contulit in Mariam, ut de plenitudine ejus omnes accipiant, nihil enim nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret:* Quis autem hujus Gazophylacii, seu hujus ærarii depositarius aut thesaurarius erat? Sancta Anna utique, siquidem beatissima Virgo, utpote filia devota & reverens Matri suæ ultro citroque subjiciebatur, neque alium quam genitorum suorum habebat voluntatem, aut dispositionem. Verum enimverò quodsi per hunc thesaurum absconditum, ut alii interpretantur, filius Dei intelligitur. Undè Sanctus Hilarius ait: *Thesaurus in agro Christus intelligitur in carne.* Et Sanctus Hieronymus scribit: *Verbum Dei in carne absconditum thesaurus est,* ac proinde in Isaia legitur: *Verè tu es Deus absconditus;* quis non videt S. Annam hunc campum seu agrum subministrasse, in quo pretiosus & divinus ille thesaurus absconderetur; Ipsa etenim purissimos sanguines suos filiæ communicavit, ut ipsa de-

inceps

Orat. 1. de nat. Virg.

Lib. 1 de Revel. c. 10.

Joan. Ferd. cap 58.

Eccl. 3. 5.

Ho. super missus est.

Isa 55 13.

inceps mortalibus hisce exuviis filium suum vestiret, unde ut nonnulli contemplativi meditantur, sanctæ Anna aliquam quodammodo in sacratissima Filii Dei humanitate partem habuisse censetur, eo quod hæc de substantia Mariæ sanctæ Annæ unicæ filiæ formata fuerit. Unde Fulbertus Carnotensis ait: *Felix partus, de cujus substantia assumpta est talis virgo, quem orbem concussum relevaret.* (Ser. de ortu B. Virg.) Nemo est, qui nesciat, quam inexhausti thesauri à Davide pro templi fabrica præparati fuerint, tametsi illud postea, quia à Salomone ejus filio erectum fuerit, Salomonis templum fuerit appellatum, non obstante quod ingens in metallis auri, argenti, æris, ferri, aliisque omnibus magno pretio & valore comparatis materialibus a Davide facta fuerit in hunc finem præparatio; Quod verò ex figura inferre molior, hoc est, quod videlicet tametsi verissimum sit, quod beatissima Virgo vivum illud templum ædificaverit, de quo ipsemet Dominus ait: *Solvite templum hoc*, attamen verissimum quoque est, prout audistis, quod de sanctæ Annæ substantia aliud quoque Templum illud fabricatum fuerit, de quo pariter sancta canit Ecclesia: (Se. de laud. B. Virg.) *Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, de cujus substantia*, id est, Sanctæ Annæ carne, *assumpta est talis Virgo.* Unde bene observat Epiphanius, quod *Joachim interpretatur præparatio Domini, eo quod ex eo præparatum sit Templum Domini*; meliori tamen jure id de sancta Anna affirmari potest, quæ haud dubiè magis continuam strictioremque habuit cum filia sua participationem. Nostisne causam edicere, cur sancta mater Ecclesia tanto cum honoris & celebritatis applausu festivitatem sanctæ Annæ concelebret, non vero festum sancti Joachimi, saltem festivando illud per abstinentiam ab operibus servilibus? Respondet (Serm. de S. Anna.) ad quæsitum istud sanctus Vincentius Ferrerius, quod tametsi, & hic eminenti fuerit sanctitate conspicuus, utpote Christi avum, attamen conjux ejus sancta Anna illum multi passibus in perfectione & meritis superaverit: quoniam *Beata Anna habuit majorem participationem cum Virgine Maria filia sua fonte totius sanctitatis, quæ jam in utero matris existens erat sancta; Pater modicum participat cum filiis*, non verò sic mater, inquit S. Vincentius: *quæ novem menses portat, & post nativitatem lactat, nutrit, & dormit cum eis.* Cum igitur hæc filia cœlestium gratiarum thesauros in sua habuerit potestate constitutos, facile est nobis considerare, in quanta copia illos in S. Annam effuderit: *Cogitate, quanta sanctitas remanserit in S. Anna.*

2 Verùm enimverò dubium quoddam hic subnascitur, nimirum qua ratione Mater sanctissimæ Virginis thesaurum hunc in suo agro vel campo habere potuerit, siquidem hæc in tota vita nulli rei aden intenta fuit, quam, ut omnes facultates suas pauperibus dispensaret, easque servitio Dei, & pietatis operibus devotissimè impenderet? Etenim thesaurus nihil est aliud, quam ingens quædam auri & argenti congeries non verò illius distributio, collectio quædam est, non (Serm. 8.) verò dispersio. Chrysologus respondet: *Thesaurus cœli est manus pauperis*; Etenim tametsi manus pauperis aurum, & argentum non ponant, sed auferant, nihilominus tamen sanctus hic Doctor, qui ab auro suam habet denominationem, dicit, quod manus pauperum, thesauri verè sint cœlestes, cujus pulchram hanc reddit rationem, dicens: *Quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cœlum; Thesaurizate; inquit, vobis thesauros in cœlo; manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat.* Hoc igitur supposito, dicendum esse censen sanctam Annam thesaurum suum adduxisse, non verò disperdidisse, quando illum in pauperes distribuebat, nam in eorum persona Christus illum recipiebat, hic autem in illius erat potestate constitutus, eratque is *in quo sunt omnes thesauri*, ipsi namque tanquam aviæ suæ, ut ita dicam, subjectus, ergaque ipsam summè venerabundus & reverens erat; præterquam quod dici insuper possit, ipsum liberalissimum fuisse Eleemosynarum remuneratorem, prouti ex illis verbis liquet, quibus protestatur Eleemosynariis, *Centuplum accipietis*, ideoque Eleemosynas à Sancta Anna in pauperes distributas, à se vero acceptatas, juxta illud: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, illis compensasse largifluis benedictionibus, de quibus scribitur: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus*; nimirum sanctum & Divinum partum ejus. Quando aliquis thesaurum aliquem in agro absconditum invenire contendit, terram eruit, & eruderat, eamque susque deque evertit, & disperdit, nec quicquam curat, quia ad splendidum & pretiosum metallum, quod ibi absconditum esse credit, se tandem perventurum esse confidit; simili modo quisquis verum adinvenire thesaurum desiderat, ei opus est, ut terram & omne id quod mundus magni facit & æstimat, aspernetur & contemnat. Vera etenim est illa sancti Maximi propositio, quòd tanto arctius se quispiam Christo adstringet, quanto efficacius terram & mundum deseruerit: *Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem.* (Ser. 48. in Appendic. S. August.) Quemnam autem invenire poterimus, qui terram minoris æstimet, quam sancta Anna æstimavit; siquidem totum quod possedit, inter pauperes largiter distribuit; neque quid mundus esset, scire curavit, utpote quæ in continua solitudine posita in sanctis contemplationibus absorpta erat; ac proinde *totum possedit Salvatorem*, Sanctus Laurentius martyr pretiosissimos Ecclesiæ thesauros pauperes esse dicit, utpote in quibus inæstimabilis absconditur thesaurus, prouti de ipsomet Christo diximus. Sanctus Leo de eodem Sancto Laurentio ait: *Numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates.* Porrò non solùm id quod sanctus Laurentius dixit, verum etiam quod beatus Laurentius Justinianus de eodem Sancto scribit, Sanctæ Annæ congruè adaptare possumus, dicendo: *Pretiosam in agro Domini repererat margaritam*, (id est, gloriam) *quam ut vendicaret, distractis omnibus emere satagebat, hinc est, quod Ecclesiæ thesauros quos erogandos pauperibus acceperat, dispersit abundè*; Etenim S. Anna inæstimabilem illam beatæ Virginis margaritam, qui ager Dei fuit, in agro corporis sui complexa fuit; siquidem de ejus substantia mater Dei, id est, cœlestis illius thesauri ærarium formata fuit, & meritò multorum virtuosorum sanctorumque operum, præcipuè verò charitatis cœlorum sibi regnum, id est, matrem Dei in filiam suam sibi comparavit, simulque cum ea inexhaustas donorum gratiarumque cœlestium divitias. Ad hæc eidem propriissimè (nisi credo) verba illa sancti Augustini in ejusdem Levitæ laudem pariter dicta applicare poterimus, videlicet: *Cœleste negotium egisti, thesauros Ecclesiæ suspiciens Christianis pauperibus erogasti, & thesauros cœlestes accipere meruisti, sic enim monet Dominus in Evangelio dicens: Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* (Serm. 38.) Enimvero S. Anna hac in re tanto est admirabilior, quod consilium hoc Evangelicum adimpleverit, priusquam promulgatum esset, & antequam ullam Evangelii notitiam haberet, imò sine ulla spe lucri quia, liberalissima eleemosynæ retributio, ejusque promissio ab æterna veritate nondum stipulata erat: In præsenti autem casu nostro notandum est, quod per facultatum suarum eo modo quo diximus, distributarum merita non solum *habuit thesaurum in cœlo*, sed multo amplius in terra, imo insuper addi potest in numero plurali, *thesauros*; siquidem duos inæstimabiles thesauros lucrifecit, nimirum sanctissimam Virginem filiam suam, & Christum ab ea generatum.

3 Sancta Anna, ut hunc sibi thesaurum compararet, aliam quamdam expendit monetam, quam è corde deprompsit, eaque fuit heroicus quidam sui ipsius contemptus, continua quædam mortificatio & abjectio propria, gaudens ab omnibus, etiam ipsismet sacerdotibus, propter objectæ sterilitatis opprobrium contemni & vilipendi, in qua tamen ipsa omni culpa carebat: unde dicere possumus, quod ipsa priusquam Christum agnosceret, Christi fidem professa fuerit, quodque (ita mihi loqui liceat vestra venia) prima Christiana fuerit, juxta illam sancti Hieronymi sententiam: *Prima Christiani virtus est contemnere, & contemni.* Tertullianus ad illa; *Tanquam aurum in fornace probavi eos*; (id quod de sanctis hisce conjugibus propriè verificatur) reflectens, de hoc pretioso metallo dicit? *Nomen terra in igne reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delitias, de ignominiis in honores metalli refusa mutantur*, (De hab. mulier. c. 1.) id quod in Sancta nostra adimpletum fuit, de cujus sterilitate dici potuit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*; solus etenim sanctæ Annæ partus omnes superavit creaturas humanas pariter & Angelicas: Solitudo autem

ejus vel ſylvula in qua mœſta prorſus, & triſtis degebat, eam fecit acquirere Paradiſum illum animatum, in quem deinceps Rex gloriæ deſcendere dignatus fuit: Cant. 4.12. *Hortus concluſus*, *Delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum*; Prov. 8.31. Ludibria, & ſannæ quas paſſa fuit in voces jubili laudum & gloriæ tranſmutata fuerunt: *Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*; Jud. 15. ipſa namque inter omnes mundi nationes, inter omnes creaturas ſexus debilioris, ad communis Redemptoris & ſalutaris matrem pariendum electa fuit, ut univerſales cœli terræque ruinæ repararentur.

Virtutes, & merita aliaſque magnæ hujus ſanctæ prærogativas, ex eo quod mater Genitricis Dei electa fuerit, ortas fuiſſe oſtenditur.

DISCURSUS QUARTUS.

Una eſt matris ſuæ, electa Genitrici ſuæ.
Cant. cap. 6. verſ. 8.

1 Spiritus ſanctus, qui Deiparæ ſponſus fuit, in hoc citato è ſacris Canticis loco, ni fallor, S. Annæ mentionem facere videtur, ſiquidem de ſponſa, per quam ſanctiſſima Virgo utique intelligitur, loquens, eam Matris ſuæ ſolam & unicam, ab eaque electam & dilectam fuiſſe dicit: *Una eſt matris ſuæ, electa genitrici ſuæ*. Et quidem excellentior hujus venerabilis & magnæ Sanctæ gloria ex hoc verbo, *Matris ſuæ*, deduci poſſe videtur, hoc enim idem prorſus inſinuat, quod ſancta quoque Eccleſia in eadem per magni æſtimat, prouti ex verbis orationis ſuæ clarè ſatis liquet, quibus dicit: *Ut Genitricis Filii tui Mater effici mereretur*; Porrò eadem ſancta Dei Eccleſia à Spiritu ſancto in omnibus directa, in quibuſdam præcipuis Beatiſſimæ Virginis feſtis, Evangelium quoddam in ejus honorem proponere ſolet, in quo de ea nihil aliud dicitur, præterquam: *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*, quaſi pro abundantiſſimo cujuſcunque demum laudis ſuæ ſeminario hoc unicum abundè ſufficeret, ſi quis eam Matrem Dei alicujus fuiſſe pronuntiet. Ita enim ſanctus Anſelmus loquitur, dum ait: De Laud. Virg. *De Maria aſſerere quod mater Dei eſt, ſuper omne, quod ſub Deo dici poteſt*. Enimverò tametſi quatuor ſacri Evangeliſtæ, nec non & quatuor ſanctæ Eccleſiæ Doctores de ſanctæ Annæ virtutibus & ſanctitate parum aut nihil ſcripſerint, attamen hoc unum omnia encomia, omniaque alia merita, quantumvis illa inſignia ſint, quæ illi aſcribi poſſunt, in immenſum excedit, quod videlicet ipſam Matrem Mariæ matris Dei fuiſſe omnibus conſtet: S. Joannes Damaſcenus verba illa de S. Joſepho Mariæ ſponſo dicta, videlicet: *Virum Mariæ* ponderans; admirabundus exclamat: *hoc eſt prorſus ineffabile, & nihil præterea dici poteſt*; quid tamen longè auguſtius & excellentius eſt, Mariam genuiſſe, novem menſibus in utero ſuo portaſſe, lactaſſe, tantoque tempore nutriviſſe, illamque felicem ſortem nactam fuiſſe, quòd Mater ejus fieri mereretur, hoc enim quid magnificentius eſt, quam ſponſum ejus fuiſſe: Serm. de S. Anna. *Virgo Maria dabat matri ſanctitatem*, inquit ſanctus Vincentius Ferrerius; Magna hæc filia nova ſemper in matrem ſuam influebat cœleſtium gratiarum augmenta; ſiquidem prouti ex melliflui Doctoris ſancti Bernardi ſententia diximus: *Chriſtus redempturus mundum univerſum theſaurum contulit in Mariam*; quouſque igitur credendum eſt cœleſtes gratias atque divitias magna hac anima accumulatas fuiſſe, en vel maximè, quia *una fuit Matris ſuæ electa*?

Electa Genitrici ſuæ. Quando Apoſtolus de Verbi incarnati ſupra naturam Angelicam præeminentia loquitur, ita ſcribit: Heb. 1.4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit; cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Ecce tibi ſingulare S. Annæ ſuper omnes alias creaturas privilegium, quòd ſcilicèt verè ſit Mater Matris Dei, cœlorum Imperatricis, Reginæ Angelorum, adeoque eidem dicere poſſit: *Ego genui te*. Nullus eſt Spirituum beatorum, quantumvis ille ſupremus ſit, qui hanc ſibi gloriam vendicare auſit, ut Deo noſtro infinitæ Majeſtatis dicere auſit: *Nepos meus es tu*, prouti ſancta Anna verè dicere potuit; imo de illis ſcribitur, quòd ipſum *adorant Dominationes*, *tremunt Poteſtates*; cùm tamen econtra veriſimile ſit, quod hic Deus incarnatus, quamdiu infans erat in domo ſanctæ Annæ ſe huic aviæ ſuæ venerabundum ſemper & obſequioſum exhibuerit. Eſt ſpecialis Doctoris Angelici doctrina, quod ne ipſa quidem divina omnipotentia ſublimare puram creaturam ad gradum majorem & altiorem poſſit, quàm ſi ipſam veram matrem ſuam eſſe faciat; undè conſequenter dicendum eſſe apparet, quod ſola excepta filia, nullus in hierarchia omnium beatorum cœli civium reperiatur ſancta Anna dignior aut major, eo quod Genitricis Dei mater extiterit, niſi dicere velimus, quod ob hanc matris relationem, & ſuperioritatem etiam quodammodo non minus ſpectabilis ipſa ejus filia fuerit. Conſiderari quoque hoc loco poteſt aliud ſanctæ Annæ privilegium, nulli unquam creaturæ participatum, nec uſquequaque ulli participabile unquam, nimirum quod Filium Dei nepotem ſuum habuerit: & quidem tametſi Chriſtus etiam Joſephi denominaretur, filius, hic tamen in ejus generationem nequaquam influxit, utpotè quæ Spiritu ſancto cooperante conſummata fuit, qui puriſſimos virginalis uteri ſanguines ad hunc divinum conceptum permovit: At vero ſancta Anna filiæ ſuæ corpus illud & ſanguinem ſubminiſtraverat, è quo ſacroſancta & immaculata humanitas Altiſſimi formata fuit. Undè Fulbertus Carnotenſis ait: *In uterum Virginis ſola divinitas cum humanitate verſata eſt, indeque hanc in honorem Sancta noſtra laudem deducit. Ideo Mater hujus Sancta ſuperavit omnes matres generando eam, quæ ſuum generavit Creatorem, tali dote donata es o Anna, qua nulla ante te vel poſt te meruit antecelli*. Ser. de ortu Virg. Ab omnibus ſacris Expoſitoribus recepta doctrina eſt, Deum noſtrum omnes illas virtutes, & qualitates concedere, quæ ad dignè exercenda ea munia, ad quæ quis promovetur, requiri noſcuntur; certum eſt autem eundem Deum, divinæ providentiæ ſuæ oculum in illam direxiſſe, quæ unigenitum ejus Filium hic in terris genitura erat, id quod adeo verum eſt, quod ipſa prima electa, primaque in mente divina creata fuerit: *Ab æterno Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret: à principio ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret*; at verò cùm ex tota humani generis maſſa digniſſimam quandam matrem deligere ſtatuiſſet, ecquis in dubium revocare poterit, quin æterna illa Sapientia omne quoque ſtudium in eo repoſuerit, ut inter omnes creaturas talem quoque fœminam eligeret, quæ ad magnam Matrem ſuam pariendam, lactandam & educandam digniſſima eſſet? S. Joannes Damaſcenus in ejus te laudes diffundens ait: *Quàm beata domus David, ex qua prodiiſti!* Serm. 2. de Nat. Mar. Verum enimvero id, quod majorem admirationem parit, eſt, quod ſanctæ Annæ uterum æquè dignum & eodem loco habeat, quo beatiſſimæ Virginis uterum, dum ait: *Et venter beatus, in quo Deus ſanctificationis arcam, hoc eſt, eam, a qua ipſe ſine ſemine conceptus eſt, fabricavit*. Quis obſecro eſt ita ignarus, cui nota non ſit illa tam glorioſa Virginis nomenclatura, qua *Fœderis arca* denominatur. Sciendum eſt autem, architectum arcæ illius virum quendam fuiſſe, cui Beſel nomen erat: *Fecit autem Beſeel & arcam de lignis Sethim*; Exod. 37. nomen verò hoc in Latino idem ſignificat quod *Umbra Dei*. Porrò S. Lucas ineffabilem illum modum, quo Spiritus Sanctus Virginem divini Verbi partu fœcundarit, deſcribens, hac phraſi utitur. *Obumbravit*. Videtur autem quod in hac myſticè hujus arcæ fabrica nomen hoc. *Umbra Dei*, tacitè ſubinſinuet, quod tametſi ipſa naturaliter & per naturalem propagationem fabricata fuerit, Spiritus tamen ſanctus per donorum, & gratiarum ſuarum abundantiam magnam in hujus fabricæ perfectione partem habuerit, & meritò; nam, ut idem met Fulbertus: *Quanta proviſio fuit ſanctorum Angelorum circa tam gratiſſimos Deo parentes, & exultatio ſupra tam ingentem ſobolem, nunquid abfuiſſe credendus eſt Spiritus ſanctus ab ea, quam ſua virtute diſponebat obumbrare?* Quot benedictiones Arca paſſim, & ubique ſecum ſubintulit, præcipuè in domo Obededom, quæ tamen aliud non erat, quàm lignum quoddam, & ſola hujus arcæ myſticæ, ſanctiſſimæ videlicet Virginis figura? 2. Reg. 6. *Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem*

nem domum ejus. Hæc autem, quam sub hoc titulo: *Fœderis arca*, invocamus, in utero sanctæ Annæ novem mensibus commorata fuit, ac demum tribus aoois in ejus domo, cùm ab ea educaretur & nutriretur priusquam io templo præsentaretur, quantò igitur major ille erit cœlestium benedictionum cumulus, qui io sanctam Annam indè redundavit. Propheta regius, de cujus progenie sancta Anna descendebat, imo cujus ipsa hæres erat, valdè dolebat, quod arca loco firmo & stabili careret: *Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus* Psal. 131.6. *eam in campis sylvæ*; tandem verò spiritu prophetico exclamat dicens: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ*; quo loquendi modo ardentissimum quoddam adventus promissi Messiæ insinuat desiderium; advertendum enim est, quod in Hebræo, ubi nos legimus: *Surge in requiem tuam*, aliud quoddam verbum supponatur, quod interpretari licet, Annam tuam, quasi Deo dicere vellet, dignare tandem aliquando in terram descendere, cumque in arca sub illo tabernaculo, quod *ab æterno* io divina mente tua tibi præparasti sacrosanctum partum illum Annæ concedere digneris, è quo in plenitudine temporis partus ille derivandus est, de quo suo tempore dicitur: *Per viscera misericordiæ Dei, in quibus visitavit nos oriens ex alto*.

Is. 11.1. 3 Omnibus notum est illud Isaiæ vaticioium: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*; per hanc autem virgam Jesse sanctissima Virgo communiter intelligitur, per florem autem Filius ejus, quem germinavit, qui ideo *Nazarenus vocatus fuit*, quod idem est quod *floridus*: *Ego flos campi*; hujus denique ar- Orat. 2. de Nat. Virg. boris radix Sancta extitit, de qua S. Joannes Damascenus dicit: *Ex qua Christus flos vitæ extitit*. Verùm, inquies, si hic flos à ramis progerminat, quomodo à radice progerminari dicitur? Quis unquam arboris alicujus radicem flores producere vidit? Et tamen Isaias hic expressè dicit: *Flos de radice ejus ascendet*. Ad hoc igitur dicendum est, quòd ex quo rami frondes & flores arboris alicujus suum à radice vigorem, & nutrimentum recipiunt, ideo duo hi partus, Virginis scilicet & Filii ejus insignibus S. Annæ meritis & virtutibus magna ex parte sunt attribuendi, utpotè arboris genethliacæ Christi Salvatoris primæ radici. Adstipulatur mihi ac io parte sancta Dei Ecclesia, quæ io oratione hodiernæ festivitas ita legit: *Deus qui beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Unigeniti tui Mater effici mereretur*. Cum hoc tamen stat verum esse quod à flore hoc mystico in virgam pariter & radicem cœlestium donorum & gratiarum vigor transmittatur, undè adeo sancta germina potuerint producere. Rubus Moysis in Sinai monte visus Mariæ virginitatem præfiguravit: *Rubum quem viderat Moyses incombustum conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem*; terra autem, quæ mysticum hunc rubum produxit, Sancta Anna fuit; id quod Joannes Lanspergius validè confirmat adducto in hanc rem S. Hieronymi testimonio, de ea ita scribentis: *Hæc est terra sancta, quæ rubum ardentem, sed in combustum permanentem germinavit*. Qua autem in veneratione magna hæc Virginis mater habenda sit, ex illis à Deo ad Moysen de hac terra, quæ Exod. 3.5. solùm figura quædam S. Annæ fuit, dictis verbis arguere licèt, nimirum: *Solve calceamentum de pedibus tuis* De laud. B. V. *locus ille in quo stas, terra sancta est*. S. Epiphanius ita scribit: *Virgo Maria sancta, & sanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum hujusmodi germinarunt sanctam Virginem Mariam*. Quidam huic S. Annæ devotus cliens de ea sic meditatur, quòd cùm filia ejus *fœderis arca*, nepos autem magni consilii Angelus fuerit, consequens sit S. Annam fuisse *sancta sanctorum*, seu sanctuarium, io quo arca hæc demorabatur, adeoque merito de ea dici potest, terra sancta est, S. Joannes Damascenus ait: *Ex filia tua filius na-* Orat. 2. de Nat. Mar. *tus est nobis, & vocatur nomen ejus magni consilii, hoc est, salutis totius mundi Angelos*. De his quoque sanctis conjugibus Joachimo & Anna Fulbertus Carnotensis, qui Roberti Regis Franciæ cancellarius, ac demum insignis Episcopus fuit, ita pariter scribit: *Tales ac tantes se in cunctis institutionibus præstiterunt, ut merito de eorum stirpe prodiret talis successio beatæ Virginis quæ fieret exemplum totius bonitatis. Vita eorum ante Deum & homines pia erat & irreprehensibilis*;

Mansi Prompt.

4 Dignissima quoque mater Sancta Anna ex eo capite in admiratione cuilibet esse potest, quod mater sit Matris misericordiæ. *Mater misericordiæ*; nec mirum: siquidem ipsa pauperibus compatiendo & subveniendo pietatis semper viscera se habere probavit; Filius Dei imago Patris appellatur: *Illuminatio Evangelii gloriæ* 2. Cor. 4.4. *Christi, qui est imago Dei*. Hic autem, prouti jam diximus magnam hujus imaginis partem io S. Anna agnovit; quia ut S. Leo scribit: *Ubi Deus curam misericor-* Ser. 10. de *diæ invenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit*. Porrò Quadr. hanc pietatem supra omnes alias animas io S. Anna ardentiorem esse consideravit, ac proindè Filium suum, qui imago sua est, in ejus domo carnem assumere voluit. Undè verisimile est quod Salvator noster huic sanctæ mulieri dicturus sit: *Nudus eram, & operuisti me: hospes, &* Matth. 25. *collegisti me*; non solùm quia hoc io persona pauperum 35. adimplevit, verùm etiam quia piè credere possumus, ipsam in persona ipsiusmet Christi præstitisse: siquidem verisimile est quod postquam beata Virgo S. Josepho desponsata fuit, in domo S. Annę pariter habitaverit. Chrysostomus Deum ita loquentem introducit: *Non me pudet* De eleem. *dicere coram orbe terrarum, nudus eram, & cooperuistis me; esurivi & dedistis mihi manducare*, id est, beatissima Virgo, & S. Anna. In S. Augustino sequens sen- Ser. 44. ad tentia scribitur: *Sola misericordia hominem deducit ad* fratres in *Deum*; hanc autem mox verba sequuntur, quæ propo eremo. sito nostro mirabiliter quadrant, oimirum: *Sola misericordia Deum deducit ad hominem*: illa etenim compassio, quam S. Anoa pauperibus jugiter exhibuit, uti ego quidem existimo, effecit, ut Filius Dei in Maria ejus filia ad humanum genus salvandum adventum suum accelararet, ideoque pietas, quam S. Anna exhibuit pauperibus, *Deum deduxit ad homines*.

Ex ethimologia nominis Anna, quod idem est quod gratia, varię circa abundantem, qua Sancta hęc locupletata fuit, gratiam, consequentiæ eliciuntur.

DISCURSUS QINTUS.

Gratia super gratiam mulier sancta. Eccl. c. 26. v. 19.

1 CRedibile est, quòd Spiritus sanctus, qui sponsus est beatissimæ Virginis, in laudem magnæ suæ matris ante tot elapsa sæcula Ecclesiastico specialiter inspirarit, ut de ea divinum hoc conscriberet oraculum: *Gratia super gratiam mulier sancta*. Gratia etenim cœlestis in magna copia depluit super gratiam, id est, super S. Annam; ita enim nomen ejus sonat. Undè S. De laud. Joannes Damascenus in lectionibus hodiernæ festivita Virg. tis ait: *Gratia, nam hoc sonat Anna vocabulum*. Et S. Epiphanius quoque ait: *Anna gratia interpretatur*; undè ei ad literam verba hæc applicare possumus. Quòd si S. Ambrosio de Sancta Agnete dicere licuit; *Quid dignum ea loqui possumus, cujus ne nomen quidem vacuum est luce laudis*; cur non licebit nobis idem prorsus de hac sancta Matre asserere, *cujus ne nomen quidem vacuum est luce gratiæ*? Ecclesia in Graduali hunc eiversiculum adaptat: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum*. Ubi Hugo Cardinalis hanc glossam addit: *Diffusa, id est abundanter data*, & meritò; quia illam paritura erat, cui tanquam Matri divinæ gratiæ omoia retro sæcula pendere debebant agnitionis tributum. *Maria mater gratiæ, propterea unxit te Deus in æternum*; quia si per hanc benedictionem fœcunditas intelligatur, clarum est quod Deus illam excellentissimè benedixerit: siquidem Deus hanc ei filiam tametsi unicam & solam dando, oumerosissimam quandam ei prolem donasse censetur. *Fuit mater cunctorum viventium*.

2 *Gratia super gratiam mulier sancta*. In Breviario Gallicano hæc verba in ejus laudem conscripta leguntur: *Anna in terris conversatione, sanctitate vitæ, morum honestate se exhibuit paradisum Dei*. Enimvero majus & excellentius de ejus gratia, & sanctitate testimonium edi nequit, quàm si ipsa per mores & vitæ conversationem, virtutes & perfectionem, veluti paradisus quidam fuisse dicatur; hic etenim quoddam est sanctitatis & gloriæ unicum receptaculum, neque huc aliæ animæ præ-

terquam quæ gratiis cœlestibus fuerunt locupletatæ, ingredi possint. Idipsum quod in aliis sui sexus opprobrium & maledictio æstimabatur, & consequenter defectui amicitiæ & benevolentiæ Dei adscribi poterat, in ipsa per erroris nesciam divinam providentiam ad majoris gratiæ incrementum causandum dispositum erat; ejus namque sterilitas, quam tot annis sustinuerat, ad superhumanum filiæ suæ partum præparandum ordinabatur, tanquam effectus gratiæ potiùs quàm naturæ. Undè
Orat. cit. sanctus Joannes Damascenus ait: *Natura gratia cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens; quoniam itaque futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo ex Anna oriretur, natura gratia fœtum antevertere minime ausa est; verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* Sanctissimæ Virgini verba illa Psalmi com-
Psal. 86. 1. muniter applicantur: *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; quod idem est ac si diceretur: genitores ejus, qui ob sublimitatem, & eminentiam perfectionis ipsorum per hosce montes denotabantur, jam sanctos fuisse. Nicephorus Callistus de Maria ex sterilibus genitoribus nata
Lib. 1 c. 7. ita scribit: *Inventa est B. Virgo Mariæ dignum, Deumque decens Verbi domicilium, etiam ante nativitatem Deo consecrata, atque ex membris senilibus, & longe à natura fervore alienis, tanquam quidam divinitus datus fructus*: non tam naturæ, quàm divinæ gratiæ fructus fuit. Porrò Pater æternus sanctæ Annæ congruè dicere potuit: *De fructu ventris tui ponam super sedem meam*; siquidem Christus ad Patris dexteram sedens sacratissimam humanitatem suam aliqualiter à sancta Anna traxisse dici potest: siquidem hæc ei à Maria Virgine subministrata fuit, cui sancta Anna corpus subministravit, *diffusa est gratia in labiis tuis*, quæ verba, ut diximus, Ecclesia ei adaptat. Hugo Cardinalis eadem de Incarnatione Filii Dei explicat: *In labiis, id est, in osculo, quo nos osculatus est carnem suam sumendo, & nostram naturam sibi uniendo.* Igitur, ut diximus, Christum illa carne vestivit, quæ fructus ventris sanctæ Annæ fuit, ab ea lactatus & enutritus.

Matt. 7. 16. 3 *Mulier sancta.* Propositio ab incarnata Sapientia dicta hæc est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; etenim quisquis in notitiam bonitatis, & vigoris alicujus venire desiderat, oculos suos ad fructum arboris illius directum habeat, eodem modo quisquis sibi formare contendit dignum sanctitatis sanctæ Annæ conceptum, fructum, quem ad totius humani generis utilitatem progerminavit, aspiciat, *Benedictus fructus ventris tui.* *Profecto* (inquit sanctus Joannes Damascenus ad ambos sanctos hosce conjuges) *ex ventris vestri fructu cognoscimini; ex fructibus eorum cognoscetis eos.*
Num. 13. Lanspergius in quodam sermone suo in laudem Sanctæ nostræ ita scribit; *Quis enim de sanctitate hæsitet Annæ, nisi qui dubitet quoque de beatissima Mariæ sanctitate.* In notitiam abundantiæ & fertilitatis terræ promissionis venire volentibus sufficiebat botrum illum uvæ indè allatum in hasta quadam ad suos transferre; q. d. *Terra*
Num. 13. 28. *hæc vere fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest.* Porrò Virgo vitis illa fuit, quæ botrum illum pro-
Cant. 1. 13. duxit, de quo in sacris Canticis scribitur: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, ipsa verò hoc vitis titulo à Sapiente his verbis denominata fuit: *Ego quasi*
Eccl. 24. *vitis fructificavi.* Ecce tibi veram illam, sed mysticam promissionis terram, quæ lac illud scaturit, quocum hanc suam filiam lactavit; vel ut melius dicam: *Terra hæc verè fluit lacte & melle*, id est, ab ea dimanant dona, virtutes, & cœlestes gratiarum thesauri, qui in magnam hanc & eminentem animam, quæ cœlorum Reginam paritura erat, abundanter infusi fuerunt. *Gratia super gratiam mulier sancta.* Sanctus Thomas Aquinas Doctor Angelicus, ut quoad cœlestium gratiarum abundantiam, quæ in Mariam depluit, aliquam deduceret consequentiam, hasce priùs posuit præmis-
3. par. q. 27. art. 5. sas: *Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, & ideo præ cæteris majorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* Et quidem ex iisdem motivis nos quoque magna cum probabilitate asserere possumus, quòd ex quo sancta Anna inter omnes alias creaturas filiæ suæ propinquior fuit atque conjunctior, hæc autem gratiæ distributionem pro suo arbitrio faciendam sibi à Filio suo commissam acceperit, atque insuper præ cunctis aliis, quæ in paradiso sunt, animabus beatis, majoribus gratiarum thesauris cumulata & locupletata fuerit, merito de ea dicatur: *Gratia super gratiam mulier sancta.* Undè Lanspergius ait: *Beatissima ejus filiæ Mariæ credimus conceptionem adeo sanctam, ut tota fuerit pulchra; tota munda, tota absque peccato, & ab omni macula aliena; & eam, quæ hanc concepit, non credemus sanctam?*

4 *Mulier sancta.* Dignissima sunt verba illa, quæ in hodiernæ festivitatis communi oratione dicuntur, nimirum: *Deus qui beatæ Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis Filii tui Mater effici mereretur*; ac si clariùs diceret: quòd divina omnipotentia ipsam matrem Mariæ effecerit, eamque ut tali filia digna esset, adaptaverit, tantam mihi admirationem nequaquam parit, at verò quod per gratiam illi se datam capax & digna facta fuerit, quæ mater Genitricis Dei fieret, hinc liquidò arguere licet, quanta cum abundantia hi thesauri in ipsam de cœlo depluerint, utpotè quæ mater fuit talis filiæ, quæ in cunctis sæculis futura erat thesauraria omnis gratiæ. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*, dicitur in axiomate philosophico. Psalmista dicit: *Sustinentes autem Dominum ipsi hæredi- Psal. 36. 9 tabunt terram*; hæc autem terra utique non est alia, quam illa, de qua alibi idem Propheta dicit: *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob*, Progenies Jacob, id est, populus Dei electus in servitute infernali detinebatur captivus, donec ros cœlestis in terram virginalem delapsus eandem irroravit: *Domi- Psalm 84. nus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum; rorate cœli desuper, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Quæ verba Hugo Cardinalis interpretatur de Nativitate Mariæ, quæ Filium Dei felicissimè peperit; Hanc autem adeo fœcundam terram sancti Joachimus & Anna per passionum sive patientiæ suæ merita hæreditate sibi compararunt: *Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram*; quot enim annis sterilitatem suam afflicto corde duxerunt, tot eos Deus consolationibus denuò evexit, ut quilibet eorum Deo dicere potuerit: *Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*; siquidem talem nacti sunt filiam, quæ cœlum pariter, & terram lætificatura erat. Porò priusquam sanctæ Annæ verba illa applicarentur: *Diffusa est gratia in labiis tuis*, jam ei anteà illa Canticorum verba conveniebant: *Labia ejus distillantia myrrham primam*; cum enim hæc amara sit, ipsa quoque diuturno tempore continuæ cujusdam afflictionis amaritudinem gustavit, utpotè quæ non solùm improlis erat, verum insuper affligebatur ludibriis, & ab unoquoque digito demonstrata sannis infestabatur, haud secus ac si propter transgressiones & criminosam vitam, omni prole à Deo censeretur indigna; undè amarè plorans vivebat solitaria, tametsi divinæ voluntati magis magisque se semper conformiorem facere studeret. Dicere proindè poterant: *Fa- Psalm. 7. cti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt*; nec tamen ob id à divino servitio desistebant, imo in eodem continuò magis inservescentes perseverabant. B. Laurentinus Justinianus de perseverantia tractans sic eam nominibus appellat: *Cœli janua, paradisi porta*; iisdem vero titulis beatam quoque Virginem honoramus, dum ipsa à nobis in Li- Cap. 4. tania vocatur *Janua cœli*, & in ejus Assumptione canit sancta mater Ecclesia: *Paradisi porta per ipsam nobis aperta sunt.* Ecce tibi igitur qualiter B. Virgo perseverantiæ sanctorum horum genitorum in divino servitio fructus & partus extiterit; quia tametsi secundùm discursum & rationes humanas omnem debuissent spem prolis abjicere, ad imitationem tamen sancti Patriarchæ Abrahæ. *Crediderunt in spem contra spem.* Sanctus Libr. 10 Gregorius ait: *Tantò in Deum spes solidior surgit, quan- Mor. c. 13. tò pro illo quisque graviora pertulerit.* De hisce autem conjugibus S. Vincentius Ferrerius ait: *Viginti annis fuerunt sine prole*; atque insuper idem Sanctus multa sancta opera refert, quibus continuò dediti erant, nimirum eleemosynas, orationes, hospitalitatem, jejunia, solitudinem, & tamen intentum suum minimè obtinentes non desistebant, quin potiùs spes illorum majorem quotidie vigorem sibi acquirebat, *sed quia habuerunt patientiam in verecundia sibi facta à sacerdote*, qui ipsos veluti indignos, unà cum oblationibus suis, è templo ejiciebat, *statim habuerunt promissionem, & obtinuerunt habere prolem. Patet ergò quod qui vult aliquid obtinere à Deo, plus valet patientia quam aliud.*

Hinc

Hinc igitur Sanctæ Annæ sanctitatem arguere licet, utpotè quæ in hac virtute adeo fundata, & habituata erat, quæ ex Spiritus sancti testimonio *Opus perfectum habet*. Quid igitur nunc superest, nisi ut illam iis verbis invocemus, quæ in libro Judith recensentur: *Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es*? Neque enim dubitare fas est, quin intercessio ipsius apud Salvatorem sit efficacissima; potest enim filia ejus quicquid vult apud Deum, ex alia vero parte nulla apud filium creatura gratior aut majoris authoritatis esse potest ejus Genitrice, id quod nobis verba orationis præsentis festivitatis clarè insinuant, quibus Ecclesia Deum ita rogat: *Concede propitius, ut cujus solemnia celebramus, ejus apud te patrociniis adjuvemur*.

Jac. 1. 4.

Judith. 8. 29.

DE FESTO

SANCTI PETRI IN VINCULIS

Discursus Quinque.

Discursus I. de Catenarum & Vinculorum Sancti Petri ab Ecclesia tantoperè honoratorum gloria tractatur.

Discursus II. Occasione illorum verborum Psalmi: Dirupisti vincula mea &c. variæ de vinculis S. Petri, & de festi institutione considerationes instituuntur.

Discursus III. Per solutas S. Petri catenas, ejus circa remissionem peccatorum vincula denotatorum fuit figurata potestas; significant etiam vincula idololatriam, à qua unà cum Roma universum mundum liberavit, idque fecit, dum illa Christi legi adstrinxit.

Discursus IV. De catenis interioribus & spiritualibus, quibus Sanctus Petrus adstrictus non timebat carcerem.

Discursus V. S. Petrus incarceratus, animæ in peccato existentis figura fuit, cui cœlestia sunt subministrata auxilia, quibus mediantibus à peccatis resurgat, id quod per hujus festi Epistolam demonstratur.

De catenarum, & vinculorum Sancti Petri ab Ecclesia tantopere honoratorum gloria tractatur.

DISCURSUS PRIMUS.

Ceciderunt catenæ de manibus ejus.
Act. Apost. cap. 12.

1 TAmetsi verum sit, quòd catenæ, quæ in tyranni carcere manus Petri stringebant, in terram prolapsæ fuerint: *Ceciderunt catenæ de manibus*; attamen non minus quoque veritati congruit, quod eædem catenæ per felicem quandam metamorphosin in paradisi claves transmutatæ ad ipsum usque cœlum evectæ fuerint; cùm enim catenæ à manibus quas vinxerant, in terram collapsæ, spiritualium vinculorum absolutionem, id est, culparum veniam & remissionem, quæ ad solum Petrum, spectat præsignificent, meritò vincula a Petri manibus soluta cum cœlestis regni clavibus à Doctoribus comparantur, utpotè quæ cœli portas pœnitentibus aperiunt, juxta illud: *Solve jubente Deo terrarum Petre catenas, qui facis ut pateant cœlestia regna*. Porrò catenarum harum præconia & mysteria nonnihil examinemus, siquidem in earundem honorem præsentis diei festivitatem hodie concelebramus.

2 Hæ catenæ è Petri manibus ideo ceciderunt, ut à nobis veluti catenæ aureæ, imo ex gemmis & margaritis inæstimabilibus contextæ eleventur, & reverenter excipiantur, indeque Christianismus in tribus celebrioribus totius mundi civitatibus, Hierosolymis videlicet, Constantinopoli, & Romæ locupletetur. Hierosolyma enim, quæ pretiosissimorum thesaurorum Ecclesiæ, id est, sacrarum Reliquiarum ærarium, Christianæque religionis sanctuarium erat, ab Eudoxia Imperatrice Theodosii Imperatoris conjuge, tum variorum monasteriorum erectas sumptuosissimas fabricas, tum etiam mœnium suorum desolatorum restaurationem multis magnisque beneficiis affecta, pro hisce aliisque ab illa receptis beneficiis, & gratiis particularibus gratam se exhibere volens, opulentiori dono, majorique the auro ejusdem munificentiæ correspondere nescivit, quam ferrum duarum catenarum, quibus Sanctus Petrus in Herodiano carcere adstrictus fuerat, eidem donando; de his namque S. Augustinus scribit: *Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum*. In libro primo Paralipomenon legitur quod argentum & aurum à Davide pro templi fabrica præparatum ad computum scutorum nostrum redactum ascendat ad 1440. milliones argenti, & 1683. milliones auri; nec tamen inexhausta hæc metalli pretiosissimi massa proportionem aliquam habuit cum harum catenarum ferro: siquidem totum hoc aurum, & argentum unico tantùm templo adornando adhibitum fuit; at vero in harum catenarum obsequium & honorem tanta auri, & argenti quantitas coacervata fuit, ut indè non unum, sed plura sumptuosissima templa erecta fuerint, adeoque ut huic ferro debitum reddatur obsequium; templa & erectæ domus Dei servire debent, in quibus ingentes ad unius catenæ cultum & venerationem thesauri consumuntur. Hoc catenarum ferrum à manibus Petri in carceribus vincti in terram collapsum, carceris custodes (interiùs, ut verisimile est à luce superiori illuminari, maximè cùm *lumen refulserit* in carcere, & Scriptura dicit, & S. Germanus, vel ut alii volunt, Proculus, testantur) levarunt, & è terra levatum clam absconderunt, *& apud seipsos velut thesaurum conservarunt*. Et quidem eodem thesauro encomio S. Alexander Papa & martyr hasce catenas honoravit; cùm enim S. Balbinam vincula ejus, quibus ob fidem Christi constrictus in carcere jacebat, osculari velle videret, eidem persuasit hunc cultum vinculis & catenis S. Petri potiùs reddere, earumque venerationi omni studio se devovere; quod cùm adimplesset, coram iisdem vinculis per obsequiosam devotionem prostrata in affectuosa hæc verba prorupit: *Benedictum sit nomen tuum omnipotens Deus, qui per famulum tuum Alexandrum mihi ancillæ tuæ thesaurum spiritualem indicasti*. Adhæc cùm hoc catenarum S. Petri ferrum in persona comitis illius, qui Ottonis Imperatoris aulicus erat, celebre illud patrasset miraculum, cujus in lectionibus Matutini hodiernis fit mentio, contigit id quod Cardinalis Baronius hisce verbis scribit: *Qua catena Theodoricus Metensis Episcopus arrepta, cum diceret se eam nisi manu ejus abscissa non dimissurum, tandem Imperator sedato litigio à Papa Joanne obtinuit ut annulum hujus catenæ exsectum Episcopus mereretur*. Ecce tibi qualiter sanctus hic Episcopus pluris unicum hujus ferri Petrini annulum, quàm annulum suum Episcopalem aureum & gemmeum, imo quàm propriam suam dexteram æstimarit; ecce item qualiter pro modica hujus catenæ parte comparanda grave inter duos mundi monarchas, secularem scilicet & ecclesiasticum exoriatur litigium, necessariumque sit ut ipsemet Imperator preces suas interponat, ad hoc ut urbs Romana unico tantùm hujus ferreæ catenæ annulo privari se sinat. Tertullianus scribit: *Aliquando revera inventum est, quomodo & aurum non ametur*; id quod vel maximè in comparatione ad hasce catenas verum esse conspicitur: quia, uti ex S. Augustino audivimus. *per omnes Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud*, adeo ut summi Pontifices Principibus, Regibus & Imperatoribus per donum aliquod inæstimabile & supremæ venerationis gratificare volentes, in aureis quibusdam clavibus modicas aliquas hujus catenæ limaturas reponere, easque donare soleant, ut illas dono eis data ad collum suspensas portent, undè Annales Ecclesiastici dicunt, *Ex illis tenuia ramenta Christianissimos Principes ad collum religionis causa gestare consuevisse*. Et quidem nunquid ad hoc propositum aptissimè servire videtur illud in Jeremia, licèt in alia quadam occasione conscriptum, divinum oraculum? *Fac tibi vincula, & catenas, & pones eas in collo tuo, & mittas eas ad regem, &c.* Per hasce verò vinculorum, & catenarum Petri limaturas, ex devotione erga hunc Apostolorum Principem ad collum suspensas suam optimè erga sanctam hanc se-

Paral. 2.

An 969.

De hab mot cap 9.

An 69. nu. 30

Jer. 27. 2.

dem

dem protestabantur subjectionem & obedientiam, dum se continuo per catenas sancti Petri ad collum suspensas perpetua se esse profitebantur sanctæ Romanæ reverenter subdita mancipia. Profectò si Eudoxia Imperatrix omni auro quod è Peruanis aurifodinis eruitur, urbem Romanam locupletasset, sanctæ sedi Apostolicæ cum tanta opulentia nequaquam thesaurizasset, quam per harum catenarum donum, siquidem *intulit Latio vincula, quæ solvunt peccatorum ligamina; quæ jam non ligent justum, & sanctum, sed ab omni impietate solvant impium*. Per adhibitos totius mundi thesauros, ne quidem unicus eorum catenarum annulus dirumpitur aut frangitur, quæ nos Dæmoni propter culpam adstrictos mancipia efficiunt mortis & inferni: at verò vix hæ Petri catenæ hominibus adhibentur, quin sancta mater Ecclesia exclamet: *Solve jubente Deo terrarum Petre catenas*.

3 Verum enim verò quis unquam lingua vel calamo sufficienter pro dignitate immensam illam, omnisque exempli expertem gloriam exprimere poterit, qua Imperatores catenas illas, quæ S. Petrum strinxerunt, tum Romæ, tum Constantinopoli sumptuosissimas erigendo Basilicas, honorarunt: Deo ita complacuisse videtur, ut hisce catenis quæ suum in terris Vicarium strinxerunt, nonnullæ concederentur prærogativæ, quæ aliàs sacratissimo Crucis Christi ligno conveniebant. Etenim sancta Crux à S. Helena Constantini Imperatoris matre huc Romam allata fuit: hæ autem catenæ per manus alterius cujusdam Imperatricis, Eudoxiæ videlicet in hanc eandem civitatem pariter adductæ fuere. Præterea sancta Helena unam Crucis Christi partem Hierosolymis reliquit, in ejus honorem Ecclesiam quandam ibidem ædificando, alteram verò partem adduxit, ubi pariter ab illa erectum est templum, quod hodie sanctæ Crucis in Hierusalem appellatur. Eodem modo postquam Eudoxia Imperatrix duas sancti Petri catenas dono sibi datas accepisset, unam illarum Constantinopoli reliquit, ubi prædivitem & devotam pro iisdem conservandis erexit Ecclesiam, alteram verò Romam detulit, quæ pariter sumptuosissima Basilica ad eorundem vinculorum gloriam & venerationem fabricata honorari meruit: Enimvero magnam observo quoad situs & loca, in quibus hæ Ecclesiæ erectæ fuerunt, differentiam; nam Ecclesia sanctæ Crucis eo in loco fabricata fuit, in quo olim templum Veneris conditum fuerat: & merito quidem, nam sicut idolum istud in eodem loco erectum fuit, in quo magnus ille sanctæ Crucis thesaurus sepultus latebat, ideoque cultum sanctissimæ Cruci debitum usurpaverat, ita quoque justum erat, ut idem ille Crucis thesaurus non solum simulachrum sed & templum Veneris conculcaret, & sibi substratum haberet, Crucisque gloria super ejus erigeretur ruinis. Ubi vero ex increatæ Sapientiæ dispositione templum sancti Petri in Vinculis ædificatum fuisse existimatis? In eo nimirum loco, in quo antea vetus curia condita cernebatur, in quo Senatus Romanus congregabatur, omniaque mundi gravissima negotia agitari consueverant; in hoc, inquam, loco in harum catenarum honorem hæc erigebatur Ecclesia, cum enim inter omnia humana negotia nullum esset magis arduum venia & remissione peccatorum; siquidem *In multis offendimus omnes*, ex peculiari Divinæ sapientiæ consilio Ecclesiam hanc in loco adeo conspicuo & digno situari voluit, quia ad hæc vincula, seu quod idem est, ad clavium sancti Petri potestatem, veluti ad rem ardentissimam totus recurrit orbis terrarum, ut vinculorum illorum absolutionem obtineat. *Quis dubitet Eudoxiam gaudio tripudiasse non minori, cum agnovisset catenas Petri, quam Helenam cum diu desideratam vidisset Crucem Domini*? In Bibl SS. Patrum. Inventionis sanctissimæ Crucis peculiare celebratur festum & officium: De vinculis Petri pariter ultra solemnitatem, quæ de eis Romæ magnificè peragitur, peculiare quoque officium à cunctis mundi fidelibus celebratur. Olim festum hoc Constantinopoli 16. Januarii celebrabatur; hic autem in tota Ecclesia latina in hodiernum diem repositum fuit, eo quod dies ille in toto anni circulo apud Romanos celeberrimus haberetur.

4 Verissimum equidem fuit semper Divinum illud oraculum, quo dicitur: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*. Gloria autem, quam S. Petrus Christo reddidit in eo consistit; quod ipse tanquam Religionis & gregis Christiani supremus vertex & caput in principio nascentis Ecclesiæ in persona Herodis fidei nostræ persecutoris omnibus totius mundi tyrannis fidem & bellum denuntiavit, utpotè qui non solum vincula, catenas, carcerem imo mortem ipsam pro ejusdem fidei defensione ex amore Redemptoris sui sustinendam non timebat, verum etiam in vinculis constrictus impensè gaudebat, ideoque in carcere dulci & quieto somno perfrui poterat: *Erat Petrus dormiens*. Cardinalis Baronius refert Agrippam, qui sub Tiberio Imperatore in carcerem conjectus fuerat, à Claudio in pristinam remissum fuisse libertatem, simulque ab eodem Judææ Regem declaratum fuisse; qui mox ut in Judæam venit, *Catenam auream à Cajo donatam pondere parem illi ferrea, quæ regias manus vinxerat, monumentum adversa fortuna mutata in prosperam suspendit in sacrario super gazophylacium*. An. 43 n. 7. Ecce hic tibi gloriam quam Deus noster catenis ferreis non Regis, sed piscatoris cujusdam communicavit, siquidem Deo visum fuit, non sufficere quod catenæ illæ in sacris templis anathematis loco suspensæ cernerentur, verum insuper in earundem honorem templa sumptuosissima erigi fecit, easque licet ferreas pluris æstimari etiam ab ipsismet Regibus Imperatoribus, sanctisque Pontificibus voluit; quam si aureæ fuissent, aut gemmeæ; hoc namque ferrum apud omnes Martyres aliosque fideles omnes eam habuit efficaciam, ut ad Petri imitationem deinceps in sæculis subsequentibus cum heroica generositate innumera supportarint supplicia pro Christo, & pro cœlo acquirendo. In hisce catenis & carcere Petri adimpletum esse videmus, quod hisce verbis scribit S. L. 3. e p. 25. Cyprianus: *Ornamenta sunt ista non vincula, nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam*. Hæc vincula ad Petri, successorumque ejus vertice triplicatum illud pretiosumque diadema stabilierunt, atque firmarunt: *In vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum Regni*; vel etiam cum Sap. 10. 14. Ecclesiastico dicere possumus, *quod de carcere catenisque egressus sit ad Regnum*. S. Augustinus quoque horum Eccl. 4. 14. vinculorum Petrum constringentium gloriam admirans, Serm. 29 de sanctis. illa felices & fortunatos appellat catenarum nexus: *Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes Martyrem reddiderunt*. Chrysostomus curiosam nobis proponit quæstionem, & dicit, dic sodes quod si Petro data fuisset optio, ut vel Angelus fieret, qui Petrum a vinculis solvit & liberavit, vel Apostolus manere pro Christo vinctus & catenis onustus, quidnam ex duobus ipsum electurum fuisse existimas: *Si mihi quispiam dixisset, elige utrum velis*, Hom. 8. in ep. ad Ep. *vis esse Angelus Petrum solvens, an Petrus vinctus*? Non dubito, quin unusquisque hic crediturus fuisset, quod Petrus potius desiderasset, esse liberator & Redemptor Petri, quam catenis illis constrictus esse, maximè ut infinitum quoddam sibi compararet meritum Ecclesiæ, tunc periclitanti subveniendo, ejusque Pastorem libertate donando: An non ita censetis, & tamen respondet: *Petrus utique esse maluissem*; redditque hanc rationem, quæ in specialem vinculorum, id est, passionum pro Christo toleratarum gloriam cedit, & dicit: *Majus hoc vinculorum donum est, quam Solem sistere, aut mundum movere, aut dominari Dæmonibus*, Sanctus Ignatius Loyola cujus heri festum celebravimus per calumnias & imposturas carceri mancipatus, semetipsum per hosce jubilo plenos affectus consolabatur, dicens, *Nescitis quam felix, & quam gloriosum sit vinciri pro Christo, non sunt tot compedes in urbe, quin ego plures ferre pro Christo desiderem*.

Occasione illorum verborum Psalmi: *Dirupisti vincula mea, &c.* Variæ de vinculis S. Petri, & hujus festi institutione, considerationes adferuntur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Psalm. 15. vers. 17.

1 Dio perplexus hæsi an verba propositi thematis mysterio, quod hodierna die celebratur, apte conveniant, an verò secus; & quidem motivum dubii mei in miraculo fundatur, quod accidit, non

per

per rupturam ſed per connexionem vinculorum Sancti Petri, nam ut in matutino legimus, cum Eudoxia Imperatrix catenam ſibi ab Imperatrice matre ſua miſſam, qua ſanctus Apoſtolus ab Herode vinctus fuerat Papæ oſtendiſſet, *is viciſſim illi monſtravit alteram catenam, qua Nerone Imperatore idem Apoſtolus fuerat conſtrictus; eam igitur Pontifex Romanam catenam cum ea, quæ Jeroſolymis allata fuerat, contuliſſet, factum eſt, ut illa inter ſe ſic connecterentur, ut non duæ ſed una catena ab eodem artifice confecta eſſe videretur.* Et quidem, ni fallar, Deus noſter per hoc denotare voluit, quod Petro, & ſucceſſoribus ejus mediantibus duo populi adeò inter ſe diſſidentes, ſub una duntaxat lege & amoris vinculo uniendi & conjungendi eſſent: Eph. 2. 21. unde Apoſtolus ad Epheſios ſcribit: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum:* vel etiam cum catena Conſtantinopoli veniens Eccleſiam Græcam ſignificet, ea verò quæ Romæ reſidebat latinam Eccleſiam denotaret, per hanc utriuſque connexionem & unionem ambarum Eccleſiarum ſubjectionem qua Petrum tanquam unum utriuſque caput reſpiciunt, denotabat; fuitque miraculum iſtud fortaſsè præfiguratum in mandato Moyſi à Deo præſcriptum, quando ſummi Sacerdotis & Pontificis veteris teſtamenti ornamenta eidem præſcripſit, & Ex. 28. 31. deſcripſit, dicendo: *Facies in rationali catenas ſibi invicem cohærentes ex auro puriſſimo?* & quidem licet hæ catenæ ferreæ ſint, aureæ tamen dici poſſunt, tum quia de catena Jeroſolymitana dicitur: *Inſigne donum accepit ferrea catenea auro gemmiſque ornata:* tum quia ut præcedenti diſcurſu vidimus hæ catenæ ferreæ quovis auro, imo quovis opulentiſſimo theſauro pretioſiores eſſe cenſentur.

2 Veruntamen, ut verum fatear, illa Davidici oraculi verba in præſenti themate adducta, huic feſtivitati propriiſſima eſſe credo; cum enim Petrus in ſucceſſoribus ſuis loquatur, & operetur; omnino mihi perſuadeo, quod hodie ad Deum converſus dicat: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, quæ verba ſanctus Remigius ita legit: *Dirupiſti vincula mea, ne me invincularent inimici:* conſtat enim Petrum apertè confeſſum fuiſſe, *miſit Dominus Angelum ſuum, & liberavit me;* quippe *ceciderunt catenæ de manibus ejus. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, ut gratus*, inquit Gloſſa. Albertus Magnus hunc textum interpretatur, dicendo, *Tibi ſacrificabo hoſtiam de gratiarum actione*, quanta enim futura fuiſſet gregis Chriſtiani in primis ſuis principiis diſperſio, ſi ei Paſtor ſuus fuiſſet ereptus, quid enim inde mali ſequatur, hæc verba indicant: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves*, atque ideò Mat. 26. 31. convenientiſſimum fuit, ut Eccleſia in omnibus ſæcu- An. 44. n. 6. lis gratias Deo noſtro referret, quando, ut Baronius ait, Petrus in libertatem aſſertus fuit; *ut ſic liber Paſtor relictus ſolicitum de ſe gregem inviſeret;* at verò *hoſtiam de gratiarum actione* offerre convenit, quia per hanc vinculorum Petri diſſolutionem ſtabilita fuit Chriſtiana religio, dataque fuit Petro ſuprema poteſtas omnes mortalium rumpendi & frangendi catenas, unde Arator ſubdiaconus libro undecimo Carminum ita ſcribit.

Manet omne per ævum.
Pignoris hujus apex & ſyderis obtinet inſtar
Corpore, quod Petrus ſacravit; & Angelus ore
His ſolidata fides, his eſt tibi Roma catenis
Perpetuata ſalus, harum circumdata nexu
Libera ſemper eris; quid enim non vincula præſtant
Quæ tetigit, qui cuncta poteſt abſolvere.

Enimvero quis non videt, quam multa, & ingentia ſint beneficia, quæ toti Chriſtianiſmo ab hiſce vinculis reſuſcitarunt? Baronius anno 439. hanc eis laudem attribuit: *Fontes è quibus fideles innumera hauriunt jugiter beneficia*, ideoque meritò ſanctus Petrus in ſuis ſucceſſoribus Deo dicit: *Tibi ſacrificabo ut gratus hoſtiam de gratiarum actione*, vel etiam *hoſtiam laudis*, id eſt, ut Albertus Magnus inquit, *laudem oris tanquam hoſtiam;* in pluribus namque ſacræ Scripturæ locis laus Ps. 49. 23. Deo data, hoſtia denominatur: *Sacrificium laudis ho-* Heb. 13. *norificabit me*, & Apoſtolus ait, *Offeramus hoſtiam laudis*. Porrò hoc ſacrificium Eccleſia hactenus à tot ſæculis Deo offert, non ſolum per incruenta ſacrificia, quæ in horum vinculorum honorem hodie offeruntur, verum etiam per officii divini celebrationem, ac proinde ſequitur in textu, *Et nomen Domini invocabo, vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus in atriis domus Domini*, id eſt, ut ait ſanctus Remigius, *in Eccleſiis*, in omnibus namque Eccleſiis Petri ab hiſce catenis liberati memoria celebratur, dum ab omnibus univerſim populis fidelibus feſtum hoc per ſolemnia divina officia peragitur? verum enimverò quonam motivo hic dies potius ad vincula hæc honoranda, & veneranda electus fuit quàm omnes alii totius anni, ſiquidem neque hoc die, neque hoc anni tempore ſed in Paſchate hæc ab Herodis poteſtate liberatio acciderit; ſciendum eſt igitur Romanos hoc die, quæ prima eſt Auguſti ſpecialius ludis, feſtis, ſpectaculis, aliiſque lætitiæ demonſtrationibus deditos fuiſſe, ecce igitur quouſque fidelium devotio excreverit: *Honos qui eo die* In Lect. *profanis gentilium celebritatibus tribui ſolitus erat, Petri vinculis haberi cœpit*, ut hac ratione hæc feſta profana in ſpiritualia tranſmutarentur harum catenarum obſequia, magiſque per hujus diei ſingularitatem honorarentur, utpotè qui ex pluribus capitibus, præcipuè verò duobus ſolemniſſimus erat, primo quod olim hodierna die Martis templum conſecratum eſſet, *Quæ* Jo. Roſin. *equeſtria certamina Calendis Auguſti exhibentur; inſtitut.* Ro. Ant. *ſunt propterea quod ea die Martis ædes conſecrata fuit:* lib. 3. c. 16. ſecundum hujuſce feſtivitatis motivum erat, quod hoc die Auguſtus olim conſul creatus fuiſſe, multaſque reportaſſet ea die victorias, atque ideo meritò hic dies Petri honoribus dedicatur, ſiquidem is haud dubiè erga Romam longè beneficentior Matre fuit, ſuumque in ejus ab omnibus perſecutoribus, terræque, & inferni tyrannis defenſione invictum robur ſæpius demonſtravit, juxta promiſſionem ei quondam à Deo exercituum factam, *Portæ inferi non prævalebunt adver-* Mat. 16. *ſus eam*. Etenim incredibile eſt, quot ſanctus Petrus ad magis in hac urbe ſtabiliendam Monarchiam Apoſtolicam victorias, & triphæa reportarit. Porrò ſanctum Petrum ab Herodis carcere egreſſum fuiſſe, nec vilitati nec fugæ attribuendum eſt, audite enim, quomodo hunc è carcere exitum Annales Eccleſiaſtici glorioſo nomine decorent, dum ajunt: *Angelus Petrum è carcere non* An. 44. 9. *ad fugam ſed ad triumphum velut educens;* verum inquies fortaſſe, quiſnam hic triumphus erat, quænam victoria? quinam fuere inimici, quos debellavit? nimirum catenæ quæ de manibus ejus rumpebantur, libertatem figurabant filiorum Dei, quàm omnibus fidelibus animabus communicaturus erat, eaſdem à Sathanæ tyrannide, nec non peccati ſervitute liberando: Porrò triumphus erat is, quem de fidei inimicis & perſecutoribus, imo ipſomet inferno reportavit, unde idemmet Arator ponderans, quod Porta ferrea *ultra aperta eſt ei*, ita canit.

Ferrea, quid mirum, ſi cedunt oſtia Petro,
Quem Deus æthereæ cuſtodem deputat aulæ,
Eccleſiaque ſuæ faciens retinere cacumen,
Infernum ſuperare jubet?

3 Dionyſius Carthuſianus in ſerm. 1. de hodierna Ser. 1. die 1. feſtivitate ita nos exhortatur: *Hanc itaque feſtivita-* Auguſti. *tem agamus, & ſanctum invocemus Apoſtolum, quatenus, ſicut ipſe per Angelum, de captivitate, & catenis Herodis eſt liberatus, ſic Deus per preces ejus ac merita, de captivitate Diaboli, atque à vinculis vitiorum nos liberare dignetur*. In orat. de hoc feſto, ſive illa Germani ſit, ſive Proculi de hiſce vinculis ita ſcribitur: *Ab his dæmonum pravi ſpiritus illigati enecantur, ab his princeps mundi hujus captivus ducitur*. Comes ille Ottoni Imperatori adeo charus, multa tentarat remedia, quibus à dæmonibus liberari poſſet, à quibus adeo truculenter cruciabatur, ut propriis ſeſe dentibus ſæpè laniare contenderit, tandem *Juſſu Imperatoris ad Joannem Pontificem ducitur, qui ut ſacra catena Comitis col-* An. 44. 6. *lum attigit, erumpens nefarius ſpiritus hominem liberum reliquit*. Audite obſecro, quibuſnam titulis hæc vincula à Cardinali Baronio honorentur: *Cujus vincula velut nobiliſſima victoria glorioſa trophæa omnium* An. 43. 9. *ferè ſanctorum Patrum egregiis celebrata præconiis, in Eccleſia ſunt perpetua memoria conſecrata*. Idem quoque in alio quodam eorundem annalium loco, in hæc verba de iiſdem ſcribit: *Quidni venerati eſſent homines catenarum Petri memoriam, quibus Deus eandem atque ipſi contulit in edendis miraculis adeo admirandam atque viſibilem virtutem, ut planè illud Davidicum ſit cum ſtupore canendum: Nimis honorati ſunt amici tui Deus, cum, & deteſtanda illa inſtrumenta martyrii voluerit in gloria trophæa animata converti, in quibus*

Chriſti

Christi gloria prædicetur? Denique idem in alio loco de honoribus Apostolis suis à Deo exhibitis tractans ait: An.69.nu. 30. *Non tantum sepulchra Apostolorum magno sunt honore habita, sed & ipsa Passionis instrumenta*. Ecce qualiter Scriptor hic de Ecclesiastica historia tam præclarè meritus, ab omni exaggeratione adeò alienus, adeoque in scribendo circumspectus, in hisce catenarum ferreis gloriæ trophæa agnoscat, quibus mediantibus Christi gloria prædicatur. Ulterius vero progrediendo dicit: Catenas convertit *in arma quibus invisibiles conficiuntur, & prosternuntur hostes*. Enimvero quodnam desideratis evidentius horum trophæorum testimonium, quando supracitatus sanctus Proculus sancta quadam, & laudabili ambitione invictum & victoriis inclytum Imperatorem hisce catenis, & vinculis constrictum, & onustum videre desiderat? *His catenis Imperatorem nostrum armes, munias, victoriis & trophæis corones*. Nunquid igitur hic dies jure merito à sancta matre Ecclesia per Spiritus sancti instinctum peculiariter electus esse videtur, in quo triumphorum, & victoriarum Augusti, nec non Templi Martis consecrati memoria celebratur? Quis enim Petro in vinculis constituto in victoriis atque trophæis illustrior esse potuit? Quis fabuloso Marte animosior atque audacior fuit, quam Petrus, qui cum inferno semper pugnans, victor semper evadit, deque omnibus Christi inimicis gloriosas victorias refert?

4 *Tibi sacrificabo hostiam laudis*. Dionysius Carthusianus in hoc Psalmo ad venturum Messiam alludens, illum dicere voluisse ait: *Meipsum in crucem offeram ad gloriam tuam*, id quod de sancto Petro dici posset, si hic dies martyrii sui natalitius dies esset: Melius autem Hugo Cardinalis ait: Tibi sacrificabo hostiam laudis libenter pro te patiendo, quod optimè in sanctum Petrum in vinculis hærentem quadrat, hic enim dum in procinctu ad die sequenti moriendum positus, suaviter dormiret, ac si nullam animo molestiam infixam haberet, quantum ipse pro Christo moriendi cupidus esset, satis perspicuè demonstrabat. Sequitur in textu sacro actuum Apostolicorum: *Oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo*, siquidem de arduissimo totius Ecclesiæ negotio agebatur, nimirum ut securitati capitis totius Ecclesiæ consuleretur; & tamen hoc non obstante, quod scilicet omnes alii in oratione vigilarent, eumque efficacissimè Divinæ providentiæ committerent. *Erat Petrus dormiens*, sibi namque videbatur se non in carcere, sed in triumphante & victorioso Capitolio consistere. Hunc ab eo spiritum, hancque in passione pro Christo exantlanda lætitiam sanctus Ignatius Episcopus & Martyr feliciter hæreditavit, utpotè qui eandem Antiochenam Cathedram, in quo Petrus primus omnium sederat, post ipsum gubernavit, hic enim prævidens, quod per interponendas Christianorum pro eo ad Deum orationes, ejus impediendum esset martyrium, cujus tamen subeundi causa Romam perductus fuerat, per affectuosissimas hasce preces se Christianorum cœtui recommendabat: *Utinam fruar bestiis, quæ sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere.* An.69.nu. 30. S. Petrus pariter martyrii subeundi adeò avidus fuit, ut opus fuerit, quòd Christus illum per miraculum illud, quod illi ad instar somnii sibi accidisse visum fuerat, *Existimabat se visum videre*, è Tyranni manibus liberaret, longè enim libentius & jucundius in teterrimo illo carcere, quam in Vaticano degebat, manibus suis ferreas illas catenas multò libentius quam cœli claves tractabat. Nam ut optimè Chrysostomus ait: *Si quis Christum diligit, is novit, quid sit, quod dico, si quis erga Dominum insanit, ut ita dicam, & ardet, is novit, quæ sit vinculorum virtus*. Quis autem inter omnes Salvatorem nostrum ardentius Petro amavit, qui trina vice ab eo circa hunc amorem curiosè examinatus fuit.

5 *Sacrificabo hostiam laudis*. Cur ita? Ecce tibi causam: *Dirupisti vincula mea*. Ehem quot sunt sacrificia, quæ Petrus hactenus obtulit, & in finem usque mundi per sacerdotes Ecclesiæ Deo oblaturus est, eò quòd animas pœnitentes à vinculis suis resolverit, idque in virtute potestatis peccata absolvendi à Christo sibi datæ? *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum*. Euthymius quoque ait: *Vincula peccatorum dirupisti gladio pœnitentiæ*. Et Albertus Magnus pariter scribit: *Hæc vincula disrumpuntur per confessionem*, ad quod probandum illum adducit Isaiæ textum cap. 57. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, confitendo peccata*: Addit verò Albertus, *hoc significatum fuit per absolutionem vinculorum Petri*.

Per solutas Sancti Petri catenas, ejus circa remissionem peccatorum per vincula denotatorum, fuit figurata potestas: Significant etiam vincula idololatriam, à qua Romam pariter, & universum mundum liberavit, ideoque Christi legi illam arctè adstringendo.

DISCURSUS TERTIUS.

Solve jubente Deo terrarum Petre catenas.

1 SAncta mater Ecclesia in summam vinculorum sancti Petri gloriam ab eorundem solutione immensum & inæstimabile in hoc mundo beneficium se accepisse agnoscit, nimirum quod hodiè quovis tempore ad summam Dei consolationem in fidelibus suis videat & experiatur rumpi & frangi suas catenas, quibus quotidiè mediante peccato tanquam mortis æternæ mancipium tenentur constricti, & inferni tyrannidi subjiciuntur, in easdem namque manus, à quibus hodie catenæ ferreæ disruptæ fuerunt, *ceciderunt catenæ de manibus ejus*. Deus deinceps claves regni cœlorum reposuit, ea namque potestate, quam Christus ei tanquam suo in terris Vicario delegavit, nobis non solùm infernum occludit, sed & aperit Paradisum: *Solve jubente Deo terrarum Petre catenas, qui facis, ut pateant cœlestia regna beatis*. Et ideò vincula sancti Petri disrupta, & ab ejus manibus soluta, peccata nostra, quibus tanquam vinculis anima nostra constricta tenetur, eorumque remissionem nobis authoritate sancto Petro concessa impertitam significant, quæ proinde sancta mater Ecclesia tanta celebritate concelebrat. Mirum profectò est, quòd cùm instrumenta, quibus Martyres & Apostoli in eorum passionibus excruciati sunt, utpotè ex contactu sacrarum reliquiarum, quæ Spiritus sancti animarum templa sunt, sanctificata, miris à Deo condecorentur prodigiis, atque miraculis, sancti quoque Petri Apostoli vincula hodie tanto honore afficiantur, nullus tamen cultus aut reverentia deferatur vinculis & catenis S. Pauli Apostoli, quantumvis illa per sanctorum Patrum encomia valdè extollantur; Quamnam hujus rei causam esse existimas? Cur solis vinculis sancti Petri hæc prærogativa tribuitur? Audite Cardinalem Baronium in Annotationibus ad Martyrologium Romanum: *Ut cujus est in ligandis atque solvendis alienis vinculis potestas præcipua in Ecclesia, ejus etiam vincula à cunctis fidelibus in honore haberentur*: Idem sensus deduci quoque potest ex verbis, quibus Ecclesia in oratione, quam in hodierna solemnitate legimus, utitur, dum ait: *Deus qui beatum Petrum Apostolum à vinculis absolutum illæsum abire fecisti; nostrorum quæsumus absolve vincula peccatorum*. Porrò certum est, quod ex nobilissimis donis, quibus Salvator noster genus humanum locupletavit, illud præcipuis annumerari possit, quod sancto Petro supremam illam peccata remittendi potestatem delegarit; Quod immensum beneficium Concilium hisce verbis graviter ponderavit, dum ait; *Si enim regeneratis omnibus gratitudo esset erga Deum, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio & gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem institutum: quoniam autem Deus dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui se postea in peccati servitutem & Dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis per Baptismum beneficium mortis Christi applicatur.* Sess. 14 c. 1.

2 *Catenas*. Ecclesia culpas & peccata nostra catenarum & vinculorum nomine appellare consuevit, unde in oratione quadam, quam frequenter recitat, dicit: *Quos delictorum catena constringit*: Isaias quoque de peccatis loquens, catenæ nomine utitur: *Si tu abstuleris de medio tui catenam*; glossa addit, *catenam peccatorum*, Isa. 58. 9.

catorum. Dionysius Carthusianus ait: *Iniquitatis obligationem, & vitiorum ligaturam*. Hugo Cardinalis dicit: *Consuetudinem peccati, sive colligationem peccatorum, qua Diabolus trahit te ad infernum; De medio sui, id est, de corde*, ut sanctus Hieronymus glossat. [L. 8. conf. cap. 5.] Sanctus Augustinus, quibus omnibus constat, in annis juvenilibus, in quibusvis abominandis sordibus immersus hærebat, hanc suam miseram servitutem in suis Confessionibus hisce verbis nobis describit: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me*: tandem verò modum, quo hanc catenam constringentem hostis fabricarat, declarat, dum varios inter se concatenatos annulos ita exponit: Quippe *ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*. Ab oculo qui sine fræno vagatur, fit transitus ad complacentiam, à complacentia ad desiderium, ab hoc transcurritur ad consensum, à consensu proceditur ad opus, ab opere ad malam consuetudinem, ab illa ad necessitatem, à necessitate ad peccati excusationem & defensionem; ab hisce ad impœnitentiam, & tandem ab impenitentia fit præcipitium in divinæ misericordiæ desperationem, & consequenter in æternam damnationem; hæc catena in Apocalypsi nobis demonstrata fuit, ubi dicitur? *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua*. [Apoc. 20. 1.] Ecce tibi qualiter, is, qui claves regni cœlorum in manu sancti Petri positas, id est, recursum ad Pœnitentiæ Sacramentum spernit, tandem in claves abyssi incidat, in eandem per iniquitatum suarum catenam pertractus. Porrò multa sunt sacræ Scripturæ testimonia, quibus peccata sub vinculorum nomine exprimuntur: *Funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur*. [Prov. 5. 22.] *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. [Psal. 118. 61.] Nescio an hactenus differentiam illam notaveritis, quæ intercedit inter modum loquendi, quo Christus hanc peccata remittendi potestatem delegat, & quo Ecclesia utitur in forma absolutionis; & quidem licet loquendi modus varius sit, eundem tamen in substantia effectum significat; *Accipite Spiritum sanctum*, inquit Salvator, [Jo. 20. 23.] *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ubi peccatorum veniam remissionis nomine exprimit, at verò quibus verbis Petrus hoc Sacramentum ministrari voluit? hisce nimirum, *Absolvo te*. Quænam autem est inter verbum *remitto, & absolvo* differentia? pro intelligentia notandum, quod Petrus magno cum mysterio iisdem verbis uti voluerit, quibus ei hæc fuit concessa potestas, Christus enim ei dixit? *Quodcunque solveris super terram, erit solutum, & in cælis, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum, & in cælis*; [Matt. 16. 19.] peccata enim per funes, catenas, & vincula denotantur, & ideo verbum solvere magis proprium est, eò vel maximè, quod verbum hoc nomini, quo Christus Petrum honoravit, qui Simon cognominabatur, magis sit conforme, nam ut Albertus Magnus ait: *Petrus interpretatur dissolvens*, qui scilicet omnes culparum nostrarum catenas dissolvit. [Ser. in fest. S. Petri ad Vincula.] *Solve terrarum Petre catenas*. Unde ex hoc hæc totius generis humani absolvendi peccata authoritas à monte Vaticano relucet, hæc ei Isaiæ verba adaptare possumus: *Præcipitat in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, præcipitat mortem in sempiternum*. [Isa. 25. 7.] Porrò Beda in alium nos deducit conceptum, dum ita scribit: *Quid credimus esse culpas nisi rubiginem?* Rubigo, prout quotidiana nobis experientia demonstrat, ferrum consumit; [In cap. 7. Luc.] & tamen hæc est ferrearum catenarum Petri gloria, quod ferrum illarum econtra virtutem habeat consumendi omnium peccatorum totius mundi rubiginem, quod est maximum ab hisce catenis in nos derivatum beneficium. Optarem autem, quòd ex quadam S. Ephrem sententia statim adducenda modum edisceremus, quo nos erga tantum beneficium, quo fruimur, dum à S. Petro à vinculis nostris absolvimur, gratos exhibere, hancque ejus festivitatem digne, & cum merito celebrare possemus; Dicit enim sanctus Ephrem: *Celebritas bona, & pulchra, & Deo grata est pœnitentia cum lachrymis*, [D. Cruce Domini.] quasi diceret. Nihil hodie facere possumus, quod S. Petro sit gratius, quam si nos ad veram disponamus pœnitentiam, eo vel maximè, quia Deus hodie non sine mysterio sancto Francisco concessit illam adeo insignem indulgentiam plenariam. Valde tritum est illud *in speculo exemplorum* relatum exemplum, nostro tamen instituto aptissimè accommodatum. Ibi namque refertur, quod dum vir quidam lubricam valdeque licentiosam vitam agens forte fortuitò Concioni interesset, in qua Prædicator divino instinctu miserabilem ejus statum cognoscens, singulari studio ad id connitebatur, ut vir ille perspicuè agnosceret, peccata esse veluti catenas quasdam, per quas Diabolus nos in servitutem redactos in infernum proturbat; dumque peccatorum ejus gravitatem, suppliciorumque ei debitorum acerbitatem multis exaggeraret, ipsumque ad Dei misericordiam requirendam impelleret, per Dei gratiam hoc tandem ab eodem peccatore obtinuit, ut compunctus corde amarissimè fleret, & ecce prima lachrymula, quæ in illas catenas dilapsa est, eandem dissolvit, & ad nihilum redegit, ipseque deinceps liber ab eodem remansit. Enimvero sanguineis lachrymis deploranda est illa multorum Christianorum miseria, qui eo impietatis pervenerunt, ut qui hodierna die ad hujus festi honorem à peccatorum vinculis se expedire deberent, per varias occasiones hoc mense per receptam Augustum variis lætitiæ generibus transigendi consuetudinem occurrentes, potius se novis catenarum laqueis irretiant, idque vocant feriari Augustum. Sciendum est autem, quod verbum ferior, seu feriati significat ab operibus servilibus abstinentiam, & festi devotam celebrationem, unde qualiter nomen feriæ interpretandum sit, optimè in lectionibus de sancto Sylvestro exprimitur, ubi dicitur: *Sabbathi & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, ut jam antea in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit, quo significaretur quotidie Clericos abjecta cæterarum rerum cura uni Deo prorsus vacare debere*. In hoc verò die fit ex perditorum hominum abusu omnino oppositum, vulgus etenim credit, quod feriari Augustum in hoc sensu intelligendum sit; quod scilicet in eo mense conviviis, ebrietatibus, comessationibus, aliisque Deo exosis, sæcularibus lætitiæ generibus plus solito vacandum sit, ut tanto melius sese arment adversus imminentia caloris excessivi solis in Leone ardentis pericula; at verò turpiter decipiuntur; audite enim sancti Petri salutare monitum: *Fratres*, inquit, *Sobrii estote, & vigilate*: [1. Petr. 5. 8.] vult igitur Apostolus, ut hoc mense plus solito sobrii simus, & vigilemus, siquidem major pars mortalium, prout ex tumulorum inscriptionibus colligere licet, in hoc mense potius quam in quovis alio vitam suam per mortis periodum claudit: nec tam Leo Zodiaci cælestis quam Leo infernalis vitæ nostræ insidiatur; *Adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, hic enim nos hisce diebus sub calorem canicularium prætextu ab operibus Christianis magis quam unquam revocat, nosque flammis effrænis concupiscentiæ, quam caniculæ caloribus ardere facit; Enimverò vultisne optimum Augustum benè aut cum fructu spirituali feriandi modum edìscere? audite id, quod in beati Stanislai Religiosi è Societate Jesu vita conscribitur: cum enim eo tempore quo hic Romæ morabatur Pater Canisius ex eadem Religione sanctitate vitæ, & literarum præstantia excellens, & prædicator insignis ex Germania ibidem appulisset, ut cum summo Pontifice Pio Quinto de quibusdam maximi momenti negotiis fidem concernentibus conferret, rogatus ut discursum quendam spiritualem coram novitiis hodierna die enuntiaret, usus est hoc communi verbo, *ferrare Agosto*, id est, feriai Augustum, & clarè demonstravit verbum illud minimè intelligendum esse juxta sensum imprudentum, id est, non convenire ut hujus mensis principium & continuationem, manducando, bibendo, ludendo, aliaque similia profana gaudia instituendo, transigamus, nosque adversus mala, quæ hoc potissimum tempus secum adferre solet, communiamus, sed ad benè feriandum non solum hunc mensem, sed & omnes alios optimum medium futurum esse, si nobis hunc mensem ultimum ferè vitæ nostræ mensem futurum esse persuadeamus, & hac consideratione mediante conscientiæ rationes cum Deo instituamus, haud secus ac si ulterius victuri non essemus, feriemur & celebremus hoc catenarum Petri ferrum in virtute illarum nostras rumpendo, & solvendo peccatorum catenas, si mensem hunc benè feriari velimus.

3 Verum enimvero aliud quoddam mysterium esse credo, cur hæc catenarum vincula Petri hodie disru-

pta celebrentur & honorentur; nimirum quia hic Romæ, & consequenter per universam terram rumpit & dissolvit sacrilegæ servitutis catenas, quibus idololatria universum mundum, Romam verò præcipuè, vinctam tenebat, siquidem hæc omnium aliarum nationum indignis vinculis adstringebatur: *Cum penè omnibus dominaretur gentibus* (inquit Sanctus Leo) [Serm. in nat Ap. Petri &c.] *omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia magnum respuebat falsitatem*; Hasce vero catenas Petrus generosè rupit, *Unde quanto erat per Diabolum tenacius illigata, tanto per Christum est mirabilius absoluta*, certum verò est, Christum hac in re Petri opera usum fuisse, qui Romam Christianam reddens, Romanorum fidem per omnia regna extendit, nam *quæ usque civitas ignoraret, quod Roma didicisset?* Et quidem Petrum non solum iniquitatis catenas disrupisse, verùm etiam falsa quævis simulachra demolitum fuisse, ex en velut evidenti signo cognosci potest, quod eadem veneratio, quæ olim Marti aliisque prophanis numinibus attribuatur, hodie Petri vinculis honorandis adhibeatur. Porrò quod Sapiens hisce verbis dicit: [Sap 17. 18.] *Una catena tenebrarum omnes erant colligati*, non solum de peccatis, quæ *sunt opera tenebrarum*, intelligi potest, verùm etiam de ignorantia, & cæcitate, ac infidelitate, hanc autem catenam Deus Petri opera rupit, ipsamque Romam in libertatem asseruit, unde dicere potest: [Lev. 26. 13.] *Confregi catenas cervicum vestrarum*, alludendo ad populum Israeliticum ab Ægyptia & Pharaonica servitute liberatum. Verum enimverò, non solum Petrus hasce tam indignæ & impiæ servitutis diabolicas catenas confregit & dirrupit, verum etiam populum Romanum, cunctasque alias totius mundi nationes divinæ legis catenis, & vinculis adstrinxit, unde Dionysius Carthusianus in quodam sermone de hoc festo ait; [Serm. 4. de S Petro ad Vinc.] *Sunt vincula præceptorum, quibus rebelles nolunt ligari, ut à vitiis retrahi juxta illud, quod scriptum est in eorum persona, Dirumpamus vincula eorum*; non verò sic in proposito nostro accidit, sancta enim Dei Ecclesia in hujus veritatis confirmationem sapienter disposuit, ut per totius anni decursum nos suavi Legis Evangelicæ & Christianæ catena duorum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli opera adstrictos esse confiteamur hisce verbis: *Petrus Apostolus & Paulus Doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam Domine.* Per horum igitur amborum Apostolorum merita beatam à Deo æternitatem postulemus, dicentes: *Concede ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur*, nam *vincula illius illigatura salutis*, nimirum ut [Ezec. 6. 31.] Hugo Cardinalis glossando explicat, *quia contrahunt à peccato, & ducunt ad vitam æternam.*

De catenis interioribus, & spiritualibus, quibus Petrus adstrictus non timebat carcerem.

DISCURSUS QUARTUS.

Erat Petrus dormiens vinctus catenis.
Act. Apost. cap. 12.

1 HÆc ex sancto Luca adducta Thematis verba duo nobis ministrant vehementis admirationis motiva. Primum est, quod S. Petrus ab Herode implacabili Christiani nominis inimico vinctus & morti adjudicatus, atque sequenti die Judaicæ perfidiæ spectaculum non solùm funestum, sed & gratum acceptumque futurus, suaviter nihilominus placideque dormierit. Secundum est, quod S. Petrus, qui vir erat ob senectutem non admodum vegetus & vigorosus, quin potius per continua jejunia extenuatus, & patiendi pro Christo cupidissimus, atque à multis vigilantibus armatisque militibus, in inaccessibili quodam carcere custoditus, ab Evangelista nihilominus catenis constrictus fuisse dicatur, *vinctus catenis*. Porrò relicto sensu literali in hoc discursu in id connitar, ut veluti manu tangi possit verum esse, quod catenæ S. Petri, quæ ipsum maximè stringebant non fuerint ferreæ illæ quæ corpus ligabant, sed potius catenæ interiores, quibus anima & cor ejus vincebatur. S. Laurentius Justinianus de vinculis, quibus Redemptor noster [De Ligno vitæ cap. 4.] columnæ adstrictus fuit, scribens, ita ait. *O charitas quam magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit! nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset.* Hæ charitatis catenæ, quibus S. Petrus in carcere Herodis detinebatur, in cœlesti officina ab ardentissimis Seraphinis utique fabricatæ fuerunt, neque enim omnes tyrannorum catenæ ipsum unquam stringere, aut in Herodis carcere tenere potuissent, nisi prius ex ardentissimæ charitatis motivo Salvatoris sui servus fuisset. Albertus Magnus in sermone de hodierno Festo verba illa, quibus Petrus magistro suo respondit. *Quo ibimus, verba vitæ æternæ habes*, apud se recogitans, illa hunc sensum habere dicit, quasi diceret: *Anima mea & cor meum sic alligata sunt tibi per dilectionem, quod non possunt à te aliquatenus separari.* De S. Benedicto scribitur, quod cum de Monacho quodam, cui nomen Martinus sive Martius erat, dici audisset, ipsum in antro quodam ad rupem ferrea catena ligatum stare, hæc ei verba nunciarit? *Si servus Dei es non teneat te catena ferri, sed catena Christi*, qui verbis illis obediens magis, salutari catena deinceps animam suam vinxit, quæ non erat ferrea, quali corpus stringebatur. Sanctus Hieronymus ad Fabiolam scribens explicat, ex quo metallo sive materia vincula illa fiant, quæ servos Dei ligant dum ait: *Vincula Domini voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus, quique his fuerit colligatus dicit, læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ecquid autem majus lumen, sive cognitionem habuit in discernendis hisce Christi vinculis sancto Petro, qui in ferendis pro amore Christi passionibus, & tormentis adeo ferventer ardebat: Apostolus ait, *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* [Colos. 3. 14.] Ubi Hugo Cardinalis ait: *Cætera perfectum faciunt, charitas autem omnia ligat, ne abeant; vel vinculum dicitur, quia perfectè ligat, maximè unit, sive conjungit Deo.* Porrò sancto Petro illa verba Psalmi applicari possunt, *Qui educit vinctos in fortitudine*, cujus ratio est, quam tradit sanctus Augustinus in eundem Psalmum scribens; dum ait: [In Psal. 67.] *Solvit enim gravia vincula peccatorum*, quasi diceret: Si omnium aliorum catenas rumpendi, & dissolvendi potestatem habet, juxta illud: *Solve terrarum Petre catenas*, cur non melius Samsone potestatem habebit frangendi, & rumpendi omne ferrum quo in carcere vinctus erat? ipsa quondam delinquentes unico verbo prolato in terram mortuos concidere fecit, prout Ananiæ & Saphyræ accidit, vocis suæ imperio defunctos revocabat ad vitam; innumeros corporis sui umbra sanabat infirmos, ad cœlum aperiendum cœli claves in suo habebat arbitrio positas, & qui hæc omnia tanta cum facultate præstitit, credendus est habere claves, id est, facultatem carceris effringendi? Chrysostomus de sancto Paulo ejusque sodalibus captivis ita scribit; [Hom. 8. ad Epiph.] *Cœlos aperiendi potestatem acceperunt, & carcerem aperturi non essent? qui solvunt à dæmonibus ligatos, istos ferrea fuerat detentura catena?* id quod longè meliori jure de Petro affirmari potest, utpote cui soli à Christo dictum fuit: *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* [Lib. 6. Gen. c. 32.] Rupertus Abbas Abrahamum filium suum Isaac super quendam lignorum fasciculum alligantem considerans ait: *Colligavit planè non imbecillitatis vinculo, sed magna charitatis imperio.* In Ecclesiastico exhortatio quædam iis, qui pigri, & desides, & in divinorum præceptorum adimpletione frigidi sunt, pauculis hisce verbis proponitur: *Ne acedieris vinculis ejus*, [Ecc. c. 6. 26] quæ verba Hugo Cardinalis ita exponit, ut sensus sit: *Ne graviter & tædiosè feras, sed cum hilaritate imple præcepta Sapientiæ; dicitur autem acedia ab aceo, aces, unde homo acidus, id est, sine igne charitatis.* Nequaquam in dubium revocari potest, quin Petrus ob hunc patiendi amorem, & desiderium ardentissimus & quasi totus igneus fuerit, quia tametsi esset somnolentus, imo de facto gravi somno sepultus, hoc tamen ab amoris fervore derivabatur, siquidem ex hoc ejus somno facilè in notitiam jubili & gaudii venire possumus, quocum sequenti diluculo ad martyrium properaturus erat; unde in ipso laus illa, quam sanctus Hilarius servis Dei dedit, perfectè verificatur, dicit enim: [Cap. 2. in Matth.] *Justi viri nunquam dulcius requiescunt, quam cum laboribus fatigantur.* Sanctus Augustinus eorum qui libenter pro Christo patiuntur, maximè in vinculis & compedibus merita mirè exaltat, hancque ad propositum nostrum edidit pulcherrimam sententiam: [In Psal 49.] *Ferrea vincula sunt, quamdiu timent; ament, & aurea erunt;*

erunt; Porrò hæ catenæ sancto Petro non ex ponderoso ferro, sed ex auro purissimo fabricatæ esse videbantur, quia amoris catenæ erant, qui in ejus corde flagrabat; Etenim si in ejus arbitrio stetisset, pedem suum nunquam ex illo carcere extulisset, nisi ut properaret ad martyrium; veruntamen Deo obedire oportuit, & ideo ne recalcitraret contra illud quod divina dispositione mediante operabatur Angelus, voluit ut hæc ejus liberatio sibi somnium quoddam esse videretur, donec ex toto ab illo carcere liber & procul remotus esset, sine ulla spe amplius eo redeundi, unde Angelus seu potius Deus cœlesti hoc nuntio mediante sancto quodam usus est stratagemate; *Existimabat se visum videre*; insuper ut eum perfectè excitaret, opus fuit, ut valido ictu latus ejus percuteretur; *Percusso latere Petri excitavit eum*; ad hæc ab illis carceris arctis compedibus per expressum angelicæ potestatis præceptum egressus est, siquidem Angelus per modum imperativum ei dixit: *Surge, præcingere, & calcea te, circumda tibi vestimentum tuum, sequere me*; præterea quia probè sciebat, quanto cum desiderio compedes, manicas, catenas, carceres, mortem denique ipsam concupisceret, voluit Deus, ut Angelus eum de sua liberatione certiorem redderet: *Et nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum*. Sanctus Bernardus in quodam sermone de triplici cohærentia docet, tria præcipuè vincula esse, quæ arctè nos cum Deo adstringunt, quorum primum sunt beneficia, undè in Osea dicitur: *In funiculis Adam traham eos*, id est, ut Lyranus ait, *in beneficiis exhibitis*; secundum genus vinculorum est divinorum timor suppliciorum, hæc tamen ambo vincula facile rumpuntur, inquit Sanctus, solo excepto tertio vinculo, nimirum vinculo amoris, ac proinde Apostolus gloriabatur, dicens; *Quis nos separabit à charitate*
Rom.8.35. *Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu*. Potuit quidem Angelus ille Petrum separare & dividere à compedibus & catenis ferreis, ipsumque ab Herodis ira subtrahere, at vero hac charitatis catena ipsum privare non potuit *Charitas quod est vinculum perfectionis*: siquidem post sui è carcere liberationem magis quam unquam in vita sua pati, & mori pro Christo desideravit. S. Lucas Petrum excellentius honorare nescivit, quam eum nobis catenis onustum repræ-
Advers. vitup. vitæ Monast. sentando, *Petrus vinctus*; Chrysostomus quoque Epistolæ quam S. Paulus ad Philemonem misit, super scriptionem considerat, in qua dicit; *Paulus vinctus Jesu Christi*, creditque nomen hoc *vinctus* artificiosè, & ex industria positum fuisse, ad magis exprimendam dignitatis ejus magnificentiam, ad eum modum, quo Reges se subscribere solent per excellentiores regnorum suorum titulos, eodem quoque modo S. Paulus se vinctum vocavit, utpote qui magis de catenis suis gloriabatur, quam quod in tertium usque cœlum, & ad cœlestium secretorum participationem raptus fuisset, eodem quoque modo existimo, sanctum Petrum majoris æstimasse catenas, quam regni cœlorum claves: *Nihil horum posuit*,
Hom. 16. ad pop. inquit Chrysostomus, *sed pro omnibus catenam, hæc enim magis illustrem reddebat, & splendidum*.

2 *Erat Petrus dormiens vinctus*. Quasnam putatis esse catenas, quæ tenaciter non tam corpus quam animam stringendo, illamque inferni mancipium reddendo gravius ponderant? Audite, hæ catenæ peccata nostra sunt, culpæ sunt, inordinati affectus nostri sunt.
Serm. 4. de S. Petro ad Vinc. Dionysius Carthusianus ait? *Alia sunt vincula terrena cupiditatis, carnalis voluptatis, mundani honoris, a quibus Petrus liberatum se glorians dixit Christo: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*; Porrò Petrus nihil eorum quæ in hoc mundo sunt, desiderabat, præterquam lucrum animarum, fideique, & religionis Christianæ propagationem, adeoque vinculis illis ligatus non erat, quæ ut sanctus Nilus scribit, multi ve-
Inst. t. ad Monach. hementer diligunt, & illibenter deserunt: *Qui in mundo cupiditatibus indulget, difficile potest se peccati laqueis explicare, pravæ enim cupiditates, catenæ sunt insolu-*
Serm. de S. Petro ad Vincula. *biles*. Idem quasi Innocentius III. quoque dixit, dum ait: *Duæ catenæ sunt cupiditas & concupiscentia, una mentis, altera carnis*, certum autem est, sanctum Apostolum ab hisce catenis exemptum fuisse, ac proinde imperturbabilem quandam quietem in se esse probabat: *Erat Petrus dormiens*; sed *vinctus*, audite verò, à quibus catenis vinctus fuerit, nimirum exacta divinæ legis observantia, quæ ipsum faciebat, frui quiete & pace interna: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non* Ps. 118. 165.
est illis scandalum. De hac catena Spiritum sanctum locutum fuisse existimo, quando veræ disciplinæ & sapientiæ mentionem faciens ita nos monuit: *Injice pedem tuum* Eccl. 6, 25.
in compedes illius, & in torque illius collum tuum, subjice humerum tuum, & porta illam; & ne acedieris in vinculis ejus. Verùm inquies fortassis, num forte ii, qui compedibus hisce pedes, & catenæ huic collum suum ultro ingerunt, sua libertate destituuntur? Minimè gentium, Audite enim S. Davidem dicentem: *O Domine! quia ego servus tuus, filius ancillæ tuæ*, Ecce qualiter se servum Ps. 115. 16.
& mancipium Dei, ex quadam ejus ancilla natum esse profiteatur; imo binis vicibus replicat; *Ego servus tuus*. Veruntamen insuper observandum, quod per illam servitutem veram sibi filiorum Dei libertatem compararit; mox enim subjungit; *Dirupisti vincula mea*. S. Gregorius in Psalm. 5. pœnitentialem scribens, dum illa verba; *Ut audiret gemitus compeditorum*, glossa sua illustrat, ita scribit: *Sancti viri non incongruè compediti dicuntur, quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea quæ exteriora sunt, vagantur, & quasi gressum operis immobiliter figunt, dum a conditoris desiderio nusquam descendunt. De his namque compedibus scriptum est: Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Collum fides est; per quam Deo fidelis quisquis conjungitur, & quasi per collum capiti suo Christo Ecclesia quæ est ejus corpus unitur*.

3 *Erat Petrus dormiens vinctus catenis*. Sanctus Petrus inter catenas suaviter dormiebat, dulciterque quiescens hærebat inter supplicia, quia catenæ ferreæ manus ejus stringebant, & onerabant; unde sanctus Lucas dicit: *Ceciderunt catenæ de manibus ejus*; hæc autem somni dulcis quies inter catenas inde oriebatur, quia videlicet in iisdem manibus cœli claves pariter positæ erant: *Tibi dabo claves regni cœlorum*; date mihi obsecro animam, quæ mentis suæ oculum in præmium æternum, & beatitudinis assecutionem defixum teneat, moxque in ea verum esse patebit, quod nullum sit adeo acerbum tormentum, quod non alacriter pro Christo sustineat. Unde Tertullianus ait: *Nil crus sentit in* Eccl. 6. 31.
nervo, dum animus est in cœlo; erat Petrus dormiens, vincula illius alligatura salutaris; Vatablus legit: *Hyacintho texta vincula*. Color autem hyacinthinus cœlestis est, ad denotandum, quod catenæ aureæ sint, & collo ultro citroque ingeruntur, tametsi etiam ex chalybe & ferro fabricatæ essent, quando harum virtute & merito speratur cœlum. Sanctus Cyprianus ait: *O pedes feli-* Epist. 72.
citer vincti, qui itinere salutari ad Christum diriguntur! ò pedes ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cœlis apud Deum liberi. Idemmet sanctus intrepidum Celerini Martyris animum hisce verbis admiratur: *In nervo ac ferro fuit, sed posito in vinculis corpore solutus ac liber spiritus mansit*. Corpore quidem tenus sanctus Petrus ligatus erat, liber verò in spiritu. Econtra vero Ter- Lib. 2. ad
tullianus de mundi catenis dicit: *Graviores catenas in-* Martyr.
duit mundus (id quod ob martyrum consolationem dicit) *quæ ipsas animas hominum constringunt*, corpus enim, & animam pariter illaqueant, ut supra tetigimus; non verò sic catenæ eorum, quæ pro Deo tormenta sustinent. *Habet vincula sua* (inquit de Tyran- De lege
norum impietate) *sed vos soluti Dei estis*. Marcus Ere- spir. c. 17.
mita propositionem quandam enuntiasse legitur, quam præsenti, quam tractamus, materiæ perfacilè potest accommodari: nimirum: *Cor voluptatis amans, carcer & catena est animæ in tempore egressionis*; id est, in articulo mortis, hæc enim iis amara esse videretur, qui in hac vita gaudent, & delitiantur: ò mors! *quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substan-* Eccl. 41. 1.
tiis suis? at idem laboris studioso janua est aperta. Cor enim quod passionibus, & laboribus se pro Deo voluntariè subjicit, portam cœli patulam omninò esse invenit.

Sanctus Petrus incarceratus, animæ in peccato existentis figura fuit, cui cœlestia sunt subministrata auxilia, quibus mediantibus à peccato resurgat; id quod per hujus Festi Epistolam clarè demonstratur.

DISCURSUS QUINTUS.

Quem cum apprehendisset, misit in carcerem.
Act. Apost. cap. 12.

1 SAnctus Vincentius Ferrerius in quodam sermone de hodierno festo in ea est opinione, quod S. Petrus carcere inter compedes, & catenas reclusus, animam in peccato existentem præfiguret, & consequenter ejus liberatio statum illum denotet, ad quem gratia Dei mediante per pœnitentiam reducitur. Hujus quoque opinionis multos alios sacros hujus textus Actuum Apostolicorum interpretes fuisse inveniemus.

2 *Quem cum apprehendisset, misit in carcerem.* Mox ut Infernalis Herodes animam quandam in peccatum aliquod miserè labi fecit, eandem libertate sua privare nititur; ac proinde jure de se S. Augustinus lamentatur, [Lib. 8 conf. cap. 8.] dicens: *Velle meum tenebat inimicus.* Et S. Vincentius Ferrerius ait: *Carcer significat statum peccati mortalis;* & protinus rationem subjungit; cùm enim carcer communiter tenebricosus existat; in hac obscuritate superbiam significat, quæ ex defectu luminis, & agnitionis miseriæ nostræ procedit: est quoque carcer subterraneus, & in hoc avaritiam, quæ dedita est & affixa bonis terrenis. Est fœtens, & in hoc fœtore luxuriam significat. Est solitarius, & in hoc nobis invidum præfigurat, qui in bonorum fruitione & possessione semper cuperet esse solus; est humidus, & hac humiditate sua alludit ad gulam; habet suum quoque in carcere locum desperatio & otium, è quibus hoc acediæ, illa verò iræ symbolum existit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Carcer peccatum vel mala conscientia.* Porrò si examinare velimus qualis carcer ille fuerit, in quem sanctus Apostolus detrusus fuit, illud confestim verum esse comperiemus, quod [In Thes. terræ sanctæ.] asserit sanctus Vincentius, qui ad sordidam animæ cujusdam peccatis immersæ statum alludebat. Adricomius carcerem hunc illum fuisse dicit, qui Betiso nominabatur, eratque domui Pilati vicinus. Lorinus qui Adricomii opinionem refert, Etymologiam quoque [Sanctuis in Act. Ap.] nominis illius exprimit, *quasi dicas domum sordium, ejectionis, stercoris.* Alii carcerem hunc illum esse dixerunt, cujus fit mentio in Evangelio: [Mat. 22. 13.] *Mittite eum in tenebras exteriores;* ideoque & in hoc miserabilem peccatoris alicujus statum faciè agnoscere possumus, de qui- [Psal. 106.] bus Psalmista ait: *Sedentes in tenebris & umbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro,* Innocentius III. ait: *Car-* [Serm. de S. Petro ad Vincula.] *cer est prava consuetudo: ostium per quod intratur in carcerem, est opus per quod intratur ad consuetudinem, ostium ergo carceris custoditur, quando peccatum consuetudinis frequentatur.*

3 *Tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum.* Ubi idem Pontifex ait: *Illi qui custodiunt carcerem ante ostium, sunt libertas peccandi, & voluptas peccati: nihil enim magis fovet consuetudinem pravam, quam delectatio culpæ, & impunitas pœnæ.* Syriaca legit: *Tradidit sexdecim militibus custodiendum,* ubi Oecumenius ita scribit: *Fortasse ut singulis noctis vigiliis, hoc est, ternis inæqualibus horis quatuor advigilarent custodes.* Num fortè quinam hi custodes sint, scire desideratis, qui suum à peccatore observando oculum nunquam avertunt? Hugo Cardinalis ait: *Quaterniones animæ affectiones sunt;* etenim passiones, & inordinati appetitus nostri diu noctuque in vigilia pariter, & in somno lateri nostro indivisibiliter semper adsistunt: & fortasse hoc est, quod Spiritus sanctus de carnali quo- [Gen. 6. 5.] dam homine loquens dicere voluit, dum ait: *Cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore.*

[Eph. 5. 8. Rom. 13. 12.] 4 *In ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites.* Porrò per noctem culpa intelligitur: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Abjiciamus opera tenebrarum,* id est, peccata. *Erat Petrus dormiens,* quia peccator in lecto sensualitatis, inter deliciarum plumas quiescens, totus deditus est lethargo vitiorum. Unde Apostolus illum ab hoc profundo hisce verbis excitat, dicens; *Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim* [Rom. 13. 11.] *propior est nostra salus, quam cum credidimus,* quia ut [Jo. Ferus in Act. Ap.] certus quidam expositor notat: *Vides hic Deum etiam nostri causa solicitum esse, nostrique curam gerere etiam cum dormimus,* etenim nos per gratiam suam excitantem excitat *Dormiens,* quia in quiete voluptatibus suis vacat, nullum habens Divinæ justitiæ timorem. *Inter duos milites,* qui, ut Hugo Cardinalis notat, sunt *Caro & mundus,* quia in horum duorum medio obdormiscit, nullatenus se aliquando ad infernalium pœnarum atrocitatem condemnandum, suamque vitam ad diem sequentem extensurum esse minimè considerans. Sanctus Vincentius Ferrerius ait: *Petrus dormiens significat peccatorem, in carcere peccati dormientem inter duos milites, scilicet Angelum bonum & Angelum malum;* quorum hic ut malæ consuetudinis periculosum somnum continuemus, persuadet, alter vero ad nos excitandos operam suam adhibet.

5 *Vinctus catenis duabus.* Hugo Cardinalis inquit. [Prov. 5. 22.] *Duæ catenæ sunt commissio & omissio, Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Supra in discursu præcedenti vidimus, quales sint catenæ, quæ animam nostram ancillam & mancipium esse faciunt. S. Vincentius ad illa verba: *Catenis duabus,* dicit: *Prima est consuetudo, secunda mala societas. O quot sunt vincti istis duabus catenis.*

6 *Custodes ante ostium custodiebant carcerem,* Hugo Cardinalis per hosce Custodes Dæmones intelligit, qui ad portam cordis, & malæ conscientiæ hominis impii advigilant, ut nullum in hac vita bonæ, & sanctæ inspirationes Dei locum vel aditum habeant. *Custodes Dæmones, ostium carceris, id est, conscientia, ne quis confiteatur, & sic solvatur;* omnem quoad possunt, movent lapidem, ut peccatori à peccatorum confessione mitam ingerere possint aversionem; vel ut quando nobis ad hoc Sacramentum recurrere proposuimus; interponat obstacula, ob quæ ex una die in aliam differatur confessio, vel etiam ut efficiat, quatenus peccata nostra in confessione excusentur, quæ syncerè accusari debebant.

7 *Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo.* Sanctus Vincentius Ferrerius ait: *Primus Angelus illuminavit carcerem: peccator enim non cognoscit pericula, nec peccata, in quibus stat, & quæ amisit.* Etenim lumen illud divina gratia nobis porrigit, pro quo proinde obtinendo Psalmista affectuosas ad Deum preces effudit, dum ita ait: *Illumina oculos meos, ne un-* [Psal. 12.] *quam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. Ecce Angelus Domini.* Verisimile est, quod Angelus noster custos omnibus modis adlaboret, ut nos faciat infelicem culpæ statum agnoscere, divinisque inspirationibus simul respondere. Quando Paulus qui antea Saulus & Christi persecutor fuerat, factus est Apostolus, *circumfulsit eum lux de cælo.* Similiter mulier quæ erat in civitate peccatrix, eminentem sibi sanctitatem subito comparavit, postquam *cognovit.* Enimvero ut anima quædam in peccati tenebris sepulta à peccato resurgat, opus est, quod *lumen refulget in habitaculo.* Magnus ille spiritualis vitæ Magister Granatensis similitudine quadam utitur desumpta ab aliquo, qui nocturno tempore antrum quoddam ingressus, ut sopore membra defessa reficiat, matutino verò tempore luce exoriente, se in medio viperarum, aspidum, bufonum, aliorumque venenosorum animalium constitutum esse cernit, quam sic subito, ad se ab hoc ingenti periculo expediendum à tali tugurio recessurus esset, absque eo quod de redeundo ad eundem locum quidquam cogitaret; quæ similitudo facillimo negotio in anima quadam exemplificari potest, quæ in peccatis est constituta, quando interea vera quadam illustratione interius illuminatur. Hugo Cardinalis ait: *Lumen refulget per peccati recordationem.*

8 *Percussoque latere Petri excitavit eum.* Beda à Glossa citatus ait: *Percussio lateris commemoratio est Passionis Christi, de cujus latere salus nostra profluxit.* Innocentius III. ait: *Percusso latere Petri lancea charitatis.* Sanctus Vincentius Ferrerius ait: *Dat Deus cordis compunctionem, & commotionem.* Idem quoque Hugo Cardinalis dicit: *Excitator percussus per contritionem.* Etenim quis adeo obstinatus esse poterit, qui peccatum suum non defleat: si filium Dei pro illius expiatione non lachrymas sed universum sanguinem suum effudisse consideret?

sideret? latus quoque impii percutere dicitur, quando ei tribulationes, adversitates, paupertatem, ignominiam, carceres, lethiferam infirmitatem immittit. Undè prius Saulum ex equo in terram prostravit, quam illum à perversa secta sua resurgere faceret. Similiter ille, quem in te sentis, conscientiæ suæ remorsum, animam tuam continuo corrodens; illud famam & reputationem contaminandi discrimen, & similes alii qui nobis eventualiter accidunt graves motus & impulsus: à profundo nos habituatorum peccatorum nostrorum somno nos excitant.

9 *Surge.* S. Vincentius ait: *Petrus erexit se; Ecce propositum non redeundi ad peccatum*; etenim necessum nobis ut è luto peccati, in quod turpiter prolapsi fueramus, nos erigamus, abeundum nobis est ab illo loco, in quo frequentes lapsus nobis accidisse experimur, neque frequentanda nobis deinceps est domus & societas illa, Eph. 5. 14. per quam ad peccandum seducti sumus. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.*

10 *Surge velociter.* Quia similiter & ab Herode circa te positi custodes, te à carcere fugere velle, vel piorum virorum salutaribus consiliis autem præbere animadverterint, suum à te suisque conatibus oculum nunAct. Ap. 9. 6. quam avertent. Sanctus Paulus voci & voluntati divinæ, eodem quo illam audiit tempore protinus respondit, dicens: *Domine quid me vis facere?*

11 *Et ceciderunt catenæ de manibus ejus* S. Vincentius Ferrerius ait: *Ecce confessio, quot peccata mortalia habet homo, tot catenis est ligatus; & quando homo confitetur, & confessor elevans manus dicit: Ego te absolvo, omnes rumpuntur; cadunt catenæ* (inquit Hugo Cardinalis) *per satisfactionem.* Catenæ tunc rumpuntur, & totaliter evanescunt, quando impositæ à Confessario pœnitentiæ satisfactio adimpletur, per famæ seu fortunæ ablatæ aut diminutæ restitutionem, omniumque aliarum obligationum perfectam adimpletionem.

12 *Præcingere, & calcea te caligas, & fecit sic.* Nunquid igitur calcei Petri tanti valoris erant, ut proinde in carcere relinqui non debuerint; etiam quando festinare oportebat? non quidem ideo sanctus Petrus jussus est calceos suos induere, sed per hoc magnus ille consilii Angelus quoddam magni momenti documentum nobis persuadere voluit, videlicet, quod ad hoc ut peccator extra omne sit periculum ad præcedentis culpæ carcerem denuò redeundi, curare debeat, ut calceos suos semper secum & in pedibus habeat, id est, mortis memoria gressus suos dirigat, calcei enim ex mortuorum animalium pellibus solent fieri. Fuitque hoc præservativum quoddam, quod Deus noster ab ipso mundi exordio primis nostris Parentibus dedit, ne enim in culpas alias denuò reinciderent; animalium pellibus ipsos vestire voluit. *Induit eos tunicas pelliceas.* Præterea quando Petrum calceos, vestes, & omnia ipsum spectantia secum sumere jussit, per hoc peccatorem vere pœnitentem monere voluit, tunc ipsum spem habere posse, quod peccati carcerem ita sit egressus, ut ad illum nunquam sit reversurus, quando omnem de reditu cogitandi occasionem & stimulum, quales sunt veræ amasiarum effigies, literæ & libri amatorii, munuscula & quæcunque alia quæ fomentum & incentivum peccandi esse possunt, è medio sustulerit & planè removerit. Sanctus Vincentius per calceorum indumentum restitutionem intelligit à peccatore faciendam. *Hic ostendit restitutionem.* Et ratio est, quia quando Confessarius pœnitenti injungit, ut rei alienæ restitutionem faciat, ille autem excusare se incipit, dicendo, se multas quotidie facere debere pro familiæ sustentatione expensas, quæ proinde restitutionem secum non compatiantur, aut verò quòd status in quo vivit, id ei minimè permittat; tunc Confessarius ei præcipere debet, ut se nonnihil restringat, expensas diminuat, suumque statum mediocritate aliqua temperet, ut non ex alienis bonis, sed ex propriis illum gerere & ducere possit. *Præcingere te non faciendo vanitates de bonis alterius.* Innocentius III. aliam quandam interpretationem adducit, dicens. *Præcingere & calcea te caligas tuas, non sufficit nobis malum dimittere, nisi bonum etiam faciamus, propter quod dicitur: Diverte à malo & fac bonum.* At verò sæpè citatus S. Vincentius super illa verba: *Calcea te* ait *Ecce hic remissio injuriarum; calceati sunt pœnitentes in dextero pede per amorem Dei, in sinistro per timorem inferni; state ergo calceati in præparatione Evangelii pacis.*

Mansi Prompt.

13 *Circumda tibi vestimentum tuum.* Post illatam peccato mortem & vitiorum habitus totaliter sublatos, Rom. 13. virtutibus quoque vestiendi sumus Christianis: *Induimini Dominum Jesum Christum.* Hugo Cardinalis ait: *Vestimentum est honesta conversatio*, quod idem est cum eo, quod ait S. Vincentius. 14.

14 *Sequere me*, inquit ad eum Angelus. Etenim strenuè sequi & adimplere debemus Angeli custodis nostri consilia & dictamina: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui* Exod 23. *præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum,* 20. *quem præparavi, observa eum, & audi vocem ejus, Et sequere me*, quod idem est, ac si diceret, ambula, vel curre post me; Angeli enim in cursu suo veloces, agiles, & expediti esse noscuntur, unde alati depingi solent; & per hoc denotatur ardens fervor, quo ad servitium divinum nos post peccati remissionem accingere debemus: recompensando tempus, in lecto malæ consuetudinis deperditum. *Exiens sequebatur eum*, quando nimirum carcerem peccati egressus fuerat, atque extra omnem occasionem peccandi, & recidivæ periculum constitutus erat. S. Vincentius per illud sequere me ad quod Angelus Petrum hortatur, intelligit Sacramenti Eucharistiæ frequentiam, cui peccator post peccatum remissum operam dare debet, per Angelos enim sacerdotes interpretatur Sacramentum illud ministrantes.

15 *Et nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum,* Circa quæ verba commentator quidam ita scribit: *Sic qui divina circa se beneficia recogitat præ admiratione vix scit ubi sit*; neque enim homo per omnium æternita- Jo. Ferreus tem divinæ pietatis & providentiæ, periodo quibus ad salutem nostram promovendam utitur, satis obstupescere valet, idque tum præcipuè quando redemptorem, Salvatorem, & benefactorem nostrum mortaliter offendendo armata quasi manu invadimus, & tamen ipse de nobis eodem tempore ab inferno liberandis est solicitus. *Existimabat se visum videre*; quia ut Innocentius III. ait: *Quidquid in tempore agitur, vanitas est, non veritas: respectu æternitatis: non status sed somnus.*

16 *Transeuntes autem primam & secundam custodiam venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultro aperta est eis*; ubi idemmet Pontifex ait: *Faciebat illum transire primam & secundam custodiam hoc est præterire voluntatem peccati: & libertatem peccandi, quibus peccator in prava consuetudine custoditur.* Hugo Cardinalis circa hasce duas custodum turmas aliam quamdam glossam instituit dicens: *Prima & secunda custodia, & mundus & caro, quibus contemptis porta ferrea, id est, propria voluntas* superest; quia postquam mundo terga vertimus, & carnis voluptates contempsimus, superest ut portam quoque ferream exitum à peccato impedientem removeamus, id est, propriam voluntatem nostram domemus & supprimamus; quodsi autem idipsum viribus nostris assequi non valeamus, postquam fecimus quod possumus, scire debemus quòd Deus noster *facienti quod in se est non denegat gratiam. Ultrò aperta est eis*; gratia enim viam complanat, quantumvis illa tortuosa & impedita sit: undè Hugo Card. ait: *Facile aperitur per gratiam, hæc enim ducit ad supernam civitatem.*

17 *Et exeuntes processerunt vicum unum, & continuò discessit Angelus ab eo.* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Vicus unus status perfectionis, tunc disparet Angelus ad literam, quia tunc non est necessarius*; constitutis enim in via perfectionis duce opus non est, quia viam rectam perambulant.

18 *Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.* In his quoque verbis utilissimum nobis exponitur documentum; nam ut idem Hugo ait: *Ad se reversus? quia quamdiu homo est in statu vitæ carnalis, extra se est, & nescit quid circa se geritur, sed cùm processerit vicum unum* (id est, ubi ingressus fuerit viam, quæ illuminativa nominatur) *tunc ad se redit cognoscens, & periculum in quo fuit, & securitatem ad quam venit.* Legatis obsecro confessiones à S. Augustino post suam conversionem compositas, & clarè videbitis quantum peccata detestetur; quæ quàm essent in conspectu Dei gravia & ponderosa, quamdiu in statu vitæ licentiosæ hærebat, cognoscere nequaquam poterat; sicut enim prima præda, quam Antiochus è templo Jerosolymitano sustulit,

magnum illud candelabrum aureum fuit, ita dæmon mysticum animæ nostræ templum spoliaturus ingrediens, primum quod facit, est, quòd lumen hoc, id est, agnitionem Dei, nostrique miserabilis status, in quem culpa nos conjicit, notitiam nobis eripiat. Notanda etiam sunt verba sequentia: *Verè eripuit me de manu Herodis*; etenim illa non dixit quando ceciderunt catenæ de manibus ejus, nec quando transivit primam & secundam custodiam, nec quando porta ferrea ultrò aperta fuit ei; sed postquam per aliquod spatium & magnam distantiam è carcere progressus fuerat, & vicum unum ingredi cœperat: ut per hoc intelligamus, tunc nos verè de peccato remisso securos esse posse, quando è carcere, id est mala consuetudine, cunctisque aliis peccandi incentivis & fomentis procul egressi, & per aliquod tempus in via non præceptorum tantùm, sed etiam consiliorum semita progressi fuerimus; nam ut vera filiorum Dei libertate aliquanto tempore constanter fruamur, non sufficit absolutione Sacramentali mediante ruptas esse peccati catenas, nisi etiam manum nostram virtuosis sanctisque operibus adhibeamus, vel etiam nisi omnia fugiamus offendicula, quæ anteà lapsus nostri causa fuerunt; item nisi omnis deponatur objecti lascivi memoria, nec ampliùs malæ consuetudinis, aut comparati mali habitus in nobis stimulos experiamur; tunc enim talis anima verè dicere potest: *Nunc scio verè quia eripuit me Dominus de manu Herodis*.

DE FESTO

SANCTÆ MARIÆ AD NIVES

Discursus Quinque.

Discursus I. In nive beatissimæ Virginis protectio agnoscenda est, per quam carnis concupiscentiam vincimus, intactas virtutes castitatis nives conservando.

Discursus II. Banajæ facinus consideratur, qui in tempore Nivis leoni, in quo carnis vitium denotatur, mortem intulit; hoc autem per Mariæ auxilium & protectionem superatur.

Discursus III. Nix, quæ hodierna die descendit, puritatem Mariæ præfiguravit, cujus quoque laudes fusiùs exponuntur.

Discursus IV. Variæ considerantur nivis proprietates, quibus qualiter nos castos conservare, & carnalis concupiscentiæ ignem fugere debeamus, docemur.

Discursus V. Aliæ nivis proprietates, & conditiones hodiernæ festivitati adaptantur.

In Nive beatissimę Virginis protectio agnoscenda est, per quam carnis concupiscentiam devincimus, intactas virtutes castitatis nives conservando.

DISCURSUS PRIMUS.

Nunquid ingressus es thesaurus nivis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli? Job. c. 38. v. 22.

1 INter alios magis obstupescendos prodigiosioresque naturæ effectus, quos Deus Jobo servo suo proposuit, nivium quoque & grandinis thesauros enumeravit, quos se adversus inimicos in tempore belli, & in die pugnæ præparasse dicit. Etenim quis unquam cum armato exercitu unquam nivibus pugnatum esse, aut bellicosas hostium phalanges sola grandine adhibita in fugam actas esse audivit? Et tamen id verè accidisse ipsissima est ab ipsomet Deo exercituum dictata veritas. Etenim grando, quam Deus super rebelles sibi Ægyptios descendere fecit, eosdem non minus cruenta cæde prostravit, quàm si ab innumeris generosorum militum legionibus contrucidati fuissent. Nives quoque inimicum ad eas possunt redigere angustias, ut pacis exposcendæ cupidus factus victas manus tradat. Olaus Magnus in historiis suis refert, [Lib.1.c.13.] in Sueciæ montibus Dophrinis prodigiosum quendam casum accidisse, quem hic obiter referam, veritatem illius penes authorem suum relinquendo; dicit enim quod dum in cacumine montium illorum avis quædam in arboris cujusdam ramum evolasset, modicum indè nivis pugillum dejecerit, qui supra alia nive rotando, & hanc successivè post se trahendo, effecerit ut nix illa tandem in immensam usque molem per continuas deorsum versus rotationes factas excrescens priusquam in fundum usque devolveretur ingenti lignorum saxorumque multitudine post se tracta visa fuerit ad instar montis cujusdam è radicibus suis evulsi, tantoque cum impetu in quoddam planitiei adjacentis castellum impegerit, ut dissipatis muris & tecto castellum istud in ultimum exterminium redegerit. Similem quendam casum Surius in magna Carthusia accidisse refert, prouti in vita S. Anselmi habetur; & Olorius super illa Psalmi: *Dum discernit cœlestis reges super eam nive dealbabuntur in Selmon*; dicit Deum per Psalmistam comminari, quod ut principes discordes castiget, consilia illorum confundendo subtus nives illos sepelire statuerit: *Densis nivibus obrues, ut conglaciati frigoribus evertantur.* Etenim Deus noster non opus habet ut ad conscribendos exercitus ærariæ evacuet; argentum & aurum indè extrahendo, utpotè qui novit & potest per ranas, ciniphes, muscas, aliaque similia minutissima animalia monarcharum fastum domare, prouti Pharaonis superbiam simili modo edomuit. Undè Rupertus Abbas ait: *Ecce quales contra fortes Ægyptios composuit acies.* [l. 2 in Exod. cap. 28.] In vita S. Jacobi Episcopi Nisibitæ scribitur, quòd dum Sapor Persarum Rex formidabilem quemdam adversus civitatem Nisibim moveret exercitum, sanctus pastor prædictus elevatis in cœlum oculis Deum rogavit, ut huic sese inimico opponeret, & ecce unico momento densa quædam nubes ex innumeris muscis conflata comparuit, quæ in elephantorum proboscides & equorum nares ingredientes, eosdem in tam effrænem cursum & saltus concitarit, susque deque omnes tergis immorantes milites in terram dejecerint, & elisis calcibus eosdem eliserint, tantamque inter illos stragem ediderint, ut totus ille ingens exercitus subito dissipatus atque dispersus fuerit, sic enim *infirma mundi elegit Deus ut fortia confundat*, [1.Cor.1.27.] & quidem quænam materia facilius nive dissipatur & evanescit? quidnam illatæ per chalyben & ferrum violentiæ explosis è balistarum machinis globis, qui fulminum instar ad dissipandas armorum turmas evomuntur à nive damni inferri poterit? & tamen *Præparavit thesauros nivis in diem pugnæ*, & tamen nivium flocci ad instar mollis & tenuis lanæ decidant, hosce tamen Deus ad rigidum gelu reducere, indeque generosorum militum manus infirmare potest, adeò ut ad arma stringenda, & pugnam ineundam omninò reddantur inhabiles. Verùm enimverò textum assumpti thematis ad hodiernam diem adaptando, in sequentem formam de eo discurrere statui.

2 Quodnam est magis continuum & truculentius bellum, quod homo communius in se experitur, præterquam illud, de quo Apostolus scribit: [Gal. 5. 17.] *Caro concupiscit adversus spiritum*? hic enim inimicus tantò est formidabilior, quantò majori cura à nobis nutritur, & blandius fovetur, qui per voluptatum & delitiarum illecebras terribile nobis bellum indicit; est enim inimicus sensui amicissimus, & à nobis summè dilectus, & in delitiis habitus; siquidem *nemo carnem suam odio habet, sed nutrit & fovet eam*; [Eph. 5. 29.] & tamen nocentissimus inimicus noster est, qui mortem non solùm temporalem, sed æternam; non corporis tantum, sed & animæ machinatur; quia ut Christus ait: Corpus *& animam perdit in gehennam*; divina autem providentia ad fortem hunc hostem debellandum *præparavit thesauros nivis*, id est, virtutem nobis insinuat puritatis & castitatis, quæ est velut inæstimabilis quidam thesaurus, cujus sanctissimam Matrem suam thesaurariam esse voluit. Porrò spiritus sanctus hanc virtutem per os Pauli Apostoli insigni hoc thesauri titulo nobilitavit, dum ait: [2.Cor. 4.7.] *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*; ærarium autem, in quo thesaurus iste recluditur est hoc corporis humani lutum, & quidem thesaurus ille nivi comparatur, non solùm propter candorem, quem virtus

casti-

castitatis annexum habet, verùm etiam quia sicut nix omne suum esse à cœlo se habere agnoscit; siquidem *Nix de Cœlo descendit*; eodem modo hæc virtus propriæ culturæ & diligentiæ nostræ nequaquam, sed divinæ gratiæ principaliter attribuenda venit, *ut sublimitas sit virtutis Dei; & non ex nobis*; [Eccl. 26. 20.] ad hæc cùm Ecclesiasticus attestatur dicens; *Non est digna ponderatio continentis animæ*, meritò eidem continentiæ thesauri epithetum adscribitur; quia si omne aurum, quod è Peruanis aurifodinis eruitur, in bilance cum una continente anima ponderaretur, plus utique ponderabit, plurisq; æstimabitur in conspectu Dei illius, qui *est candor lucis æternæ, & speculum sine macula*, pura quædam & continens anima. Per hunc igitur thesaurum, id est, per pretiosissimam hanc virtutem hunc hostem cæteroquin invincibilem superamus. Huc spectat quod Seraphicus Doctor in vita S. Francisci scribit: dum enim Seraphicus Franciscus nocte quadam à spiritu fornicationis horrendum in modum infestaretur, adeò ut hic spiritus unà secùm in viri sancti perniciem universum evocasse videretur infernum, sanctus hic vir in hoc certamen ineundum eo se armorum genere accinxit, quod ipsum ex hoc Jobi textu omninò didicisse existimo, nimirum thesauros nivis ingressus est, quia in rigidissima hyeme cellam suam egressus, *& in magnam demergens nivem corpusculum jam denudatum*. Quid demum corpusculo suo nudo in media nive consistens ulteriùs fecit? num fortè manus suas pallis niveis oneravit, easdemque veluti totidem sclopetarios globos evibravit in hostem; Minimè, sed septem magnas condemnavit nivium strues vel moles, ejusq; usus est veluti totidem fortalitiis & propugnaculis, è quibus ab insultibus se infernalibus defendebat; nam ad seipsum conversus (priùs enim optatam de suo corpore victoriam reportare debebat, utpotè quòd spiritui rebellari & obluctari nitebatur) in moles niveas digitum extendens dixit; Hæc major conjux tua est; hæ duæ, duo sunt filii, aliæ duæ ancillæ & famulus: *Festina igitur omnes induere, quia frigore moriuntur*. Verùm inquies, quonam fine prælium istud completum fuit? Ecce tibi in harum nivium virtute gloriosam reportatam victoriam: *Quibus dictis illico tentator recessit victus, & Franciscus cum triumpho rediit ad cellam*; adeoque nives istæ illum concupiscentiæ carnalis pessimum ignem extinguere prævaluerunt, hæcque ratione ipsimet quoque igni infernali generosissimam fecerunt resistentiam.

2. Verum enim verò quoniam hodierna festivitas in sanctissimæ Virginis honorem celebratur, operæ pretium me facturum existimo, si ipsam thesaurum hunc niveum esse demonstravero, quo Deus nos locupletavit, ut adversus impurum hunc fornicationis spiritum pugnare, eumq; vincere valeamus; ejus etenim protectio efficacissimum est medium, ut continentes & immaculati deinceps vivamus. Etenim quod si verum est, prouti est verissimum quod S. Bernardus scribit: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret*; [Hom. super Missus est.] consequens est, quòd cum ipsa gratias, virtutes & dona cœlestia dispenset, in hac virtute puritatis, utpotè sibi adeò super quasvis alias virtutes grata & accepta, devotorum suorum animis inserenda longè sit futura liberalior & pronior. Porrò nix hanc inter cæteras proprietatem habet, quòd visus nostri vehementer sit disgregativa ob intensissimam quam refert albedinem. Undè oculus irretorta & fixa acie illam aspiciens obfuscatur, haud secus ac ab excessiva Solis luce hebes efficitur; hæcque nivis conditio ab interprete quodam moderno, qui in Jobum diffusè satis scripsit, beatissimæ Virgini adaptatur. Ecce tibi præfati Authoris ipsissima verba; *Similiter talis fuit innocentia, pudoris & integritatis splendor in Maria,* [Boldnch. in c. 37. Job. v. 6.] *etiam extra, ut si quis eam impudico intuitu voluisset aspicere, statim ejus obtunderetur mentis aspectus, ut nihil quam omnimodam & admirabilem cogitare de illa posset puritatem*; & ad id probandum, Lyrani adducit authoritatem dicentis, quòd sicut filii Israel non poterant oculos suos in Moysen defigere, eò quòd vultus ejus nimium luminosus effectus fuisset per illam cum Deo in monte Sinai habitam familiaritatem & diuturnum colloquium: *Ita Deiparæ vultus adeò præfulgebat, ut attentis ac fixis luminibus homines in eam intueri non possent*. Abulensis ad propositum illius mysterii, quod crastino die celebrat sancta [Lib. 4. in Matt. c. 17.] mater Ecclesia, quærit curiosè, an in vestibus Salvatoris lumen aliquod vel splendor fuerit? & respondet affirmativè, quia sanctus Marcus quando transfigurationem refert, ita scribit: *Vestimenta ejus facta sunt splendentia*; ubi alius Evangelista ait: *Facta sunt alba sicut nix*, ac tandem idem præsul Abulensis subjungit: *Nix habet quandam excellentiam, quia non solùm habet albedinem intensam, sed etiam propter magnitudinem lucis participatæ radios aliquos emittit, & ideo oculos offendit, & ob hoc nix non solùm dicitur alba, sed etiam splendens & fulgens*; talis autem propriè fuit candor virginalis Matris Dei, neque enim solùm in semetipso immaculatus & purissimus fuit, verùm etiam in commodum & beneficium nostrum radios & splendores scintillavit, ad hoc ut omnes, qui per devotionem ipsi adhærent, seque ejus patrocinio committunt, concupiscentiæ carnalis stimulos in semetipsis reprimant, seque in amorem virtutis continentiæ & honestatis inflammari sentiant. Nescio certè an mentem vestram prima facie verba illa S. Matthæi nonnihil perturbarint, quibus de Virginis cum S. Josepho sponsalitio tractans ait: *Et non cognoscebat eam donec peperit*, etenim hæc phrasis & modus scribendi hujus Evangelistæ [Matt. 1. 25] multos parvi judicii, & tamen temerarios intellectus in confusionem & errorem redigit, utpotè qui virginitatem Deiparæ ob illa verba in suspicionem trahere non dubitarunt, S. Hilarius autem dubium istud pulchrè resolvit, dum Evangelistam de cognitione visiva & intuitiva [Test. in cat. D. Th] intelligendum esse asserit; dicere enim voluit, quòd postquam Maria Spiritu obumbrante concepisset æternum Patris Verbum, quod lux illa est, quæ *illuminat omnem hominem*, Deus in inviolabilis puritatis ejus signum, lucis & claritatis splendores & radios adeò luminosos in vultu ejus emicare fecerit, ut Joseph fixis oculis eam aspiciens minimè cognoverit: *Si Moysis cum Deo colloquentis glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israel; quanto magis Maria agnosci vel intueri non poterat, quæ Dominum in utero habebat; Post partum autem à Joseph cognita invenitur specie faciei*. Prærogativa quædam singularis & soli B. Virgini propria fuit, quòd cùm aliæ hujus sexus debiliores mulieres a nostris oculis conspectæ concupiscentiæ incentiva in nobis excitant, ipsa è contra in animis eam aspicientium puritatis & pudicitiæ impresserit affectus. Undè S. Ambrosius ait: *Tanta erat ejus gratia, ut non solùm in se virginitatis gra-* [Lib. de Instit. v. c. 7.] *tiam conservaret, sed etiam his quos inviseret, integritatis insigne conferret*. Id quod, ut Dionysius Carthusianus opinatur, Sapiens, licèt sub aliquali obscuritate, in persona sponsi cœlestis, illis verbis prædixit: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias Jerusalem*. Dicere enim voluisse videtur aliarum mulierum decorem esse veluti fasciculum quendam pungentium spinarum, sponsæ verò suæ (per quam Maria figurabatur) pulchritudinem, esse veluti candidum quoddam & odoriferum lilium, quod, ut naturales Philosophi dicunt, frigidum est, & typus virginitatis: *Quamvis fuerint multæ virgines sanctæ, tamen respectu Virginis quasi spinæ fuisse videntur; quamvis enim in se fuerint mundæ, fuerunt tamen aliis spinæ, quia ex ejus intuitu concupiscentia pungebantur. Porrò Virgo Deipara intuentium corda sic penetravit sua inæstimabili castitate virginali, quod à nullo potuit concupisci, imo potius extinxit ad horam illorum libidinem*. Hinc igitur nunc efficacissimum faciamus argumentum; Quòd si Maria hanc virtutem habuit, quamdiu in mortali carne inter nos vixit; quantò magis modò, dum velut advocata nostra regnat in cœlis, *illos suos misericordes oculos ad nos convertet*, ut animabus & cordibus nostris hanc sibi adeo acceptam virtutem, è qua velut è signo gentilitio seu livrea servi ipsius dignoscuntur, imprimere satagit? *Mites fac & castos: vitam præsta puram*.

Banajæ facinus consideratur, qui in diebus nivis leonem, in quo carnis vitium denotatur, occidit; vitium autem istud Mariæ auxilio, & protectione præcipuè superatur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Descendit & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis. 2. Reg. c. 23. v. 20.

1. PEr insigniora facta, quæ in antiquo nobis Testamento recensentur, Spiritus sanctus nobis excellentiora, quæ in lege nova eventura erant, mysteria

præfiguravit. Undè Apostolus scribit: *Omnia in figura contingebant illis.* Quo quidem principio supposito, ingens illud prodigium, quod hodierna die Romæ accidit, quoad multas sui partes in eo facinore præfiguratum fuisse videtur, quod in lib. 2. Reg. de generoso illo belli Duce Banaja memoratur; huic namque inclyto athletæ duo Leones in Moab occurrerunt, qui protinùs ab eo fuere decerpti & dilaniati; illis vero occisis demum in cisternam quandam descendens, pariter in Leonem fortuitò incidit, de quo victoriam pariter retulit. Accuratè vero facer Chronista factum hoc accidisse advertit eo præcipuè tempore, quo terra altis erat nivibus contecta: *Percussit Leonem in media cisterna in diebus nivis.* Ecce tibi ad hodiernæ festivitatis propositum nivem: ecce pariter & Leonem: hodie enim in intensissimis Solis in Leone consistentis ardoribus Collis Esquilinus candida & gelida nive fuit contectus. Enimverò Lyranus in morali hujus præfatæ historiæ expositione per generosissimum illum athletam Banajam; virum quendam in sæculo virtutibus & perfectioni totaliter deditum significare dicit? *Signat virum valdè virtuosum in sæculo, qui interfecit irascibilem & concupiscibilem significatas per duos Leones Moab.* Per alterum, vero Leonem in cisterna suffocatum, avaritiam intelligendam esse dixit, quæ à Joanne *Concupiscentia oculorum* nominata fuit, quam *interfecit per largitatem inter pauperes in diebus nivis, id est, tempore refrigescentis charitatis.* Nos vero hac suppositione supposita ad nostrum intentum hunc in modum discurrere possumus. Nam per hunc raræ virtutis hominem in sæculo in conjugali statu viventem congruè intelligendus venit Joannes ille nobilis Patritius Romanus, cujus in lectionibus hodiernæ festivitatis facta est mentio, qui peculiari devotione beatissimæ Virgini deditus, in superandis prædictis duobus Leonibus fortem se & invictum athletam esse probavit. (Erat siquidem civis & Eques Romanus, de quibus olim Scevola dicere solitus fuit: *Agere & pati fortia Romanum est?*) Præter hos vero Leonem quoque cisternæ, id est, bonorum temporalium cupiditatem *per largitatem erga pauperes* strenuè devicit; cùm enim *pauperum nomine* etiam Ecclesia & cultus divini propagatio intelligi possit, præter consuetas eleemosynas, quas per diem ordinariè in pauperes erogabat, sanctissimam quoque Virginem Mariam, omnium facultatum divitiarumque suarum hæredem ex asse instituit, idque *in diebus nivis, id est, tempore frigescentis charitatis*, id est, quando hominum erga sanctissimam Virginem devotio & cultus omninò intepuerat, nullaque saltem conspicua templa hic Romæ in ejus venerationem erecta fuerant. Sacratissima Virgo igitur oblatam sibi in testamento hæreditatem acceptans, atque ex ea Ecclesiam quandam in suum honorem ædificare volens, ingenti cum mysterio ita disposuit, ut ejusdem basilicæ erigendæ idæa atque delineatio, tempore simul cum sole lucentis atque ardentis in cœlo caniculæ, frigida & candida nive in terram collapsa designaretur, per hoc nos pariter instruendo, quòd per ejus intercessionem & patrocinium tres illos leones, id est, tria præcipua vitia in nos tyrannicè sævientia à Joanne hisce verbis insinuata: *Omne quod in mundo concupiscentia, &c.*

1.Joa.2.16. facillimo negotiò simus superaturi. Veruntamen ut Discursum nostrum ad Leonem partis concupiscibilis limitemus, potiùs dicendum esse existimo, quod per Leonem in cisterna consistentem effrænis in nobis carnalis concupiscentia designetur, quæ in hac nostra fragili & corrupta natura quotidie roboratur, majoribusque incrementis vigescit; siquidem nosipsi per gulam, voluptatem & delitias robur ei & vigorem quotidie subministramus. Undè ver-

Jere. 2.23. ba illa Jeremiæ: *Foderunt sibi cisternas dissipatas*, de hac depravata carne nostra intelliguntur, in qua concupiscentiæ leo rugit, ut animam nostram devoret; leo hic incentivorum flammas, id est, stimulos carnales continuo evomit. Sol quoque hoc mense in leone constitutus, ardentesque radios quaqua versum evibrans, luxuriæ ar-

Ezech.19.2 dorem significat, *Mater tua leæna.* Miles autem Christianus hoc monstrum meliori modo vincere non poterit, quàm cor & oculos suos ad nives, id est, ad Mariæ virginitatem dirigendo, ejusq; se intercessioni recommendando, hæc enim solida arma ad truculentum hunc Leonem profligandum subministrabit. Porrò magnæ huic Matri ab Ecclesia applicari solent: *Quasi aurora consurgens*, & ideo advertendum, in ortu auroræ stillas quasdam terram irrorare, quæ herbis & floribus ex præcedenti solarium radiorum ardore languescentibus vitam restituant & pristinum vigorem. S. Germanus hoc roris epithetum Mariæ intercessioni attribuit, utpotè qui sæpe numero expertus fuerat eandem in se hujus vitii & fomitis nobis adeo connaturalis ardores temperasse. Cui conforme est quod Gerson quoque de ea scribit: *Quasi frigidus quidam ex oculis ros virgineus spiraret, vel efflueret à mente sua castissima.* Apud Lipoman. 23.Nov.

De Æthna monte scribitur, quòd cùm hic mons igne gravidus globos cœlum versus igneus continuo eructet, intactas tamen nives circa latera sua semper conservet, absque eo quod ullam in eo glacies resolutionem patiatur, ac proindè canit Claudianus: *Scit nivibus servare fidem.* DeNat.V.

Porrò aptissimè per hunc montem corpus humanum exprimitur, utpotè in quo fomes sive ignis carnalis concupiscentiæ semper recluditur, & tamen per experientiam sæpenumero videmus, quod castitatis & candoris virginalis nives intactæ & illæsæ perseverent, quod tamen propriæ hominis virtuti & industriæ minimè tribuendum est; siquidem infallibilis est illa Spiritus sancti sententia: Sap 3. 21.

Scivi quia aliter non possem esse continens nisi Deus det; Deus autem illud per manus suæ sanctissimæ Matris dare consuevit, atque ideò vult, ut per miraculum hujus nivis sua ardente in cœlis canicula in terram collapsæ intelligamus, quod per virgineæ Matris suæ potentem protectionem & intercessionem in ipso quoque ignis medio nives conservare valeamus. Consideratione digna sunt verba illa, quæ in quadam Breviaris antiqui, seu juxta ritum Gallicanum legi soliti Collecta quadam in præsenti solemnitate leguntur: *Deus qui ad declarandum Genitricis tuæ Mariæ Virginis gloriam, descensu nivis in æstivis caloribus, locum in quo ædificaretur ei templum dignatus es demonstrare; tribue quæsumus, ut ejus obsequiis insistentes refrigerato concupiscentiæ æstu innocentiæ candore dealbemur;* quibus in verbis perspicuè videtur, quod Ecclesia Mariæ auxilium imploret, ut in virtute cultus & venerationis nostræ erga ipsam carnalis concupiscentiæ ignem evadamus. Binetus in praxi amoris divini c. 5. n. 11. scribit, juxta Gratianopolim fontem quendam reperiri, qui calorem adeo ardentem exhalat; ut nonnulli calidissimi vapores; continuo incendantur, eique superimmineant, cùm tamen ipsa fontis aqua in se frigida imo gelida remaneat; quis unquam inter naturales effectus magis peregrinum vidit prodigium, quàm quod aqua gelida ardoris & caloris genitrix existat, ipsa tamen frigida gelidaque remanente? hunc autem effectum admirabilem beatissimæ Mariæ Virginis opera in nobis frequenter experimur; siquidem sæpè stimulos carnis adeo vehementes patimur, ut Ætna corporis nostri innatum hunc lasciviæ ignem in se perpetuò nutriat, & tamen alia ex parte glacies & nix puritatis & castitatis perpetuò conservetur. S. Augustinus inter alia naturæ prodigia de Palea quoque hisce verbis scribit:

Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim ut obrutas nives servet, vel tam fervidam ut poma immatura maturet? Tales profectò paleæ nos sumus, de quibus dicitur; *Paleas* Lib. 21. de Civit. Dei c. 4.

autem comburet igni; qui proindè etiam fœni titulo denominamur: *Omnis caro sicut fœnum*, ratione videlicet nostræ Eccl.14.18

fragilitatis, & tamen in multis clarè conspicitur, quòd hæc adeo fragilis & corrupta natura, puritatis nives in non paucis conservet, non obstante quòd ob hunc in se inclusum fomitem etiamnum adeò effervescat, id quod tamen potissimum Virginis sanctissimæ patrocinio adscribendum venit; licèt enim donum hoc, ut paulò antè diximus, è cœlo expectari debeat, efficacius tamen mediante devotione erga sanctissimam Dei Matrem obtinebitur. Undè Liberius Papa, cujus tempore prodigiosum hoc contigit miraculum, in sermone, quem hodie in populum Romanum pronuntiavit, ita loquitur, *Ecce Charissimi nix de cœlo in hoc ferventissimo tempore cecidit, ut nos Deus sua misericordia candore dealbandos ostenderet, si ad devotionem sanctæ Genitricis suæ nos accingamus.* Ita in Diario sacro legimus.

2 Verùm enimverò ut à principio discursum nostrum resumamus, sciendum est quòd prout Josephus Hebræus notat, leo occisus in illam cisternam ideò lapsus fuerit, quia hæc nive contecta undique erat; quod idem Dionysius Carthusianus quoque scribit, dum ait; *Nam tempore nivis lapsus fuit leo ille in foveam, quæ nive fuerat cooperta, ex qua cum egredi non valeret, irrugit, cujus rugitu pertransiens ibi Banajas audito intravit, & interfecit Leonem illum*; neque enim sine causa ab historia sacra dicitur: *In diebus nivis. Notatur hic tempus nivis* (inquit Abulensis) *ad gloriam victoriæ Banajæ, quia* L.7.an:iq

Leones sunt fortiores tempore nivis; tum etiam,

quia

quia eo tempore arma obstante frigore difficilius tractantur; adhæc cisterna hæc locus augustus erat, ideoque Banajæ difficile, si non impossibile potiùs erat, ictus leoninorum dentium sibi infligendus exsiliendo evadere, quos utique experiri debuisset, si bestia hæc famelici cujusdam & in desperatione positi leonis ferociam exhibuisset, maximè cùm in simili gelido tempore præda, qua famis leoninæ rabies compescatur, non tam facilè obvia esse soleat. Enimverò quis non videat, quàm facile totum leoni infernali adaptari possit, de quo S. Petrus movet: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens* 1. Pet. 5.8. *circuit quærens quem devoret*; hic enim vehementi animarum nostrarum fame urgetur, & in furiam longè majorem redigitur, quando nos ad hanc pudicitiæ nivem recurrere, & continentis vitæ propositum concipere vider. Nam ut S. Philippus Nerius dicere solebat: sublata à juvenibus carne, & adempta senibus avaritia, juvenes pariter & senes sancti utique futuri essent. At verò quid nobis faciendum superest, ut immanem hunc leonem captum præcipitem agere possimus? Cisterna hæc candida contegenda & cooperienda est nive, id est, mentibus & cordibus nostris solida quædam & vera erga sanctissimam Virginem Mariam imprimenda est devotio, ejus imitando puritatem, auxiliumque & assistentiam ejus serió implorando. Undè in eodem suptadicto Diario sacro, pro hodiernæ diei festivitate sequens ad B. Jo. Junior in scala cœli. Virginem recitanda oratio præscribitur: *O bona Virgo Maria, gratiam devotionis in te, & in tuum servitium exhibe nobis*; & post alias quasdam eidem Virgini exsolvendas preces, hæc proposito nostro aptè deservientia verba habentur: *Tuis sanctis meritis fac nos habere tam in anima, quàm in corpore veram munditiam.*

3. De quodam Religioso è Cruciegerorum ordine professo scribitur, quòd cùm hic à triginta annis nullos unquam in se passus aut expertus fuisset carnis stimulos, tandem lascivus fornicationis spiritus huic eximio dono insidiatus, eundem carnis tentationibus diu noctuque infestare non destitit; qui proindè tametsi in orationibus quotidie magis magisque infervesceret, suumque corpusculum mira disciplinarum acerbitate maceraret, veruntamen ne continuis tentationum infestationibus tandem cedere cogeretur pertimescens, ad præsidium immaculatæ Virginis suum habuit filiale refugium, & quia hæc carnis lucta diu in eo perdurabat, coram altari quodam quod B. Virgini sacrum erat, prostratus, in eodem altari positam quoque B. Gertrudis imaginem observavit, quæ capite velo contecto & ad B. Virginem inclinato, ejusdem Virginis statuæ adsistebat; unde bonus hic religiosus diuturnioris & vehementioris tentationis impatiens, ad Deiparæ Virginis statuam, quæ instar Reginæ diademate quodam in capite redimita erat, conversus sancta quadam cum simplicitate eidem dixit. Nisi mihi in hoc discrimine posito protinus adjutorium aliquod præstiteris, diadema istud è capite tuo sublatum, vertici S. Gertrudis mox imponam, (id quod narrans Author exclamat: *O Deus quid non facit innocentis hominis sancta simplicitas!*) Quibus dictis serenissima Virginum Regina confestim se hanc coronam & gloriam, quam in eo præcipuè positam habet, quod devotos suos in hac carnis lucta, & immani cum sevo concupiscentiæ Leone prælio constitutos protegere & defendere satagat, sibi eripi aut adimi nequaquam permittere velle manifestè satis declaravit, siquidem suo ei impenso materno præsidio id effecit, ut bonus ille Religiosus in hoc diuturno cum carnis concupiscentia habito duello victor evaserit, nec unquam deinceps carnis incentivis infestatus amplius fuerit. Sanctus Ambrosius de sancta L. de Virg. Tecla inter Virgines Prothomartyre generosissima scribit; quod cùm leonibus ab iisdem dilanianda objecta & exposita fuisset, hi eam non solum non tangere, sed ne quidem aspicere ausi fuerint, DEO nimirum per hoc insinuare volente, quòd tersa hæc lympidissimaque honestatis Crystallus, leonibus illis infernalibus, præcipuè verò spiritu fornicationis non solùm tactu, sed etiam aspectu obfuscari & contaminari possit; *Ut non solum ungue non violarent aspero, sed neque etiam procacibus oculis intuerentur; quia sancta virginitas non solum tactu, sed etiam aspectu violatur*; Ecce quanta cum facilitate candidissima virginitatis nix candorem suum amittat; & tamen concepta erga beatam Virginem devotio id operatur, ut leones illi, id est, stimuli & tentationes carnales, vel etiam homines carnis lasciviæ dediti, nec non imbellior mulierculatum sexus, nos ne quidem aspicere, nedum tentare ausint, adeoque per hasce patrocinii sui nives leonem illum infernalem, qui *circuit quærens, quem devoret*; in imum inferni barathrum turpiter corruere facit.

Mansi Prompt.

4. Verùm enimvero ut ædificium Ecclesiæ sanctæ Mariæ majoris virtute hodierni nivium cælitus lapsarum miraculi, ex Joannis Patritii Romani beatissimæ Virginis unicè devoti clientis hæreditate erectum, per hanc supra memoratam Banajæ historiam vivacissimè præfigurari liquido appareat, sciendum est, quod Banajas, ut Glossa ordinaria exponit, interpretatur *ædificator Dominus, & Christum significat, qui Ecclesiam ædificat*; Nobis verò potius dicere licebit inclytum hunc athletam Banajam nobilem hunc Patritium Romanum præfigurasse, qui hanc solemnissimam Basilicam in B. Virginis honorem ab ipsis usque fundamentis erexit, omnibusque aliis insigni exemplo suo stimulos addidit, ut piam hanc beatæ Virginis venerationem ab ipso cœptam strenuè prosequerentur & continuarent. Eodem præcitato loco Glossa per nivem gratiam Christi significari dicit, quæ toti generi humano resplenduit: *In tempore nivis, cum scilicet gratia Christi mundo resplenduit, leonem, id est, Diabolum interfecit*: Hoc etenim monstrum, ut diximus, aliter quam per divinæ gratiæ auxilium, quod ut diximus à beata Virgine nobis ministratur, superari aut prosterni nequit: *Ipsa conteret caput tuum*. Veruntamen advertendum est, quodsi ad superandum hunc carnalis concupiscentiæ leonem nos virginea Deiparæ assistentia dignos reddere velimus, cavendum nobis sit, ne ei ultro citroque occurramus, ejusque faucibus nos ingeramus, quin potiùs beatissima Virgo refugium nostrum erit, si occasiones omnes cane & angue pejus fugerimus, neque de ejus auxilio nimium præsumentes imminentibus ab illo periculis nos temerè exposuerimus. Porrò de Nazaræis scribitur, quod *fuerint candidiores nive*; E quorum secta Samson erat; Hisce autem non solùm vinum bibere, verùm etiam uvas manducare districtè prohibebatur. Contigit autem, quod fortissimus & invictus hic Heros per strictam quandam semitam inambulans leonem quendam obvium habuerit, quem vix alio modo declinare poterat, quàm vineam quandam in qua maturæ uvæ in magna quantitate à vitibus dependebant, ingrediendo, verùmtamen ne se uvarum comedendarum periculo exponeret, Leonem forti & invicto animo aggrediens, eundem prostratum dilaniavit, neque dubium est, quin illi ad hoc facinus generosum aggrediendum Spiritus sanctus vires & animum specialiter suggesserit, eò quod potius corporalis, quam spiritualis mortis periculo se exponere maluerit. Unde sanctus Basilius in lib. *Quod Deus non est causa malorum*, de hoc facinore ita scribit: *Scio Samsonem victorem esse Leonis, sed si in vineam ascendisset nescio quid illi evenisset*. Hujus igitur ab exemplo discendum nobis est, quod occasiones exercendæ lasciviæ studiosè cavere & fugere, non verò nos iis ultro ingerere debeamus: quod si tamen cum carnalis concupiscentię ferocissimo leone necessario nobis pugnandum fuerit, adeò ut illum nulla ratione sine prælio declinare valeamus, in nivem, id est, patrocinium Virginis Mariæ nobis confidendum sit, utpotè qui de obtinenda adversus ipsum victoria securi esse, ipsumque in ignem infernalem deturbare facilè possumus, dummodo mysticam hanc corporis nostri cisternam, nivium candore, id est, studio continentiæ, devotionis & patrocinii sanctissimæ Virginis contegere satagamus.

Nix quæ hodierna die descendit, puritatem Mariæ præfiguravit; cujus quoque laudes fusius exponuntur.

DISCURSUS TERTIUS.

Aspergit nivem, pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus. Ecclesiast. cap. 43. v. 19.

1 PRodigiosum hodiernæ diei miraculum, quo cœlum hodie montem Esquilinum copiosa nive respersit: Aspergit nivem, clarioribus verbis à Spiritu

 sancto,

ſancto, utpote Divino beatiſſimæ Virginis ſponſo, tot tetro ſæculis prædici non potuit, quam iis quæ in præſenti themate continentur, dum ait: *Aſpergit nivem &c.* aſt verò ex quo nix illa in maximis Solis in Leone conſtituti ardoribus deorſum lapſa eſt, ideò meritò hanc nivem admiratur & obſtupeſcit oculus, non ſolum ob candorem, ſed etiam propter gelu: *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus*. Neque enim ullam homini admirationem nives illæ conciliant, quæ in rigidiſſimo hyberni temporis frigore, Aquilone ſpirante decidunt. Porrò beatiſſima Virgo illam Eſquilini montis partem candida nive contexit, in qua illam quæ hodiedum conſpicitur, auguſtiſſimam Baſilicam in ſuum honorem fabricari volebat, ideoque per hanc deciduam nivem hujuſce Baſilicæ ideam, amplitudinem, formam, & architecturam perfectiſſimè delineavit. Enimvero ſi quis veſtrum ex me quæreret, cur B. Virgo hunc in finem nive uti voluerit? Reſponderem utique, id ab ea factum eſſe, eò quod nix ſymbolum quoddam ſit virgineæ ſuæ
Job. 9. 30. puritatis, cùm nullus reperiatur candor niveo candori
Pſal. 50. 9. æquiparabilis: *Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſima manus meæ*. Et Pſalmiſta ait:
Pſal. 75 15. *Super nivem dealbabor; nive dealbabuntur in Selmon*. Merito autem nix hodierna extra ſolitum tempus dilapſa eſt, ut ſit motivum majoris admirationis & ſtuporis, nobiſque ſignificet, quod omnem humanum intellectum longè ſuperet candor virginis: *Pulchritudinem ejus admirabitur oculus*.

2 Soli virgini & nulli alteri privilegium hoc conceſſum fuit, juxta illud: *Sola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Jeſu Chriſto*, quod ſcilicet originalem maculam, cunctis aliis Adami poſteris communem nunquam contraxerit, ſiquidem ab illa corpus ſuum accipere decebat lux illa, quæ de ſe ait: *Ego ſum lux mundi*; quæ ipſamet de ea teſtatur, dicens: *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*: Huic autem ab originaria macula immuni & immaculatæ puritati, virginitatis ejus candor adjungitur, ad cujus laudes & præconia exprimenda ſancti Patres varia eaque digniſſima certatim adſcribunt epitheta. Sanctus Epiphanius beatam Virginem appellat *Principem virginitatis*. Sanctus Ildephonſus adeo eadem devotus eam vocat *Paſtigium omnium virginum*. Sanctus Joannes Damaſcenus: *Virginitatis theſaurum*. Sanctus Anſelmus de Excellent. beatæ Virginis: *Matrem Virginitatis*. Sanctus Bernardus Tract. de Paſſione Domini Cap. 3. *Virginum primiceriam*. Sanctus Ildephonſus alibi, ſcilicet lib. de Virginitate Mariæ, *Aeternitatis Virginitatem*. Chryſologus ipſam vocat: *Reginam totius caſtitatis*? at verò ſancta mater Eccleſia, quæ ab infallibili Spiritus ſancti aſſiſtentia dirigitur, ſe ad hujus virtutis encomia dignè exprimenda, eò quod ſupra modum ſtupenda ſint, condigna verba invenire non poſſe, pleno ore confitetur, dum ait: *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio*; Verum enimverò tametſi intellectus & diſcurſus noſtri oculus ab exceſſivo hujus nivis candore obfuſcetur & hebeſcat, nequaquam tamen ab obligatione ad ſolvendum ei in hoc ejus feſto debitum obſequii & devotionis noſtræ tributum immunes cenſendi ſumus.

Cant. 4. 3.

Serm. 2. de Aſſump. orat. de Deip. Oratione de n. e. ult.

S. rm. 83.

3 Unigenitus DEI filius, qui *eſt candor lucis æternæ*, aliam naturam Divinitati in eadem divina perſona conjungere volens, tametſi Angelicam nobiliſſimam naturam, non verò ſordidum hoc corporis noſtri lutum aſſumere potuiſſet, nihilominus *Nuſquam*
Heb 2. 16. *Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*, eo quod in hac Virgine, quæ dicitur ex ſemine Abrahæ, deſcendiſſe lilium quoddam virginitatis adeo pulchrum adeoque candidum adinvenit, ut de illo ſanctus Ambroſius
Epiſt 82. ita ſcribat: *Quid loquar, quanta ſit virginitatis gloria, quæ meruit à Chriſto eligi, ut eſſet etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, ut legimus, habitavit plenitudo Divinitatis*? Quis unquam credere potuiſſet, hanc virginitatis ejus nivem DEUM illum in terram trahere potuiſſe, qui *ignis conſumens eſt*? ipſa et-
De fide orthod. qu. 126. enim *Verbum DEI in ſinu Patris invenit, & toto hauſit pectore*. Sanctus Juſtinus Martyr de eadem virtute dicit: *Beata virgo beatior prædicanda eſt, ob virtutem quam habuit, propter quam meruit eſſe mater DEI, quam ob ipſam matris dignitatem*: hæc autem virtus, per quam mater DEI effici meruit, puritas ejus virginalis fuit, quæ adeò mirificè in ipſa prævaluit, ut dum ſe matrem DEI futuram eſſe Angelo nunciante perciperet, nec tamen ſatis an id ſine jactura vel læſione virginitatis ſuæ futurum foret, intelligere poſſet, ad acceptandam adeo eminentem dignitatem conſenſum ſuum ſuſpenderit, dicens: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? conſenſum ſuum prius dare noluit, donec de integritate virginitatis conſervanda certior facta fuiſſet, unde ſancta DEI Eccleſia de ipſa canit: *Virginitatis non pateris detrimentum*. Et ſanctus Gregorius Nyſſenus de ea ait: *Angelus partum nunciat, & illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam indicat*. Aliæ mulieres concipiendo & pariendo hanc virginitatis virtutem amittunt, de ipſa autem ſanctus Fulgentius ſcribit: *Crevit partu integritas, & virginitas ampliata potius quam fugata*; id quod Chryſologus pariter confirmat, dum ait: *In tuo conceptu, in tuo partu crevit pudor, & aucta eſt caſtitas, integritas roborata eſt, & ſolidata virginitas*. Nec mirum, ſiquidem ipſa opera Spiritus ſancti puriſſimæ illius columbæ concepit, quem in hujus virtutis ſubſidium & augmentum invocare ſolemus, dicentes: *Ure igne ſancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus*; Ipſa verbum concepit, eidem verbo promptè obediendo, quando dixit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*; unde ſanctus Auguſtinus ait, *Non concupiſcentia carnis, ſed obedientia mentis concepit*. Porrò veritatem hanc meliùs ex quadam ſancti Thomæ doctrina intelligemus, ſcribit etenim Doctor Angelicus, quod impuritas rei alicujus puritati directè oppoſita in eo conſiſtat, ſi videlicet res illa materiæ ignobiliori admiſceatur, non verò ſi nobiliori, ſic enim argentum puritatem ſuam non amittit, ſi auro admiſceatur, benè tamen ſi plumbo vel ſtanno; eodem prorſus modo de beata Virgine diſcurrere poſſumus, etenim verum quidem eſt ipſam ſponſum, à quo fœcundaretur, habuiſſe, ſed quem illum fuiſſe exiſtimatis? non alius quam Spiritus ſanctus; verum item eſt, quod conceperit & pepererit, ſed Filium Dei, *Speculum ſine macula*, adeoque meritò dicitur, quod *crevit partu integritas*; unde S. matri Eccleſiæ nequaquam ſufficit, quod eam communi Virginis laude deprædicet, quin potiùs ipſam pluribus epithetis infinitæ cujuſdam puritatis expreſſivis exaltat dicendo: *Mater puriſſima, mater caſtiſſima, mater inviolata, mater intemerata*. Ex quibus omnibus elogiis hoc ultimum potiſſimum obſervandum eſt, ſiquidem illa non ſolum in ſeipſa de facto puriſſima fuit, verùm etiam à nullo aliorum cogitationibus, obtutibus aliis, præterquam honeſtiſſimis conſiderata & viſa fuit, utpote quæ hoc peculiari dono decorari meruit, ut in nemine vel minimum ex ſui aſpectu excitaret concupiſcentiæ incentivum, ſed potius puriſſimum honeſtatis affectum & deſiderium in quovis ipſam conſiderante vel vidente provocarit. Unde Lib. de vel Virg.
hanc et Tertulliani propoſitionem ad præſens propoſitum apte deſervientem adaptare poſſumus, qua dicit: *Tales oculi videbunt Virginem, quales habet oculos Virgo, quæ videri volet*. Etenim Virgo ſuo obtutu omnes ſe aſpicientes ſibi reddebat conſimiles, id eſt, puritatis ſuæ amatores; unde S. Thomas de Villanova ait: *Sacra,* Ser de An.
pura & immaculata Virgo, cui etiam præ aliis hoc erat virginitatis inſigne, ut inſpectores ſuos (ut ita dixerim) virgines faceret, erat enim in ea, ut Propheta utar eloquio, virgines germinans virginitas.

Hodie nat. Domini.

Serm. de laud Virg.

Ser. 122.

2. 2. q. 7. a. 7.

4 *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus*. Plinius ſcribit nivem in alto mari non delabi, inter inſulas Lib. 2. cap. 103.
tamen Fortunatas unam eſſe, quæ ob continuas nives in illam delabentes nivaria appellatur; at verò idipſum de mari Mariano nequaquam aſſerere poſſumus, quandoquidem illud candida perpetuæ puritatis virgineæ nive conſperſum eſſe videmus, collis quoque Eſquilinus hodie jure appellari poteſt inſula nivaria, pariter & fortunata, cùm enim nix in dictum collem dilapſa Mariæ virginitatem præfiguret, dignum ſibi divinoque cultui templum conſecravit. Veruntamen ex quo templi mentionem fecimus, utique ſæpius obſervaveritis Eccleſiæ non ſufficere, quod Mariæ ſolum templi titulum attribuat, verum inſuper ipſam Spiritus ſancti Sanctuarium appellet, *Templum Domini, Sacrarium Spiritus ſancti*, hæc enim inter

tem-

templum & sanctuarium intercedit differentia, quod illud unusquisque ingrediatur, non item unicuique sacrarium ingrediendi facultas erat; Sancta Lucia de castè viventibus ait: *Caste viventes templum sunt Spiritus sancti*; & meritò hi templum vocantur, quia castitas communis est multis, cum tamen virginitas paucorum sit; & quidem quod intemeratam Mariæ virginitatem attinet, cùm illa nullius prorsus creaturæ sive hominis sive Angeli virginitas comparari meretur, ac proinde sacrarium Spiritus sancti esse dicitur, in quod nulli præterquam æterno Sacerdoti aditus patet; & hinc est, quod eadem sancta Dei Ecclesia immediatè subjungat, *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo*, talis etenim, id est, omni exemplo carens, Mariæ puritas fuit, & idem ut sanctus Bernardus ait, *Virginitate placuit*, cui illa sancti Thomæ de Villa nova sententia consonat, qua ait: *Cæteris virginibus sat est incorruptas esse corpore, intactas haberi carne: quænam est enim, aut fuit unquam alia Virgo, quæ cogitationis libidinem non senserit; carnis molestias non pertulerit? sat est si dicit, sufficit si non succubuit. Maria sola est undique Virgo, virgo carne, virgo & mente, virgo aspectu, virgo contactu, virgo cogitatu, virgo affectu, virgo sermone, virgo opere, virgo spiritu, virgo sensu*. Scribit certus quidam author, videri sibi omnino, quod Deus majoris fecerit honorem & bonam famam suæ matris in ordine ad puritatem virginalem, quam fidem, ut ita dicam, suæ Divinitatis, eò quod à virginali matris suæ integritate, sui quoque partus Divinitas apud homines commendatur; ac proinde Sanctus Leo ait: *Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, materiam ministravit, assumpta est de matre Domini natura, non culpa*. In hujus declarationem adhiberi solet similitudo in lanam dilabentis pluviæ cujusdam, maximè quando de Incarnatione Verbi in utero Virginis consummata tractatur: *Descendet sicut pluvia in vellus*. In illo namque Gedeonis vellere sive lana rore perfusa, puritas Virginalis significatur, cujus figuræ mysterium sanctus Chrysologus hisce verbis declarat: *Vellus cum sit de cor-*

Serm. 144. *pore, nescit corporis passiones; sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat*. Author quidam modernus admodum famosus, in quodam suo opere quod scripsit de vita Virginis Mariæ intra uterum S. Annæ matris suæ, in hanc rem Odonis testimonium adhibet, dicentis: *Hujus virginis corpus etiam Angelicis præfert spiri-*

Nevar. c. 5. *tibus*; quam quidem propositionem valde miror, si enim dixisset: *Hujus virginis animam*, propositio nullam in se haberet difficultatem, at verò cum dicat: *Hujus Virginis corpus &c.* quis illam non miretur? cum Angeli sint spiritus purissimi? & tamen verissima est hæc adducta propositio & negari non potest, siquidem Mariæ corporalis puritas, puritate omnium aliorum tam hominum quam Angelorum cœlestium superior omnino existit. Porrò S. Bernardus Paulo ante adductam lanæ similitudinem hunc in modum prosequitur: *Quod*

Ho. 2. sup. missus est. *de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur; & nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur carnem assumptam de carne virginis absque detrimento virginitatis ostendit*. In Diario Sacro circa hodiernum diem oratio quædam ex Manuali Mariano decerpta legitur, cujus hæc sunt verba: *Nos nobilita & illustra candore niveo puritatis, ut tuo filio placeamus, erigamusque cor nostrum amoris & puritatis templum, in quo habitare ipse dignetur, & nos lavare ab iniquitatibus nostris, ut super nivem dealbemur*. Et revera justum omnino & æquum est, ut hunc libellum supplicem Mariæ exhibeamus, ut videlicet in virtute hujus nivis immaculatæ suæ puritatis, qua Basilicam suam in suo nomine & honore erigendam delineavit, in nobis quoque hanc virgineæ castitatis virtutem insinuare dignetur, ut filii sui templum effici mereamur: *Templum Dei quod estis vos*, necnon templum fiamus Spiritus sancti, siquidem *Caste viventes templum sunt Spiritus sancti*; ut hac ratione ejus filiatione digniores reddamur, ipsamque veluti matrem nostram invocare possimus dicentes: *Monstra te esse matrem*.

Variæ considerantur nivis proprietates, ex quibus qualiter nos castos conservare, & carnalis concupiscentiæ ignem fugere debeamus, docemur.

DISCURSUS QUARTUS.

Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant. Sap. cap. 16. v. 22.

1 PRodigium hoc nivis quæ hodierna die in mediis Caniculæ ardoribus hic in urbe Romana dilapsa est; in libro Sapientiæ *ad literam* expressum fuisse videtur, aer namque ex æstivi solis ardoribus vehementissime quidem candebat & incaluerat, & tamen ex altera parte frigus & candor hodiè cœlitus dilapsæ nivis ignitis Solis in leone positi radiis fortiter resistebat; ut proinde dici meritò possit: *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant*. Paulus de Palatio de Resurrectione Domini tractans, Angelum qui tunc in sepulchro visibilis apparuit, præcipuè considerat, qui, ut sanctus Matthæus scribit, faciem fulguri, vestes verò nivi similes habebat: *Aspe-* Mat. 28. 3.
ctus ejus sicut fulgur, & vestimentum ejus sicut nix, & ingeniosè pariter notat similem prorsus speciem in Christo in ejus in monte Tabor facta transfiguratione visam fuisse, siquidem vultus Christi splendidissimum Solem referebat, vestes autem ejus candidæ nivi similes erant: moxque inde natam movet difficultatem hisce verbis: *Interim quis non miretur simul in eodem contraria? an non contraria sunt fulguris ignis & frigiditas nivis?* ac protinus respondet, mirum nequaquam esse, quod Angelus res adeo dispares in semetipso simul unitas videri fecerit, utpotè qui Christi resurrectionem, in qua res inter se plurimum distantes conjunctæ erant, annuntiabat; *Deitas & humanitas, æternitas & tempus, Gloria & afflictio, immortalitas & mors, cœlum & terra*; enimverò ut ad propositum nostrum redeamus: *Quis non miretur simul in eodem contraria? an non contraria sunt fulguris ignis, & frigiditas nivis?* equidem non dubitò, quin si quis hodierna die in monte Esquilinio Romæ constitutus, eundem partim frigida & gelida nive, quæ ignitis Solis ardoribus quos in Leone constitutus de se vibrat, multum resistit, totaliter conspersum videret, idipsum inauditi prodigii loco habiturus esset; *nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant*, & tamen idem prodigium sæpenumero contingere videmus, qui in sinu suo ardentem concupiscentiæ ignem, id est, innatum nobis sensualitatis fomitem sustinent, nihilominus ob conceptum continentiæ & castitatis, & nonnunquam etiam virginitatis amorem & zelum *sustinent vim ignis* & non tabescunt, neque enim nix castitatis ab hoc igne resolvitur, sed pura & immaculata conservatur. Enimverò ut modum huic igni resistendi, & hujus adeo raræ virtutis candorem conservandi ediscere possimus, in reliquo hujus discursus varias nivis conditiones consideremus.

2. *Nix autem & glacies*. Haud difficile est probare, quod nivis nomine Spiritus sanctus in pluribus scripturæ locis castitatem nobis insinuet; *Candidiores ni-* Jerem. 4.
ve; ubi Hugo Cardinalis ait, *per nivem castitas designatur*. Porro nives candorem & frigus suum è cœlo deducunt, atque ab illa superna regione, prouti per quotidianam experientiam videmus, ad nos descendunt: in qua quidem proprietate, nobis haud obscurè significatur virtutem hanc peculiare DEI donum esse cœlitus nobis insinuatum, ac proinde eamdem soli Deo in acceptis referri debere; unde idem Hugo subjungit: *Quia sicut nix ex alto descendit, sic nul-* Sap. 8. 21.
lus castus est nisi ex dono speciali DEI. Et ut scivi (verba sunt Sapientis) *quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esse hoc donum*; Apostolus quoque postquam dixisset, 2. Cor. 4. 7.
habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, subjungit, dicens, *ut sublimitas sit virtutis DEI & non ex nobis*. Nobis quidem est pro hujus thesauri custodia omni cum studio & diligentia cooperandum, verumtamen tunc nostra cooperatio ad illius conservationem utilis erit, quando nos illum à DEO accepisse grato

animo cognoſcamus, eique laude gratias debitas referemus.

3 *Nix & glacies ſuſtinebant vim ignis*: Ad hoc ut nives per radios ſolares vel ignis calorem non colliqueſcant & diſpareant, neceſſe eſt illas ab utroque ſubducere, & in loca ſubterranea collocare, nec non à pluviis, ventis, aliiſque ſimilibus aeris temporumque injuriis cuſtodire: idipſum pariter ad continentiæ virtutem, præcipuè in fragiliori ſexu cuſtodiendam efficax valde remedium erit, omninò enim neceſſe eſt, ut in ſolitudinem ſe recipiat ab omnium aliorum, virorum præcipuè oculis Thre. 4. 8. abſcondatur, illorum quoque converſationes, aliaſque omnes divagationes fugiat & declinet: Jeremias Propheta poſtquam dixiſſet, *Candidiores Nazarei ejus nive, nitidiores lacte*, protinus folium vertit nobiſque hanc nivem in nigros carbones tranſmutatam repræſentat, dicens; *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum*. Cauſamne hujus tam ſubitæ mutationis ſcire deſideraris? in promptu eſt, quia (ut immediatè ſubdit) *non ſunt cogniti in plateis* quaſi diceret, ideo hoc eis accidit, quia paſſim in plateis cum quovis obvio non habito ſexus diſcrimine converſari, & ſine ulla verecundia vagari voluerunt, obſcœnis quoq; phantaſmatibus quæ hunc theſaurum, utpotè qui ut conſervetur, abſcondi poſtulat, inſenſibiliter nobis adimunt, facilem aditum indulſerunt. Nazianzenus virginem quamdam ad puritatis conſervationem exhortari volens, hoc ei ſalutare monitum præſcripſit: *Mortua ſis cunctis aliis velutique ſepulta*; verum inquies, numquid ſancto illi Doctori ſufficiebat dicere, mortua ſis? cur igitur inſuper addit; velutique ſepulta, eo ipſo quod mortua erat omnium ſenſuum ſuorum uſu deſtituebatur, merito igitur pro honeſtatis conſervatione velut mortuum eſſe ſufficere videbatur. Verum quidem eſt, mortuus non audit, non videt, non loquitur, non tangit, hæc tamen omnia Nazianzeno ad explicandam exquiſitam & ſtudioſam pudicitiæ cuſtodiam non ſufficiebant, quia niſi mortuus ſub terra ſepultus deliteſcat, tametſi ipſe non videat, ab aliis tamen videri poteſt, imo cadavera de induſtria ſpectanda exponuntur, ac paſſim per civitatis plateas ab omnibus videnda circumferuntur. Sanctus igitur Doctor dicere voluit, quod ab hoc ut nix hæc puritatis, maximè in fœminis omninò illæſa, candida & frigida conſervetur, non ſufficiat, quod in ſeipſa appetitum aliquem minus honeſtum ſibi prædominari non permittat, verum etiam quantum poſſibile eſt omnes aliis ipſam deſiderandi occaſiones medio tollere debet, vivendo ſolitariè, nec permittendo ſe ab aliis frequenter videre; Is enim qui mortuus eſt, videri & tangi ab aliis poteſt, donec ſub terram ſepeliatur. Tertullianus de velo virginum ſcribens ita ait: *Statuendum eſſe ſacris Virginibus pudoris murum, qui nec proprios emittat oculos, nec admittat alienos*; Lib de velo virg c. 6. Etenim tametſi Virgines nihil perdant deſiderando, multum tamen perdendi periculum ſubeunt, dum ſibi non cavent, ne ab aliis deſiderentur. Honeſtas delicatus quidam calor eſt, qui aerem ſubire formidat; eſt lucidiſſima & lympida quædam cryſtallus, quæ eorum qui mentem ex laſcivia contaminatam habeat, ſolo impuro obtutu contaminatur. Nix intra noctis tenebras illæſa conſervatur; in illius obſcuritate candor ipſius conſtanter perſeverat, at vero ad radios & claritatem lucis ſolaris reſolvitur & diſparet; ut vel hinc intelligas, quod innocentia & puritas virginalis tanto ſecurius cuſtodiatur, quanto nix illa puritatis ab aliorum oculis ſtudioſus abſconditur.

4. *Suſtinebant vim ignis*. Nivi proprium eſt, quod manibus contractata candorem ſuum amittat; ſimiliter ſi Solis vel ignis calorem experiatur, diſſipetur, ſicut etiam quod vento auſtrali ſpirante liqueſcat; alteri quoque materiæ permixta diſſolvatur, vel ſaltem candoris nativi ſubeat jacturam; Idem quoque myſticæ huic caſtitatis nivi accidit, utpote quæ tanta cum facilitate perditur aut amittitur, nimirum laſcivam quandam cogitationem voluntariè admittendo, vel per tactum aliquem inhoneſtum, aut denique per verbum aliquod obſcœnum malo fine, vel cùm gravi ſcandalo prolatum. Unde S. Hieronymus ait: Lib. 3. ep. de Sal. *Tenera res in fœminis fama pudicitiæ, quaſi flos pulcherrimus cito ad levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur, maximè ubi & ætas conſentit ad vitium*. Temeritas utique eſſet, ne dicam ſtultitia, ſi quis crederet nivem in ſolis radios exponi poſſe abſque eo quod diſſolvendi & pereundi periculum ſubeat, quia natura effectus ſuos infallibiliter & eodem modo producit: Eodem quoque inſolens nimis præſumptio foret, ſi tibi perſuaſum haberes, quod licet in medio eſſes incentivorum, occaſionum, obſcœnorum diſcurſuum, impurorum obtutum, perverſarum ſocietatum, aliarumque ſimilium tentationum, continenter tamen te perpetuo vivere poſſe ſperares. Enimvero ſanctiſſima Virgo non quidem ex natura ſua, ſed ex gratia omnis peccati incapax erat, utpote quæ in primo conceptionis ſuæ inſtanti in gratia confirmata erat, imo nonnulli in eodem inſtanti temporis fomitem ad peccatum in ea ligatum fuiſſe exiſtimant, licet probabilior ſit aliorum opinio, fomitem in ea totaliter extinctum eſſe docentium, adeo ut ne vel minimam unquam inclinationem ad culpam in ſe perſenſerit, non ſolùm quoad actum, quem ſcholæ, ſecundum appellant, verum nec quoad actum primum. Et ratio eſt, quia hæc fomitis extinctio in majorem ejus puritatem redundat, & tamen certiſſimum eſt, quod cum hac impeccabilitate, cum hac inculpabili innocentia ab omnibus ſibi ſtudioſiſſimè caverit peccandi occaſionibus etiam remotiſſimis, prouti in toto vitæ ejus decurſu facilè licet videre, Sanctus Job ſcribit? *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix*, Job. 6. 16 quod in ſenſu morali idem eſt, ac ſi diceret; qui omne peccandi periculum, omneque offendiculum timent, qui ſemper ſibi metuunt, ne cadant, illis ſuperadveniet, & afficiet illos nix honeſtatis & candoris virginalis. Sanctus Hieronymus, & omnes alii Hebraicæ linguæ periti docent, quod ubi juxta vulgatam lectionem in Iſaia ſcribitur? *Ecce Virgo concipiet*; juxta Hebraicam lectionem legatur Virgo recluſa; ſive ſolitudini dedita; unde Angelus beatam Virginem in ſua cella recluſam invenit, & quando domum ſancta Eliſabeth petebat, dicit Sacer textus, quod *abiit in montana cum feſtinatione*; Lucæ 1. 39 quibus verbis non ſolum ejus ſolicitudo & fervor circa opera pietatis exprimitur, quæ in ea relucebant, dum Eliſabethæ jam gravidæ miniſtratura in ejus domum conceſſit, verùm etiam declaratur ejus cura, qua parum in publico videri ſatagebat. Sanctæ Birgittæ inter cætera revelatum fuit beatam Virginem in eo tempore, quo in templo commorata fuit, procul à quorumlibet hominum, etiam patris & matris communicatione remotam fuiſſe, eandemque circumſpectionem circa ſeipſam etiam eo tempore continuaſſe, quo ſancto Joſepho deſponſata fuit, hancque fuiſſe unam ex cauſis, cur Angelo coram ipſa comparente protinus adeo turbata fuerit, quia tametſi tanquam Angelorum Regina eorum ſocietate fidelique obſequio ſæpius honorata fuerit, non tamen ei in forma aut ſpecie apparebant humana, in quali Gabriel coram ea in illa functione apparuit; adeoque *turbata eſt* non ex alicujus mali timore vel ſuſpicione, ſed ex mera virginali verecundia ex zelo ſolitudinis ſuæ derivata, utpotè quam ſtudioſiſſimè obſervabat, adeo ut etiam ipſoſmet Angelos puriſſimos illos ſpiritus ſuſpectos haberet. Sanctus Hieronymus hoc exemplo uſus eſt ad Euſtochium Virginem ſcribens, dicendo, quod ex hoc Angelico nuntio & apparitione turbata & attonita fuerit, eo quod à nullo unquam viro ſalutari ſolita fuerit. Et hinc eſt, quod etiam ſanctus Bernardus ſalutare hoc documentum Virginibus tradiderit, videlicet curandum illis, ut nunquam de ſua virginitate ſecuras eſſe arbitrentur, ſed potiùs à quavis umbra ſibi metuere debeant; & ut quævis pericula evadant, etiam ibi pericula timere debeant, ubi revera nulla ſint. Sanctus Lucas de beata Virgine Maria trimeſtri cum cognata ſua commorante ſcribit: *Manſit autem Maria cum illa quaſi tribus menſibus, & reverſa eſt in domum ſuam*. Lucæ 1. 56 Circa quæ verba multi ſacri interpretes in ea fuerunt opinione (licet oppoſita ſententia communior, & inter ſanctos Patres vulgatior ſit) Beatam Virginem ante partum è domo ſua receſſiſſe, ut concurſum fugeret parentum & amicorum eam parturientem viſitare, eique de Divino, & benedicto fructu ventris ſui congaudere & congratulari volentium, cùm tamen illa ſe ſubducere, & à quorumlibet hominum oculis abſcondere ſe maluiſſet, quoadusque id ipſi concedebatur; & quidem licet nullus eam ſtrepitus à ſancta ejus recollectione impedire potuiſſet, ſe tamen ab hominum exterorum conſortio ſubducere, illudque ad noſtram doctrinam eligere voluit, quod exactæ honeſtatis & puritatis ſuæ cuſtodiæ conformius eſſet.

5. *Suſti-*

5 *Sustinebant vim ignis*. Est & alia nivis proprietas, nimirum frigus in summo gradu intensum, id quod herbas, flores, arbores, aliaque terræ gramina mortificare, ac proindè iisdem damnum conciliare videtur, nequaquam tamen id præstat, quin potiùs iisdem valdè utilis est, magnaque emolumenta in internis præstat: dum enim virtutem nutritivam ad earum radices collegit & unit, easdem intra terram profundius pene-
Isa. 55.10. trare & soli dare se facit. Undè in Isaia scribitur: *Nix descendit de cœlo, & inebriat terram, & germinare eam facit*. Quisquis enim hanc nivem carnalis concupiscentiæ igni resistere desiderat, manum suam mortificationi corporisque macerationi admoveat, eandemque ad passiones & appetitus internos domandos extendat necessum est; hinc est quod ubi nostra vulgata legit: *Apprehendite disciplinam*, S. Hieronymus legit: *Adorate purè*, id est, *adorate puritatem*. Etenim virginitas quidem *lilium* quoddam est, sed *inter spinas* exerescens, inter spinas namque virginitatis lilium istud progerminat. S. Bonaventura in vita S. Francisci de hoc Sera-
Cap.5.n 3. phico viro scribit: *Tempore brumali in foveam glaciæ plenam seipsum plerumque mergebat, ut & domesticum sibi hostem perfectè subigeret, & candidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præservaret, tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat, magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in carne*.

6 *Sustinebant vim ignis*. Enimverò quòd si ab hoc igne illæsi manere cupimus, oculum nostrum imprimis refrænare & coercere debemus, Abulensis de nive scribit: *Propter magnitudinem lucis participata radios ali-*
L. 4 in Mat c.17.q.45. *quos emittit, & ideo oculos offendit*. Hæc enim nix, hic candor, id est, zelus, quo nos castos & puros conservare studemus, oculos nostros obfuscat, minusque honestam curiositatem mortificat.

Aliæ nivis proprietates & conditiones hodiernæ festivitati adaptantur.

DISCURSUS QUINTUS.

Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit illum, animam ejus requiescere facit. Prov. 25. v. 13.

1 DUm occasione hodiernæ festivitatis, quam de Nivibus Basilicæ S. Mariæ Majoris celebramus, in adductum in assumpto themate Proverbiorum textum fortuitò incidissem, mox an huic mysterio congrue adaptari posset, seriò cogitavi, moxque inveni quòd septuaginta interpretum versio, illius ad nostrum propositum intelligentiam plurimum facilitet; siquidem in quo similitudo illa posita sit, optimè declarat, ita namque legunt: *Sicut eruptio nivis messis tempore ardorem restringit, æstuque laborantibus grata existit; ita fidus legatus his qui miserunt illum*. Quasi juxta illos Spiritus sanctus diceret: quemadmodum nives in excessivis hisce caloribus magnam hominibus resocillationem exhibent, eodem quoque modo legati alicujus habilitas & fidelitas valdè illum consolatur & recreat, qui pro suorum expeditione negotiorum misit illum: *Siquidem animos illorum, qui illo usi fuerant, recreat & resocillat*. Porrò animi cujusdam perplexi & dubii solicitudo & anxietas æstivo calori haud immeritò comparatur, utpotè qui etiam non modicam in patientibus eundem anxietatem & impatientiam causat, ac proindè sicut nives frigore suo in hisce Solis excessivis caloribus magnam nobis recreationem afferunt, eò quòd nos suaviter refrigerant, ita quoque vir expertus & prudens, qui nobis incumbens, nosque premens magni momenti negotium ad felicem usque finem perducit, magnæ nobis consolationis & quietis est instrumentum: *Animam ejus requiescere facit*. Verùm non immeritò hic quispiam dicere posset, quonam modo adducti Scripturæ loci jam tradita expositio, cum eo mysterio convenit, quod nobis hodierna die ob oculos ponit sancta mater Ecclesia: Audi, si placet. Imprimis tametsi messis tempus jam elapsum esse negare non possimus, certum tamen etiam est illam non adeò dudum, sed diebus proximè præteritis completam fuisse; ex alia vero parte frigidam nivem magna copia cœlitus delapsam quandam Romani collis partem contexisse videmus, seu potiùs admiramur & obstupescimus, ideòque tempus messis cum frigore nivis suo modo simul in uno loco conjuncta fuisse videmus. Præthereà duo illi conjuges, quorum in lectionibus hodiernis specialis facta est mentio, soliciti & anxii suspensisque animis hærebant, quia cum Deiparam Virginem facultatum suarum constituissent hæredem, perplexi hærebant, quanam in re easdem facultates in ejusdem Virginis honorem applicaturi essent: *Ab ea summis precibus assiduè petentes, ut in quod pium opus eam pecuniam potissimum erogari vellet, aliquo modo significaret*. Ac proindè ipsa ambobus conjugibus, necnon summo Pontifici Liberio in somno separatim apparuit, iisdem voluntatis suæ esse declarans, ut suam hæreditatem in ecclesiam quandam in ejus honorem erigendam impenderent, idque in loco quem ipsa luculento satis signo designatura esset; at verò quodnam ecclesiæ illius erigendæ signum fuisse existimatis? *Sicut frigus in die messis, ita, &c. ut quem locum nive conspersum viderent, in eo ecclesiam ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur*. Verùm quodnam in eo latere putatis mysterium, quod templi sui idæam per dilapsam cœlitus nivem designare aut delineare voluerit, nisi quia in eadem nive varia eaque præstantissima illius exprimantur elogia, ob quæ ipsa tam in cœlo quàm in terra devotissimè adoratur? Agedum igitur hoc tempore de nive paulisper discurramus, quippè quæ *æstu laborantibus grata existit*.

2 *Sicut frigus nivis*. Nix per candorem & frigus suum puritatis speciale symbolum existit; id namque præ cunctis aliis candore fulgentibus peculiare habet, quod sit candida intus & foris, ex omni sua parte; non enim est veluti paries quidam solum extrinsecus alba, sed quicquid in sua substantia habet, æqualem præ se candorem refert; & ideò virginitatem Mariæ aptissimè nobis repræsentat, de qua dicitur, quod fuerit *Virgo ante partum, in partu & post partum*; de qua etiam sponsus testatur dicens: *Tota pulchra es*. Ita pariter Hugo Cardinalis nivis candorem honestatis virtuti adaptat, dum ait: *Nix candorem habet & refrigerium, quorum* In Cap 4.
contraria sunt in peccato luxuria, turpitudo & ardor; candor nivis contra turpitudinem, refrigerium contra ardorem luxuriæ.

3 *Sicut frigus nivis*. Messis tempore magnus semper æstus viget ex continuo ardente ex Solis radiis aere; ac proindè mirum hoc tempore vides prodigium, si hoc tempore cum Solis in leone existentis igne simul jungantur frigus, gelu & glacies nivis, quod admirabile illud & prorsus prodigiosum vinculum significat, quo in Maria virginitas & fœcunditas pariter conjungantur, quod illis verbis clarè exprimitur: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Dictio enim *Ecce*, prodigium, stuporem, seu rem aliquam insolitam denotat; & quidem maternitas in æstivis ardoribus repræsentatur; virginitas autem in frigore & candore nivis. Enimverò alia insuper est nivis proprietas, videlicet quòd terram per quandam antiperistasim calefaciendo eandem impinguet, & fertilem efficiat. Undè doctus quidam S. Jacobi interpres dicit: *Nam sua frigiditate animam terræ exhalatione evanescentem includit & comprimit, retroque agit in vi-* Bolduch
res frugum atque radices. Unde dicitur: Qui dat nivem in Job. 37.
sicut lanam. Idemmet verò Author hanc nivis proprie- v.6.
tatem sanctissimæ quoque Virgini accommodat dicendo, ipsam ad instar nivis ratione virginitatis suæ frigidam fuisse, fœcundam autem Dei Filium sine ullo integritatis suæ damno generando: *Nix in quantum Virgo sed sicut lana laneumque vestimentum, quo verbum Patris vestivit humanitate, & fovit in gremio*. Maternitas virginitatem nec quicquam minuit, sed adauget potius; & hinc est quòd Ecclesia simul & conjunctim cum puritate & integritate titulum ei attribuat Matris, dicendo, *Mater purissima, Mater castissima, Mater inviolata, Mater intemerata*; id quod encomium illius est singularissimum eidem summè acceptum. Undè S. Philippus Nerius hisce attributis per modum jaculatoriæ orationis uti solebat, suosque devotos erudire solebat, ut frequenter hæc verba in modum coronæ repeterent, scilicet: Virgo & Mater.

4 *Sicut frigus nivis*. Nix instar spongiæ cujusdam porosa est, & superinfusam sibi aquam imbibit avide, ac demum compressa notabiliter diminuitur; qua proprie-

tate

tate etiam beatissimæ Virginis excellentia mirificè illustratur. Hæc enim tametsi divinarum gratiarum aquas tanta copia imbiberit, ut nullus in iisdem aliquod participium habere possit, nisi ad illam devotissimè confugiat, juxta doctrinam S. Bernardi superius allatam; hac tamen thesaurorum cœlestium opulentia non obstante, simul etiam humillima fuit: nam quando in Dei altissimi Matrem, omniumque Angelorum Imperatricem electa fuit, semetipsam velut exinaniens dicebat: *Ecce ancilla Domini*. Porrò divinam gratiam in nive figurari, ex illo Jobi textu satis manifestè colligitur, quo Job. 9.30. dicitur: *Si lotus fueris quasi aquis nivis*: Ehem quot animæ Maria mediante in salutaribus hisce divinæ gratiæ aquis mundanæ forent, si quovis tempore, & in quavis necessitate ad ejus templum candida hac nive hodie delineatum confidenter recurrerent?

5 *Sicut frigus nivis*. Quemadmodum nix lanæ instar Ps.147.16. in terram descendit: *Qui dat nivem sicut lanam*, idque sine omni penitus strepitu, non verò cum sonoro murmure, sicut aqua vel grando in terram descendere solet. Unde Martialis canit: *Aspice quam densum taci-* L.4.epig.4. *tarum vellus aquarum decidat*. Sicut etiam eadem nix æqualiter terram contegit, ita quoque B. V. Maria suas pro nobis intercessiones omni cum benignitate interponit, suaque materna compassione uniuscujusque necessitatibus sine ulla personarum acceptione æqualiter subvenit. Considerari quoque hoc loco posset, quod per nivem instar lanæ velletis descendentem æterni Verbi partus denotetur, de quo canit sancta mater Ecclesia Sap.18.14. hisce verbis: *Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum*; idque sine ullo strepitu: nam *dum quietum silentium contineret omnia, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus venit*. Et meritò filius Mariæ Virginis in suo in hunc mundum felicissimo adventu in hac nive præfiguratur; siquidem cunæ ejus, in quas post sui nativitatem collocandus erat, in hac Ecclesia per nives delineanda & effigianda, suo tempore conservari debebant; ideo enim appellatur *sancta Maria ad præsepe*, quia videlicet præsepe, super quod hæc candidissima nix, seu potius ros hic cœlestis descensurus erat, hic velut in perpetuo sacrario sive depositum custodiri debebat.

6 *Sicut frigus nivis*. Nix quoque hac proprietate prædita esse noscitur, quod refrigeret aut refrigerium præstet pariter & per antiperistasim calefaciat, adeo ut dicere possimus, quod licèt hoc templum super frigidis & gelidis nivibus erectum fuerit, in eodem tamen templo per beatissimæ Virginis intercessionem in innumeris animabus concipiatur ignis divini amoris, necnon peculiare in tribulationibus & adversitatibus eorum percipiatur solatium atque subsidium, dum videlicet ad illam fiducialiter confugiunt, quæ est *consolatio afflictorum*; quot enim in hac solemni Basilica in humani generis beneficium non sunt patrata miracula? in quot pectoribus, ejus protectione mediante, carnalis concupiscentiæ ignis suppressus fuit?

7 *Sicut frigus nivis*. Nivi proprium est quod omnibus feris admodum damnosa existat, tum quia pascua ipsarum contegit, tum quia in nivibus inambulantes per impressa ipsarum vestigia venatoribus sese produnt ubi degant, qui proinde earum in nivibus relicta vestigia sequentes facilius easdem deprædantur: & ecce tibi aliud quoddam mysterium, ob quod Mariam per nivem præfigurari dicere possumus: nos namque devotos a fraudibus & insidiis leonis infernalis, qui animas nostras devorare satagit, prudentissimè contegere novit; undè ob singularem ejus prudentiam, *Virgo prudentissima* nominatur, quam etiam omnibus ad se confugientibus in eo manifestat, quòd occultos diaboli laqueos discooperiat, ut hoc modo detecti facilius evitentur; ita enim fecit quando caput serpentis, quod plantis ejus insidiabatur, omninò contrivit: *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*.

8 *Sicut frigus nivis*. Nix multa loca aliàs sordida & fimo plena candore suo adeo contegit, ut qualia revera sunt, minimè compareant: sic quoque Virgo beatissima, quæ glorioso hoc titulo, *Refugium peccatorum*, decoratur, innumeras sua intercessione ad pœnitentiam revocando peccatrices animas, solum tot conscientiarum paulò antè tam abominandis peccatis sordidatarum per nivem veræ cujusdam pœnitentiæ ad integritatis candorem reducit, adeò ut adimpleatur illud Isaiæ: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*; hæc quoque nix charitatis suæ illud antea adeò deforme & fœtidum fimum totaliter contegit, quia *charitas operit multitudinem peccatorum*. Congruentissimè Deipara Virgo mulierem illam fortem, cujus in ultimo capitulo Parabolarum Salomonis fit mentio, præfigurari dicitur; de hac namque inter cætera scribitur: *Non timebit domui sua à frigoribus nivis*. Quem locum Beda exponens ait; *Possunt etiam perfrigora nivis tormenta æterna intelligi, quæ igne & frigore mixta esse legimus*, juxta illud Jobi *Ad calorem nimium transibunt ab aquis nivium*. Enimverò quisquis sub ejus patrocinio vivit, illique Basilicæ devotus est, quæ hodierna die à devotis illis conjugibus Romanis per eorum hæreditatem Deiparæ relictam erecta fuit, is utique ingens salutis suæ pignus sibi comparabit; advertenda autem est ratio, quam Sapiens reddit, cur videlicet nequaquam timebit frigus aut gelu nivium, hæc videlicet: *Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus*; vult enim beatissima Virgo per fortem hanc mulierem designata, ut familiares & servi sui, ad ejus imitationem duplici sint habitu vestiti; undè S. Bonaventura ait: *Mariam induite quotquot diligitis eam*, quibus verbis vult, ut devotio, quam ei exhibeamus, non solùm in verbis, sed in operibus pariter consistat; *Luceat in moribus, splendeat in actionibus*. Richardus à S. Laurentio ait: *Vestiti sunt duplicibus, id est, diversis virtutum generibus; vestes servorum Mariæ sunt fides & operatio; fides vestis interior, quæ ornat animam coram Deo operatio exterior, quæ coram proximo; tandem verò de tepidis concludens ait: Negligenter servientes Mariæ vestiuntur sicut diploide confusione sua.*

Isa.1.18. Prov.31. In Psalt.

9 *Sicut frigus nivis*. Nix apud Isaiam pro speciali expiationis peccatorum nostrorum symbolo accipitur. Dicitur enim ibidem: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*; ac proindè David post peccatum ad pœnitentiam rediens, à Deo postulat dicens: *Lavabis me & super nivem dealbabor*. S. Gregorius super illa verba à nobis in primo Discursu considerata: *Nunquid ingressus es thesauros nivis*, ita scribit? *In nive frigida accipimus corda peccatorum, sed quia omnipotens Deus de talibus sanctos suos elegit, aptè thesauros nivis se habere perhibet*. Quot hactenus peccatores per Virginis intercessionem, præcipuè in hac Basilica per hasce nives in ejus honorem consecrata: ad pœnitentiam reducti fuere: *Frigora nivis*. Richardus à S. Laurentio interpretatur *gelicidium peccati*. Hoc autem gelu, hæ frigidæ nives per Virginis intercessionem adeo colliquefactæ & resolutæ sunt, ut multi qui anteà dæmonis prostibula erant, facti sunt viva templa Dei optimi maximi. Cui honor sit & gloria in sæcula sæculorum Amen.

Isa.1.18. Ps.50.9.

DE S. LAURENTIO MARTYRE

Discursus Quinque.

Laurentii flagrabat adversus ignem, quo à tyranno ustus fuit, mirè prævaluisse ostenditur.

Discursus VIII. De S. Laurentii martyrio sub figura sacrificii cujusdam tractatur; undè nonnulli veterum sacrificiorum ritus considerantur, ex quibus S. Laurentii sacrificium holocaustum fuisse comprobatur.

S. Laurentium pluribus modis Martyrem dici potuisse, etiam priusquam martyrio afficeretur, clarè ostenditur.

DISCURSUS PRIMUS.

Laurentius ingressus est Martyr, & confessus est nomen Domini Jesu Christi.

1 GLoriosissimi Levitæ Laurentii specialissima & eximia laus illa fuit, qua illum sancta mater Ecclesia honoravit, dum illi hunc Martyris titulum attribuit, priusquam ad tot tormentorum carnificinam expositus fuisset; dicit enim: *Laurentius ingressus est Martyr, & confessus est nomen Domini Jesu Christi.* Enimverò quodnam in eo latet mysterium, quòd Archilevita noster Martyr appelletur, priusquam inter atrocia martyrii sui instrumenta Christi fidem confessus fuisset: Sunt nonnulli qui dicere voluerunt, idem esse ly *Martyr*, quod ly *Martyrium*, ut sensus sit: *Ingressus est locum martyrii, & confessus est nomen &c.* Veruntamen si insignes meritorum, heroicarumque virtutum suarum prærogativas nonnihil propius examinare voluerimus, inveniemus utique Levitam hunc se hoc præstantissimo Martyris titulo multis variisque modis dignum reddidisse, tametsi martyrio nondum coronatus esset.

Serm. 2. de Mar. 2 *Ingressus est martyr.* S. Augustinus in serm. 2. de Mart. protestatur se absque ullo gloriæ Martyribus debitæ præjudicio, dicere posse, ipsorum merita in iis quoque reperiri, qui suum pro Christo sanguinem & vitam minimè prodegerunt: *Absque injuria Sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse pars magna martyrii est:* ac proindè de S. Laurentio dicere possumus, quod is victricem hanc palmam per longum annorum circulum sibi insecuerit. Et quidem quod corporis sui mortificationem, & consequenter puritatem ejus attinet, S. Laurentius S. Stephano par & æqualis fuit: ac proindè ambo pariter à sancta matre Ecclesia, velut ejus Archidiaconi, iisdem honoribus, solemnitate, officio divino, & octava glorificati fuere, imo increata Dei Sapientia, quæ omnia cum altissimo consilio disponit, eosdem in uno eodemque sepulchro asservari & conjungi voluit. S.

Ser. 2. de S. Laurent. Leo Pontifex ipsum immaculatum appellat, prouti in Matutinalibus lectionibus legitur: *Postulat ab immaculato sacrarii Præsule opes Ecclesiasticas, cui Levita castissimus, &c.* Dionysius Carthusianus de eo scribit: *Florem juventutis suæ obtulit Christo.* Neque mirum est eum in hac virtute adeò eminentem fuisse, quando ad ejus officium spectabat Agni illius immaculati sanguinem dispensare: *Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*, qui sanguis *vinum est germinans virgines.* Qui proindè sanguis, quo sæpenumerò inebriantur, in florido ætatis suæ Aprili, in summo delitiarum suarum, quæ in ejus libertate positæ erant, culmine, inter ipsos corporalis pulchritudinis suæ stimulos, omniaque carnalis ignis incentiva penitus extinxit; ac proindè Spiritus sanctus, qui hujus virtutis continentiæ competens judex est, Ecclesiæ sponsæ suæ inspiravit, ut sacerdotibus incruentum corporis & sanguinis Christi sacrificium offerentibus præciperet, ut S. Laurentii semper ante sacrificium patrocinium invocent, ad hoc ut se mundos & castos eousque conservare valeant, dicentes: *Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare.* Idemmet Carthusianus ulterius scribit: *Singulariter vero Diaconis & Clericis omnibus proponitur S. Laurentius in exemplum, ut ejus devotionem & castitatem sectentur.* Secundò dicit S. Augustinus: *Avaritiæ restitisse pars magna martyrii est.* Atque ideò cùm S. Laurentius omnes ecclesiæ thesauros in manu sua habuerit, adeò ut de illis pro suo posset beneplacito disponere; ex altera verò parte S. Cyprianus dicat: *Pecunia anima & sanguis est mortalibus*; imò communi proverbio denarius secundus sanguis appellari soleat, consequens est, ut quisquis se pro amore Dei temporalibus bonis privat, de eo certo quodam modo dici possit, quòd sanguinem suum effundat, adeoque aliquale saltem martyrii meritum habeat; ac proindè subjungit, quòd hisce *dabit Deus coronam candidam*; at verò *in persecutione purpuream.* Hunc sanguinem, hancque animam, cujus S. Cyprianus meminit, diu antè prodegit & effudit, quàm à carnificibus dilaceraretur. De thesauris ab eo pro ejus arbitrio erogatis dicitur, *Dispersit, dedit pauperibus*, tametsi probè sciret, quòd hic tyrannum ad sævitiam in eum ferociter exercendam irritaturus esset, adeòque S. Laurentius avaritiam vincendo suum est exorsus martyrium Tertium denique meritum, quod S. Augustinus martyrio sine sanguine Ser. 32.
perpesso attribuit, hisce verbis describit, dum ait: *De mundo triumphasse, pars magna martyrii est.* Porrò idemmet sanctus Doctor alia quædam verba in alio quodam sermone suo habet, quæ proposito nostro aptissimè quadrant; dicit enim: *Non illo tantum tempore perfecit præceptum Domini, quo confessionis supplicium pertulit, necesse fuit martyrem non solum fuisse cum passus est; sed etiam tunc martyrem Dei fuisse, dum viveret.* Et quidem tametsi nobis nihil eorum constet, quæ in adolescentia annisque suis juvenilibus patravit, attamen ex heroicis ipsius virtutibus, quæ in ejus martyrio resplenduerunt, facili negotio deducere licet, qua cum perfectione & sanctitate tenuioris quoque ætatis annos traduxerit: *Tanto cum studio* (scribit de ipso alius quidam B. Laur. Justin.
Laurentius) *Martyrum circuibat cryptas; sanctorum lavabat pedes, cæcorum aperiebat oculos, lucrabatur animas Christo, atque flagrabat amore martyrii.*

3 *Ingressus est Martyr.* Jam Martyr existens, supplicia perpessurus acerbissima; catastam conscendit: prius enim, ut suo loco videbimus, vicit & superavit tyrannum, palmamque martyrii promeruit, quam sanguinem funderet: priùs Martyr fuit in desiderio, eoque adeo ardenti, ut simile in nullo alio, quantumvis generoso Christi athleta, eluxerit: imò æquè gloriosus martyr extitit, priusquam suppliciis subjiceretur, quam postquam ab illis toto corpore dilaceratus esset. Audiatis velim luctam à S. Ambrosio relatam, quam cum S. Sixto Papa habuit, eò quod is eum ad patibulum Lib. 1 Offi.
secum non conduxerit: *Quo progrederis sine filio Pater:* c. c. 41.
Singula obsecro motiva maturè ponderemus, quibus Archilevita noster sancto Sixto efficacissimè persuadere conatus est, ne se in cruenta hac pugna post se reliquum esse permitteret: sic enim perorasse fertur:

Quò Sacerdos sancte sine Diacono properas? nusquam sine ministro sacrificium afferre consueveras.

Nam quid in me ergo displicuit Pater? num degenerem probasti? experire certè utrum idoneum ministrum elegeris.

Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum concessisti huic consortium tui sanguinis negas? vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur.

Abjectio discipuli detrimentum est magistri; quid? quod illustres & præstantes viri discipulorum certaminibus magis quam suis vincant.

Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit, & tu Pater ostende in filio virtutem tuam, offer quem erudisti, ut securus judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam. Certè si sanctus Laurentius ambitione permotus sancto Sixto quæsivisset succedere, aut verò triplicatum illud diadema vertici suo imponere desiderasset, nunquam ad sanctum Pontificem convincendum tantam adhibere facundiam potuisset, quali usus est, ut à Pontifice obtineret, quatenus ipsum unà secum ad mortem sustinendam conduceret. Sanctus Epist. 58.
Cyprianus in loco quodam ostendit, tres pueros Babylonicos, tametsi ab igne fornacis ardentis præservati fuerint, non tamen adeò palma privatos martyrii fuisse, eò quod fornacem animosè & libenter fuerint ingressi. Quis igitur non dicet S. Laurentium eadem proportione Martyrem quod fuisset voluntatis & meriti; siquidem hic tantoperè affligebatur & dolebat, eò quod tormentorum & pœnarum martyrii S. Sixti non posset reddi particeps. Verùm adhuc alia superest ratio, ob

quam

quam de S. Laurentio asserere possumus, quòd Martyr rogressus sit ad supplicium, nimirùm ob factam sibi à sancto Pontifice promissionem; *Post triduum me sequeris*; ob hanc enim se Martyrem infallibiliter futurum esse sciebat. Undè Chrysologus ait: *Ebibita prophetia jam corde paratissimus certum speravit, quod prædixerat ille qui noverat.*

Serm. 135.

4 *Ingressus est Martyr*. S. Martinus adeò cupidus fuit vitæ suæ pro Christi nomine prodigendæ, ut de eo canat Ecclesia: *O sanctissima anima quam etsi gladius persecutoris non abstulit; palmam tamen martyrii non amisit*. Undè S. Bernardus hanc adducit consequentiam: *Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel affectu consummata passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissimæ voluntatis*. Nullum est dubium quin S. Laurentius spiritum & impatiens desiderium S. Ignatii martyris imbiberit, quo is a sævissimis feris dilaniari anhelabat, dum ait: *Utinam fruar bestiis*! Verùm quonam fine ò Ignati bestiis frui desideras? num fortè propter venationem? aut fortè ob exhibenda iis mediantibus spectacula? aut verò ut illas demi tuæ ad magnificentiæ tuæ ostentationem reclusa teneas? Minimè gentium, sed potiùs ut illas ad me dentibus & unguibus suis discerpendum proritare possim: *Cum leonibus lusit quasi cum agnis, & cum ursis similiter fecit*. Verebatur ne forte fidelium ad Deum pro ipsius incolumitate fusæ orationes famelicas ferarum illarum fauces occluderent, quo minus eum devorare possent, & ideò ait; *Si ipsæ noluerint, ego vim ingeram, ego urgebo*. Quot obsecro motiva S. Laurentius S. Sixto proposuit, quot calcaria lateri ejus admovit, ad hoc ut in eadem cum illo societate ad sanguinem suum effundendum conduci posset? Verè sanctam quandam S. Sixto violentiam intulit; undè ex compassione eum consolari volens, futurum ei prædixit, quòd intra triduum eum ad martyrium secuturus esset, ita tamen quod majorem in se passurus esset tyranni sævitiam, & immaniora subiturus supplicia. Undè S. Ambrosius cùm de S. Laurentio dixisset: *Flere cœpit suam remansionem*, mox quibus verbis S. Sixtus eum ad patientiam cohortatus fuerit, referens, sanctum Pontificem dixisse ait: *Noli fili mi mœstus esse, post triduum me sequeris, majora tibi debentur certamina*. O consolatio? ait S. Augustinus; *Non ait, noli mærere fili, desinet persecutio, & salvus eris; sed noli mærere, quò ego præcedo, tu sequeris*. S. Maximus de S. Laurentio ita scribit: *Verò Laurentii gloria singularis, qui tantum de Deo consecutus est gratia, ut ei Martyr de martyrio prophetaret*. Scite fortassè desideratis, quale fuit ardentissimum illud Laurentii desiderium, quo pro Christo pati & mori desiderabat? Cogitate obsecro qualis fuerit tyranno data resolutio, quando ei omnia se ipsi allaturum esse excogitabilia atrocissima tormenta comminabatur. *Has*, inquit, *epulas ego semper optavi*. Quodsi tu aliquem suis in adversitatibus consolaturus eidem ærumnam istam intra triduum majoribus incrementis augendam esse diceres, qualenam illud futurum esset solatium? S. Sixtus ut mœstum & afflictum cor S. Laurentii lætificaret, eidem ipsum carnificinam longè atrociorem toleraturum esse prædixit; hunc enim sensum expressè in se continent verba illa, quibus Sixtus Pontifex Archilevitam suum Laurentium affatus fuisse scribitur: *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus*. Narrat Ruffinus quòd in Edessa Mesopotamiæ urbe, postquam Imperator præfecto suo nonnullos Christianos, qui ab Ecclesia sua expulsi, in campo quodam congregati stabant, interficere præcepisset, dum ille jussa regia executurus abiret, multos alios summa cum festinatione ad eundem locum concurrentes conspexit, & quidem inter alios etiam mulierem quandam infantem suum in brachiis bajulantem, adeò ad dictum locum properare vidit, ut ne quidem moram fores suas claudendi sibi indulserit; quam cum præfectus sistere, & non ulterius progredi jussam, interrogasset, quonam tanta cum impatientia acceleraret, hoc ab ea responsum retulit: Ad Christianorum campum propero. Cùmque Præfectus illi ulterius diceret: Ergone Imperatoris adversus eosdem decreta exequenda ignoras? Respondit ipsa: Scio equidem, ac proindè festinans accurro, ut & ego filiusque meus unà cum ipsis mori possimus. Quod responsum obstupescens præfectus ad Imperatorem se denuò recepit, ut hac de re eum certiorem faceret, à quo protinus quæ ab ipso emanaverant, decreta revocata fuere. Ecce tibi in S. Laurentio consimile patiendi & martyrium subeundi desiderium; nam sancto Sixto mortem & patibulum ejur solitariè subeundum sanctè invidit, eumque tanta cum anxietate sustinuit, ea spe fretus fore, ut socius martyrii esse posset. Et quidem tametsi Deus ipsum in igne moriturum esse decreverit, jam tamen dudum ante alium vehementiorem ignem in corde suo conceperat, quam ignito craticulæ lectulo superimponeretur. Franciscus de Sales in lib. de Amore Divino herbæ cujusdam meminit, quæ tantam cum igne sympathiam habet, quod tametsi ab igne procul remota consistat, ex solo tamen ignis aspectu vel oppositione, quantumvis distans, concipiat incendium: Idem quoque de S. Laurentio dicere licet, hic enim adeo cupidus erat ad moriendum pro Christo, quod tametsi nondum vinculis constrictus, nec apud Tyrannum Christianæ fidei causa accusatus esset, nihilominus etiamnum liber existens catenis & compedibus se vinctum esse credebat. Quotiescunque aliquis impatienti desiderio in rem aliquam fertur, communi proverbio dici solet: Igni superstat, vel igne urgeri videtur; eodem prorsus modo de sancto Laurentio longè melius dici poterat, ipsum igni superimminere, vel ab igne urgeri, quam postea dum craticulæ superpositus erat, ob desiderium & ardentissimam sitim qua ignis incendia tolerare cupiebat, & iden postquàm craticulæ superimponeretur, dixit: *Has epulas ego semper optavi*, carnesque proprias igni assas Tyranno è mensa craticulæ suæ summo cum jubilo offerebat, dicens: *Assatum est, jam versa & manduca*.

Serm. de S. Mart.

Tr. 59. In Joa.

Lib. 11. hist. Eccl. c. 5.

Lib. 5. c. 3.

De S. Laurentii Martyrio sub Triumphi symbolo tractatur, ad invitatorium in Matutinis dictum alludendo.

DISCURSUS SECUNDUS.

Laurentius Christi Martyr triumphat coronatus in cælis.

1 INfra hujus Solemnitatis Octavam, quam sancta Mater Ecclesia in honorem sancti Laurentii solemnem esse voluit, Officium Divinum ab hoc speciali & egregio Invitatorio suum accipit exordium: *Laurentius Christi Martyr triumphat coronatus in cælis*. Scio equidem quod S. Bernardus de Martyribus tractans, Martyrium ipsorum Triumphi titulo condecorare non dubitet, dum ait: *Terreantur licet, Martyres rident, feriuntur & gaudent, occiduntur, & ecce triumphant*. Eodem modo sanctus Hieronymus pro Martyrium gloria scribit; *Triumphus Dei est passio Martyrum*. Et Apostolus ad Corinthios ita loquitur: *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Jesu*; ubi Lyranus hanc jungit expositionem, *id est, triumphare nos facit de persecutoribus per patientiam, secundum illud; Nobile vincendi genus est patientia; vincit, qui patitur*; Enimvero motivum dubii mei in en præcipuè consistit, quod causam scire percupiam, cur sancta Ecclesia Dei solum martyrium sancti Laurentii præ omnibus aliis hac triumphi prærogativa specialiter honoret, cum tamen tot alii generosissimi Christi athletæ atrocissima supplicia pro fidei confessione heroica cum constantia fuerint perpessi? Ac proinde asserendum esse judicio, quod omnibus quæ in hujus levitæ passione & morte concurrerunt, circumstantiis bene pensatis, ipsius potius quam cujusvis alterius Martyrio gloriosissimum hocce encomium conveniat, idque tanto constantius affirmo, quantò certius mihi constat, hunc titulum eidem sanctissimo Levitæ ab omnibus sacris Doctoribus certatim quasi adscribi. Et quidem S. Augustinus in primis de en ita scribit: *Cum omnes beatos Martyres quos nobis antiquitas tradit, omni honorificentia dignos miremur, præcipuè tamen beati Laurentii Martyris triumphum debemus tota devotione suscipere*. Alium quendam sermonem in ejusdem sancti Levitæ laudem compositum hisce verbis exorditur; *Beati Laurentii triumphalem diem, quo calcavit mundum frementem, sprevit blandientem, & in utroque vi-*

Ser de Vit.

Ad Heb. 159. q. 2.

2. Cor. 2. 14.

Ser. 3. vol. 32. de Sanctis.

Ser. 27. de divers.

vicit

cit Diabolum persequentem. Sanctus Sixtus Papa S. Laurentium dum ex eo quod eum secum ad patibulum seu mortis supplicium subeundum conducere nollet, vehementer lamentaretur, prophetico spiritu est consolatus, simul ei prædicens, quod consimili, imo atrociori supplicio Deus ipsum intra triduum dignaturus esset, idque his ferè verbis: *Te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus*. Sanctus Leo Papa non solum ejus mortem triumphum appellavit, verùm etiam passionis ejus instrumenta eodem honorifico nomine insignivit, prouti in matutinalibus lectionibus legitur: ait enim; *In honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii*. Sanctus Maximus in craticula Laurentii, seu ut verius dicam, in lecto ejus ferreo, currum agnoscit triumphalem, dum ait: *Paratur ergo craticula igne succensa, quæ triumphalis, & animum fatigaret martyris, & corpus exureret*: In præcedenti vero Homilia phrasi quoque victoriæ, coronæ, triumphi utitur, dicens: *Triumphum beati Laurentii totus ubique mundus consona devotione concelebrat; cujus radiantibus flammis victrix in hunc quoque diem toto orbe Christi coruscat Ecclesia*; Et paulò post: *Fortissima mortis triumpho Apostolico se consortio copulavit*. Albertus Magnus in serm. 2. de hodierno festo idipsum observavit, verbis fortassè à sancto Maximo desumptis: *Cantatur de eo*, inquit, *quod puritate innocentis vitæ, fortissimaque mortis triumpho Apostolico se consortio sociavit*. Beatus Laurentius Justinianus Archilevitam nostrum considerat, veluti in hujus præsentis vitæ militia & campo positum, armaque semper manibus tractantem, ut adversus mundum, cunctosque alios spiritualis vitæ inimicos, pro tandem sibi comparando glorioso quodam triumpho, strenuè decertet. Ita enim de ipso loquitur; *Nullam indulgens sibi requiem, sed tanquam athleta fortissimus in pœnitentia quotidiana se stadio exercebat, quatenus gloriosum posset triumphum obtinere Martyrii*.

Ho. 2. de S. Laurentio

Serm. 2. de Laurentio

2 *Laurentius Christi Martyr triumphat coronatus*. Chrysologus scribit? *Sicut Dominum prædiorum liminibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina sæpe Sanctorum merita indicant, testantur insignia*. Quis adeò esse potest rerum ignarus, qui hujusce Martyris nomen coronarum & victoriarum secum auguria subinferre non videat? *Laurentius* enim *à Lauro* dicitur, lauro autem tempora cingi solent triumphatorum: *Laurus & palma ad insigne victoria, lauro victorum capita coronentur*. Author quidam modernus hujusce nominis Ethymologiam declarans scribit: *Laurentius dicitur, quasi lauream tenens, laurea verò corona est victorum*. Veteres Romani triumphantes domos suas, nec non & capita sua lauro adornabant. Unde Tertullianus ait. *Cur die læto non lauris portas adumbramus*? Pierius Valerianus de iisdem Romanis narrat, quod experiri volentes felicem aut verò infaustum rerum suarum successum, quendam è lauro decerptum ramum igni admovere soliti fuerint, tuncque si ramus igni admotus strepitum aut rumorem quendam excitabat, optimum inde colligebant augurium; in tali enim casu laureus ramus in suo statu solidè & constanter persistens flammæ resistebat; at verò pessimi omnis signum erat, quando ramus talis consumebatur. Etenim hæc una est, ex veræ lauri conditionibus, à Plinio relata, scilicet igni obstrepere & repugnare. *Abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione*. Porrò mystica hæc nostra laurus igni superimposita fuit, ut dum comburebatur corpore, pariter in eo extingueretur ignis ille, de quo scribitur: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*? Tyrannus quidem per adhibitum Laurentio atrocissimum martyrium omnem quoque Christianæ religionis nostræ scintillam extincturum se esse sperabat; at vero omnino adimpletum est illud Guerriei Abbatis effatum: *Poterit invidus ille tentator sævire, sed hoc erit servire; poterit urere, tundere, secare, sed hoc erit coronas fabricare*. Enimverò dum sanctus Laurentius super illis ardentibus carbonibus supino corpore jacens, suam Tyranno impietatem improperat, suamque non solum magnanimitatem, verum etiam quacum patiebatur jucunditatem & gaudium toti mundo manifestum reddit, tunc pariter per illas flammas, quibus sanctum ejus corpusculum undique circumdabatur, infidelitatis totius, ut ita dicam, mundi tenebras illuminavit, & fidelium per truculentissimarum persecutionum ab Imperatore intentatarum timorem & metum gelida corda simul calefacit & fovit, *Omnium Christianorum corda calefacit*; Ipsius verò corpus corporali huic igni generosè & intrepidè restitisse, ore suo proprio testatur, dum ait: Et in medio ignis non sum æstuatus. Sanctus Maximus quoque ait: *Despectis proprii corporis cruciatibus, insanissimo tortori suo, triumphatis ejus ignibus lætus illuderet, oppositam sibi extrinsecus flammam, aut non sensit, aut vicit*. Porrò verbis exprimi non potest, quam fortunatum laurus hæc ex eo quod igni resistentiam gloriosè fecerit, sedi Apostolicæ Romanæ augurium attulerit: *Insuperabilem fidem ejus lætior Roma miratur*.

Serm. 154.

Lib. 3 Hexam. c. 13.

In Apol. de Laur.

L. 55. c. 30.

Luc. 13. 49.

Hom. 3.

3 *Triumphat coronatus*. In theatro vitæ humanæ scriptum reperio, quod *coronæ triumphales è lauro fieri solebant*. Porrò laurus hæc sibi ipsi hanc coronam intexuit, præter Tyrannum, vincendo semetipsum, prouti suo loco videbimus. Sanctus Chrisostomus scribit: *Paries effoditur, thesaurus non aufferetur, caro scinditur, & fides non rumpitur*. Tametsi enim Martyres in hoc prælio vulneratos, cruentatos, & mortuos esse videamus, non tamen ideo inter victos computandi sunt, quin potius morte sua triumphum sibi acquirunt, quando enim vita Martyris perditur, revera non perditur, sed potius fides Martyris triumphat; Neque solum illi qui atrocissima sustinent tormenta, victores existunt, ipsorumque supplicia in trophæa commutantur, verum etiam mors ipsomet eorum triumphus est. Etenim victoriam inter & triumphum hæc considerari potest diversitas, quod illa pugnando obtineatur, triumpho autem fruamur sedendo; victoria sanguinis effusionem & cicatrices vulnerum non excludit? triumphus autem non nisi cantus & festiva gaudia admittat; victoriam de inimicis reportemus prostratis; triumphum autem de inimicis totaliter debellatis & dissipatis tantum referre, possimus. Estque hic discursus eruditi cujusdam Scriptoris moderni, qui ulterius progreditur, dicendo: Martyres victores nominari posse, tametsi tormentis atrocissimis fuerint affecti; neque enim repugnat, quod miles aliquis uno eodemque ictu graviter vulneretur, triumphum nihilominus gloriosè reportet, prout quotidiana id experientia satis testatur: Quod quidem satis fundatè & veraciter dicitur, difficiliter autem intelligi posse videtur, quod Martyres in carnificina atrocissimisque tormentis dilacerentur, dilanientur, trucidentur, & tamen talia instrumenta supplicii veluti trophæa, ipsum verò martyrium & immanissima mors quam perpessi fuere triumphi loco celebretur; triumphus enim est, qui ex prælio & pugna præcedente procedit, adeoque requiritur, ut victor post pugnam etiam, num vivus supersit, mortui enim triumphare non possunt; veruntamen non sine gravi mysterio Martyres in passionibus & patibulis suis triumphare dicuntur, quia sicut triumphus supponit victoriam, ita hi ut plurimum ad palmam & coronam martyrii tunc primum pertingunt, postquam inimicos suos, Mundum, Diabolum, & Carnem debellarunt, postquam passiones suas devicerunt, & sensus suos custodiæ rationalis fræno domuerunt. Quo supposito quis inter Martyres triumpho dignior æstimari poterit sancto Laurentio? utpotè qui ut præcedenti discursu probavimus, prius omnia carnis incentiva, mundique blanditias & lenocinia gloriosè devicit; & prius laurea candida, postea verò purpurea coronatus fuit. Beatus Laurentius Justinianus de hoc S. Martyre ait: *Non enim carnis secutus est petulantiam, non terrenarum facultatum opulentiam, non sacerdotalis honoris gradum, quin potius corpus jejuniis atterebat, vigiliis edomabat, laboribus affligebat*; Omnesque has sui ipsius victorias, ut paulò ante diximus, ad postremum hunc triumphum ordinabat.

In theatro vitæ hum.

Ser de Pen

4 *Triumphat coronatus*. *Triumphus vox est græca, significans omnium honorum qui a populo Romano dari poterant maximum*, inquit vitæ humanæ theatrum; S. Laurentio autem Ecclesia Romana omnes illos honores contulit, quos sancto alicui optime de ea meritò, & eminentissima sanctitate conspicuo dare potuit, nam ejus natales per festum de præcepto solemnizat, vigiliam, octavam, item officium & missam propriam cum antiphonis & orationibus particularibus ei attribuit, in hisce eum honoribus multis Apostolis anteferendo: *Triumphat*; cum enim in sola Roma & non alibi triumphus institui consueverit; unde & Roma triumphale territo-

In theatro vitæ hum.

ritum

rium appellari solebat, juxta illud *Triumphale territorium Romæ, quod nunc Vaticanum dicitur; unde Damasus Papa scribit, sanctum Petrum sepultum fuisse in Vaticano, juxta triumphale territorium.* Quis unquam S. Laurentio solemnius in Vaticano trimphavit, Ecclesiam Romanam tantopere glorificando & honorando, ut S. Leo de Cathedra Petri sermonem instituens, hæc in ejus laudem verba prædicaverit: *Quam glorificata est Jerosolima Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Triumphat, Hostes devicti* (ut sæpè dictum Theatrum refert) *currum sequebatur, quorum colla catenis erant onerata.* Ac proinde sanctus Laurentius constantia sua Valerianum Imperatorem gloriosè devicit, siquidem hic in exercitæ suæ erga martyrem crudelitatis supplicium (ut piè credere possumus) barbaro illi equum conscendere volenti scabelli loco catenis onustus servivit. *Triumphat*, nam si ita est, (ut idem vitæ humanæ theatrum refert) quod *cautum fuerit ne cui triumphum, nisi quinque hostium millia cecidisset, & justa acie magnas copias fudisset, decernere liceret*, utique sanctum Laurentium præ cæteris Romæ triumphare decuit, siquidem hic ipse per stupendam & insuperabilem in martyrio suo exhibitam constantiam innumeros Christianæ fidei idololatras adscivit, multosque jam de facto Christianos ob persecutiones grassantes in fide nutabundos stabilivit, dilatata nimirum per triumphi sui famam in variis mundi provinciis fide, nam ut S. Augustinus de eo scribit: *Illuminavit planè mundum Laurentius eo lumine, quo ipse accensus est, & flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit*: Et alibi: *Tanta*, inquit, *ejus martyrii gloria extulit, ut passione sua mundum illuminaverit universum.*

Serm. de Sanctis.

Declaratur qualiter igniti carbones peculiare sancto Laurentio refrigerium attulerint.

DISCURSUS TERTIUS.

Disce miser, quod carbones tui, mihi refrigerium præstant.

1 DUm mortalis S. Laurentii caro in ferrea & ignita craticula luculenter arderet, jubilans & festivus spiritus ejus manifesto satis signo indicavit, ignem illum in cordis ejus interiori potius ejus lucisquam ardoris aut caloris fruitionem communicasse, in hujus namque testimonium ad tyrannum conversus dixit, *Disce miser quod carbones tui mihi refrigerium præstant.* Verum enimvero undenam hæc tanta corpori S. Laurentii insensibilitas accidere potuit, ut in igne ardens ejus tamen ardorem non senserit, sed ad omnem ignis violentam activitatem impenetrabilis permanserit? Num forte caro ejus lapidea aut ænea fuit? & tametsi ea alterutro, lapide nimirum vel ferro constaret, adhuc ex igne alterari deberet; nam uti quotidiana docet experientia, silices in calcem resolvuntur, ipsumque æs aut ferrum ab igne igniri & candescere conspicitur (*Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea anea est*) imo ipsemet ad Deum conversus claris verbis fatetur: *Caro mea igne cremata est pro te Deus meus*, & Valeriano assæ carnis suæ partum obtulit, ut vel sic quam flocci supplicii illius atrocitatem faceret, subindicaret, dixitque: *Assatum est jam, versa & manduca.* Hujus igitur refrigerii, quod S. Laurentius ab ignitis hisce carbonibus percepit, mysteria velim in hoc discursu penitius nonnihil examinemus.

Job. 6.12.

Ex Sur. 2 *Carbones tui mihi refrigerium præstant.* Hanc inexplicabilem consolationem, quam sanctus Laurentius in ignita illa craticula percepit, Deus illi immisit, tum ad Tyranni eruditionem & resipiscentiam, unde Levita eidem dixit: Disce miser; tum in præmium virilis constantiæ & fortitudinis, quacum præhorrendum & acerbissimum illud craticulæ tormentum sustinuit; Ideoque ad Tyrannum conversus dixit: *Carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem supplicium æternum, quia ipse Dominus novit, quod accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum: assatus gratias ago*, gaudium illud & jubilus quo Laurentius in craticula perfruebatur, inde quoque dici potest, ortus fuisse, nimirum quia in spiritu superiore immensa illa prævidebat bona, quæ ad majus & solidius fidei stabilimentum, & animarum ad ejusdem confessionem faciendam efficax incentivum, in universam Ecclesiam deinceps redundare debebat; nam ut diximus, per hosce carbones corpori suo substratos *Illuminavit mundum universum.*

3 *Mihi refrigerium præstant.* Advertendum quod hæc verba non loquatur caro & corpus martyris, sed cor & anima ipsius; verè enim caro ardores ipsam concremantes & conficientes persentiscebat; causam verò cur cor & anima Martyris in his ardoribus refrigerium persenserit, S. Augustinus cibo cœlesti, quo frequenter nutriebatur, attribuit: *Bene manducaverat, & benè biberat*, imò ad ipsius utpotè Archidiaconi munus spectabat sanguinis Christi distributio: *Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem. Tanquam illa esca saginatus, & illo calice ebrius tormenta non sensit*, denique ad nostrum propositum pergit dicere. *Caro ardebat sed spiritus animam vegetabat*; spiritus corpori vires & vigorem subministrabat ad efficacissimi elementi illius voracitatem patienter & constanter sustinendam; & hoc forte insinuare Chrysologus voluit, dum ait: *Plus ardebat, quam urebat; urebat in carne, ardebat in corde; cor autem*, ut Augustinus ait, *nisi Christi flamma non urit.* Scribunt naturalium rerum exploratores, quod bitumen genus quoddam terræ sit, ad ignem concipiendum adeo dispositæ, ut quo major aquæ quantitas ei superinfunditur, tanto majori cum vehementia accendatur. Unde nonnemo Bitumen aqua respersum pro corpore Emblematis elegit, illudque hac Epigraphe animavit *Anzi m'infiammi*, id est, usque & usque me accendis, quasi bitumen istud ad aquam sibi superinfusam conversum, eidem dicat; tu quidem ignem in me extinguere niteris, sed frustra, quin potius illum usque & usque in me accendis. Eodem prorsus modo flagrantem in corde Martyris ardorem charitatis per quam tanta cum promptitudine pro Christo acerbissima illa tormenta gaudens sustinebat, per substratos eidem Martyri ignitos carbones satagebat extinguere, ejusque constantiam per prunas labefactare nitebatur, sed turpiter & cum non modica sui confusione deceptus fuit. Unde sanctus Laurentius ei improperavit, dicens: *Disce miser, quod carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem supplicium æternum*; non semetipsum qui in igne cremabatur miserum & infelicem compellabat, sed Valerianum, se autem in illis carbonibus jacentem felicem esse censebat, haud secus ac si inter rosas & flores suaviter requiesceret; *Mihi refrigerium præstant.* Audite Hugonis Cardinalis glossam quandam super illa verba Psalmi: *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis*; dicit enim, quod per sagittas fulmina intelligantur divini amoris, quibus sancti Archilevitæ cor transfixum erat, unde etiam amor prophanus cum arcu & sagittis communiter depingitur; En ipsissima Hugonis præfati verba: *Exempla sanctorum sunt carbones desolatorii, quia per applicationem inflammant & accendunt ad amorem Dei, & vastant, & dessolantur in nobis carnalem affectionem, & sæcularem amorem.* Portò pauló ante præcedens S. Sixti Papæ ad Carnificinam ultro citroque properantis exemplum, insignis carbonum ignitorum massa fuit, quæ Divini amoris ardorem, ut in primo discursu vidimus, in ejus corde magis magisque accendit; omnis quoque in eo extinctus fuit ad carnem & corpus suum affectus, adeo ut ignibus superimponi haud majori loco duceret, quam si corpus suum truncus quidam ligneus fuisset. Idem Cardinalis illum Isajæ textum cap. 47. adducit, dicentis? *Non sunt prunæ, quibus calefiant, nec focus ut sedeant ad eum*; ubi alia Translatio habet: *Carbones sedebis super eos.* Et subjungit: *Hi erunt tibi in adjutorium*, & posset esse thema de sancto Laurentio; utitur quoque illo Proverbiorum textu: *Si esurierit inimicus tuus ciba illum, prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi*, cum enim Valerianus avidè desideraret illud intueri spectaculum, quo sancti Laurentii vivum corpus craticulæ ignitæ injectum torrendum & assandum esset, S. Laurentius partem carnis suæ assatam & excoctam ultro eidem obtulit, dicens: *Assatum est jam, versa, & manduca*, ac proinde merito subjungit, *mihi refrigerium præstant tibi autem supplicium*, siquidem *prunas congregaverit super caput ejus.* Certissimum quidem est, quod sanctus Martyr hoc modo tumidam

Tr. 27. in Jo.

Serm. 535.

Ps. 119.

Prov. 25. 21.

midam illam superbi Tyranni arrogantiam deridendo, ejus contra se magis proritaret iram atque furorem, ad nova adversus eum acerbioraque excogitanda supplicia; at vero hoc erat, quod ipsa pro sua consolatione & exhilaratione quam maximè desiderabat, illum namque craticulæ ignitæ lectulum ferreum, lautum quoddam sumptuosumque censebat esse convivium; unde dum illi cuncta quibus Martyres excruciari solent, ostenderentur tormentorum instrumenta, illique Tyrannus comminaretur, quod nisi Ecclesiæ thesaurum simul cum Christi fide prostitueret, omnia illa in corpore ejus experturus esset; lætus & festivus respondit; *Has epulas ego semper optavi*. Unde bene sanctus Leo ait: *Superari charitatis Christi flamma non potuit, & segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit.*

4 *Refrigerium præstant*. Igneis profectò linguis opus mihi esset; quales fuerint, quæ super cœnaculum Syoniticum in die Pentecostes cœlitus delapsæ sunt; ut de his Martyrem refrigerantibus carbonibus ignitis dignè satis discurrere possem; Qualia enim animæ hujus Martyris (Dolentioe dicam, an jubilanti?) è Paradiso insinuata fuere solatia, quando abinde missus legatus Angelicus fuit, qui candidissimo linteo sudores ejus abstergeret? à quo læto spectaculo captus Romanus miles, qui tanquam minister persecutoris supplicio sancti Laurentii adstabat, baptizari confestim petiit, & una cum Martyre fortiter Martyrium subivit; *Video ante te juvenem pulcherrimum, festinat me baptizare. Misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de medio ignis, & non sum æstuatus*. Verùm inquies, si corpus Martyris ab igne concrematum fuit, ipso Martyre teste, qui ait: *Caro mea cremata est pro te Deus meus*; quomodo ipse ab igne liberatus fuisse, dici potuit? S. Augustinus ait: *Nec enim potest in visceribus ignium tormenta sentire, qui sensibus Paradisi refrigeria possidebat*,

5 *Refrigeria præstant*: In Psalmo scribitur: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus: Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus*. Id quod in Sancto Laurentio totaliter adimpletum fuit; utpote qui *Dispersit dedit pauperibus*, quique in ultimo vitæ suæ die ipsemet dixit: *Misit Dominus Angelum suum & liberavit me*, hic enim ipsum in veræ fidei confessione constantem & stabilem conservavit, ipsumque in cœlo & in terra per gloriam sempiternam vivificavit; & licet, uti paulò infra videbimus, Tyrannus ei mortem intulerit, ipse tamen de Tyranno triumphavit, Verum enimverò verba quæ sequuntur, plusquam præcedentia proposito nostro deserviunt, nimirum: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*. Etenim plumæ quæ sunt in lecto, volvuntur, & revolvuntur in omnem usque partem, ut dormienti tanto suaviorem commodioremque somnum habendi occasionem præbeant: pari quoque modo plumas hujus candentis craticulæ ferrei lecti, id est, ignitos carbones Deus noster ob eleemosynarum suarum, suæque erga pauperes compassionis merita, tali consolatione & refrigerio imbuit, ut ipsemet pleno ore cofiteatur, dicens: *Carbones mihi refrigerium præstant*.

6 Probè equidem sanctus Archilevita sciebat, nigros illos carbones, quibus igne accensis supinè instratus jacebat, meras stellas esse, quibus via illa lactea, qua sibi super Cœli Empyrei firmamentum evehendo eundum erat, pavimentabitur, ideoque in illam gloriam oculum seu potius cor suum directum habebat: & quidem si hæc via felicissimo ejus in uno eodemque monumento sodali tantum suggessit animi robur, atque vigorem, ut saxa, quibus ad mortem usque concutiebatur, mellis suavitatem scaturire existimaret, Ecclesia teste, quæ canit: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*, eò quod cœlum sibi patulum factum vidisset: *Ecce video cœlos apertos*, nil mirum sit hic noster non minus fortunatus Levita sanctè quoque glorietur, dicendo: *Carbones mihi refrigerium præstant*, siquidem & ipse suum cœlesti Hierosolymæ pedem jam de facto intulisse existimabat, ideoque in Martyrii acerbissimis tormentis positus lætus cantabat: *Gratias tibi ago Domine quia januas tuas ingredi merui*; In quibus verbis advertendum est, quod non loquatur in tempore futuro, sed præterito, quasi Paradisus cœlestis jam de facto cœlestium consolationum suarum plenitudine in ejus animam descendisset.

7 *Refrigerium præstant*. Ex quo sanctus Martyr omnino innocens, & in divinæ legis observantia exactissimus existens, pro fidei Christi defensione dira patiebatur, meritò se cœlesti perfusum consolatione sentiebat, nam ut sanctus Ambrosius scribit: *Ardet profectò totis visceribus fortissimus Martyr & uritur, sed regnum Dei pertractans refrigerio conscientiæ victor exultat*; eandemque ob causam Apostoli quoque inter derisiones & opprobria exultasse leguntur: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*.

8 *Refrigerium præstant*. Igne hi carbones molles ipsi & delicatæ plumæ esse videbantur, adeo ut acerbum illud craticulæ ignitæ supplicium suavissimus lectus quietis esse videretur. Unde Chrysologus ait: *Itaque Beatissimus* Serm. 135 *Martyr ostendens, quam quietè jaceret in illo ignito ferro, ait circumstantibus: Jam me versate*, paulò antè verò dixerat: *Ille craticulam supplicii lectum quietis putabat, supplicium dixit secundum animum punientis, non secundum conscientiam patientis*. Veteres lectos ad convivia adhibere solebant, unde verbum discumbere derivatur, quod idem est, quod mensæ assidere vel accumbere; ac proinde quid mirum si S. Laurentius inter hæc supplicia in Craticula ignea positus, velut in molli lectulo recumbere sibi videbatur *Has epulas ego semper optavi*? Imo si partem carnium suarum assam & veluti excoctam manducandam obtulerit? quam aptè de eo dici potest, quod S. Hilarius de veris Dei servis scribit; *Justi viri nunquam dulcius* Can. 11. in Matt. Ser. 72. *requiescunt, quam cum laboribus fatigantur*. S. Ambrosius ignem trium puerorum in medio fornacis Babylonicæ Deum benedicentium, cum hoc carbonum æstuantissimo igne comparans dicit: *Illi in pœnarum suarum flammis ambulant, hic in ipso supplicii sui igne discumbit*; ubi notanter verbo illo discumbit, utitur, quod est expressivum quietis, & de eo communiter dica solet, qui in lauta quadam mensa jucundè epulatur. *In eo nudus extensus*, ita de hoc lecto ferreo dicitur, *Lectus ferreus instar craticulæ, prunæ ei substratæ, furcisque ferreis illum compresserunt*. Tunc verò ad carnificem & persecutorem conversus ait. *Infelices non cognoscitis ve-* Ps. 119 5 *stros carbones mihi ardorem non afferre, sed refrigerium*: Unde illa verba Psalmi: *Cum carbonibus desolatoriis*, Ps. 149. 5. S. Augustinus ita legit: *Cum carbonibus in formam lecti constratus*; ac proinde quodsi hic textus Psalmi: *Exultabunt sancti in gloria lætabuntur in cubilibus suis*, literaliter aliquando adimpleri poterat, id certè in præsentis Martyrii occasione fieri debuit, tametsi enim verba illa de æternæ Beatitudinis quiete communiter intelliguntur, illa tamen etiam huic sancto Martyri adaptari possunt, siquidem hic in lectulo Craticulæ ferreo ita suaviter, quievit, ac si fuisset in Paradiso, unde in hoc pœnosissimo ignito lecto recumbens ait: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*.

9 Ab hisce carbonibus utilissimum quoddam documentum ediscere possumus, si ad id quod S. Guerricus Abbas sequentibus verbis indicat, nos reflectamus: *Inde* Ser. 4. de Pu. 1. f. Mariæ *cadent super eos carbones pœnaliter purgatorii, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorii*: ut autem quinam hi salutares carbones sint, clarius explicet, ulterius prosequitur, dicendo, quod similes sint carbonibus labia Isaiæ purgantibus, hi enim, ut jam diximus, *desolantur in nobis carnalem affectionem & sæcularem amorem*; & ideò si ab hisce carbonibus accensi fuerimus, illud quoque refrigerium sperare possumus, quo perfruitus est interiori sinu animæ suæ S. Laurentius, Prov. 15. 15. quia *secura mens quasi juge convivium*.

De confusione tyranni, utpotè quem S. Laurentius fortitudine sua gloriosè devicit, ac derisit.

DISCURSUS QUARTUS.

Deum meum colo, illi soli servio, & ideò non timeo tormenta tua.

1. VAlerianus quidem Imperator ex omnibus immanis truculentiæ suæ viribus in id conatus est,

ut S.

ut S. Laurentium vinceret, eòque adigeret, ut vel fidem Christi abnegaret, aut verò ob nimiam atrocissimorum suppliciorum suorum violentiam & multiplicitatem victas ei & supplices manus protenderet; nihil tamen horum ab ipso obtinere potuit, quin potiùs invictus Martyr generosè ei respondit: *Deum meum colo, illi soli servio, & ideo non timeo tormenta tua*. Et verè ita erat; siquidem ex redditis tyranno responsis, ex variis patientiæ suæ ab eo editis speciminibus, ex generosa resistentia, qua tot se suppliciis opposuit: denique ex cordiali jubilo, quocum passus fuit, clarè satis & perspicuè intelligitur cor ejus ne quidem ab aliqua timoris & formidinis umbra fuisse correptum.

Isa. 7. 2. 2 Isaias, qui, quòd multos legis gratiæ eventus clarè & evidenter prædixerit, Prophetæ Evangelici nomenclaturam sibi comparavit, verba sequentia specialiter ad S. Laurentium direxisse videtur: *Noli timere à duabus caudis titionum fumigantium istorum*, id est, ne formides duorum Christianæ religionis persecutorum horrendas comminationes, utpotè qui iram & indignationem nimiam adversus hunc Martyrem mirificè fumigarunt, qui proindè inferni titiones appellari possunt, tantò magis quòd S. Levitæ carbones hoc igne accenderunt. Et quidem ut Valeriani rabies tantò evidentius appareat, verba Veleriani, & S. Levitæ responsa nonnihil accuratius examinemus; sic enim tyrannici furoris ipsius fulmina exhorrescetis, invictum verò Martyris animum magno

Surius. cum stupore admirabimini. *Subjicite* (ita tyrannus carnifices alloquebatur) *oculis ejus omne genus tormentorum*; ac proindè confestim omnis generis instrumenta, quibus Martyres cruciari & dilaniari solebant, in conspectu Martyris exposita fuere, cum additis atrocibus minis, quòd nisi Christi fidem negaret, omnia & singula tormenta in suo esset corpore experturus. Qui mox subridendo respondit: *Infelix, has epulas ego semper optavi, hæc enim tibi quædam tormenta sunt, nobis vero gloria*. Et quidem

Ps. 22. 5. tunc ad propositum nostrum adimpletum fuit divinum illud oraculum. *Parasti in conspectu meo mensam*; his enim verbis S. Martyr in ea occasione Deum alloqui potuit, quia *has epulas semper optavit*; quia verò certum est quòd prædicta tormenta, prouti jam videbimus, potiùs persecutores ipsius cruciarint, quàm ipsum Martyrem, ideò optimè additur: *Adversus eos qui tribulant me; hæc enim tibi quædam tormenta sunt*. Tunc tyrannus ira inflammatus, *jussit eum nudum fustibus cædi*. In ipso verò actu quo spectante tyranno S. Martyr excarnificabatur, ad impium conversus dixit: *Ecce miser, vel modo cognosce, quia triumpho ex thesauris Christi, nec sentio tormenta tua*. Tunc tyrannus carnificibus præcepit: *Augete fustes, & ad latera ejus applicate laminas ferreas candentes*. Invictus verò Levita se tunc longè minus timere ostendit, dicendo: *Ego in nomine Domini Jesu Christi non reformido tormenta tua; quæ ad tempus sunt; fac quod facis, noli cessare*. Undè huic nostro sancto Martyri illa sanctæ Eulaliæ verba applicari possunt, quæ dum ferreis dilacerateur pectoribus, dixit: *Hæc signa, quæ ferrum in corpus meum imprimit, litera sunt, quibus sanctum nomen tuum in carne mea scribitur, quæ tuas victorias & triumphos prædicant*; siquidem ab illo craticulæ candentis ferro Christi nomen vivacissimè & tenacissimè imprimebatur, quando dicebat; *In nomine Domini Jesu Christi non formido*; hoc enim nomen victorias ei & triumphum præomioabatut. Unde sanctus Leo ad Valerianum conversus ita eum alloquitur: *Sævisti persecutor in Martyrem; sævisti & auxisti palmam, dum aggregas pœnam*. Verùm enimverò nondum quicquam de hujuice impiæ tygridis sævitia & immanitate diximus. Sequitur ergo in historia vitæ ejus: *Immani furore percitus jussit eum plumbatis diutissimè cædi*. Et quidem verisimile est, hunc cruciatum aliis præcedentibus adjunctum adeo fuisse dirum & acerbum, ut sub illo Martyr spiritum suum Deo redditurus videri potuisset; siquidem se facto se Deo, haud secus ac si animam suam jamjam exhalaturus esset, commendavit, nihilominus rum ab ipso, tum ab Imperatore clarè & distinctè audita est vox de cœlo dilapsa in hæc verba: *Adhuc multa certamina tibi debentur*. Undè tyrannus *furore correptus* præcepit: *Extendite eum, & scorpionibus flagellate*. Quid autem S. Laurentium hæc jussa audientem respondisse existimatis? *Beatus Laurentius in catasta subridens, & gratias agens Deo dixit: Benedictus es Domine Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis immerentibus impendisti misericordiam tuam*; per hanc autem misericordiam, uti ego quidem existimo, hoc adeo acerbum supplicium suum intelligi voluit. Dum verò S. Martyr quasi gratum se erga carnifices se torquentes exhibere volens, aliqua militibus illis & idololatricis ministris divinæ lucis scintillam imploraret: *Eadem hora unus ex militibus Romanus nomine credidit Jesu Christo verbis sancti Laurentii permotus*; seque ante ipsum pulcherrimi aspectus juvenem vidisse dixit. *Vidit ante te juvenem pulcherrimum cum linteo stantem ad extergendum membra tua*; tunc Valerianus *ira & furore percitus*, in hæc verba prorumpens: *Arte magica victi sumus, jussit beatum Laurentium solvi à catasta*. Quid inde? num fortè barbarum hunc tyrannum se à Martyre devictum agnovisse existimatis? Minimè. Audite enim quid historia vitæ Martyris referat: *jubet omne genus tormentorum exhiberi ad tribunal suum, plumbatas, fustes, laminas, ungues, lectos, batillos, sedetur pro tribunali, & sacratissimo Martyri ad instar furibundi leonis falsis nominibus suis sacrificium offerre* præcepit: *alioquin nox ista*, inquit impius, *in te suppliciis expendetur*. Cui Martyr memorabilem hanc subjunxit sententiam *Nox mea obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt*. Persecutor quidem gloriam ejus obscurare satagebat; at verò generosum hoc responsum audiens, *jussit os ejus lapidibus contundi; ille vero magis confirmabatur, & subridens dicebat: Gratias tibi ago Domine*. Sanctus Cyprianus de sanctis Martyribus, qui per lætitiam & cordis jubilum, quem in passione sua præseferebant, omnem deridebant & confundebant judicum aliorumque illos dilaniantium crudelitatem, ita scribit: *Sic Sanctorum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vita statum eis procurat*; in præsenti verò *tyrannus illuditur* per sannas & derisiones, quibus à sancto Laurentio afficiebatur, eò quòd per suam crudelitatem & adhibitam ignis vehementiam, omnem in Martyre verè fidei scintillam extinguere contendebat, cùm tamen magis magisque eandem in Martyre accenderet & augeret. Et hoc est quod Lactantius Firmianus de Martyribus scribit, qui heroicam Martyrum nostrorum inter media carnificum supplicia admirabantur patientiam: *Inter fatigatos carnifices*, inquit, *invictam tenere patientiam existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare*. De tormentis sancto Laurentio irrogatis etiamnum parum diximus; & quidem si ea, quæ in eorundem passione edidit responsa omnibil ponderemus, idem haud dubiè de ipso dicere poterimus, quod de sancto Vincentio sanctus Augustinus scribit, videlicet: *Tanta pœna erat in membris, tanta securitas in verbis, tanquam alius loqueretur, alius torqueretur*. Imperator jubebat: *Afferte lectum ferreum, & in eo cubet Laurentius contumax: allatus est lectus ferreus instar craticula, & in eo nudus extensus, & prunis ei substrata, furcisque ferreis illum compresserunt*. Dumque in eo persisterent, ut eum ad sacrificandum idolis permovere possent, respondit: *Ego me obtuli Deo sacrificium in odorem suavitatis*; quasi diceret voluisset, congruè à vobis in ignem conjectus sum, sic enim ab eo consumptus, Deo in holocausti sacrificium offerendus ero, hoc enim ad Dei gloriam totaliter consumebatur. Veruntamen ut id, quod à principio proposuimus, intelligerent, scilicet quod tormenta ejus necquicquam timeat: *Non timeo tormenta tua*, ad ipsum conversus dixit; *Disce miser quod carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi autem supplicium æternum, quia ipse Dominus novit, quod accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago*; idque serena festivaque facie, vultu elegantissimo dicebat. Demum verò velut per ludibrium subjunxit: *Ecce miser, assasti unam partem, versa aliam, & manduca*. Pater Ludovicus Granatensis in sermone de hoc festo ita scribit: *Agnosce Romanum Imperatorem non modò ab uno adolescente superatum; sed etiam irrisum atque contemptum*. Sanctus Bernardus de sancto Joanne Baptista præcursore Domini scribens, verba quædam in medium adfert, proposito nostro aptissimè deservientia, nimirum: *De quanto mentis fervore procedere putas scintillas istas, imò carbones desolatorios? nec ipsum veretur potentis vultum, quin tota libertate spiritus arguit*

Lib. 5. de divin. c. 13.

peccan-

peccantem Regem, crudelem atque superbum, nec blanditiis ejus, nec ipso mortis terrore movetur. In Epistola ad Romanos sanctus Paulus documentum aliquod tradit, à Sapiente anteà quoque traditum, nimirum.
Rom. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus*; id quod de sancto Laurentio etiam dicere possumus: ipse namque assas carnes suas Valeriano præsentando ad manducandum igneos super caput ejus iræ, rabiri & furoris congessit carbones, dum se non solùm à Martyris constantia victum, verùm etiam contemptum, & sannis petitum esse vidit; horum namque carbonum in caput ejus congestorum signum fuit, quòd
Ps. 17. 9. *ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones incensi sunt ab eo*, adeò ut historia referat, quòd Justinus presbyter, ea quæ Hyppolito quoad sanctum Laurentium evenerant, referens dixerit: *Quemadmodum super prunas beatus Laurentius egisset, & Decius ac Valerianus pudefacti abiissent*. Sanctus Maximus homilia 1. de hac solemnitate ait: *Ad hoc diabolica profecit intentio, ut vir fidelis ad Deum gloriosior ascenderet, & crudelitas persequentium cum suis ignibus confusa torpesceret. Beatus Laurentius in ipsis tormentis dicebat: Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus est adjungere servis suis, tu autem miser torqueris insania & furore tuo*. Memini me legisse, quòd cum Chaldæi quondam ignem loco Dei sui adorarent, Canopus Ægyptiorum Deus, ignem Chaldæorum Deum hoc stratagemate devicerit; Ægyptii namque statuam quandam intus concavam formarunt, quæ hujus Canopi Dei sui figuram referebat, eumque ex opposito ouminis Chaldæorum, ignis nimirum, statuerunt, veluti per luctam quandam inter se congressuros. Verum audite lepidam ab Ægyptiis excogitatam astutiam: cum enim prædicta statua intus aqua repleta, & undequaque perforata esset, ita tamen ut foris undique cera obturata esset, quo minus aqua diffluerct, accidit, quod quamprimum ignis cum Canopi statua duellum initurus propius ad illam accessisset, diffluente ex ignis activitate cera fori aperti aquam in ignem undique emanarint, indeque ignis extinctus, & consequenter à Canopo superatus fuerit. Porrò similem quandam luctam inter sanctum Levitam & Valerianum videre videor; hic enim ex tota virium suarum potentia ad Martyris superandam constantiam barbaram suam crudelitatem in eum exserere sategit, ac tandem eundem pro ultimo sive extremo immanis barbariei suæ conatu, eundem super ignem conjecit; at verò sanctus Levita victor gloriosè evasit, cum hac tamen differentia, quòd
Cant. 8. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: crudelitas persequentium cum suis ignibus confusa torpuit. Laurentius Christi martyr triumphat coronatus*; at verò tyrannus *torquetur miser insania & furore suo*, Paulò post verò, ut Annales Ecclesiastici referunt, in justam pro tanto Christiano sanguine iniquè effuso Dei vindictam, & specialiter, prout credere possumus, in crudelitatis in S. Laurentium exercitæ condignam pœnam, in bello, quod adversus Saporem Persarum Regem gessit, turpiter succumbens, factus est ejusdem captivum mancipium, qui proindè eidem Sapori equum conscendere volenti incurvata cervice & dorso pedibus ejus calcandum se substernens scabelli loco deservire debuit, ac tandem vivus excoriatus est, & nuda caro ejus sale persticata fuit. Nunquid memoria etiamnum tenetis, qualiter dum Tobias junior Archan-
Tob. 8. gelo Raphaele suadente, fel piscis capti carbonibus ardentibus superimposuit, mox infernus & dæmonis potestas totaliter à viribus suis dejecta & enervata fuerit? *Posuit super carbones vivos, tunc Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & relegavit illud in deserto superioris Ægypti*. Simili modo confestim ut S. Laurentius in craticula super vivos carbones positus fuit, divina omnipotentia invisibili manu sua infernalem illum Cerberum alligavit, qui hactenus in Christianorum perniciem periculosissimè debacchatus fuerat, hacque ratione fides denuò magna ex parte respiravit, ut verificaretur illud: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Porrò persecutorem per craticulam magis cruciatum fuisse quàm Martyrem Chrysologus optimè declarat dicendo: *Adstrictus est ferro sed ille craticulam supplicii lectum quietis putabat,*
Serm. 135. *supplicium dixi secundum animum punientis*. Id quod S. Maximus pariter considerandum ait: *Invenit vir prudentissimus, hoc encomio insignem hunc Archidiaconum condecorat, undè acrius suum possit torquere tortorem*. Hom. 2. de S. Laur.
Et in Homilia sequenti, quæ est in ordine tertia, eidem Martyri illa Psalmi verba applicat: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Cujus cor tanta in fide Christi magnanimitate concaluit, ut despectis proprii corporis cruciatibus insanissimo tortori suo, triumphatis ejus ignibus lætus illuderet*.

De S. Laurentii patientia, & in martyrio exhibita lætitia, deque aliis ejus insignibus virtutibus.

DISCURSUS QUINTUS.

Probasti Domine cor meum, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.
Psal. 16. v. 3.

1 TAmetsi hæc Davidica verba, prouti Hugo Cardinalis notat, cuilibet Martyri appropriari possint, *tamen propriissimè de B. Laurentio exponuntur*: ac proindè Ecclesia hodie in Graduali ita canit: *Probasti* Ps. 25. 2.
Domine cor meum. Etenim Deus cor S. Laurentii divini amoris sui igne exactè probavit, & verisimile est, quòd S. Laurentius à Deo specialiter hanc probationem poposcerit, dicendo: *Proba me Domine, tenta me, ure renes meos & cor meum*; quibus verbis & in corde, & in renibus ignem efflagitat: *Cor autem*, Augustino teste, *nisi flamma Christi non urit*. Et quidem flamma, quæ cor ejus accendit, ea ipsa est, quæ patientiæ ejus specimen clarum Ser. 10. de Sanctis.
edidit: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*. Hugo Cardinalis ait: *Vocat iniquitatem avaritiam*; neque enim solùm ab hac rubigine, verum etiam à quavis alia, ut Discursu primo diximus procul abfuisse noscitur.

2 *Probasti cor meum*. Ingens & insigne fortitudinis suæ specimen inermis ille pastorculus David edidit, quando Colossum illum, qui mons quidam æneus esse videbatur, & solus integro armatorum milium exercitui formidinem & pavorem incutiebat, per vibratum in ejus frontem è funda lapidem in terram prostravit; felicissimus ille fundæ jactus regnum Israeliticum, quod per hujusce Goliath fastum & arrogantiam vacillare videbatur unicè sustentabat. Ecce tibi hic pariter juvenem quendam in jucundissimo ætatis suæ flore constitutum, qui nulla alia lorica armatus, quàm invicta quadam patientia, ardentissima quadam erga Deum charitate, sanctæque fidei zelo communitus, cum tali imperatore duellum quoddam aggredi non formidabat, qui universam Dei Ecclesiam subvertere omni virium conatu satagebat. S. Bernardus ser. 61. in Cantica, tametsi de omnibus Martyribus in communi loqui videatur, fortitudinem tamen & alacritatem à S. Laurentio in suo martyrio exhibitam ad vivum delineasse videtur hisce verbis: *Stat Martyr triumphans & tripudians toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, & non modò fortiter, sed alacriter e carne sua* Ser. 61. in Cant.
circumspicit ebullire cruorem. Porrò sanctus Doctor eodem loco, ubinam tunc Martyris anima fuerit quærit, & respondet: *In tuto, nempè in petra, nempè in visceribus, in vulneribus Jesu. Attendite ad petram*, inquit nos exhortans Isaias, *undè excisi estis*; id quod S. Laurentius præ Isa. 51. 1.
ceteris perfectissimè præstitit: ipse namque præ quovis alio cor suum in Christi sanguinem defixum habuit, utpotè qui tanquam Archidiaconus illum inter fideles distribuebat: *Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*, inquit ad Sixtum. Et ideò S. Augustinus ait: *In calice ebrius tormenta non sensit*; nam ut S. Bernardus ait, quòd Martyr aliquis passionis suæ tormenta non sentiat, *hoc non facit stupor, sed amor, submittitur enim sensus, non amittitur; nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur*. Hæc sancti Levitæ in suppliciorum carnificina exhibita Tract. 27.
alacritas, & invictum animi robur, effectus quidam erat in Joan.
ardentis in eo ignis amoris divini, quo cor ejus inflammatum erat; ac proindè B. Bernardus concludit: *Ergò est petra Martyris fortitudo, indè planè potens ad bibendum calicem Domini: Et calix hic inebrians quam præclarus est, præclarus, inquam, atque jucundus, non minus Imperatori spectanti (id est, Deo) quam militi triumphanti, scilicet S. Laurentio, qui triumphat coronatus*.

3 *Probasti Domine cor meum*. S. Leo fortitudinem hujus Martyris, sive patientiam ejus, huic igni divini amoris attribuit dicens: *Illa mirabilis animi fortitudo de Christi principaliter amore concepta, fortitudo tua*, (ita huic inclyto athletæ, huic glorioso triumphatori dici potest) Lib. de Patient. c. 3. *patientia tua*. Tertullianus de Martyribus scribit: *Qua igitur negotiatio patientia*? Lucra illa inæstimabilia, quæ Christi milites in cruento martyrii campo sibi Prov. 19. 11. comparant, in virtute patientiæ adipiscuntur, per hanc heroicæ virtutis & valoris sui specimen edunt. *Doctrina viri per patientiam noscitur*. Ac proindè mirum non est quòd S. Laurentius in hac virtute fortitudinis præ cunctis aliis excelluerit, seque in eadem per insignia facinora eximium reddiderit; siquidem ipsum patientiæ partum & filium esse constet: Matris namque proprium nomen, Patientia fuit. Tertullianus de hac virtute tractans, sententiam quandam tradit, quam huic sancto Martyri facilè accomodare possumus; ait enim: D. Patien. c. 13. *Christiani nominis thesaurus, cujus nisi patientia disciplinis eruditur*? Etenim S. Laurentius suo tempore verus quidam Christianismi thesaurus erat, qui per suum martyrium fidem & religionem quasi labefactatam instar solidæ cujusdam columnæ sustinuit. Sanctus Augustinus de eo scribit: *Dicitur tanta tranquillitate illa tormenta tolerasse ut im-* Ser. 123. de diver. *pleretur in eo quod modò in Evangelio audivimus: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Flamma ustus,* In senten. *sed patientia tranquillus*. Sanctus Bernardus patientiam hoc encomio extollit: *Porta cæli humilis patientia, quæ est porta ferrea quæ ducit ad civitatem*. Ad propositum nostrum dicere possumus, quæ est *craticula ferrea*; hæc enim cœlestem illi Hierosolymam patere facit. Undè Chrysostomus in Homilia ad populum: *Quod melius est injuriam pati, quam facere*; ei encomium quoddam parum à priori diversum attribuit, dum ait: *Patienti Deus totum reserat cœlum*; id quod in hoc Mar- Jac. 1. 4. tyre perfectè adimpletum fuit; siquidem Deus invictam ipsius patientiam adeò munificè remuneravit, ut tametsi corpore reus inter acerbissima tormenta hæreret in terris, pedem suum tamen sibi cœli portis intulisse videretur: *Gratias ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*. Trita est, & ab omnibus persæpè audita est illa S. Jacobi propositio, qua dicit; *Patientia opus perfectum habet*; ab hac autem perfectione multæ aliæ vir- Se. in Ene. S. Lauren. tutes in ipso specialiter emicuerunt, de quibus Dionysius Carthusianus scribit: *Commendandus est ab æstuanti promptitudine animi sui ad martyrium, in qua promptitudine innotescit magnitudo fidei, certitudo spei, fervor dilectionis, magnanimitas & imperterrita securitas S. Lau-* Job. 31. 2. 3. *rentii*, Martyrium ejus in igne consummatum fuit, Job autem de simili supplicio tractans ait: *Quis sustine-* Eccl. 38. *bit? Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*, inquit Ecclesiasticus, *vapor ignis urit carnes, & in calore fornacis concertatur*. His adde, quòd corpus sancti Levitæ excarnificatum fuerit à scorpionibus, dilaceratum flagellis, plumbatis contusum, ad latera ab accensis & ignitis laminis ustulatum, atque in equuleis & catastis extensum fuerit, adeo ut de eo dici possit illud Jobi: *Hostis meus terribilibus oculis* Job. 16. *intuitus est me*. Tyrannus enim atrocissima supplicia in eo experiri voluit, quæ barbara ejus crudelitas adinvenire potuit, & tamen Sanctus dicere potuit: *Probasti me, igne examinasti*, id est, ut interpretatur sanctus Ambrosius; *Devotiorem Laurentium Salvatoris atro-* In Luc. c. 13. *ciora supplicia fecerunt*. Considerastine aliquando illa Psalmi verba: *Dum superbit impius, incenditur pau-* Ps. 9. 2. *per*? Illis etenim verbis insinuatur, quòd quantò magis impius & superbus tyrannus Valerianus Martyri comminabatur jam totali pauperi & acido, cunctisque thesauris exspoliato, tantò magis in eo charitatis ignis accensus fuerit. Hugo Cardinalis ait: *Pauper spiritu incenditur, id est, purgatur*; hæc autem ad propositum nostrum non adeò servire aut conducere videtur, quia S. Leo titulum immaculati ei attribuit; *Postulas ab immaculato Sacrarii Præside*: & uti in principio hujus Discursus diximus, ipsemet de seipso dicit: *Non est inventa in me iniquitas*; quænam igitur aut qualis macula in eo purganda superetit? maximè cum idem Hugo hæc verba: *Non est inventa in me iniquitas*, ita explicet: *quæ ab hoc igne excoqueretur, eò scilicet quod iniquitatem non fecerit*. Quonam vero igne accensus fuit: *Incenditur amore Dei*. Dicere quoque cum S. Augustino poterimus: *Mali serviunt bonis non obsequendo, sed persuadendo*. Horum namque superbia & impietas sanctitati servorum Dei cooperatur, eosque Ser. 78. de tempore. haud secus ac ignis aurum purificat: *Quomodo in fornace artificis palea servit auro, ubi sine dubio palea consumitur, aurum probatur*.

4 *Non est inventa in me iniquitas*. Idem Hugo vocat iniquitatem avaritiam. Sciendum est igitur, quod inter alia motiva, quæ Gulielmus Durandus in Rationali Divinorum Officiorum adfert, cur in hujus Martyris honorem adeo insignis celebretur solemnitas, unum est illud, scilicet *propter bonam administrationem thesaurorum Ecclesiæ*; siquidem è tot thesauris nihil manibus ejus adhæsit, sed fidelissimus dispensator extitit; & quidem tanto pauperes amore prosequebatur, ut eos thesaurum suum nominare solitus fuerit. Undè sanctus Ambrosius ait: *Quos meliores Jesus habet thesauros,* De offic. c. 18. *quam eos, in quibus amat videri*? Redditus & census ecclesiastici, sanguis Christi esse dicuntur: sanctus Laurentius autem tanquam Archidiaconus hujus thesauri dispensator constitutus fuit: *Cui commisisti dominici sanguinis dispensationem*; quod non tantùm de sanguine Eucharistico, verùm etiam de mystico bonorum Ecclesiæ sanguine intelligendum venit; quonam autem modo hi thesauri distribuendi sunt, suo nos exemplo pulchrè docuit: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi*. Sanctus Leo Papa generositatem, quam in distribuendis in pauperes thesauris ecclesiasticis exhibuit, tametsi sibi per hoc tyranni odium conciliandum esse sciret, tanti æstimavit, ut si secus fecisset, omninò sibi persuasum habeat, eum in fidei confessione non adeo futurum suisse stabilem atque constantem: *Si fecisset sacra pecuniæ traditorem; faceret etiam veræ religionis exortem*. Est illa sancti Basilii sententia: *Sibi apud Deum pietatis januam clausit, qui viscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit*. A contrario sensu, qui viscera sua erga egenos pandit, portas quoque cœlorum sibi patulas esse efficiet; ac proinde sanctus Laurentius Deo gratias egit dicens: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*; idque quia *thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus*. Dionysius Carthusianus de eo scribit: *Cum sancto Job* Ser. 1. de S. Laur. *dicere potuit: Ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris egressa est mecum*. Intima, quam erga pauperes exhibuit, compassio, acerbissimæ passionis causa fuit; at verò sanctus Laurentius super prunas ardentes expositus gaudium & jubilum cordis in se persensit, imò exultavit, occasionem sibi dari, ut in igne charitatis & amoris erga Deum & proximos suos, id est, pauperes, & egenos magis flagrare posset, ne fortè ab igne cupiditatis auri & argenti læderetur. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*; id est, avaritia, quæ sub hoc ignis epitheto à sanctis Patribus sæpè vituperatur. Quorum unus, qui suam ab auro nomenclaturam accepit, id est, Chrysologus ita ait: *Auri furor ardentius humano fervet in pectore, quam caminus totus ignescit incendiis, & acrius homines dissolvit in terra, quam solvatur in calore flammarum*. S. Leo quoque idem vitium Serm. 10 in Juda detestando, hac phrasi utitur. *Facibus inflam-* Ser. 10 de Pass. *matus avaritiæ*. Undè valdè credibile est, quòd cum sanctus Laurentius omnes Ecclesiæ thesauros in manu sua habuerit, prius ab infernali hoste hoc avaritiæ igne infestatus fuerit: *Igne me examinasti*, ita Deo dicere potuit, id est, ut me probares, me cupiditate auri & argenti tentari permisisti, *sed non est inventa in me iniquitas*.

5 *Igne me examinasti*. S. Thomas de Villa-Nova di- Serm de S. Steph. cit: Homines solitos esse Sanctos tanquam Advocatos venerari, qui illis in rebus, in quibus ipsorum imploramus patrocinium, passi fuere: *In peste Rochum; in ophthalmia Luciam: in carninomate Agatham; in dolore dentium Apolloniam invocamus: Stephani autem lapidati Martyris munus est duritiam cordis emolliere*; Verum quanam in re sanctus Laurentius à nobis velut advocatus implorandus erit? *Da nobis quæsumus Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare*. Specialius tamen à nobis implorandus est, ut ignem infernalem nos evadere faciat. Nam ut S. Augustinus ait; *Sub um-* Ser. 33. de sanct. *bra illius latitans gehenna non patietur odorem, securusque de die judicii exurentis incendio erit*. Porrò ignis ad æternum ignem nos protrahens, ut plurimum est ignis carnalis concupiscentiæ, à quo nihil æquè efficaciter nos

valet

valet eximere, ac ignis S. Laurentii. De quodam Ordinis S. Dominici Religioſo, cui nomen Dominicus erat refertur, quòd dum hic ab objecto quodam laſcivo ex ſtimulatus, & à dæmone pariter infeſtatus, carnis protiramenta glorioſè viciſſet, vocem quandam audierit eidem inclamantem: *Viciſti, viciſti, quia in igne fuiſti, & non arſiſti.* Idem majori cum veritate præ cunctis aliis de S. Laurentio dici poteſt. Verùm enimverò ad evadendum omne hujus ignis experiundi periculum, efficax remedium erit non ſolum hunc S. Laurentii ignem conſiderare; verùm etiam per ſeriam conſiderationem ad inferni barathrum deſcendere: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne*, inquit S. Laurentius, *ne æternum gehennæ patiatur incendium*. Nunquid ad evadendum ignem quendam æternum, operæ pretium eſſe cenſebitur, ſi quis unico tantùm die in prunis concremetur & ardeat? S. Polycarpus Proconſul hunc in modum reſpondiſſe fertur: *Ignem minaris hunc, qui ad momentum incendit, & paulò poſt extinguitur; verum ignoras ignem gehennæ, qui ad perpetuas pœnas præparatus eſt impiis*. Deus à nobis non requirit, ut exarſerimus ſuper vivis carbonibus, veluti S. Laurentius, ſed ut ab infernali igne præſervemur, ſufficit utique ſi ab hoc igne conflagremus, qui in ejus corde luculenter ardebat, ſcilicet igne amoris divini, & obſervantiæ divinæ legis, de qua dicitur: *Ignea lex Ignem veni mittere in terram*. S. Ambroſius ait: *Quis hoc exemplo nolit pro Chriſto ardere cum Laurentio, ut poſſit à Chriſto cum Laurentio coronari*.

De immenſa gloria, quæ S. Laurentio ex ſuo martyrio tam in cœlo quàm in terra obvenit; deque beneficiis, quæ per illud in Eccleſiam redundarunt.

DISCURSUS SEXTUS.

Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.

1 INvidus quidem & immanis tyrannus gloriam & heroica S. Laurentii facinora ſub obſcuræ noctis tenebras ſepelire ſatagebat, ne mundo manifeſta & nota fierent, neve eidem ejus innoteſceret ignominia atque confuſio; ſanctus verò Martyr ex inſtinctu utique Spiritus ſancti, noctem illam quovis ſereniſſimo die ſplendidiorem futuram, & quemvis fuſcæ illius caliginis atomum non ſolum in ſcintillam, ſed & in lucis & gloriæ radium tranſmutandum eſſe prædixit; *Mea nox obſcurum non habet ſed omnia in luce clareſcunt*; ac proindè in præſenti Diſcurſu ponderemus velim nonnihil, quot modis ſanctus hic Martyr immenſam gloriam ſuam in cunctis futuris ſæculis tam in hoc inferiori mundo quam in cęlo celebrem, reddiderit.

2 In Evangelio ad hodiernam Miſſam lecto hanc habemus inter alia Salvatoris promiſſionem: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus, qui in cœlis eſt*. Seraphini qui divini amoris igne exæſtuant, à Spiritu ſancto miniſtri Dei nominantur: *Qui facis Angelos* (Pſ. 103. 4.) *tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*; Ecquis autem hoc Seraphinorum encomium & meritum ſancto Laurentio denegare audebit, utpotè quem non ſolum igne carbonum ardentium, ſed etiam & multo quidem vehementius Divini amoris incendio in corde ſuo flagitare conſpicimus. Etenim plus illum carbones è Paradiſi officina deprompti, ab Iſaia Propheta olim viſi accenderunt, quam carbones à Valeriano ei ſubſtrati: Et quidem quis unquam virtutem, magnanimitatem, & eminentem ſancti Laurentii ſanctitatem cognoſcere potuiſſet, niſi hi carbones ardentes & igniti præſto fuiſſent? ſanctus Leo, ut hodie in lectionibus matutinalibus legimus, dicit: *Per univerſum mundum clarificavit gloriam ſuam, ut à Solis ortu uſque ad occaſum Leviticorum luminum coruſcante fulgore, quam glorificata eſt Hieroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio*. Sanctus Petrus Chryſologus ſermonem quendam ex ſuis de hac feſtivitate conſcriptum (Ser. 135.) ita exorditur: *Hodiernus dies beatiſſimi Martyris Laurentii corona illuſtratur, cujus egregii Martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat*. Quantis olim veteres Hiſtorici, & Oratores Mutium quendam Scævolam extulerunt laudum encomiis, eò quod manum ſuam igni generosè impoſitam, concremari ſibi paſſus fuiſſet? Longè igitur majori jure ſacri Doctores calamos ſuos ad generoſitatem & invictum animi robur ſancti Laurentii deſcribendam adaptant, qui ex amore Dei ſuì & pro Eccleſiæ Chriſti defenſione, non unam duntaxat manum, ſed totum corpus ſuum concremandum expoſuit! ſanctus Ambroſius de hoc ſancto Martyre ita ſcribit: *Igitur ſanctum Martyrem Laurentium grano ſynapis poſſumus comparare; diverſis attritus paſſionibus per totum orbem gratia meruit ſuì flagrare martyrii. Qui ante conſtitutus in corpore erat humilis, ignotus, & vilis, poſteaquam laceratus & exuſtus eſt, univerſis per totum mundum Eccleſiis odorem ſuæ nobilitatis infudit*. (Inc. 13. Luc.) Hic ignis quantumvis in modica quadam officina conſtringatur & limitetur, obſcuritatem tamen noctis illius, quæ Tyranno in perpetuum tenebroſa, ſancto autem Levitæ in æternum luminoſa futura erit, non ſolum clarificavit & illuſtravit, verùm etiam in variis provinciis, in pluribus animabus per ejus martyrium ad fidem Chriſti converſis, ignorantiæ & fidelitatis diſſipavit caliginem; unde ſanctus Auguſtinus ait: *Tanta ejus Martyrii gloria extitit, ut Paſſione ſua mundum illuminaverit univerſum*; (Ser. 10. de Sanctis.) & ut prædictum oraculum adimpletum eſſe oſtenderet, ait: *Mea nox obſcurum non habet*; Demum vero ſanctus Auguſtinus ſubjungit; *Illuminavit mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipſe accenſus eſt*; unde deducitur, quod per hunc ignem veræ fidei lucem per univerſam terram effuderit. Multi quoque fideles ab hiſce flammis caleſacti, mortem deinceps & ipſi generoſiſſimè ſuſtinuerunt: *Flammis quas ipſe pertulit, omnium Chriſtianorum corda caleſecit*; adeo ut qui in Indiis deinceps pro Religione Martyrii ſubiere agonem, ad hujus Martyris imitationem tanta cùm lætitia morti occurrerent, ut ſuper carbones ardentes repoſiti, odoriferis ſe floribus, vel (Ser. 22. de Sanctis.) prætioſiſſimis carbunculis inſtratos eſſe putarint: *Hæc eſt ergo tota cauſa paſſionis, propter quam tali morti addictus eſt talis vir, ut ſui ſimiles eſſe cæteros hortaretur*; Ita idem ſanctus Auguſtinus ſcribit. Tertullianus ſanguinem Martyrum inſtar jacti in terram ſeminis fęcundum eſſe ſcribit: *Sanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*. (In Apol.) Quam ſunt innumeri, quos carbonum iſtorum ſcintillæ non ſolùm hìc Romæ, ſed paſſim per univerſum mundum, ubi inſuperabilis hujus Martyris conſtantia prædicando divulgatur, ſereniſſima Evangelii luce colluſtrarunt? Neque enim ſolùm Romanus ſacro Baptiſmate à ſancto hoc Archilevita ablui ſed & ſanctus Hyppolitus una cum tota familia ſua ab eodem converſus fuit. Unde non immeritò ſanctus Auguſtinus poſtquam hanc quæſtionem inſtituiſſet: *Quid enim B. Laurentio illa quæ à perſecutoribus illata ſunt tormenta, nocuerunt*, protinus reſpondet, nigros illos & obſcuros craticulæ Martyris ſubſtratos carbones accenſos totum mundum ex omni parte univerſi illuminaſſe, unde ſubdit: *Niſi quod eum clariorem ipſis ſuppliciis reddiderunt*. Et multò clarius S. Maximus, ait: *Cujus radiantibus flammis victrix in hunc* (Hom. 8.) *quoque diem toto orbe Chriſti coruſcat Eccleſia*. Quando ſancto Levitæ, ſe è carcere eductum Valeriani conſpectui ſiſtendum eſſe, nuntiatum fuit, converſus ad Hyppolitum dixit? *Eamus, & mihi enim & tibi gloria paratur*. Ubi conſiderandum venit Deum per altiſſimam providentiam ſuam voluiſſe, ut omnia quæ ſanctus hic Martyr ore protulit verba, aut quæ patravit heroica facinora ad perpetuam S. Laurentii memoriam & gloriam ſacris inſererentur annalibus, ut hac ratione poſteris quoque lucem adferrent: *Omnia in luce clareſcunt*. Eccleſia quoque ſuis in diverſis occaſionibus datis reſponſis veluti cœleſtibus oraculis, & inæſtimabilis pretii gemmis, Divinum Officium, quod ad ejus honorem per totam octavam legitur, locupletavit. Argentum & aurum quod S. Laurentius pauperibus diſtribuit, per omnia deinceps ſæcula in ærario non ſolum cœli, ſed & Eccleſiæ militantis in terris conſervabitur, ut inde Paſtores & Prælati, cunctique alii Eccleſiaſtici pietatis & miſericordiæ viſceribus ditare ſe valeant. *Omnia in luce clareſcunt*; ac proinde in introitu qui in Miſſa vigiliæ feſti hujus dicitur, ita legimus: *Diſperſit, dedit pauperibus*. Carcer in quo brevi licèt temporis ſpatio vinctus remanſit; Locus in quo ab igne in craticula afflatus fuit, nec non & alius, in quo corpus ejus ſepul-

turæ demandatum fuit, in sacra templa ad ejus honorem erecta, consecrata fuere, & etiamnum summa in veneratione ab omnibus habentur: *Omnia in luce clarescunt.* Adhæc modica quædam craticulæ Laurentianæ particula à S. Gregorio Magno prædivitis & opulenti thesauri loco habita fuit, ut proinde alius quidam Pontifex sanctus, & non minus opere quam cognomine Magnus, non immeritò ad ejus laudem & gloriam exclamet, dicens: *Quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit*, (ita S. Leo Magnus Valerianum alloquitur,) *quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicii?*

3 *Omnia in luce clarescunt*: Quodsi etiam id quod sanctus Augustinus alibi scribit, nimirum: *Quam gloriosa, & quanta virtutum quasi florum varietate distincta Laurentii sit corona universa testis est Roma*, consideremus, ac demum in universam totius vitæ ejus periodum oculos conjiciamus, clatum est in primis ipsum nobilitate clarissimum fuisse, tametsi se aliàs velut infirmorum natalium hominem minimè conspicuum esse voluerit; Spectabilis quoque fuit ex parte muneris, ad quod ob sanctitatis suæ merita sublimari meruit, utpote quod post Papatum excellentissimum erat, siquidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus erat; verùm hisce relictis in virtutes ejus oculos nostros conjiciamus, verè enim ita est, uti S. Hieronymus ad Celantiam scribit: *Apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus.* Et quidem si de virtutibus S. Laurentii agatur, impletum inveniemus, quod ipsemet de se est contestatus, scilicet: *Omnia in luce clarescunt.* Innocentia & puritas vitę ejus instar auri intra flammas enituit. Unde S. Maximus ait: *Refrigerio conscientiæ victor exultat.* Quantus etiam fuerit omnium bonorum terrenorum, sensualiumque commoditatum in eo contemptus, quamque ardens in eo eluxerit erga sanctam Fidem nostram zelus, ex eo facilè colligitur, quod videlicet Patriam, Parentes, Patrimonii hæreditatem, & quicquid commoditatum & delitiarum mundus ętatis suę flori objiciebat, ultrò citroque dereliquerit, ut in loco ubi persecutio immanius sæviebat, Religionem Christianam tueretur & defenderet. Morum quoque suorum puritatem Chrysologus nobis duobus quasi verbis descripsit: dum illam Angelicam fuisse dicit: *Erat autem Laurentius pauper opibus, dives moribus.* Quàm immaculata ejus infantia & adolescentia fuerit, ab ejus educatione satis colligitur, educatus namque magna cùm solicitudine à tali matre fuit, quæ patientiæ virtutem in corde potiùs, quàm nudo nomine circumferendo factam se esse probatur: *In ipso juventutis suæ flore decorem juventutis suæ sanguine purpuravit.* S. Augustinus ait: *Sprevit mundum blandientem*; Et in alio quodam sermone ita loquitur: *Habitu, vultu, & sanctitate decorus candidam ante Passionem habuit conscientiam*; Et in hoc fortè consistit mysterium, cum Ecclesia in introitu Missæ hodiernæ insignibus hujus sancti Martyris meritis hisce verbis, quæ de nullo alio cantari noscuntur, applaudat; *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus. Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Verùm enimverò, ut dignum quendam eminentis perfectionis ejus conceptum formare valeamus, sciendum est, quod hæc à magis vel minus intensis Christianarum virtutum gradibus colligi debeat; in quibus quantum S. Laurentius excelluerit, S. Maximus clarè edicet, hic enim invictum quod in suppliciis præferebat animi robur admirans, scribit: *Quem suarum confortabat multitudo virtutum, non poterat vincere magnitudo pœnarum*; Charitas quæ virtutum omnium Regina est, adeo, ut aliàs vidimus, in ejus corde emicuit, & primò quidem amor erga Deum in eo eluxit, dum pro ejus amore tam acerba pro ejus nomine & fide tormenta exultabundus & jubilans sustinuit: amorem quoque erga proximum in eo prodidit, tum quod animarum lucro ad veram fidei cognitionem eas perducendo adeo deditus fuerit, tum quod varia illis misericordiæ opera exhibuit, hospitio excipiendo peregrinos, eorum lavando pedes, eos visitando, & piis subsidiis eisdem opitulando; Unde B. Laurentius Justinianus ait: *Charitatis ejus quis valeat explicare fervorem? jam enim manens in carne, carnis nihil sapiebat in mente.* Quis in ejus Tyranno redditis responsionibus ardentissimum Christianæ Religionis zelum non admiretur. Chrysologus de eadem ad instar auri in igne craticulæ illius purificata fide ejusque zelo, ita loquitur: *Fides non solum non arsit, sed & consolabatur ardentem*: cujus ratio-

Ser. 37. de Sanctis.
Ser. 135.
Ser 27 de diversis
Ser. 38 de diversis.
Ho. 2 de S. Laurentio
Serm. de S. Laurentio

nem refundit in spem vivam in ejus corde intrinsecus radicatam, *quia fidelem tenebat promittentem, ut fides non deficeret, ut spes non averteretur, ut charitas inter pœnas igneas corporales plus accenderetur, Dei dona erant*; adeoque non solùm de illa pœnosa & atroci nocte dici potuit: *Mea nox obscurum non habet*, verùm etiam de cunctis vitæ suæ operibus: ac demum de omni eo quod de eo dici valet, meritò affirmandum est. *Omnia in luce clarescunt.*

4 *Hæc nox illuminatio mea in delitiis meis.* Quæ verba sanctus quoque Martyr usurpare potuit, siquidem nox ista non solum ipsum in cœlo & in terra gloriosum reddidit, verùm etiam ex cordis lætitia quacum pro Christo patiebatur, satis clarè patebat, quod inter carbones eum torrentes & assantes velut inter flores & plumas delitiaretur: *In delitiis meis.* Utinam nox ista adeo luminosa nostris quoque cordibus aliquam veri hujus luminis scintillam communicaret, ad hoc ut clarè intelligeremus, quod animæ alicujus Christi sanguine redemptæ, & ad cœlestis gloriæ participium habendum creatæ summæ delitiæ esse debeant non gaudiorum illecebræ, sed tribulationum miseriæ, & passionum in hac vita pro Christo toleratarum ærumnæ; siquidem *momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*; Passiones breves sunt & transitoriæ, cùm tamen gaudia Paradisi sempiterna existant. Ps. 138. 11.

Ignem divini amoris, qui in corde S. Laurentii flagrabat, adversus ignem, quo à Tyranno ustus fuit, mirè prævaluisse ostenditur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi.

1 EX quibusdam quæ hodie ad Matutinum recitata fuere, nonnemo haud immeritò dubitare posset an S. Laurentius à prunis & carbonibus ignitis quicquam lætus fuisset; Etenim in Responsorio quod secundæ lectioni subjungitur, ita legitur: *Puer meus noli timere; quia ego tecum sum, dicit Dominus; si transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, & odor ignis non erit in te.* Et quidem Responsorium istud optimè cùm eo consonat, quod in Antiphona laudum quarta in ordine, pariter legitur, nimirum: *Misit Dominus Angelum suum, & liberavit me de medio ignis, & non sum æstuatus.* Veruntamen facilis & in promptu est responsio, dicendum est enim, verba illa alludere ad constantiam, qua cum sanctus Archidiaconus noster craticulam ignitam sustinuit, quæ certè adeo heroica fuit, ut spectantium oculis, imò & omni intellectui humano, eandem benè consideranti videri potuisset, elementi illius violentiam & voracitatem in sancti Martyris corpore nihil prorsus doloris, nedum læsionis attulisse; nam vultu elegantissimo dicebat: *Gratias ago tibi Domine Jesu Christe, quod me confortare dignatus es.* Hæbreorum Legislator Moyses spinetum illud quondam è longinquo, ardere quidem, sed non comburi conspiciens, intra semetipsum obstupefactus dixit; *Vadam, & videbo visionem hanc magnam quare non comburatur rubus.* Quis hodierna die juvenem illum in flore ætatis inter medias flammas constitutum, & jam fermè toto corpore assatum conspiciens, & tamen jubilantem, gaudentem, carnificesque provocantem & deridentem audiens præ admiratione quoque non obstupescat, dicetque: *Vadam & videbo visionem hanc magnam?* Ad hunc igitur admirabilem prorsus & prodigiosum ignem propius nonnihil in hoc discursu nostro accedamus. Exod. 3.

2 *Flamma non nocebit tibi.* Sanctus Ambrosius de Archilevita nostro ait: *Ardebat extrinsecus Martyr tyranni sævientis incendiis, sed major illum intrinsecus Christi amoris flamma torquebat.* Etenim quæ in corde ejus relucebat flamma amoris Divini, ignem impediebat Tyranni, id est, non ideo doloris expers fuit, quasi sensus stupefactus non sensisset ardorem, sed in mediis tormentis sibi complacens, ideo gaudebat, quia in corde ipsius alius quidam ignis ardebat, ille nimirum, de quo per fidem In Luc. 12.

novi-

Ser. 37. de diversis. novimus, quod *Deus ignis consumens est*. Quod S. Augustinus confirmat, dicens: *In comparatione fervoris, quo pectus ejus ardebat, exterior persecutorum flamma frigebat*. Idem sanctus Doctor optimè considerat, quam aptè verba illa Psalmi sancto huic Martyri adaptari possint. *Ure renes meos & cor meum Domine*, quibus Ecclesia in Introitu Missæ illius utitur, quæ in ultimo die
Ser. 30. de Sanctis. octavæ celebratur: *Duplici se postulat igne comburi*, inquit sanctus Augustinus, *nam si de solo igne mundi loqueretur, sufficeret, renes tantum exurendos obtulisse, cor autem nisi Christi flamma non urit*. Quemnam autem ab hoc interius cor accedente igne effectum productum fuisse existimatis? Pergit hunc explicare sequentibus
Hom. 8. de S. Lauren. verbis: *Atque ideo ad comprobandam devotionem suam, geminum sibi ignem postulat, ut luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quàm pœnam Tyranni*. Sanctus Maximus quoque ad hunc craticulæ lectum igneum in quo Martyr extensus jacebat, oculum suum dirigens fatetur quidem, dicens: *Ardebat ergo Laurentius*; veruntamen in hac duarum flammarum lucta & singulari prælio ignis, qui interius in corde ardebat, victor evasit: *Sed vincebat ille ignis, de quo Salvator ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur*. Enimverò quando anima nostra hoc igne accenditur, quodvis aliud incendium ei gelu & glacies esse videtur. S. Ambrosius postquam discipulos in Emaus abeuntes, ab hoc igne accensos fuisse dixisset, ut ipsimet testantur, dicentes: *Nonne cor nostrum ardens in nobis*, prosequitur, dicendo: *Hoc igitur igne B. Laurentius accensus flammarum non sensit incendium*. Et S. Maximus in eadem Homilia, ait: *Ubi cor ardet, flammam membra non sentiunt*. Apostoli pavidi & formidolosi armati exercitus ad Christi captivitatem accincti strepitum audientes, Christum turpiter deseruerunt, at verò post illapsum in eos cœlitus in die Pentecostes divinum hunc ignem, quantum fuerunt adversus omnes Tyrannos & novæ Evangelicæ legis persecutores
Act. Ap. 5. audaciores animosioresque. *Obedire oportet magis Deo quam hominibus*, inquiebat idem ille Petrus, qui paulo ante Christum Magistrum suum negaverat. *Ubi Dei spiritus fervet*, inquit sanctus Maximus, *frigida fit flamma mortalium*. Enimvero ignis iste in sancto Laurentio tanto magis operativus erat, quanto cor ejus ad illum recipiendum magis erat dispositum. *Advenit ignis divinus* (ita in Responsorio Matutinali in octava Pentecostes dicitur) *non comburens sed illuminans; non consumens sed lucens, & invenit corda discipulorum receptacula munda*. Porrò cor sancti Laurentii mundum erat, ac proinde sanctus Leo ipsum immaculatum sacrarii præsulem appellavit, quid mirum igitur, si ignis iste in eo operatus sit admirandos adeo effectus? dicite sodes, quanam glossa verba illa exponenda esse existimatis:
Ps. 57. 9. *Carbones succensi sunt ab eo?* num fortè ii, qui hosce carbones accenderunt, æstimandi sunt, esse Carnifices, qui jussu Valeriani subtus craticulam positos carbones ardere fecerunt? nequaquam. Quis igitur? audire glossam interlinearem; quæ dicit: *Corda hominum inflammata à Spiritu sancto*; hic igitur Spiritus sancti ignis intra ipsius sancti Martyris viscera ignem istum ardere faciebat, ac proinde tam vehementer ardebat, tantoque cum jubilo cordis sui exultabat, siquidem fructus spiritus Dei gaudium est: *Fructus autem spiritus charitas, gaudium*. Et S. Augustinus ait: *Nec pœnali*
Reg. 5. 22. *flexus est incendio, cujus in pectore insuperabilis spiritus sancti flamma fervebat*.

Exod. 20. 3 *Flamma non nocebit*. S. Ambrosius ait: *Flamma fidei calorem non sensit*; in Exodo namque de populo Dei scribitur, illum solum audiendo voces, fumumque & fulgura videndo toto corpore contremuisse. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, montemque*
Dan. 3. *fumantem, & perteriti ac pavore concussi steterunt procul*; ex alia verò parte in prophetia Danielis scribitur, quod non ad fumi comparationem, sed postquam flammæ è fornace ardente erupissent, tres illi pueri nequaquam expavefacti fuerint, quin potius eandem fornacem animosè intraverint, haud secus ac si hortum quendam rosis & liliis refertum ingressuri fuissent. Sed quisnam utriusque eventus differentiam assignare poterit? nimirum Israelitæ cor habebant præ timore gelidum, quem neque fumus nec calor Synaiticus fugare aut resolvere poterant: tres autem pueri illi circa cultum & religionem veri Dei, constantem cujusdam magnanimitatis encaustum in pectore suo habebant; cùm Israelitæ econtra ob vituli adorationem, quam turpiter admiserant, in eadem vacillarunt. Unde Sedulus in favorem non horum sed illorum ita cecinit:

— Medios traduntur in Ignes
Nil ardente rogo, sanctove ardore calentes
Cordis, imaginea vicunt incendia pœne
Igne animi.

Ad eundem igitur modum dicere possumus, quod quia hic Martyr impenetrabili zeli religionis & fidei lorica Lib. 1. c. 12.
sese accinxerat, ideò *Flammas fidei calore non sensit*. Pulchram quandam, nec proposito nostro ineptam historiam Egesippus refert, nimirum quod cum in expugnatione Hierosolymitana milites Romani intra Civitatis mœnia cuniculos ad eandem funditus subvertendam, facerent, cives vero Hierosolymitani oleum ebulliens in eorundem vultus & corpora copiose effunderent, inde tamen Romani nec quicquam à cœpto molimine retardati fuerint, sed *victoria studio abscondebant injuriam, ardebant animis, ut nullum corpus sentiret incendium, nec tanti æstimabant pœna ferventis dolorem, quanti dispendium gloria, si bello desisterent*. Ecce tibi unam earum rationum, ob quam S. Laurentius etiam postquam in hisce carbonibus vivus concremaretur, jamque propemodum assatus esset. Tyrannum nihilominus adhuc deriserit, & super ignita & candenti craticula etiamnum tripudiaverit, & exultarit, quia nimirum craticulam hanc in currum triumphalem transmutandam sperabat, & revera ita accidit, quia *Laurentius Christi Martyr triumphat coronatus; caro mea igne cremata est pro te Deus meus*. Ubi nota particulam illam, *pro te*, ob hanc namque de illo incendio gaudebat, ac si nequaquam arsisset, aut assaretur, adeo etiam, ut dicere non dubitet: *In medio ignis non sum æstuatus; victoriæ studio abscondebant injuriam*; sciebat enim quod in illis carbonibus flamma iræ & persecutionis Valeriani Imperatoris adversus Ecclesiam finem suum habitura & extinguenda esset, quodque per ignem illum, quem patiebatur, furiæ infernales, quæ, ut videbatur, in fidei damnum atque perniciem solutæ erant, retundendæ & coercendæ forent; & ut manifestum fieret, quod *porta inferi non prævalebunt adversus eam*, Benè igitur Chrysologus ait, quod *Ibi fides* Ser. 135.
non solum non arsit, sed & consolabatur ardentem.

4 *Flamma non nocebit*, nimirum ex virtute divinæ Jer. 32.
assistentiæ, quæ illi in atrocissimo illo supplicio superhumanam quandam animositatem & cordis robur subministrabat in Jeremia propheta legitur, quod cum Hierosolyma post diuturnam obsidionem igne consumenda esset, dictus Propheta ex jussu Dei libros quosdam ab igne illæsos conservare debuerit, modus autem illos ab illis flammis intactos conservandi à Deo eidem præscriptus, valde fuit peregrinus; ait enim Deus: *sume tibi libros istos, & pone illos in vase fictili, ut permanere possint diebus multis*: at verò inquies, si ita est quod scilicet quoad Hierosolymam decretum sit, quod *succendent eam igni & comburent eam*, qua ratione libri illi in vase adeo fragili conservari poterunt; facilior utique & securior librorum illorum custodia foret, si illos Deus vasi cuipiam marmoreo, vel alteri simili, quod ex parte materiæ majorem facere posset resistentiam, includi jussisset, & tamen Deus illos conservari vult *in vase fictili*; nimirum ad nostram eruditionem, ut inde disceremus, quod Divina omnipotentia in hoc humani corporis fragile lutum talem infundere sciat virtutem atque animi constantiam, ut fides, Religio, Deique eximius amor illæsus prorsus conservetur, tametsi quaqua versum igne & flammis cinctus existat. Unde etiamnum sæculis nostris audivimus, in Japonia multos Religiosos summa cum animi constantia, & indicibili cū alacritate & promptitudine, ad cruces, ignes, bestias, patibula, aliaque atrociora mortis genera velut ad convivia opipata properasse. Videtur igitur Isaias Propheta exacte vaticinatus fuisse quicquid in hoc Martyrio eventurum erat; dicit Is. 43. 2.
enim: *Cum ambulaveris in igne, non combureris & flamma non ardebit in te*; moxque rationem subjungit, dicens: *Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel Salvator tuus*. S. Maximus mira cum eloquentia in Homilia tertia de hac festivitate in S. Laurentii laudes fusè digreditur, exclamando: *Quid hoc viro beatius?* moxque adducti ex Isaia textus interpretationem subjungit, dum ait: In Luc. c. 13.
Qui gratia arsit, ne arderet, quasi dicere voluisset. Divina gra-

na gratia qua erat armatus, ignis illius voracitati resistebat, ne illi cedere cogeretur.

5 *Flamma non nocebit tibi*. Olim veteres ut hominem quendam iracundum & vindicativum exprimerent, cor humanum prunis ardentibus super impositum depingere solebant. S. Laurentius super ardentes carbones & prunas in craticula vinctus & extensus hærebat, & tamen si aliqua cor ejus ira efferbuit, illa solum respiciebat Tyrannum tanquam fidei persecutorem, non verò tanquam carnificem, nam de reliquo, ut diximus supra, *vultu elegantissimo* omnia supplicia deridebat, nec quicquam illa æstimabat.

Ser. 1. de gran. sinap. 6 *Flamma non nocebit tibi*. Sanctus Ambrosius ait: *Dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne, quod patitur:* Porrò præcepta ignis quidem sunt, *Ignea lex*; & quidem si consideretur à nobis, quod præceptorum adimpletio ab æterni ignis damnatione & reatu nos liberet, nullus profectò erit, qui non libenter ignem hunc nostratem materialem perlibenter sit toleraturus: ac proinde prout superius in sententia S. Augustini diximus: *Quis nolit ad horam uti Laurentii igne, ne æternum gehennæ patiatur incendium?*

7 *Flamma non nocebit tibi*. Tametsi membra corporis exteriora ignis illius voracissimum ardorem vivacissimè sentirent, utpotè quæ jam assa & ferè concremata erant, anima tamen Martyris in Deum prorsus absorpta alium non percipiebat ignem, quam illum, de quo scribitur: *Ignis consumens est*. Undè S. Ambrosius scribit: *Jacet, licet ante pedes Tyranni exusta caro, corpus exanime, nihil tamen detrimenti patitur in terris, cujus anima demoratur in cœlis*. Elias currum sibi igneum præsentari videt, nec tamen pedem retrahit, sed promptus & alacer in eundem licet igneum currum insilivit. Scitisne causam, inquit Basilius, cur Elias ignem illum non formidaverit, quia *Cœlestis itineris desiderio incensus erat*. Simili modo sanctus Laurentius craticulam ardentem nequaquam exhorruit, quia craticulam illam suo tempore in jucundissimæ quietis mollissimum lectum commutandam esse sperabat, de quibus lectis Psalmista canit,
Psal. 149. 5. dicens: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, craticulam supplicii lectum quietis putabat*. Notandum est autem, quod in suo ad cœlos raptu Elisæo pallium suum post se, & una cum eodem spiritum suum reliquit, ita quoque S. Laurentius mortalitatis suæ exuvias pariter & spiritum suum nobis monumenti loco relinquere voluit, ac proinde Ecclesia in oratione diei octavæ hisce verbis utitur: *Excita Domine in Ecclesia tua spiritum, cui Beatus Laurentius levita servivit, ut eodem nos repleti studeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit*; quibus verbis Ecclesia indulgeri sibi postulat participium tum ardentissimi illius desiderii patiendi pro Christo, tum ignis Divini sui amoris, tum zeli fidei, tum rectæ administrationis bonorum Ecclesiasticorum, in hisce enim operibus & virtutibus spiritus sancti Laurentii specialiter emicuit.

De S. Laurentii Martyrio sub figura sacrificii tractatur; unde nonnulli veterum sacrificiorum ritus considerantur, ex quibus S. Laurentii sacrificium holocaustum fuisse comprobatur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Ego me obtuli Deo sacrificium in odorem suavitatis.

1 CUm invictus Martyr S. Laurentius Tyranni jussu super craticula ignita vinctus & extensus jaceret, eodem tempore Diis sacrificium offerre quoque jussus fuit; qui mox generosa cum resolutione respondit: *Ego me obtuli Deo sacrificium in odorem suavitatis*, nimirum ut B. Laurentius Justinianus ait: *Cupiebat sane Deo reddere, quod acceperat, seque viventem, sanctam placen-*
Serm. de S. Laur. 2 *temque hostiam offerre Altissimo*. Enimvero hoc supposito dubitare quis haud immeritò posset, qualenam illud sacrificium fuerit, quod de seipso Deo obtulisse dicitur; plura enim sacrificiorum genera in antiqua lege instituta erant insuper etiam aliud exurgit dubium, cur scilicet ex hoc corporis sui sacrificio, unam assæ carnis partem Valeriano obtulerit, dicendo; *Assatum est, jam versa, & manduca?* Porrò dici nequaquam potest; id à sancto Martyre ex quodam impatientiæ impetu prolatum fuisse; quomodo enim de illo, qui dicere potuit: *Ab infantia crevit mecum patientia, & de utero matris meæ egressa est mecum*, siquidem ut superius diximus, sanctus hic Martyr à tali fuit matre progenitus, quæ proprio nomine suo Patientia appellabatur; quomodo, inquam, de illo præsumi, aut credi potest, quod hoc modo loquendo in aliquos proruperit furoris & impatientiæ motus. Sunt qui existimarunt sanctum Martyrem ostendere voluisse, quod Tyrannum neutiquam pertimesceat, utpote qui tanta cum generositate ei barbariem suam exprobrare non dubitabat, Præterea sancta mater Ecclesia de sanctis Martyribus ita canit: *Caduntur gladiis more bibentium, non murmur resonat, non querimonia; sed corde tacito mens bene conscia, conservat patientiam*, ac proinde cum sanctus Laurentius verum quoddam sit Martyrum speculum, minimè credibile est, eum in aliqua iracundiæ aut impatientiæ verba prorupisse. Melius igitur dicendum videtur, quod quia ex hostia quæ dicebatur, pacifica una pars distribuebatur populo, altera vero in gratiarum actionem in sacrificium offerri consueverat, sanctus Laurentius autem in hoc Martyrii sui sacrificio seipsum sæpius Deo obtulerit: *Assatus gratias ago, Gratias tibi ago, quia januas tuas ingredi merui*, ideo cum hic duæ illæ jam dictæ conditiones concurrant, scilicet gratiarum actio, & victimæ distributio, dici posset, quod saltem ad minus quoad exhibitionem factum fuerit sacrificium vel hostia pacifica. Etenim valde celebre est illud sanctæ Eulaliæ Virginis Martyrium à Prudentio elegantissimo quoddam poemate honoratum; cùm enim Judex huic sanctæ post innumera tormenta tandem faces ardentes ad nudum corpus admoveri jussisset, invicta hæc puella seu potius Virago ad Tyrannum conversa dixit: Assum est jam corpus meum, jube illud sale insuper conspergi, ut cœlesti sponso meo sapidus cibus esse mereatur. Quis hujus Virginis trigesimum tertium ætatis annum nondum excedentis invictam non demiretur constantiam? advertenda est autem hanc inter Virginem & Martyrem nostrum intercedens differentia; etenim hæc carnes suas ad ignem assas sale conspergi petebat; ut sponsi sui epulum fieret; crescente enim in ea doloris acerbitate, cui salis in nuda & jam assa carne superinjectio, egregiam accessionem præstabat; ejus quoque meritum incrementa pariter accipiebat, & ideò pro divino epulo, & pro ferculo gloriæ aptior, gratior & acceptior erat: at vero sanctus Laurentius corpus suum tyranno devorandum exhibebat dicens: *Assatum est, jam versa & manduca*; sciebat enim quod hoc sibi oblatum ferculum abhorreret, ac proindè per illius oblationem in majorem rabiem redigendus, magisque exasperandus esset; atque id eâ data opera prædictis eum verbis ad suæ carnis manducationem excitare voluit, ut hac ratione desiderio suo potiretur, quo nihil æquè ardenter desiderabat, quàm ut omnia corporis membra in tenuissimum pulverem pro Christi gloria redigerentur, sicque toto consumpto corpore se in perfectissimo sacrificii genere, id est, tanquam verum holocaustum Deo offerret; hoc enim ab igne totaliter consumi debebat. Sanctus Elias propheta, ut in conspectu idololatrarum genua sua ante Baal incurvantium, quisnam verus Deus esset, ostenderet, super sacrificium suum ignem descendere fecit, 3. Reg. 18.
qui illud totaliter consumeret: undè omnes confestim 39.
acclamarunt dicentes: *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus*. Simile quid hic Romæ, quæ mundi caput est, accidisse reor; cùm enim innumeri hic idololatræ essent, qui falsa simulachra adorabant, deliberabatur de illius idololatriæ abolendæ remedio, ne deinceps superesset qui genua sua ante Baal curvaret; sed quodnam illud fuit remedium? *Cecidit ignis Domini, & voravit holocau-* Thren. 1.
stum, id est, ignis Spiritus sancti divini amoris in cor S. 13.
Laurentii dilapsus illud exussit, magisque consumpsit, quàm ignei carbones facere potuerint. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*; & ita quidem erudivit eum, ut per responsorum suorum facundiam & efficaciam tyrannum convicerit, atque confusum abscedere coegerit, idolum quoque Baal per multorum gentilium conversionem susque deque everterit, ac demum meticulosos Christianos in fide roboraverit, *omnium Christianorum corda calefecit*. Eusebius à Ludovico Granatensi in

si in suo symbolo relatus refert de duobus juvenibus, qui ad carceres perducti, ut ibidem Diis gentilium sacrificare cogerentur, à lictoribus ad altaria idolorum perduci postularunt; cùmque ardentem in iis ignem conspicerent, suas in eundem ignem manus concorditer & constanter, cum hac præmissa protestatione, conjecerunt, dicendo, quod si hinc manus nostras retraxerimus, Diis vestris sacrificasse censeri volumus; ea autem fuit eorum in hoc supplicio constantia, ut brachia sua non prius indè removerint, quàm tota manus in cineres redacta fuisset: verùm enimverò longè gratius utique S. Laurentii holocaustum Deo fuit; siquidem non solùm manus, sed & totum corpus super prunas prostravit, ut impio & sacrilego Valeriani jussui quo, Diis sacrificare præcipiebatur, reluctaretur. Non sufficiebat illi se unam duntaxat sui partem in sacrificium Deo obtulisse, sed potiùs se totum quantus erat, Deo in holocaustum ab igne totaliter absumendum offerre voluit: *Caro mea igne cremata est pro te Deus meus*. Verùm inquies, si nos sacrificium hoc S. Laurentii ab eo Deo oblatum holocaustum fuisse credimus, quod totaliter nulla parte excepta absumi, & divino cultui cedere debuit, qua igitur ratione ei indè aliquam quoque tyranno cedere licebat? *Assatum est jam, versa & manduca.* Ecquis sine sancta aliqua indignatione hanc à S. Laurentio factam oblationem audire posset? ergone conveniet ut immanis quædam tygris & tygride truculentior tyrannus de tali hostia particeps & gustet, quæ Redemptori nostro, qui agnus immaculatus est, offertur? *Ego me obtuli Deo in sacrificium*, ergone furia quædam inferni cibabitur ex ambrosia paradisi? hæ sanctà Martyris carnes in sola paradisi mensa præsentari merebantur; neque alius indè se cibare debebat, nisi is qui ipsum tam frequenter sacratissimo corpore suo cibarat, & pretiosissimo suo sanguine inebriarat, *Caro mea igne cremata est pro te Deus meus*. Porrò quòd Deus ex animabus electis pascatur, seque cibet, constat ex illo responso, quod Christus Apostolis suis ei, dum ream mulierem Samaritanam per habitum cum ea divinum colloquium ad pœnitentiam reduceret, cibum adferentibus red-
Jo. 4. 32. didit dicens: *Cibum habeo manducare quem vos nescitis*. Verùm enimverò audite mysterium, ob quod tyranno partem carnis suæ ultrò offerre, eumque hujus victimæ participem reddere voluerit: nimirum ut iratus ferculum hoc corporis ejus per suppliciorum inferendorum incrementum divino palato redderet sapidius. Nam ut
Epist. 32. Petrus Bresensis ait: *Corporis afflictio citra meritum & fructum salutis est sine patientiæ condimento*; cùm igitur patientiæ virtus passionis condimentum sit, consequens est quod caro hæc tantò sapidior & palato divino delicatior futura erat, quantò amplius percussa, lacerata, tosta, & assata esset: jam verò invicta & insuperabilis patientia Martyris, necnon alacritas & ardentissima voluntas illius, quacum acerba supplicia sua sustinuit, carnem exquisitissimo sapore condivit. Et fortè hoc est mysterium, ob quod in hujusce festivitatis Evangelio legatur: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*; nam priusquam granum frumenti eousque deveniat, ut ex eo factus panis mensæ inferatur, multas antea transeat molestias necessum est. Etenim aliquanto tempore sub terra sepultum jacet, ut ibi marcescat, tandem multis mensibus, variis aeris temporumque injuriis expositum progerminat, ac demum floret, posteà falce metitur, & in fasce ligatum in area flagellatur, cribatur, molitur, & in minutissimum pulverem redigitur, deindè aqua farinæ illius in massam subigitur, & fornaci immittitur, donec tandem ad hoc ut congruum corporis nostri nutrimentum fiat, dentibus nostris masticetur, & in minutissimos bolos redigatur. Legatis velim suppliciorum Martyri nostro illatorum multiplicitatem, & videbitis ipsum quoque ad imitationem sancti Ignatii martyris dicere potuisset; *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar*. Etenim hæ feræ carnifices ejus erant, qui ab ipsiusmet furibundi Imperatoris præsentia magis magisque semper ferociebant; nisi fortasse dicere malimus, ipsummet Valerianum bestiam truculentissimam sævumque leonem fuisse, qui se corporis hujus Martyris famelicum, & sanguinis ejusdem Levitæ furibundum esse nimis evidenter probabat.

2 *Ego me obtuli Deo in sacrificium*. Quin hodiernum Archi-Levitæ nostri sacrificium holocaustum, & quidem perfectissimum fuerit, in dubium nequequam revocari potest, idipsum namque Spiritus sanctus tot sæculis anteà in veteri testamento nobis delineasse videtur; siquidem super altare tabernaculi craticulam quandam fabrefieri
præcepit: *Craticulamque in modum retis aneam, eritque* Exod. 27. 4.
craticula usque ad altaris medium, finisque hujus erigendæ craticulæ erat, ut in eadem holocausti carnes torrerentur. Enim verò quis est qui dubitare possit, quin Deus ille, cui dicere possumus: *Omnia in sapientia fecisti*, cum ingenti mysterio ita disposuerit, ut sanctus hic Martyr super nullo alio supplicii instrumento, quàm super craticula assaretur; *ad literam* enim adimpleri voluit, quod de eo dixit, & quod ipse pariter ardenter desideravit,
nimirum ut Deo in sacrificium posset offerri: *Ego me* Lev. 2. 7.
obtuli Deo sacrificium in odorem suavitatis. In Levitico quoque scribitur: *Sin autem de craticula fueris sacrificium, simila oleo conspergetur*. Ecce tibi hic expressam craticulam: ecce ipsummet se Deo offerentem in sacrificium; ecce farinæ florem oleo conspersum, id est, mysticum hoc granum frumenti in sapidissimum panem, postquam oleo conspersum est, redactum; oleum namque eam quam in suppliciis suis exhibuit alacritatem & immensum jubilum repræsentat. Albertus Magnus in sermone quodam de hoc festo, ad Evangelium, quod hodie de grano frumenti legitur, sese reflectens dicit: *Si-*
gnatus est per illum panem similagineum qui assus in crati- Ps. 44. 7.
cula, oleoque conspersus, olim Deo consuevit offerri; sicut habetur in Levitico, cap. 12. *Oleo lætitiæ*, adjungi potest, *præ consortibus tuis*; siquidem hic Archi-Levita noster hanc inter omnes alios Martyres specialem prærogativam habuit, nimirum adeo truculentorum tormentorum acerbitatem cum imperturbabili serenitate, omnique exemplo carente alacritate patiendi. Notandum verò, quod Psalmista prius hujus specialissimi doni rationem reddat, dicens: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Dilexisti justitiam* quia in Missæ Introitu in ejus laudem cantamus: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus*; odisti iniquitatem, quia, ut suprà diximus; ipsemet de seipso protestatus est? *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas*.

3 Enimverò quod hodiernum hujus Martyris sacrificium Martyrii attinet, egregium quoddam Chrysosto-
mo duce dicere possumus documentum: *Potes tu quoque* Ho. 11. in
si velis, inquit Chrysostomus, *tale offerre sacrificium; quia* ep. ad Heb.
enim si igne corpus non combusseris? sed potes alio igne, ut puta igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis, & protinus rationem subjungit, quia vitam in deliciis & corporis commoditatibus transigere posse, & tamen vitam religiosam & austeram eligere, nihil est aliud quam se Deo in sacrificium, imò in holocaustum offerre: *Non urat, neque detineat amor pecuniæ, sed uratur & extinguatur igne spiritus*.

DE

ASSUMPTIONE

BEATISSIMÆ VIRGINIS

MARIÆ

Discursus Tredecim.

exaltata fuit, eminentiam imperceptibilem esse variis rationibus demonstratur.

Discursus VI. De B. Virginis in cœlo exaltatione, aliisque ab eadem in gloria receptis honoribus.

Discursus VII. Ex profundissima B. Virginis humilitate in exaltationis ejusdem cognitionem devenire posse ostenditur.

Discursus VIII. Ideò beata Virgo sibi gloriam in tam eminenti gradu acquisivit, quia virtutes suas in gradu heroico semper exercuit.

Discursus IX. Tametsi beatissima Virgo in cœlos assumpta fuerit, ob id tamen nobis hic in terra constitutis majoribus auxiliis assistere non desinit.

Discursus X. De profectu, quo per intercessionem beatissimæ Virginis in cœlos assumptæ gaudemus.

Discursus XI. Quam sit nobis beatissimæ Virginis Assumptio propitia, ut peccatorum advocata esse possit, & ut peccatores ad pœnitentiam reducendo veniam eisdem imploret.

Discursus XII. De nonnullis convenientiis, ob quas corpus beatæ Virginis incorruptibile esse, & gloriosum in cœlos assumi debuit.

Discursus XIII. Beatam Virginem præ amoris violentia mortuam esse, qua uniri Deo inspirabat, ad quem anima & corpore tenus in cœlos evolavit.

De lætitia, quam spiritus Angelici cœlestis paradisi in Assumptione Deiparæ Virginis Mariæ habuerunt.

DISCURSUS PRIMUS.

Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

1 ECce tibi hodie paradisum cœlestem festivis gaudiis triumphantem, ecce cœlum innumero jubilo & exultatione gestiens, idque solum ob beatissimæ Virginis Mariæ Assumptionem, & meritò; siquidem illi Angelici spiritus non solùm exultant ob gaudia aliaque bona cœlestia, quæ hodie in ipsis miris incrementis augentur; verùm etiam simul propter immensa bona, quæ in nos utpotè ipsorum destinatos socios redundant, ac proindè creatorem suum laudare & benedicere non cessant: *Laudantes benedicunt Dominum.*

2 In memoriam vobis revocetis velim illas jubilo mirifico plenas voces & exultationes, quibus Hebræorum populus victoriæ & triumpho, quam generosa & magnanima Judith adversus Holofernem, cum summa totius inimici exercitus confusione gloriosè reportavit, applaudebat, quia *Benedixerunt eam omnes una voce dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Quos equidem faustos festivosque applausus hodierno beatissimæ Virginis triumpho facili negotio adaptare possumus; & quidem imprimis jure cœlum ei dicere potest: *Tu gloria Jerusalem*; nam ut suo loco dicemus, paradisi gloria in hujus serenissimæ Reginæ coronatione mirificè adaucta fuit, & ideò superna illa Jerusalem per ejus exaltationem magnoperè glorificata remansit. Fuit quoque ingens *Lætitia Israel*; quia spiritus Angelicos; omnesque alios Beatos Deum facie ad faciem contemplantes vehementer lætificavit. Denique *honorificentia populi nostri fuit*; quia ab ipsa tanquam cœlorum augustissima Imperatrice humano generi summus honor summaque honorificentia accrevit. Undè sanctus Petrus Damianus scribit: *Hæc est illa dies, quæ cœlorum officinas sublimiori gaudio cumulavit.* Porrò catum rationum, ob quas Dei Filius Genitricem post suam in cœlos ascensionem hic in terris multis annis nobiscum relinquere, non verò illam in sua societate simul eadem die secum in cœlos deducere voluit, una eaque non contemnenda illa fuit, ut videlicet hac ratione ingentem quam Ecclesia militans ex suo in cœlos discessu conceperat tristitiam, magna ex parte compensaret, magnam videlicet hanc Matrem suam in vicem ipsius hic nobiscum relinquendo; in pari namque gradu lætificare voluit per Ascensionem suam Ecclesiam triumphantem, quo per Mariæ præsentiam Ecclesiam militantem consolabatur, *ut utraque Ecclesia Christi portio solatio frueretur.* Et ideò quævis fidelis anima consideret, qualis ille cœlestis curiæ jubilus, quamque infinitum gaudium fuerit, quando Matrem, imò Reginam suam summa cum majestate Ecclesiam triumphantem ingredi vidit. Idem met Petrus Damianus ad illa è sacris Canticis desumpta verba: *Revertere, revertere Sunamitis, ut intueamur te*, sese reflectens dicit, verba hæc voces sive invitationes fuisse spirituum beatorum, utpotè qui beatam Virginem quantocius & sine ulla mora unà cum Christo ingressam fuisse desiderarant, ut eam non minus quàm filium ejus Creatorem & Dominum nostrum oculis suis contemplari possent. Verùm dicite sodes: Nunquid Angeli per intuitivam Dei visionem, qua fruebantur, perfectè beati erant? Cur ergo suos in Mariam quoque oculos defigere adeò avide desiderant, ut dicant? *Revertere ut intueamur te?* Imò dubium hoc valdè augetur, si ad verbum illud, *revertere*, nos reflectamus; neque enim ulla fuisset difficultas intelligendi, si dixisset. *Veni, ascende ut intueamur te*; dicendo autem *revertere*, insinuari videtur Virginem jam anteà in cœlis præsentem fuisse, priusquam hodie in cœlos ascenderet. Ad quod quidem responderi posse videtur, quòd quando in Scriptura de Maria sermo est, de ea mentio fiat haud secus ac si suam è cœlo progeniem deducat, cum terra verò, id est, cum communi stirpe & progenie Adami nihil commune habeat: *Ab initio & ante secula creata sum*; vel etiam responderi posset, animam beatissimæ Virginis Mariæ post obitum priùs glorificatam in cœlos ascendisse, ibidemque infinita gloriæ suæ luce cunctas Angelorum hierarchias extraordinariis & immensis gaudiis affecisse; undè omnes Angeli eandem ut sacratissimo Virginis corpori reuniretur, in eadem velut in curru triumphali ascentam denuò in terram descendere videntes, ob hunc ejus è cœlo recessum anxii unitim & certatim Reginæ suæ dixerunt? *Revertere, revertere ut intueamur te.* Sed per neutram harum responsionum prima submovetur difficultas; etenim prout omnibus constat, certissimum est, quòd beatitudo formalis in clara Dei visione consistat, atque ideo quomodo Angeli hac clara Dei visione fruentes dicere possunt, quòd sanctissimam quoque Dei Matrem videre desiderent? S. Bernardinus ait: *Quilibet cœlicus ordo lætatur, quia in beata Virgine reperit aliquid gloriæ specialis.* Etenim facile est cuivis cogitare, quanto omnes repleti fuerint stupore, quando augustissimam hanc Reginam in præparatum sibi magnificum illum gloriæ thronum conscendere viderunt; vocibus utique stupore plenis acclamabant: *Quæ est ista quæ ascendit, &c. Virgo sanctissima*, inquit S. Epiphanius, *quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! stupendum enim est miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus.* Porrò ut illa chororum Angelicorum festiva gaudia tantò facilius capere valeamus, hoc nobis eoque efficacissimo argumento uti licet? Dum S. Joannes Baptista etiamnum intra materni uteri angustias reclusus esset; vix Maria Virgo in eo se conclavi, in quo S. Elisabeth erat, præsentem stiterat, cùm ecce Baptista infans præ summo gaudio in matris utero exsilire & tripudiare cœpit: *Exultavit infans in utero*; enimvero Angeli Mariam non jam in carne illa mortali, qua in montanis Judææ induta fuit, advenientem viderunt, sed gloriosis corporis dotibus præclarè amictam, undè è corpore lux longè clarior atque splendidior promicabat, quàm in omnibus spiritibus beatis, aliis paradisi Cœlitibus resplendere potuerit; nam *in plenitudine Sanctorum detentio ejus.* Imaginemini igitur vobis quales fuerint illi stimuli, quibus ad gaudendum & jubilandum in regno illo beato impellebantur. Salmeron pro meliori hujus rei explicatione historiam illam 2. Regum libro cap. 6. relatam adducit, ubi David Arcam Domini è domo Obededom in civitatem Sion tanta cum solemnitate, tantisque lætitiæ signis transportasse legitur. En verba Salmeronis? *Quis non hic videat mysterium Assumptionis B. Virginis, quæ ex terreno hoc loco in cœleste translata est domicilium, tanta cum gloria & honorificentia, Angelorumque & Sanctorum ineffabili gaudio, ut etiam ipse Dominus præ lætitiæ vehementia, dissimulata veluti regia sua majestatis gloria, ante hanc Matris suæ arcam exultaverit, ac, ut ita dicam, tripudiaverit?* adducitque insuper illam Sanctis Joannis Damasceni authoritatem, qua hisce verbis invitamur: *Jubilemus in arca Domini Dei animæ jubilationibus, post David exilamus spiritu.*

3 *Gaudent Angeli.* S. Ildephonsus ad illam Cœlitum

Jud. 15. 19.

Ser. de Af.

To. 3. ser. 11. ar. 1. c. 4.

Ser. de lau. D. ip.

To. 15. tr. 7

2. Reg. 6.

Ser. de dor. Deip. ser. 2. de Assum.

ut ita

ut ita dicam, impatientiam se reflectit, qua beatissima Virgo in cœlo empyreo non tam expectabatur, quam suspirabatur; & dicit: *Nec diu hac sacratissima Virgo post Domini Ascensionem in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli: cœlum etiam ipsum de ejus ascensione querebatur, atque ideò Spiritus sanctus invitabat dicens: Veni de Libano, veni, veni columba mea, jam enim hyems transiit; quodque ardentissimè vellet assumere, ostendit crebra ingeminatione, veni, veni.* Salvatoris quidem Ascensionem, dum adhuc nobiscum hìc in terris commoraretur, anxiè suspirabant; veruntamen non sufficiebat eis sine magna ejus Matre Filius, atque ideò acclamabant: (Psal. 131. 8.) *Surge Domine in requiem tuam, tu*; & confestim subjungunt: *& Arca sanctificationis tuæ*; ac proindè Damascenus ait: *Arca Domini hodie requievit.*

4 *Gaudent Angeli.* Propter ruinarum suarum reparationem, quæ per quinque millia & plurium annorum spatium solitariæ & desolatæ remanserant, at verò hodie per Assumptionem illius, quæ in gratiæ, & consequenter seminis gloriæ thesaurariam electa fuit, resarcitæ fuerunt. (Serm. cit.) *Per hanc beatissimam Virginem* (inquit S. Petrus Damianus) *non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelica sublimitatis augetur: quia dum homo ad superna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur.* Ehem quot sæculis cœlorum fores clausæ fuerunt? Nimirum ab ipso mundi exordio, quo amplæ cœlorum sphæræ extensæ, cœlumque empyreum fabricatum fuit, donec Filius Dei in Mariæ uterum descenderet; nunc autem ea mediante patefiunt. Undè hodie canimus cum Ecclesia Dei: *Paradisi porta per te nobis aperta sunt, qua hodie gloriosa cum Angelis triumphas.* Enimverò consuetudo est inter Magnates & Principes, quòd in diebus augustæ cujusdam lætitiæ carceres multis captivis aperiantur, & non solùm à compedibus, quibus vincti erant, sed & à morte liberentur; atque ideò verisimile est, quòd in hoc die Coronationis beatissimæ Virginis non solùm innumerabiles animæ ejus intercessione à compedibus servitutis diabolicæ liberati fuerint, per communicata illis gratiæ auxilia, quibus conversi fuere ad pœnitentiam; verùm etiam multæ animæ purgantes ab obscuro & tenebricoso purgatorii carcere fuerint exemptæ. Undè Gerson ait: *Quia enim Regina coronabatur, è carcere dimitti animas,* (Tract. 4.) *Reginamque suam sequi par erat.* Quòdsi enim de filio ejus dicimus: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*: cur non etiam sanctissimam Virginem eodem comitatu stipatam ad sublimem illum thronum, à multis è purgatorii ignis compedibus liberatis animabus circumdatam ascendisse credemus?

5. *Gaudent Angeli.* Quòdsi enim Angeli summa cum exultatione & gaudio suo mendici Lazari animam è sinu Abrahæ in cœlum deportarunt; ut proindè Chrysologus scribat: *Non suffecerat ad portandum pauperem* (Homil. de divit. & Lazar.) *unus Angelus, sed propterea plures veniunt, ut chorum lætitia faciant, gaudet unusquisque Angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægravantur*; quamobrem: Audite mysterium, *ut adducant homines ad regna cœlorum.* Quòdsi igitur Angeli tanto cum gaudio & jubilo animæ cujusdam mendici sunt obsecuti, quis dignè satis exprimere poterit quo gaudio universæ Angelorum hierarchiæ exultarint, quando Reginam suam in cœlos usque gloriosè deduxerint, quæ *ascendit deliciis affluens*, quæque ad locupletanda immortalia & inexhausta cœlorum ætaria infinitis thesauris abundabat: & quidem gaudium hoc tantò excellentius fuisse credendum est, quòd eo ipso, quo beatissimæ Virgini ascendenti obsequebantur, simul etiam universum, ut ita dicam, genus humanum in cœlos deduxerunt, siquidem certum est, quod per Mariæ intercessionem cuncti solvemur. Verùm enimverò ut tantò melius in Angelici gaudii notitiam deveniamus, aliud quoddam adhibeamus non minus efficax argumentum. Ipsemet Salvator ait: (Luc. 15. 10.) *Gaudium est coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*; sunt enim Angeli salutis nostræ cupidissimi, utpotè pro qua promovenda omni studio invigilant, idque quia *Angelis suis Deus mandavit de nobis.* Cum igitur hodie assumi videant Mariam, peccatorum refugium, per cujus patrocinium innumerabiles animæ ad pœnitentiam reducendæ erant, quantum gaudium & jubilum illorum excessivum indè adjunctum fuisse existimatis? S. Ildephonsus ait: (Serm. 2. de Assumpt.) *Si gaudium est in cælo super uno peccatore convertente se in terris, quanto magis gaudere credendum est in cælo de adventu & gloria tanta Virginis?* Nimirum spiritus illi Angelici, omnesque aliæ cœlites animæ futurum esse intelligebant, quod deinceps gaudia ipsorum accidentalia, per quotidianas tot animarum accessiones, quæ mediante ejus intercessione multò jam in cœlis efficaciori, quàm fuerit olim in terris, omnibus sæculis continuò salvandæ essent, mirum in modum adaugenda & multiplicanda foret.

6. Verùm enimverò quodsi quis vestrum objiciat, Angelos beatissimam Virginem ex humana progenie oriundam super ipsorum sublimes hierarchias exaltari videntes, indè nequaquam concipere potuisse aliquod gaudendi, quin potiùs tristitiæ aut invidiæ motivum, dum nimirum abjectum hoc lutum corporis nostri adeo super ipsorum excellentiam extolli & evehi videant: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Respondeo in illos cœlestis curiæ aulicos nullum cadere posse tristitiæ aut invidentiæ motivum, utporè quod rebelles Angelos è supremis cœlorum sedibus præcipites egit; siquidem ipsi divinæ voluntati incessanter adhærent: *Qui facitis verbum ejus*: quin potius, quia ut (De laud. Virg.) S. Anselmus ait: *Per gloriosum fœcundæ virginitatis suæ fructum semirutam vident civitatem suam redintegrari*, ampliorem habent gaudiorum materiam. Ex quo enim sciunt ipsam gravia superbi Luciferi & sequacium suorum damna restaurasse, ipsam quoque augustissimam illam acquisivisse dignitatem, ut Regina & Imperatrix ipsorum electa fuerit; sciuntque insuper ipsam Creatoris sui esse Genitricem, sufficientia ipsis addita fuere calcaria, ut non obstante quod ex massa Adami esset progenita, coram ipsa tamen sese inclinent, ipsamque possibilibus sibi profundissimis amorosisque obsequiorum generibus adorent, magis etiam de ejus sublimatione gaudendo, quàm si ipsorum cognata esset.

7. Una tamen fateor difficultas superest, quæ nostra permagni refert; de Angelis namque dicitur, quod in hoc festo *Laudantes benedicunt Dominum*, linguasque suas ad laudes & benedictiones Deo referendas certatim laxent, & nos quid faciemus? tacebimusne? Audite S. Bernardum dicentem: *Nec cessare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in Virgine*; (Serm. 4. de Assumpt.) veruntamen insufficientiam nostram per pulchram quandam S. Hieronymi sententiam consolari & erigere possumus, quando nos in reddendo gratitudinis tributo Angelis posteriores & impares esse videbimus. Dicit enim sanctus hic Doctor: (Serm. ad Paulam & Eustoch.) *Quicquid humanis dici potest verbis, minus est à laude cæli, quia divinis est & Angelicis excellentius prædicata & laudata præconiis.* Undè si beatissimæ Virgini convenientes dignasque laudes minimè reddamus, non ideo despondendum nobis est animo; nam hanc nostram insufficientiam Angeli sibi instaurandam vendicant pro nobis quoque supplendo.

De inæstimabilibus virtutum, & meritorum thesauris, quibus Deipara Virgo hodie supernam Hierusalem locupletavit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Ingressa Jerusalem multo cum comitatu, & divitiis, & camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem. 3. Reg. 10. v. 2.

1 POmposus ille ingressus, quem Regina Saba in sanctam civitatem Jerusalem nobili & frequenti nimis comitatu stipata, thesauris quoque inexhaustis, aromatibusque pretiosissimis, & gemmis immensi valoris instructa instituit, quædam licèt tenuis umbra fuit gloriosæ illius Assumptionis, qua beatissima Virgo hodierna die in cœlestem Jerosolymam introducta fuit, infinitas secum donorum, virtutum, meritorumque ferendo divitias, ut easdem filio suo devotissimè præsentaret, qui de seipso ait: *Ecce plusquam Salamon hic.* Et quidem in primis B. Virgo. *Ingressa est cum comitatu, quia millia millium assistebant ei*, spiritus videlicet omnes Angelici, qui tanquam illius subditi ei certatim obsequebantur; afferebat & *divitiis*, id est, immenso meritorum

rito-

titorum suorum thesauro, quæ omnem intellectum humanum pariter & Angelicum longe transcendunt. In spec. Doctor Angelicus ait: *In his verbis gloriam Mariæ ingredientis in cœlum considera, Maria opulentiam meritorum in camelis portantibus aromata*, id est, opera exemplaria, quibus in cœlo & in terra eminentis sanctitatis suæ fragrantiam sparsit, tot etiam actus virtutum, in quibus se quoad vixit, per continuum augmentum, illudque infinitum strenuè exercuit: *& aurum infinitum nimis*; per quod ejus ardentissima charitas & amor erga Deum intelligitur, qua omnes etiam ardentissimos Seraphinos longè superavit; *& gemmas pretiosas*, id est, dona & gratias, quarum ipsa thesauraria electa fuerat. Verùm dicat aliquis. Ex quo Spiritus sanctus 3. Reg. 10. 28. in urbe Jerosolymitana tantam argenti copiam præsto esse dixit: *Ut tanta esset abundantia argenti, quanta & lapidum*; quid opus erat æraria Jerosolymitana majoribus instaurare regni, argentique divitiis? De hac 2. Paral. 9. 9. etiam Regina dicitur: *Dedit Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosissimas*. Sciendum est igitur, quod *Omnia in figura contingebant* illis; atque ideò quidquid à Sabæorum inclyta Regina olim præstitum fuit, à longinquo præfiguravit id, quod hodierna die in superna Jerosolyma fieri debebat: quia tametsi verissimum sit, quod ibidem infinita gloriæ, felicitatis, delitiarum & beatitudinis abundantia quædam præsto adesset, per hujus tamen augustissimæ Reginæ ingressum, ipsiusmet cœlestis paradisi gloria mirificè adaugenda erat, omnes namque animæ sanctæ, spiritusque Angelici intensioribus beatitudinis, licèt accidentalis, gradibus per Virginis in cælos ingressum locupletandi erant, idque verum esse vel exindè cognoscere possumus, quòd omnes sacrorum interpretum calami in hac veritate conentiant.

Serm. 2. de Assumpt. 2 S. Ildephonsus ait; *Hæc namque est, ut dixi, festivitas hodierna præcipua & venerabilis nobis*; cujus rationem reddit, quia hæc festivitas inter omnes alias primaria existit. *Sed venerabilior in cælo est Angelis & Sanctis omnibus*. Etenim hodiernæ festivitatis non solum nos participes, sed longè amplius nobis in eadem participat Ecclesia superna triumphans, *quorum lætitia & gaudium proculdubio ex hujus adimpletur diei exultatione*. Sanctus hic Pater extra omne dubium vult esse positum, quod gaudium beatorum hodie suum accipiat complementum, hoc enim verbo illo *adimpletur*, sufficienter satis exprimitur. Sanctus quoque Petrus Damianus id- Ser. de Assump. ipsum manifestius dicere non potuit, quam cum dicit; *Hæc est illa dies, quæ cælorum officinas sublimiori gaudio cumulavit*. Et hoc quidem in sermone quodam de hodierno festo dicit; In alio verò sermone de Nat. B. V. Ser. de Assumpt. Mariæ pariter dicit: *Per hanc beatissimam Virginem non solum amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelica sublimitatis augetur*. S. Bernardus quem meritò sanctissimæ Virginis Secretarium appellare pos- De laud. Virg. sumus, in hac solemnitate ita scribit: *Maria præsentia totus illustratur orbis, ut ipsa etiam cœlestis patria clarius rutilet virginea lampadis irradiata fulgore*. Sanctus Epiphanius non solùm id nobis confirmat, verùm insuper demonstrare nititur, de beata Virgine certo quodam modo dici posse, quod in cœlum assumpta fuerit, non tam ut ipsa ibidem glorificaretur, quam ut majorem cœlis gloriam inferret, haud secus ac si alium quendam paradisum, ut ita dicam, cœlesti paradiso intulisset. *O beata Virgo quæ gloriam cælestem pertasti*. S. Anselmus ait: *Dies enim illa* (intellige hodierna) *non solum te ò Domina ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum quod penetrasti, nec non cuncta quæ in eo sunt nova & ineffabili gloria decoravit*; Et quidem ne id per modum exaggerationis dixisse putetur, mox rationem subjungit dicens; *Nova quidem cœlum gloria decoravit, quia priorem gloriam ejus ex præsentia sui, ultra quam dici potest, aut excogitari, magnificavit*. Enimverò certum quidem est, quod sola divina essentia, quam beati clarè aspiciunt, sit illa, quæ solum est veræ beatitudinis 1. Pet. 1. 12. objectum, *in quem desiderant prospicere*. Verumtamen si de illa beatitudine, quam Scholæ accidentalem appellant, sermo sit, in quonam illa principalius consistit, quam ut post Christi humanitatem beatorum oculi in magnam hanc Dei matrem, cœlorumque Imperatricem defigantur? Audite Sanctum quendam, qui intellectu suo per Spiritum sanctum specialissimè illustrato cunctas Angelorum Hierarchias penetravit, quod satis evidenter in eo ostendit, quod de iis adeo sublimiter scripserit. Areopagitam nimirum intelligo. Hic de luminosissimo quodam planeta loquitur: quem pro eo tempore vidit, quo obscura quadam caligine, vel densa nebula, vel nubium caliginosa chlamyde obtectus erat, id est, de beata Virgine loquitur, non quidem pro eo tempore quo in cœlesti gloria *amicta* est *Sole, & Luna sub pedibus ejus* visitur, sed pro tempore, quando inter nos vivens sub humilitatis suæ paludamento omnis decor ejus abscondebatur; seu ut clarius loquar, non loquitur de ipsa prout in cœlis super omnes Angelorum choros exaltata visitur, sed prout inter nos mortales mortalis quoque & ipsa vivebat: Ad eam namque etiamnum in carne mortali viventem Dionysius Areopagita Athenis profectus est, & postquam eam vidisset, tandem in hæc verba sancto Petro scripsit: *Intuitus sum Dei formam; atque super omnes cœlicos spiritus sanctissimam matrem Christi Jesu*; Et paulò post subjungit: *Tantus me immensus divinus splendor circumfulsit exterius, & plenius irradiavit interius, tanta etiam in me omnium odoramentorum fragrantia superabundavit, ut nec corpus infelix, nec spiritus posset tanta felicitatis insignia sustinere: Testor, qui aderat in Virgine Deus, si tua divina concepta mente non me docuissent, hanc ego Deum verum esse credidissem, quoniam nulla videri major esse posset gloria beatorum, quam felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc vero felicissimus degustavi*. Quibus in verbis in primis ad propositum nostrum ponderandum est, quod inter cætera dicat: *Quoniam nulla videri major esse posset gloria beatorum*. Deinde si gloria cœlestis in clara Dei visione consistit, quoquid Areopagitam audistis dicentem: *Testor, quia aderat in Virgine DEUS*. Denique quicquid ex hactenus dictis admittatur vel negetur, hoc saltem inficiari nemo poterit, quod ut Damascenus dicit, pri- Ser. 2. de nat. M. mus locus DEO, secundus verò locus Mariæ debea- In specu. cap. 6. tur: *Summa gloria est, post Deum te videre*. Cui consonant illa verba sancti Bonaventuræ dicentis: *Quicquid post Deum pulchrius, quicquid dulcius, quicquid jucundius est in gloria, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est*.

3 Aliam porrò rationem quæ hoc in cœlis per Mariam causatum gloriæ incrementum convincat, ex quadam haud quaquam intellectu difficili similitudine deducere possumus. Ponamus enim, quod, verbi gratia, in hac Ecclesia quinquaginta faces resplendeant, quæ eandem mirum in modum luminosam reddunt, accedant autem ad illas centenæ & millenæ aliæ similiter collucentes, & certissimè ab iisdem supervenientibus longè clarius illustrabitur: Eodem quoque modo verum quidem est, quod cœlum Empyreum gloria plenum fuerit, non solùm propter visionis beatificæ objectum, id est ob divinam essentiam, quæ clarè in eodem videtur, & per participationem gloriæ cunctarum animarum & spirituum beatorum; verùm etiam propter beatam Virginem hodie in cœlo gloriosè comparentem, *Ingressa est multo cum comitatu, divitiis, aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas*. Etenim ipsa sola plus in geminis, plus in meritorum gratiarumque thesauris, & consequenter in gloriæ montibus anulit, quam omnes Angeli aliique Cœlites simul juncti. Beata Virgo enim fuit velut aliud quoddam cœlum in terra positum, adeo ut Filius Dei incarnandus ex uno cœlo, scilicet Empyreo in aliud quoddam cœlum, id est, in uterum Virginis ingressus fuerit. Unde Theodorus Studita ait: *Tan-* Ser. in Jos. *quam aliud cœlum ingressus in utero semper Virginis Mariæ se patefecit*. Ideo etiam devota illa mulier in Evangelio eidem acclamavit, dicens: *Beatus venter, qui te portavit*; & sancta mater Ecclesia de ea canit: *Beata viscera Mariæ Virginis*. Denique de ipsa verba illa intelliguntur: *Emissiones tuæ Paradisus*. Sicut enim Paradisus omnia Sanctorum merita, omnesque gratias quæ unquam spiritibus Angelicis, cunctisque aliis animabus creatis distributæ sunt, aut deinceps distribuentur, in se recludit, ita quoque omnia illa merita & gratias simul in unum collectas inveniemus in Maria. Et sicut Deus solus est, qui Paradisum gloriosum & beatum ef- Ps. 150. 1. ficit, ita quoque eundem in Maria personaliter deprehendemus esse præsentem. *Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus*. Verùm dic sodes ò David, quisnam est hic tuus loquendi modus? Quidnam firmamentum cum Sanctis commune habet, ut in laudando DEO concurrere possit: Quod si

nos

nos ad Deum in amplissimarum sphærarum cœlestium fabrica, & specialiter in firmamento cœli, laudandum invitasses, mentem tuam utique facilè capere possem, at verò cum primo dicas: *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, & postea: *Laudate eum in firmamento*, quod majorem quandam laudem indicat, quàm sit illa, quæ ex aliorum Sanctorum concurrentia resultat, ideo difficillimè capio, quid dicere intendas. Notandum est igitur pro hujusce difficultatis resolutione, quod *in Firmamento* nobis Mater Dei repræsentetur, de qua canimus: *Excelsa super sydera*; alii verò cœli unico duntaxat planeta adornati videntur, id est, alii Sancti sunt ad instar stellarum. Danielis 12. v. 3. *Quasi stella in perpetuas æternitates*, Deipara Virgo autem firmamentum est, cœlum stellatum est, quia omnium Angelorum, omniumque Sanctorum qui sunt, fuerunt, & in finem usque sæculorum erunt, merita, dona, gratias, virtutem, & gloriam in se unica includit: *In plenitudine Sanctorum detentio mea*. Eniinverò quodsi verum est, quod *stella differt a stella in claritate*, ac proindè gloria cœli longè elegantius resplendeat ob varietatem Hierarchiarum Angelicarum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum, ecce tibi in Maria certatim scintillantia & fulgentia omnia hæc gratiarum sydera, prouti ex epithetis illis sufficienter colligitur, quibus Ecclesia beatam Virginem in Litaniis ipsius exaltat. Et fortè hoc est paludamenti illius Regalis & variegati mysterium. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Et S. Bernardus optimè ad hoc propositum ait: *Detentio Virginis Mariæ in plenitudine Sanctorum, cui non defuit Fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum castitas Virginum, sed nec ipsa puritas Angelorum*. David, de cujus stirpe beata Virgo processit, ita de eo scribit: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*; Quibus verbis gloriam cœlestem magni cujusdam fluminis novas semper aquas alicui civitati adfluentis impetui comparat; Per basce autem aquas cœlestium gratiarum affluentia intelligitur; ac proinde ecce qualiter etiam ex hoc capite Maria Virgo cœlestem illam Jerusalem non per modum fluminis, sed maris instar inundaverit, prouti ex nominis ejus ethymologia clare deducitur? *Congregationes aquarum appellavit maria*; Sicut enim omnes torrentes, fontes, fluvii, suum mari tributum incessanter reddunt? ita omnes Angeli & Sancti meritis & gratiis suis amplium hoc mare mirè adaugent & dilatant. Unde sanctus Bonaventura illa Ecclesiastici verba: *Omnia flumina intrant in mare*, ponderans dicit: Idem quoque in Maria fieri, *dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam, flumen gratiæ Patriarcharum & Prophetarum; flumen gratiæ Apostolorum intrat in Mariam. Flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, flumen gratiæ Confessorum intrat in Mariam, flumen gratiæ Virginum intrat in Mariam; omnia denique flumina intrant in mare, id est, omnes gratiæ intrant in Mariam*. Nunquid igitur hodie verè dicere possumus: *Fluminis impetus lætificat civitatem DEI*? Etenim in Mariæ Assumptione in cœlum, interminabilis quidam gloriæ & beatitudinis Oceanus in ipsam se exundavit. Vulgatum est illud sancti Augustini axioma, quod scilicet in cœlis *tantum unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo ineffabili gaudio; & quot socios habebit, tot gaudia habebit*, ac proinde ex mensura & proportione gloriæ infinitæ Mariæ facilè colligitur, quantum in omnibus Sanctis futurum sit gloriæ augmentum, & quousque illa pertigerit, siquidem ipsa sola omnium aliorum divitias atque thesauros in se una conclusit. Alii Sancti stellæ nominantur, ut jam diximus, Maria verò non item. Quidnam unica tantum stella cœlo unquam lucis subintulit? Ferè nihil; Econtra vero Sol omnibus stellis, cunctisque planetis lucem suam communicat; Sic quoque hæc est differentia gloriæ, qua beatissima Virgo cœlum Empyreum illuminavit, & aliorum Sanctorum gloriam, quod hi sint veluti stellæ; Certè si stellarum integri milliones sese conjunxerint, nullum tamen cœlo lumen ministrabunt, nisi sol suam eis lucem communicet, & tamen quam parum etiamnum cum tota hac luce illuminant? Porrò beatissima Virgo Sol ille est, qui cœli Empyrei pulchritudinem gloria sua illustrat & clarificat? *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*. Ubi S. Bernardinus ait: *Tantum differt gloria virginis à gloria aliorum Beatorum, quantum Sol à cæteris luminaribus cœli, & quodammodo sicut cætera luminaria decorantur à Sole, sic tota cœlestis curia à gloria Virginis lætificatur & decoratur*. Et sicut verè dici potest, quod Sol, Luna, & stellæ major meliorque cœli pars sit; ita quoque dum Spiritus sanctus nobis beatissimam Virginem sponsam Sole amictam, Luna calceatam, & stellis coronatam per os sancti Joannis adoptivi ejus filii repræsentat, pariter dicere voluisse videtur, ipsam post suam in cœlos assumptionem principalissimum in gloria & gaudiis Paradisi partem constituere.

Dan. 12. 3. — 1. Cor. 15. 4 — Psal. 44. 10. — Psal. 45. 5. — Gen. 1. — In spec. Vir. cap. 3. — Lib. de Spir. c. 37. — Apoc. 12. 1. — Ser. 61. Ar. 2. c. 3 tom. 1.

Agitur de Ascensione Christi, prout illi Assumptio Virginis Mariæ, ea quadantenus superior, comparatur.

DISCURSUS TERTIUS.

Assumpta est Maria in cœlum.

1 Assumptio magnæ matris Dei quam hodie solemniter celebramus cum triumphali magni Filii sui Ascensione, non solum sui dignitate certare, verùm etiam eadem, uti videbimus, quadantenus superior esse dici potest. S. Petrus Damianus ait: *Hic Salvator in cœlum potestativæ virtutis imperio sicut Dominus & creator; Angelorum comitatus obsequio non auxilio fultus; assumpta est Maria in cœlum, sed gratia sublevantis judicio, comitantibus & auxiliantibus Angelis, quam sublevabat gratia, non natura, ideo dies hæc assumptio, Ascensio illa vocatur*; quasi sanctus hic Doctor diceret: Filius ejus tanquam Deus & creator in cœlum ascendit, Divinitatis suæ virtute innata sibi & propria: Mater autem ascendit non virtute sibi connaturali, sed à filio ejus sibi participata. Veruntamen operæ pretium erit illam circumstantiam: *Auxiliantibus Angelis* in meliorem magisque intelligibilem sensum interpretari, quia alias ad hoc ut assumeretur Angelicarum phalangum auxilio minimè indiguit; Et hoc quidem quòd animam attinet, omni dubio caret, utpote quæ veluti purus existens spiritus, nullum quod illam aggravare potuerit, pondus unquam habuit: quodsi verò de corpore sermo sit, cùm illud quatuor gloriosi corporis dotibus, & præcipuè agilitate nobilitatum fuerit, nequaquam, haud dubie implicabis, quin à semetipsa nulli innixa Angelorum subsidio, ad sublimissimam cœli Empyrei stationem & locum pertingere poterit. Doctissimus Salmeron nobis nominis hujus, Assumptio, Ethymologiam pulchrè declarat, & dicit: *Assumpta, est aliquid ad se sumere*; in cujus probationem illo utitur textu Sapient. 8. *Quæsivi eam mihi sponsam assumere*. Item illo Matt. 20. *Assumpsit duodecim discipulos, In hunc sensum dicitur Assumptio Virginis, quatenus à Deo ad se est assumpta*. Suarez quoque materiam hanc ventilans dubia dissolvit; Et quidem dum de hoc vocabulo Assumptio tractat, & receptum Ecclesiæ usum examinat, quo communiter Regina nostra, velut ab angelicis choris ad cœlum sublevata, in hujus festivitatis pictura repræsentatur, ac tandem insignis ille Theologus ait: *Non esse hoc ita intelligendum, ac si B. Virgo illorum opera ad ascendendum indigeret, propria enim virtute, quæ omnibus corporibus gloriosis communis est, ascendere poterat*. Demum verò ut mysterium declaret, ob quod Virgo assumpta fuisset, non verò in cœlum ascendisse dicatur, ita scribit: *Dicitur ergo assumpta ab Angelis, quia honoris causa eam comitabantur*; eandem quoque à nobis jam assignatam inter utrumque mysterium distinctionem adfert, dicens: *Magis dicitur assumi, quam ascendere, quia illa virtus simpliciter non erat connaturalis tali personæ sicut fuit Christo*, Denique vocem illam Assumptio potius super corpus quod in cœlum elevatur, quam super animam cadere ostendit, dum ait: *Ac propterea etiam magis propriè dicitur assumptio de corpore, quam de solo spiritu, quia spiritus non tantum gloriosa sed etiam propria & naturali virtute ascendere potest*.

2 *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum*. Dicet forsasse aliquis, ex his verbis ipsam ad ascendendum in cœlum auxilio ali-

Ser. de Assumpt. — Ta. 11 tr. 37 — To. 1. in 3. par. disp. 21 sect. 2.

quo

quo indiguisse, colligi posse videtur, cùm dicatur *innixa super dilectum suum*. Certe de ascendente filio idem vel simile neutiquam scribitur: De illo etenim dicitur: *Videntibus illis elevatus est, ascendit super cælos cælorum*. Idem memoratus Salmeron respondet: *Sola ascendit innixa super dilectum suum, ut illi Christus innixus fuit, cùm illum mater & in ventre & in brachiis gestaverit, ita sanctissima Mater in assumptione sua filio suo innixa cælum ingressa est; nam ita principes mulieres aut Regina plerumque viris aut filiis qui Reges existant, innixa incedere solent, cum omnis uxoris matrisve gloria in virum suum, filiumve redire consueverit*. Similem quoque observationem Richardus à sancto Laurentio in favorem nostrum instituit, siquidem hoc inniti super filium reverenti cuidam obsequio attribuit, quod in hac gloriosæ coronationis die novæ huic augustissimæ Cælorum Imperatrici in majorem magnificentiæ & Majestatis ejus ostentationem & splendorem exhibere voluit: *Vices rependit Filius Matri*, Lib. 21. *Deo etenim Filius matri innixus descendit in terram in Incarnatione*, ut ex illo Isajæ textu constat: *Ascendet Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum*; cui accedit, quod beatissima Virgo in scala Jacob symbolizata fuerit, per quam Angeli ascendebant, cujusque vertex ad cælum usque pertingebat; hinc enim filius DEI descendit in uterum Virginis Mariæ; *& Mater innixa filio ascendit in cælum in Assumptione sua*, inquit hic præfatus author, quasi ei per hoc obsequium remunerare vellet, maternum quoque virginis subsidium sibi in suo è cælis descensu præstitum. Enimvero ad mendicum Lazarum in Abrahæ sinum deportandum Angeli brachia sua extendunt; ut Elias in terrestrem transferatur Paradisum currus igneus ei fabricatur: at vero hodie in magnæ matris obsequium filius ejus, qui & filius est DEI altissimi è cælo Empyreo descendens bajulus ejus esse desiderat, omnesque ei famulantur Angelorum Hierarchiæ, subque ejus pedibus certatim se sistere, & cum luna veluti certantes ejus locum supplere contendunt. Potuit haud dubiè sacratissima hæc Virgo sua virtute sine aliquo alieno subsidio incedere & progredi, verum natalium suorum, & dignitas ad quam evecta erat sublimitas hoc obsequium ei impendi postulavit: sic quoque Maria ad Empyreum contendere sine filii subsidio potuit, & tamen filio innixa & ab Angelis sublevata in cælum ascendere ab Ecclesia in picturis repræsentatur, ut per hunc modum pompam & honores eximios quibuscum assumpta fuit, adumbrare valeat.

3 *Assumpta est Maria in cælum*. Nollem profectò in minori penes vos conceptu esse Assumptionem Virginis, præ eo quem vobis de Christi Ascensione formatis, neque æstimationem illius diminui per nomen Assumptionis; siquidem si benè perpenderitis, Spiritus sanctus Evangelistarum calamis mediantibus Ascensionem quoque Assumptionis nomine exprimit. Sic enim Marcus scribit: *Et Dominus quidem Jesus post quam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris* Mar. 16. 19 *Dei*. Sanctus Lucas quoque in Actibus Apostolicis cap. 1. de eodem mysterio tractans ita ait: *Usque in diem, qua præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est*. At vero de ascensu Virginis pleno ore sic canit Ecclesia: *Hodie Maria Virgo cælos ascendit*; sæpe etiam in Divini officii decursu verba illa replicantur: *Quæ est ista, quæ ascendit*. Ingeniosè autem sanctus Petrus Damianus advertit, dicens; *Spiritus sanctus Ascensionem filii, & Matris assumptionem simili stylo perambulans ter interrogat: Quis est iste, & tertio repetit; Quæ est ista*. Filio ad Lymbum descendenti Angeli acclamarunt. *Attollite portas principes vestras*, quibus Angeli rebelles responderunt: *Quis est iste Rex gloriæ*. In Resurrectione quoque stupefacti Angeli acclamarunt: Cant. 6. 9. *Quis est iste Rex gloriæ*; ac denique in Ascensione iidem: Cant. 3. 6. *Quis est iste, qui venit de Edom*. De Virgine pariter trina fit interrogatio: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* ac denique tertia Cant. 8. 5. interrogatio his verbis instituitur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* At verò idemmet Damianus; cujus est totus hic discursus, postquam in Redemptoris ascensionem oculos suos defixisset, dicit: *Attolle jam oculos ad Assumptionem Virginis, & salva filii Majestate invenies occursum hujus pompæ non mediocriter digniorem*, ejusque convincentem rationem protinus subjungit: *Soli quippe Angeli Redemptori occurrere potuerunt, matri vero cælorum palatia penetranti filius ipse cum tota curia tam Angelorum, quam justorum solemniter occurrens evexit ad beata consistorium sessionis*. Quot animas beatas è lymbi carcere liberatas Christus secum ad cælos conduxit? & quot animæ cælum Empyreum priùs incoluerunt, quam Maria in sua Assumptione eo penetraret? In hoc igitur comitatu, in borum occursu, & in eorundem obsequio plus habuit honoris Mater quam Filius. Verum enimvero ratio illa quam adfert Hieronymus, vel quisquis tractatus illius author est, cæteris omnibus validior, & efficacior esse censetur: *Ascendit & præparavit huic sanctissimæ & gloriosissimæ Virgini locum immortalitatis, ut* Serm. de Assump. *cum eo regnare possit in perpetuum*; adeoque filius Dei magnæ hujus Reginæ quidam, ut ita dicam, Prodromus fuit, qui ad præparandum ei in cælis solemnissimum hunc occursum anticipatè in cælum ascendit. Verum enimveru quid huic instantiæ respondebitur, qua peti solet, cur increata illa Sapientia, tametsi sanctissimam matrem suam impensissime amarit, sine illius tamen consortio ad cælos ascendere voluerit, ipsam aliquanto adhuc tempore in hac lachrymarum valle filii sui societate viduatam & desolatam relinquendo? utique credibile est ipsam tam à se dilecti Filii absentiam sæpiùs suspirasse, & frequenter in hos singultus prorupisse: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei Filii mei?* Jo. 12. 26. adhæc cum æterna veritas inviolabiliter futurum esse promiserit, *ubi ego sum, illic & minister meus erit*; quis sanctissima ejus Matre ipsius ministeriis solicitè obeundis magis unquam deditus fuit? sunt nonnulli, qui dicunt, Assumptionem beatissimæ Virginis ideo dilatam esse, ut diutius hic in terris vivendo, perfectius Ecclesiam stabilire, docere Apostolos, & vitæ suæ sanctitate & exemplaritate primis fidelibus animum suggerere posset, ut tanto constantiùs perfectionis viam ingrederentur. Sanctus Anselmus autem hac re ita scribit: *Prudentiori & digniori consilio usus præcedere illam volebat,* De excell. Virg. *quatenus ei locum immortalitatis in Regno tuo præpararet*. Porrò Christus Dominus noster quondam Apostolis suis dixit: *Si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum*. Jo. 14. 3 Certum est autem, quod ea Apostolos inter & sanctissimam Virginem intercesserit proportio, quæ est inter Reginam Regis matrem, & servos vel aulicos ejusdem. Quodsi igitur illis se abiturum promisit ad thronos illis præparandos, in quibus duodecim tribus sint judicaturi, quanto convenientius est, ut omnis solemnissimus apparatus præparetur ad honorandam & exaltandam coronationem hujus augustissimæ cælorum Imperatricis suæ videlicet amantissimæ, optimè meritæ & dignissimæ Matris? est hæc quorundam B. Virginis devotorum clientium observatio, quodsi beata Virgo in ipso Ascensionis die unà cum filio suo in celum evecta fuisset, exigua quidem futura fuisset inter honores & obsequia tum Filio, tum Matri exhibita distinctio, quamvis dubitandum non sit, quin nonnunquam majores attribuendi fuissent honores filio quam matri; ne tamen idipsum fieret, aut cogeretur admittere; cum magno rationis pondere Christus voluerit, ut pro majori ipsius magnificentia & gloria, festivus ei triumphus seorsim exhiberetur, in quo ipsemet eidem cum Majestate tanto triumpho congrua occurrere statuisset. Unde Damascenus ait: *Rex ipse ad Matrem suam venit, ut divinis suis & purissimis manibus sanctam* Orat. *& labis expertem ipsius animam susciperet*.

4 Advertendum quoque hic est, quod sicut David ex paupere & egeno ovium pastore ad Regnum Israel assumptus, exaltationem suam grata semper mente soli DEO attribuendam esse agnovit, ideoque natalium suorum humilitatem commemorans ait: *Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*, Ps. 115. 16 ideoque condignas Divinæ Majestati laudes his verbis retulit: *Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israel Regis nostri*, Ps. 88. 19 ita quoque cogitandum nobis sit gloriosissimam hanc cælorum Reginam fecisse; ipsa namque postquam Altissimi facta est mater, quando ait: *Ecce Ancilla Domini*, mox verò ut se adeo magnificè exaltatam esse consideravit, dicendum sibi esse censuit: *Domini est assumptio mea, & sancti Israel regis mei*.

Ut

Ut quis conceptum sublimitatis glorię, ad quam B. Virgo assumpta est, sibi formare possit, opus est primo gratiarum, donorum, meritorumque infinitorum cumulum scire, quo ipsa locupletata fuit.

DISCURSUS QUARTUS.

Quæ est ista quæ ascendit de deserto; deliciis affluens?
Cant. cap. 8. v. 5.

1 QUamdiu Dei & Mariæ filius hic nobiscum in terris, & in matris suæ sacratissimo utero est commoratus, ipsaque mater ejus visibili & amabilissima præsentia ejus frui potuit, ipsa hanc vitam æternæ vitæ parem esse censuit, siquidem in stricto suo tugurio Nazarethano Paradisum esse existimavit: attamen postquam idem ejus prædilectus filius in Ascensione sua procul ab ea recessit, tunc ei præsens hic mundus visus est, esse sterile quoddam spinetum, & horridum desertum. Unde Angeli qui animi ipsius sententiam optimè & penitissimè penetrabant, ut huic sese magis accommodarent, ipsa ad cœlos ascendente admirantes inter se dicebant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* & quidem tametsi pro eo tempore mundum desertum esse arbitraretur, ipsa nihilominus inter urticas, stirpes & inculti deserti spineta, tempora sua coronis ex rosis, & odoratissimæ fragrantiæ liliis contextis redimere peroptimè novit, ideoque in die Assumptionis deliciis circumquaque affluens in cœlos contendit, adeo ut in admirationem & stuporem universum cœlum protraxerit, ideoque omnes illi immortales cœlestis curiæ aulici stupefacti petierint: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* enimvero quodsi throni, in quem evecta fuit, eminentiam cognoscere desideramus, oculum nostrum prius in donorum, gratiarum, infinitorumque meritorum suorum, quæ in hoc mundi deserto sibi comparavit, cumulum dirigere debemus.

2 *Deliciis affluens.* Cùm, ut omnibus constat, gratia sit semen gloriæ, consequens est, quod ad proportionem gratiæ, gloria pariter major vel minor esse censeatur. Audite obsecro quidnam Maria cæteroquin hu-

Eccl. 24. 25. millima de semetipsa attestetur, dum ait: *In me gratia omnis viæ & veritatis.* Verum inquies, quænam est hæc via, quænam veritas ista, de qua loquitur; nisi fal-

Rom. 7. 25. lor, ipsam illis verbis filium suum intelligere existimo, qui semetipsum viam & veritatem appellavit: *Ego sum via, veritas & vita.* Gratia autem Divina in filio Dei depositata fuit: *Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum.* Hic tamen Genitricem suam ut honoraret, eandem illius thesaurariam esse voluit, ac proinde merito dicit: *In me gratia omnis;* & à sancta matre Ecclesia ipsam Matrem gratiæ appellare docemur: *Maria mater gratiæ;* in cujus confirmationem servit trita illa sancti Bernardi sententia dicentis: *Christus redempturus mundum universum thesaurum contulit in Mariam, ut de plenitudine ejus omnes accipiant; Ascendit deliciis affluens.* (Ho. super miss.) Porrò divinæ plenitudo gratiæ, qua beata Virgo locupletata fuit, eousque pervenit, ut non solum in hac quemvis alium superarit, verum etiam ut ipsa sola in gratiæ thesauris ditior & copiosior fuerit, quam omnes alii simul, adeo ut verissimè dicere possimus: *De plenitudine ejus omnes acceperunt.* Hoc est argumentum illud & consequentia, quam S. Bernardus in sermone quodam de præsenti festivitate deducit, dum ait: *Quantum gratia in terris adepta est præ cæteris, tantum & in*

Serm. 2. de Assump. *cœlis obtinet gloriæ?* Ipsa etenim sola plus gratiæ in se habuit, quod omnes Angeli simul, & quam omnes alii cœlorum cives ad finem usque sæculorum propagandi, adeout resolutè affirmare possimus, quod ad majorem gloriam exaltata fuerit, quam unquam omnes sancti, quorum cœlum capax esse potest, gavisi sint, aut de inceps sunt gavisuri. De B. Virgine Maria hæc verba ca-

P. 4. tit. 15. c. 23. § 3. nere solemus. *Radicavi in populo honorificato.* Porrò S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus per hunc populum, cœlestis curiæ incolas intelligit, ideoque ad majorem beatissimæ Virginis gloriam & laudem hanc ex illis verbis excitat quæstionem, cur nimirum B. Virgo dicat, *Radicavi*, & non potius *Exaltata sum?* & respondet: *Radix est principium arboris; Imaginemur ergo summitatem perfectionis gloriæ beatorum esse in Seraphim ordine supremo.* Adeoque fiat computus omnium gratiarum, quas Angeli, Archangeli habuerunt, ac tandem ad Seraphinos usque ascendite, sicque oculum per omnem æternitatem ad omnes animas, quæ unquam creatæ, & gratiis donisque cœlestibus dotatæ fuerunt: deflectite, & dicite quod infinitus hic cumulus, primus gratiæ & sanctitatis gradus extiterit, qui Mariæ fuit collatus, cuique tot annorum spatio continuo cooperata fuit *cum toto conatu, ibi incipit perfectio gratiæ & gloriæ virginis,* inquit sanctus Antoninus. Ecclesia in officio hodierno sæpius cantat *Exaltata est sancta Dei genetrix super Choros Angelorum.* Enimvero ut hanc exaltationem melius intelligamus, quandam Doctoris Angelici doctrinam vos prius intelligere valde percuperem. Docet igitur S. Thomas, quod omnes spiritus Angelici specie differant, species autem sint sicut numeri, quorum unus alium minorem in se continet, exempli gratia numerus ternarius binarium continet, & numerus senarius quaternarium, & sic deinceps: Eadem igitur proportione Angelus superior perfectionem & gloriam inferiorum in se continet, hos autem innume- Dan. 7. 10.
ros esse, certissimum est: *Decies millies centena millia assistebant ei;* adeo ut classica & authentica sit opinio, Angelos usque ad ultimum & infimum chorum in majori numero consistere, quam omnes animæ creatæ, vel etiam creandæ, usque ad finem sæculorum; siquidem unicuique animæ specialis Angelus custos deputatur: Imaginemini vobis deinde quantum alii chori superiores, usque ad supremum Seraphinorum chorum in numero suo magis excrescant; & hinc gloriam Virginis principium suum ordiri dicite. Nescio profecto, an aliquando advertetitis sanctam Ecclesiam capita sanctorum in sanctitatis evidens signum diademate quodam cingere solitam esse, quod mediæ lunæ vel etiam lunæ plenæ speciem in se repræsentat; hoc autem supposito quæro à vobis, quodnam in eo lateat mysterium, quod hæc eadem luna Deiparæ Virginis pedibus communiter subjiciatur? *Et luna sub pedibus ejus?* nimirum vult nobis ostendere, quod sanctitas & perfectio omnium aliorum sanctorum, magnæ hujus arboris prima radix, primumque principium existat; quodque idem *radicavit in* In c. 11. Luc.
populo honorificata. Beda scribit; *Omnis sanctorum beatitudo de glorioso Virginis utero processit;* hæc autem gloria quam omnes sancti, omnesque beati habuere, quæque suam ab ejus sacratissimo utero originem habet, pedibus beatæ Virginis subjicitur, ut hinc discursum & intellectum nostrum elevemus ad æstimandam sanctitatem illius, cujus caput hodie cœlesti diademate cinctum fuit, Superius in alio quodam discursu illum Pauli Apostoli textum ad Corinthios adduximus, in quo de gloria & differentia ejusdem differitur: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum.* Per hos autem tres differentes planetas omnes gradus magis vel minus eminenter beatitudinis nobis repræsentare intendit; & quidem ut non confundamur, possemus dicere, quod in claritate lunæ encomia nobis denotentur, & gloria naturæ Angelicæ; in stellis autem sanctorum Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, omniumque aliorum electorum animæ: in splendorem autem & luce solis, veri justitiæ Solis inæstimabilia merita; quanam vero luce quibusque radiis beatissimam Virginem radiasse & præfulsisse dicimus; equidem ad denotandum quod eadem intemerata Virgo ad gloriam & beatitudinem pervenerit omnium electorum simul junctorum, ecce qualiter hodie quasi *signum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, luna sub pedibus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

3 Verum enimvero quis est qui splendidissimum hunc Solis amictum non admiretur & obstupescat? *Amicta sole,* quod idem est ac si diceret, ipsam talem fuisse mu- Serm. 1. de
lierem sive matrem, quæ paulò minus sublimata sit à Assumpt.
filio, & ferè par illi, qui sol est justitiæ. Guerricus Abbas ait: *Tibi posuisti in Maria sacrarium gratiæ, & thronum gloriæ,* multò veriùs ad nostrum propositum S. Ber- To. 3. Ser.
nardinus illum Psalmi 88. locum: *Thronus ejus sicut* 52.
sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis, explicans ait: *Thronus Dei Filii mater ejus est, quæ in conspectu illius sicut sol fulgens est quantum ad gloriam animæ; & sicut luna perfecta in æternum, quantum ad gloriam corporis sine defectu, proindè*

gloria

gloria resurrectionis est testis fidelis. Quis est qui non sæpè viderit, quod si stellis in firmamento collucentibus & splendente luna sol quoque in orbe suo fulgere incipiat, mox omnium inferiorum sydcrum claritas dispareat & tabescat? non tamen idem immensæ gloriæ Mariæ Virginis in cœlo contingit; hæc enim non solùm nobis stellis coronata, & luna calceorum loco induta describitur; id est, ad illam gloriam, quam omnes Angeli simul juncti habuerunt, & quam habituræ sunt omnes animæ glorificatæ, sublimata fuisse asseritur; verùm insuper velut si sole amicta sit, nobis repræsentatur, thronus namque ejus haud procul ab Altissimi throno constitutus esse noscitur. *In conspectu illius sicut sol fulgens est*, inquit S. Ildephonsus; & Venerabilis Beda: *Dei Genitrix clarior sole refulsit in throno claritatis; nam Christus sicut legimus, in sole posuit tabernaculum suum, de quo ipse, ut ita loquar, tabernaculo processit tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, adeoque in sententia hujus Sancti specialissimi Virginis Mariæ clienruli, certo quodam modo dicere posse videmur, æternum hunc solem in sacrosancto hoc tabernaculo luminosioribus adhuc radiis fuisse indutum. Scimus equidem quod verba illa Ecclesiastici: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*; verùm scire omnino perciperem, in quonam hæc similitudo consistat, per quam beatissima Virgo veluti delitiosis iisdemque odoriferis fructibus onusta repræsentatur? fructificavi suavitatem odoris. Omnino mihi persuasum habeo, quod ad suam in cœlos assumptionem alludat, de hac namque, prouti in Discursu præcedente diximus, scribitur: *Quæ est ista quæ ascendit quasi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Verùm dicet aliquis, quomodo per vitem fructificantem B. Virginis gloriosa in cœlos assumptio denominari potest? estne inter alias arbores & plantas aliqua, quæ magis per terram serpat quàm vitis? Verissimum hoc est, estque ob id vitis appositissima similitudo ad repræsentandam profundissimam Mariæ humilitatem, insuper tamen verum quoque est, quod nullum sit germen aut arbor inter omnes alias, quæ altius exurgat, & sublimiùs in altum evehatur quàm vitis; adeo enim in sublime se erigit, ut in altum serpendo non cesset, donec altissimas turres adæquet, dummodo ubique fulcrum, cui innitatur, habere possit. Ecce igitur qualiter Virgo (*delitiis affluens fructificavit quasi vitis suavitatem odoris*) innumeris virtutum & meritorum fructibus onusta in sublimissimum usque cœli empyreum thronum consurgat, donec aliquem, cui innitatur, invenerit, id est, prope suum filium collocetur *innixa super dilectum suum*, & quidem ad ejusdem filii dexteram: *Astitit Regina à dextris tuis*; adeo ut sublimius progredi non potuerit, quia Deus filius ejus altius non ascendit, utpotè qui *sedet à dextris Dei*. Gerson de hoc ejus throno ita scribit: *Virgo sola constituit hierarchiam secundam sub Deo trino & uno hierarcha primo & summo, apud quem hierarcham humanitatis filii sui sola sublimata sedet à dextris virtutis Dei per unitatem suppositi*. In sententia vero S. Thomæ de B. Virginis dignitate loquendo dici potest, quod Rex Ægypti Josepho dixisse scribitur, scilicet *uno tantum regni solio te præcedam*: hanc etenim opinionem suam Doctor Angelicus nobis husce verbis conceptam post se scriptam reliquit: *Quamvis B. Virgo sit super Angelos exaltata usque ad æqualitatem Dei, vel ad unionem in persona, & ideo non dicitur sedere ad dexteram, sed adstare à dextris, in quantum honor filii aliquo modo, participativè non plenariè redundat in ipsum, in quantum dicitur Mater Dei sed non Deus*.

Ser. 2. de Assumpt.

Eccl. 24. 23.

Trat. 4. in fin super Magn.

In 4. dist. 11. q. 2. a. 9. 2. ad 3.

Gloria, ad quam B. Virgo à Deo exaltata fuit, eminentiam imperceptibilem esse, variis rationibus demonstratur.

DISCURSUS QUINTUS.

Exaltata est sancta Dei Genitrix ad cœlestia regna.

1 NUlla unquam lingua exprimere, vel qualiscumque demum intellectus, sive humanus sive Angelicus capere sufficit, ad quantam gloriæ celsitudinem magna Dei Mater hodie assumpta fuerit: *Gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem* (inquit S. Petrus Damianus) *de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te gloria Dei*. S. Bernardus, qui devotissimus B. Virginis famulus fuit, ac proinde in hac Octava, per merita maternæ intercessionis ipsius ad æternam benedictionem ascendere meruit, in serm. 1. de hac festivitate ita scribit. *Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit*. Undè hanc de sublimitate gloriæ ejus elicit consequentiam: *Nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit*. Sicut enim Christus ad nos in hanc lachrymarum vallem descendere volens, ut mortalitatis nostræ amictu sese indueret, digniorem utero Virginis locum non invenit (*quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti*) dignum omnino erat, ut ipsa in cœlos assumpta, ibidem quoque dignissimo & gloriosissimo loco à filio suo honoraretur. Promissio hæc est infallibilis veritatis, quod æternus Pater glorificaturus sit omnem illum, qui illi de corde sincero servierit: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui in cœlis est*; quis autem est qui dubitet, quin huic filio Mater ejus longè exactius, fidelius, diutiusque inservierit, quàm omnes aliæ tam humanæ quàm Angelicæ creaturæ? Abindè igitur in aliquam saltem glorificationis suæ notitiam deveniri poterit, qua illam non solùm Pater æternus honoravit & evexit, verum etiam certatim omnes tres divinæ Personæ, nimirum post Patrem Verbum tanquam filius ejus, & Spiritus sanctus veluti sponsus ipsius. Guerricus Abbas Salvatorem nostrum Matrem suam hisce verbis alloquentem introducit: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: nullus mihi plus ministravit in humilitate mea, nulli etiam abundantius ministrare volo in gloria mea*, ex quibus præmissis talem elicit consequentiam, per os filii sui loqui pergens: *Communicasti mihi quod homo sum; communicabo tibi quòd Deus sum*. Ultima quæso verba ex jam dictis maturè ponderate, & dicite an ad eminentiam gloriæ ejus comprehendendam aliquo saltem modo contendere audeatis, utique non sine mysterio in hac solemnitate Evangelium illud de duabus sororibus Martha & Magdalena legitur, quarum una intenta erat ut Christo ministraret, alia verò in altissima contemplatione hærebat absorpta, id est, Maria, quæ sibi dici audire meruit. *Optimam partem elegit sibi Maria*; quasi sancta Ecclesia per hoc indicare vellet, beatissimam Virginem per merita servitiorum & ministeriorum filio suo exhibitorum, quæ denotabantur in Martha, ad sublimissimum gloriæ thronum evehi meruisse: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*. Verùm enimverò aliam quandam super hac re doctissimi Salmeronis ponderationem, si placet, audite; dicit enim quòd Spiritus sanctus Ecclesiam dirigendo ut Evangelium istud in præsenti festivitate proponi faceret, insinuare nobis velit, beatam Virginem in æterna beatitudine remuneratam esse, *Nam pro statu Matris Dei, vel ob statum virginitatis, quam ob altissimas actiones contemplationis figurata in Maria, & ob egregias functiones vitæ activæ significata in Martha*; voluitque hic præclarus Doctor, opinione mea dicere, quòd ut immensam & infinitam beatissimæ Virginis gloriam dignè æstimare valeamus, primò non veluti Mater Dei alicujus, sed tanquam Maria innumeris adeò meritis cumulata consideranda sit, ut meritò dicere potuerit: *In plenitudine sanctorum detentio mea*; hac verò abstractione facta ponderetur exactissimè, quidnam importet, quantique æstimandum sit esse Regis gloriæ optimè meritam Matrem, necnon cœlestis regni electam Imperatricem. Undè S. Augustinus ait: *Sufficere debet tantum notitia humana, hanc verè fateri Reginam cœlorum, pro eo quod Regem peperit Angelorum*. Inter alias veteris testamenti figuras, ea mihi ipsius in cœlos assumptionem & super omnes Angelorum choros exaltationem maximè propriè præsignificasse videtur, quæ in tertio Regum libro a Spiritu sancto recensetur, quando nimirum Regum sapientissimus Salomon Reginam matrem suam adeo augusto cum honore excepit. Dicitur enim ibidem: *Surrexit enim Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus*. Ecquis est qui nesciat, quod ipsemet Christus Salomonis abnepos de semetipso dicat: *Ecce plusquam Salomon hic?*

Serm. 1. de Nat.

Jo 12. 26.

Serm. 1. de Assumpt.

Tom. 1. epist. 36.

Ser. 31. de Sanctis.

3. Reg. 2. 19.

Quis

Quis dubitat quin Christus erga dilectissimam Genitricem suam longè reverentior & gratior fuerit, quàm quicunque homo mortalis? Ac proindè cùm illam & potuerit & valuerit ad sublimius evehere gloriæ & excellentiæ fastigium, cur eum idipsum adimplevisse non credemus? Verum quidem est quod de ejus gloria verba illa Psalmi intelligantur: *Astitit Regina à dextris tuis*. At verò S. Bernardus ait: *Si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se, quod præparavit gignenti se (& quod omnibus est certum) præ omnibus diligenti, quis loquatur?* Etenim quis attentare præsumet quod Bernardo alicui impossibile visum fuit; utpotè qui ob admirabilem facundiam & eloquentiam suam appellatus fuit mellifluus, & specialissimus beatissimæ Virginis cliens & devotus cultor extitit? Et quidem tametsi rotundo ore confiteatur quòd nec calamus, nec lingua ad beatitudinem adeo sublimem pertingere valeat, hunc tamen vastissimum interminatæ Marianæ gloriæ oceanum duobus veluti verbis inclusit, dum ait: *Super omnem exaltata creaturam cum eo honore, &c.* Nec tamen hisce verbis magnificentiam & sublimitatem dignitatis ipsius exprimere, neque honores, obsequia & reverentiam, quæ ab universa cœlesti curia gratulabundè excepta fuit, adæquate explicare voluit, hoc enim nequaquam facere potuit, sed tantum animos nostros disponere intendit, ut mysterium Assumptionis seriò meditari, illudque cordibus nostris imprimere, ac demum eo quo par est loco habere ac dignè æstimare valeamus: *Cum honore quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit filium*. Quis enim præsumet se assequi posse quousque vel ipsa meritis suis pertigerit in gloria, vel ad quantam magnificentiam eam filius erexerit? Ipsa quidem filio suo dicit, *Cum gloria suscepisti me*; verùm quid minus quævis anima etiam illa, quæ ad infimum Angelicorum spirituum chorum pertigisset, dicere poterat? Ergone illi, quæ in cœlo supremis cum honoribus exaltata est, ad felicitatem suam exprimendam nihil aliud dicendum occurrit, quàm quod gloriosè recepta sit? *Cum gloria suscepisti me*. Imo vero ita est; sibi namque ipsemet videtur se ad felicitatem illam exprimendam omnino insufficientem esse. Unde S. Petrus Damianus ait: *Gloria utique gloriosa, quam non novit, nisi qui dedit, & cui donare dignatus est*; ac proindè duo tantùm sunt, qui nobis de ejus exultatione & felicitate, in qua nunc est, testimonium perhibere, pleniusque, quanta sit gloria ad quam evecta fuit, explicare possunt, ipsa nimirum & filius ipsius; ipsa vero aliis nihil ulteriùs dicere quàm quod audistis. Nescio an aliquando ad hoc vos reflexeritis, quod Spiritus sanctus, qui quatuor Evangelistarum, necnon omnium aliorum hagiographorum seu scriptorum canonicorum novi Testamenti calamos direxit, effecerit, ut dicti sacri Evangelistæ, aliique Canonici scriptores in referendis Matris Dei laudibus, meritis, actionibusque heroicis adeo sint parci, & ferè nulli, cum tamen ipsa cuncta fidelibus per omnia sæcula speciali loco servire debeat; imò de Assumptione & coronatione ejus ne lineam quidem duxerint, aut verbum aliquod calamo expresserint. Ratio autem, quæ omnem intellectum, quantùmcunque is sublimis sit, adæquare potest, hæc est: nimirum paucula illa verba, quæ de ipsa scripta sunt, videlicet: *De qua natus est Jesus qui vocatur Christus*, omnino cuivis homini & Angelo abundè sufficiunt, ut de donorum, virtutum, gratiarum, meritorum, & gloriæ thesauris, quibus illa, quæ mater est ejusdam Dei, locupletata fuit, dignum quid concipere & agnoscere possint; est enim Mater Dei illius, qui in ipsa *fecit potentiam in brachio suo*; undè & dicebat: *Fecit mihi magna qui potens est*. Undè S. Thomas de Villa Nova ait: *Propterea, qui Virginis gloria intùs erat, & magis cogitari poterat quàm describi, quid amplius quæris, quid ultra requiris in Virgine? sufficit tibi quod mater Dei est; quænam obsecro pulchritudo, quæ non virtus, quæ perfectio, quæ gloria Matri Dei non congruit?* Salmeron, ut gloriam cœlestem, ad quam Virgo sacratissima hodie assumpta est, declaret, ad illam se gloriam reflectit, qua Deus multa ex iis loca variis gratiis, & prærogativis locupletavit, in quibus aliquod accidit mysterium: *Si præsepe, in quo est ad horam repositus, ita exornavit: si Nazareth, ubi conceptus atque nutritus santa decoravit gloria, ut cernere licet in domo Lauretana: si crucem, in qua tribus tantùm horis; & sepulchrum, in quo ad tres dies mortuus jacuit, tantoperè sublimavit: quod ferendum de Matre judicium? &c.*

Serm. 1. de Assumpt.

Ps. 72. 26.

Serm. 2. de Nat. Virg.

2 Nonnulli Sancti gloriam & exaltationem B. Virginis, Christi filii sui Ascensioni vicinissimam esse dixerunt. S. Bernardus discursum suum ad Mariam dirigens dicit: *Tanta ante Deum sanctitate fœcundaris, ut sola solio Regis æterni immediatè approximare merueris*. Guerricus Abbas ejusdem Sancti discipulus in hoc festum ita scribit: *Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, ut nihil contempletur super se Mater, nisi solum filium*. B. Amadeus in quadam Homilia de B. V. ita scribit: *Super omnes elevata, & in cœlum à cœli civibus, honorificentissimè, & ex more imperiali suscepta a Patre supremo in regno claritatis æternæ*: deinceps verò throni eminentiam, ad quam sublimata fuit, circumscribens ait: *Et in throno excellentissimæ gloriæ, prima post filium, quem ex se genuit, incarnatum, jussa est residere*. Et quid diceretis, si alios eidem Virgini devotos scriptores eandem ipsimet filio æquiparantes audiretis?

In deprec. ad Virg.

Serm. de Assump.

Hom 7 de laud. Virg.

3 E quorum numero præsto est venerabilis Arnoldus Carnotensis, qui de ipsa ita loquitur: *A dominatione vel potentia Filii Mater non potest esse sejuncta*; ad cujus probationem hoc argumentum adducit: *Una est Maria & Christi caro, unus spiritus una caro; & ex quo dictum est ei, Dominus tecum, inseparabiliter perseveravit promissum & donum*; indèque ad nostrum propositum hanc elicit consequentiam: *Filii gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem*. In cujus probationem Antiphonam illam adducere possemus; in qua Ecclesia ita canit: *Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio*. Ubi beata Virgo in eodem filii sui throno consedere dicitur. S. Ildephonsus serm. 2. de Assumptione. S. Athanasius serm. de Deipara; S. Petrus Damianus in sermone de hodierno festo de Assumptione B. Virginis illud Regii Prophetæ oraculum explicant: *Astitit Regina à dextris tuis*. S. Bernardinus ita scribit: *Sicut benedictus Jesus sedet à dextris Patris, id est, in potioribus bonis paternis; sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis filii sui Jesu juxta ipsum in throno sublimata consedit*. S. Petrus Damianus in principio sui sermonis de hodierna solemnitate ait: *Sublimis ista dies, & splendidiori sole refulgurans, in qua Virgo regalis ad thronum Dei Patris evehitur, & in ipsius Trinitatis sede reposita naturam etiam Angelicam solicitat ad videndum*; quasi dicere vellet, quòd gloria Mariæ pari passu cum gloria Filii Dei ambulet; siquidem dicit quod Angeli non solùm in Filium Dei, sed etiam in beatissimam Virginem oculos suos defigere desiderant: *In quam desiderant Angeli prospicere*. Et quidem motiva illa, quibus ei devoti clientes duci possunt, ut in æquali eam gradu cum filio collocent, ab eo fortè derivari possunt, quod idem Damianus in alio quodam sermone de ejus Nativitate scribit, dum ait: *Deus cum Virgine unius naturæ habet identitatem, quia idem est quod illa; hic taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere santæ dignitatis immensitatem*. Et hæc quidem est ratio, quæ omnes Angelicos spiritus in stuporem rapiebat, undè summa cum admiratione sese mutuo interrogabant. *Quæ est ista? &c.* Illam utique paritatem sæpiùs observastis, quam Ecclesia inter Matrem & Filium instituere videtur per varios Matrem inter & Filium institutos dialogos; ex quo enim Filius ait: *Ecce tu pulchra es amica mea*; ipsa respondet: *Ecce tu pulcher es dilecte mi*. Christus dicit: *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias*; ipsa verò respondet: *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Item sicut beata Virgo Filium suum invitat hisce verbis. *Veniat dilectus meus in hortum suum*; ita quoque filius eadem benevolentia matrem invitat dicens: *Veni in hortum meum soror mea sponsa*. Et sicut ipsa dicit: *Dilectus meus mihi*; ita quoque protinùs subdit: *Et ego illi*. Denique idipsum quod Spiritus sanctus de Sapientia increata affirmat, Ecclesia pariter beatæ Virgini Mariæ; utpotè ejusdem incarnatæ Sapientiæ Matri applicat, dum ait: *Ab initio & ante sæcula creata sum: Dominus possedit me ab initio viarum suarum antequam quicquam faceret à principio*; & sic consequenter in multis aliis passibus. Undè Gerson ait: *Adeo quidem Maria fuit divina, ut ea, quæ de Sapientia increata scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad Mariam*. Denique his omnibus addere possumus quod veridicus sacrorum Evangelistarum calamus Dei Filium quoque beatæ Virgini subjectum fuisse referat: *Et erat subditus illis*;

Tract. de laud. Virg.

Tom. 3. ser. 51. art. 51.

Serm. de Nat. Virg.

Cant. 5. 1.

Cant. 2. 16.

Cant. c. 2.

Serm. de Nativ.

ac proindè quid mirum, si idem Dei Filius ipsam in gloria ad paritatem throni sui exaltet?

De beatæ Virginis in cœlis exaltatione, aliisque ab eadem in gloria receptis honoribus.

DISCURSUS SEXTUS.

Assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

1 SAncta mater Ecclesia per adducti thematis verba hoc solum intendit, ut devoti Mariæ clientes ex illis verbis, ad quantam sanctissima Patrona ipsorum gloriam in hoc Assumptionis suæ triumpho sublimata sit intelligant; & ideò quando dicit: *Assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio*, id solum vult insinuare, quòd beatissima Virgo in paradiso thronum altiori in loco collocare non potrat, quàm in quo Rex regum considebat. Et ideò quòd si quis brevissimo intellectus sui oculo sublimem Virginis eminentiam, quàm in cœlis obtinet, assequi se posse speraret, illi priùs opus esset, ut quousque Dei omnipotentia, majestas & excellentia, quæ B. V. participanda erat, pertingeret intime sibi perspectum haberet; ac demum ad id ei reflectendum esset, quòd scilicet hic Deus, ejus sit amantissimus filius, isque erga eam in altiori, qui in hac filiationis relatione dari possit, gradu referens venerabundus & *Serm. 4. de Assumpt.* gratus: *Ego, ego sum, qui patrem & matrem honorandes filiis commendavi: ego ut facerem quod docui, & exemplo essem aliis, ut patrem honorarem, in terram descendi, ascendi, & præparavi thronum gloriæ; neque hoc dico, quod in parte ei thronus collocetur, quin ipsa potius est thronus meus*; sunt ipsissima verba Guerrici Abbatis. Undè S. Methodius Episcopus ait: *Euge, euge Mater Dei & serva; euge, euge, cujus debitor est is, qui omnium creditor: omnes namque debeamus Deo, ipse tibi.* Quamnam verò ex hisce præmissis deducit consequentiam? Hanc nimirum, quòd cùm ipse præcepti illius de parentibus honorandis author fuerit, expressèque declaraverit: *Non veni solvere legem, sed adimplere*, consequenter idemmet præceptum executus fuisse credendus sit. *Is qui ab ea sine patre est, summa gloria afficiat suam sine viro Matrem.* Christus filius ejus naturalem in terra patrem non habuit, sed matrem tantùm; Patet autem, qui ipsum genuit, ab eo ut honoraretur & exaltaretur, minimè indiguit, *quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates*; ideoq; in sublimanda omni cum possibili *Serm. 2. de Assumpt.* ac magnificentia maxima magnam Matrem suam, omne suum studium dirigere debeat: *Summa gloria afficiat suam Matrem*. Guerricus Abbas postquam dixisset, Virginem ut filii sui thronus esset, ab eodem fuisse filio invitatam, subdit: *In te mihi quandam regni sedem constituam, de te judicia decernam, per te preces audiam, nec satis glorificatus videbor mihi, dum & tu conglorificeris.* Quid de magnæ hujus Matris gloria dici, imò imaginari ampliùs potest? siquidem filius expressè se gloriam suam nihil facere protestatur, nisi Matrem suam pari cum ipso honore glorificatam esse intueatur. Enimvero præconia, quibus sacri Doctores thronum ejus deprædicant, velim auscultetis. Leo Imperator ait: *Te divinissimum thronum* *Orat. in dormit. Virg.* *ad suum divinum, & australe templum transponit.* Sanctus Ephrem beatissimam Virginem appellat *animarum palatium Regis Angelorum, rationalem paradisum*. Longè verò melius Gregorius Thaumaturgus dixit: *Ave ani-* *De laud. Vit. Ser. 2. de Anna.* *matum Dei templum, ave cœli & terræ æquivalens Dei domicilium*; quasi diceret, thronum illum, in quo Filius Dei residet, qui ipsissima ejus Mater est, ut diximus, tanti æstimo, adeoque reverendum esse arbitror, ut eumdem ipsimet Verbo æterno, sive ipsimet supremæ & infinitæ majestati æquivalere censeam. S. Bonaventura verba illa Psalmi ponderans: *Surge Domine in requiem tuam, tu* *In spec.* *& arca sanctificationis tuæ*; quibus sanctissima Trinitas Verbum æternum, ut ad excipiendam hodie Matrem suam, eique obsequendum in terras descendat, excitare nititur, asserit sibi videri tres divinas sacratissimæ Triadis personas illis verbis non obscurè insinuare, quòd ipsam ad habendam suam in ea requiem elegerint; hoc enim sensu interpretanda videntur verba illa, quæ Seraphicus Doctor in ejus laudem conscripsit, cùm ab eodem appellatur *totius Trinitatis requies*.

2 Quòdsi illa in Apocalypsi expressa S. Joannis visio unquam adimpleta fuit, id certè hodierna die accidisse dicendum est: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Ac proindè hanc adeo nobilem & admirabilem visionem ad hodiernæ festivitatis gloriam nonnihil examinemus: *Luna sub pedibus ejus*. Gentiles, qui olim stellas adorabant, solem Regis, lunam verò Reginæ titulo appellabant. Unde Deus in Jeremia de illis idololatris graviter lamentabatur dicens: *Colligunt ligna ut faciant placentam Reginæ cœli*. *Jere. 7. 18.* Et hoc quidem erat ea ætate illius, & in paganismi tenebris ambulantis gentis mendacium: fi. autem Mariæ hodie ad majorem Matris suæ gloriam, hunc planetam, qui olim velut divinum quoddam numen & tanquam Regina adorabatur, huic cœlorum Imperatrici calcei loco servire voluit, sive, quod ferè idem est, lunam idololatriæ symbolum à Virgine conculcandam esse disponit, utpotè per cujus intercessionem omnis impius & sacrilegus cultus abolendus erat *Cunctas hæreses* (ita de ea canit sancta Ecclesia) *sola interemisti in universo mundo*. *Fer. 4. paschæ, ait ar. 1. cap. 6.* Vel etiam dici potest, quòd cùm luna omnium mundi potentatum denotet dominium, filius ejus, hosce magnæ hujus Reginæ subditos & inferiores esse, innuere voluerit. Undè S. Bernardinus ait: *Monarchiam totius promeruit & obtinuit universi*. Propheta Regius excellentiam & dignitatem, ad quam supremus plasmator Deus animatum hoc hominis lutum evexit, considerans, obstupuit dicens: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis: omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Similiter B. Laurentius Justi- *De vitæ solit. c. 6.* nianus ad hominem conversus ait: *Omnibus quæ sub cœlo sunt, prætulit te*. At verò qui hodierna die in beatissimam Virginem assumptam oculos suos defigit, illamque non solùm sub pedibus suis lunam, id est, terræ & quicquid in terra pulchrum & bonum est, verùm etiam cœli & quicquid in eo excellentiam habet, principatum & dominium habere considerat (ipsa namque hodie in cœli terræque Reginam coronari meruit) jure dicere poterit: *Omnibus quæ in cœlo sunt, prætulit te*, Guerricus Abbas ait: *In bonis filii tui fiducialiter age, tanquam Regina, mater Regis, & sponsa; requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est quod tibi debetur regnum & potestas; individuum habere tecum cupit Imperium*. Non dicit quòd Imperium illud habeat, sed quod illud habere desideret. Enimvero advertendum est, quod licèt sanctus Petrus Damianus super illa verba. *Pulchra ut luna*, dixerit: *Sicut nullum* *Serm. 2. de Nat. Virg.* *est astrum excepto sole adeo pulchrum ut luna, sic summa gloria est post Deum videre Virginem*, nihilominus ex Scriptura quoque de beata Virgine habetur, quod quandam cum sole æqualitatem habeat; dicitur enim *electa ut sol*, atque ideo sole quaque amicta fuit: *Amicta sole, id est,* *tom. 12. tract. 37.* *Christo*, ut ait Salmeron. Nec multum abindè S. Petrus Damianus circa illa verba: *Electa ut sol*, abscedit; dicit enim: *Hanc attende similitudinem, qua nulla in rebus mundi potest esse sublimior; nihil enim habuit Spiritus in visibilibus creaturis excellentius; cui excellentiam Virginis com-* *Serm. de Assumpt.* *pararet*. Imo Virgo hoc quoque planeta incomparabiliter superior extitit; non solùm quia illum quaquaversum circumdedit, & velut quoddam vestis paludamentum illum obtexit, verùm etiam quia Mater est ejus qui dicit: *Ego sum lux mundi*, propter quam matris relationem superior est filio: *Ex te enim ortus est sol justitiæ Christus* *Is. 30. 26.* *Deus noster*. Isaias de die resurrectionis universalis tractans ait: Erit *lux lunæ sicut lux Solis*; ita quoque in proposito nostro dicere possumus, B. Virginem pari cum sole æterno gloria claruisse.

3 *In capite ejus corona stellarum duodecim.* Beata Virgo solemni titulo appellatur *Regina Apostolorum*, qui veluti totidem stellæ erant, quæ illam hic in terris etiamnum viventem in hac præcipuè nocte quovis clarissimo die luminosiore, in qua ex hac vita migravit, adornabant, *Phil. 4. 1.* quibus proindè dicere potuit: *Vos estis gaudium meum & corona mea*. Salmeron ait: *Corona stellarum duodecim, id est, dignitates & prærogativa duodecim Apostolorum, quorum ipsa mater & magistra extitit post Christum*. *tom. 1. ser. 61. c. 3* Sanctus Bernardinus autem ipsam in cœlo in signum dominii coronatam esse dicit his verbis: *Posuit diadema regni super caput ejus, & voluit eam esse Reginam*. Deindè verò totam Hestheris historiam eidem beatissimæ Virgini applicat:

applicat: *Istud est diadema speciei, & corona gloriæ, qua Virgo super Angelos coronatur*; ac demum quam opulenta & præstans hæc corona fuerit, demonstrat: *Ut intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit evecta, ac plus beatissimæ Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, fruatur, quàm omnis alia creatura simul sumpta*. Adhæc si nobis de infinitis Mariæ meritis tractare esset animus, quæ veluti pretiosi diadematis sui lapides & gemmæ erant, jam textum illum ponderare possemus:
Cant. 4. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum*. Enimvero quòd opera ejus in transcendenti perfectione & charitate facta beatitudinem commeruerunt, nullam in se habet difficultatem; at vero quid mysterii in eo latet, quòd opera ejus non solùm sint paradisi fructus, sed etiam sint ipsissimus paradisus malorum, eorumque punicorum seu granatorum. Pro hujus mysterii elucidatione memorandum, quod mala granata inter alios in eo privilegiata existant, quod scilicet coronam in vertice suo gestent, unde fructum hunc aliorum fructuum Regem esse patet, qui sceptrum & dominium super alios fructus teneat. Per hanc igitur similitudinem Spiritus sanctus nobis insinuare voluit, quod omnes hujus paradisi animati Virginis fructus, omnes cogitationes, omnes affectus, omnia verba, omne suspirium, & singuli gressus quandam beatitudinis & immensæ gloriæ coronam meruerint; & hoc fortè est mysterium cur non semel, sed sæpiùs ad coronam invitetur, *veni, veni, veni*; ad denotandum, ipsam non una tantùm, sed innumerabiles coronas jure sibi promeruisse.

4 *Erat autem corona hæc corona stellarum*; ubi dicat aliquis, qua ratione S. Joannes hasce stellas veluti totidem lapides pretiosos in diademate hujus Reginæ videre pro eo tempore poterat quo sole vestita erat, cùm tamen quotidiana experientia demonstret, quod dum excessiva lux Solis compareat, omnes stellæ claritatem suam adeo amittant, ut neutiquam cognosci possint? Ad hoc quidem responderi posset, quod quando sol eclypsens deliquium patitur, tunc stellæ in nonnullis terræ regionibus in meridie videantur, adeo ut firmamentum æquè stellatum appareat, ac si mera nox esset. Undè dicere possumus, quod eo tempore, quo Deus S. Joannem hac visione dignabatur, æternus justitiæ sol eclypsatus, id est, nostra mortali humanitate contactus fuerit. Undè Hugo Cardinalis ait: *Ipsa est* (de Virgine loquitur) *in Annuntiatione eclypsans solem justitiæ*: Nihilominus probabilior est sequens responsio, scilicet quòd cùm nos supra dixerimus gloriam Matris pari passu cum filii gloria procedere, dicere consequenter oporteat hasce diadematis sui stellas pari splendore cum sole scintillasse. In supremi Regis gloriæ Christi videlicet, folio, tametsi ille verus sol sit, stellæ tamen etiam clarè videntur; de illo namque dicitur *stellato sedet folio*, cur igitur non pariter de stellis, quæ in corona virginis videntur, dicemus, verum solem stellis istis lucem auxisse potiùs quàm diminuisse, siquidem magnæ Matris suæ exaltatio ad Christi majorem gloriam redundabat. Quidnam Mariæ devotus interpres circa duodecim Mariani diadematis stellas ita discurrit, dicendo quòd veluti duodecim lapides pretiosi valoris inæstimabilis fuerint. Et quidem prima stella est visio sanctissimæ Trinitatis; undè ipsa à sanctis Patribus *complementum Trinitatis* appellatur. Secunda, est amor intensissimus, qui ab hac visione beatifica procedebat. Tertia, gaudium & lætitia, quam filium suum per omnem æternitatem brachiis suis stringendo percipit. Quarta, est omnium creaturarum in Verbo filii suo cognitio, qua videt id quod ab omnibus aliis animabus & spiritibus beatis simul videtur. Quinta, est corporis sui claritas incomprehensibilis. Sexta, est ejusdem impassibilitas. Septima, agilitas. Octava, subtilitas. Nona, exaltatio super omnes creaturas. Decima, Reginæ & Imperatricis cœlorum sublimis dignitas. Undecima, dignitas Matris Dei. Duodecima, aureola virginitatis cum maternitate conjuncta, quæ illam puriorem effecit, magisque immaculatam.

Ex profundissima B. Virginis humilitate in exaltationis ejusdem cognitionem deveniri posse, ostenditur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum. Ad Ephes. cap. 4.

1 SAnctus Paulus Apostolus indagare volens, in quantam usque altitudinem Christus in sua ad cœlos Ascensione evectus fuerit, oculos suos prius ad ejus humiliationem, & abjectionem demisit, quasi dicere voluisset, quænam alia esse potest ratio, quod Christus ad tantam sublimitatem ascendit, nisi, quia prius ad tantam se dimisit humilitatem? *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia, & descendit primum*? quousque vero descendit? usque in abyssum *inferiores partes terræ*; quid igitur mirum si super omnes cœlos ascendat. Hodie in Antiphona ad Magnificat cecinimus: Hodie Maria Virgo cœlos ascendit, cum verò scire volumus, quam altè super omnes Angelorum Hierarchias evolarit, & quantum thronum suum exaltaverit? ponderanda igitur prius est profundissima ejus humilitas? *Quæ descendit, ipsa est, & quæ ascendit super omnes cælos*. Thaleti, qui è septem sapientibus unus erat, olim impositum fuit, ut altissimæ cujusdam turris metiretur altitudinem, quod cum ei prima facie ob excessivam turris illius sublimitatem nimis videretur difficile, tandem hanc inventionem excogitavit; siquidem baculo quodam turris illius mensus est umbram, & hoc faciendo quàm alta turris illa esset, facile cognoscere potuit, non quidem quasi umbra, & multo minus baculus eminenti huic altitudini proportionaretur, sed propter Analogias, & proportiones, quæ sunt inter umbram, & virgam. Porrò Beatissimam Virginem Turrim appellari, certo nobis ex illo epitheto constat, quo illam sancta mater Ecclesia in Litaniis honorat: *Turris Davidica*, *Collum* Cant. 4.
tuum sicut turris David, & hæc quidem turris omnes quotquot suos in eam oculos defigunt, reddit attonitos; unde ubi nostra vulgata legit: *Mille clypei pendent ex ea*, Hebræus legit *ad suspendendum ora in ea*. Quis autem brevissimi intellectus sui mensura inaccessibilem illam altitudinem assequi poterit? *Excelsior cælo, & quid facies*? Sanctus Bonaventura ait: *Quis* In spec.
immensitatem Mariæ potest mensurare: cælum est Ma- c. 3
ria, terra est Maria, abyssus est Maria: quis hujus cæli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyssi profunditatem? quibusnam ingenii etiam sublimissimi alis, quis unquam supra omnes cœlos, supra omnes Hierarchias cœlestes evolare poterit, ut magnum illum thronum, ad quem Deipara hodie evecta fuit, intueatur? nulla utique mensura adinveniri poterit, quæ hujusce altitudinis mensuram majori cum securitate nobis indicet, quam profundissimæ humilitatis ipsius umbra: *Qui se humiliat, exaltabitur*, consequens ergo est, quod qua proportione quis descendit, eadem quoque magis evehatur, & consurgat in altum; negari autem nequaquam potest, quin beata Virgo præ cunctis aliis infra omnes alias creaturas sese demiserit, & humiliaverit, imo quin id magis fecerit, quam omnes aliæ creaturæ simul, ideoque super naturam non solum humanam, sed etiam Angelicam exaltata fuit in talem & tantam usque sublimitatem, ut Sanctus Ildephonsus scribat: *Qui celsitudinem ac ma-* Serm. 2. de
gnificentiam throni perscrutari non possumus, saltem the- Assumpt.
sauros ejus humilitatis perscrutemur. E quo loquendi modo deducitur, quod gloria ejus humano intellectui imperceptibilis existat, neque tamen ob id nobis desistendum est, quo minus humilitatem ejus admiremur. Nescio, an aliquando observaveritis, quod omnes illi quotquot in hac virtute benè fuere fundati, ad altissimos semper gloriæ gradus ascenderint. Sanctus Michael per humillimum quem de seipso habebat animi sensum fastum repressit Luciferi, unde Deus ipsum eminentissimo super universos Angelorum exercitus principatu honoravit. S. Patriarcha Abraham, qui Deo dicebat: *Lo-* Gen. 15.1.
quar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis, in hac quoque præsenti vita ingens æternæ illius retributionis pignus accepit: *Ego ero merces tua*, sed non sufficit hoc

Deo, ideo subjunxit, *merces magna*; nec ibi substitit, sed addidit *magna nimis*. Voluitque ut magnum illud animarum ad beatitudinem electarum depositum priusquam cœlum reseraretur Empyreum in Lymbo, qui sinus Abrahæ denominatur, depositaretur. De S. Joanne Baptista, qui ait: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, hoc habemus æternæ veritatis testimonium: *Inter natos mulierum non surrexit major; à diebus Joannis Baptistæ Regnum cœlorum vim patitur*. Sancto Petro qui dixit: *Exi a me Domine quia homo peccator sum*; consignatæ fuerunt claves Regni cœlorum; quis autem est, qui nesciat beatam Virginem super hos & omnes alios sanctos, in omni virtutum genere excelluisse, & specialiter quidem in humilitatis virtute adeo eidem propria? Sanctus Bernardinus ait: *Sicut nulla post filium Dei creatura tantam ascendit in gratia dignitatem sic nec tantum descendit in abyssum humilitatis profunda*. Experientia docet, aquam elementum quoddam esse, quod tendit deorsum, infimumque semper locum eligit, & amat, ideoque symbolum est humilitatis; clarum siquidem est, quod quanto profundius aqua descendit, tanto quoque altius ascendat, postquam in aquæ ductibus refringitur, & coercetur. Quidnam verò per hanc similitudinem inferre intendo? nimirum quod si scire volumus, quantum Maria ascenderit, intelligendum nobis prius sit, quantum se demiserit, & humiliaverit. Unde Sanctus Augustinus ait: *Confluit aqua ad humilitatem convallis*. Similiter expositor quidam modernus in cap. 8. Canticorum, dicit: *Quanto vallis est profundior, tanto est capacior, & aqua copiosior, quæ ergo plusquam omnes se demisit, plusquam omnes delitiis affluxit*.

To. 1. ser. 51. ar. 1. c. 3.

Ser. 27. de verb. Do.

Ludov. à Pont. in c. 19. 5.

2 *Ascendis quia & descendit*. Quodsi oculos nostros sursum ad amplissimas cœlorum sphæras erigentes, de iisdem per Astronomiæ præcepta discurramus, inveniemus utique unicam tantum firmamenti stellam centies & sexagies universa terra majorem esse: *Numera stellas, si potes*; deinde vero oculos in solis omniumque Planetarum vastitatem conjicite, & invenietis, quod hæc astra per influentias & motus suos optimè regulatos continuo volvantur & revolvantur ob hunc solum finem, ut terræ benefaciant, in illiusque commodum & utilitatem deserviant, cum tamen hæc in universa hac magna mundi machina sit instar puncti, & velut atomus quidam, omniumque elementorum infima. Undè hæc certo quodam modo gloriari potest, se in suum obsequium habere omnes cœlos. Ecce igitur quam sit verum, quod Deipara tunc cum se in profundissimum humilitatis suæ abyssum demisit, ancillam se appellando: *Ecce ancilla Domini* ad altissimam matrix Dei dignitatem electa fuerit, tunc quoque omnes cœlos obsequiosos experta est & reverentes, tunc etiam viscerum ipsius hospitium Deus ille ingressus est *quem cœli capere non possunt*; tunc denique collatum est ei cœli terræque Imperium. Sanctus Ildephonsus in serm. de hoc festo, qui est secundus in ordine, verba illa: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*; considerans ait: *Virgo solam sibi vendicat humilitatem ancillæ, quæ mater Salvatoris ab Angelis veneratur, nec tamen eandem humilitatem a se aliquid esse dixit, sed quia Altissimus eam respexit, & acceptam sibi fecit*, ideo exaltata fuit, inquit Sanctus: *Ideo beatam me dicent omnes generationes, de quo hodie totus testis est mundus*. Sanctus Bernardus quoque Assumptionem huic eidem virtuti adscribit, dum ita ait: *Nunquam super omnes Angelos glorificata ascendisses, nisi prius infra omnes homines humiliata descendisses*. Olim à nonnemine hoc motum est dubium, quid vel quale illud esset, quod unum idemque existens uno eodemque tempore omnium esset maximum, & omnium minimum? aliqui Solem esse dicebant, qui aspectui nostro adeo parvus esse videtur, cum tamen centies, & sexagies magnitudine sua universam terræ molem excedat: Alii dicebant esse stellam, quæ parvula quædam ignis scintilla esse videtur, & tamen longè vastior est Sole. Non defuerunt, qui existimarent illud esse oculi alicujus pupillam, hæc enim simul est, quid maximum & quid minimum; cum enim velut punctum quoddam indivisibile existat, ad multa tamen milliaria imo ad milliones milliarium conspiciendos, & usque ad cœlum stellarum extenditur. Alii vero responderunt objectum istud esse intellectum humanum, hic namque adeo est tenuis & parvus, ut videri non possit, purusque est spiritus, & tamen non solum ad universum hunc mundum visibilem, sed etiam ad invisibilem extenditur, imo ad mille nos alios mundos, si tot divina omnipotentia creare vellet; at vero cur id non potius de anima dici posset, quæ ultra intellectum duas quoque alias potentias in se complectitur; *& est tota in toto, & tota in qualibet parte*: ac verò si ego hodie rogarer, ut meam hac de re sententiam edicerem, resolutissimè responderem, minimum & infimum quod unquam in rebus creatis fuit, & simul maximum esse Mariæ humilitatem. Unde ubi nostra vulgata legit, *respexit humilitatem meam*, alii legunt *nihilitatem meam*; hæc enim maximum quid fuit, quod nunquam cœlum vel terra vidit, quia *fecit potentiam in brachio suo*, hæc Deum illum in se recludit, qui de immensitate sua dicit: *Cœlum & terram ego impleo*. Unde S. Bernardus scribit, quod *Humilitate concepit*; hæc autem ejus nihileitas ad maternitatem Dei evecta est, quod est maximum, quod post Deum quis sibi imaginari potest. Porrò nescio, an exaggeratio quædam an vero veritas sit, quod S. Bernardinus scribit, tractans de Rege Salomone quando ad matrem suam debito honore & veneratione afficiendam de throno descendit, seque coram illa ad terram usque inclinavit, ac demum ipsam ad dexteram throni sui sedere jussit, ostendenique qualiter in hoc honores illi & obsequia præfigurata fuerint, quæ Dei filius Mariæ matri suæ erat exhibiturus: dicit quod coram illa se inclinarit *reverentia filiali*; & tametsi hic ejus filius eidem ille sit, ad cujus nomen pronuntiatum *omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & infernorum*, attamen præfatus sanctus velut ex ore Christi loquens dicit: *Volo eam merito adorare, quia adorandam efficit meritum humilitatis*. Quis alium filium Dei in terram protraxit, præterquam humilitas matris suæ? audite qualiter idipsum S. Antoninus per sequentia verba declaret: *Dum esset Rex in accubitu suo Nardus mea dedit odorem suavitatis; id est, in requie sua quasi dormire videretur, & non curare de salute humana, omnes enim ad inferos descendebant? nardus mea dedit odorem suum. Nardus herba parva est, & significat beatam Virginem humilem, quæ maximè dedit odorem suæ humilitatis, quando dixit: Ecce ancilla Domini, qui odor usque ad cœlum ascendit, & in cœlo accumbentem quasi evigilare fecit, & in utero suo requiescere*. Hæc quoque fuit parvulæ illius virgulæ fragrantia, *quæ ascendit de deserto ex aromatibus*, siquidem eadem illa humilitas hodie filium ejus in terram protraxit, ut eam in hoc Assumptionis suæ triumpho exciperet, & venerabundo obsequio eidem occurreret. Sanctus Ildephonsus ait: *Ideo Christus humilis ad humilem virginem venit, ut de tam profunda humilitate triumphum erigeret salutis, & exaltaret eam, ut cantavimus etiam super choros Angelorum*. Sanctus Lucas qui multas beatissimæ Virginis Imagines depinxit in cap. 1. Actuum Apostolicorum, Apostolos enumerat, multarumque sanctarum mulierum mentionem facit, quæ ibidem in cœnaculo Sionitico congregatæ erant; Matrem vero Dei ultimo loco recenset, id quod S. Bernardus notans dixit: *Merito super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra illam etiam de qua septem Dæmonia ejecta fuerant, ineffabili sese mansuetudine inclinabat*.

D. precat. ad Virg.

Serm 4. de Assumpt.

Part. 4. tit. 1. cap. 21.

Serm 3. de Assumpt.

Serm 3 de Assumpt.

Ideo beata Virgo sibi in tam eminenti gradu gloriam acquisivit, quia virtutes suas in gradu heroico semper exercuit.

DISCURSUS OCTAVUS.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii? Cant. cap. 3. vers. 6.

1. Assumptio magnæ matris Dei in cœlum non solum ab eminentissima matris Dei dignitate, & à cœlestibus donorum gratiarumque thesauris, quibus liberalissima manu locupletata fuit, verum etiam & præcipuè quidem à meritis, quæ ipsa per amoris, charitatis, omniumque aliarum virtutum intensissimos actus sibi comparavit, suam est sortita excellentiam & dignitatem, & ideo

sancta

sancta mater Ecclesia de ea canit: *Quæ est ista, quæ ascendit*, sed quomodo? *Per desertum sicut virgula fumi, &c.* Et hæc quoque causa est, cur hodie illud in Ecclesia legatur Evangelium, in quo duarum sororum Marthæ & Magdalenæ sit mentio, quarum una activæ, alia vero contemplativæ vitæ dedita fuit, ut hinc intelligamus, quod cum ipsa in utraque vita optimè exercitata fuerit, ad dexteram filii sui meruerit exaltari, adeò, quod in cœlo Empyreo *optimam partem elegit*.

2 *Quæ est ista, quæ ascendit*. De beatissima Virgine scribitur, quod cum à parentibus suis etiamnum trimula existens, in templo veluti Divino cultui & ministerio sacro in perpetuum dedicata, præsentaretur; ipsa cum omnium astantium ingenti stupore in hac infantili ætate quindecim templi gradus expeditè, & properanter ascenderit, è quo velut è prognostico satis cognosci poterat, ipsam, ubi ei ad maturiores pertingere annos daretur, omnium virtutum semitam in gradu valdè perfectu magnis passibus decursuram esse, ac proinde S. Ambrosius scribit: *Incessu, affectuque ita fuit venerabilis, ut non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret*, adeoque in omni gressu quem faciebat, pietatis & perfectionis vestigia post se impressa relinquebat; ac proinde luna, quæ in signum sanctitatis sanctorum capitibus circumponitur, beatissimæ Virginis sacratis pedibus substernitur.

Lib. 2 de Virg.

3 *Ascendis per desertum*. Beatæ Virginis in cœlos ascensus à solitudine cœpit, quia solitarios semper amavit recessus, & quando ei licebat, ab omnium oculis se abscondebat. Unde sanctus Ambrosius virginibus puritatem suam illæsam conservare satagentibus, Deiparæ exemplum incitandum proposuit, dicens: *Discite virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones*, nullus visus est unquam solitarius recessus secretior, nullus modestior, quam solitudo ipsius, adeo ut etiam ad Angelorum apparitionem turbata fuerit.

Lib. 2. in Luc.

4 *Ascendit sicut virgula fumi*. In hoc diminutivo virgulæ nomine profundissima ejus humilitas exprimitur, sicut in fumo, qui ignis effectus est, ardentissima ejus charitas; sicut enim ad hoc ut quis incensi aliorumque similium aromatum fragrantiam persentiscat, ea incendere oportet, eodem quoque modo flamma in ejus corde ardentis amoris, omnibus aliis virtutibus ipsius suavissimam odoris fragrantiam adjecit: *ex aromatibus myrrha, & thuris* hæc odorum suavitas ascendis. Porrò per myrrham actus mortificationis, & patientiæ intelliguntur, libens enim compassionem teaerrimam, qua erga filii passionem afficiebatur juxta illud: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*, hoc loco dissimulo: Beatissima Virgo sanctæ Birgittæ unum ex mysteriis, ob quæ Filius ejus ipsam post suam in cœlos ascensionem aliquanto tempore post se in terris reliquit, hisce verbis dignata fuit revelare: *Hoc voluit Deus ut visa patientia mea, & moribus meis plures animæ converterentur ad eum, Apostoli Dei, & alii electi roborarentur; omni tempore quo post ascensionem filii mei vixi, visitavi loca, in quibus ipse passus est, sic quoque passio sua in corde meo fixa erat, quod sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoria mea.* Uno verbo quoad passiones ejus dicere sufficiat, quod non sine causa glorioso hoc epitheto honoretur, Regina Martyrum, utpote cujus passiones acerbiores fuerunt, quam omnia tormenta Martyrum simul juncta; neque solum odor ille *ex aromatibus myrrha* oriri dicitur, sed etiam *thuris*; per incensum enim oratio & stricta cum Deo unio intelligitur, cumque hæc definiatur, quod sit *elevatio mentis in Deum*, ipsa non mentem duntaxat, sed etiam corpus suum cum Deo unitum habebat, siquidem postquam sacrosanctam ejus humanitatem illi communicaverat, ab eo se divelli nunquam patiebatur: *Innixa super dilectum suum*.

Lib. 2. cap. 61.

5 *Et universi pulveris pigmentarii*. S. Bernardus ait: *Quidni delitias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis?* Ecce tibi odoriferam horum aromatum fragrantiam, *humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, & prærogativam gloriæ singularis*. Observanda quoque est alia quædam revelatio, quam beata Virgo sanctæ Elisabethæ communicavit, quam Bonaventura hisce fere verbis refert: *Nullam gratiam vel virtutem habui à Deo sine magno labore, sine continua oratione, & ardenti desiderio, profunda devotione, multis lachrymis, & multa afflictione dicendo & cogitando semper placita illi, sicut sciebam & poteram, excepta sanctificationis gratia, qua sanctificata fui in utero matris*. E qua revelatione tale ad propositum nostrum formare possumus argumentum: Quod si Mater Dei, ut sibi in cœlum aditus pateat, innumerabiles & inæstimabiles secum defert thesauros virtutum sanctorumque operum, qualis igitur hominis è luto formati, & terræ vermiculi præsumptio, si sine virtuosorum operum meritis, profundum quendam dormiendo lethargum, propriamque salutem negligendo ad eandem beatitudinem se perventurum esse confidat: *Præcessit Regina nostra, præcessit* (sunt verba S. Bernardi) *& tam gloriose suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus*. Verùm enimverò qua ratione nos post ipsam venturos esse sperare volumus? quando non sequimur semitas & vestigia ejus? Illa quæ est porta Paradisi & mater Dei meritis & heroicis virtutibus suis mediantibus sibi comparavit cœlum, & nos illud nobis acquisituros esse confidemus, dum otiosi & pigri sumus? Variis in factis in sacra Scriptura commemoratis Assumptionem beatissimæ Virginis præfiguratam fuisse invenio, & quidem specialissimè, ut vidimus, in ingressu Reginæ Saba in urbem Jerosolymitanam ad videndum Regem Salomonem, qui eandem quoque tanta cum magnificentia excepit: Inter cætera verò de Regina illa dicitur: *Non sunt allata ultra tam multa aromata; omnia autem in figura contingebant*: Per hoc namque denotabatur, quod cœlorum Regina in supernam Jerusalem, vero Salomone filio ejus ei occurrente, ingressa tantos secum aromatum thesauros attulerit, ut similes nunquam in cœlum allati fuerint, id est, tot virtutum ab ea quoad vixit exercitarum meritis cumulata cœlos adiverit, ut non solum nunquam eo ingressura sit anima aliqua beata adeo opulenta, verum etiam ut ne quidem omnes animæ beatæ simul junctæ tanta sibi comparaturi sint merita, quanta ipsa sola sibi acquisivit; nam ut ipsamet ait: *In plenitudine Sanctorum detentio mea*. Quidnam obsecro per vestitum illum Deus innuere voluit, de quo in Psalmo scribitur: *In vestitu deaurato, circumdata varietate?* Audite sanctum Petrum Damianum, qui verba illa ita exponit, *distinctam multiplicationem virtutum*. Num fortè aliquando invitationem illam observatis, quæ ei in hoc triumphali die, in quo in Paradisi Imperatricem coronata fuit, obtigit? *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*. Ecce quales sint gemmæ quæ ejus diadema distinguentes exornant: ecce inæstimabilis pretii lapides, neque enim solùm ipsam coronandam esse dicit, verum etiam quales in ejus regio diademate gemmæ futuræ sint, exprimit: *Veni de Libano castitatis candore ad cœli gaudia* (ita quidam interpres explicat) *veni de Libano, scilicet candore vitæ nimie exaltanda in supernorum civium triclinio; coronaberis de monte Amana, hoc est, recipies coronam de triumpho, quam promeruisti de Diabolo, qui est mons Amana*, adeoque sacratissima Virgo prius vicit & pugnavit, prius coronam sibi comparavit, & inimicos subegit, quam triumpharet. Magnificus ille thronus Salomonis habitus semper est tanquam celeberrima Mariæ figura. *Veni electa mea*, inquit verus Salomon, *& ponam te in thronum meum*. De hoc throno ob eam quam præfigurabat, merito dictum fuit: *Non est factum tale opus in universis regnis*. Undè & sanctus Bonaventura ait: *Vas admirabile opus excelsi, verè opus mirabile, quia nunquam invenitur simile, nec factum est tale opus in universis regnis*. Quodnam verò in eo latet mysterium, quod thronus ille à duabus manibus sustentatus fuerit? Per hoc nobis innuitur, quod manus, id est, opera ejus ipsam eousque evexerunt, ut thronus Dei fieret. S. Petrus Damianus ait: *Duæ manus activam, & contemplativam vitam significant*. Enimverò quis est, qui dubitat, quin per mulierem illam fortem à Sapiente quondam delineatam Maria intelligatur? De hac autem ita scribitur: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus*. Ex quo colligitur, quod illam non solùm dona, & gratiæ, ac specialissima ei exhibita privilegia ad tantam evexerint gloriam, sed potius virtutes, labores, passiones, omnesque alii actus heroici in supremo gradu Christianæ perfectionis. Quod etiam

In medit. vitæ Christi c. 3.

Mansi Prompt.

Serm. 1 de Assumpt.

Ser. de Assumpt.

Cant. 4. 8.

Hon.

3 Reg. 10

In Opusc. Virg. c. 7.

Serm. 1 de Nat. Mar.

Prov. cap. ultim.

Serm. 2. de Assumpt.

S. Ildephonsus docere voluit, si ejus loquendi modus benè observetur, dicit enim in serm. de hoc festo: *Sicut est incomparabile quod gessit* (ubi benè notandum, quod prius opera ponat) *& ineffabile quod præcepit, ita est incomprehensibile gloriæ præmium quod meruit*. Meministis utique, quid acciderit quando Arca Dei, quam Israelitæ è Philisthæorum potestate recuperaverant, in Bethsames, quod idem est quod *Civitas Solis* delata fuit. Hæc autem arca symbolum erat illius quam Ecclesia hoc titulo · *Fœderis arca* veneratur, fuit liberata seu recuperata à sepulchro communi omnium nostrum supplicio, quia in anima, & corpore gloriosa resurrexit, & in Civitatem Solis transportata fuit. Porrò circa hoc institui potest in ejus honorem curiosa quædam, & devota observatio scilicet quod eo præcipuè tempore assumpta fuerit, quo Sol est in Virgine ad aspectum Leonis & Libræ. Scitisne causam, ob quam ita factum sit? Existimo id à Deo sic ordinatum fuisse, ad denotandum ipsam non solum exaltatam, & glorificatam fuisse, quia Mater fuit Christi Leonis de tribu Juda, verum etiam quia ponderata sunt immensa, & infinita perfectissimorum suorum operum merita, idque non

Serm. 1. de Assumpt.

pondere communi, sed pondere sanctuarii. *Fuisti diversorum peregrinationis*, inquit Guerricus, *eris palatium regnantis solium triumphantis*.

6 Qualem putatis à Salvatore instituendum esse examen, quando in novissimo judicii die ad operum suorum præmium vocaturus est electos? *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*, sed quo titulo illud possidebunt? quo merito? *Esurivi & dedistis mihi manducare, hospes eram, & collegistis me, &c.* Quis autem idipsum Maria perfectius ad literam adimplevit, quæ ipsum lacte suo aluit, pane sudoribus suis, ut ita dicam, pisto nutrivit, hospitium quoque illi dedit non solum per novem menses in utero suo, verum etiam deinceps longo satis tempore in pauperculo suo Nazarethano tugurio. Sanctus Bernardinus ipsam erga dilectum filium suum omnia septem opera misericordiæ exercuisse optimè declarat, dum ait; Alii pauperem lana pecorina vestiunt; *ipsa verò induit suum*

Serm. 51. tom. 2.

ditiorem filium de purissimis sanguinibus, & de corpore suo. Alii pane quotidiano, & usuali satiant pauperem, ipsa verò filium suum lacte nutrivit. Alii pauperem in suum suscipiunt tugurium, ipsa verò eum suscepit intra uterum suum virginem, *cui in terris peregrinanti facta est hospitium*. Alii ex amore Dei infirmos visitant, eisque inserviunt, *sed Maria ipsi Jesu Deo in paupercul o corpore infirmato officiosissimè ministravit*. Alii summa cùm compassione in carceribus vinctos visitant, sepeliuntque vita defunctos: *Maria vero Jesu pro nobis capto, ac dura carceratione ligno Crucis affixo, & vulneribus dilaniato, compassa est, & mortuum sepulturæ adduci curavit*. Cum igitur ipsa hisce misericordiæ operibus adeo graviter erga filium suum impendendis dedita fuerit, quis dubitat, quin sicut aliis propter hæc merita dicetur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*, ita quoque ipsa ob eadem misericordiæ opera ipsimet Jesu filio suo impensa immenso quodam præmio donata fuerit, utique magnificentissimus et thronus præparatus fuit, quæ *benedicta est in mulieribus, & benedictus fructus ventris sui*, quæque beati illius regni non porta tantum, sed & augustissima Imperatrix esse meruit.

Tametsi beatissima Virgo in cœlos assumpta fuerit, ob id tamen nobis hìc in terra constitutis majoribus auxiliis succurrere non desinit.

DISCURSUS NONUS.

Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi ut me adjuvet. Lucæ cap. 10.

Serm. 5. de Purificat.

1 SAnctus Doctor Angelicus illum solùm ab obligatione laudum beatæ Virgini dicendarum immunem esse pronuntiat, qui nulla ab ipsa beneficia aut gratias accepisse meminit; at verò quænam uspiam anima creata inveniri poterit, quæ hoc penes ipsam laudum dicendarum non contraxit? *Ille taceat tuas laudes Virgo, qui te in suis necessitatibus invocatam defuisse senserit*. Sancta Ecclesia Christi dilectissima sponsa, quæ sanctissimam Virginem quoadusque hic in terris nobiscum vixit, in gradu sororis semper agnovit, dum illam hodie non jam amplius ad pedes, sed ad dexteram Christi considentem videt, ex alia verò parte se viduam, orphanam, & ministerio, quod divino sponso suo exhibet, solam relictam esse cognoscit, ad Christum conversa sanctè de hoc quodammodo conqueri, & lamentari videtur, dicendo: *Domine non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet*. Verùm enimverò hoc Ecclesia in Assumptione Mariæ, seu in ejus ex hac lachrymarum valle discessu solatium habet, quod efficaci suo patrocinio magis quam alias unquam nobis è cœlo assistat; cujus in quadam oratione Missæ, seu secreta clarum habemus testimonium, quia ita ibi dicitur: Quam *etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis intercedere sentiamus?* Andreas Cretensis Episcopus Hierosolymitanus ait: *Placa Dominum pro communi figmento, nam quamdiu quidem versabaris in terris, te habuit parva terræ portio: ex quo autem translata es è terra, te universus mundus continet commune propitiatorium*. De ascendente ejus filio scribitur: *Ascendens in altum dedit dona hominibus*; eodem quoque modo, inquit sanctus Bernardus: *Ascendens in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus*; Dispensat enim mortalibus è cœlo cœlestis ærarii inæstimabiles thesauros, super quos ipsa à filio suo in thesaurariam electa fuit, Eruditissimus Idiota in quibusdam suis circa Virginem contemplationibus ita scribit: *Trahe me post te, sicut enim nemo venit ad tuum filium, nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctis subsidiis traxeris eum; trahe igitur me torpentem, ut me reddas currentem; trahe me peccantem: ut me reddas pœnitentem; trahe me ignorantem, ut me reddas scientem, ut curram in odorem unguentorum tuorum, id est, in fragrantia sanctarum virtutum tuarum*. Ecce tibi fructus Assumptionis ejus erga nos; Non igitur ei dicere possumus: Non est tibi curæ, cura ardua salutis nostræ negotia, siquidem ipsa in Paradiso ad nihil majori cum instantia invigilat; unde sanctus Germanus ait: *Omnium saluti invigilas, nemoque reperitur, qui ad tuæ solicitudinis partem non pertineat*. Ex quo beatissima Virgo in cœlos assumpta est, hoc habemus singulare solatium: quod sicut quo eminentior turris est, in qua vigil seu custos ad inimicum detegendum residet, tanto magis ipsum à longinquo venientem conspicit, & providet, quicquid occurrit; ita quoque beata Virgo Maria in cœlorum supremo vertice collocata, majori cum vigilantia & studio, saluti nostræ ejusque securitati providet. Sanctus Bonaventura ait: *Magna erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo, sed multo major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in cœlo*. Et quidem ratio quam ad id probandum adfert, valde convincit, & hactenus dicta confirmat: *Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabiles hominum miserias*. Neque enim solùm videt nostras miserias, sed & providet iis, eisque patrocinio suo assistit. Unde ipsam hisce verbis invocare solemus: *Spes nostra salve, ad te clamamus, ad te suspiramus; Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte*; Ejus etenim oculi, licet ipsa ad sublimissimum supremæ majestatis thronum assumpta sit, erga nos magis quam unquam benigni esse noscuntur; *Oculi tui columbarum*, id est, humiles, modesti, & eosdem humilitatis, compassionis & charitatis erga nos sensus etiamnum in cœlis constituta retinet. Unde sanctus Petrus Damianus ait: *Nunquid quia ita Deificata, ideo nostræ humilitatis oblita? nequaquam Domina, quia etsi subtrahit gloria, revocat natura nempe Deificata; non enim ita Deificata memoraris justitiæ Dei solius, at misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis*. Beatæ Virgini adaptamus, ut supra diximus, omnia increatæ Sapientiæ encomia. De hac autem scribitur; *& æqualiter cura est illi de omnibus*. In Græco le-

Orat. 1 de Virg. — Serm. 2. de dormit. Virg. — In spec. Virg. c. 8. — Cat. 4. 19 — Serm. 1 de Nat. Virg.

co legitur; *Pariter aut similiter*. Albertus Magnus legit: *Est illi cura de omnibus*; adeo ut in tanta Majestate ad dexteram filii residens non contemnat pauperculos suos clientes, omnesque alios sibi devotos, quaotumvis illi infimi & vilissimi sint. Opiimum sanctus Bonaventura modum nos docet, quo huic sublimi Reginæ supplicationes nostras confidenter porrigere valeamus, dicens; *Obsecrare possumus Mariam, sic Abraham obsecravit Saram; Dic: Obsecro te, quod soror mea sis, ut bene mihi sit propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. O Virgo Maria, O Sara nostra, dic quod sis soror nostra, ut propter te bene sit nobis a Deo, & ob gratiam tuam vivant anima nostra in Deo, ut propter talem sororem, Ægyptii, id est, Dæmones nos revereantur*. Enimvero quam differentem longeque diversam indolem beata Virgo ab aliis hominibus habeat, qui ad summa dignitatum vestigia evecti & exaltati amicorum, & cognatorum pauperum protinus obliviscuntur, ex dicto quodam S. Anselmi satis cognosci potest, in quo ait: *An ideo, utrum pereamus, non curabis, quia quicquid de nobis miseris ulera eveniat, gloria tua jactura nulla inde eveniet*; respondet autem Sanctus hoc infallibiliter futurum fuisse, si beata Virgo solum per recognitionem & præmium meritorum suorum in matrem Dei electa, & in throno illo adeo sublimata fuisset: *Si pro tui solius exaltatione & utilitate mater Dei facta fuisses, sed utique Deus, qui hominem assumpsit, hoc fecit pro tua & nostri omnium salute*.

Sap. 6. 8.
Super missus est.
In spec. c. 6
De excell. Virg. c. 11.

a Salvator noster Apostolos ob proximè instantem suum ab illis in cœlos recessum omninò mœstos esse animadvertens, eosdem hisce verbis est consolatus: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*; Idem quoque beatissima Virgo Maria devotis suis, quos in hac lachrymarum valle post se reliquit, dicere videtur: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad filium*; siquidem non tam propter meam, quam propter vestram exaltationem; non tam in meum, quam in vestrum commodum & beneficium in cælos assumpta fui. Arnoldus Carnotensis ait: *Securum accessum jam homo habet ad Deum, ubi mediatorem causa sua filium habet ante Patrem, & ante filium matrem*. Ecce tibi utilitatem & commodum, quod per ejus in celestem curiam Assumptionem consecuti sumus. Sanctus Anselmus ad eam conversus, confidenter ei dicit: *Sic te Deus hodie exaltavit, ut omnia secum possibilia etiam donaverit*. Idem quoque Arnoldus scribit, dum ait: *Dividunt ceram Patre inter se mater & filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humana negotium*. Hoc autem valde considerabile commodum in Maria habemus, quòd ipsa, dum causæ nostræ patrocinatur apud Filium suum, cui à Patre plena, & absoluta delegata est judicandi potestas: *Pater omne judicium dedit Filio*; apud eundem judicem verè omnipotens dici possit. Hujus efficacissimæ intercessionis Marianæ figuram habemus 3. Regum cap. 2. quando Rex Salomon Reginæ matri suæ dixit: *Pete mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem tuam*. Audite S. Bernardum: *Opus est*, inquit, *mediatore ad mediatorem istum*, scilicet Christum. Quis autem apud hunc mediator erit, ut is se pro nobis apud æternum Patrem interponat? *Nec alter nobis utilior, quàm Maria*. Rationem hujus in alio quodam sermone assignat dicens: *Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater*. S. Antoninus nobis Marianæ intercessionis efficaciam hisce verbis repræsentat: *Nam filius non tantum tenetur audire matrem, sed etiam obedire*. In Isaia scribitur: *Nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Id quod mihi etiam de eo filio dici posse videtur, qui tot & tanta ab hac matre obsequia recepit; nam qua ratione fieri potest, ut talis sibi persuadeat, quòd talis & tam pia mater filii sui preces aspernatura sit, & non potiùs ad votum talis filii adimpletura? Superiùs de Assumptione beatæ Virginis illam S. Joannis visionem interpretati sumus: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*. Habent hi planetæ benignam quandam dispositionem æqualiter tam in malos quàm in bonos influendi: *Solem suum oriri facit super bonos, & malos*. Beatissima Virgo pariter tam justis quàm peccatoribus benefica est; hisce tamen eo potissimum fine patrocinatur, ut eosdem lucretur & inducat ad pœnitentiam. Undè S. Bernardus ait: *Omnibus se exorabilem præbet, omnium ne-*

Joan. 14. 28
To. 1. Bibl. PP. de lau. Virg.
De laud. Virg. c. 12.
In serm. de verb. Ap.
Ser. de nat. part. 4. tit. 15. c. 17. §. 4. Isa. 49.

cessitatibus amplissimo quodam miseratur affectu; id verò, quod potissimum ad præsens propositum nostrum facit, id est, quod visa fuerit *Luna sub pedibus ejus*. Macrobius de hoc planeta scribit; *Claritate sui & velocitate nobilior est*. Luna enim inter omnia astra ad influendum in hæc inferiora velocior est; undè fit quod præ cunctis aliis gyrum suum absolvat: *Equitans cœlum in auxilium eum*. Nunquid igitur Luna meritò sub Virginis pedibus poni videtur; siquidem ipsa præ quovis alio Sancto in auxilium & beneficium nostrum promptior, velocior & solicitior extitit? *Luna sub ejus pedibus* reponitur, quasi eidem calceorum loco deservitura: ad denotandum, quàm ipsa ad benefaciendum nobis, ad intercedendum & invocandum in causa nostra expeditè currat, & acceleret: *Equitat cœlum in auxilium nostrum*. Quonam mysterio Spiritus sanctus de ipsa in Canticis dicit: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ?* Dicunt naturales Philosophi de capra, quod acuto visu prædita sit, adeo ut loca etiam magis recondita penetret: undè Spiritus sanctus beatissimam Virginem laudare volens dicere velle videtur, quod ejus auxilia etiam se ad occultissimas necessitates & miserias extendat. S. Bonaventura de ipsa hodie assumpta ita scribit: *Quò melius nunc videt nostras calamitates, eò indulgentius providet*; adjiciamus nos: Eò velocius: siquidem insuper hoc habet, quòd velox sit; undè ipsa in eisdem Canticis, ut dilecto suo par pari referat, eundem quoad velocitatem & solicitudinem, qua Ecclesiæ prosperitatibus prospicit, capræ in montium præruptis currenti assimilat dicens: *Ecce iste venit saliens in montibus similis est dilectus meus capræ*. Ubera verò pietatis & compassionis symbolum esse dicuntur. Undè Richardus de Sancto Victore ait: *Duo ubera sicut hinnuli capra adeò pietate replentur, ut alicujus miseria notitia tacta lac fundant misericordia, nec possis miserias scire, & non subvenire*. Porrò hanc suam compassionem in nuptiis in Cana Galilææ habitis, necnon in solicita & veloci vini provisione, quod ad confusionem sponsorum deficere incipiebat, sufficienter demonstravit. Undè Dionysius Carthusianus ait: *Etsi illorum corporali inopia condolebat & succurrebat etiam non rogata, quanto magis nostra spirituali indigentia compatietur, auxiliumque præbebit si fuerit fideliter invocata?* Etenim tametsi divina illa lux ab hac nostra lachrymarum valle super empyrei cœli horizontem hodie exaltata fuerit, nihilominus *non est qui se abscondat à calore ejus. Longè positos*, inquit Idiota, *illuminat radiis misericordia sua, & non est qui se abscondat a calore ejus; sibi autem propinquos per spiritualem devotionem accendit*. Jam supra Mariam Virginem per thronum Salomonis symbolizari diximus; de hoc autem throno in sacris Canticis ita scribitur. *Reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constravit*; at vero in cujus utilitatem hoc fecit? *Propter filias Jerusalem*. Ubi S. Bonaventura ait. *Quis dubitare poterit omninò in charitatis affectionem transisse viscera Maria propter filias Jerusalem*. Leo Sextus Imperator condictus Sapiens, de Assumptione B. Virginis ita scribit: *De terris ad cœlos transvecta scala facta est mortalibus, qua ad cœlos scandant*; sed cur non potiùs ei titulum viæ lacteæ attribuit, quæ nos ad paradisum conducat? vel cur non vocat eam Portam Paradisi, vel alio aliquo nobiliori epitheto eam condecorat? Notandum est igitur quod scala per unam extremitatem suam terram contingat, per aliam vero illam partem, cui innititur, tangat, adeoque hic titulus, quo B. Virgo scala cęli nominatur, in ejus Assumptione valdè mysticus est, nobisque insinuat, quod tametsi de terra in cęlos assumpta fuerit, uno tamen pede terram etiamnum contingat, id est, non propter hoc necessitatibus succurrere, & prospicere non desistat: *Moratur in his etiam terrenis, & circuit, & magis jam ubique adest animatum illud cœlum; omnium similiter curam gerens*. Andreas Cretensis quoque scribit: *Ecce scala quam vidit Jacob, in qua vidit Angelos Dei ascendentes & descendentes, hæc est porta cœlorum*. Magna igitur cum fiducia hodierno die ad ejus patrocinium recurrere possumus, utendo illis verbis, quibus Mardochæus Esther Reginam rogavit, ut preces suas apud Regem Assuerum pro populi liberatione interponeret: *Quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris*. Porrò hæc Regina in magnifico throno majestatis residens describitur: *Circumdata gloria sua assumpsit*

lib. de som. lib. 1. c. 18.
Cant. 4.
In spec. c. 8
Cant. 2. 8.
In cap. 2.
Cant. 3. 9.
In Spec. cap. 14.
Hom. 6. de Assumpt.
Cap. 4. de dor. Deip.
Esther 4.
Esth. 15. 4.

duas famulas, & super unam quidem innitebatur quasi præ deliciis, altera autem sequebatur Dominam defluentia in humum vestimenta sustentans. Ubi S. Bonaventura ita scribit. (In Spec.) *Duæ famulæ, quarum Domina est Regina Maria, sunt angelica & humana creatura. Humana est famula illa, quæ sequitur Dominam suam in mundo, colligens vestimenta Dominæ, hoc est, virtutes & exempla Mariæ: Angelica verò est illa altera, super quam innititur in cælo, se sociando ac deliciando cum Angelis; innititur insuper, tanquam potentissima Angelis imperando.*

De profectu, & emolumentis, quibus per intercessionem beatissimæ Virginis in cœlos assumptæ gaudemus.

DISCURSUS DECIMUS.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato.
Psalm. 44. vers. 10.

1 Fieri quidem nequit quod Reginam, & Imperatricem cœlorum hodie tanta eum gloria, & majestate adeo sublimi assumptam fuisse sine maxima admiratione audieritis, veruntamen nescio quomodo cum hac tanta gloria consistat, quod Propheta regius in verbis assumpti thematis de illa dicit. Is namque veluti in pedes toto corpore erectam, & coram throno Dei stantem illam nobis repræsentat. *Astitit Regina.* Ex quo Beata Virgo filio suo in Ascensione sua adeo similis fuit; de hoc autem jam in cœlos evecto dicatur: *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei*; cur igitur Propheta regius de ea canit: *Astitit*? cur non potius dicit: Sedet à dextris tuis? Enimvero cessabit omnis admiratio, si mysterium hujus verbi *Astitit* benè consideretur: non enim accipiendum est in eo sensu, quo in Tobia & aliis sacræ Scripturæ locis Angeli dicuntur ante thronum Dei reverenter tanquam servi, & ministri, & obsequiosissimi aulici assistere: (Tob. 12. 5.) *Ego sum Raphael Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum*; nequaquam, inquit Richardus à S. Laurentio, hoc sensu assistere accipiendum est; sed potiùs *Astare auxiliantis est*. S. Lucas visionem, quam S. Stephanus de Redemptore nostro habuit, nobis describens, dicit, quod S. Stephanus Christum viderit se è cœlo aspicientem, scilicet ad ipsum animandum pro martyrio constanter obeundo: *Vidit autem Jesum stantem à dextris Dei.* (Act. Ap. 6.) Quintus Curtius refert, quod olim Advocati, quando aliquem è suis clientibus in causa aliqua gravissima advocando defensuri erant, se ad dexteram clientis collocare, ibidemque erecto corpore stantes magna cum energia perorare solebant. Hugo de S. Victore scribit quod beatissima Virgo ad dexteram filii sui stare perhibeatur, (Lib. 4. de laud. virg.) ad insinuandum nobis patrocinium & protectionem, quam de nobis coram supremo tribunali Filii sui habet: *Benè astitit à dextris tuis, tanquam nostrorum patrocinatrix gladium evaginandum peccatori impedit.* Enimvero prima facie videri potuisset, universum genus humanum ob hujus Matris nostræ, afflictorum consolatricis, & refugii peccatorum è nobis decessum valdè contristandum & conturbandum fuisse: (Serm. 4. de Assumpt.) *Nostis charissimi* (inquit S. Bernardus) *quæ in Ascensione solemnitatis occasio? quæ causa lætitiæ? quæ materia gaudiorum?* Angeli quidem præcipuam lætandi causam habent; *sed plangendum nobis quàm gaudendum magis esse videtur: quantum enim de ejus præsentia cœlum exultat, nunquid non consequens est, ut tantum lugeat hic noster inferior mundus ejus absentiam;* Et tamen idem mellifluus Doctor paulò post ad hoc reflectens, quod scilicet in cœlum ascenderit, ut causarum nostrarum in cœlesti curia Advocata existat, mox animum resumens se consolatur, nosque omnes ad gaudendum invitat: *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* (De Excel. virg.) S. Anselmus illa verba, quæ Mariæ communiter adaptantur: *Gyrum cæli circuivi sola*, exponens, in ea fuit opinione, quod quotiescunque ipsa in cœlo se Advocatam nostram exhibet, tunc unà cum ipsa omnes spiritus Angelici omnesque aliæ animæ beatæ conjunctim suas quoque preces interponant; undè sequitur quod ipsa sola universum cœlum commoveat, ad eum modum, quo primum mobile omnes alias sphæras secum rapit: *Te orante omnes orabunt, & omnes adjuvabunt.*

2 *Astitit Regina. Astare auxiliantis est.* Tametsi terra corporalem Mariæ præsentiam amiserit, attamen Reginam quandam & cœlorum Imperatricem in Advocatam suam accepit, quid ultrà sperare poterat: Leo Imperator scribit: *Nihil jacturæ fecit mundus; nam quibus ut prodesset, in hunc mundum venit, iisdem jam quoque in cælum translata conducibilia procurare, nunquam desistit, astitit patrocinatrix.* (Hom. 6. de Assumpt.) Habet quoque eruditissimus Salmeron verba aliqua, quæ benè ponderari merentur; dicit enim: *Pro sua sapientia posita est in cœlesti paradiso secunda Eva integra cum secundo Adamo*; (Tom. 11. tract. 30.) paulò post, quo fine id factum sit explicat, nimirum: *Ut omnia bona nobis polliceri valeamus*; ac tandem rationem reddit efficacissimæ intercessionis suæ motiva nobis monstrando: *Ubi in sanctissima illius Trinitatis rota Filium habemus ostendentem Patri latus & vulnera; Matrem amantissima Filio suo pectus & ubera proferentem.*

3 *Astitit Regina. Astare* (inquit Richardus à Sancto Laurentio) *est promptitudo serviendi, & ministrandi*; (Dan. 6.) idque probat per textum illum Danielis? *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Porrò eadem illa quæ Regina est, atque ad dexteram filii sui, in cujus fœmore scriptum legitur: *Rex regum & Dominus dominantium*; in throno suo cum majestate sedet, se quoque in servitium & ministerium nostrum ancillam facere non dedignatur. Præterea in eodem verbo *Astitit*, *commendatur* (inquit idemmet Author) *à promptitudine contradicendi adversariis nostris accusantibus nos in curia unigeniti sui, quia adstare contradicentis est: Et ideò ipsa dicitur: Advocata nostra.* In nubecula illa, de qua 3. Reg. cap. 18. scribitur, sacratissima Virgo Maria velut in symbolo expressa videtur: (3. Reg. 18. 44.) *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* S. Joannes Episcopus Hierosolymitanus ait: *Deus sub figurata visione revelavit tunc Eliæ, quod quædam infantula nasceretur, scilicet beata Virgo Maria per illam nubeculam significata*; quia sicut nubes onusta est aquis, ut ardorem terræ humectando mitiget, eamque fœcundet: ita quoque Maria gratiis redundans, easdem mira cum abundantia & benignitate super nos influit. Notandum verò quod *ascendebat de mari*; à mari namque mundi hujus beata Virgo hodie ascendit, & sicut nubes ad se trahit aquam salsam & amaram, eandemque nobis postea dulcem factam reddit: eodem quoque modo Maria mater nostra, & mater misericordiæ, de mari hujus vitę, quæ nihil est aliud quàm vera quædam vallis lachrymarum, ad se mediante sua compassione trahit nostras miserias & afflictiones, atque facta pro nobis in cęlis Advocata nostra, supra nos dona, virtutes & gratias in tanta copia depluit, ut omnem tribulationem nostram nobis facilem & suavem reddat, nos fovet, recreat, & in adversis consolatur; iratumque nobis filium suum placidè reconciliat, ad pœnitentiam & vitę emendationem nos reducendo. Undè merito nunc illam ad dexteram unigeniti sui considentem imploramus dicentes: *Eja ergo Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Ecce aquam hanc salutarem gratiarum suarum dulcem & suavem: *O clemens, o pia, ò dulcis virgo Maria.* (To. 3. ser. 12.) S. Bernardinus illum Jobi textum: *Nunquid elevabis in nubecula vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?* ad B. Virginem applicando interpretans ait: *Vox in nebula elevata est, gratia per orationem à Virgine impetrata, ad quam sequitur impetus aquarum, quia per ipsam impetratur affluentia gratiarum atque remissio peccatorum.* Aquæ enim salsæ peccatorum nostrorum, mediante illorum remissione per ipsam à nobis impetrata, convertuntur in aquas dulces gratiarum cęlestium, quibus in nostra conversione fruimur.

4 *Astitit Regina.* Tametsi ante Assumptionem, dum adhuc inter nos hic in terris commoraretur, ut verisimile est, sua ab Angelis frequentes & familiariter cum ea agentibus servitia, & obsequia habuerit, quia tamen possessionem, & investituram Imperii seu regni cęlorum nondum acceperunt, ideo eo tempore tantæ authoritatis nondum erat; nunc verò cum facta sit & coronata in Augustissimam cęlorum Reginam, coram ea se inclinat, eamque veneratur universum cęlum empyreum, adeoque in throno majestatis suæ residens in illa signatura

ra sive

ra sive justitiæ sive gratiæ causas nostras majori cum authoritatis pondere tractabit : *In civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea*. Multum quidem Maria pro nobis facere prævaluit, quando nobiscum in terra commorata fuit ; nunc vero in cœlo existentis sicut major est authoritas, ita quoque major ejus potentia quotidie elucescit. Id quod ipsamet dicere videtur, dum ait: *In Jerusalem potestas mea*; potuitque ad imitationem filii sui dicere : *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*; quia *astitit Regina à dextris* S. Bonaventura ait : *Quia Dominus potentissimus tecum est, ideò & tu potentissima es apud ipsum*. Filius ejus priusquam ad cœlos ascendisset, Apostolis suis in monte Oliveti dixit : *Data est mihi omnis potestas*; hoc autem jam pridem manifestum erat ex S. Joannis testimonio dicentis. *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus.* Undè non videbatur necessum illud in hac occasione replicare. Quod autem Filio Dei ante suam in cœlos ascensionem hæc fuerit collata potestas, id certe mysterio non caruit, hoc nimirum, nisi fallar, ut illa ad nobis benefaciendum uti posset. Undè immediatè post illam sibi collatæ potestatis insinuationem Apostolis præceptum dedit, ut in universas mundi regiones abirent, & ad convertendas omnes gentes Evangelium omnibus annuntiarent : *Euntes in mundum prædicat Evangelium omni creaturæ ; docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Enimvero quod in prædictis Ecclesiastici verbis sermo fiat de B. Virginis Assumptione, satis colligi potest ex titulis quos sancti Patres huic diei attribuunt ; alii enim illum vocant diem obdormitionis ; alii diem somni : *In civitate sanctificata requievi*, id est : in civitate sancta paradisi. In hac autem civitate incredibiliter vigere cœpit ejus potentia : *Et in Jerusalem potestas mea*; quia tamen illa non est in suum proprium incrementum, utpotè quæ erat humillima ; sed ad nobis benefaciendum, cùm esset erga nos benignissima : *Data est tibi, o Virgo*, inquit B. Petrus Damianus, *omnis potestas in cœlo & in terra, & nihil tibi impossibile*; ecce quousque authoritas ejus extensa fuerit : *Tibi possibile desperatos in spem salutis revocare* Et quidem hac de re quandam Assumptionis Marianæ figuram habemus in occursu, & obsequiis à Salomone Rege, Sabæorum Reginæ exhibitis ; inter alia vero notabilia, quæ ibi occurrerunt, hoc potissimum proposito nostro deservit, quod dicitur : *Dedit Regina cuncta quæ voluit & postulavit, & multo plura*; quanto magis idipsum de Maria credendum est, utpotè quæ erga illum, de quo scriptum est : *Ecce plusquam Salomon hic*; immensa sibi merita cumulaverat ? Idem Damianus ait : *Quomodo illa potestas potentia tua poterit obviare ; quæ de carne tua carnis suscepit originem ? Accedit enim ante illud aureum humanæ reconciliationis, altare, non solum rogans, sed imperans ; Domina, non ancilla.*

Eccl. 24. 19.
In Spec. c. 8.
Marc. ult.
Matth. 28.
Marc. 16.
Serm. 1. de Nat. Mar.
2. Paral. 9. 12.
Serm. 5. de Nat.

5 *Astitit Regina*. Una nihilominùs difficultas superest, quæ circa Assumptionem Mariæ moveri potest ; experientia enim compertum, quod confestim, ut quis ad honores & dignitates humanas evectus est, ut plurimum eos, quos anteà ut amicos & cognatos diligebat & venerabatur, aspernari & deserere incipiat ; ac proinde idem S. Petrus Damianus quærit *Nunquid ô Virgo beata, quia ita es glorificata, ideo nostri oblita es ? absit : non convenit tanta misericordia tantam miseriam oblivisci.* Audite obsecro S. Bernardinum Senensem, quo sensu is verba illa Evangelii interpretetur : *Optimam partem elegit sibi Maria, copiositate largitionis*; addit ipse, quasi diceret: per gratiarum suarum diffusionem & liberalissimam affluentiam sublimem hanc sibi gloriam comparavit. Porrò alii Principes ad dignitates & amplos honores assumpti subditis suis ingentia gravamina, & onera intolerabilia imponunt, ut ex sanguine sive sudore eorum quibus dominantur, in suis se dignitatibus conservare possint ; non sic Maria, quæ supremam majestatem, ad quam assumpta fuit, in tantum æstimavit, & gratam habuit, in quantum vidit se per illam nobis copiosè benefacere posse, nos in miseriis nostris materna ex pietate sublevando.

Tom. 3. serm. 32.

6 *Astitit Regina*. Astare, ut diximus, *auxiliantis est*. Præsens hæc vita nostra est campus quidam certaminis ; beata Virgo autem est, quæ nos defendit, & hoc fine patrocinii sui ferrum adversus omnes inimicos nostros stringit : *Ego murus & ubera mea sicut turris*; sed quando cœleste hoc oraculum de ea verificatum fuit ? hodie *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*. Neque

Mansi Promps.

enim ante hunc diem translata fuit ad fruendum supernæ Hierosolymæ, quæ Pacis visio dicitur, quiete, & ad requiescendum in sinu ejus, cui ipsa in sinu suo diuturnum dederat hospitium ; nunc autem declarat se in superna Jerusalem consistere, ibidemque pro nobis velut fortalitium & propugnaculum quoddam insuperabile ad nostram defensionem solerter deservire.

Quàm sit nobis B. Virg. Assumptio propitia, ut peccatorum Advocata esse possit, & ut peccatores ad pœnitentiam reducendo veniam eisdem imploret.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Virgo prudentissima, quo progrederis, quasi aurora valde rutilans.

1 MAgnam Dei Matrem, & Virginem Mariam hinc in cœlos abeuntem devoti ipsius hisce vocibus admirationem ne dicam, an verò dolorem contestantibus sectati sunt dicentes : *Virgo prudentissima quo progrederis quasi aurora*. Verùm enimverò quænam est hæc interrogatio, qua petitur quonam ipsa vadat ? similis enim hæc quæstio mihi esse videtur, ac si quæreret an linea ad centrum suum procedat ibi terminanda, vel an sol ad occasum vadat, aut verò an ignis ad sphæram suam sursum feratur. Quid enim magnæ huic Matri convenientius esse poterit, quàm ut ad filium suum adeò ab ea in hoc exilio desideratum, totque suspiriis expetitum abeat, & ut illa, quæ sole amicta est, beatæ quoque æternitatis horizontem conscendat ? potiùs igitur interrogandum videbatur, quo fine in cœlum assumatur empyreum sub hoc titulo sive encomio, quo Aurora appellatur : *Quo progrederis quasi aurora* ? Advertendum est igitur, quod aurora ignitis splendoribus suis diei nobis adferat serenitatem, depulsis & profligatis tenebris noctis : per lucem autem gratia significatur, sicut per tenebras significantur peccata. Undè ait Apostolus : *Nox processit, dies autem appropinquavit ; abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Porrò mystica hac Virginis aurora super firmamento immortalitatis hodie comparente, vitiorum & peccatorum humanæ mortalitatis tenebræ magna ex parte dissipantur ; si quidem ipsa eo potissimum fine in cœlos ascendit, ut pro peccatoribus intercedat ut convertantur. Undè in Secreta Missæ hesternæ dicitur : Quam *idcircò de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat*. *Tuus est dies, & tua est nox : Tu fabricatus es auroram & solem*; ait quondam regius Psalmista. S. Petrus Damianus in serm. de hoc festo, in noctis obscuritate statum culpæ & peccati agnoscit, qui protensus est à tempore quo prothoparens noster prævaricatus est usque ad sacratissimam Virginem : *Tuus est dies, in quo Adam est conditus ; tua est nox, in qua Adam à die est ejectus* ; ac demum ad propositum nostrum subjungit : *Tu fabricatus es auroram, id est, Virginem Matrem, & Solem, videlicet justitiæ, qui de virginali thalamo consurrexit*. Hæc igitur aurora hodie super horizontem immortalem paradisi ascendit ad dissipandas ab innumeris animabus peccatorum tenebras, quæ per ejus intercessionem ad pœnitentiam reducuntur.

Rom. 13. 12.
Psalm. 73. 16.

2 *Quasi aurora*. Occasione hujus auroræ, incidit mihi in mentem lucta illa, quam Angelus quondam cum Jacob Patriarcha habuit, quæ finem suum habuit, postquam Jacob Angelum aurora oriente dimisit : *Dimitte me, jam enim ascendit aurora*. Per totam noctem inter se luctati fuere, donec appropinquante auroræ purpurea luce, Angelus victas manus dando Jacob victoriam cederet. Verùm dicat aliquis : quidnam lux & splendor auroræ in se activitatis habet, ut ob illius ortum, heros aliquis generosissimus post luctam diuturnam tandem victus victoriæ palmam alteri cedere cogatur ? Recurrendum est haud dubiè ad mysterium, quod tangit Oleaster, qui ait, quòd in illo certamine lucta illa præfiguretur, quæ est inter Deum & peccatorem, quamdiu est in statu disgratiæ, in cujus tamen beneficium Maria tanquam aurora luce gratiæ victoriam apud divinam justitiam reportat. Quando enim Deus peccatori iratus divinæ justitiæ

Gen. 32.

 gladium

gladium stringit, ut vitam peccatoris detruncet, Maria protinus tanquam refugium & patrocinium peccatorum se interponens, dilationem ei impetrat, intra quam talis peccator ad pœnitentiam reduci possit, & tunc se divina pietas continere nequit, quin victas ei manus & finalem victoriam cedat: *Quod igitur magnus testamenti Angelus victum se esse ascendente aurora confiteatur, nihil est aliud, nisi quod Maria Christus aspectu infirmum se esse ostendat, & peccatori dicat: Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Quamdiu beatissima Virgo hic in terris nobiscum est commorata, de ea non constat quod tanta cum instantia & contentione animi pro peccatoribus intercesserit advocando, quanta id post Assumptionem suam præstitit. Andreas Cretensis ad eam conversus ait; *Ex quo translata es è terra, te universus mundus continet commune propitiatorium.* Nescio num aliquando observaveritis in qualinam situ Astrologi virginis signum reponant, ad zodiacum oculos vestros convertite, eamque inter leonem, & libram collocatam esse deprehendetis, è quibus duobus signis libra nobis divinam justitiam, leo verò symbolum Christi nobis irati repræsentat: undè virgo nobis indicare velle videtur, quòd ipsa desuper ab æterno illo zodiaco promicet, ut se in summum beneficium nostrum inter divinam justitiam nobis iratam, & peccatorem interponat. Undè sicut Angelus Jacob dixit: Dimitte me, jam enim ascendit aurora; ita quoque quivis ingens & enormis peccator Redemptori nostro confidenter dicere potest: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora*, siquidem B. V. assumpta est, *ut pro peccatis nostris fiducialiter intercedat.* In cap. 1. lib. 3. Reg. habemus, quòd quando David consenuerat, *dixerunt servi ejus, quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege, & foveat eum, & calefaciat Dominum nostrum.* Hæc virgo, quæ Deum nostrum per intercessionis suæ efficaciam calefaciat & fovet, ad hoc ut suam erga nos pietatem exerceat, est beatissima virgo Maria; hæc enim ante Dei thro-
De Excell. num assistit: *Cur non juvabis nos peccatores* (inquit S.
Virg. c. 51. Anselmus) *quando propter nos in tantam altitudinem es elevata?* Quæ verba consentiunt cum illis, quibus Ecclesia utitur, dum ait: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores tanto digna filio*; quemadmodum dicitur: *Felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*; ita quoque dici posse videtur, peccata nostra causam fuisse, cur ipsa Dei incarnati Mater facta sit propter extinctionem culpæ.

3 Verum enimverò optarem hoc loco ut attentas aures vestras porrigeretis ad invitatorium illud, quo æternus Pater beatissimam Virginem ab altissimo cœli vertice ad diadema & coronam Imperialem recipiendam in-
Cant. 4. 8. vitat, dicens: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Porro Gilibertus Abbas in ea est opinione, quòd hoc loco anima quædam justa & sancta invitetur ad gloriam à Matre Dei penitus abstrahendo: at verò tunc inquireodum ulterius, cur non semel sed ternis vicibus invitari & revocari se patiatur? hæccine est promptitudo, quam anima vocibus exhibere divinis debet? ergone tam tardè & morosè respondetur vocanti Deo? *Oves meæ vocem meam audiunt*, inquit
Joh. 13. 23. Pastor ille cœlestis; *Vocabis me, & ego respondebo tibi*, Advertendum igitur est, inquit præfatus Gilibertus, quòd anima ista ad honores & dignitates, ad coronas videlicet & sceptra vocabatur; illis autem unusquisque quantumque is sanctus sit, modestia quadam & humili resistentia reluctari debet; primo enim examinandum est an sit voluntas Dei, & quando ipse quoque id vellet, adhuc nobis ad honores recipiendos timendum, & tremendum, & nequaquam ad illos adeundos properandum esset: undè *mora hæc non contumacia, sed cautela*, imò improperando nobis accelerationem nostram quoad honores & dignitates acquirendas non currimus, sed præcipiti cursu rapimur, subjungit: *Forsitan sponsa mora festinationem nostram arguit, qui nimis prompti & parum providi, vires nostras minus pensantes, festinamus ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias & materiam lapsus, nec expectantes vel semel vocari, ultro nobis ipsis honorem sumimus, vocationem vel prævenientes, vel arte procurantes.* Hac tamen opinione relicta, certum esse dico, quod per hanc sacram Canticorum sponsam Maria denotetur. Undè verba hæc eidem adaptando meritò quæritur, quodnam in eo lateat mysterium, quod ter hæc invitatio ei proponatur, dicendo: *veni, veni, veni.* Dici quidem poterit, quod tres illæ divinæ personæ certatim inter se illam advocarint & invitarint ad gloriam, & ad magnificum ei super omnes hierarchias cœlestes præparatum thronum; at vero id, quod ad propositum nostrum maximè spectat, est, ut videamus quibus monilibus diadema illud, ad quod invitatur, adornatum sit: *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum*; forsitan ab horum montium visceribus pretiosa aliqua metalla, è quibus corona fabricata fuit, eruta sunt? aut vero in illis colliguntur adamentes, topazii, smaragdi, carbunculi? nequaquam; montes enim illi prærupti sunt, & inaccessi, in quibus nihil aliud est invenire præterquam ferarum latibula, nec alios habet incolas quàm animalia sylvestria; steriles itidem sunt, & ab omnibus arboribus & herbis denudati; ideoque inaccessæ hæ alpium, & à feris tantùm inhabitatæ rupes, homines prorsus impios, vindictam spirantes, homicidas, fornicatores, aliosque sceleratos peccatores significant, verum, inquies, quidnam hi pessimi homines (sive illi figuræ sint, sive figurati) cum triumphali Mariæ in ejus Assumptione imposita corona commune habent? ecce tibi mysterium, vult namque nobis insinuare Spiritus sanctus; quod elegantissimæ, fulgidissimæ, opulentissimæ, & inestimabiles gemmæ, quæ ejus diadema locupletarunt, sint tot innumerorum peccatorum per ipsius maternam pietatem procuratæ conversiones, qui proindè modò cum ipsa in paradiso gloriosi regnant. Undè sanctus Thomas ait: *Coronatur & de cubilibus leonum, & de montibus pardorum, quando superbos quosque, & sævos ac dolosos convertit.* Cui conformiter Rupertus Abbas Tuitiensis adstipulatur, dum ait: *Eorum credentium salus corona tua fiet*: quanto igitur Maria Apostolo melius dicere poterit: *Filii* Phil. 3. 5.
mei, fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, corona mea. Omnes enim quotquot post peccatum ad pœnitentiam fuere reducti, opera & intercessione illius id sunt assecuti; undè ex iis augetur ei in gloria singularis lætitia, suntque veluti totidem gemmæ & pretiosi coronam suam distinguentes, & exornantes lapides, *Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur* (inquit S. Petrus Damianus) *cum pœnitentes ad veniam justificati ad gloriam assumuntur.*

4 Aliam quoque considerationem ad propositum nostrum non minus spectantem, de ejus gloria instituere possumus, estque illa, quam beatus Petrus Damianus tetigit, nimirum quàm eximia Mariæ laus sit, quàm excellens ejus præconium, quod videlicet super omnes alios in regno illo Beatorum in hoc præfulgeat, quod scilicet impiorum peccatorum unicum refugium: hic velim judicium vestrum priùs suspendatis intelligendo Dei Filium non tanti majorem suam æstimasse gloriam quanti rounus suum animas impiorum errabundas allicere, & per benignitatem suam amplexando recipere ad se venientes: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis*; id quod in anxio illo & solicito Pastore præfiguratum fuit, qui tantis cum sudoribus oviculæ amissæ sectabatur errantia vestigia, Sed ecce tibi quoque hujus filii matrem, quæ eosdem peccatores filii sui exemplo instigata, protegit, defendit, subque maternæ pietatis suæ chlamidem custodiendos benignissimè suscipit, eo tamen fine, ut conversos ipsos Salvatori eorum lucretur. Arca illa, quam Noè jussu Dei fabricavit, dici potest idæa quædam fuisse paradisi, intra quem salvantur, qui baptismatis unda mediante divinæ justitiæ iram effugiunt. Porrò Deus quoad hanc arcam Noe præcepit, ut in ampla hac mole præter portam etiam fenestra quædam in latere fieret; *Fenestram in arca facies.* Enimverò per portam Salvator intelligitur; qui de seipso ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*: per fenestram autem sanctissima Virgo intelligitur, unde de ipsa Ecclesia ita canit: *Cœli fenestra facta es*; Quo supposito ex vobis scire desidero; quanam via conclave aliquod præcipuè lumen suum accipiat, an ex lumine quod per portam aditum suum in illud habet, an verò ex lumine quod ingreditur per fenestram? Certo scio dicturos vos esse, quod illuminetur ex lumine, quod ingreditur per fenestram in illud penetrante; adeoque nunc perspicuè magis intelligimus qualiter per hodierna die in cœlos assumptam virginem cœlum longè amplius, quam antea illuminetur. Unde Sanctus Bernardus ait; *Mariæ præsentia totus illustra-*

tur

tur orbis, adeo ut ipsa jam cœlestis patria clarius rutilet virginea lampadis irradiata fulgure: imò ipsamet sanctè gloriatur dicens; *Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.* Quam pauci futuri fuissent supernæ Jerosolymæ cives & incolæ, & quam modicè ruina illius restaurata fuisset, nisi Maria Virgo suam in id operam contulisset? Dicetis fortasse: *Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde ille fur est & latro.* Ego autem responden vobis verissimum id esse, latrones enim sunt illi, quotquot novæ gloriæ gloriam, & splendorem contulerunt. Undè ut sapientissimus Redemptor noster gloriosæ ascensionis suæ triumphum tanto magis redderet conspicuum, in sua secum societate inter primos in Paradisum introduxit non Petrum, qui claves regni cœlorum habebat, non dilectum discipulum suum, molto minus magnam matrem suam, sed latronem quendam, illum videlicet, cui dixerat; *Hodie mecum eris in Paradiso:* ac proinde sicut Christus per quendam ad pœnitentiam reductum latronem suum nobilitavit triumphum, ita quoque beatissima Virgo hodie assumpta est in cœlum, ut fenestra illius fieret, id est, ut per ipsam innumeris latronibus aditus in cœlum patesceret, dareturque omnibus peccatoribus quantumvis enormibus animi robur, & fiducia, qua salutem suam quoque illis sperare liceret: *Intrent ut astra flebiles cœli fenestra facta es.*

De nonnullis convenientiis, ob quas corpus B. Virginis incorruptibile esse, & gloriosum in cœlos assumi debuit.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ Psalm. 131.

1 REx ille, de cujus stirpe post tot evoluta sæcula magna Dei mater, nascitura erat, Christi Resurrectionem in Spiritu prophetico prævidens, sanctissimæ Genitricis ejus Assumptionem pariter prædixit: *Surge Domine in requiem tuam tu;* Ecce qualiter de Christi resurrectione loquatur, sequentibus verò verbis, scilicet? *Et arca sanctificationis tuæ* idem quoque privilegium ad matrem, quæ hoc titulo *Fœderis arca* honoratur, extendi petitur. *Tu prius*, inquit Richardus à Sancto Laurentio: *Arca, id est, Maria posterius, hinc conjicitur, quia assumpta sit simul cum corpore: Dicitur ergo: surge Domine in requiem tuam post laborem passionis tuæ per ascensionem, & Arca sanctificationis tuæ per Assumptionem.* Doctissimus Salmeron fusè satis de fundamentis illis tractat, quibus Christiana veritas innititur, quæ virginem ad imitationem filii sui privilegiatam esse declarat, ne scilicet corpus ejus instar aliorum putredinis vermi subjiceretur, sed potius ut ante universalem Resurrectionem gloriosè resurgens ad cœlos ascenderet: *Quæ jure suo Christo debentur, ex privilegio in matrem Virginem extenduntur;* id quod ab eo multis rationibus probatur; verum una quam adducit instantia valdè mihi convincens esse videtur: *Si à labe culpæ originalis illam necdum matrem servavit, ergo etiam à corruptionis verme, & fœtoris incineratione.* Sanctus Bernardinus illud Davidis oraculum? *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, considerans tale facit argumentum: *Sicut non dedit Dominus sanctum videre corruptionem, id est, Christum; sic & sanctam suam, de qua natus est sanctus, sed corpore & anima in cœlum est assumpta.* Salmeron iterum talem discursum instituit. *Ut Christus extremum Resurrectionis diem non expectavit, sed tertio die corpori gloriam impertivit; ita sanctam suam genitricem postremum diem resurrectionis ad gloriam corpori communicandam expectare noluit, sed ut in sanctificatione præventa fuit per singularem Dei gratiam, id est, in ipso conceptionis momento præservata, ne ulla peccati labe contaminaretur: & sicut præventa est in usu liberi arbitrii accelerato, ut Ambrosius, & Augustinus & Bernardus docent; Denique sicut ab ipsa incarnationis mysterium, atque aquæ in vinum conversa miraculum suis meritis, & precibus anticipavit, ita etiam in corporis sui resurrectione præventa est a Christum benedictionibus dulcedinis.* Si Arca è lignis incorruptibilibus fabricata fuit, quæ figura virginis erat, cur non quoque ipsam hanc prærogativam sortitam fuisse dicemus, ut ejus corpus post mortem pariter incorruptibile remaneret? Considerabilis est hoc loco doctrina quædam Sancti Augustini, quam hisce verbis tradit: *Homo si Creatori suo, tanquam vero Domino subditus, præceptum ejus pia obedientia custodiret, in consortium transiret Angelicum sine morte;* porrò beata Virgo una cum aliis ex progenie Davidis descendentibus posteris hac inobedientiæ culpa nequaquam obnoxia fuit, unde dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio,* ipsa enim Deo obedientissima fuit, imo quod plus est, Deus illi per obedientiam morem gessit: *Et erat subditus illi;* quodsi verò ipsa morti sicut filius ultro subjacere voluit, cur non etiam ipsam pariter cum filio à putrefactione corporis sui liberam, & exemptam pronuntiabimus, utpotè quæ ad Angelicarum Hierarchiarum non erat transitura consortium, sed ad earundem Dominium, & imperium? si homo de ligno vitæ continuo nutritus fuisset, carnem suam utique incorruptibilem, & immortalem conservaturus fuisset; *Ne forte sumat de ligno vitæ, & vivat in æternum.* Quis autem Maria Paradisum illum fuisse ignorat, in quo verum illud vitæ lignum plantatum fuit? Dicit enim Sanctus Bernardus: *Vero Paradisus Dei tu es, quia lignum vitæ mundo protulisti.* Salmeron verba aliqua profert, quæ Cosmas Hierosolymitanus in honorem Mariæ conscripsisse refertur, nimirum *Victricia trophæa contra naturam, O vera Dei mater erexisti, & imitans filium tuum, tuumque opificem omnes naturæ leges supergrederis, quare verò semel mortua postea cum filio semper victura suscitaris.*

Lib 10. de Laud. Virg.

Tom. 12. tr. 37.

Tract. 38.

Tom 1. Serm 52. art. 1 ca 1.

Tract. 37.

Lib. 6. in gen. c. 25.

Prov 8. 22.

Gen 3.

In deprec. ad Virg.

Tract. 38.

2 Redemptor noster apud S. Matthæum tres dies & noctes post mortem in corde terræ remanere decreverat, ad eum modum quo Jonas in ventre ceti pari quoque tempore delituit, & tamen intra 30. horarum spatium resurrexisse constat, valdeque credibile est, quod amantissimæ genitricis gemitus, atque suspiria anticipatè eum resuscitarint. Utique enim beatæ Virgini dicenti: *Exurge gloria mea, exurge psalterium; & cythara,* Filius ejus protinus respondit: *Exurgam diluculo.* Pari quoque modo nisi Christus matrem jam mortuam atque sepultam subito resuscitasset, dicere utique mater ejus potuisset, clarè eum modicitatem affectus quo eam prosequebatur, contestatum fuisse, hoc autem de tali ac tanto filio ejus, adeo erga ipsam venerabundo, & obsequioso præsumi aut expectari minimè poterat, de quo in hac solemnitate Guerricus Abbas ait: *ego ut facerem quod docui, & exemplo essem aliis, ut patrem honorarem, in terram ascendi, nihilominus ut matrem honorarem in cœlum reascendi, ascendi & præparavi ei thronum gloriæ;* quanto igitur sollicitior fuisse credendus est, ut sanctissimum corpus ejus quam citissimè posset è sepulchro eximeret, atque à communi putrefactione præservaret? unde credibile est, quod matrem quoque suam hisce verbis resuscitarit. *Surge, & propera amica mea, formosa mea, & veni.* S. Ildephonsus ait: *Nec diu hæc sacratissima virgo, post Domini Ascensionem in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli; cœlum etiam ipsum de ejus ascensione querebatur, atque ideo Spiritus sanctus invitabat, dicens: Veni columba mea immaculata mea, jam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.* S. Augustinus Tom. 9. lib. unico de Assumpt. de Maria scribit: *Tanta sanctificatio dignior cœlo est, quam terra; Thronum Dei, Thalamum Domini, domum atque tabernaculum dignum est, ibi esse, ubi ipse est;* Non decebat, ut tabernaculum illud diutius jaceret in sepulchro, in quo vitam receperat, qui vita omnis animæ erat; *tam pretiosus enim thesaurus* (ita prosequitur dicendo Sanctus Augustinus) *dignus est cœlo servari, quam terra, tantam integritatem merito incorruptibilitas non putredinis aliqua resolutio sequitur:* Quæ convenientia etiam tangitur à Damasceno dicente: *Opus erat, ut qua Dei verbum ventris sui hospitio conceperat, in divinis filii sui tabernaculis collocaretur.* Deus arcam illam quæ intra se tabulas lapideas, quibus lex Dei incisa erat continebat, ab omni carie immunem præservari, & cum summa veneratione in sanctuario custodiri voluit, nulla ratione permittendo ut exposita esset quibuscunque injuriis temporum: Quanto igi-

Matth. 12. 40.

Psalm. 56. 9

Serm 1 de Assumpt.

Cant. 2. 10.

Serm 7. de Assumpt

Orat 2 de Assumpt.

to igitur magis privilegium istud Mariæ debebatur, quæ in arca præfigurata erat, Deumque legislatorem in hunc mundum partu suo ediderat. Idem Damascenus huic festo Assumptionis solemnitatem illam adaptavit, quacum olim sacrosanctus ille arcæ thesaurus in templum transportatus fuerat, dicens: *Ad eundem modum ob requiem spiritualis arcæ ipse novus Salomon Christus tum mundo sublimiores cælestium mentium ordines, tum primarios novi testamenti viros Apostolos una cum universa plebe sanctorum per Angelos introducit, corpus autem Apostolorum manibus portatur rege regum invisibili sua Deitatis splendore illud contegente.* Andreas Cretensis intelligere nequit, quisnam locus ad pretiosum hoc depositum quantumvis brevi tempore recipiendum dignus fuerit. *Quodnam sepulchrum te teget* (inquit conversus ad Mariam) *quænam te terra accipiet; quæ cæli, & cælorum naturam superasti sanctitate? quibusnam unguentis ungentum tuum corpus, ex quo emanat immortalitas, ex quo est Deificatio, ex quo est perfectio?* Neque Sanctus Joannes Damascenus nos in dubio positos relinquit, dum de mortalis corporis resurrectione tractans ita scribit: *Ubi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? ubi novus liber in quo inenarrabili modo Deus verbum citra omnem manus operam inscriptus est? ubi gratiæ abyssus? ubi sanationum pelagus? ubi fons ille ex quo vita orta est: Quidnam? eam in sepulchro quæritis, quæ ad cælestia tabernacula electa est?*

Orat. 2. de dormit.

De dorm. Deip. c. 17.

Gen. 7. 17.

3 *Arca sanctificationis tuæ.* Aquæ universalis diluvii non solum nullum Arcæ damnum intulerunt, neque eam submerserunt in profundum aquarum, prouti alias tot accidit hominum pecorumque cadaveribus, sed potius *elevaverunt in sublime*, quanto enim major decidit pluviarum copia, tanto Arca cælum versus sublimius fuit evecta; ita quoque dicere possumus, quod aquæ culpæ sive originalis sive actualis, quæ cunctas alias animas in mortis profundum demerserunt, hujus Arcæ nullum ne per umbram quidem damnum intulerint, imò potiùs filius ejus ut eam ab omni contagio liberam esse demonstraret, illam ad suammet dexteram collocavit, & hoc forte innuere Sanctus Anselmus voluit, dum ait: *Hunc Paradisum aquæ diluvii non contigerunt, quia sanctitas Mariæ altior est, quam peccati inundatio attingere posset.* In culpam quidem hæc pœna fulminata fuit: *Pulvis es & in pulverem reverteris.* Andreas verò Cretensis ait: *Sicut corruptus non fuit Mariæ parientis uterus, ita mortuæ caro non interiit.* B. Virgo ne per umbram quidem aliquam in peccato partem habuit, ac proinde conveniens non erat; ut de illius pena quicquam participaret! *Partus effugit corruptionem & sepulchrum non admisit interitum.* Sic quoque ob protoparentum nostrorum trangressionem terra maledicta fuit, non solum illa quæ arbores aliaque arbusta, & plantas progerminat, verum etiam illa qua nos vestimur. *Maledicta terra*; at verò de B. Virgine utpote terra virginea scribitur: *Benedixisti Domine terram tuam; avertisti captivitatem Jacob.*

Serm. de Assumpt.

Psal. 84. 2.

4 Est & alia inconvenientia, cur nequaquam decuerit B. Virginem quoad corpus suum huic omnibus aliis communi putrefactioni subjectam esse, nimirum quia ipsa ex purissimis sanguinibus suis Verbo sacratissimam suam humanitatem subministravit. Unde Sanctus Germanus ait: *Tuum virginale corpus omni ex parte sanctum, ereptum ad summam incorruptibilitatem vitæ, illæsum, vivum, spirans, perpetuo imposterum indemne servatur.* Rationem autem mox subjicit, dum ait: *Ut vas quo Deus exceptus est.* Voluit Deus ut muri, qui ex lapidibus, calce & arena fiunt, in quibus ipse incarnatus per multos annos in Nazareth dignatus est habitare, conservarentur illæsi, prout etiamnum in urbe Lauretana ad oculum videmus quotidie, & experimur, absque eo quod voraci temporis denti, omnibusque aliis sive manus rapacis, sive bellorum aut aliarum similium desolationum injuriis subjecti essent; quanto igitur decentius fuit, ut corpus illud privilegiaretur, quod Spiritus sancti sacrarium extiterat, in quo *habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter*. Sancta Brigitta filium cum sanctissima matre sua loquentem introducit, eique dicentem: *Tu es quasi myrrha electa*, quæ ad Paradisum ascendit, quasi *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ*. Inter alias verò myrrhæ proprietates una est, quod corpora à corruptione, & vermibus illæsa conservet adeoque mysticum est illud Epitheton, quo Maria in hodierno transitus sui die honoratur: *Cujus odor* (sunt verba filii ad Mariam loqui pergentis) *ascendit ad Deitatem, & deduxit eam in corpus tuum & animam in Deitatem, ubi nunc es tum corpore, & anima.* Et quidem nunquid vobis videtur, quamvis animam exhorrescere debere, audiendo verbum æternum dicere posse, *Putredini dixi Pater meus es, & mater mea vermibus?* In exodo Moyses rubo ardenti appropinquare satagens sibi dici audivit: *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis* locus enim in quo stas, terra sancta est. Ubi S. Ambrosius ait: *Vocaturus enim populum ad Dei regnum, prius carnis exuvias deponere jubet*: Neque enim cælum Empyreum conscendere possumus, nisi corpus quod aggravat animam hic in terris relinquamus, hoc tamen lege ordinaria procedit. Cornelius à lapide in hunc locum dicit, quod proprium servorum erat calceos deponere, ideoque dicere velle videtur, quod cum nos in servili conditione constituti simus, ideo opus sit, ut priusquam vera filiorum Dei libertate frui possimus, hoc nos luto mortali exspoliemus. Beata Virgo autem utpote augustissima Regina & Domina, quæ ipsummet Deum sibi subditum habuerat, nullum per hanc communem legem contraxerat debitum, & ideo hoc mortalitatis nostræ indumentum, tanquam prædivitem & inæstimabilem thesaurum, & veluti vestem quandam gloriosissimam ad Paradisum exornandum, & locupletandum secum portavit. Sanctus Augustinus in lib. de Assumptione tali utitur argumento, si Deus noster trium puerorum vestimenta inter voracissimas flammas illæsa conservavit, *Quidni Charissimæ matris corpus à corruptione & vermibus servaverit? an forsitan decebat ex eadem virginis carne filium Dei ac vermes procreari? lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra Cypressina*, Per hunc lectum autem caro virginea intelligitur, quæ filio unita fuit, at ideo tam Christi humanitas, quam corpus Mariæ, velut incorruptibiles cedri fuere. Unde Expositor quidam ait: *Domus hæ corpus Christi & Virginis, tigna domorum substantia corporum, quæ dicuntur cedrina, id est, incomputribilia.* Et Dionysius Carthusianus pariter ad propositum nostrum scribit: *Per domos istas possunt intelligi corpus virgineum sanctæ matris, & corpus salvificum unigeniti ejus*, ac tandem ad Cypressorum & Cedrorum interpretationem deveniens, subjungit: *Siquidem caro Christi non vidit corruptionem; nec ambigitur, quod filius ille omnipotens naturaliter bonus ac pius amantissimam ac fidelissimam matrem suam, tam corpore & anima assumpserit ad gloriam.*

Serm. 2. de dor. Deip.

Lib. 2. c. 8.

Job. 17. 14.

Exod. 3. 5.

Lib. 7. in Luc. c. 16.

Cant. 1. 16.

Alan.

5 Neque tamen illam mortuam esse dubitandum est, nam ut Damascenus scribit: *Filius suæ legi omnino obsequitur, atque ut quidem veteris Adami filia veteres pœnas subdit, nec mirum cum ipsius quoque filius, qui ipsamet vita est, eam minimè recusarit*, unde quidam devotus ejus cliens dicit, quod mors in ipsa *non fuit exactio delicti, sed imitatio dilecti.* Ipsam quoque mori conveniebat, ut veritas illa ipsam nimirum non ex divina natura, ut nonnulli blasphemarunt, sed ex humana stirpe oriundam esse, clarius elucesceret. Alcuinus vetustissimus scriptor interrogat, cur Enoch, qui in Paradisum terrestrem translatus fuit, nihilominus adhuc mori debeat? Et respondet: *Ut debitum solvat humanæ naturæ, & quod Christus voluit, nullus possit, id est, non mori.* At verò de morte Mariæ idemmet S. Joannes Damascenus ait: *Non te mors beatam reddidit, sed ipsa mortem exornasti, ut quæ ejus mæstitiam sustuleris, ac mortem gaudium esse plenum feceris.*

Quæst. 28.

Beatam Virginem præ amoris violentia mortuam esse ostenditur, qua Deo uniri suspirabat, ad quem anima & corpore tenus in cœlos evolavit.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Cant. 2. vers. 5.

1 NUllam aliam beata Virgo passa est infirmitatem, quæ beatissimam ejus animam ab ipsius sacrosancto corpore separavit, quam charitatis ardentissimi-

tissimique amoris languorem, qui in ejus corde continuò flagrabat; unde ait: *Adjuro vos filiæ Jerusalem si inveneritis dilectum meum; ut nuntietis ei, quia amore* Cant. 5. 8. *langueo*. Cum igitur languor & infirmitas isthæc, beatæ Virginis suam ab amore originem ducat, qua ratione ei infirmitatis nomen adscribi possit, nequaquam video, maximè cum de amore dicatur *Fortis est ut mors dilectio*, & paulò ante propositi thematis verba jam dixerat: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*, & posteà immediatè subjungit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Porrò multas in Scriptura sacra habemus Assumptionis figuras, veruntamen ne à sacris canticis abeam, una earum in c. 3. Cant. nobis proponitur, cum dicitur: *Fer-* Cant. 3. 9. *culum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani*. Etenim hæc ligna, quia nulli erant cariei subjecta, ad sacratissimum Deiparæ corpus alludebant, quod in cinerem minimè resolutum fuit, prout aliorum hominum corporibus evenit, siquidem protinus ad vitam immortalem translata fuit. Porrò Rupertus Abbas per thronum istum Mariam intellexit, siquidem idem qui de seipso ait: *Ecce plusquam Salomon hic*, Beatæ Virgini quoque dixit: *Veni electa mea, ponam in te thronum* Cant. 3. 10. *meum*; Id verò quod vel maximè hujus solemnitatis proposito adaptatur, est *reclinatorium aureum, ascensus purpureus*: Aurum & purpura enim quæ fulgent, charitatis & amoris symbolum sunt, super hanc sedem sive reclinatorium beata Virgo divini amoris alis ipsam ad cœlum elevantibus prædita ascendit; *media charitate conflagravit propter filias Jerusalem*, è quibus verbis non solum ardens erga Deum, sed etiam erga proximum Charitas arguitur. Pro cujus veritatis meliori intelligentia supponendum est loco fundamenti, animam non solum per viam doloris, sed etiam amore mediante separari potuisse. Unde S. Augustinus bene ait: *Nec* Libr. 4. in Luc. c. 4. *minorem febrim amoris esse dixerim, quam caloris: fortis est, ut mors dilectio*, id est, amor & dolor mortalis pari passu ambulant. Guerricus Abbas de Virgine scribens, per os ejus ita loquitur: *Ut minus miremini amo-* Serm. 2. de Assumpt. *rem meum, amore langueo, langueo plus impatientia amoris, quam passione doloris; plus vulnerata charitate quam gravata infirmitate; Filiæ Jerusalem, id est, Angeli nuntiate dilecto meo, quia amore langueo, ipse novit, quomodo medendum sit languori* S. Simeon senior vaticinando ad B. Virginem dixit. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit. Certe amoris sagitta* (inquit S. Bernar- Ser. 29. in Cant. dus) *pertransivit eam, scilicet animam virginis, ut veniret amor usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater charitatis*, utpote quæ de semetipsa ait: *Ego mater pulchræ dilectionis*. Cor enim ejus hoc amore adeo vulneratum fuit, ut S. Bernardus de hac sagitta, quæ eam transfixit, alio in loco ita scripserit: *Est gladius amor Dei, qui Mariæ animam non mo-* Serm. 1. de Purif. *do confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amor reliquerit*.

2 *Amore langueo*. Multi æque valdeque probati scriptores sunt, qui beatam Virginem præ divini amoris violentia mortuam fuisse existimant: è quorum nu- 2. t. in 3 p. dist. 14. sect. 1 Lib. 2. c. 12. mero sunt Albertus Magnus, Dionysius Carthusianus, & Guerricus Abbas, quod etiam doctissimus Suarez calculo suo probat. Imò ipsamet sanctissima Virgo idipsum S. Brigittæ revelavit, hisce verbis: *Paravi me ad exitum, circumiens omnia loca, in quibus filius meus passus fuerat: cumque quadam die animus meus suspensus esset in admirationem Divinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix capere se poterat, & in ista consideratione anima mea à corpore fuit soluta*. Decebat omninò, ut cum tributum illud ad filii sui imitationem naturæ expedire vellet nobilissimo quodam mortis genere privilegiaretur, quo melius nullum excogitari posset, imò tali quod etiam ardentissimi qui in cœlis Seraphini sunt ambire possent, si ejus capaces essent. Beatus Gebennensium Antistes Franciscus de Sales in libris de amore p. 2. l. 2. c. 13. Divino, similitudinem quandam Phœnicis adducit, quæ postquam consenuit, in altissimi montis culmine, quandam odoriferorum lignorum copiam in unum colligit, super quibus in molli lecto dies suos hunc in modum claudere dicitur, nam ad ardentissimos Solis radios, alas suas excutiens, & excutiendo ignem super illa lignorum strue accedens tandem semetipsam conflagrat & consumit, ut denuo in vitam novam renascatur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Enimverò postquam beatissima Virgo per vivacissimam quandam memoriam omnia vitæ, Passionis & mortis Filii sui amabilissima mysteria simul in unum in Spiritu suo collegisset, illisque mediantibus ardentissimas quas Sol justitiæ in ardenti amoris sui meridie, puræ cuipiam creaturæ immittere potest, inspirationes recepisset, ipsa ignitis hisce radiis per altissimam contemplationem cooperando adeò exarsit, ut velut suavissimum quoddam holocaustum totaliter conflagrarit, & consumpta fuerit. Unde à S. Ser. de Ass. Hieronymo vocatur. *Virgula fumi concremata intus in holocaustum incendio pii amoris, & desiderio Charitatis*. Porrò Suarez modum, quo per amorem emori potuerit, ita declarat: *Fieri potest, ut mens tanta efficacia, & intentione in his actibus amoris, & ardentissimi desiderii & altissimæ contemplationis occupetur, ut veluti destituat corpus, ita ut paulatim ejus dispositiones remittantur & deficiant, ac tandem ob earum defectum non possit anima in corpore conservari*. Dionysius Carthusia- Lib. 4. de lau. Virg. ar. 3. nus de transitu B. Virginis ita scribit: *Ad intuitum dilecti filii cum incomparabili inspiravit ardore, divinarum quoque rerum contemplationi erat profundissimè tunc intenta, ergo præ spiritualis suavitatis affluentissima ac ferventissima dilectione separabatur sine pœna a corpo-* Cant 7. 6. *re*. Porrò de B. Virginis Assumptione hunc in modum canit Ecclesia: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens* quales autem hæ delitiæ sint, ex aliis verbis colligitur, nimirum. *Quam pulchra es, & quam de-* Cant 1. 3. *cora charissima in delitiis?* Ubi septuaginta legunt: *Quam pulchra, & quam suavis facta es Charitas in delitiis tuis?*

3 Ehem quales fuerunt Mariæ post ejus in Cœlum assumptionem erga dilectum suum affectus & suspiria? Hæc utique effecerunt, quod coacta fuerit sæpius replicare trahe me post te, ubi Cardinalis Hilgrinius ait: *Dirigit B. V. sermonem ad filium dicens: trahe me post te ac si diceret: tu assumptus es ad Patris dexteram, assume Matrem ad gloriam*. Dionysius Carthusianus Ser. de Ass. Historiam adducit Jacobi Patriarchæ, cui postquam nuntiatum esset, quod Filius ejus in Ægypto vice Gen. 45. 28 Rex constitutus etiamnum viveret, ad eum videndum impatientissimus dixit: *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam & videbo illum: Non sic Jacob Patriarcha affici potuit ad videndum filium suum Josepho jucundum dominantem in Ægyptum, quantum afficiebatur piissima Mater & Virgo ad conspiciendum unicum suum filium Jesum gloriosissimum atque regnantem in cœlo*. De sancto Paulo postquam à Divino sagittario vulneratus esset, scribitur: *Desiderium habens dissolvi & esse cum Christo*: quanto igitur ardentius Virgo Phil. 1. 23. strictissimam illam cum filio unionem suspirare debebat, maximè quando ipsa in illa sacratissima humanitate magnam sui ipsius partem esse sciebat: Tritum & omnibus quasi obvium est illud sancti Augustini axioma: *Anima magis est ubi amat, quam ubi animat*. Et ideò anima Virginis in filio absorpta dici potest, & filius vicissim indissolubiliter ei conjunctus; unde longe melius Apostolo dicere poterat; *Vivo ego; jam non ego, vivit verò in me Christus*. In bilancem velim ponatis amorem quo quotquot unquam fuerunt, aut ad finem usque sæculorum futuræ sunt, animæ Deum amarunt, adjiciatis pariter omnium Spirituum beatorum ab infimo usque ad supremum ardentem Charitatem, & invenietis utique amorem beatæ Virginis omnium aliorum dilectione superiorem fuisse, magisque intensum, non solum ob serventissimorum actuum multiplicitatem & vehementiam intensionis, verum etiam ob objecti amati singularitatem & relationem. Cum enim aliæ Creaturæ Deum velut summum bonum, ut Creatorem, Redemptorem & glorificatorem suum diligant: Beata Virgo insuper ipsum tanquam filium suum, eumque adeo dignum, adeoque benè meritum amavit: *Dilectus meus mihi & ego illi. Non est in nobis qui eo nisi adeptio Deo*, inquit Bernardus; & S. Augustinus ait: *Inquietum est cor nostrum* Ser. de Ass. *donec requiescat in te*. Hujus objecti beatifici, hujus summi & infiniti boni totalis consecutio tanto magis desideratur & suspiratur, quantò majus est lumen & agnitio, quæ de tali bono habetur, hoc autem in beata Virgine perfectissimum erat; Et quidem tametsi ei

Ange-

Angelus verissimilè dixerit: *Dominus tecum*, nondum tamen filio suo adstricta erat *revelata facie gloriam speculans, sed vidit tantum per speculum in ænigmate*, nisi dicere velimus ipsam aliquando *per modum transeuntis* perfruitam fuisse aliquali radio. Et ideò meritò Sanctus Bernardus ait: *Si tantum concupivit præsentiam Filii existentis in terris, quid postea regnantis in cælis?* Duo illi discipuli, qui post Salvatoris resurrectionem in Castellum Emmaus concedebant, in brevissimo illo temporis spatio, quo ejus societate gavisi fuerant Luc. ult. coe sibi charitatis igne inflammati senserunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via.* Hinc igitur conjiciatix licet, qualix fuerit amoris ardor, quo beata Virgo per triginta trium annorum spatium cum Christo adeo erga se venerabundo obsequio, sibique unicè dilecto filio suo habitum consortium in anima sua exarsit? Hoc igitur supposito, quis est, qui non videat, qualiter, cum *fortis sit ut mors dilectio*, hæc tam excessiva virginis charitas, animam ejus à corpore separare, eamque centro suo, qui Filius ejus est, *Deus charitas est*, unire pervaluerit? Ecce tibi quibus verbis filius hodie non jam matrem, sed sponsam, invitet, dicendo: *Veni sponsa*, ad denotandum, quod amor Serm. 1. de Assumpt. eam desuper in triumphum circumduxerit. S. Bernardus ait: *Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis! numquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris, in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ?*

4 Verùm enimverò quid in eo latet mysterii, quod dicat: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* In memoriam hoc loco revocandum est, Cant. 2. 1. filium paulò in iisdem Canticis florem nominatum fuisse: *Ego flos campi*; item pomo comparatus fuit: *Sicut malus inter ligna sylvarum*, & ideò pro sui in hoc languore & infirmitate restauratione, & refocillatione nihil aliud quam hosce flores, & poma requirebat, quod idem erat, ac si diceret: inter filii sui dulcissima brachia requiescere desiderabat.

DE
SANCTO ROCHO CONFESSORE
Discursus Quinque.

Discursus I. Sanctus Rochus variorum territoriorum existens Dominus, in regionibus exteris peregrinatus est, ut Regnum sibi Evangelicum compararet.

Discursus II. Idem Sanctus Rochus consideratur, prout depingitur in habitu Peregrini, & ex hujus conditionibus variæ eliciuntur ejus virtutes, & merita.

Discursus III. Per adductam Josephi Patriarchæ Historiam de tormentis à S. Rocho in sua captivitate toleratis tractatur.

Discursus IV. Cum Sanctus Rochus è materno utero colorata quadam Cruce signatus egressus fuerit, ideo qualiter per totum vitæ suæ decursum Crucem portaverit, ostenditur.

Discursus V. Ex variis expositionibus super illa verba Psalmi: In cathedra pestilentiæ non sedit, Sanctum Rochum ab illa valdè alienum fuisse, ideoque sibi solemne illud adversus pestilentiam patrocinium comparasse ostenditur.

Sanctus Rochus variorum territoriorum existens Dominus seu proprietarius, in regionibus exteris peregrinatus est, ut Regnum sibi Evangelicum compararet.

DISCURSUS PRIMUS.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti.
Lucæ cap. 19. vers. 12.

1 INter alia Evangelia, quibus sancta Mater Ecclesia confessorum non Pontificum festa honorare consuevit, unum est id, quod hodie legitur, in quo parabola illa, quæ quoad præsentem S. Rochum Confessorem potius Historia est recensetur. Ille namque Dei Filius, qui *alta à longe cognoscit*, in hodierno Evangelio dicit, seu ut melius dicam, prædicit, quod vir quidam nobili genere natus, dives, & Dominiorum potens è territorio suo in regionem longinquam abiverit, demum tamen ad propria reversurus; eratque prolixum hoc iter in hunc præcipuè finem institutum, ut regnum quoddam sibi compararet: *Homo quidam nobilis, &c.* Porrò parabolam hanc quoddam eorum, quæ S. Rochus facturus erat, vaticinium & prædictionem fuisse, facilè is credet, qui vitam Sancti illius diligenter considerat. Sanctus etenim hic in Galliæ Occitanæ, sive Languedocii Provinciæ urbe, quæ mons Pessulanus dicitur, ex prosapia nobilissima, multarum regionum Dominus natus est. Cumque unicus Genitorum suorum hæres superstes mansisset, in ætate duodecim annorum constitutus pecunia ex venditis facultatibus comparata in pauperes regaliter distributa habitu tertiæ Regulæ S. Francisci indutus, commisso subditorum gubernio, patriæ, parentibus, delitiis atque voluptatibus æternum valedicens, in simplicis cujusdam peregrini habitu huc Romam adproperavit; undè sanctum hunc peregrinum seu viatorem hisce ab Eusebio Emisseno editis lamentis, in hac ejus honorificentissima fuga prosequi non posse videmur, dicendo: *Quid te sancte & humilis Christi serve tuorum complexibus præcipitem rapis sine causa?* Hom. de S. Max. Verum protinus nobis responderi posset; in hoc iter ipsum se non sine efficacissima causa movisse; quod enim cunctorum suorum territoriorum dominium ultro citroque aliis cesserit, hoc potissimum fine factum fuit, ut pro illis amplius quoddam regnum sibi compararet; *accipere sibi regnum*. Hoc, inquam, fuit unicum illius: *abiit in regionem longinquam*, motivum; non vero Romam concessit, eò quod hæc totius esset mundi Regina atque monarcha, sed *accipere sibi regnum*, illud videlicet, de quo Christus ait: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Enimverò quodnam vel quale regnum fuerit, paulisper examinemus.

2 *Accipere sibi regnum*. Regnum hoc, si rem benè consideremus, Evangelii adimpletio fuit; hanc enim Salvator noster regni nomine hisce verbis appellavit: *Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud regnum Dei*, id est, ut Glossa explicat, Marc. 10. 15. doctrinam Evangelii; hujus igitur sceptri assecutionem meditatus fuit, quando illud executus fuit consilium: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Matth. 19. 21. *Totum reliquit*, inquit Eusebius; Hom. cit. sed quo putas fine? *Ut illum posset obtinere, qui totus est; dicturus cum Apostolo: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

3 *Accipere sibi regnum*, Ecquis verborum illorum: *Regnum Dei intra vos est*, verum mihi sensum explicabit? Luc. 17. 21. Venerabilis Beda ait: *Regnum Dei seipsum dicit, intra ipsos positum, id est, in cordibus eorum, qui crediderunt, regnantem.* Hugo autem per *Regnum Dei*, *bonam conscientiam* intelligendam esse dicit. Undè sanctus ille Eremita, qui soli Deo lætus vivebat dicens: *Christum à me tollere nemo potest*, dicere solebat, per Regnum istud vel Christus, vel bona conscientia intelligitur; ut autem de hoc regno sibi comparando tantò certior esse posset, mundo, qui ei utpotè juveni, nobili, diviti, libero, & unico multorum territoriorum Domino, amicus & blandus erat, terga omninò vertit; & quantò longinquiùs à mundo recessit, tantò se Christo arctius astrinxit. Undè S. Maximus ait: *Christianus qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem.* Ser. 48. in append. S. August. Quòdsi verò per regnum istud bonam intelligere velimus conscientiam, videtur quòd ex eo, quod Theophylactus super eundem S. Lucæ contextum scribit, deducere perspicuè possimus sanctum hunc nostrum Confessorem optima fuisse conscientia præditum: *Omnino regnum Dei est, more Angelorum vivere, quando nihil mundanum in animabus*

nostris

nostris versatur; ex eo enim quòd nihil præterquam Deum in corde, anima, & conscientia habuit, id certè obtinuit, quòd totum mundum pedibus suis subjectum habuerit.

In cap. 6. Matth.

4. *Accipere sibi regnum*. Hugo de S. Victore super illa verba: *Adveniat regnum tuum*; ait: *Quid est enim regnum Dei nisi salus hominum; tantum advenit, quantum salus hominum crescit*; quantò quis salutis animæ suæ securitati magis consulit, tanto ampliùs ei de hujus regni consecutione sperare licebit, quod aliud non est, quàm beata æternitas. Porrò solicitudo illa & ingens cura, quam S. Rochus quoadusque vixit, de propria salute & beatitudine acquirenda habuit, probatione nequaquam indiget; siquidem illius causa quicquid dominiorum in hoc mundo possedit, pro Christo & anima sua libenter deseruit, sceptrum è manibus deposuit, ut eisdem hastile seu baculum peregrinantium arriperet.

Lib. 10. in Matth.

Venerabilis Beda de verè coronatis Regibus, secundùm Deum, non verò juxta hujus mundi loquendi usum tractans, de iis, id est, de justis dicit: *Sunt Reges magni, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt*. An verò sanctus hic Patronus noster regnum istud debito modo gubernare noverit, accuratiùs velim nonnihil examinemus. Inprimis igitur à prima ætate sensus suos sibi subditos habuit, quia eosdem rigidissimis semper jejuniis maceravit. Bellum quoque acre movit, sed solùm corpori suo, ciliciis illud catenarumque & disciplinarum ferro coercendo; ambitionis etiam honorisque proprii æstimationem tanquam pessimum inimicum, cæteroquin indomabilem penitùs dejecit, quando avunculo suo dominia sua renuntians, servili, humili, abjectoque vivendi modo sese adduxit. Divitiarum pariter cupiditatem superavit, quando illas inter pauperes liberaliter distribuit, ipse verò ostiatim panem mendicando se sustentavit. Ecce igitur quanta bona profuderit, ut regnum istud, cui inquirendo operam dabat, sibi compararet. Hugo Cardinalis ait;

In Luc. c. 19.

Hoc est pretium hujus regni paupertas voluntaria; qui etiam S. Augustini testimonium adducit, in persona Christi hoc modo loquentis: *Venale habeo*; *Et quid: Regnum cælorum. Quo emitur? paupertate*. Porrò terræ hujus regna iis præcipuè venduntur, qui majoribus divitiis abundant, sive quia majorem afferunt pecuniarum quantitatem; non verò idem sit quoad regnum cœlorum: hoc enim solus ille sibi vendicat, qui minus habet, imo qui pauperrimus esse, & nihil habere desiderat: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

In Regula c. c.

Sanctus Franciscus, qui magnus paupertatis amator & zelator fuit, illis Deuteronomii verbis: *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*; hanc in favorem paupertatis interpretationem adhibet: Quicquid nos pauperes religiosi contempsimus, pedibusque nostris conculcandum subjecimus, hoc totum dominio nostro subjectum erit, illiusque nos dominos efficiemus; indeque hanc deducit consequentiam: *Paupertas omnia calcat, ergo est omnium Regina*. Fuit autem hæc paupertas in S. Rocho tantò admirabilior, majorisque meriti, quantò certius est illum nullum emisisse religiosæ paupertatis votum, sed paupertatem merè voluntariam & arbitrariam fuisse, à qua pro libitu suo recedere poterat, ad principatuum suorum dominium redeundo. Et quidem tametsi revera post aliquantum temporis in paternam fuerit domum reversus; *accepto regno reversus est*; hic tamen reditus, ut suo loco videbimus, eò tantùm spectavit, ut de comparati sibi regni securitate sibi magis prospiceret, non verò ut dominia & principatus hactenus ultro derelictos, denuo sibi gubernandos & administrandos reassumeret; nam per ingeniosam adinventionem in hujus acquisiti cœlestis sceptri possessione se mediantibus passionibus & ærumnis tanto stabilius solidare voluit; scriptum est enim: *Si sustinebimus, & conregnabimus*.

Tim. 2. 12.

Quamprimùm enim ad domum paternam denuo rediit? tanquam proditor & insidiosus explorator ab avunculo suo in carcerem conjectus fuit, ibique ad mortem usque compedibus & catenis enormiter obstrictus, absque eo quod unquam manifestaretur. Hugo Cardinalis super illa propositi thematis verba: *Accipere sibi regnum*, dicit, id est, regnum Redemptoris, *quod sibi & suis promeruit patiendo*.

Lib. 3. nat. quæst.

5. *Accipere sibi regnum*. Moralis Seneca quærit: *Quid præcipuum in rebus humanis sit?* & respondet: *Posse læto animo adversa tolerare, quidquid acciderit sic ferre, quasi sibi volueris accidere*. Ecce tibi in sancto hoc Confessore nostro præsentem casum *in terminis*: quicquid enim pro hoc beato regno sibi comparando pœnarum, ærumnarum, afflictionum perpessus est, hoc totum ex propriæ liberæ voluntatis electione sustinuit; quod enim principatuum suorum regimini & dominio cesserit, quod in regiones longinquas peregrinatus fuerit, quod pauper & abjectus multis annis vixerit, quod denique velut impius patriæ suæ traditor longo tempore carceris squalores pertulerit; omnes hæ passiones ipsi voluntariæ & ultroneæ fuerunt: *Læto animo adversa toleravit; quicquid sustinuit, sic sustinuit, ut voluerit ea sibi accidere*. S. Petrus Damianus in sermone quodam de S. Alexio, mendicum Lazarum considerat, qui ad pellendam famem ne quidem micas ab Epulonis mensa deciduas habere valens, quia Epulo illas canibus potiùs projicere malebat. *Invitus esuriebat; potioris procul dubio meriti fuit pauper iste*, inquit de S. Alexio. Quod si Lazarus micarum licèt modica subsidia habere potuisset, à fame stimulatus libenter easdem assumpsisset: *Cui tamen alimenta nemo misericorditer indulgebat; iste vero dum sibi sumptuosa divitiarum omnium copia uberè suppeteret, tum omnis hujus mundi gloria se sibi, si dignaretur, gratis offerret, imo etiam nolenti se violenter ingereret, omnia repulit, cuncta contempsit*. Idem quoque de S. Rocho dicere possumus, qui solido quinque annorum spatio in obscuro quodam & squalido carcere seclusus, catenisque & compedibus arctissimè vinctus patienter perseveravit, cùm tamen unico duntaxat verbo pronuntiato, ad instar Josephi è servilibus vinculis ad regia, ut ita dicam, sceptra transire posset; in atroci hac & diuturna ærumnarum lucta, existimo quod ad reprimendos ingentis desiderii stimulos, quo se ab hoc carcere eximi cupiebat, quod unico tantùm verbo prolato facere poterat, sibimetipsi dixerit: *Subjecta esto Deo anima mea, quoniam ab ipso patientia mea*; ut in regno Dei sibi dominari & principari liceat, eousque se subjicere voluit, ut inter compedes & manicas ferreas servus & mancipium factus, imo in regno hujus mundi veluti traditor quidam habitus fuerit. Optimè Augustinus ait: *Quis tanta toleraret? Nunquid homo? Et si homo; nunquid à seipso?* Nequaquam, respondet sanctus Doctor: *Ab ipso patientia mea*. Tertulianus de patientia Redemptoris tractans ita scribit: *Taceo quod figitur; in hoc enim venerat; nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? sed saginari voluptate patientia discessurus volebat*. S. Rocho integram quandam in longa sua peregrinatione tot passionum & ærumnarum pœnosissimam sustinuisse iliadem minimè sufficiebat, neque contentus fuit quod carcere, compedes, manicas, catenas passus fuerit, quin etiam tanquam homo vilis, & infamis proditoris patriæ contumelia notari & maculari voluit, *saginari voluptate patientia voluit*. Idem verò Tertullianus alia quædam verba huic nostro proposito optimè deservientia subjungit, dum ait: *Qui in hominis forma proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est*. Id quod de S. Rocho quoque dicere possumus; cùm enim in summo voluptatum & delitiarum domus suæ apice pati & affligi decrevisset, intra quinquennii solidum spatium ne unico quidem verbo aut gestu, imo ne per unicam cogitationem à suis agnosci voluit; & cur? *Nihil de impatientia hominis imitatus*, patientiam imitari voluit Redemptoris, qui rogatus ut de cruce descenderet, in patibulo persistere tamen voluit, non obstante quod ei dicerent: *Alios salvos fecit, seipsum non valuit salvum facere*. S. Rochus multos ab epidimiæ peste liberaverat; ac tandem & ipse eadem peste in hoc diutumo carcere correptus, & ex ea mortuus fuit. Scitisne causam cur è Deo ab illa liberari non postularit? *Saginari voluptate patientia discessurus volebat*. B. Ægidius S. Francisci socius dicere solebat: *Qui patienter sustinet tribulationes propter Deum, tenet jam pedem in alio mundo*. S. Rochus, ut diximus, nullum in hoc mundo pedem tenuit; siquidem peregrinus in eodem vixit, adeoque per patientiæ suæ merita non unum tantùm pedem, sed ambos in alio mundo habuit. *Ubi ego sum*, inquit Christus, *illic & minister meus erit*. Verè hic Sanctus verus Christi minister fuit, ideòque regni ipsius possessionem accepit; nimirum de illorum genere fuit, de quibus S. Apostolus scribit: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*. Notandum est autem, ex quibus verum quendam Dei servum agnosci velit,

Ps. 51. — In Ps. 51. — Lib. de Patient. c. 3. — 2 Cor. 6. 4.

velit, nimirum in omnibus illis, in quibus virtus sancti Rochi emicuit: *In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in vigiliis, in jejuniis multis.*

6 *Accipere sibi regnum. Servire Deo regnare est.* S. Rochus Deo serviendo, pedibusque suis sceptra & dominia substernendo & calcando, mundi gloriam & venerationem non solùm in cœlo, sed & in terra sibi acquisivit. De Moyse Propheta Domini scribitur, quòd *negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei.* Undè Chrysostomus hanc deducit consequentiam: *Majus ergo bonum est afflictio, in quam se conjicit ex regia.* Neque irrita fuit hæc à Moyse facta electio, quia mox ut se Moyses Dei servitio addixit, Deus quoque eidem declaravit dicens: *Constitui te Deum Pharaonis.* Undè colligitur quòd servi Dei ipsis quoque Regibus timorem & venerationem incutiant. Enimverò nunquam sibi S. Rochus tantam sibi penes mundum comparasset gloriam, si sua sibi retinuisset Dominia & Principatus, imò si universa possedisset totius mundi regna, quantam assecutus est per illorum fugam, suique ipsius contemptum. Etenim paucos Sanctos esse constat, in quorum honorem tot sint erectæ Capellæ, Altaria, Confraternitates, Hospitalia, Oratoria & Ecclesiæ in omnibus orbis civitatibus & territoriis, quot erectæ fuerunt in S. Rochi honorem & venerationem.

Idem Sanctus Rochus consideratur prout depingitur in habitu Peregrini; & ex hujus conditionibus variæ eliciuntur ejus virtutes & merita.

DISCURSUS SECUNDUS.

Sint lumbi vestri precincti. Luc. cap. 12. vers. 35.

1 PLanè mysticus est habitus ille, in quo S. Rochus depingitur; quia tametsi omnes, quotquot in hac mortali vita vivimus, viatores & peregrini sumus, hic tamen succinctus peregrinantium habitus ipsi propriissimè adaptatur: non solum ideo quòd tota ejus vita continua quædam fuit peregrinatio, verum etiam quia præ cunctis aliis Sanctis peregrinantium conditiones in virtutibus & heroicis actionibus suis expressit. Undè longè meliùs Davide Deo dicere potuit: *Advena ego sum apud te & peregrinus.* (Psalm 38. 13.)

2 Quando quis iter aliquod adoriri, & per varias regiones peregrinari decrevit, tunc id, ad quod se primò omnium resolvere debet, in hoc consistit, ut scilicet patriæ, parentibus, amicis, & quas domi suæ habet, vitæ commoditatibus valedicat & terga vertat. Idem quoque sanctus hic Confessor noster adimplevit; siquidem duodecimum annum agens amplis se divitiis paternis, quarum unicus superstes hæres remanserat, privavit, pauperibus easdem distribuendo; omnesque commoditates, delitias, suorumque Principatuum imperium deserens, pauperem quandam & contemptibilem vitam elegit. S. Bruno optimè invitatorium illud, quo Deus animam sanctam excitat, nimirum. *Veni sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis*; (Cant. 4. 8.) ponderans, quærit: Quonam modo illi, priusquam pugnam adorsa fuerit, coronam promittere potest? Nunquid Apostoli axioma est: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit?* (2. Tim. 2. 5.) Quænam hujus animæ hactenus recensitæ fuere certamina, ob quæ præmii & retributionis causa ad diadema vocetur? Ergone tanta res est montem Libanum ad unam sponsi vocem & invitatorium relinquere? Imò verò, inquit Sanctus: *Ipsum igitur venire certare est*; audite rationem quam addit: *Neque enim ei facile fuit patriam parentesque relinquere, pristinos mores, antiquam consuetudinem.* Et quidem in quibus vitæ commoditatibus atque deliciis adolescentem hunc divitiarum dominiorumque paternorum unicum hæredem, genitorum suorum opera à primis annis enutritum fuisse existimatis? & tamen hic in jucundissimo annorum suorum flore internam Dei vocem sequens, sumpto in manu peregrinantium baculo, à Libano, id est humanarum felicitatum centro recedit, atque per invia & devia, præruptaque rupium & viarum, perque vias arduas & difficiles perrumpens, ad ærumnas, & afflictiones sustinendas sese accingit. Id quod revera magnæ cujusdam perfectionis & sanctitatis specimen fuit.

3. *Et peregrinus.* Ut peregrinantes ad ambulandum expeditiores esse valeant, nunquam multa supellectile, multisque pecuniis onerare se solent; id enim faciendo nil nisi laborem & fatigationem sibi parerent. *Amor meus, pondus meum*, inquit S. Augustinus. Enimvero ponderosior, quæ cor & animam nostram aggravat, sarcina est amor & affectus inordinatus, quo res terreas prosequimur; ideoque S. Petrus primos fideles obsecrando rogabat dicens: *Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* (1. Petr. 2.) Porrò S. Rochus pondus istud deposuit, quando se divitiis, honoribus, delitiis, libertate, voluptatibus; cunctisque aliis quæ mundus liberali manu ei conferebat, ultrò citroque cessit. Optimè Theodoretus notat, quod porta Tabernaculi per mysticam quandam architecturam Orientem spectaverit, ad insinuandum, quòd quisquis se divino servitio dedicare statuit, is primò ut humanæ prosperitatis Orienti tergum vertat, necessum sit. Elisæus ab Elia ad sui sequelam invitatus, ultimum vale parentibus dicturus ad eosdem abeundi licentiam accepit, ad agrum verò reversus per quoddam boum, quibuscum terram excoluerat, mactavit, eosdemque juxta ligna confracti aratri excoxit. Verùm dicat fortasse aliquis: nunquid igitur alia ligna præsto erant, quàm conscissi & confracti aratri; ac deinde aut ad unicum prandium tantùm unicum par boum, vel alia modica paria mactantur? Abulensis respondet: *Hoc fecit non quia non haberet alia ligna, sed quia transibat ad Dominum, omninò volebat renuntiare sæculo, ita ut nihil relinqueret in illo quod pertineret ad ipsum.* Equidem sanctus Confessor noster à lenocinante eique abblandiente mundo plus aut ampliùs illo, quod ei copiosè donaverat, recipere nequaquam poterat, utpotè qui imperia, honores, sanitatem, juventutem, vitæ libertatem, delitias & voluptates in suo positas arbitrio habebat; at verò hæc omnia non nisi animam nostram aggravantia pondera esse cognoscens, prædictis omnibus sese perlibenter privavit, ad hoc ut in præsenti exilio ad cœlestem patriam tantò agilius & expeditius procedere posset: *Projecisti mundum, ut acquireres cœlum*, inquit S. Petrus Damianus. (Lib. 7. epist. 19.)

4 *Peregrinus.* Peregrinaturus viam ingreditur regiam, tritam & directam, ne in periculo sit in prærupta & præcipitia viarum incidendi. Enimverò via, quam peregrinus noster ingressus fuit, est ille qui de seipso ait: *Ego sum via.* Undè S. Leo Papa ait: *Meritò Dominus iste factus est via, quia nisi per Christum non itur ad Christum.* Porrò sanctus Confessor noster ex industria sibi vitam & passionem Redemptoris nostri imitandam proposuit, prouti ex historia vitæ ejus facilè colligere licet; ideoque, prouti deinceps videbimus, increata illa Sapientia disposuit, ut è materno utero colorata quadam cruce prodiret signatus, utpotè qui Redemptoris sui crucem esse portaturus.

5 *Peregrinus.* Peregrini, qui ab aliis agnosci aut honorari nolunt, modico quodam, paupere & peregrino se habitu induunt, seque ad humile quodvis ministerium demittunt, & pedites incedunt. S. Rochus non solùm vestitus est habitu peregrini alicujus extrinsecus, verùm insuper, & longè magis hoc habitu indutus est interiùs in anima sua, humilimè de semetipso interiùs sentiendo, seque ipsum demittendo & contemnendo; ait quidem Chrysostomus *Hospes vilis & contemnendus esse videtur*; (Hom 6. in Acta.) hoc tamen de illis intelligendum venit, qui ob fines & respectus humanos per mundum discurrunt, non verò de iis hospitibus, qui ex amore Dei & per spiritus & virtutis instinctum peregrinantur: *Nos hospites eos appellare solemus, qui relicta sua patria in alienam regionem perveniunt*; sunt verba ejusdem Chrysostomi, qui paulò post de sanctis Patriarchis tractans, de quibus S. Paulus loquitur, ita ait: *Illi vere non ita erant hospites, sed quod orbem universum despicerent, & parvi facientes terram ad cœlestem illam civitatem respiciebant*: talis verò Sanctus noster erat, qui per mundum peregrini instar vagatus est; quia eundem contemnebat, utpotè quem pedibus suis subjectum habebat, quemque dum adhuc variorum territoriorum Dominus esset, toto corde contempserat. Hoc quoque vili habitu sese induit, ne sibi agnito obsequia ab aliis deferrentur, maximè quando ad

do ad domum paternam denuo rediit; in qua de seipso

Hom. de S. Max. dici potuit, quod de S. Maximo dixit Emissenus? *Stupebat in sinu suo patria civem suum peregrinari*; hunc autem stuporem patria, & concives ejus tunc vel maximè concipiebant, quando ipsum quinque annis continuis in tenebricoso quodam carcere inter compedes, & manicas ferreas, tanquam reum, & patriæ suæ, cujus verus Princeps & Dominus erat, traditorem affligi elegisse intellexerunt. Sileni Alcibiadis, imagines quædam erant, quæ aperiebantur, quæ quidem extrinsecus vultus præseferebant turpes, deformes, monstruosos atque ridiculos, attamen mox ut aperiebantur, augustam quandam prodebant deitatem, quas proindè cæci gentiles veluti Deos immortales adorabant. Socrates quoque hispidus quidam rusticus esse videbatur, cùm tamen stupendum esset temporis sui oraculum. Quemnam nobis de sanctis Apostolis formaturi fuissemus conceptum, si nobis illos videre licuisset nudi pedes, laceros, & veluti abjectum hominum propudium ab omnibus passim contemptos; & tamen vero in ipsis magnificum illud adimplebatur encomium: *Vos secli justi judices, & vera mundi lumina*. Ad eundem prorsus modum si quis solo corporis oculo S. Rochum contemplatus fuisset, quando vili & ignota veste procedebat indutus, haud dubiè eum existimasset vile quoddam esse mendicabulum, & tamen vere de eo dici poterat, ipsum utpotè Apostolicam quandam vitam profitentem, strenuum esse virtutum meritorumque Apostolicorum æmulatorem, cui proindè dici jure merito potuisset: *Jam non es hospes & advena, sed es civis Sanctorum, & domesticus Dei*.

Gen. 12. 1. 6 *Peregrinus*. Quondam Deus hisce Abrahamum verbis alloquebatur: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi, faciamque te in gentem magnam, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus; benedicam benedicentibus tibi, in te benedicentur universæ cognationes terræ*. Quàm apertè autem hæc omnia Sancto nostro adaptare valeamus, quis est qui non videat? vix etenim ipsum ex solo Dei amore in exteras usque regiones procul à suis peregrinantem conspicietis; quin etiam ipsum plurimis à Deo modis glorificatum fuisse clarè videbitis: *Ubique locorum*, inquit Baronius in suis ad Romanum Martyrologium annotationibus, *ejus veneranda imagines, altaria, sacella, & templa erecta fuerunt*; etenim Deus congruentissimè ita disposuit, ut in omnibus Christianismi locis omnes fideles sanctum hunc Confessorem certatim honorent, vota in ejus gratam memoriam ubique suspendendo, hunceque communi consensu festivissimè concelebrando, adeo ut de ipso verificetur illud: *Magnificabo nomen tuum, erisque benedictus; in te benedicentur universæ cognationes terræ*. Etenim Italiam assecutus, in eaque Aquampendentem usque pertingens; multosque eodem in loco mortiferæ pestis contagio correptos inveniens, hospitalia ingressus est publica, ibique ad inserviendum pestiferis promptissimè sese exponens, eosdem formato sanctæ Crucis signo protinùs optatæ valetudini restituit. Undè in præfato Martyrologio dicitur: *Multas Italia urbes à morbo epidemia signo Crucis liberavit*; quæ quidem miracula Romæ, Cæsenæ, Placentiæ, aliisque, quas ignoramus, in civitatibus operatus fuisse noscitur, donec tandem in fine annorum suorum constitutos, ab eodem hoc contagioso morbo correptus fuit; eo autem jam de facto obnoxius existens, cùm hanc à Deo postulasset gratiam, ut quotquot piè ipsum in precibus suis invocarent, ab omni pestilentiæ lue immunis evaderet, protinùs eandem à Deo obtinuit, à quo tempore non solùm privati homines verùm etiam integræ diversorum populorum nationes atque provinciæ huic flagello subjectæ, ad ejus recurrunt patrocinium illudque semper sibi propitium experiuntur. Enimvero dum Anno 1414. in urbe Constantiensi œcumenicum illud celeberrimumque haberetur Constantiense concilium, accidit ut idem ille locus ob aeris infectionem lethifera pestilentiæ lue mirum in modum corriperetur; mox vero ut in votiva quadam Processione solemni venerabilis Sancti Rochi imago in publicum delata fuit, contaminatus urbem præfatam ambiens aer pristinæ suæ puritati atque incolumitati protinùs restitutus permansit. Undè Baronius

In annot. Martyr. ait: *Solemni pompa ejus imaginem, omni comitante populo per urbem detulerunt, quò facilius pestis illa mox evanuit*. Porrò sumptuosissima in ejus honorem in variis Christianismi civitatibus erecta templa perspicuum nobis perhibent testimonium, Deum peculiares huic servo suo inclyto decrevisse honores, eo quod omnes mundi honores, & obsequia ejus amore declinaverit.

7 *Peregrinus*. Quotidie videmus, quod peregrinus in nulla civitate aut villa, quantumvis illa delitiosa sit, unquam diu subsistat, neque ob tripudia, aliaque quæ in vicis, quos pertransit, aguntur festiva gaudia, aliquam in ea, quam obit, platea moram trahit; secus enim ad præscriptum sibi vitæ terminum tardè nimis appelleret. E qua peregrini conditione Sanctus Leo Papa de spirituali peregrinatione scribens, morale hoc elicit documentum: *Ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiam si quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter*. Idem quoque sanctus Pontifex eam, in qua multi in hac mundanis illecebris tantopere subjecta vita, dies suos transigunt, continentiam considerans, ita scribit: *Beata mens, quæ peregrinationis suæ tempore casta sobrietate transcurrit, & in iis per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, at hospita magis quàm domina terrenorum*. Quæ verba S. Rocho aptissimè conveniunt; hic enim cum duodecimum ætatis suæ annum ageret, miros amplexus est, suoque corpori adhibuit rigores & austeritates: in ea namque ætate omnibus illi ætati perquam familiaribus delitiis, recreationibus atque divitiis nuntium perfectè remisit; & ne inter prodigiosa miraculorum patrata opera per humanæ gloriæ vanitatem abriperetur, ab omnibus, quibus notus erat, hominibus studiosè se subduxit, seque in fugam recipiens, in media abjectissimorum hominum turba incognitus, in hospitalibus cunctis promptissimè deserviebat.

Serm. 2. de Abstin.

Serm. in. de Quadr.

8 *Peregrinus*. Inter vagos mundi hujus viatores multi sunt, qui quicquid in variis regionibus boni, pulchri, aut pretiosi & novi inveniunt, studiosissimè sibi comparant, ut ea in patriam suam reversi, aliis spectanda præbere possint. Id quod Eusebius Emissenus applicans ait: *Sic industrius atque avidus negotiator extera atque longinqua expetit, collaturus regionibus suis peregrina atque pretiosa commercia, absentat se paulisper à patria, ut novas opes atque divitias transmarinas reportet ad patriam*. Porrò S. Rochus quæ in patria sua possidebat dominia, status, delitias, divitias, honores & obsequia, cuncta generosissimè est aspernatus; novas autem pretiosissimas, & inæstimabili valore censendas alias merces, nimirum labores, ærumnas, pericula, opprobria, famem, sitim, nuditatem per totum mundum studiosissimè perquisivit, hasque tam peregrinas divitias in patriam suam secum detulit, ut illis in obscuri carceris sui exantlato quinquennio gaudere posset, utpotè in quo tanta sustinuit, ut ne quidem contagiosa epidimiæ pestis, quam in tot aliis locis repertam in fugam egerat, ipsi defuerit, tametsi illam in solius proximi utilitatem atque beneficium in corpore suo admiserit, ut tantò fieret Deo gratior atque acceptior.

9 *Peregrinus*. Quonam mysterio factum fuisse existimatis, quod Salvator peregrini habito non priùs sese accinxerit, quàm postquam post gloriosam resurrectionem suam gloriosi corporis dotibus amictus comparuit, id est, postquam in castellum Emmaus abeuntibus discipulis manifestus apparuit? equidem iden id factum esse existimo, ut per hoc perspicuè nobis insinuaret, solos peregrinos insigni æternæ beatitudinis arrha vel pignore locupletatos esse. Undè Hugo Cardinalis ait: *post resurrectionem peregrinus apparuit, & in forma peregrini; quasi dicat, solis peregrinis apparebo in gloria*. Porrò peregrini multis subjicitur pluviarum, ardentis Solis, lassitudinis, famis, sitis, aliorumque dispendiorum injuriis; in quibus ærumnæ illæ denotantur, quibus illi in hac vita subjacere debent, qui ad cœlestem patriam contendunt. Legatis velim beati hujus & felicissimi peregrini vitam, sic enim facilè, quot & quantis subjectus fuerit ærumnis, intelligetis.

In cap. 25. Genes.

Per adductam Josephi Patriarchæ historiam de tormentis S.Rocho in sua captivitate toleratis pulchrè dissèritur.

DISCURSUS TERTIUS.

Beatus vir qui suffert tentationem. Jacobi cap. 1.

1 QUodnam est elementum illud, in quo pretiosum, & in ditissimo paradisi ærario reponendum aurum probandum erit? quisnam erit probitatem ejus indicans lapis lydius? utique tentatio, passiones adversitates; dicitur enim: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Nos quidem hodierna die S. Rochum fulgentissimo diademate redimitum devoti veneramur, at vero aurum, è quo diadema istud adeo pretiosum fabrefactum fuit, prius per pœnarum ac tormentorum ab ipso lubenti animo toleratorum flammas ignemque urentem pertransire debuit; de quibus in præsenti Discursu agendum nobis erit, veruntamen ne nimis latum campum ingrediamur, Discursum hunc nostrum ad ultimas restringemus vitæ ejus periodos: & quidem priusquam illud aggrediamur, celeberrimam illam venditi Josephi historiam Geneseos cap. 42. descriptam in sancti hujus Confessoris laudem ponderemus. Etenim extrema famis necessitas, qua terra Chanaan affligebatur, filios Jacob, ut frumenti sibi comparandi caosa in Ægyptum se reciperent, coegit, ubi postquam necessitatem suam Josepho regni illius Vice-Regi ea qua par est cum reverentia insinuassent. Joseph ipsos fratres suos germanos esse protinus agnovit, tametsi ipsi id ne somniassent quidem; ideoque illos quoad externam apparentiam, duriusculè habuit: *Cumque agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur;* ipsos namque calumniabatur tanquam regni exploratores, dicens: *Exploratores estis, ut videatis infirmiora terræ, venistis;* ideoque illos in tetrum carcerem conjectos, vinculis ferreis atque compedibus adstringi præcepit: *Vos eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, utrùm vera an falsa sint.* S. Gregorius laudes Scripturæ exponens dicit: *In Sanctorum vita cognoscimus, quid in sacra Scriptura volumine intelligere debeamus,* quod cum trito illo Pauli axiomate prorsus convenit, quo dicitur: *Omnia in figura contingebant illis.* Quis enim non videt in hoc facto multis ab indè sæculis figuratum fuisse, quicquid in persona sancti Confessoris nostri eventurum erat? Porrò in ejus vita legimus, quod cùm in primis ætatis suæ annis à monte Pessulano, cujus loci unà cum pluribus aliis hæreditariis statibus suis dominium possidebat, in assumpto peregrini habitu, relicto penes patruum suum subditarum regionum suarum dominio discessisset, tandem post multos annos, quando jam susque deque patria sua bellorum turbine eversa erat, ab eodem patruo suo velut perfidus traditor & explorator in carcerem squalidum conjectus, manicisque & catenis ferreis ab eodem onustus & constrictus, & quinquennii solidi spatio commoratus fuerit. Enimvero utramque audistis historiam, nunc pro majori fructu nostro spirituali eas, quæ inter utramque historiam intercedunt, convenientias pariter & differentias observemus. Joseph igitur suos quidem fratres probè agnoscebat; veruntamen priusquam in fraternos eorundem rueret amplexus, eusdem affligere voluit, ut quilibet eorum dicere posset: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam;* at verò quod sanctum hunc Confessorem attinet, ipsum à patruo suo agnitum fuisse non constat, licet patruum eidem à primo reditu illius momento notissimum fuisse noscatur esse certissimum; imò recenti insuper tenuisse memoria, se è dominiis suis abeuntem ultro citroque eidem in cunctos ditionum suarum subditos sceptrum consignasse pariter & imperium; & ideò patruus præfatus mox ut post mortem sancti Confessoris, eum quem vinculis immaniter adstrinxerat sanctum Rochum fuisse intellexisset, inconsolabiliter indoluit. Et ideò Historia dicit: *Patruum recognoscens, non est agnitus ab eo.* Præterea Joseph ad fratres suos *quasi ad alienos durius loquebatur,* licet id sub simulationis tegmine fieret: Pari quoque ratione, quia sancti Confessoris servi & subditi eum non cognoscebant, eumdem tanquam reum & perfidum reipublicæ traditorem indignissimè habuerunt. Porrò quod Josephi fratres eum non agnoverint, hujus Chrysostomus hanc proposito nostro valdè opportunam adducit rationem: *Quia multum temporis intercesserat, faciem non agnoverunt; verisimile enim est juvenem olim, nunc immutatum faciei suæ effigie; idque totum opinor divinæ dispensationis fuisse, ita ut non potuerint vel ex sermone vel ex aspectu fratrem cognoscere.* Joseph persuasum sibi esse simulabat, fratres suos nullo alio fine Ægypti regnum ingressos fuisse, quam ut vires, & fortitudinem illius explorarent, hocque prætextu ad eos mortificandos utebatur; Unde dicebat: *Exploratores estis,* vel ut sanctus Augustinus legit: *Exploratorum pœna digni estis:* Similiter sanctus Rochus tametsi & ipse nequaquam eo fine in patriam suam redux factus fuisset, ut munitiora illius loca exploraret, attamen veluti proditor & explorator patriæ suæ captus, & mulctatus fuit; *exploratorum pœna affectus fuit.* Abulensis dicit per exploratorem in hac occasione, de qua Joseph loquitur, illum præcipuè intelligi, qui principis alicujus statum ex omni ejus parte considerat, situm loci, vias earumque impedimenta, mœnia eorumque fortalitia diligenter investigat, ut demum reversus ditionem in suam redigere potestatem valeat, id quod ad sanctum Rochum minimè quadrabat, siquidem Mons Pessulanus cum omnibus dominiis adjacentibus S. Rocho tanquam legitimo, naturali & hæreditario Principi suo subjectus erat. Porrò fratres Joseph ab omni se culpa exonerantes, coram eo suam contestati sunt innocentiam, dicentes: *Nec quicquam famuli tui machinantur mali;* quin potiùs servos se ejus addictissimos esse declararunt, *famuli tui;* ad eundem modum S. Rochus eorum qui eum tanquam servum & vile mancipium vinculis onerabant, verus & naturalis Dominus atque Patronus erat. Fratres sæpedicti S. Josepho dixerunt. *Pacifici venimus,* id est, ut Abulensis declarat: *Non ad pugnandum* venimus; hoc autem generosus athleta noster dicere nequaquam potuit, utpotè qui patriam suam, imò carcerem illum in quo delitescebat, in certaminis campum sive arenam elegerat. Quot sibi in hoc campo palmas comparavit, in quo semetipsum, mundum, senium, & universum infernum toties tamque gloriosè detriumphavit & devicit. Quando filii Jacob se intra squalidi illius carceris muros constrictos cernebant, ingenuè ad invicem fassi sunt, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum;* nihil autem tale S. Rochus dicere potuit, utpotè qui patruum non solum nunquam offendit vel læsit, quin potius multis magnisque beneficiis adauxit; nisi forte in alio commodiori sensu verba illa accipiantur, tunc enim sanctus Rochus optimè dicere poterat; *Meritò hæc patior;* quia sensus erat: Perlibenti animo hæc omnia patienter sustineo, ut magna mihi ad regnum cœleste comparandum merita accumulem. In vitis Patrum de sancta Eugenia legitur, quod cum ipsa virum se esse fingens, in Monachorum quorundam monasterio, religiosum induisse habitum, progressu temporis à pessima quadam muliere amore, quo ipsam Eugeniam hactenus prosecuta fuerat in odium infeliciter commutato, turpem adulterii perpessa est calumniam, unde ad sui ab illa sibi irrogata calumnia purgationem operæ pretium fore duxit semetipsam, quænam esset, manifestare; ac proinde dixit: *Non enim honestatis simulationem assumpsi, ut vir fœminam simularem, sed fœmina viriliter agendo, virum gessi, virginitatem quæ in Christo est, fortiter amplectendo.* Id quod de sancto quoque Peregrino nostro affirmare nos posse videmur; utpotè qui hunc Peregrini habitum utique non eo fine induit, ut eo contectus subditorum suorum animos securius exploraret, qui utique eum veluti Dominum & patronum suum reveriti fuissent, & tanquam obedientes subditi perlibenter ipsi debitam jurassent fidelitatem, sed potius hoc habitu indutus est *ut virum gereret,* hominem se virtuosum exhibendo, sciens quod *vir à virtute,* dicatur, seque occultando, & abscondendo contemptus, humiliatus & contemptus inter ipsos viveret, sceptrumque illud moderaretur, quo ut in primo discursu ex mente venerabilis Bedæ diximus, veri servi Dei uti solent, qui *sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.*

Hom. 10 in Ezech.

2 *Beatus vir qui suffert tentationem.* Poterat quidem S. Ro-

S. Rochus tanquam potens ditionum suarum Dominus splendidè vivere, suisque Dominiis gloriosè præesse, nisi probè scivisset quod *melior est patiens viro forti, & qui* Prov. 16. 32 *dominatur animo suo expugnatore urbium*. Subditi illius eum sub hoc peregrini habitu, exploratorem & proditorem contegere, eumque eo fine venisse arbitrabantur, ut explorato urbis situ & munitionum validitate pervestigata bellum ipsis intentaret, & non intelligebant ipsum aliud nihil moliri, quam ut sibimetipsis per passionum tolerantiam bellum indiceret, in eoque invictum animi sui robur spectandum proponeret. Cum Sanctus Ignatius Martyr patiendi avidissimus, Romam ibidem à leonibus dilaniandus perduceretur, nihil adeo metuit, quem ne fortè fideles orationum suarum præsidio interposito martyrium ejus toto animi conatu impedirent; nullus eum truculenti Tyranni metus incesserat, quin potius hanc ipsam sancta quadam ambitione erga se vehementius intendi desiderabat, unde devotis illis Romanæ urbis fidelibus dicebat: *Timeo dilectionem vestram*: pari quoque ratione S. Rochus carcerum squalores, compedum, manicarum, catenarumque ferrearum gravia pondera, famem, nuditatem, aliosque contemptus nec quicquam timebat, utpotè sciens, quod *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*; quin potius quos vel maximè sibi inimicos futuros, asperioraque bella moturos esse metuebat, alii non erant quam honores & obsequia quæ à subditis suis expectare poterat: *Timeo dilectionem vestram*, timebat voluptates, delitias, paternæque domus suæ divitias, quæ ipsum si à suis agnosci potuisset, infallibiliter manebat, optimè namque id verum esse intelligebat, quod S. Augustinus hisce verbis Epist. 144. scribit: *Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus, & magis cavendus cum illicit, diligi, quam cum admonet, cogitque contemni*. Idem quoque sanctus Doctor Christianæ illius animæ generositatem, quæ cum humana fœlicitate decertans, seque eadem longè superiorem esse probans, ab eadem se seduci non sinit, ponderans, ait: *Magna virtutis est cum felicitate luctari, ne* Ser. 13. de ver. Domini c. 6. *illiciat, ne corrumpat, magna felicitatis est à felicitate non vinci*. Magnæ utique generositatis indicium est inter opprobria, subsannationes, contemptus, persecutiones & supplicia solidè immobiliterque posse subsistere, indubitatumque heroicæ virtutis specimen censeri debet, si quis in ipsomet honorum, voluptatum, divitiarumque, cæterorumque blandimentorum, quæ mundus exhibere potest culmine constitutus, præ illis omnibus opprobria, ignominias, contemptus paupertatis extremæ æquanimem tolerantiam, nuditatem, carceres & catenarum vincula norit eligere, prouti S. Rochus facere optimè novit. Cur igitur si S. Rocho Martyrii palmam attribuere non possimus, Martyrii meritum eidem adimamus? *Quid enim si igne corpus non combusseris*, inquit Chrysostomus; *sed* Ho. 12. in ep. ad Heb. *potest alio igne, ut puta igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis, licere enim delicatè lauteque & splendide vitam agere, laboriosam autem & acerbam vitam eligere & corpus morte afficere, an non est oblatio holocausti?* Porrò ferrea catenarum vincula, quibus in horrido illo carcere tenebatur constrictus, vincula ipsi videbantur esse aurea, id est, vincula amoris & charitatis, siquidem amor Dei, & quo ardebat pro ipso patiendi desiderium, ipsum plusquam omnes catenæ in vinculis constrictum tenebant. Porrò in Martyribus catenæ non tam voluntariæ erant, quam necessariæ, quippè à quibus se nullo alio remedio, quam fidem abnegando eximere poterant: at verò S. Rochus sine ullo legis Evangelicæ præjudicio se ab illo carcere in libertatem asserere, imò velut alter Joseph à compedibus ad sceptra transire facilè poterat. Quando illi viginti quatuor Martyres Japonenses Anno 1622. decimo die Septembris in Japonia lento igne torrendi erant, ignis procul ab iisdem accensus fuit; ipsi vero stipitibus quidem alligati fuerunt, sed vinculis duntaxat vim in eis, ut iisdem ab igne consumptis, soluti denuò & liberi, in fugam se pro libitu recipere possent, eamque fugam barbari infideles abnegatæ fidei evidens statuerant esse indicium. Similia prorsus fuere vincula, quibus sanctus Confessor noster integro quinquennio in squalido illo carcere constrictus tenebatur, estque admodum verisimile cum quovis die, imò quolibet quasi momento monitum & solicitatum fuisse, ut se ab illis exsolveret, id quod unico duntaxat verbo facillimè assequi potuisset, si nimirum sese manifestasset; mox enim in eo adimpletum fuisset, *quod de carcere, catenisque in-* Eccl. 4. 14. *terdum quis egrediatur ad regnum*; sed noluit, imo carcerem illum summæ sibi gloriæ loco esse duxit. Hildebertus Archiepiscopus Turonensis ait: *Animi libertatem plures inter tormenta servarunt, inter opes autem* Epist. 43. *pauci*. Ecce tibi igitur ingens in hoc Dei servo relucens prodigium, siquidem in medio divitiarum, honorum, delitiarumque suarum positus, ab iis se ne per umbram quidem decipi permisit, sed à duodecimo ætatis anno easdem pedibus suis substratas contempsit. In pœnis & opprobriis, quæ in medio ditionum suarum, & in domo sua paterna sustinebat, semetipsum vincere & superare novit, dum tanta cum constantia, tamque diuturno tempore in passionibus suis sustinendis perstitit. Quapropter sancto Rocho vere adaptare possumus, quod de S. Alexio quondam dixit S. Petrus Damianus, nimirum: *Novum Martyrii genus, novum præbet in admiratione spectaculum; Martyribus enim carcer erat pœna, catena pressura, isti verè propria domus auratis decorata tricliniis erat materia tentationis*. S. Hieronymus de Josepho in carcere constituto ita scribit: *Quam beatum dixerim eum dum in carcerem mitteretur, quia subibat pro castitate martyrium?* Porrò S. Rochus ex propriæ voluntatis electione in carcerem conjicitur, sed quonam fine id eum elegisse existimatis? ne domus suæ delitiis & libertate frueretur, ne authoritate super alios emineret, ne famulorum copiosis honoraretur obsequiis. Unde de eo jure dicere possumus, quod sanctus Bernardus in sermone 1. in festum omnium Sanctorum scribit: *Quod Martyrum gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias? descenditque cum illo in foveam*, ita de Josepho scriptura loquitur, *& in vinculis non dereliquit eum*. Circa quæ verba S. Cyprianus ita scribit: *Pudicus juvenis, quia dilectio conscientiam non miscuit, in imum carceris truditur sed sola non erat in carcere pudicitia, non est cum Joseph Deus*. Quanto igitur magis Deum huic servo in carcere adfuisse dicere possumus? siquidem sanctus Rochus ut cunctas virtutes Christianas conservaret illæsas, in obscurum est carcerem conjectus, easque ibidem omnes veluti in loco tutissimo integerrimè conservavit, nimirum paupertatem, abstinentiam, nuditatem, patientiam, castitatem, mortificationem, humilitatem, mansuetudinem, & sic de cunctis aliis virtutibus, præcipuè verò de omnium Regina charitate discurrendo: *Solus non erat in carcere, nam erat cum ipso Deus*, qui præter Deum aliud nihil quærebat, utpote qui *attulit illi sceptrum regni*. Regni, inquam, non terreni sed cœlestis, idque in præmium illius fortitudinis, quo Regnum terræ hujus contempsit.

Cum S. Rochus ex materno utero colorata quadam Cruce signatus fuerit, ideò qualiter per totum vitæ suæ decursum Crucem suam portaverit, ostenditur.

DISCURSUS QUARTUS.

Si quis vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me. Marci capit. 16.

1 TAmetsi adducti thematis verba à S. matre Ecclesia Martyribus applicentur, eadem tamen S. Rochi meritis admodum conformia, in eoque ad literam adimpleta fuisse diffiteri non possumus. Etenim sanctus Confessor noster in habitu Peregrini baculum sive scipionem in manu sua portans depingi & repræsentari solet, qui proprium est Crucis signum, ac proinde scipio iste, ut plurimum in supremo apice Cruce insigniri solet. Sanctus Augustinus de Elisei baculo loquens di- Ser. 203. de temp. cit: *Baculus sine Eliseo nihil valebat, quia Crux sine Christo nihil poterat*. Idem quoque de baculo Jacobi, quem is manu sua detulit, quando uxorem ducturus in Mesopotamiam concessit, scribens ait:

Jacob au accipiendam uxorem exhibuit baculum, & Christus ad redimendam Ecclesiam suam detulit Crucis lignum. Clarius Albertus Magnus loquitur, is enim considerans qualiter DEUS in Exodo Agnum manducare volentibus baculum in manu sua deferre præceperit, ita scribit: *Per quod detur intelligi, quod corpus Domini accepturi, debent, recordari se peregrinos esse super terram, & quod baculum sanctæ Crucis oportet eos in manibus operationum suarum jugiter deportare.* Enimverò hoc supposito vitam & res gestas S. Rochi accuratius velim hodie examinetis, videbitis enim & ipsum per totum vitæ suæ decursum non tam portasse baculum quendam seu scipionem, quam in cunctis operationibus suis, imò quod plus est in corde suo firmiter sibi impressisse Crucem, id est, tanta fuisse passum, ut de ipso verissimè dici possit: *Baculum S. Crucis in manibus operationum suarum jugiter deportavit.*

Serm. 79.

Ser. in Do. Pasc.

2. *Tulit Crucem suam.* S. Rochus à Christo ad Crucem amplexandam animatus fuit, non solum per vestigia ipsius animæ intime impressa, verum etiam per signum quoddam quod corpori ejus impressum esse voluit, siquidem dum è materno utero suo egrederetur, colorata quadam cruce insignitus apparuit. S. Bonaventura ait: *Verè dicuntur Crucem ferre, qui noverunt à delitiis abstinere & carnem, ne valeat lascivare, sobrietate coercere. Unde dicitur: Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Porrò S. Rochus ab ipsis annis puerilibus crucem hanc amplexatus fuit, siquidem omnes voluptates, delitias, domusque paternæ commoditates, eo potissimum tempore quo vitæ libertatem sibi vel maximè vendicare poterat, generose contempsit; dum enim unicus esset amplissimarum facultatum hæres, & insignium principatuum, Dominiorumque variorum possessor, Princeps & Dominus, omnia sensualitatis carnalis incentiva repressurus, rigidæ cuidam & austeræ vitæ sese dedicavit, ærumnosam quandam & deinceps semper continuandam exorsus peregrinationem. Dionysius Carthusianus illis Christi verbis: *Tollat crucem suam & sequatur me*, hanc adhibet interpretationem, ut sensus sit: *Seipsum quotidie per opera pœnitentiæ mortificet*, quod sanctus Confessor noster egregiè adimplevit, siquidem nullus unquam dies transiit, quo corpus suum vigiliis, laboribus, jejuniis, alisque rigidis austeritatibus plurimum non maceraric. Porrò Crux illa quam Salvator noster nobis portandam imposuit, lignea non fuit, nam ut S. Augustinus ait: *Crux Domini non tantum illa dicitur, quæ passionis tempore ligni transfixione constituitur, sed illa quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur*; ac proinde verè S. Rochus Crucem Domini fortiter portavit, nam si vitam ejus pervolvatis, invenietis unique nullam fuisse virtutem, quam non in gradu valde heroico exercuerit.

Ser. 3. de S. Andrea.

Ser. 31. de Sanctis.

3. *Tollat Crucem suam.* Cœlestem hanc doctrinam sanctus Apostolus nobis post se scriptam reliquit: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri.* Sed nunquid sufficienter id nos docuisset, dicendo? *In Cruce?* quid igitur opus erat addere verba illa: *Domini nostri?* aut quænam alia Crux cæteroquin subintelligi poterat? Enimverò quodsi sublatis in Calvarium montem oculis ibidem nonnihil circumspexeritis, tres ibidem Cruces erectas fuisse reperietis, quarum prima quæ est mali latronis, figura est eorum, qui inviti, id est, maledicendo & blasphemando Deum Crucem suam sustinent, non obstante quod totum id quod patiuntur, condignum sit proprium scelerum suorum supplicium. Secundum patibulum, quod est latronis justi, eorum symbolum fuit, qui considerantes, quod quicquid patiuntur, suis criminibus sæpenumerò justè promeriti fuerint, lubentissimo idipsum animo sustinent & perferunt: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus.* Tertia autem Crux, scilicet Christi, qui *oblatus est, quia ipse voluit*, eos præfigurat, qui tametsi veluti innocentes & immaculati ob virtutum & sanctitatis suæ merita omni sint honore & obsequio digni, ultrò tamen citròque ignominias, opprobria, persecutiones, famem, sitim, & nuditatem, ac quævis alia mala libenter patiuntur; & hæc propriè est Crux Christi, de qua intelligendus est Apostolus, quando nos hortatur, ut in Cruce Domini glorientur. Hæc quoque proprissimè Crux illa est, quam Rochus humeris suis sponte sua sibi imposuit; non enim illam in demeritorum suorum pœnam desert, sed ex sola patiendi avida siti & cupiditate; nam ut tanto amplius apud Deum mereretur, eumque in Crucis ejus bajulatione tanto imitaretur perfectius, tot se laboribus conficere, & præcipuè in supremis vitæ suæ diebus squalidum illum & probrosum carcerem patienter sustinere voluit. Hugo Cardinalis circa illa verba: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi*, ita scribit: *In eribus maxime, quæ sunt in Cruce, gloriandum est, in paupertate, amaritudine, & utilitate.* Et primò quidem gloriandum in paupertate; unde de sancto Rocho legitur, quod ut pauperes locupletaret, totum inter eos patrimonium suum distribuendo, ad summam se paupertatem & egestatem redegerit, atque ex virtutis illius amore ad tantam devenerat mendicitatem, ut Deus ipsius sustentationi insigni quodam patrato miraculo prospicere debuerit: Equidem fatendum est de ipso dici quidem non potuisse, quod ne quidem aliquod à cane subsidium habere potuerit, siquidem verissimum est, quod Deus ipsius canis cujusdam ministerio mediante panis alimoniam submiserit; hic tamen non nisi unicum panem tantum detulit, adeoque in veritate dicere potuit: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. Gloriandum* deindè *in amaritudine*, quia Crux Christi fel secum & acetum adfert, aut si quod ibi sit vinum, illud tamen myrrhatum adeoque amarissimum esse noscitur. Fel autem istud à sancto Confessore nostro degustatum suavissimum mel quoddam esse videbatur. Audite obsecro, quantis quamque variis experientiis Deus idipsum in eo comprobarit; *Quoniam acceptus erat Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret eum.* Porrò Diabolus postquam omnia Jobi interemisset pecorum armenta, omnemque, quam possidebat, substantiam disperdidisset, domum quoque filii sui natu majoris demoliendo, cunctos illius subitanea morte violenter oppressisset filios & filias, patientissimumque illum Prophetam nihilominus persistere videret generosum & intrepidum, conversus ad Deum inimicus infernalis dixit: *Tange os ejus & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi*, protinusque fœtentibus ulceribus corpus ejus percussit, adeò ut *à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas.* S. Rochus autem sponte propria omnibus se divitiis, Dominiis & Juris dictionibus generosè exuit, quibus antea subditos regere, & pro arbitrio gubernare poterat, & ex propria electione tanquam peregrinus per mundum oberravit, idque in tantis ærumnis, ut domum reversus non solum integro quinquennio omnibus ignotus esse, sed & in squalido carcere delitescere, in eoque mori voluerit; veruntamen in omnibus hisce ærumnis & miseriis verè suo quoque gavisus fuisse solatio dici poterat, eò quod plena frueretur propriæ voluntatis suæ satisfactione, siquidem quicquid ab initio conversionis suæ sustinuit, merus quidam ardentissimæ illius sitis qua continuò pro Dei gloria pati & affligi desiderabat, effectus fuit. Dicit enim Diabolus: *Tange os ejus & carnem.* Audite obsecro, quantam illi Deus fellis amaritudinem communicarit; Etenim Deus ei acutissimam quandam immisit molestissimæ febris infirmitatem; adhæc sagitta quadam eum graviter lædi permisit, quæ talos ejus pertransiens acerbissimos ei causarit dolores; à quibus dum vix jam liber evasisset, alia quædam pœnosissima eum invasit infirmitas, idque dum inter densas sylvarum quercus solus omni humano subsidio penitus destitutus degeret, sub opaca igitur quercu quadam prostratus, cum jam jam spiritum suum exhalaturus esse crederetur, omnis expers humani solatii, ecce tibi subitò apparentem canem, qui panem ei, quo se reficeret, ore suo detulit. Denique resumptis viribus in Patriam suam denuò reversus tandem post quinquennalem, ut diximus, summa cum patientia & æquanimitate toleratum carcerem, Epidimiæ peste correptus & mortuus fuit. Sanctus Paulus ad Corinthios scribens ait: *Signa, Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, prodigiis, & virtutibus*, Ubi Theodoretus ait: *Rectè signis tolerantiam præposuit*, per hoc insinuare volens, majoris æstimandam esse in adversis exercitatam patientiam, quam miracula patrandi facultatem, siquidem in communicato nobis miraculorum dono Dei debitores efficimur, dum vero per patientiæ exercitium adversa pro Deo sustinemus, Deum nobis debitorem fieri curamus. Ehem

Job. 2.

2. Cor. 12.

quot

quot miracula, eaque omnia prodigiosa Sanctus noster patravit? Etenim in hospitalibus, in quibus ex insignis devotionis instinctu serviebat, innumeros infirmos curavit; solo Crucis signo formato populos & civitates integras à peste epidimiæ liberatos sanitati restituit; in semetipso autem nulla prorsus operatus est prodigia: infirmitatibus enim, vulneribus, pestilentiæ perlibenter se subjectum esse vidit, probè sciens, quantum sibi, Crucem à DEO sibi communicatam patienter ferendo, lu-

Hom. 4. ad Phil. erum adscisceret: *Me autem gloriari oportet in amaritudine*. Nam ut Chrysostomus ait: *Pro Christo patimunus est majoris admirationis, quam revera mortuos suscitare, & signa miranda facere*, cujus eandem eum ea quam tetigimus, reddit rationem dicens: *Nam illis quidam debitor sum, hic vero debitorem habeo Christum*. Sanctus Grego-

Lib. 27. mor. c. 11. rius in libris Moralium curiosè inquirit causam cur sanctus Paulus in Insula Melitensi, cujus incolæ omnes idololatræ erant, patrem publii protinus à dysenteriæ infirmitate liberaverit, Timotheum verò, adeò sibi utilem & fructuosum in Evangelii prædicatione ministrum, licet ei, ut pro stomachi sui debilitate corroboranda modico vino uteretur, facilè permiserit, integræ tamen saluti corporali minimè restituerit, ac tandem optimè respondet: dicens: *Idcirco fiunt exteriora miracula, ut mentes ad interiora perducantur, quatenus per hoc, quod mirum visibiliter ostenditur, ea quæ admirabiliora sunt, invisibilia credantur: signo quippè virtutis Pater Publii sanandus erat, ut mente reviviseeret, dum miraculo ad salutem rediret. Timotheo autem adhibendum foris miraculum non erat, qui jam totus intus vivebat*. Idem quoque de sancto Rocho dicere possumus; Hic quippe ad magis propagandam Dei gloriam, tanta eum afflictorum plurimorum utilitate & commodo dono usus est miraculorum, ut ad veram pœnitentiam, veramque peccatorum suorum agnitionem perduceret, eodem tamen dono quoad sui ipsius curationem uti nequaquam vo-

Hom. 8. ad Eph. luit, quia *totus intus vivebat*. Chrysostomus de S. Paulo aliisque discipulis ejus concaptivis tractans ita scribit: *Cœlos aperiendi potestatem acceperunt, & carcerem aperturi non essent*? S. Rochus ingentes populos & nationes integras solo Crucis signo formato à peste sanaverat, cur igitur ab hac aliisque infirmitatibus sua intercessione salvare non potuisset semetipsum? Nimirum quia alias Crucis portandæ occasionem sibi eripuisset; unico verbo, si voluisset, carcerem sibi pandere potuisset, ut regiam ingrediendi liberum sibi aditum compararet, nec tamen voluit, unde illa Emisseni verba in Homelia de S. Maximo ipsi jure applicare possumus, dicentis: *Vobis hac apes salutifera in illo alveario mella confecit, sic lampas magna non sibi accenditur, sed lumen suum eminus jaculatur*. Etenim sanctus hic Confessor hoc quidem à Deo obtinuit, ut omnes quotquot ejus implorarunt auxilium, ejus quoque intercessione ab Epidemiæ pestilentia protinus liberarentur: ipse tamen eadem ex pestilentia haud gravatè sine ullo remedio mori elegit, ut Redemptorem suum imitaretur, qui in Cruce suspensus *non voluit seipsum salvum facere*. Notandum verò est inter alias hujus patibuli amaritudines numerandam

L. 4. ref. in Luc. quoque esse illam constantem adeò ab omnibus hujus mundi voluptatibus atque delitiis abstinentiam, nam ut S. Ambrosius scribit: *Malus in navi est Crux in Ecclesia; non corporalibus, ut Ulysses, ad arborem vinculis alligandus est animus, sed ad Crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendus est animus, ne lasciviarum moveatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis*. Alterum, de quo nobis gloriandum est, Crucis brachium, vilitas est, atque contemptus. *Gloriandum in vilitate*. Porrò S. Rochus hæreditariorum dominiorum suorum naturalis Princeps & Dominus erat, ac proinde subditos carcerum vinculis coercendi authoritate pollebat, vita denique & facultates eorum ejus arbitrio subjectæ erant; & tamen ut in hac Cruce gloriandi occasionem haberet, sponte propria ab illis tanquam proditor & explorator, & ut hominum abjectissimus omnium peripsema in carcere vinculis constringi elegit. Enimverò si ita est, prouti sancto Augustino de Salvatoris Cruce scribere placuit: *Ubi humilitas, ibi majestas: ubi infirmitas, ibi potestas: ubi mors, ibi vita*; Ecce tibi humilitatem sancti Rochi per sublimissimos honores gloriosè exaltatam; siquidem omnes populi, cunctæque nationes cum processionibus solemnibus, Ecclesiarum & altarium, sacellorumque erectione, festivaque diei hujus concelebratione strenuè inter se decertant: *Ubi infirmitas, ibi potestas*. Deus etenim justè ita disposuit, ut quoniam tot infirmitatum Cruces tam heroica cum patientia sustinuit, multa quoque sub nominis sui invocatione Hospitalia fundarentur, in quibus multi suis in infirmitatibus insignes ab eo gratias, innumeraque miraculorum prodigia in se experiantur, & feliciter obtineant.

Ex variis expositionibus illorum verborum Psalmi: *In Cathedra pestilentiæ non sedit*, S. Rochum valde ab illa alienum fuisse, ideoque sibi solemne illud adversus pestilentiam patrocinium comparasse, ostenditur.

DISCURSUS QUINTUS.

Beatus vir qui in Cathedra pestilentiæ non sedit. Ps. 1

1 HÆc Psalmi Davidici verba prima quidem facie ad laudem S. Rochi parum apta esse videntur; Ipse namque in Hospitalibus pestiferorum continuò dimoratus est, & tandem post patienter toleratum quinquennalem carcerem ab Epidimiæ peste mortuus est, suæque mortalitatis dies clausit, quomodo igitur eundem beatum appellare poterimus, dicendo: *Beatus vir qui in cathedra pestilentiæ non sedit*. Verum enimverò quodsi in illam pestem quæ non corpus, sed animam contagio suo inficit, intellectus nostri oculum converterimus, verissimum esse confitebimur utique sanctum hunc Confessorem nostrum vel maximè ex eo dici & censeri beatum, quia videlicet in cathedra pestilentiæ peccati, ne quidem per umbram unquam resedit; unde & piè credere possumus, ipsum à Divina providentia vel ex eo capite præ cunctis aliis Sanctis electum esse, qui tanquam specialis pestiferorum Patronus invocetur, ut ejus interventu à peste corpora nostra afficiente liberemur.

2 *In cathedra pestilentiæ non sedit*. Porrò sedere in ca- thedra authoritatem & dominium denotat: *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris*, Eccl. 7. 4. 2. Reg. 3. 25 monet Ecclesiasticus; similiter in Regum libris scribitur: *Cum sedisset Rex super cathedram suam*. Sanctus Rochus autem ne per unicum quidem diem huic cathedræ insedit, id est, Dominiorum suorum jura aut sceptrum nunquam contrectavit, utpotè ab omni humana excellentia & dignitate alienissimus; sed totius territorii sui regimen avunculo ab ineunte ætate totaliter cessit: *In cathedra pestilentiæ non sedit*; id est, ut exponit Chrysostomus. *Non aspiciebas ad gloriam pestem orbis* Ho. 35. in epist. 2. ad Cor. *terræ*. S. Augustinus vetustissimum quoddam Proverbium adducit in medium, dicens: *Proverbium notum est* Ser. 24. c. 3. *punicum, quod quidem latinè vobis dicam, Nummum quærit pestilentia, duos illi da, & ducat te*. Quod quidem proverbium, inquit idem S. Doctor, aliquam ad hodiernum Evangelium relationem dicit, siquidem ad illud consilium Evangelicum alludit, quo Salvator ait: *Si quis vult in judicio tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; vult avocare te litibus à Deo tuo, non habebis quietum cor, non habebis tranquillum animum*. Ehem quam pulchrè Proverbium istud in S. Rocho adimpletum fuit, quando ut pace cordis sui perfectè frueretur, sensusque suos spiritui perfectè subjiceret, cunctisque dominaretur appetitibus, patriam, parentes, amicos, delitias, voluptates, divitias, honores, cunctaque alia terrena promptè & expeditè deseruit. Sanctus Ambrosius in assumpti thematis nostri verba: *In cathedra pestilentiæ non sedit*, ita scribit: *gravia irritamenta sunt voluptatum, gravis fomes avaritiæ cupiditas potestatum, honoris ambitio, quæ velut veneno quodam mentes hominum, & quadam animas pestilenti vitiorum tabe contaminant*. Et quidem sanctus Ambrosius humanam dignitatem & præcellentiam, à qua tantoperè alienus fuit, hoc epitheto notat, quia sicut pestis solo anhelitu & respiratione attrahitur, ita quoque, inquit Nazianzenus, difficulter invenies qui si non à flamma, saltem ab humanæ glo-

riæ fumo passus sit se non contingi: *Si non flamma, saltem fumi sit particeps*. Sicut etiam ad declinandam pestem nullum est certius remedium, quàm si contagium omnibus modis fugias: ita quoque sanctus Confessor noster ad evitandum omne mundani honoris & gloriæ periculum, atque ad declinandam præparatam sibi à diversarum nationum populis maximè iis, quos beneficiis sibi obstrinxerat, venerationem & cultum, in peregrini habitu per diversas regiones in multis sibi occurentibus ærumnis & miseriis oberravit.

3 *In cathedra pestilentiæ non sedit*. Chaldæus legit: *In societate pestilentium non habitavit*; quinam autem & quales pestilentes hi homines sint, ex quadam expositione colligi potest, quam Primasius hisce verbis tradit: *Sepulchrum patens est guttur eorum, omnis odor mortis procedit de ore eorum*, ait de adulatoribus: *hoc est, verba pestifera & adulatoria, quæ interficiunt audientes, ideo enim sepulchra clauduntur, ne in vita positus exhalatione sua generent pestem*. Enimverò procul ab hac peste sanctus Confessor noster absuit, utpotè abnegationi & contemptui suiipsius totaliter deditus, ideoque humilis, pauper & incognitus semper vixit, sciens adulationem tale esse contagium, quod in Magnatum aulis vel maximè inetebrescit.

4 *In cathedra pestilentiæ non sedit*, Chrysostomus de studio, quo Salvator noster eradicando è corde Judæ insatiabili auri & argenti cupiditati operam dabat, tractans, notat perfidum hunc discipulum continuò cum eo fuisse conversatum qui adeo pauper fuit, quòd *non habuit, ubi caput suum reclinaret*, quique eandem paupertatem verbis & exemplo continuò insinuabat, *& tamen reprimere se non potuit*; indeque hoc deducit argumentum: *Quomodo igitur tu speras absque magna cura & diligenti studio contagionem hujus mortis effugere?* Optimè profectò S. Rochus contagium istud declinare novit: siquidem amplissimas facultates suas omnes pauperibus dispensavit, Christi amore pauper factus, qui tametsi ipsum fame mori nequaquam permiserit, attamen in extremis angustiis illius, nimirum quando in solitudine illa infirmus degebat, illum non nisi unico pane quem canis ministerio mediante ad eum misit, sustentavit. S. Hieronymus de S. Hilarione scribit, quod cum vir quidam certus, cui insigni quodam miraculo ingens beneficium contulerat, decem auri libras eidem obtulisset, ipse non nisi unicum hordeaceum panem ab eodem receperit, idque ea præcipuè de causa, ut idem S. Doctor subjungit, *quod qui tali alerentur cibo, aurum pro luto ducerent*; quod ipsum de S. Rocho quoque dicere possumus, hic enim pariter aurum & argentum haud secus ac lutum æstimavit, omnisque mensæ ipsius lautities in solo & nudo pane consistebat. (Tom. 2. in Mat. q. 32.) Abulensis Glossam citat ita scribentem: *Jejunio sanantur pestes corporis, oratione autem pestes animæ*. Undè verisimile est S. Rochum per orationem & jejunium omnem pestilentiam, quæ ejus potuisset animam contaminare.

5 *In cathedra pestilentiæ non sedit*. (T. 5. lib. 1. de prov.) Chrysostomus inquit: *Est & alia species pestis, quæ plurimum roboris habet, ad haurienda ac penitus evacuanda bona nostra, quæ cum multo labore colligimus, ventus scilicet inanis gloriæ; nam revera venti instar ingressa thesauros omnes virtutis exsufflat*; deque eadem vana gloria alibi dicit: (Hom. 17.) *Vermem pestiferum consovet*. Porrò hanc pestem sanctissimus hic Dei servus pro viribus suis studiosissimè declinavit. Ecquis enim unquam audivit unum ex atrocissimis divinæ justitiæ flagellis, quale est sæva pestilentia, quæ maximas desolatur civitates, & integras provincias in cœmiteria protinùs commutat, ab integris nationibus & gentibus solo crucis signo fugatum fuisse, prouti sæpiùs pestilentiam S. Rochus abegit? S. Gregorius Papa, cui Ecclesia Magni honorificentissimum titulum attribuit, per varias preces publicas, perque solemnes institutas processiones, postquam urbem Romanam in pœnitentem quandam Niniven commutasset, tandem divinæ justitiæ ancipitem gladium in vaginam denuò recondi videre meruit. Quot conatus S. Carolus Mediolani suo tempore adhibuit, ut Dei furorem & indignationem austerissimis pœnitentiis mediantibus placare posset? At vero specialissima hæc est S. Rochi gloria, quod quocunque se reciperet, abominabilem hunc morbum suis benedictionibus in fugam egerit, ac proindè quanti quàmque eximii erant honores, obsequia & applausus, quibus à tam detestabili morbo liberati tanto suo benefactori S. Rocho correspondere, & gratias referre satagebant? & tamen certum est quòd ne vel minima vanæ gloriæ aura ad humilem & puram hanc animam modestiæ, suique ipsius contemptui tantoperè deditam contaminandam prævalere potuerit. In Exodo legitur, quòd cùm Deus Moysis manum prodigiosa illa virga armavisset, qua cum tanta operaturus erat portenta atque prodigia, universam Ægyptum denis plagis percutiendo, eodem momento quo virgam hanc illi consignabat, (Exod. 4. 6.) hoc ei præceptum dederit: *Mitte manum tuam in sinum tuum*: cui morem protinùs gerens, manum paulò post leprosam foras protraxit: *quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar nivis*. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quòd manus illa, quæ tam rara & inaudita patratura erat prodigia, priùs lepra totaliter imbui debuerit? Nimirum eo fine id factum esse credendum, ne videlicet vel minimum gloriæ vanæ stimulum ex tantis à se patratis portentis conciperet. Undè Theodoretus ait: (Q. 10.) *Moysen admonuit non superbire debere, sed agnoscere naturam cum recordatione dextra lepra prius infecta*. Eodem forsitan mysterio contigit, quod divina providentia S. Rochum per sæpiùs repetitas molestissimas infirmitates afflixerit, in easque ipsum redegerit angustias, quasi fame moriturus esset, ipsumque tandem ex ipsomet pestilentiæ morbo, quam toties ab aliis abegerat, mori fecerit; *nec multitudo revelationum extolleret eum*, ne videlicet anima ejus perniciosissimo hoc vanæ gloriæ contagio inficeretur.

6 *In cathedra pestilentiæ non sedit*. S. Ambrosius de Josepho scribens, (Lib. de Joseph. c. 5.) quando pallium ejus inter mulieris eum ad turpe facinus solicitantis manus fugiens dereliquit, ita ait: *Contagium judicavit si diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva transirent*. S. Cyprianus hunc carnalis concupiscentiæ ignem describens ita ait: (De sing. cler.) *De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nascitur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam*. (Serm. 527.) S. Chrysologus choreas & tripudia hoc epitheto descripsit? *Fugetur saltatricum pestis*. S. Ambrosius quoque ait: (Lib. 6. ep. 63.) *Qui non sequitur Dominum Deum suum, in gurgitet se luxuriæ ac libidini, pestiferis corporis passionibus*. Hanc pestem Sanctus noster utique magnoperè evitavit, quando in tenera adolescentuli duodennis ætate cunctas carnis illecebras & incentiva sensualitatis fugiens, rigidissimæ & austerissimæ vitæ se penitùs consecravit.

7 *In cathedra pestilentiæ non sedit*. Pulchra quædam adversus pestem remedia in alio quodam Authore descripta reperio, quæ sunt: *Purgatio, alimenta bona, non perterreri, lætari, exerceri, mutare cœlum*; quidem Author circa eadem antidota moralizando, eaque ad spiritum reducendo, tandem prosequitur ea, quæ ad animæ salutem necessaria esse noscuntur, quæ sunt. *Purgatio confessionis, cibus optimus Eucharistia, contra terrorem conscientiæ securitas, lætitia de bono opere, exercitia precum, laudum, stationum, jejuniorum, mutatio cœli, fugienda prava consortia, occasionesque peccati*. Et quidem super vacaneum esse existimo hæc omnia in sancto Rocho exemplificare, utpote qui hæc omnia punctualissimè executus fuit.

8 Veruntamen videor mihi hoc loco in difficultatem quandam incidere valdè considerabilem; certum namque est quòd ad effugiendum contagium expeditius nihil sit, quàm locum infectum solicitè fugere, personas quoque & supellectilem isthoc contagio obnoxiam anxiè declinare; secus enim homo in magno est contagium sibi conciliandi periculo. Et tamen sanctus Rochus contrarium fecisse noscitur; siquidem voluptatum, divitiarum, honorum, & dominiorum perniciosum contagium, quod anteà per tot annorum curricula studiosissimè declinaverat, à paterna domo sua clam recedendo, nunc denuò cum ingenti se contaminandi periculo reperit. Quam difficultatem ut diluamus, sciendum est, verum quidem esse ipsum patrios denuò lares repetivisse, veruntamen id tantò fecit confidentiùs, quia ab hoc periculo erat securissimus; siquidem ad illud jam pertigerat Christianæ perfectionis fastigium, ut per divinæ gratiæ auxilium hoc sibi de virtute & stabilitate sua posset promittere, quòd in medio incentivorum ad voluptates & delicias sectandas stimulantium firmus posset subsistere; & tametsi in medio contagii esset positus, indè tamen nihil pateretur præjudicii, prouti re ipsa factum fuit; cùm enim voluptates, delitiæ, famulantium obsequia & subditorum imperia ac manum præsto essent in ipsius posita optione, ipse

tamen

tamen inter compedes & catenarum vincula ingemiscere maluit; id quod ingens quoddam fuit super humanæ virtutis miraculum. Quapropter firmiter mihi persuasum habeo, quod quin sanctus Confessor noster in hac pestilentiæ cathedra non sedit, id est, quia ab omnium prædictorum vitiorum contagio adeo alienus fuit, ideo Deus in adeo heroicorum actuum recompensam, jure merito in propositam ab eo divinæ Majestati suæ petitionem, nimirum quod omnes hoc pestis contagio infecti, qui ejus se commendantes patrocinio, pro sui liberatione ejus auxilium invocarent, protinùs ab eodem pestilentiæ liberarentur contagio, tanta cum affectus pronitate descendit; nam prope eum locum, ubi spiritum suum moriens Deo reddidit, tabella quædam inventa fuit, cui hæc verba incisa reperta fuere: *Peste laborantes ad Rochi patrocinium confugientes contagionem illam truculentissimam evasuros significo.*

DE

S. BARTHOLOMÆO

APOSTOLO

Discursus Sex.

S. Bartholomæus mediante oratione sua, in qua assiduus erat, singularissimas sibi virtutes, & dona comparavit.

DISCURSUS PRIMUS.

Erat pernoctans in oratione. Lucæ cap. 6.

1 VAlde mystica est lectio Evangelii illius, quod in hodierna S. Bartholomæi festivitate proponitur; siquidem in eo mentio fit Christi per integram noctem indefessè orantis: *Et erat pernoctans in oratione Dei*: eademque oratio ad instituendam à se duodecim Apostolorum electionem ordinata fuit. Mystica, inquam, est prædicti Evangelii lectio, atque ad præsens festum debitè honorandum aptissima; siquidem S. Bartholomæus præ omnibus aliis sese dignissimum orantis Magistri sui partum exhibuit, utpotè in quo sanctum illud orationis exercitium adeò perfectè eluxit; ut quemadmodum de Salvatore nostro scribitur: *Erat pernoctans in oratione*; ita quoque de hoc Apostolo ipsiusmet inimicus infernalis confiteatur; quòd *centies in die, & centies in nocte orat*. Psalmista quidem gloriabatur olim dicendo: *Septies in die laudem dixi tibi*; undè & septem Horæ Canonicæ, quas Ecclesiæ pro cujus libet diei circulum Deo cantare consuevit, suam traxerunt originem. Alibi quoque idem regius Propheta qui dem dicit; *Vespere, mane, & meridie narrabo & annuntiabo; & exaudiet vocem meam*; nunquam verò visum est tam ferventis, & assiduò continuatæ orationis exemplum, quod cum oratione S. Bartholomæi comparari queat; hic enim sui quoque corporis sustentationem & nutrimentum in oratione positum habere videbatur; nec immeritò; nam S. Augustinus ait: *Sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis & orationibus interior homo nutritur & pascitur.* Imò cùm plurium aliorum habeamus exempla, qui per hunc sanctæ orationis panem etiam corporaliter pasti atque nutriti fuere, sine omni fortasse temeritatis nota nobis licebit asserere, sanctum hunc Apostolum nostrum nullo alio nutrimento vitam suam traduxisse. Et enim de Moyse S. Hieronymus testatur hisce verbis: *Quadraginta diebus ac noctibus familiaritate & sermone Dei pascitur, in se verissimum probans quod dicitur: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* De hoc autem sancto Apostolo venerabilem illum scriptorem Dionysium Carthusianum sermone 2. de hodierna festivitate scribere certò constat, quod idolum Berith inter alia indicia, è quibus hunc Apostolum agnoscere possumus, hoc quoque veluti unum ex præcipuis expresserit, dicens: *Angeli cum eo ambulant, qui nunquam eum fatigari, nec esurire permittunt.* Undè sanctus hic Apostolus ad æmulationem Angelorum dicere potuisse videtur: *Ego cibo invisibili utor.* Metaphrastes quoque in discursu quodam encomiastico, de hoc Apostolo in laudem assiduæ orationis ipsius scribens hisce eum condecorat præclaris, encomiis, dum ab eo appellatur: *Suavè canens luscinia, cœlestis cicada.* Et paulo post: *Salve concinna sancti Spiritus paracleti cythara rationalis.* Enimvero prima quidem facie difficile nonnemini videri posset, ob angusti temporis brevitatem sanctum hunc Apostolum centies de die, & totidem vicibus de nocte orasse. Veruntamen S. Basilius egregia, & generosa hujus Apostoli opera, quibus sese exercebat, orationes quoque fuisse interpretatus, dum illud Apostoli monitum: *Sine intermissione orate*, in favorem hujus Apostoli exponens dicit *Nimirum actionibus, quæ per omnem vitam intento studio perficiuntur ad præscriptum; legis*; ac proindè ex hoc capite orationi ejus assiduitatem facilè licet deducere: siquidem ipse quoadusque hic in terris mortalis vixit, cunctas actiones non solum ad præceptorum; verùm etiam consiliorum Evangelicorum præscriptum accuratè conformavit. Adhæc cùm oratio nihil sit aliud quàm mentis nostræ quædam in Deum elevatio, vita ejus Apostolica merito continua quædam appellari potuit oratio; siquidem in Deum semper mente elevatus, eidemque arctissimo nexu adstrictus erat, nullam in se ex quovis externo opere distractionem admittens. Redemptor quidem noster de reliquis Apostolis non immerito lamentabatur dicens: *Non potuistis una hora vigilare mecum?* At vero ingens hujus Apostoli gloria, & singularis S. Bartholomæi prærogativa fuit, quod scilicet *centies, &c.* Verùm enimvero præcipuum punctum circa quod præsentem Discursum specialissimè agitari percuperem, in eo consistit, ut scilicet ostendatur, qualiter omnium donorum, virtutum & meritorum hujus Apostoli origo, è qua cuncta derivata fuere, sola fuerit oratio, cui tanta animi contentione deditus erat.

Pf. 118. 164. — Pf. 54. 18. — Exhor. de salut. mon. c. 28. — Li. 2. epist. 26. — 1. Tim. 5. 17. — Matt. 26. 40.

2 *Erat pernoctans in oratione Dei.* S. Ambrosius super illa verba: *Intret oratio mea in conspectu meo*, ita commentatur: *intret pietas, justitia, sobrietas, castimonia, disciplina.* S Gregorius Nyssenus ita scribit: *Oratio pudicitiæ præsidium atque tutamen est*; *oratio iracundiæ frænum est*, inquit S. Ephrem. Atque ideo vide qualiter juxta orationis plus minusve ferventis & assiduæ, virtutes quoque in anima multiplicentur atque progerminent. Et quidem in primis bonorum terrenorum contemptus, & præcipuè propriæ personæ ejus demissio atq; abjectio adeo heroica & generosa erat, ut tametsi juxta quorundam opinionem è nobilissima fuerit stirpe progenitus, se tamen Christi sequelæ eo potissimum tempore totaliter mancipavit, quando erat *opprobrium hominum, & abjectio plebis*; dumq; intimi illius & lectissimi discipuli non nisi pauperculi & abjecti piscatores erant. Paupertas quoque ejus extrema fuit; siquidem intra viginti sex annorum spatium, cùm potiorem peragrasset mundi partem, nunquam mutavit habitum. Divitiarum quoque contemptus ex posthabitis ingentibus opulentiisque

Orat. 1. in orat. — Dom. De orat.

thesauris, quos Rex eidem ob restitutam ab eo sanitati filiam suam obtulerat, clarè satis convincitur. Ejus quoque humilitas in eo eluxit, quod post patrata miracula ne applausus excipere cogeretur, ab hominum se oculis subduxerit. Mansuetudo ipsius in eo emicuit, quod adversus truculentos persecutores nulla unquam, fuerit iracundia commotus. Ejus quoque modestiam admiratur venerab. Dionysius Carthusianus, dum hunc
Serm. 1 de S. Bar. h. in modum de eo scribit: *Cum inter Apostolos esset nobilior & opulentior, tamen in toto sacro Evangelio nunquam legitur aliquod verbum esse locutus ad Christum.* Undè subdit eum illud adimplevisse Ecclesiastici monitum dicentis cap. 3. *Quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Sapientiam ipsius idem Dionysius Carthusianus ex ejus taciturnitate deducit: *Tanto*, inquit *sapientiæ signum fuit illa sancta taciturnitas sua, nam Salomon Prov. 6. ait: Qui moderatur labia sua, prudentissimus est. Et rursus: Qui moderatur sermones suos, sapiens & doctus est.* Evidens quoque fidei, pietatis & religionis, charitatis item & amoris erga Deum & proximos testimonium perhibent illæ tot animarum ab eo factæ innumeræ conversiones. Quæ amplissima messis orationis fructus pariter extitit; nam ut apud eundem Metaphrastem scribitur, *Tetendit orationis suæ retia, & gentes ipsas è profundo ereptas,*
Joseph. humilis. *illas quidem captivas, sed ad vitam tamen ductas conservavit.*

3 *Erat pernoctans in oratione.* Chrysostomus præclaram illam adversus inimicos infernales ab eo obten-
Hom. 53. in acta. tam victoriam orationis ipsius efficaciæ potissimum attribuit, dum ait; *Non leonis rugitus sic fugiat, ut justi oratio dæmones.* Etenim quisquis hujus sancti Apostoli vitam legerit, ipsum implacabile quoddam dæmonibus bellum movisse reperiet, qui se ab hominibus in idolis adorari procurabant; hi enim ore proprio sese igneis vinculis ab eo adstringi & coerceri palam fatebantur; unde unus ex ipsis dixisse fertur: *Apostole Dei Bartholomæe, me incendunt orationes tuæ.* Sanctus quoque Antoninus scribit, quod ad primum Apostoli hujus in regnum Persarum ingressum idolum Astaroth, quod præ cæteris majori in veneratione erat, prorsus obmutescens nè verbum quidem deinceps proferre potuerit; cujus obmutescentiæ causam cùm Pagani ex alio quodam simulachro sciscitarentur, hoc retulere responsum? *Deus vester catenis igneis religatus est, ita ut nec loqui, nec respirare valeat, ex quo Bartholomæus Apostolus Dei civitatem vestram ingressus est.* In libro Tobiæ accurate nobis, quidnam excitatus à concrematis in igne piscis illius visceribus fumus operatus fuerit, hisce verbis describitur: *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*; per quem fumum Lyranus ardentem Tobiæ & Saræ ora-
Tob 6. 8. tionem intelligendam esse tradit; ac proindè facilè unicuique erit conjicere, quantum S. Bartholomæi oratio tyrannidem infernalem, à qua regnum illud infidelitatis & paganismi caligine obtenebratum possidebatur prostraverit; hæc enim tantæ efficaciæ fuisse perhibetur, ut ipsiusmet dæmonis operam in sacrilegi cultus sui exterminium sibi subservire coegerit: *Præcepit dæmoni* (inquit S. Antoninus) *ut idolum Astaroth comminueret, & omnia alia simulachra templi per seipsum confringeret.* Undè à Dionysio Carthusiano ejus laudes describente
Ser. cit. *Vulnerator diaboli* appellatur, & in suprà citato Metaphrastis panegyrico de eo dicitur: *Oratione quidem dæmones fugiebat.*

4 *Erat pernoctans in oratione.* Chrysostomus lib. 2. de orando Deum, miraculorum donum orationis virtuti attribuit, dicens: *Paulus post miracula, post excitatos mortuos ad deprecationis præsidium accurrit, quandoquidem mortuorum excitationem, reliquaque omnia suppeditat deprecatio.* Quo principio supposito clarum est in hujus sancti Apostoli victoria, quod *precibus morbos insanabiles curabat, leprosos mundos faciens, cæcis visum restituens, claudos ad currendum expeditos faciens.* Ac proinde Dionysius Carthusianus nobilissimo hoc illum epitheto honoravit, ut dicatur: *Fons jugiter sa-*
Ser. cit. *nitates emanans.* Et quidem hæc fortasse causa fuit, quòd in hujus Apostoli hodierna festivitate illud decantetur Evangelium, in quo facta priùs assiduæ orationis mentione, circa finem hæc verba leguntur: *Qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis, & qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur*; id quod in S. Bartholomæo totaliter adimpletum fuisse novimus, qui in virtute orationis, cui assiduè & ferventer deditus erat, per insignia prorsus miracula variis malis oppressos confestim curabat.

5 *Erat pernoctans in oratione.* Porrò inter alios orationis fructus hic quoque eximius est, valdeque præcipuus, quòd scilicet infirmitati humanæ mirum animi vigorem subministret in medio passionum & cruciatuum, quos aliàs debilis & fragilis natura adeo abhorret, ut ipsemet Dei Filius se carnem hanc fragilem verè assumpsisse ostensurus, quando amarissimum passionis suæ calicem exhiberi vidit, *cœpit tædere, pavere,* Mar. 14.
& mœstus esse; qui tamen mox ad orationem recurrit 33.
ad instar generosi leonis de terra surrexit, miraque cum fortitudine animi confestim dixit: *Surgite eamus.* Undè B. Laurentius Justinianus de triumph. Christi agone ita scribit: *Intellige quantum oratio conferat, quæ paventem & agonizantem suscipiens Dominum, illum exhortantem reddiderit atque intrepidum; undè ajebat: Surgite eamus.* Olim per Zachariam Prophetam vaticinatum fuit; *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem Spiritum gratiæ & precum*, qui idem Propheta posteà fructum declaraturus, qui ab hac Zach 12.
orationis semente reportandus esset, subjunxit: *Et* 10.
aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super unigenitum. Oratio igitur ad imitationem Redemptoris ad tormenta & cruciatus subeundos animosos nos reddit. Inter acerbissima quæ tyrannorum carnificina unquam excogitare potuit, tormenta illud haud dubiè atrocissimum fuit, quod in suo corpore experiri coactus est S. Bartholomæus; generosa autem, qua illud ipsum fortiter sustinuit, constantia, orationis ipsius fervori potissimum adscribenda venit; nam ut S. Augustinus ait: *Orans Jeremias confortaba-* Ser. 22. ed
tur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in for- fratr.
nace tripudiant, Job in sterquilinio triumphat de diabolo. Porrò S. Bartholomæus in hoc infami tormento constitutus non solùm patientiam, sed miram quoque præ se tulit animi lætitiam; nam ut Granatensis in quodam sermone de hoc S. Apostolo scribit: *Semper eodem vultu & animo lætus & hilaris permansit*; cùm tamen carnifices ipsum detractis vestimentis nudarint, & ne se ullatenus movere posset, ad stipitem quendam alligatum, veluti totidem famelici lupi acceptis novaculis certatim detracta pelle vivum excoriarint: *Detractis vestibus, ut expeditiores essent, sulcare & scindere hinc indè sacratissimum illud corpus incipiunt, & inter cutem carnemque vias ferro aperire, rimari secreta viscerum, & altera quidem manu pellem ad se trahere, altera ferrum stringere, & cutem à carne separare, atque hac immanitate divini viri & terga, & pectora, & brachia, & fœmora, & crura conscindunt, lacerant, atque discerpunt.* Quibusnam verò modis immensis hisce doloribus, suæque carnis diræ excoriationi perferendæ sufficere poterat? Audite quæ sequuntur, sunt enim merus ejusdem Ludovici Granatensis Discursus, & verba ejusdem formalia: *Divinus autem Apostolus sanguinolentum corpus, ut regalem purpuram intuebatur, carnifices autem illos coronarum ministros atque fabricatores reputabat*, id quod unius solius meditationis & orationis ejus fructus erat; *corpus vere lacerum, holocaustum & hostiam vivam Deo placentem existimabat, & mentis oculis in crucifixi Domini sui imaginem defixis incredibili mentis alacritate triumphabat, quod se illi per mortis supplicium similem fieri videbat, & sanguini, quo redemptus fuerat, vicem sanguine suo rependebat.* Audite Apostolum ad hoc propositum aptè loquentem: *Per patientiam curramus ad* Hebr. 12.
propositum nobis certamen, aspicientes in consummato- 2.
rem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem; recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem; id quod priusquam à S. Paulo scriberetur, S. Bartholomæus exactissimè fuit executus. Quisnam autem orationis & meditationis hujus fructus fuit? *Ut ne fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis.*

Varia

Varia ejuſdem Sancti conſiderantur præconia, idque per varias ſacrorum interpretum expoſitiones illis Pſalmi verbis adhibitas: *Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora ejus.*

DISCURSUS SECUNDUS.

Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora ejus. Pſalm. 103. v. 3.

1 QUando regius Pſaltes Deum cœlum veluti pellem quandam extendiſſe dicit: *Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis ſuperiora ejus*, eundem in ſpiritu
Pſ.18.1. prophetico de ſancto Bartholomeo loqui voluiſſe omnino mihi perſuadeo: idem namque Pſalmiſta Apoſtolos alibi Cœlorum nomine non infrequenter condecoravit: *Cæli enarrant gloriam Dei*, id eſt, ut Gloſſa ait, *Apoſtoli*, adeoque dum ait? *Extendens cœlum ſicut pellem*; idem eſt ac ſi diceret: *Extendens Apoſtolum ſicut pellem*. De quonam verò idipſum ad literam aptiùs verificatur, quàm de S. Bartholomeo; utpotè cujus corpus non ſolùm inſtar pellis cujuſdam extenſum; verum etiam, prout omnibus notum eſt, decoriatum fuit; cui inſuper, prouti ex nominis Bartholomæi ethymologia videbimus ſequentia thematis verba: *Qui tegis aquis ſuperiora ejus*; veriſſimè & propriiſſimè conveniunt.

2 *Sicut pellem* Hugo Cardinalis ait: *Sancti prædicatores extenſi & diffuſi ſunt in omnem terram*; cujus rationem reddit dicens: nam *pellis a mortuo animali abſtrahitur, per quam deſignantur Prædicatores, per mortificationem carnis, quam debent habere, quam habuerunt Apoſtoli*. Quis autem inter omnes Apoſtolos magis carnem ſuam ad inſtar pellis cujuſdam mortificando, Apoſtolo noſtro maceravit? aut quis ipſo magis ad prædicandum Evangelium ſuper terram extenſus fuit? Dionyſius Carthuſianus Theodoreti teſtimonio fretus, quoad hoc tranſcendentem quandam laudem eidem attribuit, dicendo: *Bartholomæus Apoſtolus æqualiter ſicut Petrus fœcundavit Eccleſiam*; at vero Origenes ab eodem Carthu-
Serm. 1. de S. Barthol. ſiano adductus plus ultrà progreditur, & dicit: *Incertum eſſe quis majorem in mundo fructum fecerit, Bartholomæus an Petrus*. Etenim neſcio an de ullo aliorum Apoſtolorum æquè propriè ac de ſancto Bartholomæo hæc verba verificentur: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; cùm enim in totius mundi inter Apoſtolos facta partitione huic Apoſtolo Licaonia contigiſſet, in eaque innumeros ad ſanctam fidem noſtram, Chryſoſtomo teſte, convertiſſet, mox ſe ulteriùs in Indiam contulit, prouti Origenes, Euſebius & Nicephorus pariter teſtantur, abindè vero ſe recepit in Armeniam; qualem verò in dictis regionibus meſſem congregarit, ex eo haud obſcurè colligitur, quod Author vitæ ſeu hiſtoriæ ejus in ipſis laudem conſcripſit, dum ait: *O beatos illos pedes Evangelicis greſſibus ſpecioſos factos, & ad infinitarum animarum adeptionem recta via progredientes*. Auſcultetis velim Iſaiam Prophetam, qui ex eo quòd futuros in Evangelica lege eventus accuratiſſimè deſcripſerit, per antonomaſiam Propheta Evangelicus paſſim ab omnibus appellatur? hic enim in principio capitis 53. ita loquitur: *Lauda ſterilis, quæ non paris; decanta laudem, quoniam multi filii deſertæ magis, quam ejus quæ habet virum; dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende*. Quem textum Hugo Cardinalis ita interpretatur: *Poſt paſſionem Chriſti agit de vocatione Eccleſiæ de gentibus: Lauda ſterilis, id eſt, Eccleſia, quæ ſterilis fuiſti à bonis operibus, lauda DEUM qui te fœcundavit*. Enimvero feſtivitas hodierna, quæ de hoc ſancto Apoſtolo die concelebratur, nequaquam vulgaris eſt, aut ordinaria, ſiquidem in communi oratione de hoc Apoſtolo hodie ita legimus: *Hujus diei venerandam ſanctamque lætitiam in beati Apoſtoli Bartholomæi feſtivitate tribuiſti*; hujus autem lætitiæ cauſam idem Hugo Cardinalis per illa Iſaiæ verba exponit, *quoniam multi filii erunt tibi*, etenim meſſis, quam per Apoſtolicos ſudores ſuos Chriſto comparavit, copioſiſſima fuit, *infinita animæ*. Ac proinde dilatari jubet Propheta locum tentorii, quia *tentorium eſt Eccleſia, quæ militat ſuper terram; Tabernacula ſunt plures Eccleſiæ, pelles tabernaculorum ſunt prædicatores*. Cum enim ſanctus Bartholomæus in illis Provinciis & regnis, quibus Evangelium annuntiaret, multas erexiſſet Eccleſias, ſingulis quoque de myſticis hiſce pellibus, id eſt, de miniſtris Evangelicis abundè providit, præcipuè verò in Armenia, in qua poſtquam excoriatus eſſet Apoſtolus, per ejus interceſſionem Polemon Rex electus fuit Epiſcopus, qui per viginti annorum decurſum fidelium numerum incredibiliter adauxit. De lingua malè confluente c.8
Refert de Solymann Turcarum Imperatore Pater Hieremias Drexelius, quod cum dictus Imperator in expugnatione Inſulæ Rhodienſis filiam ſuam cuidam traditori Chriſtiano in conjugem dare promiſiſſet, ſi is per proditionem ſuam dictam Inſulam in Turcarum poſſet poteſtatem redigere; dictus proditor perfidiæ proditionis dolos, quos machinatus fuerat, feliciter abſolvit; peracta autem traditione grata quidem fuit dicto Imperatori proditio, non item proditor, quin potius ſummè illum execrabatur; cum verò traditor factæ ſibi promiſſionis executionem perurgeret, Imperator ad eam exequendam ſe promptum eſſe ſimulavit; ideoque filiam ſuam regiis ornamentis conſpicuam adduci fecit, ac tum ad ipſum traditorem converſus ait: quodſi nunc tibi placet, ut in generum te meum accipiens filiæ meæ te ſponſum & maritum jungi faciam, prius te in Mahometis legem tranſire neceſſum erit, adeoque non ſolum Chriſto tuo tibi renuntiandum, verum etiam hac qua toto corpore contegeris pelle, quæ Chriſti baptiſmalibus undis tincta fuit, exuendus eris, ac proinde vivum ipſum excoriari fecit, quo in ſupplicio, prout multis titulis juſtiſſime promeruerat, infeliciter mortuus fuit. Quam hiſtoriam ad propoſitum noſtrum haud ineptè ſic applicari poſſe exiſtimo. Sanctus enim Bartholomæus non jam traditor Domini ſui ut Judas, ſed Domini ſui fideliſſimus ſervus, ut infelicem illum Armeniæ populum paganum ab inimicorum infernalium tyrannide liberaret, omnibus nervis ſtudioſiſſimè contendit, ſperans ut in laborem ſuorum præmium Eccleſiæ triumphanti deſponſaretur: *Sponſabo* Obſe 2.10.
te mihi in fide, Gloſſa addit. *Eccleſia*, quæ proinde, ut mihi quidem videtur coram eo omni regio cultu ele- Apoc. 21.
gantiſſimè exornata, adducta fuit: *Vidi civitatem ſanctam*, id eſt, *Eccleſiam*, inquit Gloſſa, vel ut Lyranus ait: *Electorum ſocietatem deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam*; qualnam vero pacti hujus ſponſalitii leges fuiſſe exiſtimatis, quibuſcum hujus ſponſalitii contractus inter ipſum & ſponſam, æternam videlicet gloriam, ſtipulatus fuit? nimirum ut vivus à capite ad calcem uſque excoriaretur.

2 *Sicut pellem*. Quantum obſecro pellis aliqua animalis mortui maceratur, quantum convellitur, extenuatur, extenditur, priuſquam noſtris poſſit uſibus congruè adaptari? ac proinde quantum etiam ſanctus Bartholomæus in hoc atroci tormento extenuatus, convulſus, & extenſus fuit? *Extendens cælum ſicut pellem*, quaſi dicat, inquit Cardinalis, *quantum extendit homo ſuam pellem in pœnitentia, tantum extendis ei de cælo, id eſt, de cæleſti præmio*. Quod cum revera ita ſe habeat, quis unquam gloriæ illius, qua ſanctus hic Apoſtolus in cœlo feliciſſimè perfruitur, immenſitatem aſſequi poterit, qui pellem ſuam per tam atrocia tormenta, cruciatuſque intolerabiles præ cunctis aliis maceravit & extendit. Idemmet Cardinalis ſuper illa Iſaiæ verba: *Pelles tabernaculorum extende*, ita ſcribit: *Quilibet pellem tabernaculi ſui debet extendere, pellem enim extendere eſt carnem affligere*: Verum quidem eſt, quod ſanctus hic noſter Apoſtolus carnem ſuam graviter afflixit, quando centies de die, totidemque vicibus de nocte orationem ſuam inſtituit; at vero quid tandem de ultimi ſupplicii ſui carnificina dicendum nobis erit, etenim Tyrannus poſtquam corpus Apoſtoli aſperrimis flagel- Conc. 1.
lis cæcidiſſet, hac cruciatus immanitate minimè contentus, ut Granatenſis ait, *atrociſſimum hoc ſupplicii genus, nuſquam ante viſum, Sathana inſtigante excogitavit, quod & acerbitate ſua, & novitate, & diuturnitate Apoſtolum immaniſſime cruciavit*. Novum procul dubio fuit hocce Martyrium; nam ſi Iſajas per medium acutiſſimis ſerræ cujuſdam dentibus ſecatus fuit, ſecta pariter fuit ſancta Eu-

phemia, idque dum etiamnum esset tenerioris ætatis juvencula; quod si Jeremias sub lapidum imbre occubuit, lapidatus pariter fuit sanctus Stephanus. Si Andreas fuit crucifixus, eodem quoque supplicii genere è medio sublatus fuit & sanctus Petrus. Concrematus fuit super carbonibus inclytus Christi martyr Laurentius, super iisdem vitam quoque suam Deo in holocaustum obtulit S. Macedonius: at verò sanctus Bartholomæus vivus excoriatus: neminem sibi in martyrii atrocitate parem aut socium agnovit.

4 *Sicut pellem.* Hugo Cardinalis ait: *Pelles extenduntur, cum exempla martyrum rubricata eorum sanguine ostenduntur ad imitandum.* Enimvero quemadmodum invidi illi fratres vestem Josephi, quem à fera pessima dilaniatum esse mentiebantur, sanguine hirci, cui eandem intinxerant, madidam Jacob Patri suo in signum jam mortui fratris sui ob oculos statuebant: ita quoque sancta mater Ecclesia hodierna die ex opulenta ac prædivite diversarum sacrarum vestium custodia hanc sacratissimam sancti Bartholomæi pellem educere videtur, ut eandem explicatam, & extensam fidelium oculis objiciat, hacque ratione eosdem ad prodigendam pro Christo vitam & sanguinem suum excitet, & animos addat. (Lib. 6. c. 5.) Valerius Maximus de certo quodam Judice, cui Sisamnes nomen erat, comperta fide refert, quod cum is se per oblatum auri argentique pretium ad edendam in tribunali injustam sententiam seduci permisisset, Cambyses Rex cæteroquin prædicti Sisamnis magnus amicus eundem vivum excoriari fecerit, detractamque pellem in solio Tribunali loco, in quo alii Judices jura deinceps pronuntiaturi erant, extendi & affigi jusserit, eandem verò in patris locum filium subrogarit, qui deinceps sub pelle Patri suo ob iniquitatem detractam jus suum unicuique cogebatur edicere, quam utique historiam ad propositum nostrum hunc in modum adaptare possumus. Sanctus Petrus die quadam coram Christo comparuit, eique totius collegii Apostolici nomine dixit: (Matth. 19.) *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illi: Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cum sederit filius hominis, in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Ab hoc autem Apostolorum in deserendis hujus mundi transitoriis bonis edito exemplo plurimi Christianorum turpiter degenerant, dum corda sua hujus mundi bonis atque divitiis totaliter agglutinari sinunt, ac proinde omninò mihi persuasum habeo illam omnis erroris nesciam DEI sapientiam ac providentiam ita disposuisse, ut detracta hujus excoriati Apostoli pellis super ejus throno extensam affigi voluisse, ut hac ratione per hanc sancti Bartholomæi pellem nimiam illam bonis hisce temporalibus adhæsionem cordis, multis Christianis exprobraret, atque objiceret, quæ illos in ultimo Judicii finalis die in æternæ perditionis barathrum magna confusione repletos præcipitabit, utpote qui bonis hisce terrenis adeo fuerunt pertinaciter dediti, dum tamen sanctus hic Apostolus non solum bona terrena, quæ in hoc mundo amplissima possidebat, verum & ipsammet pellem pro Christi nomine libentissimè dimiserit. Ac proinde de illis avaris dici poterit: *Conglutinatus est in terra venter eorum*, quia non (Mich. 3.) solum bonis terrenis inordinatè adhæserunt; verum insuper proximos suos vivos quasi excoriarunt, juxta id quod in Michæa scribitur: *Nunquid non vestrum est scire judicium? qui odio habetis bonum; & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt*: ecce tibi eorum in hoc tribunali condemnationem: *Abscondet faciem suam ab eis in tempore illo.* Quidnam obsecro tunc respondere, aut in suam defensionem adducere poterunt, quando ex altera parte considerabunt S. Bartholomæum sua quoque pelle nudatum?

5 *Qui tegit aquis superiora ejus.* Verba hæc ad prædicta immediatè consequuntur; & quidem quoad sensum literalem de aquis & humore Chrystallino, qui est super firmamentum, intelliguntur; *Et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Sciendum est autem, quod etiam in hoc mystico hujus Apostoli cœlo aquæ quædam existant: Etenim sanctus Petrus Damianus sancti Bartholomæi nomen hunc in modum interpretatur: (Serm. 2. de Bartho). Lib. de gloria.) *Dicitur filius suspendentis aquas.* Et Beda ait: *Bartholomæus Syrum est, non Hebræum vocabulum, & interpretatur filius suspendentis aquas.* Hugo Cardinalis in cap. 10. sancti Matthæi idipsum dicit; (Mat. c. 14.) verumtamen sciendum est insuper, quòd circa sacrum ejus corpus miraculum quoddam contigerit, per quod aquas ejus suspensas fuisse, literaliter verificatum fuit. Scribit enim Gregorius Turonensis, quod cum pretiosus corporis ejus thesaurus innumera in Asia, ubi depositus fuerat, patraret miracula, viderentque gentiles Christianos ex omnibus mundi partibus ad sacras ejus reliquias venerandas concurrere, idem sacrum hoc depositum accipientes, illudque in plumbeum loculum reponentes, una cum loculo plumbeo in mare submergendum conjecerint; aquæ autem marinæ quasi reverenter illud suscipientes in humeris suis venerabundè suspensum in Lyparim insulam propè Siciliam transportarint, ubi divina relatione à Christianis agnitum, & à Christianis magna in veneratione habitum fuit, magnificum in eo loco templum in ejus honorem erigentibus. Alius quoque author in Historia vitæ Patrum scribit, quod postquam Roma (Rob. ad Chro. Sigil 12. 17.) sacro hoc thesauro locupletata fuisset, isque ibidem in Ecclesia ad ejus honorem erecta ad insulam, ubi hodiedum requiescit, collocatus esset, acciderit, quod inundantis Tyberis aquæ supra ejus corpus cubitis aliquot intumuerint, nec tamen illud aut ejus exuvias, quibus obvolutum vel minimum madefecerint. Quod idem miraculum alia quoque vice in simili inundatione, quæ tempore Clementis VIII. accidit, repetitum fuit; communis etenim est in hac civitate traditio quod licet eo tempore aquæ Tyberis pariter aliquot cubitis super corpus Apostoli exundarint, quis tamen sacrarium sive sepulchrum ab eisdem aquis adeò manserit intactum & illæsum, ut omnia sepulchrum ambientia adeò arida & sicca remanserint, ut ne telæ quidem ara- (4. Reg. 2.) nearum in ejus circuitu ab aquis convulsæ fuerint. De sancto Eliseo Propheta legitur, quod postquam pallium ab Elia Magistro suo è curru igneo ad eum submissum, quod nihil aliud quam pellis quædam, *Zona pellicea* erat, hæreditasset, ipse ad ripam Jordanis reversus, Melote hac Eliana aquas quidem percusserit, non tamen illa vice diviserit; *Pallio Eliæ percussit aquas, & non sunt divisa, & dixit: Ubi est DEUS Eliæ etiam nunc?* paulò post autem iterum *percussit aquas & divisa sunt*, adeò ut prodigiosè in aere suspensæ substiterint, ut Prophetæ siccis pedibus transitum liberum darent: *Divisa sunt huc atque illuc & transiit Eliseus.* Quisnam vestrum causam mihi edicet, cur pellis illa, sive Eliana Melotes, aquas Jordanis secunda non verò prima vice diviserit? Abulensis respondet: *Ut compelleretur orare, non sunt aquæ divisa prima vice.* Hoc supposito, quoad præsens propositum nostrum hunc in modum discurro Sanctus Apostolus noster in zelo orationis, & in omnibus aliis, præcipuè verò in veræ Religionis ardenti prosecutione Eliæ simillimus fuit, quia pallium ejus, seu potius pellis & sacrum corpus ejus quod anima in cœlum abeunte nobis hic deorsum in terris post se reliquit, non semel, sed sæpius aquas suspendit & divisit. *Filius suspendentis aquas*; hæc etenim reliquiarum suarum sacram urnam contingere non audebant, idque quia orationi totaliter deditus fuerat: *Centies in die, & centies in nocte orat:* Verumenimvero si per aquas in sensu morali cruciatus & tormenta intelligantur: *intraverunt aquæ usque ad animam meam*, per aquas vero Jordanis electorum denotentur tribulationes, moralis quoque doctrina nobis suggeritur, nimirum quod si illas tribulationum aquas velimus suspendere; id est, per seriam quandam meditationem libenter & patienter sufferre, manibus nostris pallium istud, id est, illam sancti Bartholomæi pellem devotè apprehendamus, atque quantum passus fuerit, & quanta cùm lætitia hoc suum martyrium sustinuerit serio meditemur, sic enim fiet, ut per hanc considerationem passiones & adversitates hujus vitæ constanter perferendo, non solum Jordanis aquas, verum etiam ipsiusmet maris profundissimas undas feliciter transeamus, id est, omnibus nobis occurrentibus amarissimis adversitatibus superiores erimus, atque tandem in Paradisi littore felicissimè appellemus.

Causæ

Causæ cur Deus hostiæ, priusquam ei sacrificium offerretur, pellem detrahi voluit, S. Bartholomæo applicantur.

DISCURSUS TERTIUS.

Detracta pelle hostiæ. Levitici c. 1. v. 60.

1 DEus optimus Maximus in veteri lege pecorum, agnorum, taurorum aliorumque similium animalium victimas & holocausta accipere consueverat, in nova autem gratiæ ita disposuit, ut nosmetipsos ei in sacrificium offeramus. Unde sanctus Apostolus hoc ad Romanos scribens, nos exhortatur dicens: *Obsecro itaque vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam*
Rom.12.1. *viventem.* Porrò inter alios ritus, quibuscum Deus noster sacrificia sibi offerri voluit, unus erat, quo jubebantur victimam pelle sua denudare plusquam Domino offerretur, tametsi reliqua omnia in holocaustum oblata consumerentur ab igne: *Detracta pelle hostiæ.* Unde Abulensis ait: *Priusquam vitulus aut alia animalia offerebantur & immolabantur, detrahebantur sibi pelles, id est, decoriabantur.* Quia vero circa hunc ritum nonnemo dubitare poterat, cur infinita illa Dei sapientia hujus cæremoniæ instituendæ curam habuerit, *Nunquid de bobus cura est Deo*; ex quo enim tota victima igne conflagrare & consumi debebat, quid opus erat eidem priusquam offerretur pellem detrahere? nunquid hæc una cum carne & ossibus simul concremari poterat? Ideo idem author protinus respondet: *Deus volebat pro se id, quod homines pro cibo suo volunt, sed ad cibum hominis pellis inepta est.* Cornelius à Lapide dicit: *Pellis detrahitur tum ob munditiam sacrificii, tum quia sacrificium erat quasi cibus Dei, pellis autem comedi non solet.* Ecce tibi igitur explicatum mysterium, ob quod S. Bartholomæus semetipsum Deo suo in sacrificium offerre volens, libenter se passus sit crudelissimè excoriari, nimirum ut tantò purior mundiorque esset oblatio, *ob munditiam sacrificii*; sicut etiam ad hoc ut Divinæ suæ Majestati se in cibum tanto sapidiorem, gratiorem & acceptiorem præpararet. *Hostiam viventem, sanctam*; Ecce insinuatam munditiem, *Deo placentem*, ecce quoque indicatum exquisitum oblati ferculi saporem. Enimverò quia inter varia sacrificia quibus Deus honorabatur, holocaustum nobilissimum & perfectissimum erat; Ideò Sanctum Bartholomæum de hoc sacrificiorum genere fuisse asserere possumus. Unde Oleaster super illum Levitici textum, loco illorum verborum; *Detracta pelle hostiæ*, legit: *Excoriabit holocaustum.* Sancta quoque mater Ecclesia in quodam Responsorio, quod de sanctis Martyribus canere solet, de iisdem ait: *Quasi holocausti hostiam accepit illos.* Prius excoriatur victima, ac tum demum sacrificium perficitur, ac proinde prius sanctus Apostolus noster excoriatus, postea verò decollatus fuit. Dionysius Carthusianus scribit, per hanc victimæ excoriationem significatam fuisse flagellationem, cui Redemptor noster in Passione sua subjiciendus erat: *Per pellis detractionem figurata videtur flagellatio sacratissimi corporis Christi.* Porrò sanctus Bartholomæus non solum hoc mysterium in semetipso adimplevit, utpote qui ad imitationem Magistri sui flagellatus fuit, verùm etiam pelle carnem suam denudare voluit. Agnus ille, qui olim ab Hebræis ex jussu divino in Paschate sacrificabatur, vivus quidam Christi typus fuit, qui pro peccatorum nostrorum expiatione æterno Patri suo in Paschate in sacrificium & holocaustum offerendus erat. Hæ autem erant oblationem istam præcedentes cæremoniæ, quas Scriptor quidam modernus ita describit:
Navar. l.5. n.8 agn. Euchar. *Postquam agnus Paschalis mactatus à sacerdote fuerat in domo mactationis, unusquisque ei pellem detrahebat, in quem finem clavi ferrei parati erant.* In casu verò nostro idolorum sacerdotes Astyagen impiissimum illum Tyrannum ad inferendam sancto Apostolo nostro necem instigarunt, interea verò barbari & immanes illi ministri, carnes ejus certatim dilaniabant, convellebant nervos, venas præscindebant, suaque pelle denudabant carnes ipsius. Sanctus Thomas quoque hanc holocausti oblationem in sancto Bartholomæo agnovit, ideoque ait: *Fuit excoriatus, ut Deo tanquam verus agnus in holocaustum offerretur.* Sciendum verò est, illud fuisse singulare holocausti præ aliis sacrificiis privilegium, Serm. de S. Barthol.
quod ut superius persæpè diximus, totum in Dei honorem concremaretur ab igne, ad distinctionem aliorum, in quibus una pars cedebat in victimam; aliæ verò partes inter sacerdotem & offerentem distribuebantur. Obtulerat quidem S. Bartholomæus Deo varia hactenus sacrificia de semetipso, siquidem se omnibus mundi hujus bonis spoliaverat, cùm tamen juxta multorum opinionem nobilis natus fuerit & dives, adeoque dicere poterat id, quod postea scripsit Apostolus: *Pro-* Rom.8.
pter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis; hoc tamen sacrificii genere minimè contentus, seipsum totum in sacrificium offerre voluit in holocaustum, quod est genus sacrificii nobilissimum & perfectissimum. Superbus ille Sathanas Deo quondam de Job servo ejus dixit: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ ha-* Job.2.4.
bet homo dabit pro anima sua, alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi; Job cuncta armenta sua, omnesque servos & filios suos perdiderat, nec tamen Sathanas id pro re magna censendum esse arbitrabatur, quod Job hæc omnia Deo in sacrificium litasset, nisi ad perfectissimum sacrificii genus pertigisset semetipsum totum & totaliter in holocaustum offerendo, tunc enim virtutem suam magni æstimandam esse judicabat, si pellem quoque suam ad Dei honorem liberaliter prodigeret. Unde sanctus Hieronymus ait: *Audacter Dei renuit prædicationem, & dicit eum nequaquam debere laudari, qui nihil de se, sed totum ex se dederit, qui pro corio suo coria obtulerit filiorum, deposueritque marsupium ut fruatur sanitate corporis.* Idem quoque Hugo Cardinalis scribit: quasi dicat: *Patienter sustinet Job damna exteriora, quia timet, ne in proprio corpore feriatur*; Neque ad suum erga Deum amorem & fidelitatem probandam sufficit, si quis omnibus quæ possidet, sese expoliet, nisi etiam, ubi opus fuerit, pellem suam, id est, corporalem salutem sibi adimi patiatur. Tandem verò Deo ad hujus nostri holocausti Apostolici perfectionem majorem, infernalis tentatoris malignitate uti complacuit, sed quonam putatis modo? Non sufficiebat humani generis inimico, quod tantas adversus eum ob strenuam ejus Evangelii prædicationem suscitasset persecutiones, omnem quoque ejus austeritatem, paupertatem, divitiarumque contemptum flocci faciebat, nisi eum acerbissimis quoque flagellis crudelissimè cædi faceret; ideoque idolorum sacrificulos, ut eum vivum excoriarent, pelleque sua exuerent, exstimulavit. Scribit autem quidam, quod *pellis dicatur su-* Job.10.11.
perficies corporis, qua totum corpus clauditur & vestitur, pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me. Hic Apostolus noster ut perfectum se Deo holocaustum offerret, quicquid possederat, imò quicquid hic in terris sperare poterat, liberaliter erogarat, cumque nihil illi ad dona ulteriora facienda superesset, pellem quoque suam libentissimè exuit; nam ut venerabilis Ludovicus Granatensis in sermone quodam de præsenti festivitate scribit: *Meminerat verum esse, quod olim mendacii pater dixerat: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua; hoc est, nulla res tam chara in hac vita erit, quam non libenter homo pro redimenda vita largiatur*; atque ideo ab hac vita ad alteram, quæ beata est, arguendo, dicebat; quod si pro hac vita conservanda, quæ tamen non nisi ærumnosa quædam lachrymarum vallis est, omnia erogantur & deteruntur, *quid mirum si ego* (ita ex ore S. Bartholomæi loquitur præfatus Granatensis) *pro sempiterna illa vita, quæ mortem nescit, quæ lachrymas ignorat, quæ malorum omnium expers, & bonorum omnium compos est; corporis mei pellem tribuam, immortalitatis vestem illic pro ea percepturus, itaque libenter me carnificibus excoriandum præbeo, & crucifixo Domino meo pellem offero.* Num fortasse majori cum perspicuitate vobis declarari desideraris, qualiter hoc holocaustum ex omnibus partibus suis integrum atque perfectum fuerit? Nemo utique id Hugone Cardinali melius præstabit, Hic enim prædicta verba: *Pellem pro pelle* exponens, per varios sensus eam interpretationem admittere ostendit; Et quidem in primis: *Nota*, inquit, *quod est pellis fortunæ scilicet bona temporalia.* Et certè si verum est, quod Petrus de Natalibus scribit, scilicet Bartholomæum verum fuisse Regis Syriæ secundùm carnem

nepo-

nepotem, de hoc sancto Apostolo jure meritissimo dicendum est, eum hac se pelle exuisse; adeoque una cum aliis Collegii Apostolici consortibus verissimè dicere potuisse: *Ecce nos reliquimus omnia*. Hoc saltem in dubium revocari nequaquam potest, quòd scilicet omnia sibi à Polemone Rege oblata opulentissima munera, thesaurosque regios generosissimè spreverit. *Item pellis est pœnitentiæ*: Hanc autem pariter Deo consecravit, siquidem vita ejus rigorosissima semper extitit, nam quotidiè genuflexus centies de die, & totidem vicibus de nocte ferventissimam ad Deum orationem instituit. Per solidum viginti sex annorum decursum vestem suam nunquam mutavit, virgo quoque prouti plures de ipso constanter scribunt, semper permansit, tamque eminente innocentia & sanctitate dotatus

Serm. de S. Barthol. fuit, ut sanctus Petrus Damianus de ipso scribat: *Dicitur Filius Dei, non quidem naturalis generationis origine, sed propensionis gratiæ dignitate, erat enim verè Dei templum, cœlestis gratiæ sanctuarium, arca fœderis, tabernaculum testimonii; item pellis virtutum*, inquit idem Hugo; de hac autem pelle in Discursu primo prolisè satis meminimus. Item pellis mortalitatis: Hanc autem mortalem & fragilem pelliculam acutissimarum novacularum aciei libenter submisit, quando excoriatus fuit, adeoque si vitam hujus Apostoli penitius introspiciamus, manifestum evadit, quod Christo non unam sed plures pelles suas dederit, idque ut tantò mundior & purior, suoque Redemptori tanto gratior & acceptior hostia fieret. Verum enimverò notandum est quòd tametsi holocaustum in Dei honorem totaliter consumatur, attamen si de holocausto spirituali ac mystico, quod Martyres Divinæ Majestati offerunt, sermo sit, de hoc Christus apertè protestatur dicens: *Capillus de capite vestro non peribit, vestri capilli capitis omnes numerati sunt; custodit Dominus omnia ossa eorum*; id quod in sancti hujus nostri Apostoli corpore verissimè adimpletum fuit; Mirum enim est, quod de corpore sancti hujus Apostoli ex Insula Lipariensi Beneventum translato narrat Cardinalis Baronius, scilicet quod cum Saraceni Insulam Liparienfem quaquaversum miserè devastassent, ac diripuissent, ossa quoque S. Bartholomæi ibidem quiescentia hinc inde per agros disperserint, quæ tamen à Monacho quodam, cui sanctus Apostolus in hunc finem apparuerat, omnia simul collecta, ac demum Beneventum translata fuerunt.

2 Circa illa verba, *Detracta pelle hostiæ*, observandum quoque est, quod ut quotidiana testatur experientia, nonnunquam accidat; quod tempore ardentis Solis, quando magnus est æstus, stragulæ omnes è lecto projiciantur, vestes quoque exuantur ponderosiores, utpotè calorem vehementer adaugentes: Neque holocaustum aliundè quam ab igne consumitur: ac proinde quid putas Apostolum coegisse, ut veluti Deo oblata victima hanc pellis tuæ vestem sibimetipsi detrahi pateretur? certè nihil aliud id effecit, quam qui in ejus corde flagrabat Divini amoris ardentissimus ignis.

Cant. 5. 7. *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum. Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo*. Fervens hæc charitas verè virtus illa erat, ex qua omnes veros & fideles discipulos veluti ex indicio evidentissimo agnosci vo-

Joan. 13. lebat: *In hoc agnoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis*. Porrò custodes Hierosolymæ Civitatis sanctæ sunt sacerdotes. Noster autem Apostolus non ab his, sed ab idolorum sacrificulis flagellis cædi, crucifigi, ac demum decollari jussus fuit, hi ipsum pallio pellis suæ exspoliarunt, quæ tamen ipse in corpore suo libenter admisit, ardentissimo quo erga Deum ferebatur amore ipsum ad id perurgente & exsti-

1. Reg. 18. 4. mulante. *Inierunt autem David & Ionathas fœdus, diligebat enim eum quasi animam suam*; verum quidnam Jonathas suum erga Davidem amorem probaturus præstitit. *Expoliavit se tunica sua qua erat indutus, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad baltheum*. Ita quoque S. Bartholomæum immenso erga Deum amore concitatum pelle sua se spoliasse, dicere possumus, &c.

Alia considerantur mysteria, ob quæ Redemptor noster S. Bartolomæo pellem ejus detractam esse voluerit.

DISCURSUS QUARTUS.

Pellem insuper excoriaverunt. Micheæ cap. 3. vers. 3.

1 Videtur S. Micheas Propheta in assumpti thematis verbis S. Bortholomæi prædixisse martyrium, siquidem non solum ipsos pellem excoriasse dicit, verùm addit ly insuper, qua dictione alia quoque tacitus subindicat supplicia, quibus excruciatus fuit. Unde Dionysius Carthusianus in sermonibus, quos de hodierna festivitate scripsit, dicit eum primo flagellatum fuisse, postea verò capite deorsum posito in patibulo suspensum hæsisse, sicque pendulo per omnia membra pelle sua fuisse nudatum, & immaniter escoriatum; adeoque in omnibus partibus suis Divinum in ea adimpletur oraculum: *Pellem insuper excoriaverunt*. Mira quædam in Genesi describitur à Jacobo excogitata inventio, ut juxta pactas cum Laban socero suas conventiones, gregem Laban variis in velleribus ovium imbueret coloribus: *Tollens virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex plantis ex parte decorticavit eas, detractisque corticibus in his quæ spoliata fuerunt, candor apparuit, illa vero quæ integra fuerunt viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius, posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in conspectu earum conciperent*. S. Gregorius lib. 21. suorum moralium capite primo circa hujus facti allusionem moralem ad longum discurrit, ac tandem concludit. Spiritum sanctum nobis per illud insinuare voluisse, quod in virgis illis hoc modo decorticatis Sanctorum cruciatus & tormenta intelligi debeant, ut viso hoc ipsorum exemplo, firma concipiantur à nobis proposita similia pro amore Dei patienter & fortiter sustinendi. Et verè ita se rem habere satis in sancto Bartholomæo Apostolo videmus, quot enim sunt, qui sanctum hunc Apostolum viventem pelle sua immani cum dolore exutum fuisse considerantes, in suis quoque Martyriis generesum conceperunt animi vigorem, adeò ut summa cum animi constantia pro confessione fidei, & Ecclesiæ stabilimento vitam suam libenter unà cum sanguine prodegerint? Inter alia quæ Deus Moysi circa fabricandum ab eo tabernaculum præcepit, unum fuit, quo jubebatur tectum illius arietum rubricantibus pellibus contegere: *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & super hoc rursus aliud operimentum de Janthinis pellibus*; ubi Glossa ait. *Rubricantur pelles arietum ad operiendum tectum tabernaculi, cum Apostoli & Apostolici viri usque ad martyrium docere non desinunt*: Quodsi igitur Martyrum constantia, cujus stabilitas in fide annuntianda, & erudiendis errantium animabus, fortissimum est Ecclesiæ munimentum, quanto magis hanc laudem & insignem gloriam sancto Bartholomæo adscribere poterimus, utpote qui non solum invictum in immani Passione sua animi robur exhibuit, verùm etiam tectum tabernaculi Ecclesiæ rubricatæ pellis suæ tegmine cooperuit.

2 *Pellem insuper excoriaverunt*. Verisimile est increatam illam sapientiam, quæ omnia cum altissimo Providentiæ suæ mysterio disponere consuevit, per inusitatum illud & immane martyrium hujus Apostoli magnam ejusdem servi sui innocentiam toti mundo manifestare voluisse; primus etenim parens noster, postquam opulentissima justitiæ originalis chlamyde exutus fuit, à Deo protinus contectus pellibus: *Fecit quoque Dominus Adæ tunicas pelliceas*; ac proinde ut quanta cum Gen. 3.
innocentia S. Bartholomæus hic in terris vixerit, & quàm exactè in divinæ legis semita progressus fuerit, declararet, ipsum pelle spoliari voluit, utpote quæ figura & symbolum est culpæ, juxta illud Jeremiæ? *Si mutare potest Æthiops pellem suam*. Ejusdem quoque Jer. 13. 23.
innocentiæ ejus signum erat, quod veste semper candida indutus incesserit, ostendendo nimirum in hoc habitu externo interiore animæ suæ & cordis candorem & puritatem. Ad hæc quodsi verum est, *quod secura mens*

sit quasi

Prov. 15. 15. *sit quasi juge convivium*, infallibile utique serenitatis conscientiæ suæ indicium in eo exhibuit, quòd jucundam, serenam & ridentem semper faciem præ se tulerit. Et quidem quis unquam credere potuisset, quod homo prorsus nudus, & propriæ carnis suæ pelle exutus, pretiosissima quadam & inæstimabilis valoris chlamyde tot populos amplasque adeo nationes contecturus esset? Et tamen revera id ab eo præstitum fuit: nam omnes heroicam in tolerando martyrio suo patientiam & æquanimitatem considerando, in fide, quam ab ipso didicerant, magis fuere stabiliti & confirmati; de quibus proindè verificatur quod Apostolus ad Galatas scribit: *Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

3 *Pellem insuper excoriaverunt.* Jam suprà in Levitico ordinatum fuisse diximus, ut victima ante sui oblationem excoriaretur: *Detracta pelle bestia.* Quonam autem mysterio id factum fuisse existimatis, vel quidnam in lege nova per hunc ritum repræsentatum fuit? Glossa ait: *Pellis detrahitur, cum divitiis & quibuscunque sæcularibus exspoliamur; undè pellem pro pelle & universa quæ habet homo dabit pro anima sua.* Christus Apostolis suis extremam quandam paupertatem, & maximum qui dari posset omnium horum terrenorum bonorum contemptum injunxerit, dum ait: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sanctus igitur Bartholomæus verum se Chri-
Matt. 7. 12. sti discipulum esse probavit, quando non solùm omnibus hisce temporalibus bonis renuntiavit, verùm etiam *pellem dedit pro pelle, & cuncta quæ habuit.* Narraturus sacer Chronista septem illorum Machabæorum sub Antiocho Rege exantlatum martyrium, dum ultimi mortem referre vellet, ait: *Et hic itaque mundus obiit per omnia in Domino* confidens; & tamen si ea, quæ alii fratres ejus ante ipsum passim fecerunt & dixerunt, attento oculo legerimus, inveniemus utique omnes illos magnam quoque habuisse in Deum fiduciam, omnesque tanquam candidas columbas mortuos fuisse puros, candidos & mundos; cur igitur elogium istud huic ultimo specialiter attribuitur? Observandum est igitur, huic postremo cum duobus tyrannis pugnandum fuisse, reportasse que gloriosam ab utroque victoriam. Primus fuit Antiochus, qui per immanium suppliciorum comminatam atrocitatem se illi opposuit: alter vero tyrannus, quem devicit, priori longè potentior fuit, nimirum gloria & honor mundanus, delitiæ quoque & divitiarum abundantia, quæ à potente hoc Rege larga manu fuerant oblatæ, *cum juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & amicum habiturum.* Cum iisdem quoque tyrannis sanctus etiam Apostolus noster prælia gessit; quodsi enim verum est, ipsum nobilissima fuisse stirpe progenitum, & consequenter in fortunæ bonis amplissimè divitem, vehementissimos utique passus est retinaculorum obices, quibus impediebatur, quo minus se scholæ Christi, id est, scholæ mortificationis, humilitatis, paupertatis subjiceret; siquidem ad illam aptius congruebat conditio piscatoris, & tamen omnia sequelam Christi removentia obstacula gloriosè devicit;
Serm. de S. Barth. nam, ut beatus Laurentius Justinianus scribit: *Honoris primatum in sæculo habere neglexit.* Enimvero tametsi etiam haud secus ac alii discipuli vir pauper & modicus fuisset, ingens tamen contemptus bonorum terrenorum specimen dedisse censendus esset quando thesauros à Polemone Rege ob filiam miraculosè sanatam gratitudinis ergo ei oblatos tanta cum generositate refutavit, & acceptare renuit. *Hic itaque mundus obiit*, quod attinet avaritiæ, sive cupiditatis auri & argenti maculam, humanæ conditioni adeo connaturalem. Verè igitur *Beatus vir* fuit; *qui inventus est sine macula*, qualis autem hæc macula sit, protinus subjungitur in verbis sequentibus: *Qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris.*

4 *Pellem insuper excoriaverunt.* Sanctus Apostolus noster, ut majorem sibi in prædicatione Evangelica conciliaret fidem, omnibus bonis exterioribus ad ipsam usque pellem exuere voluit; sciens arctam valdè & angustam esse paradisi portam, difficilemque eis, qui
Matt. 7. 14. gravibus sunt sarcinis onusti, patere aditum. *Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam. & quàm pauci sunt qui inveniunt eam!* Et alibi dicitur: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Contigit sæpè quod quando quis per angustam portam violenter ingredi contendit, pallium suum post se relinquere cogatur; id quod S. Bartholomæo pariter accidisse videtur: dum enim per angustam cœli portam transire contendit, pellem suam amisit. S. Vincentius dicit, quod S. Bartholomæus jam totaliter a capite ad calcem usque excoriatus, posita circa collum pelle sua loco stolæ sacerdotalis, ad prædicandum fidelibus pulpitum conscenderit. Nec tamen refert, quali ad prædicandum themate usus fuerit; veruntamen existimo, quod duo illa præcipua, & à mundo parum admodum intellecta puncta præcipuè inculcare intenderit scilicet paupertatem, omniumque bonorum terrenorum contemptum, vel etiam in cunctis adversis & ærumnis occurrentibus patientiam & æquanimitatem, adeoque thematis loco duobus illis verbis usus fuerit: *Sustine, & abstine*; quorum hoc respicit temperantiam, & in bonis naturæ ac fortunæ continentiam, illud verò fortem in adversis tolerantiam. Porrò interrogate quemcunque volueritis, neque tamen aliquem invenietis, qui salvari, sibique æternam beatitudinem comparare non desideret; nullus etenim erit, qui ad ignem infernalem se recipere desideret; at vero si ex altera parte iidem interrogentur, an parati sint paupertatem, infirmitatem, persecutiones, ignominias; an si privarentur suis voluptatibus, divitiis, omnibusque aliis vitæ prosperioris commoditatibus, in id acquiescere possint & velint, invenietis in cunctis ab omnibus istis nescio quem horrorem & abominationem, hoc enim tale punctum est, quod facilè persuaderi non potest: undè in tribulationibus non nisi lamentationes & blasphemias adversus Deum audire solemus, quæ tamen in rei veritate non alio fine nobis immittuntur, quàm ut nobis per illas ansa & occasio subministretur comparandi nobis regnum cœlorum. Magna certè cum usura nos in hac vita bonis illis, quibus gaudere & potiri nobis liceret, ultro citroque privamus, omnemque ad illa affectum & desiderium exuimus, si ex altera parte oculum nostrum ad lucrum deflectamus, quod nobis acquirimus, bonorum æternorum. Job multorum subditorum potentissimus Princeps erat, inexhaustorum theasurorum ditissimus, qui in servorum frequentia, gregum & armentorum, aliorumque annuorum reddituum ingenti multitudine consistebant, tandem factus nudus & inops, in sterquilinio positus, à capite ad plantas pedum usque ulceribus scatens, orbus quoque factus à filiis & filiabus, omni domicilio, sub cujus tecto ab aeris se injuriis tueretur, carens: à parentibus, amicis, imò ab ipsamet consorte sua pessimè ad evomendas in Deum blasphemias exagitatus, patientissimus tamen semper & constantissimus permansit; scitisne hujus constantiæ & æquanimitatis causam? nimirum intelligebat, quod tametsi bonis hisce terrenis exuatur, tametsi caro & cutis ejus penitus ex sanie ulcerum computresceret, & à vermibus depasta minutim diffueret, hanc tamen sibi residuam habeat solidam con- Job. 19. 26.
solationem: *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Etenim hæc ab Apostoli carnibus tanta cum doloris sævitia detracta pellis, in cœlis sancti hujus Apostoli humeris imposita, gloriosiori fulgore resplendebit, quàm hic unquam resplenduerint, aut splendere potuerint regia quævis paludamenta Monarcharum omnium, quotquot unquam mundus iste habuit, adeoque S. Bartholomæus inter medios sævissimi martyrii acerbos dolores hisce se vocibus animavit, spiritu que robur addidit: *Rursus circumdabor pelle mea, & videbo Deum Salvatorem meum, reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Sancta mater Ecclesia in lectionibus secundi Nocturni de communi Martyrum utitur sermone quodam S. Augustini, qui est in ordine quadragesimus quartus de Sanctis qui ab hisce verbis sumit exordium: *Triumphalis beati Martyris dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit, cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia*; postea verò pergit demonstrare quæ in re præcipuè nobis Martyrum sint sectanda vestigia, dicens; *Duo nobis præcipuè consideranda sunt, indurata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicti patientia; sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur.* S. Bartholomæus tanto cum jubilo pellis suæ pro Christo cessit, dum illa eidem post tot incisiones, carnis divisiones & lacerationes, inter tot dolores & tormenta violenter detraheretur, nec tamen

nos

nos exemplo ipsius ad tantam erigi possumus patientiam ut nos fortunæ modicis facultatibus & bonis privari aut spoliari æquan imiter patiamur; quin potius in vindictam, sæpè etiam in desperationem provolvimur. Cumque Christus hoc nobis consilium dederit: *Et qui vule tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*; nos potius post damna perpessa prædis & rapinis operam damus: quando igitur imitabimur hunc Martyrem, qui pro Christo ipsam quoque libentissimè passus est sibi detrahi pellem?

Qualiter hic sanctus Apostolus serpentinam æmulatus fuerit prudentiam, juxta datum à Salvatore discipulis suis mandatum.

DISCURSUS QUINTUS.

Estote prudentes sicut serpentes. Matth. 10. vers. 16.

1 INter alia præcepta, quæ Christus Salvator noster Apostolos suos velut oves in ora luporum dimittens, (*Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum*) eisdem injunxit, hoc unum fuit, ut serpentinæ prudentiæ operam darent: *Estote prudentes sicut serpentes.* Et quidem tametsi Christus per hanc similitudinem prudentiæ virtutem pluribus modis exercendam insinuare voluerit, in hoc tamen Discursu ad propositum nostrum solùm nobis consideranda est illa in deponendis pelliculæ suæ vetustis exuviis, serpenti congenita proprietas; serpenti namque proprium est, quòd mox ut se ob pellis vetustatem in gressu tardiorem esse animadvertit, inter duplicis petræ angustum meatum transeat, interque illas petrarum angustias relicta pellicula, vigorosiori se postea & lucidiori pelle induat. S. Thomas in sermone quodam de hoc festo ita scribit: *Fuit excoriatus, ut sicut serpens in æternitate renovaretur, prudentia serpentis est, corium deponere ut renovetur.* Monitum istud longè utilissimum ab Apostolo sæpiùs inculcatum fuit, Ecclesiis Eph. 4. 22. namque præcipiebat, *deponere veterem hominem, qui corripitur secundum desideria erroris*; postea immediatè subdendo: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite no-* Colos. 3. 10 *vum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Et ad Colossenses pariter scribit: *Exspoliantes vos veterem ho-* Lib. 25. mor. 22. *minem cum actibus suis, & induentes novum.* S. Gregorius tractans de hominis mystica & spirituali pelle; verba illa Jobi: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*; de divitiis, voluptatibus, aliisque commoditatibus temporalibus explicat. Hesichius eundem textum adducens dicit: *Pellis detrahitur, cum secularibus quibuscunque pro anima nostra, id est, Christo spoliamur.* S. Bartholomæus autem hanc deposuit pellem non solùm spiritualem & mysticam; sed pariter corporalem, quæ pellis est vetusta, id est, ut exponit Lyranus in Epistolam ad Ephesios scribens, inclinationem illam naturalem, quæ ab Adamo omnem suam originem trahit, trahitque, & hominem inclinat ad hujus mundi gaudia, delitias, imperia, divitias, &c. *Veterem hominem, id est, Adam, qui dicitur deponi, quando destituitur ab inclinatione carnis corrupta ab Adam* Serm. de S. Barth. *contracta.* De S. Bartholomæo S. Laurentius Justinianus ita scribit: *Porrò cum temporalium divitiis, corporis voluptatibus, dignitatis celsitudine posset affluere, contempsit omnia, ut verus Christi efficeretur discipulus*: S. Antonius valdè in ipso admiratur heroicum bonorum terrenorum contemptum, quem edidit, quando missa ad ipsum à Polemone Rege opulentissima dona acceptare detrectavit: *Misit Rex multos camelos oneratos auro, & argento, & lapidibus pretiosis, ut quærentes Dei Apostolum ei ex munere regio offerrent.* Hi cameli auro & gemmis pretiosis onusti thesauros ferebant, eosque ad eum deducebant, qui nudus, pauper, & inops erat; & tametsi illos ad minus eo fine acceptare potuisset, ut eosdem in pauperum necessitates distribueret, aut ad promovendum Dei cultum adhiberentur, id tamen nequaquam facere voluit; sed primitùs nusquam locorum reperiri potuit, nocte verò sequente coram Rege comparens, causam transmissi ad se tam ingentis thesauri sciscitatus est, dixitque: *Ego nil mundanum requiro.* Quid mirum igitur, si tantum in populi illius conversione fructum fecerit, qui ab omni privato lucro adeò alienus extitit, perfectissimè cum S. Paulo consentiens, qui dicebat: *Non vestra, sed vos.* Per hunc aditum ad ipsum usque Regem penetravit; ut cum eo sacratissimæ fidei nostræ mysteria tractando illum convertere, ipsumque una cum universo regno ejus Christo lucrari potuerit. Optimè igitur Chrysostomus in Cap. 2. Epistolę 1. ad Corinthios scribens ait: *Quamprimum Apostoli verbum pietatis seminare cœperunt, annumerati sunt eis statim tria millia*; & iterum quinque millia. *Et quis tantæ concordiæ author? opum contemptus*; paulò etenim anteà Petrus protestatus fuerat, dicens: *Aurum & argentum non est mihi.* Ac proindè si messem quoque copiosissimam per S. Bartholomæum Christi horreo illatam legeritis, alteri eandem attribuere caveatis, præterquam generoso bonorum temporalium contemptui. Dionysius Carthusianus de hoc sancto Apostolo ita scribit: *Commendabilis est sanctus Bartholomæus à copiosissimo fructu, quem fecit in prædicando; nam ut habet* Ser. 2. de S. Barth. *beatus Theodorus Abbas & Doctor, sacratissimus ille Apostolus primus prædicavit in Lycaonia, deindè in India, ad ultimum in Albana urbe majoris Armeniæ, in quibus locis innumerabiles homines convertit ad Christum; & usque in præsens in Armenia fides est Christiana*; adducitque polebrum Origenis testimonium, qui, ut suprà tetigimus, dicit: *Incertum esse quis majorem in mundo fructum fecerit; Petrus an Bartholomæus.*

2 *Estote prudentes sicut serpentes.* Glossa super illa verba Apostoli ad Ephesios: *Deponere veterem hominem*, scribens, in ea est opinione, quod veterem hominem deponere idem sit, quod pro Dei honore, & animarum salute sanguinem & vitam prodigere: *Nonnulli putant quod vetus homo corpus sit.* Porrò sanctus Bartholomæus veteri hoc homine se exuit, tum ut in se hunc digni Apostoli characterem exprimeret, tum etiam ut serpentem ad literam imitaretur; id quod an aliquis aliorum è Collegio Apostolico fecerit, minimè constat: nullus enim priusquam vitam pro Christo daret, pelle sua sicut ipse exutus fuisse noscitur. Undè id, quod S. Bernardus serm. de vita & quinque sensibus animæ scribit, ipsi adaptari posse videtur: *Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valdè laboriosum est relinquere semetipsum.* Multi quidem alii Martyres corpora sua pro fidei confessione mortis sententiæ exposuerunt, nullus autem vivus sicut sanctus Bartholomæus excoriatus fuisse legitur; de quo ita scribit Granatensis: *Cum pellem dedit, omnia corporis membra dedit, atque tot mortes acerbissimas pertulit, quot membra carnifici excorianda dedit.*

3 *Prudentes sicut serpentes.* Serpens antiquæ & induratæ pellis exuviis sese exuit, inter angustas duarum petrarum scissuras perrependo; hic quoque sanctus Apostolus pellem vitamque suam exuit inter duarum petrarum scissuras seu acies; quarum prima fuit illa, ad quam novacularum acies hebetiores exacuerunt, ut eum per innumerabiles plagas & vulnera decoriando excarnificarent; quænam autem secunda petra fuit? Illa nimirum, quæ illum in acerbissimo illo martyrio fortem & constantem, imò festivum & jucundum reddidit, id est, Christi Redemptoris sui in Crucis trunco crucifixi Ser. 30 in Cant. consideratio: *Petra autem erat Christus.* Audite sanctum Bernardum Martyrum carnificinam sanguine inundantem ex una, Martyres vero in medio stragis illius ridentes ex altera partibus admirabatur ita loquentem: *Non modò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem; stat tripudians & triumphans toto licet lacero corpore & rimante latera ferro.* Demum vero sanctus Doctor interrogat; *Ubi tunc anima Martyris? nempè in tuto, nempè in petra, nempè in visceribus & vulneribus Jesu.* De S. Bartholomæo Dio Serm. 2. nysius Carthusianus scribit: *Semper eodem vultu & animo lætus ac hilaris.* Lyranus in illa verba sancti Pauli: *Induite novum hominem*; inquit, *id est, Christum per ipsius imitationem.* Et ideo quod se Apostolus veteri homine exuerit, id eò præcipuè spectabat, ut novum hominem indueret, id est, Christum in tormentis plagatum imitaretur; hic enim erat qui robur & fortitudinem animo Apostolico suggerebat. Undè optimè propheta Evangelicus nos exhortatur dicens: *Attendite ad petram, undè excisi estis.* Is. 51. 1. Undè sicut Redemptor

ptor

prior veſtibus exutus & flagellatus fuit, ita pariter S. Bartholomæus diris fuit flagellorum ictibus attritus; ac proindè Dionyſius Carthuſianus de tyranno ſcribit: *Fecit Apoſtolum fuſtibus cædi & flagellari.* Salvator noſter poſt

Serm. 3. dira flagrorum perpeſſa, in patibulo Crucis fuit ſuſpenſus; de noſtro ſimiliter Apoſtolo idemmet Carthuſianus ſubjungit. Deindè, ut ſanctus aſſerit Dorotheus: *Fecit eum crucifigi.* Similiter Christo à vertice ad plantas pedum uſque ſudore ſanguineo in horto Gethſemani madeſcenti ſimilis fuit, quando *factus eſt ejus ſudor ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram*: ſiquidem à capite ad pedes uſque totus quantus erat, detracta à ſacratiſſima carne ejus pelle cruentus & carnificatus erat, & ſanguini quando diverſis ex venis ſcaturienti immadeſcebat: *Antequam moreretur in Cruce, fecit eum deponi, & vivum excoriari*, ut ait ſanctus Theodorus Abbas: atque ad ultimum, ſecundum Uſuardum, *fecit eum decapitari.* Granatenſis de eo ſcribit: *Mentis oculis in crucifixi Domini ſui imaginem defixis incredibili mentis alacritate triumphat*; adeoque per ferventiſſimam meditationem ſuam inter myſticam Chriſti patientis petram, & inter novaculas in alia petra exacutas & ſublimatas pertranſiens, veteres pellis ſuæ exuvias depoſuit.

4 *Prudentes ſicut ſerpentes.* Non ſolum antiqua pellis deponenda eſt, verum etiam reaſſumenda eſt alia nova: *Induentes novum renovamini*, inquit per os ſancti Pauli Spiritus ſanctus. Lyranus ſuper illud: *Induentes novum*, ita ſcribit: *Inducit ad virtutum acquiſitionem, quæ ſunt mentis indumenta.* Porrò ſancto Bartholomæo facile quidem erit probare, quod præclaris ſe Chriſtianarum virtutum indumentis veſtierit: id enim in Diſcurſu primo præſtitum fuit: at vero in cœpta pellis alluſione perſiſtendo dici poteſt, quod veſtis nova, qua adornatus eſt ſanctus Bartholomæus, non ſit alia quàm gloria, qua non ſolum anima, ſed etiam corpus perfruetus, eo quod tam atrox & immane ſuſtinuerit martyrium; *Extendens cœlum ſicut pellem*; hæc pellis utique ad inſtar cœli ſtellati extendetur, diſtincta totidem beatitudinis quantumvis accidentalia radiis, quot fuerint corpori ejus in pellis detractione per novaculas acutiſſimas inciſi vulnerum ſulci. Undè Chryſologus ait:

Serm. 11.8. *Reſurrectionem mente, ore, oculis aſpectet, cantet, cogitet Chriſtianus, ut totam mortis poſſit calcare formidinem.* Job ante tot elapſa ſæcula oculum ſuum in corporum reſurrectionem defixum tenebat; undè his ſe verbis conſolabatur: *In noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum.* S. Bartholomæus autem ſanctiſſimam Magiſtri ſui humanitatem reſuſcitatam &glorioſam oculis ſuis conſpexerat, ideoque multò melius quàm Job dicere poterat: *Scio quod Redemptor meus vivit, & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*; hanc enim ei fecerat inviolabilem promiſſionem: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*

5 Solet à doctis inſtitui quæſtio, an ſancti Martyres reſurrecturi ſint cum cicatricibus viſibilibus vulnerum, quæ pro Chriſti amore ſuſtinuerunt: & quidem tametſi primo quidem obtutu alicui videri poſſit, relictas in Martyrum corporibus vulnerum cicatrices quendam præſeferre corpus defectum, id quod ab illo perfecto gloriæ ſtatu valde eſt alienum: attamen reſpondetur & longè quidem veriſimilius; quod corpus glorioſum per cicatrices illas futurum ſit longè pulchrius & elegantius, quam ſi illis careret, prouti facilè ex ſimilitudine panni liquet, qui ſi ordinatè hinc indè conciſus ſit, ſubjectam infra illum telam auream & argenteam emicare & fulgere facit, ipſamque veſtem cultiorem & elegantiorem efficit: quàm igitur luminoſum & fulgidum erit corpus S. Bartholomæi à vertice capitis uſque ad plantas pedum tot per novaculas inflictis innumeris vulneribus plagiſque conſpicuum? *Conſcidiſti ſaccum meum, & circum-*

Pſal. 29.12. *dediſti me lætitia.* Porrò impiorum corpora producent vermes; at verò pellis S. Bartholomæi ad inſtar pretioſi cujuſdam periſtromatis ſeu paludamenti, ad contegendum gloriæ thronum, in quo ſeſſurus eſt, ut judicet duodecim tribus Iſrael, reſervabitur. Undè omninò mihi perſuadeo, Redemptorem noſtrum ei dicturum

Cant. 5.10. eſſe verba illa Cantici: *Dilectus meus candidus & rubicundus. Candidus* enim fuit propter innocentiam, undè & veſte candida indui ſolebat: *Rubicundus* autem ob ardentiſſimam ejus charitatem, in cujus ſignum proprio ſuo ſanguine à vertice capitis ad pedum uſque plantas purpuratus cernitur: *Electus ex millibus*: quia Deus eum ex innumerabilium Martyrum catalogo elegit, ut in eo ſpecimen quoddam ederet atrocitatis tanti ſupplicii, Chriſtus autem totius militiæ Chriſtianæ Archiſtrategus & Dux generoſiſſimus inter alia militum ſuorum ſpolia in Eccleſiam triumphantem illata hanc S. Bartholomæi pellem velut pretioſiſſimam quandam chlamydem maximè admirabitur, & dicet: *Vidi inter ſponſalia pallium coccineum, valde bonum.* Job. 7. 22.

Variæ conſiderantur ab eodem Apoſtolo adverſus mundum, dæmonem, omneſque alios inimicos reportatæ victoriæ, deque progreſſibus ejus, quos adverſus dictos inimicos dimicando ſibi comparavit.

DISCURSUS SEXTUS.

Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente.

1 JUre merito ſancti Apoſtoli ad pugnam cum antiquo ſerpente ineundam ſunt excitati; ſiquidem hic ab ipſo naſcentis mundi exordio ſeſe magnæ illius mulieris, per quam figurabatur Eccleſia, profeſſus eſt juratum hoſtem; ideoque ſanctis Apoſtolis glorioſum iſtud attribuitur epithetum: *Belli triumphales duces, cœleſtis aulæ milites.* Enimverò tametſi omnes quidem Apoſtoli bellum iſtud adorti fuerint, in eoque ſe generoſiſſimos athletas eſſe probarint, attamen præ cunctis aliis egregia S. Bartholomæi facinora admirationem merentur. Ad idem bellum S. Paulus Timotheum quoque diſcipulum ſuum hiſce verbis excitat. *Labora ſicut bonus* 2. Tim. 2.3 *Chriſti miles.* S. Thomas autem tria genera militum in hujus vitæ ſtadio militantium recenſet, quorum primum *contra carnem, mundum, diabolum* aciem ſuam dirigit. Sub hoc militum grege ſanctus etiam Bartholomæus militavit, qui in primis contra carnem athleticè pugnavit, non ſolùm caſtum ſe & purum conſervando; verum etiam ſingularem in eo ponendo gloriam quod eadem ab hoſtibus lacerata & excoriata eſſet. Contra mundum ſimili generoſitate proceſſit, dum nobilitatem, divitias, & vitæ hujus voluptates atque delitias, & quicquid in hac vita quantum ad ſenſum illecebroſum erat, pedibus ſuis conculcavit. *Non nobili* In ſua Reg. *Bartholomæo* (inquit S. Hieronymus) *ſed vili piſcatori Petro totius Eccleſiæ monarchiæ principatus conceditur.* Etenim theſauros à Rege ſibi oblatos acceptare renuit, honores quoque, obſequia, omneſque applauſus humanos nec quicquam curavit; ſed potiùs ab iiſdem ſeſe abſcondit, injuriis verò improper iiſque recipiendis ultrò ſe prodidit. Denique contra dæmonem præliatus eſt, falſa ejus demoliendo ſimulachra; undè ipſemet ſathanas ſeſe ab hoc Apoſtolo ignitis catenis vinctum eſſe eſt proteſtatus. Undè S. Antoninus ait: *Viderunt omnes Æthiopem fuligine nigriorem, catenis igneis vinctum retro manibus.* Secundum præliantium genus à Doctore Angelico conſideratum, eſt eorum, qui pugnant adverſum errores: *Eſt aliquis bonus miles Chriſti pugnando contra errores.* In hoc autem prælii genere ſanctum hunc noſtrum Apoſtolum ſtrenuè ſeſe exercuiſſe evidentius eſt, quam ut probatione indigeat: ſiquidem in regnis illis idolorum cultui deditis, & præcipuè in Armenia, ubi tanquam Deus idolum illud famoſum Aſtaroth nomine adorabatur, quod per inventiones ſuas diabolicas oculos ſe adorantium eò uſque faſcinabat, ut crederent ſe videre variis infirmitatibus oppreſſos priſtinæ valetudini ab eo reſtitui; hoc enim fine dæmon ille Aſtaroth aliquos excæcabat, alios claudos efficiebat, alios quoque aliis acerbis doloribus cruciabat, ut coram hoc idolo adducti ſublatis impedimentis diabolicis, quibus arte magica tenebantur, priſtinæ denuò reſtituerentur ſanitati, idque totum ſuæ tanquam ficti numinis adſcriberetur omnipotentiæ, multos quoque ad inſtar oraculi prædicabat futuros eventus, omneſque regni illius populos miſerè deludebat & ſeducebat; in illis, inquam, regnis ignorantiæ & errorum tenebras pœnitus diſſipavit. Ideoque S. Bartholomæus *ut bonus miles Chriſti pugnavit contra errores*, detexit fraudes,

insidio-

insidiosas astuti serpentis machinas dissipavit, cunctamque illius dejecit & prostravit tyrannidem: postquam verò idolum Astaroth obmutuisset, jamque cessarent falsa & apparentia duntaxat miracula, sacrificuli idololatræ ad aliud quoddam se receperunt idolum, cui nomen Berith erat, ut illud velut divinum quoddam oraculum in rebus dubiis & ambiguis consulerent, quod ultro citroque rotundo ore confitendo edixit, S. Bartholomæum Dei vivi & veri Apostolum à primo suo in regna illa ingressu, ipsum catenis igniris tenere revinctum: *Probationis genus optimum*, inquit Tertullianus, *quod ab ipso adversario desumitur*. Apud Surium quoque legimus, quòd *in quascunque partes permeabat Bartholomæus, velut stella quædam justitia solem prædicans fallacia tenebras dissipabat*. Unde venerab. Dionysius Carthusianus eum glorioso hoc encomio honorat dicens: *Ave o beate, Beatorumque ter beate Bartholomæe, qui es divinæ lucis splendor; gaude sol orbis terra cuncta illuminans*. Porrò quousque excæcati illius populi errores pertigerint, ex eo haud obscurè colligitur, quod apud Historicum illum scriptum habetur, quod *virulenti fuerint populi illi & inhumani, quippè qui viperam colere consueverant*; sancto verò Apostolo nostro hanc laudem attribuit: *O divinos & illustres oculos, per quos multorum oculi patefacti sunt, qui erant perfidiæ tenebris obscurati*. Denique tertium & ultimum prælium, quod unicuique militi Christi, juxta doctrinam S. Thomæ, est ineundum, *est militia Martyrum contra tyrannos*. In hoc prælio fortissimus athleta noster non jam dico æqualiter se exercuit cum aliis Apostolis; verum etiam omnes alios longe superavit: utpotè qui veluti victoriæ suæ trophæum inter cætera, quæ ab inimico tentlit, spolia, etiam pellem suam propriam explicare voluit. Undè S. Petrus Damianus sermonem quendam de hodierna festivitate conscriptum hisce verbis orditur: *Hodierna festivitas, qua videlicet triumphalia S. Bartholomæi gesta recolimus, non est propria cujuslibet civitatis, aut patriæ, sed communis est Catholicæ totius Ecclesiæ*.

Serm. 3.

2 Enimverò advertendum est hic, quod postquam S. Paulus dixisset: *Labora ut bonus miles Christi Jesu*; paulò post luctæ quoque mentionem faciat, dicens: *Qui certat in agone non coronabitur, nisi legitimè certaverit*, quibus verbis utique prælium illud subindicare voluit, in quo S. Bartholomæus adversus serpentem infernalem victor evasit; nam ut idem Angelicus Doctor observat, *nudi agonizabant in palæstra*. Estque hoc prælium omnibus nobis Christianis communis; nam ut S. Gregorius ait: *Quicunque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus*; spiritus autem infernales in hoc nobis potiores sunt prælio, ut idem sanctus Gregorius ait, quod videlicet *maligni spiritus nihil in hoc mundo proprium possident*; quod utique ad victoriam obtinendam plurimum confert; nam luctator ad hoc ut victor evadat, nudus atque omni vestimento spoliatus esse debet; undè tandem idem S. Doctor hanc deducit consequentiam: *Nudi ergò cum nudis luctari debemus; nam si vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur*. Enimverò tametsi diabolus purus quidam spiritus sit, attamen serpenti, in cujus speciem se dæmon transformaverat, dictum à Deo fuit: *Terram comedes*. Verùm inquies, quonam modo diabolus hujus cibi manducandi capax fieri poterat, qui purus spiritus erat; Nimirum Deus per illa verba: *Terram comedes*, insinuare voluit, quod diabolus adversum nos nullum possit excitare bellum crudelius, quàm si eos in terrestrium bonorum cupiditatem accendat; illi autem, quos per bonorum terrenorum cupiditatem superat, esca & cibus ejus futuri sunt sapidissimus. Appositè idipsum confirmat sanctus Augustinus, dum prædicta Dei verba ita exponit: *Terram comedes, id est, peccatores, quorum corda terrena cupiditate decipies*. Ac proindè ex hoc capite audacter asserere possumus, quòd inter omnes Christi Apostolos, imò inter omnes totius paradisi Cœlites nullus adversus antiquum serpentem gloriosiorem reportavit victoriam, quàm fuerit illa, quam contra eundem obtinuit hic noster sanctus Apostolus; siquidem in lucta, quam cum illa habuit, non solum se omnibus hisce terrenis bonis spoliavit, *non solum abjecit vestimenta, ne succumberet*, verum etiam propria pelle carnem suam à capite ad calcem usque nudavit: Et ideo sanctus Apostolus supradicto Idolo Astaroth tam audacter & generosè præcepit, ut ipsummet in conspectu & præsentia Regis & totius populi mendacia & fraudes quibuscum omnes & singulos circumveniebat, palam fatendo ediceret; Et ideo artificia & præstigias, quibus ad decipiendos homines uti solebat, palam & sigillatim explicavit, aperteque confessus est Astaroth minimè se Deum esse, sed potius se ab Apostolo veri Dei, cujus Filius Christus Jesus erat, igneis catenis teneri ligatum; fatebatur insuper Christum in Cruce pro hominum peccatis abolendis mortuum fuisse, suosque per universum mundum dispersisse prædicatores, atque ex eorum numero Bartholomæum nequaquam infimum esse.

1. Cor. 9. 25. — Hom. 32. in Evang.

3 *Pugnate cum antiquo serpente*. S. Petrus ait ad Salvatorem: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: at verò quis est ex omnibus Apostolis, qui plus quam S. Bartholomæus pro Christo reliquit, utpotè qui sua se etiam pelle omnino exuit? Osorius ait: *Olim Joseph pallium dimisit in manu heræ, ne esset adulter: adolescens alter dimisit syndonem, & nudus profugit; qui pallium dimittit ut Joseph, minus facit, adhuc enim vestitus remanet: qui syndonem relinquit, plus facit, quoniam nudus omnino relinquitur, sed nihilominus integer ille manet: at Bartholomæus non pallium solum, non syndonem, sed pellem pro Christo reliquit, hoc verè maximum est*. Sancta Mater Ecclesia nobis S. Martinum veluti militem ad prælium accinctum communiter repræsentat in statuis & imaginibus, qui ut pauperem quendam eleemosynam poscentem contegeret, medietatem Chlamydis suæ gladio dividit, illudque facinus æstimat & celebrat, veluti opus generosissimum valdeque heroicum; imò ipsemet Christus in omnium beatorum conspectu, eandem chlamydis præcisam medietatem ostendit dicens: *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veste contexit*; verum enimvero qua proportione Martinus hic comparari poterit cum S. Bartholomæo, qui se pro Christi confessione excoriari permisit. Æneas Sylvius, qui postea summus Pontifex factus Pius II. appellatus fuit, de certo quodam Heroe, cui nomen erat Zisca, quique in armis tractandis robustissimus & invictus erat, refert, inquam, eum Bohemis militibus suis dixisse: *Post mortem meam volo, ut è pelle mea tympanum constituatis, quo contra hostes ad prælium procedatis, illi enim vel solo illius sonitu terrebuntur*. Simili modo S. Bartholomæus etiam adhuc vivus existens pelle sua mediante insignem ab hostibus infernalibus retulit victoriam, adeò ut quasi totum dissiparit infernum. Adhæc impiissimus Rex Astyages unà cum sacerdotibus idololatris, qui ipsum per lictores excoriari fecerant; à Dœmonibus horrendum in modum cruciati, vitam suam infelicissimè terminarunt. Ex quo eventu multi gentilium perterriti, ad fidem conversi sunt. Palæmon verò Rex divina revelatione consecratus Episcopus, Christianam per universa illa regna propagavit religionem. Fuit insuper sanctus hic Apostolus omnibus aliis inimicis valdè formidabilis & semper victoriosus. Unde Cardinalis Baronius narrat, quod sanctus hic Apostolus die quadam Anastasio Imperatori in somnis constituto apparens eidem inclamaverit, & reprehenderit, eo quod sacras ejus reliquias in urbem suam transmissas acceptare nolendo, optimam eidem Civitati custodiam eripuerit, quasi dicere vellet, hæ meæ reliquiæ Civitatem tuam velut inexpugnabile quoddam fortalitium adversus omnes inimicos utique communiissent; Quod referens Theodoretus ait: *Anastasius Imperator condidit Daras, & cum condidisset, vidit in somnis Bartholomæum Apostolum dicentem, subvertisse ipsum Civitatis custodiam, quod reliquias suas illc missas reprobasset*.

Ser. de S. Barthol. — An. 517. 17 — Lib. 2. lect.

4 *Pugnate cum antiquo serpente*. Sanctus Paulus Apostolus ad Hæbræos scribens, victorias in plantatione fidei Martyrum sanguine mediante reportatas recensens ait: *Sancti per fidem vicerunt regna*, demum vero varia Martyriorum genera enarrans dicit: *Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, alii autem distenti sunt*. Et ecce tibi in exterminium inimicorum extensam S. Bartholomæi pellem, idque non sine fructu, non enim sine mysterio paulo post additur: *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, per hanc namque excoriatam & explicatam pellem inimicum infernalem, id est, antiquum serpentem ejusque conatus penitus dissipavit & confudit; nec mirum,

Heb. 11. 33.

quasi

quasi in hoc prælio sive lucta, in qua cum Dæmone congredimur, armorum insuperabilium loco habetur omnium terrenorum bonorum contemptus, certè nemo aliorum Dæmonem aggressus est armis formidabilioribus, quam S. Bartholomæus; siquidem hic ad ipsam usque pellem omnibus sese exuit, omniaque contempsit.
1. Tim. 6. 8. S. Apostolus ait: *Ego autem sic pugno, non quasi aerem verberans*, at verò dicite sodes in quonam pugna isthæc consistebat? *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus; Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, quæ omnia sanctus hic Apostolus perfectissimè adimplevit, neque enim omnibus tantum terræ bonis & vestibus, sed & pellem quoque ipsam exuit & pro Christo contempsit, victum quoque necessarium non tantum non admisit, sed nec unquam eundem poposcit, quia non indiguit; nam ut Carthusianus scribit: *Angeli Dei gradiebantur cum*
Serm. 2. *eo, qui eum nec fatigari permittebant, nec esurire.*

5 Advertendum est autem, quod postquam dixisset: *Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente* mox subjicit, *& accipietis regnum æternum*, id est, coronam vel pallium. Diadema namque summi Pontificis regni titulo solet appellari. Adhæc eiendum est, quod S. Thomas super illo textu Psalmi, *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*, in ea fuit opinione, antiquitus in more positum fuisse quod victores ipsismet scutis, quibus in prælio usi fuerant diadematis loco coronarentur: *Hic est scutum protegens, in patria vero scutum coronans, consuetudo namque fuit Romanis antiquitus uti scutis rotundis, in illis habebant spem victoriæ; & quando triumphabant, illomet scuto utebantur ut corona, & inde sancti pinguntur cum scuto rotundo in capite, quia de hostibus adepti triumphum, scutum rotundum ad instar Romanorum gerunt in capite pro corona.* Enimvero ad propositum nostrum alia insuper eruditione nobis opus est, ut illam sciamus, nimirum eadem scuta olim Romanos aliasque gentes pellibus tegere consuevisse. Unde Josephus Hebræus famem eorum, qui intra Jerosolymam obsessi erant describens, ait: *Coria scutis*
De bello Judaico l. 7. c. 7. *detracta mandebant*. Ac proinde vide, qualiter in veritate de S. Bartholomæo asserere possimus scutum ejus, id est, diadema & coronam martyrii & triumphi ipsius longe majori cum proprietate, quam quodvis alterius sancti Diadema pelle obductum fuisse, ea nimirum quæ à carne ipsius adeo immani cum dolore detracta fuit: hæc enim pellis fuit instar Chalybis cujusdam, quæ omnium aliorum Christi militum pro defensione Christianæ fidei dimicantium scuta contexit, siquidem hæc pellis S. Bartholomæi omnibus aliis Martyribus singulare animi robur & invictam fortitudinem suggessit, ut ad percipiendam Coronam suis in Martyriis constantes & immobiles permanerent. Unde Osorius ita scribit: *Sed ad quid nobis Bartholomæi pellis utilis est? nulla animalis pellis vel pretiosissima huic pelli conferri potest? Nulla pellis Salomonis huic similis quoniam sicut animalium pelles protegebant tabernaculum, ut pluviæ & temporum injuriis non pateret; ita Bartholomæi pelle protegere nos possumus, ne tribulatione lædamur. Amisisti O homo, divitias, liberos, uxorem? num pellem amisisti, ut Bartholomæus?* Hæc pellis si benè consideretur; unicuique animam & animum addit ad patiendum & dimicandum, omnesque inimicos supplantandos & vincendos.

DE DECOLLATIONE
SANCTI JOANNIS
BAPTISTÆ

Discursus Septem.

Consideratur Herodis crudelitas, & è contra S. Joannis Baptistæ innocentia: Item hujus libertas, quam etiam in carcere & compedibus vinctus exhibuit. Recensentur quoque nonnullæ rationes, cur Deus Præcursoris vincula & decollationem permiserit.

DISCURSUS PRIMUS.

Misit Herodes, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem.
Marci Cap. 6.

1 Mira profectò res est, videre hodierna die Herodem una cum sua incestuosa cognata, quam fratri suo ereptam sibi in uxorem vendicarat, item cum levicula filia sua, & universis Galileæ principibus saltantem & tripudiantem, econtra verò innocentissimum Præcursorem in obscuro & squalidu carcere reclusum catenis & compedibus onustum, donec præcisum caput ejus saltatrici tripudianti cedat in præmium. *Joannes* (inquit Chrysologus) *virtutum schola, magisterium vitæ, sanctitatis forma, norma justitiæ, virginitatis speculum, pænitentiæ via, peccatorum venia, fidei disciplina, Joannes major homine, par Angelis, Apostolorum* Ser. 217.
vox silentium Prophetarum, lucerna mundi, Præcursor Christi, totius medius Trinitatis datur incestui, traditur adulteræ, addicitur saltatrici. Demum verò idem sanctus Doctor pergis ponderata scelera Tyranni Joannem tam barbarè tractantis; & post benè ponderata insignia hujus præconia & merita, de Tyranno subjungit: *Herodes ipse est, qui prophanavit templum, Sacerdotium sustulit, temeravit regnum, cor rupit, quidquid erat Religionis, sicarius in cives, in nobiles latro, populator in socios, in domesticos prædo, interemptor plebis inebrians cruore terram.* Considerate igitur nunc quantùm inter se differant hujus impii Tyranni demerita & abominationes, a meritis & virtutibus heroicis sancti Joannis. Et tamen hic tam impius tyrannus: *Tenuit Joannem, & vinxit in carcerem.* Beda hanc adeo ingentem inter Herodem & sanctum Joannem inæqualitatem quoque hisce verbis exponit: *Ille qui libertatem supernæ patriæ evangelizabat, ab impiis in vincula conjicitur, clauditur obscuritate carceris, qui venerat testimonium perhibere de lumine, quique ab ipsa luce, quæ Christus est, lucerna ardens & lucens appellari meruit, quo in natis mulierum major nemo est, ad petitionem mulierum turpissimarum capite complectitur, & proprio cruore baptizatur.* Chrysostomus quoque circa adeo detestabilem Tyranni Tract. 2.
incessum suas exclamationes, seu potius declamationes hisce verbis instituit: *O rem prodigiosam, Joannes vinctam ejus animam*, id est, Herodis, *peccati catena, reprehensione sua solvere conabatur, illo autem solventem vinciebat*: inter omnes autem ad propositum nemo aptius loqui-

Ser. cit. loquitur Chrysologo, qui hac de re ita loquitur; *Qui vincula solverat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur, ut vincta venia locum venia non relinquat: alligavit eum, & posuit in carcere; Herodes tu adulterium facis, & in carcerem vadit Joannes: sic judicas sedens in loco judicis reus, in loco vindicis innocentia persecuter? ubi Deus? ubi homo? ubi lex? ubi fas? ubi ipsius jura Natura?* Meritò hoc loco axioma illud allegari potest, quod scilicet *judicia Dei abyssus multa*; Quis enim non obstupescat, quod pedes illi, qui *sunt veloces ad effundendum sanguinem*, ut ad saltus & tripudia agiliores evadant, caput alicujus Baptistæ in præmium accipiant? de quo Apud Sur. Cretensis scribit: *Das caput, quod vel ipsi reverentur Angeli? das illud caput, super quod cum Verbum baptizaretur; Spiritus in specie columba sedens volavit? Das pro parva voluptatis remuneratione illius caput, cujus dextera eum qui sedet ad dexteram Patris baptizans sanctificata est?* Quis unquam crediturus fuisset futurum aliquando esse, ut is qui dum in utero S. Elisabethæ matris suæ inclusus, percœlestium thesaurorum in magnam illam animam cœlitus depluentium cumulum sanctificaretur, in præsentia verbi æterni incarnati etiamnum in materno Mariæ utero inclusi præ nimia lætitia in claustro materno exultavit, tandem vitam suam in tripudii cujusdam à levissima fœmina editi præmium finiturus esset? Varia his ad nostram consolationem responderi possunt; è quibus nonnullas rationes Lib. 4. ep. 1. allegabimus.

2 *Vinxit eum in carcere.* S. Cyprianus ait: *O beatum carcerem, quem illustravit vestra præsentia, O tenebras Sole ipso lucidiores, ubi constituta sunt Dei templa.* Sanctus Lib. de Joseph. c. 5. Ambrosius dicit: *Non turbentur innocentes, cum falsis criminibus appetuntur, visitat Deus in carcere suos, & ideo ibi est plus auxilii, ubi plus est periculi; sed quid mirum si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis in carcere inclusum memoravit? In carcere, inquit, eram, & non venistis ad me.* Enimvero quis sibi persuadeat Sanctum Baptistam catenis onustum & compedibus impeditum suam jam amisisse libertatem, quia potius Herodes magis catenis vinctus erat, utpote *quem delictorum catena constringebat*, idque etiam, licet inter gaudia, convivia, saltus & tripudia jucundus consisteret; Sanctus Joannes verò non item, quia *ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Alphonsus ab Orosco in quodam sermone in hanc festivitatem ita scribit: *Nec in carcerem eum Tyrannus misit, quia viro probo totus orbis carcer est, cœlum vere Patria; Hinc regalis Propheta ait: Educ domine de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo; non denique versutus Rex vitam viro justo ademit, quam ille mirum in modum relinquere optabat; ac demum concludit: Ecce quomodo Herodes nihil nocuit Joanni, sed satis ei profuit sicut scriptum est, stultus serviet sapienti.* Servis Dei familiare est, quod corporis istius lutum nihil æstiment, sed potius tanquam implacabilem inimicum suum in hac vita directè tractent? Et pari ratione Deus per altissimam providentiam suam oculum suum ad custodiam animarum electorum suorum directum habet, corpora eorundem parum admodum curando, quia *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Post hanc vitam autem corpora illorum tantò magis æstimat, quanto magis illa contempsit, dum viverent, in Carnificum manibus eadem relinquendo. Et quidem quis pro dignitate satis explicabit, quanta cum veneratione Caput S. Joannis Baptistæ in omnibus sæculis honorari decreverit? Etenim Ecclesia quovis anno de decollatione S. Joannis Baptistæ solemne celebrat officium; & hic quidem, id est in alma urbe Romana dies hodiernus in ejus honorem solemnissimè transigitur. Similiter pretiosissimus ille sacri capitis thesaurus, quanta cum reverentia & veneratione asservatur & custoditur: Cardinalis Baronius in Annotationibus ad Martyrologium ita scribit: *Hac die totius orbis lætitia dedicatam esse Basilicam illam Alexandrinam super dirutum templum Serapidis magnificentissimè excitatum per Theophilum Episcopum Alexandrinum.* Fit etiam in Martyrologio Romano 24. Februarii primæ inventionis sacri capitis hujus commemoratio; hodie verò fit memoria inventionis secundæ, qua dictum caput inventum fuit tempore Valentis Imperatoris: qui dum illud augusto cum honore Constantinopolim transferre decrevisset, Deum ipsum hac gratia dignari noluit, eo quod hæresim profiteretur Arrianam, sed potius eximium hunc favorem Theodosio seniori Imperatori reservavit, qui illud cum pompa planè regia Constantinopolim perduxit, ibidemque sumptuosissimam Basilicam in ejusdem honorem erexit. Singularem porrò considerationem meretur modus ille loquendi Evangelistæ: *Attulit caput in disco;* quodnam enim in eo latere putatis mysterium, quod cum duæ hæ mulieres implacabili quodam odio adversus sanctum Præcursorem succensæ essent, ideoque de illis præsumi meritò possit, quod illum omni studio vilipendere & conculcare fategerint, caput tamen ipsius à cervicibus rescissum in vase quodam argenteo, cibis lautioribus & delicatioribus adaptandis destinato coram Herode adferri curarint? nunquid istud hastæ cujusdam cuspidi infigere, vel sacco alicui involvere poterant? Quæstio hæc olim à D. Chrysologo mota fuit hisce verbis: *Cur in disco?* Ser. 174. *Cur pretiosè gestas, quem viliter occidis? nisi quia pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus; hoc ipsum quod vis non agis, quomodo ipsa vis,* cujus mox rationem adducit: *Quia agit te superna ratio aliter quamvis.* Deus etenim se Dominum esse absolutissimum nobis insinuare voluit, simulque reipsa ostendere non deesse sibi modum servos suos etiam in summo ignominiæ gradu honorandi, eosque inter ipsamet ab aliis jis præparata vilipendia exaltandi & glorificandi: De malis etenim dicit: *Ego gloriam eorum in ignominiam commutabo,* Os. 4. ideoque quia *contrariorum est eadem disciplina*, modum quoque novit infamiam & probra servorum suorum transmutandi in honorem & magnificentiam: *Joannes venit in sublimi positus* (inquit Chrysologus) *ut lucerna super candelabrum, tenebras ut fugaret, dicente Domino: Ille erat lucerna ardens & lucens: venit Joannes, ut Judex in tribunali resplendens, ut qui arguit adulterum, damnaret homicidam.*

3 *Vinxit eum in carcere & decollavit.* Dionysius Car- In Matth. c. 14. thusianus ait: *Ecce sanctissimum consanguineum Christi, præconem, præcursorem, Baptistam Salvatoris, quo inter natos mulierum major non fuit, permisit ad suggestionem adultera incarcerari, ad instantiam petulantis & vilis puella occidi.* Cur autem Redemptor idipsum permisit, cum satis superque constet, quod is adeo mirificè præcursorem suum amaverit, ut ejus laudes ore suo proprio sæpius præconizare non dubitaverit? Cur se iræ & furori persecutoris per editum aliquod miraculum non opposuit? *Nemo ergo servorum Christi murmuret, contristetur, ac pusillanimus fiat, dum adversitatibus atque injuriis fatigatur; multa enim tribulationes justorum, & tanquam aurum in fornace probavit eos.* Porrò Chrysostomus paulo aliter & differenter à Carthusiano respondet? Quærens enim cur Divina justitia super incestuosos illos adulteros, imo & homicidas cælitus non evibrarit fulmina, aut cur sub illis dehiscens terra eos non devorarit, prout olim Dathan & Abyron contigit, respondet Deum id non fecisse *ut & justus inde fulgentiores coronas consequeretur, & qui postea injuriam passuri essent, hoc exemplo corroboratis, æquiori animo cuncta perferrent;* Et paulò post subjungit: *Intelligamus hæc omnia, quæ studiosè viventes à pravis vexamur hominibus, intelligamus hæc omnes, inquam.* Quidnam verò S. Chrysostomus hisce verbis nos docere voluit? nimirum quod Deus sacrilegorum istorum scelera toleravit, eademque absque ulla de illis sumpta vindicta dissimularit, permittendo ut is, qui deserti incola existens cilicio indutus erat, quique Domino teste plusquam Propheta, & in Beatorum Catalogo maximus sanctis esse censebatur, impudicæ cujusdam mulieris præda fieret, idque non ob aliam causam, quam quia Dei honorem zelatus fuerat. Cur autem idipsum permisit; ut *hæc cogitantes magno feramus animo, quæcunque patiamur.* S. Joannem diris modis haberi & tractari permisit absque eo quod ad ipsum ab Herodiana impietate liberandum ullum patraret miraculum, ut deinceps nullus in hac vita lamentetur, si piè & studiosè vivens malè in hac vita tractetur. *Si quem forte mo-* Hom. de decol. *vet,* inquit Cæsarius, *tanta excellentia Prophetam imo plusquam Prophetam, tam viliter occisum, recogitet ipsum Prophetarum Dominum in loco Calvaria inter latrones crucifixum.* Verum enimverò S. Gregorius aliud nobis motivum subministrat, per quod in ærumnis & persecutionibus consolationem non modicam elicere valemus. Dicit enim: *Deus suos sic permisit in infimis, quia videt quomodo muniret in summis; Hinc ergo unus-* Lib. 3. moral. c. 5.

quisq-

quisque colligat, quod illi sint passuri, quos reprobat, si sic cruciat, quos amat. Porrò Deus servorum suorum animas in magno pretio habet: *Justorum animæ in manu Dei sunt*, & tamen circa multos sanctos in eminenti perfectione constitutos experientia frequenter demonstrat, quod quanto majoribus sunt gratiis cœlestibus referti, tanto facilius permittat, ut in fragilibus & mortalibus corporum suorum exuviis magnis afficiantur tormentis & cruciatibus, passimque vilescant & contemnantur.

Per historiam Evangelicam clarè ostenditur, quotnam causentur ab impudicis mulieribus scelera.

DISCURSUS SECUNDUS.

Vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.
Marci cap. 6.

1 SPiritus sanctus, qui sacrorum Evangelistarum calamos in conscribendis Evangeliis dixerit, per præcitata thematis verba cunctis futuris sæculis causam manifestare voluit, quæ Herodem induxit, ut Sanctum præcursorem tanto in pretio ab eo habitum & Lib 18. an. 119. c. 7. honorarum catenis & compedibus constringeret. Scio quidem Josephum Hebræum olim aliam declarasse incarcerationis Joannis causam, dicit enim quod cum numerosissimus populus ad audiendam Joannis prædicationem ex omnibus locis confluceret, omnibus summo in pretio & veneratione esset, adeò ut omnes ad votum suum promptos & expeditos semper haberet; *Veritus Herodes ne Joannis persuasione à suo regno descederent, melius credidit, priusquam novi aliquid fieret, prævenire hominem nece*: Hoc autem vel est dicti Historici confictum mendacium, vel excogitata inventio, adhoc ut Regem ab adeò probrosa & ignominiosa labe eximeret; ideoque in dubium nequaquam revocari potest, verum motivum, unde ad Joannem incarcerandum & decollandum inductus fuit, in eo consistere, ut scilicet ipso è vivis sublato majori cum licentia incestuosis & adulterinis amplexibus frui & potiri posset: *Tanti causa mali fœmina sola fuit*. Ubicunque enim carnis peccatum regnat, ibi nullum est, quantumvis abominabile peccatum quod non committatur. Ad id probandum Dionysius Carthusianus multorum adducit testimonium, speciatim in Matt. 14. verò S. Hieronymi dicentis: *Herodes cum Herodiade ordinavit, quomodo posset Joannem occidere, & invento concordi consilio fecit convivium, in quo filia Herodiadis tripudiaret, qua saltante finxit se Rex ultra modum delectatum in saltatione illius, moxque jurejurando promisit dare quod peteret*. Jam verò conventum inter illos erat, ut peteret caput Joannes Baptistæ. Glossa hodierni Evangelii occasione refert ex Historiis Romanis, quod dum Flaminius dux belli generosissimus sceleratam, quandam fœminam, quam penes se fovebat, dicentem audisset, se nunquam caput humanum à busto vidisse abscissum vel amputatum, impius hic belli dux ut ejus desiderio & curiositati quadantenus satisfaceret, subitò reum quendam a justitia capitis condemnatum adduci, eique caput amputari, illudque sic resectum in locum convivii spectandum adferri præceperit, quæ ducis barbaries cum primò ad censores, deinde vero ad senatum urbis Romanæ delata esset, mox ab omni quoque fungebatur, militari munere exauctoratus fuit, *quod epulas sanguini miscuerit, & quod mortem quamvis noxii hominis in alterius delitias præstiterit, ut libido & homicidium pariter miscerentur*. Habet porrò jam recensita aliquam cum Historia decollationis sancti Joannis similitudinem, cum hac tamen differentia, quod à Flaminio decollari jussus ob crimina sua capitis fuerit reus. Sanctus autem Præcursor tanta fuerit innocentia & sanctitate conspicuus, ut omnes ad S. Joannem ab illa iniqua sententia capitis in eum lata liberandum, sua libentissimè capita pro ejus incolumitate servanda In cap. 14. Matt. sustinuissent; *Nihil moratur sanctitatem viri* (*inquit Lucas Burgensis) *nihil excellentiam prophetæ, non deterretur sceleris sive magnitudine, sive horrore, hoc enim ingenio sunt omnes adulteræ, ut quovis modo e medio sublatos cupiant, quotquot sentiunt libidinis suæ adversarios*. Cæsarius optimè considerat, in quænam præcipitia hominem vitium istud proturbet, dum Hom. de Deo. ait: *Ecce ad quantum facinus luxuria hominem perducit*, tandem verò postquam illud Gulam individuam semper comitem habere ostendit, vitium hoc feram illam pessimam esse concludit, quæ devoravit Ioseph. *Illa est fera illa pessima, quæ devorasse putabatur Joseph, cujus nutricula gastrimargia est per discum figurata* (discus enim est vas quoddam capax & amplum, in quo sapidiores lautioresque cibi ad convivia deportantur) *in multis Joannem, id est, gratiam divinam duo hæc vitia extinguunt*. Addit Chrysostomus quod lasciviam quoque crudelitas, ut plurimum comitari soleat, prouti in hodierno casu accidisse novimus: *Talis certè res luxuria est, ut non petulantes solum, verum & homicidas faciat*. In ejus- Hom. 49. in Matt. dem quoque carnalis peccati detestationem ulterius ita scribit: *Nulla in hoc mundo bestia similis est mulieri malæ; quid dracone atrocius? sed ne hoc quidem juxta mulierem malam conferri potest*, id quod Sapientis authoritate confirmat dicentis: *Cohabitare Leoni & Draconi melius est, quàm cum muliere mala*; Neque existimes ipsum hoc per exaggerationem scripsisse, ut enim hanc à se suspicionem propellat, pergit ostendere, qualiter Leones Danieli in lacu reverenter detulerint & abblandiri fuerint, cum tamen contra Naboth justus à Jezabele occisus fuerit: *Cetus Jonam in ventre custodivit, Dalila autem Samsonem circumventum illecebris, raso etiam capite deformatum alienigenis tradidit, Dracones & aspides Joannem Baptistam in deserto viventem subdita feritate tremuerunt; Herodias autem eidem caput abscidit, & tanti viri mortem in pretium saltationis accepit*. Ad idem quoque propositum Angelicus Doctor in capit. 14. sancti Matthæi scribens Herodiadis truculentiam atque sævitiem observat, dum ait: *Mulieres aliquando sunt piæ, sed quando sunt crudeles, maximè sunt crudeles*. Unde Ecclesiasticus ait: *Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris*. Ab hoc etenim sexu multa homicidia suam traxere originem. Unde Dionysius circa illa verba: *Vinxit eum in carcere propter Herodiadem*, dicit factum id esse ad hunc In Matt. 24. finem *ut Joanne occiso cum illa quietius & securius delectaretur*. Etenim innocens Baptistæ vita, & puritas ejus virginalis ambobus incestuosis adulteris spina erat in oculis; Lascivi enim nihil ægrius ferre possunt, quam si libidini ipsorum aliquod ponatur obstaculum, prouti videre est in lib. Sapientiæ capit. 2. ubi lascivi & impudici solutis omninò habenis, delectationibus & voluptatibus operam dare contendunt. *Vino pretioso & unguento impleamus, coronemus nos rosis, antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ*. Non sufficit illis, quod sigillatim insolescant, nisi etiam inter se simul convenientes conjurent. *Circumveniamus justum*. Verum quodnam obsecro à viro justo & Deum timente malum recipiunt, quod tot tantisque consiliorum machinis in ejus mortem conspirent? Certum est, quod viri justi & timorati ad similia eos consilia excitent per hoc quod cum illis de eadem voluptate æmulentur, aut ejusdem scorti amatores existant, nec quia ad zelandum Dei honorem justæ vindictæ armis sese adversus illos arment, multò minus quod illos coram tribunalibus accusent. Per quid igitur viri justi & pudicitiæ dediti lascivos adversus se excitant? Pro hoc duntaxat, quia innocentia quacum vivunt, magnum illis parit fastidium & inquietudinem, neque enim putant se in impuri amoris lecto vel thalamo securè posse consistere, quamdiu vir aliquis inculpabilis oculis eorum obversatur; *quoniam contrarium est operibus nostris*; Justorum namque innocentia quædam est vitæ ipsorum censurane dicam, an verò tacita & facunda reprehensio. *Improperat nobis peccata legis*. Unde Chrysologus ait: *Captivis crimi-* Ser. 127. *num innocentia inimicis odiosa fit semper libertas; sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis*. Obstupescenda profectò res est, quod ex omnibus iis

Mansi Prompt.

Principibus, qui in frequenti admodum numero ad sumptuosam cœnam illam invitari fuerant, ejusdemque Baptistæ prædicationem, ut valdè verisimile est, sæpè sæpius audiverant, quique qualis apud omnes sapientiores, quales erant Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes & Pontifices; siquidem Concilium hosce pro solemni illa legatione, in qua Messiatus dignitas Baptistæ offerenda erat, denominatat, de illius sanctitate apud universum vulgus opinio esset, optimè noverant, nullus tamen esset, qui vel os suum in ejus defensionem aperiret, quando ipsis præsentibus adeo impia, adeo peregrina, adeo inhumana, & præter juris ordinem prolata adversus eum pronuntiabatur mortis sententia? Nunquid igitur Regem vel tunc ad saniora consilia revocare poterant, quando eum propter jusjurandum mœstum & afflictum esse videbant, dicendo; quod juramentum non est vinculum iniquitatis? Porrò ad dubium istud varia adhiberi potest responsio. Una tamen sufficiat, nimirum verisimile est omnes illos Principes, qui ad cœnam illam invitati fuerant, eadem fuisse pice coinquinatos, quodque proindè Joannis mortem ex animi sententia libentissimè viderint; siquidem *improperabat eis peccata legis*: omnes utique & singuli suam habuerunt Herodiadem, quia Regis ad exemplum totus componitur orbis. Adhæc multi ex iis tametsi timorati essent, & zelum haberent legis, iram tamen Herodiadis formidare debuissent, si in defensionem & tutelam innocentis unico solum verbo fuissent locuti. *Hoc malum fugit Elias*, Serm. 172. inquit Chrysologus; siquidem Jezabelis furorem formidans, fuga saluti suæ consuluit; & *cujus lingua clavis facta est cœli, tanquam reus fugit à facie mulieris: hæc dejicit pueritiam, perdit juventutem, allicit & inquietat emortuam senectutem*; ac proindè si Elias obscœnam quandam mulierem pertimuit, facilis est conjectura quanto timore Principes illi perciti fuerint, qui Eliæ virtutibus nequaquam armati erant, quin Cap. 4. in Matt. potius Jezebelitica pice pariter non parum inquinati. Audite Lucam Burgensem ita loquentem: *Ut autem inter omnes convivas non fuit unus, qui Regem ab infando scelere vel verbulo revocaret, præsertim cum tristitia vultu declarata opportunitatem suggereret, ita intelligere licet inter convivas hos fuisse, qui Joannis necem facilè desiderarint.*

2 *Propter Herodiadem.* Rex ille atheus, & prorsus impius, qui sibi Israelis populum extirpare in corde suo proposuerat, omnes Hebræorum masculos in ipso ortu suo occidi præceperat, ita tamen ut natæ ab iisdem Hebræis puellæ in vita conservarentur. Scitisne hujusce consilii ejus causam? Nimirum quia hæ solæ ad populi destructionem sufficiebant. S. Joannes Apostolus unam inter cæteras visionem habuit, quæ Herodiadis nobis sævitiam & immanem crudelitatem Apoc. 17. 6. ob oculos repræsentat: dicit enim; *Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu*, de quo paulò anteà dixerat: *Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*; ubicunque enim voluptas libidinis locum habet, ibi omne lumen & Dei notitia evanescit, omnesque leges proculcantur, sive naturalis, sive divina positiva, vel humana. Rodol. in l. 8. Levit. cap. 8. *Dum omne quod libet licet*, inquit sacer quidam interpres, *mala gesta publicè nullius authoritate publicè arguuntur*: deficiente autem correctore aut reprehensore facilis est in quodvis præcipitium lapsus, ut patet in exemplo peccati carnalis, nam *luxuriæ habentis projectis quid liceat, quid non liceat, carnalis nequaquam discernit*. Et quidem Herodi non deesset satis opportunus reprehensor, frustraneus tamen erat omnis ejus conatus siquidem quem sibi in abominandis adulteriis suis acquisierat, malus habitus adeo in ipso invaluerat, ut ad eum abigendum ne quidem Præcursoris Enc. S. Joa. sanctissima & efficacissima reprehensio suffecerit. *Nam obrutus deliciis*, inquit de Herode Andreas Cretensis: *non se potuit erigere, nec aspexit lucem veritatis, sed mansit gravatus crapula libidinis.*

Fit peculiaris reflexio ad modum, quo S. Joannes Baptista Herodem reprehendit. Ostenditur etiam qualiter aulæ semper veritatem exhorrescant. Danturque rationes cur Joannes nullum correctione sua fructum attulerit.

DISCURSUS TERTIUS.

Dicebat Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Matei c. 6.

1 EXecrandus ille Herodis cum Herodiade commissus incestus & adulterium suo universam palæstinam inficiebat fœtore, habent enim peccata magnatum hoc sibi peculiare, quod quia totius populi oculos in se conversos habent, communiter publica & manifesta fiant, adeoque quoad illa publica pariter opus erat reprehensione; undè nemini mirum videri debet, quod hæc Herodi adhibita reprehensio à discreto Præcursore publicè in conspectu uniuscujusque facta fuerit: quia tametsi sapientissimus Magister noster præceperit, ut corre- 1. Tim. 5. ctio proximi clam & in privato fiat: *Corripe eum inter te & ipsum solum*; hoc tamen solum habet, quando peccatum est occultum, non vero quando scandalum est manifestum; de illis namque Apostolus ait, *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant*. Enimvero hanc Herodi à Joanne propositam objurgationem publicam Abulensis inter alios hisce verbis asserit: *Joan-* Qu. 15 ad c. 14. Ma. *nes prædicans arguebat publicè Herodem de illicitis nuptiis*. Victor quoque Antiochenus ait: *Joannes palam Herodem* Ser. 127. *reprehendit*. Chrysologus denique ita scribit: *Agit ut te habeat confusio publica, quem non potuit corripere secreta correctio*. Verisimile etenim est quod Joannes ipsum frequenter in secreto monuerit, ut ab hac incestuosa & adultera familiaritate desisteret, idque tanto mihi est probabilius, quod constet Herodem sancti Præcursoris prædicationes spiritu & zelo bono plenas audiendo intimæ compunctionis signa edidisse; quia tamen illum nihilominus minimè emendari videbat, scandalum autem ex altera parte erat notorium, ideo illum in publico reprehendendum esse censuit. Verum enimverò observandus est modus, quem Joannes in hac reprehensione tenuit, quem Chrysostomus hisce verbis considerando exponit: *Non enim dixit, scelestè, pollute, & prævaricator, ac prophane, conculcasti Dei legem, contempsisti quæ statuta sunt, potentiam tuam legem fecisti: nihil horum: sed etiam in reprehensione apparuit multa mansuetudo viri; dixit enim: Non licet tibi habere uxorem fratris tui; erat enim verbum magis docentis, quàm reprehendentis.* Eandem quoque reflexionem Albertus Magnus fecit, dum ait: *Attende modestiam Joannis, qualiter sine improperio, solius veritatis amore, non ex se, sed ex lege potius monens de veritate, quam corripiens, illicitas detestatur nuptias; deferens enim Regi, attendit quod dicit Apostolus Rom. 13. Cui honorem, honorem. Non dicit, progenies viperarum; sed simpliciter: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.* Chrysologus pariter hanc in Baptista discretionem conside- Serm. 127. rat, dum ait: *Herodem Joannes monitis, non accusatione pulsabat*. Charitatem in primis & modestiam simul Herodem reprehensurus conjunxit, iisdemque magnanimam in reprehendendo & corrigendo libertatem associavit: hæc enim duo sunt oleum & vinum, quod Samaritanus infudit miseri illius vulneribus, qui ab Hierusa- Serm 6. Benef. lem in Jericho descendebat. Notabilis prorsus est illa Senecæ sententia: *Monstrabo tibi*, inquit, *cujus res inopia laborent etiam magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille qui verum dicat*. Etenim in magnorum Principum aulis nihil est veritate detestabilius. Sicut econtra nullum est aulicis familiarius vitium, quàm sit adulatio. Porrò Salvator in Baptistæ laudem dixerat: *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*. Unde satis evidenter colligitur, ingratos esse in aulis, & torvis oculis videri, qui saccis & ciliciis induti sunt, Prædicatores Evangelicos; econtrà verò adulatores, parasiti, moriones & mimi in aulis passim pretio habentur; undè Esther. 4. Mardochæum *ante fores palatii* constitutum conspicimus S. quidem Joannes clarè & perspicuè satis prævidebat damnum, quod ei resultare poterat ex eo quod Regem quendam reprehensurus, eundemque à suis sequestraturus

volu-

voluptatibus ingrederetur aulam; neque tamen ob id ab obligationis suæ debito desistere voluit. In lectionibus matutinalibus primi nocturni in honorem ejus ex sancti Jeremiæ c. 1. desumpta legimus sequentia verba: *Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum; ego quippè dedi in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram Regibus Juda, principibus ejus, & sacerdotibus, & populo terræ.* In Ezechielem quoque scribitur: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam sanguinem ejus de manu tua requiram.* Isaiam similiter se tacuisse vehementer pœnituit: *Væ mihi quia tacui*; cujus rationem S. Hieronymus reddit dicens. *Isaias, quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera voce impium designarat, labia habebat immunda*; non verò sic Baptista, qui generosum pectus suum Herodianæ impietati opposuit, nec linguæ suæ pepercit ad impium & scandalosum Regem absque ulla furoris sui formidine corrigendum & reprehendendum. *Dicebat Herodi Joannes. Non licet tibi habere, &c.* Hugo Cardinalis verba illa S. Joannis: *Non licet tibi*, in sensu morali exponens ait: *Caro & spiritus fratres sunt, uxor carnis concupiscentia; hanc non debet sibi ducere spiritus, filia concupiscentiæ delectatio.*

Epist. 13. ad Dam.

2 Observandum est autem qualisnam ille sit, qui reprehendit: *Dicebat Joannes.* Omnino enim opus est, ut nomen istud nonnihil ponderemus S. Gregorius ait: *Necesse est ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa stercoris lutum tenet.* Propheta ille ad Jeroboam reprehendendum à Deo missus, altare æneum frangi, sacrilegi quoque Regis illius brachium primo quidem exarescere fecit, demum vero incolumitati pristinæ restituit, & præter oblata Regiæ illius obsequia, munera quoque à Rege sibi oblata accipere renuit, & tamen nullum ex reprehensione sua fructum reportavit, idque non aliundè factum est, quam quod ab alio quodam Propheta seductus contra Dei vetitum in eo loco, in quo sibi prohibitum fuerat sobriè tantùm manducavit, quod itidem neutiquam fecisset, nisi sibi persuasum habuisset, præceptum istud sibi impositum denuò à Deo fuisset revocatum. Sicut enim parvulus clavus sufficit ut ingentia tormenta bellica, quæ integrum valerent dissipare exercitum, inutilia prorsus efficiat: eodem quoque ratione in eo, cui incumbit alterum corrigere, exiguus culpæ nævus, cuivis exindè alias securuto magno profectui ingens ponere potest obstaculum. Hoc autem quoad S. Præcursorem timere nequaquam potuit: siquidem de ipso æterna Veritas ait: *Venit Joannes non manducans, neque bibens. Ecce ego mitto Angelum meum*: atque ideo quis unquam inter omnes homines tam natos, quam deinceps ad finem usque sæculorum nascituros, inveniri poterit Joanne irreprehensibilior? & tamen ab Herode auditus non fuit, nec fructum aliquem in eo peperit; & quidem tametsi hoc ipsum perspicuè satis prævideret, ab illo tametsi reprehendendo desistere nequaquam voluit: probe namque intelligebat hoc Herodi ob oculos positum improperium in cunctis futuris sæculis gravem facturum esse impressionem, futurumque forte ut multi S. Baptistæ comminationes formidantes à publicis deinceps scandalis committendis deterrerentur: econtrà vero Herodes per hanc obstinationem & crudelitatem se toti mundo in perpetuum infamem redderet, remaneretque publica hæc à Joanne facta correctio, veluti clavus quidam acutus cordi Herodis in perpetuas æternitates infixus. Undè Chrysologus ait: *Joannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratissimus sanctitate, dum trahit ad se sua inquisitores injuria, facit ut tuus cunctis innotescat incestus; agit ut te habeat confusio publica, quem corrigere non potuit secreta correctio.*

L. 7. moral. c. 10.

Ser. 127.

3 Aliæ quoque adduci possunt rationes, cur correctio ista nullum fecerit in Herode fructum: *Dicebat Joannes Herodi.* Quando coram aliis perorans à paucis audientiam obtinet, de eo dici communiter solet, quòd in deserto prædicet; hic autem in casu nostro omninò contrarium evenit, siquidem ad auscultandam Joannis prædicationem civitates omnino ab hominibus evacuabantur, & in desertum commigrabant; in eo verò malum ipsius positum erat, quòd è deserto egressus esset, suamque in curiam Regi prædicandi stationem transtulisset, ubi non nisi adulationibus aures porriguntur, & verè ibi prædicans in deserto prædicare dici poterat, quia qui ibi illum auscultaret, nullus erat. Quando Pilatus Redemptorem nostrum audivit dicentem: *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, protinus ille ingenti cum admiratione illum interrogavit: *Quid est veritas?* eò quod sibi videretur audire idioma quoddam novum, & in aulis magnatum inauditum. Amos Deo potius quam hominibus obedire volens, ad mortem ab Amasia iniquè condemnabatur. Cyrillus autem in præfatione eorum Commentariorum, quos in Amos exaravit, dentes ipsi priùs evulsos esse dicit, non vero linguam, eo quod Principes ament solam habere linguam, non vero dentes, id est, gratum illis quidem est si quis lingua cum illis loquatur ad adulandum, non vero si dentes adhibeat ad scelera eorum reprehendendum. Linguam amant; utpotè quæ in quamvis partem facilè vertitur, non vero dentes solidos & densos, qui de loco suo difficulter proindè moventur. Linguam illam volunt ad laudandum, non vero dentes ad mordendum. *Ligatus quoque, & in carcerem trusus*, inquit de S. Joanne S. Bernardus, *nihilominus stetit in veritate, & occubuit pro veritate feliciter.* S. Augustinus quoque miram S. Joannis in dicendo veritatem admiratur, quia tametsi videret se illa sine vitæ impendio diu uti non posse, *propter justitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam; & nos interdum pro gratia hominum, vel timorem offensionum præferimus adulationem, & vendimus veritatem, non timentes illud, quod terribiliter scriptum est Ezechielis 3. Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram.* Enimvero universam Herodis aulam eadem cum ipso macula seu labe contaminatum fuisse, ex eo facile deduci potest, quod de filia Herodiadis saltante S. Marcus dicit: *Dum placuisset Herodi simulque recumbentibus*; ac proindè valdè est verisimile omnes Regem cohortatos fuisse, ne verba S. Joannis quicquam æstimaret, imò fortè ipsum utpotè virum admodum temerarium, & choleræ obnoxium ad iracundiam stimularunt.

Joan. 18.

Append. de divers. ser. 4.

4 Alia insuper ratio, cur facta a S. Joanne correctio fructum non fecerit, fuit, quia agebatur de peccato carnis, cui Herodes una cum Herodiade ad gulam usque erat immersus. In Osea scribitur: *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Nunquid insignis illa & sonora Spiritus sancti tuba, Paulus, inquam, Apostolus Felicem ad fidem, quam ei prædicabat, convertere prævaluit? Minimè gentium, tametsi etiam talia coram ipso puncta attulisset in medium, quibus à vitiorum suorum lethargo ipsos quoque suscitare potuisset mortuos, tractando nimirum de finali judicio, deque divinæ justitiæ severitate, idque tanta cum verborum energia & efficacia, ut fuerit *tremefactus Felix*; & tamen idem Apostolus Sergium Paulum ad fidem nostram convertit, tametsi ei in id connitenti unà cum Elyma mago universus se opponere videretur infernus. Scitisne quodnam fuerit inter utrumque discrimen? Felix in lascivi amoris, quo Drusillam, quæ velut altera quædam Herodias erat, deperibat, luto sepultus jacebat, ideoque mirum non erat quod prædicatio etiam ipsiusmet Apostoli Pauli infructuosè coram illo fieret: *Cum peccatum corrigere*, inquit Lucas noster Burgensis, *libido non sineret.* Pater Hieremias Drexelius de Gulielmo Malburiensi refert, eum talis fuisse potentiæ, ut sexaginta millia equitum, & multo plura millia peditum in Palæstinam educere potuerit; & quidem vere ditissimus, sed insuper vitiosissimus erat. Accidit autem quod Petrus Pictavorum Episcopus eum reprehenderet, eo quod in domo sua alteram quandam Herodiadem foveret; cumque dictus Episcopus ipsum excommunicationis mucrone feriisset, apprehenso mox ense Episcopum quadam occasione invasit, eidemque per capillos arrepto dixit: Nisi me confestim Ecclesiæ restitueris, in hoc momento morieris: Episcopus autem loquendi tempus sibi indulgere postulavit, quo ei indulto aliam quandam tremendam priore longè formidabiliorem excommunicationis sententiam adversus eum intrepidus pronuntiavit, ac tum demum constans & alacer collum porrexit ad gladii ictum, sacrilegus autem Comes visa Episcopi constantia ad eum dixit: Tam vehementi te odio prosequor, ut te penitus indignū esse existimem, cui per manus meas mors inferatur; neque enim patiar, ut per manus meæ subsidium cœlum unquam ingrediaris; ideoque pessimi scorti sui consilio permotus in exilium eum proturbavit; cumq; Episcopum in eodem exilio mortuum esse inaudisset, dixit *Pœnitet me quod senem illum non citius ad cœlum miserim.*

Ose. 4.

Act. 24. 17.

In c. 24. Matt. C. 12. de derision.

Marsi Prompt.

Ecce tibi igitur quàm stant incorrigibiles & inemendabiles illi, qui in turpe lutum istud lasciviæ infelicitet incidunt.

Disseritur de aliquibus Herodianæ crudelitatis causis. Item de sensualitate, gula, & choreis ipsius.

DISCURSUS QUARTUS.

Cœnam fecit; cumque introisset filia Herodiadis, & saltasset, & placuisset. Marci c. 6.

1 ECce tibi quousque in seram usque noctem protracta convivia, choreæ, impudicique amores procedant, nimirum usque ad machinandam necem viri innocentissimi, qualis S. Joannes erat; siquidem choreæ belle peractæ præmitum resectus Baptistæ vertex fuit. Opportunè S. Petrus gulæ voluptates cum libidinis illecebris (2 Pet. 2. 14.) simul conjunxit, dum ait: *In conviviis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti.* Undè Tertullianus de Venere & Baccho scribens ait: *Duo ista dæmonia conjurata & conspirata inter se sunt ebrietatis & libidinis.* (Lib. 1. de specta. c. 10.) Clemens Alexandrinus quoque inordinationes considerat, quæ à gula, cui ingluviosus inferni coluber præsidet, derivatur; dum ait: (Li. 2. de Pæd.) *Heu qui ad luxum mensarum propensi sunt, pra est dæmon helluo maximus, quem ego non vereor appellare ventris dæmonem.* Ideò (Ep. 5. 18.) etiam Apostolus, Ephesios monet: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Ubi S. Cyrillus Alexandrinus ait: *Ut ostenderet ex ebrietate veluti progenita filiam generari luxuriam.* Quodsi vero simul & in unum gulam, choreas, & carnalem concupiscentiam conjunxit, non erit quod mireris, si indè prorumpat omnis in cestus horrendorum scelerum; siquidem quodlibet horum vitiorum, & & inordinatorum appetituum eum, qui iis est obnoxius, discursu & ratione destituere prævalet. Jansenius hodiernum exponens Evangelium inquit: *Currebant enim simul tumulentia, libido, & jactantia ad promittendum, tum superbum, & temerarium, insanumque præmium unius* (Cap. 5.) *saltatiuncula.* Daniel Propheta scribit: *Balthasar fecit grande convivium optimatibus suis mille, & unusquisque secundum suam bibebat ætatem.* Verùm enimvero num fortè in hoc grandi convivio luxuriam absuisse creditis? minimè; neque enim solum hæc, sed & quivis alius excessus sacrilegus præsto fuit: *Præcepit jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuerat in Jerusalem.* At verò quonam fine sacram hanc supellectilem veri Dei cultui olim consecratam, necnon sagrificiis cunctisque aliis sacrosanctis ritibus destinatam adferri præcepit, *ut biberent ex eis Rex & optimates ejus*; neque hoc satis erat, sed *& uxores ejus & concubinæ*; qui tandem à veri Dei cultu in idololatriam degenerabant, quia *laudabant Deos suos, & bibebant vinum.* Ecce tibi veram quandam hujus sacrilegi Balthasaris in Herode depictam effigiem, utpotè qui in longè dete stabiliorem prorupit vitiorum excessum, quando ipse pariter & adultera ejus innocentis Præcursoris inebriari voluerunt sanguine; ecce (Serm. 127.) tibi hujus sacrilegæ impietatis impulsum; *Natalis sui cœnam fecit. Sic indicat,* inquit Chrysologus, *mens oppressa crapulis, soluta vino, toto quodammodo ebrietatis demersa naufragio.* Adhæc videas in hac cœna in campum prodeuntes lasciviam & choreas: *Cumque introisset filia ipsius Herodiadis & saltasset, & placuisset Herodi, simulque discumbentibus; Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi*; quæ caput S. Joannis à busto ejus amputari protinus postulavit, quod & executioni indilatè (Lib. 3. de Virg.) mandatum fuit: *Misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco.* Ubi Ambrosius in lectionibus Matutinalibus ait: *Postremo (quod etiam omnes barbari horrere consueverunt) inter epulas & convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum, & à convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii, circumfertur obsequium,* inquit Sanctus. Et paulò post subdit: *Quis cum audisset natalem esse Herodis, solemne convivium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Joannem ob solutionem non arbitraretur? quid crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati?* Comminabatur quodnam (Isa. 5. 11.) Isaias: *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis; cythara, & lyra, & tympanum, tibia & vinum in conviviis vestris.* Quis verò crapulæ & gaudiorum istorum tandem est finis: nimirum totalis & omnimoda à Deo aversio: *Et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.* Author quidam modernus in sermone, quem in hanc solemnitatem conscripsit, optimè id quod S. Marcus (Dies.) de Herode scribit considerat: *Fecit cœnam principibus, tribunis, primis Galilææ. Hoc est ingenium divitum atque potentium hujus sæculi, divitias suas cum divitibus, quis eis non indigent, consumere*; adeoque similes sunt fluminibus, quæ aquas suas ad mare derivant, tametsi hoc iisdem affatim abundet; ripas vero, circa quas alluunt, siccas prorsus & aridas relinquunt: *Non utique hi consilium observant Spiritus sancti dicentis Eccles. 4. Fili eleemosynam pauperis ne defraudes.* Homo lascivus sensualitati fovendæ & nutriendæ totaliter deditus opportuna similitudine comparatur jumento: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Jumentum enim tunc vel maximè recalcitrat, dum præsepi alligatum pabulum sumit, vel dum carnali commixtioni se accingens ab eadem impeditur. Herodes verè erat *sicut equus & mulus quibus non est intellectus*; cœnæ etenim accumbens, suisque cum Herodiade voluptatibus incestuosis vacare parans, quia ne per improperium & reprehensionem S. Joannis ab iisdem impediretur, pertimescebat prouti & reipsa accidit, quando Joannes ei protestabatur dicens: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, ecce tibi, in quem excessum usque sese præcipitari permisit. *Cœnam fecit*; ecce tibi Herodem veluti jumentum ad præsepium alligatum; *cumque placuisset Herodi*: videte in eo carnalem concupiscentiam & sensualitatem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; videte iterum qualiter in brutalibus ipsius appetitibus ei opponatur obstaculum: ac proindè *misso spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco.* Porrò S. Gregorius optimum (D. 44.) nobis convivia licitè celebrandi modum insinuat dicens: *Convivia, quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt rectè, vestra fraternitas in epistolis suis laudat; sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, nec in eis inanes negotiorum sæcularium fabulæ: sed verba sacræ lectionis audiuntur, cum non plus quàm necesse est, servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur.*

2 *Cum saltasset & placuisset.* Cæsarius in Homilia de Decolatione S. Joannis Baptistæ ait: *Saltat autem, qui hoc quo facit malum, non considerat, & de vitio in vitium se præcipitat, undè scriptum est in libro Regum quod plures erant quos devoravit saltus, quàm quos occiderat gladius. Miserabilis saltus est iste; attamen Herodi placet & Principibus ejus*; examinemus sodes quidnam sacri expositores circa hæc tripudia observaverint: *Serpens tunc latebat in fœmina* (inquit S. Chrisologus) (Ser. 174.) *quæ repens genibus flexuosis toto corpore virus effudit ut discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret, homines verterentur in bestias, nec vino jam tales, sed sanguine potarentur.* Quidnam obsecro S. Augustinus dicere (L. de vita honesta.) voluit, quando scripsit: *Melius est in diebus festis arare, quàm choreas ducere?* num fortè dicere voluit, laborare minus malum esse, quàm choreas agere; tametsi enim labor vetitus sit, in cor tamen & animam Christiani alicujus minorem culpam inducere videtur, quam peccatum sensuale seu carnale, quod per lascivas choreas in anima ut plurimum accenditur. S. Hieronymus ad filiam S. Paulæ Eustochium nomine scribens refert, quòd tametsi in Syriæ desertis à sole exustus, & jejuniis extenuatus, scorpionumque & aliarum ferarum socius factus humi cubaret, visque duroque pane fami subveniens aquam biberet, & pectus duro silice fortiter percuteret; attamen post multa annorum curricula spiritus fornicationis visa incautè in juventute sua adolescentularum tripudia in memoriam reducendo vehementia in semetipso senserit excitari libidinis incentiva; ut proindè saluberrimè moneat Ecclesiasticus: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereat in efficacia illius.* (Eccl. 9.) Andreas quoque Cretensis in hac Herodianæ dissolutionis occasione non sine energia singulari exclamat dicens: *O amentiam! saltatio adolescentulæ Regis cepit prudentiam fracti manuum motus &* (Apud Surium Hom. 20. in Matth.) *pedum celeritas, & membrorum tractus firmum & validum Regis sensum enervarunt.* Veruntamen ut Chrysostomus ait: *His tripudiis diabolus saltat*; id

quod

Messret.

quod Author quidam antiquus in quodam sermone de hodierno festo, exemplo quodam terrifico ex libro de septem Spiritus sancti donis desumpto in tripudiorum & choreatum detestatione haud parum confirmat; scribit enim quod dum juvenis quidam, qui à patre suo à teneris unguiculis divino servitio dedicatus fuerat, in oratione constiturus serio cogitaret, quodnam esset quod præ cæteris divinam offensam in homines vehementius provocaret, & per quod Deus vel maximè inhonoraretur, contigerit quod coram ipso ante Crucifixi imaginem orationi operam dante, pulcher quidam adulescentulus choreas ducens in medium prodierit, qui dum prima vice ante prædictam Crucem tripudians transiret, omnes quotquot dictam choream sectabantur, ictum quendam satis validum in Crucifixi clavos infigebant; secundum vero gyrum in eadem chorea facientes spineam coronam è Christi capite sublatam, pedibus suis substernebant, mirisque gesticulationibus proculcabant: in tertio verò ejusdem choreæ gyro Christum amarè in Cruce lachrymantem deridebant, in quarto in benedictam Christi faciem sacrilegè exspuebant; in quinto latus ejus sacratissimum perforabant; ac demum in sexto eundem horrendum in modum blasphemabant; mox verò juvenis ille, qui choreæ illius ducem agebat, ad servum Dei conversus, ut visionis illius mysterium eidem declararet, dixerit. *Ego, qui sum Princeps inferni, & chorizationis procurator, ex precepto veni huc cum ministris meis, ut tibi exponam quod rogasti. Primo igitur extensio brachiorum fit in vituperationem extensionis brachiorum Christi. Secundo, per sertum, conculcatio coronæ capitis Christi. Tertio, per cantum, vituperatio planctus Christi. Quartò, saltus fit in derisionem. Quinto per ornamentum conspicitur Christus. Sexto, per lætitiam cordis, aperitur latus Christi. Vide miser saltator, & ignobilis saltatrix, quòd pejores estis Judæis, qui Christum crucifixerunt, & deriserunt in terris transeuntem; vos autem in dextera Patris in cœlo regnantem.*

Ostenditur detestandam esse Herodis in appetitibus suis sensualibus cæcitatem; econtra vero describitur S. Joannis Baptistæ circumspectio, qua usus est in Herodis & adulteræ consortis ejus reprehensione.

DISCURSUS QUINTUS.

Pete à me quod vis, & dabo tibi, licèt dimidium regni mei; & attulit caput ejus in disco, & dedit illud puellæ. Marci 6.

1 QUisquis præsenti animo ad eam, quam ambitio dominandi in corda humana exercet crudelem tyrannidem, sese reflectit, capere vix sufficiet; qua ratione fieri potuerit, quod Rex aliquis cæteroquin ambitiosus & superbus valdè, pro uno saltu sive pro una chorea juxta artis regulas concinnè facta regni sui medietatem offerret; quotidiana enim videmus experientia, quod ad hoc ut Reges regni sui confinia vel unicum duntaxat palmum dilatare possint, ingentes obarment exercitus, perque varias strages & cædes innumeros amittant vassallos, & tam in nummis quam in subditis diminuti depauperentur & deficiant: & tamen hoc non obstante evangelica veritas est, quod superbus hic Rex dimidium regni sui pro unico tripudio offerat: *Licèt dimidium regni mei petieris*. Ubi S. Ambrosius ait: *Vide quemadmodum sæculares ipsi de sæcularibus suis judicent potestatibus, ut pro saltatione etiam regna donentur.* Lucas Burgensis prodigæ hujus promissionis causam cœnæ illius luxui & indè natæ ebrietati attribuit: *Pudendum Regis temulenti exemplum, nullum statuentis prodigalitatis suæ modum, non pluris facientis dimidiam regni sui partem, quam præmium saltatiunculæ.* Ingeniosus profectò est conceptus ille Chrysostomi, quem sibi super hujus oblationis prodigalitate hisce verbis formavit: *Vides quonam regnum abierit?* (Herodem alloquitur) *miser & infelix, itane tibi mentis oculi excæcati? tanti regnum facis? semel puella saltavit, & regni dimidium tradis? Mansi Pro... ...quid si secundo saltaverit? votis excepta ne denuo saltet? vel si saltaverit, ne denuo placeat.* Salmeron ex hac Herodis promissione utilissimam quandam elicit moralitatem: *Vilem*, inquit, *saltationem puellæ, & tam breve oculorum solatium, tanto premio dignum existimavit, nempè dimidio regni sui: & tales Herodes multos est hodie invenire qui pro vilissima delectatione & voluptate audent montes aureos etiam cum juramento polliceri, & sanctius servant hujusmodi promissionem, quam baptismi, vel aliud sanctum votum.* Etenim quando momentanea voluptas æternæ anteponitur saluti, non jam datur dimidium regni cujuidam terreni, sed pro unius libidinis satisfactione regnum cœlorum æternum amittitur. *O quam usitatum est*, inquit ille servus Dei, *prophanos homines in eos se liberales ostendere, qui in suorum turpium appetituum executione sibi placent*; quotquot enim ad amplexandam animi libidinem liberales sunt, imitantur Herodem: *Hoc est signum, ex quo præscitur esse, ut Herodes, colligeris.* Quot hodie sunt qui in convivia, ludos, lubricas societates facultates suas copiosè dispensant, cum tamen erga pauperes adeo se parcos & tenaces exhibeant, ut eos fame perire nihili faciant! adulatores, parasiti, circumcelliones; equi item, canes, & alia animalia panem habebunt in abundantia, pro pauperibus autem, in quorum persona agnosci vult ipse Deus, nihil reliquum erit. *Adeo voluptate captus erat*, (inquit Chrysostomus) *ut tripudiis regna concederet; mirans forsitan, si tunc hæc fiebant, cum etiam nunc post tantam religionis nostræ philosophiam, multi juvenes adeo molles enervesque sint, ut nulla jurisjurandi necessitate urgente vel animas suas tripudii gratia largiantur?* quot sunt hodie qui pro uno obtutu vel desiderio lascivo, pro una voluptate momentanea æternum quoddam regnum prostituunt? verum enimvero id quod admirationem vel maximè auget est, quod idem Evangelista subjungit, nimirum ingens illa æstimatio & conceptus, quem Herodes de Joanne habebat? *Nam Herodes metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat*, & tamen in tam profundum se præcipitium labi nihil curavit. In catena D. Thomæ dicitur: *Vide autem quantum operatur concupiscentiæ rabies, quia cum Herodes tantam circa Joannem haberet reverentiam & timorem, horum fit immemor, ut suæ fornicationi provideret.* Mirum etenim habebat Herodes de Joannis sanctitate conceptum, adeò ut miraculorum à Salvatore patratorum famam audiens, sanctum Joannem à mortuis suscitatum esse crederet: probè item sciebat, ipsosmet Scribas, Pharisæos & Sacerdotes vehementer suspicatos fuisse ipsum verum Dei filium, & promissum in lege Messiam existere; & tamen *horum fit immemor, ut suæ fornicationi provideret. Ecce quo præcipitatur caro* (inquit Chrysologus) *cum ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendiis. Jacebat in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiva, quæ titillante luxuria, & non tam ludente quam illudente lascivia promitteret, quicquid turpitudo peteret, se daturam.*

To.4.tr.18.

Ser.174.

2 *Et ait Rex puellæ: Pete à me quod vis & dabo tibi; & juravit illi, quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium Regni mei.* Ecquis est rerum adeò ignarus, cui non sit manifesta animi hujus sexus indominabilis elatio, quæ in prima matre nostra adversus ipsummet Deum adeò turpiter rebellavit, ut ipsi par & æqualis aut similis evaderet? habet quoque sexus iste hoc sibi proprium, quod vel solum sanguinis humani, vulnerum, aut cædis humanæ aspectum exhorrescat, & tamen ut optimè notat S. Fulgentius, *elegit contemnere honorem, ut lucrificaret sanguinem*; cumque ei potentissimi cujuidam regni nobile sceptrum promissum fuisset, per quod in sortem Regni subintrare potuisset, id nihil curat; *Non cogitat de imperio, cui charior est turpitudo, culmine regni contempto: caput Joannis petivit in disco plus odiens eum, qui interdixit incestum, quam diligens eum, qui promiserat regnum.* Potiò Rex Assuerus Esther Reginæ splendidam hanc præstitit promissionem: *Etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*; siquidem regnabat super centum & viginti sex provincias; ipsa autem hac oblatione prudenter usa est ad utilitatem & prosperitatem populi sui, ut scilicet eundem ab Amanis furore liberaret, in oppositum ejus quod inverecunda hæc saltatrix fecit. Unde colligitur, quod mali concessam sibi authoritatem ut plurimum in alienum damnum & perni-

Serm. 7.

Esther. 7. 2.

Lib. 3. de Virg.

In cap. 6. Marci.

Ser. de vit. & vit.

perniciem usurpent, & præcipuè ad deprimendam hominum sanctorum innocentiam, timorati autem eandem ad bonorum erectionem, & ad eorundem depressionem sublevandam impendunt. *Bene quidem malitia* (inquit S. Hieronymus) *non habet tantas vires, quantos conatus; periret innocentia, si semper nequitiæ* La. Apol. cont Ruff. *juncta esset potentia, & totum quod cœpit iniquitas obtineret.* Chrysologo nimirum nequaquam videtur, quod saltatrix caput poposcerit sancti Baptistæ; nam *quid peteret luxuria, nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortem sibi semper contrariæ sanctitatis.* Nulli sacrorum interpretum dubium est, quin tota hæc funesta circa S. Joannem exercita & consummata tragœdia eo potissimum fine cœpta fuerit, ut quiete & sine turbatione suis uterque adulter potiretur impuris amoribus. Albertus Magnus Herodis oblationem, nec non postulationis ab Herodiadis filia concessionem considerans, ait: *Ex hoc accipitur, quantum ille possessus fuit amore libidinis, qui talia obtulit thura libidinis aris, ut dimidium offerret regni sui.* Rabanus ad temporis tantæ impietatis demonstrationi adeo inopportuni & improprii, carnalis vero appetitus sui satisfactioni opportunissimi circumstantiam sese reflectit, dum ait: *Qui mundi voluptate excæcati tenentur, de futuris non cogitant, & ob hoc nec præsentia bene ordinant, quod bene in luxuria conviviorum suorum Herodes demonstravit.*

3 Verum enimvero dicere hic nonnemo posset, si verum est, quod *tanti causa mali fœmina sola fuit*, cur Sanctus Joannes non est Herodiadem aggressus, cur ipsam non reprehendit, cur ei suum incestum non exprobravit, sed solùm reprehendit Herodem? Salmeron dicit S. Joannem dixisse Regi; *non licet etiam tibi, quia Rex es, & omnium oculi in te conversi sunt, quod tu feceris, & alii id sibi licere putabunt, atque ita tuo malo exemplo alios ad impietatem provocas:* at verò sincerior causa hæc fuit. Sanctus Joannes à primis infantiæ suæ annis in desertum se subduxit, ut omne fugeret humanum consortium, *ne levi saltem maculare vitam famine posset*, maximè autem ut debiliorem semper sexum declinaret, suam quoque sanctissimam matrem sanctam inquam & decrepitam Elisabetham declinavit, *ne in domo parentum*, inquit sanctus Hieronymus ad Rusticum, *cum periculo viveret castitatis*, ac proinde cum tantus esset sui candoris virginalis zelotes, lubricam illam fœminam aggredi noluit, ne quidem ut illam reprehenderet, ut non doceret, quod quantumcunque quis sanctus aut perfectus existat, attamen cum de honestate agitur, nequaquam se periculo exponere debeat, etiam sub defendendæ ejusdem virtutis pudicitiæ prætextu; nam ut Chrysologus ait: *Etsi Joannes tantus, Joannes talis tanto eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non evasit* (intellige quoad pœnam, non verò quoad culpam, siquidem sexus ille ei machinatus est mortem) *quis est, qui inter fœminas vivens, evasurum se sine labore maximo, maxima sine cautione confidat, nisi is, qui sancto alitur Spiritu?* Sanctus Joannes non solum vivus, sed etiam mortuus, fœminam in vultu intueri maximè cavit, tametsi securus esset, quod non jam dico scintillam aliquam, sed ne umbram quidem fumi ignis illius contrahere posset, eo quod fuerit in gratia confirmatus. S. Ambrosius enim de capite ipsius in mensam Convivii illius illato scribens ita ait: *Clausit lumina, non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ.*

4 Verum inquies quando rumor sententiæ de amputando hujus Prophetæ capite latè apud omnes percrebuit, Prophetæ, inquam, illius, qui in universa Judæa apud omnes in tanta erat veneratione, quem promissum in lege Messiam esse credebant, qui adeò de omnibus & singulis meritus erat, cur tunc populus eum à talis sententiæ executione non eripuit, cur sese apud Regem non interposuit, ut à tam probrosa eum morte eximeret? *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus;* Christo Salvatori nostro populus idem paulò ante festiva voce acclamarat: *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel*, & tamen paulò post in eadem septimana incondita voce est vociferatus: *Tolle, tolle crucifige eum: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Lucas Burgensis rem hanc aliter considerat dicens: *Ita impii de peccato in pecca-*
In c.2. Mat *tum ruunt, & seipsos in profundum mergunt.* Ab incestu enim ad scandalum proruperunt publicum, ab hoc ad Joannis incarcerationem, & ad sanctissimarum correctionum ejus contemptum, imò in illud se præcipites egerunt impiorum barathrum, qui *gloriantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis;* Joanne innocente sub vinculis compedum ingemiscente ipsi epulantur, & choreas agunt, Rex interposito jurejurando fit prodigus; dimidium Regni in Saltatiunculæ præmium promittendo, datque in ejusdem tripudii mercedem caput Sancti Joannis, quod majoris est pretii, quàm sint cuncta Regna terræ hujus, illudque in disco positum in medio sumptuosi cujusdam convivii, velut cibum delicatissimum offerat, & exhibet, adeoque *abyssus abyssum invocavit.*

5 Hugo Cardinalis ab mysticos quosdam sensus descendens ait: *Herodes cupidus, fraudulentus, superbus ex temporalibus, Herodias carnis concupiscentia, filia ejus est petulantia, quæ aufert caput Joannis, id est, gratiam*, nihil enim est, quod hominum divinæ gratiæ habendæ magis incapacem efficiat, quam vitium istud: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* S. Hieronymus à Glossa citatus ait: *Caput Joannis est caput legis, quod est Christus; abscinditur a corpore proprio, id est, populo Judaico, & datur puella de gentibus, id est, Ecclesia Romana, & puella dat matri suæ adulteræ, id est, Synagoga in fine creditura.*

Consideratur solicitudo, qua saltatrix Caput Sancti Præcursoris obtinere procuravit: unde quam sint impii in appetituum suorum prosecutione soliciti, perspicuè ostenditur.

DISCURSUS SEXTUS.

Cumque introisset statim cum festinatione ad Regem, petivit dicens: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Marci Cap. 6.

1 POstquam incestuosus Rex filiæ Herodiadis interposito juramento promisisset daturum se in saltationis ejus præmium, quicquid postulatura esset, licet etiam dimidium Regni sui peteret, mox abiit ut Matrem de re à Rege poscenda consulendo interrogaret; *Quæ dum exisset, dixit matri suæ, quid petam? at illa dixit: Caput Joannis Baptistæ;* quo accepto responso ipsa ne momento quidem substitit morando, sed abiens *statim cum festinatione dixit: Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Cum festinatione*, inquit Cornelius Jansenius, *significatur summum puellæ studium, ne forte astu Regis refrigescente promissum retractaret; nam hac etiam de causa petivit, volo, ut protinus des mihi, id est, jam statim, sine dilatione.* Syriaca elegit: *Tunc exiit, & illa egressa statim dixit matri suæ;* adeoque tam ipsa, quam mater, & Rex, & alii sententiæ feralis executores in executione inordinatorum suorum appetituum suprà modum fuere veloces & soliciti. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Salutare est illud sapientis monitum: *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem*, & paulò post dicit: *Ne* Prov. 1.10. *ambules cum eis, pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem.* Jeremias Propheta equi similitudine utitur, qui ingenti cum Jerem. 8.6 impetu in inimicum se exercitum properanter adigit: *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Et quidem si idipsum de cunctis impiis verificatur; qui tam sunt ad malum veloces, quam tardi & morosi ad bonum, longè magis procedit quoad carnales, qui ad prosequendum appetitus quibus agitantur minimè tardant. In sancto Matthæo de spiritibus illis rebellibus Energumenorum corpora possidentibus scribitur; *Occurrerunt* Matth 8 *ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes sævi nimis;* qui typus quidam erat homicidiarum spiran-

rantium; hi hanc a Salvatore nostro popoicerunt gratiam: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum & ait illis, ete*. Facile utique erit cuivis credere, quod per hæc adeo turpia & fordida animalia lascivi & carnales homioes repræsententur. Voltis autem videre qualiter id quod jam audistis de hac impia Herodiadis filia verificetur? de hac dicitur: *Cum introisset statim cum festinatione*, de illis verò animalibus, quæ lascivos repræsentant, dicit Evangelista: *Ecce impetu abiit totus grex per preceps in mare* quo in facto perspicuè denotatur, quam sint homines carnales præcipites, ut in sordium suarum lutum sese immergant. Hugo Cardinalis super illa verba: *Volo ut protinus*, ait: *Per hoc significatur quod quadam mala cum impetu fiant, ut supra c. 5. S. Marci; grex cum magno impetu præcipitatus est in mare*. Legatur obsecro id, quod juveni Principi Sichemitarum accidit, quando captus est lascivo amore Dinæ filiæ Jacob, dicit enim sacer textus: Gen. 34. *Adamavit eam & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem*; Inter hoc quod erat videre illam, illam desiderare, rapere, violare, nulla penitus temporis mora interposita fuit; cumque ei propositum fuisset consilium adeo asperum, ut se non tantum ipse, sed & omnes subditi ejus circumcidi permitterent, religionemque funditus mutarent, dicit scriptura: *Nec distulit adolescens, qui statim, quod petebatur, expleret*. Quidnam autem ipsum ad conditiones adeo difficiles & arduas subeundum induxit? *amabat enim puellam valde*, ubi enim hæc carnalis concupiscentiæ inordinata Passio aditum habet, quocunque hic ignis ingreditur, ibi consumit & devorat in anima omne bonum, omnem legem naturalem, divinam, & humanam homo carnalis pedibus suis substernit & conculcat. Unde author Catenæ ait: *Abuti malebat fidei sacramento, quam carere sua libidine*. Meritò igitur concupiscentia carnalis igni comparatur, eo quod hoc elementum summam habeat activitatem & velocissimè operetur.

2 *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis*: Siriaca legit: *Et statim ingressa est cum cupiditate ad Regem, & dixit ei, Volo ego, ut hac hora des mihi caput Joannis*. Euthymus legit: *Det mihi confestim*, Basilius Seleucus: *Proferatur ocius dum fervet compotatio, dum* Orat. 16. *convivium pendet*. Spiritus enim fornicationis ad exequendum appetitus lasciviam nullam dilationem admittit, ne sit tempus reflectendi ad præcipitium, in quod ultro citroque corruimus, & ne bonis amicorum monitis & consiliis, omnibusque aliis quæ divertere nos possint, aures præbere possimus. Jezabel pessima illa fœmina, quæ objecti cujuslibet lascivi & impudici figura fuit, hanc nobis Herodiadem ad vivum repræsentat, hæc enim Eliam persecuta fuit, cujus spiritu & zelo, ipsomet Christo teste Baptista præditus erat; audite Reg. 19. qualiter eidem minata fuerit. *Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, si non cras, hac ipsa hora ponam animam tuam tanquam unius ex illis*, adeo ut Elias ne vitam suam per adeo indignam & crudelem manum amitteret magna cum celeritate per quadraginta dies, & quadraginta noctes, absque eò quod manducarit, aut biberit, nisi paululum aquæ & panem subcinericium, ad montem Oreb fugerit. Ubi Chrysostomus ait: *Post viam quadraginta dierum timuit Elias; Heu mihi, propheta Elias timuit mulierem, qui pluviam orbis terra gestabat in lingua*? audite sodes, in quem sensum Lucas Burgensis hujus filiæ Herodiadis propositam petitionem interpretetur? *Da mihi protinus. Hic, hoc jam loco hac hora, coram convivis his, interea enim dum ferveret regius animus, abuti eo voluit, ne forte decocto vino, & digressis testibus refrigesceret, atque à promissione resiliret*.

3 *Volo*. Verbum hoc imperativum considerationem meretur. Ex quo namque loquendi modo, Dominium, seu potius tyrannis, quam persona amata in amantem exercet, facilè deducitur, siquidem inseparabilis illius proprietas est, quod amantem servum & mancipium suum efficiat, prouti juvenis ille à fœmina quadam impudica seductus, per sapientis sententiam denominatur Prov. 7. 22. *Quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quod ad vincula stultus trahatur*. Quamprimum quis in prædam cessit objecti amati, ab eoque teri carnalis amoris est irretitus, illud fit Dominus illius, ac proinde eidem pro arbitrio quidvis potest præcipere, potestque dicere *vole*, cujus exemplum in Samsone habemus, de quo Dalila pro libitu suo cuncta disposuit, in manus Philisthæorum eum tradendo. Dici etiam potest hoc verbum *volo* vere esse omnis mali Eccl. 18. 30. originem. Unde Ecclesiast. monet. *Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua avertere; si prastes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Quidnam fuit causa mortis illius, qui fuit innocentiæ, & solidissimæ constantissimæque sanctitatis ipsissimum prototypon: hoc verbum *volo*, Mors pariter Redemptoris per hoc verbum *volo*, in opus redacta fuit; unde de Præside Judææ Evangelista ait. *Jesum* Luc. 23. 25. *tradidit voluntati eorum*. Propria voluntas in nobis omnis vitii & cujusvis culpæ semen extitit. Chrysostomus ait. *Vide impudentiam puella, vides à Diabolo penitus ipsam detineri, nec causam petitionis ullam offert, quippe nulla excogitari poterat, sed absque ratione aliarum calamitatibus honorari contendit*. Hom. 49. in Matt. Salvatori quidem nostro multas Judæi machinati sunt calumnias & imposturas, non tamen id Baptistæ facere præsumpserunt, imò ipsemet Herodes, qui ipsum decollari jussit, eum hominem justum, sanctum, & inculpabilem esse confitetur; *Nulla causa excogitari poterat*, ac proinde tam iniquæ in Baptistam ferendæ condemnationis, nullam aliam edidit rationem, quàm verbum hoc *Volo*, id quod etiam in multorum impiorum malè consultis resolutionibus accidit, quibus contra Deum armantur, de quibus aliud dici nequit, quam quod *stet pro ratione voluntas*. Daniel. 5. 29. De superbo illo & elato Babyloniæ Rege, Nabuchodonosore inquam, scribit Daniel: *Quos volebat, interficiebat, & quos volebat percutiebat, & quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat*. Hoc *volo* sicut Christo machinatum est mortem, ita quoque populo illi extremam intulit ruinam & exterminium. Unde Salvator eidem dixit: Joan. 8. *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere*; Ipsi verò ad ipsum conversi audacter dixerunt: *Volumus à te signum videre*: Quod Eusebius Emissenus considerans ait: *Non rogant, nec postulant, sed inflato stomacho, & erecta cervice dicunt, volumus*. Ho fer. 4. post Dom. 1. Quadr.

5 *Volo, ut des mihi in disco*. In Hebræo est idem, quod *in patina*, quo nomine paropsidem amplam indicat, in qua epulæ ad mensam deferuntur, quasi dicere vellet; Optimus bolus, quem huic lautissimæ cœnæ accumbentes conviva gustare possent, erit caput Baptistæ ab ejus cervice præcisum. Unde Lucas Burgensis ait; In cap. 14. Mat. *in disco, in patina, in qua tibi mensa apponuntur, quasi diceret: In patinis mensa tua non sunt cibi, qui me sive exsaturare, sive oblectare queant, sed erit hic missus unus*. Chrysostomus quoque quasi per hujus pessimæ mulieris os loquens ait: Hom. cit. *Magna enim inflamata cupiditate sum videndi illam linguam silentem, non enim effugere solum illius redargutiones cupiebat, sed insultare quoque atque illudere jacenti*. Jansenius super S. Marcum ita scribit: *Porrò Herodias illusit sancto capiti, & sicut olim Fulvia linguam Ciceronis, ita hæc linguam Joannis discriminali acu confodit, ut testatur Hieronymus contra Ruffinum*. Idemmet Chrysostomus ad quæstionem quandam, quæ ipsi proponi potuisset, nimirum, cur ad crudelitatem suam exsatiandam filia Herodiadis non petierit, ut sanctus Præcursor in conspectum ipsius adductus sub oculis ejus decollaretur, ad hanc inquam quæstionem respondet, causam illius hanc fuisse, quod *neque ad mortem euntis libertatem ferre potuisset, sed exhorruisset etiam, cum necaretur, vocem illius*. Obsecro vos, imaginemini vobis, quam funestum fuerit spectaculum, in fine seu potius in medio chorearum, cantiuncularum, epularum, & gaudiorum, tandem resectum videre sanguine madens caput illius, quem veluti Deum quendam venerabantur, quemque Herodes summo in pretio & æstimatione habebat, adeo quod *libenter eum audiebat, & audito eo mala faciebat. Animadvertite autem* (inquit idem Lucas Burgensis) *quàm abominanda pompe intuitu fœdare oculos conviva cogantur, (si tamen erant quibus facinus displiceret) ut discas qui magnatum mensis assident, sæpe multis sceleribus implicari*.

Agitur de Herodis triſtitia, an ſcilicet illa vera, an ficta fuerit, nec non de ſuppliciis, quibus idem Herodes deinceps à Deo punitus fuit.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Et contriſtatus eſt Rex, propter jusjurandum noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus. Marci cap. 6.

1 FAmoſum valdè eſt dubium, quo ſacri Expoſitores inter ſe diſquirunt, an triſtitia quam poſt latam mortis ſancti Joannis ſententiam inceſtuoſus Rex præ ſe tulit, ſimulata fuerit, an vera. Et quidem ex fidei magiſterio ſatis conſtat, quod *metuebat Joannem ſciens eum virum juſtum & ſanctum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Ubi Lucas Burgenſis ait: *Multa, non omnia; Non eſt cur ſibi placeant, qui multis ſanis conſiliis obediunt, donec ſe in ſolidum Deo addicere, & ſubjicere didicerint.*

To 4 tr. 18.

Salmeron docet, multos quidem ob præcitata ſacræ Scripturæ verba exiſtimare, Herodem ex ſæpè auſcultata Baptiſtæ prædicatione, egregios ſibi fructus comparaſſe, eò quòd multas puellas inopes honeſtè dotarit, variorum quoque incarceratorum debita pecunia ſua diluerit, alios quoque è carceribus ſub ſpe emendationis ſecuturæ dimiſerit, aliaque pietatis opera in diverſis occaſionibus exercuerit: *Verum quia non omnia, quæ illi ſuggerebat fecit, ad eadem viri ſancti proceſſit, qui enim deficit in uno, factus eſt omnium reus, quia enim vel in uno hoc de abjicienda adultera fratris viventis uxore non paruit, meritum ac fructum bonorum operum amiſit:* Idem Lucas Burgenſis in Cap. 14. S. Matthæi ſcribit: *Colebat, reverebatur, metuebat, non formidine invita, ſed voluntaria obſervantia.* Imò à prima hora qua innocentem Baptiſtam in carcerem conjecit, morte illum è medio tollere quidem decreverat, niſi populi ſeditionem timuiſſet, unde Scriptura dicit, quod *Volens illum occidere, timuit populum, quia ſicut prophetam eum habebant.* Albertus Magnus quoque ſic ſcribit: *Timor eſt mundanus, non correxit culpam conceptam, ſed potius machinatus eſt cauſam, quæ videretur opportuna ad ſcelus perpetrandum, timor autem Dei corripit culpam:* Cæterum ut idem Lucas Burgenſis ſcribit, quia carcer cui ſanctus Præcurſor incluſus erat, aulæ Herodianæ vicinus erat; ideo ejus prædicationem hac occaſione frequentius audivit, & quia à familiarioribus ſervis ſuis, quibus incarcerati cuſtodia commiſſa erat, de rigoribus & auſteritate vitæ S. Joannis ſæpius audiverat, ideo Evangeliſta ait: *Sciens eum virum juſtum, & ſanctum, ipſa jam experientia, quod prius fama publica intellexerat, cuſtodiebat eum, conſervabat, tuebatur ab inſidiis Herodiadis:* Et ideo licet mortem ejus non adeo ſeriò voluerit, attamen *non dimittebat liberum, ut hoc modo uxoris iram paulatim leniret, aut ſaltem facinus impediret.* Quòd ſi verò quæras, cur tandem in adeo execrabilem ſententiæ ſetalis exceſſum proruperit? Reſpondet Cæſarius verba illa: *Audito eo*

Hom. dec.

multa faciebat, accuratius ponderans, ait: Sæpe mali bonis ob temperant, & hoc quamdiu eis placita prædicant, quorum vitia ſi per correptionem durius tetigerint, quicquid ibi amicitiæ prius fuit, totum diſſolvitur, & amor in odium vertitur. Ex alia vero parte triſtitiam ejus fictam fuiſſe ex eo argumento haud obſcurè colligitur, quod Chriſtus qui *ſciebat quid eſſet in homine*, eum vulpem cognominarit, dum ait: *Dicite vulpi illi*, per quod eum de numero fuiſſe illorum ſatis inſinuat, *qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Dionyſius Carthuſianus hac de re hunc in modum diſcurrit: *Simulavit ſe Rex contriſtari, ut populus haberet eum excuſatum de morte Joannis, cum tamen gauderet in corde*, id quod adductis in medium aliquot rationibus probat. Primò quidem, quia Spiritus ſanctus, qui ſpiritus eſt veritatis in ſancto Matthæo dicit, impium hunc Regem jam antea quidem Joanni necem inferre decreviſſe, id tamen ob timorem populi hactenus fuiſſe dilatum. Secundò, quia certum eſt, quod jusjurandum à ſe factum, utpotè ſummè iniquum obſervare minimè tenebatur, quia *Juramentum non eſt vinculum iniquitatis.* Tertiò, quia non eſt veriſimile quod in unius ſaltatiunculæ præmium dimidio regni ſui, quod majori cum ambitione, quam vir aliquis dominandi avidiſſimus poſſidebat, ex vi facti juramenti ſuiſſet privandus, multo igitur minus, inquit Carthuſianus, obligatus erat viro adeo innocenti & ſancto caput amputare. Verùm enimverò aliorum quoque interpretum hac de re teſtimonia audiamus. Gloſſa igitur in primis ait: *Ad hoc forte juravit, ut occaſionem pareret qua videretur facere invitus, quod faciebat ſpontaneus*

In Matt. 14. In Helvid.

Sanctus Hieronymus ita ſcribit: *Diſſimulat enim artis ſuæ malitiam artifex homicida, cùm triſtitiam in facie, & lætitiam haberet in corde, ideò vulpis eſt à Domino appellatus.* Sanctus Ambroſius quoque ſcribit; *Quod dicit, contriſtatus eſt, non pœnitentia Regis, ſed conſuetudo ſententiæ, ut qui geſſerant impia, ipſi propria confeſſione ſe damnent.*

Lib. 3. de Vir.

Sanctus Hieronymus à ſancto Thoma Aquinate in Catena citatus, objectioni quæ adduci poterat, nimirum quod ſacra Scriptura perſpicuè nimis dicat: *Contriſtatus eſt Rex*, ita reſpondet: *Conſuetudinis Scripturarum eſt, ut opinionem multorum ſic narret Hiſtoricus, quomodo eo tempore ab hominibus credebatur, ſicut Joſeph ab ipſa quoque Maria appellatur Pater Jeſu, ita & nunc Herodes dicitur contriſtatus; quia hoc diſcumbentes putabant.* Cajetanus itidem huic opinioni ſubſcribit, dum opinatur quod Herodes quoque ſe prædicationem Joannis cum devotione auſcultare, exterius finxerit: *Hi actus virtutum, qui narrantur de Herode, intelligendi ſunt ficti, juxta verbum Domini appellantis eum vulpem, & juxta teſtimonium Matthæi 14. quod Herodes volens occidere Joannem, timebat populum.* Veruntamen Janſenius mediam ingrediens viam dicit eum audita petitione ſaltatricis de amputando Joannis capite, in reſolutione ſua ancipitem hæſiſſe & ambiguum, ſciebat enim ipſum Prophetam innocentem, & in vitæ ſanctitate & perfectione eminentiſſimum eſſe; ſciebat etiam quod ſi in peſſimæ illius fœminæ poſtulationem condeſcenderet, magnam ſibi apud omnes & ſingulos conciliaturus eſſet invidiam, quamvis in interiori cordis ſinu mors Baptiſtæ ei grata & accepta extiterit, eò quod per illam ſpinam quam ipſius aſpectu in oculis ſemper gerebat, ſibi penitus eximeret. Sanctus tamen Joannes Chriſoſtomus ſcribit: *Cur igitur contriſtatur; quia videlicet talis res virtus eſt, ut nequam etiam homines non & admirentur ipſam, & laudent.*

Ho. 49. in Matt.

2 *Propter jusjurandum noluit eam contriſtare.* Quod ſi quis curioſè inquirat, cur Herodes promiſſionem ſuam à principio juramento ratificare & corroborare voluerit, & *jurav · illi*? Reſpondetur id eum feciſſe, ne haberetur ſuſpectus quaſi fidem datam more ſuo paulò poſt irritaturus eſſet, cujus enim ſimulationes, fictiones, & doli omnibus nimis manifeſti erant, ac proinde juravit; juramentum enim apud Judæos inviolabile & in ſumma veneratione erat; quamvis ex alia parte Rex adeò ignorans non erat, ut ſe tali juramento in hac materia jurata minimè adſtringi non agnoſceret, nam ut omnibus conſtat, ad hoc ut juramentum vim habeat obligandi, haſce tres conditiones habeat oportet, ſcilicet veritatem, judicium, & juſtitiam. Hoc autem juramentum in primis prima conditione, id eſt, veritate carebat: Neque enim Rex adeo ſtultus erat, ut pro una ſaltatiuncula dimidio regni ſui ſe privare voluiſſe credendus ſit, ſed quicquid dixit, exaggerationis cauſa dictum fuit, abſque eo quod ſeria ejus id faciendi concurreret intentio. Unde Andreas Cretenſis ait: *Si petiiſſet, ut à regno excederet, quomodo eſſet executus, quod ei juraverat? Si etiam imperaſſet, ut matri effoderentur oculi, vel ut omninò recederet ab ejus conſuetudine, impleviſſet ne quod petiviſſet?* Cui Hugo Cardinalis conſentit dicens: *Non enim hoc impleſſet de aliquo amato filio vel conſanguineo.* Ex quo haud obſcure colligi potuit quod juramentum iſtud mendax eſſet, eò quod lingua cordi non conſentiret. Defuit etiam ſecunda conditio, id eſt, judicium; ſiquidem quænam excogitari poſſet major ſtultitia, quam pro unius levinculæ mulieris ſaltatiuncula promittere quicquid petulans ejuſmodi fœmina poſſet petere, tametſi etiam ſceptrum & diadema regium poſtu-

postulasset. Multo minus juramentum hoc in se tertiam conditionem continebat, scilicet Justitiam, siquidem noo raotum promissio, sed & executio illius omni legi naturali, & humanæ advertabatur. Sancti Thomas de Aquino in Catena super Cap. 14. sanctus Matthæi sanctum Isidorum citat, qui ad Herodem conversus, hunc in modum illum inclamat: *In malis ergo promissis rescinde fidem, impia est promissio, qua scelere adimpletur.* Basi-
Orat. 18. lius Seleucius quoque eidem Regi juramentum non obligare insinuat, veluti ex Herodis ore ita loquens: *Ego puella saltandi artem in te miratus, rapta a me voluntatis præmium dimidiatum regnum pollicebar: tu vero Baptista caput exquiris, toto meo regno longè pretiosius, quodque sceptris meis clarius emicet; nam aut alterum mihi Baptistam monstra, & Joannem alterum in regno superesse, aut quod obscurum non est, toto regno meo me spoliare avet.*

3. *Misso spiculatore præcepit amputare caput ejus.* Dionysius Carthusianus ait: *Reges & Principes, & superbi volunt promissa & juramenta sua implere, quamvis illicita*, quia nolunt videri errasse. Lucas Burgensis ita scribit: *Non ergo interior religio constrinxit Herodem, sed mera ambitio præcipitem egit, quia sibi minimè honestum duceret, fidem coram tot namque celebribus testibus datam non præstare.* Arias Montanus idem punctum tangit, scilicet quod Magnates nolint videri errasse, dum ita scribit: *Nulla re magis suam dignitatem stabilire principes putant, quam dictorum conventorumque constantia & veritate, ea autem sententia omnino tyrannica est, nisi modus & distinctio adhibeatur*, dum scilicet per sanguinem innoxium, per strages & sæpè per exterminium subditorum suorum, perque Proviociarum ruinas suos nituntur sustinere & defendere errores.

4. *Et contristatus est Rex.* Enimverò non solùm contristatus est tunc, sed longè majori tristitia anxiatus est postea, quando irreparabilia in eum ceciderunt divinæ justitiæ supplicia; neque enim, uti futurum credebat, post mortem Joannis incestuosis voluptatibus suis cum quiete perfruebatur, sed caput Baptistæ ense detruncando, clavum quendam cordi suo infixit, qui æternaliter ipsum est transfixurus, id est, sceleris adeò abominandi remorsum & synderesis inquietudinem, unde haud secus ac Caio primus ille reprobus ubique timebat & tremebat, adeò ut S. Marcus dicat, quod dum Salvatoris miracula recensentem aliquando audiret, su-
Marc 6.14. bitò intra se dixerit: *Joannes Baptista resurrexit à mortuis & propterea virtutes operantur in eo.* Honorius Augustodunensis in quodam sermone de hoc festo scribit, Herodiadem caput S. Joanois in turri quadam profundè subtus terram separatim à corpore sepeliri jussisse, ne huic unquam reuniri posset, hac enim ratione se id impedire
Lib 18.c.6. posse sperabat, & credebat hæc sacrilega. Basilius Seleucius ait: *Abscissum est caput, nec tamen vox Joannis tacet, æternum loquetur post funera, accusatorem in te mulier armasti, neque enim cum capite vocem quoque præscidisti.* Josephus Hebræus dicit Herodem in bello quod Aretas Rex ei movit ob repudiatam ejus filiam, quam sibi in uxorem copulaverat, & ductam ejus loco impiam Herodiadem, victum & dispersum remansisse: *Apud Judæos fuit opinio, justa ultione numinis deletum Herodis exercitum, propter Joannem, qui Baptista cognominatus est: Hunc enim Tetrarcha necavit virum optimum, Judæos excitantem ad virtutum studia.* Idem alibi, id est, in cap.9. ejusdem libri dicit, quòd Herodes apud Cajum Cæsarem tanquam traditor accusatus fuerit, quodque ab eo in exilium missus in eodem miserè in civitate Viennensi Galliarum, vel Lugdunensi mortuus fuerit: Saltatrix autem super glacie quadam transiens, subsidente glacie submersa fuit, capite & collo super glacie relicto, quod postea exaltatione reliqui corporis à busto resectum fuerit. Simili quoque misera & infelici morte Mater vitam suam finivit.

DE NATIVITATE

BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Discursus Undecim.

Nativitas B. Virginis Mariæ sub symbolo auroræ consideratur.

DISCURSUS PRIMUS.

Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens? Cant. cap. 6. v. 9.

1 NOn est necessum ut sacrorum interpretum pervolvamus commentarios, ad hoc ut cognoscamus quænam sit hæc aurora, quæ sese hodie per universum horizontem nostrum diffundit; siquidem omnes beatæ Virginis devoti clieotes in hac purpurascente auroræ luce ejusdem gloriosæ Virginis festivam Nativitatem concorditer agnoscunt & venerantur. Undè Spec. Virg. 9.
S. Bonaventura ait; *O beata Virgo, tu es aurora de sole procedens, & ortum Solis præveniens, & in lumine solis diem nuntians.* Imò ne etiamnum in obscuro hæreamus, subjungit: *Revera aurora mundi Maria, sole æterno mirabiliter præventa progreditur, ejusdemque solis ortum mirabiliter irradiata præveniens.* Rupertus Abbas Tuitiensis super hæc propositi thematis verba scribens, adhuc clariùs ita loquitur: *Quando nata es o Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit; quia sicut aurora est finis præterita noctis, & initium diei sequentis, sic Nativitas tua finis dolorum, & consolationis fuit initium.* Verùm enimvero dubium quoddam hic mihi subnascitur, cui scilicet Spiritus sanctus Mariæ sponsus ejus Nativitatem digniori quodam symbolo non extollat, majorum luminarium claritatem ei attribuendo; cur solum auroræ nomen ei attribuit? *Quasi aurora consurgens?* Advertendum est igitur, quod immediatè post pergat dicere: *Pulchra ut luna, electa ut sol.* S. Bernardus in sermone quodam de hoc festo ita scribit: *An non etiam Virgo dies? & præclara, rutilans plane dies,*

dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol. Hæc relucens aurora in claritate lucis suæ semper proficit, adeoque tandem in luminosum & splendidissimum solem transmutetur. Quamdiu in utero S. Annæ delitescit, instar auroræ refulget; at vero quando Nativitate sua mediante super hujus mortalis vitæ horizonte eluceſcit, mox tam in cœlo quàm in terra ad instar Solis elucet & rutilat, *electa ut sol.* De ipsa enim illa verba Psalmi intelliguntur: *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* (Ps. 56. 37.) Merito igitur gloriari potuit dicendo: *Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens*: (Eccl. 23. 6.) Quæ verba Hugo Cardinalis in honorem Mariæ hoc modo interpretatur: *Multi enim sunt in cælo intercessione ejus, qui nunquam ibi fuissent, nisi per eam, quorum corpora fulgent ut sol.* Possumus quoque hunc textum interpretari de Angelicarum ruinarum restauratione factæ per salutem tot animarum, quæ ejus intercessione mediante salvatæ fuerint; hæ enim suam perfectionem empyreo cœlo intulerunt, partimque destructos & desolatos cœlestis Hierosolymæ muros restaurarunt. Verùm enimvero quis est qui non videat; quàm appositè beata Virgo hoc auroræ titulo honoretur, utpotè cui proprium est, quod dum eluceſcit, solem quasi à sinu pariat? Unde eademmet aurora potest uno eodemque tempore Mater appellari & filia Solis: Mater quidem, quia aurora Solis lucem parturit, quæ tamen vicissim auroræ genitrix existit; siquidem hæc nunquam rutilans prodiret in publicum, nisi quando Solis ortus viciniùs appropinquavit, utpotè talis causæ effectus. De Maria quoque Seraphicus Doctor ita ait. *De Sole procedens, & ortum Solis præveniens*; & iden B. Virgo simul filia & mater extitit: & quidem prius filia & partus Dei, & posteà Dei Genitrix fuit. Priùs illuxit ad instar auroræ, quæ verum nobis Solem peperit: *Ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus Deus.* Porrò valdè considerabilia sunt verba illa: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Quæ verba S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Cyrillus Alexandrinus & Hierosolymitanus, S. Irenæus, & alii de generatione Verbi ab æterno facta interpretantur: at vero S. Justinus Martyr, Tertullianus, Eusebius, Hesichius, sanctus Augustinus, & alii à Lorino citati de generatione ejusdem Verbi, qua ex utero virginali prodiit, explicant. Lyranus ex lingua Hebræa legit: *De matrice aurora tibi ros adolescentiæ tuæ*, Alii legunt: *Infantiæ tuæ.* Alii: *ab aurora, præ aurora, ante auroram*; quasi dicerent; quod exoriente hac mystica aurorà Mariæ, simul quoque exorta fuerit Christi infantia, vel in lucem quoque prodire cœperit Sol ille æternus. Sol enim per necessariam consequentiam auroram comitatur; & hinc est quod non sine mysterio Ecclesia hoc die in Introitu Missæ beatam Virginem tanquam matrem Dei revereatur & adoret, quia vix nata, facta est Mater Dei; & tametsi illum nondum conceperit, eam tamen sibi veluti genitum ex se filium in brachio suo bajulantem repræsentat, dum ait: *Salve sancta Parens enixa puerpera Regem.* Et ratio eadem esse potest, quam paulo antè tetigimus, nimirum quia nativitatem auroræ Solis nativitas necessario consequatur. Et hinc est, quod nunquam, vel raro saltem Maria à filio suo divisa & separata invenitur, sicut Sol indivisibilis est ab aurora. Observandum proindè, quod Archangelus Gabriel in legatione illa, qua beatæ Virgini Verbi incarnationem annuntiavit, eidem per verbum præsentis temporis dixerit: *Dominus tecum.* Cur non dixit: *Erit*? Audite S. Bonaventura ad id respondentem: (In Spec.) *O Maria, Dominus tecum fuit, tecum est, tecum erit, tecum utique*, & protinùs proposito nostro congruam subjungit similitudinem, sicut *Sol cum aurora*; ut insinuaret ipsam, ut ita dicam, à principio æternitatis (si tamen æternitas dici potest habere principium) ipsam filio suo adstrictam, eumque amplexatum fuisse: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; Et sicut de Sole justitiæ scribitur: *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te*, id est, priusquam visibilis hæc lux illucesceret, priusquam stella matutina exsurgeret, Verbum æternum genitum fuit; ita quoque de hac cœlesti aurora hodie in Epistola legimus: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Undè quando Verbum hoc in terram descendere decrevit, in solam descendit Mariam, dum se humana carne vestire voluit, eadem se mediantibus purissimis & immaculatis Virginis sanguinibus accinxit: dum in hanc mundi lucem editur, mediante Maria id accidit, dum instar aliorum infantum nutrimento indiguit, sola ipsum Virgo aluisse & nutrimentum præbuisse noscitur: *Sola Virgo lactabat ubere de cælo pleno*; dum à tribus Regibus, qui ipsum totius gentilitatis nomine pro vero Deo agnoscebant, adoratur, in sinu Mariæ ab illis inveniebatur, dum se per fugam in Ægyptum salvare nititur, in Matris brachiis suaviter per totum iter quiescebat & portabatur; dum legis adimplendæ causa in templo præsentatur, eo ipsum Maria in sinu suo jacentem reverenter defert; dum Verbum incarnatum prædicat, Maria auscultat; dum miracula operatur, primum ex omnibus ad ejus fit requisitionem; dum moritur, ipsa ei morienti sub cruce proximè adstat; dum à cruce deponitur, & sepulchro includitur, Maria proximè præsens semper assistit; dum resurgit à mortuis, ipsa prima est quæ resurrectionis filii sui gaudio gloriosè perfruitur; dum cœlos ascendit, ipsa in monte Oliveti cum ipso est: *Tecum utique sicut sol cum aurora.*

2. *Quasi aurora.* Experientia quotidiana testatur, quod ros frigidus & saluberrimus ad auroræ ortum præcipuè deciduus esse, simulque cum eo suaves spirare zephyri soleant. Undè nonnulli auroram suam ab aura rorulenta etymologiam trahere existimant, ut dicatur *Aurora quasi aura rorans.* Ita S. Isidorus in libro Etymologiarum scribit. Placidi quoque venti, qui in hoc felicissimo die spirarunt, à S. Joanne Damasceno hisce verbis describuntur: (Orat. 1. de Nat. Mar.) *Hodierno die perflarunt aura lætitiæ totius prænuntiæ.* Scitisne cujusnam lætitiæ? nimirum depluerunt cœlestem illum rorem tot ante sæcula suspiratum, qui ignis infernalis magna ex parte extinxit ardorem, illum, inquam, rorem, de quo canit sancta mater Ecclesia: (Ex. 16. 13.) *Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum.* Ehem quantoperè ros ille è Paradiso desideratus fuit? *Rorate cæli desuper*; quæ Antiphona in tempore adventus sæpiùs replicatur ad exprimenda ardentissima omnium Prophetarum & Patriarcharum antiquorum desideria advenientis promissi in lege Messiæ. In Exodo scribitur: *Mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum; cùmque operuisset superficiem terræ, apparuit minutum in similitudinem pruinæ*, id quod manna erat. At verò quodnam in eo latet mysterium, quòd priùs stillaverit ros de cœlo, & post hunc manna descenderit? *Omnia in figura contingebant.* Per hoc namque denotabatur, quòd tunc pridem panis ille divinus, qui dicit: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*; super electum Dei populum mitti debuerit, quando aurora sacratissima Mariæ Virginis per suam Nativitatem, virginalis sanguinis sui rorem in Verbum æternum depluisset; tuncque flos ille, de quo scribit Spiritus sanctus: *Ego sum flos campi*, progerminandus esset; postquam ros paradisiacus in Nazareth, quod florem significat, descendisset. S. Joannes Damascenus de hujus cœlestis infantis progenitoribus ita scribit: (Orat. 1. de Nat. Dei.) *Joachim & Anna tanquam spirituales montes dulcedinem stillarunt.* Guilielmus Durandus in rationali divinorum officiorum super præsens festum acutè observat, Virginem præcisè in ortu auroræ natam fuisse in hunc mundum, juxta quod cuipiam Dei servo revelatum fuerat, ad denotandum ipsam esse veram illam auroram, quæ præcessura, ac demum paritura esset ipsum verum justitiæ solem. Aurora Italicè alba dicitur *ab albedine*, ob lucis, quam producit, candorem. Ecce tibi igitur Maria, quæ veluti aurora seu Alba mystica eum concepit & peperit, de quo dicitur: *Candor lucis æternæ*; quique de seipso dicit: *Ego sum lux mundi.* Adhæc ei sine ullo aliorum exemplo concessa fuit excellens illa prærogativa & privilegium, ut scilicet esset inter omnes creaturas omninò immaculata, etiam ob originali macula. Porrò cùm ros utpotè cœlorum partus, & abindè descendens, qui proindè nihil habet negotii commune cum terra, insigne quoddam sit divinæ gratiæ symbolum, de qua dicitur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est à Patre luminum*; quis non videt quanto cum jure ros ille à divina gratia stillaverit, siqui-

siquidem filius ejus omnes paradisi gratias in ea deposuit? ac proindè B. Petrus Damianus serm. 1. de hoc festo ad ipsum conversus ait: *Virgo Dei Genitrix benedicta, & superbenedicta, naturam nostram habes, non aliam; & justum est ut de rore tanta pietatis diffusius diffundatur*, jure merito benignum & liberale ejus patrocinium invocamus, *ut det nobis de rore cœli abun-*
Gen.27.28 *dantiam*. Experientia quoque compertum est quòd ros, quem aurora deorsum depluit, sole magis ardente, herbas, flores, omnesque alias plantas à radiis solaribus eaustas & languentes reficiat & recreet; undè quidam Mariæ devotus eliens in hac sua Nativitate
Conc. 3. de Nat. Virg. Dei. scribit: *Manè excidit, ros, quo herba & flores, qui præ nimio Solis astu emarcuerant, rore & pulchritudine sua conservantur*. Porrò ignis concupiscientiæ, quem dæmon infernalis super universum genus humanum dispersetat, adeo obscurus & caliginosus erat, ut veri
Ps.57. 6. Solis aspectum aliquatenus impediret: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem*. Omnes ferè plantæ, id est, animæ, ab hoc igne eaustæ erant; verùm Deo sint laudes, hic ros Auroræ Mariæ flammam hanc majori ex parte tempetavit extinxitque. Undè S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Mariam hoc insigni epitheto appellavit, quo dicitur *Ardoris, qui est in nobis, ros divinus, & exsiccati nostri cordis divinitus irrorans aspersio*.

Tempus, quod Nativitatem Virginis præcessit, ad instar cujusdam tenebrosæ noctis describitur, quæ posteà ab ejus Natalibus velut ab aurora illuminata fuit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? Cant. 6. v. 9.

1 TOtum illud tempus, quod è primorum parentum nostrorum lapsu usque ad diem Mariæ natalitium efflusit, caliginosa quædam nox fuit; ut
Rom.13.2. proindè Apostolus juse merito dixerit: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*; nox, inquam, fuit, in qua semper magis magisque multiplicaræ sunt tenebræ peccatorum & iniquitatum, quæ hominibus impedimento erant, quo minus oculos in illam lucem defigere potuerent, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc*
Serm. de Assumpt. *mundum. Hæc est illa nox* (inquit Petrus Damianus) *solitaria, nec laude digna, de qua scriptum est: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransierunt omnes bestiæ sylvæ, quia crudeles & indomiti spiritus humanum genus totis viribus obtriverunt*, adeò ut dæmonia sub variis figuris serpentum, draconum, leonum, omniumque aliarum ferarum in falsis numinibus divinum cultum à cæcis mortalibus sibi curarent exhiberi. Pergit ulteriùs Damianus dicens; *Nata Virgine sur-*
Cap.21. *rexit aurora, quia Maria verspravia luminis nativitate sua mane clarissimum serenavit*. Enimvero Isaias præ quovis alio Propheta legis gratiæ futuros eventus vivacissimè prædixit; hic igitur Prophetas, Patriarchas, eunctosque alios veteris Testamenti Patres introducit, veluti à Deo dolenter petentes, *custos quid de nocte?* quia hi olim continuò interrogabant, quantum temporis à prima hora caliginosæ illius noctis affluxisset, & quantum illius etiamnum reliquum esset; valdè enim ortum auroræ illius suspirabant, quia jam antè prævidebant orituram esse auroram, quæ verum justitiæ solem paritura esset: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel*. Per hunc autem custodem Christus ipse intelligitur, quem
In c.8.Jo. Job Propheta ideò vocat custodem hominum, *Custos hominum*, ut etiam S. Augustinus interpretatur, qui dixit quòd Deus, qui industrius est humanæ naturæ custos, ab humano genere, quod in lethargo peccatorum suorum sepultum jacebat, eratque in tenebrosa illa nocte culpæ profundissimè immersum, anxie interrogatus custos quid de nocte? id est, num forté brevi noctis istius finis aderit, tandem responderit: *Venit mane*, jamjam orietur aurora; nam quoad adventum desiderati Messiæ observandum est illud Oseæ vaticinium dicentis: *Quasi diluculum præparatus est egres-* Ose.6.3.
sus ejus. Donec vero diluculum istud illucesceret, audite quæso quæ & qualia suspiria & gemitus cuncti mortales in obscura illa & tenebrosa nocte dolenter ediderint: *Usquequo Domine avertis in finem? exardescet* Ps.78.4.
sicut ignis ira tua? quare in perpetuum oblivisceris nostri? aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram; veni, educ vinctum de domo carceris sedentem in tenebris & umbra mortis. Quonam vero tempore ardentia illa desideria & supplicationes à Deo elementer exauditas esse existimatis? Dicat idipsum David, utpoté qui idipsum in semetipso expertus fuit. Hic igitur dicit. *Et* Ps. 87. 14
ego ad te Domine clamavi, & manè oratio mea præveniet te, id est, preces & orationes, quæ in longa illa & tenebrosa nocte à mortalibus eum suspiriis adeò ardentibus replicatæ fuerunt, mane illucescente exauditæ sunt, id est, quando orta fuit aurora Mariæ, in hoc nimirum natalium ejus fortunatissimo die; undè & alibi idem Psaltes regius dicit: *Repleti sumus* Ps.89.14.
manè misericordia tua. Vis autem audire quisnam indè consecutus sit cordis jubilus & gaudium audite quod sequitur: *Exultavimus & delectati sumus omnibus diebus nostris. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*. Siquidem unà cum hac cœlesti aurora omnes quoque benedictiones sub horizonte hujus vitæ mortalis exortæ fuere. Undè Hugo de S. Victore ait: *B. Virgo Maria aurora fuit, quæ* Serm.12.in
& præcedentis temporis, quod quasi nox fuerat finis extitit: & veræ lucis gratiæ Solisque justitiæ, qui ex ipsa progenitus est, præventrix & antelocanum sydus fuit; denum vero considerando totum tempus, quod ab Adamo usque ad Nativitatem Mariæ, quod obscurissimæ noctis tempus fuit, subjungit: *Totus penè mundus silentio somnoque premebatur, sicut in Sapientia libro scriptum est: Dum medium, id est, summum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu iter ageret, omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedibus venit.*

2 *Quasi aurora consurgens*. Ad ortum auroræ fugantur tenebræ, & in sua se latibula feræ subducunt; ita quoque in Nativitate Mariæ humanæ malitiæ te- Rom.13.
nebræ majori ex parte dissipatæ fuerunt: *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in con-* Exod. 14.
tentione & æmulatione. Valdè considerabile est tempus illud, quo Pharao fuit submersus, & unà cum ipso universus exercitus illius, qui erat populi Dei iratus inimicus, quique jam dicitur; nam in ipsum tyrannidem exercuerat, *jamque advenerat vigilia matutina*. In illo igitur momento præcisè, quo oriebatur aurora, superbi illius hostis potentia & fastus protinùs dissipatus fuit, omniumque sequacium suorum, ad denotandum quod mox oritura esset mystica B. Virginis aurora in eodem quoque momento desolandum esset Luciferi regnum: *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras*; liberandus esset è duræ servitutis compedibus populus Dei electus, & ad veram promissionis terram, id est cœlum dirigendus. Nam ut S. Bonaventura ait: *Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem copio-* In Spec. c.
sam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patro- 1.
cinium & exemplum; fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem. Et quid aliud Job dicere voluit quando tarta- Job 3.9.
reum illud monstrum maledicendo ait; *Non videat ortum surgentis auroræ*; siquidem hæc fortunata Nativitas omnium bonorum genera è cœlo in terram depluit, cumulatque doloribus sempiternis infernum; præda ipsum spoliando innumerabilium animarum, quæ in obscura ignorantiæ suæ nocte immensæ in falsis fictisque simulachris dæmonia adorabant. Enimvero de lucta, quam Jacob cum Angelo integra quadam nocte habuit, cunctis est notissima; observandum est autem eandem proposito nostro accuratissimè convenire; per Jacob enim, qui in nocturna illa obscuritate usque ad auroram luctatus fuit, genus humanum figuratur, quod toto eo tempore, quod ab Adamo usque ad hunc diem luctatum fuit cum magni consilii Angelo, qui ad illud castigandum severæ justitiæ suæ fulmina illi immiserat: cum quot igitur gemitibus

& su-

& suspiriis se ei recommendavit & rogavit pro antiqua maledictione abolenda: cùm verò eum tandem placasset, simul etiam obtinuit, quod *benedixit ei*. Veruntamen multæ hujus historiæ mysticæ circumstantiæ nobis singulariter notandæ sunt. Et primò quidem

Gen. 32. 25. *luctabatur cum eo usque mane*; quia prælium istud seu lucta duravit donec lux Mariæ in ortu suo illucesceret. Deindè *dixit ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora*; quo dicto Deus Jacobo victoriam cessit, victas ei dans manus, quando enim nata est Virgo Maria, protinùs iræ suæ fulmina deposuit; siquidem *per viscera misericordiæ Dei nostri visitavit nos*. Denique Jacob ait: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*; per hoc etenim Mariæ felicissimos natales omnibus bonis cumulatus est mundus: *Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est*

Orat. 2. de dormit. Deip. *sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem dedit benedictionem*. Per hanc, inquit, de hac nata nobis infantula sanctus Joannes Damascenus, *diuturnum illud bellum, quod nobis cum Creatore erat, sublatum & extinctum est, per hanc nobis cum eo reconciliatio sancita, paxque & gratia donata est*. Apostolus

Ephes. 1. 3. quoque ad hanc benedictionem alludens, ad Ephesios ita scribit: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus*.

3 *Aurora consurgens*. Rupertus Abbas ait: *Aurora prænuntia diei sempiterni; quia sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis est, & initium diei sequentis, sic Nativitas tua facta est promissio benedictionis, finis dolorum, consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium*. Hæc aurora erumpere fecit fructum illum æternæ benedictionis, de quo Angelus nuntiavit, dum ait: *Benedictus fructus ventris tui*.

4 *Quasi aurora*. Eo tempore, quo aurora è nostro horizonte exsurgit, prout multi authores asserunt, ipsaque testari videtur experientia, infirmi semper ferè aliquod in suis morbis sublevamen sentire solent (quod non ita accidit sole occidente) ardor quoque febris mitigatur, & nonnunquam tametsi aliàs totam noctem insomnis traduxerit, illa tamen hora aliqualis ejusmodi ægris somnus conciliatur; eodem quoque modo dicere possumus, quòd humanum genus ad mortem usque infirmum, ad hujus fortunatæ auroræ ortum atque præsentiam, notabilem senserit refocillationem & sublevamen: *Magnus de cœlo venit medicus, quia magnus in terris jacebat ægrotus*, inquit S. Augustinus; imo humanum genus ita denuò erectum est ab infirmitate sua, ut verè à morte redierit ad vitam, quia unà cum Maria natus est ille, qui *languores nostros tulit*; & cùm animæ prius irreparabiliter in mortis usque barathrum descenderent, aurora hæc, & qui ex ea nasciturus erat sol justitiæ, *confundens mortem donavit vitam sempiternam*.

5 *Quasi aurora consurgens*. Radii lucis sub auroram nascentis somnolentos è plumis excitant, operarios destinant ad labores, ad itinera viatores, avesque incitant ad cantum: ita quoque in Natalibus beatissimæ Virginis fugatur à mortalibus pigris, & in Dei agnitione altum dormientibus omnis negligentia & desidia. Undè Apo-

Rom. 13. 11 stolus dicebat: *Hora est jam nos de somno surgere; nunc enim propior est nostra salus, quam cum credimus*. Lux etenim ista homines Angelosque ad gratias, laudes, & benedictionem Creatori & Redemptori, necnon felicissimis hujus cœlestis infantulæ natalibus referendam excitat: *Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus*; tardiores quoque ad expeditius in divinorum præceptorum semita currendum excitat: *Viam mandatorum tuorum cucurri*.

6 *Quasi aurora consurgens*. Ad ortum auroræ lux lunæ & stellarum, omniumque planetarum minorum notabiliter minuitur: ita post Virginis ortum sanctitas quoque quantumvis eminens omnium aliorum Sanctorum obfuscatur; undè Hugo de S. Victore scribit:

Serm. 34. *Quædam astra suis radiis tempus illud irradiabant, quia sancti Patriarchæ & Prophetæ suis virtutibus ignorantiam populi illius illustrabant, quorum radii aurora apparente quodammodo obfuscati sunt, quia in comparatione B. Mariæ precedentes Sancti parvam claritatem habuerunt*. Neque enim ullam cum virtutibus & immensis, infinitis & heroicis Mariæ meritis proportionem habitura esset innocentia Abel, perfectio Noe, fides Abrahæ, Isaaci longanimitas, labores Jacobi, Samuelis charitas, humilitas Davidis, Eliæ igneus zelus, abstinentia Davidis, aut sanctitas Baptistæ. Atque ita optimè Hugo concludit dicens; *Beata igitur Virgo Maria vere aurora clarissima fuit, quæ suo magnifico jubare præcedentium Patrum claritatem minoravit*.

Mundus pro eo tempore, quo lux Mariæ in eo nondum comparuit, ad instar confusi chaos fuisse describitur.

DISCURSUS TERTIUS.

Nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium, apud omnes mira exultatio.
Esther. c. 8. v. 18.

1 PRimum; elegantissimum, maximèque præcipuum opus, quod unquam è manibus Verbi, de quo S. Joannes ait. *Omnia per ipsum facta sunt*, egressum est, sine ulla controversia lux fuit: *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux*. Et quidem si S. Augustinus per hanc lucem naturam intellexit Angelicam, cur non potiori jure per eandem intelligere poterimus magnam Verbi incarnati Matrem, maximè cùm de ipsa cœlestis ejus sponsus Spiritus sanctus dicat: *Nova lux oriri visa est*. Ipsa, prout sanctè gloriatur, prima fuit inter omnes creaturas, quæ filii sui partus extitit: *Primogenita ante omnem creaturam. Ego feci ut oriretur in* Eccl. 24. 6. *cœlis lumen indeficiens*. Consideremus in præsenti Discursu qualis fuerit informis illius massæ omnium creaturarum confusio, *quando tenebræ erant super faciem abyssi*, & quantum econtra sibi acquisierint decoris, æstimationis & pulchritudinis per supervenientes splendores lucis. Quàm confusum chaos erat universum, priusquam Maria Genitrix Redemptoris nostris nasceretur. *Nova lux oriri visa est*. Ecce tibi totius humani generis jubilum atque lætitiam, innumerabilium, quæ lux ista attulit, honorum evidens argumentum. *Gaudium, honor, & tripudium, apud omnes mira exultatio*; cum enim abyssus priùs apertam retineret tenebrosam suam voraginem ad tot degluttiendas animas, quæ in illud æternæ perditionis barathrum præcipitabantur, Maria hodie nascente aperitur nobis paradisi porta. *Paradisi porta per te nobis aperta sunt*: B. Petrus Serm. de Damianus piè considerat, quòd primus parens noster, Assump. cum ad Creatoris sui imaginem in terrestri paradiso creatus esset, honorem adeo eminentem nihil æstimans, *apostatæ spiritui falsa promissione delusus inhæsit, & se cum posteritate sua perpetuæ morti destinavit & tenebris*. At verò tandem quid factum est? Non obstante quòd sacra Scriptura dicat: *Et facta est lux*, attamen inquit Damianus: *Ab illa hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Virginem; nec inventus est aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras dissiparet; sed mundo crescente concrevit & tenebrosa vorago, donec in densissimam conglobata nigredinem, humanum genus nocte terribili sepelivit*: at verò benedictus sit Deus, quòd prima luce per humanæ malitiæ tenebras eclipsata, hodie ab oriente Nazareth lux hæc novella oriatur: *Nova lux oriri visa est*, & in virtute illius *abjiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis*. Antiquum est illud Balaami vaticinium: *Orietur stella ex Jacob*. Ubi expositor quidam Num. 24. ait: mira res, *humanum genus ex limo factum est et am* Galfrid. *ante culpam*; quonam igitur modo poterat ex hac massa luti vel etere, id est, ex progenie Jacob stella quædam generari? *quomodo ex terreno germine syderea proles*? ac tandem mysterium istud hunc in modum nobis declarat: *Quæ est stella orta ex Jacob, nisi ea quæ nata est nobis Virgo Maria ex progenie Abrahæ, clara ex stirpe David*? effectus quoque stellæ hujus declarat, dicendo: *Stella prorsus magis re quam nomine, cujus vita gloriosa lumen dedit sæculo*. Porrò inter gloriosiora epitheta, quibus Ecclesia laudes ejus celebrat, unum est illud quo eam stellam maris appellat: *Ave maris stella*. Eusebius Lini lenus per mare mundum intelligit; *Dicitur Maria stella maris, hujus utique maris*, Ho. super *de quo scriptum est: Hoc mare magnum & spatiosum*, missus est.

illic

illic reptilia, quorum non est numerus, plures stellas habet cælum, mare unam, quæ præ illis omnibus clarior & melior est, atque ad DEI matrem alludens pergit dicere: *De hac enim una ortus est Sol justitiæ, cujus fulgore omnia illustrantur, quem qui sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quidnam

Isa. 9. Isaiam Prophetam aliud indicare voluisse putas, præterquam novæ hujus lucis Nativitatem, quando dixit, seu ut melius dicam, quando tot ante sæcula prædixit: *Habitantibus in regione umbræ mortis: Lux orta est eis.* Stella polaris in mari, ut Beda asserit, est altissima in cœlo stellato, atque ideo aspectui nostro mediocris magnitudinis esse videtur, nautisque in mari in densissimis tenebris noctis ducatum præstat, & quando navigantes de nocte ad ipsam se non dirigunt, manifestum sese perdendi periculum incurrunt, nescientes in quam partem iter suum maritimum dirigant; at vero quando ipsam vident & aspiciunt, omnes intimè lætantur, quia pro viæ securissimo duce illis deservit. Quis autem nostrum dicere poterit, quales inter procellas universum genus humanum ob miserum primorum parentum nostrorum naufragium jactatum fuerit? Quis est, qui nesciat, in quam miserabili statu terra fuerit, super cujus facie horrenda sacrilegia, ido-

Ose. 4. 2. lolatriæ, impietates, Apostasiæ, aliæque millenæ abominationes omni ex parte inundabant? *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* David Rex, qui alias vir secundum cor Dei erat, in hasce tamen tempestates oculum suum deflectens timebat & tremebat, unde ad cœlum conversus Deo se

Ps. 68. 2. recommendabat dicens: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Verùm enimverò ecce tibi hodie stellam polarem exorientem: *Nova lux oriri visa est, habitantibus in regione umbræ mortis: lux orta est eis*, cujus luce emicante fugatæ sunt tenebræ, tempestates dissipatæ sunt, & fluctuans Ecclesiæ navicula ad portum felicissimè appulsa est. Pronuntiata de facto erat sententia, non jam ad superbi Aman instigationem ab Assuero adversus universum populum Hebræorum, sed adversus totum humanum genus ab ipsomet omnipotente Cælorum Rege, idque superbissimo Lucifero mediante: at verò specialissima Esther cœli terræque Regina, Maria, inquam, coram adorandæ Triadis tremendo tribunali comparet, ut infaustum illud decretum aboleat: *Solvit maledictionem, & dedit benedictionem, & confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam*; prostravitque non jam Amanis, sed Sathanæ stolidam superbiam, *ipsa contrivit caput suum*, De hujus igitur jucundissimæ lucis fortunatissimo ortu merito dici poterit: *Nova lux oriri visa est, gaudium, &c.* Adhæc mysticum Mardochæi somnium hoc loco nonnihil ponderemus; *Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lu-*

Esther. 10. 3. *cem Solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam Rex accepit uxorem & Reginam esse voluit.* Quis autem Reginam Esther, serenissimæ Angelorum Reginæ typum fuisse ignorat? Hæc *parvus fons* fuit, ob profundissimam ejus humilitatem, scimus etenim, quod quando in matrem Altissimi electa fuit, ipsa se *infimam ancillam Domini* appellaverit: *Eadem vero crevit in fluvium*, quia ex quo DEUS *respexit humilitatem ancillæ suæ? ecce ex hoc beatam eam dixerunt omnes generationes*; Denique *parvus iste fons in lucem & Solem conversus est*; quia sicut ex luce Sol fuit fabricatus, ad eundem quoque modum ab hac luce, quæ super Palæstinæ horizontem hodie scintillare cœpit, verus Sol genitus fuit; *ex te enim ortus est Sol justitiæ Christus*; ac proinde, *gaudium annuntiavit universo mundo, in aquas quoque plurimas redundavit*, quia cùm aquæ symbolum quoddam sint gratiæ, omnes gratiæ universim in Maria depositæ fuerunt, *ut de plenitudine ejus omnes acciperent*, eò ipso enim quo in matrem DEI electa fuit, simul etiam: *Mater gratiæ* declarari meruit. Mysticam hanc Esther Spiritus sanctus in sponsam suam elegit, in eaque Verbi Incarnationem operando eam *voluit esse Reginam*, ut sic adimpleretur ad unguem, quod sequitur: *Quis novit utrum idcirco ad Regnum veneris, ut in tali tempore parareris*, ipsa namque ad humani generis salutem, Angelicarumque ruinarum restaurationem Regina & Imperatrix Cœlorum nata fuit.

2 *Nova lux oriri visa est.* Quod si in omnibus hisce rebus creatis lux omnis planè deficeret, adeò ut omnes intra obscuram caliginem palpitaremus, quanta foret miseria in ejuscemodi tenebris vivere? ac proinde meritò nos monet Sapiens, dum ait *Oportet ad ortum lucis te adorare*, id est, Deo lucis omnis authori, qui Sap. 16. 28.

illam Soli cunctisque aliis cœli planetis pie concessit, gratias agere: Et quidem cum id ita se habeat, quantò erit æquius nos gratos exhibere, affectuosissimasque gratias exhibere, eo quod novellam illam lucem, quæ à sempiternis Inferni tenebris nos eripuit, nobis elementer indulsit? unde Richardus de S. Laurentio ait: *Oportet ad ortum lucis adorare te, id est, gratias agere de ortu Mariæ, per quam illuminatus est mundus.* Inter Lib. 7. de lau. Virg.

cunctas res creatas nullum est objectum, quod nos Tob. 5. 12.

magis lætificet, quam lux: Unde senior Tobias mœstus omninò & dolens ait: *Quale gaudium mihi esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Et nos quantum in nobis solatii & lætitiæ experimur, quando post diuturnam caliginosam & obscuram quandam noctem luminosum & serenum diem illucescere videmus? Notandum est insuper B. Virginem, prouti in discursibus præcedentibus superiùs vidimus, priùs auroram, posteà verò lucem appellari, imò stellæ, lunæ, & Solis titulum eidem attribui, ut per hoc nobis innueret, quantam ipsa mundo, dum adhuc obscurum & caliginosum quoddam Chaos esset, lucem attulerit. Etenim quot sunt, quæ universum hoc à Sole consequitur beneficia? Stellæ, planetæ, luna, cœli elementa, plantæ, mineralia, imò homines ipsimet esse suum magna ex parte lucis radiis gratanter attribuunt; unde profecta est trita illa propositio: *Sol & homo generant hominem.* Scribit certus quidam author verba sequentia: *Lux est contrariorum pacativa; Dicunt Philosophi naturales, quod per contrarietatem, elementorum elementa in mixto non permanerent, sed statim in suam regionem evolarent, nisi virtus lucis ea in simul pacaret, & uniret.* Universum humanum genus propter appetituum suorum contrarietatem, & diversionem, quæ inter carnem & Spiritum, inter voluntates nostras & Dei voluntatem in sanctissima ejus lege clarè nobis expressam versatur, periturum utique esse, nisi divina hæc lux, id est, beatissima Virgo se per efficaciam & virtutem gratiæ, quam nobis subministrat, interposuisset. *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Unde Richardus à S. Laurentio paulò ante citatus ait: *Sicut Sol natus est, ut illuminet totum mundum, sic Maria ad hoc nata est à Deo, ut misericordiam, veniam, gratiam & gloriam quasi lucem à Deo impetret toti mundo.* Nos quoque hodie in ejus laudem canimus: *Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* Quodsi verò aliqui sint, qui ejus patrocinium & protectionem non participant, id certè propria ipsorum culpa accidit, siquidem hæc est Solis & lucis naturalis proprietas, quod radios suos super unumquemque indifferenter emittat: *Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Est quoque peccatorum singulare refugium, & tamen si cordis vestri fenestras obstinatè obfirmaveritis clausasque tenueritis, culpa & defectus vester est, si lux ista ingredi non possit. In tempestuoso igitur hujus vitæ mari, oculos nostros in hanc stellam habeamus directos, juxta id quod suadet S. Bernardus: *O quisquis es tempestatibus fluctuantibus agitatus, ne avertas oculos tuos à fulgoribus hujus syderis, si non vis obrui procellis; si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam, ipsam rogans non desperes, ipsam cogitans non errabis.* Isa. 49. 6. Hom. 2. super missus est.

De variis motivis in Natali beatæ Virginis jubilandi.

DISCURSUS QUARTUS.

Cum jucunditate Nativitatem B. Mariæ celebremus.

1 OMnes quotquot sumus ad celebrandos cœlestis hujus infantis natale invitamur, siquidem ipsa est, quæ *gaudium annuntiavit universo mundo*, nam

post-

postquam in Nazareth edita fuit, opulentissimis qui in ærariis æternis reperiri possunt, thesauris genus humanum locupletavit. Ante omnia tamen festivas multorum devotorum ejus in hac solemnitate editas voces audiamus. S. Joannes Damascenus ait: Orat. de Nat. *Lætentur cœli desuper, & exultet terra, commoveatur mundi mare, in ipso enim concha gignitur, quæ cœlitus ex divinitatis fulgetra in utero concipiet, & Christum ingentis pretii unionem pariet.* Ho. 47. de Nativ. B. Petrus Damianus ita scribit: *Gaudeamus & exultemus in Nativitate beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, quæ novum mundo nuntiavit gaudium, & totius extitit humanæ salutis exordium.* Serm. de Nat. S. Augustinus dicit: *Cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ virginis illustrata natali.* Quilibet etiam aliorum in ponderandis & enumerandis immensis quæ ex ejus Nativitate in nos redundant beneficiis certatim satagit Absolon Abbas ait: Serm. de Nat. *Et quæ potest esse major spiritualium gaudiorum materia, quam nostræ Redemptionis arrham suscepisse, quæ paternæ prævaricationis delictum ablueret, repararet innocentiam, placaret iram districti judicis, aperiret portas cœli, captivis conferret libertatem.* Communis quoque cœli & terræ lætitia est; serm 2. Unde S. Ildephonsus ait: *O felix puerperium, delectabile Angelis, & expectabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis.* S. Bernardus quoque licet in ordine ad aliud propositum de ea scribit: Ser. 2. de pen. *In te Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum, meritò in te respiciunt oculis totius creatura, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quicquid creaverat recreavit.* S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus illum Psalmi locum: *Audi filia, &c.* adducens, ita scribit: *In lucem hodie prodiisti Cœlum & sedes DEI, omnisque puritatis receptaculum, gaudium mundo universo annuntians, vitæ largitrix, maledictionis interemptrix, benedictionis conciliatrix.* Sergius Hieropolita, Author Græcus, à Canisio citatus ita scribit: *In hac festa celebrique luce buccina spirituali clangamus*, multaque ei deinceps attribuens epitheta ait: *Vitæ mater, tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix, immortalitatis fons.*

2 *Cum jucunditate Nativitatem beatæ Mariæ celebremus*, nam ut ex S. Bernardo in quodam sermonum suorum de festo Assumptionis, ubi illa Apocalypseos verba explicat: *Signum magnum apparuit in cœlo*, deducitur; magnam habemus festivum de illa diem agendi occasionem, ob ingentia bona, quæ liberalissima hæc thesauraria dispensat, siquidem *omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus.* Etenim Deus nobis ob ingentia scelera nostra jure meritissimo indignabatur: *Iratus est furore Dominus in populum suum*, ideoque se in reconditissimis cœli penetralibus à nobis subduxerat, deque ejus ad nos in terram descensione ad humanam redemptionem perficiendam nihil penitus tractabatur, ut proinde mirum sit quantum Prophetæ, Patriarchæ & omnes alii veteris testamenti sancti adhibuerint conatum, ut eum ad id permoverent, & invitarent, ut scilicet è sinu patria ad nos descenderet, unde ortæ sunt illæ eorundem sanctorum Patrum voces: Baruch. 3. 38. *Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ; obsecro Domine, mitte quem missurus es, vide afflictionem populi tui*; donec tandem per Mariæ innocentiam, sanctitatem, & merita allectus & provocatus ad nos protinus descendere permotus fuit; Multæ quidem virtutibus & vitæ sanctitate præditæ mulieres ad sublimem Matris Messiæ dignitatem aspirarunt, sed votis irritis atque inanibus: non verò idem Mariæ accidit, vix enim hæc nata fuit, cum ecce sancta mater Ecclesia nobis ob oculos ponit, qualiter eodem Christi quoque in terram descensus determinatus fuerit; siquidem in introitu Missæ hunc in modum cecinimus: *Salve sancta parens, enixa puerpera Regem, qui cœlum terramque regit in sæcula sæculorum; post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* David in Spiritu prophetico de beata Virgine, veluti cœlestis Paradisi serenissima Regina loquens ita ait: Ps. 44. 18. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, postea verò eam in tenera ætate destctu parentibus divinis ministeriis in templo dedicandam esse prævidens ait: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum*; Deus etenim Virginis pulchritudine captus, eidem Archangelum, qui Incarnationis mysterium annuntiaret, clementer submisit: *Averte oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt?* Cant. 6. 4. Alii legunt, *quia abstulerunt mihi robur.* Pagninus vertit: *Quia ipsi fortiores me fecerunt.* Nyssenus Orat 1. de Nat. autem: *Quia ipsi alas addiderunt mihi.* Enimverò mysticum prorsus est illud epithetum, quo sanctus Joannes Damascenus utitur, dum Mariam honoraturus ipsam scalam vivam appellat: *Vivam scalam sibi ipsi condidit*, quasi Filius Dei è Paradiso descensurus mystica hac scala usus fuisset; *cujus ima pars in terra firmata est, summa autem ad cœlum usque porrigitur, in qua Deus requiescit*; unde videtur Filius Dei mox ut hanc scalam ad cœlos usque se protendere vidit, cupidus fuisse descendendi de cœlo ad terram. Porrò occasione verborum illorum, *in qua DEUS requiescit*, in mentem mihi venit Historia illa Noe Patriarchę, hic enim exploraturus utrum aquæ deficerent super terram, & in facies terræ quaquaversum aquis etiamnum inundaretur, ex arca Columbam emisit, quæ cum non invenisset locum, ubi pedem suum figere posset, reversa est ad eum in arcam; paulò post autem eandem columbam iterato circa vesperam emisit, & tunc reversa est ramum virescentis olivę in ore suo deferens. Etenim æternus Pater, qui in Noe repræsentabatur, filium suum pro mundi Redemptione in terram ad nos mittere desiderabat, at vero Columba, id est, Spiritus sanctus, locum, in quo requiesceret, nullum invenit, quia *omnes declinaverunt*; at vero quando in hoc fortunatissimo sæculo inter tot iniquitatum procellosas aquas, quæ universum inundaverant; speciosa hæc Oliva sese prodere cœpit, id est, quando nata est virgo hæc immaculata, tunc Spiritus sanctus super ea mox requievit, gratumque illud nuntium Cœlo intulit, quod scilicet aquæ diluvii cessassent, Deusque placatus, & divina justitia humano generi prorsus reconciliata esset. Nam ut S. Epiphanius ait: *Ipsa est cœli & terræ mediatrix, quæ unionem peregit.*

3 *Cum jucunditate, &c.* Quia beata Virgo hodie nata è purissimis sanguinibus suis Christo humanitatem Serm. de laud. illam & sacrosanctum corpus præparat, unde expromendum erat ingens illud pretium, quod ad nos omnes peccati & inferni servos à servitute peccati liberandos & redimendos necessarium erat. Unde Eusebius Emissenus de Nativitate Christi scribens ad matrem conversus ait: *Initiator omnium rerum à te initiatur, & profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ut de te sumpsit, quod etiam pro te solvat.*

4 *Cum jucunditate*: Quia hodie æternus Pater iræ suæ fulmina, quæ per tot sæcula adversus rebellem & ingratum mundum evibraverat, revocavit. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de terra.* 3. Reg. 18. Sanctus Joannes Episcopus Hierosolymitanus in De instit. Monach. ea fuit opinione, quod Deus in illa visione Eliæ Prophetæ suo, veluti in figura præostenderit, *quod quædam infantula nasceretur, scilicet beata Virgo Maria*; *ascendebat de mari*, quia Etymologia nominis Maria à mari desumitur. Porrò nubes salsas & amaras maris aquas sibi attrahens easdem in dulces transmutat, easque nobis paulatim stillatim depluit. Ita quoque Maria Deum illum recipiens, qui in Scriptura appellatur *Deus ultionum*, *Deus exercituum*, qui proinde tantum patientissimo Job timorem incutiebat, ut dicat: Job. 31. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum*, eundem nobis continuò & totaliter mitem, suavem, pium & misericordem effecit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto*, Valde considerabile est principium Evangelii hodie in Ecclesia lecti: *Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham.* Memorandus est enim ille Apostoli textus in quo dicit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, ut misericors fieret*; Heb. 2. 17. Cui textui nonnemo haud immeritò opponere posset, dicendo; Quodnam erat illud impedimentum, quod obstabat, quo minus in casu quo naturam assumpsisset Angelicam, pius & misericors factus fuisset? Ergone Angeli adeò severi & vigorosi erant, maximè erga nos, erga quos tantopere se hactenus exhibuere beneficos?

Cui

Cui dubio ut respondeatur, notandum est, eum qui vult esse misericors, duo præcipuè requirere. Primo enim ab illa miseria alienus esse debet, cui est allaturus in aliis remedium, quia si alicui in necessitate constituto subvenire cupit, necessum est, ut habeat facultates, unde id facere possit. Deus autem ex hoc capite procul quidem est ab omni miseria. Altera demum conditio est, ut is qui misericordiam erga miseriam patientem proximum exercere vult, similes quoque miserias & angustias fuerit expertus, sic enim alteri faciliùs compatietur, & providebit, atque ideo Filius Dei, ut majori erga nos compassione tangeretur, nostris se passionibus subjicere voluit, quem in finem opus erat, ut hac nostra mortali trabea sese vestiret; Siquidem *Homo natus de muliere repletur multis miseriis*: Hanc autem beatissima Virgo ei subministravit; adeoque ipsa etiam fuit illa, quæ eum in hac carne passibilem, & pium ac compassivum erga nos reddidit, atque ideo Apostolus ait: *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret*. Incognitus super illum locum Psalmi: *Ædificavit sicut unicornis sanctificium in terra*, ita scribit: *Mysticè per unicornem intellige gentiles, superbos per partum Virginis ad Christi fidem conversos: Natura enim unicornis est, ait Gregorius lib. 31. Moralium c. 13. quod isto modo capitur; nam puella Virgo proponitur, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput deponit, sicque ab eis à quibus capi quæritur, repente velut enervis invenitur & capitur*. Hanc autem unicornis naturalem proprietatem gentilismo adaptat, hic enim in fronte superbiæ & elevationis cornu ferebat, fuitque ab Apostolis conversus. Virginem beatissimam Deiparam coram oculis ejus statuendo. *Quæ eis sinum suæ gratiæ aperuit, & statim omni ferocitate dimissa per fidem Christi captus est*. Verùm enimverò hunc effectum nos quoque in natali beatissimæ Virginis experiri possumus, postquam enim ipsa hodie in lucem est edita, DEUS antea in indignatione sua exardescens, mox ut sinum virginalem conspexit, depositis iræ suæ fulminibus ad utilitatem & salutem nostram nobis inservire desideravit. Benè igitur S. Joannes Damascenus ait: *Choreas agit virginitas, quoniam ut ait Isaias, procreata est ea Virgo, quæ concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, hoc est, nobiscum DEUS*; at verò insuper addendum est. *Adducentur Virgines post eam*, quia deinceps post ejus Nativitatem viridaria Paradisi candida quoque Lilia progerminare cœperunt. B. Petrus Damianus ait: *Hodie prodiit ex utero matris, quæ templum fieri meruit Divinitatis*.

Psal.77 99.

Orat. 2. de Nat.

Hom 47.

De stupore quo cœlum, & terra adimpleta fuere, quando hoc sanctitatis prodigium primitus apparuit.

DISCURSUS QUINTUS.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum? Cant. cap. 8. v. 5.

1 Obstupefactum cœlum & terra præ nimio stupore attonita, solicitè hodierna die quærunt, quænam sit magna illa mulier, quæ adeo deliciarum dives in hunc mundum progreditur? *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens*: Etenim nullum hactenus visum vel auditum fuerat prodigium, quod hinc in sanctitate assimilari posset. Et ideo S. Bonaventura scribit: *Antonomasticè opus Domini mirabile est Maria, vas admirabile, opus excelsi, vere opus mirabile, quia nunquam invenitur simile, nec est factum tale opus in universis Regnis*. Certatim igitur & meritò de ejus Nativitate & homines obstupescunt & Angeli.

In opusc. Virg. c.17.

2 *Opus Domini mirabile est Maria*: Admirabilis quidem fuit etiam aliorum sanctorum Nativitas, utpotè qui modo quodam insolito in lucem editi fuere, veruntamen omnes in conceptione sua antiquæ maledictionis spinas & tribulos contraxerunt, editique sunt in hanc lucem filiæ iræ, adeo ut de illis verificari non possit, quod in sua Nativitate ascenderit, quin potiùs descendisse dici debent, siquidem à lapsu & macula peccati Originalis nequaquam fuerunt exempti, illum igitur de Maria in veritate dici potest: *Ascendit de deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum*, quia tametsi & ipsa in hujus nostræ corruptæ & fragilis naturæ deserto nata fuerit, à cœlestibus tamen gratiis præventa, Paradisique thesauris locupletata verè dicenda est in eodem Conceptionis & Nativitatis instanti sancta & immaculata. Unde sanctus Bernardinus ait: *Hoc mirificum fuit, quod deserto hoc est humano genere à gratia derelicto & deserto Virgo ascendere possit*; Imò idem sanctus Doctor in ea est opinione, quod eidem beatissimæ Virgini jam eo tempore, quo etiamnum in utero materno reclusa erat, rationis liberique arbitrii usus acceleratus fuerit, quodque lumen quoddam notitiamque perfectissimam in suo habuerit intellectu, adeòque in uteri maternalis carcere etiamnum constituta DEUM summa cum perfectione contemplari non desierit; *Ad tantam contemplationem sublimata est, ut etiam in utero matris perfectius in ea processerit, quam unquam fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate*. Dionysius Carthusianus refert beatam Virginem sanctæ Brigittæ revelasse sequentia. *Cum anima sanctificabatur, & corpori suo jungebatur, tanta anima mea advenit lætitia, ut impossibile sit effatu*. Nec mirum; quodsi enim exultatio Præcursoris (quia *exultavit infans in utero ejus*) à cœlestium gratiarum, quæ ei ex Deiparæ præsentia communicatæ fuere, influentia derivata fuit, quantò magis credendum nobis est, quod anima ipsiusmet Virginis gratiis incomparabiliter majoribus præventa & locupletata in utero sanctæ Annæ exultaret? Inviolabile est illud DEI decretum, ut omnes originali maculæ contrahendæ subjecti simus, *in quo omnes peccaverunt*, nimirum in primo parente; advertendum est autem beatam Virginem exceptam semper fuisse; ecce enim quonam modo Spiritus sanctus sponsus illius eam descripserit: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* & ne fortasse quispiam credat, ipsam quoque instar aliarum lapsam fuisse, subjungit: *Innixa super dilectum suum; liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus*.

T.3.Ser.12.

T.1.Ser.61. ar.3.c.7.T. 2.Ser.3.c.2.

T.2.lib. de laud.Virg. art.6.

Rom.5.12.

3 *Opus Domini mirabile*. Prodigium merum est, quod Creator in ea factus sit creatura, quod DEUS in ea factus sit homo, quod mulier quædam Verbum concipiat æternum, quod facta sit sponsa Spiritus sancti, quod Mater pariter & Virgo existat, quod Virgo sit, & tamen fœcunda simul remanens Virgo, quod sit instar stellæ cujusdam, & tamen genitrix facta sit Solis: Etenim Ecclesia hisce eam verbis salutat: *Ave Maris stella*, & tamen etiam hodie de ea canimus: *Ex te ortus est Sol*; quod filia sit & partus DEI, quemadmodum omnes aliæ Creaturæ, & tamen ipsemet DEUS sit partus illius: *Tu quæ genuisti natura mirante tuum sanctum genitorem*; quod recludat in se illum, *quem cœli capere non possunt, quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera factus homo*. Nunquid igitur nobis sanctus Bonaventura jure meritò dixisse videtur: *Opus Domini mirabile? In principio creavit DEUS celum & terram*, inquit Scriptura; ubi nonnulli per *principium*, Verbum intelligendum esse volunt: *Omnia per ipsum facta sunt*, imo ipsemet Dei Filius hoc se nomine appellavit, dum ait: *Principium, qui & loquor vobis*. Cum igitur cuncta creata esse suum ab ipso sortita fuerint, stupendum utique prodigium est ipsummet à Maria Virgine fuisse genitum. Sanctus Bruno Carthusianorum Patriarcha verba illa: *Gloriosa dicta sunt de te* considerans, eademque Deiparæ applicans, de eadem insuper dicit Davidem dixisse: *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*. Enimverò certum est juxta discursum humanum impossibile esse, quod fundator sit civitatis ejusdem in qua nascitur, *quia antequam sit natus, non potest fundare civitatem, sed Christus qui est altissimus per hoc, quod est, Deus ante omnia tempora fundavit Civitatem hanc, id est, matrem creavit, & tamen ut homo in fine temporum natus est in ea, sumendo carnem ex ea; mirabile est ergo & gloriosum in hac civitate, quod ille qui fundavit eam natus est in ea*. Summè quoque admirabilis est beata Virgo, si consideremus, quod omnes homines in prima sua origine à Deo descenderunt; *Ipsius enim & genus sumus*. Et quidem si ingens nobis dignitas esse videtur? quod quis aliqua saltem ex parte divinam participet progeniem, quantò magis æstimanda est beatissimæ Vir-

Ser. de lau. Mariæ.

mæ Virginis prærogativa, utpotè quæ non solum præ cunctis aliis excellentiùs dicere potest: *Ipsius genus sum*, verùm insuper ipsimet DEO verè dicere potuit, quod *est genitus ex ea*. In Symbolo Sancti Athanasii dicitur: *Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, homo est ex substantia matris, in sæculo natus*; atque ideo beata Virgo certo quodam modo cum æterno Christi Patre decertare potest, dicendo ipsum esse Patrem & genitorem ejus in cœlo; se verò in terra matrem & genitricem ejus esse, unde sicut Christus neminem alium Patrem à quo genitus sit, agnoscit præter patrem æternum, ita pariter nullam aliam potest agnoscere matrem, quæ ipsum conceperit, gestarit, pepererit & nutrierit, præterquam ipsam, *de qua natus est Jesus*. L. de excell. Virg. c. 2. Meritò igitur sanctus Anselmus ait: *Intendat mens humana, & contempletur, & videat & admiretur, unum filium sibi consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi tam unicum, & in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse beatæ Mariæ unicum & naturalem filium*.

4 *Opus mirabile*. Admirabilis quoque fuit ejus Nativitas, siquidem de ventre sanctæ Annæ non velut infantula, sed tanquam Genitrix egressa est. Et ratio est, quia Ecclesia nobis ipsam etiam in cunis Filii sui in brachiis gerulam exhibet, & ostendit: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum*, & ut supra advertimus in introitu Missæ de ipsa canimus: *Salve sancta parens*. Unde sanctus Joannes Damascenus Sermone primo de hoc festo ita eam alloquitur: *DEI gerulis ulnis Creatorem gestasti*; Ser m. 142. Chrysologus pariter obstupefactus exclamat, dicens: *Virgo ex te concipitur author tuus, tua ex te oritur origo; in tuo germine est genitor tuus, in tua carne est Deus tuus, & ipse lucem mundi per te capit, qui lucem mundo dedit*.

5 *Opus mirabile*. Tametsi enim in hac lachrymarum valle nata fuerit, non tamen in ea satis distinguitur an naturæ, an vero gratiæ partus existat, an de cœlo descenderit, an verò ascenderit de hujus mortalis vitæ deserto: Num. 24. 17. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*. Stella suos in cœlo natales habet, virga autem in terra efflorescit; Quis igitur est hic loquendi modus, quod una eademque Virgo simul stella quædam sit & virga? Verè ita est, mirus omninò est ille loquendi modus, eo tamen Scriptura utitur, quia alludendo ad beatam Virginem ambiguos nos relinquere voluit, an ejus Nativitas è cœlo potiùs quam de terra suam trahat originem: Licet enim ex utero sanctæ Annæ nata fuerit, de hoc enim fas non est dubitare, attamen Spiritus sanctus qui universæ sacræ Scripturæ author, & pariter Sponsus illius extitit, nullam sive Patris, sive Matris ejus mentionem in Scriptura fieri voluit; ut vel inde constet, quod tametsi dicti Parentes carnales illam genuerint, in ea tamen ipsi minimam partem habeant, utpote quæ cæli potiùs quam terræ creatura existit. Audite igitur quantò cum jure Angeli obstupescentes interrogarint, dicentes: *quæ est ista, quæ ascendit de deserto*. Ecclesia quidem de ipsa hodie canit: *Hodie nata est beata Virgo Maria ex progenie David*: ex alia verò parte sanctus Joannes, qui à Christo Filius ejus adoptivus declaratus fuit, quem post filii Ascensionem usque ad diem Assumptionis suæ individuum habuit vitæ & conversationis comitem, dicit sibi eandem in visione ostensam fuisse quasi descendentem de cœlo: *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo à DEO paratam sicut sponsam ornatam viro suo*; Apoc. 3. Quam visionem Albertus de beata Virgine intelligit, cui consentit sanctus Antoninus dicens: *Hæc est beatissima Virgo Maria Civitas sancta*. P. 4. tit. 15. c. 5 §. 2. Idem quoque sanctus Joannes de ipsa dicit: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, &c.*

6 *Opus mirabile*. In ipsa namque priùs gratiæ principium habuit, & postea natura, cujus contrarium cunctis aliis hominibus accidit. Unde Damascenus Orat. 1. de Nat. Mar. de ea scribit: *Natura gratiæ fœtum ante vertere minimè ausa est, verum tantisper expectavit, dum gratia fœtum suum produxisset*. Omnibus passim notus est gloriosissimus ille & transcendens titulus, qui à multis sacris Doctoribus ei attribuitur, quo vocatur Orat. in Hyppa. De *Complementum Trinitatis*. Longè tamen excellentiùs quidpiam de ipsa dixisse videtur sanctus Martyr Methodius, quando de illa ipsummet Deum Mariæ indigum fuisse dixit: *Ave cujus Deus factus est indigus*, adeoque licet David dixerit: *Dixi Domino: DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, hoc tamen in Maria pati videtur exceptionem, siquidem ipsius DEUS indigus fuerit. Quis enim ei sanguinem ministrasset, ut nostra mortalitate indueretur, quis illum concepisset, genuisset, lactasset, nutrivisset, nisi hæc obsequia accepisset ab hac Virgine immaculata? Sanctus Ho. 6. contra Nestor. Cyrillus ait; *Per te Trinitas sanctificatur, per te Crux pretiosa dicitur & adoratur in toto orbe*. Enumerantur à sacris Thologis tria opera ad extra sanctissimæ illius Triadis, nimirum creatio, incarnatio, & justificatio, & de omnibus illis certo quodam modo dici potuit, hæc opera suum à Maria complementum & perfectionem sortita fuisse. Sicut enim sanctissima Trinitas creavit beatissimam Virginem, ita quoque hæc genuit Verbum æternum, quod etiam in virtute consensus sui, & ope corporis ei à Deipara subministrati incarnatum fuit: Denique DEUS peccatorem quidem justificat, id tamen concurrentibus continuis ejus intercessionibus præstat.

7 *Opus mirabile*. Adeo admirabilis fuit ejus sanctitas, ut Spiritus sanctus ne ullam daret Hæreseos occasionem, per quam existimare potuisset in cœlo, non vero in terra ipsam natam, ac proindè non puram creaturam fuisse, operæ pretium esse duxerit, Eccl. 24. 12. contrarium de ipsa perspicuis verbis ediceret: *Dixit mihi creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Optimè igitur S. Joannes Damascenus ait: *O miraculum omnium miraculorum maximè novum! mulier Seraphinis sublimior effecta est, Deus visus est paulo minus ab Angelis minoratus: sileat sapientissimus Salomon, nec jam nihil novum sub cælo esse affirmet; creavit Dominus novum super terram, fœmina circumdabit virum*. Ecce duo miracula, videlicet puellam hodie natam filium in brachio suo ferentem, & utrumque in illa infantuli ætate perfectissimo rationis usu præditam: Veruntamen observandum est verbum illud Damasceni: *Sileat*; siquidem laudes ejus nulla lingua explicare prævalet. Undè sanctus Bernardinus ait: To. 2. conc. 51. a. 3. c. 1. *Tanta fuit perfectio Virginis, ut soli Deo cognoscenda reservetur, juxta illud Ecclesiastici: Ipse creavit illam in Spiritu sancto, vidit, dinumeravit, & mensus est*.

Ostenditur quòd salutem nostram beatæ Virginis in acceptis referre debeamus, eò quòd per ipsam gratiam, & quodvis aliud bonum receperimus.

DISCURSUS SEXTUS.

Hodie nata est beata Virgo Maria, per quam salus mundi credentibus apparuit.

1 UNum ex motivis principalioribus, ob quæ sancta mater Ecclesia festivitatem Nativitatis B. Virginis tanta cum solemnitate concelebrat, illud fuit, quòd videlicet dator omnium bonorum Deus, omnes cœlestium gratiarum thesauros in ipsam effuderit, atque ideo quævis ad gloriam aspirans fidelis anima eandem sine magnæ hujus Matris auxilio sibi nunquam comparabit, eò quòd ipsa habeat divinæ gratiæ dominium, utpotè quæ thesauraria facta est cœli. Unde Angelicus Doctor ait: 3. p. q. 27. art. 1. *Rationabiliter creditur quod illa, quæ genuit unigenitum a Patre plenum gratiæ & veritatis, præ omnibus aliis majora gratiæ acceperit privilegia. Undè Angelus ei dixit; Ave gratia plena; hinc Ecclesia celebrat Mariæ Nativitatem*. Post tot deplorabilia transacta sæcula, primitùs fortunatissimum illud auscultatur nuntium, quòd scilicet *salus mundi credentibus apparuit*; quia nascente Virgine illa, de qua Angelus dixit: *Gratia plena*, suum lex gratiæ accepit exordium, eaque mediante æternæ gloriæ pignus recipit & arrham. Epist. 174. *Prædica reverendam Angelis* (inquit S. Bernardus) *desideratam gentibus, Patriarchis Prophetisque prægenitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus*; ac demum ad propositum

nostrum

noſtrum pergit dicere: *Magnifica gratia in ventricem, mediatricem ſalutis, & reſtauratricem ſeculorum*. Idemmet ſanctus de hac ſolemnitate tractans celebrem quandam nobis in ejuſdem Virginis ſubminiſtrat propoſitionem, quæ glorioſiſſimi illius epitheti fundamenta ſtabilit, quod ſancta eidem attribuit Eccleſia, ſcilicet *Maria mater gratiæ*; dicit namque de ejus filio: *Redempturus humanum genus, pretium univerſum contulit in Mariam*; id quod alibi multo apertiùs declarat, dum ait: *Univerſum theſaurum contulit in Mariam, ut de plenitudine ejus omnes accipiant; nihil enim nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non tranſiret*. Idem in ſermone de Nativitate ejus, aquæductus cujuſdam ſimilitudine utitur, in hunc modum diſcurrens: *Virgo Maria data eſt mundo quaſi aquæductus, per quam gratia à Deo deſcendant, juxta illud Eccleſ. 24. Sicut aquæductus exivi à paradiſo. Et propterea tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt, quia nondum interceſſerat aquæductus*. Utitur etiam ſimilitudine colli, per quod ſpiritus vitales à capite tranſmittuntur ad alia membra: *Ipſa eſt collum caput Eccleſiæ Chriſtum corpori ejus conjungens*. Guerricus Abbas dignus tanto Doctore diſcipulus ad Virginis filium converſus ait; *Tu poſuiſti in Maria ſacrarium gratiæ*. Neſcio an aliquando textum illum Davidis conſideraveritis, in quo ait: *Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi qui habitant in ea, quia ipſe ſuper maria fundavit eum*. Porrò quod Deus univerſæ terræ, omnium incolarum ejus Dominus, haud eſt ad credendum difficile, at verò quòd ad hoc ut ipſam in ſua firmitate ſtabiliat, fundamenta ejus ſtatuerit ſuper liquidum, inſtabile, & fluctuans elementum, quale eſt mare, quis hoc intelligat? ſitque illam intelligendi difficultas major ex eo, quòd ex quo fundamentum ultima ſit pars ædificii, omnino conveniat dicere, fundamentum totius univerſi terram eſſe, utpotè quæ centrum illius eſt; locum in eo ultimum obtinet. Veruntamen ſcitiſne quidnam Propheta hiſce verbis ad noſtrum propoſitum dicere voluerit? nimirum inſinuare nobis voluit, quòd loco baſis & fundamenti totius univerſi, omniumque viventium elegerit ſibi Mariam, utpotè quæ ſuam à mari denominationem habet; quamvis alia adhuc præſto ſit ratio, cur baſis & fundamentum ſit mundi, nimirum quia *congregationes aquarum vocavit maria*; cùm enim aquæ gratiarum ſymbolum quoddam ſint, ideo omnes illas in utilitatem & beneficium noſtrum in Mariam exonerari, & in ea congregari voluit. Undè S. Bernardus ait: *Nulla gratia venit de cœlo ad terram, niſi tranſierit per manus Mariæ; omnia flumina intrant in mare*. Sanctus Hieronymus in ſermone de Aſſumptione ait: *Omnis plenitudo gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt in Maria; in Chriſto ſicut in fonte, in Maria ſicut in collo corpori Eccleſiæ transfundente*. Sanctus Bernardinus in ea eſt opinione, quòd beata Virgo Maria tanquam Mater Verbi incarnati, ab illo momento, quo Filius Dei incarnatus fuit, pleniſſimam acceperit in theſaurum divinæ gratiæ juriſdictionem: *In omni gratiarum influxu Maria Virgo quandam juriſdictionem habuit, de cujus virgineo utero, quaſi de quodam divinitatis, arcano rivi & flumina omnium gratiarum emanabant, quia de ejus utero natus eſt Deus, qui vocatur Chriſtus*. Cùm enim Filius Dei in ſupremo illo conſiſtorio humanum genus redimere, noſtramque operari ſalutem diſpoſuiſſet, opus omnino erat, ut priùs gratiæ ſuæ imbrem de cœlo deplueret; atque ideo priuſquam deſcenderet, eundem ſumma cum affluentia in magnæ Matris ſuæ ſinum effudit; undè Angelus ei dixit! *Gratia plena*, *Inclinavit cælos, & deſcendit*, inquit David, de cujus progenie, ut hodie ſæpè canimus; nata eſt beatiſſima Virgo. Hugo Cardinalis ait: *Inclinavit cœlos, ſicut vas, ut totum effunderet*. Guerricus Abbas ait: *Natalem beatiſſimæ Virginis Matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem*; id quod non de corporis, ſed animæ vita intelligitur, quæ in gratia conſiſtit; quæ vitam nobis communicat æternam & immortalem: *Nata eſt hodie Virgo, de qua ſalus omnium voluit naſci, ut natis ad mortem daret ad vitam poſſe renaſci*. Sanctus Joannes Damaſcenus in prima oratione, quam in hoc feſto de Virginis Natalibus habuit, ita ſcribit: *Vitam natura præſtantiorem habebis, non tibi ipſi*; quibus verbis eum dicere voluiſſe exiſtimo, quòd gratiæ & dona, quæ filius ejus in eam larga manu

[Margin: Ho. ſuper Miſſus eſt. — Ser. 11. de Aſſumpt. — Serm. 3. de vigil. Nat. — Pſ. 17. 10. — Ser de Nat]

Manſi Promp.

infuſurus eſſet, non tam ipſi quàm nobis donarentur: adeoque de illa dici poteſt quod Eccleſia de communi Redemptore noſtro canit: *Nobis datus, nobis natus ex intacta Virgine*, id eſt, *nobis data, nobis nata*; *neque enim tui ipſius cauſa*, inquit idem Damaſcenus, *progenita es, quo circa Deum habebis, ob quem in vitam produſti, ut orbis univerſi ſaluti adminiſtram te præberes*.

2 *Per quam ſalus mundi*. Quis eſt qui ignoret tenellulam hanc infantulam faſciis obvolutam inſtar validi & fortis Athlantis vacillantem & cadentem ſuſtinere mundum: Sanctus Joannes Damaſcenus ait: *Hodie mundi ſalus inchoavit; jubilate Deo omnis terra, cantate, exultate, & pſallite*. Sanctus Auguſtinus in præteritorum ſæculorum miſerias, quibus mundus involvebatur priuſquam fauſtiſſima hæc aurora illuceſceret, oculum ſuum dirigens, in ejus laudem linguam ſuam hunc in modum laxavit: *Quis dignè valeat jura gratiarum, ac laudum præconia rependere, quæ ſingulari tuo aſſenſu mundo ſuccurriſti perdito?* Nos dicere poſſumus: *Tua nativitate mundo ſuccurriſti perdito*; ſiquidem *hodie ſalus mundi apparuit*; undè etiam in oratione hodierna legimus: *Quibus beatæ Virginis partus ſalutis extitit exordium*. Quantum obſecro urbs aliqua diuturna obſidione conſtricta, fameque & penuria preſſa lætificatur, dum navem aliquam copioſa vini annona inſtructam, aut verò exercitum quendam copioſiſſimum in ſui defenſionem appellere conſpicit? quis autem eſt qui neſciat, quòd genus humanum in miſeriis illis ſæculis *famem patiebatur ut canes*! totus quaſi mundus ab inimico infernali obſidione cingebatur; ſiquidem ferè omnes coram idolis genua ſua flectebant, tanquam leo rugiens circuibat, at verò hodie Maria, quæ velut inexpugnabilis quidam exercitus fuit; in defenſionem noſtram in mundum prodiit: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*; *nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras*; in portu noſtro navis illa appulit, de qua Sapiens ſcribit: *Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longè portans panem ſuum*, illo frumento valdè onuſta, quod dicitur *Frumentum electorum*, annona videlicet in vitam æternam: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, pane, inquam, ad profligandum inimicum longe potentiori, quam fuerit olim panis ille ſubcinericius à Gedeone viſus; ideoque genus humanum hac obſidione cinctum dicere potuit: *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos qui tribulant me*.

3 *Per quam ſalus mundi*. Superiùs in Diſcurſibus præcedentibus diximus, de beata Virgine viſionem illam Joannis interpretari poſſe, quam hiſce verbis refert: *Vidit Jeruſalem novam deſcendentem de cælo à Deo*; ac proinde memorandum eſt quod Iſaias prædixit, dum ait: *Reſpice Sion civitatem ſolemnitatis noſtræ: oculi tui videbunt Jeruſalem habitationem opulentam*; id eſt, beatam Virginem: ſiquidem illa filium ſuum in utero portavit, *in quo ſunt omnes theſauri*. Sergius Hierapolitanus à Caniſio relatus ait: *Hæc jam naſcitur, & una cum ipſo mundus renaſcitur ac renovatur, naſcitur & Eccleſia*; idque adeo verum eſt, quod in hodierni officii Antiphona quadam cantamus dicentes: *Nativitas eſt hodie ſancta Mariæ Virginis, cujus vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias*. Hodie omnium Eccleſiarum prima jacta ſunt fundamenta; ſiquidem illa hodie in mundum prodiit, de qua dicitur: *Templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti*. Hodie proſternitur omnis; idolatria, dum videlicet adimpletur illud Iſaiæ oraculum: *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ*; ſiquidem ejus auxilio & patrocinio fideles in omni parte mundi idola demoliuntur, cunctæque hæreſes evaneſcunt; *Gaude Maria Virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo*.

4 *Salus mundi*, Regium quondam Davidis oraculum de hujus mundi univerſo paulò antè afflicto & deſolato prædixit, venturum aliquando tempus, quo univerſum iſtud innumeris bonis cumulandum, decrepitaque mundi hujus ſenectus in floridam tranſmutanda eſſet juventutem: *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus; qui replet in bonis deſiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua*. Alii legunt, *ſenectus tua*. Andreas Epiſcopus Hieroſolymitanus ait: *Senio quaſi confectus mundus per Mariam peccatorum ſenectam exuit*. Undè perſpicuè deducitur, quanto cum jure magnus ille Pariſienſis Aca-

[Margin: Orat. 1. de Nat. — Serm. 2. de Annunt. de Sanctis 18. — Prov. 31. 14 — Iſa. 33. 20. — Iſa. 49. — Pſ. 102. 4.]

Sat. de Nat.

demiæ Cancellarius in die hoc Mariæ adeo sacro supplicari dicens: *Fac nos, obsecramus, in hac sacratissima Nativitate tua mori peccatis, mori mundo, & vivere & renasci Deo; fac renascatur in nobis per gratiam Jesus, qui vocatur Christus.*

5 *Salus mundi apparuit.* Genus namque humanum anteà neminem habebat, cujus opera ad hoc uteretur, ut in ejus beneficium apud iratum Deum sese efficaciter interponeret, eumque permoveret ad revocanda indignationis & iracundiæ suæ fulmina. At vero nascente hodierna die Maria Matre Filii ejus, patrocinio & interventione ipsius roboramur, adeo ut magna cum fiducia ad ipsam recurrere valeamus, dicentes: *Sancta Maria succurre miseris, juva, &c. Non est bonum hominem esse solum*, inquit Deus, *faciamus ei adjutorium simile sibi.* Richardus à S. Laurentio pulchrè notat primum advocatum apud Patrem esse Spiritum sanctum, secundum vero Filium, tertium denique beatam Virginem: *Tertius advocatus est beata Virgo, præcipuè coram filio suo; & nobis generaliter impetrat omne bonum; siquidem deerat nobis advocatus apud Filium antequam Maria nasceretur; dixit autem Pater? Non est bonum hominem esse solum, id est, non sufficit unus advocatus, aut mediator, aut intercessor humani generis in cælo, cum tot & tam periculosas habeat causas coram me; faciamus ei adjutorium, id est, beatam Virginem; quæ alleget pro genere humano coram Filio, sicut Filius coram me; propter hoc dicitur de ipsa Psalm. 88. Testis in cælo fidelis.*

Lib. 2. de laud. Mar.

De fortunatis Nativitatis B. Virginis auspiciis, maximè quia in hoc mense Septembri accidit.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus.

1 Singularis sancti Joannis Baptistæ, multoque magis magnæ Dei Matris prærogativa fuit, quod utriusque Nativitatis tanto cum applausu & jubilo ab Ecclesia celebretur; nam, ut in libro Job scribitur, illorum duntaxat die natalitio excepto, de omnium aliorum nativitate in veritate dici potest: *Pereat dies in qua natus sum?* omnis namque homo, qui conceptus & natus est filius iræ, potius diem suum natalem deplorandi, quàm de eo gaudendi occasionem habet. *Homo nascitur ad laborem; jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum.* Ubi observandum est quòd in illis verbis nullius prorsus hominis fiat exceptio, quantumvis ille dives sit & potens: *A residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra & cinere, ab eo qui utitur hyacintho & portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo:* Veruntamen regula isthæc in hac regia infantula penitùs fallit, quæ hodie in Oriente Nazareth nascitur: *Regalis ex progenie Maria exorta refulget*; ac proinde cælum & terra certatim lætantur: *Nativitas tua gaudium annuntiavit universo mundo*; neque enim risum duntaxat & jubilum, verùm etiam, si tamen id dicere liceat, paradisum ipsum secum attulit: *Emissiones tuæ paradisus.* Valerius Maximus scribit, in Thracia in solemni fuisse more positum, natalitium diem in continuo planctu & tristitia, mortis verò diem anniversarium in gaudio & risu transigendi; cujus consuetudinis hæc ratio erat, quia nascens lachrymarum vallem ingrediebatur, morienti verò omnium laborum decernebatur meta ultima & terminus. *Nemo vitam acciperet*, inquit Seneca, *si daretur scientibus, stratagema naturæ est, dare rationis expertibus. Melius est dies mortis die nativitatis*, ait etiam Ecclesiasticus, *in illa enim finis cunctorum admonetur hominum*; non verò sic in Nativitate Mariæ: ibi namque in comparatione ad alios penitùs invenimus contrarium; siquidem per ejus Nativitatem cuncti ad vitam nascimur immortalem & æternam: *Confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.* Omnes alii quotquot nascuntur, infelicissima, valdeque deploranda habent nativitatis suæ auspicia; siquidem *Omnes nascimur filii iræ*, & quilibet nostrum dicere potest: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Beata Virgo autem specialem hanc habuit prærogativam, quod ab omni macula, etiam originali, libera fuerit, ejusque nativitas ad insinuandum dæmoni bellum, ad destruendum peccatum, & consequenter ad iram Dei mitigandam ordinata fuit. Astrologi tempus, quo homo in hunc mundum nascitur, solerter observare consueverunt, atque à planetarum aspectibus, omnibusque aliis superiorum corporum influxibus, aliqualem quoad ejus, qui in lucem edendus est, futuris faustis vel calamitosis eventibus notitiam deducunt: Enimvero in beatissimæ Virginis Nativitate cælesti felicissimos vitæ ejus successus certatim prognosticare satagunt: *Signum magnum apparuit in cælo.* Potuitne hoc fortunatior desiderari cæli aspectus? *Mulier amicta Sole, & luna sub pedibus ejus in capite ejus corona stellarum duodecim*; undè cæli, stellæ, omnesque alii plantæ ambitiosè æmulari videntur in exhibendo ei obsequio. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol? quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* Ac proindè quamcunque in partem oculos vestros reflectatis, benignissima invenietis nativitatis ejus auspicia. Porrò dum homo aliquis nascitur, tempus ortus illius præciso & accuratissimo calculo annotatur; ac proindè in præsenti die non caret mysterio, quod beata Virgo hodierna die, id est octavo Septembris, sub ortum auroræ nascatur; etenim in duobus primis Discursibus nonnullas ponderamus rationes; cur ad instar auroræ in sua nativitate illucescere debuerit; ac proindè huic circumstantiæ ultrà non immorabimur, sed progredimur ulterius. Nascitur Deipara sole jam è signo leonis egresso, virginisque signum ingrediente: quia Deus noster ad instar furibundi leonis humano generi junctus fuerat: *Leo rugiet; quis non timebit?* hodie verò interum Virginis ingressus, placidus, mitis atque benignus effectus est; undè S. Antonius ait: *Sol materialis per zodiacum discurrens, ex signo leonis, quando est ferventissimus calor ejus super terram, intrat signum Virginis, ad innuendum, quòd sol justitiæ Deus noster, ex tempore veteris testamenti, quando Deus, ut leo rugiens, erat Deus ultionum, puniens terribiliter peccatores, ferventissimo amoris calore intrans in uterum Virginis, totus factus est benignus, & suavis, & humanus.* Psalmista scribit: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Et hoc quidem verum est, si superiora sæcula diem hunc antecedentia respiciamus, non verò sic deinceps, postquam *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Verum enimvero quodsi ad mensem, in quo sanctissima Deipara nata fuerit, nos reflexerimus, certum esse inveniemus, mensem hunc non sine mysterio nativitati ejus destinatum fuisse; ab hoc namque mense Autumnus suum ducit exordium, Synagoga autem & Hebraismus tam à Prophetis antiquis, quàm à Redemptore nostro sub vineæ cujusdam symbolo præfiguratus fuit, prout ex multis sacris textibus perspicuè deducitur; & quidem ab hac vinea progerminari debebat vitis illa, quæ dixit: *Ego sum vitis vera*, à qua vinum derivatur, quod *germinat virgines*; ac proindè nunquid æquum esse videbatur, ut hoc tempore maturesceret fructus ille, de quo dicitur: *Benedictus fructus ventris tui*; hunc autem simul cum sua genitrice conjunctum inveniemus, dicente Ecclesia; *Salve sancta Parens, enixa puerpera Regem, qui cælum terramque regit.* Undè S. Petrus Damianus ait: *Vinea autem Domini Sabaoth domus Israel est, vineam de Ægypto transtulisti; sicut autem vinea, cum fructus toto anno expectatur in solo Autumno colligitur, sic nimirum, sic Redemptor noster, quem lex præsignaverat, quem Prophetæ prædixerant, quem Sancti omnes ab Adam usque ad transactam quintam ætatem summo desiderio expectaverant, in sola Maria tempore venit.* Beata Virgo de semetipsa dicit: *Ego quasi vitis fructificavi*; fructus antem vitis hujus fuit botrus ille, de quo in sacris Canticis dicitur: *Botrus Cypri dilectus.* In Isaia quoque legimus, Filium Virginis in cælo empyreo in conspectu omnium hierarchiarum Angelicarum in specie vinitoris cujusdam apparuisse; undè supremi illi spiritus eum interrogarunt: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimentum tuum sicut calcantium in torculari?* quibus ille respondit: *Torcular calcavi solus?* In hac synagogæ vinea, & in eadem plantata Virginis vite botrus ille maturuit. Undè idem Petrus Damianus ait; *Indumentum tuum, quippè Christi, nihil est aliud, nisi corpus, quod sumpsit ex Virgine Maria; rubrum apparuit, quia pro redem-*

Job. 3. 3.

Eccl. 40. 3.

Eccl. 6. 2.

Am. 1. 2.

4. p. tit. 15. c. 21 in fin.

Ps. 17. 9.

ptione

ptione nostra sanguinem suum fudit. Nisi fortasse dicere velimus, B. Virginem terram illam promissionis, quæ lacte manavit & melle, id est, partum illum concepit, qui *butyrum & mel comedit*; è qua etiam botrus ille in ligno suspensus allatus fuit, qui filium ejus in Crucis patibulo pendentem figurabat: *Ex quo Redemptor noster velut singularis botrus voluit humanitus germinari*. Sciendum quoque est, mensem hunc populo Judæorum specialiter fuisse celebrem atque festivum. In ejus namque primo die festum celebrabatur Neomeniæ in memoriam creationis mundi. Item festum turbarum, in memoriam Isaaci ab immolatione sacrificii liberati, & arietis in ejus locum substituti. Decimo verò die festum celebrabatur propitiationis, in quo ad vesperam usque illius diei jejunabant, in memoriam remissionis peccati mediante Moyse in monte obtentæ, quando populus ob peccatum adorationis vituli in manifesto erat exterminii periculo. In eodem mense pariter celebrabatur festum espiationis, in quo populus sanguine vitulæ rufæ cinere mixto aspergebatur. Denique in die decimoquinto festum agebatur tabernaculorum, quod septem diebus continuis durabat. Ac proindè meritò & summo cum mysterio beata Virgo hoc mense nascitur, quia non solùm dicere potuit; *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*; verùm etiam quia præter figuras omnium celebritatum antiquarum in ejus hoc mundo comparitione adimpletas, festum felicissimæ Nativitatis suæ omnes alias absorbet, ad eum ferè modum, quo sol oriens omnium aliorum
Ho. 48. de N. 1. luminarium inferiorum lucem disparere facit. Undè meritò B. Petrus Damianus ait: *Exultemus in hac die, in qua dum beatissimæ veneramur Virginis ortum, cunctarum etiam novi Testamenti festivitatum celebramus initium, exultemus, inquam, in hac die præcipua, & totis visceribus in Domino delectemur, in qua dum Redemptoris nostri recolimus Matrem, reliquarum festivitatum celebramus originem*.

2 Aliam quoque circa hunc mensem reflexionem facere possumus, videlicet quod sicut Autumnus, qui ab hoc mense incipit, inter alia quatuor anni tempora fertilior est atque fœcundior, adeòque agricolæ hoc mense labores suos ad propositum finem vident esse reductos, idque per abundantem vindemiam, copiosamque aliorum fructuum messem: ita quoque considerare possumus quod omnia suspiria, gemitus, & spes ac desideria cunctorum mortalium abhinc quinque millium & plurium annorum in fortunatissimo hoc Nativitatis Mariæ autumno ad impleta sint, desideratumque suum sortita sint
Hom. 47. finem. *Merito autumnali tempore nascitur* (inquit idem Damascenus) *ut jam veluti in autumno, totius sæculi fructus spiritualium arborum comedatur*. Undè beatissima Virgo filio suo dicere potuit: *Omnia poma nova & vetera dilecte*
Cant. 7. 13. *mi servavi tibi*; siquidem per ejus natalitia omnes figuræ, allegoriæ, prædictiones & mysteria veteris & novi Testamenti adimpleta fuere, omnesque gratiæ & dona, quæ inter alios tam sub lege gratiæ, quàm scripta, vel etiam Evangelia prodeuntes Sanctos fuere dispersa, Mariæ cessere in unum indivisum cumulum congestę. Dici etiam potest ideo illam hoc mense natam esse, quia juxta gravissimorum Authorum opinionem hoc quoque mense creatus est mundus, & consequenter prima mater nostra Eva, quæ universo humano generi irreparabiles intulit ruinas atque ærumnas: at vero magna Dei Mater, *quod*
Ser. de Assumpt. *Eva tristis abstulit, reddidit almo germine*. Unde S. Hieronymus ait: *Quicquid maledictionis infusum est per Evam, totum abstulit benedictio Mariæ*: id quod B. Petrus Damianus confirmat dicens: *Per mulierem infusa est maledictio terræ, per cujus manum potus amaræ mortis porrigitur, per eam quoque dulcis vitæ poculum exhibetur, largissimum benedictionis novæ fluentum detersit maledictionis antiquæ*
Lib. 3. hær. 74. *contagium*. Similem quoque considerationem S. Epiphanius hisce verbis expressit dicens: *Eva mortis causa facta est hominibus; per ipsam enim mors ingressa est in mundum, Maria vero causa vitæ, per quam genita est nova vita*. Ratio autem, quia præfati Authores moventur, ut mundum hoc mense creatum fuisse existiment, hæc est: quia in ipso mundi exordio arbores fructibus erant onustæ, omnesque plantæ suo erant instructæ semine; adeoque sicut mundus ab hoc mense duxit exordium per creationem, ita quoque conveniens erat, ut in eodem mense redimeretur & restauraretur per Nativitatem Mariæ, quæ est enim enixa filium, *quem totus non capit orbis*, veniretque ad nos totius generis humani Redemptor.

Mansi Prompt.

Nobilitatis encomium in Nativitate beatæ Virginis relucens consideratur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Regali ex progenie Maria exorta refulget.

1 ILlustre illud nobilissimæ progeniei magnæ Matris Dei encomium à sancta matre Ecclesia permagni semper æstimatum fuit; siquidem Spiritus sanctus, qui Ecclesiæ est director, hanc ejus prærogativam sæpè sæpiùs in hac solemnitate celebrari instituit, undè non solùm in prædicta loco thematis assumpta Antiphona, scilicet: *Regali ex progenie Maria exorta refulget*; sed & in pluribus aliis locis honorificentissima fit ejus commemoratio: *Nativitas gloriosa Virginis Mariæ ex semine Abrahæ orta de tribu Juda, clara ex stirpe David*. Verùm, inquies fortasse, quodnam in eo latet, quòd Deus ille, qui habitum quendam servilem sibi elegit *formam servi accipiens*; qui etiam vitam quandam neglectam & ignotam omnibus ducere voluit; undè ait: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*, qui denique eo potissimum fine in hanc terram descenderat, ut nos humilitatem, nostrique ipsius contemptum suo exemplo perfectè doceret; ideoque dixit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*, quòd, inquam, ille Deus noster Matrem suam sibi elegerit Ma- Serm 2. de V. r.
trem talem, quæ prosapia esset regia oriunda, *Regali ex progenie? Quid nobilius Dei Matre?* quærit S. Ambrosius; quasi diceret: Nullus unquam homo fuit, nec ullus deinceps futurus erit, qui Virginis nobilitatem fuerit assecutus: *Regali ex progenie Maria*.

2 Nobilitas, uti ex textu quodam S. Gregorii Na- Orat. 18.
zianzeni deducitur, à tribus præcipuè dici potest suam trahere originem, videlicet à Deo, à sanguine, & a virtute: à Deo quidem, eo quod anima nostra ad imaginem & similitudinem ejus fuerit creata, & hæc nobilitas & excellentia omnibus quidem est communis hominibus, veruntamen in B. Virgine incomparabiliter excellentius enitet, quàm in aliis, etiam Angelis; siquidem ipsa Deum enixa est ad imaginem & similitudinem nostram, adeoque sicut ipsa creata fuit ad imaginem & similitudinem Dei, ita quoque ipsa vicissim gloriari potest se certo quodam modo Deum genuisse ad hominis imaginem & similitudinem: *Ecce Deus quasi unus ex nobis factus est*, Secunda prærogativa nobilitatis *est à sanguine*, inquit Sanctus, *cujus ratione haud equidem scio, an quisquam nobilis dici possit, cum corruptione constet*. Beatissima Virgo autem adeo purum & immaculatum sanguinem habuit, ut postquam illum in filium transfundit, mox æterna Veritas de eodem sanguine asserat: *Non dabis Sanctum tuum vi- Ps. 15. 10.
dere corruptionem*. Est porrò multorum gravium Autho- Suarez t. 2.
rum opinio, quòd illam ipsam carnis substantiam, quam in 3. p. qu.
Salvator noster à sua Genitrice assumpsit, nunquam per- 27. ar. 1. d.
diderit, nec illa unquam per caloris naturalis operatio- 2. art. 5.
nem resoluta fuerit; sed quòd illa ad majorem magnæ Matris suæ honorem semper eadem & invariata remanserit, adeo ut ipsa filio dicere possit: *Substantia mea* Hom. 2. de
apud te est. Undè Eusebius Emissenus ait: *Sanguinem*, Nat.
quem etiam pro Matre obtulit, de sanguine Matris accepit; adeoque non video qua ratione nobilitas aliqua non solùm dari, sed etiam imaginatione apprehendi possit, quæ sit ratione sanguinis ista præclarior; imo secundùm ipsas quoque mundi leges certum est, nobilitatem aliquam tantò majoris æstimandam esse, quantò progenies ipsius fuerit antiquior: jam vero sola Virgo hanc sibi gloriam vendicat, quod quoad hanc excellentiam sit omnibus creaturis etiam Angelicis longè anterior & præclarior, siquidem ipsa summa cum veritate dicit: *Ab initio & ante sæcula creata sum, primogenita antea omnem creaturam; Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio*. Et S. Bernardinus ait: *Fuit ergo* To. 1. ser.
B. Virgo nobilior creatura omnibus creaturis, quæ in 60. art. 1.
humana natura fuerint; aut possint, aut potuerint gene- c. 1. 2.
rari, idque probat ex Evangelio S. Matthæi hodie lecto, ubi Evangelista recenset *ter quaternas generationes ab Abraham usque ad Christum inclusive, & describit eam fuisse natam de quatuordecim Patriarchis, de quatuordecim Regibus, de quatuordecim Ducibus; unde patet etiam quod Dominus Jesus Chri-*

ftus, qui fine matre fuit in cœlis, & abſque Patru in terris, totam à Virgine humanitatem recepit atque dignitatem. Ad quod verba illa alludere exiſtimo, quibus Spiritus ſanctus greſſus Mariæ ingenti cum ſtupore celebrat & exaltat, dum ait: [Cant. 7.] *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis?* Sciendum eſt enim quod Romani in ſynceræ nobilitatis ſignum, Lunam in pedibus ſuis deſerre ſoliti fuerint, ac proinde ob hoc fortaſſe myſterium S. Joannes ipſam Luna calceatam fuiſſe vidit: *Luna ſub pedibus ejus.* Perſæ in nobilitatis infallibile indicium Solem ſibi vendicabant: *Mulier amicta Sole:* Græci in eundem finem ſtellis utebantur: Et ideò *in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*

3 Denique tertia Nnbilitatis excellentia, quæqoe vel maximè æſtimanda eſt, ut Nazianzenus ſcribit, *à virtute agnoſcitur.* Unde S. Hieronymus ad Demetriadem ſcribit: *Ille clarus, ille ſublimis, illu ſit nobilis, ille tunc integrè nobilitatem ſuam ſe ſervare putet, ſi ac dignetur ſervire vitiis, ab eiſque ſeparari.* Ad Celantiam quoque ſit ſcribit: *Apud Deum nobilitas eſt clarum eſſe virtutibus. Quid autem apud Deum in viris nobilius Petro, qui piſcator & pauper fuit? Quid in fœminis beata Virgine illuſtrius quæ ſponſo fabri deſponſatur?* Paulò poſt verò nobilitatem Mariæ cum Petri nobilitate comparans protinus ſubjungit; *Sed illi piſcatori & pauperi cœleſtis regni à Chriſto creduntur claves: Hæc ſponſa Fabri meruit eſſe mater illius, à quo ipſi claves data ſunt.* Ennodius in vita S. Aotonii ita de ea [Cit. 2.] ſcribit: *Quamvis de ſplendore natalium conſcientia jubar hauſeris, tamen fulgorem ſtirpis præcipuè morum radiis obumbravit.* Idipſum oos quoque de beata Virgine dicere poſſumus, quæ nnn ſolum propter ſtirpem & progeniem ſuam, & propter Matris Dei ſublimiſſimam dignitatem, ſed multo magis propter heroicarum virtutum ſuarum excellentiam nobiliſſimæ proſapiæ ſuæ prærogativas quaotumvis rariſſimas & præclariſſimas longè ſuperavit & vicit. Unde B. Petrus Damianus in hoc feſtum ita ſcribit: [Hom. 4°.] *In humano genere ille nobilis dicitur, qui claris majorum titulis inſignitur, Beata Virgo Maria, licèt de generoſa ſit Patrum ſtirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentiſſima nobilitatis genus, qui de illa eſt novo naſcendi genere procreatus, & per clariſſimam ſobolem omnem humani ſtemmatis excedit nobilitatem, clara pro avorum titulis, ſed clarior generoſitate prolis; filia ſiquidem Regum, ſed mater Regis regum:* Veruntamen, ut verum fatear, Nobilitas & dignitas matris Dei maximè æſtimanda eſt propter eminentiſſimæ virtutis & ſanctitatis [Ser. 1. de Annunt.] ſuæ merita; ac proinde Guerricus Abbas ait: *Regali ſiquidem ex progenie Virgo electa eſt, generoſitatis quidem regia nobilis proles, ſed virtutis regia nobilior indoles.* [De Fide Orthodoxa q 136.] S. Juſtinus Martyr quoque hac de ſe ita ſcribit: *Beata Virgo beatior prædicanda eſt ob virtutem quam habuit, propter quam meruit eſſe mater Dei, quam ob ipſam matris dignitatem.* Et quidem ſi ad hujus animati templi Dei, quod vertice ſuo cœlum tangit Empyreum, (ſiquidem de Filio Altiſſimi dicitur: *Et erat ſubditus illis· Sapientia ædificavit ſibi domum,* id eſt genitricem ſuam) fundamentum oculos noſtros dirigamus, fundamentum ejus humilitas fuit. [Epiſt. 3.] Unde Petrus Bleſenſis ait: *Dei filius in beata Virgine, licèt ipſa de ſacerdotali & regali ſtemmate duxiſſet originem, non nobilitatem, ſed humilitatem elegit, reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ.* [Ad Principiam.] S. Hieronymus in Epitaphio ſanctæ Marcellæ ait: *Nihil in illa laudabo; niſi quod proprium eſt, & eo nobilius, quod opibus & nobilitate contempta, facta eſt paupertate & humilitate nobilior.* Porrò ipſam in Dei matrem fuiſſe electam, opus quoddam eſt Divinæ magnificentiæ, at verò quòd ſe humillimam appellavit ancillam, idque eo tempore præcipuè, quo mater Dei futura declarabatur, ſpecialiſſima fuit virtutis ſuæ prærogativa, ſicut etiam quod ſe Maternitate Dei per innocentiam & ſanctitatem ſuam dignam reddiderit. Quis autem de hac ejus à virtute derivata nobilitate pro dignitate effari quid poterit? Certiſſimum eſt, quod ſicut illa cuivis humano imò & Angelico intellectui eſt imperceptibilis, ita quoque conſequens ſit, quod prærogativa hæc ſimul ſit indicibilis & inexplicabilis. Gerſon de ejus Conceptione ſcribens, ait: *Virtutes fecerunt atque formarunt corpus & animam perſona ſancta,* id eſt. Virginis, quia cum ipſius parentes ſenes fuerint atque ſteriles, ideo ipſa non tam naturæ, quam gratiæ partus quidam fuit; unde id quod Guerricus Abbas de Anna illa Prophetiſſa ſcribit, nos quoque illi attribuere poſſumus, dicendo: [Serm. 3 de Purif.] *Vivum in emortuo corpore ſimulacrum cujus virtutis. Ex fructibus eorum cognoſcetis eos,* inquit Chriſtus. Et quidem virtus Mariæ adeò congenita & connaturalis extitit, ut Thumaturgus de illa ſcribat, [Orat. 2.] quod ab ipſa *virtutes virgines denominantur:* ab utero etenim matris ſuæ virtutes & gratiam ſecum attulit, id quod de nulla alia creatura verificari poteſt, ſiquidem prius ipſa ſancta, quam nata dici potuit. S. Antoninus verba illa Sapientis: [P. 4. tit. 15 c. 6. §. 16.] *Flores mei fructus honoris & honeſtatis,* benè conſiderans, quærit, quodſi fuere flores, qua igitur ratione fructus denominari poterant? Et reſpondet: *Flores ſunt inchoationes fructuum, ubi ergo in aliis Sanctis virtutes ſunt, quaſi flores, imperfecta & incompleta reſpectu virtutum patriæ, in ea & fuerunt iſti flores fructus, quia virtutes habuit quaſi ad modum patriæ aliquo modo:* Et exponens illa verba: *Emiſſiones tuæ Paradiſus,* dicit: *Emiſſiones dicuntur operationes ex ventre mentis procedentes, iſta fuerunt Paradiſus, quaſi ſimiles operibus eorum, qui ſunt in Paradiſo adeò perfecta fuerunt.* Trita prorſus ſunt illa S. Ambroſii verba: *Sit nobis tanquam in imagine deſcripta vita Mariæ, de qua velut ex ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis & forma virtutis.* [Ho. ſuper Miſſus eſt.] S. Eucherius dicit, quod Angelus Verbi futuram ex ipſa incarnationem annuntians, ipſam nequaquam ſolam invenerit; *nec tamen ſola tantu virtutum exercita circumſcripta.* [Judocus Clic. ſer. 4. de Nat.] Alius quoque Author nobilitatis ejus excellentiam ex eo populo, unde ſuam habuit progeniem, egregiè deducit, dicens: *Radicavit in populo honorificatu, apud enim ſulum illum populum, in quo magnopere honorificatu radicata eſt, unius Dei cultus obſervabatur, omnibus aliis populis ad idolorum ſpurcitiam prolapſis; ibi vera virtus ſuos habet numeros; vera religio ſuos habet ritus, cæremonias, & ſacrificia.*

De variis motivis lætitiæ totius univerſi in Nativitate Virginis Mariæ.

DISCURSUS NONUS.

Nativitas tua Dei Genitrix Virgo gaudium annuntiavit univerſo mundo.

1 B. Petrus Damianus nos in hoc fortunatiſſimo die inviat, ut propter diem Natalem beatiſſimæ Virginis impensè gaudeamus, idque adhibito hoc valdè conſiderabili motivo, quia ſcilicet hæc ſolemnitas hodierna cauſa eſt & origo omnium aliorum feſtorum quæ celebrantur per annum in ſancta DEI Eccleſia: *Exultemus igitur in hac die, in qua dum beatiſſimæ veneramur Virginis ortum, cunctarum etiam novi Teſtamenti feſtivitatum celebramus initium.* Ratio autem illius eſſe poteſt, quia per ejus Nativitatem omnes renaſcimur ad vitam immortalem: *Hodie nata eſt illa, per quam omnes renaſcimur:* Natales Sanctorum qui per totius anni decurſum in Eccleſia celebrantur, omnes ſuam ab hiſce natalibus trahunt originem, ſiquidem Virgo Deipara viva fuit ſanctitatis in cunctis aliis ſcaturigo, eò quod ſine ipſa nulla penitus participetur gratia, cum illa ſola aperuerit Paradiſum; Agedum igitur, inquit Sanctus: *Quæ cunctis Solemnitatibus eſt antiquior tempore, nequaquam eſſe debet inferior dignitate.* Legatur obſecro, inquit idem Sanctus, & mente recolatur exultatio illa & gaudium, quocum olim à Salomone templum dedicatum fuit, indeque quælibet fidelis anima efficax colligat jubili motivum, cùm enim hodie templum quoddam conſecretur non ex lapidibus ligniſque erectum, ſed vivum quoddam Sanctuarium, in quod Majeſtas Altiſſimi viſibiliter & corporaliter deſcendit: *Quale quantumque gaudium Beatæ Mariæ Nativitas populo Chriſtiano debet afferre, in cujus uterum, velut revera ſacratiſſimum templum, Deus ipſe deſcendens, & humanam naturam ex ea ſuſcipere, & cum hominibus dignatus eſt viſibiliter habitare.* Deus ille, qui in ſuperna cœlorum ſede clauſus, & à facie terræ abſcon-

ſconditus latebat, ideoque vix à parvulo quodam Judææ angulo agnoſcebatur: *Notus in Judæa Deus*, ille idem hodie per Mariæ Nativitatem toti mundo ſe cognoſcendum præbet; & quia antea humanis oculis inviſibilis erat: *Non videbit me homo*: *Regi ſæculorum immortali inviſibili, ſoli Deo*, (Baruc. 3. 38) de eo hodie poſtquam Virgo naſcitur, illud invenimus adimpletum eſſe oraculum: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt* Sanctæ Brigittæ a Deo revelatum fuit, quod tametſi ardentiſſimus DEI noſtri amor & charitas in cunctis cœlis egregiè ſcintillarit, indeque indicibilis gaudii jubilus ipſis quoque Angelis cauſatus fuerit, (ſiquidem per illam charitatem non ſolum de negotio redemptionis humanæ, verùm etiam de reſtauratione Angelica agebatur) *ex hoc tamen humano generi redemptio ſecundum æternam Dei providentiam venire non poterat, antequam Maria eſſet genita, in qua tam fervens charitatis ignis accendi debebat*, ac proinde Sancti omnes Nativitati ejus jure meritiſſimo applaudunt, videlicet videntes divinarum promiſſionum adimpletionem, noſtramque tot ſæculis deſideratam, totque ſuſpiriis & votis expetitam redemptionem adeò nobis eſſe vicinam; unde S. Joannes (Orat. 1. de Nativ.) Damaſcenus ait: *Voluptatem ferre nequeo, vincor miraculis, lymphatum me reddit affectus; vincat cupiditas, cedat metus, canet in cithara ſpiritus; lætentur cœli & exultet terra, hodierno die ſteriles portæ aperiuntur, & virginea ac divina janua prodit, ex qua, & per quam DEUS in orbem terrarum corporaliter introivit*. Profectò exceſſivi jubili motivum eſt, non ſolùm natales videre beatæ Virginis, verùm etiam filii Dei in hanc terram adventum; vix enim ſancta hodie nata infantula in cunis apparet, cùm tamen protinus tenellam hanc puellulam faſciis etiamnum obvolutam, tanquam Altiſſimi Genitricem hunc in modum veneramur: *Nativitas tua DEI Genitrix Virgo*; *ſalve ſancta parens enixa puerpera Regem, qui cœlum terramque regit*, Ita enim hodie in Miſſæ introitu pariter cecinimus.

2 *Gaudium annuntiavit univerſo mundo*. Mundus tempore natæ Virginis adeò denſis immerſus erat tenebris, ut Ægyptiis ſimiles eſſe viderentur, & quales fuerunt illæ Pharaonis, qui dicebat: *Neſcio Dominum*; quodſi enim oculos veſtros per ſæcula anteriora & præterita in terram deflexeritis, invenietis utique omnes falſa adoraſſe idolorum ſimulachra, ſolo excepto Iſraelitico populo, ſed & hic ſe adverſus DEUM rebellem exhibuit, eumque agnoſcere noluit ut Dominum; unde dicit Iſaias: (Iſa. 1.) *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit*. Veruntamen, benedictus Deus, hodie *Nativitas tua gaudium annuntiavit univerſo mundo*, ſiquidem *nova lux oriri viſa eſt*, quando nobis lux Mariæ illuxit, *Mulier amicta Sole*, diſſipatæ ſunt omnes tenebræ idololatriæ, aperti ſunt mortalium oculi, & in illam lucem directi, quæ *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. David in Pſalm. 37. in ſpiritu prophetico de cœleſtis hujus infantulæ Nativitate ſub ſymbolo Civitatis DEI tractat, dicens: *Fundatur exultatione univerſæ terræ, DEUS in domibus ejus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam*; tunc enim DEUS ſe tanquam verum Deum agnoſci, recipi, & adorari fecit, quando uteri illius virginalis eſt ingreſſus hoſpitium, cujus hodie dici poteſt, accepiſſe poſſeſſionem. *Dum quietum ſilentium contineret omnia*, (Sap. 18. 14.) *& nox in ſuo curſu medium iter haberet*. Proh quantum quamque diuturnum fuit illud ab omnibus & ſingulis mortalibus per quinque annorum millia maximè à laudibus & benedictionibus Dei ſervatum ſilentium! S. Bernardus ait: *Angelus non loquebatur amplius homini*, (Ser. de Adventu.) *Patriarcha defecerat, deerat Propheta, Sacerdos avaritiæ ſtudebat, Dux non inveniebatur, quando venit Dominus, erat enim Dominus non ſolum parvulus, ſed ferè nullus in conſpectu hominum, quia defecerat laus ejus quaſi totaliter, laudabantur idola, non verus Deus* Virgo beatiſſima autem ipſa ſola fuit, quæ poſt tam diuturnum à Divinis laudibus decantandis ſervatum ſilentium, ſuam in Divinas laudes pronuntiandas linguam laxavit, dum ait: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*; quas eaſdem laudes demum proſecuti ſunt S. Eliſabeth, S. Joannes Baptiſta, & S. Zacharias, omneſque alii deinceps, adeo ut hodie adimpleatur, quod *à Solis ortu uſque ad occaſum laudabile ſit nomen Domini*.

Manſi Prompt.

3 *Gaudium annuntiavit univerſo mundo*. Porrò genus humanum à crudeli Pharaonis infernalis tyrannide adeò opprimebatur, ut ipſos quoque filios ſuos eidem in ſacrificium & holocauſtum offerre cogerentur: *Immolaverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmoniis diis quos ignorabant*; Beatiſſima Virgo autem caput hujus ſerpentis, & draconis peſtilentialis potenter contrivit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilavi te amica mea*, (Cant. 1. 8.) inquit Spiritus ſanctus per os Salomonis in Canticis. At verò dic ſodes, qualesnam erant hæ turmæ militares equeſtres, quas populus Dei ex Ægypto recedens in ſui adjutorium paratas habebat? Neque enim veriſimile eſt, quòd ſe in regno illo, ubi adeo oppreſſus degebat, ſeſe armare potuerit, maximè armatura tam exquiſita qualis eſt equeſtris. Rupertus Abbas Tuitienſis per armaturam hanc virgam Moyſis intelligit, qua mediante equites pariter & pedites proſtravit, vicitque Phraonem: *Currus Phraonis valde multi fuerunt ferro armati, equitatus autem meus virga una fuit; magnum ſpectaculum reſpicienti ex una parte currus Pharaonis, & ex altera parte equitatum meum in unica virga*, & quot non patravit hæc virga alia prodigioſiſſima miracula? Dubium autem nemini eſſe poteſt, quin virga hæc expreſſa Virginis figura fuerit: *Egredietur virga de radice Jeſſe*; hæc etenim Pharaonem infernalem proſtravit ac debellavit, & vicit Infernum. Unde beatus Petrus Damianus ait? *Hæc eſt virga illa, qua retunduntur impetus adverſantium Dæmoniorum, virga per quam fiunt ſigna & mirabilia*. (Ser. de Aſſumpt.)

4 *Gaudium annuntiavit univerſo mundo*. Gaudium (Hom. 47.) iſtud ad ipſos quoque Angelorum in cœlis commorantes exercitus transfuſum fuit. Unde idem Damianus ait: *Per hanc beatiſſimam Virginem non ſolum amiſſa olim vita hominibus redditur, ſed etiam beatitudo Angelicæ ſublimitatis augetur, quia dum homo ad ſuperna reducitur, illorum numerus, qui diminutus fuerat, reparatur*. Nonnulli quo ad hanc feliciſſimam Virginis Nativitatem devotè meditantur, quod ſicut Angeli ad venerandam Verbi Nativitatem ſeſe reverenter & venerabundè proſtrarunt, juxta illud Apoſtoli hac de re editum teſtimonium: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei*. (Heb. 1. 6.) Pari quoque reverentia Nativitatem beatæ Virginis Mariæ matris Dei & Reginæ ipſorum, poſtquam hæc iis revelata eſt, fuerunt proſecuti. Refert Vincentius Bellovicenſis de quodam ſolitario magnæ ſanctitatis viro, cum quovis anno in hac nocte quandam audiviſſe ſuaviſſimam muſicam, (Spec. Hiſtorial. lib. c. 65. lib. 7. ans 9.) unde obſtupefactus, DEUM ut ſibi muſicæ illius myſterium aperiret, inſtanter rogavit, cum ecce apparens ei Angelus quidam dixit: *Virgo perpetua, quæ Deum genuit, hac nocte nata eſt, quod licet ab hominibus ignoretur, ab Angelis celebre habetur*, ſcribuntque aliqui, quod poſtquam revelatio hæc paſſim divulgata in Pontificis quoque veniſſet notitiam, tandem decretum fuerit, ut Nativitas Mariæ deinceps majori cum ſolemnitate celebraretur. *Gaudium eſt coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; inquit beatiſſimæ Virginis filius; unde facili argumento concludi poteſt jubilus & gaudium infinitum, quibus perfuſæ fuerunt Hierarchiæ Angelicæ in Nativitate Virginis, quæ peccatorum futura erat refugium, cujuſque opera ad pœnitentiam reducendæ erant innumerabiles animæ, quibus civium cœleſtis Jeruſalem numerus mirè adaugendus, Angelorumque ſedes vacuæ readimplendæ erant.

5 *Gaudium annuntiavit univerſo mundo*, Beatus Petrus Damianus ait? *Hodie nata eſt regina mundi, feneſtra cœli, janua Paradiſi, Tabernacula DEI, Stella maris, ſcala cœleſtis, per quam ſupremus Rex humiliatus ad ima deſcendit; & homo, qui proſtratus jacebat, ad ſuprema exaltatus aſcendit*; quibus in verbis vel maximè conſideranda ſunt duo illa epitheta, quibus tum porta, tum feneſtra cœli appellatur. Porrò per feneſtram ut plurimum domos ingredi latrones ſolent, per portam verò tum Domini & Patroni domuum, tum cæteri earundem domeſtici intrant, ac proinde utroque hoc titulo inſinuatur, quod Mariæ in-

terceſſione non ſolùm juſti, ſed & peccatores ſalutem ſuam aſſequantur. Veruntamen adhuc nimis parum de ea dixit, dum eam cœli portam vocavit, ſiquidem inſuper de ea certò quodammodo dici potuit, quod per ejus Nativitatem cœlum ipſum ſtatione ſua relicta in terram deſcendiſſe videatur, quippe cui ſponſus ejus, id eſt, ſpiritus ſanctus dixit: *Emiſſiones tua Paradiſus*. Sanctus quoque Joannes Damaſcenus de ejus Genitoribus ita ſcribit: *O beatum ventrem, qui vivum cælum cælis ipſis latius peperit*; etenim in cœlo aurora, Sol, Luna, Stellæ promicant, & de ipſa Eccleſia canit, *quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, & in capite ejus corona Stellarum*. Idem quoque Damaſcenus iterum de illa ſic loquitur: *Hodie ex terrena natura cælum in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum extulerat, ac ſanè hoc illo longè divinius eſt, nam qui in illo ſolem effecerat, ex hoc juſtitiæ Sol ortus eſt*. Albertus Magnus ad idem propoſitum quærit, qua ratione Deus in utero Virginali recludi, & cœli Empyrei amplitudo in obſcuri illius carceris anguſtias, ubi ei Angelicorum exercituum deerant obſequia, transmutari potuerit? & reſpondet: *Dominus quando deſcendit, non ſine cælorum regno fuit, ſed cælos cælorum, imo Regem cælorum ſecum traxit*. Id quod S. Ambroſius confirmat, ita ſcribens: *Non tam mutaſſe videtur ſedem Dei filius, quam transtuliſſe*.

Orat. 1. de Nat.

Ho. ſuper miſſus eſt c. 36.

In Apol. David c. 1 a Joan. 16.

6 *Gaudium annuntiavit*. Sanctus Joannes Evangeliſta ſcribit quandam ipſiuſmet Sapientiæ increatæ parabolam, nimirum quod mulier poſt ſuperatos partus dolores tanta perfundatur gaudii abundantia, ut omnem exinde deponat tormentorum præteritorum memoriam: *Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum*. Circa quam parabolam Alcuinus ait: *Mulier iſta eſt Eccleſia*; hæc autem hodie omnium ærumnarum, afflictionum & adverſitatum per quinque annorum millia perpeſſarum deponit memoriam, eo quod in lucem prodire videat Genitricem Dei illius, de qua ſcribitur: *Et homo factus eſt*, & de quo Pſalmiſta prædixerat: *Homo natus eſt in ea*, idque vel maximè quia probè novit quod homo iſte, ad hominem redimendum & ſalvandum in lucem prodiit: *Propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis; & incarnatus eſt de ſpiritu Sancto ex Maria Virgine; Et homo factus eſt*. Imò Deus ipſe in hac virginis Nativitate impensè gaviſus quoque eſt, prouti Oſorius optimè hiſce verbis ponderat: *Lætatur primum Deus, vel ut ſolet artifex gaudere, cum perfecit opus optimum, quod illi maximè placet; condito hoc univerſo requievit Dominus die ſeptimo, quo loco verbum Hebræum ſignificat Gaviſus eſt*; quod cum ita ſe habeat, multo facilius credere poſſumus Deum gaviſum fuiſſe naſcente in hunc mundum magna ſua matre, quæ de hoc creatore pariter & filio ſuo dicit: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*.

Conc. 1. de Nat.

Explicantur myſteria aliquot, ob quæ S. mater Eccleſia B. Virginem, mox ut nata eſt, nobis videndam præbeat ut matrem.

DISCURSUS DECIMUS.

De qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus.

QUis in hac ſolemnitate Nativitatis Mariæ non admiretur & obſtupeſcat, dum ex una parte infantulam quandam ante pauculas horas ex matris utero egreſſam ſpectat, ex altera verò parte eandem à toto Chriſtianiſmo ut matrem & Genitricem altiſſimi Dei agnoſci & adorari videt? etenim Eccleſia non moratur, nec differt eam velut matrem Dei agnoſcere, donec verba illa protulerit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*: ſed hodie eidem faſciis etiamnum involutæ non ſolum ſublimiſſimam illam matris Dei dignitatem auguratur, ſed potius eandem actualiter celebrat & adorat, ut matrem divinis partus ſui amplexibus obſtrictam; non enim dicit Evangelium: *De qua naſciturus eſt Jeſus*, ſed *de qua natus eſt*. In introitu Miſſæ quoque videri potuiſſet aptius factura Eccleſia, ſi illum hiſce verbis inſtituiſſet: *Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes ſub honore B. Mariæ Virginis, de cujus Nativitate gaudent Angeli*: Id tamen eidem facere neutiquam placuit, ſed potius hiſce verbis illum canit. *Salve ſancta parens enixa puerpera Regem, qui cælum terramque regit in ſæcula ſæculorum*; non dicit quod ipſum paritura ſit, ſed quod ipſum de facto hodie in lucem ediderit. De ſancto quidem Joanne Baptiſta olim vicini dicebant: *Quis putas puer iſte erit in tempore futuro*; at verò de B. Virgine Eccleſia pleno ore canit, quod *Genitricis dignitatem obtinuit*, & in Antiphona ad Magnificat: *Ex te ortus eſt Sol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter*. Quodnam igitur in eo latet myſterium, quod Eccleſia B. Virginem etiam dum adhuc infans eſt, veneretur ut matrem, licèt in immaculatis ejus viſceribus Incarnatio verbi nondum ſit conſummata? myſterium iſtud in hoc diſcurſu breviter expediemus.

2 Ad dubium iſtud aliud reſponderi nequit, præterquam verba illa, quæ ab ipſa ſæpenumero replicat; nimirum *ab initio & ante ſæcula creata ſum*. B. Petrus Damianus ait: *Qui antequam naſceretur, talem creavit eam, ut ipſe dignè naſci potuiſſet ex ea, de qua Propheta David multo ante prædixerat: Mater Syon dicet homo & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus; Creatus eſt ex ea, quam creavit*. Sergius Hieropolitanus author Græcus à P. Caniſio citatus, dum in hoc feſtum ſcribit, unumquemque ad congaudendum invitat hiſce verbis: *Venite fideles omnes, curſu quodam ad virginem contendamus, en illa naſcitur, quæ antequam naſceretur Dei mater futura deſignata eſt*. Nicephorus pariter ab eodem Authore citatus de Maria ſcribit: *Inventa eſt B. V. Maria dignum, Deumque decens verbi domicilium, etiam ante Nativitatem Deo conſecrata*. Etenim increata hæc ſapientia in matrem ſuam *ab æterno* elegit, unde non ſine myſterio, titulus ille *ſedes ſapientiæ* ei adſcribitur, ſuitque ſublimis illa dignitas ei collata priuſquam in genitorum ſuorum utero eſſet concepta, imò priuſquam cœli & terra eſſe ſuum ab omnipotenti Dei manu acciperent: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret, à principio ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret*. Dies natalitius B. Virginis in tantum hodie ab Eccleſia ſolemnizatur, non ſolum quia ipſa hodie à materno utero egreſſa fuit, verum etiam quia longè ante, ab æternitate videlicet, per decretum divinum in ſupremo ſanctiſſimæ Triados conſiſtorio conditum, ſuum in divina mente ortum habuit, de quo ortu intelligenda ſunt verba illa Davidis. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum, ex utero ante luciferum genui te*. Etenim tametſi multi ſancti Patres Textum illum de æterna ejuſdem Verbi generatione interpretati fuerint, nihilominus ſanctus Juſtinus Martyr, Tertullianus, Heſichius, & S. Auguſtinus illum de ejuſdem Verbi ex utero virginali facti generatione etiam exponunt: Lyranus juxta verſionem aliorum legit; *De matrice aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ*, intelligendo per auroram, beatiſſimam Virginem; alii legunt: *ab aurora*, alii: *præ aurora*, denique alii *ante auroram*.

Pſ. 109.

3 Verùm inquies, ex quo textus Evangelicus expreſsè dicat, *de qua natus eſt Jeſus*, quomodo igitur ante B. Virginem natus fuiſſe dici poterit? ad hoc igitur reſponderi quidem poteſt, quod ſicut aurora licèt Solem præcurrat, hic tamen aurora anterior & prior eſt, utpotè, quæ ejuſdem ſolis effectus eſt, ad eundem quoque modum dicere poſſumus, Verbum ante Mariam matrem ſuam genitum fuiſſe, quia Verbum prius Matris ſuæ creator & pater extitit quam Redemptor & filius ejus fieret, nihilominus certo quodammodo aſſerere poſſumus, quod tam Mariæ quam Verbi natales coæterni quaſi fuerint, ſiquidem Maria quoque dicit: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum*. In cujus confirmationem optimè ſervit celeberrimus ille titulus, quo B. Virgo Maria à S. Bernardo; nec à S. Chryſologo vocatur *Negotium omnium ſæculorum*. Graviſſimum maximèque arduum negotium, quod unquam in omnibus ſæculis à primo die, quo conditus eſt mundus, tractum eſt; fuit

Serm. 2. Pent.

poſtu-

postulatio, & summo cum cordis desiderio expectatio Nativitatis B. Virginis in carnem, hanc certatim suspirabant Angeli & homines, cœlum & terra. Et quidem Eva prima fuit, quæ illam nobis aliqua saltem ex parte adumbravit, dum appellatur: *Mater cunctorum viventium; ò Dei digna filia*, inquit S. Joannes Damascenus, [Orat. de Nat.] *humanæ naturæ venustas, & primogeniæ Evæ correctio, mulierum ornamentum. Certabant inter se sæcula quodnam ortu suo gloriaretur;* quot in veteri Testamento figuræ fuerunt, quibus Nativitas B. Virginis in hunc modum expressa & delineata fuit? S. Bernardus ait: [Ser.' super Magnificat.] *Patribus cœlitus repromissa, mysticis oraculis præfigurata, oraculis propheticis prænuntiata, hanc sacerdotalis virga, dum sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus, dum in medio sicca area maduit; hanc in Ezechielis visione Orientalis p... , quæ nulli unquam patuit, præsignabat; hanc denique præ cæteris Isaias nunc virgam de radice Jesse orituram promittebat, nunc evidentius virginem parituram prænuntiavit*, adeoque tot præterita sæcula, ante omnes Patriarchas, Prophetas, omnesque alios à Deo illuminatos sanctos, priusquam à suis Genitoribus concepta, nedum nata esset, illam venerata sunt, & tanquam verum Dei patrem humillime & sublimissimè salutarunt. P. Canisius de Nativitate Virginis tractans scribit, quod tametsi hic dies nos ad sui solemnitatem præcipuè propter virginis partum invitet, nihilominus nos *ad sublimiorem & nobis penè incomprehensibilem electionem ac prædestinationem contemplandam excitat, quomodo hæc ipsa Dei mater inde ab æterno in mente & præordinatione divina vel nata vel prædestinata, & præ sanctis aliis electa, dilecta, & ornata, omnique virtute & gratia repleta fuerit, adeo ut in orbem edita verissimè diceret: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.*

4. Notandus est valdè specialiter modus ille loquendi, quo S. Matthæus post delineatam nobis Salvatoris Genealogiam utitur, postquam enim omnes Salvatoris progenitores recensuisset, priusquam ad alia enarranda progrederetur, dicit in tempore præterito imperfecto. [Matt. 1. 16.] *Christi autem generatio sic erat* & immediatè subjungit: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Dicere etenim quis posset, videri expedientius Evangelistam locuturum fuisse, si dixisset, *Christi autem generatio sic fuit*, non verò *sic erat*. Responderi posset, ad fuisse Evangelistam, quia voluit nos docere modum, quo filius Dei in Maria nasceretur, id est, opera Spiritus sancti. Veruntamen responsio hæc non satisfacit, quia etiamnum dubium remanet, scilicet cur Evangelista dicat: *sic erat enim*, non verò sic fuit, cum tamen dicendo, sic fuit, nihilominus conceptionem Christi opera Spiritus sancti non verò Virilis seminis fieri explicare potuisset? Respondeo igitur hoc loquendi modo Evangelistam usum fuisse, ut nos exinde intelligeremus, quod priusquam ex Maria nasceretur in tempore, jam dudum ante, ab æterno scilicet, erat etiam tanquam natus in Maria ex Matre, tametsi ab ea nondum in carne genitus esset. Undè Chrysologus ait: [Serm 145.] *Cum esset desponsata mater ejus Maria, virginitate sponsa, fœcunditate mater, mater viri nescia, partus conscia, aut quomodo non ante conceptum mater, quæ post partum virgo? Mater aut genitrix quando non, quæ sæculorum generavit auctorem? emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum.* Cujus sententiæ ultima verba ipsi in ordine ad Nativitatem ejus adaptantur; at verò quidnam mysterii in hisce malis granatis reclusum delitescit? advertendum est igitur, quod malum granatum Rex veluti aliorum fructuum jure dici possit, in cujus signum coronam gerit in vertice, neque natura in ordine ad dandum illi hoc diadema tempus illud præstolatur, quo fructum protulit, sed eo quoque redimitus est mali granati vertex, dum pomum illud etiamnum flores ait. Ecce igitur tibi hac in re occultè latens mysterium ingens, B. Virgo eo tempore quo nascitur, dicitur similis alicui malo granato, ad denotandum quod Deus electurus illam in matrem suam, & consequenter ad designandam ipsam cœli Imperatricem expectare nequaquam voluerit, donec misso ad ipsam Archangelo responderet. *Fiat mihi secundum verbum tuum* sed potius ipsam ante omnia sæcula in matrem elegerit: *Ab æterno ordinata sum.*

Mansi Promp.

5. Archangelus Gabriel Incarnationis filii Dei mysterium aliquatenus explicaturus eidem inter cætera dixit: *Concipies in utero*, circa quæ verba protinus dubium aliquod nascitur, nimirum, quid opus fuerit Deiparæ specificare quo in loco Dei filium conceptura esset? quis enim filios à matre in utero portari nescit? veruntamen idipsum in Maria expresse specificari opus omninò erat, cum enim illum jamdudum, & à tanto tempore in mente & corde suo portasset, jamque tempus illud præsto esset quo ipsum in carne in utero suo virginali conceptura erat, merito dicitur ei: *Concipies in utero, & paries filium*, ex quo enim ipsi in utero materno etiamnum delitescenti acceleratus fuerit perfectissimus rationis usus, jam dudum divinum hoc verbum in sua conceperat mente.

6 Mente vestra, si ita placet, recolatis nonnihil illam in primis vesperis ad Magnificat designatam Antiphonam, in qua uno eodemque tempore, quo virginis intemeratæ Nativitas annuntiatur, de filii quoque incarnatione postea immediate veluti eam subsequente de facto in ipsa consummata & perfecta fit mentio: *Gloriosæ Virginis Mariæ ortum dignissimum recolamus, cujus Dominus humilitatem respexit, quæ Angelo nuntiante concepit Salvatorem mundi.*

7 Verùm enimverò celeberrimum maximèque perspicuum quod de hac veritate in Sacra Scriptura habemus oraculum, est illud Isaiæ omnibus notissimum, scilicet: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*; [Isa. 11. 1.] In quibus verbis Mariæ, necnon & ex purissimo ipsius ventre Filii ejus futura Nativitas prædicitur. Audite autem quas super hunc textum invenerim varias observationes: *Egredietur Virga de radice Jesse*, quod quidem de progenie & stirpe Davidica intelligitur, veruntamen per hanc radicem ipsemet etiam Christus potest intelligi, utpote qui in Apocalypsi *Radix, David* denominatur? sicut & in Isaiæ eodem capite, simili prorsus nomine appellatur *Radix David, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur*. [Apoc 5. 5. Isa. 11. 10.] Ecce igitur tibi qualiter virga hæc, quæ ab radice progerminatur, id est, beata Virgo sit partus & filia radicis hujus ante filium; ab hac autem virga posteà flos ille procedit, qui de semetipso ait; *Ego sum flos campi*: ac proindè in Ecclesia Dei canimus: *Tu quæ genuisti natura mirante tuum sanctum genitorem*. [Hom 3. de laud. Virg.] Unde B. Amadæus hunc Isaiæ textum exponens in illa verba: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis*; ita subjungit: *Germen Domini in magnificentia & gloria existis, quando ortum de radice Jesse in summitate virgæ Mariæ totum effloruit, imò flos fuit*. Observandum quoque est, quòd non dicat: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de virga ascendet*; sed potiùs *de radice ascendet*; quod videri cuipiam posset præter ordinem naturæ dictum. Et ratio dubitandi est, quia flores non directè à radice arboris procedunt, sed à ramis illius. Meliùs quoque processura fuisset similitudo, quia Christus non immediatè ex Jesse vel David, sed ex B. Virgine per virgam figurata, nascitur. Nihilominùs respondetur, quòd Spiritus sanctus non sine causa per os Prophetæ dixerit: *Flos de radice ascendet*; ne fortè aliquis sibi falsò persuaderet, quòd humanitas & corpus, quod in matris virgineo utero assumpsit, de cœlo dilapsum fuisset. Undè optimè S. Bernardus ait: [Serm 2. de Annunt.] *Et undè virgam, indè florem originem duxisse demonstraret*. Etenim per radicem Jesse Mariæ pariter & Christi filii ejus in Evangelio descripta, secundum carnem genealogia intelligitur, quæ utræque suam hic in terris, non verò in cœlo habuerint originem: *Indè igitur sumpta caro, undè orta virgo; nec nova in Virgine quæ prodiit ex radice.* Germen quoque flores à radice, undè virga quoq; processerat, erupit, ad hoc ut nullus unquam de Maria formaretur conceptus, qui à Christo sejunctus aut separatus esset. Similiter sicut flos radici conjunctus adhærescit, nec ab illa unquam recedit, ita quoque Verbum incarnatum ante natam Virginem & ab æterno nunquam considerari potest quin illud quoq; sinui magnæ Matris suæ videatur per amplexus adstrictum: *Genitrix quando non quæ sæculorum generavit auctorem.* Et S. Anselmus ait: *Maria ante constitutionem mundi est ante omnem creaturam salubriter prædestinata & præordinata; sed procedente tempore secundum eandem dispositionem in solatium mundi nata.* [L. de concept. Virg.]

8 Optimè Chrysostomus modum illum loquendi observat ab Angelo pro eodem tempore observatum, quando

Hom. 2. in Matth. Josepho apparens eundem in somnis monuit dicens: *Accipe puerum & matrem ejus*; & propositæ à semetipso quæstioni, cur scilicet matrem primo loco non posuerit? respondet: *Ideo non dixit, accipe matrem & puerum ejus sed accipe puerum & matrem ejus; quia non propter illam matrem iste filius natus est, sed propter illum filium illa præparata est mater*. Ubi notanda est hujus dictionis *præparata*, significatio; siquidem *ab æterno ordinata erat, & ex antiquis antequam terra fieret; nondum erant abyssi, & jam concepta erat*.

Cur in sacra Scriptura nulla Nativitatis, virtutum, miraculorum, aliorumque heroicorum operum B. V. Mariæ fiat mentio.

DISCURSUS UNDECIMUS.

De qua natus est Jesus qui vocatur Christus.

1 QUænam, obsecro causa, est, quod cùm Spiritus sanctus utpotè Mariæ sponsus, directorque sanctæ Ecclesiæ, eandem ad celebrandum tanta cum solemnitate præsens festum permoverit, ex altera tamen parte, nec in Evangelio, nec in Epistola nec in toto Missæ decursu, aut reliquo officio divino ulla fiat sive de ejus progenitoribus, sive de Nazareth Virginis patria, sive de natalium Marianorum toti universo adeò celebrium, & tam cœlo quàm terræ maximè salutarium tempore aut aliis circumstantiis vel minima mentio? S. Matthæus in genealogia, quam in suo Evangelio accuratissime descripsit, postquam omnes alios stirpis Davidicæ ascendentes progenitores enumerasset, mox ut dicendi ordine ad B. Virginem pervenit, stylum suum mutat, & suppressa omni proximorum progenitorum illius notitia, nihil aliud de ipsa dicit, præterquam: *De qua natus est Jesus qui vocatur Christus*. Porrò B. Petrus Damiani optimè notat omissionem hanc suo non (Hom. 47. de Nat. V.) caruisse mysterio; undè ait: *Si huic notitiæ utilitatem inesse cognosceret, nequaquam nobilis Historicus rem necessariam silentio præteriret; aliquando in sacra Scriptura certi causa mysterii aliquid prætermittitur, ut ipso quasi clamante silentio magnum aliquid sentiatur*. In cujus confirmationem Melchisedech exemplum adducit, qui sine patre & matre describitur. Cæterùm causas hujus ab Evangelistis usurpati silentii sequentes fuisse omninò existimo.

2 Et primò quidem voluit Spiritus sanctus, ut formantes penes nosipsos aliquem de B. Virgine conceptum, ipsam tanquam creaturam de cœlo potiùs descendentem, quàm in terra genitam apprehenderemus; & jure meritissimo: siquidem excepto solo usu naturali corporis, quo concipimur & generamur; in reliquo quod innocentiam, puritatem, gratias & merita illius attinet quoad illa fuit creatura prorsus cœlestis. Quòd si eum, cui Christus B Virginem post suam in cruce mortem superatam commendatam esse voluit, de qualitate B. Virginis requisieritimus, dicit is nobis: *Signum magnum apparuit in cœlo*. Quòdsi de eadem Spiritum sanctum interrogaveritis, hic vobis in variis sacræ Scripturæ locis eam paradisum quendam fuisse dicit *Emissiones tuæ paradisus*. Item quod sit Soli persimilis: *Electa ut Sol*. Denique quòd in ejus ventre beatitudo quædam lateat: *Beatus venter*: & sic de reliquis per ordinem discurrere fas erit. Et quidem tametsi verum sit ipsam natam fuisse in terra, ipsos tamen cœlos excellentia ejus in stuporem rapit & admirationem, è quo promanant voces istæ clamantium Angelorum: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Salomonem quidem sapientissimum, ditissimum & potentissimum fuisse constat; attamen idem de (Eccl. 7. 3.) semetipso perspicuis verbis dicit: *Ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans*; at verò in Nativitate Mariæ Virginis, prouti jam diximus: *Nova lux ori-* (Esther. 8. 16.) *ri visa est, & gaudium, honor, & tripudium*. De ea dicitur quòd *ascendit*; non tamen antiquæ maledictionis spinis circumdata, qua aliàs communis humani generis massa contaminata erat; sed cincta rosis, *deliciis affluens*, ac si nullum ipsi in prævaricatione Evæ, aut cum massa hominum damnata intercederet negotium. Sacri etiam Chronistæ quando in Evangeliis de ipsa loquuntur eo modo de ipsa scribunt, ac si nihil ipsi cum hac nostra mortali natura commune esset, ideoque nullam penitùs genitorum ejus, vel temporis, aut loci nativitatis ipsius, vel ætatis, aut infantiæ, aut præsentationis ejus in templum, vel aliarum quarumcunque rerum faciunt mentionem, quæ aliàs judicari potuissent in nostram notitiam deduci omnino debere. Unde Gerson versiculum illum: *Ego dixi Dii estis*, explicans dicit: *Adeo* (Ser. de nativ. Mariæ) *quidem Maria fuit divina, ut ea, quæ de Sapientia increata scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad Mariam, ut & illud: Ab initio & ante sæcula creata sum*.

3 Verùm enimverò considerandum est, certum esse quòd S. Matthæus, dum illam Matrem Dei fuisse dicit: *De qua natus est Jesus*, tantam de illa excellentia exprimat, ut hæc sola pro subjecto omnium laudum & encomiorum quantumvis sublimium, quæ ei attribui possunt, abundè sufficiat. Legati illi, qui ad Philippum Macedonum Monarcham missi fuerant, prædicti Regis gloriam & excellentiam deprædicarunt, paucis verbis rem totam confecerunt dicendo: *Sufficit te filium habuisse Alexandrum*; ita quoque in præsenti, ut adæquatum de sanctitate & præ eminentia beatissimæ Virginis faciamus conceptum, non est opus ut ad particularia descendamus, agendo vel de ejus conceptione, quę sine originali macula absoluta fuit; vel de genitoribus ipsius sterilibus, deque vita ejus sanctissima, vel de universali è Nativitate ipsius exsurgente jubilo, vel de angelica ipsius infantia, vel de aliis similibus vitæ ejus cœlestis potiùs quàm humanæ circumstantiis; sed hoc unicum dixisse sufficiat, scilicet B. Virginem Mariam eam esse *De qua natus est Jesus*.

4 Qui in terram promissionis velut exploratores illius missi fuerant, ut populum Israeliticum in aliquam deducerent fœcunditatis regionis illius notitiam, secum è regione illa non eduxerunt & asportarunt aurum, argentum, gemmas, & monilia pretiosa, aut senem aliquem virum vegetum omninò & prosperrimè valentem; hæc enim omnia illis nequaquam satisfecissent, utpotè contra quæ semper aliqua dari vel adduci potuisset exceptio; sed *absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri*; hoc enim infallibile fœcunditatis terræ (Num. 13. 24.) illius signum erat, quod fallere non poterat. Eundem prorsus stylum, inquit Author quidam, Evangelista quoad beatissimæ Virginis historiam observavit: neque enim laudes, virtutes, merita & gloriam prolixius describere voluit, sed abundè horum omnium loco sufficere existimavit, si quisnam & qualis fructus esset, exprimeret; *Etenim Dominus dabit benignitatem & terra dabit fructum suum. Ego quasi vitis fructificavi* botrum uvæ *botrum Cypri De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Undè Gerson ait: *Solvitur quæstio, cur de Maria & Jose-* (Ser. de nativ. Mar. 4.) *ph præconiis, & dignitatibus, & excellentiis, virtutibus & gestis ampliora non tradit Scriptura sacra, nec enim mundus ipse caperet omnes, qui super his scribendi essent, libros: sed ex eo quòd Joseph est vir Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus, velut ex quodam principio fœcundissimo, copiosissimo, amplissimo laudum seminario habet devotè contemplantis animus, unde faciliter assurgat ad laudes quaslibet Mariæ*. Enimverò, Auditores, videor mihi nonneminem ex vobis audire dicentem, idem argumentum longè fortiùs retorqueri posse, dicendo: *Si ex eo quod Maria est mater Christi, velut ex quodam principio fœcundissimo*, quilibet facilè assurgere potest ad quaslibet Mariæ laudes; ergo etiam ex eò, quòd Christus est Mariæ filius, velut ex principio quodam fœcundissimo infinitæ Christi laudes consequuntur & tamen Evangelistæ de Christo, ejusque vita & miraculis plurima scripserunt, nihil verò de miraculis aliisque admirandis Mariæ operibus ab iisdem unquam scriptum fuit. Verùm ego respondeo, nequaquam mirum esse quod Evangelistæ Christi gesta & miracula descripserint, non item opera & gesta Mariæ virginis. Et ratio disparitatis est, quia Christus existens infinitus, immortalis; sapientia Patris, & sanctissimæ Triados secunda Persona factus est homo, & hac nostra fragilis humanitate indutus multa admiranda patravit, adeoque actiones illius capaces erant ut describerentur, non quidem tanquã actiones Dei, sed tanquam actiones hominis; at vero beata Virgo ex pura creatura ex hac vili stirpe nostra procreata, facta est vera veri Dei Mater, adeo ad inassequibile, incomprehensibile, omneq; tam Angelicæ quàm humanæ linguæ

inex-

inexplicabile dignitatis fastigium fuit evecta, factaque est adeo divina, ut parum abfuerit quin ab ipsomet Dionysio Areopagita veluti Dea quædam adorata fuisset, nisi doctrina fidei mediante fuisset prohibitus; ideoque hoc solum de illa dicere sufficit, quod vedelicet sit Mater illa, *de qua natus est Jesus*.

5 Quatuor illa animalia, quæ Ezechiel Propheta in celeberrima illa visione conspexit, quæque oculis undique plena erant, juxta communem sacrorum Interpretum expositionem quatuor Evangelistas significant, qui proindè cum adeo fuerint circumspecti & oculati, ut oculis undique pleni fuisse dicantur, sanctissimos B. Virginis genitores Joachimum & Annam, aliasque natalium ejus circumstantias, infantiam quoque ejusdem, aliaque facta ipsius excellentissima, quæ dignissima erant, ut non solum in Ecclesiæ, sed etiam in æternitatis referrentur annales, nequaquam sub silentio præteriissent; si id Ecclesiæ Dei proficuum esse censuissent: de facto autem per instinctum Spiritus sancti, qui eorum direxit calamos & Mariæ sponsus extitit, sufficere existimarunt, si solum dicerent: *De qua natus est Jesus*. Per hoc namque elogium ad eum usque dignitatis verticem pertigit, qui non plus ultra dici meretur, in quo posita Filium Dei subditum habuit, adeo ut ipsi cum æterno Patre æquè verè ac proprie dicere liceat: *Filius meus es tu ego hodie genui te*, *Hic est Filius meus dilectus*. Quando S. Petrus præelatam illam emisit fidei confessionem dicendo: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, pro ejusdem confessionis remuneratione claves regni cœlorum accepit, nihil enim altius aut excellentius de Christo dicere poterat, quam si eum Filium Dei vivi esse protestaretur; ita quoque in præsenti dicere possumus, quò scilicet omnium laudum & encomiorum beatæ virginis brevis in eo consistet, quod ipsa sit *de qua natus est Jesus*; simulque cum æterno Patre Verbo increato dicere possit: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*.

6 S. Paulus Apostolus in cœlo empyreo edoctus fuit, ibidemque *audivit arcana verba* & tamen, prouti nonnulli contemplativi observarunt, in omnibus suis Epistolis, quarum satis sunt multæ, quæque sublimissima sacræ Theologiæ mysteria in se continent, nullam fecit beatissimæ Virginis mentionem, præterquam semel duntaxat, & tunc quidem valdè obiter, dicendo. *Misit Deus Filium suum factum ex muliere*. Ubi notandum quod Apostolus ipsam mulierem appellet, nec quicquam aliud in ejus laudem edicat, non obstante quod sonora quædam Spiritus sancti tuba esset; (Gal. 4. 4.) verum tamen est quod in duobus illis verbis: *factum ex muliere* laudes B. Virginis eximiæ explicentur, quæ illi ab ullo tam angelico quam humano intellectu attribui possunt, quod scilicet fecerit, id est, genuerit Filium Dei, illum, inquam, *per quem omnia facta sunt*.

7 Acutissimus quidam scriptor valdè ingeniosè differentiam observat, qua pictor cœlum pingit, prout de die videtur, & qua idem cœlum depingit, prouti videtur de nocte. Nocturnum namque cœlum depingi solet prouti est variis lucidissimis & scintillantibus stellis, luna, planetis, aliisque luminiosis astris pulcherrime distinctum: at verò cœlo diurno depingendo sufficit, si ut sole duntaxat ornatum est, depingatur; hic enim solus cuncta alia astra minora obfuscat. Virgo Deipara animatum quoddam cœlum est, prouti alibi diximus, quæ proindè dum nobis prout Filium Dei brachiis suis stringit & amplectitur ob oculos exhibetur, *De qua natus est Jesus*, velut cœlum quoddam diurnum & serenum depingitur, & ideo mirum non est, quod lux omnium aliorum splendorum nocturnorum in ea minimè videatur. Et ideo quales actus divini amoris, aliarumque virtutum ab ea in utero materno eliciti fuerint; quales etiam postquam in hanc lucem edita fuit, exercuerit bonorum operum heroicos actus in infantia, vel in adolescentia, & deinceps per sexaginta tres annos, quibus hic in terra nobiscum vixit, id totum à radiis solaribus, id est, à solis hisce verbis: *De qua natus est Jesus*, totaliter obfuscatur.

8 Tritum est illud inter Philosophos solemne axioma: *Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; & æque bene*, ac proindè quid opus erat de meritis, donis, virtutibus, gloria, laudibus, prærogativis, miraculis, cunctisque aliis factis heroicis beatissimæ Virginis omnem humanam capacitatem, & intelligentiam angelicam indicibiliter excedentibus, immensam compilare volumina, quando ad faciendum adæquatum omnium prædictorum conceptum duobus ferè verbis dicere sufficit: *De qua natus est Jesus*? Doctor Angelicus hac de re ita scribit: (P. 1. q. 25. art. 6.) *Humanitas Christi, fruitio Dei, & beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei habens quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis*.

9 De Nerone Imperatore scribunt Historici, quod cum telam quandam auream inæstimabilis valoris gemmis pretiosissimis distinctam, phrygioque opere elaboratam fieri fecisset, eidem à Seneca dictum fuit: *Declarasti te pauperem*; quia scilicet telam hanc elaborare potuisti, & non amplius. Idem prorsus post collatam B. Virgini, utporè puræ creaturæ, Matris Dei dignitatem, Deo ipsimet dici potuit, quod scilicet præstantius quod præstare non posset, id quod ipsamet Virgo in Cantico suo confirmat dicens: *Fecit potentiam in brachio suo*. S. Bonaventura quoque ait: (In specul. 8) *Ipsa est Mater, quæ tali filio est decentissima, ipsa est Mater, cui talis filius decentissimus fuit; ipsa est qua majorem Deus facere non posset; majorem mundum posset facere Deus; majus cœlum posset facere Deus: majorem quam Matrem Dei non posset facere Deus*.

10 Enimvero quodsi quis post hæc omnia curiosus esse vellet & cupidus sciendi, cur à beata Virgine nulla legantur patrata fuisse miracula. Hic ego cum B. Petro Damiano respondeo: (In vita S. Rodulphi c. 1.) *Maria in solo partu quem edidit, omnium procul dubio Sanctorum virtutes & signa præcellit*. Sanctus Bernardinus verba illa: *Fecit mihi magna qui potens est*: *Fecit potentiam in brachio suo*, considerans ait: *Quia nec Omnipotens potest potentiora nec sapientiora facere, quam in me fecit matre sua*. Diximus paulò antè, quòd Doctor gentium in toto Testamento novo nihil de B. Maria aliud dixerit, quàm paucula hæc verba: *Factum ex muliere*: quæ de Filio Dei dicit. Rarior autem & parcior S. Petrus in beata Virgine laudanda fuit; ubi enim in tota Scriptura sacra, & quas laudes ei attribuit? Nullas omninò. S. Ildephonsus beatæ Virgini condolere videtur, dum ad id se reflectit, quod mirum Petrus à Christo interrogatus: *Quem dicunt homines esse filium hominis*? responderit; (Serm. 2. de Ass.) *Tu es Christus Filius Dei vivi*: & non potiùs adjunxerit eum Virginis quoque filium esse? Tandem vero Petrum excusat dicendo, quod Petrus licèt hoc modo responderit, eundem tamen Christum Mariæ quoque filium esse non negaverit, licèt ea de filiatione perspicuum testimonium minimè ediderit: *Non quod eam negaret filium B. Virginis, quod ait Christus*. Etenim eo tempore cunctis discipulis notum erat Christum Mariæ esse filium, non item ipsum filium quoque esset Patris æterni. Præterea idem Mariæ filius interrogando: Quem dicunt homines esse filium hominis; implicitè se Virginis denotabat filium, siquidem idem erat dicere: *Filium hominis*, quod *filium mulieris*: undè idem Sanctus potius ita S. Petrum locutum fuisse subjungit, *ut demonstraret eundem filium hominis esse filium Dei*. Toti igitur mundo S. Petrus testatum facere voluit, eundemmet, qui unigenitus erat Patris æterni, unigenitum quoque esse Mariæ filium. (De excell. Virg. c. 2.) Concludit igitur S. Anselmus: *Hoc solum de sancta Virgine prædicari, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari potest*.

DE S. MATTHÆO APOSTOLO

Discursus Undecim.

Discursus I. Occasione verbi illius, *Vidit*, agitur de efficacia, quam Christi aspectus in Matthæi conversione habuit.

Discursus II. De ejusdem conversione, iisdem Christi oculis attributa.

Discursus III. Consideratur hæc dictio, *Hominem*, necnon varia Scripturæ loca, quæ conversionem ejus prædixerunt.

Discursus IV. Occasione avaritiæ, quam S. Matthæus

ab ju-

Occasione verbi illius, *Vidit*, agitur de efficacia, quam Christi aspectus in Matthæi conversione habuit.

DISCURSUS PRIMUS.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me; & surgens secutus est eum. Matth. c. 9. v. 9.

1 RUpertus Abbas Tuitiensis Salvatoris nostri oculos duobus hisce mysticis epithetis insignivit, (In c. 6. Ioan.) vocando illos *Fenestras salutis, & patentes misericordiæ* (Rom. 9. 16.) *januas*. Porrò verissimum est quod Apostolus ex habita circa seipsum propria experientia scribit, nimirum: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Saulus enim præcipiti cursu in Damascum contendebat, ut fidem & religionem Christianam ibidem supplantaret, sectatoresque sancti Evangelii morte puniendos (1. Tim. 1. 13.) vinctos produceret in Jerusalem, *quando circumfulsit eum lux de cælo*; prouti ipsemet Timotheo scripsit, dum ait: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum; sed ideò misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam.* Sanctus quoque Matthæus mensæ collibysticæ seu pecuniariæ adhærescebat affixus, ad gulam usque illicitis pecuniarum lucris immersus, professione insuper publicanus erat, in peccatis & iniquitatibus suis valdè habituatus, & tamen in unico momento fuit ex publicano transmutatus in Apostolum. Quæ tam admirabilis metamorphoseos gloria soli illi, *vidit Jesus*, indubitanter attribuenda venit. Sunt enim Salvatoris nostri oculi *Fenestræ salutis, & patentes misericordiæ januæ*, illorumque obtutus fiunt ab illo qui dixit: *Non veni vocare justos; sed peccatores.*

2 *Vidit Jesus*. Regius Propheta ut divinæ pietatis (Ps. 24. 16.) affectum quadantenus participaret, ad Deum conversus dicebat: *Respice in me, & miserere mei*, sciebat quanta esset in oculis Christi energia ad sanandam & purificandam animam. Et ideo ille oculorum obtutus, quo Christus S. Matthæum dignatus fuit, non tam quidam Christi in Matthæum directus aspectus, quàm anterior quædam divinæ pietatis & misericordiæ communicatio erat, quæ intus in anima Apostoli fiebat, per quam ipsum ad pœnitentiam, suique sequelam invitabat. Undè Beda optimè dicit: *Non tam corporeo intuitu, quam interna miseratione respicit.* Qui idem insuper docet, quod aspicere Dei, quo Deus nos dignatur, idem prorsus sit, quod intima erga nos compassione moveri vel tangi: (In Luc.) *Respicere Dei est misereri.* Albertus Magnus quoque in eundem sensum condescendit; undè ait: *Vidit, non tam* (In Matth.) *oculis corporis, quam miserantis aspectu.* Dionysius Carthusianus Christum suos in Matthæum defixisse oculos non negat, sed tantùm in hoc verbo, vidit, miserentis Salvatoris affectum potius quam corporalem aspectum agnoscit: *Respexit Jesus Matthæum oculo corporali, sed* (In cap. 5. Luc.) *multò profundius oculo pietatis internæ, seu compassionis affectu.* Lucas Burgensis notat quod verbum hoc, vidit, in Græco idem sit quod *spectavit hac autem plus est quam vidit, quo non malè intelligatur efficacitas videntis & miserentis Christi; nec vidisse obiter, quem ad rem tantam vocavit.*

3 Et profectò propriissimum est illud à Ruperto oculis Christi attributum epithetum, quo illos appellat *patentes misericordiæ januas*; quia eo ipso quo hæ misericordiæ, fores apertæ nobis sunt, & patulæ, datur omnibus indifferentes liber ad ipsum aditus, potestque unusquisque summa cum fiducia ad misericordem & benignum hunc Deum nostrum accedere, quamdiu oculorum suorum fores apertos tenet. Olim filius ille dæmoniacus & lunaticus à patre ad Christum adductus fuit, ut illum à gravi hoc malo sanaret; notandum verò est afflictum filii hujus patrem nihil aliud Salvatori dixisse, quàm paucula illa quidem, valdè tamen considerabilia verba: *Respice in filium meum.* Scitisne caussam, inquit Interpres quidam antiquus: *Sapiens mihi hic videtur esse; non enim dixit Salvatori fac hoc vel* (Titus Bost. in cat.) *illud, sed respice, hoc sufficit ad salutem*, quia oculi Christi, prouti paulò antè ex sententia Ruperti diximus, sunt *Fenestræ salutis*; atque ideo Evangelistis opus non erat de conversione sancti Matthæi aliud dicere, quàm hoc unicum: *Vidit Jesus* quicquid enim ampliùs de eadem conversione dixerunt, fuit *ex abundanti; hoc enim sufficit ad salutem.* Quodsi domum aliquam ædificaveris fenestris carentem, illa quoque eo ipso lumine orbata erit, & potiùs sepultura quedam seu specus subterranea quam domus esse videbitur; si quidem per fenestras lux ad incolas domus transmittitur. Ad eundem prorsus modum nos quoque discurrere possumus in præsenti, dicendo quod oculi Christi, eorumque in hominem defixi obtutus sint illi, qui lumen & agnitionem Dei; bonorumque æternorum animabus, in quas diriguntur, communicant, quæ aliàs in squalidis ignorantiæ tenebris cæcutirent, inque tenebras exteriores irreparabiliter præcipitandæ forent. Saulus, prout paulo antè insinuavimus, oberrabat in tenebris, *spirans minarum & cadis in discipulos Domini*; Christus autem suos in eum oculos defixit: hoc enim indicant verba illa: *Circumfulsit eum lux de cælo*, & protinus omnes ignorantiæ illius tenebræ diffugatæ fuerant; undè dixit: *Quis es Domine? ego sum Jesus. Quid me vis facere?* in manus divinæ voluntatis confestim se consignavit, animæque suæ fenestras aperuit, ad cœleste hoc lumen sine impedimento recipiendum. Undè Sanctus Ambrosius ait: *Vidit eum Christus, ubi lux cir-* (Lib. de Jo- sep. cap. 10.) *cumfulsit eum.*

4 Verum enimvero ex quo S. Pauli facta est mentio, necessum est ut de sancto Petro etiam nonnihil loquamur; siquidem individuo quodam inter se nexu semper conjuncti fuerunt. Recogitate igitur quonam modo sanctus Petrus, postquam non semel sed trinies Christum Magistrum suum in domo Caiphæ negavit & renegavit, ad pœnitentiam & erroris sui agnitionem fuerit perductus? utique respondebitis factum id esse, quia culpam suam amarissimo planctu diluit: *Flevit amarè.* Verum dic sodes, quinam glaciem illam resolvit & liquescit, qua cor ejus circumdatum erat; siquidem adeo gelidus erat, ut calefactione ei opus fuerit? *Abundavit iniquitas, & refrigescet charitas. Stans autem Petrus & calefaciens se: Deus ignis consumens est.* Fecit idipsum Christus, qui per charitatem & amorem suum servo suo compatiens, eundem non tantum oculo corporeo, verùm etiam benignitatis & pietatis suæ luce respexerat: *Et conversus Dominus respe-* (Luc. 22. 1.) *xit Petrum.* Enimvero quærunt & disputant inter se sacri Interpretes, an Salvator noster S. Petrum verè oculis corporeis aspexerit? Negat Hugo Cardinalis, quia ut ex Evangelio clarè deducitur, Petrus in atrio stabat, Christus autem superius apud Pontificem hærebat: *Cum esset Petrus in atrio deorsum*, inquit S. Matthæus; adeoque Cardinalis ille existimat, obtutum hunc, qon Christus Petrum respexisse dicitur, fuisse internam quandam inspirationem Petro communicatam, ut resipisceret, adducitque illam sancti Leonis authoritatem dicentis: *Dominus Jesus, qui intra Pontificale concilium corpore tenebatur solo, trepidationem discipuli foris positi divino vidit intuitu, & paventis animum mox ut respexit, erexit, & in fletum pœnitudinis incitavit.* Porrò hunc eundem effectum dicere possumus illum Christi respicientis obtutum in hoc quoque Publicano operatum

tum fuiſſe, maximè cum obtutu corporali; ſpiritualem quoque aſpectum adjunxerit: *Sedentem in telonio*, inquit Evangeliſta, *ut reſpexit*, *erexit*, idque verum eſſe facer textus clarè ſatis confirmat; dum ait: *Surgens ſecutus eſt eum: in fletum pœnitudinis incitavit*? Et quidem tametſi S. Matthæum lachrymatum fuiſſe non conſtet, quin potius quod *fecit convivium*, ejus tamen pœnitentia à morum mutatione, nec non ex vitæ ejus Apoſtolicæ auſteritate quam ſibi aſſumpſit, evidenter ſatis deducitur. Didacus Stella hoc loco notat, quod obtutus Chriſti, ſicut & in aliis Scripturæ lo-

Serm. 30.

cis, idem ſit quod cor peccatoris movere: *Nihil aliud eſt, quam corda movere, & ſuam gratiam impertiri*: Chryſologus autem aliam quandam conſiderationem inſtituit ſuper illo verbo *Vidit*, ingenio ſuo certè digniſſimam, dum ait: *Vidit illum Deus ut ille videret Deum; vidit illum Chriſtus, ut ille pecuniæ latebras amplius non videret*; Hoc igitur reſpicere Chriſti nihil aliud fuit, quam illum ad ſe trahere, & in cor ipſius quoddam bonorum temporalium odium, bonorum verò æternorum amorem inſinuare: *Quid eſt reſpicere*

Lib. 30. mor. c. 34.

Dei? loquit etiam S. Gregorius, *niſi ab iniquitate in melius commutare? convertit namque quem Deus reſpicit*.

Zach. 3. 9.

5 *Vidit Jeſus*. Celebris eſt illa Zachariæ Prophetæ viſio, qua ſeptem oculos ſuper uno lapide vidit: *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt*. Quis etenim lapides unquam oculatos eſſe conſpexit, & maxime per

Lib. 16. de gloria, &c.

numerum adeo myſticum ſeptem oculorum? Rupertus Abbas Tuitienſis viſionem iſtam interpretatus de ſeptem Spiritus ſancti donis, quæ ſunt in Chriſto; qui petra quædam eſt myſtica: *Petra autem erat Chriſtus*. Hos igitur ſeptem oculos per illud vidit in fortunati hujus Publicani electam & prædeſtinatam animam defixit: *Alii ſunt oculi, quibus iſtum vidit, qui juxta Zachariam in uno lapide, & juxta Apocalypſin Joannis in capite agni ſeptem agni ſunt: iſtis oculis hunc hominem vidit, & cum videret eum exterioribus oculis, per iſtos interiores oculos recognovit, quod eſſet unus illorum, quos ante ſæcula præſcivit & prædeſtinavit*; In cujus probationem obſervandum quoque eſt, quod à Sapiente ſcribi-

Sap. 4. 15.

tur, nimirum: *Reſpectus in electos illius*, cum enim illos elegerit ad gloriam, conſequenter illis gratias & dona cœleſtia abundanter infudit, in congruum ad ejuſdem gloriæ conſecutionem ſubſidium. Porrò Rupertus paulò poſt ita ſubjungit. *Iſte eſt viſus admirabilis, illa eſt gratia, quam admirans vas electionis Paulus dicit: Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui; quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit*.

L. b. 7. c. 71.

6 *Vidit Jeſus*. Berchorius in Reductorio ſuo morali ſcribit, quod Struthio pullis ſuis intra ovi ſinum etiamnum recluſis per aſpectus ſui efficaciam vitam infundat, quantò igitur magis Deus ille, qui ait: *Ego ſum vita*, per lucem oculorum ſuorum, ſeu per lucem gratiæ ſuæ ſpiritualem animabus vitam infundere poterit? Maximè cum de ſeipſo dicat: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant: Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*.

7 In Philoſophorum Scholis ſolemnis illa ventilatur quæſtio. *An viſio fiat per extramiſſionem, an vero per intus ſuſceptionem*? Nos autem ad præſens propoſitum primæ opinioni adhærcſcentes dicere poſſumus, quod oculus lucis illius, quæ *illuminat omnem hominem* animæ ſancti Matthæi etiamnum peccatoris & publicani talem infuderit charitatem, quæ interiores ejuſdem animæ tenebras illuminavit, pariter & amoris ſui igne efficaciſſimè accenderit; atque ideo S. Auguſtinus

Libr. 10. conf. c. 28.

omninò compunctus dicebat: *Coruſcaſti, & ſplendidiſti & fugaſti cæcitatem meam, flagraſti & induxiſti ſpiritum*.

8 Didacus Stella author religioſiſſimus ſcribit, quod benignus Salvatoris aſpectus illis, in quos dignatur reſpicere, miram infundat ſuavitatem & dulcedinem ſpiritus, id quod effectus in ſancto Matthæo producti abundè demonſtrant, ſiquidem hic de ſua converſione tanta fuit lætitia & ſuavitate ſpiritus perfuſus, ut præ gaudio lautum protinus inſtruxerit convivium, veluti omnes ad ſibi congaudendum & congratulandum invitans: *Nec eſt iſte intuitus Chriſti ſimplex aliqua hominum cognitio, ſed eſt interioris cordis dulciſſima & ſuaviſſima penetratio, quæ animam tangit & vulnerat*.

9 In Threnis Jeremiæ ſcribitur: *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, eo quod non eſſet requies*. At verò unde ipſum ſolatium accepiſſe exiſtimas; quonam adhibito medio quietem invenit & pacem? *Donec reſpiceret & videret Dominus*. Etenim, ut Rupertus ait: Jeremias probe noverat, quod unicus duntaxat ejus aſpectus ipſum lætificaturus, miroque ſolatio perfuſurus eſſet: *Cujus aſpectus & viſus antiquæ captivitatis ſolutio, & præſentium captivorum, qui in Babylonem ducti ſunt, conſolatio eſt*. Similiter quod pacem & quietem interiorem attinet, ubi noſtra vulgata legit: *Facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens*. Pagninus ita legit; *Fui in oculis ejus ſicut reperiens pacem*, dum enim anima oculis Dei irradiatur, in magna conſcientiæ ſerenitate & tranquillitate conſiſtit. Genebrardus autem pacem hanc alio modo exponit, dum ait: *Pax Hebræis generale nomen eſt ad omnem proſperitatem & felicitatem, quam Pax conferre ſolet*. Et verè ita eſt, quando enim Deus oblationem ab Abel factam bono dignatus fuit oculo reſpicere, cum tamen eam, quam Cain obtulit, ſimili intuitu nequaquam fuerit dignatus, eo ipſo Deus Abelo ſignificare omne bonum, bonorumque futurorum eventum & infallibile augurium, econtra verò Caino fratri ejus omnis infortunii omen innuere voluit: *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain vero & ad munera illius non reſpexit*; ac proinde præcipitium immediatè ſubindicatur, cum Scriptura ait: *iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus*.

Thren. 3. 49.
Lib. 1. in Jer. c. 75.
Cant. 8.

Converſio S. Matthæi oculis Chriſti attribuitur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Vidit Jeſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9. v. 9.

1 Ipſemet S. Matthæus qui Salvatoris invitantis & vocantis efficaciam in ſe expertus fuit, modum quoque nobis unico verbo declarat, quem infinita ejus ſapientia adhibuit ut publicanum ſubitò tranſmutaret in Apoſtolum: Dicit enim: *Vidit Jeſus*, id eſt, ſuos in illum oculos defixit. Hoc igitur verbum *Vidit*, iterata vice ponderando proſequamur.

2 *Oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem circumſpicientes profundum abyſſi*. In Græco legitur: *Infinities ſunt Sole clariores*. Porrò radii Solis, qui ejuſdem planetæ oculi & intuitus denominari poſſunt, profundiſſima terræ viſcera, & in abyſſum uſque penetrans, ibidem pretioſiſſimas auri, argenti, gemmarumque inæſtimabilium fodinas generant quidem, nec tamen hi aliquam cum radiis à Sole Juſtitiæ emiſſis proportionem habent: ſiquidem hi abſtruſiſſima animarum & cordium ſecreta penetrando, *profundum abyſſi & hominum corda intuentes*, theſauros ibidem generant, & infundunt donorum, gratiæ & virtutum ſupernaturalium & cœleſtium, tenebroſiſſimam iniquitatis abyſſum in luminoſum quoddam gratiæ & ſanctitatis commutando cœlum.

Eccl. 23. 28.

3 Præterea ſicut Sol glebas illas, quæ in abſtruſiſſimo & profundiſſimo terræ hujus quam calcamus, ſinu deliteſcunt, radiorum ſuorum virtute tranſmutat in aurum, ita quoque æternus Juſtitiæ Sol, intra hujus mortalitatis noſtræ nubem reconditus, majori cum ſtupore unico duntaxat oculorum ſuorum radio, id eſt, per unicum *Vidit* tenebroſam Publicani illius ad gulam uſque æternis lucris immerſi abyſſum penetrando, affectus illius terrenos, in cœleſtes tranſmutavit affectus, ejuſque inſatiabilem avaritiam & divitiarum cupiditatem, in heroicum quendam omnium terrenorum bonorum convertit contemptum, hacque ratione ferventiſſimæ cujuſdam charitatis aurum infundendo, eum opulentis illis locupletavit theſauris, de quibus optimum illud nobis ſuggeſſit conſilium idemmet Magiſter cœleſtis; dum ait: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo*. Unde Didacus Stella ait: *Ea eſt Solis virtus & natura, ut penetrans viſcera terræ, aurum & multa alia metalla generet; ſic virtute radiorum Chriſti aurum fidei generatum productum eſt in*

In cap. 5 Lucæ.

corda

cordi istius Apostoli. Quis etenim negabit longè majoris virtutis & efficaciæ fuisse unicum duntaxat Christi aspectum, quam omnes cœlestis illius Planetæ radii, siquidem ille Publicano huic adeò ingentem insinuavit avaritiæ horrorem, imò omnis argenti & auri omniumque aliorum bonorum terrenorum heroicum contemptum, eidemque intensissimum quendam erga paupertatem Apostolicam imprimendo affectum.

4 Omnes naturæ partus, cunctique illius maximè salutares effectus, quos ubique producit, Solis radiis attribuuntur, adeò ut si quis Solem naturæ subtraheret, is pariter cunctis rebus creatis earum vivificantem, ut ita dicam, animam erepturus esset; amplissimæ namque cœlorum & planetarum sphærici orbes, omnes item herbæ, plantæ, mineralia, cunctaque elementa conservationem suam, effectuumque suorum productionem Soli potissimum in acceptis referunt: eodem quoque modo in operibus gratiæ discurrere possumus; de illis namque optimè dicitur; *Omne datum*
Jac. 1. 17. *optimum, & omne donum perfectum desursum est*. Ubi bene notanda est replicata illa dictio *Omne*, siquidem sine gratia Dei nullum dari potest opus vitæ æternæ meritorium; Enimverò id verum esse, nimirùm Soli æterno, qui in una luce tribus resplendet luminibus, cuncta bona creata in acceptis referenda esse in sequentibus verbis manifeste declaratur; dum dicitur: *Descendens à Patre luminum*. Ille namque divinus oculus qui cœli terræque oculus dici meretur, unicum, inquam. illud, *Vidit*, aurifodina quædam est, in qua omnia opera nostra in aurum quasi commutata pretium & valorem consequuntur inæstimabilem. Porrò de hac luce nemo certius aut opportunius perhibere potest testimonium, quam Scriptor ille, qui à Stella nomen sibi mutuavit, hic autem id ad propositum loquitur: *Solo suo intuitu Sol*
In h. uers. *Justitiæ Christus Redemptor noster in anima hujus Apostoli amplissimas divitias generavit*. Quot enim in ipsissimo conversionis suæ actu virtutes scintillarunt, cum tamen antea non nisi vapor quidam & exaltatio terrena esset? *Sedentem in telonio*, (inquit interlinearis) *lucris pertinaciter inhiantem*, in unico momento temporis infixam quandam firmamenti Apostolici stellam Christus Sol justitiæ transmutavit.

5 *Oculi Domini lucidiores sunt super solem*. Sol quidem vilissimos etiam terræ vapores sibi attrahit, eosdemque in aera, fulmina, fulgura, tonitrua, Cometas, aliasque similes aeris impressiones, convertit, veruntamen id assequi non potest, ut efficacia lucis suæ vapores eosdem in fixas firmamenti stellas transmutet. At vero vide & mirare insignem radiorum, id est, oculorum lucis illius, *quæ erat lux vera*, præ corporei Solis radiis præcellentiam; hujus namque increati Solis radii attractos ad se è Galilæa, ex infimis terræ locis; vilissimis familiis pauperes, idiotas, rudes, & contemptibiles piscatores, in luminosas cœli stellas transformavit, id est, in *vera mundi lumina Cœli enarrant gloriam Dei*, sive in Apostolos suos elegit.

6 Valde quoque admirandi sunt omnes alii effectus in ipsis ab hoc vero Justitiæ Sole producti, similes prorsus illis, quos operatur Planeta cœlestis; siquidem attractos sibi Apostolos nubibus fecit esse similes, quæ salutari prædicationis suæ pluvia universos fœcundarunt & irrigarunt populos: *Qui sunt hi, qui*
Is. 60. 9. *ut nubes volant*? Ad instar fulminum, tonitruorum, fulgurum Tyrannos prostravere, & fidei persecutores, prophana demoliri sunt templa, falsa denique simulachra, & universum averni regnum susque deque everterunt.

7 Angelus de Paz de hujus Apostoli vocatione tractans scribit, Christum, dum ipsum vocavit, vaporem hunc terrestrem è civitate Capharnaum, in qua auro, aliisque divitiis congregandis totus intentus & immersus erat, ad se instar Solis attraxisse: unde in persona & veluti ex ore Christi ipsum ita alloquitur: *In charitate perpetua dilexi te, attraxi te miserans tui; nam calor est, qui in solari radio vaporem trahit*.

8 S. Bonaventura optimè modum ponderat, quem Salvator in hujus Apostoli conversione observavit, & quodlibet verbum sigillatim expendendo, dicit: *Notan-*
In Luc. 5. *dum quod dicitur exire, videre, & vocare, exit quidem, ut requirat, videt ut attrahat, vocat, ut ad se convertat*; ac demum verbum illud *Vidit* declarans, vaporis hujus mediantibus hisce radiis ad Apostolici Collegii cœlum elevati submissionem & humilitatem ad nostrum propositum adeò opportunè exposuit, ut melius id facere non posset: *Vidit*, inquit, *Publicanum, ut per respectum misericordiæ attrahat ad seipsum sicut petebat ille videri in Psalterio, qui ait: Vide humilitatem meam & laborem meum*.

9 Idem quoque David, ut Deus laudaretur & benediceretur deinceps sæculis futuris ab omnibus ad perpetuam posterorum memoriam transcribi mandavit, quod idem ille Deus unico oculorum obtutu ter- Ps. 101. 19.
ram fuisse dignatus aspicere. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum*. Rationem autem cur adeò laudem, gloriam & benedictionem ab hominibus deinceps referendum esse existimet, statim subjungit dicens: *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram aspexit*. Verum inquies, quidnam in hoc eximii latet, quod Deus terram aspiciat, ut proinde David hunc Dei intuitum dignum esse existimet, qui annalibus inferatur æternitatis, *scribantur hæc in generatione altera*? S. Gregorius optimè ad hoc respondet, dum ait: *Deus de cælo in terram aspexit, ut cælum fieret, qui terra fuit*; Deus igitur illo benignitatis & misericordiæ suæ oculo terram aspicit, ut per hunc obtutum veluti gratiarum, benedictionum, divitiarumque cœlestium thesaurarium, terram in cœlum quoddam animarum convertat.

10 Verùm enimvero, ut ad Apostolum nostrum denuò revertamur, quòd si S. Augustino dicere placuit: *Si terram amas, terra es*, utique Apostolus hic noster dum adhuc Publicanus esset, terra quædam fuit; siquidem cordis affectu & amore, auro & argento, quod in substantia sua præter terræ glebam nihil est aliud, pertinacissimè adhærescebat, & tamen efficacissimus ille Solis Justitiæ oculus, unicum illud *vidit, terram aspexit, ut cælum fieret, qui terra fuit*, siquidem in numerum illorum cœlorum admissus fuit, de quibus scribitur: *Cæli enarrant gloriam Dei*.

11 *Lucidiores sunt super Solem*. Multæ quidem rationes adduci solent, cur Sol & cuncta alia luminaria minora in morte Redemptoris nostri fuerint obscurata. B. Petrus Damianus dicit: *Caligaverunt in morte oculi sui, & illa luminaria quæ illuminant orbem ad horam ex-* In Exalt.
tincta sunt; nonne illis obtenebrantibus tenebræ factæ sunt S. Crucis.
super universam terram? Ecce tibi hic testimonium evidens, quo oculi Christi, radiis solaribus luminosiores esse comprobantur. Hoc igitur supposito, nunc velim considerationem quandam super eo instituamus, quod Cæsarius Monachus Cisterciensis scribit: *Sol*, inquit, *in radio suo quasi duos oculos habet, quibus mundum* Hom. de
cum effectu respicit, hoc est, splendorem & calorem, S. Mat.
splendore tenebras illuminat, calore terram fœcundat; Majori autem virtute & efficacia oculi Salvatoris fuere præditi, siquidem ab humanis cordibus, quantumvis duris & obstinatis, culparum, errorum, & ignorantiæ tenebras profligavit. Unde idemmet Author loquendo prosequitur, dum de mystico hoc Sole ita ait: *Quando oritur in ejus mente* (id est, in corde peccatoris) *tenebras peccatorum pellit, & lucem miserationum infundit, terram cordis charitatis moribus fœcundat, & diversarum virtutum floribus exornat*. Ambos verò hosce effectus hoc *Vidit* in sancto Matthæo produxit, quia si scire cupitis, quibus ipse tenebris immersus & oppressus fuerit, ad illius declarationem, ipsum Publicanum fuisse dicere sufficiat. Expositor quidam eruditus dicit: *Detestabantur Judæi Publica-* In Luc Jo.
nos, quod furtis, rapinis & rigidis exactionibus op- Arbor.
primerent populum, magis proprio quam publico commodo studentes: hæ autem tenebræ ab illius luce dissipatæ fuerunt, qui *erat splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ*. Didacus Stella, ut virtutem operativam *vidit* illius ad vivum nobis exprimeret, solis effectus considerando hac utitur similitudine: *Quemadmodum si in dura cera sigillo sint impressa alta mœnia, turres & montes, hæc omnia dissolvuntur si radiis suis Sol advenerit: sic mundanæ opes, imperia, magistratus, honor, & gloria mundi, si in corda hominum depicta fuerint, si Sol justitiæ Christus aspiciat, ut aspexit cor Mat-*

thæi

thei, statim calore divini amoris dissolvuntur & in nihilum abeunt.

12 Doctissimus Salmeron aliam quandam Solis proprietatem proposito nostro aptissimè inservientem adducit, nimirum quod nos Solem respicere primi nequeamus, nisi ipse prius aspexerit nos, ad eum namqua modum nos quoque nos convertere, & Deo ejusqua servitio nos mancipare non valemus, nisi hic Sol justitiæ mysticus benignum gratiæ suæ oculum pro nobis ad Deum convertat: *Vidit, non visus, quoniam ipse prior dilexit nos*; moxque prædictam similitudinem subjungit dicens: *Ut Sol non videtur à se, nisi prior viderit*; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, ut suprà diximus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

Consideratur hæc dictio *Hominem*, nec non varia Scripturę loca expenduntur, quæ conversionem ejus prædixerunt.

DISCURSUS TERTIUS.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me; Et surgens secutus est eum. Matth. 9. v. 9.

1 SAcra Scriptura quæ à sancto est Spiritu hagiographis dictata, adeo est mysteriis referta, ut de ea jure affirmari possit; *Tot Sacramenta quot apices*, prouti in præsenti discursu plenius videbitur, cum enim in præcedenti verbum illud *vidit* ponderaverimus, reliquum est, ut in hoc discursu mysticum illud verbum, quod sequitur, scilicet, *hominem* consideremus.

2 S. Job hominem ita describit: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*; ex qua Phrasi clarè hominem nihil aliud quam universale quoddam miseriarum hospitium esse deducitur. Unde S. Bernardus solitus erat dicere: *Hæc tria semper in mente habeas, quid fuisti? quid es? quod eris? quid fuisti; quia sperma fœtidum, quid es, quia vas stercorum: quid eris, quia esca vermium.* Cum igitur misericordia Dei nostram pro objecto habeat miseriam, nil profecto mirum si divinæ pietatis oculi, eorumque obtutus in hominem dicantur esse defixi? *Vidit hominem.*

1. Cor. 33. 3 Corinthiis Apostolus ita scribit: *Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* enim verò verba illa secundum hominem ambulatis, Glossa in hunc sensum interpretatur: *In pejus proficitis.* Verè in deplorando hoc statu S. Matthæus constitutus erat, siquidem professione Publicanus, id est, peccator publicus erat, jam omnem perdiderat peccandi verecundiam, unicuique abominabilis erat, neque etiamnum quidpiam boni fecerat. Unde Salmeron ait: *Vidit hominem peccatorem ac divi-*
In Matth. *tem, in quo non meritum ullum, sed tantum gratia Dei appareret.*

5 S. Thomas Doctor Angelicus circa illa verba: *Vidit hominem*, ait, *verè hominem quia peccatorem*, adducitque illud Psalmi 81. dictum: *Vos autem sicut homines moriemini? Vidit hominem* quando bonis hisce terrenis, divitiarumque temporalium cupiditati totaliter immersus erat: & iden non dicit Spiritus sanctus. *Vidit virum*, quia, *vir à virtute* dicitur, sed potius *hominem*, quia *homo ab humo, formavit Dominus hominem de limo terra*, totus enim terræ deditus erat, totus ipse avaritiæ & cupiditati metalli illius in prædam cesserat, quod de profundissimis terræ visceribus magno eum labore atque periculo eruitur, ut cœlum nos amittere faciat. *Talis est unusquisque*, scribit S. Augustinus, *qualis est dilectio ejus, terram amas terra es.* Talis S. Matthæus erat, totus nimirum terra & merus homo: *Filii hominum usquequo*
Ps. 31. 9. *gravi corde?* Alludit ad avarum quendam divitiis insatiabiliter inhiantem, *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.*

Hab. 2. 6. 5 In Propheтia Habacuc hanc adversum avaros comminationem fulminari invenio? *Væ ei qui multiplicat non sua*, hi enim qui tales sunt pro accumulandis divitiis multa committunt lucra illicita, rapinas; extorsiones, *Usquequo aggregat contra se densum lutum?* ab hoc autem luto homo formatus est, atque adeo quid mirum si ei tam tenaciter adhæreat: *Conglutinatus est in terra venter eorum.*

6 Audite textum quendam Ecclesiastici qui tot ante sæcula ad nostrum propositum à Spiritu sancto industriè dictatus fuisse videtur ita enim scribit: *Est homo marci-* Eccl. 10. 11.
dus, egens, plus deficiens virtute, & abundans paupertate & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus, & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum. Homo marcidus, avarus enim solet esse macilentus propter jejunia, quibus se conficit, licet non sint præcepta ab Ecclesia, vel etiam quia ob felicitatem alienam invidia semper transfigitur. Porrò in hisce verbis, si benè & maturè ponderetur non solum Matthæi conversio, verùm etiam ejusdem ex infimo statu, in quo antea erat ad dignitatem Apostolicam exaltatio pulchrè descripta invenitur: *Erexit eum &c.* quia *surgens* factus est, qui antea ad mensam collybisticam solicitè sederat, *& exaltavit caput ejus*, non solum adeo insignem Apostolum ex eo faciendo, verum etiam illustri Evangelistæ munere martyriique Laurea ipsum honorando, id quod de aliis præterquam de S. Joanne minimè legitur, *& mirati sunt in illo multi & laudaverunt Deum*, nam præter ingentem admirationem, quam hactenus dedit, semperque datura est repentina ejus conversio, certum est, quod multi quoque laudes decantaturi sint Deo ad ejus imitationem in divina misericordia confisi per sinceram se convertendo pœnitentiam. *Homo marcidus*, inquit Ecclesiasticus, quia præterquam quod homo avarus divitiarumque accumulandarumque studiosissimus, ut diximus, semper marcidam quandam macilentiam præseferat, Apostolus quoque bona terrena excrementorum nomine appellat, *omnia arbitror ut stercora.* Vel etiam dici potest, avarus homo marcidus, id est, vir pauper, eo quod non solum verè ipse desit, quod actualiter possidet, dum illo ad usum & necessitatem propriam minime utitur, haud secus ac si illud nequaquam haberet, unda optimè Poeta ille cecinit: *Semper avarus eget*; verùm etiam deest ipsi id quod non habet, & iden si id sibi acquirere nequeat, affligitur, haud secus ac si pauper & egenus esset. In hoc igitur adeo miserabili statu *oculus Domini respexit illum: vidit hominem sedentem in telonio* eumque in suam sequelam fortiter attractum sedere fecit *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Ac proinde nunquid jure merito cum Propheta regio dicere non possumus: Ps. 112.
Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra; suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Hom 15. in Evang.
principibus? Inopem, quia ut S. Gregorius quoque de terrenis divitiis dicit, *fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt.*

7 *Vidit hominem.* Considerabila est etiam, in quem Christus oculos suos defixerit, nimirum in animatum quoddam lutum, ut illud in cœlum pariter animatum transmutaret; respexit hominem rapacem, avarum, peccatorem publicum ut illum efficeret sanctum & Apo- Ps. 17. 14.
stolum: *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo*; à cunctis hujus terræ bonis affectum ejus ita avulsit, ut *relictis omnibus* eum fuerit insecutus, & qui antea bonis terrenis totaliter deditus erat, nunc paupertatem & nuditatem quandam Apostolicam meditari incipit. Unde dicere poterat: *conversatio mea in cælis est; oculus Dei respexit illum in bono.*

8 S. Hieronymus super hodiernum Evangelium scribens ait: Ex primo aspectu, poterat ad se attrahere, quos volebat; etenim duobus illis fratribus, ne quidem tantum indulsit temporis, ut retia sua in domum suam referrent, sed continuò relictis retibus secuti sunt eum; quamvis id non adeò mirum sit sicut est repentina sequela Christi in S. Matthæo miranda, illorum namque retia passim scissa erant & modici valoris, quod vero S. Matthæus reliquit, aurum erat, illudque in valde considerabili quantitate.

9 Idem S. Hieronymus optimè demonstrat nequaquam levitatis animi indicium fuisse, quod ad unius tantum verbi prolationem Christum protinus secuti fuerint: *Quasi quemlibet vocantem hominem secuti fuerint, certè fulgor ille & majestas Divinitatis occulta, quæ etiam*

in hu-

in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes aspectu trahere poterat, quos volebat; moxque quarundam naturalium rerum adducit similitudinem, quæ occulta quadam virtute quam in se habent inanimata quædam attrahere possunt: *Si enim in magnete lapide hæc inesse vis dicitur, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos vocabat*; quasi diceret, quodsi magnes ferrum & succinus paleam ad se trahit; quid mirum si creator & Redemptor errabundam quandam animam sanctificaturus ad se efficaciter attraxerit?

10 Patientissimus Jobus Deum aliquando interrogavit dicens: *Nunquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt* Job. 10.4. *homo & tu videbis?* quasi diceret, minimè gentium; oculi namque Dei longè admirabiliores effectus in iis, quos respiciunt, producunt, quam producere possunt oculi nostri. Illud enim unicum *vidit hominem* S. Matthæum in Angelum, imò in Apostolum quendam transformavit, imò ipsiusmet Divinitatis suæ participationem quandam in eum transfudit: *Ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes.*

11 *Vidit hominem*. Eusebius Gallicanus in homelia quadam de festo hujus sancti optimè observat, quod *Matthæus* idem sit quod *donatus*. Enimvero quando Christus à principio in eum oculos defixit, *vidit hominem*, non verò *Matthæum*, licèt paulò post hujus nominis appellatione dignus fuerit effectus, quando scilicet Christus singularissimum quoddam donum, id est, justificationis & vocationis beneficium ei donavit, S. Paschasius ait: *Vi-* Lib. 5. in Matth. *dit hominem, & non Matthæum, quia Matthæus donatus interpretatur; & si jam in prædestinatione, necdum tamen vocatus ad gratiam, ideo nondum Matthæum vidit, sed hominem. Matthæum tantum nomine, sed nondum gratia.*

In c.9 Mat 12 Paulus de Palatio benignitatem & pietatem Christi impensè admiratur dicens: *Mirum vero est quod amantes oculos Christus in insignem peccatorem conjiciat, summa gratia est in tam fœtidum infernum respicere*; verum enimvero id quod vel maximè admirationem meretur, libens prætereo, nimirum quod infernum quendam per unicum oculorum obtutum in Paradisum transformarit.

Lib. 6. 13 Narrat de Diogene Philosopho Laertius, hunc lucis meridianæ tempore lucernam accensam per medium forum; totamque civitatem circumtulisse; cumque interrogaretur, quemnam adeò solicitè inquireret, respondisse ipsum: *Hominem quæro*. Similiter alia quadam vice dum in medio fori constitutus altum vociferaretur: *Adesse homines*, multique ad clamorosam hanc vocem concurrerent, ipse baculo quem manibus gestabat, circumstantem hominum turbam à se abigens dixit: *Homines adesse jussi, non sterquilinia*. Pari quoque modo videtur mihi S. Matthæum quoadusque Publicanus erat, hominis titulo minimè insigniri debuisse, sed potius sterquilinii nomine compellandum fuisse, siquidem lucris iniquis bonisque terrenis, quæ ut jam ex S. Paulo diximus, stercora appellantur, ad collum usque immersus erat. Ipsum tamen postquam Christus eum respexit, in hominem fuisse commutatum: *Vidit ho-* Hom.13.in Gen. *minem*. Etquidem si verum est quod scribit Chrysostomus: *Tunc, homo est, quando virtutem colit*, quales quamque heroicos virtutis actus S. Matthæus in sua conversione non exercuit?

Sec.28. 14 Salmeron ad propositum nostrum hanc ponderationem instituit, dicens: *Vidit hominem, id est opus manuum suarum, figmentum scilicet nostrum; naturam, non culpam, vel peccatum*, cujus nobis communiter contrarium accidit, nam *nos econtra oculos Basilisci gerimus, non nisi defectus & vitia intuemur, non naturam boni proximi.*

15 S. Petrus Chrysologus de Christo nostro dicit: *Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat.*

16 Didacus Stella ad verba illa antecedentia: *Cum transiret inde Jesus*, reflectens hanc nobis doctrinam tradit. *Tunc enim transit Jesus, & in transitu peccatorem videt, quando eum vocat per internam inspirationem, non* In Luc. *facit in eo mansionem, donec inspiratio opere impleatur*; demum vero hocce monitum subjungit: *Sicut Matthæus sequens suo convivio detinuit illum, discamus detinere Jesum, ne prætereat, væ illis, juxta quos iterum atque iterum Jesus transit, & non detinetur.*

Occasione avaritiæ, quam S. Matthæus abjuravit, ostenditur, quam illa difficulter è corde eradicetur.

DISCURSUS QUARTUS.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: sequere me; & surgens secutus est eum. Matth.9.v.9.

1 IDem ille Evangelista de quo lectum est hodiernum Evangelium, & cujus hodierna die celebratur festivitas, idem, inquam, est, qui hodie à Christo Salvatore nostro ad sui sequelam invitatus fuit; ac proinde semetipsum vocat *sedentem in telonio*.

2 Dionysius Carthusianus scribit sessionem hanc duo- In c.5.Luc bus modis posse intelligi; primò enim dici potest, quod actualiter sederit: *Secundo juxta communem modum loquendi, quo sedere accipitur pro manere, vel esse alicubi*, sic enim dicere solemus, Talis Papa in Cathedra Petri tot annis sedit, quod idem est, ac si dicas, tot annis ea in dignitate vixit; sic quoque in scriptura dicitur: *Se-* Deut. 1.46. *distis in Cades barne multo tempore* & hoc sensu intelligi quoque possunt verba illa: *Sedentem in telonio, id est, tali officio intendentem, seu insistentem*. Porrò hic Publicanus terrenis lucris suis totus immersus, totus deditus erat. Unde interlinearis ad illa verba, *sedentem in telonio*, addit, *Lucris pertinaciter inhærentem*; ex quo loquendi modo non solum immoderatum ejus lucra augendi studium deducitur, verum etiam quod in illa possessione longo tempore habituatus fuerit, unde quam ejus conversio admiranda fuerit, facilè colligitur.

3 Propheta Regius tria peccatorum in peccata labentium genera distinguit, dum ait; *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*. Status primorum est illorum, qui ad malum quidem exstimulantur, ab illo tamen committendo vel divini timoris fræno, vel ab alio quovis humano respectu coercentur. Secundus est eorum, qui postquam in peccatum aliquod prolapsi sunt, ab illo protinus resurgunt, & in culpa nequaquam diu persistunt. Tertius denique gradus est eorum, qui profundas in peccato radices egerunt, vel qui in prava iniquitatis consuetudine habituati, & quasi incarnati sunt; & in tali statu erat hic Publicanus. Unde Paulus de Palatio ait: *In eo quod dicit se ad telonium sedisse gravius scelus indicatur; constat enim vel leviter erudito tres es-* In Matth. *se in peccato gradus*, quos confestim tribus hisce verbis enumerat: *ire, stare, sedere*; ac tandem concludit: *Miserum est in peccatum ire, miserius in peccato stare, miserrimum sedere; si ergo miserrimum est in peccato sedere, quid erit sedere in summo peccato, quale publicanorum diaboli est.*

4 Albertus Magnus similiter huic verbo *sedentem* suam glossam addit, dum ait: *in pace & quiete peccatorum*; & illum Davidis textum adducit, dicentis: *Surgite postquam sederitis*; & dicit hanc consuetudinem idem esse quod mala consuetudo inveterata.

5 At verò S. Petrus Chrysologus illi dictioni, seden- Serm. 29. tem, addit: *utique quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus*; aurum enim inter cuncta alia metalla ponderosissimum est. Similiter in alio quodam sermone ita scribit: *Vidit illum sedentem, quia pondere cupidita-* Serm. 30. *tis pressus surgere non valebat*; ubi similiter auri grave pondus considerat, cujus ipse non tantum avidissime cupidus, sed etiam dives & abundans erat: *Aurum natura grave, gravius fit avaritia nimis; nascitur in terra profunda, & dum suam repetit ad naturam, cælestes animas ad inferna deponit.*

6 Admirabilitas igitur conversionis hujus Apostoli in eo præcipuè consistit, quòd licèt sub hoc pondere adeo depressus, mensæque Collybisticæ tam pertinaciter affixus fuerit nihilominus ad unius verbi Dominici prolationem surrexerit: *Et surgens*, & post Christum ejusque vestigia currere cœperit; *Relictis omnibus secutus est eum*. Item quod in unico temporis instanti factus sit Christi Apostolus, isque non minimus, adimplendo in se non tardè per prolixioris temporis lapsum, sed veluti in momento & ictu oculi, totum id, quod Petrus totius

Aposto-

Apostolici Collegii nomine Christo dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

7 Verùm enimverò quisquis hujusce mutationis in hoc Publicano factæ prodigia vivacius penetrare desiderat, supradictam Interlinearis interpretationem hisce verbis expressam: *Lucris pertinaciter inhiantem*, attentius nonnihil consideret. Ipse enim Apostolus avaritiam radicis nomine appellat, dum ait: *Radix enim omnium ma-*
1. Tim. 6. 10. *lorum est cupiditas*. Obsecro vos imaginemini vobis, super orificio barathri infernalis proceram quandam plantatam consistere arborem, quæ loco ramorum, frondium, florum, fructuumque omnia genera vitiorum, sacrilegiorum superstitionum, sensualitatum, odiorum, blasphemiarum, apostasiarum, &c. progerminet; hujus autem immensæ & procerulimæ arboris radix est avaritia, seu cupiditas auri & argenti; hæc enim omnem ei subministrat vigorem, omniumque & singulorum malorum unica & sola origo est atque occasio: ideoque sicut radix in omnia arboris membra influit, omnibusque ramis, frondibus, floribus, fructibus vitam subministrat, adeo ut illa sublata omnia quoque ab arbore subnascentia languescant: pari quoque modo cupiditas causa est omnium malorum, quæcumque illa demum sint. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ad propositum vero ut vitii hujus tenacitas tantò clarius illucescant, ad id quoque reflectendum est, quod sicut ab arbore aliqua facili negotio ramus aliquis decerpitur, imò cum minori adhuc difficultate frondibus floribus aut fructibus spoliatur; at vero ad subvertendam & extirpandam radicem quantus labor requiritur? quot ligones, quot secures, quot serræ, aliaque omnis generis validissima Instrumenta non adhibentur? ita quoque ut quis à corde alicujus avari inordinatum illum divitiarum bonorumque terrenorum appetitum evellat & radicitus extirpet, eædem prorsus difficultates, labores & molestiæ occurrunt. Enimvero si Deus ex corde hominis alicujus carnalis affectum impudicum, quo seducitur, eradicare velit, ad id complendum nulla prorsus difficultas occurrit; res enim tota confecta erit, si Deus objectum illud, quod inordinatè amat, juxta latus ejus ex improviso mori faciat. Si hominem vindictæ cupidum ad remissionem receptarum ab inimico injuriarum exstimulare velit, haud quaquam id erit difficile; siquidem id facili negotio obtinebit, si ipsum vivum quendam rimoris, suspicionem, pravorum judiciorum, imo jamjam imminentis mortis infernum experiri faciat. Quodsi gulosum aliquem epulonem seu Epicurum à crapula resipiscere, & ad temperantiæ leges perducere velit, haud difficulter id faciet, si permiserit ut acutissimas, diuturnas, & lethiferas, totumque hominem exhaurientes infirmitates incurrat; & sic de reliquis discurrere licet: at verò si avaro alicui facultates ejus sustuleris, non ob id subitò malo ipsius remedium adhibebis, imo potius animæ ipsius malum augebis; similiter si facultates ipsius adauxeris, non ob id habendi cupiditas in ipso vigere desinet, imo cum adauctis divitiis magis magisque in ipso crescet plus habendi & acquirendi sitis inextinguibilis. Et quidem insuper observandum est, quod vitium istud aliquam sibi etiam in personis quibusdam cæteroquin Dei legem studiosè observantibus, cognationem acquirat.

Marc. 10. 17. 8 In Evangelio S. Marci coram Christo Salvatore nostro quidam se sistit devotus adolescens, qui Dominum nostrum summa cum reverentia hisce verbis alloquitur: *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* cui Salvator protinus respondit: *Præcepta nosti?* cui adolescens mox subintulit: *Hæc omnia observavi à juventute mea. Jesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei: unum tibi deest, vade, quæcunque habes, vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, & sequere me*, quid postea huic adolescenti acciderit, nemo est qui id nesciat; dicit enim Scriptura; *Qui contristatus in verbo abiit mærens, erat enim habens multas possessiones.* Salvator igitur tristitiam & defectionem adolescentis illius, qui anteà in sequela ipsius adeo se fervidum probaverat, videns, ad suos conversus, *& circumspiciens Jesus ait discipulis suis: quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.* Ubi Chrysostomus ait: *Benè autem non fecit æternæ vitæ mentionem sed thesauri; quia enim de pecuniis erat sermo, & de abrenuntiatione omnium, ostendit, quid reddet plura his, quæ præcepit relinquere.* Veruntamen ait Victor Alexandrinus: *Una illa voce à Deo consternatus fuit, ut de vita æterna ne cogitare quidem potuerit, sed tristis mærensque statim abierit*; ac tandem concludit, juvenem hunc seriam quidem habuisse salutis suæ consequendæ voluntatem & desiderium, indissolubili tamen laqueo captus id perficere nequiverit: *cupiebat vitam æternam, & morbo tenebatur longè difficillimo.*

9 Verùm enimvero quid opus est alia exempla inquirere præter unicum illud infelicis illius Apostoli & scholæ Christi discipuli? etenim non obstante quod continuus fuerit commensalis Dei illius, qui de se protestatur dicens: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*; non obstante etiam quòd Christum præceptorem suum sæpius audivisset dicentem: *Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum*; denique non obstante quod ei expressè prohibuisset: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, nihilominus posthabita, & veluti pedibus substrata quavis lege naturali, humana & divina, seduci se permisit, ut Magistrum suum, Dei, inquam, Filium, pro triginta denariis flagitiosissimè vendiderit; neque ad ipsum ab hoc diabolico attentato removendum sufficiebat criminis sui, quod machinabatur, ipsi à Christo antecedenter facta manifestatio, non severissimorum suppliciorum de ipso sumendorum rigidissimæ à Christo factæ comminationes, non benignæ illæ ad resipiscentiam illius procurandam à Christo ei propositæ invitationes; non verborum blandimenta, quibus ipsum Christus non solum in cœna, verùm etiam in ipsissimo flagitiosissimo traditionis actu delinire satagebat: sed spretis hisce omnibus conceptum facinus non solum adimplere & exequi; verùm etiam cum flagitium suum per synceram pœnitentiam expiare posset, in summam gratiæ & misericordiæ Dei injuriam & ignominiam, utpotè quæ ad ipsum benignè recipiendum promptissimam se exhibebat, desperata morte vitam suam claudere voluit.

10 Undè quàm venenosa & pestifera sit illa radix avaritiæ, abundè satis colligitur, siquidem alii discipuli, qui in quemcunque alium errorem fuere prolapsi; verbi gratia, duo illi fratres, filii Zebedæi, in primatum sedium ambitionem, Petrus in perjurium, Thomas in incredulitatem, indilatè resipuerunt; at verò infelicissimus hic discipulus, utpote circa aurum & argentum valdè avarus & cupidus, mortuus est desperatus, ideoque in eo die damnatus fuit, quo paradisus ipsis quoque latronibus factus est pervius & patulus.

11 Ex hactenus dictis facili quoque negotio comprehendi potest, quam fuerat miraculosa mutatio, quam Dei altissimi omnipotens dextera circa S. Matthæum operata fuit; quia tametsi in hoc insatiabili avaritiæ vitio adeo habituatus fuerit, *lucris pertinaciter inhiantem*, nihilominus in unico quasi temporis momento *surgens, relictis omnibus secutus est eum.*

12 Et quidem ut prodigium conversionis hujus tantò magis elucescat, instituatis velim quandam Matthæum inter & juvenem illum. Evangelicum, de quo paulò antè locuti fuimus, comparationem. Etenim adolescens ille Christo dicere non dubitavit; *Omnia hæc*, scilicet præcepta Dei, *custodivi à juventute mea*; supra modum quoque cupidus fuit se Deo ejusque servitio dedicandi, & tamen quando Christum audivit sibi dicentem, quòd ut perfectus evadat, opus sit ei omnia prorsus relinquere, *abiit tristis*. Similiter Apostolus quidam ab avaritia extimulatus Salvatorem tradit, eumque vendit, ac demum *projectis argenteis in templo laqueo se suspendit*, denarios in locum sacrum reposuit, ut tanquam idola ibidem adorarentur, *Avaritia quod est idolorum servitus*, semetipsum verò in furcam & in infernum adegit. Econtrà verò hodiernam hujus publicani *sedentis in telonio* in Apostolum conversionem utrique prædictorum è diametro opponatis, sic enim evidenter quàm hæc sit admirabilis, unicuique manifestum fiet: neque enim duntaxat in schola Christi nondum sederat, verum ne pedem quidem unquam in eam intulit, & forsitan ne unicum quidem in via divinorum præceptorum gressum moverat, & tamen ad prolationem unius tantum verbi ab homine secundum faciem exteriorem paupere & abjecto factam, *relictis omnibus, surgens secutus est eum*; non solum tenacissimam illam cupiditatis terrenæ radicem è corde suo penitus evulsit; verùm etiam eodem protius tempore intensissimum quendam erga Evangelicam & Apostolicam paupertatem amorem eidem cordi suo inseruit, adeo ut A- Lib. 37 in
bulensis de eo dicat: *Reliquit quæ habebat, & quæ haber-* Matth.

pote-

poterat, & quæ habere cupiebat. Verè sanctus hic Apostolus ad propositum nostrum dicere potuit. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis*. Reverà enim metallum istud, quod tanti in hoc mundo æstimamus, fæx quædam est terræ hujus; undè superius ex mente Habacuc diximus, quod qui illud accumulat, *aggravat contra se densum lutum de lacu miseriæ*, siquidem avaritia multas secum inquietudines & anxietates adfert, & ideo divitiæ ab incarnata Sapientia Patris spinæ appellatæ fuerunt. *De luto fæcis*; quia sicut lutum nobis facillimè adhæreſcit, ita quoque corda nostra facillimè auro & argento agglutinantur. *Statuit supra petram pedes meos*, ipsum namque tanquam columnam stabilivit supra petram & ædificium Ecclesiæ, dum eum in Apostolum elegit. *Et direxit gressus meos*; scilicet ut se reciperet in Christi sequelam, ut difficillimis valdeque arduis itineribus & laboribus ad ejus Evangelium annuntiandum varias peragraret provincias & regna. *Et immisit in os meum canticum novum*; quia novam gratiæ legem prædicavit, magnamque novi Testamenti partem, id est, sanctum Evangelium suum conscripsit. *Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino*; multi namque ex hujus Apostoli conversione magnam concepturi sunt salutis suæ spem atque fiduciam. Undè B. Petrus Damianus ait: *O quam dulcis, quam jucunda, quàm delectabilis est ista festivitas, in qua*
Serm. 2. de S. Matth. *peccator ad amorem Dei accenditur, fides augetur, mens quæ diffidebat, erigitur, certa spei gratia cumulatur.*

Eo ipso quo S. Matthæus conversionem suam inter miracula Christi enumerat, quàm illa admiranda, & stupescenda fuerit, satis demonstrat.

DISCURSUS QUINTUS.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me, & surgens secutus est eum. Matth. c. 9. v. 9.

1 SAnctus Matthæus in charta sua Evangelica multa ab omnipotenti Christi manu patrata prodigiosa miracula describens, videlicet de leproso mundato, sanato paralytico, sedata maris tempestate, de dæmonibus ab obsessis corporibus fugatis, tandem quoque conversionis suæ filum historicè contexere incipit, dicens: *Et cum transiret inde, vidit hominem, &c.* Cujus mysterium glossa tangit, dum ait: *Matthæus vocationem suam refert inter miracula*; probè namque sciens quam difficili vitiorum, appetituum inordinatorum, omniumque aliarum iniquitatum labyrintho intricatus, & quot laqueis à dæmone strictè ligatus fuerit; ex alia verò ad mutationem quandam adeo admirabilem in semetipso à divina gratia factam sese reflectens, eandem inter miracula referendam esse censuit; & meritò; nam ut Doctor Angelicus
1. 2. q. 113. art. 9. scribit; *Majus opus est justificatio impii quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quàm creatio cœli & terræ quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis*. Id quod ex alio quodam motivo probat: *Ut mundum crearet, nihil obsistebat; at ne largiatur suam gratiam impio, reluctatur peccatum & impietas impii*. S. Augustinus etiam illa verba; *Majora horum faciet*, declarans dicit: *Nam majus opus est, ut quis ex impio justus fiat, quam creare cœlum & terram*. Et quidem si hoc indifferenter quoad omnē peccatorem verum est, quid in præsenti proposito de S. Matt. adeo insigni peccatore & Publicano dicendum erit?

2 *Inter miracula*. Magnum quidem & eximium quid est, quod Christus ad dexteram Patris residens Saulum ad Apostolatum vocatum in Paulum transmutarit; hoc tamen ei non accidit, nisi postquam prius coram se cœlum aperiri, atque ex splendoribus illis æternis divinam quandam lucem se illuminantem emicare vidit, fuitque lux illa fortasse tertia sanctissimæ illius Triadis Persona, quę ab Ecclesia *Lux beatissima* denominatur: *Circumfulsit eum lux de cœlo*. Ipsemet quoque Christus, uti multi graves Doctores opinantur, se in propria persona gloriosum & impassibilem, non verò caduca & mortali carne cinctum, utpotè *splendorem paternæ gloriæ*, spectandum exhibuit, cumque terribili hac voce inclamavit: *Saule, Saule quid me persequeris?* Et ideo nil mirum si statim victas manus dederit, dicens; *Domine quid me vis facere?* In casu autem nostro S. Matthæus nulla unquam viderat à Salvatore patrata miracula; siquidem omnes affectus illius argento & auro conquirendo immersi erant, ideo enim, ut superius vidimus sancti Patres illum dicunt fuisse: *Lucris pertinaciter inhiantem*; *animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus*. Similiter et dum Christus illum vocavit, oculis suis virum quendam intuitus est juxta speciem externam rigidum, austerum, gravem, pauperem, nudipedem, passim à divitibus, Scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, aliisque synagogæ principibus subsannatum, & derisui habitum, & tanquam Samaritanum, dæmoniacum, ebriosum ac temulentum contemptum, adeo ut publicè ei acclamarint: *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum?* & tamen hic ad unam Christi vocem montes aureos deseruit, seque in Salvatoris sequelam protinùs recepit: *Surgens secutus est eum*.

3 Valdè quoque admirabilis fuit illa trium illorum Magorum sive Regum Orientalium fides, qui cum tantis incommodis & molestiis è regnis suis discesserunt, ut coram Infantulo quodam qui nudus in stabulo positus toto corpore tremebat, venerabundi sese prosternerent; hujus tamen facti admirationem multum diminuit, quòd licèt stabulum puerulum hunc minus quàm hominem esse protestaretur, stella tamen eundem infantem clarè indicaverit esse Deum, in cujus rei testimonium insuper ipsam Balaami prædictionem habebant.

4 Fuit itidem mirabilis quidem fides illa boni latronis, qui eum, quem videbat, quendam sustinere dolorum ac tormentorum acerbissimum infernum, tanquam verum paradisi Regem adoravit; verum antequam id faceret, quot non vidit portenta totam naturæ vim omnino superantia, solem nimirum obscurari, universamque terram quaquaversum contremiscere! quot item non vidit & admiratus fuit in Redemptore nostro heroicos & supernaturales actus & gesta?

5 Similiter Magdalena quidem prima fuit, quæ pro impetranda plenaria peccatorum suorum indulgentia ad Christum accurrit; id tamen adeo mirum non est: quia eum, de quo dicitur: *Verba vitæ æternæ habet*, in templo sępius prædicantem auscultarat: miraculum quoque in filio viduæ Naimiticæ patratum præsens spectarat; at verò de S. Matthæo B. Laurentius Justinianus scribit; *Signa non viderat salutis; non intellexerat monita, nec familiaris Christo extiterat, & tamen ad unam vocantis vocem, corde compunctus, mente mutatus, irradiatus fide, atque charitatis transfixus jaculo, repente relictis pecuniis, familia, possessionibus, ac seipso, præceptoris obedivit imperio*.

6 *Inter miracula*. Præterea alii Apostoli priusquam à Christo ad sui sequelam invitarentur, in timore Dei habituati erant, nulli unquam peccaminosæ professioni applicati fuerant, quæ aliquam annexam haberet à divinæ legis observantia abalienationem, at verò S. Matthæus publicus peccator erat, rapinisque, usuris, & violentis pecuniarum extorsionibus totaliter deditus fuerat. Undè B. Laurentius præfatus ait: *Erat namque Matthæus Publicanus, & turpis lucri publicè negotiis intentus, alienus à fide, & à sacrorum segregatus consortio, temporalia quærens, parvipendensque cœlestia*.

7 Aliis, quos ad Apostolatum invitavit, dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum*; adeoque illi Christum sequendo conditionem suam notabiliter meliorem reddebant; nihil enim amittebant, sed lucrabantur potius: siquidem piscatio hominum longe est excellentior & dignior, quàm sit illa piscium; at verò huic Publicano solum dixit verbo quodam imperativo: *Sequere me*; dicere utique ei potuisset: *Faciam te negotiatorem animarum, vel thezaurizabis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolietur*; id tamen nequaquam fecit, ac proindè nihil aliud ab eo auditur, quàm unicum duntaxat; *Sequere*: Sed quem? *Me*. Quis autem is alius erat, qui ad se sequendum Publicanum hunc, qui *non percipiebat ea quæ sunt spiritus*, provocabat, nisi quidam in oculis hominum abjectus, nudipes, pauper; qui proindè dicere poterat: *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis*? Dixit quoque nudè: *Sequere me*: nihil aliud addendo, nec exprimendo, quo fine, nec in quem locum, nec quamdiu, vel quando, neque cur, aut cum qua remuneratione id facturus esset; & tamen absque eo quod quidquam super verbis Domini ratiocinaretur, *captivans intellectum in obsequium fidei, surgens, relictis omnibus secutus est eum*. Nunquid igitur his omnibus rectè pensitatis optimè hæc conversio *inter miracula* Christi poni dicitur?

8 Ad

8 Ad hæc considerandum quòd tres Magos Orientales prodigiosa quadam stella mediante ad se invitarit, quia hi astrologia delectabantur, alios quoque inescavit, ut diximus, hisce verbis: *Faciam vos fieri piscatores hominum*. S.Paulum, qui legem Mosaicam ardenti zelo prosequebatur, sibi attraxit, illuminandô eum, efficiendoque ut veritatem agnosceret Evangelicam, Mosaicam verò veraciter cessasse crederet; ideoque facilè ei fuit, ut convicto intellectu, ejus quoque voluntatem pariter sibi acquireret, eumque faceret dicere: *Domine quid me vis facere?* maximè postquam audivit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel*; at verò quodnam vel quale motivum hunc Publicanum ad Christi sequelam invitare poterat? Psal.48.19. Etenim in Psalmo dicitur: *Confitebitur tibi*; verùm ecce tibi subito motivum expressum: *Cùm benefeceris ei*. Num fortè socrum ejus sicut socrum Petri pristinæ sanitati miraculosè restituit? Num fortè Christus ei idem quod Zachæo dixerat: *Hodie huic domui salus à Deo facta est?* at verò si id, quod Christus in hoc Publicano operatus fuit, attentè consideremus, potiùs dicendum est ipsum usum fuisse medio omninò contrario illi, per quod ad sui sequelam invitati, atque ad deserendas omnes divitias hactenus cum tot sudoribus & curis comparatas moveri potuisset. Undè licet David dicat: *Confitebor tibi, cùm benefeceris ei*; id tamen S. Matthæo non evenit, *& tamen relictis omnibus, &c.*

quæst. 37. 9 *Inter miracula*. Abulensis movet hoc dubium, cur scilicet a sactis Evangelistis specialior fiat mentio de vocatione, qua ad Apostolatum vocati fuere S. Petrus, S. Andreas, S. Jacobus, S. Joannes, & S. Matthæus, quam de vocatione aliorum? illudque resolvit dicendo: *Evangelista illa solùm expresserunt, quæ ad aliquam instructionem nostram proficiunt; & quia in istorum vocatione fuit aliquid speciale & ad miraculum pertinens, vocatio istorum solùm descripta est*. Verùm, inquies, quænam sunt illa miracula in vocatione aliorum? De duobus fratribus Petro & Andrea invenimus scriptum: *Relictis retibus & navi*; de sanctis Jacobo & Joanne pariter scribitur: *Relicta navi & patre secuti sunt eum*. Verùm enimvero quænam est proportio inter ea, quæ dicti quatuor fratres deseruerunt, si comparentur cum illo quod reliquit S. Matthæus? Idipsum optimè explicat dictus Abulensis, dum de hoc Apostolo nostro ita scribere pergit: *In Matthæo autem fuit majus miraculum, quia cum sederet in ardoribus avaritiæ, Christo vocante omnia deseruit quæ habebat, quæ habere poterat & quod majus est, quæ habere cupiebat; hæc autem mox ut vocatus quod subito desereret, miraculum erat, & inter miracu-* Eccl.31.5. *la ponendum*. Axioma est Veritatis æternæ: *Qui aurum diligit, non justificabitur*. Quid igitur aliud de hoc Apostolo, quem Spiritus sanctus vocat *Sedentem in telonio*; quod idem est, ac si illum *Lucris pertinaciter inhærentem* esse diceret, aliud concludendum erat, quàm quod nequaquam justificandus foret.

10 David Propheta Regius vice quadam Deum, quod æternæ gloriæ possessionem post hanc vitam con- Psal.14.5. sequendam attinet, interrogabat: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* sibique ipsi perspicuis verbis respondet, hac gratia dignum futurum esse: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*; igitur *à contrario sensu* dicendum videtur, usurarios indignos futuros esse divino consortio; ac proinde meritò *inter eximia Christi miracula* connumeranda est hujus usurarii tanta mutatio, ut ipsiusmet Filii Dei factus sit familiaris atque domesticus, vel quod de facto *requiescat in tabernaculo ejus, fueritque justificatus*.

11 Enimvero is, qui peccato carnis immersus est, hunc scopulum facilè superabit sive per adultiorem ætatem, sive per infirmitatum acerbitates, sive per notabile fortunæ dispendium, sive denique per mortem & jacturam objecti illius, quod perditè amabat: vel etiam facilè victor de carne sua evadet per adhibitos vitæ rigores & austeritates corporales; at vero quam est difficile in avaro tam in abundantia divitiarum, quàm inter adversitates & afflictiones, insatiabilem hunc appetitum moderari, cujus *auri sacra fames*, ut Poeta canit, *quid non mortalia cogis pectora?* quot noctes transiguntur insomnes? quot servantur & fiunt non præceptæ vigiliæ? quot non subnascuntur navigationum pericula, labores & ærumnæ? cum quanto gustu avarus sibi accumulat pericula exactionum, incendiorum, deprædationum, &c. Litigatur cum amicis, parentibus, & aliis omnibus sine discrimine. Propter aurum homines ad ipsa inferni confinia usque vivi descendunt; propter aurum venditur corpus, anima, honor, & omnia. Aurum est tyrannus, qui nonnunquam etiam amicorum Dei fidelissimorum corda devincit. Atque iden nunquid verum fuit miraculum, quod Publicanus iste ad unam Christi vocem omnia hactenus laboriosè & solicitè congregata fortunæ bona deserat, *relictis omnibus*?

12 Verùm enimvero in hac conversione valdè etiam considerabile est tempus, quo facta est. In Jeremia Deus ita loquitur: *Locutus sum ad te in abundantia tua, &* Jerem 22.21. *dixisti, non audiam: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. David quoque ait: *In-* Psal.91.17. *crassatus, impinguatus, dilatatus*. Et quid indè sequitur? *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo* Deut.32.5. *salutari suo*. Alios Apostolos eo tempore invitavit, quando piscario irrito & infructuoso labore fiebat. Quod vero S. Matthæum attinet, in hoc conversionis ejus consistit miraculum, quod eo tempore, quo cunctæ ejus negationes prosperrimæ & ad votum fluebant, quando in opulentorum lucrorum suorum mensa quietè sedebat, & quiescebat solicitè, *sedentem in telonio*; quod, inquam, tunc non solùm Christi invitationibus aures promptas, & ad obediendum pronas præbuerit; verùm etiam *relictis omnibus*, plus fecerit, quàm ei à Christo fuerat præceptum: Dominus enim noster solùm ei dixerat: *Sequere me*; non vero jusserat, ut opulentissimam substantiam & facultates suas penitùs desereret, *& tamen relictis omnibus secutus est eum*.

13 *Inter miracula*. Christus Salvator noster cum Samaritana ex proposito & de industria prolixum sermonem miscuit, secretissima, quæ in intentione & corde suo habebat recondita, ei detegendo, omniaque ejus peccata ei revelando, aquam illi promisit ex fonte aquarum viventium propinandam: *Fatigatus ex itinere sedebat sic* Joan. 4. *supra fontem*. Aliter vero cum hoc Publicano egit; dicit enim textus hodierni Evangelii: *Cùm transiret inde, vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me; & surgens secutus est eum*. Unicus à Christo in ipsum obiter directus intuitus, absque eo quod Christus vel ad momentum quiete ejus causa subsistendo moram traheret, ipsum ad Christi sequelam immediate traxit; nulla prorsus interjecta fuit dilatio aut mora temporis inter *Vidit* Christi & *Dixit*; & inter *surgens, & secutus est eum*. Verùm enimvero conversio S. Matthæi tantò magis & excellentius Samaritanæ conversionem antecellit, quantò ex Evangelio certius est quod Samaritana ad hoc ut Christum in Samaria tanquam verum Messiam prædicaret, solam *reliquit ibi hydriam*, vas scilicet fictile & terreum; quid vero sanctus Matthæus Christum prædicaturus reliquerit, magis perspicuè intelligetis, si duo illa verba, quæ de hoc Publicano dicuntur, in statera mentis vestræ æquè ponderaveritis, nimirum, *relictis omnibus*; nam ut super tot mundi regna Evangelium annuntiaturus expeditiùs se extenderet, omnia reliquit quæ possedit.

14 *Inter miracula*. Chrysologus ait: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia; deterius sedebat in telonio, quam paralyticus jacebat in lecto; quia ille carnis patiebatur paralysim, iste mentis*; verùm consideretis velim admirabilem mutationem, quæ circa eum facta est: *Mox*, inquit idem Chrysologus, *Apostolatus præditus dignitate, non solùm ipse accepit, sed etiam aliis indulgentiam præbuit peccatorum*. Audite obsecro qualiter verba illa: *Surgens relictis omnibus secutus est* In Evang. *eum*. Sanctus & Seraphicus Doctor Bonaventura interpretatur: *In quo designatur perfectus consensus liberi arbitrii, & quoad recessum a malo, & quoad perfectum in bono, & consummationem in statu perfecto; ideo dicitur quòd omnia reliquit, quod surrexit, & quod Christum secutus est*. Metaphrastes similiter ita de eo scribit: *Non pecuniæ multitudinem, non turbam eorum qui circumstabant, non hanc gloriam quicquam apud se reputans, statim surgens, neque verbis prolixis opus habuit, neque longo sermone; sed cùm primum illam vo-* Jo. Ferus in Matth *cem audivit, sequere me, surgens secutus est eum*. Veruntamen ut Commentator quidam super Matthæum scribit: *Observandum & illud, quod Matthæus vocationem suam inter miracula describit & reputat; nec immerito: non enim minus, imo majus miraculum est ex ambitioso modestum ex feroci tolerantem, ex libidi-*

naso castum, ex rapaci liberalem reddere, quam corpus hominis sanitati restituere. Inter miracula recensendum est, quod sine ullo medio ab uno extremo vitii ad culmen adeo eminens Apostolicæ perfectionis transierit.

15 Inter miracula referendum quoque est, quod vir omnino vilis, Publicanus, ab omni Israele in abominatione habitus, in unico momento ad eam sublimatus sit dignitatem, de qua canimus: *Ecclesiarum Principes*.

Ho. 31. in Genes. Chrysostomus ait: *Publicanorum autem studia, & exercitatio impudentia, crudelitatis plena sunt; turpis quædam mercatura, imo rapida.* Et tamen ecce tibi Publicanum hunc à B. Petro Damiano gloriosè descriptum:

Serm. 1. de S. Matth. *Inter omnes planè Sanctos qui cælesti gloria de triumphato mundo victoriæ titulos intulerunt, B. Matthæus mihi videtur insignis, & quendam inter eos obtinere dignitatis primatum, atque, ut audenter dicam: Nemo est post Christum, cui magis debeat sancta universalis Ecclesia.*

De virtutibus, quæ in ejus Conversione resplendent,

DISCURSUS SEXTUS.

Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, sequere me; & surgens secutus est eum. Matth. 9. vers. 9.

1 SAnctus Joannes Chrysostomus qualitates, quæ esse hominis specialissimè constituunt, accuratè considerans, dicit illas non in hisce membris corporalibus, vult videlicet, oculis, auribus, ore, aliisque partibus; nec in usu rationis sive discursu, sed in virtutibus Christianis consistere:

Ho. 13. in Genes. *Tunc homo est, quando virtutem colit.* Paulò post verò ulterius interrogat dicens? *Quæ autem est imago hominis? rationalem esse? verùm non hoc solum fuerit esse hominem, sed virtutibus esse deditum, & vitia fugere, & illicitis affectionibus imperare, & mandatis Dominicis obtemperare.* Ex hoc quidem fundamento supposito, jure merito dicere possumus, quod Deus noster, quando suos in hunc Apostolum oculos direxit, verè vidit hominem; siquidem in ejus conversione, & successivè in toto decursu vitæ ejus Apostolicæ, multæ eæque omnes valdè præclaræ virtutes eluxerunt: *Vitia fugit, illicitis affectionibus imperavit, mandatis Dominicis obtemperavit.*

2 *Virtutibus deditum.* Celebris est illa S. Hieronymi sententia: *Prima Christiani virtus est, contemnere, & contemni.* Necessum enim est, quòd quisquis primum in via Dei pedem figit, eo eam ingrediatur animo, ut mundum velit contemnere & negligere, cumque generosa resolutione subsannationes & derisiones obvias ab aliis patienter sustinere. S. Matthæus *relictis omnibus secutus est eum*; adeoque in primis propter Deum omnia contempsit, idque non invitus, sed cum summo animi gaudio. Pro cujus majori evidentia observandum est, quòd cùm S. Lucas lautum illud convivium, quod Christo Domino in signum lætitiæ, qua animus ejus gestiebat, eo quòd se in sequelam & disciplinam Salvatoris addixerat, instruxit, in Evangelio sub hisce verbis referat: *Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua*; attamen ipsemet sanctus Matthæus idem convivium tangens, aliud nihil dicat, quàm *discumbente in domo*, non verò domum illam domum suam esse dicat: quia revera non amplius domus ejus erat, quoad affectum & æstimationem propriam, quia *relictis omnibus secutus est eum.*

3 Quoad aliud verò punctum, quod consistit in eo, ut quis eligat contemni & negligi propter Christum, similiter est certum sanctum Matthæum quoque hoc ipsum perlibenter sustinuisse; considerate enim qualiter maximè à collegis suis, qui eorundem cum ipso negotiorum consortes erant, derisus & subsannatus fuerit, eo quod ingentes divitias, & facultates suas, nec non & lucrosissimum munus suum quo in telonio per fungebatur & quo mediante maximum per singulos dies divitiis suis incrementum addere poterat, ultro citroque dimiserit, idque eo potissimum fine, ut tantò expeditius sequi posset Christum, qui fabri lignarii filius, & Dæmoniacus seu præstigiator quidam æstimabatur, quem proinde præter vilem, & abjectam plebeculam nullus publicè sectabatur, quæ causa erat, cur Nicodemus Princeps synagogæ cum diurno tempore aliis spectantibus convenire erubuerit, ideoque nocturno solum tempore cum eo sermocinatus fuerit. Imo credibile est, quod ab initio ipsiusmet scholæ Salvatoris discipuli ipsum tanquam publicum peccatorem abominati fuerint, quamdiu scilicet factam in animo ipsius mutationem ignorabant, Pharisæi autem apertè contra ipsum murmurabant, cumque tanquam hominem inconstantem, qui ad omnem ventum spirantem mutabatur, præ oculis ferre non poterant, & tamen tantum obest, quod se à disciplina, & sequela retrogressus subduxerit, ut potius aliis Evangelistis ipsum Publicanum fuisse silentibus, & dissimulantibus, ipsemet se talem fuisse publicè in Evangelio suo professus fuerit. Undè Sanctus Thomas ait: *Alii appellant eum Levi ad servandum honorem ejus, ut non agnoscatur ille esse peccator, sed ipse vocat se Matthæum, quia justus in principio accusator est sui.*

4 *Virtutibus deditum*; Quia humilitas & modestia ipsius incomparabilis fuit. Unde Chrysostomus ait: *Non est abs re grandem Evangelistæ Philosophiam admirari, qui ante actam vitam suam non celavit, & nomen suum adscripsit quod alii appellatione occultaverant*, semper enim quotiescunque sui ipsius mentionem facere cogitur, se Publicanum fuisse apertè profitetur.

5 Agathocles ex figulo Rex factus, ne vilitatis progeniei suæ oblivisceretur, serio præcepit, ut inter alia vasa aurea & argentea: fictilia quoque vasa in mensa regia adjicerentur. Ita quoque S. Matthæus licèt ad eminentissimum Ecclesiæ gradum à Christo evectus esset; attamen ut se in continua sui humiliatione exerceret, se Publicanum fuisse semper memorari voluit.

6 Abulensis observat, quod S. Matthæus Christi Genealogiam per ordinem recensens, quando Salomonis progeniem descripturus erat, valdè prudenter dixerit: *Ex ea quæ fuit Uriæ*, quia ne hujus mulieris adulterium aliis in memoriam revocaret, Bersabeam expressè nominare inconsultum esse duxit; at verò quando, aliquam de semetipso scribendi occasionem habuit, sive ob recensendam vocationem suam sive ob alios respectus, se semper, etiam quando id necessitas non postulabat, Publicanum nominavit.

7 S. Lucas Apostolorum contexens catalogum, semper primo loco S. Matthæum & postea S. Thomam enumerat: ipsemet verò S. Matthæus S. Thomæ præeminentiam attribuit, ac tandem de se subjungit: *Et Matthæus Publicanus.* Unde Eusæbius Cæsariensis scribit: *Hoc nullus Evangelistarum indicavit, non coapostolus ejus Joannes, non Lucas, non Marcus, sed ipse Matthæus suam ipsius vitam non dissimulans, planeque seipsum accusans*; Et paulò post idipsum repetit, dicens: *Itaque Matthæus abundantia quadam modestiæ, studium præ se ferens veritatis, in suis moribus indicandis Publicanum se appellavit.* Lib. 3. demonstrat. Evang. c. 3.

8 Notat S. Thomas, quod quidem se poterat Matthæus appellare *Levi*, prouti ab aliis appellatus fuit, & tamen *voluit se vocare illo nomine, quo magis erat notus, ut sic magis cognosceretur peccatum suum*; Serm. de S. Matth. De se quoque nihil aliud scripsit, nisi quod invitatus à Salvatore ejus se sequelæ & disciplinæ manciparit: Sanctus Lucas autem illam adjunxit perfectæ conversionis suæ circumstantiam: *Relictis omnibus.* Unde Glossa dicit: *Lucas plenius dicit, relictis omnibus secutus eum, tam corpore quàm mente.*

9 Tacuit etiam S. Matthæus; quod Salvatori nostro in domo sua convivium opiparum instruxerit, utique ex motivo humilitatis, quia alias declarasset exhibitam à se erga benefactorem suum insignem gratitudinem, vel zelum lucrandi alios Christo, & excessivum de vocatione sua gaudium. Unde Lucas Burgensis, circa illa verba: *Discumbente eo in domo*, addit, scilicet, *ipsius Matthæi, id quod ex Marco, & potissimum Luca perspicuum fit, nam Matthæus ipse modestiæ causa, quæ à se laude digna gesta sunt, reticet.*

10 Porrò quousque ab ipsis primis ejus principiis vocationis virtus hujus Apostoli excreverit, ex eo facile argui potest, quod ut sanctus Dionysius Areopagita ait: *Omnium divinarum divinissima extat perfectio Dei, cooperatores esse in salute animarum ad suum Creatorem*; etenim hæc perfectio in ipso manifesta fuit, quando vix in scholam cœlestis Magistri pedem suum primitus fixerat.

11 Hujus quoque zeli singulare specimen edidit, per hoc quod statum peccati in quo erat, data opera

aggrava-

aggravare voluerit, Publicanum ſe denominando, *ne quis à ſalute deſperet*, inquit Gloſſa, & Beda; *ut oſtendat legentibus, nullum debere converſum de ſalute diffidere, cum ipſe de Publicanu in Apoſtolorum, de telonar.o in Evangeliſtam ſit repente mutatus.* (In Luc.)

12 Hugo Cardinalis hanc Evangeliſtæ eharitatem in eo conſiderat, quod curæ ipſi fuerit, alias quoque animas errabundas Chriſto lucrari, unde circa illa verba: *Et erat turba multa Publicanorum*, dicit: *Hus invitavit, ut ſocios haberet in pœnitentia quos ſocios habuit in culpa.* Quem zelum imitatus fuiſſe videtur Sanctus Auguſtinus, qui poſtquam in Eccleſiæ gremium reductus reſipuit, prout ipſemet teſtatur, Deo dixit: *Ubi guſtaveram lumen tuum frendebam, quod aliis indicare non poſſem.*

Coloſſ. 3. 15.
13 *Virtutibus deditum.* Apoſtolus monet: *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.* S. Matthæus autem hanc pro vocatione ſua gratitudinem ſatis in præparato Salvatori tam corporali quam ſpirituali convivio manifeſtam reddidit. De ſpirituali convivio dicitur: *Cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*, id eſt, converſionem ejus; (Joan. 4. 32.) De corporali autem, inquit Victor Antiochenus: *Ut ob vocationis beneficium gratum ſe declararet*; Ejuſdem quoque ſententiæ Chryſoſtomus fuit, dum ait; *Congruam autem cœleſtis beneficii fidem rependens Matthæus, Chriſto magnum convivium in domo ſua paravit, ut illi commodaret ſua temporalia, à quo expectabat perpetua bona.* (In Cat.)

In Matth.
14 Janſenius non tam humilitati, quam gratitudini Sancti Matthæi adſcribit, quod ipſe in ſacra Scriptura ad perpetuam rei memoriam ſe Publicanum appellaverit: *Se Publicanum vocat, ut nomen ſuum & infame officium judicando, perpetuum relinqueret ſua gratitudinis, divinæque benignitatis, & gratia, & poteſtatis monumentum.* Idem quoque in Luca Burgenſi hiſce verbis ſcriptum reperio: *In eo*, inquit, *gratitudinem demonſtrans ſuam; quod perpetua eum memoria mandare non pudeat, qualis fuerit, & unde aſſumptus, qui magis in ſua perſona illuſtret gratiam Chriſti; quò enim, inquit ille, medici artem impenſius admireris, ſuum ipſe & nomen & vulnus aperit.*

15 *Virtutibus deditum.* Etenim obedientiam pariter perfectiſſimam exhibuit. Unde Gloſſa: *Perfecta* in eo relucet *obedientia & perfecta abrenuntiatio.* Chryſoſtomus quoque ait: *Sicut vidiſti vocantis virtutem, ita addiſce vocati obedientiam; neque enim reſiſtit, neque in domum abire rogavit, & ſuis hoc communicare.*

16 Ejus quoque admirari poſſumus manſuetudinem, dum Phariſæorum audiendo maledicentias & murmurationes, quantumvis indignè illum tractarent, indignum eum æſtimando, qui cum Salvatore converſaretur, adeoque prævidiſſe videbatur illud, quod Apoſtolus deinceps ſuggeſſit conſilium dicens; *Non noſmetipſus defendentes charíſſimi.* (Rom. 12.)

17 *Virtutibus deditum.* Veriſimile enim eſt, quod Deus ob ipſius virtutum merita ipſum multis honoraverit donis, & prærogativis ſingulariſſimis, ſiquidem ut conſtat, Apoſtolus, Evangeliſta & Martyr fuit. Unde B. Petrus Damianus ait: *Nulli planè mortalium hoc Deus omnipotens contulit, ut hac duo præeminentium dignitatum faſtigia in una ſimul perſona concurrant, ſcilicet ut Apoſtolus quiſquam ſit & Evangeliſta, niſi Matthæo & Joanni, quorum ſcilicet aliter Publicanus, alter eſt virgo, & hoc profundi diſpenſatione conſilii; nimirum ut & iſte ad miſericordia fontem peccatoribus ſe exhibeat prævium & ille cuſtoditis & innocentibus ſit exemplum, quatenus & lapſis quibuſque peracti ſceleris magnitudo non obviet, & mundos, ac nullis criminibus obrutos patens janua gratia cœleſtis invitet.* (Serm. 2. de S. Matth.)

Tom. 4. tra ct. 24.
18 Salmeron aliam quandam Sancti Matthæi prærogativam memorat, dum ait: *Igitur Spiritu ſuadente omnium primus Evangelio ſcribendo operam dedit, cumque jam poſt annos ab aſſumpto Chriſtu duodecim, ad prædicandum gentibus diſceſſurus eſſet, fidelibus, ac præſertim Jacobo fratri Domini, Epiſcopoque Hieroſolimitanu, ut ſynopſis ſua teſtis eſt Athanaſius, Evangelium conſcriptum tradidit.*

Lib. 1. c. 1.
19 Rupertus Abbas, Tuitienſis de gloria & honore filii hominis, eidem ejus Evangeliorum libro ſingularem quandam laudem attribuit, dicens: *Evangeliſta Divinus, in quo, vel per quem ſine dubio Spiritus ſanctus*

Manſ. Prompt.

locutus eſt, quippe qui cùm Publicanus fuerit, & homo ſine literis, non ab homine neque per hominem, ſed per Spiritum ſanctum doctus eſt, ut ſcriberet; Et ideo ſine dubio quicquid loquitur, pondus habet.

De Converſione ejus valdè admiranda ob heroicum divitiarum contemptum, quem perfectè eas deſerendo exhibuit.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Vidit Jeſus hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. Matth. 9. verſ. 9.

1 ARgentum, & aurum in tanta ſemper apud mortales æſtimationem fuerunt, ut S. Paulus Apoſtolus avaritiam non ſine ingenti myſterio Idololatriæ titulo afficiat, dum ait, *avarus, quod eſt idolorum ſervitus.* (Eph. 5. 5.)

2 Unde optimè Author quidam obſervat, quod non ſine cauſa uſus paſſim obtinuerit, quod Sanctorum, verbi gratia Beatæ Virginis, Chriſti, vel ſanctæ Crucis imagines in monetis exprimantur, ne homines, qui alias auri argentivè cupidiſſimi ſunt, nullum metallo illi idololatricum cultum exhibeant, verum potiùs expreſſam Chriſti vel Beatæ Virginis effigiem devotè colant.

3 Filii Iſrael ultrò citroque in aures ſuas donarunt aureas: *Tollite in aures aureas*, ex quibus vitulus ille aureus fuſus fuit, quem proni adorarunt, eidem acclamantes: *Hi ſunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti*: verum inquies, ex quo vitulum jam jam ipſimet fabricaverant, qua ratione perſuadere ſibi poterant, hunc Deum illum eſſe, qui illos tanto tempore ſub Ægypti ſervitute ingemeſcentes ab eadem exemiſſent? Aliud profectò ad hoc reſponderi nequit, quam quod quilibet eorum in hoc Idolo aurum illud veluti Deum ſuum adorabant, quod ſibi quiſque in Ægypto proprium fecerant. *Avarus quod eſt Idolorum ſervitus.* Aurum verò iſtud, quod tanquam Deum ſuum adorabant, ab Ægypto exportarant, quando ditiſſima illa Ægyptiorum ſupellectile onuſti ab Ægypto egreſſi fuerunt. (Exod. 32.)

4 Ac proinde cum aurum experientia teſte ſæpè ſæpius homines Deo vivo, & vero dorſum vertere faciat, ideoque avaritia hominibus ad æternam perditionem viam ſternat, ſatis evidenter apparet miraculum illud, quod Deus hodie in hoc Apoſtolo patravit, quando gratia ſua fecit, ut hic Apoſtolus, quamvis magna auri copia onuſtus eſſet, illud tamen à ſe toto corde abjectum deſereret, Chriſtique diſciplinæ, & ſequelæ totaliter manciparet, ut totus Dei eſſet obſequio conſecratus, de quo proinde Chryſologus ita ſcribit: *Generuſus animus qui ſic ea, quæ magna putarat, facile, & quaſi nulla contempſit.* Vix etenim Deum verum agnoſcere cœperat, cum protinus aurum, quod paulò antequam idolum ſuum veneratus fuerat, pedibus ſuis ſubſtratum pedibus tanquam lutum conculcare cœpit. (Serm. 29.)

5 Pulchrè S. Ambroſius notat: quod *Jeſus Nave qui potuit Solem ſiſtere, ne procederet, avaritiam hominum non potuit ſiſtere, ne ſerperet; ad vocem ejus Sol ſtetit, avaritia non ſtetit.* Conſtat enim quod Joſue Soli præceperit, ut curſum ſuum præcipientem, quo in cœli axe vertitur, ſiſteret, ut victoriam ſuam conſummandi, delendique inimicos ſuos tempus ei ſufficiens ſuppeteret: *Sol contra Gabaon ne movearis*; qui protinus immobiliter ſtetit; Idem quoque in urbis Jerichuntinæ exterminio præcepit, ne quiſquam exuvias, & ſpolia inimicorum contingere præſumeret, nec tamen hac in re ei obtemperatum fuit, Achan nimirum præceptum iſtud arroganter tranſgrediente, Longè igitur Jeſus Salvator noſter præ Joſue glorioſior extitit, qui felicitatis & proſperitatis humanæ Solem in domo divitis illius Publicani proſperrimè elucentem unico verbo prolato ſubſiſtere fecit; vix enim Salvator noſter ipſum vocaverat, cum ecce eodem prorſus tempore curſum avaritiæ ejus coercuit, eandemque ſuppreſſit & extinxit: *Ad vocem ejus Sol ſtetit, & avaritia ſtetit*; quia *ſurgens relictis omnibus ſecutus eſt eum.* (Lib. 2. de Offic. c. 26.)

6 Vel etiam si dicere mavultis, quod *Sol non stetit*; siquidem Sol justitiæ Christus, *Cum transiret inde, vidit hominem*; attamen necessariò dicendum erit, quod nihilominus *avaritia stetit*, quia *relictis omnibus secutus est eum*; sitque miraculum illud ex hoc capite longè præstantius, eo quòd cursum avaritiæ Publicani hujus firmaverit & immobilitet, stare, & in divino suo servitio stabilem esse & perseverare fecerit, nequaquam ob id subsistendo, sed obiter & perfunctoriè operando istud sit miraculum assecutus.

Eph. 5. 5. 7 *Avarus quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem*, inquit Apostolus, *in regno Christi & Dei*. Quibus verbis duo regna distinguere videtur, Christi nimirum & Dei. Et quidem Christi regnum Ecclesiam esse dicere possumus. Porrò Sanctus Matthæus, mensam collybisticam, cui antea avarus affixus fuerat deserendo, magnam sibi in utroque hoc regno partem comparavit: Et primo quidem in regno Christi, id est, in Ecclesia, siquidem in ea Apostolorum, nec non Evangelistæ & Martyris dignitatem obtinuit: Et similiter in Regno Dei, id est, in Beatitudine, in qua unum ex gloriosis thronis illis, qui collegii Apostolici meritis destinati fuere, de quibus Salvator ait: *Sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel*, occupare feliciter meruit.

8 Regius Propheta David quondam dicebat: *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Do-*
Ps. 70. 19. *mini*. Ubi Pagninus legit: Quoniam *non cognovi numeros*. Vetusta quædam Romana versio ita legit: Quoniam non cognovi *negotiationem vel mercaturam*: Denique Titelmanus ait: *Quoniam non meipsum involvi in negotiationibus, atque hujusmodi exterioribus, quæ ad mentem à divinorum consideratione abstrahunt, & affectum ad avaritiam sive injustitiam frequenter pertrahunt, ob hoc ingrediar in potentias Domini*. Ecce igitur quam sit prorsus admirabilis S. Matthæi mutatio atque conversio, siquidem tametsi veluti Publicanus ad fauces usque negotiationibus, lucris, & commerciis immersus esset, nihilominus ab illis se feliciter in ictu oculi expediens ingressus est *in potentias Domini*; siquidem *nimis confortatus fuit principatus ejus, constituit eum principem super omnem terram*.

Ps. 75. 6. 9 Idemmet David divites, & avaros hoc titulo insignit, ut vocentur *viri divitiarum*; circa quæ verba Hugo Cardinalis ita ait: *Viri divitiarum dicuntur, quia ita divitiis adhærent sicut uxori, quasi celebratum esset matrimonium inter eos & divitias*; ac proinde sicut maritus & uxor ejus non nisi per mortem alterius ab invicem separantur, ita quoque, ut plurimum evenire solet illis, qui facultatibus, & divitiis nimis immoderatè adhærescunt, hunc namque affectum, & amorem erga illas nunquam amittunt, nisi dum moriuntur; tunc enim *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis*.

10 Experientia quotidiana satis evidenter docet, quod quanto magis avari in annorum ætate crescunt, tantò
Job 37. etiam amplius in iis crescat eorum avaritia. *Si putavi aurum robur meum*; ubi septuaginta legunt: *Si putavi*
Pineda. *aurum conjugium meum*; iisque verbis ut quidam expositorum ait; *ardentissimam pecuniæ libidinem indicat*: S. Matthæus multis annis Publicanum egerat, *lucris pertinaciter inhiantem*, & tamen tanta cum felicitate *surgens relictis omnibus secutus est eum*.

11 S. Paschasius de Publicani hujus avaritia scribens, ita ait: *Sedebat ut Magister rapinæ*; sed ecce tibi subitam in eo mutationem, nam factus est *surgens* qui antea sedebat, & qui antea aliena rapiebat, nunc *relictis omnibus secutus est eum*; ideoque primo conversionis suæ die dicere potuit, quod Petrus postquam aliquandiu in Apostolatu permanserat de omnibus simul Apostolis dixit: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*.

12 Ecquis autem conversionem hanc audiens de pietate & misericordia Dei diffidere poterit? B. Petrus Damianus quendam de hoc festo conscriptum à se sermonem, qui ordine primus est, hisce verbis exorditur: *Solemnitatis hodiernæ lætitia omnem desperationis aculeum de nostris mentibus amputat; ad præsumendum de divina misericordia titubantia corda confirmat*. Quis etenim futurus erit, qui non speret, & sanctam quandam de divina pietate præsumptionem concipiat, dummodo hujus Publicani exemplo ad id se per veram pœnitentiam disponat?

13 *Dabit voci suæ vocem virtutis*, ait olim David, Ps. 67. 34.
date gloriam Deo super Israel; magnificentia ejus & virtus ejus in nubibus, mirabilis Deus in sanctis suis. Verè etenim Sol ille justitiæ æternus omnipotentiam, virtutem, & magnificentiam suam in nubibus, id est, in vocatione Apostolorum agnosci fecit, utpotè in quibus & per quos prodigiosa adeo miracula patravit; *Dabit voci suæ vocem virtutis*, dum illos unico duntaxat pronuntiato verbo ad suam trahebat sequelam. Et quidem effectus iste in Sancto Matthæo specialiter admirabilis esse reperitur; siquidem alii aliud nihil reliquerunt, præterquam remos, retia, & ruinosam atque confractam multis locis naviculam, non verò sic hic Publicanus, qui ad unum Christi verbum *relictis omnibus secutus est eum. Dabit voci suæ vocem virtutis*, adeo heroicum nimirum in corde illo operando rerum terrenarum contemptum, eique altissimam quandam infundendo divinorum mysteriorum intelligentiam, & scientiam, adeo ut Evangeliorum volumen illud ritè conscribere potuerit, unde satis clarè deduci potest, quòd nullus de semetipso tanquam inhabili diffidere debeat, quando Deus eum ad aliquid vocat. Considera in hoc Apostolo admirabilem factam mutatio- In Matth.
nem, Lyranus ait: *Matthæum autem talibus occupatum vocavit, ut de gratia Dei nullus desperet, quantumcunque fuerit in vilibus occupatus*. Et Albertus Magnus scribit: *Levi autem interpretatur additus, quia sub significatione illius nominis additus est Apostolis, ut nemo quantorumcumque facinorum desperet, si conversus fuerit ad Dominum, audiens Publicanum factum esse Apostolum & Evangelistam*; adducit locum illum Psalmi 67. *Dixit Dominus, ex Basan convertam, hoc est, ex confusione*.

14 Lucas Burgensis ipsum considerat tanquam Publicanum mensæ collybisticæ seu usurarum capiendarum tenaciter affixum, postea verò in schola Christi factum non solum discipulum, sed etiam eodem die electum Apostolum, & dicit: *Usque adeo nullum est* In Matth.
actionis, negotii, ac vitæ genus, quamvis intricatum, & ab Evangelica simplicitate alienum à quo non se possint expedire homines, seria autem consideratione opus habet id quod sequitur, nimirum *modo vocati Deo parere velint*, ab hoc namque salutis nostræ fundamentum unicè dependet, quod vocati à Deo respondeamus, & obtemperemus, non verò Dei verba surda aure excipiamus.

15 S. Philippus Nerius dicere solebat quod ei qui ex statu vitæ cæteroquin bonæ, & Christianæ ad statum perfectiorem transire meditatur, opus sit temporis opportunitatem, bonoque aliorum consilio: at verò qui ex statu malo transire vult ad bonum, nequaquam indiget consilio, nec ullæ ad deliberandum de eo necessariæ sint induciæ seu dilationes morosæ, omnes namque occurrentes difficultates Deus complanat, aut è medio tollit.

16 S. Basilius de S. Matthæo scribit: *Non lucra solum* In Regu-
reliquit, sed pericula etiam contempsit, quæ ipsi totique lis.
ejus familiæ à Civitatis magistratibus imminebat, quod redemptorum à se vectigalium rationes discedens non confectas reliquisset. Nec tamen quicquam mali ipsi accidisse scimus, quia Deus est, qui nos defendit & protegit, quando nos ejus servitio toto corde consecramus, illeque est, qui ab omnibus nos periculis eripit: *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas*, asperitates montium in planitiem convertit, cunctasque tollit & alleviat difficultates.

Quam efficaciter Christus invitarit, & quam promptè Apostolus invitanti Salvatori responderit fusius ostenditur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Ait illi, Sequere me, & surgens secutus est eum.
Matth. cap. 9. vers. 9.

1 VOcatio Sancti Matthæi ad Apostolatum Altissimi omnipotentiam mirum in modum relucere facit, fuit enim *hæc mutatio dexteræ excelsi*. Unde Chrysostomus ait: *Virtutem vocantis voluit ostendere, qui*

non

Hom. 31. *non imposito adhuc fine pravæ publicanorum conversationi è medio malorum pelago illum abstraxit.*

2 Lyranus efficaciam verbi vocantis Christi ad propositum exponit, comparando illud cum verbis à Christo Domino in horto Gethsemani ad lictores illum capere volentes prolatis: *Quomodo illos qui ad accipiendum ipsum venerant, solo verbo prostravit dicens; Ego sum; ita solo verbo poterat quoscunque ad se trahere & in hoc apparet virtus divinitatis in eo.* Jerem. 8. Etenim apud Jeremiam ait Deus: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram?* Talis autem durissima petra S. Matthæus fuit, nam ubi Evangelium hodiernum dicit; *Sedentem in telonio*; Interlinearis, ut alibi diximus, hanc glossam addit: *Lucris pertinaciter inhiantem*, quibus verbis contriti hujus silicis durities satis manifestè innuitur, quæ tamen verbo vocantis Christi resistere non valuit, nam *vivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti,* Hebr. 4. *pertingens usque ad divisionem animæ & Spiritus, compagum quoque ac medullarum.*

3 Didacus Stella ad hujus vocationis virtutem melius intelligendam alia quadam utitur similitudine, In Luc. dum ait: *Non est mirum si Solis præsentia gelu resolvatur. O divini verbi mirabilem efficaciam, ut hæc duo verba: sequere me. magis vinctum, & ligatum attraxerunt Sanctum Matthæum, quam si duabus catenis devinciretur.*

4 Enimverò vocatio hæc quæ in hodierno Evangelio Ezec. 16. 6. memoratur, in Ezechiele Propheta, ni fallor, prædicta & delineata fuisse videtur. Audite enim sequentia hæc Prophetæ verba: *Transiens autem per te, vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixit tibi, cum esses in sanguine tuo, vive.* Et quidem Ezechielem in Spiritu Prophe- In 2. edit. tico de Sancto Matthæo loqui voluisse, ex verbis subsequentibus omninò fit credibile; *Et transivi per te, & vidi te; & ecce tempus tuum, tempus amantium.* Symmachus vertit: *tempus dilectionis*; Aquila legit? *Tempus commercii seu commutationis*; siquidem oculos suos eo præcipuè tempore in eum defixit, quo vel maximè sæcularibus erat negotiis immersus; Eo autem tempore charitas & amor Dei valde in eo reluxit, quia quo tempore vel maximè ei rebellis erat, ad se illum traxit: *Ubi abundavit delictum superabundavit & gratia; Tempus commercii*, non solùm in ordine ad Publicanum, sed etiam in ordine ad Christum. *O admirabile commercium, creator generis humani, animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus est procedens homo*, eo fine ut hominem redimeret; nam *propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis*; *Transiens*, inquit Ezechiel, quia *pertransibat benefaciendo, & sanando omnes; Et cum transiret inde Jesus* inquit de se idem met Matthæus, *vidit hominem sedentem &c.* Conculcabatur in sanguine, quia tanquam Publicanus omnibus erat peccatis immersus, quæ in Scriptura sacra sanguinis titulo denominatur: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus meus.* Christus autem invitando ipsum veram ei vitam, id est, gratiam suam promisit: *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Tempus commutationis*, quia ut doctissimus Salmeron vocationem sancti Matthæi declarans advertit: *Sequere me, idem* To. 4 tra. 7. *est, ac si diceret; hactenus nummismata imagine Cæsaris insignita in fiscum Cæsaris congregabas, nunc veni, ut homines ad imaginem, & similitudinem Dei factos in fiscum Patris mei æterni, tanquam pretiosum thesaurum recondas.*

5 Cæsarius Monachus Cisterciensis in Homilia quadam de hoc Festo verba hujus Evangelii sigillatim ponderans, multa inde elicit documenta moralia. Inter cætera enim dicit: *Singula hæc verba Sacramentis sunt plena. Transivit Jesus cor ejus compungendo; Vidit per gratiam illuminando, vocavit, ad gloriam Apostolatus eum provehendo, convivatus est cum illo, per dulcedinem devotionis mentem ejus accendendo*: Hæcque mysteria denuò resumens, subjungit: *Sicque transitus Jesus pertinet ad motum compunctionis, visus ad infusionem charitatis, vocatio ad statum perfectionis convivium ad gustum contemplationis.* Ecce igitur quot admirabiles effectus Christus in peccatore quodam multis annis iniquitatibus habituato unico motu, unico verbo, & obtutu oculorum suorum unico operatus fuerit? Quot thesauris spiritualibus cor ejus ipsum locupletasse existimatis, ut ipsum faceret erga thesauros auri, & argenti, quos possidebat, vel saltem avidè desiderabat, & requirebat, heroicum mente sua concipere odium atque contemptum? Paschasius Rupertus ait: In domo ejus, quæ fuerat officina crudelitatis, cellarium fraudis, & spelunca iniquitatis, fons pietatis emanat.

6 Isaias quondam prædixit: *Labor Ægypti & nego-* Isa. 45. 14. *tiatio Æthiopiæ & Sabaim, viri sublimes ad se transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt.* In quo loquendi modo tres personarum status significantur. Nam *labor Ægypti* agricolas denotat: In eo namque regno agri per Nili inundationem irrigati, & quasi cultivati fructum referunt valdè copiosum. *Negotiatio Æthiopiæ* mercatores designat, mercaturæ enim in illis regionibus plus quam in aliis regionibus in vigore erant: Per verba autem illa: *viri sublimes*, in dignitate positi intelliguntur. Enimverò Publicanum hunc in omni mundi parte, maximè verò in Æthiopia negotiatum fuisse, valdè est verisimile, cum verò ex comparatis sibi lucris admodum dives factus fuisset, ecce *relictis omnibus* in Christi se transfert disciplinam, & sequelam perpetuam; postea vero Evangelii prædicandi causa in Æthiopiam ablegatus: *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, longè opulentiores sibi merces acquisivit, multoque pretiosius lucrum sibi comparavit, tot videlicet innumerabilium animarum, quas ad fidem Christianam convertit, adeò namque industriè operatus & negotiatus est, ut *viri sublimes ad eum transierint*, id est, ad Dei veræque fidei notitiam, nam ut in lectionibus matutinalibus legimus: *Illo igitur in primis miraculo, quo Regis filiam à mortuis excitavit, Regem Patrem, & uxorem ejus, cum universa Provincia ad fidem Christi convertit.*

7 *Sequere me; & surgens secutus est.* Nullum prorsus inter vocationem Christi & sequelam S. Matthæi invenitur tempus intermedium: neque enim vel unicum verbum respondit, sed per facta subitò correspondit. Unde S. Ambrosius ait: *Vile illud sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit.* B. Petrus Damianus etiam ejus solicitudinem considerans ait: *Mox ut vocantis se Salvatoris audivit imperium, non cunctatus* Serm. 5. de S. Matth. *est, non sua disponendi quasivis inducias, non amicorum communicanda consilia, sed illico divitias sprevit, carnalium affectuum nexus abrupit, sicque solutus post Christi vestigia lætus & impiger properavit*; Non quonam, vel quo modo, aut quo fine, denique nec quanto tempore eum insecuturus esset eum interrogavit, sed ut Euthymius notat, *solam adduxit mentem ad omnia para-* In Matth. *tam, quæ jussificet is, qui eum vocaverat.*

8 Didacus Stella in Lucam aliam quandam adducit considerationem, quam vix aliquis aliorum Expositorum, quod memini, tetigit, eam videlicet quam paulò ante memoravi, nimirum quod ne verbum quidem responderit, eo quod verbis opus nequaquam erat, quando obedientia Publicani, & quam in sectandis Christi vestigiis exhibuit alacris promptitudo, linguę fuerunt fœcundæ, & efficaces, non tantum ad respondendum, sed etiam ad correspondendum; Ex quo hanc deducit doctrinam moralem: *Docemur etiam, quomodo gloria potius sanctis actionibus & operibus attingitur quam verbis; legimus enim, quæ fecerit Matthæus, non quæ dixerit; quod dixit, nihil fuit, quod autem fecit, multum, quandoquidem omnia reliquit, & Christum fuit secutus*: Tandem vero per axioma quoddam ad intelligendum in quonam perfectio Christiana consistat pernecessarium, ita concludit. *Perfectio autem Christiana non in verbis, sed operibus consistit; Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* In cujus probationem opportunè scribit Chrisostomus, dicens: Ho. 30 in 2 ad Cor. *Syllogismus certissimus, qui per opera efficitur.* Sanctus Serm. 28. autem Petrus Chrysologus vix se intelligere posse asserit; & ideò solicitè investigat, qua ratione Apostolus noster increatam illam sapientiam disponere potuerit, ut usurarium quendam, seu mercatorem imò virum, qui avaritiæ totaliter in prædam cesserat ad Apostolatum vocaret, eumque tam electo & glorioso Collegii Apostolici numero insereret: *Matthæum de telonio divitem, de usuris locupletem, lucris sæculi onustum, quod in Apostolum Christus elegerit, quid dicemus?* Porrò quod Abraham, David, Job, non obstante eorum opulentia, & divitiarum ingenti copia servi sui fuerint, iidemque longè acceptissimi, mirum non est, quia

divitias suas possederunt *ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium*, ut hic Publicanus, qui ut Chrysologus ait, gravi cupiditatis suæ pondere oppressus, *levari ad innocentiam, ad justitiam surgere, ad justitiam progredi non valebat*. Vultisne igitur nunc plenè mysterium hoc, cur scilicet ipsum in Apostolum elegerit, intelligere? *Nisi quæratur altius*, inquit idem Chrysologus, *facit altissimam quæstionem, sed & scandalum*, nam quod Christus tantus sanctæ paupertatis zelotes, divitem quendam hominem vocaverit, atque in sacrosanctam quandam congregationem, qualis Apostolorum erat, Publicanum quondam admiserit; quod denique à mensa collybistica in unico temporis momento liber concedatur transitus, in scholam Christi, scholam inquam perfectionis & sanctitatis, videtur, nescio quod scandalum in audientium causare cordibus, ac proinde Scribæ & Pharisæi id videntes apertè murmurabant; *Quomodo enim infirmitas non laboret humana, quando videbant apud Christum pecuniam sic valere, ut daret fraudolento fidem, venali gratiam, cupiditatis magistro officium largitatis, Doctori fænoris magisterium sanctitatis, Publicano sæculi cæleste secretum? furebant evidenter, quod usura quæ vastat terram, tollebatur ad cælum, & hanc quam detestantur homines, Deitas advocabat*. Tandem nihilominus sanctus hic Doctor aureas omnes prædictas oppositiones ritè dissolvens per hanc ponderationem respondet: *Cum transiret Jesus; non dixit, cum staret ibi; Transivit & pertransivit inde Jesus, ne Matthæus remaneret ibi; veni sequere me; Non dixit, affer ad me, quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat; veni sequere me, hoc est, depone pondera, disrumpe vincula, solve laqueos. Non est opus sanis medicus; sed malè habentibus; Ecce quare ad Matthæum venerat Christus, ut avaritiæ curaret vulnera, ut saniem sanaret usuræ*. Vultisne autem videre, quàm perfectè & integrè usurarii hujus vulnera sanaverit, quàm remotè ipsum ab amore auri, & argenti avulserit? *Dominus Matthæum Publicanum sic commutavit, ut qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor*, Commentator quidam in Matthæum scribens, continere se nequit, quin exclamet, dicens: *O mira vocantis clementia, inaudita bonitas, & admiranda misericordia, nullis præcedentibus meritis, nullisque piis operibus vilissimum peccatorem, variis flagitiorum fluctibus agitatum de periculis omnibus eripere, ereptum ad tutissimum suæ salutis portum adducere; Ait illi sequere me*. Ecce tibi cuinam mira hæc metamorphosis adscribenda veniat, nimirum unico huic, *Ait, Verbo Domini cæli firmati sunt; Dixit, & facta sunt; fiat lux & facta est lux; germinet terra herbam virentem, fiat firmamentum, &c.* Huic unico verbo totus hic visibilis mundus, & universa natura esse suum attribuit, & in acceptis refert.

9 Verùm enimvero qui res creatas benè considerat, & cum homine confert, nullam prorsus in omnibus aliis creaturis intellectualibus inveniet, quæ Deo resistant, repugnantiam & rebellionem, sed potius ordinationi Dei per potentiam obedientialem promptissimè obtemperant: at vero *hominem reliquit in manu consilii sui*, atque ideo quod homo adeo liber, instabilis, contumax, philauticus unico Dei verbo & simplici jussui obedientem se exhibeat, prouti sanctus Matthæus fecit, dum mundum sibi adeo propitium & favorabilem pedibus suis subjecit, ut in Christi disciplinam admitti, ejusque vestigia sectari, cum totali sui ipsius abnegatione posset, hoc verè ingens quoddam prodigium fuit, quod, ut superiùs probavimus, inter prodigiosissima Salvatoris miracula recenseri meruit:

De promptitudine obedientiæ, qua Sanctus Matthæus unico tantùm Christi verbo promptissimè paruit.

DISCURSUS NONUS.

Ait illi: sequere me; & surgens secutus est eum.
Matth. 9. vers. 9.

1 PRomptissima S. Matthæi obedientia, quam sine ullo contradictionis verbo Christo invitanti, & vocanti exhibuit, pauca & rara in aliis exempla habet: estque obedientia hæc tanto excellentior, si verbum, quo Christus vocavit, accuratiùs nonnihil examinemus; neque enim solùm ei dixit: *Sequere me*; sed insuper, ut Glossa interlinearis ait, adjunxit, amodò. Ex alia vero parte Publicanus noster tempus sibi indulgendum exquirere poterat, ut à suis negotiis extricaret, vel ut mutuo cum aliis agitata liquidaret commercia, vel ut de receptis vectigalibus & tributis rationes & reliqua redderet, vel ut à suis se domesticis, familiaribus & servis expediret, vel denique ut facultates suas pauperibus distribuere commodè posset: Poterat insuper Dominum nostrum interrogare, ad quodnam munus seu ministerium ab eo invitaretur, seu quo stipendio sua illi obsequia præstiturus esset. Denique se ad divinorum præceptorum observantiam, vitamque deinceps exemplariter & irreprehensibiliter domi suæ transigendam offerre poterat, si ad hanc illum vocaret, idque faciendo virtutem & animi sui probitatem satis egregiè probasset; & tamen nihil interrogat, loquitur nihil; sed Salvatore nostro vix os suum aperiente & dicente: *Sequere me*, statim *surgens secutus est eum*; imò, ut S. Lucas addit: *Relictis omnibus*. Lyranus dicit: *Sine aliqua dilatione*. Dionysius Carthusianus ait: *Secutus est eum mentis religiosa devotione, & corporis gressu promptissimo. Vide obedientiam vocati*, inquit alius quidam sacer interpres; *non enim dixit, sine ut sarcinas meas colligam, aut priùs incepta negotia peragam; sed subitò jussis Domini obsecutus est.* Jo. Arbor.

2 Eliseus ordinatione divina ab Elia ad ejus sectanda vestigia invitatus, dixit: *Osculer, oro, priùs patrem meum, & matrem meam; Non doluit*, inquit Joannes Arboreus, *commercio privari, sed gestit animo, quod contemptis opibus secutus sit Dominum*. 3 R g 19. 20. Et vero instantiam quidem dilationis, quantumvis brevem ab Eliseo factam audivimus; scire tamen etiam debemus monitum, quod Elisæo solicitanti datum fuit ab Elia patre suo, qui dixit ei: *Vade & revertere; quod enim meum erat feci tibi*. Jam humeris Elisæi pallium suum Elias superimposuerat, quo eum spiritus sui hæredem futurum insinuabat, cujusmodi eum quoque in curru igneo ad cœlum raptus declaravit; ideoque dixit ei: *Quod meum erat feci tibi*; quibus verbis velut protestabatur, quòd si jam Dei nomine vocatus, parentibus ultimum vale dicturus domum abire vellet, hacque occasione ab iisdem à sua vocatione dimoveretur, vel saltem eidem aliquod ab illis poneretur obstaculum, ejus rei culpam suam futuram non fore; siquidem debito obligationis suæ ex parte sua abundè satisfecisset: qua in re nobis periculum innuere voluit, in quod incidit ille, qui Christo se dedicare volens, parentes aut domesticos in illius propositi deliberationem adhibet; undè & Christus juveni illi Evangelio, qui patris cadaver honestæ sepulturæ tradendi tempus sibi, priusquam vestigia ejus sequeretur, indulgeri postulabat, respondit: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Matt. 8 22. Quodsi igitur idemmet Deus, qui præceptum de parentibus honorandis, *Honora Patrem &c.* condiderat, seriò præcepit, ut ad hoc, ut sine impedimento ipsum sequi posset, ab opere tam pio, honesto & conveniente, tamque arctè filium obligante, quale erat, patrem suum honestæ sepulturæ mandare, desisteret, per necessariam utique consequentiam indè deducitur, quod longè majus illis immineat periculum, qui sine causa, saltem tali, quæ alicujus momenti sit, Christum vocantem sequi differunt. Undè Clemens Alexandrinus ait: *An injuria sit facienda, non valdè estis soliciti, sed quam primum injuriam facitis, solum autem an Deus sit colendus quæritis, & an Deus & Christus sit sequendus, hoc consultandum & considerandum esse censetis*. Ia Adhor

3 *Sequere me*. Verba hæc consideratione dignissima sunt, non solum in ordine ad vocationem hujus Apostoli à Christo factam; verum etiam ad nostram instructionem & doctrinam. Albertus Magnus ait: *Benè dicit, sequere; quia nullius hominis est comitari, impossibile autem præcedere secundum profectum virtutis*. Undè colligitur Sapientiam illam increatam, quæ omnia metiri novit *in pondere, numero, & mensura*, uniuscujusque considerare virium facultatem, nec velle à nobis aliud, quàm præstare possumus; imo eandem sæpenumero se in vocationibus nostræ accomodare debilitati, sæpè etiam inclinationi nostræ; & quidem in proposito de sancto Matthæo scribit Chrysologus: *Matthæus non subtrahitur operi, sed mutatur, & telonium suscipit magis quam relinquit, ut* Serm. 29.

mansura

manſura Deo non homini peritura conquirat. Deinceps enim tributi illius ſolicitus exactor fuit, quod unaquæque anima ſuo debet Creatori.

4 Dei providentia communiter fit, quod eædem res, quibus anteà utebamur ad ſerviendum mundo, poſtea à nobis ad ei ſerviendum adhibeantur; undè ex quo Sanctus Matthæus anteà, dum adhuc menſæ nummulariorum affixus eſſet, pennæ frequentem uſum habebat, ad faciendas negotiationes, necnon ad vectigalium & tributorum rationes & liquidum computum: ideo Deus voluit, ut in Eccleſiæ cathedra reſidens; eodem calamo etiam Filii ſui conſcriberet ſanctum Evangelium. Quando vero alios Apoſtolos, qui piſcatores fuerant, vocavit, eis quoque dixit: *Faciam vos fieri piſcatores hominum*; huic autem Apoſtolo, ut ſanctus Petrus Damianus optimè obſervat, dicere voluiſſe videtur: *Qui lucris temporalibus inhias, qui certè ut auro vel argento diteris, impatienter anhelas, me quantocius ſequere, moxque te faciam immortales superni regni divitias per mundi latitudinem diſpenſare; tu ſcilicet aurum quæris cum ſæculo tranſiturum, & ego tibi Evangelii theſaurum dabo per cuncta procul dubio ſæcula permanſurum*. Idemmet Sanctus Doctor in alio quodam ſermone idem punctum tetigit; nimirum quòd Deus ſe uniuſcujuſque adaptet ingenio, hominumque corda mutet, non vero profeſſionis talenta: *De telonio quippè cumulandæ pecuniæ in cathedram transfertur Eccleſiæ, & qui prius exigendi vectigalis fungebatur officio, conſtitutus eſt fidei divitiarumque cœleſtium miniſtrare theſauros*.

Ho. 51. de S. Matth.

5 *Et ſurgens ſecutus eſt eum*. Interlinearis addit? *Non levitate ductus, ſed virtute operum, & divina potentia intus operante ſequitur tam corpore quam mente*. Cui S. Thomas conſentire videtur; hic enim exiſtimat non magnoperè laborandum fuiſſe, ut hic Publicanus ſe in Chriſti ſequelam reſolveret: quia cùm ſanctitatis & miraculorum à Chriſto patratorum fama per omnes mundi partes divulgata fuerit, quilibet ſe ex eo ſolùm felicem exiſtimavit, quod facilem ad eum aditum habere poſſet; ac proindè quando ſe tanta cum benignitate ad eum vocari audivit, tanto fuit in eo conſectando promptior, atque ex eodem capite S. Matthæus à D. Chryſoſtomo appellatur *miraculorum jam fama perdomitus*. Hugo quoque Cardinalis eadem de cauſa ait: *Secutus eſt eum ut ferrum adamantem*. Et Dionyſius Carthuſianus inquit. *Chriſtus namque, qui verbo ſonante foris vocavit, intus traxit gratia inſpirante; voluntatem enim Matthæi mox inclinavit, immutavit & inflammavit per inſpirationem occultam, gratiamque infuſam*.

In Luc.

6 Salmeron facili quadam ſimilitudine utitur ad declarandam diſpoſitionem, qua imbuta eſſe debet anima ad hoc, ut totaliter ſe adeo tradat, poſtquam ab illo illuminata eſt, nimirum quàm utile & ſalutare ſit animæ, ut tota ſit Dei. Nam ſi fructus vel pomum aliquod cognoſceret, quod per hoc, quod ab homine manducetur, eſſe quoddam nobilius acquirat ab eo quod habet, libenter utique & cum deſiderio ſeſe homini in cibum ingereret: *Ita homo, ſi advertat ſe vocari à Deo, & exuta imagine diaboli induat imaginem filii Dei, & ut ſuper humanum & rationale eſſe addat divinum, profectò non repugnaret, ſed ſeipſum præpararet, & in vocantis manus penitus ſe daret*.

Tom. 4. tract. 27.

7 Sanctus hic Apoſtolus S. Birgittæ ſuas ad eum orationes effundenti ſequentia revelavit: *Voluntas mea talis fuit eo tempore* (id eſt, priuſquam à Chriſto vocaretur) *quòd neminem defraudare volui, ſed deſiderabam invenire viam, qua ſepararem me ab officio iſto, & toto corde adhærere Deo ſoli; prædicante igitur amatore meo Jeſu Chriſto, tunc inflammabatur, ſicut ignis, verbum vocationis ſuæ in corde meo, ſic dulciter ſapuerunt verba ſua mihi, quòd divitiis de honoribus non amplius cogitabam, quàm de paleis; imò mihi magis flere placuit & gaudere, quòd Deus meus tantillum, & tantum peccatorem vocare voluit ad gratiam*; quod quidem ſi verum eſt, ſatis perſpicuè verum quoque eſſe videtur, quod facienti *quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*. Sunt etenim nonnulli homines, qui quia divino ſunt lumine deſtituti, peccatis totaliter immerſi, vitam ſuam tranſigunt; intereà tamen conſcientiæ remorſum intus ſentiunt, magnamque habent de patratis malis diſplicentiam; hi igitur ad primam divini luminis coruſcationem, ad primas cœli invitationes, & vocationes quantum proficiant, vix pro dignitate dici poteſt.

Li. 2. revel. cap. 29.

Manſi Promp.

8 *Surgens ſecutus eſt eum*. Ubi notandum quod ſemper manſerit poſt Chriſtum; non enim eum præoccupavit accelerando, ſed ſecutus eſt. Undè Salmeron ait: *Chriſtus autem non eſt præcurrendus, ut facit qui inconſultè Domino ſtatum aſſumit; nec in ſequela æquandus, ut facit qui non putat gratiam Dei eſſe neceſſariam, & ut volebant Lucifer, & Adam appetentes divinitatem*.

To. 4. tr. 27.

9 *Secutus eſt eum*. Quot ſunt qui S. Matthæum ejuſque veſtigia inſecuti ad veram ſe, ejus imitatione, receperunt pœnitentiam? Cæſarius monachus Ciſtercienſis in quadam Homilia de hoc feſto optimè notat, quòd eorum, qui malè vixerunt, bonum exemplum potentius & efficacius ſit maximè ſæcularibus, ad conciliandas Chriſto animas, quàm exemplum eorum, qui timoratè & piè ſemper vixerunt: *Uſque hodie plures trahuntur ad Chriſtum per exemplum odoriferum Matthæi, qui à telonio vocatus aliena repuerat, quàm exemplo Petri, qui de mari vocatus in arte ſua ſine fraude vixerat; hinc eſt quòd Evangelium Matthæi reliquorum Evangeliſtarum ſcriptis in Eccleſia, frequentiùs & ardentiùs legitur, ut dum quid fuerit, vel factum ſit, peccatores recordantur, odoris ejus fragrantia ſpe concepta ad æternum Regis accubitum per converſionis meritum efficaciùs trahantur*. Hugo Cardinalis ſcribit: *Matthæi vocatio eſt peccatorum converſio; quia ſicut Matthæus poſt converſionem non eſt reverſus ad priſtinum officium, ſic peccator converſus non debet reverti ad peccatum dimiſſum*; neque valet ſi dicas, Petrum ad ſuam denuò piſcationem reverſum eſſe: quia ut benè dictus Eminentiſſimus Cardinalis diſtinguit, profeſſio artis illius etiam ſine Dei offenſa exerceri poterat: *Sed officium Matthæi aut vix, aut nunquam ſine peccato poterat exerceri*.

10 Quidam ex iis Expoſitoribus, qui in Matthæum commentantur, nonnulla veræ cujuſdam juſtificationis ſigna in hoc Apoſtolo notavit, dum circa illa verba: *Et ſurgens ſecutus eſt eum*, ita ſcribit: *Hæc enim ſunt inditia veræ juſtificationis, ſurgere à peccatis*. Roman. 9. *Si mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo*? Secundum ſignum eſt: *Sequi Chriſtum; non enim ſufficit mala non agere, niſi & bonis ſtudeas operibus inſudare; vocavit nos Deus in ſanctificationem*. Alius quoque interpres quidam idipſum tetigit, dum de illo ſcribit, quòd tametſi ex Publicano Apoſtolus factus fuerit, in hoc tamen ipſe minimè acquieverit: *Non eſt abuſus ſua vocatione, ſed ſanctimonia vitæ, & aſſiduis Evangelicæ philoſophiæ ſtudiis illuſtriorem reddidit*. Tertium ſignum eſt, ſi quis ob beneficium receptum gratum ſe exhibeat; quod ut Matthæus faceret, lautum Chriſto præparavit convivium. Quartum eſt, ſi quis alienæ ſalutis habeat zelum, aliaſque Deo animas lucrari ſatagat. Unde S. Thomas ait: *Signum eſt quòd aliquis firmiter converſus eſt ad Dominum, quando alios trahit quos magis diligit*. Hoc porrò S. Matthæus conatus eſt facere; nam quia omnes Publicanos convertere voluit, ideo illos cum Chriſto converſari faciebat.

Jo. Ferus in Matth.

11 Enimvero hujuſmodi vocationem ſibi quilibet peccator de cœlo poteſt promittere. Nam in vita Sancti Philippi Nerii legitur, quòd dum ſanctimonialem quandam, quæ ſe damnatam eſſe clamans, huic deſperationi adeo profundè infixa erat, ut nullus eam ab illa dimovere poſſet, conſolaturus egreſſus fuiſſet, eandem primitus hiſce fuerit verbis allocutus: *Quid agis? Paradiſus eſt utique tuus*; cùmque illa id fieri non poſſe reſpondiſſet, eo quod damnata eſſet, ſubjecit Sanctus: *Paradiſus certò tuus, quæſo pro quibuſnam Chriſtus mortuus eſt*? cui ipſa reſpondit: pro peccatoribus; cùm vero interrogaretur de quarum ſe numero eſſe exiſtimaret, reſpondit: De horum numero, ſcilicet peccatorum: mox vero Sanctus ſubjungens ait: *Ergò cum peccatorum te pœniteat, paradiſus eſt tuus, tuus*. Quibus a Sancto dictis nullum deſperatio in ea locum ampliùs habuit; ſiquidem denuo magna ſerenitate imbuta fuit ejus conſcientia, & ſæpè in corde ſuo hæc verba intonari audiit: *Paradiſus tuus, tuus*.

Lib. 3. cap. 8. n. 14

Tantò admirabilior est hujus Apostoli conversio, quòd mundum eo præcipuè tempore reliquerit, quo hic ei faventori erat.

DISCURSUS DECIMUS.

Et surgens secutus est eum. Matth. cap. 9. vers. 9.

1 TAmetsi sanctus Evangelista noster conversionem suam satis fideliter enarraverit; sciendum tamen est, quicquid in ejus laudem resultare poterat, sub silentio penitus absconderit. Undè nihil aliud boni de se memorat, quàm quòd ad Christi vocationem in ejus se sequelam & disciplinam receperit: *Surgens secutus est eum*; at verò S. Lucas addit: *Relictis omnibus.* Quæ valdè considerabilia verba Hugo Cardinalis ponderans scribit: *Relictis omnibus retrahentibus, retardantibus, retinentibus*; siquidem divitiæ, quibus abundabat, spes optimè fundata de facultatibus notabiliter adaugendis non semel concepta, comparata sibi ad lucra sectanda consuetudo inveterata, denique excessivus ille omnium bonorum terrenorum amor catenæ erant tenacissimæ, quæ ipsum mensæ collybisticæ indissolubiliter adstrictum tenebant, *sedentem in telonio.*

2 Lucas Burgensis ipsum in Capharnaum Publicanum fuisse dicit, idque immoderatum denotat affectum, quo erga mundum ferebatur; siquidem idem Hugo super verba illa: *Cujus filius infirmabatur Capharnaum*, dicit quòd *Capharnaum interpretatur villa consolationis, vel pinguedinis*, adeoque in loco quodam morabatur omnium delitiarum abundantissimo, & insuper supramodum dives erat, tantoque majus erat conversionis suæ prodigium, quòd in hoc blandientis fortunæ statu ab eodem se tanta cum promptitudine, & facilitate expediverit, eique terga verterit *relictis omnibus.*

3 Multas quidem in sacra Scriptura mutationes legimus quibus multi alii ex divina inspiratione in valdè disparem se conditionem transtulerunt, quas tamen hodierna, quæ circa Sanctum Matthæum accidit, metamorphosis multis parasangis præcellit. Et quidem inter cæteros ad primum credentium patrem in antiquo, & novo Testamento à Spiritu sancto tantoperè celebratum; adeoque omnium sacrorum Doctorum calamis
Gen.12. commendatum oculos nostros dirigamus. De eo enim sacra Scriptura ait: *Dixit autem Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.* Et quidem verissimum est, quòd *egressus est Abraham sicut præceperat ei Dominus*; sed quomodo egressus est? Certè non nudus suisque facultatibus exutus, neque solus relicta post se domus suæ familia egressus est, sed universam familiam suam, uxorem nimirum, nepotes, cunctasque facultates suas secum conduxit: *Tulitque Sarai uxorem suam, & Loth filium fratris sui universamque substantiam suam, quam possederant, & animas quas fecerant in Haran.* Insuper etiam memorandum est, quo æterna Veritas eidem, priusquam egrederetur, ingentem fuerit rimunerationem pollicitus: *Faciam te in gentem magnam, benedicam tibi, magnificabo nomen tuum, benedicam benedicentibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognationes terræ.* Ubi Cajetanus ait. *Ut universitas bonorum etiam eo ipso numero significetur*; Postquam igitur hæ promissiones ei stipulatæ fuerunt, tunc *egressus est Abraham sicut præceperat ei Dominus.* Quibus omnibus ritè consideratis certum esse constat, Abrahæ vocationem cum hac Apostoli nostri vocatione nequaquam comparari posse; siquidem hic nihil aliud sibi dici audivit, quàm unicum hoc verbum: *Sequere me*; tametsi hoc ipsum etiam ab ipsomet Deo vivo, & vero audiverit, non tamen ab eodem apertè viso, sed sub hoc servili humanæ conditionis amictu latente, & abscondito, in quo ipsemet quoque homine minor esse videbatur, & tamen *relictis omnibus secutus est eum*; secutus est, inquam, non sceptra moderaturus, non in Palæstina, in quam Abrahæ progenies vocabatur, laureo serto coronandus; sed vocabatur ad illusiones, ad opprobria, ad paupertatem, ad passionis tormenta sustinenda, subeundosque vitæ cujusdam Apostolicæ labores *Relictis omnibus secutus est eum*; quia omnes deseruit delitias, patriæque & domus suæ gratissimas commoditates, parentes item, amicos, divitias, & omnia alia, atque pauper, egenus, & nudus vestigia insecutus est Salvatoris.

4 Elias Propheta, prout in Discursibus præcedenti- 3.Reg. 19.
bus à nobis tactum fuit, spiritum suum propheticum Eliseo infundere jussus in agro illum invenit arantem, cui imposito in humeros ejus pallio prophetiæ spiritum communicavit, promptumque ad eum deinceps consectandum effecit: *Misit pallium suum super illum, qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam*; veruntamen domum paternam repetendi licentiam sibi indulgeri postulavit, ut ultimum parentibus vale dicere posset: *Ait: Osculer oro patrem meum, & sic sequar te.* Et quidem tametsi Elisæi alacritas & lætitia, quacum se Eliæ disciplinæ submisit, omni sit laude digna, quia *reversus tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, consurgensque abiit: & secutus est Eliam, & ministrabat ei*; veruntamen si hæc Elisæi conversio seu vocatio cum S. Matthæi conversione comparetur, satis clarè apparet, quanto hæc majori laudum encomio digna sit; siquidem hic immediatè omni valedictione parentibus impertienda postbabita Christum insecutus est. Nec vomerem tantùm, vel aratrum quoddam, aut par boum dimisit; sed vastos auri & argenti montes reliquit, *relictis omnibus*: Imò in signum gaudii, quo id faciendo perfundebatur, *fecit ei convivium magnum.*

5 Quòd portò filii Israelis Moysen in desertum & solitudinem usque tantis cum laboribus atque devoratis fastidiis subsecuti fuerint, mirum sanè non est, quia ex duræ servitutis Pharaonicæ, egrediebantur compedibus, indeque terram adibant promissionis, auro argentoque Ægyptio onusti, cœlestisque oraculi prædictione se regnorum illorum possessione adire sciebant, quæ adeo abundanter omnia subministrabant, ut lacte & melle manare dicerentur, visibiliter ante se portenta & miracula stupenda habebant, qualia erant columna nubis per diem, & ignis per noctem, cœlum illis quotidie manna depluebat, ex arido silice limpida illis propinabatur aqua: at verò quòd S. Matthæus saccos auro argentoque refertos dimiserit, ut pauperem deinceps vitam ageret, ut virum quendam nudum & inopem sequeretur, qui tunc *erat opprobrium hominum, & abjectio plebis*; ut humilitatem, suique ipsius profiteretur contemptum, ut propriam voluntatem subjiceret alienæ, ut in continuis austeritatibus corporalibus & mortificationibus vitam traduceret, hoc verè & propriè miraculum dici meretur: alii Christum sequendo ab iis se laboribus & molestiis, quas in laboriosa piscatorum conditione tolerabant, liberarunt, ideoque conditionem suam plurimùm meliorarunt; quis enim est qui nesciat quot vigilias, quot incommoda, quot pericula piscatio secum subinferat? utpotè qui temporum injuriis sunt continuò expositi: non verò sic Publicanus iste, qui somnum suum dulciter, & quiete dormiebat, qui suis gaudebat commoditatibus, omnibusque temporalibus bonis abundabat: & tamen ad unicum verbum *relictis omnibus secutus est eum.* Duo fratres Jacobus & Joannes in regno Christi primas postularunt sedes, unus ad dexteram, alter ad sinistram. S. Petrus sodalium suorum nomine petiit & dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergò erit nobis?* Sanctum Matthæum verò, tametsi ipse solus plus reliquerit quàm omnes alii simul, nullam invenimus unquam postulasse mercedem, aut compensationem; vir fuit copiosus in factis, in verbis autem rarus, & modicus, promptus, obediens, zelosus, divinoque servitio totaliter deditus.

6 Quòd cum hoc Publicano alium quoque Publicanum, imò Publicanorum principem *Princeps Publicanorum & ipse dives*, conferre voluerimus, legemus quidem ipsum valdè fuisse cupidum vivendi & agnoscendi Salvatorem, eaque gratia obtenta eundem ab ipso in domum suam invitatum fuisse, denique præ nimia lætitia copiosarum facultatum suarum medietatem dispensasse pauperibus: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; (ubi observandum, quòd non loquatur in tem-

tempore futuro, ſed præſenti, *do*, *reddo*; non verò dicit, *dabo*, *reddam*) veruntamen id nequaquam mirum eſt, quia Zachæus jam antea ſingulariſſima de ſanctitate Chriſti opinione imbutus fuerat, multaque ejus viderat oculis ſuis inſignia Chriſti miraculi: hic autem Apoſtolus noſter, ſi beato Laurentio Juſtiniano credimus, *ſigna non videret*. Zachæus propter malè acquiſita conſcientiæ patiebatur remorſus, *ſi quid aliquem defraudavi*; quod de Matthæi facultatibus & divitiis minimè dicitur. Ille medietatem bonorum ſuorum ſibi retinet; at verò hic *relictis omnibus ſecutus eſt eum*. Chriſtus Zachæum honorat, dum ſeipſum ultrò, non rogatus in domum ejus recipiens ad prandium uſque invitat; hic autem Sanctus Matthæus eſt qui Chriſtum ad convivium ſuum invitando prævenit: *Fecit ei convivium magnum*.

7 *Relictis omnibus*. Contemptus ille divitiarum ſuarum generoſior in ipſo eſſe non potuit. Pro cujus meliori intelligentia conſiderandum, & in bilance ſeu trutina poſitum pondere ſanctuarii examinetur verbum illud: *Surgens*. Hugo Cardinalis addit: *Abjiciendo terrena deſideria*. Dionyſius Carthuſianus ait: *Surgens*, [Tom 4. tract. 27.] *hoc eſt, ſurſum ſe agens ad cæleſtia extendendo*. Salmeron ſuper idem verbum dicit: *Etſi omnis qui ſedet, non poſſit alium ſequi, niſi ſurgat, tamen ſurgens dicitur, quia ad ſequendum Chriſtum opus eſt levare ſe ſuper ſe*; adducitque textum illum Baruch; *Surge & ſta in excelſo*. Quiſquis terram vult aſpernari, oculum in cœlum ut defigat neceſſum eſt. Cum Apoſtolo igitur [Philip. 3. 7.] dicere potuit: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta; veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*. [In Matth.] Euthymius ait: *Admirare perfectam ejus, qui vocatus eſt, obedientiam, quomodo neque conſultavit apud ſe, quomodo nullum ſuper ea re conſuluit amicum, quomodo non diſpoſuit, quæ domus atque ſubſtantia ſua erant; ſed confeſtim ſurgens ſecutus eſt, relicto univerſo mundo*.

8 Arbor, quæ raras, & modicas in terra radices egit, facili negotio evellitur. Alii Chriſti diſcipuli modicum perdere poterant; quia pauperes & egeni erant; at verò non ſic noſter Apoſtolus, *ſedentem in telonio*: dives enim, & opulentus erat, perque avaritiæ radicem mundo tenaciter affixus erat: *Radix omnium ma-* [1. Tim. 1. 10.] *lorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt in fide*. Quale igitur hoc eſt de eo miraculum, quod hac radice in terram defixus, non ſolum *non erraverit*, ſed potiùs *venerit ad fidem*? In ipſo adimpletum fuit, quod idem Apoſtolus ait: *Sectare juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem, certa bonum certamen fidei, apprehen-* [Hom. 32. de S. Mat.] *de vitam æternam*. Beatus Petrus Damianus ait: *Quàm fortis, & valida manus hujus cæleſtis agricolæ! arborem ſcilicet terra radicitus inhærentem mox ut concuſſit, evulſit, aſportavit, & in terra viventium tranſplantavit*.

9 Hujus quoque radicis ſimilitudini inſiſtendo conſiderare poſſumus, quòd quando radix aliqua, maximè arboris alicujus, quæ per diuturnum tempus in terra defixa fuit, evellitur, nequaquam fieri poſſit, quin evulſa aliquid terræ ſecum ferat; nunquam enim omnis terræ expers extrahitur. In hoc igitur præcipuè conſiſtit miraculum, quòd licèt Scriptura ipſum vocet *Sedentem in telonio, lucris pertinaciter inhiantem*; nihilominùs ne vel minimum auro adhæreſcentem affectum, etiam per umbram ſecum attulerit; ſed *relictis omnibus*, &c. Undè Abulenſis ait: *Reliquit quæ habere cupiebat*. Alii quidem ſe divitiis denudarunt, ſibi tamen aliquid in corporis ſui ſuſtentationem reſervarunt; at vero de ipſo in Metaphraſte legimus: *Crucifigitur converſus ad Dominum Matthæus univerſo mundo, crucifigitur etiam mundanis omnibus cupiditatibus, ſoli Deo vivens, & ejus ſequens veſtigia*.

De convivii illius, quod Apoſtolus Matthæus Chriſto exhibuit, nonnullis myſteriis.

DISCURSUS UNDECIMUS.

Fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua.
Lucæ Cap. 5.

1 SAnctus Auguſtinus de iis, qui vitam licentioſam & diſſolutam deſerentes Dei ſe ſervitio dedicant, ſcribens, hoc illis ſalutare monitum miniſtrat; [Lib. 50 Hom. c. 19. Hom. ultim] *Non ſufficit mores in melius commutare, niſi etiam de his; quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiam*; Ideoque faciendæ ſunt bonorum, nec non & famæ integræ reſtitutiones, illata reſarcienda ſunt damna, deſerendi ſunt ludi inhoneſti, ſuſpectæ converſationes, commeſſationes item & convivia, macerandum eſt corpus per abſtinentias, jejunia, alioſque ſimiles rigores, ne recalcitret amplius: Quæ cùm revera ita ſe habeant, cur igitur ſanctus Matthæus primo die quoad pœnitentiam & vitæ emendationem reducitur Chriſto, aliiſque diſcipulis, & ſodalibus ſuis ſolemne inſtruit, & præparat convivium? *Fecit ei convivium magnum in domo ſua Levi; & erat turba multa Publicanorum, & aliorum, qui cum illo erant diſcumbentes*.

2 Reſponderi quidem poteſt, lautiſſimum illud convivium, quod Salvatori Matthæus præparavit, fuiſſe converſionem ejus, non verò epulas & fercula corporalia; ſic enim ad propoſitum Didacus Stella de S. Maria Magdalena ſub prandio Phariſæi converſa, ita ſcribit. *Phariſeus invitat Chriſtum; ſed ecce mulier venit ad paſcendum & epulandum Chriſtum*. Cum hoc quoque concordat, quod S. Bernardus ſcribit: *Cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus ego ipſe*. Beda etiam ſuper illa [Sermo 30 in Cant.] verba: *Diſcumbente eo*, idipſum confirmat dicens; *Porro ſi altiori intellectu, quæ geſta ſunt, indagare cupimus, non tantum in domo ſua terreſtri convivium Domino corporale exhibuit, ſed multo gratius illi convivium in domo pectoris ſui per fidem ac dilectionem paravit*; additque ipſiuſmet Salvatoris teſtimonium, qui proteſtatur, dicens: *Ecce ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audiverit vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*. Enimverò vix Chriſtus ad fores cordis hujus Publicani pulſaverat, cùm etiam eidem ſubitò apertæ fuerunt: *Ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum*; quid igitur ſi tanto cum jubilo unus cum alio epulatus fuerit?

3 S. Lucas non ſine myſterio prandium à Matthæo Chriſto præparatum *convivium magnum* appellat, quia [In Matth.] ut Paulus de Palatio advertit: *Nullum cibum lautiorem Chriſto appones, quam Publicanos, ſi convertantur, ea ratione grande, quia fuere Publicani convivæ*; illamque adducit Samaritanæ hiſtoriam, in qua inter cætera refertur, quod dum Salvator noſter omninò fatigatur ex itinere, itidemque famelicus prolixum cum dicta muliere ſermonem habuit, redeuntes è civitate Apoſtoli ejus cibos, quós ad inſtaurandum Chriſto prandium procuraverant, eidem appoſuerint: ipſe autem Dominus illos guſtare noluerit: *Afferunt ei cibos diſcipuli, renuit ille. Cur jejunus cibos rejicit? quia ſatur erat ex lautiſſimo convivio, ait enim: Vos comedite, meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris, eſt autem Patris voluntas Publicanorum & meretricum ſanctificatio*.

4 Rupertus Abbas Tuitienſis notat, manu quaſi [L. 8. de gloria & hon. filii, hom.] hic palpari & tangi veritatem propoſitionis illius: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, &c. introivit enim in domum ejus, & cœnavit ipſe primus cum illo corporale convivium, & deinde Matthæus cum eo cœnavit cœnam ſpiritualem*.

5 *Fecit ei convivium*. Lautiſſimam ei menſam inſtruxit, in teſtimonium immenſi illius jubili, quo ob aſſumptam ejus diſciplinam perfuſus fuit. Cæſarius Monachus Ciſtercienſis in quadam Homilia de hoc feſto ait: *Forte exemplo hujus convivii, uſque hodie mos inolevit in diverſis ordinibus Eccleſiæ tam fœminarum quàm virorum, ut hi, qui habere poſſunt, in die converſionis ſuæ, agnatis & amicis ſuis adductis Conventui copiosè miniſtrent*.

6 Fuit autem convivium hoc valde ſplendidum; *Convivium*

convivium

vivium magnum. Unde Lucas Burgensis ait: *tum quia copiosum, ita ut multis sufficeret convivis, tum quia magnificum & opiparum; voluit splendide convivio Dominum excipere, quo eum honoraret, à quo quod vocatus esset, se censebat honoratum, & magno affectum beneficio, quo etiam testatum faceret, quod non tristis, sed libenti animo ac cum gaudio se adduceret Christi sequela, est enim convivium gaudii signum & symbolum*. Similiter alius quidam Expositor ait:

Joan. Aebor.

Toto animo gestit, quod hac divina voce, tanquam sua salutis aucupio captus & irretitus incipiat seipsum cognoscere, & mundum, mundique vanitates odio insectari.

quæst. 48. in Matth.

Abulensis quoque huic S. Matthæi ob ejus conversionem concepto jubilo hunc pastum attribuit, dum ait: *Convivia enim & jucunditates fieri solent pro rebus prospere gestis*; rationemque reddens cur convivium hoc supra modum lautum fuerit, limitesque excesserit frugalitatis, ait: *Magnum convivium fecit, ut ostenderet se majori jucunditate hujus sæculi divitias deserere, quàm alius eas assequeretur*.

7. Cæsarius moralem quandam adfert hujus instructi convivii interpretationem dicens: *Vitiorum occisio convivii salutaris est præparatio, si vitia mactanda sunt, ut cum operibus virtutes elucescant, in quorum esu Jesus plurimum delectatur, reficitur, & satiatur*.

Act. Apost. 11. 7.

In Actibus Apostolorum scribitur, quod Deus S. Petro linteum quoddam ostenderit animalibus venenosis & immundis plenum, audieritque dictus Apostolus vocem dicentem: *Occide & manduca*; Per hoc denotare volens, quod proprius gratissimusque Petri, & aliorum animabus lucrandis destinatorum, cibus esse debeat sceleratissimorum peccatorum conversio.

8 *Fecit ei convivium magnum*. Ubi Glossa ait: *Qui enim Christum intus recipit, pascitur multis delectationibus*. Hugo Cardinalis verba illa *in domo sua* interpretatur

Apoc. 3. 20.

dicens: id est, *in corde suo*, utiturque supra citato Apocalypseos textu: *Si quis aperuerit mihi, &c. magnum dicis, quia in tantum, quod etiam de reliquiis commedunt Angeli, gaudium enim est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*.

9 *Magnum*, quia magno hospiti correspondens eidem præparatur convivium: *Quis Deus magnus sicut Deus noster*. Talequoque fuit convivium, quod Abraham tribus illis peregrinis viatoribus præparavit, in quibus tres adoravit divinæ Triados personas. Aliud quoque convivium in Isaaci filii sui ablactatione instru-

Gen. 18. 6.

xit; *Grande convivium in die ablactationis ejus*, id quod talis fuit animæ symbolum, quæ veluti nuptiis præscos epulatur, quando se totam Deo consecrat, atque à blandientis mundi lenociniis veluti lacte se subducit; Abraham enim tunc magna & festiva gaudia instituit,

Gen. 21. 8.

quando Isaac panem durum & solidum manducare, atque à lacte separari cœpit; Eodem quoque modo de S. Matthæo discurrere possumus, ipsum supra modum fuisse gavisum, quando se à voluptaribus, deliriis, atque divitiis domus suæ alienum esse vidit, ut scholam Christi ingredi mereretur, in qua panis durus abstinentiæ, mortificationis, paupertatis, aliarumque vitæ Apostolicæ molestiarum semper manducari debet.

10 *Fecit quoque grande convivium in die ablactationis*

Isa. 28. 9.

ejus, ob aliud quoddam mysterium, quod ex Prophetia Isaiæ facilè deducitur: *Quem docebit*, inquit, *sapientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*. Ubi S. Cyrillus ait: *Deus sanctos & vocat & docet, qui ablactati à lacte, & uberibus legis veteris per Christum provecti sunt in perfectum virum, ut pro eo fortiter omne discrimen subeant*. Sanctus Matthæus à cœlesti sapientia erudiendus erat, ad hoc ut suum perfectè conscriberet Evangelium; & tanquam Apostolo resistendum ei erat Evaogelii persecutoribus, sufferendumque animosè martyrium, ac proinde jure meritissimo: *Fecit grande convivium in die ablactationis ejus*.

11 Antiquitus, ut ex pluribus sacræ Scripturæ locis colligitur, lautissima instituere solebant convivia, & ad ea invitabantur parentes, aliique amici, quan-

4 Reg. 13.

do oves suas tondebant. Hac occasione usus est Absalon, ut Ammon fratrem suum volens occidere, ad

1. Reg. 25.

convivium suum invitaret. Nabal pariter in simili occasione, tametsi sordidè avarus, & tenacissimus esset, lautissimam instruxit mensam. Ex ovili Pastoris cœlestis, qui dicit: *Ego sum Pastor bonus*, ovis quædam tondenda erat, id est, Sanctus Matthæus totum mundum abnegaturus erat, *relictis omnibus secutus est eum*; quid mirum igitur, si *fecit ei convivium magnum*.

12 *Convivium magnum*. Rupertus Abbas ingeniosè observat dicens: *Convivium ergo fecit ei, & magnum, nimirum quasi convivium Regis*, idque ex eo deducit, quia *sicut aliàs jam plenius diximus, apud istum Evangelistam Rex genere, & actibus Christus ostenditur*, quia idemmet sanctus Apostolus librum regiæ suæ Genealogiæ contexuit, ostendendo ejus secundum carnem progeniem, & humanitatem assumptam à multis Regibus derivari; *Totumque textum sua narrationis, regalibus gestis, ac regiis contexens parabolis, sic tandem finit, ut dicat, apud eum Rex iste jam coronatus resurrectionis gloria: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, totam seriem conscriptionis ejus, si ritè perpendas, spirare cognosces mysteria regni Dei*. Lib. 6 cap. 54.

13 Considerat etiam, quòd Apostolus noster priusquam vocaretur, ad instar servi cujusdam fuerit, quia inordinatis appetitibus suis serviebat; at verò postquam sibi veram filiorum Dei libertatem acquisivit, siquidem *servire Deo, regnare est*, se erga benefactorem suum gratum exhibere volens, mysteria Regni ejus explicavit: *Bene ergo ut non ingratus magno libertatis sua Regi, regni ejus legibus inservit, intendens regnum ejus, quod à carnalibus Judæis carnaliter expectabatur ostendere, quale sit*.

14 S. Gregorius aliam apparatus hujus convivii nobis dat rationem: *In solo Christo cibum salutis quoties quærimus, invenimus, in ejus verbis & exemplis animas nostras fructu suavi & salubri reficimus*, ideoque sanctus Matthæus vicissim et corporale istud, ac demum etiam spirituale præparavit convivium, quale fuit sacer liber Evangelii ab eo compositus, de quo B. Laurentius Justinianus ita scribit. *Magnum prorsus ac solemne dicendum esse hoc convivium, quod in toto orbe terrarum noscitur esse diffusum, redivivis semper nobilitatur argumentis, quoniam nunquam Dei verbum inveteratur, corrumpitur nunquam, quin potius erogatum multiplicatur, prædicatum crescit, gustatum nutrit, accendit meditatum, agnitum concupiscitur, expositum integrum, & intelligentia faucibus mansum permanet incorruptum*.

DE S. MICHAELE ARCHANGELO

Discursus Quinque.

Discursus I. De auxiliis, ac suppetiis, quas à S. Michaele Archangelo adversus inimicum infernalem recipimus.

Discursus II. de ejusdem Archangeli laudibus, præcipuè de epitheto illo, *Magnus*, quod ei à Daniele attribuitur.

Discursus III. De immensis beneficiis, quæ mundus ab eodem Archangelo hactenus recepit, & porrò quotidie etiamnum recipit.

Discursus IV. Ex adducto Apocalypseos textu alia considerantur ejusdem Archangeli encomia, & de beneficiis, que nobis communicat.

Discursus V. De zelo ipsius, quo in cœlo, & in terra, inter Angelos & homines, omnem Deum offendendi occasionem è medio tollit.

De auxiliis, & suppetiis, quas à S. Michaele Archangelo adversus inimicum infernalem recipimus.

DISCURSUS PRIMUS.

Sancte Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

1 SAncti Michaelis, tanquam Generalis Angelicæ militiæ Archistrategi patrocinium in auxilium & succursum nostrum imploramus, quia in hoc certamus campo: *Militia est vita hominis super terram*, idemque ejus nobis suppetiæ necessariæ sunt tanquam validi adversus inimicum infernalem defensoris: *Col'audamus*

mus venerantes omnes cæli milites sed præcipuè primatem cælestis exercitus, Michaelem in virtute conterentem Zabulum. Panthaleon Diaconus de hoc cœlestis exercitus Duce ait: *Christianos reddit victores.* Et in hymno prædicto canit Ecclesia: *Quo custode procul pelle, Rex Christe piissime, omne nefas inimici.* Sophronius sancto Archangelo nostro hunc attribuit titulum: *Archangelus Dæmonum exterminator.* Sanctus Bruno de ethymologia nominis sancti Michaelis, quæ est: *Quis ut Deus?* ita scribit: *Ipse suo nomine nos ad præliandum confortat, & ne illum timere debeamus, hortatur, qui quoniam similis Deo esse voluit, præcipitatus est.*

Apoc. 12. 7. 2 Textus ille Apocalypticus: *Factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur;* hoc, inquam, prælium communiter de strage Luciferi à sancto Michaele eidem illata quidem interpretatur; nihilominus aliorum quoque interpretum expositioni inhærentes, per cœlum Ecclesiam militantem intelligere possumus. Albertus Magnus prælium istud post Redemptoris nostri mortem accidisse notat: *Factum est, ex quo per fidem & Passionem Christi Diabolus de cordibus fidelium est ejectus.* Etenim hic draco, postquam se à cultu & adoratione, quo omnes populi eum antea prosequebantur, dejectum esse vidit: *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras; Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum,* intestinum quoddam & domesticum cunctis fidelibus bellum movit; *Draco pugnabat, & Angeli ejus* atque insuper quonam id modo fiat, declarat dicens: *Hoc prælium quotidie fit in Ecclesia, pugnant contra Ecclesiam, scilicet noxia consulendo, perversa suggerendo, bonorum Angelorum exercitum impugnando;* at verò sit benedictus Deus! quia liberè dicere possumus: *Plures pro nobis, quam contra nos,* siquidem in S. Michaelis, licet etiam hic solus esset, patrocinio & assistentia confisi, dicere possumus: *Tu pro decem millibus computaris,* quanto magis nunc, quando non solum sanctus Michael, sed & Angeli reliqui omnes pro nobis strenuè decertare satagunt; dicitur enim: *Michael & Angeli ejus.* Porrò arma, quibus sanctus Michael cum suo exercitu in nostram defensionem & commodum Dæmonem impugnat, sunt ex mente B. Brunonis hæc sequentia: *Pro Ecclesia orando, adjutoria ministrando, bona desideria inspirando, impetum Dæmonum reprimendo.* Hoc quoque prælium in defensionem nostram susceptum, continuum est, nec unquam hactenus intermissum fuit, inquit idem sanctus Bruno: *Cum Angelis suis non cessat die noctuque præliari contra Draconem illum qui est Diabolus;* omnes quoque Angeli custodes nostri S. Michaeli tanquam Generali Archistratego, & Domini Dei exercituum supremo locum tenenti subordinati sunt, ideoque cuncta auxilia, quæ ab illis spiritibus Angelicis recipimus, ipsi maxima ex parte attribuenda esse noscuntur.

Serm. de S. Michael.

3 Vocatur etiam bellum hoc *prælium magnum, quia,* ut S. Thomas ait: *durat à Passione Christi, usque ad finem mundi;* qui idem S. Doctor etiam hoc prælium interpretatur de velitationibus, quas in præsenti cum inimico infernali, qui se saluti nostræ cum viribus opponit, frequenter inimus; & tametsi alii quoque Angeli in nostram defensionem pro nobis acriter dimicent, nihilominus *potius hoc dicitur de Michaele, quia ipse est præpositus specialiter & princeps Ecclesiæ militantis,* ab ipso tanquam generalissimo Divini exercitus duce procedunt in aciem ordines & inferiorum ministrorum commissiones: *Michael præpositus Paradisi quem honorificant Angelorum cives.*

4 *Defende nos in prælio.* Etenim quando de eo agitur, ut ipse in nostrum se adjutorium accingat, ipse alas suas gaudenter & promptissimè explicat; festivusque ad benefaciendum nobis in publicum procedit. Zacharias nobis ob oculos ponit Angelum quendam inter myrteta stan-

Zach. 1. 10. rem paratum certare pro nobis: *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varii, & albi, & dixi, qui sunt hi Domine mi? Dixit ad me Angelus: Ego ostendam tibi, quid sint hæc, & respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt quos misit Dominus, ut perambulent terram.* Porrò hic, qui inter myrteta consistebat, erat Angelus in adjutorium populi illius destinatus. *Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta.* Hic autem Angelus juxta expositionem Theodoreti & Lyrani fuit sanctus Michael Archangelus, qui veluti militiæ Angelicæ supremus Dux & Capitaneus, & tanquam synagogæ caput, & protector in medium se prodit. Verùm inquies: quidnam in eo latet mysterii, quod Angelus ille in tam urgenti occasione inter myrteta se conspicuum præbet? sciendum igitur est, hanc arborem valdè felix semper protendere augurium, ideoque ramis ab illa decerptis in festivitatibus uti solemus; antiquitus etiam, si Plinio credimus, coronæ triumphales è myrto contexebantur: Ideò etiam Propheta Evangelicus prædicere volens, quod afflictiones populi Israelitici tandem suum essent habituræ finem, in earumque locum successuram & substituendam esse favorabilem prosperitatem, dixit: *Pro urtica crescet myrtus.* Magno igitur cum mysterio se Angelus ille inter myrtera conspicuum præbet, nimirum ut nobis per hoc insinuet, quanto cum gaudio & mentis jubilo Angelus Michael in nostrum adjutorium, magno nostro beneficio cum inimicis nostris pugnaturus de cœlo descendat. Isa. 55. 13.

5 Panthaleon Diaconus optimè notat, quod cum Prothoparens noster in Paradiso terrestri infernalis Serpentis astutia lapsus fuisset, sanctus Michael hoc sibi munus vendicaret, ut cum quasi humeris suis sustineret & suffulciret, ne ipsi idem ille hostis amplius nocere valeat: *Archangeli Michaelis suasionibus & monitis instructus Adam, & ligone terram fodiens, & sudore & labore frugaliter nutritus, non fuit amplius seductus ab hominis inimico, & Dei hoste.* In Bibl.

6 Regius Propheta David in Psal. 33. inter cætera scribit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quæ verba interpres quidam in Apocalypsim scribens de sancto Michaele interpretatur, simulque observat, quod Septuaginta legant, *castra metabitur.* Sanctus Hieronymus ex Hebræo legit: *Circumdat in gyro.* Inimicus enim infernalis animam nostram obsidione cingere satagit, *circuit quærens quem devoret:* at vero sanctus Michael in defensionem & adjutorium nostrum nos *circundat in gyro.* Neque solum ab inimico nos infernali tuetur atque defendit, verum etiam ab omnibus ministris & complicibus illius. Unde in Annalibus Ecclesiasticis de certo quodam Duce Tridentino insolenti alias Tyranno, cui nomen Alachim erat, legimus, illum adversus cleros exasperatum dixisse: *Tale itaque nunc facio votum, quod si mihi Deus iterum victoriam dederit, unum puteum de testiculis impleam clericorum;* cumque exercitus ipsius & alter Cuniperti Regis Longobardorum ex opposito pugnaturi consisterent, prædictus Rex, ut innoxie omnium aliorum militum sanguini parceretur, ad singulare certamen cum dicto Tyranno ineundum ultro sese obtulit, quod tamen Tyrannus inire renuit, dicendo se ab illo deterreri eo quod inter hastas regias, in loco ubi juramentum ediderat, imaginem videret S. Michaelis Archangeli; cum itaque prælio inter utrumque exercitum ineundo signum datum esset, ingens consecuta est strages, ac tandem per mortem sacrilegi illius, Cunipertus victor remansit.

In ep. 1. Apocal. Virgas.

An. 692. 4.

7 *Defende nos in prælio.* Inter cætera prælia, quæ hostes infernales adversum nos gerunt, truculentissimum sanè experiemur in puncto mortis nostræ transituri ad judicium particulare, quia tunc *Descendit Diabolus ad nos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet,* ac proinde sancta mater Ecclesia, tunc vel maximè ejus pro nobis auxilium & patrocinium implorat, dicendo: Sancte Michael Archangele, defende nos in prælio, *ut non pereamus in tremendo judicio,* quod non tam de universali, quam de particulari judicio intelligendum venit, pro quo tempore Redemptor noster præcipuè ei animarum nostrarum recommendavit tutelam: *Archangele Michael constitui te principem super omnes animas suscipiendas;* similiter in commendatione animæ dicitur: *Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus Dei qui militiæ cælestis meruit principatum.* Ap. 12. 12.

8 Transitus mortis nostræ ab agone agonia denominatur eo quod sit maximum prælium, quod homo in militia vitæ hujus aggredi possit; siquidem ab hujus prælii momento sive eventu dependet vel maxima hominis jactura, vel nobilissima victoria, ac proinde in eo puncto omnes tartarei exercitus adversum nos armantur, qui pugnam ingerendo nobis præteritorum peccatorum reminiscentiam, vel per malos à nobis acquisitos habitus & inclinationes, & ideo etiam ii qui sanctissimam in terris egerunt vitam præ nimio terrore sæpè videntur trepidare. Imo observandum est, quod sanctus Lucas

post

Ecce tibi igitur insignem S. Michaelis gloriam, utpotè qui pari cum Christo epitheto honoratur.

9 *Princeps magnus Simon Oniæ filius sacerdos magnus* esse dicitur, moxque Scriptura rationem reddit, cur hoc nomine Magnus honoratur: *In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum*. Quis autem est, cui manifestum non sit quantam S. Michael Ecclesiæ semper curam habuerit, quantumque eandem semper tutatus fuerit? B. Laurentius Justinianus ait: *Non autem abs re illum sacrosancta mater honorat Ecclesia, quem sui specialem & proprium novit esse custodem, assiduum intercessorem*. Sacros obsecro legitote annales, statimque invenietis, in quot occasionibus tutelæ suæ specimina experientia teste ediderit: *Nemo est adjutor meus* (ita olim captivus in Babylonia Daniel lamentabatur) *in omnibus his, nisi Michael princeps vester*; hic enim synagogæ, quæ tunc vera Dei Ecclesia fidelium orthodoxorum congregatio erat, assistebat, & pro ipsa pugnabat; ideò paulò antè dicebat: *Princeps Persarum restitit mihi viginti & uno diebus*. Similiter quando Daniel pro liberatione populi illius anxiè affligebatur: *Ecce*, inquit, *Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum*.

Eccl. 50.

Serm. de S. Michael.

Dan. 29. 21.

10 Apparitio hujus Archangeli in monte Gargano eo præcipuè tempore facta fuit, quo Ecclesia Dei ab hæreticorum, paganorum, aliorumque pessimè viventium persecutionibus mirum in modum infestabatur, prout videre licet in sæculi istius historiis; ideoque eo in loco opportunè se videndum præbuit, ut omnes & singuli agnoscerent, quòd tunc vel maximè Ecclesiæ defensioni intenderet. Panthaleon Diaconus ait: *Michael qui versatur in cœlis, & atherem obit tanquam vernix fulgur, & universam, quæ est sub cœlo terram uno momento pervadit*. Audite obsecro quo fine faciat, nimirum ad fidelium consolationem: pios qui affliguntur, adit, recreat, & consolatur. Enimvero quia montis illius mentionem fecimus, intermittere nequeo, quin id, quod Baronius de illo monte scribit, recenseam; dicit enim: *Locus ob ingentia illic solita edi miracula, inde imposterum peregrinatione fidelium est frequentatus*; quod adeo verum est, ut S. Romualdus Othoni Imperatori pœnitentiæ ideo imposuerit, ut ab urbe Romana eundem montem nudis pedibus adiret.

Ann. 493. n. 43.

11 *Princeps magnus*. Plutarcus de Pompejo scribit: *Romanorum priscos non solum qui præclara confecerunt bella, sed eos etiam, qui rempublicam consilio virtutibusque decorarunt, cognomento sæpè exornavisse constat*: Etenim Pompejus Magnus honorifico scilicet titulo appellatus fuit, eo quòd armis suis Imperium Romanum egregiè dilatasset; similiter idem titulus Valerio attributus fuit, quòd plebem inter & nobilitatem pacis fœdera procurasset; at verò dicite soles, quisnam cognomentum hoc Magnus ex hoc capite excellentiùs Michaele promeruisse censendus erit, utpotè qui *præclara confecit bella*? Primum etenim prælium, in quo gloriosè decertavit & vicit, fuit illud, quod, ut dixi, inire & committere debuit, quando excellentissimus totius cœlestis curiæ Angelus non solùm omnibus supereminere prætendit; verùm etiam ut supremum assequeretur arrogantiæ & superbiæ terminum, suammet naturam, ut volunt S. Augustinus & Doctor Angelicus, divino imperio quoad exercitium subtrahere sategit: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*; tertiam quoque cœlestis seu Angelici exercitus partem adversus creatorem suum insolenter rebellando erexit; tunc enim hic noster Archangelus impenetrabili quadam lorica, id est, zelo honoris Dei sui armatus, postquam vexillum suum hac inscriptione: *Quis ut Deus?* insignitum erexisset, se illi opposuit, ejusque fastum & arrogantiam per suam humilitatem & subjectionem edomuit, ipsumque in abyssum egit: *Projectus est draco ille magnus serpens antiquus*.

12 Porrò si verum est, prout nonnulli crediderunt, quòd S. Michael non de suprema hierarchia, sed de tertia extitit, id est, solùm Archangelus fuerit, & tamen per zeli sui, necnon reportatæ adversus Luciferum victoriæ merita, supremo in omnes Angelos imperio remuneratus fuerit, satis fit perspicuum, quàm insuper verum sit, quòd qui se humiliat, exaltabitur, quantumque honorem & gloriam Dei zelando promeruerit.

13 Aliud, quod supremus hic cœlestis militiæ Princeps aggressus est, & feliciter absolvit prælium, adversus Pharaonem in defensionem populi Israelitici excitatum fuit, quando è columna nubis adversus obstinatum illum Dei hostem divinæ justitiæ fulmina evibravit, ipsum unà cum universo exercitu ejus in mari rubro submergendo: *Protecti Pascha vespere à devastante Angelo, erepti de durissimo Pharaonis imperio*.

14 *Præclara etiam confecit bella*, quando Lucifero mortuum Moysis cadaver populo Israelis manifestare omni conatu studuit, ut erga corpus illud, in divinis cultus summum præjudicium, per ejus adorationem idololatriam committeret; tunc enim S. Michael divini honoris zelotes ardentissimus illud non minori studio occultare, & ab Hebræorum oculis subducere molitus fuit, quamvis id non sine acri cum Angelo apostata commisso prælio perfecerit. Undè S. Judas Apostolus scribit: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, &c.*

15 Denique *præclara conficiet bella* adversus Antichristum in ultimo perdurantis mundi sæculo; siquidem dum ille totus in eo futurus erit, ut populos seducat, mortuum se, & post triduum denuò resuscitatum fingendo, dum ad æmulandum Redemptorem nostrum è monte Oliveti ad cœlos ascendere præsumet. S. Michael illatam Creatori suo injuriam & contumeliam vindicabit acerrimè: *accipe armaturam zelus illius*, & ancipitem illum stringendo gladium: *Quis ut Deus?* dolos & præstigia ejus manifestè revelabit, ac tandem necem illi inferet.

16 Verùm enimverò olim non solùm illi magni appellati fuerunt, qui *præclara confecerunt bella*; sed etiam qui *rempublicam consilio & virtutibus decorarunt*. Porrò quando Deus noster intra quadraginta annorum decursum conscriptis & exaratis in monte Sinai tabulis, Moyseo in multis ad bonum populi illius regimen spectantibus rebus, videlicet in ritibus & divini cultus sui cæremoniis, necnon pietate & religione instruxit, omnium horum gerendorum cœlestis hic Princeps unicum Dei instrumentum extitit. Atque ideò Rupertus Abbas quanto Archangelus noster in utilitatem populi Dei operatus sit, declaraturus ait; *Multa sunt nimis, & plura quàm ut præsenti loco commemorata patiatur tenor propositi nostri, quæ per mysterium principis hujus facta sunt, sicut Scripturis sanctis continentur, ex quibus omnibus magnus iste Princeps, quia per ipsum disposita sunt, sortitus est nomen Michael, quod interpretatur: Quis sicut Deus?* ac tandem mysteria hujus nominis declarans ait: *Quis enim aliud hoc nomine innuitur, nisi quia qualia per ipsum facta sunt, nemo facere posset nisi Deus?* In lectionibus matutinalibus è S. Gregorio desumptis dicitur: *Quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quæ facere prævalet Deus*.

Lib. 5. in Apoc.

Hom. 34. in Evang.

17 *Consilio rempublicam decoravit*. Ipse etenim & non alius fuit, qui protho-parentes nostros, & consequenter universum genus humanum in cunctis necessariis instruxit & erudivit: *Effecit, ut qui ex injuria ei contigerat lapsus*, inquit Panthaleon Diaconus, *per laboriosam & Deo gratam vivendi rationem rursus corrigeretur*.

18 *Virtutibus rempublicam decoravit*, multa nobis relinquendo virtutum exempla, zeli nimirum in defendendo Dei contumeliati honore; mansuetudinis, quia *altercatus cum diabolo de corpore Moysis, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus*. Charitatis, in procuranda aliorum salute; humilitatis, sese unà cum cæteris sequacibus suis non minori cum submissione subjiciendo, quàm quo fastu rebellis Lucifer cum cæteris apostatis Angelis sese contra, imò & supra Deum erigere voluit, &c.

De immensis beneficiis, quæ mundus ab eodem Archangelo hactenus recepit, & porrò etiamnum quotidie recipit.

DISCURSUS TERTIUS.

Hic est Michael Archangelus Princeps militiæ Angelorum, cujus honor præstat beneficia.

1 HOnores illi, quos ut S. Michali Archangelo venerabundi deferamus, nos admonet sancta mater Ecclesia, sancta quadam cum usura compensantur; siquidem in vicem illorum innumera, eaque omnia præcellentissima ab eo accipimus beneficia: *Cujus honor præstat beneficia*.

2 Et

2 Et quidem quemadmodum olim populo Israelitico inter omnes alios à Deo super terram electo astitit, lumen & agnitionem Dei eidem subministrando: *Notus in Judea Deus, in Israel magnum nomen ejus*; ita quoque nunc populo fideli summa cum solicitudine invigilat. Dan.12.2. Undè si olim dictum fuit: *Consurgat Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi mei*; certè nunc, prouti per omnia novæ Evangelicæ legis sæcula ipsamet edocuit experientia, Ecclesiæ Christi multò ampliora beneficia contulit, quàm fuerint olim synagogæ collata. Enimverò ut beneficia Hebræis collata obiter recenseamus, ipse solus fuit, qui in una nocte centum & octoginta quinque Assyriorum militum millia pari strage confecit, quique civitatem Hierosolymitanam ab arcta quacingebatur, obsidione liberando, superbum Sennacherib Dei contumeliatorem confusum in summa animi perturbatione recedere coegit, Josue promptum sese in ejus defensionem obtulit ad fortiter pro eo certandum, admirabilem non solùm ipsi, sed & toti exercitui ejus suggerendo & imprimendo animi generositatem & invictum robur ad acquirendam sibi terræ promissionis possessionem, potentesque illos viginti novem Reges penitus debellandos. Ipse fuit, qui in tot occurrentibus necessitatibus Machabæis in auxilium venit, gloriosissimas illis adversus religionis divinique cultus persecutores impertiendos victorias. Ipsi soli Heliodoro illatum supplicium attribuitur, qui templi ærarium deprædari moliebatur. Ipsi in acceptis referenda est illa Judithæ præstita assistentia, per quam illam à superbi & sacrilegi Holofernis avidis faucibus præservavit, eique ad impugnandum victoriosum ejusdem tyranni mucronem virile animi robur inseruit, quod & ipsa grata mente recolens ingenuè fassa fuit, dum ait: *Custodivit me Angelus ejus & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem*; ipsi pariter innocentis Susannæ attribuenda est defensio, necnon desumptum de calumniosis senibus supplicium; siquidem ipse Danieli eorundem detexit imposturam, animumque suggessit ad inferendam dolosis senibus debitam mortem: Ipse quoque deinceps Danielem è lacu leonum liberavit; *Misit Angelum suum; & conclusit ora leonum.* Similiter in fornace Babylonica flammarum compescuit ardorem, eundem aura quadam frigida permeante perfundendo mitigavit: *Excussit Angelus flammam fornacis.* Undè cùm Nabuchodonosor inter tres illos pueros unum filio hominis similem conspexerit, ille utique nullus alius Angelus fuit, quàm S. Michael, quia, ut jam diximus, ipse solus hac prerogativa præfulget, quòd similis filio Dei existat; ideoque nonnulli in Danielem commentaria scribentes Interpretes, per quartum illum, qui tribus pueris adjunctus videbatur, Michaelem intelligunt. Undè & Panthaleon Diaconus (è quo potiori ex parte desumptus est iste Discursus) de hoc Archangelo dicit, quòd *vitiorum flammam extinguit.*

3 *Præstat beneficia.* Visis egregiis in synagogam à Michaele Archangelo collatis beneficiis nunc quoque ea beneficia, quæ nos quoque ab eodem Archangelo accipimus, accuratius examinemus. *Defendit nos in prælio*, ut jam abundè probavimus; à nostris quoque inimicis nos egregiè defendit, quia ejus opera *Projectus est draco ille magnus serpens antiquus*. Undè draco inferna- Matth.24.24. lis sub ejus pedibus veluti agonizans communiter depingitur. Ultimis temporibus persecutio, qua Antichristus Ecclesiam infestaturus est; adeo erit formidabilis, ut sacer textus dicat: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*; at vero ut Lyranus ait. *Quando Angeli conabuntur omnes corrumpere, & à fide subvertere, etiam electos, si fieri potest, tunc consurget Michael ad fortificandum electos per se, & per Angelos sibi subditos.* Refert Thomas Bozius insignem illam, quam Lib.7.c.3. Henricus Imperator S. Michaeli exhibuit devotionem, unicam fuisse gloriosorum progressuum, quos in Imperio tempore suo obtinuit, causam: *Henricus Imperator tam studiosus S: Michaelis cultor, non mirum quod supra omnes Imperium amplificasse videtur, sicut omnes vitæ sanctimonia & puritate superavit.*

Lib. 5. in Apoc. 4 *Præstat beneficia.* Rupertus Abbas Tuitiensis ait: *Ubi prospera promittuntur, & propitiatio, vel expiatio necessaria est, Michael dirigatur.* Sacratissimum Redemptoris nostri corpus quadraginta horarum spatio in Matt.28.3. sepulchro dimoratum fuerat. *Angelus autem Domini descendit de cælo, & accidens revolvit lapidem*; qui alius non fuit quàm Michael Archangelus: hic enim gloriam & honorem Christi zelabat, & ideoque resurrectionem mundo manifestam reddidit; ut autem Hebræorum Christi interfectorum malignitatem confunderet, fulguris instar ab iis videri voluit: *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur*; undè *præ timore ejus exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.* Est multorum sacrorum Interpretum non improbabilis opinio, quòd quotiescunque in sacra Scriptura Angeli alicujus fit mentio, non adhibita nominis ejus specificatione, per Angelum talem S. Michael per antonomasiam semper intelligatur, maximè si de insigni aliqua talis Angeli operatione sit sermo. In resurrectione quoque corporum nostrorum, quæ circa novissimum judicii diem futura erit, magnam quoque idemmet Archangelus partem sibi vendicat: *In jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei* 1.Thess.4. *descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Undè Estius scribit: *Archangelo Michaele, velut præcone Dominici adventus clarissimum sonitum quaquaversum edente.*

5 *Ubi propitiatio necessaria est, Michael dirigitur.* Zacharias Propheta visionem quandam recenset, in qua de divina justitia peccatis populi illius, qui tot annis in Babylonia detinebatur captivus, graviter irata propitianda & placanda agitur; ac tandem in hunc finem obtinendum S. Michael se promptissimum obtulisse describitur: *Respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? iste jam septuagesimus annus est*; qui protinùs favorabile obtinuit responsum à Deo dicente: *Revertar ad Jerusalem in misericordiis, & domus mea ædificabitur in ea.* Quando Romæ tempore Pontificatus S. Gregorii dirum pestilentiæ flagellum passim per omnes domos grassabatur, accidit quòd dum sanctus ille Pontifex ardentes, & efficaces quotidie ad Deum preces effunderet, Archangelus noster coram eo apparens eidem preces ejus à Deo exauditas esse ex mole Adriani, cui insistebat, revelavit, & in remissionis ac indulgentiæ signum, districtum, quem in manu sua habebat, ensem in vaginam recondidit; undè & locus ille deinceps Castellum S. Angeli appellatus in eoque Ecclesia quædam in ejus honorem ad perpetuam rei memoriam conservata fuit.

6 *Præstat beneficia.* Sæpè citatus Panthaleon de hoc Archangelo ita scribit: *Fide jubet pro peccatoribus*; & de homine dicitur: *In peccatis natus est totus*; nec tamen homo iste aliquem habet, ad quem securiori cum fiducia, quàm ad sanctum Michaelem recurrere possit. Undè sancta mater Ecclesia fideles suos eundem in confessione peccatorum suorum invocare docet, utpotè specialem peccatorum fidejussorem & advocatum. Similiter in hodierni officii divini Antiphona cecinimus: *Archange-* Dan.12. *lus Michael tuba cecinit: Ignosce Domine Deus noster.* Et quidem tuba illius non nos lacessit ad prælium, sed potiùs ad fugam monet peccatorum. Glossa quoque S. Hiero- Silv. Pier. in rof. aurea. nymum in Danielem scribentem citat, ubi ita ait: *Michael cui commissus est populus Judæorum, Dominum deprecatur, & dicit: Domine da eis spatium pænitentiæ, & noli eos subvertere.* Hìc quoque Archangelus S. Mariæ Magdalenæ Dei voluntatem annuntiavit, qua illi præcipiebatur, ut ad agendam rigidam & austeram pro peccatis suis pœnitentiam in speluncam se Massiliensem subduceret; ait enim: *Deus, quem tantum ò Magdalena concupiscis, & semper habes, te vult hunc locum lachrymis rigare profusis, ut futuris sæculis exemplum pænitentiæ perpetuo fiat*; *Crucem in ore speluncæ erexit dicens: Cave ne extimescas, custos tuus est Altissimus.*

7 *Beneficia præstat.* Sanctus hic Archangelus non sine causa Christi crucem in humeris bajulans communiter depingitur, siquidem ipse non solùm est Christianæ militiæ signifer, quæ Crucem Christi vexilli loco se habere gloriatur, verùm etiam aliquam in humana redemptione partem habere dici potest; nam quando Christus hora passionis suæ appropinquante anxius, & tremebundus morabatur in horto, *accessit Angelus confortans eum.* Didacus Stella hunc Angelum S. Michaelem fuisse dicit; in quam eandem opinionem S. Bonaventura & alii pariter consentiunt. Dionysius Carthusianus quoque ait: *Probabile est Angelum istum fuisse S. Michaelem, tunc Principem Synagogæ.* Sanctus etiam Bonaventura dicit: Medit. vitæ c.15. *Cum autem sic orat anxiatus Dominus Jesus, Ecce Angelus Domini Princeps cælestis exercitus Michael* apparuit *confortans*; vel ut, Syriaca lectio habet, *confirmans*

eum

eum. In cujus veritatis confirmationem ad illum Zachariæ textum in c. 3. ejusdem reflectere possumus, ubi ita dicitur: *Ostendit mihi Dominus Jesum saterdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & sathan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei Jesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante fatiem Angeli*. Enimvero quodnam existimatis nobis io hac visione revelari mysterium? Porrò ut illud ritè intelligamus, necessum est ut nobis S. Michaelem veluti in medio inter Christum & dæmonem constitutum imaginemur; hic enim dum ei Incarnationis, & Crucifixionis Christi repræsentaretur mysterium: Christum utpotè abjectum & humiliatum pro nobis tanquam Creatorem suum agnoscere, & adorare detractavit; imò *stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei*; undè S. Michael tunc se illi opposuit dicens: *Nunquid non iste est torr:s erutus de igne? Increpet dominus in te sathan*. Et ideò Rupertus Abbas ait: *Dominica passionis victoria magna increpatio diaboli fuit*. Imò S. Michael ut Christi improperia, & derisiones tanto ampliori honore afficeret, ejusque amarissimam passionem cœlo terræque venerabilem redderet, ait: *Auferte vestimenta sordida ab eo; ponite cydarim mundam super caput ejus*. Quibus verbis devotam quandam gratiarum actionem, nec non debitum adorationis & obsequii tributum reddere intendit, quasi diceret: tantò utique magis exaltabitur in gloria, quantò magis humiliatus fuerit in pœna: S. Hieronymus, vel quisquis est author Commentarii in Psalm. 1 ... ait; *Tamdiu habere dicitur vestimenta sordida Dominus Jesus, & stare diabolus à dextris ejus, quamdiu portat peccata nostra, & diabolus peccatis nostris adversatur*. Ex quo igitur Christum peccata nostra sibi imposuisse diabolo summè displicet, satis perspicuè illum salutem nostram minimè amare colligitur, sicut illam amavit S. Michael, qui Christum io horto anxium, & pro peccatis nostris agonizantem animavit, & ut pro redemptione nostra sanguinem suum effunderet, strenuè est cohortatus.

8 *Præstat beneficia*. S. Michael quoque animabus nostris excipiendis à Deo deputatus fuit: *Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas sanctorum, ut perducat eas in paradisum exaltationis*. Quis igitur præstita nobis ab Angelicis Spiritibus auxilia non experitur? S. Bruno ait: *Vide ergo quantas gratias B. Michaeli Archangelo debeamus, à quo Angeles accepimus nobis ministros ad custodiam ordinatos*. Inter alia motiva, quibus B. Laurentius Justinianus utitur, ut nos ad hujus Archangeli cultum, honorem & reverentiam inducat, hoc quoque unum ex præcipuis fuit, ut scilicet ipsum consideremus, tanquam *animarum Electorum sedulum susceptorem*. In Offertorio quoque Missæ defunctorum dicitur: *Signifer S. Michael repræsentet eas in lucem sanctam*. Verùm enim vero non solùm animæ per manus illius transeunt, quando ex hac vita evolant ad cœlum: *Constitui te Principem super omnes animas suscipiendas*; verum etiam fideles etiamnum viventes commovet, iisdemque inspirat, ut iisdem animabus electis, in igne purgante acerbos cruciatus patientibus, devota suffragia porrigant, ut à prædictis ignis purgatorii acerbissimis pœnis quantocius liberari, atque ad æternæ beatitudinis possessionem adeundam transmitti valeant. Ad hæc anima in purgatorio constituta in ejusdem Missæ pro defunctis Offertorio repræsentatur nobis veluti in quodam lacu leonum constituta: *Libera eas de ore leonis, de profundo lacu*. Quis autem Danieli in lacu leonum constituto succurrit, præterquam S. Michael, qui *conclusit ora leonum*, & Abacuc per capillos apprehensum è Judæa extulit, ut præparatum messoribus prandium Danieli ministraret.

Serm. de S. Michaele.

9 *Præstat beneficia*. Ipse etenim instrumentum quoddam est reconciliare pacis: *Angelum pacis Michael ad istam cœlitus mitti rogitamus aulam, nobis ut crebro veniente crescant prospera cuncta*. Nostras quoque orationes coram supremo altissimi Dei tribunali præsentat: *Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua*; ubi per incensum preces nostræ significantur; *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Ecce igitur qualiter orationes nostræ per manus S. Michaelis deferantur in cœlum. Ipso quoque mediante bonorum terrenorum abundantiam recipimus, eodem sæpè citato Paothalenne attestante, qui ait; *Fertilitatem fructuum terra suppeditat*.

Ex adducto Apocalypseos textu alia considerantur ejusdem Archangeli encomia, & de beneficiis, quæ nobis communicat.

DISCURSUS QUARTUS.

Stetit Angelus juxta aram templi habens thuribulum aureum in manu sua,

1 SAncta mater Ecclesia S. Michaelem Archangelum protectorem suum in die hodiernæ solemnitatis, quam, ut se pro immensis beneficiis receptis, aliisque quibus ab ipsius liberalissima manu continuò locupletamur, gratam exhiberet, instituit, in primis per adductam in themate Aotiphonam honorat. Cujus verba ex celeberrima illa visione desumpta sunt, quam S. Joannes habuit, dum in insula Pathmos constitutus esset, & in cap. 8. Apocalypseos perspicuis verbis describitur; ibi namque legimus repræsentatos illi fuisse septem Angelos in conspectu Dei consistentes, quibus totidem datæ fuerunt turbæ; inter alios autem unus præcipuæ io medium prodiit: *Et stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei*. Pro cujus adeo mysticæ visionis declaratione servit quod scribit S. Augustinus, dum ait: *Omnes Angeli ejus nos adjuvant, vel orando, vel bona suadendo, vel dæmones arcendo, potius tamen hoc dicitur de Michaele*. Et ratio est, quia cùm S. Michael sit cœlestis militiæ Princeps & Generalis Archistrategus, alii Angeli eidem tanquam capiti subordinantur, ideoque tanquam milites à minimo ipsius tanquam capitis sui nutu dependent. Et quidem tametsi omnes hi septem Angeli tubas in manu habere à nobis conspiciantur, attamen obtenta adversus inimicum infernalem victoria soli Michaeli adscribitur ad eum modum, quo victoria absoluto prælio ooo militibus, sed Generali exercitus Duci adscribi solet, utpotè qui per suam directionem, prudentiam, consilium, generositatem animi, & iovictum robur, necnon per insigne fortitudinis suæ exemplum omnes ad pugnam tentandam animavit, primusque licèt cohortum suarum auxilio roboratus cum hoste decertans eundem prostravit. Verùm enimvero relicta prælii arena seu campo, æquitati magis consonum esse dixi, si Archangelum nostrum in hoc Discursu altaribus assistentem veneremur,

Lib. 1. de civit. Dei.

2 *Stetit Angelus juxta aram templi*. Nonnulli per hunc Angelum Redemptorem nostrum interpretantur, utpotè qui *magni consilii Angelus* denominatur: alii verò econtra in Michaelem propendent. Undè Dionysius Carthusianus ait: *Aptius tamen videtur, ut Angelus iste intelligatur Angelicus Spiritus Ecclesiæ præsidens, scilicet Michael, qui nunc Princeps extat Ecclesiæ, sicut olim Synagogæ*. Verùm dicat hic aliquis, ecquodnam in eo mysterium latet, quod Angelus iste cum thuribulo aureo ante altare Dei consistat? *Iste Ecclesiam visitat* (inquit Carthusianus) *& ante ejus altare stat habens thuribulum aureum, id est, charitatem præcipuam ad fideles, per quam eorum spiritualia beneficia colligit, Deoque offert*; in testimonium nimirum obsequii & devotionis erga populum Christianum, in ordine ad Dei cultum, & oblationem sacrificiorum. Ecce igitur tibi hujus Archangeli gloriam, siquidem omnes per manus ipsius coram adorandæ Triados altare præsentantur; Et ad hoc fortè alludunt illa Canonis verba, quæ post Consecrationem dicuntur: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum in conspectu Divinæ majestatis tuæ*. Quonam verò fructu nos hanc supplicationem nostram per hujus Archangeli manus porrigere existimatis? Nimirum, *ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur*. Ecce hujus Archangeli *charitatem præcipuam*, &c. Neque enim oblationes, & sacrificia nostra tantùm offert Altissimo, verùm etiam iisdem per amoris, & ardentissimæ charitatis suæ efficaciam robur addit, dum illa apud Altissimum gratiora, & acceptabiliora, magisque meritoria efficit. Idem quoque Dionysius declarat, quod

per

per incensum hujus thuribuli intelligi debeant orationes, aliaque omnia opera bona, quæ facimus, quæ ab Archangelo nostro coram Deo in cœlis præsentantur: *Cui dantur incensa multa*, inquit, *quando Ecclesia ejus suffragia petit, suasque preces per manus illius Deo offerri precatur, quod & ille diligen-*
In cap. 12. Num. *ter exequitur, offerens preces, & actus fidelium.* Glossa autem nos docet, qualiter nos ejus in hac re colegæ, & sodales esse possimus: *Satage autem*, inquit, *quomodo assumaris ad societatem Michaelis, qui orationes Sanctorum semper offert Deo; assumeris autem in hunc numerum, vel in hoc officium, si instes semper orationi, & vigiles in ea.* Ad majorem verò hactenus dictorum evidentiam, & probationem, quòd videlicet opera nostra eo interveniente Deo præsententur, clarum in Daniele textum habemus. Hic namque Propheta variis modis, scilicet per orationes, jejunia, aliasque austeritates sese affligebat, ut populi sui è Babylonica servitute liberationem à Deo impetraret, omnia autem hæc Danielis opera bona & merita solus Michael in cœlos coram Throno altissimi Dei deferebat, ipsomet Daniele teste, qui ait: *Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum.*

3 In sacris Annalibus multas hujus Archangeli in diversis occasionibus factas invenimus apparitiones: è quibus ingens illa sollicitudo deducitur, quam habet, ut opera nostra meritoria Deo offerat, suam quoque intercessionem in majus beneficium nostrum interponendo; unde & Ecclesia nos eum hisce sequentibus verbis devotè invocare docuit: *Princeps gloriosissime Michael Archangele, esto minor nostri hic, & ubique, semper precare pro nobis filium Dei.* Alibi etiam in hodierno Officio ita recitamus. *Cujus oratio perducit ad regna cælorum*; E quibus verbis perspicuè satis videtur, qualiter vivacissimam æternæ salutis nostræ spem concipere possimus, dummodo verè ipsi devoti simus, ipseque noster advocatus existat.

4 Ad hæc cùm incensum, ut diximus, verum sit orationis symbolum, ideò hoc per invocationem sancti Michaelis semper benedicitur, quia ipse est, qui cunctas fidelium orationes coram Deo præsentat; Dicit enim Ecclesia: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, & in odorem suavitatis accipere.* E quibus Ecclesiæ verbis clarè cernitur, in quanta æstimatione sint ejus intercessiones, & quanti apud Deum valeant preces, quæ per manus illius Deo offeruntur, siquidem illæ hac dextera Angelica coram Deo præsentatæ æternarum nobis coram Deo conciliant cumulum.

5 *Et accepit Angelus thuribulum*, ita sanctus Joannes in eadem visione prosequitur, *& implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* Circa quæ verba Carthusianus dicit: *Implet igne præfati altaris seipsum ad nos amandos.* Etenim hic Archangelus amoris igne accenditur, ut tantò se amplius erga nos beneficum demonstret, prouti ex immensis, quæ nobis communicat, bonis clarè satis liquet; Quid enim Angeli ad nostram custodiam deputati, Angeli quoque qui Provinciis, & Regnis efficaci patrocinio suo continuò assistunt, denique supernæ illæ intelligentiæ, quæ amplissimis cœlorum sphæris una cum primo mobili continuò volvendis, & revolvendis serio invigilant, quid, inquam, sunt aliud, quam speciales quidam beneficentiæ, & directionis ipsius effectus; *ad nos amandos.* Porrò thuribulum istud aureum erat, ad denotandam amoris, quo nos, & bona nostra prosequitur, puritatem, *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* De hac autem operis exhibitione in discursu præcedenti satis amplè locuti sumus, quando in eo, quòd *præstat beneficia*, abundè satis probavimus.

Hom. 2. ad Corinth. 6. Insignis est illa sancti Augustini propositio dicentis: *Qui non zelat, non amat*; quam etiam sanctus confirmat Chrysostomus, dum ait: *Alunde non nascitur zelotypia, quam ex vehementi dilectione.* Hoc autem divini amoris rutilans aurum in sancto Michaele utique egregiè resplenduisse, ex eo satis liquet, quia se pro contumeliam Dei honore, & gloria defendenda cunctis aliis spiritibus Angelicis zelosissimum esse multis argumentis probavit. At verò eisdem verbis Dionysius Carthusianus aliam quandam expositionem adhibuit dicens: *Precibus suis ac nostris ardorem sanctæ charitatis nobis à Deo obtinens ac reportans*; Neque enim sancto Michaeli se Deum amare sufficit, nisi nos quoque eodem amoris igne exardescere faciat; Christus enim ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Ignis videlicet dilectionis reciprocæ, quæ basis est totius legis Evangelicæ; Hæc autem amoris flagrantia hujus Archangeli opera in nobis accenditur, siquidem hic nobis ex Seraphica illa officina carbones affert, quibus in nobis purificentur, & inflammentur corda nostra: *Ideo sequitur: Et misit in terram, id est, corda fidelium hoc igne charitatis succendit.*

7. *Et facta sunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.* Mox enim ut hic Archangelus noster ignem hunc super terram effuderat, ingens quidam fulgurum, fulminum, tonitruorum ac terræ motuum universalis auditus est strepitus, cujus rationem reddit Dionysius Carthusianus, dum ait: *Quia tunc corda Prædicatorum, Prælatorum, & Doctorum confortata sunt, atque idonea facta ad prædicandum, & miraculosè agendum.* Tametsi enim Archangelus Michael tanquam protector Ecclesiæ eidem assistens, omnes fideles divino amore inflammet, majorem tamen in Prædicatores, Pastores, superiores Ecclesiasticos, & Doctores charitatis ardorem diffundit, utpotè qui sunt instar fulgurum, quæ Divinæ legi obstrepentes, & rebelles timore, & tremore percellunt. Verùm enimverò, ex quo à nobis superioritatis facta est mentio, extra orbitam salire, aut præter propositum loqui non videbor, si hoc loco salutare quoddam Hugonis Cardinalis inseruero motivum. Hic igitur in Psalmo octuagesimo secundo ita scribit: *Michael interpretatur: Quis ut Deus? cujus officium est coercere illos, qui Divinitatem sibi usurpant, id est, dignitatem Ecclesiasticam, sicut Lucifer Isaiæ decimo quarto. Ascendam in cœlum, & similis ero Altissimo. Michael est Præpositus Paradisi, ideo significat Prælatum Ecclesiæ, cujus officium est coercere ambitiosos.* Ratio autem cur sanctus hic Archangelus Prælatos Ecclesiæ potiùs, & majori cum solertia divino amore accendere satagat, hæc est, ut nimirum hi exemplo suo subditos, & inferiores sibi ad virtutem consectandam inducant, & attrahant. Et ideò sanctus Michael summo Pontifici præter proprium ejusdem Angelum custodem singulari cum auxilio, & subsidio assistit. Ipse quoque est ille *Angelus Domini*, qui in carcere Herodis Petro *astitit*, quando universa Ecclesia pro obtinenda Pastoris sui libertate orationi intenta erat. Ipse est, qui catenas solvit, quibus Petrus vinctus erat, ipsumque è carcere ereptum liberum abire fecit. Ipse Prædicatorum corda accendit, ut animæ, per quas resarciendæ sunt ruinæ Angelorum, denuò convertantur; Ipse quoque corda illuminat Doctorum sacrorum, ut luce sapientiæ suæ ignorantiæ, hæreseon, cunctorumque aliorum errorum tenebras ab Ecclesia dissipent, & abigant, sacrarumque Scripturarum obscuritatem sana doctrina ipsorum mediante interpretentur, & perspicuam efficiant, ac proinde de illis dicere licet, quod de duobus illis ex Oleagino ligno fabricatis Cherubinis, per quos sacri Doctores communi Patrum consensu denotantur, scribit: *De lignis olivarum sunt facti, qui lucem nobis scientiæ tribuunt, juvante flamma charitatis Dei.*

8. Verùm enimvero abs re non erit, si hoc loco moralem quandam considerationem, quæ non minus in sancti Archangeli nostri honorem deserviet, instituamus, nimirum quod tametsi fumus orationum nostrarum, omniumque aliorum bonorum operum è thuribulo ipsis aureo cœlum Empyreum versus evaporet; sciendum tamen nobis sit, quod hic Archangelus, quantumvis ad tantam usque dignitatem sublimatus fuerit, ipsi tamen nunquam ne per umbram quidem minimus vanæ gloriæ & ambitionis ventus prædominatus fuerit. Hugo Cardinalis super illum Apocalypseos textum:

tum: *Michael & Angeli ejus præliabantur*, scribit: *Michael interpretatur: Quis ut Deus?* mox verò per S. Michaelem Prælatum, per alios verò Angelos, Ecclesiasticos significari subjungit; *In quorum factis & doctrina Deus debet apparere mirabilis*, ut cum sincera veritate dici possit: *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, *sed ipsi hodie magis dicunt: Quis ut mundus? quærunt enim quæ sunt mundi, & non quæ sunt Dei.* Ac proinde potius Draconi consentiunt, quàm quod adversus illum decertent, maximè dum se adeo ambitiosos & superbos esse, palam manifestent. B. Laurentius Justinianus de hoc Archangelo scribit: *Defendit humiles, pudicos diligit, diligit innocentes.*

9 S. Franciscus de Paula, qui sanctissimi Ordinis Minimorum fundator extitit, atque in profunda humilitate altas radices egit, S. Michaelem in peculiarem advocatum suum adoptavit. Similiter S. Franciscus Assisius *pauper & humilis*, integram quadragesimam in ejus honorem jejunabat. Unde S. Bonaventura scribit: *Cum juxta solitum morem quadragesimam ad honorem S. Michaelis Archangeli jejunare cœpisset, superna contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, &c.* Et ideò ab hoc S. Archangelo, prouti creditur, in figura Christi sacra illi stigmata impressa fuere. Sanctus quoque Franciscus Xaverius adeo humilis, ipsi pariter devotissimus fuit. Denique S. Martinus, ejus quam erga ipsum habebat devotionis effectus, in morte sua expertus fuit; siquidem deipso post mortem dicitur: *Quem Michael assumpsit.* Extremo itidem odio superbos semper prosecutus fuit, prouti liquidò videre est ex conflictu, in quo superbum Luciferum totaliter pessumdedit, & una cum aliis asseclis suis perduellibus profligavit. Hanc quoque humilitatem suam in Apparitione testatam fecit, quam in Gargano monte luculenter satis edidit, in ejus namque montis spelunca abjecta & vili quandam in suum honorem Ecclesiam dedicari voluit. *In monte Gargano venerabilis memoria B. Michaelis Archangeli, ubi ipsius consecrata nomini habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cælesti prædia virtute.* Templum quoddam sibi consecrari volens, montem quendam solitarium penitus, & in eodem speluncam quandam, ferarum potiùs quam hominum domicilium sibi elegit, ut per hoc quantum humilitas sibi grata esset, quantumque in devotis suis internarum potius virtutum ornamentum, quam externarum magnifici & splendidi cultus exhibitionem æstimaret, evidenter innueret: *Vili facta schemate, sed cælesti prædita virtute.*

De zelo ipsius, quo in cœlo & in terra, inter Angelos & homines omnem Deum offendendi occasionem è medio tollit.

DISCURSUS QUINTUS.

Væ homini illi per quem scandalum venit. Matth. 18.

1 IN hodiernæ festivitatis Evangelio severissimam quandam audivimus increatæ Sapientiæ invectivam, qua in omnes illos, qui scandali occasionem proximis suis præbere præsumunt, utitur; dicit enim: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt; expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*; ac tandem æternam illis damnationem comminando subjungit: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Verum enimvero quæret hic aliquis, quidnam hodiernum Evangelium cum præsenti festivitate commune habebat, siquidem sancta mater Ecclesia Evangelia, quæ in sanctorum solemniis legis & decantari posuit, ita eisdem adaptavit, ut ad virtutes sanctorum, quorum celebratur solemnitas accurate alludant? Respondeo igitur, quod quantum quis meretur puniri & reprehendi, qui alius scandalizat, iisque ad lapsum viam & occasionem, sternit, tantundem laude & remuneratione dignus sit; qui scandala & offendicula è medio tollere satagit. Inter alia autem specialissima encomia, quæ in S. Michaele ad stuporem usque emicuerunt, unum in ipso speciale hoc fuit, quod singularem semper adhibuerit industriam & solicitudinem, ut tam in cœlo, quam in terra omnes Deum offendendi occasiones è medio tollerentur.

a Apud Ezechielem Deus dicit: *Draco magne dicis: Mensi Prompt.*

Ego feci memetipsum. Lucifer namque cunctis aliis Angelis visus est persuadere, quod non fictu ipsi à Deo creatus esset, sed quod nobilissimum esse suum sortitus fuisset à semetipso. *In cœlum conscendam*, inquit apud Isaiam: *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium; similis ero altissimo.* Unde in cœlo Empyreo tam grave exortum est scandalum, ut *Factum sit prælium magnum in cælo;* asseclarum quoque, qui inde ad eum consectandum seducti fuerunt, numerus tantus fuit, ut tertia pars Angelicorum spirituum sese adversum Deum rebelles erexerint; *Cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Sed ecce confestim alius quidam Angelus perfidum & contumacem illum spiritum mendacii & impietatis redarguens, & impenetrabili zeli & generositatis lorica præcinctus, vexillum extulit, cui hæc impressa erat Epigraphe: *Quis ut Deus?* omnesque alios spiritus Angelicos ad se consectandum invitans, acriter eum hoc Dracone congressus est, eumque ex eminentissima cœlorum seda exturbatum in profundissimam usque terræ abyssum præcipitem egit: *Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone & Draco pugnabat, & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo, & projectus est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocabatur Diabolus & Sathanas*; sequentia autem verba manifestè declarant, quæ & quanta scandala illa fuerint, quibus perfidus hic Apostata cœlum pariter & terram implevit; & quidem scandala in cœlo exorta jam audistis, siquidem impius ille Apostata, Angelos pro tertia ipsorum parte, id est, milliones millionum adversus Deum sese rebelles erigere fecit: quoad scandala verò per ipsum quotidie in terra exorta, sufficiat dicere: *Qui seducit universum orbem*: at verò dicite sodes, quisnam ille fuit, qui se hisce scandalis, ruinis hisce, & huic exterminio, quod cœlo Empyreo imminebat, opposuit? quisnam perfidis Draconis illius conatibus in terra restitit, præterquam invictus hic noster Archangelus? & quidem an non ipsum sub ejus pedibus prostratum & conculcatum continuò conspicitis? *Et audivi vocem magnam in cælo dicentes. Nunc factus est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.* Verè S. Michael salus nostra est, utpote qui animarum nostrarum saluti invigilat, atque in hunc finem unicuique singularem Angelum custodem assignavit. Est quoque virtus nostra, quia ut tentationibus resistere valeamus, valde efficacia nobis auxilia animique vigorem subministrat. *Regnum Dei nostri est*; quia ut in beati illius Regni possessionem nos statuit, denique *& potestas est Christi*, quia est Dei altissimi brachium dextrum.

Ezech 29. 3.

Isa 14. 13.

3. Verùm enimverò observetis velim quam perfectè hodierni Evangelii comminationes in superbo illo & contumaci spiritu adimpletæ fuerint, scilicet quod is, qui scandali occasionem ministrat in maris profundum mereatur demergi, siquidem hæc Apostatæ hujus pœna fuit, quod in ignem tartareum fuerit demersus, cum tamen ex altera parte hic Archangelus ob confirmatos in stabilitate fidei sodales, nec non ob zelum gloriæ Dei & reverentiæ erga ipsum, omnium Angelicorum spirituum principatu insignitus fuerit. *Hic est Michael Archangelus Princeps militiæ Angelorum* Pantaleon Diaconus hoc ei Epithetum attribuit; quo vocatur ab eo *vindex zelosissimus blasphemorum*; ac proinde cum Lucifer primus blasphemator extiterit, primus quoque fuit, in quo de illata Deo per blasphemiam injuria, acerba vindicta exercita fuit.

4. Advertendum est autem S. Archangelum nostrum hanc vindictam non exercuisse in Luciferum ferrum seu ensem stringendo, seu ut B. Laurentius Justinianus scribit: *Tunc cælestes spiritus non clypeo, hasta, vel ense, sed voluntate tantum certavere vicissim, sanè in hujusmodi spirituali conflictu cæteris spiritibus sanctis prælatus est Michael*, quem porrò primatum per ardentem illum zelum promeruit, quem contumeliati Dei honorem defendendo exhibuit. Unde idem Justinianus salubriter nos monet, dicens. *Quamvis omnes cœli milites maximo cum honore debeamus excolere, præcipuè tamen gloriosissimum Michaelem cælestis exercitus primatem & ducem, veneremur in illo sublimem gratiam, prærogativam singularem, præstitum ministerium, insuperabilem virtutem, conditoris benevolentiam, ipsiusque bellatoris constantiam.*

5. Hunc quoque zelum suum S. Michael in alio quoque conflictu eximiè probavit; quando ut S. Judas Thadæus

in Epistola sua refert, cum eodem Dracone colluctatus fuit, dimicando adversus blasphematores, omnesque alios, qui supremam illam Majestatem aspernantur, *Dominationem spernunt. Majestatem autem blasphemant*, ita enim scribit præfatus Apostolus: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ; sed dixit, Imperet tibi Dominus*; Etenim hic textus novam virtutem ejus admirandi occasionem nobis ministrat. Porrò non satis inter sacros Expositores convenit, quænam fuerit hujus commissi certaminis occasio: Nam Euthymius in ea est opinione, quod S. Michael tanquam constitutus à Deo synagogæ & totius Hebraismi specialis protector sacrum hoc corpus per solemnes exequias honorare intenderit, eidem vero Archangeli conatui Sathanas ex solo malignitatis & invidiæ motivo sese omnibus viribus opposuerit. Hugo Ætherianus *ad Clerum Pisanum* scribit, quod dum S. Michael Moysis Prophetæ animam in Abrahæ sinum deferre vellet, Sathanas se eidem opposuerit, commissum adversus Ægyptium homicidium allegando; veruntamen sincerior opinio esse videtur eorum, qui dicunt causam luctæ hujus eam fuisse, quam B. Petrus Damiani, in quodam sermone licèt ad aliud propositum tetigit, dum ait: *Quid est, quod ab hominum notitia removetur, nisi ut tollatur occasio, ne quidam Deo charus & familiaris extitisse cognoscitur, divinus honor ille ab Israelitica plebis perfidia prabeatur*. Diabolus enim corpus Moysis revelando se populum illum ad idololatrandum inducere posse sperabat, cui proinde Archangelus contradicens, ne id fieret, corpus abscondendo impedivit. Veruntamen Aresius aliam quandam circa præsentem historiam observationem adinvenit, dicendo, quod quia Moyses in Genesi dum omnium creaturarum primam à Deo communi omnium creatore productionem describit, nullam prorsus Angelicæ naturæ mentionem fecit, eo præcipuè motivo inductus, ne populus Judæorum Angelorum mentionem fieri audiens, prout erat ad Idololatriam valdè proclivis, suspicaretur Angelis cultum latriæ debitum esse, adeoque à veri Dei adoratione omninò desisteret; ideò quoque S. Michael corpus Moysis mortuum ob eundem finem ab oculis eorum submovit & abscondit. At verò dicet fortasse aliquis, habuisse id speciem aliquam vindictæ, siquidem ideò S. Michael corpori Moysis suam adorationem ademit, quia ipse creationem Angelorum in enarrata mundi Genesi subticuit, adeoque ipsorum, qui tam nobili omnique veneratione dignissima præditi sunt, gloriæ admodum præjudicavit; hoc autem sine blasphemia affirmari non posset, siquidem ejusmodi reprehensibilia motiva soli naturæ nostræ depravatæ dominantur, & maximè in superbis & ambitiosis cernuntur, qui potius ad propriam, quam ad Dei gloriam aspirant; justi autem & electi servi Dei potius eligunt contemni & posthaberi, quando honorem sibi impendendum in damnum & præjudicium honoris & gloriæ Dei cedere vident. Et hinc est, quod Paulus & Barnabas divinum sibi cultum adhiberi videntes, præ nimia tristitia animique dolore vestes suas disciderint.

De transl. S. Hila.

6 Porrò modus, quo S. Archangelus in hoc conflictu sese habuit, valdè est considerabilis, quia tametsi quando de offensa & injuria agebatur Divinitatis, totus semper igneus & vehemens fuerit, attamen quando in persona propria injuriis aut calumniis infestabatur, summam semper præ se tulit mansuetudinem: *Non est ausus illi judicium inferre blasphemiæ*; quantumvis nullus sit, qui magis maledictionem & acerbam reprehensionem commeruerit, quam hic hostis tartareus, cœloque rebellis. Quo in facto egregiam nobis doctrinam subministrat, quod videlicet dum nobis cum impiis atque perversis hominibus res est, vitiis quidem & sceleribus eorum indignari possumus, utpote Christi offensis, & divinæ legis prævaricationibus; in reliquo verò naturæ ipsorum, in qua similes sunt nobis, compatiendum sit, exercendaque erga illos à nobis sit charitas eosdem tolerando.

7 Observandum est quoque quod S. Michael ausus non fuerit Diabolo ex motivo zeli maledicere, tametsi id faciendi tam urgentem habuerit occasionem; & tamen nos vilissimi terræ vermiculi, adeo simus arrogantes, ut ob quamvis rem quantumvis levissimam in graves prorumpere blasphemias non dubitemus: Audire Hugonem Cardinalem, qui ita scribit: *Cum modestia scilicet & mansuetudine hoc dixit: Imperet tibi Deus, hoc est contra multos Prælatos, qui cum austeritate imperant, & cum potentia; non est ausus Michael, qui tantus erat, imperare Diabolo, ut ipsi pauca imperent, vel nulla; & si oportuerit, hoc faciant cum timore & mansuetudine*. Unde Psalmo 89. dicitur: *Quoniam supervenit mansuetudo & corripiemur*. Sanctus autem Hieronymus scribit: *Merebatur Diabolus maledictum sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit*, & consequenter nec verba immoderatæ iracundiæ per os superioris. Hoc tamen non obstante, quando de Dei contumeliati & injuria affecti honore, reverentia, & gloria defendenda agitur, condignus exhibendus est Divini honoris conservandi zelus, quia si propter honorem & bonam existimationem nostram, nec non parentum, amicorum, Dominorum, vel aliorum ad eos protegendos jure nos moveri censemus, quanto rationabilibus est, ut idipsum faciamus, quando Deum aut ejus honorem injuria aut contumelia affici audimus.

Ad Tit. c. 3.

8 Aliud quoque ejusdem sancti Archangeli facinus in Daniele Propheta legimus, ex quo pariter in ejusdem zeli, quo S. Michael scandala removere & abolere studuit, notitiam devenire possumus. Daniel namque multo tempore populi Israelitici è captivitate Babylonica liberationem per multas afflictiones corporales suspiraverat, & tametsi à primo suæ ad Deum effusæ orationis die, Deus iteratæ sæpius supplicationi illius annuerit, concessi tamen favoris executio per viginti & unius dierum decursum delata fuit, idque ob hanc sequentem causam, quia nimirum *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus*. Suppetiarum verò succursus, per quem suum erat assecuturus intentum removendumque omne favoris concedendi obstaculum, à S. Michaele præstitus fuit: *Ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum*. Et quidem supposita Ruperti Abbatis opinione sciendum est; Apostatam Angelum nihil æque desideraffe, quam ut populus Israeliticus Babylonicis vinculis diuturniori tempore mansisset constrictus, nec adeo cito ad civitatem sanctam Hierosolymorum redux fieret, sperabat enim futurum ut filii Israel per diuturnam hanc cum Idololatris conversationem, valdeque longam à templo Domini distantiam potiori ex parte perverterentur. S. Michael autem hocce periculum prævidens, sciensque Deum Danielem libertatem Israelis affectuosè solicitantem exaudivisse, adversus tartaream se tyrannidem armavit, & ut concessum à Deo favorem, nimirum populi Israelitici è Babylonica captivitate liberationem quantocius exequeretur, impedimentum omne quod Dæmon procuraverat, sustulit, effecitque ut ad ritus & cæremonias sacras, sacrificia item, omniaque alia Religionis & cultus divini exercitia redeuntes, tanto magis in divino servitio, & in sanctarum legum suarum observantia stabilirentur, atque ab omni Idololatrarum consortio, omniaque alia scandali occasione sequestrati & sejuncti permanerent:

Cap. 10.

Lib de vict. v.r.c. c. 6.

Finis Tertiæ Partis.

PROM-

PROMPTUARII
SACRI ET MORALIS
R. P. JOSEPHI MANSI
PARS QUARTA,

Tres Menses, Octobrem, Novembrem, & Decembrem Complectens.

DE

SANCTO ET SERAPHICO

FRANCISCO

ASSISINATE

Discursus Septemdecim:

S. Franciscus collabentis Ecclesiæ fulcrum fuit, prouti summo Pontifici in visione fuerat præostensum.

DISCURSUS PRIMUS.

In vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum. Ecclesiastici c. 50. v. 1.

1 Celebre est axioma illud S. Gregorii dicentis: *In Sanctorum vita cognoscimus, quid in sacra Scriptura volumine intelligere debeamus.* Cùm enim omnia veteris testamenti facinora, eorum, quæ in novo facienda erant, figuræ fuerint, juxta illud S. Pauli oraculum: *Omnia in figura contingebant illis*, consequens est, ut ex multis gestis factisque heroicis, quæ in Sanctorum Evangelicæ legis vitis leguntur, prophetatum vaticinia tot ante sæcula in sacris literis exarata, cæteroquin obscurata clarius & perfectius intelligamus. Hom. 10. in Ez ch. 1. Cor. 10. 11.

2 Et quidem quis est, qui in hoc Oniæ filio, de quo Ecclesiasticus scribit, S. Franciscum ad vivum delineatum esse clarè non videat, utpote qui Ecclesiæ cæteroquin vacillantis & ruinæ proximæ verus quidam Athlas fuisse noscitur. *Suffulsit domum, & corroboravit templum.* Nullibi enim summus hic sacerdos Oniæ filius pro reparandis sacri Templi Hierosolymitani ruinis suos supposuisse humeros reperitur, sicut S. Franciscum fecisse in ejus vita legitur: & ideò *in vita Sancti Francisci cognoscimus,*

mus, quid in præcitati thematis verbis intelligere debeamus, siquidem in lectionibus Matutinalibus hodie ita de eo legimus: *Cum accedentem ad se summus Pontifex Innocentius III. rejecisset; quod in somnis postea sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam suis humeris sustinere visus esset, conquisitum accersiri jussit benigneque accipiens, omnem ejus institutorum rationem confirmavit.* S. Bonaventura in Historia Sancti, quam egregiè conscripsit, refert, Papam vidisse Ecclesiam S. Joannis in Laterano, quæ universalem repræsentat Ecclesiam, *proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus & despectus proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat Ecclesiam, Verè, inquit hic est ille* (subjunxit ex instinctu utique superiori Innocentius) *qui opere & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam.*

Incap 3.

3 Eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, quando de hujus viri nativitate agit, ita scripsit: *Ita planè Deus Ecclesiam suam in deterius declinantem & collabentem, jam depravata morum disciplina, ad erigendam eam in conflatorio divini spiritus Apostolicum hunc formavit hominem*, S. Franciscus primis diebus, quibus à Deo in sui sequelam vocatus fuerat, ab oraculo cœlesti hæc auribus suis verba insonari audivit: *Francisce, vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur.* Cumque in virtute humilitatis, suique ipsius contemptu optimè ac solidissimè fundatus esset, ne suspicari quidem potuit, se in totius collabentis Ecclesiæ fulcrum & sustentaculum à Deo electum fuisse, ideò divino prædicto oraculo obtemperare volens, ad Ecclesiam S. Damiani, quæ eo tempore evidentem minabatur ruinam, & quotidiè ne corrueret periclitabatur, restaurandam animum adjecit: *Licèt principaliter intentio verbi ad eum ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit, sicut eum Spiritus sanctus edocuit, & ipse postmodum fratribus revelavit.*

Cap. 2.

Serm. 33. in Cant. Isa. 38. 17.

4 S. Bernardus Ecclesiæ lamenta, à multis retrò sæculis ab Isaia hisce verbis prædicta: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, declarare volens dicit: *Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum; amarissima nunc in moribus domesticorum.* Non poterat miserabilis ille status; in qua procellis undique conquassata Petri navicula tempore S. Francisci consistebat clarius & perspicacius nobis ob oculos repræsentari, quam jam dictis verbis, si Bernardi illis expositio adhibeatur, cum ecce Divina providentia eidem de Anchora quadam prospexit, quæ ipsam inter tot tempestatum procellas firmam, stabilem, & inconcussam servavit, ne ullum passa fuerit naufragii periculum, tametsi procellæ & turbines, quæ ipsam agitabant, ab Idololatris, Hæreticis, & pessimis Christianis ex æquo movis fuerint.

Luc. Vvad. appar. §. 5. 36.

5 Ingeniosè ab Annalium Franciscanorum authore observatur, quod dum sanctus & Seraphicus Patriarcha coram Episcopo Assisinate renuntiaret, Prælatus ille nudum Franciscum ulnis suis ampleaatus dulciter fuerit: *Mysteriosè mundum fugiens, & Ecclesiæ futurus Athleta, ipsius Ecclesiæ tanquam securi asylis charis ulnis excipitur*; ecce igitur ejus compensandis beneficiis correspondentiam & gratitudinem, quam eandem Ecclesiam sustentando & defendendo satis superque demonstrat.

6 Ut autem memoratam paulò ante à S. Bernardo triplicem Ecclesiæ persecutionem tempore S. Francisci in summo gradu viguisse demonstrem, à prima exordior persecutione, videlicet gentilium Paganorum, hæc enim illis temporibus in pluribus Christianismi partibus vigebat. In cujus probationem sufficiat quinque Religiosorum ordinis sui tempore viventis Francisci Marocci perpessum allegare martyrium, quod S. Antonio Paduano stimulum addidit, ut relicto Canonicorum Regularium instituto hanc quoque Religionem sancti Francisci amplecteretur, avidus quoque & ipse pro fidei defensione sanguinem suum fundere. Imò prædictos velim legito te annales, invenietis enim filios sancti Francisci in tot terrarum Provinciis & regnis cum manifesto vitæ suæ dispendio, Evangelium certatim annuntiasse fidemque diversis in locis plantando stabilivisse, & sustentasse Ecclesiam, verificando id quod quondam Leo Magnus de ejus scribit persecutoribus: *Nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri, quoniam in suppliciis & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo.*

Ser. 6. de Epiph.

7 *Amarior in conflictu hæreticorum.* Eodem quoque miserabili sæculo, plusquam alias unquam hæreses adversus Catolico-Romanam Ecclesiam, cui tunc Alexander III. præsidebat, invaluerant, cujus etiam Fridericus Barbarossa Imperator implacabilis inimicus erat, utpote qui adversus præfatum Alexandrum quatuor omnino Antipapas creaverat; adeoque de Roma idem tunc dici poterat, quod pro eo tempore quo Petrus Romæ primitus pedem intulit, idem Leo Pontifex de eadem Roma scribit: *Cum penès omnibus dominaretur gentibus omnium gentium serviebat erroribus.* In Francia similiter Almaricanorum hæresis vigebat; Item Albigenses venenum suum adeo diffuderant, ut bene multas in Francia Civitates eodem toxico perniciosissimo infecerint: denique orientem pariformiter Maronitarum, Georgianorum, Humilium aliique diversi errores pervadebant: & ut unico verbo absolvam, fides & Religio Catholico-Christiana adeo prostrata & perturbata humi serpebat, *ut undequaque suos convocasse ministros videretur Diabolus & omnem exercuisse, contra sanctam Ecclesiam, potestatem; ut immaculatam a Christo & Apostolis receptam commacularet veritatem; vel ad mundi finem duraturam sacram omnino tolleret doctrinam.*

De Nat. Ap. Petri & Pauli Vvad. in appar. ad ann.

8 *Amarissima in moribus domesticorum.* Fuitque hæc tertia Ecclesiam devastans persecutio. Etenim quidam illorum temporum author ita scribit: *Increbuerat tunc ex hæreticorum multitudine, & Imperatorum temeritate tanta clericorum, & improborum virorum licentia, ut nulla religionis facies in Ecclesia Dei cognosceretur.* Neque enim solus Fridericus Barbarossa Apostolicam hanc naviculam per multos annos pro viribus concussit, verum etiam eidem Fridericus II. successit, qui *ubi Imperator appellatus est, illico in Romanam Ecclesiam insanire, omniaque laterare & rapere cœpit*; omnem namque promovit hæresim, Mahometanæ sectæ author fuit, persecutor fuit Ecclesiasticorum adeò ut ipsos quoque S. R. E. Cardinales squalidis in carceribus vinctos tenuerit. *Multis annis* (inquit præfatus Annalium author) *semper malus, semper potens, expulsi ubique boni mores & corrupti subintroducti*; adeoque tunc in veritate dici potuit: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum.* Nunquid igitur justam summus Pontifex causam habuit, ut Ecclesiam sibi à Deo in somno repræsentatam veluti collabentem & ruinæ proximam conspiceret? ecquodnam vero providentia divina, quæ inviolabilem hanc promissionem Ecclesiæ fecerat: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Item: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; quodnam, inquam, ingentibus hisce malis coercendis & abolendis procuravit remedium? nimirum, oculum suum in virum quendam extrinsecus vilem, abjectum, idiotam, natalitiorum & perfectionis paulominus quam mediocrem, conjicito, eique imperato: *Vade & repara domum meam, quæ ut cernis tota destruitur.*

Iac. Berg. lib. 13. ad ann. 1217.

In comm. sed. in vita S. Franc.

Luc. Vvad.

Ps. 78. 1.

9 Enimverò de barbitonsore quodam legisse me memini, quod is domum suam ob murorum à se invicem dissolutionem, ruinam comminari videns, intra illas murorum patulas rimas aliquos sancti Francisci Capillos ingesserit, factumque sit quod muri domus illius admiranda cum stabilitate inter se reuniti & fortificati fuerint. Ecce quonam modo S. Franciscum ruinosos domus Dei parietes sive muros restaurasse existimaris? certè non per adhæsionem & potentiam Principum, prouti Constantini Magni tempore factum fuit, sed per capillos suos, id est, per humilitatem, paupertatem, & suiipsius suorumque generosum contemptum: *Quam quidam homo pauperculus, modicus, & despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat.* Vel etiam dicere possumus, Capillos, id est, cogitationes Francisci, ad solam malorum morum, & disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem, ad veræ fidei stabilimentum, nec non ad hæresium extirpationem unicè intentas, muros hujus domus Dei cæteroquin ruinosos integrè resarcivisse, adeò ut de eo dici possit, quod *suffulsit domum, & corroboravit templum.*

10 No-

10 Notandum est igitur quales sint illius nunquam errantis Providentiæ divinæ periodi; nam quando Ecclesia, ut paulò ante diximus, sæculo post Christi adventum tertio per truculentissimas tot tyrannorum persecutiones ad ultimum quasi exterminium redacta erat, de Augustissimo illo mundi Monarcha Constantino Magno providit, qui postquam veræ fidei agnitione imbutus, sanctoque baptismatis lavacro lotus esset, eandem adeo validè erexit, ut in ea spirituali authoritati temporalem quoque Jurisdictionem conjunxerit, eamque ingentibus thesauris locupletatam ad illud usque felicitatis fastigium evexerit, ut ad sublimius culmen à nullo deinceps mundi Monarcha evehi potuisset: at verò quando ingens illa Ecclesiæ moles variis ex capitibus superius insinuatis de novo vacillare cœperat, ut imminens illius ruina caveretur & suffulciretur, eidem de pauperculo quodam homine, id est, de viro quodam providit, cui hic attribuitur titulus, quod scilicet *pauperculus nudus & despectus*, neque id sanè mirum videri debet, siquidem de Apostolis qui pauperes, idiotæ, rudes & abjecti piscatores erant, quique ærumnis & laboribus assueti, pluviis, ventis, aliisque omnibus temporum injuriis continuò exponebantur, dicitur ab Ecclesia: *Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo*, ut vel sic manifestum omnibus fieret, quod munus plantandi, sostentandi & erigendi Ecclesiam non sit opus virorum voluptuosorum, aut in honoribus atque divitiis moliter & commodè viventium, sed potius ad id destinandi sint viri laboribus, ærumnis, paupertati, suique ipsius profundo contemptui assueti & totaliter dediti.

Cap. 27. 11 Cardinalis de Vitriaco in Historiis Occidentalibus ad Religionem S. Francisci, recenter ab eo erectam, describendam descendens, inquit: *Si Ecclesiæ primitivæ statum & ordinem diligenter attendamus, non tam novam edidit Regulam, quàm veterem renovavit, relevavit jacentem & penè mortuam suscitavit Religionem*. Undè propriissimo certè honoratur Epitheto, quando *Totus Apostolicus* appellatur. Ejus etenim tempore in manifestam ruinam Ecclesiam redegerant Ecclesiasticorum pompæ & fastus intolerabilis, nec non pessimi omnium aliorum mores & vitia. Unde sanctus Abbas Claravallensis sui sæculi & temporis Prælatos hisce verbis salubriter monebat, dicens: *In omnibus*
Epist. 42. ad San. Episc. *exemplo Apostoli honorificabitis ministerium vestrum, honorificabitis autem non cultu vestium, non fastu equorum, non amplis ædificiis, sed moribus ornatis, studiis spiritualibus & bonis operibus*.

12 Porrò hæc persecutio, quæ in Ecclesiam truculentius, quàm unquam quævis alia sæviens, manifesto Ecclesiam exponebat corruendi periculo, conformis planè fuit illi, quam is, qui eam tanto cum zelo gubernavit, Leo videlicet Magnus hisce verbis detexit: *In-*
Ser. 6. Epi. *terdictam dolet sanguinis Christiani effusionem*, de tyranno infernali loquitur. Quamvis calamitosissimis S. Francisci temporibus etiam sanguis per multorum persecutorum crudelitatem è filiorum suorum corporibus in quavis mundi parte copiosè manarit. *Et quorum obtinere non potest mortem, impetit mores*. Ubi vides aliam quandam persecutionis speciem, qua Christiani lacessabantur: *Terrores proscriptionum in avaritiæ mutavit incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corripit*. Sed ecce, ut fit, qui huic se inimico opponat, vit quidam totaliter nudus, pauper & humilis à Deo eligitur: *Depravata morum disciplina ad erigendam eam in conflatorio divini spiritus Apostolicum hunc formavit hominem*. Legatis velim Isaiam, qui Propheta Evangelicus ideò præcipuè nominatur, quòd futuros in nova lege gratiæ eventus clarissimè prædixerit, legatis, inquam, illum in Cap. 66. ubi in principio Deus domus suæ, id est, Ecclesiæ mentionem faciens dicit: *Quæ est ista domus, quam ædificabitis mihi?* Et paulò post subjungit: *Ad quem autem respiciam?* quasi dicere vellet; quòd si domus hæc ruinam comminabitur in futuro, quis illam sustentabit? quis sartam illam tectamque conservabit? in quemnam providentiæ meæ oculum dirigam? Quisnam restaurationis instituendæ fundamentum erit. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu?* Quæ verba de nullo aptius, quàm de Francisco verificari possunt, de quo dicitur: *Quidam homo pauperculus, pauper & humilis*.

13 *Suffulsit domum*, id est; ut Hugo Cardinalis ait; *Ecclesiam exemplo suæ conversationis*. Ipse namque non solum Ecclesiam exemplaritate & sanctitate personæ suæ, quæ ad instar luminosissimi Solis tot vitiorum, tantorumque errorum tenebras per universum mundum dissipavit, verum etiam idipsum per sanctitatem, doctrinam, & heroica filiorum suorum opera præstitit, utpote qui non solùm in illa ætate, sed ad finem usque mundi ad Ecclesiæ utilitatem, tanquam totidem stellæ relucebunt. Enimverò quòd si dona supernaturalia, quibus Seraphicus Patriarcha locupletatus fuit, ritè considerentur, quis illa unquam sufficienter enarrare poterit? Ipse namque à primo vitæ suæ exordio, & quasi ab utero materno innocentiam secum in hunc mundum intulisse, & deinceps eandem conservasse videtur. Et quidem quod nunquam mortaliter lapsus fuerit, hoc velut efficacissima argumenta demonstrant, Prædestinationis suæ ei facta revelatio, in statu gratiæ obtenta confirmatio, scientia infusa, donum Prophetiæ, occultaque alienorum cordium arcana penetrandi facultas, gratia miraculorum, ab animalibus ei præstita promptissima obedientia, super elementa ipsi collata mira potestas atque dominium, visiones, extases, revelationes. Quibus addi possunt admirandæ ipsius virtutes, scilicet virginalis puritas, altissima paupertas, incredibilis humilitas, ferventissima charitas, zelus, mansuetudo, pietas, constantia, patientia, mortificatio, omnesque aliæ perfectiones, quæ in altissimo gradu in ipso resplenduerunt, quæ hactenus semper *Eminentissimi Ecclesiæ Dei sanctis lucidissimi* speculi loco fuerunt, eruntque deinceps, in quod imitandum mentis & considerationis suæ oculos defigant.

14 *Suffulsit domum, id est*, ut idem Hugo Cardinalis ait: *Ecclesiam fulcimento suæ prædicationis*. Salvatoris namque exemplo & imitatione à principio inchoati ordinis duodecim è suis per mundum dispersit, qui ad instar Apostolorum Evangelium ubivis terrarum prædicarunt, ac deinceps innumeros alios in omnes terræ provincias destinavit, adeò ut in *omnem terram exierit sonus eorum*. Id quod in Franciscanorum divino officio hisce verbis tangitur. *Ut ipse Orientis, illi* In off. lect. p. 2. noct.
Occidentis populis Mahumeticis salubre, Christi prædicantes Evangelium, quasi totum ad Christum converterint mundum. Et quidem quot familia ipsius sanctos Confessores, quot Martyres, quot debilioris sexus, sanctissimæque vitæ animas Christo peperit? An non S. Bonaventuram, S. Antonium Paduanum, S. Bernardinum Senensem, S. Joannem de Capistrano, duas Claras, Assisinatem videlicet & Montefalconiam, duas Elisabethas, aliosque innumeros, qui Ecclesiam illustrarunt, feliciter produxit: Bis mille & amplius numerantur Scriptores, fructuosa cœlestique doctrina conspicui Francisci filii, qui hæreses confutarunt, explosisque abusibus & scandalis, solidam fidelium animabus inseruerunt fidem, verumque Christi spiritum. Æneas Sylvius, qui ad Pontificatum assumptus Pius II. appellatus fuit, eo tempore, quo Religio Franciscana etiamnum nascens erat, ita de ea scribit: *Quid hæc Religio aliud agit, quam quæ jubere novimus Evangelium? sentes ac tribulos ex agro Dominico divellit, semen bonum seminat, zizania & lolium veritatis sarculo præcidit, exterminat avaritiam, pellit libidines, fulminat illecebras, voluptates strangulat, ambitiones & odia fugat ignavia ac socordia stimulum adigit, & aperiens in Ecclesia os suum diebus singulis pœnitentiam suadet, & viam Dei in veritate docet*. Omnia igitur prostravit vitia, malos reformavit mores, extinxit zizania, quibus bonum suffocabatur frumentum. Denique ad salutis statum, ad Dei, veræque fidei agnitionem reduxit mundum, hacque ratione se verum Ecclesiæ Dei Athlantem esse probavit: *Suffulsit domum & corroboravit templum*.

Seraphicus Patriarcha per suam, Religiosorumque suorum paupertatem & humilitatem sustentavit & suffulsit Ecclesiam.

DISCURSUS SECUNDUS.

Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem. 1. Reg. c. 2. v. 8.

In q. Heb. 1 PEr cardines illos, super quibus ingens hæc à supremo Architecto fabricata mundi moles volvitur & revolvitur; S. Hieronymus pauperrimos & abjectissimos hominum intelligendos esse docet. *Domini enim sunt afflicti terræ.* Cui opinioni Rupertus Abbas Tuitiensis pariter subscribit, dum ait: *Afflictos terræ Hebræi pauperes spiritu, & humiles corde intelligunt, super quos Dominum orbem posuisse dicunt.* Quando Deus in ipso mundi hujus exordio immensæ huic totius universi machinæ primum suum esse ministravit, quibusnam fundamentis illam inniti & sustentari voluit?
Job. 26. 7. Nulli alteri præterquam nihilo: *Qui appendit terram super nihilum.* Quænam in hac terra sublimior moles conspici poterit, quàm illa quæ vertice & capite suo cœlo conjungitur? quæque tanta stabilitate solidanda & firmanda erat, ut cunctis infernalibus machinis resistendo sufficiens futura, & velut cum ipsamet æternitate concertatura erat? Cui autem ingens hæc moles innititur? Quisnam ad illam sustentandam electus fuit?
1. Cor. 1. 27 *Pauperes terræ posuit super eos orbem*, quia super pauperes & viles piscatores suam stabilivit Ecclesiam. *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit, & ea quæ non sunt* (id est, nihil sunt, secundum Phrasim Hebræam) *ut ea quæ sunt destrueret.* Unde Chrysostomus ait: *Vocat ea, quæ non sunt, id est, eos qui nihil esse putantur: propterea quod in nullo habentur pretio; in quo magnam ostendit potentiam, dum per eos qui nihil esse videbantur, magnos potentesque dejecit.*

2 Sæculo duodecimo navicula S. Petri a sævis tempestatum procellis periculosè satis conquassabatur, idque tum propter ditas Imperatorum summos Pontifices abhorrescentium persecutiones, tum propter multas Christianos inter invalescentes hæreses, tum denique ob multos abusus & scandala, pessimosque eorundem mores, adeò ut successor Petri multis haud parum à naufragii periculo abesse videretur: Quid igitur Deus meditatus est remedii? *Domini sunt cardines terræ pauperes terræ; posuit super eos orbem.* Eodemmet periculoso tempore virum quendam excitavit pauperem, vilem, abjectum, nudum & lacerum, ut is Basilicam sustineret Lateranensem ruinam minitantem, qui proinde à Pontifice visus est suos eidem Basilicæ sustinendæ humeros supponere. *Quidam pauperculus sustentabat.*
In Vit. Patrum l. 5g. c. 17. n. 4. Ac proinde pauperculum hunc aptissimè revereri possumus ea salutatione qua S. Hilarion S. Antonium honoravit, dum ait: *Pax tibi columna lucis, quæ sustines orbem terrarum.* Columna enim lucis dici meretur, quia sanctus hic Patriarcha filiorum subsidio populum Dei, qui tanquam mancipium & servus vitiorum & hæresum, tot errorum caligini immersus hærebat, per veram Dei & orthodoxæ fidei agnitionem illuminaturus, atque ab Ægypto & Pharaone tartareo liberaturus erat.

3 S. Hieronymus postquam vitam S. Pauli primi Eremitæ accuratè descripsisset, ad magnates & potentes sæculi hujus conversus, dixit, hunc adeò pauperem & nudum Eremitam illos unà cum omnibus eorum thesauris multis parasangis præcelluisse: ille, inquit, *vestem Christi licet nudus servavit*, id est, Ecclesiam in veste Christi præfiguratam, prouti S. Petro Alexandrino ipsemet Christus evidenter satis est contestatus, dum ait: *Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit, vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis.* Porrò hanc vestem non solum hæretici, verum etiam ex potiori parte fideles, & maximè Ecclesiastici lacerarunt, utpote fastui & pompæ mundi hujus, divitiis item, voluptatibus ac honoribus totaliter intenti. Quis autem hanc nobis vestem resarcivit? Quis integram eandem & illæsam conservavit? *Vestem Christi Franciscus licèt nudus servavit*; Etenim tunc *vestem Christi* verè *servavit*, quando coram Episcopo Assisinate nudus factus est; tunc verè columna quædam seu fulcrum immobile factus est, quod Ecclesiam Dei collabescentem denuò erexit & stabilivit.

4 Dicite sodes, si nostis, quemnam Deus noster modum servaverit, ut tartareum illum nobis infestissimum hostem vinceret, qui idololatria mediante mundi sibi dominium adeò arroganter usurpaverat, ut vix parvulus quidam Palestinæ angulus ipsum verum esse Deum agnosceret? S. Leo ait: *Omnipotens Dominus cum sævissimo hoste, non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate.* Ser. 5. de nat.

5 In cœna illa ultima, quæ mortem Domini immediatè præcedebat, idem Redemptor noster protestatus est dicens; *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*; Jo. 1. 2. 31. Sed quonam modo hostis hujus infernalis profligaturus erat sævam tyrannidem? *Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* Quid autem per hunc loquendi modum innuere voluit? *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus*: quasi diceret: Quando crucifixus fuero, nudusque in Cruce velut spectaculum omnium suspensus à terra hæsero, tunc gloriosam de hoc truculento persecutore victoriam reportabo. Undè S. Athanasius ait: *Cum enim exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de Diabolo trophæum.* Orat. de Pass. Et S. Ambrosius dicit; *Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit, vicit ille qui tegumenta deposuit.* I Luc. c. 10. Ecce tibi nudum coram Episcopo Assisinate S. Franciscum; Ecce tibi eundem in totius vitæ decursu pauperem, mendicum, & nudum.

6 *Talis ascendit*, inquit de Christo S. Ambrosius, *quales auctore Deo nos natura formavit.* Cur obsecro vir ille Seraphicus adeò alias circumspectus & modestus, virgineaque honestate præditus nudari voluit? Nimirum ut prædictum intelligeremus mysterium. *Vestem Christi nudus servavit.* Etenim infinita illa Patris sapientia ipsum stigmatibus corpori ipsius impressis mediantibus ipsum alium quendam Crucifixum esse voluit, ut in illo patibulo, de quo suo loco ad longum discurremus, exaltatus, universum in suam venerationem mundum attraheret, atque ad veram pœnitentiam, veramque reformationem converteret: *Cum exueretur, invisibiliter erigebatur de Diabolo triumphus.*

7 Universus se adversus Jobum infernus armavit & exsolvit, adeò etiam, ut universam ejus progeniem morte violenta necaverit, ac tandem in fœtenti quodam sterquilinio nudum sedere fecerit: at verò qua ratione se adversus diabolum defendit: aut quonam modo illum devicit. *Postquam omnia amisit, tunc factus est fortior, & claram contra Diabolum victoriam reportavit.* Ita quoque de S. Francisco dicere possumus, utpote cui cum potestatibus tartareis decertandum erat, utpote qui Ecclesiam Dei conabantur evertere: at verò *Portæ inferi non prævaluerunt adversus eam*, eò quòd Franciscus potestates illas gloriosè devicerit: sed quando aut quonam tempore? *Postquam omnia dimisit, tunc factus est fortior, & claram contra Diabolum victoriam reportavit.*

8 *Cum dominatus fuerit pauperum*, inquit Psalmista: Circa quæ verba Genebrardus ita scribit. *Pauperes vel* Psal. 10. 10. *exercitus pauperum, congregationem aciemque significant.* Ecce tibi religionem ab hoc Seraphico Patriarcha super sancta Paupertate fundatam, quæ vere est copiosissimus quidam pauperum exercitus, qui tamen omnes invicti & generosi sunt milites, qui adversum Ecclesiæ hostes formidabiles & insuperabiles formant exercitus. Unde optimè ex modernis sacris interpretibus nonnemo ita scribit: *In paupere integer exercitus divinæ virtutis latet*; Quot igitur per hunc Seraphicum Fern. ex 7. lect. 2. virum, cui nomen imponitur pauperculus, invictorum militum electi exercitus in fidei, religionisque Christianæ defensionem fuere excitati, egregieque instructi.

9 Christus apud S. Lucam de Cruce, suique sequela differens ait: *Qui non bajulat Crucem suam & sequitur* Luc. 14. 33. *me, non potest meus esse discipulus*; Paulò post vero interrogat quis ex vobis volens ædificare turrim, non prius de impendio cogitat sumptuum ad illius erectionem requisitorum? Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Ac tandem ita concludit:

dit: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Verùm enim verò quænam obsecro est inter hasce præmissas, & consequentiam indè deductam proportio & connectio? Etenim agitur de congregando exercitu, de turri erigenda deliberatur, ac demum ad hunc finem consequendum necessarium esse dicitur, ut qui illa meditatur facere, renuntiet omnibus quæ possidet. Imò omninò contrarium dicendum fuisse videtur, siquidem ad exercitus conscribendos, erigendasque sublimes fabricarum moles immensæ divitiæ

Ib Cat. requiruntur. S. Augustinus respondet: *itaque sumptus ad turrim ædificandam, & valentia decem millium adversus Regem qui viginti millia habet, nihil aliud est quam ut renuntiet unusquisque omnia, quæ sunt ejus.* Ecce enim qualiter casus iste in terminis in S. Francisco completus fuisse conspiciatur, quando enim mundo renuntians factus est mendicus & pauper pro Christo: Crucem, id est, stigmata ejus super se accipiendo, quando pro Regulæ suæ fundamento paupertatem quandam adeò extremam stabilivit, tunc pro Ecclesiæ defensione turres & propugnacula inexplicabilia erexit, invictosque adversus Infernum ejusque potestates congregavit exercitus.

Eccl 9. 14. 10 *Civitas parva, & parvi in ea viri* (ita quondam prædixit per os sapientis Spiritus S.) *venit contra eam Rex magnus & vallavit eam extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.* Civitas hæc parva Ecclesia erat; in illo etenim miserabili sæculo pauci admodum erant, qui fidei Catholicæ profitebantur integritatem, siquidem magna Christianorum pars hæresibus, superstitionibus, schismatibus, sacrilegiis cunctisque aliis execrandis excessibus immersa erat; Imperatores qui ex debito obligationis suæ Apostolicam sedem debuissent protegere, eandem omni conatu impugnabant. Quodnam igitur fuit remedium, quod Deus pro civitatis illius obsidione solvenda & arcenda providit. *Inventus est in ea vir pauper,* isque nullus alius quam S. Franciscus Assisit in Umbria natus: *Et liberavit urbem.* Per hujus viri suorumque discipulorum paupertatem, pompam, fastum, atque avaritiam Ecclesiasticorum omniumque aliorum Christi Evangelium profitentium, quæ cum majori scandalo & damno Ecclesiæ tunc magis quam aliis temporibus unquam vigebant, compescuit & profligavit. Per suorum doctrinam scientiæque ubertatem hæreses bene multas confutavit atque convicit. Per admirabilem sanctitatem suam in suos quoque filios transfusam provincias & regna hactenus Deo rebellantia convertit; Perque effusum in supplicii suorum sanguinem vacillantis Ecclesiæ fundamenta de novo restauravit, & fortificavit.

11 Valdè considerabilia sunt illa S. Bonaventuræ verba: *Proprio dorso, ne caderet sustentabat.* Visus est enim à summo Pontifice Lateranensem sustinere & erigere Basilicam, id non fulcris trabibus, aut clavis ferreis in eandem transfixis, sed proprio dorso & humeris suis. Verùm enimverò quis est qui nesciat, quantùm fuerit debilis & per jejunia, disciplinas, vigilias, mortificationes, cunctasque alias pœnalitatis & corporis sui macerationes extenuatus, verumtamen licet hoc totum verum sit bases tamen quæ una cum ipso totam sustinuerunt Ecclesiæ molem fuerunt Christianæ & religiosissimæ subditorum suorum virtutes; ex his etenim multi insigne istud Ecclesiæ ædificium sustinere conati sunt mediantibus decretis, Canonibus, & Bullis Apostolicis, alii idipsum fategerunt facere per divulgata in lucem scripta & per studia, quæ ad conservandam fidei nostræ integritatem, ad declarandas multas veritates, & ad multos hæreticorum confutandos errores ordinata erant. Hæc enim omnia ad proportionem sanguinis à tot Martyribus effusi, vel austeritatum à tot Eremitis in solitudinibus toleratarum observantiæ denique religiosæ per altissimæ paupertatis, obedientiæ & castitatis vota confirmatæ, veluti solidissima Ecclesiæ fulcra eandem, ne caderet, sustentantia fuerunt. Fuit igitur Franciscus solidissima columna quæ Ecclesiam suffulsit, & deinceps ad finem usque sæculorum per admirabilem vitæ suæ sanctitatem, & institutam ab eo in tot rigoribus, continuoque Christianæ perfectionis exercitio sustentabit; Hæc continuò in quavis ætate innumeros Ecclesiæ milites peperit & subministravit, qui pro illius defensione strenuissimè decertant.

12 Audite qualiter Hieronymus verba illa Jobi inter-

Job 9. 3. pretatur: *Sub quo curvantur qui portant urbem;* Dicit enim: *Ita sancti portant mundum, dum eum, ne ruat, ac pereat, orationum fortitudine sustinent.* Quot & quales fuere S.

Mansi Prompt.

Francisci cunctorumque religiosorum ejus orationes, quibus mundum in sua integritate sartum conservatunt? Advertendum est autem de ipso minimè verificari posse, quod sub onere Ecclesiæ ingemiscens se incurvaverit (*curvantur qui portant orbem*) quia generosissimus hic sanctæ Ecclesiæ Athlas eam integram & erectam conservavit, absque eo quod vel post mortem etiam curvaretur aut se inclinaret, siquidem post tot elapsa annorum lustra etiam mortuus erecto corpore in pedibus subsistit, cum tamen doceat quotidiana experientia quod etiam durissima marmora, solidissimaque metalla temporum edacitate consumantur. Miraculum istud Pater Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ Dei* adducit, in evidentem stabilitatis & firmitatis Ecclesiæ probationem: *Nullis humanæ industriæ fulcris subnixum, facie tota, oculis, ac manibus junctis in cœlum semper intentus supplicantis in modum* Lib. 5 c 69. sig. 63.

In Epitaphio quod ejus sepulchro adnexum fuit, hæc verba exprimuntur: *Christiani orbis fulcimento.* Seneca in An. 1230. n. 6.

opusculo: *Quare bonis accidant mala?* c. 2. ita scribit: *Non video quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit quam ut spectet Catonem inter ruinas publicas rectum.* Et S. Cyprianus ait: *Quanta sublimitas inter ruinas generis humani stare erectum.* Quænam est hæc singularis gloria, quod cum potior Sanctorum pars in sepulchris suis in cineres resoluta jaceat, solus inter omnes S. Franciscus (quantum equidem novimus) in mortis quasi ludibrium & opprobrium in pedes erectum consistat. Certe de hoc aliud dici nequit, quam quod Deus per hunc corporis sui situm, etiam postquam Seraphica ejus anima jam dudum evolavit in cœlum, denotare & innuere nobis velit, quod etiamnum corpus illius Ecclesiam protegat atque defendat. De mortalit.

13 Sanctus Evangelista de Salvatore nostro post ejus in cœlos ascensionem loquens dicit, quod *sedet à Dextris virtutis Dei;* Et tamen S. Stephanus eundem erecto in pedes corpore stare vidit; *Video Jesum stantem à dextris virtutis Dei.* Scitisne quamobrem Christum in hoc corporis situ viderit? Oecumenius dicit: *Stantem & non sedentem vidit Jesum, ut suam exhibeat Christus protectionem.* Spiritus Sanctus in Deuteronomio de prophanis Numinibus, quæ in eorum qui illa adorabant, adjutorium nequaquam assistebant, ait: *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam? surgant, & opitulentur vobis, & in necessitatem protegant.* E quibus verbis manifestè deducitur, quod erecto in pedes corpore stare, signum sit alicujus causas nostras cum solicitudine & efficacia defendentis & advocantis patroni. Unde credibile fit, quod Sanctus & Seraphicus hic Patriarcha non solum Ecclesiæ, sed & cunctis ipsi devotis eum invocantibus fideliter assistat. Act. Apostol. 7. 55. Deut. 32.

14 S. Franciscus peculiariter præ cæteris Seraphici titulo honorari ab Ecclesia consuevit; ac proindè, cum Seraphinorum proprium sit in pedes erecto situ consistere: *Seraphim stabant;* quid mirum si etiamnum in terra quidem mortuus, in cœlo tamen nunc vel maximè vivus, imò etiam in terra per patrocinii sui efficaciam erecto in pedes corpore stare conspiciatur.

15 De Collimacho scribitur quod dum in prælio Maratonensi lethaliter vulneratus esset, in ipso dimicandi actu exspiraverit quidem, sed erecto semper corpore immobiliter steterit; unde satis apparuit quòd cadaver illius instar fortissimæ & immobilis cujusdam columnæ Asiam sustinuerit, ne in unum cum Græcia tumulum concideret: *Totam Asiam sustinuit, nec occidit mortuus est & stetit.* S. Franciscus actualiter quoque cum hoste pugnans occubuit, quod si vobis ad credendum difficile videatur, id de ipso vulnera, quibus in corpore suo cruentatus conspicitur, satis perspicuè attestantur; In hoc autem cœlestis amoris duello *mortuus est, & stetit,* quia à Deo in columnam Ecclesiæ electus fuit, ut sublimè Ecclesiæ ædificium immobiliter sustineret. *In vita sua suffulsit domum & in diebus suis corroboravit templum; Ecclesiam sustinuit, nec cecidit, mortuus est, & stetit;* imò non solum in diebus suis quoadusque vixit, sed etiam post mortem eandem Ecclesiam sustinuit & corroboravit.

stella erat, imò cœlum in sua potestate habebat, poteratque securè cum S. Paulo dicere: *Conversatio mea in cœlis est*.

7. *Quasi stella. Stella sunt natura pura*, inquit S. Ser. 1 cit. Bonaventura, *eo quòd lucis abundantia sunt formata*. Quodsi de immaculata ejus paupertate tractare velimus. F. Leo unus ex sociis ejus in spiritu raptus, Vvad.to.1. in app. §. 3. n. 13. illum non solum liliis & rosis einctum conspexit, verùm etiam ipsum lilium quoddam manu sua gestare vidit; Cumque curiosus & cupidus esset visionis illius cognoscendi mysterium, nec tamen intelligere posset, quomodò vir aliquis, qui nonnisi spinas diligebat & sentes, inter flores commoraretur; audivi cœlitùs sibi dici; *Cœlesti oraculo accepit designatam purissimam virginitatem*. S. Bonaventura in Prologo vitæ illius, quam scripsit, ita ait: *Culmen in eo eximia sanctitatis advertimus, quia inter homines vivens imitator fuit puritatis Angelorum*. Immaculatam quoque conscientiam habuit, utpote quæ nulla unquam mortalis peccati macula contaminata fuit.

8. *Quasi stella*. S. Bonaventura ait: *Sunt stella figura rotunda & ideò ad motum aptissima: sic sancti Apostoli toti facti sunt Spharici, ad obedientia meritum aptissimi*. Porrò S. Franeisci obedientia eousque progressa est; ut cum Religionis cujusdam excellentissima à se fundatæ Patriarcha esset, postquam Generalatui renuntiasset, solitus fuerit dicere: *Inter alia, qua dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter Novitio unius hora obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo fratri*. Per hujus adeò in ipso exactæ virtutis merita donum quoddam insuper habuit, paucis aliis Dei servis concessum, nimirum Cap. 6. dominium in omnes ereaturas & promptissimam ab iisdem obedientiam. *Perpende*, inquit S. Bonaventura, *quàm miranda fuerit vir iste munditia, quantaque virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat. Angelica prabet melodia solatium viro sancto*, ita idem alibi scribit, *obediebant etiam fera & immanes bestia, atque etiam volucres*.

9. *Quasi stella. Stella propter suam luminositatem*, Ser. 2. de S. Barth. inquit S. Bonaventura, *prædicatam significat veritatem, & sicut stella est deviantium directiva, sic veritas prædicata est errantium illuminativa*. Quot sunt, quos lucidissima hæc stella à recta via deviantes in viam salutis perduxit. Quot errorum, hæresum, abusuum, scandalorum, pessimorum morum caligines dissipavit, per veritatis sanctitatisque lumen easdem illuminando? De Cathedra Petri Alexander IV. Vvad. loc. cap. scribit; *Meritis & exemplis sanctam fœcundavit Ecclesiam, & caligantia præsentis ætatis tempora fulgoris sui lampade illustrans; viam justitia perfectè praparans in eremo altissima paupertatis*. Dum nocte quadam densa tenebrarum caligine obvolutus non sine imminentis præcipitii periculo ambularet, mox lux quædam miraculosa, viæ ipsi ducatum præbens, cœlitus apparuit.

10. *Quasi stella in medio nebula*. Quia in variis mundi partibus multorum errorum nebulas mediantibus religiosis suis illuminavit & dissipavit, de quiPhilip 2.15. bus proinde illa Pauli verba intelligi possunt: *Simplices filii Dei sine reprehensione in medio nationis prava & perversa, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Nec mirum, quia lucis illius partes erant, de qua S. Bernardinus scribit: *Per divina sapientia exemplum & prædicationem cum suo ordine mundum irradiavit*.

11. *Quasi stella*. Porrò quòd stellæ in defensionem nostram prælientur ex eo, quod in libro Judicum le-Jud. 5. 20. gitur, facilè deducitur; *De cœlo dimicatum est contra eos: Stella manentes in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt*. Enimverò spirituales S. Francisci filii velut totidem stellæ fuerunt, quæ in Ecclesiæ firmamento in aciem distributæ adversus illius hostes eam impetentes acriter decertant: Et quotnam per hasce stellas adversus hostem tartareum obtentæ sunt victoriæ?

12. *Quasi stella*. In Daniele scribitur: *Qui ad ju-*Dan. 12 3. *stitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stella in perpetuas æternitates*. Ubi Interlinearis addit. *Simpliciter verbo vita & exemplo*. Fuitque hic modus proprissimè is, quem S. Patriarcha servavit, suosque filios edocuit, per quem innumeras Deo lucratus est animas. *Aliter non valet scientia, tacitus & otiosus sermo doctrina mercedem non habet*.

13. *Quasi stella*. Ex quo Seraphicus Patriarcha Redemptori nostro adeò similis extitit, prouti suo loco videbitur, jure ei sex illos stellæ radios, quos Hugo Cardinalis in Christo stella mystica observavit, adaptare possumus, omnes namque eì propriissimi sunt: *Christus etiam stella matutina fuit in Nativitate: habuit autem sex radios, sicut & quælibet alia stella; Primus est radius humilitatis, quem emisit in Nativitate: Parvulus enim natus est nobis. Secundus est radius utilitatis, quem emisit, cùm voluit vilibus pannis involvi, & in præsepio reclinari. Tertius est radius voluntaria paupertatis, quem emisit in tota sua conversatione: Quia vulpes foveas habent, volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Quartus est radius patientia, quem emisit in malorum & tribulationum æquanimi perpessione. Quintus est radius obedientiæ, quem emisit in mortis voluntaria susceptione; factus est enim obediens usque ad mortem. Sextus est radius sapientia, qui effulsit in sua prædicatione*.

Laudes S. Francisci ex ejus paupertate deducuntur.

DISCURSUS QUARTUS.

Franciscus pauper.

1. INter alias virtutes, quas in magno suo Patriarcha Francisco Sanctus Bonaventura, qui vitam ejus punctualissimè scripsit, admiratus est, una est singularissima, quæ supra cunctas alias emicuit, nimirum altissima ejus paupertas: *Inter cara Charismatum dona, qua à large Datore Franciscus obtinuit,* Cap 7. *prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissima paupertatis amorem*: Hic enim, ut idem Seraphicus Doctor ibidem ait, tantus in eo fuit, ut cum paupertatem à mundo exulare cerneret, Franciscus eandem de cœlo in terram denuò revocarit: *Hanc filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & jam quasi toto orbe repulsam charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea matrem Patremque dereliquit, verum etiam qua habere potuit, universa dispersit*.

2. Porrò factum istud semper præ cæteris admiratione dignum censui, cujus sancta mater Ecclesia in officio divino hodierno particularem commemorationem facit, quando nimirum coram Episcopo Assisinate omnibus quæ à Patre suo in hac vita prætendere poterat, renuntiavit. Sanctus Hieronymus de Elia scribit: *Elias ad cœlorum regna festinans, non potest ire cum pallio, sed mundo immunda vestimen-* Epist. 24. ad Julian. *tum dimittit*: Cum igitur Sanctus Franciscus viam cœli aperire, eamque omnibus aliis latiorem efficere vellet (*nam arcta est via qua ducit ad vitam*) Matt. 7.14 primum quod post conversionem suam fecit, quod paupertatem & nuditatem amplectens, vestes deposuerit.

3. Sexaginta Dæmonum millia adversus virum sanctum ab Inferno exsoluti fuerunt, ut eum eo acriter pugnarent, qui porrò tanto magis in ipsum ferociebant, quanto certiùs ipsum pro Ecclesiæ & fidei defensione electum esse noverant; Etenim licet sciant, quod *adversus eam porta inferi non prævaleant*, non tamen ob id se adversus illam ad sæva, dira & continuo durantia bella armare non desinunt. Qui hic faciat Sanctus Franciscus? Nimirum ut non solùm adversus tot Dæmonum catervas, sed & adversus mundum & carnem feliciter pugnaret, & adversus omnes hosce inimicos victor evaderet, paupertatis armatura se accinxit. *Quid Elia pauperius*) scribit Hom. 2 ad Pop. B. Chrysostomus) *sed propterea omnes hostes vincebat, quoniam pauper erat*. Quando Sathanas ad sternendam invictam Jobi constantiam sese accinxit, eumque omni sua substantia & facultatibus denudavit, nudumque super sterquilinio sedere fecit, tunc

eo ip-

eo ipso revera *incidit in foveam quam fecit*, eo ipso enim quo ipsum omnibus bonis exuit, pauperemque & planè mendicum illum reddidit, omnem quoque adversus Jobum explosam à se machinam inutilem effecit. Quando enim Job dixit: *Nudus egressus sum de ventre matris meæ; & nudus revertar illuc*, tunc verè ad Infernum debellandum invictis sese armis communivit. Olympiodorus in Catena opportunum quid in hanc rem fuit locutus dum ita ait: *Dixerit aliquis: Qui concinnius hæc ipsa velit interpretari, quasi athletam quendam nudatum ad luctam in Diaboli conspectum vestem projecisse*. Trita prorsus est illa Sancti Gregorii propositio, dicentis: (Hom. 32. in Evang.) *Qui ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos Spiritus sumimus, nihil autem maligni Spiritus proprium in hoc mundo possidens; nudi ergo cum nudis luctari debemus. nam si vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur: Quid enim sunt terrena omnia nisi quædam Corporis indumenta? qui ergo ad certamen properat, vestimenta deponat, ne succumbat*.

4. Quando Sanctus Patriarcha à Cardinali Hostiensi obnixè rogatus in magnifico ejus Palatio inter obsequia & honores, qui ei à dicto Cardinali, omnibusque aliis familiaribus suis certatim, exhibebantur, aliquot diebus commoratus fuit, hostis tartareus confestim adeò adversus ipsum prævaluit, ut ipsum pessimè tractare, & verberibus ad livorem usque contundere non dubitarit, id quod in Eremis, desertisque Alverniæ rupibus facere nequaquam præsumpsit, ibi namque omnem vigorem atque audaciam amittebat: Ibi namque ex loci paupertate ad dimicandum cum Diabolo animi vigor viresque crescebant. Considerabat enim id, quod in suis opusculis ipsemet scribit: Videlicet Redemptorem nostrum in mortis suæ conflictu nuditatem & paupertatem tanquam victoriæ coadjutores adhibere voluisse: *Dum ad bellum nostræ Redemptionis accederet, te est comitata fideliter & in ipso passionis conflictu individuus armiger astitit*, (Orat. pro detinenda paupert.) nam in crucis patibulo planè corpore tenus nudatus fuit. Ideoque Sanctus Patriarcha, ut Dominum suum imitaretur in ultimo mortis conflictu *super nudam humum se totum nudatum in Spiritus fervore prostravit*. Audite autem quonam id fine fecerit; *Quatenus*, (Cap. 14.) inquit Sanctus Bonaventura, *hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo*.

5. *Franciscus pauper*. Sanctus Patriarcha paupertatem (Cap. 7.) tantopere dilexit, ut illam voluerit esse institutæ à se Religionis basim & fundamentum; *Hanc sui dicebat ordinis fundamentum, cui substrato primariè sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmiter, & deversione funditus evertatur*. Et ideo mirum non est quod tam ipse quam filii ejus in tam brevi tempore tantam assecuti sint perfectionem & sanctitatem, ut non tam in admirationem quam in venerationem totum post se mundum attraxerint. Nam (Lib. 5. in Luc. c. 6.) ut Sanctus Ambrosius primam ex octo Beatitudinibus, scilicet *Beati pauperes Spiritu* considerans optimè observat: *Primam beatitudinem hanc uterque Evangelista posuit, ordinem enim prima est, & parens, generatioque virtutum*.

6. Seraphicus Patriarcha in illa sua coram Episcopo assumpta & inchoata nuditate hisce Deum verbis compellavit: *Pater noster qui es in cælis*, eo quod ab hujus Patris providentia totaliter dependere voluerit; ideoque præcepit, ut familia sua, quæ adeo fuit & est numerosa pro victu suo quotidiano nullum haberet alium redditum, quam petitionem: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*.

(Exod. 16) 7. Deus noster populum illum Israeliticum, an ab eo diligeretur, tentare volens: *Ut tentem eum, utrùm ambulet in lege mea, an non*, quonam usus est id experiundi modo? Populus ille sui frequentia & numero ad tres usque milliones sive myriades ascendebat, siquidem numerus militum facilè ad sexcenta millia pertingebat, nam pariter computata omni gente inutili, mulieribus nimirum, pueris, & decrepitis senibus verisimile est, quod ad eum usque calculum ascenderit, & tamen innumeri hi homines, in vastæ illius solitudinis medio, ne pugillum quidem farinæ in sui sustentationem possidebat: at verò providus ille Pater, qui *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione*, eidem de suavissimo quodam Manna de cœlo lapso de die in diem providit, & non ultra. Nostisne rationem reddere cur Deus populum hunc in illas redegerit angustias? Nimirum ut se quotidiani alimenti egenum cognoscens, tanto se in divinæ legis observantiam promtiorem magisque obsequiosum exhiberet. Ecce tibi mysterium cur S. Franciscus pro basi & fundamento religionis suæ altissimam paupertatem elegerit, nimirum ut filii Religionis suæ Dei providentia quotidie unicè opus habentes, ad eam quotidiè per orationem recurrerent, eoque vivendi modo se Deo probarent, quo veri obedientes, & fideles servi Dei esse agnoscerentur, hacque ratione in perfectionis acquirendæ studio quotidiè magis magisque proficerent, cùm paupertas vera mater sit omnium virtutum. *Fratribus quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat. Paupertatem noveritis, fratres, specialem viam esse salutis, tanquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem*.

8. *S. Franciscus pauper*. Miserabili illo Francisci sæculo paupertas passim eliminata erat, & peculiariter è domibus Ecclesiasticorum: at Franciscus eam benignissimè excepit, *jam quasi toto orbe repulsam*. Unde S. Bonaventura ait: *Nemo tam auri quam ipse cupidus paupertatis; nec thesauri custodiendi sollicitior ullus, quam iste hujus Evangelicæ margaritæ*. Tunc præcipuè immenso cordis jubilo atque lætitia perfundebatur, quando se in majori magisque extrema videbat necessitate constitutum. S. Antonius de Padua in S. Francisco mendici illius Lazari agnoscebat figuram, qui, ut omnibus constat, adeò inops & pauper erat, ut ne quidem panis, quo canes, modo famem suam exsatiare posset. Accidit quoque aliquando S. Francisco, versus urbem Senarum juxta S. Quiricum iter agenti, quòd obvias sibi haberet tres mulieres, statura quidem consormes, sed vestibus omnino laceris indutas, quæ hisce ipsum verbis salutarunt: *Benè veniat Domina paupertas: quo audito verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio, utpote qui nihil in se salutandum ab hominibus tam libenter haberet, quàm quod illæ decreverant*. (Cap. 7.) Tres autem hæ mulieres erant paupertas, castitas, & obedientia. Eo pane præcipuè veseì gaudebat, quem mendicato acceperat, eo quòd is illi sapidior esse videretur illo, qui ipsi spontaneè oblatus fuisset. Romæ ante Ecclesiam S. Petri *conspecta multitudine pauperum, partim pietatis dulcedine ductus, partim paupertatis affectus amore, uni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, & semicinctiis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus jucunditate transegit*. (Cap. 2.) Alia quadam vice, cum esset infirmus, chlamyde quadam fuit contectus, qua tamen semetipsum libenter exuit, ut pauperi eandem daret; cumque ob id à sodali suo graviter corriperetur, respondit, coram Deo me latronem seu furem esse crederem, nisi chlamydem hanc alteri me pauperiori dispensarem. Morti denique vicinus, ut diximus, corpus suum nudavit, & ad circumstantes conversus ait; Fratres mei charissimi, quod meum est, feci, vos quoque, quod Christus vos docebit, solerter facite. Quæ verba cùm frater quidam, quem sanctus Patriarcha Guardianum suum nominare solebat, intellexisset, acceptam chordam & habitum ei dedit dicendo: video te habitu carere, in quo moriaris, eo quòd pauper sis, mendicus, & nudus; hunc igitur tibi habitum consigno non dono quidem, sed mutuo, tuque illum in virtute sanctæ obedientiæ recipies: *Gaudet ex hoc vir sanctus, & jubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuisse Dominæ paupertati usque in finem se videt*.

9. *Franciscus pauper*. Chrysostomus in ea est opinione, (Hom. 7. de divit. & Lazar.) quòd voluntariæ & Apostolicæ paupertatis meritum adusque Martyrii merita facilè pertingat: *Habet & paupertas martyrium suum, & egestas bene tolerata facit martyrem*. Fuit quoque ingeniosa admodum illa S. Bernardini observatio, quòd videlicet investitura sive possessio regni cœlestis in hac vita solis assignetur pauperibus & Martyribus: *Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus & martyribus; nisi quod vere martyrii genus est paupertas*

velun-

voluntaria. Unde securè asserere possumus, quòd ab en momento, quo S. Franciscus coram Episcopo Assisinate se nudavit, & rebus omnibus exuit, voluntariam quandam paupertatem adeò exactam & inauditam, omnique comparatione & exemplo carentem profitendo, longi cujusdam martyrii merita pariter participarit.

10 *Franciscus pauper*. De Phocione viro sapiente quidem, sed pariter paupere & exemplari scribitur, quòd ab Alexandro centum talentorum dono fuerit honoratus; cumque cupidus esset sciendi quemnam sibi Rex in hujus doni elargitione finem præstitum haberet, responsum ei fuerit: *Quoniam te solum ex omnibus Atheniensibus bonum honestumque virum judicat*. Quo audito Phocion oblata sibi talenta acceptare renuit, subjungendo: *Sinat igitur me talem esse*. Paupertas quoque Francisci non necessaria, sed voluntaria fuit; siquidem thesauros sibi etiam ab ipsomet fidei nostræ inimico Ægypti Sultano præsentatos in manu sua habere potuit: Sanctus autem Patriarcha argentum & aurum manibus suis nunquam contingere voluit, quia paupertatem & consequenter veræ charitatis aurum plus diligebat. *Sinat me esse talem*. Suis quoque religiosis, prout in ejus opusculis legitur, dicere solebat: *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos, hæredes & Reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibusque sublimavit*. Salvator noster Collegio Apostolico ait: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis*. Hugo Cardinalis in ea est opinione, quòd Christus hoc loco de terrenis regnis locutus fuerit; ex quo enim Apostoli exactam profitebantur paupertatem, omnibus principibus & Regibus leges imponebant, eosque facti jam regnorum Domini illi subjiciebant, coram quo protestati fuerant, dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia: Constitues eos principes super omnem terram*. Sic etenim S. Antonius Constantino Magno in magna veneratione erat, S. Franciscus de Paula Ludovico XI. Regi Galliarum; noster verò Franciscus ipsos quoque barbaros Reges in sui venerationem attraxit, utpote qui extremam in eo paupertatem & inopiam obstupescebant. *Qui in mundo nihil habent* (inquit Nazianzenus) *& supra mundum existunt; qui propter regnum inopia laborant, & propter inopiam regnant*.

Cap. 6. in reg. fratrum Minor.

Orat. 12.

11 *Franciscus pauper*. Quisnam obsecro in patrandis miraculis, iisque omnibus planè prodigiosis eo gloriosior extitit? S. Gregorius ait: *Ecce relinquentes temporalia, gloriam potestatis æternæ mercati sumus*. Et Chrysostomus de Elia sic scribit. *O rem mirabilem, ne vestem quidem habuit, & cælum clausit! ob hanc nimirum causam cælum clausit, quia vestem non habuit, quia nihil hìc possidet*. Et ideò S. Francisco attribuere possumus, quod ipsemet ad Salvatorem se convertens in paupertatis laudem enunciavit dicens: *Tibi tanta fidelitate adhæsit, quod & in matris utero inchoavit suum obsequium, dum corpus animatum habuisti omnium minimum, sed & orientem ex utero in præsepio sancto recepit & stabulo*. Unde & mater Francisci in stabulo quodam eum parere debuit. *In hujus sponsæ amplexibus*, inquit Franciscus de paupertate ad Christum, *animam emisisti*: Id quod de hoc filii Dei vero imitatore pariter verificatur, siquidem is quoque, ut diximus, in paupertatis brachiis positus spiritum suum emisit.

Lib. 10. c. 30. mor.

De consubst. filii.

Opusc. S. Franc.

De paupertatis Franciscanæ immensis divitiis.

DISCURSUS QUINTUS.

Simul in unum dives & pauper
Psalm. 48. v. 3.

1 PRima quidem facie paradoxum videbitur asserere, quòd in eodem subjecto uno eodemque tempore simul dari possit paupertas & divitiæ, & tamen cum stupore naturæ pariter & gratiæ, cum vehementi admiratione cœli & terræ in S. Francisco adimpletum esse inveniemus regium illud oraculum: *Simul in unum dives & pauper*.

2 Paupertas pluribus in subnatis occasionibus à Seraphico Patre thesauri nomine appellata sunt. Et quidem in primis in opusculis suis, ubi de ea tractat, ita scribit: *Exopto hoc thesauro ditari*. Et alio in loco illam dicit esse thesaurum in agro absconditum; *Hic est Evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda*. Dum quadam vice in societate fratris Massæi ad venerandum corpora sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romam iter ageret per totam viam mendicato ostiatim pane victitans, tandem cùm ad fontem quemdam pervenissent, extractas quasdam panis mucidi & rancidi particulas cum socio manducavit, quem absoluta collatiuncula, cum immenso jubilo ad agendas Deo *de illo tam ingenti paupertatis thesauro* immensas gratias invitavit. Cumque frater Massæus interrogasset: *Quisnam is esset thesaurus in tanta necessariorum inopia*? hoc confestim responsum retulit. *Magnum esse beneficium, quod illa omnia, quæ deessent, à Deo supplerentur*. Demum verò cùm illum ad effundendas coram sanctis Apostolis ferventes preces fuisset cohortatus motivi loco subjunxit: *Ut nos doceant tam præclarum paupertatis thesaurum rectè & fructuosè possidere*. In prædictis opusculis suis in alio loco de hac virtute tractans ita scribit: *Thesaurus beatissimæ paupertatis adeo excellens est, & divinus, quod nos indigni sumus in vasis nostris fictilibus illum possidere*. Alia quadam die (ut S. Bonaventura scribit) in pauperculum quendam obvium incidit. *Cujus cùm nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium; Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in illo*. Porrò invidia mortalium, prouti quotidiana docet experientia, ad divitias atque thesauros sese extendit, quos in aliis conspicimus, nobisque avidè desideramus. Invidia autem, quæ cor S. Francisci sanctè occupabat, hæc erat, quòd scilicet desolatissimis mendicis eorum invideret conditionem, eo quòd non posset illis esse pauperior: S. Bonaventura de S. Francisco pro eo tempore, quo se Deo totum consecrare cœperat, tractans, hac phrasi utitur. *Cùm jam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac veluti gaudens negotiator margaritam inventam excogitabat venditis omnibus comparare*. Chrysostomus scribit: *Anima pauperis voluntarii fulget ut aurum, splendet ut gemma, non habet thesaurum terram, sed cælum*. Quis unquam persuadere sibi posset, quòd ipsissimus horum temporalium bonorum contemptus, hæc ipsissima auri & argenti conculcatio paupertatis thesauro insigne additum sit incrementum. Enimverò si quis esset, qui cum equite aliquo ditissimo, triginta millia scutorum v. g. annui redditus possidenti comparatus adhuc dives esse censeretur, is utique à mundo permagni fieret; multo tamen majoris æstimaretur, si etiam cum coronato potentissimo Rege quoad divitias concertare posset: Sed quid dicturi essetis, si dicerem dari aliquem, qui dives æstimari possit etiam cum illo comparatus, qui in veritate dicit: *Meus est enim orbis terræ, Et in quo sunt omnes thesauri*? num fortè quisnam vir ille adeò dives & opulentus sit scire desideratis? certè non alius quàm qui ex propriæ voluntatis electione pauper est. Nam ut Chrysostomus ait: *Magna possessio paupertas sapienter ipsam ferentibus thesaurus, qui nequit auferri*. Unde S. Ambrosius optimè ad propositum ita scribit. *Verè dives est, qui in conspectu Dei potest dives videri*. Quis autem talis in conspectu Dei videri poterit, *in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est*? Is nimirum, qui contemnit & aspernatur omnia, quæ mundus possidet. Audite Senecam ex solo naturæ lumine nos alloquentem. *Panem & aquam natura desiderat; nemo ad hæc pauper est, intra quæ quisquis desiderium suum clausit, cum ipso Jove de felicitate contendet*. Hæc igitur fuit in terris hujus servi Dei beatitudo atque felicitas, hic ejus fuit thesaurus, pane & aqua contentum vivere. Scitisne quonam insuper titulo Paupertatem denominarit? Reginæ augustum nomen ei imposuit: *Vide Domine Jesu, quia paupertas pro tanto est Regina virtutum, pro quanto relictis*

Collat. 5

Vvad. ann. 1220. n. 12.

Cap. 7.

Ser. 47. in Matt.

Hom. 2. ad pop.

Lib. 4. Ep. 21.

Epist. 25.

In opusc. *relictis Angelicis sedibus descendisti ad terras, ut illam posses charitate perpetua desponsare*; at verò expressius idipsum hisce verbis declaravit: Deut. 11. 24. *Scio quod Testamentum vetus novi fuit figura: illis promisisti, quia omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit; calcare est contemnere; paupertas omnia calcat. Ergo est omnium Regina*. Cum hac autem Regina ipse est desponsatus.

3 *Dives & pauper*. Postquam strictissimum emisisset paupertatis votum, & tale quidem, quale nunquam in mundo fuit auditum, aut ab humana imaginatione apprehensum, illi tamen non acquievit, sed insuper aliud votum Deo nuncupavit, videlicet nulli unquam pauperi eleemosynam postulanti eam denegandi, id quod fuit *usque ad mortem indefessa pietate observans*: *Inerat juvenis Francisci præcordiis divinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens, tanta cor ipsius benignitate repleverat ut jam Evangelii non surdus auditor omni proponeret se petenti tribuere*. Hæc ejus paupertas inexhaustus quidam thesaurus fuit, siquidem Deus ille, qui *appendit tribus digitis terram*, manum ejus pauperibus semper apertam fore promisit. *Pro qua magna erga pauperes liberalitate & misericordia meruit sibi Christum apparere sæpè, atque laudare erga pauperes suos propensum animum, atque liberalem manum nunquam utique vacuandam*.

4 *Simul in unum dives & pauper*. De Francisco ejusque sequacibus ad literam verificatur. *Sicut egentes multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia possidentes*. Etenim in primis Religiosi Franciscani sunt *sicut egentes*, siquidem pauperes esse apparent, & verè sunt tales, veruntamen voluntate, non necessitate: sunt quoque *multos locupletantes*, siquidem benefactores suos per eleemosynarum, quas recipiunt, merita, & per orationes, quas pro benefactoribus suis ad Deum fundunt bonis temporalibus locupletant, omnique cumulant prosperitate, quia *centuplum accipiunt & vitam æternam possident*? Præterquam quòd ex prandii aliarumque eleemosynarum, quas accipiunt, reliquiis quotidiano multorum pauperum, diversarumque familiarum egentium victui abundè subveniunt. Sunt denique *nihil habentes & omnia possidentes*, siquidem cum omni paupertate, quam profitentur, nihil ipsis deest, nec quoad victum, nec quoad vestitum & supTom. 4. ser. 10. pellectilem tam sacram quàm domesticam. Unde S. Bernardinus ait: *Sui sequaces sunt quasi omnia habentes, & nihil possidentes; omnes laboratores, & mercatores, & artifices laborant pro fratribus Minoribus, nam qui mille mundos spernit, donatur mille mundis*. Scio paupertatem tuam (ait Deus quondam Episcopo illi) sed dives es: Mirus & paradoxus loquendi modus, quomodò enim duo illa conveniunt, quòd aliquis *simul sit pauper & dives*: Hugo Cardinalis ait: *Dives spiritualibus divitiis*. Quisnam horum thesaurorum spiritualium Francisco & suis ditior esse potest: Non tamen solùm in spiritualibus bonis divites existunt, verum etiam in temporalibus; videmus enim quòd in ipsorum Ecclesiis cum summo decore divinus resplendeat cultus, suntque de omnibus melius quavis alia Religione non mendicante instructi. Quodsi quidam Ecclesiarum & Monasteriorum in tot annis per universum mundum solius Franciscanæ paupertatis subsidio extructorum erigeretur Catalogus, simulque videretur quàm sit omnibus per Dei providentiam optimè prospectum, quot in illis Religiosorum myriades sustententur, evidens omnino futurum esset, quòd sumptus quotidiani ad ingentes & inæstimabiles thesauros usque ascenderent. Ærarium Regum & Principum quantumvis potentum per quotidiana bellorum aliarumque occurrentium necessitatum dispendia sæpe deficiunt, & exhauriuntur, at verò hic Franciscanæ paupertatis thesaurus semper fuit, est, eritque indeficiens & inexhaustus. *Magna possessio paupertas*; Ipsa namque census quidam est qui nunquam deficit: *Thesaurus, qui nequit auferri*.

5 Deus qui *aperis manum suam, & imples omne animal benedictione*, inter arduas Alverniæ montis rupes pedes & manus providi Patris pauperculæ familiæ suæ clavis transfixit, Ipsumque proinde ad conquirendum pro ea victum & sustentationem necessariam inhabilem reddidit. Leges autem salubriter disponunt, quòd quando aliquis causa est damni viri pauperis, adeò ut deinceps familiam suam alere non possit, talis damnum tale ex propriis facultatibus resarcire teneatur. Idipsum verò Christo quoad Franciscum contigit; unde Franciscus sciens Christum se omnibus terrenis bonis exuisse, atque insuper per impressa manibus pedibusque vulnera ipsum ad conquirendum & lucrandum panem reddidisse inhabilem, protinus quoque intellexit, Deum sibi ipsum unà cum suis sustentandi onus vendicasse, ac proinde in Regula scripsit quòd Deum & paupertatem filiis suis hæreditatis loco relinquere? *Hæc sit portio vestra, cui totaliter inhærentes, nihil aliud sub cœlo habere velitis*. Idque eis adeò firmiter promisit, ut dicere solitus fuerit, quòd si in toto mundo non nisi unicus panis futurus esset, medietas illius fratribus suis in eorundem sustentationem cederet.

6 S. Franciscus ab Abbate Joachimo Benjamin appellatus est, ob multas inter utrumque Analogias aut similitudines, quas alibi Deo dante examinabimus. Id solum hoc loco adducere sufficiat, quòd scilicet in convivio illo quod Joseph fratribus suis instruxit, Joseph portionem Benjamini quinquies majorum aliorum portione esse voluerit; *Major pars venit Benjamin, ut* Gen. 43. 43. *quinque partibus excederet*. Equidem certum est, quòd si appetitum & necessitatem illius respiciamus, pro illius satisfactione longè minor quantitas utique sufficisset; unde aliud hac in re latet mysterium; scitisne quodnam illud sit? Nimirum Salvator non Ægypti solius, sed totius mundi notum nobis esse voluit, quantò major liberalitas nostra esse debeat versus pauperculum Franciscum, utpote pro sui nominis majori gloria pauperem factum, quàm versus omnes alios Patriarchas; siquidem non obstante quòd nulla inter omnes alias religiones numerosior sit illa, nulla quoque est, quæ providentiæ Divinæ abundantiam quotidiè in omni loco, & quovis tempore magis experiatur quàm ipsa. Enimverò si talis aliquis Monarcha daretur, qui exercitum quendam trecentorum millium virorum bellatorum conscribere & alere potens esset, quantis ille in illorum conservationem indigeret thesauris?

7 Franciscus *simul in unum dives & pauper* soli Patris illius, quem dum coram Episcopo denudaretur, invocavit, providentiæ innixus, vestit, nutrit, aliisque omnibus necessitatibus abundè prospicit, quantum opus est, trecentis sexaginta fratrum millibus, tot enim sub ejus instituto militare scribit Religionis Franciscanę Scriptor quidam modernus.

8 Cardinalis de Vitriaco in Historiis Occidentalibus summè admiratur, quòd Deus tanto Religiosorum cœtui non solùm mediantibus Christianis, verùm etiam infidelium hominum subventione data prospiciat. *Non solùm Christi-fideles sed etiam Saraceni & obtenebrati homines, eorum perfectionem admirantes, grato animo necessaria providentes, libenter eos recipiunt*.

9 Quando anno 1621. in Conventu Aracœlitano celebratum fuit Generale totius Religionis Capitulum, de numero Religiosorum sub vexillo Observantię Franciscanæ militantium exactus quidam ductus est calculus, & inventus est numerus Religiosorum observantium ducentorum octoginta millium, qui omnes ex eleemosynis sustentantur; Et si singulis eorum quotidiè in sustentationem assignaretur unus Julius, summa annuarum expensarum in decem milliones scutorum usque excresceret. Quisnam autem in toto mundo reperiatur Monarcha, qui quantumvis opulento & prædivite reditu suo ad ea præstanda sufficiat? Nunquid igitur quilibet filiorum spiritualium S. Francisci Patri cœlesti, quem dum rebus suis exueretur, invocavit, quique *panem suum quotidianum dat eis*: cum S. Au- Lib. 2. gustino dicere poterit: *Sic curas unumquemque nostrum*, Confess. c. *tanquam solum cures, sic omnes tanquam singulos*? 11.

10 S. Bonaventura scribit, quod dum sanctus Pa- triarcha denarium quendam à barbaro quodam pro se Cap. 4. & suis sibi oblatum accipere renuisset, *admiratus sit homo hoc cernens quod inopes erant: intellecto tandem, quod pauperes effecti amore Dei pecuniam possidere nolebant: tanta fuerit eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu sibi facultatum aliquid superesset*. Unde S. Bonaventura eodem loco exclamat dicens: *O inæstimabilis pretiositas pau-*

paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbarica in tantam miserationis est mutata dulcedinem.

11 S. Lucas de primis Christianis veris Apostolorum imitatoribus refert, quòd *Neque quisquam egens erat inter illos.* (Act. Ap. 4. 34.) Verùm dicat aliquis, quomodo fieri poterat, ut nullus eorum re quapiam egeret, quando omnia quæ habebant, vendiderant, atque ad pedes Apostolorum sincerissimè deposuerant? Cui respondeo, nihilominus verè ita esse, Deus enim se à nobis separari non permittit, & ideo quando nos amore sui hisce bonis terrenis exuimus, ipse per immensam providentiam suam nos denuò locupletat. nec quicquam nobis deesse permittit.

12 *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Chrysostomus, Eusebius, & Theodoretus legunt: *In totum orbem.* Verùm inquies: Ergone pauper idem est quod totus orbis? Respondeo, verè ita esse, tum quia de pauperibus dicitur: *Nihil habentes, & omnia possidentes:* tum etiam, quia Deus oculum ita solicite ad unius duntaxat pauperis provisionem & sustentationem curandam dirigit, sicut ad totius universi gubernationem.

De humilitate S. Francisci, quæ in ipso omnium gratiarum, donorum, & virtutum, quibus locupletatus fuit, unicum centrum extitit.

DISCURSUS SEXTUS.

Franciscus humilis.

1 Sancta mater Ecclesia in hodierna festivitate S. Francisci, Patriarcham hunc non solùm titulo pauperis honorat, ut jam diximus, sed etiam humilem appellat: *Franciscus pauper & humilis.* Et meritò; nam qui vivam humilitatis effigiem formare vellet, intentum suum utique assequeretur, si hunc sibi Sanctum ob oculos repræsentaret, qui fune quodam ligatus, rudique & cinere quasi asperso sacco indutus, capite nudus, quoad pedes discalceatus, extenuatus, macilentus & pallidus, demissisque semper in terram oculis incedens, non jam homo quidam, sed vilissimus esse videtur terræ vermiculus.

2 Interrogatus quondam Doctor Angelicus quodnam sit veræ alicujus solidæque sanctitatis infallibile signum, quo viso decipi non possimus? respondit sanctitatem ex tribus præcipuè argui & colligi posse, quæ in substantia ad unicam solamque humilitatis virtutem rediguntur, scilicet *humilitate, contemptu sui, fuga honoris & laudis,*

Serm. 5. in Dom. post Epiph.
3 Quidam hujus Seraphici Patris, & Scholæ ejus dignissimus discipulus, Antonius Paduanus videlicet, de hac virtute dicit, quòd sit *procreatrix omnium virtutum;* Et à Cassiano similiter vocatur *omnium magistra virtutum.* Eo ipso igitur cùm de ipso dicitur: *Franciscus humilis,* simul etiam veluti omnibus virtutibus egregiè adornatus describitur. Undè S. Bonaventura in officio hodierno de ipso dicit; *Humilitas adeo Dei virum sui juris effecerat, ut multiplex in eo fulgeret prærogativa virtutum;* Quarum aliquas in confuso & compendiosè velim nonnihil consideramus. Equidem in primis maximam habuit erga Passionem Salvatoris compassionem, ut *vix posset se à lachrymis temperare, quin copiosissima lachrymarum unda ex oculis ejus proflueret,* atque ideo *se humiliavit usque ad mortem Crucis;* utpote sacris stigmatibus insignitus. De paupertate & nuditate ejus, omniumque bonorum temporalium abrenuntiatione in Discursu tertio abundè satis tractavimus, Austeritas & abstinentia ejus talis fuit, *ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ, cocta cibaria vix sanitatis tempore admittebat, & rare admissa aut condiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum, vinum nunquam bibebat: Nuda humus lectus erat lassato corpusculo, unica paupere*
Cap. 3.
contentus tunicula. Zelus convertendi animas ad Deum adeò in ipso ardens erat, ut cùm vix septem suos congregasset socios: *propositum suum de mittendo illos in quatuor orbis partes aperuit, & ut priùs faceret quod doceret, cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit reliquis sex ad modum Crucis tribus aliis mundi partibus deputatis.* In oratione & contemplatione adeo sublimis fuit, ut idem S. Bonaventura scribat; *Per* (Cap. 9.) *impressa rebus vestigia sequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad comprehendendum eum, qui est desiderabilis totus.* Patientia omni prorsus exemplo non caruit; unde de ipso dicitur: *Cœpit infirmitatibus multis modis laborare, tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore; illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum.*

4. *Franciscus humilis.* Ardentissima charitas, quæ in ejus corde flagrabat, in humilitate radicata fuit. Unde S. Catharina Senensis Cap. 4. Dialogorum suorum dicit: *Humilitas est præcipua nutrix charitatis.* Et S. (In Ps. 141.) Augustinus ait: *Nihil excellentius est via charitatis, & non in illa ambulant nisi humiles.* Porrò amor in ipso nequaquam vulgaris fuit sed Seraphicus, utpote qui sæpius ipsum, ut coronam sibi procuraret martyrii, ad irritandos fidei persecutores fortiter adegit: *Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, ut post patientius evaporaret in corde,* scribit Doctor Seraphicus filius ejus.

5. *Franciscus humilis.* In valle quoque humilitatis (De Instit. Virg.) lilium floret candoris sui virginalis, qui quippe *lilium* est, sed *convallium, id est, humilium animarum,* inquit S. Ambrosius. Cùm die quadam à spiritu fornicationis tentaretur, nudum se in ingentem nivis massam conjecit, in eaque se volvens & revolvens, immaculatæ puritatis suæ nives intactas conservavit. Alia etiam vice a pessima quadam fœmina tentatus, super ardentes carbones sese prosternens, dixit ad eam: Se illius libidini libenter consensum præstiturum, dummodo in hoc ignito lectulo secum placeret concumbere: *En lectulus splendidus, floridus, tanto opere dignus. Hic ille quem eligo, ut eos ignes evadam.*

6. *Franciscus humilis.* Quidquid à Deo habere desideravit, per orationes suas facillimè obtinuit, agris nimirum fœcunditatem, prosperitatem familiis, infirmis sanitatem, Provinciis & Regnis pacem, per eandem orationem fulmina iræ Dei adversus Christianitatem evibrata, coercuit, collabescentem Ecclesiam suffulsit, & sustentavit, suamque religionem in spiritu & sapientia magis semper magisque adauxit, hæc autem oratio ab ejus humilitate robur quoque suum & vires accepit. Nam *oratio humiliantis se penetrabit nubes.* Et Chrysostomus ait: *Orationis vehiculum est* (Eccl. 35 21. in Ps. 9 lib. de erud. relig. p. 2 c. 4.) *humilitas.*

7. *Franciscus humilis.* B. Humbertus glossa sua verba illa Psalmi exponens: *Cor mundum crea in me Deus,* munditiam hanc humilitati etiam adscribit: *Creatio,* inquit, *mundi cordis facta ex nihilo humilitatis.* Et quidem conscientiæ suæ puritas talis fuit, ut nullum unquam culpam gravem ab ipso commissam fuisse constet. Unde non sine causa Seraphinus, non verò Angelus denominatur.

8. *Franciscus humilis.* Glossa interlinearis honorem quem sanctus Patriarcha Abraham tres illos Angelos in domus suæ hospitium recipiendo accepit, considerans, notat non sine particulari mysterio locum ubi id contigit in Scriptura speciatim exprimi: *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre; per hoc designatur, quod revelationes divinæ fiunt illis, qui sunt in convalle humilitatis.* Quis igitur deinceps revelationes, visiones, raptus, extases, omniaque alia dona, quibus S. Franciscus super alios Sanctos larga manu privilegiari meruit, admirabitur, quando is cunctos alios in humilitate multis modis superasse noscitur: *Sancti viri,* inquit S. Gregorius, *quanto magis se exterius despiciendo de-* (L. 30. mor. c. 19.) *jiciunt, tanto amplius interius revelationum contemplatione pascuntur.* Seraphicus Patriarcha noster à civitatibus & provinciis integris honorabatur tanquam Sanctus, omnes certatim currebant ad ipsum, ut benedictionem ejus acciperent, & tamen *admiranda inerat mentis tranquillitas, summumque adhibebat studium,* (Vvad. ann. 1212. n. 8. Prov. 11. ...) *ne quovis vel minimo auræ popularis pulvere sordidaretur, insensibilem se omnibus exhibebat honoribus.*

9. *Franciscus humilis.* Sapiens ait: *Ubi est humilitas,* (Prov 11. 2.) *ibi & sapientia.* Porrò Seraphicus Franciscus sæculi sui oraculum fuit, siquidem ipsimet Romani Pontifices verba ipsius Prophetiæ loco habebant. Et tametsi nun-

quam

quam studiis operam dederit, attamen *ita sacras literas a Divino Magistro Christo didicit, ut viros etiam doctissimos humanitus instructos, sua eruditione & Scripturarum intelligentia superaret.*

10. *Franciscus humilis.* Quanto ampliùs & copiosius in Seraphicam illam animam cœlestes gratiæ depluebant, tantò magis sibi vilescebat, tantoque majora sui ipsius contemptus, & humilis de se ipso sensus, in eo capiebat incrementa. S. Gregorius ait: *Sancti quanto* Lib. 18. mor. 17. *magis Divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt, nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem se esse & pulverem professus est, nisi cum habere Dei meruit colloquium: Ait enim: Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.* Seraphicus Pater socio suo aliquando dixit. *Non mihi videor frater Minor, nisi fuero in statu, quem tibi ipse descripsero.* Quonam vero modo semetipsum delineasse existimatis? Nimirum eo qui sequitur; Generalis Religionis minister existens vado ad Capitulum, Fratribus prædico, eosque hortor, & corripio, ac tandem omnibus finitis dicitur mihi: *Non convenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota, & simplex, tandem ejicior cum opprobrio vilipensus ab omnibus; Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem sanctitatis proposito hæc verbo audiero, frater Minor nequaquam sum.* Similiter interrogatus quidnam in se boni haberet, unde totum in sui venerationem attraxisset mundum, cùm tamen nec nobilis sit, nec dives, nec doctus, aut singulari eloquentia & potentia præditus. Mox respondit, ideo se à Deo exaltatum esse, quia nihil in se habeat, unde gloriari possit, ac proinde voluisse Deum ut omnibus constaret, quod quicquid in eo Deus operabatur, id totum manuum suarum opus esse, quarum proprium est *deponere potentes de sede, & exaltare humiles.*

Lib. 2. epist. 19. ad Cant. 11. *Franciscus humilis.* S. Hieronymus scribit: *Nihil est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat acceptos, quàm si vita merito magni, humilitate infimi simus.* Hæc erat vis illa attractiva, qua terrestris hic Seraphinus omnes post se populos currere faciebat, nota enim omnibus erat innocentia ejus, austeritates, miracula, item altissima ejus sapientia & dona admiranda, quæ à Spiritu sancto possidebat, quem deinde multo ampliùs suscipiebant & admirabantur sui ipsius contemptum & neglectum, per quem vilipendebatur. Cap. 6. *Sæpè cum populi merita in eo sanctitatem extollerent, præcipiebat alicui fratrum, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret: sæpè cùm beatificaretur à pluribus, verbum hujusmodi proferebat, filios & filias adhuc habere possum, nolite laudare nondum securum.* 1. Reg. 6. 27.

12. *Franciscus humilis.* Magna Davidis laus in iis verbis continetur: *Ero humilis in oculis meis.* Multi quidem in oculis alienis humiles sunt & in apparentia externa, at verò interius sibi de eo complacent, quòd tanquam tales reputentur & habeantur; vera autem humilitas in eo consistit, quod quis se omni improperio dignum existimet, & hæc erat Francisci humilitas, qui se faciebat aliorum pedibus conculcari, seque Bernardonis filium esse dicens, maximum se totius mundi peccatorem esse censebat, ob continuas lachrymas, quas vehemens peccatorum suorum compunctio ab oculis velut perennem fontem manare faciebat, visum suum quasi perdiderat, non obstante, quòd in Serm. in Dom. 5. Advent. summa innocentia vitam suam traduxisset. Nam ut Albertus Magnus ait: *Humilitas est oculus animæ per quam homo conditionem suam ac statum suum verissimè recognoscit, & sibi ipsi vilescit.* Lib. 4. 2. De certo quodam viro ex Valle Spoletana oriundo, cui Cancer os pariter & genas omninò corroserat S. Bonaventura refert, quod cùm ille absoluta peregrinatione, quam ut se suumque morbum sanctis Apostolis Petro & Paulo recommendaret, ad almam urbem instituerat, Roma domum reverteretur, sanctum hunc Patriarcham in via obvium habens, coram illo se prostraverit, ut pedes ejus oscularetur, quod Sanctus permittere nolens locum potiùs faciei, ubi cancer serpebat, osculatus fuit: *Osculari volenti pedes, osculum oris dedit, dum autem illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo subito æger ille sanitatem recuperavit.* Cujus quod factum S. Bonaventura hoc movet dubium dicens: *Nescio quid horum magis sit merito admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo:*

De humilitate S. Francisci à Deo exaltata.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Franciscus humilis cœlum dives ingreditur.

1 ECce tibi S. Francisci profundissimam humilitatem, quæ usque ad infernum se demittebat, majorem se peccatorem, qui in toto mundo reperiri posset, existimando: sed & ecce tibi eandem ad cœlum usque sublimatam: *Cœlum dives ingreditur.* Monachus quidam Eremita dicere solebat: *Si superbia ascenderit usque in cœlum, usque ad inferos detrudetur, ita humilitas, si descenderit usque in infernum, usque ad cœlum extolletur.* Lucifer solium suum juxta Altissimi thronum erigere decreverat, atque ideò jure merito in profundissimam inferni abyssum deturbatus fuit: è contra verò S. Franciscus è luto plasmatus, quia tantundem sese humiliavit, quantum se Lucifer superbiendo extulit, ideò prout nonnullis, vitæ ejus historia referente, revelatum fuit, dignus est judicatus, qui ad illum usque thronum, unde superbus ille ceciderat, sublimaretur. *Ascendit super Cherubim, & volavit.* Ps. 17. 11. Circa quæ verba S. Antoninus dicit: *Ascendit super Cherubim Franciscus & volavit. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* p. 3. hist. c. 2. Deus Luciferum superbum è solio suo præcipitavit, & in idem evexit humillimum Franciscum:

2 S. Bernardus pulchrè considerat, quòd justam habuerit occasionem sese æstimandi indignum, qui oculos levaret ad cœlum: *Nec audebat oculos ad cœlum levare* & tamen idem ille Publicanus *ipsum cœlum ad se potuit inclinare.* De 40. modis orandi. Sanctus Patriarcha noster ex profundæ humilitatis suæ instinctu ad cœlum aspirare minimè audebat, cœlum verò omnes in ipsum thesauros suos copiosissimè effudit.

3. Considerationem bonam merentur verba illa: *Qui se humiliat, exaltabitur*, non dicit, qui fuerit humiliatus, sed qui propria sponte & voluntariè sibi vilescit & contemnitur. Unde S. Bernardus ait: *Significat non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum, quæ de voluntate venit, non ex tristitia, aut ex necessitate.* Serm. 34. in Cant. S. Franciscus ex honoribus & obsequiis, ab hujus mundi Principibus & Magnatibus sibi exhibitis, ex veneratione, quam omnes populi ei deferebant, magis sibi vilescendi, seque humiliandi semper captabat occasionem. Vvad. ann. 1212. Socius ejus die quadam timens, ne virtus sancti Patriarchæ in culmine tot honorum, applausuum, aliorumque obsequiorum, quæ ipsi velut Deo cuipiam in terra exhibebantur, evanescendo periclitaretur, eundem piè monuit, ne se à spiritu vanæ gloriæ seduci permitteret. Cui Sanctus respondit, necdum eos sibi honores & applausus à mundi Magnatibus exhiberi, quales debebant. Ex quibus verbis socio obstupefacto, ne dicam scandalizato, Franciscus respondit: *Vide Frater & intellige, omnem hanc reverentiam ad Deum remitto, nihil illius mihi tribuo & approprio, sed meipsum conservo, & confirmo magis in luco meæ humilitatis ac vilitatis*; Usus que est statuæ cujusdam similitudine, in qua non saxum, vel lignum, vel truncus adoratur, sed potiùs per illa repræsentatum objectum; ita enim dicere volebat non merita & virtutem meam, sed Dei virtutem & potestatem honoro, cui complacuit me velut gloriæ suæ instrumentum in sua opera adhibere: *Homines ex hoc non modicum lucrantur quia Deum recognoscunt & honorant in suis creaturis, & in me omnium vilissima:* Et jure merito quidem Deum in se agnoscebat, utpote qui per impressa corpori suo stigmata alter quidam videbatur esse Christus. Enimverò quòd sanctus Patriarcha inter fagos & quercus Alverniæ humilis permanserit, non adeò mirum est, maximè autem stupendum fuit, quòd ne vel umbra humanæ gloriæ ipsum titillarit, dum se à toto mundo in veneratione haberi conspexerit. Inter alia epitheta, quæ sepulchri

pulchri

pulchri ipsius inscriptioni inserta fuerunt, hoc quoque An. 1530. n. 6. fuit: *Francisci Romani celsa humilitate conspicui*, id quod ex sequentibus magis fiet perspicuum. Etenim S. Paulinus in proposito de S. Job dicit. *Infimo sedens, unde cadat non habet*. Epist. 10. ad Sever. Ita quoque dum in loco Portiunculæ inter prærupta montium Alverniæ S. Franciscus ministrabat leprosis, cumque pauperibus conversabatur, humilitas ejus adeò admiranda non erat, quia *unde caderet non habebat*; at verò quòd Romæ à summis Pontificibus mirè tanquam cœleste quoddam oraculum honoratus, in Ægypto ab ipsomet Sultano in maxima veneratione habitus, vel etiam inter mortuos à se ad vitam resuscitatos, aut verò sacris stigmatibus mirè insignitus, se plus quàm aliàs unquam humilem conservaverit, hoc est, quod maximum omnibus futuris sæculis stuporem jure merito conciliat.

4 Pilæ proprium est, quòd tanto magis cœlum versus prosiliat, quanto ampliùs in terram deprimitur; ita quoque humilitati S. Francisci accidit, quanto enim magis contemni & posthaberi studebat, tanto etiam gloria & fama ejus amplius passim invalescebat. Factum est die quadam, quòd ob gravem quandam & mortalem infirmitatem opus ei fuerit de solitis rigoribus suis nonnihil remittere; at verò licèt difficulter è lecto se movere posset, ad suos tamen conversus dixit: *Non est conveniens, ut populus abstinentem me credat, & ego è contrario carnaliter reficiar in occulto; surrexit verò humilitatis spiritu inflammatus, & in platea civitatis Assisii populo solemniter convocato, cum fratribus multis quos secum adduxerat, majus Templum introivit, funeque ad collum ligato nudum se trahi præcepit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari*. Lapidem istum sibi velut in pulpitum elegit, ut audiretur à populo, eique elata voce persuadere voluit, *se non tanquam spiritualem honorandum, quin imò tanquam carnalem & glutonem ab omnibus contemnendum*. Quid inde? Num fortè per hoc sanctitatis suæ opinionem diminutam fuisse existimatis? Minimè gentium, quin potiùs *tam ingenti viso spectaculo admirati sunt, & quia ipsius austeritatem jam noverant, devotione compuncti humilitatem hujusmodi magis admi-* Conc. 4. de S. Francisco. *rabilem quàm imitabilem proclamabant*: Ludovicus Granatensis in quodam sermone suo ita de eo scribit: *Ille abjectione sua Dei gloriam fidelissimè quærebat. Deus è contra servi honorem miris modis amplificabat: ille totus divinæ voluntatis obedientiæ traditus erat, contra verò Deus creaturas omnes atque adeo semetipsum obedientem illi exhibebat*.

5 Alia quadam vice cùm unà cum F. Leone in sylva quadam orationi intentus esset, eique in virtute sanctæ obedientiæ persæpè præcepisset, ut im- Vad. ann. 1221. n. 28. properiis, quæ sibi ipsi dicturus erat, responderet, eademque non tantùm approbaret, sed amplificaret etiam, accidit, quòd licèt ipse se hisce mandatis pariturum esse promitteret, Deus nihilominus ita disposuerit, ut omnino oppositum responderet, ut vel sic in ipso adimpleretur, quòd *omnis, qui se humiliat, exaltabitur*.

1 Reg. 25. 6 Ad honorem S. Francisci textus quidam Scripturæ è Cantico Annæ matris Samuelis desumptus ponderari meretur, qui sic habet: *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore: famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est: Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit: Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat, suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat: Domini enim sunt, & cardines terræ posuit super eos orbem*. *Arcus fortium superatus est*, quia, ut in primo Discursu vidimus, bella & persecutiones ab hostibus tartareis per hæreticos, schismaticos, Paganos, & malos Christianos adversus Ecclesiam excitatæ, sopitæ & dissipatæ fuerunt, idque ex eo solùm, quia *infirmi accincti sunt robore*, id est, pauperes & discalceati Francisci filii, ut in fidei & religionis Catholicæ defensionem viriliter decertarent, fortes facti sunt & generosi *Famelici saturati sunt* quibus verbis ad optimè provisam illorum paupertatem alludit. *Sterilis peperit plurimos & quæ multos habebat filios, infirmata est*, quia Ecclesia, quæ superioribus sæculis in procreandis filiis, id est, fidelibus spiritu & exemplaritate conspicuis fœcunda erat deplorando Francisci sæculo sterilitate contracta totaliter collapsa & ruinæ proxima erat, tandem verò S. Francisco & familia ab eo instituta mediante pristino denuo vigori restituta fuit, cùm Deo proprium sit mortificare & vivificare. *Deducit ad inferos & reducit*, quia *portæ inferi quasi prævaluerant*: at verò navicula hæc S. Francisci opera è tempestatibus erepta & subducta fuit. *Dominus pauperem facit & ditat: humiliat & sublevat*, jam enim paupertatem ejus sed opulentam & divitem, nec non ejus humilitatem sed magnoperè exaltatam in superioribus vidimus & admirati sumus. *Suscitat de pulvere egenum & de stercore elevat pauperem*. Id quod pariformiter in eo ad literam adimpletur, utpote qui à mediocris conditionis parentibus in stabulo inter animalium stercora natus, tandem inter Seraphinorum choros exaltatus, & in sublimissimo solio ex infelici Luciferi casu vacante, ipsi verò in præmium humilitatis suæ reservato collocatus fuit, eo quòd Ecclesiam ruinæ proximam, mundumque totum vacillantem sustentarit: *Ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat: Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*, prouti in Discursu secundo latius declaravimus. Cùm die quadam unà cum Fratre Pacifico iter agens ab eodem Fratre interrogaretur, Pisan. l. 3 fru. 8. p. 4. quamnam de semetipso opinionem haberet, respondit, ut aliàs diximus, se maximum totius mundi peccatorem esse; prædictus verò bonus Religiosus confestim vocem Dei interiùs sibi loquentem audivit, & dicentem: *Modo credere potes visionem esse veram, quod humilis Franciscus sua humilitate debet in sede Luciferi sedere*.

7. *Qui se humiliat, exaltabitur*. Deus Opt. Max. sublime Ecclesiæ suæ ædificium erigere volens, quibusnam ipsam fundamentis & basi inniti voluit? Nimirum cuidam Galilææ piscatori pauperi & nudipedi: *Petre, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves regni cœlorum*. Voluit etenim, ut omnes terræ hujus Reges & Monarchæ cunctis deinceps secuturis sæculis ad ejus sese pedes prosternerent: hac autem petra tandem per tartarearum potestatum infestationes & excitatos turbines vacillante, cujusnam opera Divina providentia ad fundamentum hoc restaurandum & stabiliendum uti voluit? nimirum opera viri talis, qui ob ejus amorem pauper, nudus & discalceatus fieri voluit, viri idiotæ, seque ipsum extremè contemnentis, Francisci videlicet; sed quid mirum? siquidem Cassianus de humilitate scribat: *Ipsa est cœlestis ædificii firmissimum* Coll. 15. c. *fundamentum*. Ideoque Salvator noster suo in terris Vicario pauperculum quendam in visione ostendit, qui collabescentem sustentaret Ecclesiam. Pauperculus despectus. *Domini enim sunt cardines terræ & posuit super eos orbem*. Ubi Rupertus Abbas Tuitiensis juxta Hieronymi expositionem ait: *afflictus terræ. Afflictio hæc humilitas est, quæ ad portandum orbem constantes eos facit & fortes*.

8. Opportunè notat S. Chrysostomus, Petrum tunc Hom. 3 in Matt. dignum judicatum esse, qui sublimis illius molis Ecclesiæ basis & fulcrum fieret, quando in centro humilitatis suæ positus dixit: *exi à me quia homo peccator sum: propterea factus est Ecclesiæ fundamentum*. Lib. 3 Lib. moral. c. 19. Enimverò S. Gregorius verba illa Pauli: *Instaurare omnia in Christo quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso* ad præsens propositum nostrum explicare videtur, dum ita ait: *In ipso quippe instaurantur ea quæ in terra sunt, dum peccatores convertuntur: restaurantur ea, quæ in cœlis sunt, dum illuc humilitate homines redeunt, unde Angeli Apostatæ superbiendo ceciderunt*. Porrò fastus pompa mundana, avaritia, ambitio, cunctaque alia vitia maxime Ecclesiasticorum Ecclesiam penitùs pessum dederant, quando Franciscus humilitatem & paupertatem à mundo exulantes virtutes revocando Cleri reformavit disciplinam, morum instauravit honestatem, effecitque, ut in vigorem suum pristinum denuo redirent Christianæ virtutes *Præcinxisti me virtute ad bellum*, ita Ps. 17 40. Franciscus Salvatori nostro dicere poterat, quando pro fidei defensione dimicabat. Hugo Cardinalis circa

ea prædicta verba ait: *Virtute, scilicet humilitate, antonomasticè virtus dicitur.*

9. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Deus potentes & mundi magnates minimè æstimat: *Dispersit superbos mente cordis sui, & exaltavit humiles. Amen dico vobis* inquit Christus apud Matthæum, *quamdiu fecistis* (Mat. 25. 40) *uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ubi (Tract. 34. in Matt.) Origenes inquit: *Quid ait? si fratres tui sunt, quomodo, minimos appellas? Imo verò ideo fratres, quia humiles, quia pauperes, quia abjecti, hos enim maximè ad fraternitatem convocat suam quia despicabiles sunt.* S. Franciscus in conceptu & æstimatione sua inter omnes Dei servos minimus fuit; ideoque filios suos fratres Minores appellari voluit: præ quovis alio humiliatus est, ideoque præ omnibus à Deo quoque fuit exaltatus; quis enim est qui ad illam sanctitatis suæ eminentiam pervenit, aut qui tot gratiarum donis, thesaurisque cœlestibus locupletari meruit? certè eousque Filius Dei illum sublimavit, ut' pari fere secum honore ipsum condecorarit. S. Bernardinus filius ejus scribit: *S. Franciscus dicit: Ad nihilum redactus sum, quia in humiliori loco montis Alverniæ data sunt sibi stigmata Christi, ad denotandum quod propter humilitatem suam promeruit habere stigmata sacra Dei.*

10. *Qui se humiliat exaltabitur* S. Franciscus à Cardinale Leone, ut aliquot diebus domus suæ consisteret, rogatus fuit; cui sanctus Patriarcha dixit: *Fratres mei qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, & divitiis abundare, ideo melius judico fugere curias & humiliter in locis conversari humilibus.* Quonam præcipuè tempore Moyses tanquam quidam in terris vice Deus, imò ipsimet Deo teste, tanquam Deus Pharaonis, omnibus timori & tremori fuit? *Quando negavit se esse filium filiæ Pharaonis, eligens affligi cum populo Dei.* Eodem quoque modo Franciscus tunc præcipuè apud summos Pontifices, Reges, imò apud ipsummet Ægypti Sultanum in summa veneratione fuit, quando oblatos sibi honores pro viribus declinavit, quando se summè humiliavit & contempsit; quot fuere Reges, qui tandem Religionis ipsius vestem loco purpuræ induerunt, sceptrumque deponentes ejus se subjecerunt legibus? S. Ambrosius ait: *Et tu si vis uti Moyses tanquam Deus Regibus esse reverentiæ, ut tanquam Deo tibi videan-*
(Wad. ann. 1222. n. 1. 8.) *tur esse subjecti, contemne quæ sæculi sunt.* Quidam Rex Franciæ cervical S. Francisci majoris æstimavit, quam olim æstimari solita fuerint Regum Persarum cervicalia, qui in iis ad caput lecti multos auri milliones inclusos habebant. *Tantam autem ei præstitam reverentiam scribitur in legenda Gregorii IX. ut ad ejus ingressum in civitates & castella, clerus obvius procederet, pulsarentur campanæ, exultarent viri, congauderent fœminæ, applauderent pueri, & cum ramis hymnis, & Canticis totus occurreret populus.*

11. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Deus quondam S. Patriarchæ Abrahæ progeniem posterorum ejus velut arenam maris & stellas cœli multiplicare promisit; verum enimverò nostisne cur increata illa sapientia
(Gen. 18. 27.) hac arenæ & stellarum similitudine usa fuerit? Paulo ante Abraham dixerat: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis*, atque ideo ecce mox pulverem & cinerem istum in lucidissimas stellas commutatum. Hugo Cardinalis ait: *Boni sunt pulvis per humilitatem, qua se instar pulveris pedum omnibus viliores reputant: ideoque ad stellas usque vehuntur qui ita se abjecerunt sicut pulvis.* Ecce tibi casum hunc in terminis in Francisco expressum, qui se omnium pedibus substravit, ab omnibus conculcari desiderans, veluti vilissimus quidam pulvis, cineremque in suo suorumque habitu referre voluit, & ideo quid mirum si Deus ipsum instar stellæ cujusdam, ut superius diximus in sanctæ Ecclesiæ firmamento splendescere, ejusque posteros, non solum præfulgidos, sed etiam ad instar stellarum numerosos valdeque frequentes esse voluerit?

S. Franciscus Innocentio III. instar palmæ cujusdam præostensus fuit. Qua de re nonnulla exponuntur mysteria.

DISCURSUS OCTAVUS.

Statura tua assimilata est Palma. Cant. c. 7. vers. 7.

1 LAudem illam quam sponsus cœlestis in sacris Canticis animæ electæ, seu ut verius dicam Ecclesiæ suæ attribuit, nos jure merito Seraphico Patriarchæ adscribere, eique dicere possumus. *Statura tua assimilata est palma.* Sciendum est enim quod quando S. Franciscus se unà cum duodecim primis discipulis suis Romam transtulit, ut Religionem, quam Ecclesia Dei erigere intenderat, per Bullam Pontificiam confirmari curaret, Pontifex illum tanquam hominem abjectum & vilem rejecerit; at vero *sequenti nocte ejusmodi revelatio facta est à Deo ipsi summo Pontifici*, ut S. Bonaventura scribit, *videbat namque inter pedes suos palmam paulatim succrescere, & in arborem pulcherrimam elevari, & eo mirante quid hæc vellet visio ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi vicarii, quod hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat.* Mysteria igitur in hoc discursu examinemus, ob quæ infinita illa Sapientia hunc servum suum in hac arbore designare decreverit.

2 *Assimilata est palma.* Palma se non solum quoad truncum, sed etiam quoad ramos & folia in sublime erigit. Unde consequens est, quod tanto quoque profundiores in centro terræ radices egerit; *Radix ejus profunda est.* Tritissima enim sunt illa S. Augustini verba: *Cogitas magnam fabricam construere? de fundamento prius cogita humilitatis*, atque ideo cum Deus Franciscum elegerit, ut molem adeo sublimem, qualis futura erat ejus Religio erigeret, & magis præcipuè ut Ecclesiam suam ruinæ proximam sustineret, consequenter eum in humilitate benè fundatum esse voluit. *Radix* enim *profunda hujus virtutis heroica* in ipso valdè fuit admiranda, prout in superioribus latius ostendimus.

3 *Assimilata est palma.* Inter alias palmæ proprietates una est, per quam ipsa ab aliis arboribus singularissimè discernitur, videlicet quod cum fimus reliquis arboribus maximè conducat, hæc contra eundem vehementer abhorreat; & hoc forte fuit mysterium, cur Spiritus sanctus Seraphicum Patriarcham per os Psalmistæ huic arbori specialiter assimilet, dicendo: *Justus ut palma florebit*, siquidem & huic sancto viro (Ps. 91. 13.) proprium est ab omnibus hisce terrenis bonis, quæ ab Apostolo stercora appellantur: *Omnia arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam*, alienissimum vivere. Seraphicus (Phil. 3. 8.) igitur Pater manifestum nobis esse voluit, quod *Conversatio sua in cœlis erat*, quodque sibi cum rebus terrenis nihil negotii intercederet, utpote qui omnibus quæ terra ei dare poterat, penitus renuntiasset, nudusque existens solum Patrem qui in cœlis est, invocaret, adeo ut nihil unquam quantumvis minimum possidere vellet, potuitque ob id ad literam verè dicere: *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Siquidem ad instar crucifixi cujusdam, mundi hujus patibulo, tale enim mundum verè esse censebat, terga vertit, verè enim propter impressa sibi à Christo crucifixo vulnera & stigmata Crucifixus erat.

4 *Assimilata est palma.* Plinius de palma scribit, (L. 3 c. 41.) quod post mortem instar Phœnicis cujusdam renascatur à seipsa, ideoque nec germine nec semine opus habeat. Unde certo quodam modo de palma dici potest, quod suam à virginitate originem & ortum trahat. In qua proprietate mirificè purissimus Francisci virginalis candor repræsentatur, cujus semper vigilantissimus custos extitit. S. Bonaventura ait: *Tempore hye-* (Cap. 5.) *mali in foveam glacie plenam plerumque seipsum mergebat, ut & domesticum sibi hostem perfectè subjiceret, & candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret.* Quo in facto hoc nobis documentum, prouti ex eo quod dixit facillimè colligitur, post se relinquere voluit, nimirum *Tolerabilius viro spirituali*

fore

forè incomparabiliter asserebat, magnum sufficere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente.

Lib 17. c. 41. l. 13 c. 4

5. *Assimilata est palma*. Idem Plinius scribit: *Palma est solis amantissima*; & alibi pariter scribit: *Nullam palmam esse frugeferam nisi in terra & sole fervido.* Mystica vero hæc palma abundantissimum fructum in terra calida, id est, amore Seraphico inflammata retulit, à radiis namqoe solis justitiæ accensus in agro militantis Ecclesiæ mirè fructificavit; Porrò hic calor in ejus anima adeo transcendens erat, ut ad corpus quoque ipsius transmitteretur, adeo ut rusticus ille qui inter Alverniæ prætupta, nocte quadam præ gelido frigore quasi obriguerat, huic vim sancto vicinus existens, *divini amoris fervore succensus manu illum protensa palpavit*; *mirabile certè* subjungit S. Bonaventura, *repente ad illius sacra manus contactum, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore tantus in virum intus & extra calor advenit, ac si quadam in eum vis flammea fornacis spiraculo processisset: nam illico mente & corpore confortatus suavius inter saxa & nives usque mane dormivit, quàm unquam in proprio lecto pausaverat.*

Cap. 13.

6. *Assimilata est palme*. Hugo Cardinalis soper citatum Davidis versum scribens de hac arbore dicit: *Habet folia similia gladio, quia verba sanctorum acuta, hi sunt gladii ancipites in manibus eorum, id est, verba in operibus.* De sancto Francisco scribitur, quod cum quadam die dixisset se ad prædicandum verbum Dei egredi velle, mox eodem fine tanta cum modestia, compositione, humilitate & mortificatione per civitatem transierit, ut omnium eum spectantium corda in sui admirationem raperet; cumque à socio cur non prædicasset interrogaretur, respondit ei quod prædicationis se factæ fructum protinus visurus esset; qui & revera subsecutus fuit, multi enim paulò post coram ipso comparuere compuncti, ut se in illius disciplinam & sequelam totaliter transeriberent.

Ruell de nat. stirp. l. 1. c. 102.

7. Palma terram salsam incolere amat; quando autem terra natura sua talis non est, super ipsam haud procul à trunco sal seminatur, ut tanto copiosiorem fructum referat. Porrò Agricola cœlestis Apostolos suos ad spargendum semen Evangelicum in mundum universum dispersurus, eisdem dixit: *Habete in vobis Sal.* Et Apostolus monet: *Sermo vester cum gratia sit sale conditus.* Enimverò quod palma nostra mystica hoc Evangelico sale conspersa & cultivata fructum copiosum reddiderit, ad id comprobandum sufficiat adducere quod Philippus Diez de eo scribit: *In quodam Capitulo tam ferventi spiritu de mundi contemptu concionatus est; ut illo sermone innumeri fuerint conversi, & peracta concione ex illis quingentos novitios receperit.*

Marc. 9. 49 Col. 4. 6.

Ser. 4. de B. Franc.

Loc. cit.

8. *Assimilata est palma*. Palma, ut Hugo Cardinalis ait: *In imò est aspera, gracilis & rugosa, & sancti hic habent vitam asperam, & sunt contemptibiles & rugosi, & graciles, quia non quærunt hic nisi strictè necessaria* 1. ad Timot. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Disquiratis velim inter omnes sanctos aliqoem, in quo hæc omnia ad literam perfectius quam in Francisco adimpleantur. Porrò idem Hugo eodem in loco dicit: *Radix palmæ amara, & fructus dulcissimus; sic in sanctis, secundum illud Hebræorum* 12. *Omnis quidem disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mæroris, postea autem pacatissimum fructum exercitatis per eam reddet justitia.* Porrò austeritates & rigores sancti Francisci omnibos rigidissimorum Anachoretarum, qui per Thebaidem dispersi vixerunt, rigoribus longè fuerunt superiores; & tametsi cum Israelitis non oberraret per deserta, Deus tamen in ipsius animam manna consolationum & gaudiorum cœlestium copiosissimè depluebat: *Aspera radix*, inquit de Palma S. Augustinus, *videtur in terra pulchra coma sub cœlo est.* Porrò quis unquam externam sancti hujus apparentiam cernens, ipsum alicujus æstimasset? incedebat nudipes, lacer, hirsutus, exanguis, contemptus, & fune quodam super sacco quo indutus erat, constrictus; *aspera radix videtur in terra*, at verò si animam ejus nonnihil penetraremus, videremus utique quod *pulchra coma sub cœlo est* qualia enim & quanta spiritus sancti dona & gratiæ in ejus anima recondita erant, prouti in alio quodam discursu dictu-

In Ps. 91.

ri sumus. Optimè igitur hic sanctus præ cunctis aliis in veritate dicere potuit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

9. *Assimilata est Palma*. Plutarchus de palma ita scribit. *Ejus indolis est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat, sed fortius assurgat.* Ecce tibi in hac palma congruentissimè delineatam S. Francisci constantiam, quam adversus infernum, omnesque alios qui se illi opposuerunt Hæreticos, Schismaticos, Paganos, aliosque perditè viventes persæpè probavit, utpote qui adversus eum conjurasse videbantur ad imitationem illorum impiorum, qui dicebant: *Venite opprimamus pauperem justum.* Imò ipsimet etiam sancti Patris Capilli tantæ virtutis fuerunt, prout superius diximus, ut ad sustentandas domus cujusdam imminentes ruinas efficaciter prævaluerint, adeo ut illam haud secus ac solidæ trabes securissimè suffulcirent, ac proinde de capillis sancti Patris dici potest: *Coma ejus, sicut elata palmarum.* Nimirum Deus ostendere voluit, cujus fortitudinis etiam pars corporis ejus debilissima, quales Capilli erant, existeret, quando hi ædificio cuidam ruinam proximam minitanti fulcri loco serviebant. Optimè igitur Greg. XI. eum Sampsonis nomine appellavit, siquidem vis & fortitudo capillorum ejus, nomenclaturam hanc satis aptè confirmant, capilli namque S. Francisci domum Israel, id est Ecclesiam Dei adversus Philisthæorum, id est Ecclesiæ adversantium violentiam validissimè sustinent.

L. 4. in qu conv. q. 5.

C. 2. 10.

Cant. 7. 7.

10. *Assimilata est Palma. Quo annosior tanto fructuosior*; neque arboris hujus ligoum unquam venustate obsolescit, nec ceditur carie. Unde veteres gentiles Deorum suorum statuas ex hoc ligno fabricare solebant; nunquam etiam colorem mutat, nec folia, quantoque amplius crescit, tanto magis fœcundatur. Quis autem est qui in hac proprietate non videat denotari augmentum virtutum & meritorum S. Francisci, qui altissimum meritorum assecutus est gradum, adeo ut ipsis quoque Seraphinus longè prævolarit; quis est qui indefessam ejus perseverantiam, perfectissimam ejus cum divina voluntate conformitatem ejus in omnibus virtutibus indifferentiam & uniformitatem non obstupescat? corpus ejus gloriosum, vel saltem ad minus incorruptibile conservatur; siquidem in signum incorruptibilitatis animæ & cordis sui, in pedes erectum consistit.

11. *Assimilata est palme*. Phœnix in Palmæ arbore sepulchrum suum fabricare dicitur, ibidemque inter cineres suos moriens, de novo iterum reviviscit ad vitam, ut ita dicam immortalem: In hac mystica palma, Francisco videlicet, divina Phœnix humanitatis Christi, suum fabricavit sepulchrum, id est, soam impressit passionem, in eaque accepta manuum, pedumque ac lateris stigmata. *Ascendam in palmam*, quod oracnlum in eo perfectè adimpletum fuit. Et ideo ubi vulgata legit: *Justus ut palma florebit*, Tertullianus aptè vertit: ut Phœnix. In Josepho *de bello Judaico* scribitur, quod palma a cuta quadam petra incisa balsamum copiosè scaturiat, quod equidem an fabula sit an verò Historia hoc loco nolo decidere, Catholica tamen veritas est, quod Paulus ait: Petra autem erat Christus, quæ petra huic palmæ vulnerum suorum incisiones imprimens pretiosissimum sanguinis ejus balsamum eandem scaturire fecit.

Lor. in Ps. 91.

Cap. 7. 8.

L. de resur. c. 13. l. 3. c. 5.

12. *Assimilata est Palma*. Lyranus ait: *Nomine palmæ significatur victoria, quod antiquitus victores in præliis ramis palmæ in capite & manibus ornabantur.* Sanctus Vincentius Ferrerius causam declarans, cui Gabriel Archangelus ramum qnendam palmæ Virgini ex hoc sæculo mortali ad beatam vitam transituræ detulerit, dicit: *Ramus ille significabat victoriam, quam Virgo habuit de mundo per humilitatem, de Diabolo per paupertatem, de carne per purissimam Virginitatem.* At verò in Francisco omnes prædictæ victoriæ inveniuntur. Similiter S. Augustinus rationem reddit, cur populus Hierosolymitanus cum ramis palmarum Christo in occursum processerit & dicit: *Quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, & tropheo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus.* Meritissimo igitur jure Sanctus Patriarcha noster sub palmæ cujusdam specie nobis ob oculos ponitur, utpotè qui de inferni tyrannide triumphavit, sibique ipsi mortis, passionis, & triumphalis crucis Chri-

In cap. 15. Deu.

Ser. 1. in Assump. B. V. Mariæ.

Tract. 51. Joan.

sti victoriosum trophæum inseruit: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce, in hoc signo vicit.*

13. *Assimilata est palma.* Sanctus Paulus primus Eremita per multos annos se ex palma vestiit & sustentavit, adeò symbolum est paupertatis, sed bene provisæ: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Statura tua assimilata est palma.* Enimverò quidnam magno huic Patriarchæ, suisque religiosis defuit unquam, tametsi extremam profiteatur paupertatem. Cœlius Rhodiginius scribit: *In Babyloniorum literis compertas esse palmæ arboris trecentas & sexaginta utilitates.* De Palma itidem Indica graves Authores scribunt, quod illa iis populis, penes quos nascitur, omnia illa liberaliter subministret; quæ illis in eorundem sustentationem, nec non in commercia necessaria sunt, unde à Palma desumptum fuit cujusdam Emblematis corpus sequenti Epigraphe vivificatum: *Ad omnia utilis.* Eodem prorsus modo in vastissima hac arbore mystica invenitur quidquid desiderare possumus, siquidem in frondibus, fructibus, ramis, & cortice multæ exque variæ inveniuntur substantiæ, è quibus Vinum, Oleum, Acetum, Aqua, Panis, Linum, Lac, Charta, Fructus, Calcei *&c.* copiosè desumuntur, adeò ut Palma sufficiat ad provisionem non tam unius familiæ, quàm integræ Reipublicæ. Legatis velim institutas à Sancto Francisco Regulas, & invenietis quàm arctam & strictam filiis suis paupertatem præscripserit, & tamen palma hæc tot abhinc annis non uni duntaxat familiæ, sed multis earum millibus, omnia quibus ad victum, vestitum supellectilem sive domesticam sive sacram indigent, abundè subministrat. *Ad omnia utilis.* Adhæc quotnam palma hæc utilitates & commoda non attulit Ecclesiæ? In paganorum conversione, in extirpatione hæresum, in bonorum morum reformatione, in sacrorum locorum cultu & decore promovendo, in disciplinæ tam Regularis quàm Ecclesiasticæ restauratione, in Apostolica Evangelii prædicatione, denique in sanæ & solidæ doctrinæ veræ, Catholicæ & Romanæ puritate & integritate, quid non præstitit. *Ad omnia utilis.*

Lib. 5. lect. ant. c. 7. Avell. in p. 24

In S. Francisco omnia merita, virtutes, dona & gratiæ, quæ in omnibus aliis Sanctis fuere dispersæ, veluti in quodam compendio conjunctæ effulserunt.

DISCURSUS NONUS.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.
Matthæi cap. 11.

1 VIx credo inveniri posse verba Seraphici Patris meritis conformia, quàm sunt illa, quæ hodierno Evangelio thematis loco nobis prælecta fuerunt, quia quando totum se Deo consecrans, omnia, quæ in terris sortitus fuerat, Patri suo corporali ultro cessit & resignavit, simul etiam protestatus, nullum se deinceps alium Patrem agnoscere velle, quàm Patrem cœlestem; unde jure dicere potuit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: securè dicere possum* (sunt ipsissima Seraphicis Patris verba) *Pater noster qui es in cœlis; apud quem,* ut scribit S. Bonaventura, *omnem thesaurum reposuit.* Ex hoc thesauro penes hunc patrem fideliter depositato inexhaustæ horum donorum fuat egressæ divitiæ. *Omnia mihi tradita sunt. Divisiones gratiarum sunt,* inquit Apostolus ad Corinthios, *alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genere linguarum, alii interpretatio sermonum: hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Sed quonam id modo facit? *Dividens singulis prout vult.* Ecce tibi igitur mirum in magno Patre nostro prodigium, qui dicit: *Omnia mihi tradita sunt.* In ipsu enim velut in breve compendium redacta fuot omnia dona, omnes gratiæ, omnes thesauri, qui in indeficienti Paradisi ærario asservantur. Ut autem hujusce veritatis apprehendendæ capaces efficiamur, operæ pretium erit exemplum imitari Cosmographorum, qui in Mappa mundi

1. Cor. 12. 4.

per parvula puncta vastas denotant civitates, amplaque & navigabilia flumina per subtilissimas lineas.

2. *Sermo sapientiæ,* id est, ut Glossa interlinearis ait: *De divinis intelligentia.* Porrò intellectus Francisci ad divinorum mysteriorum intelligentiam adeo sublimatus fuit, ut Cherubinorum chorum transcendens, inter Seraphinos usque evolaverit. Glossa autem ordinaria ly sapientia interpretatur *contemplatio æternorum.* Sanctus Franciscus assidua quadam altissimaque contemplatione mediante Deo adeo unitus fuit, ut de eo scribatur, quod fuerit *ambulans & sedens intus & foris, laborans & vacans orationi, adeo intentus, ut illi videretur non solùm quicquid in eo erat cordis & corporis, verum etiam operis & temporis dedicasse.* Quando anima ejus separata à corpore visa est veluti stella quædam super candidam quandam nubem deferri. S. Bonaventura visionem illam declarans dicit, portatam fuisse *super aquas multas cœlestis sapientiæ & gratiæ ubertate repletas.* Vvad. ann. 1210. 51.

3. *Sermo scientiæ. Scientia* autem hæc consistit *in actione temporalium.* Porrò S. Franciscus non solùm omni conatu contemplativæ deditus fuit, verùm etiam activæ, idque in summo gradu, sine ullo tamen contemplativæ vitæ præjudicio, siquidem persæpè maximè ardua Ecclesiæ negotia tractanda habuit, in quibus experientia comprobatam semper exhibuit dexteritatem atque prudentiam, eandemque occasionem multis annis in Religionis suæ regimine habuit, & maximè in tot contradictionibus obviis, primitus enim ab Innocentio III. repudiatus fuit, quando ab illo Regulæ suæ confirmationem expetiit, Pontifice nimirum æstimante humanitus loquendo impossibilem esse ejusdem Regulæ observantiam & adimpletionem, nec tamen sanctus Patriarcha destitutus animo fuit, sed de novo admissus ad audientiam, quando eidem Pontifici dictam confirmationem Regulæ ingeniosa quadam parabola efficacites persuasit?

4. *Fides in eodem Spiritu* id est, ut ait interlinearis, *constantia fidei* vel *sermo,* SS. Ambrosius & Anselmus interpretantur *donum intrepide profitendi, & prædicandi fidem.* Quantus fuit Apostolici collegii conatus, postquam illud ipsum ab invisibili Spiritus sancti super ipsos de cœlo descendentis præsentia confortatum fuit, tantundem conari non dubitavit intrepidus ille & generosissimus Christi Capitaneus Franciscus, suos quoque discipulos per varias mundi partes dividens ad convertendos ad Christum Idololatras, Schismaticos, Hæreticos, Hebræos, Mahumetanos cunctosque alios perditè viventes: *Diviso inter confœdales orbe veluti si universum Dei excelsi subjugare vellet imperio.* In ipsiusmet Sultani Babyloniæ se intrepidus statuit aulam, atque pro testificanda fidei nostræ veritate ad transeundum illæso corpore per medias flammas spontè se obtulit; & non solùm id in hac occasione præstitit, verùm etiam in multis aliis occasionibus barbarorum acinacibus cervicem suam præcidendam martyrii avidus obtulit, admirabili cum constantia annuntiando Evangelium. Vvad. ann. 1212. n. 31

5 *Gratia sanitatum,* id est, ut Interlinearis exponit, Gratia *curandi infirmos.* Quis unquam pro dignitate recensere poterit, quæ in vita & post mortem patravit stupenda miracula, à lethiferis & desperatis infirmitatibus innumerabiles curando infirmos? Et quidem si pro stupendo sanctitatis Petri prodigio de eo scribitur, quòd integra infirmorum hospitalia evacuando cunctos infirmos certatim in plateas publicas exportarint, ut hac ratione infirmi sanarentur, erigerentur claudi, cœci denique per Vicarii Christi præsentiam illuminarentur, simile quid Annales Franciscani de suo Patriarcha scribunt: *Efferebant in plateas infirmos, ut sua benedictione donaret, panes proponebant, ut benediceret, quos pro morborum medelis servabant.* Accedit quoque, quod dum magnus hic Patriarchæ spinis quibusdam, super quibus, ut loci illius habet antiqua traditio, sanctus Benedictus nudo corpore ad supprimendos libidinis æstus volutatus fuit, osculum oris sui infixisset, eædem non solùm pro tunc in rosas fragrantissimas commutatæ fuerint, verùm etiam rosas deinceps continuo germinarint, easque *miræ virtutis, quæ multam ubique infirmitatum medelam attulerunt.* Ad hæc multas matres à partuum periculis liberavit, claudos multos erexit, sanavit hydropicos, auditum surdis restituit, loquelam mutis, cœcis lumen, vitam defunctis, & ut uno Vvad. ann. 1212. 6. An. 1212. 5

verbo

verbo multa absolvam, verus dici merebatur magnusque Thaumaturgus.

6 *Operatio virtutum*; id est, ut Interlinearis exponit, operatio *miraculorum contra naturam*. S. Anselmus Cap. 5. illa verba: *Omnia mihi tradita sunt*, declarans dicit, *Omnipotens sum ad miracula*. S. Bonaventura paucis quidem, sed consideratione dignis dicit: *Ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat* (siquidem super prunis haud secùs ac super rosis se sine ulla læsione volutavit, ut tum in seipso, tum in pessima quadam ipsum tentante fœmina concupiscentiæ incentiva reprimeret) *aquæ saporem commutat* in vinum eam convertendo: *Angelica præbet melodia solatium*. Ad ejus libitum canebant Angeli, itemque ad minimum ejus nutum denuo desistebant. Ad quorum imitationem aviculæ etiam ad ejus jussum suavibus aera concentibus replendo inter se concertabant, similiter pisces pariter & aves prædicatum ab eo divinum verbum audiebant; suam coram eo feritatem feræ mansuescentes deponebant; silices & petræ, alpestres durissimæ lympidos scaturiebant aquarum fonticulos; ad ejus preces arida mulierum octogenariarum ubera lacte fœcundabantur & exuberabant, ut derelictos à matribus nepotes educare possent. In vitam priorem non unum duntaxat, sed septem revocavit cadavera, ac demum perpetuo eoque visibili miraculo post multa annorum sæcula corpus suum in hodiernum usque diem incorruptum, & in pedes erectum, & velnti in actu orandi oculis in cœlum defixis positum conservare novit, & etiamnum conservat.

7 *Prophetia*. Siquidem multos prædixit futuros exitus, maximè circa prosperos, aut infelices Ecclesiæ casus, prævidit quoque & prophetavit, quicquid in decursu secuturi temporis in Religione sua eventurum erat, multasque alias tam de privatis, quàm publicis successibus fecit prædictiones, & vaticinia.

Corn. à lap. 8 *Discretio Spirituum*, id est, *cogitationum & intentionum cordis*, ut declarat interpres quidam modernus. Quis est qui ignoret quàm ei familiare fuerit hoc donum *scrutandi renes & corda*? unicuique suas recensebat cogitationes, desideria, imaginationes, quæ in uniuscujusque mente delitescebant. Quodsi verò per discretionem Spirituum intelligatur donum quoddam judicii, & certæ discretionis circa aspirationes, etiam Franciscus in hoc singularis prorsus fuit in discernendis videlicet vocationibus, an illæ à Deo, aut verò ab iniquo spiritu proficiscerentur.

9 *Genera linguarum*. Quia tam in oriente, quàm in occidenti prædicando Evangelium plurimos fategit ad fidem convertere populos barbaros, à nobis non solùm climate & moribus sed etiam idiomate prorsus differentes. Atque ideò dubitandum non est, quin ei hoc quoque donum concessum fuerit, eo vel maximè cùm hoc ei attribuatur elogium, quo *vir totus Apostolicus* appellatur, nec tamen constet eum aliquam variis idiomatibus addiscendis dedisse operam.

10 *Interpretatio sermonum obscuriorum, maximè sacræ Scripturæ*. Nam S. Bonaventura de magno Patriarcha nostru scribit, *quamvis non habuerit sacrarum literarum peritiam per doctrinam; æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda mire intellectus scrutabatur acumine*.

11 *Omnia mihi tradita sunt*. Neque enim Patriarcha Seraphicus omnibus prædictis donis locupletatus fuit, verùm etiam in veritate dicere potuit: *In plenitudine Sanctorum detentio mea*. *Qui mercedes congregavit*, in- Aggæi. 1. 6. quit Spiritus sanctus, *misit eas in sacculum pertusum*. Quis mihi hujus Scripturæ sensum explicabit, in qua mentio fit sacculi cujusdam perforati, in quem multæ fuerint mercedes repositæ? Nisi fallar, Scriptura in hoc loco dicere velle videtur, quòd Pater æternus omnes virtutum, gratiarum, donorum & meritorum thesauros congregarit, eosque in sacratissimæ humanitatis filii sui vilem sacculum quinque vulneribus perforatum reposuerit. Unde S. Bonaventura ait. *Sacculus pertu-* Serm. in 2. dom. adventus. *sus est humanitas Christi, in quinque vulneribus perforatus*: Ad nostrum verò propositum sciendum est Christum hanc suam humanitatem cum Francisco univisse, quando sacra ei stigmata impressit, & consequenter omnes hosce thesauros in sacculum ejus quinque itidem vulneribus perforatum transfudisse, *congregavit mercedes*. Ipse namque puritatem æmulatus est Angelorum, ideoque per antonomasiam appellari Seraphicus meruit. Fuit etiam Religionis talis Patriarcha, quæ inter omnes, quæ sunt in Ecclesia, religiones numeriosior & exemplarior existit. Similis quoque Prophetis in prædictionibus suis fuit; Apostolorum itidem paupertatem omnesque alias illorum virtutes & progressus ad ungnem, ut dicitur, imitatus fuit; Martyr quoque amoris extitit, quem *etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyris non amisit*. Quodnam enim sustinere potuisset acerbius martyrium, quàm quòd per duorum annorum curriculum crucifixus vixerit? Adhæc rigidissimorum & solitariorum Anachoretarum merito fuit gavisus, Eminentissimorum quoque Confessorum pœnitentias & virtutes insignes sibi conciliavit. Denique lilium virginum pariter ipsi non defuit, adeòque ipsum simul & semel adornatum videmus omnibus gratiarum divitiis, quæ in cunctis aliis Sanctis seorsim fuere dispersæ.

12 *Omnia mihi tradita sunt*. Nam S. Bonaventu- Cap. 15. ra de Seraphico hoc viro dicit, quòd fuerit. *Paupertatis professor, patientiæ forma, veritatis præco, sanctitatis speculum, & totius Evangelicæ perfectionis exemplar*; ac paulò post subjungit: *Hunc virum mirabilem utpote paupertate prædivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem*. Æmulatus est prothoparentem nostrum in dominio & imperio, quod habuit in omnes creaturas, *ut sic sanctificatis viri sancti sensibus omnis probetur mundi machina deservire*. Assequi semper & imitari studuit innocentia Abelum, in devotione Enos, in justitia Noemum, in obedientia Abrahamum, in solitudine & labore Jacobum, in mansuetudine Moysen, in zelo Eliam, in fortitudine Josue, in castitate Josephum, in humilitate Davidem, in contemptu mundi Eliseum, in sapientia Salomonem, in divinarum rerum cognitione Isaiam, in compassione erga proximos Jeremiam, in patientia Jobum, in misericordia Tobiam, in temperantia & austeritate vitæ Danielem.

13 *Omnia mihi tradita sunt*. Quod si Deus etiam in hac vita largus est renumerator in ministrandis honoribus, divitiis, gaudiis, viris illis qui illa meruerunt, certè erga Seraphicum Patriarcham minimè parcus extitit. Noster enim sanctus omnibus populis tam Christianis, quam Idololatris & Mahumetanis in summa veneratione & pretio fuit: Reges & mundi Monarchæ, imò ipsimet Pontifices ipsi promptè sunt obsecuti. Consolationes quas etiamnum in hac vita gustavit, tantæ fuerunt suavitatis, ut sint cuivis intellectui humano omnino imperceptibiles: *Nemo scit nisi qui accipit*. Non defuerunt ipsi terrenæ divitiæ, sed ipse defuit illis, easdem per generosum quendam contemptum conculcando.

14 *Omnia mihi tradita sunt*. Quantum S. hoc Patriarcha etiamnum vivente ampliata est, quam in Ecclesia fundavit, religiosa familia, quantumque in sanctitate & doctrina fructificavit? quot plantæ ab eo irrigatæ creverunt usque ad cœlos, pretiosissimo gloriæ diademate adornatæ, prouti ex Franciscanæ Religionis catalogo facilè est videre. Verùm enimverò quodsi scire desideretis, cur Deus tanto donorum & gratiarum cœlestium, bonorumque pariter temporalium thesauros in sinum ejus effuderit facilis mihi erit responsio per illa Joan. 12. 32. Christi verba à S. Joanne relata: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, subdit autem Evangelista: *Hoc dicebat significans qua morte esset moriturus*; siquidem nudus in crucem elevatus ad fidem suam totum traxit universum: *Omnia traxit ad seipsum*. Ecce igitur tibi hic expressam rationem, cur Franciscus dicere potuerit: *Omnia mihi tradita sunt*, quia nimirum exaltatus à terra, quicquid boni aut pulchri mundus ei dare potuit, generosè contempsit, seque cum Christo simul in crucem affixit: *Elevatus à terra* etiam ipse *omnia traxit ad se*, ideoque dicere potuit: *Omnia mihi tradita sunt*, nihil enim aliud præterquam Deum desideravit, unde solida & continua ejus oratio hæc fuit: *Deus meus, & omnia*.

Aliquæ quæ inter Christum & ipsum intercesserunt similitudines exponuntur.

DISCURSUS DECIMUS.

Similis erit Deo in filiis Dei. Pf. 88. v. 7.

1 PRopheta Regius, qui à Deo vir secundum cor ejus habitus fuit, in altissima contemplatione persæpè absorptus Deum interrogavit: *Deus qui similis tibi?* Et iterum alibi: *Deus quis similis erit tibi?* Et in Psal. 39. v. 6. conclusit intra se: *Non est qui similis sit tibi.* Denique Psal. 88. interrogat: *Quis æqualiter Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* sed ecce hodie Davidi adæquate respondere possumus, Franciscum inter omnes Dei filios eidem simillimum esse.

Pf. 70. 19. Is. 22. 2.

2 *Similis Deo.* Ex nonnullis revelationibus, quæ in Franciscanæ Religionis annalibus recensentur deduci posse videtur Sancto huic Patriarchæ attributam esse vacantem luciferi in cœlo sedem. Quod si verum est, sequitur quod cum de hoc Angelo scriptum sit: *Tu signaculum similitudinis.* Ipse autem hanc quam cum Deo habebat similitudinem per suam superbiam amiserit, sequitur inquam quod Franciscus eandem per profundissimam humilitatem hæreditarit. Unde sicut Isidorus de Lucifero ait. *Lucifer in exordio creationis suæ simillimus fuit Deo in universa multitudine Angelorum*, ita quoque de magno & Seraphico Patre suo Bernardinus testatur dicens: *Gloriosus Franciscus circa terminum vitæ suæ simillimus fuit Christo in tota universitate Sanctorum.*

Ezech. 28. 12. — De summo bono lib. 1. — T. 4. ser. 3. c. 3.

3 *Similis fuit Deo.* Etenim Deus noster tanquam in stabulo quodam nasci voluit; at verò tanquam Deus eandem nativitatem suam per prodigiosæ cujusdam stellæ apparitionem tribus illis Orientis Regibus voluit esse manifestam; similiter quando Franciscus in procinctu fuit ut in hujus mortalis vitæ lucem ederetur, mater ejus à cœlesti quodam nuntio eidem in similitudine peregrini viatoris apparente monita fuit, ut si à concepto partu feliciter expediri, vellet, in stabulum se reciperet, ibidemque eundem super fœno & palea deponeret, prouti etiam felicissimè ab ea factum fuit.

4 Christus, qui de semetipso ait: *Ego sum stella splendida & matutina* in nube quadam ad cœlos ascendit. *Et nubes suscepit eum in cælo:* De hac verò Seraphica anima scribitur: *Sub specie stellæ præfulgidæ à candida subvectam esse nubecula.*

Ps. 39. 18.

5 Salvator noster de se ait: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus solicitus est mei*, quod idem magnus hic Patriarcha de se dicere potuit, cum enim ipse arctissimam maximèque rigidam professus sit paupertatem, eandemque velut opulentam quandam hæreditatem numerosissimæ familiæ suæ in testamento legando transcripserit, divina quoque providentia erga eandem per indultam benedictionum suarum abundantiam solicita semper fuit.

6 Salvator noster duodecim sibi elegit, quos denominavit Apostolos, super quos Ecclesiam suam à se fundatam stabilivit. Porrò autem specialiter dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, eandemque per duodecim illorum Apostolorum effusum sanguinem plantavit: *Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo.* Sanctus quoque hic Patriarcha duodecim sibi adscivit socios, quos ad prædicandum Evangelium, & ad rebelles Deo sub Evangelicæ legis jugum redigendos per universum terrarum orbem dispersit; Ipse autem fuit qui inter illos omnes in sustinenda sublimi Ecclesiæ mole illis temporibus vacillante & ruinæ proxima Petri partes & locum sustinuit, eandemque per duodecim socios, qui vitam suam pro fide prodegerunt, restauravit.

7 Adhæc sicuti filius Dei in Collegio Apostolico unum traditorem habuit: *Ita Joannes Capella salutaris consilii tanti Patris oblitus, mandata ejus neglexit, abiit in locum suum, & suspensus crepuit medius.*

8 Quando Seraphicus Pater discipulos suos per omnes mundi partes divisit, iisdem documentis & monitis eosdem instruxit, quæ sapientissimus Magister scholæ suæ discipulos olim edocuit.

9 Christus Redemptor noster discipulis suis pro eo tempore, quo pro fidei suæ defensione & dilatatione poscebantur ad supplicia, miram quandam suavitatem & cœlestem consolationem insinuavit, adeò quod *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati:* Easdem quoque consolationes Seraphicus hic Pater filiis suis impertravit. Unde S. Bonaventura ait: *Multa quidem eis in diversis partibus orbis inferebantur convitia, tanquam personis despicabilibus & ignotis: sed amor Evangelii adeo ipsos patientes effecerat, ut quærerent potius ibi esse, ubi persecutionem paterentur quam &c.* Unde F. Ægidius Seraphico viro die quadam dixit: *Pater jam recessit gloria nostra dum hominum gloria afficimur*, id quod ex eo præcipuo motivo dixit, quia omnem honorem & gloriam in eo reponebant, quod pro Dei amore opprobrio & contumelia ab aliis afficerentur, *quæ verba sanctum Patrem magno affecerunt gaudio, videns suos discipulos, nec injuriis commoveri, nec honoribus extolli.*

Cap. 4.

10 Incarnata Patris Sapientia die quadam Apostolos suos inter se de primatu contendere audiens, hoc illis salutare monitum dedit: *Quicunque voluerit inter vos major fieri sit vester minister: Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Qualiter autem id ipsum Seraphicus Pater circa suos præstiterit, ex ore filii sui S. Bonaventuræ videlicet velim audiatis: *Humilitatis forma Franciscus voluit fratres suos vocari minores & Prælatos sui ordinis dici Ministros, ut & verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, & ex ipso nomine discerent discipuli ejus, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent.*

Mat. 20. 26 — Cap. 6.

11 Dei filius Collegio suo Apostolico singularis solatii loco promisit, nullam penitus potestatem etiam infernalem adversus Ecclesiam suam prævalituram aliquando esse: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Pari modo hic Patriarcha hanc à Deo promissionem obtinuit: *Quantiscunque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio, salva semper meo munere permanebit.*

Mat. 16. 18. — Cap. 8.

12 De Christo scribitur eum auditorum suorum corda sibi rapuisse, amorosam illis inserendo quodammodo violentiam, ut ad ipsum converterentur, adeò etiam ut ii qui abierant ut ipsum in horto Gethsemani caperent & ligarent, in cordibus suis ab ipso vincti & ligati remanserint; unde & alii dicebant: *Nunquam sic locutus est homo.* Simile quid etiam apud D. Bonaventuram de Francisco legitur; *Erat verbum ejus*, inquit præfatus Seraphicus Doctor, velut *ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret.*

Joan. 7. 46. — Cap.

13 Cum Christus ab auditorum suorum divinum ejus verbum avidissimè auscultantium multitudine plus nimium premeretur; *Dum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei*, in quandam à littore nonnihil remotam naviculam se subduxit: *Et sedens docebat de navicula turbas; Ascendens in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum.* Simile quid Sancto Patriarchæ nostro Cajetæ accidisse scribitur: *Dum prædicaret in littore maris, turbis præ devotione ruentibus ut eum contingerent, horrens Christi servus tantum populorum applausum, in unam hærentem littori naviculam prosilivit solus: illa vero tanquam si rationis particeps motore moveretur intrinseco, sine aliquo remige cernentibus & mirantibus cunctis se longius à terra protraxit.*

Luc 5. 1. — ann. 1219

14 *Similis fuit Deo in filiis Dei.* Quod si verò in patrata ab utroque miracula oculos nostros convertamus, in plerisque illos symbolizare deprehendemus. Primò enim Salvator noster à tribus Apostolis supra montem Thabor visus est transfigurari, cui etiam actui Elias præsens interfuit. Sanctus quoque Franciscus *absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit.* Et quidem tanquam alter quidam Elias ab illis visus est in curru igneo ad cœlum rapi. Secundò Christus paucis panibus multa homi-

Cap. 12.

num

num millia satiavit : Sanctus noster per unius panis medietatem , illum multiplicando adeò etiam ut quantumvis manducatus non absumeretur , tum sibi , cum aliis per quadraginta dierum spatium abunde prospexit . Tertiò Christus aquam in vinum mutavit ; idem quoque Franciscus præstitit , insuper faciendo , ut ex vite botris producendis sterili & infructuosa , tantum nihilominus vini collectum fuerit , quantum magno cuidam vasi adimplendo sufficiens erat . Quartò ad imitationem Domini sui Dæmonibus præcipiendo promptam semper ab illis obedientiam obtinuit . Quintò celebre est illud mulieris per tot annos continuos sanguinis fluxum patientis miraculum quæ facultatibus suis inter Medicos erogatis , tandem in cœlestem Prothomedicum confixa inter se dixit : *Si tetigero tantum vestimentum ejus salva ero* : In annalibus quoque Franciscanæ Religionis de quadam muliere Episcopatus Sorensis , Rogata nomine , scribitur , quod cum per viginti trium annorum decursum eandem passa infirmitatem , post tentata irrito licèt cum effectu omnia humana remedia , tandem post ingens rerum suarum dispendium ad extremam paupertatem redacta , & velut vivum quoddam cadaver facta fuisset , audiretque viri Dei laudes à puero quodam per specialiter conceptam hymnodiam decantari , se licet procul ab illo distantem toto corde illi commendaverit , hoc speciatim addito sanitatis , restituendæ motivo , quod videlicet sanitas quam ab eo sperabat recipere miraculo , ob nimiam utriusque distantiam ingens additura esset gloriæ incrementum . *His dictis sensis se Francisci meritis liberatam* . Sextò Filius Dei in gravi erat periculo ne à monte quodam à Judæis præcipitaretur : *Duxerunt illum usque ad supercilium montis , ut præcipitarent eum* : nisi miraculosè evasisset : *Ipse autem transiens per medium illorum ibat* . Septimò inimicus infernalis in Alverniæ monte Francisco dixit : *Mitte te deorsum* ; imò vim quandam ei intulit , ut eum ex alta quadam rupe prolabi faceret : *Sed Saxum alioquin durum , ita se Beato Patri molle tractabileque præbuit , & digitos in eo imprimere , & ejus apprehensione hujusmodi præcipitationem evadere potuerit* . Octavo Christum tres mortuos ad vitam resuscitasse constat ; de Francisco pariter ex historiis liquet eum septem vita functos denuò revocasse ad vitam . Nonò de Salvatore Lucas scribit : *Virtus de illo exibat , & sanabat omnes* : De Francisco ejus attestantur annales : *Quidquid manu tangebat , virtutem participasse Dei homines comperiebant in curationem languorum* . Decimò sicut natura per potentiam , quam vocant obedientialem , Christo in omnibus quæ contradictionem non involvebant , obsequebatur promptissimè , ita quoque talem se huic servo ejus exhibuit , utpote qui absolutum in aves , pisces , feras , plantas , arbores , elementa , omnesque alias creaturas sive insensibiles , sive sensatas Dominium habuit : *Cui omnis probatur mundi machina deservire* .

Matt. 9. 29 Vvad. 1228 62.
Luc. 4. 29.
Ann. 1213. 43.
Luc. 6. 19. 1228. 8.

15. *Similis fuit Deo in filiis Dei* . S. Ambrosius id quod Deus Moysi dixit nimirum : *Constitui te Deum Pharaonis* , rectè considerans ait : *Nomine Dei vocatus est ad cujus similitudinem se perfecta virtutis ubertate formaverat* : idem quoque de S. Francisco dicere possumus : *Ad cujus similitudinem se perfecta virtutum ubertate formaverat* ; prout in sequentibus Analogiis liquidò patebit . Primò enim Redemptor noster in deserto rigorosissimam quadraginta dierum prosecutus est abstinentiam : De hoc autem Magno Patre scribitur : *Ab Epiphania festo usque ad continuos quadraginta dies , eo scilicet tempore , quo Christus latuit in deserto , ad solitudinis loca declinans , cellaque reclusus , quanta potuit arctitudine cibi potus , jejuniis & orationibus , & laudibus Dei sine intermissione vacabat* . Secundò Christus noster , de quo Isajas ait : *Putavimus eum quasi leprosum* ex compassionis motivo , leprosus mundare non est dedignatus : Franciscus autem adeò heroicum mortificationis actum est assecutus , ut leprosorum ulcera osculari non dubitarit : *Erat cum eis , diligentissimè serviens omnibus propter Deum , lavabat ipsorum pedes , ligabat ulcera , educebat plagarum putredinem & saniem abstergebat , osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas , eorum Evangelicus Medicus mox futurus propter quod tantam est à Domino consecutus virtutem ut in Spiritualibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret* . Tertiò filius in eam humilitatis abyssum se dimisit , ut in loco infami , ubi publici malefactores supplicio affici consueverant , in medio duorum latronum voluerit crucifigi : S. Franciscus Assisii fune collo innexo ad publicæ justitiæ locum raptari voluit , ibidemque disposuit ut omnibus declararetur , quantùm ab omnibus contemni & proculcari meruisset . Quartò Redemptor noster in agonia mortis ab Angelo consortatus fuit : Ad Franciscum quoque gravi infirmitate correptum Angelus quidam expeditus fuit , qui per laxati arcus jactum , infinito animam ejus jubilo implevit . Quintò Christus *pridie quam pateretur accepit panem* , quem consecratum Apostolis in signum unionis & concordiæ distribuit . Unde S. August. serm. 83. de diversis ait : *Commendat nobis in isto pane unitatem amare* Sanctus & Seraphicus Pater noster in hujus exempli imitationem : *Pridie antequam moreretur , vocat ad se fratres , demum benedixit eis , & panis à se crucis signo consecrati fragmenta dedit singulis , ut in signum unitatis & concordiæ de eodem comederent ; devotè id fecerunt omnes contemplantes in sancto viro Christum in suis ultimam cœnam peragentem* .

Lib. 1. de Abel. c. 12.
Ann. 1220 35.
Isa. 53.
Mansi Prompt.
An. 1226.

16 *Similis fuit Deo in filiis Dei* . B. Petrus Damianus de S. Andrea fratre S. Petri scribit : *Crux parturivit æqualem* : ita nos quoque dicere possumus : *Crux fecit similem , simili pœna servus cum Domino afflictus est , & popularis homo Regi similia passus* . Enimverò si Christus in cruce sacco fuisset cinereo indutus , nulla futura fuisset Franciscum inter & Christum distinctio , hoc solum discrimine excepto , quod crux Christi lignea fuerit , Crux autem Francisci , fuerit , ut suo loco dicemus Christus ipse . *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui* , inquit Apostolus , huic autem viro Seraphico specialis de certissima ejus prædestinatione facta est revelatio , & ideo mirum non est si conformis & similis fuerit imagini filii Dei . *Similis fuit Deo in filiis Dei* . Verè S. Franciscus sacris stigmatibus hoc modo insignitus dicere potuit . *Omnia ossa mea dicent . Domine , quis similis tibi* ? Christus in die Veneris nudus est mortuus , Deoque pariter nudus mori voluit Franciscus : Imò vulneribus signatus , adeòque crucifixus etiam in die Veneris fuit . Christus crucifixus est in monte Calvariæ , Franciscus in monte quodam condicto Alvernia : Carnifices autem qui Dei filium crucifixerunt , Hebræi fuerunt : Franciscus autem in Crucem actus est ab ipsomet Christo .

Serm. d. Andrea Sap. 8. 12
Rom. 8. 9
Ps. 34

Stigmata S. Francisci basis & fulcrum quoddam fuerunt Ecclesiæ Dei .

DISCURSUS UNDECIMUS.

Firmum fundamentum Dei stat , habens signaculum hoc , cognovit Dominus qui sunt ejus .
2. Timoth. 2. v. 19.

1 QUando in Franciscum vulneribus Christi insignitum , ut Ecclesiam Lateranensem ruinam minitantem sustentat , seriæ contemplationis oculum defigo , jure mihi videor dicere me posse , quòd Apostolus per spiritum propheticum de ipso loqui intenderit , quando Timotheo scribit : *Firmum fundamentum Dei stat* . Equidem tanto magis mihi veritatem hanc persuasam habeo , quanto fortius ad id credendum à S. Bernardino permoveor ; hic enim ita scribit : *Statit ergo Franciscus in bello tentationis in modum firmissimi fundamenti , nonne ut renovatum fundamentum ædificium Ecclesiæ stabilivit ? Habens signaculum hoc , Filius Dei est signaculum , & Franciscus fuit quasi signaculum* . Etenim Christus seipsum super corpus servi sui impressit , dum ei vulnera carnis suæ infixit.

Ser. 61. art. 2. c. 2.

2 S. Bernardinus piè meditatur Christum sibi in Cruce per sanguinem suum desponsasse Ecclesiam , *Ipsam sibi proprii sanguinis effusione subarrhans* ; ac proinde cùm etiam Franciscus ex amore sui Redemptoris crucifixus fuerit , suorumque vulnerum sanguinem non pauculis horis , sed per solidum duorum annorum spatium effuderit , cur nobis ad credendum difficile erit , ipsum

Ser.16 Ecclesiam Christi sponsam suffulsisse & sustentasse. Dicatur igitur de eo, quod *Rexit Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Quibusnam autem Ecclesia fun- Act. Apos. 20. 28. damentis innititur? Audite obsecro quinam sint solidiores hujus fundamenti lapides, sanguis nimirum ab Apostolis effusus: Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo. De Francisco hoc inter cætera encomium circumfertur quo appellatur: Vir totus Apostolicus. Et merito; nam certum est quòd ejus tempore Ecclesia valde vacillaverit, atque ideò ad restabilienda & restauranda hæc fundamenta; ecce tibi sanguis Francisci stigmatibus insigniti, utpote qui non solum innumeris filiis suis ad tantam sanguinis effusionem futuram animum addidit, verùm etiam omnibus aliis qui omnibus post ipsum futuris sæculis, pro fidei tutamine & dilatatione vitam suam prodegisse leguntur. Apostolus de Christo ut capite Ecclesiæ tractans ait: Col. 1. 20. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. Et S. Bernardinus ait: *Qui erexit hominem lapsum, dedit* Ser. 23. c. 6. *stanti Angelo ne laberetur*. Quæ verba sancto Patriarchæ nostro accommodari posse videntur, siquidem ipse non solum *erexit Ecclesiam labentem* sed etiam *dedit stanti ne laberetur*, suam in hunc finem instituendo familiam religiosam, ut Ecclesiam Dei in finem usque sæculorum in fide & moribus sartam tectam conservet, totum id verò sanguinis Crucis suæ in acceptis referendum est; *Per sanguinem Crucis suæ pacificavit, sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt*.

3. Certum est quòd divina justitia in miserabili illo Francisci sæculo in procinctu fuerit, ut fulmina iræ suæ adversum Christianos vibraret, utpote qui paganorum instar vivebat, ut in Discursu primo superiùs diximus, neque vel minimum in iis pietatis aut fidei vestigium superat. Verùm enimverò in quemnam hæc fulmina tandem evibrata fuerunt? Aliud nihil ad id dicendum occurrit, præterquam quòd Franciscum toto corpore sanguine conspersum & cruentatum esse videam. Christus olim in monte Calvariæ vulnera accepit, ut nos ab illis accipiendis tueretur & subtraheret: *Propter scelus populi mei percussi eum*. Nunc verò ut illæsam sponsam suam, id est, Ecclesiam suam conservet, vult Redemptor noster ut servus ejus Franciscus hæc vulnera in se recipiat, ut per ea nos à comminatis suppliciis efficaciter eximat, ut vel sic de novo de Francisco tanquam similitudine Christi gloriari possimus, dicendo: *Cujus livore sanati sumus; vulneratus est propter iniquitates nostras*. Christi in terra Vicarius Gregorius IX. in quadam Bulla sua laudem Francisci ita scribit: *Abstulit arma, in quibus confidebat fortis armatus atrium suum custodiens & distribuit spolia, quæ tenebat*. Quid mirum igitur si in hoc conflictu tametsi victor evaserit, vulneratus fuerit? At verò verba sequentia bene velim observetis: *Ejusque captivitatem captivam reduxit in obsequium Christi*.

4 Ponderamus quæso textum quendam Exodi, in quo refertur, quòd Deus populum suum à compedibus servitutis liberare volens, Moyses opera uti voluerit, eique dixerit: Exo. 3. 12. *Ego ero tecum & hoc habebis signum cum eduxeris populum meum de Aegypto immolabis Deo super montem*. In miserabili illo Francisci sæculo populus Dei, id est, Christianismus ferè totus in servitute Pharaonis infernalis ingemiscebat. Electus igitur fuit S. Franciscus, qui velut alter quidam Moyses ab illius servitutis compedibus & vinculis, quibus populus Christianus tùm per hæreses, tùm per Imperatorum persecutiones, tum per Ecclesiasticorum pessimam & perditam vitam vinctus erat, eundem liberaret; ut autem id per eum efficaciter obtineret, ab ipso Nativitatis exordio cum Francisco in cunctis operibus illius se adfuturum promisit, *Ego ero tecum* imò veram sui effigiem ei voluit imprimere, *Hoc habebis signum*, utpote *habens signaculum*; *signasti Domine servum tuum*. *Immolabis Deo super montem*. Seipsum namque in monte Alverniæ, velut in sacrificium Deo obtulit, quando sacra stigmata accepit.

5 Adhæc præter ea quæ in duobus primis Discursibus diximus, in quodam calamitosi illius temporis quo S. Franciscus ad Ecclesiam suffulciendam electus fuit, probato Historico, tempus illud hisce coloribus adum- Ber. Gom. 1. 2. f. 26. bratum reperio: *Ea ætate qua Christianus populus, non tam spinosis heresibus, quàm densissimis superstitionum atque superbiæ & avaritiæ sentibus tantoperè squalebat ut Christiana Religio tum penitùs languescere, tum titulo ferè tenus coli videretur*, quibus verbis mira illius exulcerati temporis macula insinuatur, nec immerito, nam Fridericus II. antecessore suo longè deterior Imperator, implacabilis Honorii III. Gregorii IX. & Ale- Vvad. in ep. xandri IV. persecutor; *Favit Saracenis, spoliavit templa, persecutus est Ecclesiasticos & eorum caput Cardinales in vincula conjecit*: Unde facili conjectura, in quonam statu tunc Ecclesia ruinæ haud dubiè proxima substiterit, assequi possumus. Quemnam igitur Deus collabescenti huic insigni à Deo fundato ædificio Athlantem elegit? Num fortè gigantem aliquem ferro aut chalybe egregiè munitum? Minimè gentium; quin potiùs ad sustinendam hanc adeò arduam molem virum quendam elegit pauperem, nudipedem, exsanguem, extenuatum, qui è quintuplici corporis sui ore sanguinem copiosè evomeret, & manaret. Itane? Ergone hic adeò periclitantis Ecclesiæ Athlas erit? hunc in illius ruinarum suffulcientem elegit columnam? Imo verò. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc*. Nec est quòd id admiremini, siquidem hactenus ante ipsum sanguis Apostolorum, sanguis & vulnera Martyrum eandem sustinuerant atque plantaverant Ecclesiam.

6 Spiritus sanctus in Apocalypsi dicit: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*; Apoc. 3. Quisnam autem victor ille fuerit, attestante Cathedra Petri, id est, Gregorio IX. jam antea audivimus, nimirum Seraphicus Franciscus, & consequenter is est quem in columnam templi facere decreverat. Et ideò Innocentius III. illum viderat instar columnæ & immobilis fulcri Ecclesiam & templum Lateranense sustentantem. Notandum verò est, quod idem Spiritus sanctus paulò post adjungit: *Et scribam super eum nomen meum novum*. Quodnam enim est nomen illud novum, quod huic columnæ se inscripturum esse pollicetur? B. Laurentius Justinianus de triumphali Christi agone ait: *Triumphale hoc nomen in carne sua sanguine suo descriptum*; id quod de Christo quidem dicit, nos verò de S. Francisco asserere possumus, nomen illud novum esse stigmata vulnerum passi Redemptoris, quæ veluti trophæa quædam & victorias denotabant, quas de omnibus Ecclesiæ inimicis reportaturus erat: In cujus signum ab ipso Nativitatis suæ exordio Vvad. l. de script. ord. min. f. 12. *Factus fuit principatus super humerum ejus*; siquidem ut in vitæ ejus historia scribitur: *In stabulo natus, impressus per Angelum Crucis signo in humero dextro, ita facto principatu ejus super humerum ejus, Christi Domini vitam, mansuetudinem, paupertatem ardenter æmulatus*. Quæ virtutes in eum & filios spirituales illius transfusæ, & ab iis imitatæ, Ecclesiam sustinuerunt. Verùm enimverò quodnam in eo latet mysterium, quòd stigmata illa à Seraphino quodam impressa fuerunt, qui juxta valde probatas & authenticas opiniones nemo fuit alius, quàm S. Michael Archangelus. Et quidem quis est qui hunc Angelum supremum Ecclesiæ Principem ac defensorem esse ignoret: Merito igitur idem Archangelus, qui Ecclesiam ruinæ proximam esse videbat, ex altera verò parte eundem per accepta in sacro corpore suo vulnerum stigmata illa impressit, & nemo alius: *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc*.

7 Nulli dubium est, quin S. Joannes in Apocalypsi multos futuros Ecclesiæ eventus atque progressus. Et quidem in illa verba: *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei vivi*; Apoc. 10. 6 communissima est Expositorum interpretatio illa de stigmatibus à Seraphino impressis intelligenda esse. Atque ideò, ni fallor, in ipso quoque alia quædam visio adimpletur, hisce verbis descripta: *Vidi Angelum descendentem de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam manu sua*. Quidnam enim Angelum illum hac catena facere voluisse existimatis? *Apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Sathanas, & ligavit eum*. Quisnam autem hic alius Angelorum esse potuit, præterquam sæpè dictus Assisinas Angelus. Id quod faciliùs quisque sibi ea verbis Gregorii IX. Par. 1. t. 6. & S. Antonini in expositione Cap. 18. Apocalypseos persuadere poterit, quæ sunt sequentia: *Vidi Angelum scilicet Innocentium Papam, descendentem de cælo, id est, de Cathedra Pontificali, condescendentem Sanctis Dominico & Francisco habentem clavem abyssi, id est, potestatem approbandi dictos ordines, ad reprimendam potestatem Dæmonum & catenam magnam, id est, fratrum dictorum ordinum multitudinem; Et apprehendet*

draco-

draconem, quia per eorum doctrinam & vitam potestas Diaboli est repressa, & reprimetur usque ad tempora Antichristi. Quanto igitur Franciscus rationabilius gloriari poterat, quàm Paulus Apostolus, juxta id quod Chrysostomus de eo scribit: *Non minus plagis suis gaudent, quàm regiis triumphis?* Francisci etenim stigmata vulnera pariter & triumphi fuerunt.

8. Legatur hujus sancti Patriarchæ vita, & invenietur quòd ex ore ejus visa fuerit egrediens Crux quædam aurea, cujus altitudo cœlos tangebat, brachia verò ad usque ultimos terræ fines extendebantur, suaque luce horribilem quendam draconem agebat in fugam; Per quam visionem denotabatur, quòd post impressam Francisco Crucem & patibulum Redemptoris, in toto Christianismo miris incrementis augenda esset sanctitatis ejus æstimatio, magisque solidanda ejus religio, quam eo præcipuè fine fundarat, ut in Fidei & Ecclesiæ defensionem inexpugnabile esset propugnaculum; quæ etiam ab ipso fundationis momento usque in tempus præsens, ad Medos, Persas, Tartaros, in Armeniam, Asiam, & Indias utrasque Occidentalem & Orientalem usque per mira incrementa extenditur.

9. Memini me legisse quòd cum vexillifero cuidam exercitu in acie stante & ad prælium ineundum accincto, hastile, quo vexillum sustinetur, constractum deficeret, Marchio de Piscara signifero illi præceperit, ut vexillo se toto corpore obvolutum accingeret, ut sic in cohorte sua & hastilis pariter & vexilli loco deserviret. Porrò hastile Crucis & vexillum Passionis Redemptoris miserabili Francisci sæculo veluti constracta & perdita ab hominum memoria defecerat *Frigescente mundo*, inquit Ecclesia, adeoque Christianos illius sæculi jure quis appellare potuisset: *Inimicos Crucis Christi*; siquidem unusquisque Crucem fugiebat, id est, quilibet virtutes abhorrebat Christianas, maximè verò humilitatem, paupertatem, mortificationem & contemptum mundi; Quapropter Christus Francisco dixisse videtur: Esto evanido mundo huic hastile pariter & vexillum, id est, Crux simul & crucifixus, explica in corpore tuo victoriosum illud quinque vulnerum meorum vexillum, ut eodem tartareum hostem, qui obstinatum Ecclesiæ meæ bellum movet, configere possis, siquidem *Portæ inferi jam prævalent adversus eam*. Alexander IV. in Bulla sua ait: *Extremo jam instante sæculi senescentis interitu, ostendit excessus Regis militem regiis militaribus insignitum.* Moxque subjungit quo fine illum quinque illis militaribus insigniis nobilitarit, dum inquit: *Ut Regis aciem jam jacentem, jamque ab hostibus fugientem defenderet.*

10. Dic sodes, quonam modo David populum Israelis, à quo non procul aberat, quin fastus Goliathici mancipium fieret, defendit? *Tulit quinque lapides de torrente.* Porrò per torrentem Passio Redemptoris exprimitur. *De torrente in via bibet* quinque autem de torrente sublati lapides sacratissima quinque vulnera præfigurant. Hisce igitur munitus Franciscus Goliathum infernalem, in Christianitatis perniciem armatum generosè prostravit. Hinc est quòd nomen illud quo Gregorius IX. inimicos eo tempore Ecclesiam infestantes compellavit, quando illos Philisthæorum nomine insignivit, mysticum fuerit, dum Franciscum velut alterum quendam Davidem cum illis configentem repræsentet. S. Bernardinus ad Seraphicum Patrem suum de Christo dicit: *Ponendo in illo lapides pretiosos per quos Goliath fuit occisus, misit eos*, id est, lapides, *in peram pastoralem*, quia eosdem velut pretiosum donum quoddam posuit in hominem quendam conditione & natalibus suis vilem & abjectum: *Occisus & expulsus à mundo est Diabolus infernalis; Et sciendum, quod quidam socius S. Francisci habuit revelationem, quòd erant discatenata sexaginta Dæmonum millia.*

1.Reg. 17. 24.

Tom.4.ser. 10.

Num. 14.

11. Aretius ritum quendam memorat, cujus in libro Numerorum fit mentio; siquidem Deus ibidem præcipit, ut pro leproso duæ offerantur aviculæ, quarum una occideretur, alia verò libera dimitteretur, sed quinque sanguinis notulis signata. Sunt autem nonnulli qui scribunt, traditionem esse apud Hebræos quinque illa signa ita distributa fuisse, ut duo illorum in alis, duo verò alia in pedibus, & unum in pectore fuerint impressa. Porrò aviculæ quæ ad leprosum mundandum occidebatur, Christi figura erat, qui ut Gregorius scribit est avis illa, de qua Job loquitur, dum ait: *Semitam ignoravit avis.* Hic Christus velut avis quædam in remedium lepræ, qua genus humanum infectum erat, in altari Crucis sacrificatus & occisus fuit; alia verò avicula quinque signis notata, fuit Franciscus quinque stigmatibus insignitus: Ex quo enim in potiori parte fidelium memoria Passionis & mortis Redemptoris nostri totaliter obliterata erat, providentia divina ita disposuit, ut Franciscus hoc modo vulneratus & cruentatus, velut alter quidam adhuc vivens & spirans crucifixus per mundum circuiret ad resuscitandam in animalibus fidelium Christi sanguine redemptis, adeò immensi beneficii memoriam, hacque ratione in uniuscujusque hominis corde flammam excitaret charitatis & amoris erga Deum, omnisque via detruncaretur abusibus, scandalis, vitiis, cunctisque aliis excessibus, quibus Ecclesia eo tempore pessum ibat: *Ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Francisci sacra stigmata renovasti.*

Mansi Prompt.

13. Exercitus qui tunc civitatem Dei, id est, Ecclesiam ejus, tenebant omni ex parte graviter obsessam, eique interitum minitabantur & ruinam, peccata erant fidelium, paganorum & infidelium moribus viventium; Deus autem armatos hosce Dæmonis exercitus per Franciscum sacris vulneribus suis cruentatum dissipari voluit, quod & factum est, siquidem memoriam Passionis Christi in fidelium mentibus renovando, suam de mundo & inferno gloriosam reportavit victoriam; Nam ut Origenes optimè scribit: *Certum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur non potest regnare peccatum: est enim tanta vis Crucis Christi ut si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continuo ad ejus præsentiam, totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.* Strenuè autem Franciscus injunctum sibi implevit officium; Quòd si enim Deus ut ostenderet se nullo unquam tempore Ecclesiæ suæ depositurum memoriam, dicit eidem: *In manibus meis descripsi te*, cur non idem dicere poterit Franciscus in manibus suis stigmatibus signatus? S. Epiphanius ait: *An illa Ecclesia, quæ tales habet promissiones, quam Christus appellat totam pulchram, & cognatam sibi, quam Christus scripsit in manibus suis, ab hostili Dæmonum potestate in prædam rapitur?* Audite quid Oleaster in illum Isajæ textum. *Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram me semper*, dicat: *Id est*, inquit, *Non timeas ô Ecclesia mea oblivionem, quoniam tam tui memor sum, quam si te sculptam literis in volis meis haberem.* Eodem prorsus modo igitur Franciscus Ecclesiæ Christi nunquam non recordari poterat, quando quidem viva ejusdem memoria manibus suis impressa erat. Hugo Cardinalis ad id clarius explicandum similitudinem adfert unius, qui ut rei alicujus magni momenti recordari possit, signum quoddam sibi continuò ob oculos ponit *Ita Dominus fecit* (possunt autem verba hæc etiam applicari S. Francisco) *ipse enim voluit perforari manus suas, & nodos sive cicatrices vulnerum in propria corrigia, sive in propria cute suarum manuum & pedum, ut memoriale nostri coram Patre*, Author quidam qui dicta & facta memorabilia hujus sancti recensuit, ita de eo scribit: *O felicem servum, cui tradidit Dominus quinque talenta ut quibus ille perditum reparavit mundum, hic labentem repararet Ecclesiam.*

Isa. 49. 16

To.2. concil. Syn. Nicæ. act. 6.

Marc. Marulus lib. c. 4.

De Cruce in qua S. Franciscus Crucifixus fuit.

DISCURSUS DUODECIMUS.

Christo confixus sum Cruci. Ad Gala. v. 9.

1 SAnctus Franciscus cum potiori jure, quam Doctor Gentium dicere potuit: *Christo confixus sum Cruci*: siquidem qui illum super montem non Calvariæ, sed Alvernæ, per accepta in corpore suo quinq; sacratissima Redemptoris vulnera crucifixum esse conspicit; nec tamen Crucem aut truncum, cui sit affixus, videt, perspicuè satis videbit, Crucem illam cui affixus fuit, non esse aliam, quam ipsummet Christum. Enimverò cum securior sacræ Scripturæ intelligentia per interpretum expositiones investigari soleat, varios obsecro hujus tex-

us sensus in favorem nostrum examinemus.

2. *Christo confixus sum Cruci.* Hugo Cardinalis circa illa verba ait: *Quidam crucifiguntur in Cruce Christi, scilicet qui moriuntur in mundo propter Deum, & illi sunt Crucifixi Christo.* Quinam autem mundo magis mortuus fuit, quam Franciscus, siquidem ad honores, applausus, voluptates, & divitias, omniaque alia, quæ nobis dare potest propitius & favorabilis mundus, omnino insensibilis fuit? veritas igitur est quod Franciscus *Crucifixus fuit non in Cruce Christi* sed super ipsummet Christum, idque prærogativa quadam hactenus per omnia retro sæcula quæcunque inaudita, quia mundo summè mortuus, & Apostolicæ cujusdam paupertatis in gradu heroico ditissimus fuit.

3. Felicissimus quidem fuit Simon ille Cyrenæus, qui dignus judicatus fuit ut suos patibulo Redemptoris humeros supponeret, quando Christus totus exsanguis Crucem suam portans Calvarium montem ascendit. Verumtamen observandum est Crucem eo tempore in tanto pretio nondum fuisse, quo nunc est, eo quod super ipsa nondum exsolutus esset humanæ redemptionis thesaurus, neque etiamnum per divinorum illorum membrorum contactum, & pretiosissimi sanguinis sui effusionem esset sanctificata, ut nunc est. Unde S. Andreas dicebat: *Decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti*; tamen hoc non obstante dubitandum non est, quia ingens ille Simonis Cyrenæi honor & singularissimum nullique aliorum concessum privilegium fuerit, Crucem illam sanctissimam unà cum Christo Redemptore nostro portare. Verùm dicet fortasse nonnemo, cur non potius Nicodemum, aut Josephum ab Arimathæa, vel quemvis alium discipulum hoc fuit honore dignatus? neque enim dubium est, quin unusquisque illorum suos huic Cruci humeros submittere ambiverit. Vel quid speciale Cyrenæus iste promeruit, ut hoc patibulo honoraretur? observandum est igitur pro hujus quæstionis resolutione quod Evangelista vocet Simeonem illum, *venientem de villa.* Ubi Theophylactus ait: *Ille potest subditus fieri Jesu & tollere Crucem suam, qui virtutis operarius est, qui venit à villa relinquens mundum & ea quæ sunt in mundo:* Ecce tibi igitur præcipuam rationem, cur Crux illa Christi, non solum ad imitationem aliorum sanctorum in anima Seraphici Patris, sed etiam hactenus in præsens usque tempus inaudito exemplo in corpus ejusdem impressa fuerit, quia nimirum Mundum adeo generosè & perfectè deseruit, adeoque in persona sua ad unguem, ut dici solet, adimplevit, quod olim S. Maximus scribebat, dum ait: *Christianus qui mundum non possidet, totum possidet Salvatorem.* O quanta cum consolatione Salvianus, qui tantus felicium progressuum Ecclesiæ, exemplaritatis, & reformationis Ecclesiasticorum zelator fuit, quanta, inquam, cum consolatione Franciscum Ecclesiæ columnam & fulcrum, velut vivam quandam Crucifixi imaginem, spirantemque effigiem veneraturus fuisset! Audite enim quid suo tempore scribat: *De illis qui expediti omnibus, aut pene omnibus sarcinis Salvatoris viam sequuntur, & Dominum Jesum Christum non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit: Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus; hos enim ego omnes non aliter quam imitatores Christi honoro, non aliter quam Christi imagines colo.* Etenim de Francisco duntaxat, & de nullo alio ad literam verificatur, quod sit hoc modo incisa & impressa Christi imago.

Luc. 23. 26.

Hom.

Jud. lib. 2. Eccl. Cath.

4. *Christo confixus sum Cruci.* Angelicus Doctor existimat Apostolum hoc loquendi modo dicere voluisse, quod in virtute mortis & Passionis Christi sibi vivaciter impressæ mortuus & extinctus sit fomes peccati, *id est, concupiscentia seu fomes peccati, & omne hujusmodi mortuum est in me per Crucem Christi*, id quod in Christo evidenter verum esse convincitur, prouti ex verbis sancti Bonaventuræ in principio lectionis matutinalis hujus festi manifeste deduci potest. ubi Seraphicus Patriarcha specioso hoc titulo *Novus homo* condecoratur, ad indicandam summam ejus innocentiam, siquidem quantum ex probationibus & testimoniis maximè veridicis, tametsi humanis colligi potest, tanquam certum & indubitatum esse censetur, ipsum nunquam graviter peccasse, adeo ut sine ullo dubio de numero illorum censeri debeat, qui sanctè gloriari possunt: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati* etenim verè in ipso vetus homo extinctus est, novumque prorsus in innocentia hominem tunc vel maximè se esse probavit, quando coram Episcopo Assisinate, mundo per illam suam nuditatem renuntiavit, crucem super se sumendo, historia namque vitæ ejus de eo refert, saccum illum quo fuit indutus in Crucis formam factum fuisse, adeo ut in veritate de peccato dicere possit: *Mortuum est in me per crucem Christi.*

Rom. 6. 6.

5. Magnus ille spiritualis vitæ Magister Taulerus ex una parte Christum in patibulo crucis nudum pendentem considerans, ex alia vero parte oculum suum ad veterem hominem, id est Adamum pro eo tempore extendens quo post transgressionem ad tegendam nuditatem suam accurrit, ait: *Ob amissam innocentiam tegere se, & vestibus operire festinavit; Christus vero nudatus est, eo quod integram & illæsam conservaret innocentiæ puritatem, nec ullo ei alio tegmine opus erat.* Qua consideratione supposita quærendum venit, quid in eo mysterii lateat, quod Franciscus Crucem Christi amplexaturus coram Episcopo Assisinate nudatus fuerit, nisi ut per hoc immaculata ejus puritas & innocentia denotaretur? *Nudatus est eo quod integram & illæsam conservaret innocentiæ puritatem.* Cùm veritate igitur dicat: *Christo confixus sum Cruci*, idque tanto magis, quod glossa super eundem textum dicat, id est, *Crux Christi extinguit in me ardorem peccati.*

Cap. 33. exerc. vitæ Christi.

6. *Christo confixus sum Cruci. Id est*, ait Dionysius Carthusianus, *clavis amoris & piæ compassionis, ac cruciformis imitationis*: quibus verbis sancti Patriarchæ nostri stigmata vivacius exprimere non poterat, nam clavi manus pedesque ejus transfixerunt, & lancea quæ ejus penetravit pectus ejus erga Christi mortem & Crucem ardentissimum, seu excessiva erga passionem Christi compassio fuit. Unde S. Bonaventura ait: *Dum Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum.*

7. Alter vero Dionysius in lib. de divinis nominibus dicit, quod *Amor est virtus faciens unionem*, & observat quod quando Apostolus dicit: *Christo confixus sum Cruci*, nihil aliud dicere voluerit quam quod fervidus amor ejus ipsum cum Christo confixisset & univisset in Cruce: *Cum divino amore flagraret excessivè, illius virtutis particeps factus, vivo, inquit, jam non ego, vivit in me Christus.* Verè Franciscus dicere potuit, quod non amplius ipse viveret, sed potius Christus crucifixus in ipso, quia post aperta in carne ejus quinque vulnera lethalia, quorum dolore animam naturaliter exhalare debuisset, adhuc tamen duos solidos annos supervixit, adeoque alia quam Christi vita vivere non poterat, qui corpori ejus revera impressus erat. *Posuit se, ut signaculum super cor suum*, ut hac ratione intelligeretur, quod cum vita hominis in corde consistat, in illud ipsum sese impresserit Christus ad hoc ipsemet vitam Francisco daret, aut vita Francisci esset.

Cap. 4.

8. In Chrysologo scriptum reperio, licèt ad aliud propositum: *Clavi isti non mihi infigunt altius charitatem: Vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt.* Hoc autem modo se res in nostro Patriarcha crucifixo minimè habebat, quia tametsi vulnera hæc ab amore divino veluti carnifice inflicta fuerint, attamen dolores & spasmos ei acerbissimos conciliabant, adeo ut dici potuerit veraciter: *Pœna interroget si quis veraciter amet*; & in tantum non moriebatur, in quantum verè asserere poterat, *vivit in me Christus*, vel etiam quia *fortis est ut mors dilectio.* S. Bernardinus testimonio S. Bonaventuræ utens ait: *Christus Jesus crucifixus intra mentis beati Francisci ubera, ut myrrhæ fasciculus mirabiliter atque jugiter morabatur, in quem optabat per excessivum amoris incendium totaliter transformari.*

Ser. 108.

Serm. 60. a. 1. c. 2.

9. *Christo confixus sum Cruci, clavis piæ compassionis, per compassionem*, ut declarat Lyranus. In hoc autem casu nostro hæc militat differentia, quod in Paulo hæc crucifixio spiritualis fuerit, utpote in animam ejus duntaxat transfusa: at vero in Francisco confixio illa & corpori simul & animæ impressa fuit, & merito, quia in eminentiori compassionis gradu compassus fuit Christo patienti & tormentis subjecto, quam sibi quisquam imaginare posset. Unde sicut S. Bernardus ait: *Volve & revolve vitam boni Jesu, & non invenies eum nisi in Cruce*, ita quoque de S. Francisco dicere possum: volvite

Serm. 3. de Pass.

vite & iterum susque deque vitam Francisci revolvite, numcrate annos, menses, septimanas, dies, horas, & momenta, ipsum in Cruce semper cum Christo invenieris. In principio conversionis ejus, *apparuit ei Christus Jesus, veluti cruci adfixus ad cujus conspectum liquefacta est anima ejus, & memoria Passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus est,* Titel *ut ab illa hora cum Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset à lachrymis & gemitibus exterius contineri.* Lectiones quoque hodiernæ claré hae de re loquuntur, dum in iis ita legitur *ut affectus compassiva teneritudine in eum conformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit.*

10 *Christo confixus sum Cruci, clavis scilicet cruciformis imitationis.* Nullus etenim Redemptoris crucifixionem vivacius imitatus est Francisco. Nonnemo filiorum suorum super hunc Apostoli textum, quamvis de S. Paulo loqui intendat, ita tamen præclaré in laudem magni sui Patris locutus est, ut nullus unquam id melius præstiterit Ita enim textum hunc legit: *Cum Christo sum concrucifixus, configuratus similitudini mortis ejus.* Seraphicus enim hie Pater per stigmata sua adeo Christo similis fuit, ut forte oculo corporali unum ab alio discernere vix posses. In oratione de sacris stigmatibus hæc verba legimus: *Domine Jesu Christe, qui in carne Beatissimi Francisci passionis tua sacra stigmata renovasti,* adeoque eademmet vulnera & plagas suas in carne & corpore servi sui renovavit, ideoque ipsemet eum crucifixisse dicitur.

11 Verum enimverò, quænam in sublimi illo Alverniç monte arbor ad eum usque ad honorem evecta fuit, ut veluti truncus aut patibulum fieret in quo Franciscus crucifigeretur? quodnam arbustum inter omnia cœlestis ille artifex, qui quondam Josephi, id est, fabri filius reputatus fuit, in finem Franciscum crucifigendi sibi elegit? certum est quod manibus Christi Franciscum sibi velut cruci affigentis lignum fuisse legatur, & tamen S. Bonaventura dicit quod Franciscus *descenderit de monte secum ferens crucifixi effigiem.* Unde aliud Lorin. l. 7. in Matth. c. 23. Julius Firm. concludi nequit, quam quod Christus ipsemet Franciscus truncus & patibulum esse voluerit, in quo crucifigeretur, ut dicere posset: *Chisto confixus sum cruci.* Unde S. Bonaventura ait: *Illi apparere debuit veluti cruci affixus, ut apertè innueretur, quod non cœlestis spiritus illa stigmata imprimebat, sed ille qui pro nostra salute crucifixus est.* Christus non tam super sacratissima sua humanitate crucifixus fuit, quæ ipsi jam inde ab utero virginali matris patibulum extitit; unde dicit: *In laboribus à juventute mea* vel ut alii legunt, *agonizans, moribundus à puero.* S. Paschasius super illa verba: *Nonne hic est faber,* dicit, illos qui hæc verba dicebant verum dixisse: *Fabricator enim est orbis, per quem facta sunt omnia.* At vero alius quidam author verba illa: *Cornua in manibus ejus ponderans dicit: sed magis elucet, quoniam seipsum crucem fabricavit.* Etenim sapientia & omnipotentia filii Dei non solum in eo eluxit, quod mundum fabricaverit, sed etiam in eo, quod ex semetipso crucem quandam seu patibulum fabricarit. Quæ cum ita se habeant, nunquid S. Bonaventura justam causam habuit cœlum simul & terram invitandi ad obstupescendum, nec non ad intuendum innusitatum hocce spectaculum? *Novo.* inquit, *& stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio retro actis saculis non concesso insignitus apparuit, sacris* In Ps. 4. Pœn. *videlicet stigmatibus decoratus.* Sanctus Gregorius responsum quod Christus Petro ab urbe Romana fugienti reddidit, nimirum: *Vado Romam iterum crucifigi,* considerans ait: *qui in seipso jam pridem crucifixus fuerat, in Petro se iterum crucifigi dicebat.* Nos vero in præsenti ad propositum nostrum dicemus: *Franciscus in Christo crucifigendus erat,* quia enim pro eo tempore quo Seraphicus Pater dicit: *Christo confixus sum cruci,* nulla reperitur crux aut lignum in quod configeretur, & tamen Christo confixus est, consequens est quod Christus ipsemet truncus crucis fuerit, in quo crucifixus est S. Franciscus.

De nonnullis mysteriis ob quæ Christus stigmata sua S. Francisco impressurus Seraphini cujusdam similitudinem induit.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Et volavit ad me unus de Seraphim. Isaiæ 6. vers. 6.

1 ISaias Propheta tametsi à longinquo, claré tamen omnes novæ legis gratiæ eventus prædixit, atque exinde forsitan per antonomasiam Prophetæ Evangelici nomen sortitus est, unde credibile est novum hoc stigmatum S. Francisci mysterium ei revelavit tunc præcipue Deus per os ejus hac de re locutus quando dixit: *Et volavit ad me unus de Seraphim* siquidem *in latere montis orans, vidit quasi effigiem unius Seraphim sex alas tam fulgidas quam ignitas habentem de cœlorum sublimitate descendere, qui volatu celerrimo ad aeris locum viro Dei propinquum perveniens, non solum alatus, sed & crucifixus apparuit.* Porrò S. Bernardinus ex iis my- Ser. 69. a. 2. steriis ob quæ Redemptor noster sacra stigmata Francisco impressurus crucifixi Seraphici effigiem assumere voluerit, unum nobis egregiè exponit, dicens: *Quia totus ardor Spiritus sancti in aeternum diffundendus in humanam Naturam, de ardore Crucis, & de immensurabilis Christi amaris plagis originem habet; ideo inter alas splendidas & ignitas istius Seraphini Christi crucifixio ostensa est.* Etenim totum illud incendium, quod in corde Francisci erga Deum exarsit, vereque immensum fuit, suum à vivacissima erga Domini Passionem compassione augmentum habuit.

2 Apostolus ad Philippenses ait: *Salvatorem expe-* Phil. 3. 11. *ctamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostra, configuratum corpori claritatis sua;* quod quidem privilegium Sanctus Franciscus à Salvatore anticipatè accepit; siquidem *reformavit corpus ejus,* quando ei tanto lumine coruscus appropians vulnera impressit; *configuratum corpori claritatis sua,* siquidem Christi crucifixi effigiem eidem impressit.

3 Angelicus Doctor illis verbis: *Christo confixus sum Cruci,* explicationem quandam adhibet proposito nostro valde congruam & opportunam, dum ait: *Quia amor Christi quem ostendit mihi in Cruce moriens pro me, fecit ut semper ei configar.* Ac proinde eum terrestris hic noster Seraphim amorem illum semper profundissimè meditatus fuerit, quo Christus per motus suis ut in Crucem pro ipso configeretur, idemque amor ipsum Christo semper confixum esse fecerit, facilè conjici poterit, quoties Seraphica charitate accensus in illos S. Ignatii Martyris affectus proruperit, dicendo; *A-* Art. 2. c. 5. *mor meus crucifixus est. Nec tantum in specie Seraphica* (inquit S. Bernardinus) *illi apparere debuit, sed veluti Cruci affixus ut apertè innueretur quod non cœlestis spiritus illa stigmata imprimebat, sed ille qui pro nostra salute crucifixus est atque ex Seraphico ardore cordis ejus Christum in crucifixi similitudinem transformabat.* Hu- Lib. 2. de ter. anima. go de S. Victore ait: *Scio anima mea, ut dum alium diligis, in ejus similitudinem transformaris,* quod cum eo consentit, quod S. Augustinus scribit, nimirum: *Si terram amus terra es, cœlum amus? cœlum es.* Franciscus omnem amorem suum in Christum amore ipsius crucifixum dirigebat, atque ideo ecce tibi illum in vivum quendam & spirantem crucifixum transformatum. Unde S. Bernardinus ait: *In fornace corporis B. Fran-* To. 4. ser. 3. c. 3. *cisci ille divinus amor ardens vaporavit, recipiendo stigmata conformia sui incendii amoris Christi:* Audite Idiotam de Christo vulnerato ita scribentem: *Pra nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribueret cor suum; sibi enim voluit manus & pedes perforari, ut cum ad ipsum perveneris sic tua manus intrent in suas, & pedes tui in suos ut sibi inseparabiliter jungaris.* Enimverò totum hoc in S. Francisco adimpletum fuit, quando divinus ille Seraphinus cum Seraphico Patriarcha nostro sese astringendo cum eo unitus fuit, imprimendo vulnera sua pedum pedibus, manuum manibus, & pectoris pectori. Vide autem quisnam carnifex eum hoc modo vulneravit, hic enim bisce verbis, *pra nimio amore* sufficienter innuitur. Porrò ipse Seraphicus Pater vulnera hæc, qui amo-

amoris vulnera sunt, libentissimè & summo cum gaudio recepit, licet dolore suo non caruerint. Sufficiat vobis id quod Chrysologus de Francisco (licet ad aliud propositum loquendo) dicit: *Dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, & gremium pandit*, nimirum quando Seraphicum illum & divinum sagittarium ad eum vulnerandum appropinquare vidit.

4 Christus qui Franciscum amabat, eum sibi similem facere volebat, similitudo autem est effectiva amoris, atque iden in Seraphini specie illi apparuit. *Primus animi ad divina motus*, inquit Areopagita, *Dei dilectio est, sacratissima prorsus & ineffabilis operatio, qua divinus in nobis statu efficitur*. De hoc autem amore dici nequit, qualis flamma ejus fuerit, qui in corde illo Seraphico ardebat. Dum aliquando nescitis qua infirmitate correptus fuisset in oculo; sectionem quandam ignito ferro ab aure ad supercilium oculorum usque producendam à Chirurgo præscriptam haud gravate admisit, licet ferrum illud carni suæ impressum adeo candens fuerit, ut crepitare videretur, unde S. Bonaventura ait: *In tenera carne, & ab aure usque ad supercilium sectione protracta*, quin potius sectione superata nonnihil ad fratres suos conversus disit: *Laudate, Laudate Altissimum, quia ut verum fatear, nec ignis ardor molestiam intulit, nec carnis me dolor afflixit*. Scitisne hujus mirabilis Apathiæ & insensibilitatis causam? nimirum quia *Segnior fuit ignis qui foris ussit, quam qui intus accendit*; prouti olim de S. Laurentio Leo Papa dixit.

De Eec. Hierarch. c. 3.

5 Deus Opt. Max. in Proverbiis inquit: *Prabe fili mi cor tuum mihi*. Et in sacris Canticis pariter dicit: *Pone me ut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum*; quibus verbis demonstrare intendit, quantum à nobis amari, nostraque corda sua in sua manu & potestate habere desideret. Enimvero quod Franciscum attinet, qui in Divino amore vere Seraphicus fuit, certum est, quod cor Dei, qui *charitas est*, intimè se univerit Francisco, siquidem sinu & pectore suo se illi adstrinxit, dum illum in semetipso crucifigendo vulneravit; ideoque non sufficit Deo quod illi dicat: *Pone me ut signaculum super cor suum, & super brachium tuum*; siquidem amore hujus servi sui totaliter raptus de cœlo descendit, ut se instar sigilli non solum cordi, manibus, pedibus, quin etiam toti Francisci corpori imprimat, à capite ad pedes usque se eidem astringendo. Sanctus quidem Augustinus optimè dicit: *Toto nobis figatur in corde, qui pro nobis fixus est in Cruce*: hic autem *fuit in toto corpore Francisci, & fixus in cruce*, ideoque in veritate dicere potuit: *Christo confixus sum cruci*.

Prov. 23. 26. Cant. 8. 6.

6 Salvator noster Seraphicum Patriarcham nostrum stigmatibus sacris signaturus de cœlis in Alverniæ montem quidem descendit, sed in qua forma, specie, aut habitu id ipsum fecisse existimas? non alio quam Seraphini. Sed dices forsasse nunquid de Christo scribitur, quod omnes Cherubinorum pennas longè transcendat? *Ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum*. Responden igitur neminem inficiari posse, quin id sit verissimum, pro hac tamen vice, quando se Francisco, qui Seraphinus quidam erat, exhibuit, Seraphini quoque speciem assumere voluit, idque tanto convenientius, quia cùm vulnera Francisco imprimenda, vulnera futura fuerint Seraphici amoris, ab alio quam à Seraphino corpori Francisci imprimi nequaquam debebant; cum enim vulnera adeo nobilia & super excellentia imprimenda essent, justum erat ut ad id muneris nobilissimus totius Empyrei Angelus adhiberetur, id est, à Seraphino; nam Seraphim idem est, quod *ardens, incensus amore*.

Psal. 17. 11.

7 Alexander IV. in Bulla ait: *O dilecti filii celebrem illum vernantis Alverniæ montem; in quo sublimatum corpus à sublimiori animo non dissensit, cum ibi nimius amor interius in mente fervens, intuitu Seraphini incalescens, incendii fervore prorupit exterius decorans corpus in Cruce splendidum suis margaritis*. S. Bernardinus, ut diximus, fornacis cujusdam similitudine utitur, qui ignem per varias aperturas evomit. *Fecit enim ille* (inquit de igne amoris S. Francisci) *ignis fenestras violentia sua: quia intra Francisci animam claudi non valebat: ideo penetravit & incendit carnem vicinam, ut demum cuncta mundi climata inflammaret; proinde quidam de illo sic ait: sic transformatur cor amantis, in id quod amatur, ut per membra foris virtus prorumpat amoris*.

Ann. 1230. n. 20.

8 Optimè huic loco servit fornax ille Babylonicus in quo tres illi pueri visi fuere, & inter ipsos alius quidam similis filio Dei; per quos nonnulli scriptores quatuor Mendicantium Religionum Patriarchas intellexerunt, qui in igne Babylonico, id est, in mundo, ad ejus conversionem commorantes, ab illius tamen flammis illæsi semper præservati fuerunt. Quis autem inter omnes illos Patriarchas est, qui similis sit filio Dei, præterquam Franciscus? *similis fuit Deo in filiis Dei*, & hæc quidem similitudo in acceptis in corpore sacris quinque stigmatibus consistit; & iden non est mirum quod S. Augustinus hæc vulnera tantopere ambiverit, dum ait: *Scribe Domine vulnera tua in corde meo pretioso sanguine tuo*; sed quo fine id sibi præstari petit: *Ut legam in eis amorem tuum, ad contemnendum pro te omnem amorem*. Hoc autem Seraphicus Pater noster abundè consecutus fuit; vulnera namque accepit non solum cordi, sed manibus quoque & pedibus impressa, idque ut duplicato orificio incendium illud evomeret ad mundum infidelitatis frigore & Redemptionis & Passionis Christi oblivione gelidum reaccendendum *Frigescente mundo, &c.*

9 Deus sanctæ Mechtildi aliquando dixit: *Quoties recordaris* (de vulneribus suis loquebatur) *toties jaculo amoris mei salubriter vulneraris*. Quid igitur de Francisco judicandum erit? qui à primo momento, quo coram Episcopo Assisinate sacco in Crucis formam concinnato indutus fuerat à vivacissima vulnerum illorum contemplatione cogitationes suas nunquam divertit? cum enim illa plusquam duobus solidis annis corpori suo impressa portarit, cogitate an non divini amoris actus ab eo eliciti infiniti fuerint, quibus ardentissimum cordis sui ignem quotidiè magis magisque accendit *Hoc sentiebat in se quod & in Christo Jesu*. Apostolus quidem aliis compassionem recommendando dicere potuit: *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo Jesu*, ita tamen ut hæc verba quoad ipsos alium sensum non facerent, quam ut idipsum sentirent mediantibus actibus amoris & doloris à potentiis animæ procedentibus: at vero Franciscus solus & unicus fuit, qui eosdem sensus doloris & passionis Christi crucifixi, per ipsos quoque corporis sensus experiretur. S. Ambrosius de bono latrone docet, quod quando hic Christum in cruce suspensum & sanguine ex innumeris corporis vulneribus copiosissimè manantem, & toto corpore cruentum conspexit, cor suum ad ardentissimos erga Christum patientem amoris actus eliciendos excitarit; dicitque: *Scivit quod illa in corpore Christi vulnera, non essent Christi vulnera, sed latronis, & ideo illum amare cœpit, postquam in corpore ejus sua vulnera recognovit*. Veruntamen audite qualiter sententia hæc Ambrosiana ad nostrum propositum adaptari possit, primis duntaxat sententiæ illius verbis nonnihil immutatis; dicendo: *Scivit, quod illa in corpore suo vulnera non essent Christi*; siquidem Christus ipsissima vulnera sua ipsi communicarat, ex quibus veluti ex totidem divini amoris sagittis ad eum ardentius amandum vehementius accensus fuit, ut vel sic ardentissimo suo desiderio & devotione erga Christi Passionem adeo eximio sibi præstito favori grata mente corresponderet; *& ideo illum amare cœpit, plusquam, &c.* id est, tunc longè ardentius quam hactenus unquam ferventissimæ charitatis & amoris actus multiplicare cœpit, ut tanto vehementius universum Christianismum igne devotionis erga Christi passionem accenderet. Unde S. Bernardinus ait: *Quia mundus erat jam Passionis Christi oblitus, voluit transformari suam Passionem in Franciscum in carne humana, ut sua charitas demonstraretur mundo in corpore sancti Francisci renovata*. Mundus enim virum quendam inaudito, nec unquam alias a mille centum & amplius annis post Christi in Golgatha crucifixionem viso miraculo, ab ipsiusmet Redemptoris nostri manibus crucifixum, & duobus abundè annis continuis post accepta lethalia hæc vulnera viventem, Deumque toto cordis affectu tenerrimè amantem videns, quomodo ad hoc compassione dignissimum spectaculum ad amorem Christi & condignam erga passionem Christi devotionem non accendi potuit, glacie obstinationis & duritiei in peccatis suis totaliter resoluta.

Lib. 1. c. 19. revel.

Phil. 2. 5.

Ser. 55.

Ser. 16. art.

10 San-

(L. 2. c. 15. rev.) 10 Sanctæ Mechtildi olim mulierem quandam pulcherrimi aspectus visam fuisse in historiis traditur, quæ in manu pretiosum quendam habebat Adamantem, quocum cor Christi per vulnus lateris, Christi sanguine eundem humectando continuò tangebat. Sanctæ autem huic virgini revelatum fuit, Mulierem hanc Dei charitatem esse, cor vero dirum & obstinatum peccatoris significari per adamantem; *Et sicut Adamas absque sanguine scindi non potest, sic & Adæ culpa sine humilitate & sanguine Christi dissolvi non poterit.* (Cap. 1.) S. Bonaventura in libro qui dicitur stimulus divini amoris de Christi vulneribus ait: *O vulnera corda vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & pectora adamantina liquefacientia præ amore.* Ad dissolvendam igitur peccatorum illius sæculi glaciem, in quibus *abundabat iniquitas, & refrigescebat charitas.* Ecce tibi stigmata S. Francisci, siquidem hæc ei vulnera à Christo inflicta erant *Frigescente mundo ad inflammanda, &c.* Reverendissimus Episcopus Lucas Funden ait (L. 2. c. 55.): *Præ cæteris enim sanctis signis Passionis Dei & hominis anthonomasticè sublimatus, velut Sol meridianus torpentia corda hominum, calore fidei inflammavit signo passionis Christi; fide sensibili demonstravit, ne stigmata humana redemptionis vetustate de fidelium mentibus delerentur.*

(S. 60. c. 1. a. 2) 11 S. Bernardinus ad idipsum persuadendum illam Jacobi Historiam adducit dicens: *Oves quippe Jacob in aspectu virgarum varios fœtus parturierunt.* Quæ historia congruè sanè S. Francisco adaptatur, fidelibus namque Franciscum crucifixum videntibus, mirum dictu quam copiosa inde animarum ad pœnitentiam conversarum, debitoque mortem & Passionem Redemptoris amore prosequentium messis inde consecuta & collecta fuerit. (P. 3. hist. tit. 24. c. 1.) Et ideo S. Antoninus ait: *Quia videbatur extincta memoria Passionis Christi in mentibus hominum præ tepiditate eorum, voluit Dominus excitare & incalescere hanc recordationem, per impressionem manifestam cicatricum in corpore Francisci,*

12 Sancto & Seraphico Patri æterna ipsius prædestinatio infallibilis revelata fuisse fertur. Verum inquies quid hac revelatione opus erat, ex quo S. Leo Papa scribit: *Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis.* Quis autem inter cunctos mortales Passionis Christi copiosius Francisco particeps fuit.

Conferuntur ad invicem vulnera Christi & stigmata Francisci.

DISCURSUS DECIMUSQUARTUS.

Quid sunt plagæ istæ? Zachar. c. 13. v. 6.

1 DUm S. Franciscum in manibus, pedibus & latere vulneratum aspicio, intermittere nequeo quin ipsum interrogem: *Quid sunt plagæ istæ?* Num fortè livores sunt ex ciliciis pungentibus relicti, aut excavata per disciplinas ferreas vulnera? aut verò fortsitan hi cruenti carnis tuæ hiatus aperti fuere per barbarorum acinaces quibus, tu ipse, ac tandem per religiosos filios tuos sanctam annuntiasti fidem? Nequaquam, quin potius vulnera hæc etiam ab immanissimi fidei persecutoribus in honore & veneratione habita fuerunt. Num igitur feræ quæ in saltibus & densis Alverniæ sylvis circumvagantur, innocentissimo corpori tuo suos infixerunt dentes ad te devorandum? multò minus, siquidem hæ potius certatim inter se de obsequiis mihi exhibendis, deque præstanda mihi obedientia contendebant. A quonam igitur hæc tibi vulnera inflicta fuerunt? *Quid sunt plagæ istæ?* Audire mihi videor vocem respondentem mihi: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Septuaginta legunt: *In domo dilecti mei.* Et quidem si in qua domo vulneratus fuerit, scire desideratis, à dilecto Christi discipulo idipsum interrogetis (1 Jo. 4. 17.), hic etenim dicit: *Deus Charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ecce tibi mansionem seu habitaculum quod incolunt illi, qui ferventi Deum amore prosequuntur. S. Bernardinus ait (Ser. in cœna Dom.): *Charitas te domum Domini facit, & Dominum domum tibi.* Rupertus Abbas Tuitiensis super illum Zachariæ textum, seu ad interrogationem istam; *Quid plagæ istæ?* in persona Seraphici Patris respondet: Sunt *paternæ charitatis monumenta.* Verum enimvero quia tritum & vulgatum proverbium est, quòd *amor aut pares faciat, aut inveniat* examinandæ sunt similitudines & analogiæ, quæ intercedunt.

2 Filius Dei in cruentis illis vulnerum suorum ærariis thesauros prorsus inæstimabiles inclusos retinet. (Serm. de S. Th. Apost.) S. Thomas de Villa-Nova de S. Thoma Apostolo manus Christi pervestigante dicit: *In illo grandes thesauros reperis scrutando*, id est, in lateris hiulco & profundo vulnere S. Bernardinus simile quid de Francisci vulneribus dicit (To. 4. ser. 56.): *Thesaurum voluit innovare in corpore B. Francisci.* Alexander IV. de iisdem vulneribus loquens dicit (Vuad. ann. 1255. n. 5.): *Hæc igitur mira & decora nova demonstrationis indicia nova devotionis divisa sunt Christianis.*

3 S. Bonaventura vulnera redemptionis nostræ nominat *Fundamentum fidei*, & meritò, siquidem ubi vulgata in persona Redemptoris Ecclesiam suam alloquentis legit (s. p. stim. c. 6.): *In manibus meis descripsi te*, alii ex Hebræo legunt (Is. 49. 16.): *Fundamentalem tui constitutionem in manibus meis metatus sum.* Enimverò superius disertè demonstravimus (Vuad. 1230) Franciscum per hæc sacra stigmata sua, esse stabile quoddam Ecclesiæ & fidei nonnihil vacillantis fulcrum & fundamentum; & ideò ejus tumulo in honorem ipsius incisa fuerunt sequentia verba: *Christiani orbis fulcimenti, Ecclesiæ reparatoris.* Innocentius III. hoc de eo perhibet testimonium (Ann 1212. n. 33): *Qualiter Deus labentem mundum erigere & subnascentem mundum renovare per ipsa decreveris.*

4 S. Bernardinus de vulnere lateris S. Francisci ita scribit (Ser. 10.): *Illa plaga*, scilicet lateris Christi, *fuit aperta propter ferventem amorem, quasi inde fieret ignis in illa esca ardentis amoris, qui erat in fornace corporis sancti Francisci.* Hunc ignem Sanctus Franciscus per universum gelidum & præ frigore rigescentem mundum diffusurus erat. *Frigescente mundo ad inflammanda corda, &c.* Seraphicus hic Pater Domini sui æmulus futurus erat, qui de se contestatus fuerat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Franciscus autem dicere poterat (Colos. 1. 24.): *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in corpore meo*: at verò dicat aliquis, qua ratione id verum esse poterit? Nunquid enim Christi passio mille mundis redimendis sufficiens erat? cui respondeo verum id esse, at verò ingratum genus humanum passionem Domini oblivioni tradiderat, ideoque nihil ei prodesse poterat, unde dicebat (Ps. 73.): *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta.* Christus enim vulnera sua secum cœlo intulerat, & ideo Francisco eadem vulnera imprimendo, passionis suæ fructum in animabus fidelium fœcundum reddere volebat; siquidem mirum illud Francisci Christi vulneribus insigniti spectaculum videntes, quæ in mundo sunt animæ Christianæ, divini amoris igne exardescere cœperunt.

5 Quando Christus Apostolos suos ad prædicandum Evangelium per mundum dispersérat, *Ostendit eis manus & latus.* Similiter S. Ludgardi die quadam apparuit; vulneraque sua sanguinem copiosè manantia ei ostendens, ad animarum conversionem procurandam eam est cohortatus, hoc præcipuè motivum tangens: *Ne frustra sanguinem fuderim, & sine causa mortem perpessus sim.* Porrò Franciscus per hasce sanguinem continuò stillantes cicatrices, non tantùm unum mundum, sed plures convertit, siquidem Religiosi filii sui ad Antipodas & novum mundum usque penetrarunt, idque ex solo zeli & ardentissimi amoris motivo, qui ex vivis illis in corpore Francisci relictis charitatis fornacibus evaporabatur.

6 S. Augustinus de vulneribus Christi ita scribit (Ser. 4.): *Ut pellem vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus*, Enimverò Franciscus ab illo electus est, qui ait: *Pater meus Agricola est*, ut è sylvescente Ecclesiæ ipsius agro herbas noxias, vitiorum vepreta, & lolia scandalorum eradicaret, quem etiam finem feliciter est assecutus. Unde Christi in terra Vicarius Gregorius IX. hoc de eo testimonium perhibuit (An. 1228.): *In vineam suam mittens, ut ex ipsa spinas & vepres evelleret.* Quales autem hæ spinæ fuerint, ex illa seminis jacti parabola perspicuè satis liquet (Luc. 8.): *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui à sollicitudinibus & divitiis; & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt*

ferunt

ferunt fructum. Omnes hæ ſpinæ & ſentes ſementem Evangelicam ſuffocabant, quas Franciſcus cum ſuis, per paupertatem, auſteritatem, & humilitatem ſuam ſuorumque, ab hac vinea eradicavit.

Ann 1220. n 2. Vvad.

7 *Pax vobis*, inquit Chriſtus Apoſtolis ſuis; at verò *cum hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus*, quaſi dicere voluiſſet, ſe hanc pacem, quam ipſi annuntiaturi erant, per vulnera ſua, caro ſatis pretio, acquiſiviſſe. Gregorius IX. de corpore Franciſci ſtigmatibus inſignito ita ſcribit: *Recondi debet tam pretioſus theſaurus, ſanctum videlicet corpus ipſius, qui in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio, ut pro peccatis populorum fieret interceſſor*. Et S. Bonaventura de Seraphico Patre ſimiliter ait: *Signum in ſe Dominici fœderis repræſentans, pacem & ſalutem evangelizavit*,

In Prolog.

8 Vulnera Redemptoris irati Dei fulmina à nobis arcent. Bloſius de Sancta quadam refert, quòd poſtquam inſtantiſſimè Deum rogaſſet, ut ſibi manifeſtum faceret, quidnam pro majori hominum utilitate conciliando mundo annuntiatura eſſet, reſponſum ei à Deo fuerit: *Utiliſſimum fore homines ſcire, & in memoria ſemper habere, quod ego Virginis filius, pro ſalute eorum adſte ante Deum Patrem; & cum ex humana fragilitate delinquunt, eorde effero pro eis cor meum immaculatum, & tranſverberatum, cum offendunt opere exhibeo manus meas perforatas, & ſtatim innocentia mea placo Deum*. De Franciſco jam in ſententia S. Antonini diximus, quod per vulnera ſua idemmet in cœlis operetur; quia tametſi vulnera illa corpori ejus hic in terris infixa remaneant, non vero eadem ſecum cum anima in cœlos invexerit, ſicut Chriſtus, eo ipſo verò quo corpus ejus in pedes erectum, actum refert advocantis & intercedentis pro nobis, vulnera ſua ad Chriſti imitationem æterno Patri ſuo exhibere videtur.

Mon. ſpec. c. 1.

9 *Sunt victoria ſua triumphus*, inquit Beda de vulneribus Chriſti, quia per illa hoſtem tartareum debellaverat. Sanctus Bonaventura autem ad magnum & Seraphicum Patrem ſuum, jam ſtigmatibus ſacris decoratum converſus, eidem dicit: *Eja nunc ſtrenuiſſime miles Chriſti, ipſius fers arma invictiſſimi ducis, quibus munitus & inſignitus omnes adverſarios ſuperabis*.

G. 24. in ſ. ne.

10 B. Laurentius de Redemptore noſtro ita ſcribit: *Uno ſiquidem tempore, & Dei fruebatur viſione, & intolerabili paſſione gemebat, ut tota divina fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam*: De S. Franciſco autem ſtigmatizato ſcribit Bernardinus: *Senſum de cruce Chriſti experiebatur doloris & gaudii, juxta quantitatem & proportionem divini amoris*; quodſi autem juxta proportionem amoris fuit menſura doloris, ſequitur quod hic in eo immenſus & incomprehenſibilis fuerit. *Pœna interreget, ſi quis veraciter amet*.

De trium. Chriſti agone c. 9.

11 Verùm enimverò ut ad verba in principio propoſita revertamur, conſiderandum eſt, quòd de S. Franciſco nihil magis propriè dici poſſit, quam illa; poſtquam enim ex monte Alverniæ hoc modo in manibus pedibuſque ac latere vulneratus deſcendit, interrogatus à ſuis fratribus: *Quid ſunt plagæ iſtæ?* Reſpondit: *His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me*. Ex his namque verbis motivum quoddam ſumere poſſumus majorem quandam excellentiam & prærogativam in ſtigmatibus ſuis conſiderandi; Dicit enim *in domo eorum*, in plurali; *Quaſi tota Trinitas*, inquit S. Bernardinus, *in hoc myſterio per Jeſum dixerat illud* Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, eo quod imaginem paſſionis ſuæ, & impreſſit in ejus corpore, & ſimilitudinem figuravit in ejus mente*. Etenim prædicta Zachariæ verba de Filio Dei difficulter adimpleri poſſunt. Neque enim Chriſtus dicere poterat, eos qui mortem ſibi intulerunt, ſe amaſſe, cùm certum ſit eos implacabili erga eum odio ſemper exarſiſſe: *Odio habuerunt me*. At verò Franciſcus optimè dicere potuit: *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me*. Unde in lectionibus officii ſtigmatum dicitur: *Cui ex charitate nimia crucifigi complacuit*. Chriſtus de ſuis Crucifixoribus & carnificibus dicit: *Circumdederunt me canes multi*; at verò ad vulnerandum S. Franciſcum ipſemet Dei filius in ſpecie Seraphini cujuſdam de cœlo deſcendit. Neque enim Hiſtoria crucifixum qui Franciſco vulnera ſua impreſſit, Seraphinum fuiſſe dicit, ſed tantùm quòd ſpeciem Seraphini habuerit; *Vidit quaſi ſpeciem unius Seraphim* Unde S. Bernardinus ait: *Profectò nec per alium hoc fecit: quia nec alius nec alia creatura poteſtatem habet transformandi animam in divinum amorem, nec per conſequens ipſum corpus, igitur talis transfiguratio facta eſt, non virtute Angeli, ſed ipſius Dei*. Franciſcus quidem ſæpiùs ut Sultanum idololatram tyrannum & carnificem ſuum habere poſſet, optavit, ſed hoc munus vulnerandi & cruentandi ipſum unico ſponſo animæ ſuæ reſervatum fuit.

Ser 60. art. 3 verſ. fin.

Pſ. 21. 17.

Ser 60.

12 Inſtrumenta Paſſionis ſuæ fuere patibula, flagella, clavi, ſpinæ; ac verò quam hæc proportionem habent cum inſtrumentis vulnerum Franciſci, ſiquidem hæc non fuerunt alia, quàm manus, pedes Salvatoris, cum dilectiſſimo ſervo ſuo per dulciſſimum quendam amplexum uniti, eique fortiter adſtricti? Bloſius de vulneribus Salvatoris ait: *Hæc quinque vulnera ſanctiſſima, plus pulchritudinis, decoris, & claritatis toti cœleſti curiæ conferunt, quàm omnia alia, quæ in vita perenni, excepta Divinitate, habentur*. Ecce tibi igitur inſtrumenta quibus Seraphici Patris noſtri ſtigmata fabricata fuerunt, quæ dum vulnera hæc corpori ſancti Patris imprimunt, ipſum quoque Paradiſum in admirationem rapiunt, fueruntque incomparabiliter nobiliora illius, quæ Chriſtum vulnerarunt: Etenim crux Franciſci, non ut illa, quæ in Calvariæ monte viſitur, ex palmæ, olivæ, aut alio ligno confecta fuit, ſed ut probavimus ſupra, Chriſtus ipſe crux ejus fuit: clavi quoque ejus, in qua officina aut incude cuſi & præparati fuerunt? Nimirum in officina Dei, qui *ignis conſumens eſt*, neque ferrei fuerunt, ſed ex ejuſdem ſancti Patris Seraphica carne confecti: *Præminebant clavi non verè ferrei, ſed ferreis ſimiles, nigri, duri, fortes, ſolidi, capitati, cuſpidati, quorum materia, ut dixit Alexander IV. de ſubjecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit*. S. Bernardinus igitur meritò nobis imprimit magnam æſtimationem horum clavorum; utpote quos idem ipſe faber confecit, qui alias fabricavit cœlum empyreum, *Nec recolo me legiſſe vel reperiſſe aliquod aliud immediatè fabricatum à manibus Jeſu Chriſti, quod ab Eccleſia fuerit approbatum, niſi hos clavos, & ſtigmata hæc ſacra*: Porrò carnifices qui Dei filium in ligno ſuſpenderunt, haud dubiè peccata noſtra fuerunt, *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*. Franciſcus autem in eminentiſſimæ ſanctitatis & amoris ſui erga Chriſtum teſtimonium vulneratus fuit. Redemptor noſter in ſuo patibulo pauculis tantum horis pependit; at verò Franciſcus crucifixus duobus etiamnum annis ſupervixit, vulnera ſua ſanguinem jugiter manantia, ſemper in corpore ſuo ferendo Salvator noſter in cruce doluit, dicendo: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me. Non petit propter tormenta quæ patitur*, inquit S. Bernardinus, *ſed propter tormenta quæ non patitur*. Franciſcus illo fuit inſigni privilegio donatus, quòd in evidens ſui erga Chriſtum amoris teſtimonium crucis ſuæ dolores per duos annos continuos perpeſſus fuerit, cùm Chriſti in cruce perpeſſa tormenta intra tres horas finita fuerint: Excellentius in Franciſco, quam in ullo alio Chriſtiano verificatum fuit, quod S. Ambroſius ſcribit, dicens: *Paſſio Chriſtianis vita eſt*. Chriſtus clavos ſuos cœlo ſecum non intulit, ſiquidem eoſdem in diverſa Chriſtianiſmi loca diſperſos etiamnum veneramur; at Franciſcus clavos ſuos etiam poſt mortem in manibus ſuis retinuit, ut per illa in magnum beneficium noſtrum, Divinæ juſtitiæ peccatis noſtris juſtiſſimè iratæ, ſagittas & fulmina à nobis propellat; Et licet S. Clara eoſdem è Seraphici Patris manibus eximere omni conatu tentaverit, non tamen potuit. Increduli erga Chriſtum ſe declararunt, dicentes: *Deſcendat de Cruce, & credimus ei*: at verò Franciſcus cruci ſuæ aliter confixus manens, majorem ſibi tum in cœlo, tum in terra fidem & venerationem concilisvit. Circumſtantes Chriſtum crucifixum, *In Golgatha prætereuntes blaſphemabant*. Hic autem Angelicæ Hierarchiæ aſpiciendo attonitæ hærent. Ibi filius à Patre derelictus fuit, hic autem Franciſcus tanquam filius dulcibus amplexibus ſtringitur. In monte Calvariæ ſol obſcuratus eſt, *Tenebræ factæ ſunt*, ſed hic *Lux accedit*, inquit S. Bernardinus, *nox recedit*.

Ex plag. paſſ.

Vvad ann. 1224. n. 8.

2. ad Tim. 4. 16.

Ser 60. art. 2. & 3.

Hom. 8. ad Ep.

Gloria

Gloria quæ S. Francisco ex stigmatibus obvenit consideratur.

DISCURSUS DECIMUSQUINTUS.

Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi. Ad Gal. 6. v. 14.

1 INgens Francisci gloria fuit in Crucem Christi suspensum & crucifixum illum esse: ideoque dicere potest: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Sanctus Paulus de cicatricibus & percussionum vestigiis, quas propter Evangelii prædicationem sustinuit magnopere gloriatur, dum ait: *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto*. Ubi Chrysostomus ait. (Hom. 8 ad Ep.) *Nihil est illa anima beatius; In quibusnam gloriatur? In vinculis, afflictionibus, incatenis in stigmatibus*. Porrò in illa Pauli gloriatione præcipuè observandum est verbum illud, porto; *Tanquam aliquod magnum trophæum*. Quodsi igitur Paulus percussionum, quas à fidei persecutoribus accepit, livores & cicatrices trophæi loco habuit, quantò igitur magis Seraphicus Pater magnoperè se à Deo stigmatibus ab ipsomet Deo sibi impressis, honoratum esse censere poterit. Etenim ipsemet cuidam Religioso suo declaravit dicens: *Christus sicut vulnera in cruce suscepit, ita manibus suis benedictis illa in corpore meo impressit*. Adeoque summus ille Pontifex, (Vvad 1224 n. 15.) de quo scribitur: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum*, per horum stigmatum impressionem Bullam quandam Canonizationis servi sui, etiamnum licèt viventis edere voluit. Unde S. Bernardinus ait: *Hæc sacra stigmatizatio B. Francisci sanctitatis ejus approbatio, & authenticatio fuit per bullam crucifixi Dei viventis*.

2 Certè quando Religionis alicujus Equestris ipsemet magnus Magister Crucem alicui Equitum suorum imponere non dedignatur, per hoc velut infallibile signum evidenter testificatur, quod subjectum illud ingenti & excessivo quodam merito præfulgeat maximè si eidem ipsissimam illam Crucem inserat, quam ex proprio collo suspensam portavit. Ecce igitur eximium Francisci honorem & gloriam, cui ipsemet Redemptor noster in propria persona crucem suam propriam & vulnera impressit, vel ut S. Bonaventura ait: *Ad quem venit Rex è cælo, signasti Domine servum tuum*, ait Ecclesia. (Se. 60. n. 2. c. 11) Meritò igitur Alexander IV. in quadam Bulla sua ait: *Grande & singulare miraculum, quo B. Franciscum ipse splendor sanctorum Dominus Jesus Christus mirabiliter decoravit*.

3 *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce*, Christus Dominus noster vulnera sua tanto fuit zelo prosecutus, ut quamvis impassibilis resurrexerit, illa tamen ne quidem à Magdalena tangi permiserit, sed ei dixerit: *Noli me tangere*. Et si illorum contactum Thomæ concessit, id factum est, ut incredulitatem & cordis ejus duritiam sanaret, & ut irrefragabile Resurrectionis suæ testimonium ederet; at vero quando de Francisco honorando agebatur, omnia illi communicantur vulnera, & in sacrosanctis membris ejus ab ipsomet Redemptore eadem imprimuntur. Unde quodsi quis Christum in cœlos ascendentem vulnerum suorum cicatrices retinuisse negare vellet, is utique nunc per illam vulnerum suorum in servum suum factam impressionem evidenter convincitur.

4 Christus Dei filius quondam per Jeremiam ait, (Thren. 1. 12.) *Attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus*. Nunc autem Seraphicus Pater noster omnes animas Christi vulneribus redemptas hinc sibi gloriam solus vendicat, quod vulnerum & passionis suæ dolores præ cunctis aliis in corpore suo vivacissimè fuerit expertus, siquidem dolores excessivos, idque per continuum duorum annorum decursum in corpore suo perpessus fuit. Ideoque *virum dolorum* appellare deinceps fas erit.

5 Eusebius circa Redemptionem Christi passione (Ho. 6. de p. u.) mediante perfectam notabilem hanc protulit sententiam: *Tam copioso munere ipsa Redemptio agitur, ut Homo Deum valere videatur*. At verò quidnam per hanc Emisseni propositionem innuere volo? nimirum quotiescunque per omnia Christo crucifixo conformem, iisdemque vulneribus, quibus sanguis ejus copiosè funditur, & excessivi dolores in eo causantur, insignitum aspicio, videtur mihi, quod certo quodam modo dicere possim, Christum Seraphicum Patrem sibi similem facere voluisse, *ut homo Deum valere videatur*.

6 Franciscus igitur longè melius, quàm Paulus Apostolus dicere potuit: (Coloss. 1. 29.) *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in corpore meo*; Id quod dictus Apostolus dicit, non quod Passio Salvatoris in se defectuosa fuerit, siquidem *copiosa est apud eum redemptio*; sed per ea verba insinuare voluit, hoc solum ei defuisse, quod scilicet nobis communicata & participata non fuerit, unde Philippenses exhortatus dicens: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*, (Corn. à Lap.) ubi sacer quidam interpres ait: *Ut scilicet Christus non tantum in se, sed etiam in suis membris, id est, Apostolis aliisque fidelibus similia patiatur*. Hoc autem in hoc terrestri Seraphino literaliter adimpletum fuit; verum quidem est, quod hanc Crucis Christi participationem in Petro, Philippo, Andrea, & aliis similiter inveniamus, non tamen adeo uniformem sicut in Francisco, qui ipsimet Christo crucifixo confixus, & iisdem & Redemptoris vulneribus sauciatus fuit. Unde Sanctus Bernardinus ait: *Præterea nec per alium hoc mysterium debebat fieri, ut sibi eum redderet similem & conformem*, id quod speciali cuidam, superque omnes alios prædilecto filio suo manifestè declaravit. Unde Cyprianus ita scribit: *Hominibus lætum est & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successiva resplendeat*. (Ser. de zelo & livore.)

7 *Gloriari in Cruce.* Beatus Laurentius Justinianus ait: (De ligno vitæ c. 3.) *Quisquis livorem vel plagas pro honore cælestis Regis hic non susceperit, in futuro judicio miles gloriosus non apparebit*. Quantùm igitur Seraphicus hic Sanctus in Ecclesia triumphante efficietur gloriosus, qui in Ecclesia militante olim fuit, & deinceps per omnia futura sæcula futurus erit summo in gradu venerabilis? unde S. Bernardinus ait: *Sicut B. Franciscus fuit vexillifer Jesu Christi in Ecclesia militante, sic post resurrectionem secundum Doctores, remanentibus in corpore suo prædictis signis, vexillifer erit in Ecclesia triumphante*.

8 In memoriam quæso revocate quod in libro Esther legitur, scilicet liberalitatem & munificentiam eximiam, quam Assuerus erga Mardochæum exhibuit: Rex enim ille potentissimus humilem Mardochæum vestibus regiis pretiosissimis indutum, & generoso admodum (Hester. 6. 9.) equo impositum, passim per civitatem circumduci præcepit, præeunte præcone qui solemnem hanc acclamationem in omnibus vicis & plateis insonaret: *Sic honorabitur quemcunque Rex voluerit honorare*. Pari quoque munificentia Deus usus est erga B. Franciscum: Et quidem quod in hunc servum suum liberalissima manu, magnifica & opulenta cœli dona prophetiæ, miraculorum, extasum, revelationum, sapientiæ infusæ, authoritatis & imperii in omnes creaturas aliaque similia infuderit, eximius quidem Dei favor extitit, singulare tamen privilegium minimè fuit, siquidem & alii servi Dei iisdem prorsus donis à Deo locupletari fuisse leguntur: at verò *sic honorabitur quemcunque Rex voluerit honorare*. Illa enim sacrorum stigmatum in Corpus Francisci facta impressio, honor quidam fuit & prærogativa singularissima, omnique prorsus carens exemplo, nullus enim unquam iisdem Regis gloriæ regiis insignibus vestitus fuisse legitur.

9 Observastisne aliquando diei, qua id accidit, peculiarem circumstantiam? (Vva l. ann. 1224. 15.) Nimirum *Quodam mane circa festum exaltationis S. Crucis. Decuit enim ut illo die, quo exaltata est crux in Calvaria monte, renovaretur ejus memoria, & vulnera in eadem accepta infligerentur etiam in Alverniæ monte, qui eodem ipso die, quo Christi impressa sunt, sensit illius dolores, non aliter quam Calvariæ mons scissus, dum terra mota quateretur*. Meritò divina illa Sapientia, de qua dicitur: *Omnia in sapientia fecisti*, meritò, inquam, illa hunc diem Exaltationi crucis adeò vicinum pro hac vulnerum impressione facienda elegit; ad denotandum videlicet nobis, quantum Crucis & passionis suæ gloria per hunc servum exaltanda foret in universo mundo; siquidem *Frigescente mundo, ad inflammanda &c.*

10 S. Ambrosius de Christo vulneribus ita scribit: (Lib. 10. in Luc.) *Vulnera suscepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit,*

luit,

luit, ut Deo Patri pretia nostræ libertatis ostenderet: talem sibi Pater ad dexteram locat, trophæum nostræ salutis amplectens. Enimverò dum S. Franciscum extensis brachiis suis crucifixum Redemptorem suum amplectentem ejusque se plagis & vulneribus adstringentem contemplor, dumque considero quod licèt in sepulchro suo reconditus requiescat, nihilominus etiam sic mortuus solicitus sit humanæ salutis advocatus, utpotè qui velut in erecto corpore actualiter extensis brachiis orans irati Dei fulmina à nobis avertit, meritò vulnera ejus *Pretia nostræ libertatis* appellare possum, siquidem in deplorando illo Ecclesiæ sæculo, ut diximus, populum Christianum velut alter quidam Moyses à duræ servitutis compedibus, quibus propter hæreses, schismata, vitia, abusus, scandala, persecutiones, aliaque similia mala, vinctus tenebatur, quæque periclitantem Petri naviculam in profundum mergi cogebant, adstrictus tenebatur, liberavit, adeoque ad imitationem Christi *liberavit nos a servitute in li-*
Rom. 8. 21. *bertatem gloriæ filiorum Dei*. Et sicut Apostolus de eo-
Eph. 6. 27. dem Redemptore scribit: *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret*, ita quoque S. Franciscus, ut in ejus vita legitur, seipsum in crucis brachia conjecit, ut Ecclesiam suam immaculatam & sanctam redderet, siquidem vulneribus suis mediantibus, prouti in discursu XI. vidimus, totum Christianismum reformavit; *ut exhiberet gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam*.

11 *Gloriari in Cruce*. In lectione officii stigmatum dicitur; *His insignibus summi in eum Christi amoris maximam habebat omnium admirationem*. In Ascensione Salvatoris supernæ illæ Hierarchiæ acclamabant ei dicentes: *Attolite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Circa quæ verba S. Hieronymus, vel quisquis est Author ita scribit: *Pulchre jubentur levari portæ, & in sublime erigi si-*
Ep. 117. *quidem per victoriam crucis major regreditur ad cælos quam ad terras venerat*; ideo omnes obstupefacti dicebant ad invicem: *Quis est iste Rex gloriæ?* Porrò de Francisco Ecclesia non sine mysterio canit: *Cælum dives ingreditur*; siquidem secum stigmata sua portat, quæ sunt stigmata ipsiusmet Christi, id est, expressum sigillum vulnerum suorum, in quibus *sunt omnes thesauri absconditi*. *Magnam habebat omnium admirationem*; siquidem per mille & plures annos nunquam visum vel auditum est adeo stupendum prodigium: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*; Id est, Luciferum cum asseclis suis; *Deposuit potentes de sede & exaltavit humiles*; siquidem humilem Franciscum in thronum superbi collocavit (si supradictis revelationibus credimus, quibus authoritatem & fidem suam reliquimus.) Notandum tamen est verbum illud: *Fecit potentiam in brachio suo*, quippe honor ille quem servo exhibuit, verè fuit maximus quoad sit omnipotentiæ suæ. Unde Sanctus Bonaventura ait: *Postquam novus homo Franciscus novo & stupendo miraculo claruit*. Notanda etiam sunt verba illa: *Summi in eum Christi amoris insignibus*; Pro quorum meliori intelligentia, revocandum est in memoriam, quod de Josepho Ægypti servatore, qui expressa fuit Salvatoris nostri figura, in sacris literis scribitur. Hic enim calicem suum in saccum Benjamin fratris natu minoris præ omnibus à se tenerrimè dilecti reponi jussit, voluitque pariter ut in convivio quod instrui curaverat idem Benjamin quinque ferculis amplius cæteris fratribus suis honoraretur. Enimverò verissimum semper manet illud Apostoli axio-
Gen. 44. ma: *Omnia in figura contingebant illis*: quod ut in præsenti proposito nostro tanto fiat evidentius, observate obsecro quot in hac figura & Sancto Francisco analogiæ sese prodant. Etenim Salvator noster passionem suam calicis titulo communiter appellavit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* In quem verò calicem hunc inter omnes sibi percharos reposuit? In fratrem Minorem, id est, Franciscum, qui fratrum Minorum institutor fuit, intra ejus inquam saccum calicem hunc recondidit, siquidem saccu perpetuo indutus fuit: *Major pars fuit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet*. Ecce enim in quinque hisce partibus designata quinque illa sacra vulnera, quibus supra omnes alios privilegiatus fuit. Hoc autem modo Franciscum affligere ex amoris vehementia quo illum prosequebatur, processit. *Summi in eum Christi amoris insignibus*. Unde de Josepho scribit Spiritus Sanctus; *Commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lachrymæ* quòd verificatum in Francisco fuit, quando eum quinque illis stigmatibus præclarè insignivit, tunc enim de Christo verè dici potuit, quod *commota sunt viscera ejus super servum suum*.

12 *Gloriari in cruce*. Hæc gloria etiam ex veneratione illa deduci potest, quam hæc vulnera apud omnes merentur. Porrò clavis Christi, quantumvis in Hebræismi officina fabricatis adorationis cultus exhibetur ob sacratissimæ humanitatis verbo unitæ contactum: at verò clavi Francisci non solum designificati fuere ex contactu Christi, sed etiam quia ab illo formati fuere; unde verè dicere possunt *Manus tuæ Domine fecerunt nos & plasmaverunt nos in circuitu*. Enimverò quod si imago aliqua lignea honoratur & adoratur, eò quod Christum crucifixum repræsentet, quantam reverentiam Franciscus merebitur, cui se ipsemet Christus crucifixus impressit. Quòd si quis penes se nonnihil de veste haberet, qua Salvator noster contectus fuit, quanta devotione illa à nobis honoraretur? quando igitur honore corpus illud à nobis affici meretur, cui se ipsemet Christus firmiter adstrinxit, & amplexandum præbuit? sacra Syndon adoratur, quia corpus filii Dei mortuum, postquam de cruce depositum erat, in illam involutum fuit, & quia in ea Corpus Christi vulnerum suorum aliqua signa impressa reliquit, & tamen nihil præter telam quandam lineam fuit: Hic autem ipsemet Filius Dei vivi, impassibilis, & gloriosus in cœlis regnans, se non telæ cuidam lineæ, sed vivo Francisci corpori se suaq; vulnera indelebiliter impressit; ut jam dicere verè possit: *Ego stigmata Domini in corpore meo porto*.

De Cruce quam S. Franciscus ad Christi imitationem sibi assumpsit, deque ejus erga Christi Passionem ardenti amore.

DISCURSUS DECIMUSSEXTUS.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; & tollat Crucem suam, & sequatur me.
Matth. cap. 16. v. 24.

1 HOc Evangelium in festo quod Ecclesia in honore stigmatum S. Francisci quotannis solenniter celebrat, communiter legi consuevit, in quo ad suam nos sequelam invitat, simulque hortatur omnes, ut suam quisque sibi crucem imponat & patienter ferat scire autem hoc loco percuperem, qualenam crucis patibulum illud fuerit. quod Seraphici Francisci humeris imposuit? scio equidem quod Chrysostomus super illa verba: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri*, scribat: *Ut intelligas crucem non ligni esse patibulum sed vitæ virtutisque propositum*. Hanc crucem Seraphicus Patriarcha noster haud dubiè ab eo momento sibi assumpsit, quo omnes sibi ex patrimonio debitas divitias Patri renuntiavit, nam ut historia dicit, postquam se veste sæculari exuisset, rudi quodam sacco in crucis formam facto contectus fuit: *Gratanter eum suscipiens cum cæmento quod sibi accurrit ad modum crucis manu propria consignavit, operimentum ex eo formans crucifixi hominis pauperis,* Vvad. ann.
seminudi, sic itaque se totum cruce munivit, ut animam §. 3. n. 30.
suam ligno salutis committens, per illud de mundi naufragio salvus exiret. Enimverò vitam Francisci continuum quoddam fuisse Christianarum virtutum exercitium, evidentius est, quam ut probatione indigeat.

2 Petrus Blesensis ait: *Omnem revolvite vitam Salvato-* Serm. 9. In
ris ab utero virginis usque ad patibulum crucis, non invenie- Por Virg.
tis in eo, nisi stigmata paupertatis, quod idem de S. Francisco veridice asserere possumus, & dicere *Franciscus pauper stigmata* non solum *paupertatis*, sed etiam *stigmata Domini crucifixi in corpore suo portavit*. Porrò hujusce impressionis causam S. Bernardinus hisce verbis tetigit: *Menta-* Ser. 90. art.
lem quippe dolorem Passionis Christi per compassivam trans- 2. c. 1.
formationem, antequam stigmata illa susciperet, per biennium, id est, usque ad mortem, tam mente quam carne in continuo martyrio vitam duxit.

3 Non sine mysterio, factum est, quod omnes memorabiliores Christi apparitiones S. Francisco factæ, regiis

crucis

crucis insignibus honoratæ semper fuerint (estque hæc ipsa ejusdem S. Bernardini consideratio) In primis enim postquam sua cum pauperculo quodam milite commutasset vestimenta, pretiosa cum laceris ejusdem centonibus, nocte sequenti sumptuosum quoddam palatium armis plurimis cruce signatis plenum exhibitum, simulque ei tanquam magno patibuli Crucis futuro amico prædictum fuit, hæc arma omnia ipsius futura esse propria, si se sub crucis vexillum recipere vellet. Alia quadam vice juxta templum Portiunculæ repertus est amarissimè lachrymans, causam verò planctus rogatus edicere, mortem Christi se deflere respondit, subjecitque illam ab universo mundo meritò amarissimè deflendam esse. Alias eidem in oratione occupato Redemptor noster crucifixus apparuit, ad cujus conspectum *Anima ejus liquefacta est*, ac deinceps passionem Domini inter continuas lachrymas semper est meditatus. In Ecclesia S. Damiani, quando domum Dei jussus est reparare: *Vade & repara Domum meam*; filius Dei ipsi apparuit, sed in figura & similitudine crucifixi. Frater Sylvester etiamnum sæcularis existens, crucem quandam totaliter splendidam ex ore ejus egredi vidit, cujus altitudo cœlos tangebat, latitudo autem ejus per totam terram protendebatur, quacum Draconem in turpem fugam convertit: Frater Pacificus duos gladios per transversum positos vidit, quorum unus à capite protendebatur ad pedes, alter verò inter extensa brachia ab una manu ad aliam se extendebat: signum quoque crucis variis distinctum coloribus in fronte ejus visum fuit; Et in capitulo Arelatensi coram religiosis suis miraculosè apparens ab omnibus in formam crucis situatus conspectus est. Unde S. Bernardinus veluti per os sancti Patriarchæ loquens concludit: *Proponebam Dominum scilicet crucifixum, in conspectu meo semper, hæc ecce testimonia credibilia facta sunt nimis*, tandemque rationem, cur totis sacris hisce insigniis honoratus fuerit, reddens, dicit: *Testimonium præstant huic novæ apparitioni, quando ei crucifixus impressit sacra stigmata.*

2 Cor.4.10 4 S. Franciscus haud dubiè illud Sancti Pauli documentum punctualissimè adimplevit, dicentis: *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Idem Apostolus paulo postquam dixisset: *Christo confixus sum cruci*, prosequitur doctrinam dicens: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Hanc Christi vitam, sed Christi in crucem confixi vivebat Franciscus. Angelicus Doctor ait: *Homo quantum ad illum dicitur vivere, in quo principaliter firmat suum affectum, & in quo maximè delectatur; unde & homines qui in studiis seu venationibus maximè delectantur, dicunt hoc eorum vitam esse.* Porro vita Francisci continua quædam & imprætermissa, seria tamen & vivacissima Passionis Christi meditatio fuit; *Qui Christi sunt, carnem suam crucifi-* Gal.5.24. *xerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Enimverò nulli dubium est, quin Franciscus carnem suam adeò mortificaverit, ut in ipso omnis concupiscentiæ fomes penitus fuerit extinctus, & ideo dignus habitus fuit, qui *carnem suam cum carne Christi crucifigeret.* Ad hunc verò honorem altissimamque dignitatem quis unquam pertigisse legitur: *Quia Christi fuit, carnem suam crucifixit cum carne Christi.* Chrysostomus super illa verba: *Vivit in me Christus*, verba quædam scribit, quibus nihil melius aut aptius ad propositum nostrum dici poterat; sic enim scribit: *Quoniam seipsum Christo & cruci totum præbuerat, & ad illius voluntatem omnia faciebat, non dixit vivo ego Christo, sed quod longè majus est: vivit vero in me Christus.*

Cap. 13. 5 In monte Alverniæ in altissima quadam contemplatione absorptus, ut de ipso S. Bonaventura scribit, *Oratione cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum in sancta Trinitatis nomine aperiri fecit per socium virum utique Deo devotum & sanctum; tribus autem distinctis vicibus aperuit, & cum semper Domini passio occurreret; intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus Passionis, antequam ex hoc mundo transiret.* Audite obsecro Seraphicum Doctorem perspicuis verbis asserentem, Franciscum hanc crucem, seu ut verius loquar, stigmata hæc etiam ante tulisse, priusquam stigmatibus insigniretur: *Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, crucisque Dominicæ bajulationem continuam imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad Martyrii tolerantiam vigorosius animatus.*

6 *Tollat crucem suam; id est*, ut Ugo Cardinalis Luc. 9. ait: *Martyrium subeat.* Enimverò quoties Franciscus per terras Barbarorum peregrinatus, non solum conversionem ipsorum ad Deum enixè sitivit, verum etiam inter ipsorum acinaces sanguinem minimè assecutus est, quin potius reservatus, ut per ipsissimas Redemptoris nostri manus martyr fieret amoris. Idem S. Bonaventura postquam quid ipsi apud Sultanum Babyloniæ, à quo se martyrio afficiendum esse sperabat, acciderit, recensuisset, tandem subjungit: *Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectus æstuaret in corde; ut post potentius evaporaret in carne. O verè beatum virum, cujus caro etsi tyrannico ferro non caditur, occisi tamen Agni similitudine non privatur. O inquam plenè ac verè beatum, cujus animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit.*

7 Alexander IV. postquam stigmata S. Francisci ap- Vvad. an. probasset, multisque præconiis extulisset, dicit: *Ex* 1255. n.10. *his sincera fides Christi accipiat, quod illi possint esse Passionis Christi sine extrinseco persecutore consortes, qui pro ejus amore carnem suam cum vitiis & concupiscentiis voluntarie crucifigunt.* S. Bonaventura de vulneribus Re- P 3. c 7. demptoris nostri tractans, modumque docens per con- 3im tinuam illorum meditationem proficiendi, dicit illa in corpore Christi asservata fuisse, *ad imitandum & compatiendum.* Porrò S. Franciscus ea imitatus est, austerissimam in hoc mundo vitam ducendo, & simul iisdem vulneribus compassus quoque fuit, siquidem illa conjunctim perpessus fuit cum Christo. Ac proinde compassio illius & Christi passio una eademque res fuit; siquidem hæc corporaliter & sensibiliter non solum in ejus mentem, sed & in corpus ipsius transfusa fuisse noscitur. Imò verò revocare verbum meum debeo, nam malè dixi ipsum simul cum Redemptore crucifixo passum fuisse, siquidem Francisci tempore impassibilis & gloriosus ad dexteram Dei Patris sedebat; & ideo melius & verius dixero omnes dolores, omnesque passiones, à quibus Christus crucifixus pro tunc exemptus erat, in Franciscum fuisse transfusas.

8 Albertus Magnus super illa verba: *Tollat crucem* In Luc. 9. *suam & sequatur me*, eadem de S. Francisco in glossa iisdem verbis addita intelligere videtur, dicit enim *sequatur crucifixum ex forma meæ crucifixionis*, id quod S. Franciscus adeò exactè executus est, ut Christus crucifixus à Francisco stigmatizato discerni vix potuerit *Carnem vero crucifixo conformi exterius insignivit effigie*, ita in lectionibus de eo legitur. Idem sæpè citatus Bonaventura, postquam stigmatum suorum impressionem recensuisset, tandem dicit: *Intellexit tandem ex* Cap 13. §. 2. *hoc, Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio suis fuerat præsentata conspectibus, ut amicus Christi prænesceret, se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum.*

9 *Tollat crucem suam.* Non præcipit nobis, ut crucem suam accipiamus, sed crucem potius nostram, *Tollat crucem suam, non meam*, S. Thomas de Villa-Nova ait: *Tollat crucem suam, nam meam non poterit; gravissima est enim, quam nullius puri hominis humerus portare sustineat.* Veruntamen hic Francisci prærogativa libenter admittitur, siquidem huic soli Redemptor noster crucem suam communicavit; Et quidem tametsi per continuas disciplinas, jejunia, aliasque austeritates totus exanguis fuerit, & per tot alia passionum genera extenuatus, attamen quando de ingenti illa Ecclesiæ collabescentis mole sustinenda agebatur, Gygantem quendam seu Athlantem fortissimum se esse probavit; imò communiter ita accidit, ut quo quis est carne & corpore debilior, tanto sit in portanda & sustinenda cruce fortior & robustior. Apostolus qui de se gloriatur: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce*, alibi dicebat: *Cum infirmor, tunc potens sum.* Verum quidem est, quod crucem Christi *nullius puri hominis humerus ferre potest*; Veruntamen quod Franciscum attinet, hunc Deus super humanam conditionem elevarat: *Similis Deo in filiis Dei.*

10 *Tollat crucem suam.* Albertus Magnus super ly, *tollat* ita scribit: *Crux enim est arbor alta, non deponenda, non in terram trahenda, sed extollenda & sic in altitudi-*

tudinem portanda. O quanta gloria in S. Franciscum ex hisce vulneribus resultavit, imo in universum Christianismum, & quod majus est, in ipsummet Redemptorem stigmata prædicta ei imprimentem? Et ideò meritò factum est, quod ut S. Bernardinus scribit:
T. 4. Ser. 18. *Christus apparuit cum tanto splendore in stigmatizatione B. Francisci de nocte, quod illuminavit montes & colles amplius quam si Solis claritas affulsisset.*

De stigmatibus S. Pauli juxta varias sacrorum Interpretum expositiones Seraphico Francisco adaptatis.

DISCURSUS DECIMUSSEPTIMUS.

Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.
Ad Galat. c. 6. v. 17.

1 S. Paulus Apostolus in livores & cicatrices suas ex percussionibus, variisque suppliciis ob Evangelii prædicationem, & sanctæ fidei defensionem acceptas oculum suum dirigens sanctè gloriabatur dicens *Ego stigmata &c.* Majori tamen cum jure Seraphicus Franciscus eadem de se gloriari potuit, prouti ducibus sacris expositoribus textum hunc exponentibus liquidò apprehendi poterit.

2 S. Augustinus de stigmatibus ita scribit: stigmata sunt *notæ quædam pœnarum servilium*; quando enim servi ob commissa delicta inter ferra & compedes tenebantur constricti, cicatrices in eorum corporibus impressæ remanentes stigmata appellabantur: *Nunc ergo Apostolus stigmata quasi notas pœnarum ex persecutionibus quas patiebatur: propter culpam enim persecutionis, qua persecutus erat Ecclesias Christi, hæc sibi retribui cognoverat:* Ecce tibi in primis quandam, qua stigmata Pauli & Francisci à se invicem discrepant, discrepantiam: Etenim Seraphico Patri nostro hæc stigmata non in illatæ Ecclesiæ persecutionis pœnam, sed potius in ejusdem persecutionis patienter admodum toleratæ præmium impressa fuere: aut verò ut per hæc stigmata Ecclesia in magno ruinæ periculo constituta magis stabiliretur, prouti in discursu undecimo prolixius vidimus. Unde S. Bernardinus ait: *Stetit ergo Franciscus in modum firmissimi fundamenti: nonne et revolutum fundamentum, ædificium Ecclesiæ stabilivit:* Ac verò Isidorus clarius Apostolum dicere voluisse dicit: *Jam quibusdam quasi stigmatibus inustum corpus circumfero more servorum, ut quivis agnoscat me Christo penitus addictum*; olim namque in more positum erat, stigmate quodam servos inurere, ut tanquam tales passim ab omnibus agnoscerentur. Unde S. Thomas ait: *Stigmata propriè sunt quædam notæ impressæ alicui cum ferro candenti, sicut cum servus ab aliquo Domino signatur in facie, ut nullus eum sibi vendicet, sed quiete dimittat Domino suo, cujus stigmata portat; hoc etiam modo Apostolus dicit se stigmata Domini portare; quasi insignitos sit ut servus Christi.* Enimvero tametsi Franciscus Seraphinorum igne jam dudum accensus fuisset, non tamen *cum ferro candenti impressus & inustus fuit* bene tamen stigmatibus Dei, qui *ignis consumens est*, ideoque Seraphini sibi speciem assumpsit; *ut apertius appareret eum perfectiones Seraphicas adeptum esse, ac in ordine Seraphico finaliter collocandum.*

3 Stigmata Pauli earum cicatricum signa erant, quas ab Evangelii persecutoribus implacabili Christum odio prosequentibus impressas portabat: at verò hæc Francisci stigmata eidem à Redemptore nostro in defensæ fidei præmium fuere impressa; unde dicere potuit: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*; Et quidem ne hoc adeò rarum miraculum, & inauditum hactenus privilegium controverti aliqua ratione posset, voluit Deus ut eadem stigmata integro biennio, cum continuata è vulneribus sanguinis effusione circumferrentur, illudque verificaretur propheticum oraculum:
Ps. 117. 16. *Dextera Domini fecit virtutem, Non moriar sed vivam & narrabo opera Domini*; Neque enim sive per artem sive per naturam casus aliquis dari poterat, in quo homo aliquis eo modo vulneratus, vel unico duntaxat momento vivere posset. Clavi in manibus & pedibus carnei erant, sed instar ferri caput & acumen suum habentes ex omni quidem parte movebantur, extrahi tamen minimè poterant, vulnus lateris trium digitorum latitudinem habebat, & continuò sanguinem manabat, adeo ut variis pannis contegi, & continuò mutari seu mundari debuerit. *Per totum diem veneris nullum apponi remedium permittebat, ut illo die crucifixionis in stigmatibus sentiret crucifixi dolores.* Et Sanctus Bonaventura ait: *Illud item mirum, quod per integrum biennium immedicata, nec unguentis, aut aromate fota, non computruerint, nec putruerint, neque malum, imo & optimum, & flagrantissimum spirarint odorem; nec exigua vulnera, aut parva, sed velut magnis perfossa clavis, qualibus rei in Crucem suffigi solet, in medio vulnerum clavi infixi, non simpliciter cuspides illas reflexas, sed tanto spatio, ut inter cuspides & pellem digitus commodè potuerit immitti; manus & pedes quamvis vulnerati & clavis confixi, tamen suo munere fungebantur; digiti mobiles, manus agiles ad opus, ad iter pedes.*

4. *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Porrò Sanctus Petrus Damiani de Sancto Pau- Opusc. 5. c. 9.
lo quidem scribit, non tamen omnia ejus verba Sancto Francisco ad unguem adaptare possumus; dicit igitur: *Signaculum super cor posuerat Jesum, cum alibi gratulabundus ajebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo, cujus sane stigmata expressa gerebat in corpore, ejus se signaculum habere gloriabatur in mente.* Enimverò sciendum est insuper quod Gentiles olim ad contestandum quem falsis Diis suis præstabant cultum varia in corporibus suis signa & stigmata soliti fuerint imprimere. Unde similibus signis notatum inventum est sacrilegi Regis Joachimi cadaver, utpote Idolatriæ dediti. Unde Lyranus super illa verba: 2 Par. c. 36.
Reliqua vero verborum Joachim, & abominationum ejus ita scribit: *Reliqua, id est, stigmata & figura, quas fecerat in corpore suo in honorem idolorum, & quæ inventa in cadavere ejus projecto.* Primasius Rom. 1. 16.
super illum textum Epistolæ ad Romanos: *Ut contumeliis afficiant corpora sua*, protinus addit; *sibi characteres & ostiones infligunt in consecrationibus idolorum.* Apostolus verò hæc signa seu cicatrices se habere gloriabatur quidem, sed in honorem Dei vivi & veri sibi impressa: *stigmata* quidem sed *Domini Jesu in corpore meo porto.* Quisnam autem inter omnes homines hæc Salvatoris nostri signa & stigmata vivacius in corpore suo expressa habuit, quam sanctus Franciscus; siquidem ipsi eadem ab ipsismet vulnerati Salvatoris vulneribus impressa fuerunt? Porrò Gentiles sacrilegi per hasce cicatrices mundo palam facere nitebantur, eam quam falsis numinibus suis deferebant venerationem: Christus autem stigmatizavit Franciscum, ut per vulnera corpori ipsius impressa in mundo verus renovaretur cultus, veraque fides & orthodoxa religio Catholica, quæ passim per universam terram cum magno amoris sui præjudicio evanuerat: *Frigescente mundo* ait Ecclesia, *ad inflammandum corda nostra tui amoris igne in carne beatissimi Francisci sacra stigmata renovasti*; nam ut Nazianzenus scribit: *Solam Dei, à quo & in quem creati sumus notam in nobis inustam ferimus, tantum ab eo informati: & impressi, ut ab illo solo nosceremur.*

5. *Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Sanctus Hieronymus ait: *Is qui macerat corpus suum &* Ad Paulam & Eustoch. Opusc. 49 c. 12.
subjicit servituti portat stigmata Domini Jesu in corpore suo. Ad eundem modum Sanctus Petrus Damianus, postquam docuisset, in quonam perfecta mortificatio consistat, subjungit: *Undique te cum Apostolo Christi mortificatione præcinge, undique impressa tibi stigmata Crucis ostende.* Porrò Sancto Francisco ab illo temporis momento, quo totum se Deo consecravit, mystica hæc stigmata corpori ipsius impressa circumtulit, adeo ut de ipso dici possit, quod Ennodius de Sancto Epiphanio scribit: *Carnem habere, nisi cum moriturum se esse meminerat, nesciebat.* Tunc enim Franciscus se corpus habere, hacque mortali carne amictum se esse cognovit, quando ex vulneribus illis sanguinem ex omni

parte

parte manare conſpexit, doloreſque vulnerum illorum perſenſit.

Serm. 60. c. 2. art. 2. 6 S. Bernardinus itrogarat: *Quare igitur corpus B. Franciſci fuit ſic ſignatum ſpecie crucifixi? ſignum eſt quod caro ejus fuit puriſſima, & anima quaſi Deificata*; hæc autem corporis & animæ ipſius puritas, certiſſimus quidam fuit continuæ mortificationis ſuæ effectus. Notanda verò ſunt verba illa: *Anima ejus quaſi Deificata*. Priuſquam Paulus ſtigmatum ſuorum mentionem faceret, verba hæc præmiſit dicens: *Nemo mihi moleſtus* Tom. 2. ſer. 4. cap. 3. *ſit*. S. Bernardinus de ſancto Patre ſuo ſcribit: *Diſcatenata fuerunt ſexaginta millia Dæmonum deputatorum ad pugnandum cum Franciſco*; hi autem Dæmones, ut omnibus conſtat, ſunt veluti totidem Leones; *Tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes*: at verò S. Patriarcha, velut alter quidam Daniel, de ſe gloriari potuit hiſce Danielis verbis: *Concluſi ora Leonum, & non nocuerunt mihi* vel ut ſeptuaginta legunt: *Non affecerunt me moleſtia*: Sciriſne cauſam? Theodoretus ait (vos autem verba ipſius Franciſco applicate) *Danieli aderant leones, qui alioque famelici, accedere tamen ad eum non audebant, eo quod in eo characteres divinam imaginem præſeferentes conſpicerent*: de Franciſco autem audiſtis quod anima ipſius quaſi Deificata fuerit, & *Caro ejus fuit puriſſima*.

7 B. Laurentius Juſtinianus, de triumphali Chriſti Cap. 21. agone ſcribit de Maria: *Clariſſimum paſſionis Chriſti ſpeculum effectum erat cor virginis*. S. Bernardinus autem ut nobis Seraphici corporis puritatem ad oculum exprimat, ſimilitudinem quandam adducit, ſimilitudini à Juſtiniano adductæ valdè conformem; dicit enim: Speculum coninquinatum & fuliginoſum, ſicut & aqua turbida, imaginem illis impreſſam nequaquam recipiunt; ſed ad hoc ut ſimilitudo in illis perfectè exprimatur, opus eſt, ut ambo clara, lympida, & perlucida fiant; imò tunc ſpeculum objectum illi propoſitum perfectiſſimè exprimet, quando etiam pars interior ſpecularis vitri, quæ plumbo communiter contegitur eandem cum parte anteriori habuerint claritatem: *Vitri ſimilitudinem tenebat anima glorioſa B. Franciſci, plumbi autem caro, quantus igitur perfectionis decor fuit, in ejus anima ad reddendam imaginem crucifixi, quando & in ejus Cruce carne ſic ſculpta refulgebat figura Redemptoris noſtri? Quippe inæſtimabile ſignum perfectionis ejus fuit figuratio talis, hanc ſimilitudinem evaporans in ejus carne; nam ad tantam ſinceritatem mentis, & munditiam carnis deductus eſt, ut jam videretur ſtatum innocentiæ aſſecutus*.

Lib. 4. in l. 1. Reg. c. 9. 8 *Ego ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. S. Gregorius ſuper illa verba à Samuele propheta ad Saulem dicta: *Ecce quod remanſit, pone ante te, quia de induſtria ſervatum eſt ſibi*, ita ſcribit: *Remanſit quidem; quia non omnia Chriſtus explevit; per Crucem quidem ſuam omnes redemit, ſed remanſit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur*, Ac proinde Apoſtolus dicebat: *Ego ſtigmata, &c.* Et dicebat: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce*. Quis autem perfectius ſe ſimul cum Chriſto verè crucifixum dicere potuit, quam S. Franciſcus, cujus patibulum crucifixionis Chriſtus ipſe fuit?

9 Verùm enimverò hoc loco dubium quoddam ventilandum occurrit; cur videlicet incarnata Patris Sapientia Franciſco ſimul cum vulneribus non quoque coronam contulerit ſpineam; ſi enim aliquid horum omittendum fuiſſet, potius omittendum videbatur vulnus lateris, utpote quod ſub veſtibus reconditum, oculis ad videndum non patet, cùm tamen certum ſit, quod *ad inflammandum corda noſtra in carne Franciſci Paſſionis ſtigmata renovavit*. Reſpondeo igitur certum eſſe quod ſpinæ quoddam ſint peccati ſupplicium; & hinc eſt, quod Deus poſt primorum parentum tranſgreſſionem terram propter culpam hominis maledictam ſpinas germinare fecerit: *Maledicta terra in opere tuo; Spinas & tribulos germinabit*. Filius autem Dei, qui *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, ſpinas peccata noſtra figurantes ſibi aſſumpſit, ex iiſque coronam omni ex parte pungentem fieri fecit, ut hac ratione peccata deleret & expiaret: at verò nequaquam conveniebat, ut Franciſcus qui innocentiam ſemper immaculatam in vita ſua conſervarat ſpinea in capite ſuo corona accingeretur. Alii vero dicunt, quod Deus mundum nequaquam exponere voluerit alicui idololatrandi periculo, & ideo opus fuiſſe, ut inter Chriſtum & S. Franciſcum ſignum aliquod diſtinctivum unius ab altero intercederet, idque omnibus patens & manifeſtum eſſet, cum enim ambos eodem modo crucifixos videamus, jamque de S. Franciſco à nobis dictum fuerit, quod *Anima ejus* fuerit, *quaſi Deificata, ſimiliſque* Franciſcus fuerit *Deo in filiis Dei*, omnino congruebat, ut inter ipſum & Chriſtum aliqua eſſet differentia, per quam unus ab alio diſtingueretur.

10 Verùm enimverò re bene conſiderata, melius nos facturos exiſtimo, ſi hac de re ſequentem in modum diſcuramus; nam ut ſupra vidimus, ex verbis Vicarii Chriſti Gregorii IX. certum eſt, quod Deus Franciſcum eo præcipuè fine elegerit, ut urticas, ſpinas, & tribulos è ſylveſcenti Eccleſiæ agro radicitus extirparet atque evelleret. *In vineam ſuam mittens, ut ex ipſa ſpinas & vepres evelleret*. Quidam illorum temporum Hiſtoricus ſcribit: *Ea ætate qua Chriſtianus populus non* Ber. Gom. Lib. 2 de rebus & vita Jacob 1. Reg. Aragon. *tam ſpinoſis hæreſibus, quam denſiſſimis ſuperſtitionum atque ſuperbiæ & avaritiæ ſentibus tantopere ſquallebat*, cum ſpinarum quæ caput Redemptoris ſanctiſſimum puncturis ſuis horrendum in modum transfixerunt obliterata eſſet memoria, id eſt gratitudo quam Chriſtiani erga ejus paſſionem exhibere debebant, ideo ut eandem mediantibus S. Franciſci ſtigmatibus reſuſcitaret, hunc finem minimè aſſecuturus fuiſſet, ſi præter vulnerum impreſſionem capui quoque ſpinea corona redimitum fuiſſet; cujus hæc eſt ratio, quia cæto hæc erat miraculoſa virtute imbuta, ut ſpinas illas capiti Franciſci impoſitas in roſas protinus tranſmutatura fuiſſet, adeoque ſi ſpinæ in roſeos flores tranſmutatæ caput Chriſti cinxiſſent, idem ſecutum fuiſſet inconveniens, de quo Sanctus Bernardinus ſcribit: *Non decet ſub capite ſpinoſo membra eſſe delicata*; non enim ſimilibus coronatus roſis Chriſto Redemptori ſuo futurus fuiſſet conformis.

11 Etenim pro jam dictorum faciliori intelligentia, & efficaciori perſuaſione ſciendum eſt, quod quando S. Franciſcus Spinas illas, in quibus, ut conſtans habet traditio, S. Benedictus corpus ſuum volutando cruentavit, Vvad. ann. 1212. n. 3. tetigiſſet, ſpinæ eædem in Roſas protinus fuerint commutatæ: *Dumeta attrectans & exoſculans, demum ſigno crucis afficiens in Roſarum pulcherrimum divina vertit virtute*.

12 Denique ſi corona ſpinea Franciſci capiti inſerta fragrantiſſimas cœpiſſet germinare roſas, aliud quoddam ſcandalum exinde oriturum fuiſſet; in tali enim caſu Sancto Franciſco utpote viro eo præcipuè fine à Deo electo, ut omnes voluptatum ſpinas è mundo eliminaret: *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui à voluptatibus vitæ ſuffocantur*, omnino eum illis diſſolutis, & licentioſis mundanis hominibus convenifſet, qui ſe invicem certatim invitant dicentes: *Coronemus nos roſis*. Id quod nequaquam fieri decuiſſet; ac proinde illa nunquam errabunda Dei providentia ſapientiſſimè ita diſpoſuit, ut capiti Sancti Franciſci nullum aliud diadema imponeretur, quam illa immenſæ, & ut ita dicam, infinitæ gloriæ corona, quam ipſi in cœlorum regno dudum præparatam aſſervabat.

DE
SANCTIS APOSTOLIS
SIMONE ET JUDA
Diſcurſus Quinque.

Discursus V. In ipsorum laudem mysteria aliqua considerantur, propter quæ hoc particulare Evangelium hodiè legitur.

Duos hosce sanctos Apostolos magnam quandam mundi partem, & quidem illos populos, qui maximi sunt Dei inimici, convertisse ostenditur.

DISCURSUS PRIMUS.

In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſ. 18. verſ. 5.

1 PRodigiosus ille prædicationis Apostolorum progressus, quo per totum mundum usque ad postremos ejusdem fines penetrare debebant, aptius quam per hoc Psalmistæ oraculum prædici non poterat; & quidem tametsi totus mundus inter duodecim Apostolos divisus fuerit, & unumquemque Provinciæ illæ, quæ eisdem per sortis distributionem obtigerant, solummodo spectarint, attamen qui regnorum illorum, quibus sancti Apostoli nostri Simon & Judas prædicarunt, benè considerat multiplicitatem & vastitatem, is utique illos solos medium quasi mundum convertisse audacter pronuntiaverit. Etenim S. Simon prædicavit in Ægypto, nec non ut Nicephorus scribit in Africa, ac demum in majori Britannia: S. Judas autem frater ejus Evangelium in Judæa, Galilæa, Samaria, Idumæa, Arabia, Syria, & Mesopotamia annuntiavit, ac tandem ambo simul in Persiam transierunt.

2 Verùm observanda est ad nostrum propositum super illam dictionem, *Terram*, mystica quædam ab Hugone Cardinali, & Alberto Magno adducta interpretatio. Nam Hugo Cardinalis dicit: *Terram hic vocat peccatores.* Et Albertus Magnus ait: *Nota moraliter, quòd terra est peccatorum.* In cujus probationem textum illum Isaiæ adducit, dicentis: *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini.* Et quidem tametsi verum sit, quòd omnes quoque alii Apostoli terræ, id est, hominibus impiis & peccatoribus horrendis vitiorum, scelerumque sordibus immersis prædicare debuerint, attamen notandum est, quòd Ecclesia à Spiritu sancto edocta sanctis Apostolis Simoni & Judæ hanc laudem specialiter attribuat; siquidem de illis in hodiernis lectionibus dicit: *Cum fidem in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminarent.* Ex quibus verbis optimè infertur populos illos, quibus hi Apostoli prædicarunt, præ cunctis aliis totius terræ gentibus ad recipiendum Christi Evangelium minimè fuisse dispositos, idque ob eorundem truculentiam, qua fidem recipere, & prædicationi Evangelii pacis & amoris aures porrigere pronas detrectabant. Etenim crudelitas, sævities atque barbaries amori, & charitati opponuntur, quæ basis sunt Evangelii, & pugnant cum observantia, divinorum præceptorum adimpletione, utpote quæ in reciproca proximorum dilectione fundari noscuntur. Porrò inter omnes gentes, quibus lux Solis eo tempore illucescebat, nulla erat, quæ idololatriæ, superstitionibus, & magiis magis esset immersa, quam gens Ægyptiorum, qui inveteratum suum adversus Deum populi Israelis, utpote qui ipsorum majores in mari rubro miserabiliter submerserat, etiamnum continuabant odium. Similiter quanta erat in Judæa adversùs novæ fidei prædicationem obstinata fuditas? *Constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes.* Dionysius Carthusianus in sermone quodam de his sanctis Apostolis dicit: *Prædicaverunt ambo in Judæa tam ante Christi Passionem, quam post Spiritus sancti missionem, in quibus locis multos ubique converterunt ad fidem, & diversis coruscaverunt miraculis.* Denique quis est qui nesciat, quòd quando quis exprimere vult communem quendam omnis sacrilegii nidum, vel quandam omnis iniquitatis summam, vel asylum omnis malitiæ, tunc trito proverbio locum illum Babyloniam quandam vocet. Spiritus sanctus Babel Deo rebellem appellat, cujus rebellio in turri illa quam meditabantur adversus

Act. Apost. 13. 46.

Deum & cœlum dimicaturi erigere, satis manifestè edita fuit: *Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ.* Et tamen hi sancti Apostoli non solam Ægyptum, torque alia vastissima regna ad Christianam religionem perduxerunt, verum etiam quod magis admirandum est, ipsammet Babyloniam. Et quidem eorum qui conversi fuerunt, non fuit exiguus numerus, nec fuerunt omnes egeni, et populares & plebei, sed ipsummet Regem cum innumeris gentibus converterunt: *Innumerabiles filios Jesu Christo pepererunt.* In illum Psalmi locum: *Et in fines orbis terræ.* Interpres quidam scribit: *id est, usque ad Reges, qui quasi termini agrorum sua regna custodiunt:* Origenes verò eadem verba ita declarat: *Eruditiores quoque ac sapientiores,* & ratio est: *quia verba dicuntur in fines terræ exivisse, & finis perfectionem importat.* Enimverò quòd non solùm rudiores idiotas, verùm etiam sapientissimos quosque ad fidem nostram converterint, ex ipsiusmet Regis Babylonicæ conversione facilè deducitur; nam *Regis ad exemplum,* ut Poeta ille cecinit, *totus componitur orbis.* Idipsum quoque Carthusianus scribit, dum ait: *Plusquam sexaginta millia hominum, cum Rege, Duce, atque Principibus acceperunt Baptismum.*

Apoc. 17. 5.

Riccard. pampo?.

Lib. 8. ad Rom. c. 10.

3 *Exivit sonus eorum.* Remigius Antisiodorensis ait: *Bene exivit, quia prius in Judæa prædicaverunt.* Certum est enim, quòd, ut ex pluribus Evangelii locis liquet, Apostoli etiam vivente & jubente Christo in Palæstina prædicarint; mortale verò odium adversus Evangelii ministros, post Redemptoris crucifixionem pridem invalescere cœpit, tunc enim Apostoli ibidem communiter prædicasse minimè leguntur, nisi solum hi duo sancti Apostoli & Jacobus Minor, qui tamen protinùs Martyrium pro laboribus suis reportavit.

4 Veruntamen supposita veritate historiæ, cujus Author est S. Antoninus & alii, quæ licèt ab aliquibus reputetur apocrypha, non tamen ob id est reprobanda; valde huic nostro proposito aptè convenit Hugonis Cardinalis expositio, qui circa illa verba: *Exivit sonus eorum,* dicit: *Id quod loquuntur exterius, intus non mansit per inanem gloriam.* Enimverò omnes populi per ipsos ad fidem conversi, omni cum promptitudine & reverentia illis obsequebantur, insignis ille belli dux Baradach, opulentissima illis dona præsentavit; apud Regem & regni primates in magna veneratione habebantur; & tamen adeò manserunt humiles, seque ipsos in proprio contemptu contemnentes, ut vix se laceris tritisque vestibus nuda membra sua contexerint; atque ideò ii qui à Magis infestabantur, moniti, ut sanctis hisce Apostolis sese recommendarent, id facere sæpè contempserunt, eo quòd ipsos, utpotè in externo habitu adeò abjectè procedentes, nihil facerent. Unde Sanctus Antoninus ait: *Quos cum vidissent pannosos, & contemptibiliter indutos, in animo despexerunt;* unde liquet, quod quanto fructus, quos in populi illius conversione faciebant, ampliùs augebantur, & quantò magis in ipsis donorum, & gratiarum cœlestium thesauri abundabant, tantò sibi ipsis vilescebant ampliùs.

5 Verùm enimverò idem Cardinalis super illud verbum, *Exivit,* dicit: *Notatur, quod id exit ab eis per sermonem, quod intus fuerat per voluntatem;* quasi diceret: Perfectissimè in ipsis lingua cum corde, voluntate, & operibus consentiebat. Etenim tunc vel maximè facunda, eloquens, & in persuadendo efficax est lingua sermocinantis, quando lingua ejus concordat cum operibus externis. Idem Eminentissimus interpres, exponens illud à Deo in lib. Numerorum datum præceptum: *Fac tibi duas tubas argenteas* dicit: *Prima tuba est verbum prædicationis, secunda est exemplum boni operis.* Porrò Psalmista verbum Dei aptè satis argento comparat, dum ait: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* Hæ duæ tubæ, id est, duo Apostoli, quorum hodie festus est dies, unitim sonabant, quando *in omnem terram,* id est, in majorem vel potiorem mundi partem, *exivit sonus eorum.* Fama quoque sanctitatis ipsorum in omni loco divulgata, magnam prædicationi eorum fidem conciliabat.

Num. 8.

Pſ. 11. 17.

6 Dionysius Carthusianus scribit: *Fidelissimè & infatigabiliter pro humani salvatione generis laboraverunt.* Sciò quidem quod universim de servis Dei scribatur: *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* At verò Dionysio non sufficit,

Serm. cit.

quod

quòd de Apostolis nostris dicat eos erga Dominum suum fuisse fideles, verùm insuper dicit: *fidelissimè & infatigabiliter*.

In Apol. 7 Gregorius Nazianzenus postquam virtutes, quas Salvator Apostolis suis, antequam illos ad dispergendam Evangelii sementem in totum mundum dimiserat, insertas esse voluisset, maturiùs considerasset, dicit eundem Salvatorem desiderasse in iis, ut omnes & singuli, ut ita dicam, cœlestes evaderent: *Et ut uno verbo dicam: Cœlestes*; simulque quo fine id desideraric, declarat dicens: *Ut non minus ob eorum vitam & mores, quàm ob sermonem atque doctrinam Evangelium currat*.

In Ps. 44. 8 At verò supradictæ tubæ allusioni insistendo; *Tuba*, inquit Hugo, *per quam designatur prædicator non resonat nisi vacua, & prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum*. Per has porrò tubas hi Apostoli nostri præfigurati fuerunt: *Exivit sonus eorum in omnem terram*; eo quòd ab omni divitiarum, omniumque aliorum terrenorum bonorum affectu vacui fuerunt & inanes, id quod per oblatorum sibi opulentissimorum munerum repudiationem apertè satis demonstrarunt, dum se nihil præter offerentium salutem, utpote quæ unicus ipsorum, quem ambiebant, thesaurus erat, expetere declarabant: *Pro vestra salute advenimus*; *Non vestra*, dicebat etiamnum Saulus, *sed vos*.

9 De supra nominato belli duce scribitur, *quòd cùm bona illorum*, id est, sacerdotum paganorum, *illis oblata, recipere noluissent*, utpote qui ipsiusmet quoque Ducis oblata dona respuerant, *induxerit eos ad Regem, dicens: Isti, ô Rex, sunt Dii latentes in humana effigie*; Etenim eos ab omni rerum terrenarum cupiditate alienos esse videns, omni pariter humana conditione censuit superiores, ideoque eosdem apud Regem, tanquam viros virtuosos, humiles, pacisque amatores commendavit.

Matt. 10. 9. 10 *Nolite possidere aurum neque argentum*; ita universo Apostolico Collegio Christus præcepit, priusquam illius membra, id est, Apostolos ad annunciandum verbum suum in mundum dispersit. Unde S. Anselmus optimè ait: *Quia alios ad contemptum sæcularium debent invitare, præcepit, ut neque aurum, neque argentum, vel nummos in zonis possideant*.

11 Sanctus Lucas quoque postquam in actibus Apostolicis neminem primorum Christianorum quicquam tanquam proprium possedisse dixisset, confestim subAct. Apost. 4. 32. jungit: *virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Jesu Christi*. Quonam verò mysterio S. Lucas id fecit? cur vix inceptam historiam de renuntiatione bonorum à primis Christianis facta abrumpit, & subinfert aliam à prima planè diversam? *Quid sibi vult* Opusc. 24. (inquit Petrus Damianus,) *hujus sacræ scriptor historiæ, dum de continentia loquitur Apostolica, & communi vita, repentè, tanquam mutato stylo, prosilit dicens: Et virtute magna, &c. cur uni materiæ aliam interpolat, qui cœptam prosequi & continuare debuerat, nisi ut patenter ostendat, quia illi duntaxat idonei sunt ad prædicationis officium, qui nullum terrenæ facultatis possident lucrum?*

12 Ingeniosè Chrysostomus ad arma se reflectit, quibus Christus milites suos munitos voluit, quando illos per mundum dispersit ad bellum tenebrarum principi indicandum, qui se in falsis simulachris per universum mundum adorari faciebat: *Nudi, una induti tunica, sine calceis, atque virga, sine cingulo, absque ci*Hom. 34 in Matth. *bo, in prælia descendebant*; cujus Isidorus Pelusiota optimam reddit rationem dicens: *Sermo actione destitutus,* Lib. 3. ep. 102. *non ultra aurem grassatur, qui autem ab actione animatus est, ut qui acris & efficax sit, altè penetrat, animumque attingit*. Porrò notus est omnibus heroicus ille virtutis actus, quem Pater quidam è Societate Jesu exercuit, dum enim hic in Indiis ad idololatras regionis illius prædicaret, perditus quidam vir in conspectu totius auditorii in faciem ejus turpiter exspuit, ipse verò sordes illas sine ulla turbatione, imo cum speciali animi serenitate strophiolo suo abstergens discursus sui filum strenuè est prosecutus. Quo insignis mansuetudinis actu ita cunctos circumstantes rapuit, ut ad illum magis attenderint, quàm ad verborum suorum efficaciam. Simili modo populi, quibus Apostoli nostri prædicabant, immanes, barbari, & vindictis assueti erant

Mansi Prompt.

(ideò enim *efferatis gentibus* prædicasse dicuntur) & tamen dum videbant, quòd Apostoli, quantumvis diris modis à sacrilegis magis, & ingratis sacerdotibus idololatris haberentur, nec deessent illis variis se de illis vindicandi, & ab illorum insultibus se eximendi modi, siquidem publicæ contra illos Justitiæ executionem jam pridem decretam permittere potuissent, nihilominus se pro illis à Justitiæ executione eximendis deprecando apud Judicem interponerent, hoc unicum fuit conversionis ipsorum motivum; unde Evangelio quod prædicabant, ultrò citroque se subjecerunt, rapti non tam ab efficacia veritatis, quam ab authenticatione ejusdem, quam Evangelio per mansuetudinem, multasque alias in ipsis elucentes virtutes attribuerunt. *Innumerabiles filios Jesu Christo pepererunt*. Quidnam obsecrò Centurionem promovit, ut inter Calvarii montis tenebras, *tenebræ factæ sunt*, oculos suos in veram illam lucem dirigeret, quæ *illuminat omnem hominem*, id est, in Christum, eumque confiteretur verum Dei filium? *Verè filius Dei erat*. Sanctus Marcus ait: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat?* Matth. 27. 54. Marc. 15. 39.
Quando enim audivit quòd Salvator noster inter acerbissimos crucis dolores, de nulla alia re sollicitus esset, quàm ut pro Crucifixoribus suis Patrem deprecaretur, dicens: *Pater ignosce illis*, mox inde ipsum veri Dei filium esse conclusit. Supradictus belli Dux, ut diximus, de sanctis Apostolis nostris Regi dixit: *Sunt Dii latentes in humana effigie*; ipsorumque prædicatio adeò copiosum fructum protulit, ut de illis dicatur, quòd *innumerabiles filios Jesu Christo pepererunt*. Hanc autem prædicatio ipsorum efficaciam vel maximè à mansuetudine, cunctisque aliis virtutum actibus, qui in ipsis ad stuporem usque præfulgebant, sibi vendicavit.

13 Enimverò quoniam innumeros ad Deum homines converterunt, *innumerabiles filios*; idem Deus largus bonorum omnium remunerator mirificè eosdem post mortem exaltavit. Dionysius Carthusianus ait: *Rex corpora Apostolorum ad suam transtulit urbem, & in eorum honore miræ magnitudinis fabricavit Ecclesiam*. Demum verò Deus corpora ipsorum in nobilissima totius Christianismi Ecclesia in veneratione haberi voluit, id est, Romæ in augustissima Sancti Petri Basilica. Et quidem tametsi etiam corpora sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli in eadem Ecclesia in summo honore habeantur, illa tamen ibidem nequaquam asservantur integra, sed medietas duntaxat utriusque corporis, cùm altera medietas ad Basilicam Sancti Pauli translata fuisse noscatur, caput verò utriusque Apostoli ad Basilicam Sancti Joannis in Laterano; voluit igitur Deus per suam infallibilem providentiam augustum hoc templum Sancti Petri corporum integrorum Simonis & Judæ Apostolorum pretiosissimis thesauris excellentiùs locupletare quam per aurum, argentum, lapidesque pretiosos in eo passim collucentes ditari possit, idque quoniam per mundi conversionem adeò præclarè de universali Ecclesia sunt meriti.

De virtutibus, & meritis horum Apostolorum sub cœlorum symbolo fusiùs tractatur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Cœli enarrant gloriam Dei. Psalm. 18. ver. 2.

1 DAvid quondam per instinctum propheticum gloriam illam, quæ in progressu sæculorum per Apostolorum prædicationem Deo obventura erat, claris verbis prædixit; & quidem eosdem Apostolos in sphæris cœlestibus præfiguratos agnovit, atque ideò glossa interlinearis verba illa: *Cœli enarrant gloriam Dei*, ita exponit: *Apostoli exponunt gloriam Christi*. Quapropter in hoc Discursu ostendam conditiones & proprietates cœlorum in SS. Apostolis Simone & Juda accuratissimè verificari, idque varias circa hoc sanctorum Doctorum expositiones considerando perficiemus.

2 Et quidem imprimis Hugo Cardinalis cœlorum nobis tradit Ethymologiam, dum super textum assum-

quis potest, quod de eis dicatur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Nihil in sanctis omnibus invenitur*, scribit idem Bruno, *quod in virtutibus, meritis, sanctitati eorum valeat comparari. Sic eorum fide & doctrina tota Ecclesia illuminata est, in quibus virtutum omnium pulchritudo, quasi stella quadam coruscans*. Mystici hi cœli Simonis & Judæ variit, & quidem admirandis virtutibus luminosi coram Idololatris illis gentibus resplendebant. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Videns Dux præfatus tantam Apostolorum sapientiam, & pietatem, & quod omnia terrena despicerent, admiratus est valde*.

Serm. 2. de SS. Apost. Simon. & Juda.

9 *Cæli enarrant gloriam Dei*. Titelmannus circa illa verba dicit: *Terram universam circumambulant, Deique jussu circumeunt ad vivificandam eam, neque est ulla terra plaga quam cœli non perlustrent, & visitent*. Porrò de hisce mysticis cœlis nostris dicere quasi possumus, quòd totam terram circuirent, beneficia ubique spiritualia spargendo; nam ut in Discursu primo vidimus, potiorem ferè mundi partem peragrarunt, & per prædicationem, miracula, & sanctissimæ vitæ suæ exemplaritatem ad fidem Christi compararunt.

10 *Cæli enarrant gloriam Dei*. Idem Titelmannus loc. cit. dicit: *Cæli à Deo lumen suscipiunt, & miram influendi virtutem, ut eam in subjecta corpora diffundant*. Porrò Apostoli lucem doctrinæ, & Evangelii quod annuntiarunt, ab illa luce acceperunt, quæ dicit; *Ego sum lux mundi. Aperiens os suum docebat eos*; per hoc lumen à vero Justitiæ Sole receptum idololatriæ tenebras ubique depulerunt & dissiparunt. Pro omnibus verò aliis Apostolis suscipi merentur duo hi nostri Apostoli, eo quod per benignos influxus suos populis adeo rudibus, barbaris, truculentis, divinique luminis recipiendi præ cunctis aliis incapacibus, benefecerint, siquidem eorum sævitie, barbarie & incapacitate non obstante, omnes Apostolorum nostrorum opera & industria maximoperè fuere illuminati.

Matt. 5. 2.

11 Sanctus Matthæus de Christo dicit: *Dedit discipulis panes, discipuli autem turbis*. Circa quæ verba Sanctus Hilarius ait: *Quia per Apostolos erant divinæ gratiæ dona inferioribus hominibus reddenda*. Et quidem in nostro verè adimplentur verba illa, *inferioribus hominibus*; siquidem tametsi de gentibus ad quas Apostoli nostri à Deo missi fuerant, in lectionibus matutinalibus dicatur: *Efferatis gentibus*, omnes tamen ab hisce Apostolis donis, & gratiis cœlestibus supra modum fuerunt locupletati. Et ideò benignitas influentiarum horum cœlorum, vel maximè ex eo colligi potest, quòd terræ huic omninò sylvestri, stirpibus, spinis, & sentibus plenissimæ, & instar silicis duræ, talem nihilominùs fœcunditatem & fertilitatem impresserint; ut in iisdem lectionibus hodie legerimus: *Cùm innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminassent, doctrina & miraculis, ac denique glorioso martyrio simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt*. Quid his amplius desideratis? Hi cœli nomen Christi illustrarunt, per innumerabilium hominum ad fidem Christi conversionem.

Matth. 14. 19. 20. 14.

12 Albertus Magnus aliam quandam rationem tradit, cur Apostoli cœlo assimilentur, nimirum *propter motus continuationem, continuo enim operabantur bona, & sine lassitudine, sic cælum movetur continuo*. Meritò igitur hi Apostoli cœli dicuntur; siquidem tot Provincias, & regna peragrando fuerunt ad instar cœlorum veloces, & infatigabiles in motu & operationibus suis; ac proinde Dionysius Carthusianus non sine causa de illis dicit: *Infatigabiliter pro humani generis salvatione laboraverunt*. Cœli quoque sunt inalterabiles & incorruptibiles. Et eodem encomio Sanctus Hilarius Apostolos honorat, dum illos vocat *Rerum cœlestium prædicatores, & æternitatis velut satores, immortalitatem in omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes*.

In cap. 4. Matth.

Hi Apostoli Christi præceptum adimpleverunt jubentis annunciare pacem illis, qui eos in domos suas suscipiunt.

DISCURSUS TERTIUS.

Intrantes autem domum salutate eam dicentes: Pax huic domui. Matth. 10. vers. 12.

1 INter alia quæ sapientissimus Magister Christus discipulis suis ad Evangelium prædicandum paulò post dimittendis reliquit monita, unum quoque hoc fuit, quos eos à quibus ospitio excipiendi essent, per pacis apprecationem humaniter salutarent, ut hac ratione hospites ipsorum ipsos pacis nuntios seu ablegatos esse, & haud secus ac amicos ad illos omni benedictione cumulandos accedere scirent Sanctus Augustinus super illa verba Psalmi: *Pax multa diligentibus legem tuam*, Ps. 18. dicit ita Psalmistam loqui; *Quasi diceret multa bona sub una virtute contineri*. Enimverò sanctos hosce duos Apostolos Simonem & Judam laudaturus, hoc mihi thema vendicavi, eo quòd omninò mihi videatur ipsos monitum hoc præ omnibus aliis ad literam executos fuisse, imò invenio quòd Hugo Cardinalis, dum super hunc textum: *Pax huic domui*, scribit, immediatè subjungat: *Hoc Simon Chananæus fecit*; Cumque deinceps Dionysium Carthusianum pervolverem, visurus quem ille verborum illorum sensum ederet, & de qua pace verba illa intelligeret, inveni quòd ipse dicat: *Pax exterior, scilicet, quies ab hostium impugnatione, paxque interior, puta tranquillitas mentis*. His præmissis considerate quæso quanta cum proprietate thema istud proposito nostro adaptetur.

2 Sciendum est igitur, quòd, ut S. Antoninus refert, Ser. tom 6. cùm belli dux Regis Babyloniæ, una cum exercitu cap. 4. egressurus esset ad præliandum adversus Indos, consulto licèt Deorum suorum oraculo, nullum tamen à falsis confictisque numinibus suis habere responsum potuerit, ac proinde nonnullos suorum ad proximè vicinam civitatem dimiserit ut ab aliis quibusdam simulachris silentii hujus causam investigarent: Quibus responsum fuit, simulachra Deorum ideo silere, quod *propter adventum populorum Dei, non poterat eorum Deus respondere*. Quapropter ubique servos Dei inquirere cœperunt, eosque repertos, tandem in prædicti Ducis adduxere conspectum; qui cùm eos qui & quales essent, & unde, aut quo fine advenissent, interrogasset, responderunt: *Secundùm genus Hebræos servos Jesu Christi se esse, & de Judæa illuc venisse ob salutem eorum*. Quibus præfatus belli Dux se postquam è prælio redux feliciter factus esset, verbis & monitis illorum aures præbiturum esse respondit. Sancti verò protinus subjunxerunt, nequaquam illam moram expedire, quin potiùs: *Modo magis congruum est te illum cognoscere, cujus ope possis victor existere, vel saltem hostes pacatissimos invenire*. Tunc dictus belli Dux ait: *Diis nostris potentiores vos video, finem ergo belli prædicite nobis*. Sancti verò Apostoli replicarunt, quod priusquam de fide cum ipso loqui inciperent, operæ pretium esse existiment, ut Dii ipsorum instantis prælii exitum prædicerent, an scilicet faustus, an verò funestus futurus sit, ut hac ratione edita à falsis numinibus oracula falsitatis tantò faciliùs arguere possent. Cùm igitur Dii Babyloniæ bellum instans ex utraque partium cruentum futurum esse prædixissent, sancti fratres subriserunt; quibus proinde Belli Dux ait: *Me timor invadit, & vos ridetis? & Apostoli ad eum: Noli timere, quia Pax nobiscum intravit, & die crastina hora tertia legati Indorum nuntios mittent, se tuæ potestati in pace subdentes*. Et verè ita factum est. Hanc igitur hi Apostoli pacem in Babyloniam secum attulerunt: *Pax huic domui, id est, quies ab hostium impugnatione*. Verùm enimverò pacem istam non solum illic populis annuntiarunt, verum etiam, uti videbimus, multis aliis modis pacis instrumenta fuerunt omnibus illic, quos ad veram Christi fidem converterunt, quorum innumeri fuere.

3 *Pax huic domui*. Ubi Lyranus ait: *Quia prædicator verbi Divini, debet habitantibus domum, quam intrat, pacem optare; & non solum optare, imo & Evangelium Christi prædicare, quod est Evangelium veræ pacis*. Por-

rò verissimum est axioma illud Spiritus Sancti: *Non est pax impiis*, & ideo idololatræ illi vera pace gaudere non Ps. 93. 5. poterant, utpote quæ à divinorum præceptorum adimpletione dismembrari nequit. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Dii gentilium Dæmones erant: *Quoniam omnes Dii gentium Dæmonia*, at Luc. 11. vero ipsomet Salvatore teste *Sathanas in seipsum divisus.* De Christo vero dicitur: *Ipse est pax nostra.* Hostis tartareus nihil aliud seminat, quam zizania odiorum, rixarum, dissensionum, bellorum aliarumque stragum, &c. Quod idem quoque asseclæ ipsius faciunt, qui ut plurimum pace externa non fruuntur, & multo minus interna. *Unde bella & lites in vobis*, inquit S. Jacobus Apostolus: *Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant adversus animam.* Solùm Evangelium est, quod veram nobis pacem affert.

4 Nescio an aliquando vos ad id reflexeritis, quod scilicet S. Paulus in sua conversione nomen suum mutaverit? utique mutatio hæc nominis ex necessitate facta non est, licet ex persecutore factus fuerit Apostolus; nam Matthæus publicanus nomen suum perpetuò servavit; retinueruntque illud post conversionem multi alii. Cur igitur nomen suum post conversionem suam mutavit, num fortasse ideo hoc fecit, quia scilicet humilitatem & abjectionem legis Evangelicæ erubescebat, utpote quæ tunc omnibus in abominatione erat; *Judæis scandalum, gentibus stultitia*, ac proinde nomen suum fortè mutavit, ne agnosceretur? minimè gentium, siquidem ipsemet expresse protestatur dicens: *Non erubesco Evangelium.* S. Paulus in principio Commentarii in Epistolam ad Romanos veram hujus rationem tangere videtur, dum solidè considerat, quod *Saulus* idem significet, quod *inquietudo*; *Paulus* autem idem quod *quietus*; etenim quibusnam coloribus Saulus à S. Luca depingitur, priusquam clara Evangelii luce esse illustratus? *Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini.* Sed quid mirum est, quod pacem & quietem tunc minimè invenerit, siquidem *non est pax impiis*; at verò mox ut *circumfulsit eum Lux de cœlo*, ipseque se suavi Evangelii jugo libens subjecit, tunc protinus imperturbabilem quandam in se est expertus quietem, quia *Pax est fides nostra*, ut concludit Ambrosius. Frater Pacificus, qui ex primis S. Francisci sociis unus fuit, mundi vanitatibus in vita sæculari immersus fuerat, & ob hanc rationem ut scribit S. Bonaventura Seraphicus Patriarcha nomen ejus immutavit; *Videns ipsum ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfectè conversum, fratrem Pacificum appellavit.* Vide igitur qualis pax illa fuerit, quam SS. Apostoli Simon & Judas tot Barbaris populis, annuntiarunt, *Efferatis gentibus* quod idem est ac si diceretur, hominibus feris, crudelibus Sanguinariis. Simon enim in Ægypto prædicavit, ubi tanquam Deos suos Serpentes, Crocodilos, aliaque similia animalia adorabant; prædicavit pariter in Africa, quæ unica monstrorum mater est; unde proverbium illud suam habet originem, quo dicitur: *Numquid novi refert Africa?* Discurrite deinde per Syriam, Arabiam, Persiam, Mesopotamiam, ac tandem Babyloniam, & considerate quanto cum jure *Efferatis gentibus* prædicasse dicantur, & qualiter illis antea barbaris, & truculentis cordibus ipsorum concordiam, unionem & pacem Evangelicam inseruerint, adeo ut jam deinceps postquam conversi sunt non efferatæ gentes vocentur, sed potius amabiles Salvatoris filii esse dicantur: *Innumerabiles filios Jesu Christo pepererunt.* Notandum vero est verbum illud pepererunt, quam scilicet sit mysticum, alludit enim ad matris erga viscerum suorum partus amorem, unde Sanctus Paulus Apostolus paganorum conversiones, quas solicitè procuraverat, considerans gloriabatur, imò fere in Gal. 4. 19. seipso colliquescebat, dicens: *Filioli mei quos iterum parturio.*

Luc. 10. 5 *Pax huic domui.* Albertus Magnus, verba illa: *Primum dicite Pax*, benè considerans, ita exponit, *hoc est beneficiis prævenire*, quasi monere eos vellet Dominus noster uti in hoc æternum Patrem suum imitarentur, 1. Joan. 4. de quo scribitur: *In hoc apparuit charitas Dei: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Sancti Apostoli nostri viam sibi ad infidelium conversionem aperuerunt, per insignia illis præstita beneficia, per miracula & gratias ipsis magno ipsorum commodo præstitas; est quoque & aliud quod orationibus & intercessione sua mediantibus effecerunt, nimirum quod imminentia bellorum pericula ab iis averterint, simul illis prædicendo futurum esse, quod inimici ipsorum humiliati, pacem ab iis instantissimè postulaturi essent. *Beneficiis prævenerunt*, cùm enim Dux belli prophanos Idolorum sacrificulos igne concremare vellet, eo quod sanctos hosce Apostolos contempsissent, multisque affecissent injuriis, & opprobriis, suisque præstigiis; & technis populum seduxissent; *Prohibuerunt Apostoli dicentes; nos non ad occidendum homines, sed ad vivificandum missi sumus*, imò pro eorundem liberatione instantissimè se apud Regem & belli ducem interposuerunt, ut hac ratione eos Deo lucrarentur. *Beneficiis prævenerunt*, quia licet de magis & incantatoribus illis Zaroes & Arphezad severissimum sumere potuissent supplicium ob truculentam adversus ipsos motam persecutionem, id tamen nequaquam fecerunt; & quidem tametsi in eosdem serpentes immiserint, qui eosdem morsibus suis invaserunt, hoc tamen factum est ab illis per præceptum limitatum, ut scilicet absque vitæ periculo eisdem infesti essent, quicquid etiam Rex ipse mortis supplicium iisdem magis inferendum instantissimè urgeret: *Rex autem cum astantibus rogabat Apostolos, ut a Serpentibus eos occidi permitterent; hi autem responderunt: Nos missi sumus ut mortuos revocemus ad vitam, non ut à vita præcipitemus in mortem. Beneficiis prævenerunt* fraudes detegendo, quibus à tenebrarum principe excæcati erant. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Dæmones per energumenos clamaverunt; nobis & vobis Apostoli Dei vivi? Ecce in vestro ingressu flammis incendimur. Dixerunt Apostoli ad Paganos; ut sciatis hæc idola esse Dæmonibus plena; ecce præcipimus eis, ut exeant, & singuli simulacra sua confringant*: mox duo Æthiopes nudi cunctis mirantibus exeuntes confregerunt simulachra. Quodnam vero illis beneficium majus impertiri poterant, quam quod eos ad Dei agnitionem inductos, ab inferni tyrannide, & servitute liberarent? S. Antoninus ait: *Ad prædicationem eorum miraculis confirmatam plusquam sexaginta millia hominum baptizati sunt per annum, & menses ibi remanentes ad instructionem eorum.*

6 *Pax huic domui*, id est, *quies ab hostium impugnatione*, uti jam ex sententia Dionysii Carthusiani diximus. Adhæc præter pacem, quam bella ab infidelibus illis removendo annuntiarunt, hanc pacem insuper exponere possumus de pace, unione, & concordia animorum, nec non de lege charitatis & amoris, quam populis illis antea barbaris & sævis, *Efferatis gentibus*, impresserunt, qui hactenus non solum inimicitiis & continuis inter se rebellis dediti erant, verum etiam ab inimicis invisibilibus, id est, Dæmonibus, quos adorabant, nec non ab eorundem vitiis & abominationibus continuò infestabantur, liberabant, siquidem *non est pax impiis.* Author olim incognitus, nunc verò notissimus P. Michael de Ayguanis Carmelita in proposito de Saule Dæmoniaco, per Davidicæ verò Cytharæ sonum seu plectrum liberato, ita scribit: *Spiritus maligni melodiam cantus, maximè spiritualis oderunt, propter concordiam vocum.* S. Cyprianus quoque Martyres adversus infernum armaturus, hoc iisdem salutare suggerebat monitum: *Inveniat vos munitos, & concordia ar-* Lib. ad *matos, quia pax vestra bellum est illi.* Enimverò hisce mart. c. 1. nostris Apostolis charitas in summo gradu intensa inerat, prouti ex hactenus dictis facilè liquet; per hanc autem debellarunt infernum, & populos illos antea sævos in se invicem, ac barbaros hostes tartareos superare, falsaque idolorum numina pedibus substrata docuerunt conculcare, legem videlicet iis annuntiando Evangelicam, quæ pacem, unionem, atque concordiam infallibiliter subinfert; ideoque dicitur *Evangelium pacis.*

7 Sapiens scribit: *Frater, qui adjuvatur à fratre, est quasi civitas firma.* Postquam duo hi fratres separatim adversus Idololatriæ tyrannidem in diversis Provinciis & regnis gloriosè pugnassent, tandem ad dissipandum, & subvertendum totaliter in Perside Luciferi regnum se simul junxerunt, ubi etiam inexpugnabilem suam fortitudinem egregiè contestatam fecerunt, truculentis sacerdotum idololatrantium, magorumque simul in eorum perniciem conjuratorum persecutionibus fortiter, & generosè resistendo, adeo ut civitas,

Dei,

Dei, id est fides orthodoxa à duobus hisce fratribus defensa, adeo gloriosè adversus omnes Paganorum infestationes victrix evaserit, ut simul *innumerabiles filios Jesu Christo pepererint*. Idque per pacem & charitatem, quam illis gentibus insinuarunt.

8 Chrysostomus rationem quandam adfert, cur Deus Elementa inter se concordiam habere noluerit, hanc nimirum: *Elementa sibi invicem sunt infesta, ut omnes sciamus, quod quæ bello impetunt, & impetuntur, Dii esse non possint.* Simili quoque ratione ad demonstrandam Deorum gentilium falsitatem, multum hisce Apostolis profuit, quod efficere, & ad oculum demonstrare potuerint, falsa illa Deorum numina magna inter se discordia discrepare: Unde scribit Ovidius:

Jupiter in Trojam, pro Troja stabat Apollo,
Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Non sic se res habet cum Deo nostro, quia *Deus charitas est; ipse est pax nostra:* atque ideo voluit ut Apostoli qui Divinitatis suæ fidem iis, qui Dæmonum cultui dediti erant, annuntiare debebant, pacem primo omnium loco annuntiarent, ut exinde Deum pacis verum Deum esse cognoscerent, non vero ipsorum simulacbra, quia *qui bello impetiunt & impetuntur, Dii esse non possunt.*

In adimpletione præcepti, quod Christus Collegio Apostolico de dilectione imposuit, insignes fuerunt.

DISCURSUS QUARTUS.

Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. 15. vers. 6.

1 IN officio divino, quod Ecclesia in honorem Apostolorum recitandum præscripsit, prima & præcipua antiphona, quæ in eorum laudem dicitur, hæc est: *Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem*. Charitas enim est regina omnium aliarum virtutum, unde dicitur: *Major autem horum est charitas*. Et S. Jacobus Apostolorum nostrorum frater, nobile hoc ei attribuit epithetum, quo illam vocat *legem regalem*. Hanc Christus Dominus noster Collegio Apostolico cum speciali quadam energia commendavit, dicens: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos: Ut & vos diligatis invicem, in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Chrysostomus quoque messem quam per tot animarum conversionem Christi horreo, id est, Ecclesiæ intulerunt, unioni & mutuæ ipsorum concordiæ attribuit; siquidem verba illa Psalmi: *Ascendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tuba*, quibus victoriæ, & triumphi quos ab Evangelii persecutoribus reportaturi erant, deprædicantur, examinans, ait: *Cur non dixit in tuba, sed in voce tuba? significans eorum concordiam, & animi consensionem: fidei namque extensio atque victoria plus debetur discipulorum consensioni, quam concioni*. Ideo etiam Filius Dei
Joan.17.21 hanc æterno Patri suo supplicationem porrexit: *Ut omnes unum sint, sicut & tu Pater in me es & ego in te*. Ubi Cajetanus ait: *Ut intelligamus extensionem fidei, non tam fieri prædicatione, quam virtute unitatis Christianorum*. Quo supposito examinemus nunc, si placet, in præsenti discursu, quam bene hi duo fratres in hac virtute radicati fuerint, ex quo de illis constat, quod *innumerabiles filios Jesu Christo pepererunt*. Incarnata namque sapientia nihil adeo fervide & seriò Apostolis imposuisse legitur, sicut hanc eis dilectionem præcepit; cujus causam Glossa interlinearis, in propositi thematis verba: *Hoc est preceptum meum, ut diligatis invicem*; scribens, insinuat, dum ait: *Non aliud quia in hoc sunt omnia, & dilectio Dei, & fides.*

2 Christus Apostolos suos sæpe fratrum nomine ap-
Matth.26. pellasse legitur: *Nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaam* quia in eis amoris, & dilectionis plusquam fraternæ puritatem agnoscebat. Et quidem duo hi nostri Apostoli fratres Christi erant secundum carnem, licet non fratres germani, sed consobrini; *Fratres ejus*
Mat.13.55 *Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas*, non tamen eosdem ex hoc carnalis cognationis motivo ad Apostolatum vocavit; nam quando Domino dicebatur: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te, exten-* Matth.12. *dens manum in discipulos dixit: Ecce mater mea & fratres mei*, quasi diceret, illos matris & fratrum loco habeo, qui plus me diligunt, meæque legis observantiores existunt: *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater*; adeoque hi duo Apostoli fratres, id est, Apostoli ejus appellati fuerunt, quia cor eorum magno quodam amore exarsit, sanctique fuerunt, non vero quia sanguine cum eo conjuncti erant. Unde S. Fulgentius ait: *Simon ille Chananaus qui mutavit* Serm. in *nomen gentis, & inseruit florem suum corona virtutis,* Nat. Ap. *aptatus manibus Salvatoris fulget de ista corona igneo vigore decoratus Judas zelotes zelans pro Domino, non commercium quærens Christum vendendo pro illo zelabatur, non de isto paciscebatur.* Notandum quoque quod in iis lapidibus pretiosis, in quibus hi duo Apostoli fuere figurati, hæc quoque dilectio specialiter rutilet. *Decimum Chrysophrasus, undecimum Hyacinthus*, inquit Apoc. 21. 20. Joannes Apostolus in sua Apocalypsi. Per quorum primum S. Judas, per secundum vero S. Simon intelligitur. Porrò lapis iste qui S. Judam Thadæum significat, guttulis aureis respersus esse scribitur, per quas charitas symbolizatur, in dicto Apostolo præclarè eluxit, qui proindè ab expositore quodam moderno in ejus Epistolam scribente, in præfatione Commentarii, *Mirè cordialis, benevolus, & amabilis* appellatur. Gemma vero quæ alteri fratri attribuitur, Hyacinthus est, de quo Cornelius scribit, quod antiquus ex naturali sua proprietate *durus erat, adamante tamen vince-* Corn à *batur, & scalpebatur*; hic autem adamas ardorem Lapide. in corde ejus Dei amorem figurabat: Præterea si Ethymologiam nominis utriusque Apostoli consideremus, in utriusque nomine pariter amorem, & charitatem expressam inveniemus. Nam ut Durandus in Rationali Divinorum officiorum ait: *Simon Zelotes dictus est*: zelus autem partus quidam est ferventis amoris erga objectum amatum, quo omnis ab amato injuria arcetur. S. Judas autem cognominatur Thadæus, vel in lingua Græca, & Syriaca *lebbeus* quod idem est Lib.7.c.31. quod *corculum*. Plinius vero dicit: *Corculum à corde dicebant antiqui*; unde patet eum hoc titulo ideò præcipue appellatum fuisse, quia merum cor, merusque erga Deum & proximos amor erat. Porrò cum ea quæ erga Proximos habetur dilectio, eo se præcipuè extendat, ut omnibus liquet, ut eisdem in necessitatibus tam corporalibus, quam spiritualibus subveniatur, ideo quod spirituales proximorum necessitates attinet, non est dubium quin hi Apostoli ut vidimus in iis sublevandis & curandis, *infatigabiliter*, ut Carthusianus ait, se impenderint; quod vero subsidium corporalibus necessitatibus ab ipsis præstitum attinet, quidnam de ipsis quoad hujus præcepti executionem dicere possumus? Respondere fortasse nonnemo poterit, ipsos ad subsidium temporale præstandum minimè obligatos fuisse, siquidem tale ab eis petentibus dicere poterant: *Ecce nos reliquimus omnia*; veruntamen nos bono cum fundamento asserere posse existimo, dum quod priusquam ad Apostolatum assumpti fuerunt, de substantiis & facultatibus suis, quas ad ipsorum instantiam per manus matris sibi distributas possidebant, Apostolos, aliosque Salvatoris discipulos, imò & ipsum Christum sustentarint: Mater namque horum discipulorum una erat illarum, quæ continuò Christum sequebantur, *& ministrabat ei de facultatibus suis*, prouti ex cap. 27. vers. 55. Matthæi, & Lucæ cap. 8. v. 3. clarè colligitur, unde ipsemet Dei filius, omnesque alii Apostoli dicere ipsis potuerunt: *Esurivimus, & dedistis nobis manducare.*

3 *Ut diligatis invicem*. Porrò *charitas non quærit quæ sua sunt*, ut Apostolus ait: Et ideo qui vero & soli- 1.Cor. 34 do amore proximum suum prosequitur, gaudet impensè dum videt, quod bonorum suorum alii quoque fiant participes. Hujus amoris S. Judas pulchrum specimen edidit, quando audiens Christum dicere: *Qui autem di-* Joan.14.24 *ligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum; Dicit ei Judas, non ille Iscariotes; Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, non mundo?* quasi dicere voluisset; quamobrem bona illa, quæ nobis largiri intendis, non pariter in universum mundum diffundis?

4 *Dilectio Dei & fides*, inquit Interlinearis ut antea

vidimus; atque ideo omninò existimo quod causa cur duo hi Apostoli fidem adeò magnoperè dilatarint, ut sancta mater Ecclesia hanc eis singularem laudem attribuat, quod *innumerabiles filios Jesu Christo peperetunt*, causa, inquam, hujus fuerit, quia in ipsis plusquam in aliis hæc ardebat dilectio.

Prov. 21. 28. 5 *Vir obediens loquetur victorias*; id est, *eas*, inquit Hugo Cardinalis, *quibus seipsum per virtutem obedientiæ vicit*. Cum igitur *Simon* idem significet quod *obediens*, facilè cuilibet erit conjicere, quot & quam gloriosas de inimicis fidei nostræ reportarit victorias. Per aliud verò cognomen quo *zelotes* appellatur zelus ipsius ardentissimus perspicuè demonstratur, quem in tot Idolorum subversione abunde probavit.

6 Ad æstimandam quoque S. Judæ Thadæi virtutem, sanctitatem & ardentem charitatem, legatur obsecro ejusdem Epistola, quam tam ad gentiles, quam ad Hebræos per mundum dispersos exaravit, eo præcipuè fine, ut multas in exordio Ecclesiæ subnascentes hæreses penitus eradicaret. Hanc enim Epistolam dicit Origenes esse. *Paucorum verborum, sed plenam efficacia cælestis gratiæ verborum*. In hac Epistola Zizania à Simone Mago, Cherintho, & Nicolaitis super triticum seminata eradicare satagit, præcipua sacræ fidei nostræ dogmata, mysteria nimirum sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Verbi, Redemptionis, & separationis bonorum Angelorum à malis stabilire contendit, fidem quoque & finalis judicii metum nos docet, suadens omnibus fugere blasphemias, luxuriam, superbiam, avaritiam, inobedientiam, odia, fraudes & quævis alia, vitiorum genera, denique in fide, oratione, charitate, errantium conversione in stabili permanentia, & continuatione vocationis propriæ, omnes instruit, Deumque fructuosè laudandi modum aptissimè tradit.

In cap. 13. Matth.

Ser. de SS. Ap. Simon & Juda. 7 *Ut diligatis invicem*. B. Laurentius Justinianus ab hac nostrorum Apostolorum fervida dilectione, intrepidam ipsorum in tormentis fortitudinem arguit his verbis: *Numquam labores peregrinationis, judicum minas, tormenta carnificum, martyrii superassent agonem, si non charitatis juga interioris hominis colla stravissent*. Dionysius Carthusianus in illa verba: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, pulchrè observat, quod Christus non ait: *si miracula feceritis; si omnium gentium linguas noveritis; si dona prophetiæ, sapientiæ, & scientiæ fortiti fueritis, vel qualibet alia bona ad gratiam gratis datam spectantia*. Et ratio est, quia hæc dona, ut S. Thomas notat, *possunt esse communia bonis & malis, sed speciale discipulatus Christi signum est charitas*. Enimverò quin SS. Simon & Judas & omnibus hisce donis fuerint locupletati, in dubium nequaquam revocari potest; nam S. Bonaventura in sermone quodam de hisce sanctis Apostolis habito scribit, ipsorum opera mortui revocati fuere ad vitam, aliaque multa, prodigiosa valdè patrarunt miracula, quale est, quod unius duntaxat diei infantem articulatè & intelligibiliter fecerint loqui & respondere ad interrogata; nec tamen propter hæc & similia miracula agnıti & in veneratione habiti fuerunt, tanquam servi veri Dei; ac proinde Hugo Cardinalis ait: *Magis ædificavit Ecclesiam charitas Apostolorum, quam miracula*. Et Author operis imperfecti ait: *Ideo Spiritus sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis*. Mox que addit: Alias virtutes a Dæmonum cultoribus fingi posse, *solam autem charitatem Spiritus sancti non potest immundus Spiritus imitari*.

Hom. 4. in Matth.

8 Idem Cardinalis, super illis verbis: *In hoc cognoscent omnes &c.* nihil ad propositum nostrum aptius dicere poterat, quam dum eidem verbis addit sequentia: *Etiam Ethnici & gentiles*, id quod exactissimè in sanctis Apostolis nostris verificatur, siquidem ipsi quoque pagani Babyloniæ, quibus nulli impientiores inveniri poterant, ex hoc charitatis in hisce Apostolis evidènter notato signaculo, perspicuè videre & inferre poterant SS. Simonem, & Judam plusquam homines, omnique humana conditione superiores esse, quando ab Idolorum sacrificulis per acerbissimas persecutiones mortem iisdem machinantibus, magnis injuriis affecti, cùm debitam in illos vindictam exerceri videre possent, permittendo ut in eos publica exerceretur justitia, nihilominus pro eorundem liberatione intercedendo sese inter posuerunt; Qua de re Dionysius Carthusianus ita scribit: *Hæc fuit una Apostolorum victoria, qua Deos falsos, & eorum Pontifices superaverunt*, Hæc in eis notata puritas & synceritas charitatis, tantam eis fidem, & authoritatem conciliavit, ut ipsimet Gentiles, eorumque suprema capita dixerint: *Isti sunt Dii in humana latentes effigie*. Neque hoc eorum de sanctis Apostolis conceptum judicium rationis fundamento carebat, nam juxta auream illa S. Paulini sententiam; *Vicem injuriæ reddere humana ultio est: at inimicos etiam diligere vindicta cælestis est*.

9 Oportunè hoc loco mihi incidit historia illa quæ in Genesi de Esau refertur, cui cùm Jacob ad paternam domum rediens, factus obvius dixit: *Vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei*. Et tamen hic reprobus apud Deum erat: *Esau odio habui*. Jacob verò Israel dicebatur, quod idem est, ac *videns Deum*. Qua igitur ratione fieri poterat, quod præscitus ille à Jacob videretur quasi Divinam referens imaginem? Sciendum proinde est, quòd Esau in ea occasione Jacob fratri suo occurrens inveteratum, quo fratrem suum prosequebatur, odium jam deposuerat, utpotè fratri suo perfectè reconciliatus. Glossa autem dicit: *Peccator cum remittit, quasi alter Deus est*. Quod pariter Chrysostomus confirmat, dum ait: *Nihil ita facit hominem Deo similem, sicut inimicis esse placabilem*. Et ideo mirum non est quod Dux belli Babylonici Regis per instinctum superiorem Spiritus sancti, in hisce Apostolis propter charitatem & mansuetudinem quam in sacrilegos illos sacrificulos exercuerant, speciem quandam agnoverint omni humana conditione superiorem, adeò ut, ipsi viderentur. *Dii in humana latentes effigie*. Theophylactus illa verba: *Sicut dilexi vos*. hoc modo explicat: *Nullis bonis operibus vestris præcedentibus, sed & cum inimica esset humana natura, eam suscepi, sanctificavique: ita & vos gratis diligite, etiam si offenderit te frater, ne recorderis ejus*. Qua doctrina supposita legite: & considerate mansuetudinem quam sancti Apostoli persecutoribus suis exhibuerint, & invenietis qualiter filium Dei ad vivum fuerint imitati, qui ut Chrysostomus ait: reconciliationem fratris, oblationi & sacrificio suo longe antepofuit: *Si affers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus & vade prius reconciliari. Honorem suum*, inquit Chrysostomus, *despicit, dum in proximo charitatem requirit*. Et ideo mirum non est quod hi nostri sancti Apostoli non solum vitam suam, verum etiam honorem & reputationem propriam contempsisse legantur, ut suam erga persecutores suos evidenter probarent charitatem.

Gen. 33. 10.

Hom. 13. in Matth.

10 S. Paulus aliquando in iis se angustiis constitutum esse sensit, ut diceret: *Coarctor de duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo multo melius: permanere autem in carne necessarium propter vos*. Equidem dum Historiam vitæ horum sanctissimorum Apostolorum considero, hi mihi in similibus ferè angustiis animique suspensione positi fuisse videntur; nam si Carthusiano credimus: *Apparuit eis Angelus dicens, aut horum* (id est Magorum, qui Apostolorum nostrorum meditabantur necem) *repentinum interitum, aut vestrum martyrium eligite?* Quibus verbis libera eis dabatur optio, qua vel eligerent adeò heroicis actibus charitatis, & mansuetudinis erga inimicos exercendæ se privare: aut verò adeò copiosam animarum illarum quas in vita superstites convertere poterant, negligere messem, sibique viam quoad Martyrii coronam pertingere possent, omninò præcludere; at verò in quamnam propositæ optionis partem se tandem resolvisse existimatis? *Responderunt Apostoli: Exoranda est misericordia, ut & illos convertere, & nos ad martyrii palmam perducere dignetur*.

Phil. 1. 13.

11 *Ut diligatis invicem*. Dicit S. Petrus Apostolus: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, id quod de sanctis Apostolis perfectè adimpletum fuisse in eorum historia, per mirum quoddam ab eis patratum prodigium comprobatur. Accidit enim quod quidam Apostolorum nostrorum Diaconus à pessima quadam fœmina diffamaretur, quasi per illatam sibi ab eo violentiam filium ex eo conceptum enixa esset, onde ingens inter Neophytos ad fidem ab Apostolis recens conversos oriebatur scandalum; nec minus prædicationis Evangelicæ præjudicium. Quid in hoc casu sanctos Apostolos fecisse existimas ut hujus ministri sui tuerentur innocentiam? 1. Petri 4. 8.

Nuni-

Nimirum Infanti qui ante non multas horas natus fuerat, præceperunt in virtute Dei, ut an accusatus Diaconus ejus genitor esset, coram omnibus ediceret : Qui protinus id falsum esse, imò Diaconum virginitatem suam in eam usque horam illibatam conservasse respondit, Quia verò *charitas operit peccata*, factum est, ut cum astantes instantissimè urgerent, ut puerum ulterius quisnam fornicationis hujus complex esse, fateri cogerent ; puer utique ab Apostolis edoctus respondit, suarum quidem partium esse innocentiam defendere, nequaquam vero reum propalare.

In ipsorum laudem mysteria quędam considerantur, ob quæ hoc Evangelium hodie specialiter legitur :

DISCURSUS QUINTUS.

Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Jo. c. 15.

1 SAlvator noster Apostolos suos ad sufferendas in propagatione fidei obvias persecutiones animare volens, eosdem monuit, ne mirarentur aut trepidarent, mundum mihi adversarium esse videntes, siquidem hujus contrarietatis & contradictionis nulla alia sit causa quam quod à se in discipulos suos electi, adeoque à mundo sequestrati essent. Meritò igitur Sancta Mater Ecclesia in hodierna solemnitate in horum Apostolorum honorem præsenti Evangelio utitur, siquidem hi duo sanctissimi Apostoli in cunctis operibus suis palam testati sunt, nihil sibi cum mundo negotii intercedere, licèt graves ab illo persecutiones sustineant, seque dignos esse, qui ad dignitatem eligerentur Apostolicam.

2 Angelicus Doctor in sermone de hodierno festo, notat causam cur Evangelium istud in horum Apostolorum honorem legatur, nulla autem illius in aliorum Apostolorum festis de eo fiat mentio, causam inquam illius hanc esse : *Quia mundum & omnia quæ in mundo sunt, despexerunt.* Idem Angelicus Aquinas aliam quandam considerationem circa c. 14. Sancti Joannis instituit, ubi postquam Salvator toti Collegio Apostolico dixisset : *Qui diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*, & Judas non ille Iscariothes dixisset : *Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo ? Sciendum est*, inquit Angelicus, *quod sanctorum & humilium consuetudo est, cum magna de se audiunt, stupeant, & admirentur : audierant autem discipuli Dominum dicentem : adhuc modicum, & mundus me jam non videt, vos autem videbitis me &c. ex quo videbatur Apostolos toti mundo præferre ; & Judas frater Jacobi in admirationem, & stuporem positus dicit : Domine quid factum est ? quasi diceret : Quæ causa erit ? Nunquid nos supra totum mundum sumus ?* Et verè ita est, nam talem in cordibus suis mundi contemptum conceperant ; per quem omnibus terrenis rebus superiores facti fuerunt, & verificabatur in illis dictum illud Tertulliani de Christianis sui sæculi loquentis : *Terram suspensè pedes tenemus* : tametsi enim utroque pede ad Evangelium prædicandum potiorem mundi partem peregrinando peragrarint, attamen tanquam viri à terra, terrenisque rebus alienissimi, eandem terram unico tantum pede videbantur contingere.

In Apol.

3 B. Laurentius Justinianus heroicum illum mundi contemptum qui in ipsis fuit, ex eo præcipuè arguit, quod se totaliter quoad corpus & animam Deo consecrarint. *Sæculi blanditias, carnis lenocinia, terrenas facultates quomodo spernere potuissent, nisi corde & corpore accessissent ad Jesum Christum ?* Sanctus Bonaventura de Juda scribit, quod mox ut Rex Abagarus illum conspexit, ei dixerit : *Verè discipulus est Christi Jesu filii Dei vivi.* Quibus in verbis notandum est ad verbum illud *verè*, per hoc namque virtus quædam eminentior in ipso latens indicabatur, qua cunctos alios Christi discipulos plurimum superavit. Ambo namque Christo toto corde eaque cum vehementia dediti erant, ut S. Judas Thadæus ; ut diximus *Lebbæus* denominatus fuerit, *quod interpretatur corculum*, vel ut Dionysius Carthusianus exponit *cordis sui diligens custos*, ne ulla peccati impuritate inquinaretur. Et quidem credibile est hanc ipsorum puritatem & innocentiam magnis incrementis auctam fuisse, *quando corde & corpore accesserunt ad Christum*, qui erat *candor lucis æternæ, & speculum sine macula*. Sanctus Basilius ab Eubulo magistro die quadam interrogatus : *Quis est mundus ?* respondit : *Qui est supra mundum* ; ac proinde duo hi Apostoli mundissimi cordis erant, utpotè qui Angelici Doctoris testimonio, *Mundum, & omnia quæ in mundo sunt, despexerunt*, ideoque verè dicere poterant : *Nos supra mundum sumus.*

Serm. de SS. Apost.

In Matth.

4 Incarnato altissimi Patris Filio, specialissimè hæc laus attribuitur : *Omnia in sapientia fecisti*, quam utique in eo contestatam fecit, quod non sine altissimo Sacramento, duos in collegio suo Apostolico habere voluerit, qui tum Simonis, tum Judæ nominibus appellarentur, ut tanto magis heroicæ ipsarum virtutes elucescerent, si abominanda vitia aliorum duorum sceleratissimorum discipulorum, qui eadem cum ipsis sortiti fuerant nomina, è diametro iisdem opponerentur, utpotè qui mundo rebusque terrenis tanto affectu innexi fuere ; ut unus illorum scilicet Judas Iscariothes, divitiarum nimia cupiditate seductus, ipsummet Deum & Salvatorem suum triginta denariis, vendiderit : alter verò Simon Magus gratias & dona Spiritus sancti pro temporali pretio vænum exposuerit. Ad majorem namque horum confusionem duos alios in eadem schola Christi esse voluit, qui ab omnibus hujus mundi rebus alienissimi, tanti essent auri, argentique omnium aliorum iis oblatorum munerum donorumque terrenorum contemptores ; ut vel ipsimet sceleratissimæ Babyloniæ nequissimi cives & incolæ eosdem obstupescerent, æstimarentque non homines, sed Deos sub humana effigie latentes.

5 S. Jacobus Minor Apostolus, quia amborum Apostolorum nostrorum frater carnalis extitit, in Epistola sua scribit : *Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei ? Quicunque ergo voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Ex quibus verbis, quantopere sancti Apostoli ab omni fuerint affectu terreno alieni, facilè deducitur, siquidem non solum ab ipsomet Dei filio ad sublimem amicorum suorum gradum evecti fuere : *Jam non dicam vos servos, sed amicos* : Verùm insuper ipsos elegit in suos fratres licet consobrinos secundum carnem, & tanquam tales ab omnibus agnoscebantur, ut Sanctus Marcus cap. 6. testatur. Porrò *Frater*, ut Aulus Gellius scribit, idem est, quod *fere alter* ; ac proinde verisimile est ipsos Christo simillimos fuisse, maximeque conformes, utpote qui duplici Fraternitatis vinculo ipsi conjuncti erant, videlicet non solum quoad gradum Apostolatus, verum etiam quoad parentelam. De Apostolis omnibus quidem constat eos à Christo tanquam fratres fuisse habitos : *Nuntiate fratribus meis* ; at de his duobus aliisque ipsorum germanis fratribus S. Marcus specialiter dicit : *Nonne hic frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis ?*

Jacob 4.

Lib. 13. c. 10.

Matth. 28.

6 Duobus hisce Apostolis eo quod ab omni re terrena tantopere alieni erant, illa S. Maximi sententia optimè adaptari potuit : *Christianus, qui mundum non possidet, hic totum possidet Salvatorem* ; Siquidem toti quanti erant Christi fuerunt, utpotè qui *corde & corpore ad eum accesserunt.* De multis Aliis Apostolis nonnullæ scribuntur imperfectiones de Jacobo & Joanne, quod apud Christum primus regni sui sedes ambitiosè poposcerint, de Petro quod Christum negaverit ; de S. Thoma quod incredulus & infidelis fuerit, de Sancto Matthæo quod fuerit avaritiæ deditus, de S. Paulo quod Ecclesiæ persecutor extiterit : at verò hi tres Apostoli, Jacobus Minor, Judas & Simon, fratres à primis annis in summa vixerunt innocentia cordis, & credibile est quod tanquam proximi cognati unà cum Christo simul fuerint educati & nutriti : *Non fuit, quid de eis loqueretur verbum malum.*

Hom. de Juda.

7 *Mundum & omnia quæ in mundo sunt, despexerunt.* Nullus unquam vel minimus pulveris atomus pedibus eorum adhæsit. Cœlestis Magister Christus quondam discipulis suis præcepit dicens : *In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos exeuntes in plateas ejus, dicite : Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra extergimus in vos.* Hi autem Apo-

Luc. 10. 11.

stoli

stoli nostri in cunctis Provinciis & regnis, in quibus Evangelium prædicarunt, copiosissimamque collegerunt laborum suorum messem, summis cum honoribus recepti fuerint, quonam igitur sensu dicentur hoc illis præscriptum adimplevisse præceptum? In eo nimirum sensu, in quo eadem verba. Sanctus Hieronymus interpretatur, dum in cap. 2. Ezechielis ita scribit: *Excutiant pulverem suorum. Quod scilicet nihil munerum terrenorum ab eis apud se manere patiantur.* Considerabilis utique est circumstantia illa qua ambos pedes à pulvere abstergere jubentur, quia non sufficit quod quis ab hisce temporalibus, & terrenis rebus in effectu procul absit, nisi etiam, & longè quidem ampliùs concurrat affectus; quod ab hisce Apostolis nostris perfectissimè variis in occasionibus adimpletum fuit. Quando enim Abagarus Rex Sancto Judæ Apostolo ob regnum suum ab eodem ad Christi fidem felicissimè conversum, aurum copiosissimum offerebat, illud accipere totaliter renuit, dicens: *Si nostra prorsus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena?* Similiter dum ab inclyto belli Duce Regis Babyloniæ de causa ipsorum in illa Regna adventus interrogarentur, quidnam referente Dionysio Carthusiano responderint, velim audite: *Pro vestra salute advenimus*, adimplendo videlicet non verbis, sed effectu potiùs & reipsa salutare illud Doctoris gentium documentum: *Non vestra, sed vos.* Ad quod fortasse Sanctus Gregorius Magnus oculum quoque suum direxit, cum ait: *Redemptor noster a sacerdotibus officio non quærit aurum, sed animas.* Ducis quoque illius, quem magnis beneficiis cumularant, amplissima munera iis oblata pariter respuerunt, qui proinde *admiratus est valde quod omnia terrena despicerent.* Sanctus Hieronymus ad Nepotianum scribens postquam fructum exposuisset qui per viam abnegationis mundi hujus, & bonorum illius in conversione animarum passim colligitur, tandem subjungit: *Nunquam petentes, raro accipiamus rogati; nescio enim quomodo qui te precatur ut tribuas, cum acceperis, viliorem te judicet, & mirum in modum, si rogantem contempseris, plus te posteriùs venerabitur.* Ecce tibi hujus salutaris doctrinæ Hieronymianæ casum in nostris Apostolis in terminis expressum; nam inclytus ille Dux belli propter magnanimam oblatorum munerum repulsam ub Apostolis heroico animo factam obstupefactus, *Duxit eos ad Regem Babylonia.* Et quidem quanta cum honorificentia de iis locutus fuerit in discursibus præcedentibus exposuimus, siquidem ipsos Deos quosdam in humana effigie de cœlo lapsos esse censuit, & palam edixit. Quid igitur mirum si non solum in Babylonia, sed etiam in cunctis aliis regnis in quibus Evangelium annuntiarunt, fructum adeo copiosum collegerunt, ut *innumerabiles filios Jesu Christo peperisse* dicantur, Sanctus Philippus Nerius, qui mihi adeò vehementer in votis habebat, quam ut pro fide Christi propaganda in Indias sibi liceret concedere, dicere solitus erat; Date mihi decem viros à terrenis rebus prorsus abstractos & alienos, & totum mundum per illos convertere non dubitabo. Verè hi Apostoli integrum quasi mundum aliquem convertisse dici possunt, si Provinciarum & regnorum, quæ duo hi fratres converterunt, vastitas & numerus benè consideretur.

8 *Omnia quæ in mundo sunt despexerunt.* Porrò infallibile heroici illius terrenorum contemptus signum est ardentissima charitas, quæ in ipsis emicuit; ubicunque enim est amor Dei, languet & deficit amor hujus mundi. Unde Sanctus Bernardus ait: *Sibi adversantur invicem amor mundi, & amor Dei: Si amor* Serm. 9. in cœna Dom.
mundi in aliquo habitat, non est quo intret amor Dei. Ex duodecim illis lapidibus pretiosis, de quibus in Apocalypsi fit mentio, quique duodecim præfigurant Apostolos, utpotè cœlestis Hierosolymæ, id est, Ecclesiæ solida fundamenta. *Decimus lapis pretiosus* nempe *Chrysophrasus* S. Judam Thadæum præsignificat, & *undecimus*, Apoc. 21. 20.
scilicet *Hyacinthus* denotat S. Simonem. Similiter per duodecim illas gemmas, quas Deus in summi sacerdotis veste sacerdotali poni præcepit, intelligendi sunt in sensu allegorico, ut Tertullianus scribit, duodecim Apostoli. Enimverò Cornelius à lapide de duabus hisce gemmis nos in præsenti spectantibus loquens, dicit Hyacinthum eandem esse gemmam cum Sapphyro, per quam S. Simon denotatur, *Cœlestis tam in vita & suavissimus moribus, quam in ardenti prædicatione*; Et hoc quidem in Apocalypsin scribens docet. In commentario Exodi autem de eadem figura & figuram loquens dicit: *Significat contemptum terrenorum, & amorem cœlestium: congruit Simoni Chananæo, qui cœlestibus & suavissimis fuit moribus.* De S. Juda autem ita scribit. *Chrysophrasus est Judas Thadæus, aurea sapientia acer in hæreticos, ut patet ex tota ejus Epistola, æque ac aureo charitatis, suavitatis, omniumque virtutum fulgore,* utpotè *aureis guttis inspersus.* S. Bonaventura in sermone suo hodierno dicit, quod Rex Abagarus *vidit in ejus vultu quendam mirum splendorem mirificè radiantem.* In Apocalypsi denique idem Cornelius de eadem gemma ita loquitur: *Addunt alii ingenerare animo opum contemptum, & liberalitatem: dilatat enim spiritus, eosque exhilarat, ideoque ex arcto, & avaro facit liberalem & Jovialem.* Exod. 28. 17.

DE FESTIVITATE OMNIUM SANCTORUM

Discursus Septem.

De motivis, quæ nos ad Festum omnium Sanctorum celebrandum inducere debent; nec non de motivis nos exstimulantibus ad porrigenda defunctorum animabus suffragia.

DISCURSUS PRIMUS.

Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium
Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.

1 QUalisnam est hæc sanctæ matris Ecclesiæ, qua nos ad festivitatem omnium Sanctorum solemnissimè celebrandam excitat invitatio, & qua paulò post eadem prorsus die lamentabiles purgantium animarum voces auribus nostris insonare facit, ut nos ad compassionis affectum exstimulet? *Gaudeamus*, inquit, *omnes in Domino*, & paulò post immediatè subdit: *Miseremini mei, miseremini mei?* Nimirum Ecclesia mater nostra charitatis erga nos viscera gerens, observat. Regulam quondam ab Apostolo nobis præscriptam, dum vult nos *gaudere cum gaudentibus, & flere* Rom. 12. 15.
cum flentibus. Propter immensam gloriam, qua filii ejus in triumphanti Empyreo perfruuntur impensè quidem lætatur; simul tamen etiam propter animas, quæ in purgantibus flammis detinentur, utpotè quæ pariter electæ sunt, & ad cœlestem beatitudinem infallibiliter destinatæ ex motivo charitatis per compassionem intimè affligitur & contristatur, eo quod & hasce in dilectissimarum filiarum numero recenseat. Verum instabit forsitan nonnemo ulteriùs, quamobrem Ecclesia beatorum gaudia, cum harum animarum stridoribus, & ejulatibus in unum eundemque diem

simul

Eccl.22.6. simul conjungat? Nunquid *Musica in luctu importuna narratio*? Veruntamen conjunctio ista gaudii & luctus potius dicenda est admodum conveniens, & opportuna. Per illam namque nos Ecclesia docet, quod ex iisdem motivis quibus ad sanctorum jam de facto securè cum Deo in cœlis regnantium solemnitatem celebrandam excitamur, exstimulandi quoque sumus ad porrigenda animabus defunctorum purgantium suffragia nostra, ut & hæ cum cæteris electis ad conregnandum admittantur in cœlis.

2 In primis igitur gravi debito sanctis obstringimur, ad correspondendum favoribus quos ab ipsis continuò, & indesinenter recipimus, dum hi suas pro nobis apud supremam Dei Majestatem intercessiones, & patrocinia interponunt, idque non tantum in nostris necessitatibus spiritualibus, sed etiam temporalibus. Ad nostram proinde gratitudinem pertinet, ut immensum hoc beneficium per laudem, & gratiarum tributum fidelissimè compensemus, ut ad patrocinii ipsorum continuationem nos dignos reddamus, ac demum ipsorum in cœlesti gloria efficiamur perpetui consortes. Porrò eandem prorsus utilitatem & emolumentum ab animabus purgantibus sperare & consequi possumus, si iisdem nostris suffragiis hic in terris ex pia compassione subvenerimus: Etenim dum animabus illis benefacimus, opera & merita nostra securissimè pariter & utilissimè collocamus & impendimus; securissimè quidem, quia satisfactionum & pœnalitatum nostrarum vivis impensa applicatione est periculosa quædam in Indias navigatio, eo quod in mari præsentis vitæ navigantes naufragantur facillimè & frequentissimè; extra hoc autem periculum constitui sumus dum satisfactiones nostras illis animabus applicamus, quæ licèt in amarissimo acerbissimarum pœnarum constitutæ sint carcere, de portu tamen æternæ beatitudinis tandem assequendæ securissimæ sunt; & si tandem illos per nostra opera bona & impensas satisfactiones, quas illis ultrò cedimus, debita quibus divinæ justitiæ obstringuntur, aliquando integrè solvere contingat, ipsæ utique veluti benefactoribus, & Redemptoribus gratissimæ, postquam opera nostra interveniente ad gloriam pervenerint, per refusam nobis abundantiam, grata semper, & memori mente beneficiis a nobis acceptis correspondebunt. Imò sciendum est, quod juxta opinionem gravissimorum authorum illarum animarum patrocinio gavisuri simus non solum postquam per nos ab ignitis illius carceris compedibus fuerint exsolutæ, verum etiam pro eo tempore quo inter flammas loci illius, peccatis suis debitas pœnas suas patiuntur. Ita enim ex Sancto Athanasio claré deducitur. Et ratio

Quæst. 34. ad Antioch. est, quia tametsi orationes quæ ab animabus illis funduntur ad Deum pro illo statu non sint ipsis satisfactoriæ, aut meritoriæ, cum sint extra statum merendi, nihilominus quia sunt in gratia Dei, ipsique summè gratæ & acceptæ, utpotè illius sponsæ, in nostram utilitatem imperatoriæ esse possunt, idque probatur per quotidianam experientiam eorum qui erga animas illas devoti existunt, qui se ab illis animabus multas se recepisse gratias profitentur, id quod per multa etiam in probatis historiis recensita exempla satis attestantur. Adducunt etiam hujus opinionis adeo animabus favorabilis defensores sequentem similitudinem. Est enim Rex qui habet aulicum sibi longè gratissimum, & amicissimum, qui ob debita civilia detinetur in publico carcere, è quo non obstante favore Regis, ipsum dimitti nequaquam convenit, priusquam debitum resolvat, ne publicæ justitiæ præjudicetur, & ideo etiam ipse Rex vult, ut talis det satisfactionem iis quibus debetur, nec tamen ob id è Regis amore aut favore excidit, adeo etiam ut si ad impetrandam cuidam benefactori suo specialem gratiam aulicus ille Regi suo libellum porrigeret supplicem, Rex perlibenter illum exauditurus esset, utpote qui nihil aliud æquè desiderat, quàm ut illum pristinæ suæ libertati restitutum videret, gratusque ei semper est quisquis illam ei procurat: Eodem prorsus modo animæ purgantes summa gaudent cœlestis Regis benevolentia, amicitia, & favore, quo non obstante donec debita à nobis in præsenti vita contracta salvantur, in purgatorii carcere illis persistendum erit, quamvis Deo gratum sit si nos pro illis satisfactiones offeramus. Dum igitur hæ Dei dilectissimæ sponsæ pro nobis intercedunt, quis negare audebit has illorum interventiones nobis valdè favorabiles futuras esse, siquidem in hoc statu magis, quàm unquam in præsenti vita in gratia Dei existunt.

3 Præterea cum quo affectu animas beatas in cœlo pro animabus in purgatorio detentis Deum rogare existimatis, ad hoc ut illas in gloria quantocius habere possint consortes? Certum est autem, quòd Sanctorum orationes in cœlis non sint satisfactoriæ aut meritoriæ pro defunctis, sicut sunt eæ quæ fiunt à nobis, siquidem non sunt ampliùs viatores, & consequenter non sunt ampliùs in statu merendi; sed dices quonam igitur modo orationes suas dictis animabus utiles efficiunt? Nimirum Deum orant, ut is nobis inspirationes immittat, quibus ad applicandum opera nostra satisfactoria permoveamur: vel etiam dici potest, quòd sancti cœlites, dum pro nobis apud Divinam bonitatem intercedunt, à nobis vicissim debitæ gratitudinis titulo, quo illis obstricti sumus, nostra suffragia pro illis afflictis animabus, quas consortes in cœlo habere ardenter desiderant, à nobis expetunt.

4 Enimverò quia verisimile est, quòd sicut Principes in festis solemnioribus in concedendis gratiis solent esse liberaliores, ita quoque Deus in hac festivitate propensior futurus sit ad favores suos impertiendum; similiter verisimiliter persuadere nobis possumus, quòd omnes cœlites hodie ardentiùs quàm quovis alio tempore Deum orent, ut corda nostra disponat ad conferenda animabus illis hodie potiùs, quàm aliàs per annum, ut hac ratione quantociùs admittantur ad gloriam illam participandam, ad quam juxta uniuscujusque merita destinatæ esse noscuntur à Deo.

5 Sciendum quoque est, quòd animabus glorificatis permagni intersit urgere solicitam purgantium animarum redemptionem: Omnibus etenim nota est illa S. Augustini propositio dicentis: *Tantum unusquisque gaudebit de beatitudine alterius, quantum de suo ineffabili gaudio; & quot socios habebit, tot gaudia habebit*. Nun- Lib. de Spiritu & anima.
quid igitur vobis omnes Sancti, qui in cœlis sunt, urgentissimam habere causam videntur sese omni cum studio & fervore interponendi, ut animæ illæ quantociùs liberentur ex illo carcere; siquidem gloriam suam per hoc notabiliter augendam norint? Totidem enim novi beatitudinis, licèt accidentalis tantùm gradus cuilibet Sancto adjiciuntur, quot animabus beatis aditus in cœlum Empyreum de novo conceduntur. *Quot socios habebit, tot gaudia habebit*. Hinc igitur facile vobis erit nunc cogitare, quænam sint omnibus Sanctis gaudia in hac festivitate, quæ hodie in ipsorum honorem in Ecclesia hic in terris militante celebratur, cuique pariter associatur Commemoratio, seu exhibitio suffragiorum purgatorii animabus applicandorum, siquidem dum per totam hanc octavam innumerabiles animæ è Purgatorio liberantur, gloria Sanctorum Ecclesiæ triumphantis majori accidentalis gloriæ cumulo notabiliter adaugetur.

6 Ad præsens quoque propositum, de quo agimus, magnam meretur considerationem textus quidam S. Pauli Epistolæ ad Corinthios, ubi ait: *Si quid patitur* 1 Cor. 12
unum membrum, compatiuntur omnia membra. Et- 26.
enim brachium tuetur caput, manus brachio medentur, oculi pedes respiciunt, pedes totum corpus portant, & sustentant, caput omnium membrorum regimini invigilat. Ita quoque ex hac nobis similitudine observandum est, quòd homines vivi in gratia existentes, sicut & illi, qui tanquam amici Dei ab hac mortali vita ad alteram transierunt, sint pariter omnes membra ejusdem corporis, quod est Ecclesia, cujus caput Christus est; sicut igitur unius, & ejusdem corporis membra sibi invicem compatiuntur, & in necessitatibus suis mutua sibi ferunt auxilia: ita quoque rationabile est, ut tam nos, qui in Ecclesia hic in terris militante vivimus, quàm illi qui gloriosè triumphant in cœlis, in hoc unanimiter conveniamus, ut animabus illis, quæ seipsas juvare aut eripere non possunt, & tamen ejusdem corporis mystici membra existunt, concorditer & solicitè manus auxiliatrices per suffragia nostra porrigamus; *Pro invicem solicita sunt membra*; quod quidem nos præstabimus, si animas illas nostrarum reddiderimus satisfactionum participes; sancti verò cœlites, qui animabus prædictis hoc modo succurrere nequeunt, Deum enixè obtestentur, ut nostras oblationes dignanter acce-

pter,

ptet, nosque divinis suis inspirationibus ad id moveat, ut pro debitorum quibus animæ illæ Deo obstringuntur, exsolutione, non tantùm satisfactiones nostras, sed & indulgente sancta matre Ecclesia sanctorum quoque cœlitum satisfactiones in thesauro Ecclesiæ depositas quantociùs impendamus; maximè cùm perquam credibile sit, quòd sanctis Martyribus, Confessoribus, Virginibus, Apostolis, omnibusque aliis cœli incolis gratissimum sit, si hæ desolatæ animæ meritorum suorum in thesauro Ecclesiæ depositatorum per modum indulgentiæ, quæ pro his animabus è summis Pontificibus *per modum suffragii* conferuntur, reddantur participes. Nam ut Sanctus Bonaventura ait: *Digni sunt, qui in charitate decesserunt, ab aliis membris Ecclesiæ adjuvari.*

In 4. dist. 45.3 p. art. 4. q. 2.

7 Alia item & quidem valdè præcipua causa ob quam Ecclesia nos ad venerationem, & festivitatem omnium Sanctorum invitat, est, ut festivitatem hanc transigendo eorum imitemur virtutes. Unde S. Augustinus ait: *Ab eis sanctorum Martyrum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur*: Id quod etiam de aliis Sanctis dici potest, licèt Martyres non sint, siquidem mediantibus virtutibus, quas in ipsis imitamur, eorundem Sanctorum in cœlis augetur accidentalis gloria, quia sicut damnatorum pœna augescit per illos qui propter ipsorum mala exempla damnabuntur deinceps: itaquoque gloria accidentalis Sanctorum quæ novum quoddam gaudium est, quod recipiunt, augetur salvatione illorum, qui ipsorum bonis exemplis exstimulati virtuosè operati fuerunt. Verùm inquies, quonam modo Sanctos imitari possumus? Sanctus Bernardus ait: *In mirabilibus ipsis assimilari etsi volumus, non possumus.* Et ideò non sunt à nobis imitandi in miraculis, in donis Prophetiæ, extasum & revelationum, sed in veris solidisque virtutibus maximè verò in charitate, utpote quæ diadema gloriæ capiti eorum imposuit.

Serm. 47. de SS.

De S. Victore

8 Verùm enimverò eosdem Sanctos in eorum virtutibus utiliùs, & cum majori ipsorum beneplacito imitari non possumus, quàm si ad suffragia desolatis animabus in purgatorio existentibus conficienda nos toto conatu applicemus, in ipso enim virtutem charitatis, compassionis, pietatis, & misericordiæ pariter exercemus: Etenim quisnam vel qualis exerceri potest actus magis heroicus, Deique & cœli comprobatione dignior exerceri unquam ab homine poterit, quàm si animas defunctorum Christi sponsas & futuras Beatorum consortes ab igne eximat, ut easdem ad sublimes beatitudinis thronos transmittere valeat? In illo namque actu se prodit compassio, & charitas insignis relucit, nam ubi major est miseria, ibi quoque major debet esse compassio; miseria autem animarum in igne purgantium tanta est, ut ex ullo capite infernalibus flammis dissimilis existat, quàm ex parte durationis.

9 Imò adjungo insuper, quòd si Sanctos in toleratis ab iisdem pœnalitatibus imitari volumus, sive illæ consistant in vitæ austeritate, sive in Martyriorum perpessione, idipsum meliùs facere nequeamus, quam per jejunia, disciplinas, orationes, mortificationes, aut similes alios rigores, quos ipsos sustinuisse in ipsorum vita legimus. Enimverò certissimè mihi persuasum habeo, quòd si sancti cœlites aperto pectore suam nobis voluntatem revelaturi essent, ea in hoc præcipuè constituenda foret, quòd scilicet nos enixè rogarent, ut eleemosynas nostras, Communiones, peregrinationes, jejunia, omniaque alia opera meritoria, quæ ad conciliandum nobis eorum patrocinium in eorum honorem facturi sumus, in subsidium pauperum, desolatarumque animarum Purgatorii perficiamur, cùm enim ipsi cœlites talibus animabus talia suffragia directè exhibere aut applicare nequeant, ex alia verò parte permagni illorum quoad earum liberationem intersit, certissimum est quòd cùm Sancti omnes valde sint soliciti, ut talibus animabus omnia subministrentur subsidia, quæ illis applicari possunt, id à nobis summa cum efficacia, & energia postulaturi essent, maximè cùm quoad hoc de divino beneplacito certissimi existant. Porrò hanc ipsorum voluntatem quoad hoc adimplentes, insignia nobis lucra, & emolumenta essemus comparaturi, videlicet quòd de intercessionibus, & benevolentia eorundem Sanctorum nobis exhibenda tantò nos securiores reddamus. Secundum emolumentum quod inde nobis resultat, est quòd animas illas per nostra suffragia, & bona opera ac satisfactiones è flammis illis acerbissimis eripias magno obligationis debito obstringamus, eo ipso enim quo nostra opera interveniente ad æternæ beatitudinis fruitionem admittuntur, obligantur, ut tanquam Redemptori suo gratæ, nostri apud Deum advocati efficiantur. Tertiò, quia dum per ejusmodi bonorum operum, actuumque virtuosorum exercitium in nobis ipsis proficimus, Sanctis, quorum virtutes imitamur, similiores evademus, majusque nobis comparabimus meritorum augmentum, ad possidendam aliquando gloriam.

10 Abs re etiamnum erit si in eorundem Sanctorum honorem, quot & qualia fuerint ab eisdem tolerata passionum tormenta, maturè consideraverimus. Et quidem de sanctis Martyribus canit Ecclesia. *Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam Martyrii.* Quot etiam austeritatibus corpora sua macerarunt Confessores? quot mortificationibus tam externis quàm internis semetipsos Deo in sacrificium obtulerunt? Et tamen licèt omnia concipiatis tormenta, etiam crudelissima, quæ unquam hactenus passi sunt omnes Sancti qui sunt in cœlo; & deinceps in finem usque sæculorum eò venturi erunt, eademque simul in unum hominem conjungatis, omnia tamen illa nullam omninò proportionem habitura sunt, cùm unica duntaxat scintilla ignis illius purgantis, qui animas illas Deo, & Sanctis omnibus, cæteroquin adeò acceptas & gratas, expurgat & purificat. Justum proinde est, ut per seriam horum omnium considerationem ad patiendum nos accendamus, in eis videlicet quæ Sancti omnes passi fuerunt, nosmetipsos contemplando, & quanta nos quoque pati oporteat, considerando, ac demum curemus, ut per pœnalitatum nostrarum satisfactiones animabus illis, ad evadendum adeò atrox tormentum applicatas, easdem reipsa ab illis acerbissimis pœnis eripiamus, sic enim infallibiliter fiet, quòd nos ipsos pro animabus illis affligendo Sanctos verè imitabimur, sanctasque illas Purgatorii animas ad paradisum transmittemus, spemque firmam concipere nobis licebit, quòd una cum ipsis ejusdem gloriæ participes futuri simus, quia *si sustinebimus, & conregnabimus.*

Varia ad hoc festum celebrandum motiva considerantur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes, sub honore Sanctorum omnium.

1 JUre merito hodie invitamur ad collætandum in celebritate omnium sanctorum cœli civium, siquidem bona, quæ inde in nos resultant, & motiva quæ nos ad hanc solemnitatem celebrandam inducunt, omnia nobis utilia pariter sunt & convenientia. Et quidem si omnia totius Christianismi loca ad eandem cum jubilo solemnizandam obligetur, obligationem utique præ cunctis locis majorem Roma habebit, quia sumptuosissimum templum Mariæ Rotundæ, quod olim Pantheon dicebatur, eo quòd in honorem omnium falsorum Deorum erectum fuisset, tandem à Christi Vicario Bonifacio IV. post abolitum omnem cultum idololatricum, cum institutione hujus Festi in honorem omnium Sanctorum solemniter fuit dedicatum. Breviter autem in hoc Discursu motiva consideremus, quorum intuitu præsens solemnitas à sancta matre Ecclesia fuerit instituta.

2 Primò igitur, cùm numerus earum animarum, quæ æterna beatitudine perfruuntur, omni prorsus numero careat, ideò cùm pro quolibet Sancto dies quædam particularis destinari nequeat, in quo per officium Divinum aliosque ritus sacros suam quisque venerationem haberet, ideò justum omninò erat, ut unus in anno dies deputaretur, in quo hoc benedictionis, laudum, & obsequii spiritualis tributum omnibus & singulis sine ulla exceptione persolveretur.

3 Secundò: Maxima pars animarum sanctarum quæ in cœlis regnant, quandiu hic in terris inter nos vixerunt,

runt, omni possibili conatu & studio sanctitatem suam studuerunt abscondere, in solitudinibus aut cellulis suis inclusæ, & solitariè cum solo Deo conversantes, qui gratiarum suarum donorum que cœlestium thesauros in eorum sinum copiosè, licèt nullo adhibito teste, depluebat; atque ideo minima pars eorum quæ per illos gloriosè gesta fuerunt, ad nostram notitiam pervenit, siquidem actus interni mortificationis, amoris Divini, omnesque alii actus excellentes & heroici virtutum, coram oculis nunquam palam facti fuere. Et ideò meritò Deus omnes & singulos per universalem quandam solemnitatem honorare voluit.

Hom. 15 in 1 ad Eph. 4 Adhæc, ut bene ponderat Chrysostomus, *quod perperam fecerunt omnibus ob oculos ponunt: quod autem ingenuum & exiguum abscondunt, & oblivioni transmittunt*. Etenim S. Paulus de se fatetur: *Blasphemus fui,* 1. Tim. 1. 3. *& persecutor, & contumeliosus*. S. Matthæus se publicanum esse dicit, dona autem & gratias cœlestes ex humilitatis motivo studiosè silentio involvont. Meritò igitur Ecclesia merita illorum, indeque nascentem ipsorum gloriam sublimare voluit; quàm ipsi, quo advixerunt, studuerunt abscondere.

5 Aliud quoque motivum in libro, qui ordo Romanus intitulatur, hisce verbis scriptum reperio: *Ut quicquid humana fragilitas per ignorantiam, aut negligentiam in solemnitatibus & vigiliis Sanctorum minus plene peregerit, in hac observatione solvatur*.

Lib. 6, c. 1. 6 Aliam quoque rationem Durandus in Rationali Divinorum Officiorum nobis insinuat, ad Festum hoc cum majori in nobis excitata devotione celebrandum valde efficacem; Dicit enim. *Sancto honoranda rem nostram agimus, nam eorum festivitas nostra est*; id quod a Sancto Bernardo forsitan didicit, qui in sermone 2. de hodierna celebritate ita scribit: *Bonorum nostrorum Sancti non egent, nec quicquam eis nostra devotione præstatur: planè quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum*. Dum enim nos erga sanctos gratos exhibemus & obsequiosos, Dei nobis intimiorem amicitiam conciliamus, dum ipsi intercessiones suas Deum inter & nos interponunt, ut tanto gratiores & acceptiores Divinæ & supremæ bonitati efficiamur. Unde beatis illis animabus adaptare possumus, quod Chrysostomus de Deo scribit: Hom. 8. in Epist. ad Col. *Exigit à nobis Deus gratitudinem, non quod nostra celebratione opus habeat, sed ut quidquid est lucri, iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus majoribus subsidiis*. Tob. 9. 2. Sanctus Tobias junior Raphaeli Archangelo, *quem quidem hominem existimabat dixit: si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ*. Idipsum quoque quilibet nostrum dicere poterit sanctis, quorum patrocinium, & auxilia quotidiè experimur, convenit omnino ut si nos totos & totaliter vestro servitio & obsequio dedicare non possumus, saltem aliquod ad minus laudum & gratitudinis tributum in hoc festo vobis exsolvamus. In oratione vigiliæ heri legimus: *Domine Deus noster multiplica super nos gratiam tuam*. Et in Collecta hodierna dicimus: *Quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris*. Unde clarè deducitur, quod sancti cœlites cœlestes super nos benedictiones orationum suarum interventu descendere faciant. Unde Theophridus scribit: De vener. sanct. *Jam securi de sua felicitè sunt pro nostra salute: unde nec eorum perficitur gaudium, quamdiu nostra peregrinationis cernunt exilium; nec erit illis perfecta beatitudo donec totius Ecclesiæ intraverit plenitudo*. Unde videmus sanctorum plurimum de nostra salute interesse, quia quanto ruinæ Angelorum citius restaurantur, tanto velocius sancti sua reassument corpora, ut eadem quatuor gloriæ dotibus supervestiant, perque animarum beatarum multiplicitatem, eorum beatitudo licèt accidentalis in immensum usque excrescit. Enimvero quamvis hæc ita se habeant, ut diximus, attamen incomparabiliter majus est interesse nostrum, quod ab illis præstolamur; majorique necessitate eorum patrocinio indigemus, ac proinde nos hoc eorum favore dignos, & capaces reddamus, justum profectò est, quantum ex parte nostra, ut immensa, quæ nobis conferunt beneficia, gratamente agnoscamus, laudes, & festa eorum omni cum devotione celebrando. *Confugiamus*, inquit S. Petrus Damianus, *ad probata suffragia, consiliarii sunt Regis nostri, & ipsius iræ sæpe resistunt, nec non deserunt in tempore malo. Sciunt enim ubi nos reliquerint, quantis hostium insidiis pateamus. Suspiremus igitur ad illorum memoriam, ut protegant nos sub umbra alarum suarum, donec transeat iniquitas*.

7 In libro Sapientiæ scribitur: *Justorum animæ in* Sap 3. *manu Dei sunt*. Ex quo loquendi modo deducitur clarè satis, quanta in æstimatione apud supremam Dei majestatem hi prædilecti ejus aulici existant, qualique privilegio ab eadem condecorentur. Per manum enim Dei Divina denotatur omnipotentia: *In manu tua virtus & potentia*; & alibi: *Longitudo dierum in dextera* 1. Paral. 29. *ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria*. In hac quoque 2. Prov. 3. Dei manu omnes aliæ benedictiones consistunt: 16. Ps. 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Cum igitur sancti in sacra Scriptura veluti in manu Dei constituti nobis præsententur, per hoc nobis clarè insinuatur, quod omnibus nos bonis temporalibus & spiritualibus locupletare possint. Chrysostomus optimè considerat, quod postquam Barbarus ille Rex tres Dan. 3. pueros multis vinculis constrictos in ignem fornacis ardentis Babylonicæ projici fecisset, vidissetque ingens illud miraculum, quo intra ignem illæsi penitus servabantur, eos nomine servorum Dei appellatos ad se vocavit. *Servi Dei*: verùm inquies, ex quo ligati erant, Ps. 144. 19. qua ratione ad ipsum liberè ambulare poterant? *Servis Dei omnia possibilia sunt*, per instinctum namque superiorem facilè agnovit, servos Dei facere posse quidquid volunt. *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. S. Augustinus ait: *Quis magnitudini timentium Deum æqualem se audebit dicere, qui paratum habent Deum voluntati eorum?*

8 Est quoque aliud hoc solemne festum devotè celebrandi motivum, nimirum ut per exemplum & memoriam virtutum, & fervoris, quem sancti in Divino servitio exhibuerunt, nostra somnolentia, & pigritia expergiscatur & excitetur. Una ex causis & quidem valdè præcipua, cur adeo gelidi & frigidi in amore Dei vivamus, hæc est, quia oculos nostros nunquam vel raró saltem in vitas sanctorum dirigimus, qui viam nos docuerunt qua itur ad cœlum. Audite qualiter S. Antonius de Padua illum Jobi textum; *Respiciet homines,* Serm. in Dom. 12. post Pent. *& dicet; peccavi*; interpretetur, dicis enim: *Quid est quod nos cæci defectus nostros non videmus, nisi quia claram sanctorum vitam non perspicimus? dicebat Job: Respiciet homines, & dicet, Peccavi*. Reflectendum nobis est quod & ipsi hac fragili carne vestiti fuerint, & tamen in virtute divinæ gratiæ, quæ etiam nobis non deest, ad tantam pertingere sanctitatem potuerunt. In memoriam vobis velim revocetis orationem quandam, quam sub anni decursum in officio Divino legimus dicendo: *Deus qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per sanctorum tuorum exempla restaura*. S. Bernardus occasione hodiernæ solemnitatis ita scribit; *Nec sanè parum fructuosa invenitur* Serm. 1. de fest. omn. sanct. *memoria festiva sanctorum, languorem, teporem erroremque depellens: cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiatur exemplis*.

9 Nos quidem hodie Antiphonam illam recitavimus: *O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo gaudent omnes sancti*, nec dubito quin unusquisque Beatum illud regnum sibi comparare desideret; at vero audiendum est prius, quid S. Augustinus nos moneat, dum ait: *Tot viri, tot mulieres, tot pueri, & tot delicatæ puellæ, flammas & ignes, gladios & bestias pro Christo æquanimiter pertulerunt: qua ergo fronte, & qua conscientia cum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem desiderat, quorum exempla nec in minimis non imitatur?*

10 *Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore sanctorum omnium*. Peculiare nobis jubilandi motivum esse poterit, nosse quod & nos cum divinæ gratiæ auxilio idemmet nobis æternæ beatitudinis diadema comparare valeamus, quod modo tempora ipsorum in superna patria cingit. Sanctus Bruno in lib. 3. Reg. capor 5. ad illa verba scribens: *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis Olivarum*, dicit: Non dubito quin multi Christiani sancta quadam æmulatione hisce lignis Olivarum invidebunt, dum illa adeo honorari conspiciunt, ut in adeo eminentes Angelos, quales sunt qui ad supremam Hierarchiam pertinent commutata sint. *Tu quoque; si vis, Cherubim fieri poteris;*

tes; melius enim ex hominibus, quam ex lignis fiunt Cherubim; & multi quidem Cherubim ex hominibus facti sunt; vis videre Cherubim? respice Paulum. Quot hodiè ex nostro descendentes genere inter Cherubinos sedentes veneramur. Eusebius Emissenus ait:

In Natal. S. Genesii.

Hos ergo charissimi ita miremur, ut homines fuisse meminerimus, ut eos nostri similes noverimus, & sub eadem, qua nos sumus, carnis fragilitate vixisse.

11 *Gaudeamus omnes*; sed *in Domino*. Nostra lætitia in gloriam Dei, & animarum salutem directa esse debet; *Laudate Dominum in sanctis ejus*; quia jubilus noster sacer non vero prophanus esse debet; ac proinde

Lib. 2. ep. 35.

S. Hieronymus ad Eustochium virginem scribit: *Nobis solicitus providendum est, ut solemnem diem non tam ciborum abundantia quam spiritus exultatione celebremus, quia valde absurdum est nimia saturitate velle honorare martyrem, quem sciat Deo placuisse jejuniis.* Ad idem

De Cruce. Domini.

quoque propositum sequens Sancti Ephrem salutare monitum in medium adducere possumus, dicentis: *Celebritas bona, & pulchra, & Deo grata est pœnitentia*

Judith. 16. 27.

cum lachrymis. In libro Judith scribitur: *Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum*; ubi Lyranus ait: *Hoc additur ad ostendendum, quod hæc jucunditas non erat dissolutionis, sed magis devotionis.* Vatablus ait: *Coram sanctuario lætitiam celebravit, quod est in conspectu sanctorum & sacrorum; hoc enim nomine sanctuarium significatur.*

De auxiliis, beneficiis, aliisque gratiis quas à Sanctis recipimus.

DISCURSUS TERTIUS.

Salutant vos omnes sancti. 2. Corinth. 13. vers. 12.

1 IN hodierna festivitate patrocinium, & subsidium beatarum illarum animarum, omniumque spirituum Angelicorum totius Paradisi cum speciali devotionis affectu invocamus, nostrique erga illos obsequii pendimus tributum, adeoque quædam est erga affectuosam illam charitatem, qua humanissimè nos de cœlo salutant, correspondentia gratitudinis. *Salutant vos omnes sancti*: *Quia*, ut Angelicus Doctor ait: *omnes sancti sperant & desiderant, ac orationibus procurant salutem nostram.* Omnes de nostra salute supra modum soliciti, eandem apud divinam bonitatem omni studio promovent, siquidem charitas quæ hic in terris adeo vehementer in eorum pectoribus ardebat, in patria potius in iisdem augetur, quam extinguitur. Un-

Ser. in Vigil. Apost. Petri & Pauli.

de S. Bernardus ait: *Beata patria charitatem non immutat, sed augmentat.* Ac proindè si dum hic in terris nobiscum commorati fuerunt in cooperando profectui, nostrarumque animarum salvationi adeò fuerunt ardentes & fervidi, quantò magis credendum est ipsos in Patria futuros esse eodem fine ferventiores, siquidem ibi charitas & amor magis fervet erga Deum, quem omnis boni & emolumenti nostri cupidissimum esse noruns, maximè cum necessitates & miserias nostras ab alto cœlorum palatio distinctius videre possint, majorique authoritate in supremo illo tribunali polleant, coram quo tanquam defensores & advocati nostri continuò assistunt.

2 Hoc in animabus illis beatis præ spiritibus Angelicis eximium nobisque valdè proficuum invenio, quod illæ, utpote quæ in hac lachrymarum valle nobiscum vixerunt infirmitatum nostrarum experientiam habeant, hi vero non item. Fuitque hic stimulus unus ex præcipuis quem Sanctus Ambrosius nobis admovit, ut nos exstimularet ad non verecundandum, intercessiones ipsorum in auxilium nostræ ad transgressiones

Lib. de viduis.

adeo pronæ infirmitatis exposcere. Dicit enim: *Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis agnoscere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam dum viverent, cognoverunt.* Devotissimus Bernardus ærumnas & calamitates nostras, quas hic in terris patimur, cum singulari spiritus teneritudine Ecclesiæ triumphanti hi-

Ser. 5. in festo omn. Sanct.

sce verbis repræsentat: *Nostis ipsi periculum nostrum, figmentum nostrum; nostis ignorantiam nostram, & dolos adversariorum, nostis eorum impetus & nostram fragilitatem: vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuistis, qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis, qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem.* Charitas quoque quæ in animabus illis beatis, Deo, qui *charitas est, & ignis consumens est*, conjunctissimus continuò, & nunc magis quam hactenus eadem ardescit, easdem ad nobis compatiendum & subveniendum exstimulat, ideoque *sperant, desiderant, & orationibus procurant salutem nostram*. Experientia quotidiana satis commonstrat, qualiter unius ejusdemque corporis membra sese mutuò suis in necessitatibus juvent. *Pro invicem solicita sunt membra.* Quo eodem argumento S. Bernardus efficaciter utitur, dum ait: *Cæterum qui dixit: Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra, hoc quoque nihilominus ait: Quod si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra! Hæc igitur nostra & eorum cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis; nos devota meditatione regnemus in eis, ipsi in nobis, & pro nobis militent pia intentione.* Estius super illum Apostoli textum: 1. Cor. 16. 26.

Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra: dicit compatiuntur autem Beati nostris malis, non doloris affectu sed amoris, quatenus ex charitate student à nobis, ut communibus membris (etsi longè infra se positis) avertere & propulsare mala, quæ patimur. Supramemoratus mellifluus Bernardus, in quodam sermone Serm. 57. in Cant.

super Cantica verba illa Psalmi ponderat, quibus dicitur: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium; & ait: Quid? Ipsi transierunt, & nos in mediis ignibus vel fluctibus derelinquent? nec saltem manum porrigere dignabuntur periclitantibus filiis?* S. Cyprianus paternam in animabus illis curam & soli- Lib. epist. 7

citudinem in quadam Epistola recognoscit hisce verbis: *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, patrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita.* Solicitudo autem isthæc potius quidam charitas & compassionis fervor est, per quem miserias & nimias anxietates turbationes nostras vident, iisque instanter prospiciunt. Eusebius Cæsariensis sanctos Martyres honorificè appellat; *Vera pietatis milites.* Et quidem tametsi in cœlis nulli sint hostes quibus- Lib. 13. præpar. evang. c. 7.

cum dimicare quis possit, sed potius in superna illa Hierusalem, quæ à visione pacis nomen habet, omnes quietissimè & in summa tranquillitate vivant & regnant, attamen eos milites seu militantes vocat, per Epithetum istud insinuare nobis volens, quod sanctissimi cœlorum cives, cum divina justitia certent, divinæ nimirum iracundiæ in nos directa & evibranda fulmina à nobis avertendo, S. Hieronymus ad Riparium contra Vigilantium scribens, invincibile quoddam addocit argumentum, per quod sanctos in cœlis nostri memores esse, proque nobis ardenter orare convincit: dicit enim quod si sanctorum orationes pro aliis eo etiam tempore, quo inter nos mortales vivunt, & quo ipsimet pro semetipsis, ut orent, necessum habent, effusæ, magnam habere efficaciam noscuntur, quanto igitur efficaciores erunt, si fundantur eo tempore quo in conspectu Throni Dei tanquam intimi Dei amici assistunt, non jam ampliùs pro se sed pro nostra salute soliciti, utpote quæ, ut jam ostendimus, ad majorem tum Dei, tum ipsorum gloriam redundet? *unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam, & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint minus valebunt.*

3 S. Apostolus Paolus postquam dixisset: *Salutant vos omnes Sancti*, immediatè subjungit: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Quia ab intercessionibus sanctorum, nec non à ferventi amore, quo nos prosequuntur, & à grato ipsorum animo, quem erga laudes nostras quibus ipsos veneramur nobis demonstrant, derivantur consequenter in nos innumera bona, quæ nobis ex ditissimis cœlorum ærariis impetrare satagunt. Unde Lyranus super præcitato textu dicit: *Quia per eorum desideria communicantur vobis eorum merita*, in cujus probationem observat, quod Apostolus mox subjiciat dicens: *Gratia Domini nostri &c. consequenter imprecatur eis plenitudinem bonorum, spiritualium, necnon, gratia per quam fit peccatorum remissio.*

remisse. Etenim quot sunt qui per devotiones, quas erga multos sanctorum ipsorum advocatos exhibent, reducuntur ad seriam de peccatis suis pœnitentiam, in eademque jugiter perseverant? quot inquam sunt, qui in imminentibus urgentissimis periculis, maxima beneficia & gratias singularissimas recipiunt? valde autem considerabilia sunt illa Lyrani verba: *Communicantur vobis eorum merita*; sciendum est enim, quod merita Christi, nec non sanctissimæ ejus matris, omniumque aliorum sanctorum in Ecclesiæ thesauro deposita, solicitè adserventur, quibus Christi in terris vicarius utitur infideles indulgentiis, ut per hæc pro nostris debitis quæ apud divinam justitiam per nostras transgressiones contraximus plenè, satisfacere valeamus, de quibus proinde Christus loquitur apud Joannem dicens:
Jo. 4. 38. *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis; alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*. Accuratum velim calculum quendam instituatis eorum tormentorum, laborum & dolorum, quos sancti Apostoli, Martyres, Confessores, Anachoretæ, virgines sine numero perpessi fuere, de illis enim verè sentiunt omnes orthodoxi, quod illis in erogatis nobis per summum Pontificem indulgentiis verè gaudeamus, in atrocissimorum tormentorum, quæ alias in igne illo purgante toleraturi essent, plenariam satisfactionem; quo etiam sensu intelligi pos-
Ps. 104. 47. sunt verba illa: *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt*, licèt alias Deus illa dicat de populo Dei, in terram promissionis peregrinante ad capiendam agrorum, vinearum, omniumque aliorum bonorum terrenorum ad populum Chanaan spectantium possessionem. *Omnes sancti quanta passi sunt tormenta!* inquit Ecclesia; hisce autem tormentis & doloribus sancti non solum pro seipsis, sed etiam pro nobis affecti fuerunt, siquidem magna pars meritorum, quæ sancti sibi per effusum sanguinem, penosissimosque labores pepererunt, in nostram redundat utilitatem, & emolumentum. *Nos in labores eorum intramus*.

4 *Salutant vos omnes sancti* quem textum Dionysius Carthusianus ita declarat: *Beatitudinem optant, & dicunt vobis*; sancti enim cœlorum incolæ nos in hac festivitate ad suspirandum, & anhelandam ad beatam gloriam, & ad nostram cum ipsis in cœlis intimam conjunctionem exstimulant; & hæc causa est, cur hodiè in officio divino hujusce festivitatis commemorationis beati illius regni frequens mentio fiat: *O quam gloriosum est regnum; in quo cum Christo gaudent omnes sancti*. Verùm ut Sanctus Bernardus in lectionem Evangelicam de Beatitudinibus ait: *Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum & negligimus, desiderant nos justi, & dissimulamus*.

5 *Salutant vos omnes sancti*. Minimè profecto convenit, ut ad hanc nobis a sanctis & electis Dei impertitam salutationem ingratos nos, & negligentes exhibeamus, quin potius æquum & justum est, ut per reciprocam obsequiosam salutationem illis grata mente respondeamus. Sed qualis, inquies, erit hæc salutatio? nimirum resalutare hoc loco idem est, quod honorem, devotionem, & obsequium illis vicissim referre; licèt enim sanctis per festorum nostrorum instituta solemnia majorem sibi gloriam essentialem acquirere nequeant; bene tamen accidentalem ex illis sibi comparare possunt; nam ut supra ex sententia S. Augustini diximus, Beati *quot socios habebunt, tot gaudia habebunt*; at vero dum nos saluti nostræ comparandæ ita cooperamur, ut nos eorum futuros esse socios sperare possimus, utendo nimirum gratiis & auxiliis, quæ ipsi è cœlo impetrant nobis, dum utilia ac proficua nobis facimus eorum exempla, quæ post se nobis reliquerunt in terris, verè eorum lætitiam & gaudium augemus in cœlis, ac proinde dum in ipsorum honorem festa instituimus, nos illos ejusdem festivitatis participes facimus. De quodam sancto qui unus est ex præclarissimis sanctis in cœlo cum Deo regnantibus, nimirum de Seraphico Francisco sancta mater Ecclesia per verba de præsenti: ita canit: *Franciscus pauper, & humilis cœlum dives ingreditur*; & ratio esse potest, quia per religiosos sui ordinis, qui mediante instituto suo, quod in terris fundavit, & mediantibus auxiliis, quæ illis procurat de cœlis, continuò salvantur, gloria & gaudium accidentale illius semper augescit. Christus Dominus de Angelis dicit: *Gau-*
dium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente; quod si igitur pœnitentia nostra Angelos Luc. 15. 10.
quotidiè magis magisque lætificat, multo magis pœnitentia nostra animarum illarum beatarum augebit lætitiam, utpote quæ ad nostram spectant progeniem, adeoque pro nostra salute in cœlis soliciti existunt. Hom. 23.
Origenes in quodam loco optimè declarat, quinam in num. 2.
sint dies illi festivi, quibus Deus noster perfruitur, & dicit; *Est enim ei magna festivitas humana salus*. Cùm igitur beatissimi cœlites Deo, qui sanctus sanctorum est, conjunctissimi existant, consequens est, quod quando nos in ipsorum solemnitatibus adeo videbunt esse de nostra salute solicitos procuratores, vel quod ex auxiliis, quæ ipsi nobis in hunc finem assiduè procurant, vel quod eorum exempla & virtutes strenuè imitemur, tunc verè nos eorum salutationibus grata mente per resalutationes obsequiosas respondere, id est, se à nobis dignè honorari existimabunt. *Ego puto quod per singulos quosque credentium* (inquit Origenes) *qui convertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festivitas Domini oritur*, & consequenter etiam *festivitas sanctorum*, utpote qui in gaudiis & gloria sua per animarum nostrarum ad supremam beatitudinem accessionem miris modis proficiunt.

Mirabilia, quæ Deus in sanctis operatur, variè considerantur.

DISCURSUS QUARTUS.

Mirabilis Deus in Sanctis suis. Psalm. 67. vers. 36.

1 SAncta mater Ecclesia facinora admirabilia, quæ Deus in servis suis operatur contemplans pariter & admirans, cum stupore in hosce admirationis affectus prorumpit: *Mirabilis Deus in Sanctis suis. Gloria & honore coronasti sanctos tuos, & constituisti eos, super opera manuum tuarum*. Ecclesia quoque in quadam Antiphona canit: *Mirificavit Dominus sanctos suos*, id est, pluribus modis eos admirandos effecit. Porrò Cardinalis Bellarminus circa præcitata assumpti Thematis verba observat, quod ubi vulgata nostra legit: *Mirabilis Deus in sanctis suis*, in Hebræa lingua legatur: *Mirabilis Deus in Sanctuariis suis*; per quam trans- Psalm. 86.
lationem sanctorum gloria multo auctior exprimitur, nam ut idem Eminentissimus interpres dicit: *Ipsi enim sancti viri sunt verissima sanctuaria Dei*, & quidem longè præstantiora & diviniora, quam fuerit olim antiquæ legis sanctuarium. Certum est enim quod olim apud populum summo in honore & veneratione erat, nequaquam gavisum fuerit privilegio assistentiæ, & præsentiæ corporalis Christi, quam tamen hæc sanctuaria mystica, id est, animæ electæ Deo conjunctissimæ, Eucharistia mediante experiuntur quotidiè. Deus super vetus sanctuarium non depluebat copiosos illos gratiarum, donorumque Spiritus sancti thesauros, prout in lege gratiæ facit in vivis verisque servorum suorum sanctuariis mysticis. Et ideo mirum non est quod ipsemet Dei filius expressè contestetur se unà cum æterno Patre suo & Spiritu sancto tantam habere in hisce sanctuariis complacentiam, ut de cœlo in illa descendere, & in corde sanctæ cujusdam animæ delitiari decreverint. *Si quis* Joan. 14. 23.
diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Quibus verbis anima ad cœlum possidendum electa, summisque à Deo amoribus præventa ad vivum delineatur; & quidem si omnes tres divinas personas in ea videre desideras; ecce tibi Spiritum sanctum in dilectione & amore; ecce tibi verbum hoc, enim est ille ipse qui hanc promissionem facit: *Ad eum veniemus*, Ecce denique Patrem æternum: *Pater meus*. In Levitico quidem Deus olim dixit: *Ponam* Lev. 26.
tabernaculum meum in medio vestri, hoc tamen in anti- 11.
qua lege nequaquam verificatur de assistentia & præsentia corporali Christi, sicut in sanctuariis legis gratiæ, in qua adeo summè admirabiles legimus præsentiæ Dei in animabus sanctis effectus, siquidem hi teste S. Bernardino: *Tam mirabiliter processerunt per viam vitæ, ut vix homines eos esse credamus*.

2 *Mira-*

Ser. in Vig. SS. Petri & Pauli.

2 *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*, nimirum ut Albertus Magnus ait: *Eos magnificando. Quis enim crederet pauperem piſcatorem futurum orbis rectorem?* hanc ſanctorum Evangelicæ legis miram magnificationem regius Propheta in ſpiritu Prophetico multis antea ſæculis prævidit, dicens: *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum*. Et S. Baſilius verba illa Pauli: *Quibus dignus non erat mundus*, declarans ait: *Pro quibus dignitas non erat in mundo*. Moyſes olim à tali populo natus, qui duræ Pharaonis ſervituti ſubjectus, ad lutum continuò in laterum efformatione tractandum condemnatus fuerat, ab ineunte ætate eouſque evectus eſt, ut filius Regis fieret, cumque eum deinceps coronas & ſceptra regia pedibus conculcare & aſpernari docuiſſet, data in manu ejus virga paſtorali, eum per quadraginta annos ovium paſtorem conſtituit, ac tandem eundem ad divinitatis, ut ita dicam, dignitatem evexit: *Conſtitui te Deum Pharaonis*, ac tanquam tali ampliſſimum ei in Elementa, cunctaſque alias creaturas imperium conceſſit, eumque generalem populi ſui ducem conſtituit, ſuaque familiaritate adeo intima eum honoravit quod, *loquebatur cum eo facie ad faciem*. Quidnam obſecro ad creaturæ alicujus è terra & luto plaſmatæ magnificationem amplius deſiderari aut excogitari potuit? quot ſunt Reges, mundoque univerſo formidabiles Monarchæ, qui hodiè ad ſervorum ſuorum ſanctitate venerabilium pedes reverenter proſtrari videntur?

Pſ.138.17.

Heb 11.38

3 *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*, ſi videlicet prodigioſa conſiderentur miracula, quæ patrarunt S. Bernardus ait. *Si qua ſane in ſanctis digna laude vel admiratione intueor, clara luce veritatis diſcutiens profecto reperio laudabilem, ſive admirabilem alium apparere, atque alium eſſe; & laudo Deum in ſanctis ejus, ſive ſit Eliſeus, ſive ille magnus Elias, mortuorum utique ſuſcitatores: ipſi quidem ſuo non imperio, ſed miniſterio foris exhibent nobis nova & inſueta; Deus vero in ipſis manens ipſe facit opera*. S. Joannes olim ſupra agni verticem multas coronas conſpexit: *In capite ejus diademata multa*. S. Bruno rationem illius reddit dicens: *Quia in ſingulis ſanctis coronatur Chriſtus, omnis enim eorum victoria ipſius eſt*. Quod omnino cum eo concordat, quod S. Auguſtinus: *Deus coronat in nobis ſua dona, non noſtra merita*. Deus enim omnium virtutum & actionum heroicarum, omniumque, quæ in ſanctis relucent, miraculorum principalis author exiſtit. *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, ipſe dabit virtutem*, ſed qualem eis virtutem & poteſtatem delegaſſe exiſtimatis? nimirum virtutem reſtituendi infirmis deſperatiſſimis priſtinam ſanitatem, erigendi claudos, ſurdis auditum, ſermonem mutis, lumen cæcis, denique defunctis vitam reſtituendi. Verùm enimverò hoc totum parum eſt, ſiquidem æterna veritas promiſit: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet*. Quot ſunt ſancti qui portentoſiora, & prodigioſiora quam ipſemet Dei filius patrarunt miracula Moyſes virga quadam mediante decem valdè prodigioſis flagellis univerſam percuſſit Ægyptum; mare rubrum diviſit, è duris ſilicibus aquæ limpidiſſimæ flumen manare fecit Joſue unico duntaxat verbo prolato velociſſimum ſolis curſum ſubſiſtere fecit. Ezechias Solem retrogredi juſſit & obtinuit; Elias per multos annos cœlum clauſit, ut non plueret ſuper terram; Petrus ſola corporis ſui umbra innumeros morbos curavit, nec non unico pronuntiato verbo legum tranſgreſſores in terram mortuos corruere fecit; Gregorius Neoceſarienſis Epiſcopus vaſtiſſimos montes de uno loco in alium tranſtulit, Franciſcus de Paulu, Hyacinthus, & Pellegrinus Rex Scotiæ liquidum & inſtabile maris elementum conſtanter calcarunt; *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*. Quoties Deus noſter in Martyribus miracula Danielis renovavit, famelicas ferarum fauces in theatris claudendo, quæ inſuper, eoſdem veluti adoraturæ, coram ipſis ſe in terram reverenter proſtrarunt? quot ſunt qui ad examplum trium puerorum in fornace Babylonica receluſorum, ad ipſos uſque capillos in flammis manſerunt illæſi? *Qui ubi jactati ſunt in fornacem ignis ardentis* (inquit S. Zeno) *hoc devotè cupidus ignis excepit, lambunt roſcidas flamma blandientes, mira res! opacitas intus, incendium foris; intus hymnus canitur, foris ululatus auditur; ô magna potentia Dei! incenſores incendio concremati ſunt, & qui incenſi ſunt, incendio ſuo* (id eſt, incendio divini amoris) *ſuperſtites triumphantes de camino procedunt*. In quot hiſtoriis eadem aliis Martyribus accidiſſe leguntur. Euſebius Emiſſenus in quadam ſua Homilia prodigioſum iſtud miraculum ſimiliter ponderavit dicens: *Dilacerata vario tormentorum genere membra ſanctificant flamma, dum paſcere neſciunt; honorant beſtia, dum ſævire non norunt*. Ubinam ergo ſunt, qui debitam ſanctorum remediis venerationem denegare non dubitant, quando etiam ipſæ feræ eaſdem venerantur & pronæ adorant? *Quid honoris ſanctis debeatur agnoſcit, ac ſi ſupplicii miniſterium vel inſtrumentum miro modo meritorum efficitur teſtimonium*, neque minus eſt prodigium quod idemmet ſanctus Pater alibi conſiderat, dicens: *Hic abſciſſo capite æterno capiti jungitur; hic diſſecta lingua inviolabilem fidem melius loquitur, & Chriſtum Dominum in ſilentio oris clamore vulneris confitetur*. Paphnutius Eremita, poſtquam alias ſæpius innumeris fuiſſet ſuppliciis dilaniatus, ſub Diocletiano Imperatore Martyrium conſummaturus in quatuor partes diſſectus fuit, quarum ſingulæ ex quatuor altæ cujuſdam turris partibus fuere ſuſpenſæ, juxta quas paulò poſt Salvator noſter medius inter SS. Archangelos Michaelem, & Gabrielem viſus, quatuor illas partes inter ſe denuò perfectè adunavit, martyrique ſanctiſſimo in vitam revocato ſerio præcepit, ut Tyrannum quantociùs conveniens ob barbariem in ipſum exercitam acriter repræhenderet, Deoque pro cujus fide patiebatur, & invincibili ejus omnipotentiæ luculentum ederet teſtimonium.

Serm. 13 in Cant.

Apoc. 19. 12.

Serm 3. de mart.

Joan. 14. 12

Serm. 5. de tribus pueris.

Hom. de ſanct.

Hom 4. de Epiph & 1. de ſa

4 *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*, ſi nimirum divinorum attributorum ſuorum communicationem, qua ſanctos ſæpè honorat, conſideremus. S. Petrus Damianus ait: *In ſapientia cui uniti ſunt, omnia ſciunt, in omnipotente omnia poſſunt*; prouti ex ſequentibus exemplis clarius patebit. S. Joannes enim Zebedæi filius, qui non niſi retibus in aquas jacendis tractandiſque remis aſſueverat, nec ulli alteri rei quam piſcium capturæ ediſcendæ operam dederat, adeo tamen ſublimiter ab increata Sapientia edoctus fuit, ut ſublimiſſimum Evangelium ſcribere potuerit, illudque hiſce verbis exordiri: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, ad cujus perfectam intelligentiam nulli unquam doctiſſimi Theologi, licèt ſuam in ſtudiis compleſſent ætatem, pertingere potuerunt. Quot virgunculæ ſimplices & idiotæ, ab eadem divina ſapientia eum in modum protinus eruditæ fuerunt, ut quælibet earum verba paſſim ab omnibus æſtimentur velut divina quædam oracula? prout in ſancta Thereſia, duabus Catharinis Alexandrina & Senenſi, Maria Magdalena de Pazzis, pluriniiſque aliis videre licet.

Epiſt. ad Blan.

5 Quodſi vero nos reflectere velimus ad Spiritus ſancti dona & fructus infuſos in electis ſervis ſuis ſigillatim diviſos, in multis vero illorum etiam ſubindè ſimul compendioſè conjunctos, videbimus per hos toti mundo ſatis manifeſtum fieri, quod ex æternis cœlorum ærariis ditiſſimis fuerint theſauri locupletati; cœlumque ſimul, & terram in ſtuporem rapiant prophetias & oracula edendo, occulta cordium penetrando: extaſes, revelationes, appaririones & raptus patiendo, ſicut & per abſtruſam ſacrarum literarum intelligentiam, per miracula, per linguarum veritatem, per ſcientiam infuſam, infinitaſque alias ſuper humanas operationes, quæ meritò eadem ſpectantes ambiguos reddere poterant, an hi ſervi Dei, à quibus fiebant, Dii eſſent, an vero homines; unde populi illi in procinctu erant, ut Paulo & Barnabæ ſacrificia offerrent. Clemens Alexandrinus de Alexandro Magno refert, eum Indiis conſtitutum, Gymnoſophiſtarum nonneminem interrogaſſe modum, per quem homo in Deum verum evadere poſſet; qui protinus id futurum eſſe reſpondit: *Si ea fecerit, quæ fieri non poteſt, ut homo faciat*. Atque ideo ſancti nobis tam admirabiles eſſe videntur, quia ea quæ faciunt humanam longiſſimè excedunt conditionem, tametſi aliunde verum ſit, quod ipſi directè non ſint ii qui eadem operantur, ſed Deus in ipſis, & ideo dicitur: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*.

Lib. 4. Strom.

6 Sanctus Bernardinus ait: *Omnia quæ Dei ſunt dici poſſunt animæ exiſtentis in gratia per charitatem; unde ſi amicus eſt alter Deus*. Sanctus Gregorius ad hanc interrogationem, cur ſcilicet tam Lucifer quam Adam ex eo quod Deo æquari prætenderint, adeo ſevere à

Tom. 4 ſer. 24. in prin.
Lib. 20. mor. c. 5.

Deo

Deo Creatore fuerint puniti, cùm tamen hoc quod est, esse Deo in sanctitate, in perfectione atque bonitate similem, nonnisi egregia quædam virtus sit, & ideo Christus quoque nos hortetur dicens: *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; ad hanc inquam interrogationem prædictus sanctus Pontifex respondet: *Idcirco uterque cecidit, quia esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit*. Deus autem noster sè quoque ex hoc capite mirabilem in Sanctis exhibuit hactenus, & etiamnum exhibet, quia dum hi ipsi in perfectione & sanctitate similes esse desideeant, non tantum illos in hoc sui facit desiderii compotes, verum etiam insuper illis, divinam suam omnipotentiam, sapientiam multaque alia attributa communicat, utpotè quæ in plurimis Sanctis divisa manifestè cernuntur.

7 *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, non solum dum animas illorum inexhaustis gratiarum, donorumque cœlestium thesauris locupletat; verùm etiam dum eorundem ossa & cineres sacros, tùm per tot populorum illis delatam venerationem, tùm per tot insignium miraculorum donum variè honorat, in iisdem nonnunquam etiam post multas annorum centurias, cum totius naturæ stupore, nec non peculiarissima divinæ gratiæ
Pf. 33. 21. prærogativa omnimodam quoque corporum incorruptibilitatem operando: *Custodit Dominus omnia ossa eorum unum ex his non conteretur*. Sic ex aridis S. Nicolai Barensis cineribus limpidum, pretiosum, & salutiferum manna scaturire facit: sic congelatum post tot evoluta sæcula S. Januarii sanguinem, mox ut capiti ejusdem Sancti proxime admovetur, vegetat ad bulliendum. Sic brachia S. Nicolai Tolentinatis tempore cladis alicujus toti Christianitati, vel notabili illius parti imminentis vivum manare facit sanguinem, & sic deinceps de omnibus aliis variorum servorum suorum prodigiis discurrere licet.

8 *Mirabilis Deus in Sanctis suis*, si nimirum consideretur quot modis illos à tyrannorum persecutionibus, ab hostium infernalium insidiis, à gravium peccatorum periculis, à mundi hujus lenociniis atque blanditiis, denique ab omnibus aliis hujus infidi maris naufragiis incurrendis, defenderit, tutatusque fuerit.

9 *Mirabilis*. Quia ex quo dum in hac vita etiamnum superstites essent, passim ab omnibus in contemptu & despectu habiti fuerint, ideò illos quoque variis temporibus post mortem, nec non & in hac vita, summè honorari, coli, & exaltari voluit.

10 *Glorięmur* itaque *in Domino*, inquit S. Leo, *qui est mirabilis in Sanctis suis, in quibus nobis & præsidium constituit & exemplum*. Verùm dices fortassè quonam in re
De S. Laurent. ipsorum poterimus exempla imitari? Respondeo igitur, si vis Sanctorum exempla sequi, Sanctorum legito vitas, & in eorundem actiones studiosè in historiis ipsorum indagato: Et quidem quod eorum miracula attinet, Dionysium Carthusianum auscultate, qui de S. Stephano loquens ait: *Discamus cum eodem miracula spiritualiter operari, cæcos illuminando, surdos curando, claudos sanando, mortuos suscitando: sic namque cæcum illuminat, qui errantem & vitiis ob nubilatum ad viam veritatis & salutis reducit, & qui eum qui verba Dei audire auribus mentis non curat, inducit ad hoc, quòd libenter audit verba Dei, is curat surdum, sanat quoque & claudum qui injustum & pigrum, verbo, exemplo, oratione, & alio modo ad amorem inducit justitiæ, atque divini alacritatem obsequii; qui verò quempiam in mortali culpa fœtentem, ad pœnitentiam revocat, mortuum suscitat*.

De intercessione Sanctorum, nec non de orationum, quas pro nobis effundunt ad Deum, singulari efficacia.

DISCURSUS QUINTUS.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

1 Venerabilis Beda in hodierna omnium Sanctorum solemnitate nos ad eorum laudes & glo-
Ser. 18. de Sanct. riam celebrandam per hæc ferè motiva hortatur: *Quorum societate cœlum exultat, quorum patrociniis terra lætatur, quorum triumphis Ecclesia sancta coronatur*. Ex quibus verbis hoc loco præcipuè sequentia examinemus, scilicet, *quorum patrociniis terra lætatur*. Porrò notus est omnibus error ille Calvini & Lutheri, quo Sanctos pro nobis apud Deum intercedere negant, & consequenter nullum eis asserunt à nobis deberi honorem; fundatur autem hic error illorum in illis verbis perperam ab illis expositis & intellectis, scilicet: *Invisibiliter soli Deo honor & gloria* id quod de adoratione latriæ exponi debet. Cæterùm quàm falsus error iste sit, experientia quotidiana demonstrat, siquidem tutelæ & protectionis ipsorum fructus quotidie palpabiliter nimis experiuntur. *Voca eos, si est qui tibi respondeat, &* Job. 5. 1.
ad aliquem Sanctorum convertere. Etenim quot Sanctorum tutela & patrocinio populorum gaudet devotio in continuis favoribus & gratiis, quas ab ipsis recipiunt? Nunquid S. Rochus tanquam specialis quidam adversus pestem defensor honoratur? S. Apollonia tanquam advocata doloris dentium, S. Lucia oculorum, S. Blasius gulæ, & sic deinceps per omnes alios Sanctos discurrendo? S. Hieronymus adversus Vigilantium ita arguit: *Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc de-* Epist. 2.
bent esse soliciti; quantò magis post coronas victorias & triumphos? In præsenti igitur Discursu orationum quas Sancti in cœlum transmittunt, ad Deum iratum placandum nobisque reconciliandum singularem efficaciam nonnihil considerabimus.

2 Chrysostomus singulare divinæ pietatis argumen- Hom. de Pœnit. & Conf. 2.
tum in eo positum esse agnoscit, quòd ex quo neminem inter nos ejus virtutis & authoritatis esse vidit, qui in ejus tribunali nos defendere possit, ideò nobis de beatis cœli incolis nobis prospexerit, utpote qui haud dubiè efficaces pro nobis oratores futuri essent: *Dum enim nullos reperit in terra Deus, qui ejus sint virtutis, veniam ut delictorum precibus suis obtinere queant, ad eos, qui jam decesserunt se confert, illorumque opera & intercessione peccata se remissurum spondet; uti cum Ezechia Regi ait; Protegam urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum*. Nec mirum, quodsi enim oratio alicujus servi Dei etiamnum viventis tanta efficacia valuit, quantò majorem habebit oratio jam in cœlo triumphantis perpetui amici Dei.

3 Rex Samariæ matres ob invalescentem ex obsidio- 4. Reg. 6. 30.
ne famem proprios suos manducasse filios audiens, operam se daturum esse juravit, ut ante diei illius crepusculum serotinum Elisæo caput à busto amputaretur. Verùm inquies quidnam sanctus ille Propheta in infelici illa obsidione, indeque secuta fame culpæ habuit? S. Ambrosius ait: *Elisæo mandavit necem, cujus in potestate fore credidit, ut obsidionem solveret, propul-* Lib. 3. de offic.
saret famem? Sed quid? Ergone vir pauper qualis Elisæus erat, adversus inimicum exercitus armare, insidias tendere, & stratagemata machinari poterit? Num fortè in potestate ipsius erat granaria frumentorum plena aperire, & quantum pro annonæ illius caritate sublevanda satis esse poterat, inde eximere: Lyranus dubium hoc solvit dicens: *Hanc enim afflictionem ei imponebat, eò quod illam suis precibus non auferebat, tenens eas efficaces apud Deum ad hoc impetrandum*. Jam enim Elisæus de factò aliàs inimicos tanquam cæcos in medium usque civitatis Samariæ conduxerat, cœlestes exercitus in suam defensionem in aere comparere fecerat, adeoque apud Deum exercituum poterat quicquid volebat, ideoque Rex eum pro publica illa calamitate avertenda nequaquam orasse credens, & consequenter culpabilem esse existimans, indignatus est ei, eò quòd ærumnas illas per intercessionis suæ efficaciam non arceret. Meritò igitur S. Ambrosius in alio quodam loco ait: *Magnus murus pa-* Lib. 1. de Abr. c. 6.
triæ vir justus, illius nos fides servat, justitia ab excidio defendit. Quod S. Cyrillus Alexandrinus confirmat, dum ait: *Vehementer Sanctis opus est, servant enim urbes & regiones, à clade impendente liberant, iram Dei quantumvis ferventem, vitæ claritudine, & impetus ejus iracundiæ invertentes*. In libro Numerorum propter eandem causam scribitur: *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait: Separamini de medio congre-* Nu. 16. 21.
gationis hujus, ut eos repentè disperdam. Jam igitur de factò Justitia Dei fulmina iræ suæ adversus rebelles illos in procinctu habebat. Verùm dicet

aliquis, nunquid Deus reos ex una parte disperdere, duos verò illos innocentes fratres à decreto supplicio præservare poterat? Oleaster ait: *Ecce quid valeant justi populo & congregationibus in quibus sunt, videntur enim ligatum habere Deum, ita ut eis præsentibus sævire no-*
Lib. 2 Ep. 20. *lit in malos*. Sanctus Hieronymus ad illa se verba reflectit, quæ Deus olim ad Moysen locutus est, dum ait: *Dimitte me & delebo populum istum*; ideò addit; *Quando dicit dimitte me, ostendit, se teneri posse, ne faciat quod minatus est: Dei enim potentiam servi preces impediebant*; adeòque quando decreta supplicia inviolabiliter inferenda stabiliverat, priusquam illa de facto exserat & executioni mandet, silentium primò servis suis imponit ne pro advertenda castigatione decreta preces
Ps. 77. 71. suas ad ipsum dirigant. In Psalmo dicitur: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum; & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum*. Sed dices, qua ratione possibile est, quòd Moyses & alii servi Dei in illo instanti se non interposuerint ad iram Dei mitigandam? Ecce tibi causam: *Electos Israel impedivit*, id est, ut bruno declarat: *Impedivit orationem electorum*; Et hinc est quòd quando civitatibus & populis severa supplicia immittere decrevit, primò omnes quotquot in illis charitates habet, per mortem inde tollit. Sic S. Hieronymus scribit, quòd priusquam Roma à Gothis caperetur, jam antè S. Anastasium Pontificem ex præsenti vita sustulerit: *Idcircò raptus est atque translatus, ne semel latam sententiam precibus flectere conaretur*.

Jo 17. 15. 4 Salvator noster apud S. Joannem ait; *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo*. Cajetanus dicit Christum rogasse ne Apostolos nimis citò ad se ex hoc mundo avocaret: *Homines enim tales sunt, quibus mundus indiget*. S. Vincentius Ferrerius in quodam sermone de S. Ambrosio dicit, quòd in ejus morte passim hæ voces insonuerint hominum dicentium: *Lombardia modò est perdita, quia Deus ex sancta vita Ambrosii dissimulabat peccata nostra*. Similiter de Enoch Moyses scri-
Gen. 5. 24. bit: *Ambulavit cum Deo & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Scitisne quo fine Deus Enoch ab oculis mundi ad se rapuerit? ne supplicia humano generi imminentia videns per intercessionem suam ad ea removenda & arcenda se interponeret: *Est enim evidentissimum signum punitionis mundi, justorum ablatio, neque hoc mundus cogitat, sed putat eos casu esse sublatos*. Enimverò dicite sodes, quidnam Deum insinuare voluisse existimatis, quando posteris Abrahæ terram promissionis pollicitans, eisdem dixit: *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus*? Præterea scitisne causam ob quam Deus posteris magni illius Patriarchæ Abrahæ, qui populus ejus electus erant, possessionem terræ illius, quæ lacte manabat & melle, indulgere tot sæculis distulerit? Resolutioni dubii hujus Theodoretus optimam viam stemit, dum ait; *Quod autem illis temporibus essent pii viri constat ex*
Qu. 46. in Gen. 2. *Melchisedech & his, qui incolebant terram Hebron; illi enim magnoperè Patriarcham venerati sunt*; certum igitur est quod hi pii viri divinæ justitiæ mucronem in vagina continuerint.

5 Author Operis imperfecti amicissimis Dei altissimi servis, mysticum hoc imponit epithetum: *Medulla hujus mundi sunt homines sancti*. Sed dices, nunquid aptius & congruentius homines sanctos appellasset oculos, aut pedes, aut manus, vel alios illis speciosiores titulos attribuere potuisset? Respondeo ex prædicto Authore imperfecto; *Sicut enim medulla quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret; cum autem comesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur: sic & quamdiu sunt fideles, stat iste mundus, & cum Sancti de isto mundo deficient, casurus est iste mundus*.

6 Josue videns milites suos cæteroquin animosos fatis, conspectis Chananæorum viribus, quæ immensæ erant, animis suis nonnihil deficere, hunc in modum eosdem reanimavit: *Nolite rebelles esse contra Dominum,*
Num. 14. *neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare*. Sed dices, undenam tantam illos dissipandi, & ad nihilum redigendi spem Josue concipiebat? *Recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est nolite metuere*: Sed quænam aut qualis erat hæc umbra, quæ ab eis evanuerat? Abulensis scribit:
Qu. 12. *Aliqui dicunt illam umbram fuisse B. Job qui fuit in terra Chananæorum, & illum tunc fuisse defunctum, cujus meritis Deus substinebat Chananæos, ideo perierunt sta-*

tim. Origenes dicit, quòd si in infami illa civitate decem homines justi fuissent, non solum civitas, sed & universa Pentapolis salvanda fuisset: *Nunc tamen etiam duo, si tamen inveniantur etiam tales quales Moyses & Aaron sufficere possunt, ut gens Israelitarum tota salvetur*. Verum in Jeremia Dominus dicit. *Quærite in plateis* Jer. 10. 5.
ejus, id est, Hierosolymæ, an inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem, & propitius ero ei. Ubi S. Hieronymus ita scribit: *Grandis amor justitiæ; non pro decem justis, sicut olim dixerat ad Abraham, liberat civitatem, sed si invenerit unum tantum virum in Jerusalem, ignoscit toti civitati propter illum*. Chrysostomus quoque circa Dei benignitatem, qua ad unius tantum intercessionem, salutem mortis impertiri pronus est, aliam quandam considerationem habet; Dicit enim; *Multa Domini bonitas est, & sæpè solet etiam propter pau-* Hom. 42. in Gen.
cos multis dare salutem; & quid propter paucos; sæpe quando non inventus est justus in præsenti vita, propter defunctorum virtutem viventium miseretur.

7 Job quondam ait. *Sub quo curvantur qui portant or-* Job 9. 13.
bem. Circa quæ verba S. Hieronymus ait: *Portantes orbem Sancti rectè intelliguntur, qui gloria meritorum suorum magni, & potentes sunt apud Deum; hi ergo cordis humilitate ad interveniendum pro peccatoribus in conspectu ejus sunt incurvati. Ita Sancti portant mundum, dum eum, ne ruat, ac pereat, orationum suarum fortitudine sustinent*.

8 *Dimitte me*, dixit quondam Angelus Jacobo Pa- Gen. 32.
triarchæ, qui cum eo tota fuerat nocte luctatus; *Jam enim ascendit aurora*. Quisnam obsecro Angelum hunc tenendo impediebat, quò minùs evolaret ad cœlum? Quid opus erat tanta solicitantis instantia ad hanc licentiam obtinendam, *dimitte me*? In aliquibus Scripturæ locis, verbum *Dimittere*, idem significat, quòd aliquem in libertatem asserere. Si dicitur apud Jobum. Job. 39.
Quis dimisit Onagrum liberum? Deus igitur qui in hoc Angelo præfigurabatur, se ligatum esse censebat; verùm dic sodes quibusnam vinculis ligari unquam potuit is, qui aliis veram filiorum Dei libertatem attribuit? Hugo Cardinalis ait: *Sancti suis orationibus tenent Deum, ne in peccatores suam exerceat justitiam*.

9 Audite quæso quid illis molestis Jobi amicis olim faciendum fuerit, ut spem reconciliationis ipsorum cum Deo securè concipere possent: *Ite ad servum meum Job,* Job. 42. 8.
& offerte holocaustum pro vobis; Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam. Enimverò linguæ servorum Dei non solum ad impetrandam nobis divinam misericordiam facundæ, & ad suadendum efficaces sunt, quamdiu hìc in terris inter nos vivunt, verum etiam post mortem cineres & ossa eorum loquuntur pro nobis, haud secus quam si spiritu, voce, & lingua prædita essent.

10 Ex omnibus igitur hactenus dictis, facilè deduci potest, quantanum vitium sint orationes Sanctorum qui sunt in cœlis; ubi de infallibili & æterna amicitia, & gratia Dei sunt securissimi, nec jam amplius de sua, sed solum de nostra salute sunt soliciti. S. Stephanus etiamnum inter nos vivens, pro suis quidem lapidatoribus Dominum deprecatus est; tunc autem hi deprecationis illius nullum experti sunt effectum, sed postquam ad cœlos pervenit triumphabundus, tunc enim Sauli in Pauli conversionem obtinuit; undè tritum valdè est illud S. Augustini dictum: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*. S. Petrus se fidelium memoriam etiam post mortem habiturum his verbis promisit: *Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis*. S. Gregorius quoque dicit: *Quid est quod non vident, dum videntem om-* 2. Pet. 1. 15.
nia vident? ipsis in beata illa patria existentibus manifestæ sunt nostræ necessitates, ubi amor & charitas, sive pronitas ipsorum ad subveniendum magis ardescit; siquidem *charitas nunquam excidit*, sed semper magis magisque perficitur. *Hic est qui multum orat pro populo,* 2. Mach. 15.
& universa sancta civitate, inquit Onias de Jeremia jam dudum defuncto.

Ut in-

Ut intercessiones Sanctorum sint efficaces, necessum est, ut iis per virtutum, & exemplorum suorum imitationem cooperemur.

DISCURSUS SEXTUS.

Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.
Matth. 15. v. 23.

1 MUlier hæc Chananæa quoad filiæ suæ à dæmonio obsessæ liberationem, non solum ad Apostolorum instantiam, à Salvatore nostro exaudita fuit, verum insuper fides ejusdem ab eodem Domino nostro magnopere fuit commendata: *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis:* admissa etenim est dictæ mulieris supplicatio, sed præter gratiam quam impetravit, insuper magna ejus erga divinam pietatem concepta fiducia, cunctis sæculis celebris futura egregiè eluxit: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ecce igitur quanta potentia Sanctorum intercessiones polleant; siquidem ipsimet etiam apud Christum se interposuerunt Apostoli: *Et accedentes discipuli ejus rogabant eum.* Ubi ad propositum nostrum advertendum est, non solos Apostolos suas Redemptori porrexisse preces: sed iisdem pariter conjunctam fuisse desolatæ illius & afflictæ mulieris fidem, ejusque perseverantem orationem. Undè dicere possumus, quodsi per preces & orationes, quas Sancti pro nobis effundunt, bonum effectum volumus, operæ pretium futurum sit, quod nostras quoque cum illis conjungamus, nostræque preces insuper secum adferant fiduciam & perseverantiam, necnon Christianorum virtutum societatem, ac demum salutarium exemplorum, quæ sancti post se nobis reliquerunt, fidelem imitationem.

3. Reg. 1. 15 2 Chrysostomus ex illis verbis, quæ Nathan locutus est ad Bersabeam, nimirum: *Adhuc ibi te loquente cum Rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos.* Utilissimum hoc pro nobis eruit documentum: *Illi autem complent sermones Sanctorum, qui operibus humilibus & piis correspondent eorum intercessionibus.* Isaaco non sufficiebat solam se audisse Jacob filii sui vocem; sed insuper manus ejus priùs tangere voluit, quam illum benedictione sua locupletaret. Eodem quoque modo nos dicere possumus, quod scilicet tunc nos Sanctorum patrocinia & auxilia implorasse juvabit, si per imitationem virtutum & exemplorum suorum post ipsos sequentes ipsorum legerimus vestigia. Undè eidem Chrysostomus ait: *Habent vim pro nobis & quidem maximam orationes supplicationesque Sanctorum;* mox vero declarat quando præcipuè sperare possumus preces nostras valituras ad obtinendum id, quod postulamus, dum ait: *Sed nunc profectò, dum nos quoque idipsum per pœnitentiam postulamus.*

Hom. 5. in Matth.

4. Reg. 19.

3 Cùm olim civitas sancta Jerusalem à Rege Sennacherib gravi cingeretur obsidione, Rex Ezechias aspero se protinus cilicio induit, cùm ecce Isaias quoque ex parte Dei eidem ipsum de inimico suo triumphaturum esse indicavit: quod & re ipsa adimpletum fuit; siquidem Angelus Domini in una eademque nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum occidit: regnante vero Sedechia Rege eadem civitas Hierosolymitana diu obsessa, tandem igne totaliter conflagravit, hostibus in prædam cessit; imo ipsemet Rex à Babyloniæ Rege captus, & in Babyloniam adductus perpetuæ servituti addictus fuit. Ex utriusque autem historiæ hujus combinatione dubium quoddam non inutile subnascitur, cur increata illa Sapientia, non minus in Hierosolymæ posteriori obsidione, quam in priori omnipotens fuit, ita disposuerit, ut una eademque civitas sub Ezechia Rege liberata à desolatione & exterminio præservaretur, non vero sub Sedechia? Dicetis fortasse id ex eo præcipuè motivo factum esse, quod Deus ipsemet tunc allegavit, nimirum ob præclara Davidis merita; id namque Deus insinuare videtur, dum ait; *Protegam urbem hanc propter David servum meum.* Veruntamen id frustra dicitur, nunquid enim eadem civitas tam in secunda obsidione, quam in prima eodem firmabatur Davidici patrocinii propugnaculo? verisimile etenim est, Davidem tam contra

Mansi Promp.

Nabuchodonosor, quàm anteà adversus Sennacherib advocatum Hierosolymæ extitisset. Vultisne igitur scire quænam fuerit in utroque casu concurrentium circumstantiarum differentia? Ea hæc fuit; nam in prima obsidione intercessio Davidis à sancti Ezechiæ Regis orationibus, pœnitentiis, aliisque austeritatibus roborabatur, quibus non suffulciebatur à Sedechia impio & sacrilego Rege, qui potiùs enormibus sceleribus suis divinam magis irritabat justitiam. *Habent vim & quidem maximam, &c.* Quodsi enim Sanctos suas nostris supplicationibus aures arrigere desideramus, ut hac ratione in supremo illo tribunali favorabiles nobis per illos procurentur expeditiones, necessum est quod nostras quoque manus iisdem porrigamus, id est, quod sanctissima ipsorum imitemur exempla. Id quod Beregonsius Abbas in Bibliotheca veterum Patrum citatus pulchrè his verbis confirmat: *Sed tunc certius eorum aures* Serm. de *nobis acclives reddimus, si operis attestatione ipsorum boni* Ded. Eccl. *æmulatores fuerimus.*

4 Nunquid recordamini filios Israel diutina hac gavisos fuisse experientia, quod quotiescunque Arcam fœderis secum in aciem educebant, infallibilem semper de Philistæis reportarent victoriam: & tamen hac non obstante frequenter comprobata divinorum facinorum Arcam semper comitantium experientia, non solum à spe sua magna cum ipsorum confusione exciderunt, non solum per militum Hebræorum totalem stragem & internecionem; verùm etiam & multo amplius per pretiosissimi illius thesauri sui, id est, arcæ fœderis turpem jacturam & amissionem; siquidem inæstimabilis ille thesaurus in manus inimicorum cum cæteris spoliis redactus fuit. At vero nostisne causam, cur id factum fuerit? In Arca tabulæ legis custodiebantur, quam Deus eo potissimum fine dedit, ut Hebræi se exactissimos illius executores & observatores esse probarent; hac enim sola ratione se dignos efficiebant, ut supra quasvis alias terræ nationes, populus Dei electus essent, fierentque scopus in quem Deus per beneficia sua cœlestesque favores collimaret; quænam enim alias temeritas fuisset, si tutelam & defensionem ab Arca sperare voluissent, quando se ejusdem Arcæ per transgressionem legis, quæ in ea reclusa circumferebatur, contemptores esse probabant? Est hic conceptus Theodoreti dicentis: *Cur enim legem transgredientes arcam ad auxilium traherent, quæ legem intus habet sitam?* Eodem prorsus modo in nostro casu discurrere licet; qua enim temeritate nobis Sanctorum intercessiones & auxilia promittere audebimus, qui eorundem, quos invocamus, virtutibus, bonisque exemplis adeo contrarii sumus? vel qui inimici sumus Dei illius, cui ipsi conjunctissimè convivunt, adeo ut aliam voluntatem non habeant, præterquam ipsiusmet Dei? ac proindè ad præsens propositum optimè sanctus Leo nos iisce verbis admonet: *Per bonam æmulationem ipsorum ambite* Serm. 5. de *suffragia.* Epiph.

5 Eodem prorsus errore multi laborant, qui se Sanctorum gratiam & protectionem promerituros esse falso sibi persuadeant, si illos externis quibusdam demonstrationibus lucident ac honorent, internam intereà devotionem penitùs negligentes. Ludovicus Granatensis in quadam concione de S. Joanne Baptista ait: *Cur enim in te fugis quod in illo tantoperè laudas?* Quos proindè multis similes esse dicit, qui in domibus alienis justitiam exerceri desiderant, domi vero propriæ non item. *Ita ergo à nobis ipsis diffidemus, ut quod in aliis probamus, in nobis improbemus.* Proindè S. Petrus Damianus serm. 2. de S. Joanne nos docet dicens: *Notandum tamen, quia nunquam tam dignè, tam reverenter beatos Apostolos colimus, quam cum Apostolica præcepta servamus, cum eos in via Dei præcedentes semper attendimus, cùm eorum vestigia sequimur, tum eorum justam & arctam semitam sine offensione tenemus.* Hunc pariter errorem Sanctus Augustinus tetigit, dum eos reprehendit, qui omne studium suum in hoc exteriori Sanctorum cultu & veneratione ponunt; ex alia vero parte virtutum, innocentiæ, & sanctitatis ipsorum imitationem intereà negligunt? *Honorare* Se. 39. & 59 *& non imitari, nihil aliud est, quam mendaciter adulari.*

6 Salvator noster quondam Scribas & Pharisæos acer- Matt. 23. 29 rimè his verbis reprehendit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, &*

ornatis monumenta justorum. Sed dices: Qua in re hi Scribæ & Pharisæi hoc loco peccarunt? Num fortè in honoranda servorum Dei, Prophetarumque ejus memoria? vel in erigendis sepulchris illorum, iisdemque convenientibus & debitis inscriptionibus honorando? Hæccine sunt mala illa opera, quæ tam acerbam reprehensionem & comminationem promerebantur? Audite S. Eucherium dicentem; *Stultissimus est, qui* Hom. in S. Petr. *dum vidit Prophetas, eos vituperat, post mortem verò eos honoratur, & monumenta eis ædificat, neque tales ulterius nasci posse arbitratur*. Errat certe qui nos ad Sanctorum perfectionem & merita pertingere non posse credit; etenim charitas est, quæ nos gloria dignos, & Dei amicos efficit, quanto hæc fervetior fuerit, tanto nos sanctiores erimus. Quis autem ab hac nos separare poterit? nemo profecto, nisi velimus. *Quis nos separabit a charitate Christi?* Certo igitur nobis persuasum habeamus, quod cultus Sanctis delatus tunc illis acceptus gratusque futurus sit, quando nos eorum virtutibus, & quæ post se reliquerunt, Sanctissimis exemplis ex proposito operam dederimus. Chrysostomus in quodam sermone ait: *Qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vita sanctitate redditur; nam si* To. 3. ser. de martyr. *propterea justos fidelesque diligimus, quod in ipsis justitiam fidemque suspicimus possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt*; idque tanto magis, cum nobis non sit difficile ut imitemur eos in actionibus, quibus ipsi sine prævio exemplo dediti fuere, id quod de nobis minimè procedit, qui præcedentia ipsorum exempla habuimus: *Ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulanda virtutis seipsos nobis præberent exemplum*.

7 At vero SS. Hilarius, Hieronymus, & Ambrosius considerant prædictos Pharisæos uno eodemque tempore, quo ad venerandum sanctorum Prophetarum corpora sepulchra illis elegantissima ædificabant, simul etiam condemnasse illos, qui Prophetis illis mortem intulerant, & tamen *consentiebant operibus eorum*, id est, per malam illorum viam gradiebantur, nihilque ex exemplis & monitis ab iisdem quos honorabant, acceptis, proficere curabant. Væ autem illis qui tales sunt, id est, qui instar Pharisæorum in externa tantum apparentia Sanctos venerantur, in interiori vero, necnon in vita & moribus eisdem sunt contrarii. S. Dio- Cap. 1 Ecc. Hierarch. nysius Areopagita adversus tales similitudinem adducit hominis alicujus, qui cum solem videre prætendat, oculos sibi nihilominus eruit, sicut enim prætensio illius arrogans utique & temeraria futura esset: *Sic impossibilium superflua spe suspensus est, qui Sanctorum efflagitat preces, & naturæ ipsorum consentaneas sacras operationes abigit*. Ubi notanda sunt verba illa: *Naturæ consentaneas*; quia, ut S. Bernardus in sermone quodam de S. Martino optimè monet: *Ad mensam divitis sedes hodie, diligenter considera quæ apponuntur, discerne inter cibos & vasa ciborum; hos enim juberis tollere, non illa. Dives est iste Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in signis; diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi, quædam videlicet ad admirationem, quædam ad imitationem*. Idemmet mellifluus Doctor in aliquo quodam sermone de S. Victore simile nobis monitum præscribit, dicens: *Tutius sanè æmulanda solidiora, quam sublimiora, & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus; studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus conformari, etsi volumus, non valemus*.

8 S. Gregorius Nyssenus in laudem Basilii Magni scribit, quod sicut si quispiam amicorum nostrorum, qui cœlaturam sigilli nostri sciendi scire desideraret, hanc illi longè melius in cera expressam demonstramus, quàm si voce eandem declararemus: eodem quoque modo Sanctus aliquis efficaciùs commendatur, solidioribusque laudibus honorati censebitur, si illum virtuosis operibus tuis, & Sanctorum exemplorum Serm. de Martyr. imitatione honorificare studueris, quam si multis verbis ejus laudes deprædicaveris: nam ut benè S. Chrysostomus ait: *Aut imitari debet, si laudat: aut laudare non debet, si imitari detrectat*. Nec despondendum nobis est animo, ex eo, quòd actiones Sanctorum nimis sint heroicæ, omnique humana debilitate superiores, audi enim Eusebium Emissenum, qui dicit. *Hos* De nat. S. Genesii. *ergò charissimi ita miremur, ut homines fuisse meminerimus*. Etenim iisdem prorsus cœlestium gratiarum auxiliis communiti sumus, dummodo ei grata mente cooperemur, qui illa ministravit; & hæc à nobis cogitata ad nos corroborandos & animandos sufficiunt. *Omnia possum in eo qui me confortat*. Idem ille Eusebius optimum nos modum docet, quo sanctos imitari possimus, dicit enim: *Superaverunt illi corporum dolores, nos superemus morum & cordium passiones; vicerunt illi tormenta, nos vitia; illi sacrificare dæmonis horruerunt, nos malitiam, invidiam, obtrectationem, contentiones tanquam prophana sacrificia detestemur, ut inter hujus conflictionis vitia persecutores virtutis probent esse nos Martyres*. Berengosius Abbas in eodem suprà citato sermone modum nos docet, quo gratias & favores sanctorum Cœlitum sperare, iisque frui liceat, dum ait? *Quoties festivis Sanctorum natalitiis debito honore ritè celebratis in Domino gloriamur, toties ipsorum meritis & precibus adjuti larga benedictionis gratia Creatoris nostri perfundimur*; mox verò quomodo hæc omnia à nobis adimplenda sint, prosequitur. Notanda verò sunt priora verba, *ritè celebratis*; per illa namque nobis insinuatur, quòd in cultu Sanctorum cultus externus conscientiæ puræ & mundæ omninò associari debent: *Alioquin magna hujus diei celebria dignis laudibus nequaquam decenter recolimus, nisi per sanctificationem vitæ nosmetipsi laus Deo fuerimus; scriptum namque est; Non est speciosa laus in ore peccatoris*.

In cœlo cujusvis status, & vocationis Sanctos esse ostenditur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.

1 PEr hasce voces laudum, benedictionum, & gratiarum actionis plenissimas beati cœli Cives se erga agnum immaculatum, Redemptorem nostrum, gratos exhibent: *Redemisti nos Domine Deus, &c.* idque quia illos æterni regni sui consortes effecit: *Fecisti nos Deo nostro regnum*. Hæ autem laudes decantatæ sunt non ab una gente tantum, vel populo, vel ab unius duntaxat conditionis hominibus; sed ab omni tribu, omni populo, omni natione & lingua ac conditione hominum, qui sub cœlo sunt; & consequenter dicendum, quod nullius sit status, professio, seu conditio personarum, è qua non aliqui regnent in cœlesti paradiso; quodque omnes spem habere possint, quod in sua vocatione sancti fieri possint. Et ideo etiam in Epistola missæ hodie legimus: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis*. Hanc autem turbam faciunt animæ Beatorum Apoc. 1 14. quæ candida beatitudinis stola adornatæ ante thronum Altissimi assistunt.

2 Vidit quoque idem Joannes Filium Dei, cujus capilli albi erant instar nivis aut lanæ; *Caput autem ejus & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix*. Scitisne quodnam sit canitiei hujus mysterium? Num fortè annorum maturitatem designabat? Audite Glossam id pulchrè & breviter exponentem: *Sicut lana alba apta est ad quoscunque colores suscipiendos, sic Sancti*. Enimverò caput Ecclesiæ Christus est: una autem, & quidem major pars capitis adornatur capillis: capilli autem capitis Ecclesiæ, id est, Christi, sunt Sancti ejus, id est, ab eo ad gloriam specialiter electi & prædestinati; hi enim sunt specialissimum Christi Domini nostri ornamentum, Ratio autem, cur Sancti in capillis candidis tanquam lana præfigurentur, non solum est candor puritatis & innocentiæ ipsorum; verum etiam, ut jam ex expositione Glossæ audivistis, quia omnes Sancti indifferentes fuerunt ad serviendum Deo in quocunque statu & vocatione ipsi placuerit, ut serviant; Deus enim per infallibilem providentiam, altissimamque & imperscrutabilem sapientiam suam ita disposuit, ut aliqui ei in claustris votis substantialibus Religionis astricti servirent, alii viverent in eremis solitarii, alii obsequerentur in

aulis

aulis & curiis, ibidemque in virtutibus Christianis se exercerent: alii inter hastas & gladios ac bellorum strepitus sancti fierent; alios quoque sanctitatem sibi acquirere voluit inter chartas & libros, multos martyrio coronare voluit, aliis eandem martyrii coronam negavit, tametsi aliàs ardenter eandem desideràrint, ut hac ratione perspicuè intelligatur, quod sanctitas non dependeat à vocationibus, neque à statu majoris vel minoris perfectionis in seipso, sed potius ab exacta non tantum præceptorum, sed etiam consiliorum Evangelicorum observantia, & maximè à fervore dilectionis erga Deum & proximos.

3 In memoriam quæso revocate vobis, qualiter Apostoli olim duplici piscandi modo usi fuerint, scilicet vel per hamum, vel per retia. In hamo piscis deglutiendo ferrum moritur, & ideo hic modus piscandi denotat quòd prædicatores Apostolici aliquos capiant, qui pro fidei confessione, & contestatione inter hastas & gladios aliaque tormenta suam debent profundere vitam & sanguinem. Per retia autem pisces vivi capiuntur, in quibus figurantur illi, qui venturi sunt ad fidem, in eaque sancti & perfecti futuri sunt sine ullo vitæ detrimento, sine ulla sanguinis effusione, aut persecutione tolerata.

4 In Amos Propheta visio quædam describitur *Ecce*, inquit, *Dominus stans super murum*. Murus au-
Amos 7.7. tem ille muros significabat supernæ Hierusalem; *Quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus*. Sed quales erant lapides, quos in manibus habebant? *In manu ejus trulla cæmentarii*, inquit vulgata; Septuaginta autem legunt: *In manu ejus adamas*. Enimverò dum mente revolvo, quod il libro Sapientiæ scribitur, scilicet: *Justorum animæ in manu Dei sunt*; dicendum videtur, per hunc adamantem, & per instrumentum cœmentarii animæ beatæ denotentur, per quas velut lapides civitas Dei ædificatur. Sed dices, quidnam in hoc latet, quod in manu Dei sese exhibentis per modum liberalissimi gloriæ remuneratoris simul & conjunctim teneatur adamas, gemma nimirum tantæ æstimationis & pulchritudinis, ut ipsis quoque Regum diadematibus inseri dignus judicetur; & simul cum eo trulla murarii seu cœmentarii? Fateor dici quidem posse, per hoc significari quod animæ illæ, quæ in præsenti vita magna cum ædificatione & exemplaritate vixerunt, mundi contemptui; suique ipsius abnegationi totaliter deditæ, in cœlesti patria in splendore & pretio cum adamante decertabunt, ac gloriosissimo diademate coronabuntur: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia*, at verò melius ad præsens propositum asserere possumus, per illam visionem nobis insinuari, quod murarii, agricolæ, aut alii quascunque artes mechanicas, variasque viles professiones exercentes, nonnunquam quoad ingressum in regnum cœlorum futuri sunt primi, aliosque etiam nobilissimos, ditissimos, potentissimosque longè antevertent; de illis namque scribitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*.

5 Deus olim in veteri lege populum suum mare rubrum pertransire voluit, priusquam in terram promissionis ingrederentur, ut per hoc fideles in lege gratiæ intelligerent (siquidem *omnia in figura contingebant illis*) quod priusquam illis dari possit aditus ad veram terram promissionis, id est, ad cœlum, requiratur ab eis, ut prius mare salsum & amarum passionum & ærumnarum vitæ hujus trajiciant. Et quidem tametsi hæc expositio satis sit pia & syncera, attamen quoad hoc aliam quandam, materiæque, de qua tractamus, magis adaptatam considerationem facere possumus. Etenim in mari alii tanquam milites pugnant, alii negotiantur, alii piscationi dant operam; sunt qui ex illo corallum extrahunt, alii salem, alii pisces; ac proindè eodem modo dicere possumus, quòd in mari hujus præsentis vitæ, per cujus medium Deus nos navigare voluit, donec appellamus in littore gloriæ, Deus ita disposuit, ut unus quoad vitæ suæ professionem mercator sit, alius miles, alius operarius mechanicus, alius denique piscator, & hac ratione unusquisque in statu & conditione sua fit sanctus.

6 *Qui divisit mare rubrum in divisiones*. Multorum
Ps. 135 17. fuit opinio, quam apertis verbis sustinet Dionysius Carthusianus, quod in mari rubro ultrò se aperuerint, &
Marsi Prompt.

aditum concesserint duodecim viæ floridæ, per quas Tribus transibant; cujus mysterium in eo consistit, ut per hoc denotetur, quod nobis per varias vocationum vias, aditus seu ingressus in veram terram promissionis concedatur. Undè Hugo Cardinalis ait: *Hoc divisit Deus in divisiones; quia facit de mundo transire ad cœlum diversis & variis modis*; ac proindè Salvator noster, qui se portam cœli esse dixit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur*; idem nos quoque monuit di- Joan. 14.
cens: *Non turbetur cor vestrum, in domo Patris mei mansiones multæ sunt*.

7 Sapiens ait? *Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus*. Circa quem textum fatendum qui- Sap. 3. 9.
dem est, dici posse, electos ob multas analogias & similitudines denotari in igne, quod per ignem purificatur; quæ verò ad præsens nostrum vel maximè servit, hæc est: quod sicut aurum priusquam conjiciatur in ignem, unicam duntaxat formam præ se ferat; at vero postquam in flammas ignis conjectum, in iisdemque liquefactum fuerit, ad omnes pro libitu formas suscipiendas statim disponitur: ita quoque se res habet quoad animas cœlo possidendo electas, dum in manu Dei sunt, indifferentes sunt ad omnes status & vocationes, ad quas illas Deus destinare voluerit, & in omnibus statibus & conditionibus, quantumcunque abjectis, relucent velut aurum, faciuntque ut charitas & amor eorum erga Deum reluceat, utpotè qui veræ perfectionis, solidæque sanctitatis lapis est lydius probatissimus.

8 Nescio an aliquo modo consideraveritis modum, quo hìc inter nos formentur imagines & effigies Sanctorum. Etenim eorum nonnullas in chartam exprimimus, alias in tela linea penicillo & coloribus mediantibus efformamus; aliæ elaborantur vel ex ligno, vel ex marmore, vel ex cera, ex quibus fiunt statuæ, vel etiam ex metallis mediante igne in varias figuras funduntur: at verò audite quæ in diversis hisce imaginibus reperitur, magnam differentiam. Etenim ligna in sylvis cæduntur, siccantur, finduntur, dolantur, & quot non coguntur pati percussionum ictus & incisiones, priusquam in perfectam quandam statuam efformentur? Metalla quoque prius in ignem conjiciuntur, liquefiunt, & posteà fusa instrumentis quibusdam ferreis expoliuntur. Marmora quoque patiuntur tunsionum ictus, priusquam perfectionem statuæ assequantur; In hisce autem Sanctis in statuis repræsentatis Martyres agnoscere possumus, qui tot tormentorum transire debuerunt carnificinam: *Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii*! Aliæ verò Sanctorum imagines in tela & charta impressæ aut depictæ illos præfigurant, qui non velut Martyres passi sunt, maximè quoad passiones corporales, sed potius sanctitatem sibi studuerunt acquirere per exercitium virtutum internarum, mortificationis, obedientiæ, contemptus sui ipsius, resolutissimæ in divinam voluntatem resignationis, necnon per charitatis & amoris actus continuos.

9 S. Cyprianus de eleemosyna tractans, duarum coronarum diversarum facit mentionem, & dicit: L. de oper. & elem.
Pecunia, anima, & sanguis est mortalibus in pace vincentibus, coronam candidam pro operibus dabit Deus, & in persecutione purpuream pro passione geminabit. Enimverò æternæ veritatis est hæc propositio, quod scilicet ad eminentissimum beatitudinis gradum in cœlo ascensurus sit, non qui horridiora deserta incoluerit, vel qui se ciliciis aut jejuniis magis afflixerit, aut qui plures ad Deum animas converterit; sed qui Deum ardentissimè amaverit; in cujus probationem servit tritus ille Apostoli textus: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem, &c.* Hæc autem charitas omnibus vocationibus accommodatur, suntque illius omnium statuum conditionumque personæ capaces. Et quidem tametsi experientia satis commonstret, cœlestem hunc charitatis ignem facilius saccos rudes & cilicia calefacere, quàm ferreas militum loricas, aut Regum purpuras; constat tamen Christum ipsum de quodam milite sequens perhibuisse testimonium: *Non inveni tantam fidem in Israel*. Superiori quoque sæculo Deus toti mundo palam fecit sanctissimam illam Caroli Borromæi purpuram, quæ non

habuit cor invideret antiquorum Anachoretarum asperrimis ciliciis & saccis. Quot idem Imperatores & Pontifices magnæ sanctitatis laude celebres fuere? Sanctus Sebastianus per moltos annos hunc à Diocletiano Imperatore est assecutus honorem, quod Dux regiæ cohortis; & tamen eodem tempore gregem Christi defendebat, eratque strenuus Ecclesiæ Christianæ defensor. Abraham similiter, qui primus pater credentium extitit, uxorem & filios habuit, fuitque à Deo plurimis bonis temporalibus cumulatus; & tamen quis est qui perfectionem & eminentiam gloriæ ejus est assecutus; *Ambula coram me, & esto perfectus. Ego ero merces tua magna nimis*. Moyses Deo longè charissimus, qui in sanctitatis suæ signum lucis splendentes radios è vultu vibrabat, per quadraginta annos in aula Pharaonis tanquam filius ejus adoptivus in honorem fuit, uxorem habuit & filios; Dux item fuit Israelitici exercitus; & tamen ea sanctitate conspicuus fuit, ut declaratus fuerit à Deo Deus Pharaonis. David primò pastor fuit, postea aulicus Saulis, deinde miles, demum conjugatus plures uxores & filios habuit, immensos thesauros possedit, multos ab hostibus suis reportavit triumphos & victorias; & tamen ipsomet Deo teste fuit vir secundum cor Dei: *Virum secundum cor meum*? Undenam hanc sanctitatem sibi comparavit? Num fortè quia deserta incoluit? Vel quia sanguinem perpessis martyriis effudit? aut quia mundo renuntians omnia sua pauperibus in eleemosynam distribuit? vel denique quia virgo mansit & castus? Minimè gentium; sed potius in adulterium manifestum incidit, licèt deinceps resurrexerit ad pœnitentiam. Vultis autem scire quamobrem Deus illum ad tantum sanctitatis & perfectionis culmen evexerit? *Faciet omnes voluntates meas*. Quotquot enim in Dei voluntate adimplenda exactè sunt, in quocunque demum statu fuerit, sancti erunt, quia justa mensuram, qua amor noster versus Deum excrescit, juxta eandem quoque augescit gratia & gloria.

DE

S. CAROLO BORROMÆO

Discursus Novem.

De charitate S. Caroli.

DISCURSUS PRIMUS.

Secundum nomen tuum, sic & laus tua.
Psal. 47. vers. 11.

1 Pelagus excellentiarum sancti Caroli adeò vastum est, ut vitæ ipsius series in amplum quoddam se volumen extendat, singulæque ejus virtutes & opera, quorum innumera sunt, adeo sunt heroica & stupenda, ut singulis quoque panegyricis exponi & exornari mererentur. Quapropter ne in tantæ materiæ amplitudine & vastitate nimitum fluctuem, statui hunc primum discursum ad solius nominis ejus Etbymologiam adstringere, siquidem ut optimè Chrysologus scribit: *Sicut Dominum pradiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina sæpè sanctorum merita indicant, testantur insignia*. Serm. 14
In primis igitur apud S. Chrysostomum elogium quoddam invenio, ab ipso Sancto Paulo Apostolo attributum, quod sanctum Carolum nostrum vivacissimè nobis delineat; dicit enim: *Ut enim missum in ignem ferrum, totum perfectò ignis efficitur, sic Paulus Charitate succensus totus factus est charitas*. Quibus verbis maximè ultimis pro themate discursus nostri uti possumus, dicendo *Charitate succensus* Carolus, totus factus est charitas; & optimè quidem id dicitur, quia *Carolus dicitur à charitate*. Ad excellentiam verò & elogia charitatis & gloriæ Sancti Caroli explicanda operæ pretium esse duxi, non aliis, quam ejusdem Pauli Apostoli verbis uti; audite igitur, quid ad Corinthios scribat: *Charitas*, inquit, *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*. Hom. 3. de lau. Pauli.

2 *Charitas patiens est*. In Sancto Carolo summè admiranda fuit Patientiæ virtus, adeò ut *Animales homines non percipientes ea quæ sunt spiritus*, omninò existimaverint hanc ejus patientiam potius apathiam seu insensibilitatem & stupiditatem quandam naturalem in ipso fuisse, quam puram virtutem, nec mirum, quia in immensa & continua gravissimorum Ecclesiæ universalis & suæ particularis negotiorum mole, in quodam tot contradictionum, persecutionum & difficultatum insuperabilium quæ ei occurrerunt inextricabili laberyntho, in tot infirmitatum, & pœnosissimarum afflictionum laborioso decursu, ab ore ejus nunquam auditum vel minimum verbum impatientiam aut iracundiam aliquam redolens. Et ideò appellatur, *Mitissimus vir & clementissimus, ita ut calumnias, contumelias, gravesque persecutiones patientissimè ferret*. Verum enimverò nbi vulgata nostra legit, charitas patiens est, Sanctus Ambrosius legit: *Charitas magnanima est. Magnanimitas autem est virtus, quæ versatur circa magna*, ut Aristoteles dicit. Et quidem revera charitas Caroli magnanima fuit, quia quocunque per totam vitam oculos vestros deflexeritis, magnificentiam in ea videbitis. Etenim magnanima fuit ipsius charitas in tot Ecclesiarum erectione & restauratione, in fundatione & dotatione, tot Hospitalium, Seminariorum, Collegiorum, Monasteriorum. Quapropter magnanimi titulum meretur ad æmulationem Caroli Magni, cui gloriosum hoc nomen, Magnus, attributum fuit, eo quod variis in occasionibus defendisset & locupletasset Ecclesiam: siquidem sanctus Carolus noster per stabilimentum Concilii Tridentini, ab ipso tanto cum labore & industria consummati, per prudentissimum regimen suum, quo sub Pontificatu avunculi sui Ecclesiam gubernavit, & speciatiter per libri illius, qui Acta Ecclesiæ Mediolanensis intitulatur inæstimabilem thesaurum, denique per vitæ suæ miram sanctitatem & præclara exempla, Ecclesiam adeò defendit & locupletavit, ut ipsamet in Bulla Canonizationis ejus fateatur, dicens: *Dominus, qui facit mirabilia magna solus, magnificavit novissimè facere nobiscum, ac miro dispensationis suæ opere statuit super Apostolica Petra arcem grande lumi-* In Bul'a Can. § 1? §. 2. in Bulla.

minare,

minare, eligens sibi è gremio sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Carolum. *Grande luminare*, dicitur non solum propter nobilitatem, sed etiam propter radios & præludia sanctitatis suæ, quæ in ipsomet natalium
§. 3. suorum oriente relucebant: *Futura eximia sanctitatis splendorem præmonstravit Dominus magno & insolito lumine, qua nocte puer nascebatur super maternum cubiculum*. *Grande etiam luminare* fuit in pueritia, in ea namque poma à se seorsim invicem ponebat, velut totidem Provincias & regna; Grandis fuit in juventute, in qua creatus fuit Cardinalis, & tanquam unicus Papæ nepos in partem regiminis Pontificii adhibitus, ac paulò post Diœcesis cujusdam adeò amplæ Archiepiscopus electus fuit, grandis quoque dici meruit in amplissimis divitiis, in statuum temporalium dominio, in sublimissimis functionibus Ecclesiasticis, in Religionum, regnorumque protectionibus. Specialissimè verò. *Grande luminare* fuit, in vitæ immaculatæ exemplaritate, in sapientia & doctrina, in prudentia & experientia, in miraculis & omni eo cujus hujus nostræ mortalitatis sphæra capax esse potest.

3 *Charitas benigna est*; idque ut Sanctus Gregorius ait: *Quia pro malis bona largiter ministrat*. Ehem quot hæretici, quot perditissimè viventes peccatores, qui initio quidem videntes zelum, quo illorum salutem promovere satagebat, ingrati contumeliis variis ipsum affecerunt, postea tamen ab ejus benignitate atque clementia confusi & convicti, num se per piam quandam vindictam loco pœnarum, quas promeruerant, honoribus & beneficiis affici viderunt, ad resipiscentiam & bonam frugem fuerunt perducti? cum sanctus Carolus torrentem quendam transiens, à quodam perditæ salutis homine, in eundem torrentem cum manifesto submersionis periculo proturbatus, ac paulò post per Dei gratiam aliundè illæsus egressus fuisset, qualenam putatis eum de hoc homine sumpsisse suppli-
Cant. 8. 7. cium: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; cum enim impius ille vir fuga sibi protinùs post commissum facinus consuluisset, ipsum studiosè inquiri fecit, & ad se adductum benignissimè excepit, eique post paternam quandam ei præhabitam admonitionem scuto aureo donavit. Nunquid igitur aptissimè ad præsens propositum quadrare videtur illa Hugonis ponderatio, quam illis verbis: *Non diligamus lingua, sed opere & veritate*, adjungit dicens? *Nam talis dilectio inimicum mutat in fratrem*? Ita Sanctus Carolus eos qui Deo rebelles erant, lucratus est, perque suam benignissimam charitatem ad suam disciplinam reduxit.

4 *Charitas non æmulatur*, quod idem est, ac si diceret; non est invida. Vitium istud à cupiditate derivatur, qua prosperitatem quam in domibus alienis videmus, ipsi nobis optamus. Dicit autem
Lib. 3. doct. Christ. c. 10 sanctus Augustinus: *Quanto magis regnum cupiditatis destruitur; tanto regnum charitatis augetur*. Porrò hoc charitatis regnum, jam inde à primis ætatis annis in sancto Carolo auctum fuit, siquidem licèt esset juvenis nobilissima prosapia oriundus, omnique virtute & talento ad sceptra tractanda necessario dotatus, nihilominus cum avunculus ejus, cui velut unica pupilla ejus charus erat, Papa creatus esset, & consequenter ad almam Urbem expeditissimo itinere se recipiendi variis motivorum calcaribus adigi potuisset, ne pedem quidem eo versus movit, imò jam Mediolano nequaquam, nisi Pontificis præcepto adactus, recedere decreverat. *Charitas non æmulatur*; circa quæ verba Gregorius ait: *Quia per hoc quod in præsenti mundo nihil appetit invidere terrenis successibus nescit*.

5 *Non agit perperam*, id est, *non adulatur*. Quisquis enim vera charitate imbutus est, inimicus est adulationis; & ideò vitium istud in aulam sancti Caroli pedem suum inferre nunquam potuit, adeò etiam ut neminem unquam in suum servitium admittere voluerit, qui hac esset pice coinquinatus; Cum aliquando unum ministrorum suorum de sua in certo quodam negotio, opinione interrogasset, illeque hac phrasi utendo respondisset; hanc ego liberè

Mansi Promp.

edicam; subjunxit mox Carolus. Non igitur semper liberè loqueris? neminem unquam inter amicos recensuit, qui minus sincerè loqui consueverat; atque ideo certos in familia ministros habebat, quibus illa erat imposita obligatio, ut ipsum tum omni sinceritate de quovis etiam minimo notato errore monerent. Sciendum est autem, quod ubi nostra vulgata legit: *Non agit perperam*. Cajetanus legat: *Non est inconstans*, quasi dicere vellet, veræ cujusdam & solidæ charitatis certissimum signum est, si qui illa est imbutus, in Christianarum virtutum exercitio, divinique servitii functionibus perseverans & constans fuerit, id quod in hoc sancto ab infantia usque ad ultimum spiritum mirabiliter adimpletum fuit, quia nunquam pedem suum extra orbitam posuit, sed potius in perfectione & sanctitate magis semper, magisque profecit.

6 *Non inflatur*. *Quia*, ut sanctus Gregorius ait: *cum præmium æternæ retributionis anxiè desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat*. Unde verò de ipso dici potuit, quod Plinius de Vespasiano in suo Panegyrico scribit: *Nec quicquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse tantum posses, ut velles*. Neque enim authoritas, imperium census Ecclesiastici, supremæ dignitates, aliaque magnalia ipsi vanitatis fomentum erant, sed potius instrumentum reformationis in Clero & Religiosis ordinibus, auxilio ipsi erant ad dissipandas hæreses, ad abusus & scandala non tantum à sua particulari, sed etiam ab universali Ecclesia extirpandam; divitiarum suarum abundantiam adhibuit ad hoc ut cultum divinum cum decore & majestate convenienti splendescere faceret, ut multa loca pia fundaret & dotaret, ut pauperum necessitatibus subveniret, dignitates ejus ad hoc ab ipso ordinabantur, ut magnam Principibus sui æstimationem imprimeret, pro Ecclesiasticæ immunitatis defensione, & pro Ecclesiasticæ disciplinæ profectu & incremento; in reliquo enim talem in sublimi sua dignitate conservavit modestiam & humilitatem, ut dicere solitus fuerit, se malle presbyterum aliquem ruralem, aut privatum sacerdotem esse, ut cum tanto majori libertate se in beneficium animarum posset impendere.

7 *Non est ambitiosa*. Quantum sanctus Carolus ab ambitione alienus fuerit, vel ex hoc sufficienter conjici potest, quod in Conclavibus Electionis Pontificiæ, nunquam oculum suum declinarit, ad curandam talis Pontificis electionem, qui à sua factione dependeret, sed potius illius, quem ad gubernandum naviculæ Petri clavum utiliorem magisque idoneum esse censebat. Quando in humanæ magnificentiæ apice, tanquam nepos Papæ regnantis constitutus erat, Romam deseruit, ut à sylvescenti Archidiœceseos suæ vinea, tot scandalorum & dissolutionum urticas & tribulos evelleret; cum Pontifex post mortem Friderici Comitis fratris sui, illum per plurium aliorum statuum investituram, perque contrahendam ex matrimonio cum serenissimis quibusdam familiis seu domibus parentelam in sæculo magnum & inclytum facere decrevisset, clam & occultè se voto castitatis obstrinxit, sacros ordines assumendo. Munia quoque illa, quæ in aula summi Pontificis cum ob emolumenta, tum ob authoritatem perroasimi æstimantur, quorum benè multa erant, in manus Papæ libere resignavit, idque non solum cum Pontificis, sed etiam futurorum sæculorum ingenti stupore.

8 *Non quærit quæ sua sunt*. Hugo Cardinalis rationem reddit; quia charitas non quærit propria: *Quia nihil ei deficit, non quærit, quod habet charitas*. Enimverò quantumvis ea, quæ sanctus Carolus possedit, maxima fuerint, illa tamen omnia pro usu & beneficio proprio nihil æstimavit, sed tantum in aliorum beneficium & utilitatem impendit. Mutuo fratre suo ex comparata sibi per divenditam ejus supellectilem pecunia centum puellas inopes dotavit; vix Mediolano pedem intulit, cum ecce post sua divendita trigesies millia scuta pauperibus distribuit; cum ex divendito principatu summam quadraginta

millium conquisivisset, eisdem pariter cessit in paupertatis subsidium, sicut & legatum quoddam aliorum viginti millium scutorum, quæ sibi ex Testamento D. Virginiæ de Ruvere legata fuerant.

9 Verùm enimverò cur non pariter alia ejusdem Apostoli adaptare poterimus, quibus Romanos hisce verbis alloquitur: *Quis nos separabit a charitate Chri-* Rom. 8. 35. *sti? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Dicit igitur primo *Tribulatio*? id est, ut ait Glossa interlinearis, *afflictio corporum*? etenim sanctus Cardinalis noster, ut infra suo loco videbimus, in summo humanæ prosperitatis culmine constitutus, tanta cum austeritate vixit, ut in Bulla Canonizationis dicatur crucifixus *mundo maxime blandienti. Vestis illi interior cilicium* Bulla §. 3. *& crassa asperaque tunica super paleas, aut super asseres paleis pleno pulvino capiti supposito cubabat, interdum super ipsam humum sagulo tantum substrato, accedebant frequentes corporis flagellationes, aliaque id genus complures mortificationes.*

10 *An angustia*? neque enim charitatis suæ fervorem diminuit angustia, in qua pestis tempore constitutus erat; nam quando facultatibus omnibus inter pauperes distributis pro iis, qui de familia ipsius erant, atque in servitio publico indefatigabiliter laboraverant, nec panis nec unicus denarius pro nutrimento præsto erant, postquam oculis in cœlum sublatis à superis poposcerat auxilium, vir quidam in præliminari camera mille scutis onustus comparuit, quæ pro novis distributionibus faciendis viro sancto adferebat; & alia quadam vice, dum non minori premeretur necessitatis extremæ anxietate, ab insperato & anticipatè eidem ex Hispaniis numerata fuit trium millium scutorum insignis pensio. Sed quid hæc memoro? potuitne periculosiori angustia affici, quam dum etiamnum juvenis in pulcherrimo ætatis flore atque in summo delitiarum apice constitutus ab illecebrosa muliere, quæ ut in carnalis voluptatis retia sanctus juvenis incideret, lenociniorum variorum ei laqueos tetenderat Angelica ejus castitas tentabatur? at verò amor ille lascivus eum à divini amoris fervore & æstu separare non potuit, quin potius in causa fuit, ut Aquinatis Angelici in se victorias renovaret.

11 *An fames*? quando enim grex fidelium ei commissus, in summa quadam annonæ caritate, nil prorsus unde nutriretur, habebat, ad imitationem Basilii Magni, ut de hoc sancto Patre Nazianzenus scribit: *Corpora pauperum animasque curabat*; siquidem in famosissimæ illius contagionis tempore, ab eo per victum quotidianum sustentari & aliti suere plusquam sexaginta aut septuaginta pauperum millia. Sanctus Joannes Chrysostomus de sancto Pau- Hom. 7. de laud. Paulis. lo Apostolo egregia elogia refert, quæ nos pariter de hoc amantissimo gregis sui pastore haud immeritò dicere possumus: dicit enim: *Quasi communis totius mundi esset Pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes, imo cunctos non carnales solum, sed & spirituales patres solicitudine ac pietate superabat, & pecunias, & verba, & corpus, & animam pro his quos diligebat impendens.* Sanctus Apostolus ad Corinthios scribens, atque ad nutrimentum spirituale, quo ipsos, in principio conversionis ipsorum nutrierat, alludens, ad affectum & amorem suum exprimendum hac phrasi loquendi utitur; *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non* 1. Cor. 3. 2. *escam.* Enimverò ardentissima sancti Caroli charitas non solum ipsum impulit, ut gregis sui oviculas salutaris doctrinæ spirituali lacte nutriret, sed etiam eo ipsum adegit, ut obstetricis, matris & nutricis munia inter ipsas obiret; nam in sævissimæ illius pestilentiæ tempore tenellos infantulos ab uberibus matrum pestis contagio laborantium propria manu abstractos caprino lacte nutriri & lactari curavit. Deus optimus maximus teneritudinem amoris, erga populum suum contestari volens, dixit? *Nun-* Isa. 49. 21. *quid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Etsi oblita fuerit, ego autem non obliviscar tui; Ecce in manibus meis descripsi te.* Matres germanæ tempore sancti Caroli metuebant ad filios suos pestiferos propius accedere; vel etiam mortuis matribus desolati filii remanebant orphani, at verò amantissimus Pastor tunc partes obibat ma- In Bulla §. 6. tris, inter brachia sua illos ferendo, ut nutriendos elocaret. *Non ad mortuorum cadavera accedere veritus est, ut viventem miserabiliter inter mortuos infantem ab uberibus defunctæ matris eriperet.* Nunquid S. Carolum extenuatum videtis & pallidum, quasi vix pane ad famem pellendam usus fuisset? undenam ista macies? Responderi quidem posset cum Ser. de fide Sancto Zenone: *Tibi fames saginatio est*; veruntamen negandum non est, quin sæpè abstinens & famelicus fuerit, idque ut suis jejuniis pauperes impinguaret. Homerus de volucre quadam refert, quod Illi ad 1. stomachum suum defraudando, cibumque jam in stomachum quodammodo trajectum & deglutitum, abundè denuò eructando ejiciat, ut cum tanta majori sua satisfactione filios suos pascat; Ecce tibi in hac volucre expressam Sancti Caroli erga pauperes charitatem & amorem. Plutarchus de amore prolis scribit: *Sua enim ipsius fame pullos alit, cibumque jam ventri appropinquantem abstinet, & ore premit, ne imprudens deglutiat.*

12 *An nuditas*? vel ut interlinearis ait: *Penuria vestitus*? Num fortè charitatia ejus calorem inter montanas nives & glaciem refriguisse putatis, quando diœceseos suæ deserta montana pertransiens vestibus adeò lacetia & tritis contegebatur, ut mendicus In Bulla §. 12. aliquis illas eleemosynæ loco recipere erubuisset? Nequaquam, quin potius divini amoris ignis in corde ipsius ardens tantò magis intendebatur? *Non algore, non præruptis, & asperorum Rhætiorum & Helvetiorum montium nive & glacie rigentium, charitas, qua foras pellit timorem, & omnia sustinet, deterreri vel retardari potuit.* Quando innumeri tam viri quam fœminæ è domo pestifera seu Lazareto post convalescentiam egressæ, vestibus carebant, quibus nuditatem suam tegerent, quonam tunc charitativus hic Prælatus utebatur consilio? *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* Charitas enim, quæ Regina est omnium virtutum, auro dilectionis & amoris erga proximos suos rutilans ad dextram ejus comparuit, varii coloris habitus subministrans; siquidem palatium suum omnibus aulæis, aliisque sericia, laneis, aut auro intertextis peristromatibus denudans, omnes hos pauperes indui fecit, unum quidem ex aulæis, alium ex pretiosis ostii antipendiis, hunc ex panno holoserico, alterum ex Damasceno, alium ex panno aureo, illum ex panno laneo, denique alios ex lino, imò non tantum universæ supellectilis suæ armarium seu Guardarobbam, ut vocant, sed & paterna viscera pauperculo gregi suo patula esse voluit, quia quicquid habuit, aut corrogare potuit ex affectu viscerosissimo eisdem donavit, adeò ut in amplissimo illo Archiepiscopali palatio aliud nihil superesset, quam tapetis cujusdam linei suffultura. In sacris Canticis genæ sponsæ Malo granato assimilantur; *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.* Hugo Cardinalis glossans verba illa: *Resplenduit facies* In cap. 17. Matth. *ejus*, per has sponsæ genas Ecclesiæ Prælatos intelligendos esse docet. Verùm quodnam mysterium in eo latet, ut hi potius malo punico seu granato, quam aliis fructibus assimilentur? Pro hujus dubii resolutione observandum est, quòd pomum punicum proprium quoddam sit charitatis symbolum, quæ Regina est omnium aliarum virtutum, in cujus signum in sui apice coronulam defert, irradiantibusque Solis radiis aperitur, suaque viscera exhibet. Quam aptè igitur & opportunè Ecclesiæ Mediolanensi dici poterat: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua*? utpotè cujus dignissimus Archiepiscopus Sanctus Carolus viscera sua cunctis aperiebat, qui diademate charitatis in capite suo redimitus erat, qui populum Mediolanensem, totiusque Diœceseos suæ subditos in corde suo, & in benignissimis visceribus suis ferebat continuò, eousque suæ charitatis igne fovebat, accendebatque, ut uniti inter se & conjunctissimi essent, ad eum modum quo pomum punicum multa grana inter se unita & rutilantia habere conspicitur.

13 *An periculum*: Nam S. Carolus ad literam eum Apostolo de periculis sibi obviis dicere potuit, se fuisse in *periculis fluminum* tempore visitationum, quas per Diœcesin instituebat; *In periculis latronum*, id est tot perditè viventium, qui ab eo reprehendi & puniri metuentes, vitæ ejus insidiabantur ubique; *periculis in civitate*; propter plurium licentiosorum & dissolutorum virorum insultus, minimè tolerare valentes, quod ludos eis & festa sæcularia atque prophana hilaria prohiberet; *periculis in solitudine* nocturno tempore per montium rupes oberrando; *periculis in falsis fratribus*, id est, in hæreticis, qui ipsum velut flagellum suum suspiciebant, vel in discolis, quibus morum reformationem intendebat: *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in frigore & nuditate; præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum*. In periculo sævissimæ illius contagionis unusquisque, etiam ii, qui chariores & propinquiores erant, fuga sibi consulebant, maritus uxorem, mater filios, frater sororem, Parochi oves sibi commissas, at verò charitas S. Caroli nequaquam ei, ut unquam ab illis separaretur, permittebat, adeo ut illis tanquam pater, nutrix, frater, Parochus, amicus, & promus condus promptissimè & solicitè inservierit, quia *perfecta charitas foras mittit timorem*. Ipse enim solus erat, qui nihil timeret, quin potius cor leoninum se habere probabat, in persona enim propria ad pestiferorum se recipiebat tuguria, solus Lazaretha seu hospitalia & cæmiteria frequentabat, ipsemet pœnitentium auscultabat confessiones, sacro pestiferos communiebat viatico, ipse medicinas præparabat, propinabat, & nonnihil convalescentes fovebat & alebat; ipse morientes animabat ad mortem, eos exhortabatur, & consolationibus demulcebat, adeo ut
1. Thes. 2. 7 de eo verificetur, quod Apostolus ait? *Tanquam si nutrix foveat filios suos*; siquidem ut diximus, visus est intra brachia sua stringere & portare infantulos è mortis periculo subtractos. *Facti sumus parvuli in medio ejus*, ita oviculæ ejus dicere poterant, ipsemet verò de se poterat dicere: *Ita desiderantes vos cupidè volebamus tradere, vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis*. Enimverò sciendum est, quod ubi vulgata nostra legit. *An periculum*? Interlinearis ita exponat, id est, *apparatus mortis*. Pluties namque in ejus vitam è medio tollendam ministri sathanæ conjurarunt, nec tamen hæc ei imminentia mortis pericula eum ne per umbram quidem ab ardentissima sua charitate separare potuerunt, majoris æstimans unicam ardentis charitatis scintillam, quam vitam suam. Similiter in portu Savonensi alii nonnulli mortem ejus sunt machinati, detecta autem conjuratione, civitatis illius Episcopus per postam seu veredarium sanctum Carolum de hoc indilatè certiorem fecit? Die igitur quodam mane ante diluculum, postquam veredarius velocissimo cursu advolasset, Hieronymus Visconti nobilissimus Eques, & sancti viri nepos, totus anxius, literarum fasciculum ei traditurus, convenit, seriemque seu contentum literarum ei recensuit: Sanctus autem Cardinalis fasciculum sibi traditum accepit quidem, sed nondum apertum minus lectum in igne conflagravit, dicendo se noluisse nomina & personas illorum scire, qui mala erga se voluntate affecti essent, ne fortè alicujus contra quemcunque concipiendi odii tentationi sese subjiceret. Quis unquam majorem charitatis & mansuetudinis integritatem ac puritatem audivit? Eritne imaginabilis major aliquis pro-
In Bulla §. 17. priæ vitæ contemptus isto? *Oblata aliquando indicia proditionis vita sua neglexit, & literas nec resignatas flammis tradidit*.

14 *An persecutio*? Tota sancti Cardinalis vita à prima hora, qua pedem suum in Diœcesin Mediolanensem intulit, (de qua pro eo tempore dici poterat, quod S. Leo de Roma pro tempore quo illam S. Petrus ingressus est, dixit: *Sylvam istam frementium bestiarum*) tota inquam ejus vita abindè nil aliud fuit, quàm continuata quædam, nec unquam cessans persecutio hæreticorum, quos ad fidem orthodoxam convertere studebat; persecutio discolorum Religiosorum, quos reformare satagebat persecutio; ministrorum regiorum immunitati Ecclesiasticæ se fortiter opponentium. Denique persecutio impiorum & scandolosorum, quibus zelus, quo cor ejus pro honore Dei & animarum salute flagrabat, velut spina quædam in oculis erat: veruntamen omnibus hisce persecutionibus non obstantibus, ipse flammam charitatis in se semper magis magisque crescere manifestè probabat. Et ideo viventes S. Carolo vulgatum erat illud proverbium qua rochetum vel superpelliceum ejus quavis fortissima armatura ferrea invincibilius esse & impenetrabilius dicebatur.

15 *An gladius*? S. Chrysologus scribit: *Amor impenetrabilis est lorica jacula respuit, mortem ridet, periculis insultat*. Ecce tibi idipsum in S. Carolo verifica- In Ps. 18.
tum ad unguem, qui post explosam in corpus ipsius bombardam globo plumbeo satis potenti onustam, quæ fortissimum quendam leonem prosternere potuisset, nec quicquam commotus est, sive quoad situm corporis, sive quoad animi compositionem, sed cum summa mentis tranquillitate suam prosecutus est orationem, quod idem aliis quoque facere præcepit, non obstante, quod hi eum lethaliter vulneratum esse censerent; quia *fortis est ut mors dilectio*, potiùs igitur ab illo ense vulneratus, illoque ferro confisus fuit, de quo S. Ambrosius olim scripserat, dum ait: *Habet clavum suum charitas, habet gladium suum*.

De Pastorali S. Caroli solicitudine.

DISCURSUS SECUNDUS.

Ego sum Pastor bonus; bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis
Joan. Cap. 10. v. 11.

1 UNa ex præcipuis laudibus, quacum sancta Mater Ecclesia gloriæ S. Caroli applaudit, est ingens illa, quam erga gregem suum semper exhibuit solicitudo pastoralis; unde in oratione hodierna legimus, illum *Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit*;
Et in Bulla Canonizationis Cathedra Petri definivit, §. 2.
ipsum fuisse *Formam gregis, & formam Pastorum*; ideoque jure merito pro themate præsentis Discursus uti possumus verbis illis ab initio thematis loco positis.

2 Apud Ezechielem oraculum quoddam expressum reperio, in quo deplorabilis Diœcesis Mediolanensis status, priusquam sanctus Carolus ejus administrationem adoriretur, ad unguem exprimitur: *Dispersæ* Ezec. c. 34.
sunt oves meæ, eo quòd non esset Pastor; erraverunt greges mei in cunctis montibus: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Etenim intra octoginta annorum spatium Archiepiscopi illius Ecclesiæ à sua residentia absuerant, redditibus & censibus annuis recipiendis solum intendentes, gregem interea intra luporum dentes & præcipitiorum pericula penitus deserentes.

3 In prophetia Oseæ dicitur quidem, *Sicut popu-* Ose. 4.
lus, sic & sacerdos: nos verò in præsenti totaliter contrarium dicere possumus, siquidem ut de sæcularium moribus illius temporis aliqualiter conijcere possis, hoc unicum sufficiat dicere, quod videlicet illo tempore sacerdotes publici fuerint concubinarii, instar equitis alicujus vel militis vestiti incesserint, arma portarint, publicis mercimoniorum negotiis intenti fuerint, in Parochiis nunquam ferè aut rarò resederint, ac ne formam quidem Sacramentorum pronuntiare sciverint, ac denique qui aliorum confessiones auscultando, semetipsos ad pariter confitendum obligatos esse minimè credebant. Unde si vera est illa Gregorii Magni præclara sententia: *Cum Pastor per abrupta graditur, consequens est, ut & grex in præcipitium feratur*; imaginemini obsecro vobis in qualibus abrupti & præcipitiis infœlices Diœcesis illius oviculæ periclitaræ fuerit; in dictam namque Diœcesin non solum introducti fuerant abusus, sacrilegia, scandala, & omnis generis vitia & abomi-
natio-

nationes; verùm etiam superstitiones & certissima hæresum præludia; nihili fiebat Sacramentalis Confessio, & multo minoris communio, adeo ut multi decem & quindecim solidos annos sacramentaliter Sacerdoti peccata sua confiteri neglexerint, nullam habebant articulorum fidei notitiam; nec multo ampliùs de decem præcepta dicere sciebant? Et quidem quod miseriam notabiliter auget, hæc malitia & ignorantia in majorem usque populi partem invaluerat, de quo proindè dici poterat, quod de Roma gentili sanctus Leo olim scripsit: *Magnam sibi videbatur* Serm. 1. in nat. Apost. *assumpsisse religionem, quia nullum respuebat falsitatem. Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissolvendæ erant terrenæ sapientiæ impietates: hic confutandi Dæmonum cultus: hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda*; ac proindè hujusce Diœceseos reformatio facinus quoddam fuit, quod non tantùm juveni alicui in delitiis enutritio, optimum ætatis florem præferenti: omni præcedentis alicujus regiminis experientia destituto, verùm etiam ipsismet Athanasiis, Chrysostomis, Basiliis, Hilariis, panicum potuisset timorem & metum incutere: veruntamen eandem illi laudem attribuere possumus, quam idemmet Pontifex in S. Petri laudem pronuntiavit, videlicet: *vincebas materiam formidinis vi amoris, nec æstimabas terrors cedendum; dum horum saluti consulis, quos susceperas diligendos.*

4 Salvator apud S. Joannem ait: *Qui non intrat* Joan 4.c.1. *per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde ille fur est, & latro.* Et quidem vel ex hoc capite boni Pastoris titulus S. Carolo aptissimè congruit, siquidem verè ingressus est per ostium, id est, ad Archiepiscopatum promotus fuit per urgentem & cogentem summi Pontificis obedientiam. Fateor quidem unumquemque sibi facilè persuadere potuisse, Pontificem ad hanc electionem faciendam ex quodam consanguinitatis affectu motum fuisse; siquidem vigesimum secundum ætatis annum nondum multum excesserat. Verum exitus evidenter satis, hoc totum ex impulsu Spiritus sancti factum fuisse ostendit, Pontifex enim avunculus ejus, in eo magnam agnoverat prudentiam, senilem maturitatem, optimorumque morum miram innocentiam; præcipuè verò zelum peculiarem agnoverat in censuum Abbatialium, quibus annuè gaudebat inter pauperes facta distributione, nec non in reformatione quadam dissolutorum quorundam religiosorum, quos in gentilitio suo Aronæ Castro proximos sibi habebat, quam ipse tametsi etiamnum juvenculus esset, potissimum procuravit, & instituit. *Nihil pue-* Tob. 1. 4. *rile gessit in opere, cùm esset juvenis. Si in viridi ligno* Luc. 23.31. *hæc fecit, in arido quid faciet?* Etenim ex his in ætate tenera præmissis præludiis facile est conjicere, qualis spes de ipso concipi potuerit in ætate provectiori.

5 Et quidem memorandum est, quòd universalis Ecclesia ante tempus Concilii Tridentini, opera Caroli præcipuè ad finem perducti & consummati in disciplina Cleri, in religiosorum exemplaritate, & in dogmatum suorum integritate magnoperè defecerit; erat enim vinea illa loliis & urticis abusuum & scandalorum plenissima; donec tandem divinæ providentiæ ita disponere placuit, ut super Vaticani Horizontem magnum hoc luminare in tam eminenti loco positum illucesceret: *Status super Apostolica petra ar-* In Bul. §. 9 *cem grande luminare*, ut illud ipsum tot errorum tenebras doctrinæ & operum suorum luce dissiparet; siquidem ipsomet Christi in terris Vicario teste, *Ecclesiam Mediolanensem praclarum exemplar reddidit Ecclesiasticæ disciplinæ*: Voluit enim Deus, ut per reformationem, quam exorsus est in Diœcesi Mediolanensi, eandem pariter per universum Christianismum propagaret? posseteque revera ipsi applicari, quod de S. Basilio Nazianzenus frater ejus per hæc verba scribit: *Per unam Cæsareensem Ecclesiam*, (dicamus Mediolanensem) *toti præluxit orbi.*

Ezec. 3. 17. 6 In Ezechiele scribitur: *Fili hominis speculatorem dedit te domui Israel.* Etenim Deus hunc servum suum in eminentem supremæ dignitatis celsitudinem collocare voluit, ut domus suæ defensioni atque custodiæ invigilaret, insidiasque è longinquo prævisas atque detectas præoccuparet & arceret. Porrò sæculum illius temporis tale proh dolor erat, in quo Episcopi post vindemiatam vineam, & detonsis seu potius excoriatis ovibus, collectis censibus & redditibus suis in curia Romana gaudebant, procul à residentia sua absentes, nec ulli alteri rei operam dantes, quam ut suam quotidiè adaugere spartam possent, ideoque oves iis commissæ intra luporum fauces constrictæ periclitabantur; verùm enimverò notate hic summè obstupescendas infinitæ illius sapientiæ periodos, quas pro illorum tantoperè præjudicantium abusuum efficaci abrogatione est prosecuta. Etenim urbs Mediolanensis eum sibi loci situm vendicat, ut quotquot Prælati è Francia Romam contendunt, eam communiter urbem ut plurimum pertransire soleant, estque pariter, ut ita dicam, in medio Italiæ sinu posita, suamque jurisdictionem usque ad Germaniæ confinia extendit; quoad temporale verò dominium Catholico Hispaniarum Regno, quod potiori ferè mundi plagæ dominatur, subjicitur; In hoc igitur luminare hoc magnum exoriri & promicare voluit; ut admirabili vitæ suæ exemplo, synodorum suorum secundum Ecclesiæ Canones exactissimè & frequenter celebratorum directione, Conciliis item Provincialibus multoties repetitis, & utriusque Clerici, sæcularis nimirum & Regularis optimè institutis reformationibus, necnon heroicarum virtutum suarum imitatione vera Ecclesiastica disciplina, jam antea penitus pessumdata, ne dicam extincta, sese per universum mundum paulatim diffunderet; siquidem *nulla pars Romani orbis ignorabat, quod Roma didicisset.*

7 Et quia ad pastoris munus præcipuè spectat, ut gregem suum præcedat; & ad bona pascua ducat impinguandum: *Ante eas vadit, & oves illum sequuntur*; Joan. 10.4. libenter enim oves pastoris sequuntur vestigia: ideo S. Carolus vitæ suæ vestigia in omnibus locis diœcesis suæ, quæ ipsius opera, prouti in voto Cardinalis Pinelli habetur, facta est *Domicilium sanctitatis, devotionis & pietatis*, altissimè impressa, omnibusque ovibus suis solicitè sectanda reliquit. Hugo Cardinalis verba illa Psalmi: *Infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*, explicans adjungit, *quibus ipsi prædicant*; cujus rationem protinùs subdit dicens: *Quia debilis est lingua,* Ps. 63.9. *quam manus non adjuvat*; adducitque hanc S. Gregorii sententiam: *Loquentis authoritas perditur, cùm vox opere non adjuvatur.* Porrò sanctus Archiepiscopus balbus quidem erat in perorando, & tamen prædicatione fructus omnino stupendos inter auditores suos pariebat, eo quòd exemplo magis quàm voce prædicabat; naturæque defectum non solùm per donum gratiæ, sed etiam per innocentissimæ vitæ suæ exemplaritatem, ac incredibilem zeli sui efficaciam abundè supplebat. Cleri luxum in vestibus, quibus sæculariter induebatur, reformavit, aspero semetipsum cilicio induendo, necnon per vestes simplices & multoties repetiatas, quas sub vestibus Cardinalitiis gerebat; scandalosas Clericorum comas & capillaturas reformavit, dum caput suum instar alicujus ad triremes condemnati mancipii radi faciebat; conviviorum quoque moderatus est superfluitatem & crapulas, dum ipsemet adeo modico & frugali victu usus fuit, ut sæpenumero integras Quadragesimas in solo pane & aqua transegerit, *Seipsum* In lect. *eximiæ sanctitatis præbuit exemplum.* Avaritiam repressit Ecclesiasticorum, nullas omnino de beneficialibus redditibus suis eleemosynas erogantium; quando ipsemet non solum de Ecclesiasticis, sed etiam de patrimonialibus proventibus adeo in pauperes munificus & liberalis, imo prodigus fuit. Frequentiam item introduxit Sacramentorum, eo quod ipsemet quotidie celebraret, & nonnunquam propria manu cibum Eucharisticum undecim millibus fidelibus constantissima pietate erogaret. Exhortabatur populum ad orationem, cui ipsemet integris noctibus sine intermissione deditus erat. Magno quoque mederi voluit abusui, qui in ipsius diœcesin magno cum scandalo irrepserat, nimirum multiplicitati beneficiorum in eodem subjecto concurrentium, residentiam licèt ubique postulantium; atque ideo sexaginta millia scutorum redditus annui libere in manus Papæ resignavit. Volebat insuper, ut qui se Dei servitio dedicaverant, per Ecclesiastici status assumptionem alieni prorsus essent & abstracti à negotiis & mercimoniis sæcularibus, juxta illud Apostoli: *Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus*; & ideo principatum Uritanum ad se legitimè pertinentem

tem

tem vendidit, & acceptum indè pretium in eleemosynam distribuit. Denique satagebat timorem Dei, virtutumque Christianarum in aulas Principum, & præcipuè Ecclesiasticorum introducere, ideoque familiam suam propriam ad talem spiritus & veræ perfectionis statum redegit, ut Panygarola sæpe dixerit, hoc unicum exemplum mundo hactenus defuisse, ut videlicet aulam quandam videret adeo benè regulatam, ut quod virtutem & disciplinam attinet, nullæ etiam reformatissimæ religioni cederet.

8. *Bonus pastor*. Memorandum, quòd quando Deus licet *sciebat quod esset in homine*, nihilominus non tantum semel, sed trinies S. Petrum quoad virtutem charitatis examinare voluit, id tunc præcipuè fecerit, quando ipsum in Pastorem universalem totius gregis
Joan. ult. sui constituere decrevit *Simon Joannis diligis me plus his? Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos*; ut per hoc nos doceret, eos, quibus incumbit habere curam animarum, cor quoque charitate accensum habere debeant. Enimvero qualis & quantus amor ille fuerit, qui in hujus affectuosi pastoris corde exarsit, ex aliqua saltem parte in præcedenti Discursu significavimus. Isaias, qui legis Evangelicæ futuros eventus accuratè prædixit, inter cæte-
Isa. 66. 12. ra Deum hæc verba locutum fuisse scribit: *Ad ubera portabimini, & super genua blandietur vobis*. Ostendatis mihi in toto veteri & novo Testamento, vel in cunctis historiis sacris vel unicum, si potestis, in quo propheticum istud oraculum adeo perfectè adimpletum fuit, sicut in sancto Carolo; amoris namque teneritudo, qua oves suas viscerosissimè prosequebatur, ad hoc eum coegit, ut in tempore sævissimæ in urbe Mediolanensi, ejusque confinibus, grassantis pestilentiæ, domos perniciosa contagio infectas ingrederetur, ut manibus peste vel languentibus, vel de facto mortuis infantulos suos ab uberibus abriperet, quas ad sinum suum paterno affectu astringens, salvabat à periculo, & lactari ab aliis sanis nutricibus curabat, Moyses impenetrabili illa lorica armatus, de qua paulò ante ex sententia Chrysologi diximus: *Amor impenetrabilis est lorica*; nihilominus die quadam coram Deo hisce verbis
Num. 11. 12. lamentatus fuisse legitur: *Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te?* At verò quodnam erat hujusce afflictionis ejus motivum? Hoc nimirum: *Cur posuisti pondus universi populi hujus super me?* In tempore sævissimæ illius pestilentiæ Deus Caroli hujus septuaginta hominum millia imposuit, ut eos medicinis curaret, aleret, foveret, vestiret, & unicuique plenè satisfaceret, nec unquam de hoc sibi imposito onere doluisse legitur; scitisne patientis animi sui veram
Ser. 48. de Temp. causam? Sanctus Augustinus ait: *Qui amat, non laborat; solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit.* Porrò Moyses lamentationem suam prosequitur dicens: *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam ut dicas mihi; Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum suum?* Ecce tibi ergo viscerosissimum S. Caroli erga oves sibi commissas amorem, qui singulos populi diligit sicut filios suos, & velut partus cordi sui eosdem in sinu suo portat.

9. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Verè id S. Carolus præstitit; siquidem ut pestiferis in quovis etiam abjectissimo ministerio serviret, cum evidenti vitæ suæ periculo se exposuit, propriam quidem vitam contemnendo, non tamen vitam aliorum; siquidem unumquemque serio sæpè, ne nimis pestiferis appropinquaret, monuit, idque metuens ne contagione alii corriperentur. Refert Panigarola, quòd cùm die quadam cum S. Carolo de amore, quo Episcopus suam debet prosequi Ecclesiam, dissereret, is ei dixerit, quòd post quam usque ad desiderium moriendi pro ea pervenit, adhuc intensiores & eminentiores charitatis gradus invenerit, quo verus zelosusque pastor ascendere debeat. Historicus quidam fusius describens quàm deploranda fuerit in tempore pestilentiæ Mediolanensium calamitas, tandem subjungit: In hac eadem calamitate datam fuisse sancto Carolo optimam occasionem re ipsa probandi & commonstrandi, suam sanctitatem fictam aut hypocritam nequaquam esse, prouti aliàs æmuli ejus calumniabantur; sed potiùs veram esse & sinceram: similiter se non tam mitram amasse aut purpuram, quam Petri Ecclesiam; siquidem tametsi diversi Theologi valdè laborarint, ut ei persuaderent, quatenus plurium aliorum Episcoporum exemplo se nonnihil ab evidentibus mortis periculis subduceret, illis tamen neutiquam consentire voluit, sed potiùs vitam pariter & facultates pro ovium suarum salute prodigere elegit; per hoc clarè demonstrando, se de eorum numero esse, quos nobis Salvator noster tanquam veros Pastores delineavit: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem fugit*. Quàm obsecro funestum, lugubre & lachrymosum spectaculum fuit illud, quando laqueum ex collo suspensum gerens, cineribus toto corpore respersus, per civitatem processionaliter gradiebatur ponderosa quadam cruce manibus onustus, ut se in peccatorum populi sui expiationem Deo placitam offerret victimam; & quando in pede ferrum quoddam præacutum offendens, graviter vulneratus ex accepto vulnere lapides per viam sanguine copioso tingebat?
Dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione: stetit Phinees & placavit, & cessavit quassatio. Rupertus Abbas ad propositum nostrum aptius loqui non poterat, quàm dum ait: *Ineffabili charitatis vulnere scinditur, cujus sanguinem absque reverentia videre non sustinet Altissimus*. Ps. 105. 23.

10. In libro Exodi refertur, quòd Moyses ut se ab Amalecitis tueretur; miserit Josue belli ducem ad præliandum contra Amalec; sed quod vel quale munus sibi Dominus assumpsit? *Ego stabo in vertice collis*, ait Moyses, *habens virgam Dei in manu mea*. Et hæc eadem virga ipsum contra Amalec gloriosè triumphare fecit. Simili modo quando divinæ justitiæ gladius à Deo adversus Mediolanensis populi peccata strictus esset; mysticus ille Moyses S. Carolus virgam Crucis sacro clavo Dominico onustam seu potius honoratam apprehendit; etenim ut quidam Interpres ait: *Virga illa significabat Crucem Christi factam de ligno*. Et Dionysius Carthusianus ait: *Moyses voluit se Deo repræsentare ut Prælatum populi, ut magis exaudiretur pro populo sibi commisso; ideoque tenuit virgam*. Utique sanctus Archiepiscopus noster ad Deum conversus, idem quod quondam David in simili pestilentiæ occasione dixit, prostratus fuit: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi; isti qui oves sunt, quid fecerunt?* Fuit autem hæc à sancto Carolo sui ipsius pro salute in sacrificium facta oblatio Deo adeo grata & accepta, ut cùm Anno 1524. intra quatuor mensium spatium mortua fuissent quinquaginta hominum millia, tunc econtrà mortua santùm fuerint septendecim milia, non obstante quod populi totius multitudo ad trecenta hominum millia facilè ascenderet. Exod. 7. 9.

11. *Pastor bonus*. Revocandus est hoc loco vobis in memoriam Pastor, qui nonaginta novem ovibus in deserto relictis, ovis perditæ vestigia cum tot laboribus & molestiis perquisivit, inventam verò humeris suis imposuit, illamque sanam & incolumem ad ovile suum summo cum jubilo deportavit. Porrò S. Carolo tanquam summi Pontificis pro tempore regnantis Nepoti, & in Ecclesiæ gubernatione coadjutori, universus Christi grex recommendatus erat; at verò charitate succensus & stimulatus relictis nonaginta novem ovibus, id est, dimissis quas hactenus solicitè non minus quàm feliciter gesserat, universalis Ecclesiæ curis, Roma discessit, se recepit ad acquirenda oviculæ perditæ, id est, languentis Mediolanensis ecclesiæ vestigia, ideoque tantis cum molestiis & laboribus per prærupta Alpium oberravit, donec tandem inventam in pristinum Ambrosianæ faciei statum salvam reduxit. Quot Synodos, quot Concilia tum Diœcesana, tum Provincialia, quot Congregationes instituit, quot denique leges & constitutiones saluberrimas condidit, ut perditam hanc oviculam ad ovile reduceret? *Peccata eorum pertulit in corpore suo, ut justitia viverent*; quod idem fuit, ac si oviculam prædictam in humeros suos sibi imposuisset: *Imposuit in humeros suos:* Siquidem ipsemet pœnitentiam pro peccatis populi sui facere voluit. Quis unquam audivit vel legit, quòd pastor, ut infectum gregem suum sanaret, potiones amarissimas ore suo proprio sumpserit, aut venam sibi incidi fecerit, ut gregem sanitati pristinæ restitueret? Ecce tibi igitur amorem immensum; ecce, inquam, Pastoralem ipsius solicitudinem: quippè ad expiationem crapulæ populi Mediolanensis, de quo jam diximus, perpetuo semetipsum & rigidissimo jejunio maceravit; ad excutiendam & diluendam somnolentiam & lethargum,

cùm

cùm inter tot abominanda vitia per tot annos Mediolanenses Dei quasi totaliter obliti, insepulti fuerant, integras noctes insomnes in continua oratione traduxit; & ut uno verbo multa absolvam, ex amore quo populum suum prosequebatur, adversus innocentissimum corpus suum mortale quoddam sive perpetuum concepit odium. *Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam.*

ta Christus Dominus noster non sine ingenti mysterio præclaris dixit: *Vos estis sal terræ*; quia sicut inter alias salis proprietates una est, quæ intimas ciborum, quas condire debet, partes penetrat, in semetipso colliquescens, seque consumens; eodem quoque modo sanctus hic noster Archiepiscopus, inaccessas diœcesis suæ alpes pervasit, reconditissima ferarum antra in iis penetrando, semetipsum tot fatigationum, nivium, glaciei, pluviarum, immodici æstus, famis, sitis, vigiliarumque molestiis, necnon aliis austerissimis rigoribus totaliter confecit, & viribus omnibus exhausit; majorem itineris sui partem pedes confecit, & quidem sæpe in ejusmodi pedestri itinere calceis affixos habebat dentes ferreos acutos, ne è montanis congelatis, & indè nata lubricitate pedes elisi ipsum præcipitarent; persæpe etiam in locis aclivioribus magisque arduis rependo progrediebatur; qua in occasione manus ei sæpè præ rigido gelu ruptæ sunt, aliàs etiam ob excessivos & inusuetos, quos in similia pedestria itinera adhibebat, labores, ad sudorem usque sanguineum insudabat: *Vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam & imponit in humeros suos gaudens.* Et en quidem sine gregem suum in propria persona sæpissimè visitando, eidem de idoneis sacerdotibus, verbo Dei prædicando, doctrina Christiana tradenda, Sacramentorum frequentia usurpanda abundè providit; hacque ratione speluncam in orationis domum persæpè convertit, ideoque diœcesis Mediolanensis, ut supra vidimus, vocatur *Domicilium sanctitatis, devotionis, & pietatis.* Melius igitur quam alius ille armentorum pastor dicere poterat; *Die noctuque æstu urebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis.*

Gen. 31.

Lib. 2. ep. 135.

13 Imponit in humeros suos. Porrò S. Isidorus Pelusiota pallium, quod Archiepiscopi inter extera sua ornamenta Archiepiscopalia gerunt, declarans, viam nobis aperit intelligendi, quanto cum jure S. Carolus illud in suis humeris portare meritus fuerit. Dicit ergo: *Illud enim amiculum ex lana contextum, quod illi gestant humeris, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat.* Ad munus quoque pastoris valdè specialiter spectat, quòd oves suas accuratè cognoscat: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Et hæc est præcipua ratio, cur S. Carolus omnes videre, singulisque providere voluerit. Quolibet mense informationem & relationem requirebat de omnibus ovibus suis, tametsi numerus eorum adusque nongenta millia ascenderet. Dicere enim solitus erat, quòd vel unica tantùm anima maximi Pastoris regimen vigilantiamque mereretur. Indè factum est quòd nonnulli diœcesi suæ subjecti erga sedem Apostolicam contumaces, hæresisque labe contaminati, necnon multis aliis vitiis obnoxii populi, per adhibitam ejus operam protinùs optimi facti Catholici; qui deinceps interrogati quodnam fuisset conversionis ipsorum motivum, responderunt, se sublatis in cœlum manibus Deo gratias agere, quod tandem aliquis eos invisisset, qui affectu verus pater, tantaque charitate præditus Pastor erat, idque ut in viam salutis eos reduceret, quique nec lanam, nec lac ovium suarum, prouti hactenus alii fecissent; sed solùm & unicè animarum suarum bonum requireret. S. Augustinus de S. Cypriano scribit: *Vicina corporis morte non moriebatur in animo Pastoris vigilantia pastoralis, & cura tuendi gregis.* Enimvero si placet, legite in vita hujus sancti Cardinalis, qualiter solicitudo Pastoralis non solùm in itinere, sed etiam quando ex monte Verallo Mediolanum semivivus rediit, magis quàm unquam aliàs eluxerit; dum enim palatii Archiepiscopalis gradus ascenderet, de sua corporis sanitate minimè solicitus, neque eandem medicorum providentiæ commendans, totam suam solicitudinem in quendam ostiariorum suorum infirmum, qui in eadem cum ipso societate venerat, directam habebat. Undè satis est, & manet perspicuum, quod *Charitas non quærit quæ sua sunt. Vicina corporis morte non moriebatur, &c.*

Ejus in obsequiis & veneratione totius mundi positi profunda humilitas suspicitur.

DISCURSUS TERTIUS.

Sola gaudet humilitate Deus.

1 Quotiescunque assumpti thematis verba, nobilissimam, inquam, illam sententiam in peripheria effigiei San. Caroli per circuitum descriptam, vel etiam in gentilitiis armis ejus, unicam hanc dictionem *Humilitas*, ad instar coronæ Regalis incisam seu insculptam, esse video, toties de novo dicere posse videor monitum illud salutare Gregorii Magni, qui Archiepiscopo Ravennati scribens, ita ait: *Nihil in Episcopali cervice splendidius fulget, quàm humilitas.* Enimverò quod rubinus aliquis, vel smaragdus, vel alia quævis auro comparabilis gemma diademati regio inseratur, nihil in se raritatis habet, quia id practicatur continuò; at vero si particula quædam lateris, vel alterius terræ fictilis seu coctæ inter medias uniones & margaritas, aliasque inæstimabilis valoris gemmas in corona regia insereretur, id profectò ob rei novitatem sine stupore non fieret. Negari equidem non potest, quin humilitas in multis quoque aliis eminentibus Sanctis valdè conspicua fuerit; veruntamen advertendum, potiorem talium Sanctorum partem annos vitæ suæ in claustris, vel in solitudinibus vitam suam traduxisse, ab hominum oculis sequestratos, ac proinde à mundo vel parum agnitos, vel parum æstimatos, quin potiùs miris sæpè modis afflictos & infestatos: at verò in sancto Carolo miraculum meo judicio prodigiosum, insolitum, omnique carens exemplo fuit, quòd contemptus ille & vilis æstimatio, quam in conceptu suo proprio de seipso habuit, eo tempore in ipso eluxerit, quo in tanto respectu & veneratione universo mundo semper fuit; fuit enim humillimus, non in eremis, sed in gloriosissimo humanæ dignitatis & excellentiæ culmine: heroicum quendam sui ipsius contemptum in corde suo tunc defixum habuit, quando eum Pontifices, Imperatores & Reges summè venerabantur. In Theodosii panegyrico dicitur: *Vix cuiquam contigit, & abundare fortuna, & non urgere arrogantia.* Et clarius sanctus Hieronymus dicit: *Plus est animum deponere, quam cultum, & difficilius arrogantia, quàm auro caremus & gemmis.* Arbor illa, quam in sublime ramos suos extendere, ac suo tempore fructuum multitudine onerari volumus, profundas in terra radices figat, necessum est; quid igitur mirum si hæc arbor, quæ in cœlorum sublimia evehi, atque in fertili Ecclesiæ agro copiosissimos fructus edere debebat, adeò profundas in hac humilitatis virtute radices egerit? nam ut sanctus Bernardus ait: *Oportet humiliter sentire de se nitentem ad altiora.* Multi quidem sunt, qui in conceptu & æstimatione propria humiliantur, licèt apud alios honorati & sublimes non sint; at verò maximum summeque stupendum humilitatis meritum in eo consistit, ut quis humilis maneat, sibique ipsi vilescat inter medias laudes, & obsequiorum applausus, inter coronas & sceptra, & in media thesaurorum affluentia. Audite Albertum Magnum virtutem hanc egregiè describentem; dicit igitur: *Humilitas est oculus animæ; per quam homo conditionem suam & statum suum verissimè recognoscit; humilitas est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit.* Equidem prima facie impossibile esse videtur, quòd humilitas juxta hanc datam definitionem in sancto Carolo locum habere potuerit: & tamen illam in gradu valdè eminenti cordi suo indelebiliter inserere ac imprimere novit. Ratio autem impossibilitatis est, quia quando oculo veritatis ad seipsum & actiones suas

Lib 11. ep. 94.

Latin. Pacat. ep. 30.

Ser. 34 in Cant.

Ser. in Dominic 3. Advent.

suas se reflectebat, nullam prorsus invenire poterat sibiipsi vilescendi occasionem, utpore ex nobilissima totius Italiæ familia natus, multorum territoriorum ac statuum proprietarius Dominus, serenissimis aliis Principum familiis per parentelam & affinitatem agnatus, Cardinalis, & Nepos Papæ regnantis; Ecclesiæ alicujus ex insignioribus Europæ Archiepiscopus, nonaginta millium scutorum anni census locuples, ab universa Curia Romana summo in honore habitus, omnibus mundi Potentatibus ob maximè arduorum totius mundi negotiorum dispositionem ejus arbitrio concreditam charus, ob multorum regnorum sibi incumbentem protectionem, propter eminentissimarum dignitatum & munerum, quæ sustinebat, authoritatem, formidolosus; quonam igitur modo *verissima sui cognitione sibiipsi vilesceret*? undenam contemptus & vilipendii suiipsius desumere poterat motivum? forsitan exinde, quia non correspondebat dignitati illi, ad quam illum Deus exaltaverat? sed quis unquam fuit, qui majorem ipso sacræ purpuræ splendorem attulit? etenim si penes Ecclesiam nullum haberet aliud meritum, hoc unicum sufficeret, quòd opera & industria ipsius præcipuè Concilium Tridentinum ad suam perfectionem & consummationem perductum fuerit. Pius V. Pontifex adeo sanctus, & in omni actione sua circumspectus, ipsum etiamnum viventem omnibus Episcopis & Cardinalibus, tanquam verum sanctitatis speculum proponere solebat. *Quomodo verissima sui cognitione sibiipsi vilesceret*? quippè qui conscius sibi erat verè se possidere heroicas sequentes virtutes, scilicet pudicitiæ, etiam, ut creditur, virginalis; charitatis, quam facultates suas in pauperes distribuendo probabat, austeritatum corporalium, quas exercebat, cilicio se vestiendo, in pane & aqua jejunando, in palea non verò in plumis dormiendo; &c. Et sic deinceps de aliis virtutibus, adeo ut in Bulla Canonizationis ipsius dicatur, ipsum fuisse *Terrena calcantem, cœlestia jugiter negotiantem, & sicut officio in Angelum substitutum, ita etiam mente & opere vitam Angelorum in terris æmulantem*. Quo igitur modo *sibi ipsi vilescere* poterat? Abhinc igitur facilè cognoscere possumus, ad quam sublimem pertigerit sanctitatis gradum; siquidem, ut sanctus Gregorius scribit: Sancti *quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse conspiciunt*; id quod nonnisi experientia propria edoctus scripsit, utpotè qui in suprema Papatus dignitate constitutus, humillimus semper remansit. Sanctis Apostolis, de quibus Ecclesia ita canit: *Vera mundi lumina*; quique industria sua conversuri erant mundum, Salvator noster ait: *Cum hæc omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus*. Idem quoque sibi dictum fuisse arbitrabatur sanctus Carolus; quia tametsi cuncta ejus opera heroica essent, omniumque oculos per stuporem ad se raperet, ipse tamen illas tanquam tales minimè censebat, quin potiùs se in servitio Dei inutilem se, nulliusque frugis operarium esse arbitrabatur.

§ 2.

Libr. 18. Mor. c. 27.

Lib. 3. ep. 313.

2 Isidorus Pelusiota ait: *Qui virtutes suas magnas reddere cupit, ne eas magnas esse existimet, & tunc magna erunt*. Paulò ante audivimus, qualiter Bulla Canonizationis Carolum *cœlestia jugiter negotiantem*, esse dicat, & quidem ut in hac negotiatione tanto majus sibi lucrum compararet, curabatur activa vita in seipso contemplativæ perpetuo unita perseveraret; neque enim unquam quoad se Martham à Magdalena passus est sequestrari; & tamen quia sibi videbatur se in operibus externis interiorem dissipare & perdere spiritum, ideo particulare sibi tempus designaverat, quo vel montem Verallum, vel Camaldulas, vel sanctam domum Lauretanam inviseret, seque ibidem per solitudinem nonnihil subducendo magis infervesceret, arctiusque Deo uniret. Porrò de omni eo, quicquid in diœceseos suæ reformatione præstiterat, adeo humiliter apud se sentiebat, ut visitatorem quendam Apostolicum postularit, qui, ut ipse in supplicatione ajebat, commissos censuraret errores, & emendaret. Dum Roma abiturus Gregorio XIII. (qui quondam illi in qualitate & munere Auditoris inserviebat, & in cujus assumptione curanda meliorem habuerat partem) valediceret, qualem ab eo petitionem sollicitasse existimatis eum, qui de Ecclesia Dei adeo benè meritus, dignusque omnino erat, cujus precibus Pontifex per omnia annueret? Plinius in Panegyrico Trajani ita scribit: *Cui nihil ad augendum fastigium supererat*: quod idem de magno hoc Cardinali dici poterat: neque enim dignitatem majoris excellentiæ, majorisque venerationis & sanctitatis habere poterat; quisnam igitur crescendi, & fastigium suum augendi modus illi superesse poterat? Is tantum unicus erat, nimirum: *Hoc uno modo crescere potest, si se submittat*: & quidem ut hoc modo augere se posset, hanc sibi gratiam à sua Sanctitate indulgeri instanter postulat, nimirum ut titulum Cardinalitium sanctæ Praxedis tanquam sibi hæreditarium vendicare liceret, cum potestate nomen simul & arma sive insignia familiæ Borromææ totaliter quoad se abolendi, ut eo modo deinceps in sigillo suo effigiebus S. Ambrosii, & SS. Martyrum Gervasii & Prothasii; qua potestate à summo Pontifice pro voto impetrata, omnia domus seu familiæ suæ passim per universum palatium Archiepiscopale, necnon in omni supellectile sua, sive sacra illa esset, sive familiaris & domestica, aboleri fecit, nec unquam deinceps memoriam aliquam sui nominis in ædificiis, quæ aliàs vel de novo erexerat, vel saltem restaurarat, vel censu annuo locupletarat, qualia sunt Ecclesiæ, Seminaria, Collegia, Xenodochia, superesse permisit. *Hæc dicimus* (inquit S. Hieronymus de S. Paula) *quòd habentibus grandia sint, sed quòd contemnentibus mirabilia*; licèt igitur dignitas, qua præfulgebat, ob sui eminentiam incrementa capere non posset, in ea tantum mirabiliter adauctus fuit per altissimam humilitatem suam. *Crescere potuit, quia se submisit*. In laboriosissimis visitationum suarum itineribus persæpe pedes ambulabat, imo tunc ex compassione & humilitate servos suos à sarcinarum portandarum oneribus persæpè sublevabat, humeris suis easdem imponendo & portando: totum capitis sui verticem haud secus ac si mancipium aliquod ad triremes condemnatum fuisset, radi fecit, licèt id sine suiipsius derisu & contemptu nunquam faceret, ne pedem quidem extra provinciam ponere audebat, nisi petita priùs à seniori Episcopo licentia; eundemque stylum semper observavit, quoties verbum Dei extra provinciam prædicandi occasionem aliquam nactus fuerat: tantam Patri suo spirituali semper & ubique detulit reverentiam, ut nunquam nisi cum profunda ipsi exhibita capitis inclinatione ipsum transierit; duobus specialiter deputatis hoc munus imposuit, ut eum, sicubi erraret, libere corrigerent, imo si casus aliquis ita postularet, ipsum omni cum libertate & severitate acriter reprehenderent, ipsorum super hoc munere conscientiam specialiter gravando.

3 Cùm die quadam ei à nonnemine relatum esset, Prælatum quendam, qui per ipsum ad altiora subvectus fuerat, summo Pontifici efficaciter dissuasisse, ne ipsum utpotè balbutientem arduæ cuidam imminenti legationi adhiberet; protinus illum vera locutum fuisse respondit; imo hanc suam imperfectionem ultro citroque agnoscens, dicere solitus erat, se mereri, ut Dei dispositione in pulpito consistens, subito obmutesceret, eo quod munus hoc absque dato ei ad hoc divinitus talento obire præsumeret, gratumque sibi futurum, si eam ob rem aliquam subire cogeretur confusionem.

4 Hugo Cardinalis textum illum. *Lepusculus plebs invalida*, de Prælatis exponendum esse dicit, qui ex humilitate se muneribus suis obeundis arbitrantur esse insufficientes. *Hi sunt boni Prælati, qui se invalidos ad onera prælationis affirmant*. Hi etenim à Sapiente leporibus assimilantur: *quia semper labia habent in motu, ita Prælati nunquam debent cessare à prædicatione*. Enimvero vigilantissimus hic Pastor noster idipsum in se perfectissimè & indefessè adimplevit: nam ut Bulla Canonizationis de eo loquitur: *In prædicatione verbi Dei ita frequens erat, ut planè in omni patientia & doctrina impleret ministerium suum, vigilando, laborando labore planè incredibili, ita ut quadraginta horarum solemnibus precibus continuo assistens in jejunio & vigilia, singulis horis ad populum admirabili patientia sermonem haberet*.

Prov. 30. 26.

In Bulla §.

5 Verùm dices fortasse, quem fructum producere, aut quam satisfactionem dare prædicando poterat, qui balbus erat? Basilius Seleucus ait: *Moyses habito cum Deo colloquio honoratior seipsum ut vilem abjecit, impeditio-*

nis &

vis & tardioris lingua sum; at verò qualemnam hæc ejus excusatio exitum habuit? *Quanto fastum comprimit, tanto gratiam attrahit.* Quia enim sanctus Carolus sese humiliando imperfectionem suam in se libens agnoscebat, & tamen in ministerio verbi Dei constanter perseverabat, non quidem propter applausum, quàm ut Pastorali muneri suo corresponderet; ideo Deus *diffudit gratiam in labiis suis*, ut pari cum gustu & frequentia audiretur, quàm si facundissimus quidam & eloquentissimus fuisset Chrysostomus.

In cap. 14. Exod. 6 Abulensis Episcopus præceptum Moysi hisce verbis: *Loquere filiis Israel*, impositum considerans, ita scribit: *Antequam Moyses in magna authoritate haberetur, dicebat, ut alius loqueretur pro eo, ne verba Dei, quæ dicebat, ineptitudine linguæ suæ negligerentur; postquam fuit habitus in magna authoritate, quantumcunque balbutiens esset, auditur.* Efficacissima cum facundia non tam lingua, quàm innocentia, & irreprehensibilis vitæ suæ exemplaritate loquebatur, zelus salutis animarum, necnon æstimatio & veneratio authoritatis, quam sibi penes mundum conciliarat.

7 Dices nihilominus, quonam igitur modo respondere poterimus, si quis adversus humilitatem objiceret, ipsum nequaquam acceptare renuisse mitras, nec purpuras, nec quasvis alias dignitates humanas, ut omnibus passim constat? ad hoc ipsummet sanctum Cardinalem verbis sancti Augustini respondere sinamus, di-

Epist. 120. centis: *Ecclesiæ utilitatibus servio, cui non tam præesse, quàm prodesse desidero.* Compertum namque est, ipsum nunquam ambivisse, nec prætendisse, aut quæsivisse honores; siquidem avunculo suo in dignitatem Papalem assumpto, Mediolano nec pedem efferre voluit, nisi speciali ejus præcepto eum ad id per obedientiam cogente. Frater quidem ipsius tametsi sæcularis, avunculi sublimissima electione percepta, Romam subito per postam advolavit: non tamen ipse, qui jam Ecclesiastico in statu positus erat.

8 Considerandum est igitur, tribus potissimum contemni aut detractari honores: vel dum acceptantur nunquam procurati, nec per ambitionem extorti aut quæsiti, vel dum renuntiantur honores sponte oblati; vel in dignitate accepta summa cum modestia & humilitate sese habendo; & omnibus hisce tribus modis humilitas in ipso egregiè resplenduit. Porrò sanctus Gregorius de Saule, qui ne in Regem eligeretur, sese abscondit, ita scribit: *Sancti viri prælationis officium, quantum possunt, fugiunt*; (idque Sanctus noster accurate executus fuit, quando ne Papa crearetur, fuga se subduxit) *sed si a Domino provisi sunt, delitescere nequaquam possunt.* Enimverò qua fronte sanctus Carolus avunculo se opponere poterat, cujus in Ecclesiæ universalis regimine brachium dexterum futurus erat? cæterùm quando in sua relinquebatur libertate, dignitates tales, quæ in Curia Romana maximi æstimantur, summoque in pretio habentur, renuntiavit, quales sunt supremi Pœnitentiarii, Camerarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & aliæ multæ similes, quæ octoginta millium sentorum annuum censum secum subinferebant, retinendo Archiepiscopatum Mediolanensem, utpotè qui præter grave onus nihil habebat, ut in sylvescentis illius vineæ cultura laborandi occasionem sibi acquireret; & quia mundani homines oculum non habent satis perspicacem, qua veram humilitatem ab animi dejectione & pusillanimitate discernere possint, iden Romam ad Papam ipsum detulerunt, quasi qui Cardinalitiam dignitatem in contemptum degenerare faceret, non intelligentes, quod ut à principio diximus, *nihil in Episcopali cervice splendidius fulgeat quàm humilitas.*

9 Cæterùm quantum in hac virtute sanctus noster Cardinalis profecerit, magna cum confusione suiipsius fateri coactus fuit ipsemet malignus superbiæ spiritus, qui eandem sæpè obstupescebat; nam ut sanctus Ber-

Serm. 45. nardus ait: *Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctitate non excludi.* Etenim dum sanctus Archiepiscopus die quadam Ecclesiam ingrediens, peniculamentum aut syrma purpuræ suæ pro more dignitatis Cardinalitiæ per terram fluens post se trahendo, superbus ille spiritus è quadam energumena (quam eo temporis momento coactus est deserere) eidem hisce verbis acclamavit? O si huic purpuræ tuæ syrmati nonnihil superbiæ inspergere possem! quasi dicere vellet; se utique promittere sibi audere, quòd sublime illud ædificium, quod in anima sancti Caroli ædificatum cernebatur, susque deque inversurus esset, dummodo profundo humilitatis fundamento aliquem superbiæ flatum aut ventum subjicere prævaleret; nam ut sanctus Bernardus ait: *Si amittitur humilitas virtutum aggregatio nisi ruina est*; subverso enim fundamento, aulas quoque, cameras, conclavia, perystilia, hospitia, picturas, statuas, apparatus, & quicquam demum elegantiæ aut ornamentorum intus est, pariter subverti & dissipari necessum est. At verò ut Cas- Collat. 15.
sianus ait: *Humilitas est cælestis ædificii firmissimum fundamentum.*

10 *Humilitas*, ut S. Antonius Paduanus ait: *pro-* Serm. 5. in
creatrix est virtutum cæterarum. Et ideò si certò humili- dom. 2
tatem in ipso summo in gradu eluxisse convincere & post Epip.
persuadere volumus, id melius aut efficacius non obtinebimus, quam si eum cunctis heroicis virtutibus, conspicuum præfulsisse, liquidè commonstremus. Et quidem charitatem ejus hic non memorabo, siquidem de ea in discursibus præcedentibus abundè diximus; at
verò *Humilitas est præcipua nutrix charitatis*, ut S. Ca- Dial. c. 14.
tharina Senensis ait. Paupertas in ipso major fuit, omnique exemplo caret; pro quo sufficiat adducere illud ei ab Ecclesia attributum elogium, quod scilicet *Pastoralis solicitudo eum gloriosum reddiderit.* Animi sui generositatem & invictum robur in eo probavit, quod non obstantibus ministrorum regiorum, omniumque aliorum violentis oppositionibus, immunitatem Ecclesiasticam solus ipse intrepidè sustinuerit, ejus à cognato sanguine alienatio tanta fuit, ut vere dicere potuerit: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Cujuscunque humani respectus constantissimus contemptus, nec non incorruptæ cujusdam justitiæ integritas, pari in ipso gradu resplenduerunt; in præmiandis bonis & benè meritis magnanimus, in castigandis verò obstinatus, severus & rigidus fuit. Virtutem Religionis demonstravit in eo, quod ut cultus divinus convenienti cum decore celebraretur, strenue procuraverit. Zelum salutis animarum in eo maximè emicuit, quod tanti æstimarit, tantumque curarit in particulari & seorsim singulas, quanti & quantum æstimavit & curavit omnes collectivè sumptas. Synceritatem quoque & ingenuitatem suam cum singulari industria & prudentia Christiana conjunxit. Pariter in eo rigorosa quædam sensuum suorum custodia, & continua mortificatio interior & exterior per asperrimas corpori adhibitas austeritates & rigores, sese prodidit. Denique invicta quædam in tot sibi obviis contradictionibus, & illatis injuriis patientia in eo emicuit: siquidem *qui piè volunt vivere in Christo persecutionem patientur*: Et præterea inter has omnes virtutes submissionis & humilitatis virtutem specialissimè Lib. 1. ind.
exercuit; nam ut Sanctus Gregorius scribit: *Non e-* 20.
nim grande est iis nos esse humiles à quibus honoramur; quia & hoc sæcularis quilibet facit, sed illis maximè humiles esse debemus à quibus aliqua patimur; *Nam Psalmista dicit: vide humilitatem meam de inimicis meis.*

11 Verùm enimverò fortassè persuasum vobis erit, quod ex quo S. Carolus totus in eo fuit, ut in proprio suo conceptu vilesceret, & contemneretur, ideò penes mundum in minori respectu & æstimatione fuerit: Fallimini profectò, si verè ita factum esse existimatis. Rupertus Abbas circa illa Baptistæ a Christo dicta verba: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, major est illo*, ingeniosam quandam observationem instituit, & dicit, Christum posteriora illius sententiæ verba de semetipso intellexisse; at verò quod apud dictum Abbatem ad nostrum propositum vel maximè servit, est quod paulò post sequitur: Dicit enim idem Cardinalis de Christo: *Minor vel minimus omnium nostrorum, miro modo ministrans, ut minimus: regnat ut maximus.* Sanctus Carolus pariter *Ministravit ut minimus* & tamen eodem prorsus tempore regnavit ut maximus, siquidem Pontifices summi & Reges ipsum etiamnum viventem, velut oraculum, & tanquam quoddam sanctitatis prodigium submissè venerabantur. Et quis unquam inventus est, qui in decore & magnificentia functionum Cardinalitiarum &

Epi-

Episcopalium majori cum veneratione & majestate in throno resedit ac ipse?

12 At verò ex quo veram humilitatem per necessariam consequentiam consectatur exaltatio; siquidem *qui se humiliat, exaltabitur*, ad ipsam quoque suspiciendam nos accingamus. Enimverò ad ultimum usque spiritum Gen 18.27. dicere potuit: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis*, non solum ob perpetuum sui ipsius contemptum, sed etiam quia in extremo vitæ cinere conspergi voluit. Severus Sulpitius de S. Martino dicit (nos autem idipsum quoque de nostro sancto Prælato dicere possumus) *Cum jam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere cessabat pernox in oratione & vigiliis fatiscentes artus servire spiritui cogebat, nobili illo* Epist. 3. *stratu suo in cinere & cilicio recubans*. Beatus verò Laurentius Justinianus de eodem S. Martino ait: *Quantæ humilitatis, quantæque perfectionis extiterit in exitus illius hora percipitur, in qua non in ornato cubili, nec in molli stratu, sed in cilicio decubuit & cinere*. Ecce tibi hic delineatam mortis S. Caroli vivam effigiem, utpotè qui cilicio contextus, & conspersus cinere mori quoque voluit, ut appareret & esset pœnitens, qui innocens semper & perpetuo vixerat, sub illis cineribus sanctitatis suæ lucem abscondere voluit: at verò Deus bonorum remunerator liberalis munificus, innocentiam & sanctitatem ejus, tanto amplius non solum Christianismo, sed & coram toto mundo publicavit, adeò ut ipsimet fidei nostræ hostibus stuporem incusserit. Dum adhuc viveret sanctus Carolus eum corpori suo sepeliendo locum destinavit, qui vel maximè ab ingredientis & exeuntis populi frequentia calcaretur pedibus, ut se hac ratione illius se orationibus recommendaret, prouti in sepulchri inscriptione clarè videtur: Deus autem locum illum non calcandum pedibus; sed potius gemmis & unionibus, nec non auro argentoque copiosissimo exornandum esse decrevit, adeo ut jam cuilibet felicissimum se factum esse arbitretur, si loco illi, quem hominum pedibus calcari Carolus voluit; oris sui osculum reverenter infigere possit, frequentetur jam deinceps locus ille ab omnibus terræ provinciis & regnis, sitque in pari cum sepulchris Apostolorum suorum Petri & Pauli Romæ, vel S. Jacobi Apostoli Compostellæ veneratione.

13 Ante S. Caroli beatificationem, non jam dico ceræ, sed illius consumptæ reliquiæ ad summam centum & amplius scutorum quolibet mense ascendebant (ita etiam scribit Author qui de admirandis ipsius eventibus scripsit) similiter unius tantum diei eleemosyna ascendebat supra summam ducentorum scutorum; Præterea intra quatuor mortem ipsius immediatè subsequentes annos illata fuerunt 8019. vota argentea, tabellæ verò argenteæ 1441. & alia dona quæ ascendebant ad triginta octo scutorum millia.

14 Ex quo etiam Beatorum corporibus hæc ab Apostolo facta fuit promissio, quod scilicet Deus *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, id quod de gloriosorum corporum dotibus Phil. 3. intelligitur: sciendum est, quod idem ille Deus, de quo jure merito dici debet: *Omnia in sapientia fecisti*, paternè disposuerit, ut in alpibus illis montiumque prærupitis, in quibus sibi ipsi adeò viluerat, & in quibus corpus ejus ex laboribus plus nimirum adeò mirifice humiliatum erat, quando super nuda terra & arborum foliis pro nocturna quiete captanda fuit extensum; & castaneis crudis ad pellendam famem pastum, ubi etiam vigilias, famem, sitim, nuditatem, frigoraque rigorosissima perpessum fuerat; disposuerit, inquam, ut in iisdem alpibus frusta quædam crystalli concrescerent stupendæ magnitudinis, quæ dum Civitas Mediolanensis velut inæstimabile quoddam donum, Hispaniarum Regi, tanquam supremo territorii illius Monarchæ & Principi, transmittere decrevisset, idem ille Augustissimus Rex Catholicus rescripto suo protinus mandavit, ut ex illa pretiosissima crystallo pro recondendo sancti Archiepiscopi nostri cadavere loculus quidam seu Hierotheca crystallina conficeretur, quæ tandem post multos annos multis gemmis lapidibusque pretiosissimis præter adhibitam in eandem auri argentique insignem quantitatem, artificiosissimè exornata sacrosanctum hunc thesaurum sinu suo excepit, qui hactenus tot annis intra propriæ suæ humiliationis, propriique vilipendii terram & cineres absconditus fuerat, quæ demum per solemnissimam quandam Processionem cum apparatu verè regio, cum ingenti populi Mediolanensis omniumque vicinorum Diœcesanorum applausu & jubilo circumlata fuit.

15 S. Hieronymus de S. Paula ita scribit. *Quæ unius urbis contempsit gloriam totius orbis opinione celebratur*. Id quod de sancto hoc Cardinali verissimè dici potest; hic enim multas actiones heroicas ex humilitatis motivo ab humanis oculis abscondit, præcipue vero hic Romæ, ubi ad occultandam devotionem suam infra intempestæ noctis tenebras montem seu colliculum S. Mariæ majoris, in sanctæ illius à S. Luca depictæ imaginis honorem, nudis genibus adgeniculando ascendit: Deus autem hanc ejus pietatem in ejusdem sanctissimæ imaginis ad Capellam pontificiam Pauli V. translatione honorare voluit, disposuit enim, ut una cum eadem sanctissima imagine in una eademque solemnissima processione, insignis quædam ejus reliquia deferretur, erigereturque pro secuturis deinceps temporibus pro hac sanctissima reliquia asservanda in ejus honorem & gloriam altare perpetuum. Porrò funis, quem ex collo suspensum tempore sævissimæ illius pestilentiæ ad templum detulit, Deus in sumptuosissima quadam in ejus honorem erecta Ecclesia, quæ S. Caroli de Catenari appellatur hic Romæ asservari voluit unionibus, gemmis, lapidibusque pretiosis sumptuosissimè distinctum; unde dicere potest: *Funes ceciderunt mihi in præclaris*. Ps 15.6. Adhæc quia se nobilissimo illustrissimæ familiæ Borromææ agnomine privavit, ita Deus eandem familiam in toto universo celeberrimam deincept fieri voluit; & non obstante quod non sint alii sancti hujus nominis participes, vel admodum pauci, nihilominus communiter nomini ejus illustrissima ejus familia Borromæa adjungitur, ut dicatur, S. Carolus Borromæus: Refertque idem ille author supradictorum admirandorum eventuum, qui circa S. Carolum acciderunt, quod pro solo tempore suæ canonizationis, habitus fuit computus, vel numerus medaliorum, quæ hic cum nomine & cognomine sancti expressa fuerunt, qui inventus est ascendisse ad centum quinquaginta milliones, qui passim per mundum ad ipsas usque Antipodas dispersi fuerunt, adeoque qui suam conatus est celare nobilitatem, ejus Deus illustres natales toti mundo manifestos reddidit.

Ex lilii proprietatibus, ejusque spinis variæ sancti Caroli virtutes manifestantur.

DISCURSUS QUARTUS.

Sicut Lilium inter spinas. Cant. 2. v. 3.

1 PRima quidem facie candidum lilium ineptum nonnemini videri posset symbolum ad describendam alicujus purpurati, & veluti rutilis rosis vestiti sancti gloriam. Veruntamen advertendum, quod ubi nostra vulgata legit, *lilium*, alii, ut Titelmanus scribit, vertant *Rosam*. In ejus itaque laudem & honorem lilii proprietates & encomia accuratius nonnihil examinemus.

2 *Sicut lilium*. Candidum lilium, prout cuivis notum est, specialissimum est virginitatis insigne; Unde Thomas Cantipratensis ait: *Beata virginitas lilio comparatur propter candorem niveum*. Et verò quod S. C. 29. n. 4 Carolum attinet, fuit is tantus honestatis zelotes, ut gloriosas illas tum Doctoris Angelici Thomæ Aquinatis, tum S. Bernardini, tum denique sancti Casimiri victorias in seipso sæpius renovarit, Bulla canonizationis postquam longum texuisset virtutum Carolinarum, quæ certatim in ipso resplenduerunt, catalogum, tandem subjungit: *Has omnes & sequentes virtutes* In Bull. §. *exornavit mirum in modum castitate & pudicitia, quam* 23. *in florenti etiam ætate, quanquam non leviter tentatus, illæsam fortiter defendit, ac diligentissime semper custodivit*. Etenim sæpius ipsi per lenocinantia & præsentia objecta structæ fuerunt insidiæ, attamen semper in fugam eandem convertit impiger hic S. Philippi Nerii æmulus, qui dicere solitus erat, quod in certamine seu prælio carnis soli ignavi semper vineamus; *Im-*

pudicas

pudicas etiam mulieres ad labefactandam ejus pudicitiam pluries immissas invicta constantia fugavit.

3 Sanctus Hieronymus licet rudi quodam asperrimoque cilio amictus, à continuis ipsum ustulantibus Solis ardoribus exustus, à jejuniis continuis omnino extenuatus, in vasta solitudine Scorpionum & ferarum socius, ideoque intra earundem latibula reconditus esset, duroque silice pectus suum percuteret, attamen sola Chorearum, quas Romæ quondam ante multos annos agitari conspexit, memoria periculosum ei fornicationis bellum indixit, prouti ipsemet ad Eustochium virginem scribit: at verò quod sanctus noster in jucundissimo juvenilium annorum suorum flore, supremoque delitiarum & voluptatum apice, nec non inter lenocinantium syrenarum earumque præsentium incentiva veluti in media fornace Babylonica positus nec ustulatus, nec è fumo ignis illius carnalis denigratus aut obfuscatus fuerit, hoc certè ingens, omnique exemplo carens prodigium est.

Epist. 22.

4 *Purpura non propulsat libidinem*, inquit sanctus Bernardus, quibus verbis dicere vult, quod tinea carnalis concupiscentiæ facilius in purpura, quam in saccis ciliciniis generetur, faciliusque luxuria inter gaudia, voluptates, delitias, divitias, honores aliasque prosperitates contrahatur, quam inter aratri stivam & ligones. Franciscus quidem Assisinas carnales vicit tentationes, suæque puritatis nives intactas quidem conservat, sed non alio medio, quam nudo se corpore intra gelidas nives volutando. Sanctus Benedictus similiter per intactam castitatem verum quidem *lilium* fuit, sed *inter spinas*, quia ut illam illæsam conservaret, in densum quoddam se spinetum conjecit: Major autem gloria & singularis prærogativa Caroli fuit, quod non in medio nivium ut Franciscus, sed inter flammas sensualitatis; non se *inter spinas* volvendo sed, vivendo inter rosas, id est, inter carnalis amoris incentiva & lubricitatis allicientes occasiones, juvenis etiamnum & nepos pro tempore regnantis Papæ, in curia Romana, omni sua gaudens libertate, ab aliorum pessimo exemplo, pravaque consuetudine stimulatus, quod, inquam, inter omnes hasce circumstantias nihilominus se pudicum, & prout multorum est satis authentica opinio etiamnum virginem conservavit. Verissimum quidem est, quod S. Hieronymus scribit, nimirum: *In serico & in pannis eadem libido dominatur, nec Regum purpuras timet, nec mendicantium spernit squalorem*; at verò veritas isthæc suam in candidissimo hoc lilio patitur exceptionem, siquidem vitium istud ad hanc purpuram propius accedere formidavit.

Epist. 2.

5 Hugo Cardinalis circa verba Thematis è sacris Canticis proposita: *Sicut lilium &c.* ait: *Lilium sex folia candida habet; quia sex sunt quæ incorruptam præcipuè servant castitatem.* Omnia autem hæc folia in mystico hoc lilio nostro germinant, nimirum: *Sobrietas, operatio, cultus asperitas, custodia sensuum, raritas sermonum, vitatio opportunitatis peccandi, id est, loci, temporis & personæ.* Et quidem si primum folium, scilicet sobrietatem victus consideremus, quod hæc pro eo tempore adeò in ipso rigida fuerit, quo Mediolani actualiter Archiepiscopus erat, non est equidem adeò admirandum, sicut pro tempore præcedenti, quando nimirum Romæ degens, Nepos erat Papæ regnantis, quando ratione maximæ hujusce dignitatis, sæpè status ratio postulabat, ut lautiores assidentibus convivis suis epulas apponeret, quod enim tunc nihilominus adeò se intra sobrietatis & temperantiæ limites continere sciverit, ut famelicus semper & cum aliqua appetitus continuante prurigine à mensa surrexit, hoc verè est prodigium quoddam longè maximum. Philo Carpathius quidem ait: *Sola illa anima lilii candorem habet, quæ necessariis tantum vitæ contenta est*: at verò purissima illa S. Caroli anima ad eam temperantiæ perfectionem pervenit, ut ne quidem famem pane totaliter sedaret: Audite Pontificem in Bulla Canonizationis hisce verbis de eo loquentem: *Quotidiano non contentus jejunio, carnium, ovium, ac piscium esu sibi interdixit: deinde ter qualibet hebdomada: posthac tota quadragesima, pane tantum & aqua jejunavit; ac demum ut in corde ipsius disposuerat Dominus ascensiones, quadragesimale jejunium magna ex parte solis ficis pastus, ac solis dactylis, veterum eremitarum more peregit; denique postremo vitæ tempore hebdomada majore solis lupinis aqua mollitis, languentem animam sustentavit.*

In cant. c. 1

§ 18. In Bulcanon.

6 Pierius in sacris Hieroglyphicis scribit, quod lilium vino rigatum suum perdat candorem, quasi per hoc nos erudire volens, unicum esse sensualitatis incentivum atque fomentum, consequens igitur est, hoc lilium nostrum mysticum fragrantissimum sparsisse odorem, siquidem certum est, quod aridas sitientesque fauces suas non vino sed aqua rigarit: *Jejunabat sæpissime pane tantum & aqua.* In elect.

7 Secundum hujus lilii folium est, operatio & labor continuus. Profectò quisquis ad ea, quæ paucorum annorum decursu operatus fuit, sese reflectit, obstupescat necessum est. Legatur quæso amplum illud volumen, quod Acta Ecclesiæ Mediolanensis intitulatur, ibi namque Sole clarius videbitur, quæ & quanta in Archiepiscopatu suo laboraverit? Etenim dum etiamnum viginti duorum annorum juvenis esset, quando aliquali etiam recreatione licita securè uti posse videbatur, somnum sibi nocturno tempore denegavit, ut sacræ Theologiæ studio vacare posset, siquidem Concilio Tridentino consummando & ad finem perducendo operam dedit: *Non vigiliis, non incommodis, aut laboribus ullis pepercit.* In Bul. § 8

8 *Cultus asperitas* est tertium hujus candidissimi floris folium. Porrò ex ciliciis ipsius, quæ tanquam sacræ reliquiæ, in summo honore habentur, satis manifestè colligitur, quales illæ puncturæ fuerint, quibus innocentissimum corpus transfigebat, mollior lecti sui coopertura ex canabe confecta erat, eaque non plumis sed stramine & palea farta.

9 *Custodia sensuum* est quartum folium. Porrò S. Carolus quod hoc punctum adeo fuit circumspectus, ut major circumspectio & cautela non jam dico ore exprimi aut reapse dari, sed nec ullo modo imaginari à quopiam posset, ab omni semper tactu se continuit etiam honesto, sive quoad se, sive quoad alios, quando nulla illum postulabat necessitas; in oculorum custodia valdè accuratus fuit. Accidit, quod dum religiosus aliquis forsitan incautus, peccatum aliquod carnis in confessione auditum verbo quodam non planè inhonesto expressisset, illum S. Archiepiscopus acriter reprehenderit, atque à suo superiore corrigi jusserit, ac demum potestate Confessiones deinceps audiendi privaverit.

10 Est & aliud virginalis hujus lilii folium, *Raritas sermonum*, quæ etiam in ipso singulariter enituit; *Fœminas sine arbitris non alloquebatur; omnemque occasionem vitæ labefaciendi candorem accuratè præcavebat*; imò tametsi mulieres illæ cognatæ, aut ætatis provectæ vel etiam spirituales & devotæ essent, illas tamen nec audire nec videre cupiebat; Quando verò ad colloquendum cum illis adstringebatur, eas semper in publico in præsentia duorum gravium virorum auscultabat, idque etiam cum quadam amita sua, maturæ ætatis muliere, nec non cum Anna Columna sorore sua observavit. Ecce tibi ultimum folium, scilicet *vitationem opportunitatis loci, temporis & personæ.* In Bull. § 23

11 *Sicut lilium*. Habet hic flos singularem hanc proprietatem; quod dum aperitur, collum suum versus terram inclinat: Qua in proprietate honestas ejus cum humilitate conjuncta nobis insinuatur. Habet insuper lilium virgam rectam, sursum extensam, intus verò in flore, velut in argenteo vase, rorem, qui ab aere stillatus decidit, exceptum reservat, & in hac proprietate rectitudo intentionis suæ, unico cum Deo, contemplatione mediante incessanter continuata, cœlestium gratiarum & donorum, nec non roris suavitatis & consolationum internarum, quas Deus in animam ejus depluebat participatio copiosa exprimitur. Omnia opera sua per orationem ordiebatur, eademque per eandem prosequebatur feliciter, & felicissimè terminabat, maximè illa, quæ magis ardua erant; Huic eidem orationi adeò profundè deditus erat, ut etiam itinera sive pedestria, sive equestria faciens, eidem quasi in extasim raptus, continuate sisteret, adeò etiam, ut dum quadam vice una cum mula, cui ipse insederat, in foveam quandam prolapsus fuisset, in eadem longo satis tempore hæserit, priusquam adverteret. Ecce tibi virgam hujus lilii sursum ad cœlum elevatam, quippè oratio nihil est aliud, quam *mentis in Deum elevatio.*

12 Si-

12 *Sicut lilium*. Hugo Cardinalis ait: *Lilium in medio floris habet grana aurea, quæ septem hastulis supportantur, in quo septiformis gratia designatur*, qui idem Cardinalis in hoc folio Christum symbolizatum esse dicit. Porrò in hoc nostro mystico lilio non solum septem dona Spiritus sancti ad stuporem eluxerunt, verùm etiam ejusdem sancti Spiritus fructus ab Apostolo ad
Gall 5 22. Galatas hisce verbis enumerati: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Ad hæc alias quoque ejusdem Spiritus gratias in magna hac anima agnoscere possumus, quæ licet in aliis dispersæ sunt, in ipso tamen valut in brevi compendio epilogatæ existunt, adeo ut ipse omnibus illis conjunctim sumptis locupletatus dici possit; S. Pau-
1 Cor. 12. lus ad Corinthios ita enumerat: *Gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, interpretatio sermonum*.

13 *Sicut lilium*. Exhalat quoque lilium miram quandam valdeque vehementem odoris fragrantiam, ad se nos allicientem, seu rapientem potius. Ad quam lilii proprietatem S. Gregorius utique respexit, dum ait: *Sola illa anima in lilium dignitate computatur, quæ à mortalitatis radice ad cœlestem pulchritudinem assurgit; & munditia candorem corde & corpore sibi ipsi custodit, & proximos quosque bonæ opinionis odore reficit*. Enimvero quousque sanctitatis Caroli etiamnum viventis opinio, inde consurgens pii odoris fragrantia excreverit, vel ex eo solo sufficienter arguitur, quod videlicet, si vera sunt ea, quorum vitæ ejus meminit historia ipsemet Romanus Pontifex, qui eo tempore erat Gregorius XIII. magna affectus fuerit devotione ergo apparatus, quibuscum S. Archiepiscopus Missæ sacrificium celebraverat, quando apud ipsum extra urbem Romanam aliquamdiu commoratus fuit: Similiter Hispaniarum Rex Catholicus Philippus secundus; non obstante quod ministri ipsius Regii, Prælatum nostrum ob quendam jurisdictionis conflictum dure satis & inurbane tractassent, de eximia tamen ejus perfectione cum sibi conceptum impressit, ut veram ipsius effigiem in secretioribus conclavium suorum penetralibus inter alios sanctos canonizatos positam asservarit, eo quod illum semper verè & indubitate sanctum esse crediderit. Cardinalis quoque Palenttus Mediolano Bononiam reversus dixit; se quidem Bononia abiisse, ut sanctorum jam pridem mortuorum sacras veneraretur reliquias, interea verò incidisse in animatam quandam reliquiam, S. Carolum videlicet in corpore etiamnum spirantem eum demississimè fuisse veneratum; Quinimo ipsos quoque hæreticos S. Carolus in summam sui æstimationem & venerationem rapuit. Unde Princeps quidam hæresi pertinaciter addictus, postquam multas à diversis Catholicis Episcopis & Prælatis pro excarcerando Religioso accepisset commendatitias literas, mox ut eam, quam illi S. Carolus quoque in eadem causa scripserat, aperuit, & ab ejusdem sancti manu subscriptam esse vidit, deposito pileo, capiti suo eandem superimposuit, ipsamque magna cum devotione exosculans dixit; propter hunc Prælatum vincto exhibebo gratiam, quia hic præ cæteris eam meretur, moxque vinctum dimitti præcepit.

14 *Sicut lilium*. *Considerate lilia agri*, inquit Salvator, *quomodo crescunt, non laborant, neque nent*; unde lilium aptissimum est Divinæ providentiæ symbolum, ac proinde aptissimè huic sancto nostro hunc florem adaptavimus; sæpius enim ipsum totaliter desolatum inter divinæ providentiæ amplexus sine ulla vel minima diffidentiæ umbra positum fuisse in vitæ ipsius historia legimus. Dum Anno Sancto Romam cum multis suorum accedens, nocturno tempore intra alpes à via aberrasset, nec ullum ei occurreret hospitium in quo tum nocturnæ quieti, tum corporis refectioni sibi suisque prospicere posset, mentem suam ad providentissimum Patrem nostrum, qui est in cœlis, qui dat *panem quotidianum* protinus erexit? & subito gallum quendam è propinquo cantantem audivit, quapropter gallicinium illud prosequens, tandem in pauperculum quoddam incidit tugurium, sed omnibus ad corporis necessitatem pertinentibus totaliter denudatum, quod non nisi corpori ab aeris injuriis tuendo servire poterat; cum verò omnes jejuni adeoque famelici essent, ex improviso quatuor Aselli adproperarunt

Marsi Prompt.

variis rebus comestibilibus onusti, quibus non solum ad sufficientiam, sed etiam ad plenam satietatem pasti fuerunt.

15 *Sicut lilium*. Hugo Cardinalis scribit; *Intra florem lilii sunt sex grana aurea, quæ significant charitatem, quia tribus modis diligitur Deus, & tribus de causis: Diligitur dulciter, sapienter & fortiter &c.* Et verò sanctus noster in primis in amore Dei hanc suavitatem atque dulcedinem exhibuit, siquidem cor ejus semper & ubique serenum, tranquillum, cœlestibusque consolationibus plenum fuisse, in ipso sæpè notatum fuit. Dilexit *sapienter* quia charitas & sanctitas ipsius scientiæ & doctrinæ conjuncta fuit, adeo ut de eo dici potuerit: *Labia ejus custodiebant scientiam Fortiter* denique dilexit, quia intrepidum se semper & generosum esse probavit omnibus occurrentibus contradictionibus, quas perditi aliqui homines, qui reformationes ipsius tolerare non poterant, continuo moverunt. Præterea *Tribus de causis diligitur Deus, propter temporalia quæ tribuit: propter spiritualia quæ infundit: propter cœlestia quæ promittit*. Eadem quoque grana aurea in hoc mystico lilio reperimus: siquidem frequenter Deo gratias agere solebat, eo quod ipsum ad divinum suum servitium vocare dignatus fuisset, non eo modo quo alios, scilicet mediantibus ærumnis & adversitatibus, de quibus proinde dicitur: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*, sed mundi prosperitate & dignitatibus mediantibus. *Propter spiritualia quæ infundit*: Quis autem ardentius ipso Deum amavit, aut pro acceptis donis gratiisque cœlestibus Deo gratior fuit, utpotè qui eadem dona & gratias ad ejusdem gloriam adhibuit, qui illi easdem infudit! *Propter cœlestia quæ promittit*, quia omnem spem suam non in hoc, sed in altero regno collocatam habuit, sceptra pariter & mundi hujus diademata contemnendo.

16 Advertendum est autem, quod Spiritus sanctus non solum animam sanctam lilio similem esse dicat simpliciter, sed lilio inter spinas: *Sicut lilium inter spinas*. Ut autem quid per spinas intelligendum sit intelligamus, non est opus ad expositionem & glossas recurrere, siquidem ipsissima æterna veritas idipsum nobis in parabola seminis sufficienter declaravit, dicens:
Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui a sollici Luc. 8. 14.
tudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Porrò quod lilium hoc nostrum mysticum attinet, certum est, quod tametsi spiritualibus illis spinis in maxima copia quaqua versum circumdatum fuerit, se tamen ab illis pungi aut transfigi minimè permiserit. Verum quidem est, quod sub dumetis & spinis ut plurimum, quotidiana experientia teste, serpentes aliaque animalia venenosa sua habeant latibula; regula enim est,
quæ rarissimè fallit: *Si fueris dives, non eris immu-* Eccl. 11 16
nis à delicto; Et tamen ô mirum, inauditum, & stupendum prodigium! Sanctus Carolus tot terrenarum divitiarum, lenocinantium voluptatum, sollicitudinumque temporalium spinis circumdatus innocentiam suam auxit potius, quam diminuit, idque ut Vicarius Christi attestatur, *Mundo maximè blandiente*; cum hoc tamen stat, quod aliis spinis, illis quas Redemptor noster passus est, simillimis verissimè transfixus fuerit utpotè *crucifixus mundo*. Aptissimè igitur de ipso cani potuit: *Beatus vir qui inventus est sine macula, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris; quis est hic, & laudabimus eum; Fecit enim mirabilia in vita sua*.

17 Sed dices fortasse, quomodo is, qui immensos possidebat thesauros, qui centum & aliquot insuper millia scutorum annui census habebat, qui multorum Statuum & Principatuum Dominus proprietarius erat, quomodo, inquam, talis à divitiarum spinis ne-
quaquam transfixus & punctus fuisse dici potest. *In* In Bull §. 8.
tam sublimi dignitatis gradu constitutus divitiarum, potentiæ, ætatis, aliisque non paucis, nec levibus delinimentis circumdatus, tantum abest, ut post carnalia desideria abierit, ut superno assistente præsidio, tunc temporis Christo magis adhærere, & spiritualia ardentius æmulari. Porrò spinæ si manu arctè teneantur aut comprimantur, manum transfigunt & vulnerant, sanguinem inde eliciunt: in manu verò aperta nequicquam pungunt; Scirene igitur desideratis, cur sanctus Carolus ab hisce spinis nequaquam punctus

fuerit, id est, eur nihil de sua innocentia, aut de amplitudine thesaurorum suorum perdiderit? Nimirum id factum est, quia illas spinas manu aperta, liberali, prodiga, in pauperum utilitatem & beneficium portabat, nimirum ut cultum divinum cum debito & convenienti decore effulgere faceret, ut Ecclesias, Collegia, Seminaria, Monasteria, Xenodochia erigeret, ditaret & locupletaret; *Nec quicquam mutavit in te fortuna amplitudo* (ut supra diximus) *nisi ut prodesse tantundem posses, ut velles.*

18 Dum industrius aliquis agricola animadvertit, quod per spinas ager ille, è quo nascuntur, prorsus sterilescat, & in sylvam degeneret, quodque in ignem conjectæ continuum quendam & intolerabilem strepitum edant, adeoque ad nihilum utiles existant, quid facit? aut quem in finem aut usum easdem applicat? Amputat easdem & in fasciculos colligit, atque ex iisdem pro vineæ, agri, vel alterius cujuscunque terræ fertilis custodia solidam sibi sepem construit. Eodem modo industrius hic agricola noster sylvescentem antea & sterilem Ecclesiæ Mediolanensis agrum culturaturus, satis probè agnovit, quod spinæ divitiarum & prosperitatum temporalium, magnum allaturæ essent virtutum suarum fœcunditati præjudicium, sciens quod hæ arcere soleant de cœlo deciduum rorem, quominus super bonam sementem cadere possit; quonam, putas, usus fuit consilio? Honores, divitias, delitias, nobilitatem, aliaque omnia bona temporalia ab animo suo amputavit, affectum & cor suum ab illis totaliter alienando, ut sese tanto arctius mediante extrema quadam Spiritus paupertate & nuditate, nec non rigorosa quadam corporis maceratione & austeritate, Deo adstringeret, factus, ut uno verbo dicam, & suo loco visuri sumus *crucifixus mundo maxime blandienti*, nec tamen illas inutiles omnino manere voluit, quin potius ex spinis istis fortissimam quandam sepem condidit pro innocentiæ suæ nec non Ecclesiæ sibi commissæ tota & secura custodia; voluitque ut deinceps non pungerent, sed potius calcaria adderent ad tanto expeditius in via mandatorum Dei, ejusdemque servitio ambulandum & progrediendum, cæterum in semetipso extremam quandam profitendo paupertatem, seque in profundissima quadam humilitate, nec non perpetua & rigorosissima corporis sui mortificatione incessanter exercendo.

Ser. 48 in cant. 19 *Sicut lilium inter spinas*. Sanctus Bernardus spina hasce spirituali oculo considerans ait: *Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus*. Porrò S. Carolus omnibus hisce spinarum generibus immoratus fuit, sed illæsus semper & immaculatus: In primis namque moratus est in curia Romana per multos annos in supremæ dignitatis, Nepotis scilicet Papæ regnantis, apice, in medio adulatorum, Statistarum, & politicorum, secundum humanam rationem status vitam suam instituentium. Fuit quoque *inter spinas* id est, inter tot hæreticos Catholicæ Ecclesiæ inimicos, inter Rhætos sive Grisones & Helvetos, inter ipsosmet suos Diœcesanos, implacabiles ejus priusquam magnam illam Ecclesiæ suæ reformationem ad optatum finem perduxisset, persecutores. Audite verba Bullæ: *Agrum illum* (loquitur hic de ipsius Diœcesi) *malitia temporum vepribus turpiter deformem ac sylvescentem*. Qualis autem facies hujus Diœcesis fuerit, priusquam sanctus Carolus ei præficeretur, in libro sapientiæ videri poterit, ibi namque populi illius voluptatibus totaliter illo tempore deditis, Deique omnino obliti licentiosus ac distributus status ad vivum delineatur; antequam hic ipsorum sanctissimus Archiepiscopus electus fuisset, una

Sap. 2. hæc totius populi vox fuisse videri poterat: *Fruamur bonis, coronemus nos rosis; non pertranseat nos flos temporis; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; ubique relinquamus signa lætitiæ*. Præterea audiatis velim, quales post hasce rosas successerint spinæ, quibus eum candidum hoc & immaculatum lilium conati sunt transfigere: *Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis*; Etenim sine numero fuerunt injuriæ & persecutiones, quibus eum continuo infestarunt & lacessiverunt, verum ut optimè sanctus Bernardus ait: *Non mediocris titulus profecto virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem*; Neque enim solum Sanctus hic se ab hisce vepribus pungi permisit, verum etiam eosdem in Rosas, flores & lilia transmutavit, siquidem Diœcesis illa Mediolanensis facta est deinceps opera sancti Caroli *Domicilium devotionis, sanctitatis, & pietatis*, ut supra ex quodam canonizationis suo voto diximus; ideoque cum sancto Bernardo merito dicere de ipso possumus: *Ipsas utique pungentes se spinas candore proprio illustrare & venustare non cessavit*, nimirum flagitiosè viventium cordibus exercitium inserendi veræ pietatis, & Christianarum virtutum. Hugo Cardinalis ait: *Sicut lilium suum candorem retinet inter spinas, & quanto magis ab ipsis pungitur, majorem reddit odorem, sic sponsa inter hæreticos conversans, vel malos Christianos, candorem suæ innocentiæ non amittit*, sed quanto magis ab eis dilaceratur & pungitur, tanto majorem odorem bonæ opinionis latius emittit. Nunquid eminentissimus ille Cardinalis per superioris cujusdam Spiritus instinctum mysticum hoc lilium nostrum vobis videtur describere; Ipse enim verum quoddam fuit illorum Prælatorum prototypon, de quibus olim Apostolus his verbis scribebat: *Ut sitis sine querela, simplices filii Dei; sine reprehensione, in medio nationis pravæ & perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Phil. 2. 15.

20 *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Beda in hunc textum ita scribit: *Non solum adversa pati habes ab his, qui a te sunt, & mente & professione omnimodò extranei; sed illarum quoque animarum sæpius improbitate acriter compungeris, quas per fontem regenerationis, perque fidem ac perceptionem Sacramentorum cælestium in filiarum se numero accepisse gaudebas.* Porrò diuturniores & truculentiores, quas zelosissimus hic Pastor passus est persecutiones & difficultates, nequaquam ei intentatæ fuerunt ab hæreticis, utpote qui in summa eum veneratione habebant; sed potius à propriis suis Diœcesanis, qui reformationibus ejus se subjicere nequaquam poterant, de quibus proindè jure merito dicere poterat: *Filios enutrivi & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Isa. 1. Etenim Mediolanenses Romam versus legatos ad eum calumniandum expediverunt, tametsi iidem non solùm sine fructu, sed & cum omnium sapientiorum derisu & explosione ad proprios denuo lares redierint; simili modo ex quo sanctus Archiepiscopus disciplinam regularem in Humilistorum Religione totaliter collapsam restaurare satagebat, ideo pulvere nitrio & globulis plumbeis bene onusta bombarda in ipsum explosa & laxata fuit, à qua tamen buttenda licèt explosione totaliter remansit illæsus.

21 *Sicut lilium inter spinas*. Per has quoque spinas intelligi possunt illæ, quæ in serto spineo Salvatoris consistentes, benedictum illius caput immaniter transfixerunt. Fuit etenim S. Carolus erga Passionem Redemptoris nostri devotissimus, utpote cujus memoriam multis columnis impressam reliquit, quas in variis Mediolanensis urbis plateis & compitis erigi curavit, quibus Crucem cum Crucifixo imponi, omnibusque horis orationem ante illas fieri voluit. Quovis Veneris die exercitia quædam pietatis in honorem sanctissimi Clavi Dominici fieri instituit, sub quibus ipsemet sanctissimus Pastor de passione Domini ad auditores perorare in propria persona semper voluit. De hac ejus erga hoc Passionis Dominicæ mysterium singulari teneritudine iteratæ ejus peregrinationes testimonium perhibent, quas Taurinum versus ad sanctam syndonem pedestri itinere confecit, quæ adeo vivaciter cordi ejus impressa fuit, ut non solùm ab oculis, verum etiam è venis sanguinem extorserit, quem ferreis se catenulis disciplinando foras manare fecit: necnon longe moræ, quas variis temporibus in monte Verallo traxit, ubi in variis oratoriolis accuratissimè & sigillatim depicta sunt omnia passionis mysteria, erga quam quanta fuerit compassione permotus, in eo satis liquido monstravit, quòd cum pastorali sua solicitudine adactus ibidem non posset diutius subsistere, omnes hasce picturas passionem Domini repræsentantes in quendam librum per ordinem depingi fecit, ut eas penes se semper habere posset, quas postea in tempore mortis suæ instar devoti cujusdam peristromatis lectum suum circumdare voluit. *Demum in solitudinem Veralli montis, ubi sculptis imaginibus Dominicæ Passionis mysteria ad vivum repræsentantur, secessit, ibique diebus aliquot voluntaria castigatione asperam,*

ram, sed Christi dolorum meditationibus suavem vitam ducens, in febrim incidit, Mediolanum reversus ingravescente morbo, cinere ac cilicio coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem defixis, migravit in cœlum. Ecce tibi igitur mysticum hoc lilium ad ultimum usque spiritum inter spinas Christi crucifixi positum, ac tandem ex hoc mortali & tristi solo in viridarium paradisi felicissimè transplantatum.

Quantum ornamenti sacræ Purpuræ contulerit, ostenditur.

DISCURSUS QUINTUS.

Coma capitis tui sicut purpura. Cant. cap. 7. vers. 5.

1 PEr nomen Sponsæ in sacris Canticis sancta Ecclesia præfiguratur, ad quam proindè verba hæc diriguntur, in quibus hæc ei laus attribuitur, quòd comæ capitis ejus sint velut purpura quædam: *Coma capitis tui sicut purpura.* Porrò caput Ecclesiæ visibile in terris est summus Pontifex; comæ sive capilli, qui præcipuum sunt capitis ornamentum, Purpurati Patres dici possunt; ita namque modernus quidam Scriptor declaravit, dum ait: *Non incongrue per ejus comas intelligere fas est Cardinales illi proximo adhærentes, eundem non modicum exornantes; de quibus bene quoque dicitur, quod sint sicut purpura Regis vincta canalibus: tam quia externo purpura colore, quo amicti sunt, regiam capitis sui tueri se fatentur dignitatem; tum quia eodem purpura colore, quales & interni sint, vel esse debeant, protestantur.* Idem quoque Tirelmannus docendo confirmat. Verum tamen, ut verum fatear, inter omnes comas, quæ aliquod huic capiti ornamentum attulerunt, nullam inveniri posset existimo, quæ omnes purpuræ qualitates vivacius exprimant, quàm coma illa, cujus hodie præconia & merita veneramur, prouti ex præsenti Discursu liquido patebit.

Ghisler.

Orat. 3.

2 *Sicut purpura.* S. Gregorius Nazianzenus primam purpuræ inventionem sequenti modo factam fuisse tradit; refert enim de cane quodam, qui juxta insulam Tyri ad littora ejus ad gregis custodiam destinatus fuerat, quòd hic linguam & os suum sanguine piscis cujusdam, qui purpura appellatur, quem devorarat, adeo enormiter tinxerit, ut pastor gregis eum vulneratum esse credens, os ejus adhibita ovienlæ lana absterserit, quæ mox absterso sanguine totaliter imbuta, colorem quendam adeo pulchrum retulit, ut coloris novitas in stuporem rapuerit omnes illam aspicientes; pastor autem liquorem hunc, quo os canis manebat, piscis cujusdam à cane devorati sanguinem esse conjiciens, piscem hunc diu multumque explorans, tandem invenit, quem exenterando magnam nactus est sanguinis illius copiam, ejusque prærogativas, præcipue verò colorem omnibus eousque manifestavit, ut mox ab omnibus mundi Magnatibus, etiam Regibus, ad vestes eorum colorandas avidè expeteretur. Quo supposito dicite sodes, quisnam unquam ex omnibus aliis, eam quæ sacræ Purpuræ debetur, æstimationem & reverentiam toti mundo manifestavit evidentius Carolo Borromæo? Quis majorem dignitati Cardinalitiæ venerationem attulit magno hoc & vigilantissimo Pastore, *quem Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit?* quem summus Pontifex *Grande luminare* appellat? Item *formam gregis formam Pastorum, qui multiplici fulgore sanctorum operum universam decorando Ecclesiam sacerdotibus & populo praluceret.* Porrò Purpura istæc adeo in Ecclesia Dei resplenduit, ut ipsamet Petri Cathedra, dum eum canonizat, ita de eo loquatur: *Hanc diem mundo dilucere his temporibus ante sæcula prævrdinavit Altissimus, in qua per ministerium humilitatis nostræ Carolo S. R. E. cui auctore Domino præsidemus, Presbytere Cardinali, sacris decernendis honoribus, unica sponsa sua nova imponeretur corona, ornata omni lapide pretioso.*

In Bulla §. 2.

3 *Sicut purpura.* Concha, è qua sanguis iste purpureus elicitur, inter salsas aquas & tempestates maris nascitur & enutritur, continuoque maris fluxui & refluxui, necnon ventorum ludibrio perpetuo subjicitur. Undè S. Ambrosius ait: *Quid purpuras memorem, quæ Regum amictus imbuunt? aquarum est igitur, quod in Regibus adoratur, aquarum est species illa quæ fulget.* Enimverò quod S. Carolum attinet, poterat hic in humanarum prosperitatum aquis dulcibus navigare, qua ventum magis propitium in puppam navigii sui spirantem habere non poterat; at verò quia rates opulentis mercibus onustas facilius in aquis fluminum, quàm in salsis maris undis periclitari probè sciebat, ideo sibi ex purpura non solùm tot voluntariarum afflictionum amaritudinem assumpsit; verùm etiam propter Diœcesis reformationem, ob disciplinæ monasticæ collapsæ restaurationem, propter hæresum extirpationem, denique ob immunitatis Ecclesiasticæ generosam defensionem millenis aliis tempestatibus se subjecit, omnibus aperta fronte se etiam usque ad laxatas in illum balistas opponendo.

Lib. 5. Exam. c. 2.

M.ensi Prompt.

4 Venerabilis Beda propositi Thematis verba glossemate suo illustrans ait: *Perfectam purpura tincturam nullo unquam sole, nulla aquarum aspersione pallescere;* quod in sensu mystico idem est, ac si diceret: Prælatis incumbere, ut toti mundo palam faciant, se pro sponsæ suæ defensione nullis unquam terræ vel inferni contradictionibus vinci aut superari posse, *ita ut constet eos nullis adversitatum pressuris posse superari.* Quis unquam in cunctis adversitatibus S. Carolo constantior & magis intrepidus fuit? Nazianzenus scribit: *Purpureus color veros Imperatores admonet, ut promptis animis sanguinem suum fundant pro subditorum salute;* ita namque Commentator ejus exponit, quod nullus perfectius adimplevit purpurato Carolo nostro, utpotè qui pro gregis & Ecclesiæ suæ defensione ipsimet morti se frequenter exposuit.

O.at 3.

5 *Sicut purpura.* A quonam Hierarchia Ecclesiastica purpuram alias, quàm à fuso Martyrum sanguine accepit? Undè Dionysius Carthusianus ait: *Purpura, quæ rubei est coloris, martyrium signat.* Ad magnificum quoque Salomonis thronum, per quem juxta Hugonem Cardinalem Ecclesia denotatur, per viam quandam purpura stratam ascendebatur: *Ascensum purpureum;* ubi Glossa addit: *Purpurei ad martyrium prompti;* per quod Spiritus sanctus innuere voluit, Ecclesiæ Cardinales ideo maximè purpura amictos & adornatos esse, quòd pro religionis & fidei defensione ad sanguinem suum fundendum prompti & parati esse debeant. Equidem tametsi gloriosissimo Purpurato martyrium defuerit, ipse tamen nunquam in præparatione animi dedit martyrio, prouti in excepta illa balistæ & globi inde vibrati explosione, aliisque diversis in occasionibus manifestè satis patuit, in quibus pro immunitate Ecclesiastica sumenda manifesto se vitæ periculo exposuit: quamvis juxta D. Bernardi mellifluam ponderationem dici possit, ipsum divina providentia specialiter reservatum esse ad longum quoddam, pœnosum, valdeque meritorium martyrium experiundum. Quodnam verò illud fuit? *Quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias?* Ipse quidem lautam quotidie mensam adornari faciebat, non tamen sibi, sed pauperibus quos excipiebat, ac peregrinis qui ex universa diœcesi, cunctisque aliis mundi partibus ad eum confluebant, quibus domi suæ magna cum hospitalitate liberale præbebat hospitium, ipse verò famem suam vix pane, seu siccis ficubus, & nonnunquam lupinis sedabat: vestium suarum, cæteræque supellectilis armarium omnibus quidem rebus abundabat, sed ad pauperes vestiendos, non verò pro seipso, qui vestes adeo laceras subtus purpura deferebat, ut ne mendicus quidem illas in eleemosynam acceptare sustinuisset; similiter tametsi præ frigore totus rigidus toto corpore contremisceret, ad ignem tamen nunquam accessit, adeoque in summa divitiarum abundantia pauper fuit, quia cuncta quæ habebat, in eleemosynas aliaque opera pia distribuit.

In c. 23 in Exod

Cant. 3. 10

Ser. 1. In fest. omn. Sanctor

6 Venerabilis Beda autem in propositi thematis verba scribens, de illis animabus, quæ purpuræ similes Ecclesiæ sunt ornamento, dicit: *Purpurata existunt ad moriendum pro Christo, quam videlicet purpuram prolatum in canalibus in summi Regis faciunt ornatum, tum data occasione patiendi, quid in eo corde gesserint, ostendunt fortiter ob gloriam sui Redemptoris, & adversa quaque sæculi, ipsam quoque, si contigerit, mortem subire parati.* Legite obsecro vitam ejus, atque in his Bedæ verbis mysticæ hujus purpuræ præconia ad vivum expressa invenietis.

7 *Sicut purpura.* S. Hieronymus de forti illa muliere tractans, per quam Ecclesia præfigurata fuit, quæ Prov. 31.

Nn 2 quæ

que pro ornatu & decore suo purpura vestiebatur: Purpura indumentum ejus, ita scribit: *Purpura in effusione pretiosi sanguinis*. Quàm aptè igitur purpura hæc sanctissimo Cardinali nostro quadrat, utpotè qui mediantibus disciplinis ferreis, ciliciorumque puncturis sanguinem suum quotidie ex innocentissimo corpore suo copiosè fundebat. Porrò S. Bernardus de Christo patiente verba aliqua scribit, quæ nos sanctissimo huic Dei servo facili negotio applicare possumus. Circa illa igitur verba: *Chlamydem coccineam circumdederunt ei*, ita scribit: *Quamvis ipse vestem corporis sui sanguinisque suis pretiosissimi effusione multo nobilius purpuravit*. Quando in hyberni frigoris rigoribus per medias nives & glacies circuibat ad visitandas Alpes, manus ejus sæpè visæ sunt stillare sanguinem, ipsiusque camisiæ humore quodam sanguinis colorem referente madefactæ sæpius repertæ fuerunt.

De Pass. Dom. c. 4.

8 *Sicut purpura*. Celebre est illud à Basilio Imperatore filio suo Constantino traditum documentum: *Purpura bene vestieris, si temperantia in omnibus, & dictis & factis tuis efflorebis*. Porrò non solùm virtus illa in S. Carolo in gradu heroico resplenduit; verùm etiam tres alias virtutes Cardinales. Etenim Prudentia in ipso talis ac tanta fuit, ut ab ipsius Decretis, Regulis & Constitutionibus universus mundus Christianus vivendi normam acceperit, & etiamnum accipiat, quippè qui ætatis suæ oraculum quoddam erat, quemque Deus eo præcipuè fine Ecclesiæ dedit, ut veluti speculum quoddam omnibus deinceps serviret sæculis futuris; undè & Pontifices Maximi in difficillimis maximeque arduis negotiis ejus utebantur dexteritate atque consilio. Justitiam, quæ unicuique quod suum est, distribuit, quæque pro scopo suo unico bonum utile publicum habet, bene meritos remunerando, & castigando delinquentes, cum summa semper integritate in praxi exercuit; unde ipsius tempore videre erat vitium depressum, exaltatam verò econtra virtutem, tribunalia incorrupta, protectos pupillos, omnes verò humanos respectus, despectus & suspiciones, quæ justitiæ libram obliquam reddunt, penitus pessumdatas atque remotas, nihilque aliud ejus tempore, quàm virtus, meritum, & veritas locum habebat. *Tribunalia sua, ut non solùm quavis labe iniquitatis, sed etiam suspicione vacarent, omni studio, præsertim sæpe illa visitando præstitit*. Fortitudo in ipso invincibilis prorsus extitit in omnibus motibus, quos maximè in magnæ illius reformationis exordio frequentes valdè habuit; à populo, à Clero, à Regularibus, à ministris regiis, ab hæreticis, aliisque omnibus perditæ vitæ hominibus, & tamen per constantiam & heroicam ipsius fortitudinem adversus omnes sibi obvias contradictiones superior evasit. Undè ab Ecclesia præclaro hoc epitheto decoratur, quo audit *acerrimus propugnator*. Quodsi verò oculum in Temperantiam ejus deflectamus, hæc maximum in eo præ cunctis aliis virtutibus meretur stuporem; quippè qui ampliorem in hac virtute, quàm in aliis campum habebat efficiendi, ut hæc in toto vitæ suæ decursu quàm maximè in eo splendesceret, utpotè quem continua prosperitas velut individua comes semper & ubique sequebatur. Glossa in ultimum Proverbiorum caput ita scribit: *Purpura induitur Ecclesia, dum continentiam non amore laudis, sed regni perennis exercet*. Vana gloria, ut ex ipsomet maligni spiritus ore habetur in Cardinalitiæ purpuræ ejus lytmate, nec per umbram quidem nidificare potuit. Sed quid de ejus Temperantia & Continentia dicemus? De Divite illo, qui *induebatur purpura*, ipsamet æterna Veritas dicit: *Sepultus est in inferno*. Sed dices: Quidnam mali in eo latet, quòd purpura quis vestiatur: *Coma capitis tui sicut purpura*? Aut quid mali fecit ille, ut ad illum ignem condemnaretur? Audite Abrahamum dicentem: *Recordare quia recepisti bona in vita tua*. At verò quis in hac vita in thesauris, delitiis, honoribus omnique alio, quod datoris omnis boni larga manus dare potuit, sancto Carolo prosperior aut felicior fuit? Totum hoc verum quidem est, verumtamen differentiam intelligere oportet, quæ inter unam alteramque purpuram intercedit. Etenim dives ille *induebatur purpura*; hucusque nihil mali adest; at verò Evangelista ulterius progreditur dicendo: *Epulabatur quotidie splendide*; quasi diceret, nesciebat in felicitatum temporalium abundantia continenter & temperanter vivere, sed epulabatur quotidie, adeoque avaritiæ in prædam cesserat, ut pauperculus ille Lazarus ne modica quidem panis mica, quæ de lauta ipsius mensa fortuitò deciderat, famem suam exsatiare posset: at verò licèt de S. Carolo in veritate dici possit: *Erat dives, induebatur purpura & bysso*; non tamen progrediendum est ulterius; quia tametsi etiam vere dici possit, quod *epulabatur quotidie splendide*; id tamen de pauperibus, non vero de ipso intelligendum venit: imo vero sanctus hic Cardinalis ad satietatem & ubertatem usque comedere potuisset, si sibi ita indulgens fuisset, ut de reliquis, quæ ex benè instructis & conditis pauperum mensis superstites remanserant, sive *de micis, quæ cadebant de mensis pauperum*, famem suam sedare potuisset. Sanctus Gregorius Nazianzenus in eadem oratione, in qua de purpura tractat, ita scribit: *Pannum luctuosum & superbum porrexit*: Qui loquendi modus satis quidem obscurus prima facie esse videtur, donec major illi lux ministretur ab Elia ejus Commentatore, qui verba hæc, & discursum indè à se formatum ad Imperatores dirigit, dicens. *Siquidem ob superbiam vestram incensi pauperes, in luctu ac mærore versantur, atras vestes gerentes, atque hic purpura flos vobis quidem malis Imperatoribus superbiam, miseris autem pauperibus luctum conciliare invenitur*. Nunquid igitur vobis purpura hujus sanctissimi Cardinalis, cum talium Imperatorum & Principum purpura miraculosa esse videtur, utpote quæ contra usum & naturam suam effectus operata est omnino contrarios, imprimendo rimirum in corde ipsius sensus intimos profundissimæ humilitatis, prouti in Discursu tertio prolixè vidimus, seque totum pauperibus locupletandis, sublevandæque mendicitati alienæ consecrando. *Miseris & pauperibus lætitiam conciliavit*.

In Bull. §. 21.

9 *Sicut purpura*. Plinius quandam tradit purpuræ qualitatem, quam ipsamet quotidiana experientia veram esse satis comprobat; dicit enim: *Nullum vestimenti genus est, quod tinearum injurias magis sentiat, quam purpura*. Quæ quidem proprietas ad eorum alludit sollicitudines & anxietates, qui ea vestiuntur; nam ut Antigonus quondam filio suo dixit: *An nescis regnum nostrum splendidam esse servitutem*? Hasce autem purpuræ puncturas sanctus Cardinalis noster minime sensit, aut expertus est; quia omnibus humanis ærumnis superior fuit, utpote penitus imperturbabilis: *Non contristabit justum, quicquid acciderit ei*. Bene tamen suas quoque puncturas in ciliciorum rigoribus, necnon in continuis, quos exercebat, mortificationis actibus, ut diximus, sustinuit. Alcuinus Caroli Magni præceptor, dum vestium sacerdotalium mysteria declarat, tandem quoque ad purpuram descendens dicit: *Purpura, quæ sanguinis imitatur colorem, ut per duo genera martyrii noverint se exercendos electi, id est, si necesse sit, non dubitent mori pro Christo, & pacis tempore in seipsis appetitus occidant, mortificantes membra sua cum vitiis & concupiscentiis*. Porrò quàm extrema fuerit austeritas illa, qua corpus suum continuo afflixit, ex zelo, quem omnes ejus Episcopi Provinciales de ejus corporali salute & incolumitate habuerunt, facili negotio potest deduci; hi enim omnes simul congregati, pro illius instituenda moderatione aliqua, per efficacem quandam supplicationem scripto ei traditam, enixe eum rogarunt, ne in magnum boni communis præjudicium vitam sibi abbreviaret.

Lib. de divin. off. c. 38.

10 *Sicut purpura*. S. Gregorius super illa ex sacris Canticis desumpta verba: *Ascensum purpureum*, ita scribit: *Ascensum purpureum non cognoscimus, quia voluptatibus vacantes, labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus*. Id quod de nostro in laboribus indefesso, atque pro gregis sui defensione tot persecutionibus infestato dici nequaquam potest: *Nullum tempus animi relaxationi dabat, sed opus Dei & proximi continue agente negotium negotio succedebat; curam cura excipiebat, non quietis tempus vocabat ab opere, non refectionis; bonam enim noctu partem lectione, tum scriptione, tum oratione absumebat*. *In purpura dignitate versantur*, (sunt verba sancti Thomæ, dum verba thematis à nobis assumpti exponens, de comis purpureis loquitur) *id est, laborantes pro Christo merentur regnare cum ipso*. Semper Carolus divinis officiis assistere videbatur, continuo & indefessus erat in dandis audientiis; ab altari veniens procedebat ad sacrum pulpitum verbum Dei declamaturus ad populum; ab hoc ad congregationes pergebat, postea ad faciendas

In Bull. §. 22.

das

das visitationes; à visitationibus ad orationem & studium; denique uno die matutino tempore undecim millia hominum communicavit; consecrabat Ecclesias; Confirmationis sacramentum ministrabat, Synodos celebrabat & Concilia, idque non perfunctoriè, obiter, & per transeunnam, ut dicitur; sed summa cum solicitudine atque industria, multisque alias sacris functionibus sine numero deditus erat: *Instar refectionis existimabat mutationem laboris*. In Bulla Canonizationis suæ de eo dicitur: *In actis inter cætera consignatum. Cùm aliquando Romæ in Catacumbis noctem, quam jejunium præcesserat, orando insomnem egisset, manè non solùm de corporis refectione aut quiete non cogitavit; sed valdè longa peregrinatione suscepta, ad B. Agnetis Ecclesiam pedibus processit, ubi Missam agendo & orando tantum temporis posuit, ut ante vigesimam secundam horam cibum non caperet, re ipsa planè ostendens, quàm omnia posset in eo, qui illum confortabat.*

Bull. §. 2.

11. *Sicut purpura*. Titelmannus ait: *Comas peculariter intelligimus Ecclesiæ Prælatos: dicuntur esse comæ sicut purpura, propter charitatis ardorem, & resplendentiam veræ dilectionis*. Dionysius Carthusianus pariter dicit: *Per purpuram amor divinus intelligitur*. De hoc autem amore in primo & secundo Discursu prolixè egimus. S. Thomas ait: *Tincta autem hac purpura esse dicitur, quia Sanctorum præcordia fixa sunt & stabilita in timore & amore Redemptoris sui, nec unquam à charitate ejus separari possunt*; id quod de ipso probavimus, sequentia Apostoli verba eidem adaptando: *Quis nos separabit a charitate Christi?* S. Ambrosius de divite Epulone, qui purpura vestiebatur, tractans; rationem reddit, cur ad infernum condemnatus fuerit, dicens: *Post purpuram flamma, totum de spe præsentis temporis, nihil tamen de futuro tractantis*. At fit quidem etiam purpura S. Caroli flammis, sed flammis cœlestibus & divinis, & ideo ornamentum fuit Ecclesiæ non solum militantis, sed etiam triumphantis; quia *nihil de spe præsentis temporis, totum de futuro tractabat*; undè & Bulla eum appellat, *terrena calcantem, cœlestia jugiter negotiantem*.

In cap. 31. Prov.

In Bul. §. 2.

12 *Sicut purpura*. Glossa interlinearis in sequentia Canticorum verba: *Juncta canalibus*, ita scribit: *Posita in canalibus humilitatis, ut intingatur sanguine Christi*. Hanc autem S. Caroli profundissimam humilitatem, ardentissimamque ipsius erga passionem Redemptoris devotionem jam pridem admirati sumus *Cochlea maris*, inquit Glossa ordinaria, *ferro circumcisa lachrymas purpurei coloris emittunt*. Eodem quoque modo catenæ ferreæ, quibus factæ hujus Purpuræ concha quotidie acerbissimè quatiebantur, vivum ejus sanguinem faciebant erumpere, quo toto corpore purpuram referebat: *Canales, qui purpuram Regis suscipiunt, sunt præcordia fidelium; Lana quæ intingitur, ut indumentum Regis efficiatur, est humilitas in patiendo; quæ juncta est canalibus, quando constanti corde virtus humilitatis, & continua dominici cruoris memoria ad tolerantiam animatur, semper purpuram veri Regis, id est, Passionem in memoria habentes, & ad imitandum parati*. Quisquis igitur in hoc sanctissimo Cardinale patientiam, generosam constantiam, pectus heroicum, suique ipsius contemptum suspicit & admiratur, is situm illum corporis ejus, in quo communiter depingitur, id est, eundem oculis, & multo ampliùs corde Christi crucifixi purpuram defixum serio consideret.

13. *Sicut purpura*. Agapetus Diaconus in laudem Justiniani Imperatoris ait: *Te revera Imperatorem asserimus; quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus vales, & tum corona castitatis revinctus, tum purpura justitiæ indutus incedis*. S. Auxentius quoque, ut Metaphrastes in ejus vita refert, virginibus purpuræ titulum attribuit, dum ait: *Virgo purpura est, quam nulli alii licet induere, quam Regi & Domino universorum*. Porrò S. Carolus tantus fuit virgineæ honestatis zelotes, ut tametsi in Bulla ipsum dono virginitatis præditum fuisse non dicatur, sed de sola castitate mentio fiat, nihilominus qui vitam ejus historicè recensent, efficacibus valdè argumentis virginitatem ipsius convincunt. *Lana ad excipiendam purpuræ tincturam, ob vestimenti excellentiam rigidè admodum prius adstringuntur*, inquit Isidorus Pelusiota, & ideo virginalis hæc purpura ad hunc colorem recipiendum asperrimis

In c. Parenet.

Lib. 5. ep. 46.

Mansi Prompt.

se ciliciis, ac aliis victus & vestitus austerissimis rigoribus adstrinxit.

14 *Sicut purpura*. Glossa ait: *Purpura sanguinei coloris, & de conchiliorum sanguinis tincta, devota Deo corda figurat, & pro Deo mori parata*. Porrò quàm avidum cor S. Caroli fuerit offerendi se ad mortem pro Dei gloria, & proximorum salute sustinendam, idipsum sufficienti fide per hoc testatum fecit, quòd sævissimæ pestis tempore continuo se mortis periculo exposuerit; quòdque literam, qua machinata in vitam ejus tollendam crudelis conjuratio significabatur, legere noluit; ac demum quòd ad explosam in ipsum occidendum balistam immotus corde & corpore permanserit: *Omnibus perculsis, ac de ejus salute trepidantibus, ipse solus mente immotus illos in oratione progredi mandavit.*

In §. 26 Exod.

§. 26 in Bull.

15 *Sicut purpura*. S. Bernardus in sententiis suis, tres potissimum ad cœlum obtinendum, vias inire posse his verbis docet: *Est alia sanguinea, alia purpurea, alia lactea: Sanguinea in Martyribus, qui in sanguine agni suorum corporum indumenta laverunt. Purpurea in Confessoribus, qui in sua carne vestigia Dominicæ passionis per abstinentiam expresserunt, & in suis corporibus vulnerum Christi stigmata portaverunt: Lactea in Virginibus, qui in seipsis puritatis Angelicæ candorem & virtutis sanctimoniæ consecraverunt*. Porrò ex iis, quæ hactenus recensuimus, de S. Carolo dici posse videtur, quòd per omnes hasce vias ad cœlum properanter contenderit; & quidem cùm de duabus ultimis id negari non possit, primam quoque ipsum ingressum fuisse pariter neminem dubitare posse videtur; siquidem quod ipsius personam attinet, martyrio sustinendo nunquam defuit.

Cardinalitiæ dignitatis, & Archiepiscopalis authoritatis magnificentiam simul, cum austeritate, humilitate, & paupertate conjunxit.

DISCURSUS SEXTUS.

Tabernaculum ita facies, cortinas de bysso & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto; facies & saga cilicina ad operiendum tectum tabernaculi.
Exod. cap. 26.

1 TAbernaculum, quod increata Sapientia Moysi adeo accuratè & distinctè in deserto delineasse legitur, expressam Ecclesiæ figuram fuisse nemo dubitat: *Tabernaculum ædificium Ecclesiæ*, inquit Glossa: Sciendum est autem, Deum pro hoc tabernaculo debitè exornando multas præscripsisse cortinas, easque non solùm pretiosas & nobiles ex purpura & hyacintho confectas, verùm etiam alias simplices, rudes & abjectas cilicio intertextas. *Cortinas de bysso & hyacintho, ac purpura facies, & saga cilicina. Per hæc operimenta*, inquit Lyranus, *significantur defensores Ecclesiæ*; præcipuè verò cortinæ honoratiores, magisque conspicuæ: hæ enim Prælatos, Episcopos & Cardinales significant, qui per dignitatis suæ, ad quam electi sunt, authoritatem & eminentiam Ecclesiasticam regunt hierarchiam; per cortinas verò simplices, & rudes & asperas repræsentantur, qui per vitæ cujusdam pœnitentis austeritatem, perque orationes, studia, paupertatem voluntariam humilitatem, omniumque aliarum Christianarum virtutum exercitium utilissimum eidem Ecclesiæ exhibent servitium; & ideò Beda ait; *Cilicium pœnitentium est*. Angelicus Doctor S. Thomas rationem reddit cur Deus noster in cultu externo templorum & ministrorum sacrorum, magnificentiam & splendorem apparatuum & supellectilis, necnon Prælaturarum superioritatem requirat: *Ut homines Deum in reverentia habeant, & inde hominum consuetudo inolevit ut Reges & Principes, quos oportet in reverentia a subditis haberi, & pretiosioribus vestibus ornentur, & etiam ampliores & pulchriores habitationes habeant*. Ita sanctus Doctor de hisce Tabernaculis cortinis scribit.

Cit. in c. Exod.

2 Hisce omnibus præsuppositis asserendum esse videtur, quòd in decursu sæculorum Deus in sublimis ædificii Ecclesiæ, quod divina sua omnipotentia nunquam invertendum supra petram fundaverat, defensionem & fulcrum,

duo patraverit stupenda miracula. Quorum primum est, quod ædificium hoc à principio super viles & abjectos piscatores erexerit: *Suscitavit de pulvere egenos, & de stercore erexit pauperes, ut sederent cum principibus, & solium gloriæ tenerent.* Eadem vero sublimis mole in sæculo duodecimo vacillante, idem Deus ab Innocentio III. visus fuerit eandem ædificii Ecclesiastici molem humeris cujusdam hominis imponere, qui quoad natales & statum, quem profitebatur, vilis quoque & abjectus ipse erat, ut eam suffulciret & sustineret, id quod mediante nuditate, paupertate, omniumque bonorum terrenorum in se suisque Religiosis, quos instituit, contemptu abundè præstitit. Secundum vero miraculum, quod non minorem in iis, qui pro dignitate illud ponderant, excitat admirationem est, quod videlicet cum disciplina cleri, catholicorum dogmatum integritas, canonum, denique legum sacrarum observantia penitus ferè collapsa esset, econtra verò abusuum, scandalorum, perditorumque morum spinæ in Christianis increbuissent, multæque indies hæreses in diversis mundi partibus pullulantes propagarentur eadem nunquam errans divina providentia, juvenem quendam viginti duorum annorum, nobilissima prosapia ortum, multorum territoriorum & principatuum hæreditarium Dominum, atque in delitiis enutritum elegerit, eundemque una cum Pontifice avunculo suo fluctuantis naviculæ suæ clavo gubernando admoverit, ipsumque in sublimissimum honorum, thesaurorum, Dominiorum & authoritatis culmen sublimatum, inque totius mundi veneratione & æstimatione positum, eodemmet tempore sanctum, immaculatum, omnisque innocentiæ & perfectionis speculum esse voluerit, ideoque cum in Tabernaculi sui elegerit defensorem & restauratorem, qui munus cortinarum tabernaculum hoc ab injuriis protegentium & contegentium perfectè impleret. Hoc enim sine eum purpura & hyacintho conspicuum, id est, magnatem in sæculo esse voluit, ita tamen ut simul magnus esset apud Deum, purpureas, hyacinthinasque cortinas, conjungendo cum cilicio, id est, cum rigoribus, paupertate, humilitate & austeritate associando purpuram, id est, majestatem dignitatisque suæ magnificentiam.

3. Non sine singulari mysterio sancto Carolo à D. Petri Cathedra hoc attributum fuit epithetum, dum in Bulla Canonizationis de eo dicitur: *Cum illum dederit nobis Dominus tanquam fulgentem stellam in hac nocte peccatorum.* Etenim sub eodem stellæ matutinæ symbolo Deus pariter videndam præbuit S. & Seraphici Francisci Assisinatis animam, qui ut superius de ipso diximus, fulcrum quoddam & sustentaculum ruinam minitantis Ecclesiæ fuit. Unde ex quo Deus utrumque hunc gloriosum sanctum Carolum videlicet & Franciscum sub ejusdem stellæ symbolo præsignificare voluit, per hoc nobis innuere velle videtur, quod sanctus Carolus non minus Ecclesiæ profuerit per thesauros suos sanctè dispensatos, nec non per suas dignitates, quibus cum summa modestia & humilitate præfulsit, heroicamque sui ipsius abnegationem quam in summis honoribus nunquam non præ se tulit, quam magnus ille Patriarcha utilis Ecclesiæ fuit, per suam suorumque nuditatem & paupertatem; Per illam namque dignitatum cum humilitate & vitæ rigoribus in Carolo factam conjunctionem toti mundo manifestum efficitur, quod mitræ, peda pastoralia, sceptra, & ingentes Ecclesiastici reditus, iis qui rectè & legitimè illis utuntur, nullum adferant innocentiæ & exemplaritati præjudicium, sed potius ingens illis subsidium adferant; Item per hoc ostendit, quod nequaquam impossibile sit, aut dedeceat sub purpuris cilicia gerere.

n Bull. §. 3.

4. *Per hæc operimenta* (id est, per hasce tabernaculi cortinas) *significantur defensores Ecclesiæ.* Sanctus Gregorius Nyssenus de laudibus Basilii Magni fratris sui tractans pulchre observat, Deum quovis sæculo naviculæ Ecclesiæ suæ, potentes procurasse defensores; & quidem postquam in hanc veritatem confirmandam aliquot adduxisset veteris testamenti exempla, descendendo ad novum, considerat, quod adversus Arii hæresin dederit Basilium, &c. Eodem modo quando ad viciniora nobis sæcula velimus reflectere, videbimus, quod adversus hæresin Albigensium suscitaverit Sanctum Dominicum, ad restaurandam, quam Ecclesia a perversis Christianorum moribus patitur persecutionem, quæ, ut S. Bernardus ait, *Amarissima est in moribus domesticorum*; in medium prodire fecit sanctum Franciscum; ad refutandas errorum Calvini, & Lutheri falsitates, Ecclesiæ donavit sanctum Ignatium; denique ad restaurandam cleri disciplinam totaliter collapsam, ad procurandam animarum curam à propriis Pastoribus prorsus neglectam, ad instituendam malorum morum reformationem inter Catholicos, qui ab infidelibus internosci vix poterant; demum ad introducendam in fidei dogmatibus uniformitatem & veritatem revocandam, Deus quidem multis Pontificibus saluberrimam illam inspiravit mentem generale quoddam Concilium, Tridentinum videlicet, congregandi, prouti & reipsa congregatum fuit: at vero sanctum Carolum specialissimè elegit, ut prædicto Concilio salubriter consummando & perficiendo ultimam & supremam manum admoveret, Pii IV. avunculi sui supremæ innixus authoritati: *Disponente Domino* (ita Bulla Canonizationis sancti Caroli loquitur) Pio IV. *ad Apostolatus apicem evecto, Romam evocatur.* (id est, S. Carolus dum esset viginti duorum annorum juvenis) *& in sacrum S. R. E. Cardinalium collegium adscribitur; deinde Mediolanensi Ecclesiæ præficitur, gravissimaque universalis ecclesiæ negotia, & sedis Apostolicæ munera illi creduntur; hic verè cœpit Dominus ostendere in Carolo mirabilia sua; cum enim nondum vigesimum tertium explevisset annum, administrabat omnia diligenter in sapientia & justitia, summo cum zelo honoris Dei, & studio Catholicæ Ecclesiæ utilitatis, quæ omnia in negotiis fidei Catholicæ, & universæ Ecclesiæ, quæ in Concilio Tridentino tunc agitabantur; maximè enituerunt; non vigiliis, non incommodis, aut laboribus ullis pepercit, ut ne quid retardaret sanctæ Synodi absolutionem, quam ipse solicitè & cum spiritus ardore promovit semper, donec à Domino impetraret.* Hanc igitur basim, hoc Ecclesiæ paulò ante vacillantis fulcrum, id est, sacrosanctum Concilium Tridentinum laboribus & summæ industriæ sancti Caroli inceptis referre debemus: Similiter Reformatio, quam in suam Diœcesin introduxit Ecclesiasticæ Hierarchiæ speculum semper erit. Unde in Bulla dicitur: *Ecclesiam Mediolanensem præclarum exemplar reddidit Ecclesiasticæ disciplinæ.* Pari quoque modo summus Pontifex Paulus V. magnum illud volumen, quod intitulatur: Acta Ecclesiæ Mediolanensis, thesaurum appellavit Ecclesiasticæ disciplinæ, simulque omnibus Episcopis præcepit, ut eodem veluti exemplari prototypo uterentur in Ecclesiarum suarum gubernatione.

In Bull. Canon. § 1.

5. *Cortinas de bysso, & Hyacintho, ac purpura, facies & saga cilicina.* Ingens quoddam in sancto hoc Archiepiscopo prodigium fuit, quod quamvis ad se rapit humanum intellectum, quod scilicet in unum veluti nexum redigere & conjungere potuerit cilicium & purpuram, delicatam lini seu byssi mollitiem, & grossitiem lanæ. Ipsemet supremus artifex Deus Moysi veluti tabernaculi sui (per quod Ecclesia figurabatur) architecto præcepit, ut à populo sibi subjecto pro tabernaculi illius fabrica erigendo variorum munerum exposceret oblationem; verum obtestor vos ut audiatis, qualia hæc esse debeant oblata: *Aurum, argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum & byssum, & pilos caprarum, pellesque arietum, lapides, onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis.* Verum inquies quanam cum proportione viles arietum pedes, asperique & hispidi pili caprarum, è quibus cilicia contexuntur in medio purpuræ, hyacinthi, auri, argenti & gemmarum deservire potuerint? nimirum Ecclesiæ suæ pro tabernaculi sui erectione facienda utilissimum quoddam suggerere voluit documentum, hoc videlicet, quod illi censendi sint ædificium mystici illius tabernaculi erigere, id est fidem, & religionem orthodoxam propagare & sustentare, qui in muneribus & prælaturis magnis constituti studium suum non in id præcipuè collimant, ut sibi per authoritatem, dignitatem, & divitias æstimationem & promptam apud subditos obedientiam procurent, sed potius ut populi affectum & propensionem sibi per bona exempla sua concilient, vitam scilicet ducendo immaculatam, pœnitentem & austeram,

Exod. 35.

purpu-

purpuramque indissolubili nexu cum ciliciis connectant. Contrarium facientium errorem zelosissimus pariter & mellifluus Bernardus suo tempore gravibus hisce verbis reprehendit dicendo : *In omnibus exemplo Apostoli honorabitis ministerium vestrum : honorabitis autem non cultu vestium , non fastu equorum , non amplis ædificiis, sed moribus ornatis , studiis spiritualibus & bonis operibus.* Id perfectè sanctus Carolus præstitit , siquidem de eo scribitur : *Multiplici fulgore sanctorum operum , universam decoravit Ecclesiam .*

Epist. 42. ad Henricum Sen. Episc.

In Bull. §. 2.

6. Verùm quidem est , quod Majestas ejus resplenduerit in aulæ suæ ministris , eorumque obsequiis , in palatii amplitudine , in aulæorum & peristromatum varietate & præstantia , nec non in omni eo , quod magni æstimare solet mundus ; veruntamen cum hac exceptione , quod minimè hæc omnia æstimarit , solùm admittebat & permittebat ob dignitatis suæ convenientiam & exigentiam , nam prouti in sequenti discursu videbimus ; Ipse revera erat *crucifixus mundo* . Scribit Theodoretus , quod cum quidam Imperatorum sanctum Abrahamum Eremitam visitaret , *Agreste illud cilicium sua purpura existimavit præstantius* . Etenim nihil de sancto Carolo aptius dici poterat , utpotè cui cilicium longè charius purpura visum semper fuit , hac enim humeros quidem adornabat, cilicium verò sinui , pectori , & cordi fortiter adstringebat. Pulchrum est illud Poetæ dictum :

Lib. 4 Hist. c. 26.

Habent eheu & purpuræ spinas suas.

Nam foris quidem videntur , & odore percipiuntur in purpuris rosæ , intus verò spinæ eandem transadigunt . Ecce tibi igitur prædictos pilos caprarum , ecce tibi in medio purpuræ , lini subtilissimi , auri, argenti , & gemmarum intertextum in cortinis ciliciium ; ecce tibi census prædivites , & dignitates & dominia amplissima , sed in quem finem possessa ? non ad erigendas in familia sua primogenituras , non ad acquirendas Dominiorum & Principatuum opulentas possessiones , non ad conciliandas ad promovendum interesse suum factionis suæ complices , non ad comparandas sibi Magnatum & Principum amicitias , sed ad ædificandum & perficiendum tabernaculum ; illiusque ruinam avertendam , ad defendendum à lupis Christi gregem , ad profligandas Principibus opem ferentibus hæreses , ad voluntates eorum in obsequium divi Petri magis inclinandas , ad restaurandam in sua Diœcesi & aliis fidei , morumque bonorum integritatem , ad propugnandam humanitatem Ecclesiasticam .

7. Enimverò Deus specialiter voluit , ut hæc purpura in conspectu omnium reluceret obsequiis ministrorum , thesaurorum potentia , & dignitatis incredibili authoritate adornata , ut cilicii sui asperitas tantò amplius in ipso per novum exemplum proderetur , ut austerissima ejus vita manifestaretur , quam etiam in humanæ fœlicitatis & dignitatis culmine constitutus ducere non dubitabat , jamque se nemo deinceps excusare posset , quo minus etiam inter ostra & purpuras sanctus esse possit . Commodissimè hoc loco in mentem mihi venit , quod Cardinalis Baronius de sancto Ephrem Syro scribit: huic enim Deus occultè inspiraverat , ut se Cæsaream ad sanctum Basilium reciperet, ab eoque in via Dei instrueretur , ad hoc autem ut Basilius in eo erudiendo tanto magis proficeret . Deus huic novo discipulo excessivum quendam de insigni Basilii sanctitate conceptum , seu existimationem ingessit : Postquam autem Cæsareæ appulisset , invenit hunc sanctum Prælatum in throno majestatis suæ in templo residentem , pontificaliter velut actualiter sacrificaturum vestitum, numerosa quadam cleri , primatum , aliorumque dignissimorum virorum turba seu corona circumdatum , *Vidi in sanctis sanctorum vas electionis vestibusque majestate plenis exornatum , omnium oculos in illum defixos : vidi Ecclesiam ab eo spiritu vegetatam : ipsum Pastorem pennis spiritus sursum pro nobis preces extollentem : Vidi ab ipso Ecclesiam ornatam & dilectam aptissimè compositam : Prospexi ab ipso manare doctrinam Pauli : Prospexi ibi utilem & salutarem sermonem , adipsum usque cælum fideliter tollentem se ; atque ut rem paucis complectar , universum illum cœtum splendoribus gratiæ renitentem* . Ecce tibi in hisce verbis comprehensam vivam Caroli Borromæi effigiem , pro

An. 370. n. 53.

Mansi Prompt.

ea tempore præcipuè , quo functiones Episcopales in Ecclesiis exequebatur , in quibus (ipso procurante) conveniens divini cultus decor resplendebat ; videbantur in illum chorum , ubi Divino officio assistebat , omnes Hierarchiarum Angelicarum chori simul descendisse , tanta erat devotio , majestas , reverentia & spiritus Cleri .

8. Verùm enimverò quemnam sibi sanctus Ephrem , qui in eremo lacer maleque vestitus , ac sui ipsius contemptui totaliter deditus erat , de sancto Basilio in tantæ magnificentiæ conditione posito formavit opinionis conceptum ? S. Ephrem Ecclesiam ingrediente S. Basilius columbam quandam eremitam hunc circumvolitantem vidit , unde concione finita ex columbæ hujus revelatione S. Ephrem præsentem esse intelligens ad eum amplexandum properante accurrit , familiarique ipsius conversatione aliquamdiu usus fuit ; ex quo mutuo convictu S. Ephrem didicit , quod sub attalica Basilii veste , sub rochetto seu veste linea è bysso candida confecta , lacer esset asperoque cilicio indutus , tantoque cum rigore jejunaret , ut de ipso legatur : *Tantum spiritu vivens præter ossa & pellem nulla præterea corporis parte constare videbatur* . Quis est , qui in magno hoc Ecclesiæ Doctore sanctum Cardinalem nostrum vivaciter delineatum esse non videt ? utpotè *crucifixum mundo , viventem spiritu* , ut in Bulla Canonizationis ipsius dicitur . De ejus igitur corpore jejuniis , disciplinis, ciliciis , laboribus indefessis , vigiliis , cunctisque aliis rigoribus adeo extenuato & gracili dici potest , quod de S. Joanne Baptista Author operis imperfecti scribit : *Nihil carnis erat in eo ; nisi visio sola* .

In Bull. §. 5.

9. Surius in vita sancti Severini Episcopi Coloniensis refert , Magnatem quendam in die nuptiarum suarum ab Angelo , ut eum protinus sequeretur , jussum fuisse , qui eidem relicta sponsa & sæculo protinus consensit , ac demum in eremum quandam ab Angelo ductus vitam in ea per multos annos austerissimam duxit . Tandem verò dum in desiderio esset sciendi qualenam sibi per toleratos vitæ rigores in cœlo præmium comparasset , nisi in visione quadam dictum fuit eum parem esse quoad præmii expectationem illi , qui ad Episcopatum Ecclesiæ Coloniensis de facto designatus esset , ac proinde ut præmii sui qualitatem & præstantiam experiretur Coloniam se ad videndum sanctum Severinum contulit ; ubi Episcopum in simili majestate , qualem sancti Basilii fuisse descripsimus in throno Pontificali considentem invenit . Finita autem Missa Episcopum usque in Palatium prosecutus , illum in medio multorum Principum lautissimæ mensæ accumbentem mox ut vidit Eremita , austeritatem suam Deo parum gratam esse , suspicari cœpit , eo quod eum alicui in humanæ felicitatis & prosperitatis culmine posito in merito similem esse dixisset ; verum hunc Eremitæ errorem apparens ei Angelus confestim detexit dicens : ipsum majori cum affectus tenacitate vasculo cuidam , quod è cingulo vel corrigia pendulum habebat , affixum esse , quam Severinus deliciis, conviviis omnibusque status sui splendoribus , aut aliis quæ mundus dare posset , adhæresceat . Porrò quantum sanctus Carolus omne id , quod in terris in pretio haberi solet, contempserit , animoque suo ab iisdem alienus fuerit in sequenti Discursu videbimus , equidem quodsi Annales ex testimonio Gregorii Nazianzeni de sancto Petro referunt , ipsum ex pauculis lupinis : quot scilicet uno obulo comparari possunt , vitam suam sustentasse , sciendum est , quod tametsi sanctus Archiepiscopus noster lautas mensas convivis suis instaurari fecerit , ipse tamen in persona sua , ut plurimum ex solo pane & aqua , & frequenter solis lupinis vitam suam traduxerit , & tametsi quoad exteriora in vestibus Cardinalitiis & Episcopalibus conspicuus & venerabilis appareret , subtus tamen adeo tritis & laceris vestimentis indutus erat , ut ipsimet , qui eleemosynas ostiatim requirebant , aliquam ex vestibus ejus eleemosynæ loco acceptare fuerint dedignati .

10. *Cortina de bysso* . Enimverò quodsi sub sacrorum interpretum ducatu de omnibus hisce Tabernaculis discurrere velimus , principaliores sancti Caroli virtutes pulchrè in eis effigiatas esse deprehendemus :

Et quidem Glossa ait: *Byssus quoddam genus est lini candidissimi*, & ex illo Roccheta sive superpellicea Prælatorum contexuntur; subdit autem Glossa ibidem: *In bysso caro castitate renitens significatur*. Etenim ad hoc ut Prælati Tabernaculum, id est, Ecclesiam defendere & restaurare valeant, opus profectò est, ut zelo quodam singulari prosequantur honestatem, quæ individuam cum charactere sacerdotali conjunctionem habet; ac proindè ò quam digne Rocchettum sive superpelliceum istud byssinum ab hoc nostro sanctissimo Archiepiscopo portabatur?

11. *Et Hyacintho*. Porrò Gemma ista cœlestem solet colorem referre; & alludit ad cogitationes quas habere deberent, qui sacris sunt ministeriis dedicati; omninonamque ad cœlestia intenti esse debent. De S. Carolo autem ipsemet Christi in terris Vicarius testatur, dum illum appellat: *Terrena calcantem, cœlestia jugiter negotiantem*, S. Prosper autem aliud mysterium in-

In Bull §. 3. c. 11. in §. sinuat, dum: ait: *In Hyacinthino colore pallor quidam est cum splendore concordans jejuniis eleemosynisque conveniens, in jejuniis pallor, in Eleemosynis splendor*. Etenim da solo S. Caroli jejunio factum quoddam recensebo prorsus admirandum. In monte Verallo, quo eo præcipuè fine se receperat: ut Redemptoris nostri amarissimam Passionem in diversis Sacellis ibidem valdè vivaciter in sculptis imaginibus repræsentatam tanto vivacius cordi suo imprimere posset febri quadam acutissima correptus, qua & mortuus est, à Confessario per præceptum formale excessivam suam abstinentiam nonnihil jussus est moderari; cui promptè quidem obedivit, sed audite qualem refocillationem admittendo id fecerit: nimirum acquievit, ut panis quem alias siccum comedere consueverat, in aqua mera coqueretur, nullo tamen ne salis quidem adhibito condimento. *Pallor in jejuniis*, nunc videamus, qualis *in eleemosynis splendor* ejus emicuerit. Cùm enim quadraginta millia scutorum, quæ sibi ex devendito Principatu comparaverat, inter pauperes protinus distribuerentur, idque Reverendissimus Dominus Specianus in uno eodemque die executus quidem fuisset, ita tamen ut habito factæ distributionis bono & accurato calculo error commissus deprehenderetur per supernumeraria duo scutorum millia, quibus dictum quadraginta millia scutorum numerum dictus Prælatus in distributione facta superexcesserat, quem errorem sanctus Archiepiscopus intelligens continuo approbavit, & ratum gratumque habuit, subdendo optimè hunc errorem in pauperum majus beneficium accidisse. Et hi soli sunt errores, quos facilè gratanter approbando ratificavit.

12. *Purpura*. *Per quam*, ut Lyranus ait: *significatur desiderium Martyrii, vel meditatio Christi passi*. De hac autem purpura in Discursu præcedenti fusius egimus. Quod verò Martyrium cruentum sive in sanguine consummatum attinet, sanctus Carolus præter desiderium quod in ejus corde continuo flagrabat, aliud quoque expertus fuit, de quo sanctus Chrysostomus scribit: *Quid enim si igne corpus non combusseris? sed potes alio igne, ut puta voluntariæ paupertatis, igne afflictionis: licere enim delicate, lauteque vitam agere, laboriosam autem & acerbam eligere, an non est oblatio holocausti?*

Lib. 2. Ep. 12. 13. *Cocco bis tincto*. Est hic alius quidam cortinarum tabernaculi ornatus. *Per quem significatur gemina charitas*, inquit Lyranus, *scilicet Dei & proximi*. B. Petrus Damianus scribit: *Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit*. Quàm aptè hæc in personam S. Caroli quadrant? cujus Charitas in Helvetorum montanis etiam ad simplices, abjectissimos maleque olentes Pastores, qui in pecorum stabulis continuo morabantur, sese extendebat, quos eadem eum benignitate, & pari cum solicitudine de animabus illorum visitabat, & amplexabatur, acsi omnes de numero fuissent primariæ nobi-

Exod. 35. litatis. *Purpuram, byssum, aurum, argentum, & gemmas*, quibuscum pari in honore habebat arietum pellibus indutos montanorum incolas, qui intelliguntur per *pilos caprarum, pellesque arietum*; at verò de charitate ipsius ad longum in primo Discursu tractavimus.

14. *Saga cilicina ad operiendum tectum tabernaculi*. Glossa ait: *Saga, quibus operitur tabernaculum, rectores sunt, quorum industria & labore decus Ecclesiæ protegitur, & munitur*. Ehem quot labores, quantam industriam & studium sanctus Archiepiscopus noster ad restituendum Ecclesiæ suæ particulari Mediolanensi antiquum splendorem adhibuit? utpote quæ simul à Deo electa fuerat, ut esset norma & exemplar omnibus aliis Ecclesiis totius Christianitatis, & ideò verè de ipso dicitur, quod *universam Ecclesiam decoravit*. Porrò quod Severus Sulpitius suo tempore de discipulis, quos sanctus Marti- In Bull.

nus in schola sua erudierat, dixit, nimirum: *Quæ* §. 2.

enim esset civitas, aut Ecclesia, quæ non se de Martini monasterio cuperet habere sacerdotes? idipsum quoque tempore S. Caroli de Sacerdotibus ad ejus Diœcesin spectantibus dici potest, nimirum quemlibet ipsorum adeò exactè in disciplina Ecclesiastica instructum, adeoque exemplarem fuisse, ut ad quamvis bonam reformationem in quacumque alia Diœcesi instituendam atque plantandam abundè sufficeret.

15. At verò Dionysius Carthusianus ait: *Sagum vestis est facta de pilis caprarum, de quibus & cilicia fiunt*. Ejusmodi autem sunt vestes religiosorum, qui sacco & cilicio vestiti, atque temporum injuriis expositi abstinentes, nudi, pauperes, & abjecti vivunt, quique Tabernaculum Dei egregiè reparant & restaurant, adeò etiam ut unicus ac solus Seraphicus Franciscus universam visus sit sustinere & fulcire collabescentem & ruinæ proximam Ecclesiam. Etenim mollis & delitiosa vita, divitiæ, dignitates, pompa & fastus humanus, ædificium Petri potius dissipant, & in terram funditus prosternunt, econtra verò sustentatur & conservatur ab orationibus, jejuniis, studiis, & rigoribus bonorum religiosorum, omniumque aliorum Ecclesiasticorum atque fidelium in omni virtute Christianaque perfectione viventium. Enimverò quales rigores illi fuerint, quibus S. Carolus sese continuo exercebat, ex visu seu facie ejus semper pallida ex corpore ejus extenuato & emaciato, denique ex prominentibus ipsius ossibus ex frequenti disciplinarum sanguine purpuratis abundè satis conjicitur: *Saga cilicina, cortinas de bysso, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto*; Cum hisce tamen ciliciis conjuncti in ipsius persona fuerunt thesauri, Dignitates supremæ, Dominia, Magnatum de ipso conceptæ opiniones, mundi totius obsequia, imò quicquid dare potest universus mundus, quorum tamen omnium quantus fuerit contemptor, imò hostis, vel ex eo conjicere possumus, siquidem rosis, quibus eum mundus coronare nitebatur, ad nullos alios utebatur fines, quam ut inde magis augerentur, & exacuerentur puncturæ & spinæ asperrimi cilicii sui.

Quod S. Carolus mundum cum omnibus rebus suis, eo præcipuè tempore, quo mundus ei vel maximè propitius, & favorabilis erat, deseruerit, graviter ponderatur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.
Galat. 6. v. 14.

1 EAndem gloriam, quam sibi quondam sanctus Paulus Apostolus attribuit, sancta Dei Ecclesia spiritu veritatis illustrata, sancto Carolo adscribit, dum eum hunc modum nobis depingit: *Hominem mundo maxime blandiente crucifixum mundo*. Enim- In Bull. Canon. 92

verò quod S. Paulus in tertium usque cœlum evectus, oculos suos, seu potius divinitus confortatum & illustratum intellectum suum in bona immortalia & æterna defigens, omnia hæc inferiora bona nihil æstimaverit; *Omnia arbitror ut stercora*, quid mirum; Id verò quod immensum nobis conciliat stuporem, est, quod terra sancto Carolo Borromeo conversa fuerit, ut ita dicam, in cœlum, siqui- Phil. 3. 8.

dem mundus in eum congesserat omnes felicitates atque fortunas temporales, quas prodiga etiam manu dispensare unquam potuit, & tamen (ut sub ducatu sacrorum Interpretum Epistolam ad Galatas exponentium

tium

tinnt deinceps videbimus,) Ecclesia nobis illum proponit, tanquam *mundo maxime blandiente*, *terrena calcantem*. Meritò igitur dicere potuit: *Mihi mundus crucifixus est*.

In Bulla §. 2.

2 S. Augustinus ait: *Nec Paulus mundum cupit, nec mundus eum*. Ac proindè inter se mutuò reciprocabant mundus & Paulus, siquidem ipse mundum contemnebat, & vicissim muodus Paulum nequicquam æstimabat; ac pruinde ait: *Facti sumus omnium peripsema*. Paulus à mundo infestabatur persecutionibus, incarcerabatus, cædebatur flagellis: *Nec Paulus mundi gloriam querebat, nec à mundi gloria ipse querebatur; ideo & se mundo, & mundum sibi crucifixum gloriatur*. Contrarium verò sanctn Archiepiscopn nostro accidit, quia etsi eum mundum odio habuisse constet, utpotè *terrena calcantem*, attamen mundus eum suis lenociniis prosequebatur, ei arridebat, ac per omnia illi favorabilis erat: *Mundo maxime blandiente*.

1. Cor 4.13

3 Martyrolngium Romanum hanc sancto Alexio egregiam laudem attribuit, quod scilicet *Nova mundum arte deluserit*, quasi diceret: Ipse nmnibus mundi & sæculi lenociniis ac blandimentis superior fuit, quia in medio delitiarum paternæ dnmus vivens, ita tamen se gessit, ac si planè extra mundum positus fuisset, siquidem in ipsa paterna domn in conspectu sponsæ suæ, inter paternæ domus commoditates atque delitias, in medio divitiarum & dominiorum suorum commnratus quidem fuit, sed pauper & prorsus toti dnmui ignntus, adeò ut ne per umbram quidem aliquo illius commodo gavisus fuerit; mundus enim fugiendo vincitur. Pari ratione S. Carolus *nova mundum arte delusit*; siquidem vicit illum, eum non fugiendn, sed eum ipsn permanendo, ita tamen, ut mundo, qui adeò ipsi amicus erat, non alio modn usus fuerit, quam ut se hostem & inimicum illius esse jugiter profiteretur.

De triumpho Christi agone.

4 Beatus Laurentius Justinianus de agone Christi scribens ait: *Uno siquidem tempore & Dev fruebatur visione, & intolerabili passione gaudebat, ut tota divina fruitionis gloria militaret ad pœnam*. Ita quoque de felicitatibus terrenis, quæ in hoc servn Dei abundarunt, dici posse videtur, quod scilicet afflictionem, mortificationem & dolores in ipso auxerint potius quam diminuerint: *Tota in eo fruitionis gloria militabat ad pœnam, qua quantum glorificatus & in delitiis fuit, tantum sibi dedit tormentorum*. Qua mensura thesauri in ipso erescebant, ipse sibimet semper fiebat pauperior, & quanto magis proficiebat in æstimatinne & veneratione hominum, tanto amplius humiliabatur, sibique ipsi vilescebat: *Quidni periclitetur castitas in delitiis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis? Fugite de medio Babylonis, & salvate animas vestras*, inquit sanctus Bernardus. Quam igitur inauditum prodigium erat videre portentum hoc sanctitatis in summo delitiarum culmine in innocentia sua proficere, ejus humilitatem magis dimitti inter divitias & honores, pietatem, quæ antea proscripta, ut ita dicam, exultabat, nunc cum tanto incremento videre restituram, idque indefatigabili opera & industria ejus mediante, qua *terrena calcabat, cœlestia jugiter negotiabatur*?

Serm. 30. reconvers. ad Cler.

In Bulla § 4.

5 S. Petrus Damianus de sancto Alexio ita scribit: *Novum martyrii genus; novum prabet in admiratione spectaculum! Martyribus enim carcer erat pœna, catena pressura: isti verò propria domus auratis decorata triclinis erat materia tentationis*. Nunquid idem de sancto hoc nostro Archiepiscopo dicere possumus? Quid enim est aliud habere divitem & pretiniam valdè vestimentnrum suppellectilem, & tamen sibi non vestes attalicas usurpare, sed pilos capratum studinsè vendicare, non vestes sericas & molles, sed asperrimas setas ad cilicia contexenda aptissimas, vel habere in amplissimn illo Archiepiscopali palatin lectns molliusculos, strata delicatissima, & tamen super nudis tabulis recubare, sacco canabinn palea referto instratis; quid, inquam, hoc est aliud, quam id, qund mundus ei ad delitiandum dedit, in pœnam sibi & tormentum convertere? Dum Nepos esset Papæ regnantis, cui unusquitque applaudit, nec ullus contradicere audet, quales non excngitavit inventinnes, ut semetipsum vinceret, efficeretque ne commoda illius dignitatis degustaret, nulli alteri rei adeò studuit, quam ut sibi ipsi cunctisque appetitibus suis contradiceret, quod adeò studiosè præstitit, us cum nullum ei à negutiis publicis tempus superesset, in quo pro suo beneplacitn sibi ipsi vim inferre concederetur, naturali somno suo necessarium tempus ademit, in quo lectioni quotidianæ Theologicæ vacaret.

6 Poetæ de Atalanta fabulantur, quod hæc in currendo velocissima esset, ideò ut eam in eurrendo retardarent, poma quædam aurea per publicam plateam sparsim disjecerint, quæ ad ea è terra colligenda cursum suum hinc inde nonnihil sistens, nec non à pomorum pulchritudine & virtute tracta perdidit victoriam. Sanctus Carnlus à teneris unguiculis in via divini servitii magnis prnfecto passibus currebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, cùm ecce mundus, ut velocissimos illius in currendn gressus sisteret, non unum sed sex poma seu globos aureos, per stadium sive curriculum projecit, idque per exaltationem Pii IV. è familia Medicæa ad summum Pontificatum: at verò tantum abest, quod gressum ejus sistere posset, ut potius fateri totus mundus debuerit, quòd quanto plus illum bonis temporalibus accumulaverat, quantoque majores dignitates illæ erant, ad quas illum evexerat, tantò illum Deus in sun divino servitin ferventiorem esse fecerit. Quandn Pius IV. præfatus Pontifex avunculus Caroli, mortuo Comite Frederico fratre ejus, & Ducis Urbinatis genero mortuo, illum tanquam unicum suum nepotem superstitem dnnare voluit multis Dominiis, ipsumque quantum Papa aliquis facere prævalet, ad maximas evehere dignitates & præcellentias constituit, tunc ille vel maximè mundn tergum obvertit, ipsumque deseruit. Hildebertus ait: *Animi libertatem plures inter tormenta servarunt, inter opes autem pauci*. Sed quid de S. Carolo dicemus, suamne libertatem ipse in hac thesaurorum sibi facta oblatione perdidit, an verò conservavit eandem? perdidit utique. Quamobrem ut mundum tanto magis derideret, clam sibi per sacros ordines susceptos, indeque contractum votum castitatis, vincula injecit, ne deinceps in sua libertate positum esset sese alteri sponsæ, quam sponsæ Christi, id est, Ecclesiæ suæ adstringere.

To 3 Bibl. Vet. ep 27.

7 *Mihi mundus crucifixus est*. Chrysostomus ait: *Mundum hic appellat, non cœlum, neque terram, sed res temporales, laudem ex hominibus, famulitium; gloriam, opes: hæc igitur omnia, quæ vulgo videntur esse magnifica, mihi facta sunt mortua*. Sanctus Carolus quoque ad laudes, adulationes, & applausus hominum surdus, humanæque gloriæ juratus inimicus erat. Unde superbus ille Lucifer quadam vice, dum omnes versus ipsum pronissimo capite inclinarent, è corpore energumenæ cujusdam exclamavit, utinam non nihil fastus & superbiæ in syrma sive caudam, ut vocant, purpuræ tuæ inspergere possem. Quod *famulitium* ejus attinet, verum quidem est nullum inter nmnes Cardinales fuisse, qui aulam haberet nobilioribus dnmesticis decoratam: at verò hisce aulicis suis ipse non ad suum servitium utebatur, sed ad Ecclesiæ publicum beneficium, eosdem in religioso illo cum illis mutuo convictu cum tanto spiritu, disciplina, sapientia, & exemplaritate erudiendn, ut aula ipsius facta fuisse videatur quoddam Episcnporum Seminarium; siquidem è servis suis duodecim ad insignes fuerunt Episcopatus evecti, duodecim item facti sunt Nuntii, & nonnulli Cardinales. *Gloria* quoque sive venerationi & existimationi hujus mundi mortuus fuit; quia tametsi etiam è serenissimis familiis nati Principes, cujusmodi Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ cum filiis suis erant, reverenter coram eo in genua procideriut, tametsi Reges, Imperatores, imò & summi Pontifices in magna eum reverentia & veneratione habuerint, attamen in corde suo super sui ipsius contemptum, & vilescentiam sibi magis magisque impressit, prnuti in Discursn tertio vidimus. *Opes* etiam, id est, aurum & argentum pedibus veluti substratum conculcavit, prouti manifestè liquet in illa sexaginta millia scutorum annui census, & amplius libertimè & promptissimè facta renunciatione, reservato sibi solo Archiepiscopatu, idque, prouti existimo, ut mundum, quomodn bona Ecclesiæ administranda & impendenda sint, edoceret.

8. Apostolus ait: *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus*: at verò sanctus Carolus ad 1. Tim 6.8.

talem

talem quoque victus & vestitus etiam necessarii contemptum venit, ut sub habitu suo Cardinalitio vestibus indutus fuerit magis laceris, tritis, & reperiatis, quam ullus mendicorum induere posset aut vellet. Longè frugalius in cibo & potu, quam facere posset, quilibet maximè derelictus & desolatus pauper mendicus, vix enim famem sufficienti pane nudo & sicco, sitim autem aqua mera & frigida sedari permittebat, stratum ejus palea, folia arborum, nudaque humus subministrabat. Idem præcitatus Chrysostomus circa illa verba: *Et egu mundu*, ait: *Duplicem innuens mortificationem, ac dicens: Et illa mihi mortua sunt, & egu vicissim illis*. Considerandum est enim, quod divitiæ, honores, voluptates, mundique lenocinia postquam ab illo derisa & contempta, ac veluti stercora æstimata fuerunt, ipsum deinceps amplius ad illicita solicitare nequaquam præsumpserint: *Nec illa me capere pussunt*, (inquit Chrysostomus,) *neque manibus injectis captivum ducere, neque ego illorum cupidine teneri, quippe qui mortuus illis* ac tandem concludit: *Nihil hac mortificatione felicius* cujus rationem mox subdit, dicens: *hac est enim beata vita fundamentum*. Etenim hic adeò heroicus mundi contemptus sanctitatis ipsius fundamentum extitit, tandem verò ad tam eminentem hujus terreni contemptus gradum pervenit, ut
Serm. 7 in Quadrag. cum S. Bernardo dicere potuerit: *Omnia qua mundus amat, crux mihi sunt, puta delectiu carnis, honores, divitiæ, vana hominum laudes: qua vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhareo illa totu amplector affectu*. Caroli maximæ recreationes & gaudia, quibus in & de hoc mundo fruebatur, hæc erant: ad mortem usque persecutionibus infestari, eò quòd jurisdictionem Ecclesiasticam constanter & imperterritè offenderet, aut quia extirpare vitia, virtutes plantare niteretur: a politicis Statistis tanquam hominem emotæ mentis derideri, eò quòd pro humani interesse exigentia factionibus ab hoc requisitis minimè uteretur: à multis perditè viventibus, regiisque ministris varias devorare receptas injurias & contumelias: imperterrito animo & corpore balistatum excipere explosiones: vitam devivere laboriosissimam: corpus suum quotidie per excessivos rigores castigare: etiam si præ frigore rigescens toto corpore contremiscat, ad ignem tamen nunquam proprius accedere, hortos etiam delitiosissimos ne quidem unico oculorum obtutu dignari, ut quem indè capere posset, se gustu privaret; hæ, inquam, recreationes & solatia ipsius erant. Aliquando ab Archiepiscopo Valentino ex valde paterno affectu monitus, ut curaret, ne vitam suam per austeritates adeo excessivas sibi abbreviaret; respondit: *Nimis delicati hominis est, nedum Episcopi, à muneris sui cura, aut valetudinis studio retardari, aut mortis formidine deterreri*.

9 *Mihi mundus crucifixus est*. Valdè notandum est tanquam quid summa admiratione dignum, quod prius in Bulla Canonizationis dicitur: *Mundu maximè blandiente* Carolum mundum contempsisse. Potiorem namque Sanctorum partem invenietis mundum quidem deseruisse, perpetuumque ab eo fecisse divortium; vix tamen est aliquis, aut certè valdè pauci, qui intra medios mundi laqueos, illecebrosasque illius insidias vitam suam traduxerint: at verò sanctus
Homil. de S. Maximo Carolus (ut Eusebius Emissenus ait) *diu in hoc mundo positus extra mundum fuit*. Plutarchus refert Archimedem se jactasse, quodsi unum pedem in aliquo stabili loco foris extra mundum firmare posset, alterius pedis calcaneum universæ terræ impingendo, eandem susque deque invertere & demoliri posset, adeoque agnoscebant quod utriusque plantis in terra positis, nihil adversus ipsam moliri aut facere posset: at vero sanctus Carolus licèt utroque pede in terra constitutus esset, *Mundo maximè blandiente; diu in hoc mundo positus*, eundem tamen calcibus pedum suorum impetere & conculcare noverat; *terrenam calcantem crucifixo mundo*; nisi fortè dicere malimus, quod uno pede, id est, affectu suo in stabilitate bonorum æternorum alterius vitæ firmato, altero mundo calcem impingendo eundem calcavit; *Mihi mundus crucifixus est*, nobisque manifestum esse fecit se artem quandam divinitus edoctum esse, qua ex purpuris cilicia, ex dominiis liberis submissionem, ex divitiis paupertatem, ex supremis honoribus suiipsius contemptum, ex delitiis austeritatem elicere nosset. S. Thomas circa illa verba: *Mundo crucifixus sum*, ita scribit: *Manifestum est autem quod mundus, & omnia qua in mundo sunt, mortua erant in corde Pauli*: nos vero ad propositum nostrum dicamus: *in corde Caroli*. *Omnia*, nimirum affectus consanguinitatis multis etiam Ecclesiasticis adhærescens, in ipso mortuus & totaliter extinctus fuit, siquidem xenodochium Mediolanense hæredem suum esse voluit: imo si ei licuisset, omnia utique familiæ suæ fideicommissa in pauperum subventionem fuisset alienaturus: *Omnia: quia etiam amor propria vita in corde ipsius mortuus erat*; siquidem factam bombardæ explosionem non majoris fecit, quam minimi cujusdam venti flatum, undè ne situm quidem corporis sui movit; quod idem fecit quando inter pestiferos Mediolani per tot menses expositus, in conspectum mortis intrepido animo obviam veluti processit. *Omnia qua in mundo sunt, mortua erant in corde Caroli* omnes etiam respectus humani, & interesse politica, si quidem quando benè multi ipsum precibus suis fatigabant, ut Cardinalem Alexandrinum à Pontificatu arceret, ipsa merita electi, & servitium bono publico debitum cuivis humanæ politiæ anteponere voluit, adeoque electionem Pii V. Pontificis Maximi tam eminente sanctitate conspicui, necnon de Christianitate tam præclarè meriti magna ex parte operæ & industriæ ipsius in acceptis referre debemus. *Omnia, omnia que in mundo sunt, mortua erant in corde Caroli* ideoque jure merito ori ipsius inserere possumus illa verba Chrysostomi dicentis; *Quicquid terroris habet mundus, contemno: quicquid delectabile habet video: divitias nun curo, paupertatem nun horreo, mortem nun timeo*. Homil. de expuls. sui.

10 *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Optimum nos modum S. Bernardus docet, quo quis mundo Serm 7. in Quadrag.
crucifigi possit, dum ait: *Se gerat tanquam mortuum*. Sed quomodo id quis executioni mandare poterit? *Qui non sentit, sed sic vituperantes, ut laudantes; sic adulantes audit, ut detrahentes*. Optime id S. Carolus executus fuit; quippè non alias adulationibus, quam quas detractionibus & maledicentiis propriis præbebat aures, cui indiscretæ reprehensiones, & factæ adversus ipsum à passionatis aliisque perditis hominibus murmurationes æquè libenti animo, quàm quo laudes & applausus sibi factos audire consueverat, excipiebat. *Imò vero nec audit*, subjungit S. Bernardus, *quia mortuus est omninò, felix mors, qua sic immaculatum servat, imò penitus alienum facit ab hoc saculo*. Et ideo hanc ei laudem Pius V. adscribit: *Vir innocens, & egregia animi puritatis & syncaritatis*. A Sixto V. appellatur *vir eximia, dum vixit, religionis, sapientia & vita sanctimonia*.

11 *Crucifixus mundo*. S. Dorothæus quærit: *Quo pacto mundus crucifigatur homini?* Et respondet. *Cum homo abrenuntiat mundo, mundum deserit & exindè solitarius fit relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia*. Porrò stupor, quo crucifixus Carolus noster mentes omnium imbuit; in eo præcipuè consistit, quod is sæculo minimè renunciando, sed in medio impetuosissimi torrentis mundi hujus constitutus, adverso semper flumine, seu contra aquarum impetum processerit, quodque veterum Anachoretarum rigores, solitudines, abstinentias, paupertatem, &c. longè transcenderit, tametsi nunquam se intra deserti abdita subduxerit. Panigarola, qui diuturna cum ipso usus est familiaritate, in oratione, quam in exequiis ipsius recitavit, ita dicit: S. Carolus primitus in ipso aquarum cursu natabat, posteà in medio cursu aquarum firmabatur, denique ulterius ascendit etiam adverso flumine natando; id est, divitias suas sanctè erogabat, posteà easdem contemnebat, nec quicquam curabat, demum verò eousque pervenit, ut in supremo divitiarum fastigio mendicitatem inveniret. Fateor quidem fuisse nonnullos, qui adeò à divitiis fuere alieni, ut illas nec procurarint, nec desiderarint; vel si illas possederunt, possessas tamen optimè dispensarunt, vel etiam qui illas totaliter deseruerint; at verò quis mihi illum inveniat, qui per tot annorum longissimum decursum in abundantia summa divitiarum tantam semper professus fuit paupertatem. Celebre est illud de sancto Carolo vulgarium proverbium, nimirum sanctum Ca-

rolum

rolum ex hoc mundo nihil sibi amplius usurpasse, quam quod à Domino suo canis aliquis accipere solet, nimirum aquam, panem, & paleam.

Benè ponderata dignitate, in qua vixit, cum omnibus suis circumstantiis clarè inde, neminem ei similem fuisse, deducitur.

DISCURSUS OCTAVUS.

Non est inventus similis illi.

1 PRæteritorum sæculorum experientia abundè comprobatum est, quod hæc nostra depravata & corrupta natura nunquam assequatur in gradu eminenti omnes virtutes; hinc est, quod tam in veteri, quam in novo Testamento multi quidem sacri Heroes tanquam admiranda vitæ specula ob oculos ponantur, sed non nisi in unica tantum speciali virtute: sic exempli causa, Abel nobis tanquam protorypon innocentiæ proponitur, Enoch tanquam exemplum puritatis, Jacob laboris patienter tolerati, Moyses mansuetudinis, Elias zeli honoris divini, Hieronymus austeritatis, Martinus humilitatis, Gregorius vigilantiæ, Ambrosius libertatis Ecclesiasticæ zelotæ, Paulinus charitatis: at vero specialissima sancti Caroli Borromæi prærogativa hæc fuit, quod omnes omnino virtutes in persona sua in gradu prorsus heroico simul conjunxerit; siquidem Vicarius Christi in Bulla, quæ de ejus Canonizatione emanavit, ita de ipso definit: *Quasi Abel in innocentia quasi Enoch in munditia, quasi Jacob in laborum tolerantia, quasi Moyses in mansuetudine, quasi Elias in ardenti zelo.* Et paulo post de eodem prosequitur dicens: *Quique imitandam exhiberes inter affluentes delitias Hieronymi corporis castigationem, Martini in sublimioribus gradibus humilitatem, Gregorii pastoralem solicitudinem, libertatem Ambrosii, Paulini charitatem.* [Latin. Pac.] Porrò Panegyrista Theodosii ita scribit: *Dixisse sufficiat, unum illum divinitus extitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent, quæ singula in omnibus prædicantur.* Nos autem hisce verbis addamus, quod Nazianzenus de Basilio Magno scribit: *Hic autem* (id est, S. Carolus) *in omnibus pariter summus*; adeoque nos jure de ipso asserere posse existimo, quod *non sit inventus, &c.*

2 *Non est inventus similis illi.* Quodsi virtutem charitatis, quæ Regina est omnium aliarum virtutum, consideremus, certum est ex historiis sanctum Paulinum Episcopum Nolanum in hac virtute eousque progressum fuisse, ut postquam cuncta quæ habebat, inter pauperes erogasset, semetipsum veluti mancipium quoddam vendiderit, ut filium miseræ illius viduæ à servitute, sub qua diu ingemuerat, redimeret. Hanc autem S. Paulini charitatem sanctus Carolus perfectè æmulatus est, nisi fortè melius dixero, quod longè superavit hanc S. Paulini charitatem; quando scilicet multo tempore veluti servus & mancipium vitam suam traduxit & servivit, non uni duntaxat Regi barbaro, sed tot barbaris, quot in diœcesi discoli, dissoluti, perversi & perditi homines erant, quorum se contumeliis, injuriis & vilipendiis libenter & patienter subjecit; unde jure merito cum Apostolo dicere po- [2 Cor. 9. 19.] tuit: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* Vitam quoque suam hæreticorum insultibus & persecutionibus exposuit, ut eos fidei Orthodoxæ compararet. Verum enimvero dicite sodes, num vobis persuadere potestis: eum, qui pro salute gregis sui adeo prodigus fuit in erogandis facultatibus suis, vitaque sua manifesto mortis periculo exponenda, avarum futurum fuisse, in casu quo libertatem suam pro alterius recuperanda libertate oppignorare ipsa postulasset necessitas. Sanctus quidem Paulinus personam suam servituti, carcerisque catenis atque compedibus vinciendum exposuit; at vero sanctus Carolus aliis se non minus duris compedibus constringi & vinciri permisit. Quoties enim vitam suam manifesto mortis periculo subjecit? Nunquid sanctissimus Cardinalis noster mancipium quoddam factum fuisse videbitur, dum illum veluti quoddam ad triremes condemnatum mancipium toto ferè capite rasum, super paleis extensum, à semetipso ad durum ac mucidum panem & meram aquam condemnatum, semimudum, & veluti mancipii alicujus centonibus contectum, incessanter, imò durius quam mancipium laborantem, quotidie se propria manu ad sanguinem copiosum usque flagellantem, & subtus purpura cilicio vestitum esse videtis. Verùm enimvero ut quid ego illum in comparationem cum omnibus insignioribus cœlestis paradisi Sanctis deducere contendo, cum Ecclesia hodie de illo canat: *similem fecit illum in gloria Sanctorum*, id quod sequentis Discursus Thema futurum erit, adeoque nullum sit dubium, quin verum sit quod paulò antè asseruit, nimirum *illum divinitus extitisse, in quo virtutes simul omnes vigerent.* Quibus verbis consonat quod sancta Ecclesia de ipso dicit in Bulla, scilicet: [I a Bull §. 10.] *Omnia ad sacrorum & sanctorum Patrum exempla composuit.*

3 *Non est inventus similis illi*, si considerentur sæcula antiqua, in quibus adeo eminentes & eximii Sancti passim floruerunt, & sæculi præcedentis summa malitia & iniquitas e contra ponderetur. Neque enim perfectionem, sapientiam, & facta heroica tot Prælatorum veterum, qui superioribus sæculis Ecclesiam Dei sustentaverunt, obstupesco; siquidem pleraque ipsorum tale devixerunt sæculum, in quo verisimile est laudabile quoddam inter ipsos viguisse certamen, & sanctam quandam æmulationem, ut ex mutuis exemplis egregiè proficerent: id quod in illa ætate factum esse existimo, in qua simul cum sancto Augustino floruerunt sancti Maximus, Paulinus, Cyrillus Alexandrinus, Eucherius, Proclus, Chrysologus, Xilus, Leo Magnus, Damasus Papa, Prosper, Simeon Stylita, duo Gregorii Nyssenus & Nazianzenus, Ambrosius, & sanctus Joannes Chrysostomus, qui velut luminaria magna eo tempore in firmamento Apostolico relucebant: at vero noster sanctissimus Prælatus quænam obsecro in ætate sua viva exemplaria habuit, quæ ad faciendos in ardua perfectionis via magnos progressus calcar ipsi addera potuissent? Certè neminem; & tamen in Bulla canonizationis ejus vocatur grande luminare inter tenebras. Hoc unicum scire sufficiat, eum adeò corrupto sæculo vixisse, ut ad restaurandam, & postliminio revocandam disciplinam Ecclesiasticam opus fuerit universale quoddam & œcumenicum congregare Concilium, Tridentinum videlicet. Suos quoque natales, quod valdè considerabile est, in tali Diœcesi habuit, quæ tunc inter quasvis alias dissolutior, majorique licentiæ dedita erat. In prospera itidem humana felicitate erat constitutus, adeoque inter mera vanissimi mundi precipitia & scopulos processit, qui eo tempore præcipuè periculosissimi erant: in veritate namque tunc dici poterat: *Mundus totus in maligno positus est.* [Joan. 5. 19.] Quod verò in istis temporis sui circumstantiis positus, non solùm ipsemet pro se sanctitatis studio se totum dedicaverit; verum etiam omnibus aliis ad idem studium capessendum dux & author fuerit, hoc mihi tale videtur esse prodigium, quod cogit me liberrimè dicere, quòd *non sit inventus similis illi. Sicut lilium inter spinas.*

4 Et quidem in hac concepta opinione confirmabimur, si nos reflexerimus ad locum, qui theatrum quoddam erat, in quo *spectaculum fuit mundo, & Angelis, & hominibus*, in omni rarissimarum virtutum exercitio. Alii celeberrimi Ecclesiæ Sancti, prouti ex historiis sacris liquidè satis colligitur, vixerunt vel in eremis, vel in claustris, & ut plurimum è claustris & saccis suis evocabantur ad mitras, fueruntque diu antè per longum tempus in disciplina monastica exercitati, priusquam ad Prælaturas promoverentur: at verò Sanctus noster in aula semper commoratus fuit in magna thesaurorum abundantia, in authoritate sceptrorum, in affluentia omnium vitæ commoditatum, delitiarumque desiderabilissimarum; & tamen claustra in aulas, eremos in basilicas regias transplantandi modum perfectissimè novit; ideoque rigidissimorum Anachoretarum austeritates in serenissimo humanæ felicitatis fastigio practicavit: *Antra deserti teneris sub annis, civium turmas fugiens petisti; ne levi saltem maculare vitam famine posses*, ita de sancto Joanne Bapti-

Baptista in gratia confirmato, & in utero materno sanctificato scribitur; at verò quid de nostro Sancto dicturi essetis, si videretis quod ipse instar columbæ cujusdam innocens & candidus, jam non in solitudine, sed in Babylonia quadam eandem in sanctam quandam Hierosolymam commutando vixerit, & *nec levi saltem maculare vitam famine voluerit*; undè eminens ejus perfectio perspicuè satis argui potest: *Si quis in* Jacob 3.2. *verbo non offendit, hic perfectus est vir*; ipse autem in directione difficillimorum negotiorum totius Christianitatis per multorum annorum decursum, in occasionibus curialium complementorum, audientiarum continuarum exercitio, rudissimos & inexpertissimos homines in doctrina Christiana erudiendo, negotia quoque domestica & publica continuò tractando, linguam suam adeò perfectè & integrè moderari & dirigere novit, ut Panigaroia, qui vitam ipsius perfectissimè & ad unguem, ut dici solet, sibi perspectam habuit, attestetur, quod ex ore ipsius nunquam prodierint verba iracundiam, murmurationes, injuriam, juramentum, adulationem, maledicentiam redolentia.; imò ne vel minimum verbum otiosum, nec ullum unquam verbum protulerit, quod non vel ad utile quoddam negotium, vel ad alium bonum finem ordinaretur. Porrò Chrysostomi, Hilarii, Ambrosii, Augustini Diœcesium suarum reformationem aggredientes, easdemque ad optimum optatumque finem perducentes, jam non minus ætate, quàm judicio, prudentia, & multa experientia maturi erant, jamque in publicis muneribus diu satis sese exercuerant: at vero sanctus Carolus etiamnum juvenis viginti duorum annorum, absque ulla prævia experientia, talem quandam exorsus est Ecclesiasticæ disciplinæ reformationem, quæ etiam Ambrosiorum, Basiliorum, Athanasiorum, generosa pectora haud immerito potuisset perterrefacere, eandemque ad eam usque perfectionem perduxit, ut toti Christianitati per omnia deinceps secutura sæcula exemplaris loco esse possit. Legite, obsecro, & iterum iterumque relegite superiorum sæculorum historias, & dicite an aliquem ex omnibus quiveritis invenire, qui in vinea anteà totaliter sylvestri, omnique cultura destituta, posteà vero fertilissima Ecclesia plus ipsa non solum sudaverit, verum etiam fructum copiosiorem protulerit? Etenim undecim celebravit Synodos Diœcesanas, sex Concilia Provincialia: Literæ autem Pastorales, Memorialia, Constitutiones, Decreta, quæ promulgavit, omni prorsus numero carent. Consecrationes Ecclesiarum, sanctorum Corporum translationes, visitationes, congregationes, quadraginta horarum preces, aliæque devotiones plurimæ, quibus semper præsens ipsemet intererat, ipsum planè indefessum fuisse commonstrant. Seminaria quoque, Collegia, Hospitalia, Monasteria, Religiones, quas vel introduxit, aut fundavit, vel quibus eximia beneficia contulit, pastoralis solicitudinis suæ amplissimum & irrefragabile perhibent testimonium. Legatur amplum illud volumen, quod Acta Ecclesiæ Mediolanensia intitulatur, & clarè satis videbitur, an non ipse solus, ut ita dicam, plus laboraverit, quàm omnes alii Episcopi temporum superiorum. In relatione in Consistorio Canonizationis ipsius facta, hæc ei laus attributa fuit: *Extant ejus opera duobus tomis comprehensa, quæ omnes divitias & thesauros Catholicæ doctrinæ facilè comprehendunt.*

5 *Non est inventus similis illi.* Conchylia, quæ veluti matres sunt unionum, aquis maris quidem supernatant, nec tamen falsi illius elementi vel minimam stillam imbibunt, sed potiùs rorem cœlestem aperto sinu quotidie hauriunt, illasque proindè animas præfigurant, quæ in medio mari mundi hujus cor suum soli divinæ gratiæ aperiunt, aliis verò rebus ad Deum minimè spectantibus idipsum pertinacissimè obturant & claudunt. Et verò ex hoc quoque capite. *Non est inventus similis illi*, qui huic mundano mari magis ipso immersus, nec tamen submersus, vel intus illius humore perfusus fuerit: *Hoc mare magnum & spatiosum*; siquidem licèt unicus esset Papæ regnantis Nepos, manuque sua, ut ita dicam, unum cum Pio IV. avunculo suo Apostolicæ Monarchiæ sceptrum conjunctim moderaretur, necnon difficillima, maximeque ardua mundi negotia tractaret, ponderaret, componeret, dirigeret; attamen ne vel minima stilla aquæ illius marinæ cor ipsius subingressa penetravit: *Crucifixum* In Bulla
mundo, viventem spiritu. Ecce tibi rorem cœlestem: §. 2.
Terrena calcantem, cœlestiaq; jugiter negotiantem. Et hoc quidem unicum erat, quod tantam ipsi apud Principes venerationem existimationemque pariebat. Undè Philippus II. ut diximus, vivam ipsius effigiem in secretiori conclavi inter alias aliorum Sanctorum imagines devotissimè asservabat; stupebant enim innocentiam & sanctitatem ipsius, utpote per experientiam propriam probe scientes, quàm sit difficile inter Imperia, coronas & sceptra non jam dico acquirere, licèt & hoc sua difficultate non careat; sed & constanter, prout ipse fecit, eam conservare. Quis unquam ad eam usque dexteritatem pervenit, ut res adeo inter se disparatas inter se nosset simul unire, prout ipse easdem in semetipso univit & conjunxit? quales sunt, verbi gratia, infimus personæ suæ contemptus, & dignitatis suæ in æstimatione & veneratione perpetua conservatio; Abundantia thesaurorum, & paupertas extrema; Generositas & magnanimitas animi, & profundus de semetipso humilitatis sensus; Delitiæ & austeritas; Sceptra & disciplinæ; Cilicium & purpura; Prudentia & simplicitas; Gravitas & affabilitas; Justitia & pietas; Vita activa & contemplativa.

6 *Non est inventus similis illi.* Multi quidem Sancti bonis se temporalibus spoliantes, pauperibus illa distribuerunt, ac demum vitam cœperunt ducere pauperem & religiosam, aurum, argentum, omnemque aliam pompam mundanam arbitrantes ut stercora: at verò sanctus Carolus divitias tum patrimoniales, tum Ecclesiasticas sub proprio dominio reservans, easdem pauperibus perfectè dispensare novit, vivendo deinceps juxta reservatas divitias ipsismet pauperibus pauperior atque egentior. Sanctus Ambrosius, cujus sanctus Cardinalis noster fuit dignissimus successor, partem bonorum suorum in eleemosynam erogavit, aliam verò partem Ecclesiæ cessit, ita tamen ut sorori suæ domus suæ usumfructum quoadusque viveret, reliquerit: at verò sanctus Carolus parentibus aut cognatis suis nec quicquam reliquit aut dedit: imò à senatu licentiam sibi dari efflagitavit, quatenus familiæ suæ fideicommissa & feuda in beneficium & utilitatem divendere & alienare posset. Alii eleemosynas erogarunt ex eo, quod propriis necessitatibus sublevandis supererat: *Quod superest, date pauperibus*; ipse verò ut eleemosynam jugiter dispensaret, familiam suam panis defectu laborare permisit, licèt Deus illam abundè suppleverit. Non deerit in Sanctorum catalogo, qui cuncta quæ habuit, ad unicum usque teruncium inter pauperes diviserit, non tamen id tanta cum profusione fecit, sicut ipse; siquidem Cardinalis noster uno eodemque die quadraginta duo scutorum millia pauperibus erogavit: quid amplius dicam? Imò eis id quoque donavit, quod non habebat. Neque enim contentus quod amplissimum palatium Archiepiscopale omni sua pretiosa supellectile quoad aulæa, peristromata, laquearia, aliaque ornamenta denudasset & penitus expoliasset, adeo ut nihil reliquum manserit, præter linteam quandam tapetis cujusdam suffulturam; & ne lecto quidem proprio, tametsi ex nudis tabulis constante, pepercerit; insuper pro eleemosynis distribuendis multo se ære alieno gravavit, suos quoque ad quæstum eleemosynarum emisit? & ut paucis rem totam complectar, quicquid mundus divitiarum, dignitatum, delitiarum, authoritatis, existimationis, magnificentiæ, &c. ad eum locupletandum & evehendum congregare potuit, hoc totum ipse ad pauperes ditandos, se verò depauperandum impendit. Numerus pauperum, quibus ipse tempore pestilentiæ quotidie alimenta, vestes, cunctaque alia necessaria abundè providit, ad numerum septuaginta millium facilè ascendit. Audite quam apte cum Apostolo de ipso ad populum sua paterna cura multis beneficiis auctum dici potuerit: *Propter vos egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis.* Præsto quidem est sancti Cœlestini exemplum, qui regnum Pontificium seu summum Pontificatum à se abdicavit; sed quo fine illum id fecisse putatis? ut deinceps vitam quietam & tranquillam, atque ab omnibus negotiis publicis, quibus tiara Pontificalis tantum non obruitur, plane expeditam ducere posset, seque vitæ contemplativæ tota-

liter

liter manciparet. Similiter si alii pariter censibus ecclesiasticis cesserunt, id utique fecerunt tanquam anxie quærentes & zelantes fidelem sanguinis Jesu Christi & patrimonii pauperum distributionem: at verò sanctus Carolus sponte propria omnes illas dignitates, censusque opulentos, qui nullum ab eis onus, laborem aut molestiam requirebant, quique ei annue centum septuaginta millium annui census facile parare poterant, in manus Pontificis deposuit, sibi verò non nisi os quoddam durissimum ad rodendum, qualis erat Archiepiscopatus Mediolanensis, reservavit, ut in cultura diœcesis illius per frequentes visitationes, per vigilantiam & assistentiam continuam, per ærumnas & labores indefessos sudare, seque fatigare, & omnibus exhaurire posset. Nec tantum ipsum hujusce à se factæ renuntiationis unquam pœnituit; verùm etiam cùm tempore pestilentiæ aliarumque occurrentium necessitatum diceretur, quod si de facto resignatos à se census annuos etiamnum possideret, illi utique tunc ad pauperum sublevamen opportuno usui futuri essent, respondit, quod nisi illis cessisset, idipsum etiam de facto adhuc faceret de novo, hancque subjunxit similitudinem, ejus qui non solùm fructus ab arbore productos, sed & ipsam arborem eos parientem Deo consecrarat.

7 *Non est inventus similis illi*. In Collecta de sancto Casimiro legimus: *Deus qui inter regales delitias intactum a mundi illecebris spiritum sancti Casimiri conservasti*. Item de sancto Henrico Imperatore legitur, quòd *virginitatem raro exemplo matrimonio junxit*. Veruntamen quod sanctum Casimirum attinet, is mortuus est juvenis, in jucundissimo nimirum annorum suorum flore; neque constat, quòd vel dicti Casimiri, vel sancti Henrici pudicitiæ tensi fuerint laquei vel insidiæ, prouti in sancto Carolo accidit, ut in aliquam præcipitarentur impuritatis labem, quamvis sanctus Carolus in omnibus hisce luctis & insultibus, quibus tum Papiæ in primis juventutis annis, tum pariter hic Romæ Nepos Papæ existens infestatus fuerit, victor gloriosus evaserit; unde eandem illi laudem tribuere possumus, quam sanctus Hieronymus Nebridio pudicitiam in aula Imperiali intactam & illæsam conservanti adscribit, dum ait: *Quorum mensæ ministrat, orbis terræ & maria serviunt, inter rerum abundantiam in primo ætatis flore sanctæ verecundiæ fuit, ut virginalem pudorem vinceret*. Ad hæc verum quidem est, quòd in simili quoque lucta sancti Bernardus, Thomas Aquinas, & Philippus Nerius victores permanserint; atque ut verum fatear, nullus eorum in statu & conditione adeo delitiosa, lubrica & proclivi suo tempore vixit, in quali sanctus Carolus vivebat, utpotè qui bulliente etiamnum in ipso sanguine in juvenili ætate, & publicorum studiorum consuetis licentiis, omni sua potiebatur libertate, maxime verò quando Nepos Papæ existens facere poterat quidquid volebat.

8 *Non est inventus similis illi*. A multis quidem magnis Sanctis religiosissimas usurpatas fuisse austeritates corporales legimus, veluti è sancto Basilio Magno, sancto Martino, & sancto Athanasio, & aliis: sed id nequaquam mirum fuit, quia in monasteriis inter fratres vivebat, vel in solitudinibus vitæ contemplativæ dediti erant, aut certè primitus Religiosi fuerant: at verò sanctus noster Cardinalis in aulis semper & maximè Romæ commoratus & Mediolani tanquam Archiepiscopus, & tum ob natales, tum ob varia quæ possidebat dominia & status, maximæ dignitatis Princeps adoratus fuerat, & tamen licèt nunquam claustralem vitam duxerit, vitam duxit quovis Austero Anachoreta rigidiorem.

9 *Non est inventus similis illi*; maximè si quis omnium asperitatum, quibuscum se voluntarie & incessanter affligebat, circumstantias ritè ponderaverit. Etenim de sancto Bernardo, qui alias adeo rigidus suiipsius censor erat, in vita ejus legimus, quòd nonnunquam honestam aliquam recreatiunculam admiserit: at verò de sancto Carolo scribitur: *Nullum tempus animi relaxationi dabat, sed opus Dei & proximi continue agenti, negotium negotio succedebat, curam cura excipiebat, non quieti tempus vacabat ab opere, non refectionis*. In Bull §. 30
Quodsi illi, qui in eremis habitabant, corpora sua macerarint & castigarint acriter, id ideo mirandum non est, quia soli vitæ contemplativæ dediti erant: at vero S. Carolus ob continuos labores quibus se incessanter defatigabat, nonnunquam indigebat aliqua refocillatione animique relaxatione, ne fortè continuo se fatigando deficeret; & tamen *super paleas, aut super asseres paleis plenos pulvino capiti supposito cubabat*, interdum super ipsam humum. Penuarium ejus nulla alia re abundabat, quàm exsiccatis ficubus, duro pane, lupinis, & aqua insipida, imo malè dixi, quia nonnunquam etiam dictorum ferculorum patiebatur penuriam, vel iis se non cibabat ad sufficientiam. Pauperculi lectuli sui tegumentum ex canabe factum, & paleis fartum erat; subtilior quoque ejus camisia, qua pectus ejus stringebatur, hispidum quoddam erat cilicium; ad sanguinem usque quotidie se flagellabat, integras noctes in oratione insomnes transigebat. Mensulam habebat, quæ sæpe ei loco scriptorii, aut mensæ, frequenter etiam lecti loco serviebat: verùm enimvero id quod vel maxime considerandum venit, hoc est, quod prædicti extremi rigores tali corpori adhibebantur, quod à primis infantiæ annis delicatissimè nutritum & educatum fuerat; imò tali corpori, quod per itinerum molestias, necnon longas peregrinationes, cum tot incommodis pedestri us plurimum itinere inter præcipitia & inaccessas diœcesis suæ alpes factas valdè exhaustum & debilitatum fuerat. Præterea fuere nonnulli inter Sanctos, qui corpora sua longo tempore jejuniis, disciplinis, ciliciis, aliisque mortificationibus macerarunt, ab iis tamen rigoribus, postquam ad provectiorem devenere ætatem, nonnihil remiserunt, imo aliquantulam eidem indulserunt quietem, ne mortem sibi accelerare viderentur: at vero omnes prædicti rigores in sancto Carolo non solùm ad ultimum usque vitæ spiritum continuarunt, verùm etiam cum provectioribus annis sua quoque sumpserunt incrementa. Etenim solitus erat dicere, quod cùm multi ex nimia ingluvie ciborum ante tempus moriantur, sibi nequaquam vitio verti posse, si mortem sibi econtra per nimiam abstinentiam acceleret. Porrò de sancto Petro legimus, quod in Herodiano carcere adeo profundum somnum dormierit, ut ad eum excitandum vox Angeli minimè suffecerit; quin etiam valida lateris percussione opus fuerit: *Percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: surge*, Act. Ap.
imo ex sacro textu satis perspicuè colligere possumus, 12.
quod exutus & spoliatus vestibus somno se commiserit: *Calceate caligas tuas, circumda tibi vestimentum tuum*; at vero S. Carolus vestitus dormierat, somnusque ejus adeo pertenuis erat, ut musca eum circumvolitans excitare potuisset. Sanctus Petrus igni appropinquabat; ut se
calefaceret: *Stans autem Petrus & calefaciens se*. Simili- Act. Ap.
ter sanctus Paulus *accensa pyra reficiebat se*; hic quidem 28.
Melitæ, ille vero Hierosolymis, climate nimirum utrobique valdè temperato, nec immodice frigido: noster autem Anachoreta in Lombardia inter nives & glacies rigidissimas, etiam inter frigora alpestra, tametsi manus ejus ob frigus excessivum sanguinem stillarent, vel etiam ex sudore & pluvia maduissent, nunquam tamen visus est ad ignem accedere.

10 *Non est inventus similis illi*, quoad propriæ vitæ contemptum. In cujus probationem dicere sufficit, quod sanctus Elias, qui mortuos resuscitando sibi supra mortem imperium concessum esse ostendit; ad comminationem mortis sibi à Jezabele intentatam adeo expavefactus fuerit, ut omnino formidolosus & timore plenus, quadraginta continuos dies ab ea per densas sylvas & præcipitia fugerit. Similiter si è Martyribus permulti in suppliciorum carnificina hærentes præ nimio gaudio riserint, id adeo mirum non est; siquidem sciebant causam ob quam moriebantur, nimirum ad fidem sanguine suo contestandam, vel ad stabiliendam religionem, vel ad aliam quampiam virtutem defendendam; at Carolus ab explosa in illum bombarda, ad mortem, ut credebatur, tactus, cùm nesciret quamobrem, aut à quo id factum esset: *Omnibus perculsis, ac de ejus salute trepidantibus, ipse solus mente immotus, illos in oratione progredi mandavit, & tunc ipsum Domini monitum illud: Non turbetur cor vestrum, neque formidet; cantari, non sine divina voluntate contigerat*. Noluit, imo vetuit ut quisquam se moveret, eo nimirum fine, uti existimo, ut malefactor interea sibi per fugam consulere posset. Ipsemet Dei Filius morte instante timuit, ac toto corpore anxius sanguinem sudavit, quia ut sanctus Gregorius ait: *Nostræ mortis in se certamen expressit*. Alii quidem semel & iterum se mortis

peri-

periculo objecerunt; at verò quis est, qui animo magis intrepido morti non jam per integros dies, septimanas, aut menses, sed per annos, nimirum sævissimæ illius contagionis pestilentialis tempore expositus fuit, idque semper impavidus? alios quidem sanctos invenietis, qui in similibus calamitatibus suo quidem gregi præsens, attulerunt auxilium & subsidium; at vero solum in ordine ad salutem animæ, simulque illis aliquantulam eleemosynam subministrando: at vero solicitus & providus Pastor noster suam erga gregem sibi commissum in ea calamitate contulit opem & operam, exercendo in illos pariter munus Episcopi Parochi, Medici, Patris, Servi, imò & Vespillonis: *Spiritualia & temporalia ministrabat; defunctos sepeliri, infantes, orphanos nutriri, ac sua quemque onera publice demandare diligenter ac fideliter administrare curabat, non pauperum valetudinaria, non humiles casas invisas dimisit, non ad mortuorum cadavera accedere veritus est, ut viventem miserabiliter inter mortuos infantem ab uberibus defunctæ matris eriperet.*

In Bulla §.16.

Epist. ad Henric. Sen. epis.

11 *Non est inventus similis illi.* Prælati & Episcopi, prout zelosissimus Bernardus magna cum energia exaggerat, per pompam & fastum ipsorum exteriorem magnopere Ecclesiam damnificarunt, existimantes se hac ratione & medio sibi magnam penes populum conciliaturos esse existimationem & reverentiam, at vero quis alius damna hæc Ecclesiæ illata magis reparavit, quam sanctus Carolus, utpotè qui aptissimo inter se vinculo inter se cilicia cum purpuris, humilitatem cum imperiis, paupertatem cum thesauris, sceptra cum disciplinis ferreis novit conjungere? Sanctus Hieronymus de sancto Paulo primo Eremita sic ait: *Ille vestem Christi, licet nudus servavit* (cum clericis loquitur, & in hac Christi veste designat Ecclesiam, utpote quæ sub hoc symbolo, tanquam lacerata ab Arrio, S. Petro Alexandrino monstrata fuit.) *Vos vestiti sericis indumentum Christi perdidistis*; at verò sanctus Carolus, quem in præsenti materia tanquam Athlantem venerari possumus, utpote qui solus quasi sedem sancti Petri tanquam stabile fulcrum sustentavit, *& nudus vestem Christi, & sericis indutus servavit.* Neque enim minus ei ornamentum aut emolumentum per purpuram attulit, quam ei contulerat per suum cilicium, siquidem per utriusque conjunctionem mundo & omnibus Prælatis, Cardinalibus, summisque Pontificibus præclarum exemplum reliquit, è quo manifestè colligere possit, quod ingentes census annui, summæ & præcelsæ dignitates, obsequia, aulicorum famulitia, quæ enim penes sæculariter viventes in æstimatione sunt, innocentiæ & integritati bonorum morum, bonoque Ecclesiasticæ Hierarchiæ regimini, nec quicquam præjudicare possint, dummodo census prædicti fideliter & juxta exemplum ipsius administrentur, parique modo & ordine sustineantur dignitates.

12 *Non est inventus similis illi.* Alii etenim sancti longius & prolixius vitæ spatium sunt consecuti, & consequenter evidentem occasionem plus boni faciendi & laborandi in vinea Dei, nam S. Antonius Magnus S. Paulus primus Eremita, & S. Romualdus centesimum vitæ annum superarunt, S. Martinus moriens octoginta & unum annos habuit, S. Philippus Nerius octoginta, S. Ignatius ad septuagesimum usque pervenit. At verò S. Carolus quadragesimum septimum nondum superarat. Unde an de ipso dici possit: *Consummatus in brevi explevit tempora multa*, vestro id judicio decidendum relinquo; ad hæc quemnam invenietis, cujus sanctitas adeo velociter in universum mundum divulgata fuerit, quam hujus nostri sancti, vel etiam qui adeò citò per ritus & cæremonias solemnes, quibuscum aliquot ab hinc sæculis utuntur Pontifices, sanctorum Canonizatorum Catalogo fuerit adscriptus? etenim Clemens VIII. Pontifex Maximus de ipso testatur, nullam suo tempore fuisse religionem super terram, *quæ non esset plena fama sanctitatis tanti Præsulis.*

S. Carolus æmulatus est præconia Angelorum, Patriarcharum veterum, Apostolorum, Martyrum, & Doctorum; omnique statui velut exemplar quoddam sanctitatis præluxit.

DISCURSUS NONUS.

Similem fecit illum in gloria Sanctorum.
Ecclesiast. c. 45. v. 2.

1 ÆTerna illa sapientia, de qua multò scribitur: *Omnia in mensura & numero, & pondere disposuisti*, non sine ingenti mysterio disposuit, ut beatissima Caroli Borromæi anima à vinculis mortalitatis nostræ exsoluta, sursum ad Ecclesiam triumphantem in hac octava evolaret, in qua celebratur omnium Sanctorum solemnitas, quodque illius hic in terris Vicarius à Spiritu Sancto utique inspiratus eum hic in Ecclesia militante sanctorum catalogo per solemnissimam Canonizationem, in ipsomet die omnium Sanctorum Commemorationi specialiter dedicato inseruerit, per hoc namque, uti ego quidem existimo, declarare nobis voluit, ipsum in miraculosa vita sua imitatum fuisse, & in se veluti in brevi quadam Epitome compendiasse præconia, virtutes & prærogativas sparsim in omnibus Beatis divisas. Unde meritò ei dignissimum hoc Ecclesiastici encomium adscribere possumus dicendo: *Similem fecit illum in gloria sanctorum.* Sap. 11. 21.

2 Quodsi primo loco intellectus nostri oculum in Angelicorum spirituum hierarchias conjiciamus, inveniemus utique sanctum Archiepiscopum nostrum magnum & solicitum fuisse sancti Michaelis Archangeli, cœlestis militiæ Principis æmulum, rebellium, Deoque contumacium fastum reprimendo, zelando cultum Divinum, fidei integritatem protegendo, hæreseos draconem conculcando, Ecclesiasticorum merita omniumque aliorum, in beneficiorum, aliorumque munerum distributione in æquitatis libra justè ponderando. Theodoretus de Angelis ita scribit: *Omnis forma expertes, à Deo formantur, ut usus hominum postulat*, quasi diceret, variis sese speciebus induunt, quas juxta proportionem ministerii quod in nostram utilitatem exercent, sibi assumunt. Alati quoque depinguntur, ad denotandum ipsos in ministerio nobis exhibendo velocissimos esse: *Alis signatur celeritas* inquit Areopagita. Hoc igitur supposito constat ex Apocalypsi, Episcopos quoque Angelos appellari: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe*, ac proinde mirum non est, quod sanctum nunc nostrum Archiepiscopum, dignitatis suæ majestate & magnificentia deposita, videas summa eum celeritate ac pastorali solicitudine ad gregis sui utilitatem nunc omnibus etiam servis suis, humiliter inservientem, nunc tanquam privatum quendam presbyterum, eos qui in doctrina Christiana rudiores erant, catechizantem, nunc in hospitalibus infirmis ministrantem; nunc in summitate inaccessarum, alpium Episcopales visitationes suas perficientem, nunc in tribunalibus expeditionibus & justitiæ causarum invigilantem; nunc in audientiis dandis, mox in carceribus apud captivos, ac demum in Oratoriis occupatum: undique invocatum (hoc Plinii dicto tantisper mihi uti liceat) *statim veluti numen adesse & assistere.*

De cœlesti Hierarch.

Plin. Pan. Trajan.

3 Est & alia quædam Angeli proprietas, quod scilicet indefatigabiles sint, nec unquam quiescant, sed semper operentur. Unde S. Bernardus eos in scala Jacobi *ascendentes & descendentes* considerans ait: *Nullum quiescentem*. Pari quoque modo tempore sancti Caroli commune Proverbium erat, quo dicere homines solebant: Cardinalis Borromæus non quiescit, neque alios sive vivos sive mortuos requiescere sinit, ad continuas nimirum suorum occupationes, sanctarumque reliquiarum translationes alludentes? Unde aptè de eo dici potest, quod Severus Sulpitius de Sancto Martino scribit: *Nullum vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserit vel negotio sed nec cibo, nec somno quidem, nisi in quantum necessitas naturæ*

Serm. 9. in Cant.

roge-

egebat. Imo verò plus de sancto Carolo dici potest, siquidem se etiam eo cibo & somno, qui ad naturæ sustentationem necessarius erat, privavit, ac proinde vitam quoque sibi notabiliter abbreviavit, cum alias validæ satis esse complexionis.

Prol. de oper bus Christi Card. Heb. 1.14.

4 Vocantur etiam superni spiritus à sancto Cypriano: *Salutis nostra ministrales*, juxta, id quod Apostolus scribit: *In ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Enimverò quali & quanto salutis animarum zelo sanctus Carolus exarserit, ex eo quod in Discursu secundo, de pastorali ejus solicitudine diximus sufficienter colligitur.

Exod. 23. 21. Hom. 23. in Num.

5 Prætetea Angeli nos non deserunt, etsi gratia & amicitia Dei exciderimus: *Non dimittet te, cum peccaveris*; Et Origenes ait: *Etsi gaudens pro converso, accesse est, ut lugeant pro peccante*. Sic quoque noster Angelus, Carolus, inquam, pro peccatis populi sui per rigorosissimam sese pœnitentiam macerabat; Romam, ubi tanquam Papæ regnantis unicus Nepos regnabat, relinquere pro nihilo duxit ad hoc, ut perditum illum & moribundum sibi commissum gregem, Mediolanum concedendo, ad ovile suum revocare & reducere posset. In Zacharia ita scribitur. *Angelus Domini dixit: Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es?* quoties te Carolus in calamitatibus publicis ad iram Dei placandam interposuit?

Zach. 1. 12.

6 Angeli quoque ad Provinciarum regnorumque tutelam deputantur: pari quoque modo multæ Religiones, variaque Regna ipsius fuerunt custodiæ & protectioni recommendatæ: verum enimverò cur ut ipsum Angelo persimilem fuisse ostendam, me multum fatigo, quando ipsemet sancti Petri successor in Bulla Canonizationis ejus idipsum perspicuè satis testatur, dum ait; *Sicut officio in Angelum substitutum, ita etiam mente & opere vitam Angelorum in terris æmulantem*.

7 *Similem illum fecit in gloria sanctorum*. Similis quoque fuit sanctus Carolus antiqui Testamenti Patriarchis & Prophetis, prout perspicuè satis videri potest, si celebriores leges Naturæ & Mosaicæ considerandas nonnihil industriè consideremus. Ac proinde imprimis Abrahæ, Jacobo, & Josepho simillimus fuit: Etenim in Abrahæ æmulatus est carnis & sanguinis abnegationem, utpote qui cognomini Illustrissimæ familiæ Borromeæ, ejusdemque armis & sigillis omnino renuntiavit, hospitale quoque Mediolanense hæredem suum declaravit, bonaque patrimonialia, quoad potuit dispersit, non tamen quomodocunque, sed *dispersit & dedit pauperibus*; quod pro sustinenda & defendenda immunitate ecclesiastica proximiores cognati illius causa ipsius ministrorum regiorum sibi odium conciliarint, nihil prorsus curavit. Similiter imitatus est Jacobi in persecutionibus tolerandis invictam patientiam, quales adversus eum ab illis motæ fuerunt, quos non tollere sed dare benedictiones docuerat, siquidem ab illis contradictiones, injurias & calumnias sine numero ideo solùm sustinuit, quia ut illos in viam salutis deduceret, omnibus nervis contendit. Josephi quoque prudentiam æmulatus est, dum ubique abundantiam reflorescere fecit, atque in maxima annonæ charitate subvenit, ex quibus sævæ illius pestilentiæ tempore ad usque septuagies millenos quotidiè aluit, cum hac tamen præ Josepho præcellentia, quod cum ille in frumentorum solutionem possessiones ementium Ægyptiis & cameræ regiæ oppignorari fecerit, hic sanctus noster res proprias vendidit, seque tanto ære alieno obstrinxit, quantum credito habere potuit. Moysen quoque imitatus est in contemptu dignitatum, imperiorum, Romam, dum nepos Papæ regnantis esset, deserendo, ut ad suam se Diœcesin recipere, ibique tantis cum ærumnis & molestiis laborare & sudare posset: *Grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*, quæ ultima verba Theodoretus de regia Pharaonis aula declaravit: *Major divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi*, siquidem percellentissimum illud Nepotis Papæ dignitatis fastigium, indeque consequentia emolumenta posthabuit injuriis & improperiis discolorum & perditorum hominum re-

Heb. 11. 24.

formationes suas tolerare nolentium. In Davide imitatus est ejus in humanarum prosperitatum culmine modestiam & temperantiam; siquidem juxta regium ejusdem Davidis exemplum, sub purpura cilicio accinctus erat, atque in ipsismet mensis, quas etiam lautissimas in aula sua, non quidem sibi, sed aliis instaurabat, suus quoque abstinentiæ locus erat, illud quoque sancti illius Regis dictum: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*, perfectè assecutus fuit, adeò ut quantum ipse affectu & corde ab omnibus terrenis bonis fuerit alienus, totus mundus satis admirari non potuerit. Denique ardentem pariter Eliæ zelum æmulatus fuit, opponendo se obstinatis, omnibusque aliis, qui ad instar luporum gregem suum disperdere satagebant, nec non Ecclesiasticam immunitatem ad sanguinem usque tuendo & defendendo; solitus namque erat dicere, se purpureo habitu vestitum incedere, ad contestandum se paratum esse suum pro bono utili Ecclesiæ suæ effundere sanguinem. Quam frequenter cum Jezabele, id est, cum hæresi congressus est docendo & disputando, quando illa aliqualem in Diœceseos suæ confinibus pedem figere incipiebat? quantum tum cominus, tum eminus, id est, tam in locis vicinis, quam remotis Baalim, seu errores & falsa tot hæreticorum dogmata inter Helvetos & Rhætos, nec non & alibi in Germania, Flandria, & Anglia conatus est prosternere & penitus profligare?

8 *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Apostolis potissimum fidei & religionis Christianæ per omnes mundi partes dilatio & propagatio attribuitur, utpote quàm prædicatione sua Evangelica mediante exorsi sunt, & per miracula frequenter confirmarunt. Quod donum etiam sancto Archiepiscopo nostro in vita non defuit, & multo minus post mortem; At verò ex quo sanctus Bernardus de Ecclesiæ persecutionibus ita scribit: *Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum*. Quis est, qui nesciat, reformationem quam ipse in sua Diœcesi exorsus est, omnem prorsus dissipasse caliginem omnium quoque aliorum abusuum, scandalorum, pessimorumque morum aliorum Christianorum in omnibus aliis Christianissimi locis perditè viventium, ut proinde in veritate dici possit: *Per unam Mediolanensem Ecclesiam toti præluxisse orbi*; idque vel maximè ideò, quia opera & industria ipsius conclusum fuit Concilium Tridentinum, atque ab ipso omnium primum in sua Diœcesi executioni punctualissimè mandatum. Quod opus tantis momenti tamque præclarum fuit, ut propter hoc dici mereatur Ecclesiæ paulò ante vacillantis columna forteque fulcrum, siquidem ante ipsum quatuor diversi summi Pontifices in eodem consummando sudarunt. Innumeri quoque fuerunt hæretici, quos ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium reduxit, inter quos præcipuè recensendi sunt illi, qui vel maximè formidari poterant, utpote qui venenum quodam cordi vicinissimum erant, siquidem in primis Italiæ confinibus morabantur. Per linguam suam quantumvis balbutientem, verbum Dei indefessè annuntiando, rudes & imperitos in doctrina Christiana erudiendo, paternis quoque correctionibus admonendo dissolutos, plures Deo lucratus est animas, quam omnes alii prædicatores Evangelici. Et sicut sanctus Gregorius ait. *De piscatore lucratus est Imperatorem, per piscatores subjecit oratores*, id quod vel maximè miraculis per fidem operatis adscribendum venit: *Mira potentia fidei*; ita quoque fidei prodigio attribuendum est, quod non mediante Piscatore, sed Principe ex natalibus, authoritate, divitiis, & dignitatibus valdè conspicuo, renovatæ in Ecclesia Dei conspiciantur virtutes piscatorum Apostolicorum, scilicet extremam quandam paupertatem, profundissimum sui ipsius contemptum, ardentem zelum, & rigorosissimam austeritatem, cum copiosissima animarum Deo comparatarum messe conjunctam.

Serm. 33. in Cant.

Lib. 33. Mor. c. 2.

9 *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Etenim æmulatus quoque fuit laudes & merita Martyrum Nam ut appositè docet Chrysostomus: *Bonus Pastor, & talis, qualem Christus vult, cum innumeris comparari potest Martyribus*; cujus rationem reddens, subjungit: *Siquidem Martyres semel propter ipsum moriuntur*,

Ho. 29. in Ep. ad Ro.

rur, *h.c vero millies propter gregem*. Quoties enim hic Pastor, qui de illorum Pastorum numero erat, quales vult Christus, sese pro grege suo mortis evidenti periculo prostituit? Porrò opinio peculiaris est sancti Cypriani, quod licet tres pueri Babylonici ab igne præservido fornacis, & Daniel à leonibus præservati fuerint, non tamen ideo fuerunt Martyrii corona defraudati, utpotè qui miraculosè manserant intacti & illæsi; ac proindè idem quodammodò de sancto Carolo affirmari posse existimo, utpote qui in balistæ illius in ipsum facta explosione, per manifestum miraculum è morte præservatus fuit. Nazianzenus Basilio Magno gloriosum Martyris titulum attribuit, eò quòd se Tyranno & hæreticis Arianis intrepidè opposuerit, variasque ab illis gravissimas injurias fuerit perpessus; at verò quot injurias sanctus Carolus devorare debuit, quando immunitati Ecclesiæ suæ defendendæ totus erat debitus; siquidem ministri regii nimium fervidi, nimium ad falsas malignorum imposturas creduli, ex omnibus viribus, omnibusque possibili conatu se illi opposuerunt. Et ideo vulgare proverbium erat, rocchettum sive superpelliceum Caroli quavis esse chalybe impenetrabilius. Quondam sanctus Chrysostomus Hom. 33. ad Populum Antiochen. hanc quæstionem proposuit: *Quomodo enim sanguinem suum profundet, qui pecunias suas pro Christo effundere timet?* Hæc autem Quæstio sanctum Carolum minimè attinebat, siquidem is tanta siti sanguinem suum pro Christo effundendi exarsit, quanta fuit ejus in pecuniis erogandis effusa prodigalitas, quas velut secundum sanguinem (ita enim pecuniæ à nonnemine appellantur,) ex ejusdem Christi amore in beneficium pauperum quotidiè copiosissimas erogavit.

Epist. 24.

Hom. 33. ad pop.

10 *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Quòd si Confessores consideraverimus, ipsorum quoque virtutes & merita ipsum imitatum fuisse deprehendemus, siquidem viva quædam Basilii Magni, Chrysostomi, Nazianzeni, aut Athanasii effigies fuit. Pius V. tantæ scientiæ, sanctitatis, & prudentiæ Pontifex, Episcopos aliosque Prælatos ad virtutem & perfectionem animare volens, sanctum Carolum nostrum iis proponere solebat tanquam verum & perfectum veræ sanctitatis prototypon, idque pro eo tempore, quo nondum plures quam triginta ætatis suæ numerabat annos. Paulus IV. qui ipsum canonizavit, omnes quotquot ad munia Episcopalia promoti fuerant, amplum illud sibi volumen ut compararent, jussit; cujus mentionem superius facimus, quod intitulatur: Acta Ecclesiæ Mediolanensis, utpotè eximium laborum & sudorum suorum partum, quem Christi in terris Vicarius hoc titulo honoravit, quo dicitur disciplinæ Ecclesiasticæ thesaurus. Potuit etiam cum Zacharia nominari: *Volumen volans*: ubi Septuaginta legunt: *Falcem volantem*; siquidem liber ille est instar ferri limati falces secantis seu præscindens, per quem proinde Sanctus Carolus agri Ecclesiæ suæ per tot dissolutiones & scandala in spinetum quoddam horridum redacti spinas & tribulos præscidit.

Zacch. 14.

11 Quodsi verò ipsi etiam sacrorum Doctorum merita velimus adiecribere; appositè ad id nobis Authoris cujusdam sancto Carolo particulariter devoti consideratio deservire poterit; Hinc enim dicit, quod cum sint duo floridissimi Doctores in Theologia Scholastica, videlicet sanctus Thomas de Aquino, & sanctus Bonaventura; quatuor item in Theologia positiva, nimirum sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, sanctus Gregorius, & sanctus Ambrosius, congruentissimè sanctum Carolum septimo inter sacros Doctores loco numerare valeamus; utpotè Doctorem Ecclesiæ in Theologia practica Ecclesiastica; Ipse namque, ut diximus, Conclusionum Concilii Tridentini præcipuum instrumentum fuit. Ipse Congregationem Concilii, ingens pastorum animarum adjumentum erexit; Ipse Catechismum Romanum composuit, reformavit Missalia & Breviaria; Ipse sanctorum Patrum libros ab Hæreticis vitiatos, corruptos, & adulteratos, pristino suo candori & integritati restituit; Ad conservandam disciplinæ Cleri in suam Diœcesin introductæ observantiam multa erexit & dotavit Seminaria & Collegia ad tectam juventutis floridæ educationem, curando eandem in scientia, bonis moribus & pietate egregiè instruit, ut hac ratione annis aliquot illis pietatis & scientiæ præceptis, bonisque moribus imbuti, fructuosi & digni in vinea cultores & operarii evaderent.

12 *Similem fecit illum in gloria Sanctorum*. Quodsi insuper Sanctorum Sacerdotum virtutes consideremus, quis illas sancto Carolo perfectiùs imitatus fuit? Ac proinde idem de ipso asserere possumus, quod Nazianzenus de Basilio Magno inquit: *Sacerdos inter Christianos etiam ante sacerdotium*. Vicarius Christi postquam compassionem & benignitatem ejus commendasset, subjungit: *Severus tamen arbiter erat in expendendis meritis personarum, cum de Ecclesiasticis beneficiis & officiis conferendis ageretur; beneficia enim nisi magis idoneis non dabat; neque in illis dispensandis ullatenus à sacrorum Canonum voluntate recedebat*. Quantum obsecro ipsius ætate decus & ornamentorum in cultu altarium, templorum, & in cunctis aliis functionibus sactis resplendebat? quot de novo erexit, vel restauravit, aut locupletavit, vel etiam consecravit Ecclesias? Summam curam in promovenda Cleri modestia, vestitus decentia, elegantia morum & honestate in accuratissima rituum, cæremoniarumque sacrarum observantia, sacrificiorum frequentia, & Sacramentorum administratione adhibuit; instituit congregationes, Oratoria, quotidianas quadraginta horarum orationes, multaque alia exercitia spiritualia & devotiones pro conservatione spiritus Dei in illam hactenus adeò dissolutam & relaxatam Diœcesin introduxit.

13 *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Præterea Monachorum, Religiosorum in cœlis beatificatorum merita sibi comparavit; siquidem ipsamet quoque ejus familia per talem observantiam, Christianarumque virtutum exercitium coarctata, & in bonam disciplinam redacta fuit, ut Panigarola dicat eam cum quavis alia religione valdè stricta & reformata comparatam potuisse subsistere; Ac proinde licet nonnemo apud Lucanum dicat: *Exeat aula, qui vult esse plus*; in aula tamen Caroli veritas contrarium obtinuit, quia ex Germania aliisque regionibus viri prodierunt præstantissimi, denique à quibus pietas, Religio, spiritus & virtus practicè edisceretur, idque ex eo solum capite, quia tales S. Carolus intra aulicorum suorum catalogum recensere non fuit dedignatus.

14 *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Virginum quoque merita habuit; siquidem ipsum ut verè Virginem vixisse, in processibus Canonizationis ejus sufficienter probatum fuit; Et ideò ipsum *sicut lilium inter spinas*, verè fuisse supra in discursu quarto vidimus. Verum id quod mihi ad assumpti nostri probationem considerandum venit est quædam beati Laurentii Justiniani sententia, in qua omnes virtutes & merita, quas sanctus Carolus sibi, licèt in omnibus aliis seorsim divisæ reperiantur, comparavit ad unguem explicare videtur. Dicit igitur de Sanctis in universali: *Sua laudabili conversatione nobis suadent mundum spernere, contemnere divitias, carnis petulantiam declinare, jejuniis macerare corpus, frequentare vigilias, orationi incumbere, fraternitatem diligere, miserorum calamitatibus compati, docere inscios, errantes revocare, cibare famelicos, vestire nudos, visitare ægrotos*: Et hasce quidem virtutes in suprema Sanctorum turba divisas reperietis, an verò illas in alio quopiam, quàm in sancto Carolo simul adunatas deprehensuri sitis, valdè dubito. Et verò inter recensita à beato Laurentio Justiniano virtutum exercitia primum est *Mundum spernere*, quod qua ratione sanctus Carolus præstiterit, sub septimi Discursus Themate, nimirum: *Crucifixus mundo* legi sufficienter poterit. Secundum est *contemnere divitias*, quod qualiter practicaverit, vel ex eo solum constat, quod septuaginta scutorum millia annui census sponte propria renuntiarit; Item ex eo quòd uno die viginti scutorum millia, alio verò quadraginta duo millia scutorum in pauperes distribuerit. Tertium est, quod *Carnis petulantiam declinavit*, ad illud namque honestatis & pudicitiæ fastigium pervenit, ut ne quidem cum Domina Anna Columna sorore sua, nisi præsentibus duobus viris gravibus,

qui-

idque in publico loqui præſumpſerit. Quartum eſt: *Jejuniis macerare corpus*, quod pariter ſtrenuè executus fuit; ſiquidem famem ſuam vix ſufficienti pane ſedavit, & ſolam aquam bibit, frequenter etiam lupinis ſe ſuſtentavit, & ſtudendo manducare ſolitus fuit: Quintum eſt *frequentare vigilias*. Quis autem eſt, qui adindeſeſſam hujus Paſtoris vigilantiam pertingere poterit, de quo proinde Eccleſia Mediolanenſis ſponſa ejus dicere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat* Sextum eſt: *Orationi incumbere*, quod impræter miſsè præſtitit: *ita ut quadraginta horarum ſolemnibus precibus continuè perſiſtens in Jejunio & vigilia ſingulis horis ad populum admirabili patientia ſermonem haberet*, ſæpè etiam pro viſitationibus faciendis itinera faciens in extaſi viſus fuit. Septimum eſt, *Fraternitatem diligere*, quod nunquam prætermiſit, ſiquidem dilectionem erga proximos tanto eum zelo exhibuit, ut pro ipſis mortis ſe periculo evidenti ſæpius expoſuerit: *Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam quis ponat pro amicis*. Octavum eſt *Miſerorum calamitatibus compati*: in quo exercitio ſummè admirabilem ſe exhibuit, ſiquidem paterna erga pauperes compaſſione motus, omnibus rebus ſuis ſe exuit, uſque ad lectum proprium, qui licet nullius valoris erat, ſibi tamen ſubtractum inter pauperes diſtribuit, totumque palatium ſuum pretioſa, qua exornatum erat ſuppellectile, ſpoliavit. Nonum eſt: *Docere inſcios*; Quem virtutis actum frequentiſſimè exercuit, neque enim ipſemet doctrinam Chriſtianam montium arduiſſimorum, imò & alpium incolis, aliiſque ſimilibus rudibus hominibus tradere dedignatus fuit; omneſque Diœceſanos ſuos tanta cum ſolicitudine & cura erudivit, ut conſtans apud omnes ſui temporis opinio fuerit, vetulam aliquam Mediolanenſem in Doctrina Chriſtiana peritiorem, quam aliorum locorum Sacerdotes & Parochos. Decimum eſt: *Errantes revocare*, quod quam ardenti zelo præſtiterit, teſtari poſſunt tot perverſi & pertinaces quondam Hæretici, opera & labore ipſius ad Romano-Catholicam Fidem perducti, nec non & errabundæ & deviæ gregis ſui oviculæ per ipſum ad verum ovile ſuum denuò revocatæ. Undecimum eſt *Cibare famelicos*, id quod cæteri ab ejus exemplo facere docentur, ſiquidem famelico ori ſuo panem ſubtraxit, ut pauperes ſatiarentur; adeoque fame torquebatur aliena, ut de ſancto Baſilio dicebatur Duodecimum eſt: *Veſtire nudos*, quorum ipſe ſævæ illius peſtilentiæ tempore ad numerum ſeptuaginta millium noviter reveſtivit. Decimum tertium eſt, *Viſitare infirmos*; quis autem ſancto Carolo in hoc opere perficiendo perfectior fuit; ſiquidem is ipſoſmet quoque peſtiferos viſitavit, & ut perenniter infirmis ſubſidia ferret, Hoſpitale totius hæreditatis ſuæ hæredes inſtituit, multaque alia hoſpitalia variis in locis erexit, fundavit, atque dotavit.

15 *Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Porrò de Eccleſia ſponſa Chriſti, in cujus fœmore ſcriptum legitur. *Rex regum, & Dominus dominantium*. In hac omnium Sanctorum ſolemnitate dici poſſe videtur: *Adſtitit Regina à dextris ejus in veſtitu deaurato, circumdata varietate*. Etenim in hac colorum varietate ſtatuum denotatur diverſitas, in quibus ſancti & electi Dei omnes ingens illud meritorum & gloriæ lucrum ſibi præclare compararunt: *Redemiſti nos Domine Deus: ex omni tribu, lingua, populo, & natione; & feciſti nos Deo noſtro regnum*. In hoc quoque Sancto noſtro velut in limpidiſſimo ſpeculo omnes perſonarum ſtatus & conditiones ſe velut in ſpeculo conſiderare poſſunt, utpotè qui documentis, exemplis, operibus, virtutibuſque ſuis omnes vocationes ſanctificavit; ac proinde cum Sancto Bernardo dicere poſſum: *Gaudete in Domino dilectiſſimi, qui inter continua ſua pietatis exercitia induſit hominem mundo, cujus multi ſalvarentur exemplo*. Et quidem pueros in primis docet, ut depoſitis nucibus & ludis puerilibus, devotioni intendant. *Nec puerilis ætas ejuſdem ſanctitatis indiciis caruit: tempus enim quo vacare licebat, extruendis & exornandis altariolis magna cum voluptate dabat*: Juvenes quoque in magis lubrica ætate conſtitutos ſeductiones fugere docet, earumque loco in timore Dei vivendo, ſtudiis aſſiduo ſe occupare. *Creſcente ætate, quod bonam ejus mentem excellentioribus donis Spiritus ſancti in dies magis prepararet, Chriſtianis moribus & literis non difficile à piis parentibus non imbuitur; eminebant vero in adoleſcente præludia benedictionum, quibus dignatus eſt eum Altiſſimus, munditia cordis, pax interna, innocentia, & modeſtia, nec rebus ſolum, ſed etiam omnibus verbis turpibus, omnibuſque mendaciis abſtinebat*. Religioſos per exemplum aulicorum ſuorum docuit paupertatem, humilitatem, regularem diſciplinam, ciliciorum & jejuniorum auſteritatem, Divites miſericordiam erga pauperes: Magnates ſæculares in humanæ felicitatis ſupremo faſtigio conſtituros continentiam & temperantiam: Pauperes, patientiam: Artifices Mechanicos laborem: Eccleſiaſticos exemplaritatem, Epiſcopos paſtoralem ſolicitudinem: Cardinales Catholicæ Religionis zelum; denique ipſum in omnibus ſtatibus invenietis ſanctum, virtutumque & meritorum omnium Sanctorum, qui in cœlis ſunt, ſtrenuum æmulatorem. *Similem fecit illum in gloria Sanctorum*.

P. 44. 10. — Serm. 2. de S. Victore.

DE

S. MARTINO EPISCOPO ET CONFESSORE

Diſcurſus Quinque.

De Donis, Virtutibus, & Meritis, & Operibus S. Martini planè admirandis.

DISCURSUS PRIMUS.

O beatum virum! O virum ineffabilem! O beatum Pontificem!

1 SAncta mater Eccleſia per hæc repetita admirationis verba laudes & merita S. Martini pertractat: quia dum hanc interjectionem, O, ſæpius replicat, ipſumque virum ineffabilem eſſe declarat, ſignificare nobis intendit, quod quicquid de ipſo ſcriptum proſtat, meram in audientibus admirationem, ſtuporem & extaſim exciset. Sanctus Thomas de Villa Nova hunc Sanctum *quoddam monſtrum ſanctitatis, pelagus maximum virtutum omnium* appellat. Severus Sulpitius, qui ejus nobis vitam deſcribit, ſe multa ſtudiosè ſubticuiſſe profiteretur, ejuſque rationem reddit dicens. *Quia ſi proſequi univerſa voluiſſem, immenſum volumen legentibus edidiſſem*. Dionyſius Carthuſianus ſimiliter nobis innuit, quod quicquid de virtutibus factiſque heroicis S. Martini ſcriptum habemus, minima pars ſit, ſi cum iis, quæ nos latent, comparatio fiat. *Etſi facta S. Martini explicari verbis utcunque potuerunt; tamen interiorem vitam illius, & quotidianam converſationem, animumque ſemper cœlo intentum nullus unquam ſermo poterit explicare*. Undè meritò de ipſo exclamatur. *O virum ineffabilem!* Vir quidem appellatur, ſed protinus adjungitur, quòd ſit ineffabilis, quaſi dona meri-

Ser. 4. de S. Mart. Ep. — S. ad Euſ.

ta, virtutes, omniaque alia ipsius facinora, incredibilia prorsus & ineffabilia existant. S. Bernardus, qui S. Martino devotissimus fuit, toto conatu in id contendit, ut eum hominem verum ex eadem massa, è qua nos formati sumus, plasmatum esse probet: *Per omnia similis nobis planè, & sensibilis & passibilis*; id quod paulò post ulterius declarat dicens: *Non fuit cœleste corpus, sed nec spiritus quidnam cœlestis; rationale animal & mortale, terrigena, filius hominis in terra natus, & in terra educatus*. Per fidem vos vestram obtestor Auditores, ut dicatis mihi, si nostis, quidnam in eo lateat mysterii, quod vir adeo sapiens & prudens omne studium & industriam suam unicè in id adhibeat, ut scilicet nos ad credendum S. Martinum hominem fuisse, capaces efficiat? Scitisne causam cur id faciat? nimirum quia S. Martinus in operibus suis, in miraculis, donis, prodigiosoque vivendi modo conditionem & sphæram humanæ naturæ longè excedebat; ideoque puncti istius declarationem omnino necessariam esse censebat, ne fortasse mundus eum spiritum quendam in corpore assumpto cœlitus demissum esse crederet. Pergit autem dicendo: *Non erat Martinus Christus ipse, sed erat tamen Christus in ipso*. Verum enimvero ut in hoc Discursu nostro cum aliquali divisione procedamus, ejusdem Bernardi verbis utamur dicendo: *Dives est iste Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus*.

2 Et quidem in primis *Dives est in meritis*. Dici etenim potest ipsum omnia dona omnesque prærogativas participasse, quæ in aliis Sanctis divisæ, & dispersæ esse videntur, ac proindè singuli Sancti ipsum in Choros & Hierarchias suas certatim invitabant. Undè dicitur: *O beatum virum! cujus anima paradisum possidet: unde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat: Mane nobiscum*. Angeli sacrificiis ipsius fideliter assistebant, suasque Deo offerebant incessabiles preces, ab inimicis fidei mortem ei machinantibus strenuè tuebantur & defendebant, suamque illi opem promptissimam ad idololatrarum templa funditus evertenda alacriter deferebant, ipsumque veluti ipsis in innocentia & puritate morum persimilem, ut ipsorum hierarchiæ sese insinuaret, per humaniter invitabant. *Turba Virginum invitat*, eò quòd ipsarum esset in candore virginali simillimus collega; nam ut Severus Sulpitius de eo scribit: *Cum esset annorum duodecim, eremum concupivit*. In monasterio vitam solitariam austerissimam duxit, etiam dum actualiter Episcopus esset, suamque cellam in formam speluncæ seu specus alicujus in saxo escavatam habuit.

3 *Dives in meritis*. Quia si de Leviticis & Sacerdotibus agitur, de Martino quoque apertè dicitur: *Vivit in Christo gemma sacerdotum*; si de Episcopis sermo fit, de Martino canitur: *Sacerdos Dei Martine, Pastor egregie*; si de Confessoribus Ecclesia S. Martinum hoc præclaro titulo afficit: *Sancta Trinitatis fidem Martinus confessus est*, quam etiam fidem innumeros alios profiteri fecit. Si de Martyribus tractatur, Martinus etiam hunc sibi titulum gloriosissimum vendicat: *O sanctissima anima; quam etsi gladius persecutoribus non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*. Apostolorum quoque merita ipsi debentur, nam Odo Cluniacensis tractatum quendam composuit, cujus hic est titulus: *Beatissimus Martinus par dicitur Apostolis*. Et Sanctus Thomas de Villa Nova de ipso ait: *Cum teste Hieronymo, Apostolorum minimo nullus veniat comparandus, Ecclesia plenis, ut dicitur, buccis de Martino canit: Martinus par Apostolis*.

Bibl. Vet. PP. t. 3.

Serm. de S. Mart.

4 *Dives in meritis* Prophetarum ob varias ejus prædictiones & vaticinia. Dives quoque in meritis Patriarcharum, utpotè qui pater & institutor fuit multorum monasteriorum; undè beatus Laurentius Justinianus exclamat: *O beatum Pontificem, meritis locupletem; quem colit mundus, venerantur Angeli, cælum possidet, honorat Ecclesia*.

5 *Dives in meritis Sanctorum omnium*; siquidem omnes æmulatus est legis naturæ, scriptæ & gratiæ insigniores Sanctos: *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus*. Quodsi super Abelis sacrificium ignis de cælo descendit, super incruentum à B. Martino oblatum sacrificium in specie ignis descendit Spiritus Sanctus: *Dum Sacramenta offerret B. Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus*. Noemum quoque imitatus est, evadendum diluvium, in quo omnes alii submergebantur, ut proinde de ipso idem dici possit, quod Nazianzenus de Basilio Magno scribit: *Impietatis diluvium effugit, suamque civitatem arcam salutis effecit, in hæreticorum undis facilè & leniter supernatantem*; siquidem tametsi ab hæreticis progenitoribus natus fuerit, flagellum tamen non solum hæreseos, sed & idololatriæ subversio fuit. Abrahæ quoque merita sibi acquisivit. Undè S. Bernardus ait: *Obtulisti planè Isaac unicum illum, quem diligis, quod in se est, jugulasti, immolasti singulare gaudium pia devotione*. *Dives* itidem *in meritis* Sanctorum celebriorum legis Mosaicæ fuit. Et primo quidem loco Moysis merita adæquavit, eundem in renisu illo imitando, quo supremum in populum Israeliticum imperium acceptare detrectavit; siquidem & ipse valdè invitus, & quodammodo violenter Episcopus fuit electus. Imitatus est Eliam in Baalitici cultus destructione; siquidem innumera templa una cum falsis, quæ in iis colebantur, simulachris, funditus subvertit. Imitatus est Tobiam in multis operibus misericordiæ, quibus miro modo deditus semper fuit. Imitatus est Davidem in bonorum terrenorum contemptu. Fuit quoque *Dives in meritis* Sanctorum legis Evangelicæ, quia ex quo S. Joannes Baptista militibus salutare hoc documentum tradidit: *Estote contenti stipendiis vestris, neminem concutiatis*. Ecce tibi Martinum non solum aliena non auferentem, quamdiu in castris militavit, verùm etiam reportatis ab inimico spoliis, semetipsum destituentem, ut alienam contegeret nuditatem. Quodsi S. Paulus dicat: *Ter virgis cæsus sum*; quoties sanctus Martinus pro Christo percussus fuit & flagellatus? Quodsi Sanctus Petrus sola corporis sui umbra infirmos sanitati restituit; de Sancto Martino Alcuinus scribit: *Fimbrias vestimenti ejus, & fila cilicii multos sanare morbos compertum est*. Et Odo Abbas Cluniacensis sic ait: *De stramine, in quo Martinus jacuit, legimus frequenter factas fuisse virtutes; plus est sane vile stramen, absente Martino operari virtutem, quam umbram Petri (quod sine ejus præsentia non potuit fieri) præstare remedium postulanti, vel infirmanti*. In vita S. Mart.

6 *Dives in miraculis*; id namque ex iis, quæ diximus, necessario consequitur: at verò idem Odo subjungit: *Totus exclamat orbis Martino testimonium perhibens, plura eum signa fecisse, quam de aliquo unquam aliqua scriptura protestetur*. Undè etiam in quadam officii ejus Antiphona canimus; *O ineffabilem virum, per quem nobis tanta miracula coruscant*. A S. Pietro Damiano in quodam sermone de hoc festo vocatur; *Miraculorum potestate sublimis*. Severus Sulpitius de ipso scribit, *Curationum verò tam potens in eo gratia erat, ut nullus fere ad eum ægrotus accesserit, qui non continuò receperit sanitatem*. Odo Cluniacensis de alia quadam doni hujus circumstantia testimonium perhibet dicens: *Contigit nonnunquam eo festinante ad visitandum ægrotum aliquem, priusquam medietatem confecisset itineris, advenientis virtutem sensisse ægrotum, obviam venienti processisse incolumem*. S. Bernardus de ipsius miraculis ita scribit? *Suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum legerat Salvatorem suscitasse: reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Evasit divina virtute pericula, propriis corporis obice flammas repulit, immanem sacrilega machina molem columna pariti e cælo descendente prostravit, leprosum mundavit osculo, oleo paralyticum curavit, dæmones vicit, Angelos vidit, futura prævidit*. Enimverò aliud quoddam hoc loco miraculum mihi adjungere liceat, nimirum quod cum parentibus esset paganis progenitus, militiæque sacramento Juliano apostatæ implacabili Christi persecutori obstrictus esset, nihilominus, ut notat Alcuinus, *specialiter electus est, ut vexillum sancta Crucis occiduas orbis portaret in partes, & militia sacramenta Evangelicis mutaret edictis*. Quapropter à Juliani apostatæ insignibus Deus illum elegit, qui victurus & subversurus erat sacrilegi illius tyranni ingentes machinas, quas in totalem fidei & religionis orthodoxæ Catholicæ perniciem & subversionem erigere parabat.

7 *Dives in virtutibus*. B. Laurentius Justinianus ait: *Per bonorum operum quotidie incrementa proficiens coram Deo & hominibus, factus est magnus*. De Sancto Joanne Bapti-

Baptista quidem legimus, quòd ab Angelo dicatur futurus *Magnus coram Domino*; at verò Sanctus Martinus dicitur *Magnus coram Deo & hominibus*: siquidem cum ipsimet quoque venerabantur Imperatores Imperatrix quoque veluti Sanctæ Marthæ æmula facta, se magnoperè honorari censuit, dummodo mensæ ipsius inservire ei indulgeretur. Tritissima sunt illa Sancti Augustini verba: *Quantum quisque vult & disponit superimponere molem ædificii, quantò erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum*; ac proindè ex quo moles virtutum Sancti Martini ad cœlum usque exaltanda fuerit, ideò profundissimè jacitur humilitatis suæ fundamentum: Unde Sanctus Thomas de Villa Nova de eo scribit: *Super omnes ejus virtutes humilitas magis resplenduit*. Alcuinus de ipso scribit; *Humilis in habitu, jucundus in sermone, devotus in prædicatione, verax in judicio, venerabilis in moribus, pervigil in orationibus, assiduus in lectione, pius in affectu, honorabilis in ministerio sacerdotali, infatigabilis verbi Dei seminator*. Imò omnes sancti patres, qui post ipsum vixerunt in acumulandis rararum virtutum suarum elogiis inter se concertare videntur. Et quidem Beatus Laurentius Justinianus paulò antè dicta prosequitur dicens; *Veritatis defensor, propugnator fidelium, justitiæ tenax speculum humilitatis, pietatis exemplum, religionis cultor, contemptor sæculi, amator cœli, imitator Christi, orationis forma, decus continentiæ*. Hæ autem virtutes omnes super basi humilitatis, & fundamento contemptus suiipsius magna dum stabilitate tuffulciebantur. Enimvero huic suiipsius contemptui adeo vehementer deditus erat, ut quo tempore in Episcopum viva voce acclamatus fuit, nonnulli, adversus electionem hanc se opponentes insurrexerunt dicentes: *Contemptibilem esse personam, indignum Episcopatu, hominem, vultu despicabilem, veste sordidum*; at verò, ut Severus Sulpitius refert, hi non intelligebant quid dicerent; siquidem hisce oppositionibus & exceptionibus Martini electionem non retardabant, sed promovebant & adjuvabant: *Dum vituperare cupiunt, prædicabant*. Porrò in Episcopatu *eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu ejus vilitas erat; atque ita plenus authoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem, ut non tamen propositum Episcopi virtutemque desereret*. Festiva illa gaudia, applausus & triumphi, quibuscum ab universa cœlesti curia post ejus transitum ex hac vita receptus fuit, Beatus Laurentius Justinianus humilitatis ejus remunerationem fuisse agnoscit, dum ait: *Eò namque gloriosius cum Beatorum jubilatione ingressus est in cœlum, quo humilius per sancta conversationis studium emicuit mundo*. In omni quoque actione Deo conjunctissimus fuit: *Oculis ac manibus in cœlum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat*. Severus Sulpitius de eadem re ita scribit: *Nunquam hora ulla momentumque præteriit, quo non aut orationi incumberet, aut si quid aliud fortè agebat, nunquam animum ab oratione laxabat, nimirum ut fabris ferrariis moris est, qui inter laborandum pro quodam laboris levamine incudem suam feriunt; ita Martinus etiam dum aliud agere videretur, semper orabat*. Contemptus, quem de semetipso habebat, generosior aut magis heroicus esse non potuit: *Quantum in ipso fuit, omnes virtutes suas latere voluisset*. Dum aliquando rheda seu biga quædam militibus plena Sancto Martino occurreret, accidit quod equi ex ejus aspectu perterrefacti cursum suum stiterint, undè milites eum non cognoscentes, & rem hanc Martino procurantem factam fuisse arbitrantes, sævis ipsum ceciderunt verberibus & plagis, velut mortuum deserentes; ipse verò ut injurias & verbera illa patiendi occasionem sibi non amputaret, quis esset, non manifestavit: tandem vero ipsum agnoscentes, ad ejus se pedes cernuos prostrarunt, veniam enixè ab eo postulantes; siquidem sanctitas ejus etiam apud perfidos & impios in veneratione erat. Eo tempore, quo etiamnum miles erat (inquit Sanctus Thomas de Villa-Nova) ne natalium suorum insignis nobilitas innotesceret, *Famulo suo vicissim ipse serviebat, omni hoc studio continuo agebat, hoc solum quærebat, ut despiceretur ab omnibus*. Idemmet Sanctus Archiepiscopus Valentinus laudes Sancti Martini prosequens, virtuosum quoddam certamen ponderat, quod Deum inter & Sanctum Martinum in-

Sev. Sulpit.

Mansi Prompt.

tercessisse dicit: *Conabatur Martinus humiliare se, & Deus illum exaltare, Martinus se dejicere, & Deus honorare; Martinus abscondere se, & Deus publicare: sed vicisti Domine (ut par erat) & renitentem obsistentemque in populis gloriosum fecisti*.

8 *Dives etiam in virtutibus erat*, si charitatem ejus consideremus, siquidem *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Neque enim se pro salute gregi sui morti tantum exposuit: verum etiam paratum se esse ostendit, ut animam suam, ut ita dicam, perditionis periculo in beneficium proximorum suorum exponeret: cùm enim jam navigationis vitæ suæ portum (liceat mihi ita loqui) id est, cœlum jamjam ingressurus esset, nihilominus si salus aliorum id exposceret in tempestuosi hujus maris periculosissimas procellas denuò redire non abnuit, dicens: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua*.

9 *Dives in virtutibus*. Siquidem admirabilem quandam indifferentiam, voluntatisque suæ cum divina plenissimam conformitatem in se semper exhibuit. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Nemo eum unquam vidit iratum, nemo ridentem, nemo mærentem, unus idemque semper*. Magnam pariter virtutem in se ostendit in sustinenda cum decore convenienti Episcopali sua dignitate, pectusque verè Apostolicum sibi præsto esse probavit, dum pro defensione Ecclesiæ suæ ipsis quoque Monarchis se opponere minimè dubitavit: *Nunquam pertimuit summos Reges atque Imperatores vel reprehendere si errassent, vel admonere salutis*. Cum Imperatore etiam eidem mensæ accumbens, sacerdotem suum Imperatoriæ majestati antepoluit. *Quod factum Imperator, omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt; ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret*. S. Petrus Damianus mentionem facit famæ sanctitatis suæ, ad quam pervenit: *Crevit in immensum fama nominis ejus, & ausa est in ipsam Apostolicam irrumpere dignitatem, ubicunque resonat fides Christi, sonat vita Martini*. At verò quid longè excellentius de eo Dionysius Carthusianus dicit, nimirum quòd supernus remunerator eum: *Tantis excellentiis decoravit, ut magnitudo rerum fidem excederet*.

Judocus Clich. ser. de S.Mart.

Sever. Sulp

Serm. 3.

10 Absit autem quòd ex ejus miraculis aliquam salutis nostræ patiamur jacturam. Et ideo idem Bernardus postquam dixisset: *Dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus*; statim subjungit: *Diligenter considera quæ apponuntur tibi, quædam videlicet ad admirationem, quædam vero ad imitationem*. Neque enim miraculis ei æmulari possumus, virtutibus autem omninò. Porrò S. Martinum in tribus statibus valdè inter se differentibus, Monachi scilicet, Episcopi, & quod plus est, militis sanctum fuisse invenimus. Angelicus Doctor in quodam sermone de S. Martino loco thematis hæc Esdræ verba sibi assumpsit: *Scidi pallium meum, & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mærens*. In castris Juliani tanquam miles constitutus *scidit pallium suum*, ut eodem nudum quendam pauperem contegeret; quæ actio maximæ virtutis & meriti extitit, prout in Discursu quinto fusiùs videbimus: siquidem per illam actionem se non militem, sed Episcopum esse probavit; & quidem Episcopum illis qualitatibus imbutum, quas S. Paulus in Timotheo requirebat, dum ita ad eum scribit; *Labora sicut bonus miles Jesu, sectare justitiam, pietatem, fidem charitatem, patientiam, mansuetudinem, certa certamen fidei, apprehende vitam æternam*. *Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum, assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos; in armis triennium ferè ante baptismum fuit, integer tamen ab illis vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet*. Neque enim solùm piece se contaminari non permisit, verùm etiam candidum se & purum instar columbæ cujusdam conservavit. *Evelli capillos capitis mei*: siquidem in monasterio vitam planè exemplarissimam duxit, utpotè qui cunctis Monachis velut quoddam religiosæ observantiæ & disciplinæ speculum fuit. *Sedit mærens*, quando ad dignitatem Episcopalem promotus fuit omninò invitus. Etenim civis quidam conjugem suam ad-

2. Tim. 2

2. Tim. 6.

Sev. Sulpit.

mortem usque infirmam esse fingens, hac ratione ut ad eam visitandam foras è monasterio egrederetur, Sanctum Martinum induxit: *Ita dispositis in itinere civium turbis, sub quadam custodia ad civitatem usque deducitur*. Ecce tibi modum & mirabile stratagema, per quod, violentia quadam adhibita, Episcopus factus fuit.

11 *Quadam ad admirationem*; quod est ultimum Sancti Bernardi punctum. Albertus Magnus in sermone de hoc festo ita de ipso scribit: *Ipse virgo creditur permansisse, propter quod de triplici aureola gaudet in cœlis: aureolam Virginum defert; quia in virginitatis pudore decessit, habet etiam Prædicatorum aureolam; quia verbum Dei prædicavit, & ipsam matrem suam, necnon multos alios à gentilitatis errore convertit: Martyrum quoque aureola non est frustratus, nam & de eo sic cantatur: ò sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit*.

Considerantur varii modi, quibus Sanctus Martinus Martyr vocari potest, licèt suum pro Christo sanguinem non fuderit.

DISCURSUS SECUNDUS.

O sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

1 EXimiis præclarisque insignis Pontificis hujus prærogativis nulla alia gloria deesse videbatur, præterquam victoriosa Martyrii palma; atque ideo sancta mater Ecclesia Spiritu veritatis illuminata nos veluti certificat ipsum hac aureola nequaquam fuisse privatum, dum ait: *O sanctissima anima, &c.* Porrò sanctus Chrysostomus ait: *Est ex nudis nominibus copiosum haurire thesaurum, quia plurium rerum indicativa sunt nomina*. Ac proindè non desunt authores, qui ad hujus nominis, Martinus, ethymologiam se reflectentes, illud à Marte derivari existiment, eo quod in juventute sua Martis quoque insignia fuerit secutus; nihilominus denominationem illam à verbo *Martyr* (prouti eruditus quidam scriptor optimè observat) proficisci credo, adeo ut *Martinus* sit idem quod *Martyr unus*. Nescio an aliquando observaveritis Deum denominatum fuisse *Deum Isaac*, sancto hoc Patriarcha etiamnum vivente, quod aliis sanctis Patriarchis accidisse non constat, nisi post ipsorum mortem. Scitisne quodnam sub hac te lateat mysterii? Pro dubii hujus resolutione quoad personam Isaac reflectendum est, quod tametsi is eo tempore, quo Deus illum sic honorabat, etiamnum viserit, eadem tamen fuerit privilegia prometitus, quæ alii dudum ante ipsum defuncti: siquidem quantum ipsum spectabat, is ad mortem subeundam semper fuit dispositissimus; jam enim Abraham ad ipsum jugulandum mucronem suum extento brachio ad cædendum levaverat. Id quod etiam de sancto Martino dici posse videtur: quia tametsi machæra aut gladio mortuus aut jugulatus non fuerit, veruntamen quot vicibus evidentissima non subiit pro fidei defensione mortis pericula? *Meritò itaque Sancto huic* (inquit beatus Laurentius Justinianus) *martyrii non est deneganda corona, qui Ecclesiarum curam gerens, ac proximorum salutem zelans, nec mori timuit, nec vivere recusavit*. In tot enim persecutionibus adversus eum ab iis idololatris, hæreticis, aliisque omnibus pessimè viventibus suscitatis, quos tanquam oves errantes ad ovile Ecclesiæ salvas reducere satagerat, omni quasi hora ad mortem subeundam paratus esse debuit. Equidem tametsi martyrium re ipsa per sanguinis effusionem non subierit, multa tamen cum morte proximè conjuncta frequentissimè subire coactus fuit. In primis enim ab Auxentio Mediolanensi Archiepiscopo Ariano, & sectæ illius acerrimo defensore in exilium ejectus fuit. Prætereà pluries in religionis Catholicæ ignominiam & contumeliam in fœtidos carceres conjectus fuit; deindè cum magna ignominia publicè flagellatus, & ad mortem usque percussus fuit, quam ipsi non semel tantùm, sed pluries à paganis & hæreticis machinatam fuisse novimus, adeoque ut mortem evaderet, cœlestes quosdam nuntios, qui ipsum animarent, ad eum submittere necessum fuit, præterquam quod etiam alias sæpè præservatus à morte fuerit per miraculum; adeoquè tametsi martyrium ipsi defuerit, non tamen ipse martyrio. *Quomodo martyrii gloriam ipsum non habere censendum est* (loquit Beatus Laurentius Justinianus) *qui flagrans amore martyrii pro fidei testificatione Catholica, terrenorum Principum nec expavit potentiam, nec hæreticorum sævitiæ cessit, quin constanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores?* Odo Cluniacensis de ipso scribit: *Per effusionem sanguinis Martyr non fuit, nisi quod tota vita ejus martyrium fuit*. Suprà quòque in Discursu de Sancto Carolo hanc citavimus Sancti Gregorii sententiam, dicentis: Bonus pastor, & talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest Martyribus; & ratio quam adferi, hæc est, siquidem Martyr semel propter ipsum moritur, hic verò millies propter gregem. Id quod in zelosissimo hoc Pastore adimpletum fuit, qui sæpius lupis se cum evidenti mortis periculo opposuit. Imò quod plus est, postquam à discipulis suis ei dictum fuisset: *Cur nos pater deseris? aut cur nos desolatos relinquis? invadent enim gregem tuum lupi rapaces*. Sanctus Pastor tametsi jam pedem (ut ita dicam) ovili cœlesti intulisset, attamen ob gregis sui amorem denuò luporum se faucibus intromittere paratum esse respondit: *Non recuso laborem*. Iterata igitur vice audax & generosus ingressus est in medium flammarum, atque humeros suos ad excipiendam proceræ & immensæ quasi arboris cujusdam ruinam & præcipitium exposuit. Similiter cum in alia quadam occasione temerarius quidam idololatra ad eum feriendum gladium strinxisset, confestim sine turbatione aliqua pallium suum ab humeris suis deposuit; nudumque collum homicidæ cædendum porrexit; mox verò ut impius ille brachium extendisset ad ictum, divina virtute retrorsum cecidit: alteri quoque homicidæ eum ferire volenti gladius in terram e manibus dilapsus est, & disparuit. *Contempsit Sanctus hic fugam* (inquit Beatus Laurentius Justinianus) *malens gloriosè occumbere, quam ex passionis metu humaniter occultari: toties igitur martyrii promeruit palmam, quoties se inimicis fidei disputando opposuit*. Quod si verum est, sequitur infallibiliter, quòd cùm innumeris vicibus ad confutandos hæresum & paganismi errores se opposuerit, evidentique expositus fuerit periculo mortis, *cum innumeris comparari poterat Martyribus*. Severus Sulpitius, qui ei intimus & familiarissimus fuit, ita de eo scribit: *Licèt ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloria tamen Martyris non carebit; quia voto & virtutibus & potuit esse Martyr, & voluit; quodsi ei Neronianis Decianisque temporibus, in illa quæ tunc extitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli & terræ, sponte equuleum ascendisset, ultrò se ignibus intulisset*. Epist. 2. ad Aurel.

a *Palmam tamen martyrii non amisit*. S. Augustinus ita scribit: *Pervenitur non solum occasu sed etiam contemptu carnis ad coronam. Absque injuria Sanctorum in persecutionibus defunctorum dicere liceat carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse de mundo triumphasse pars magna martyrii est*. Cupitisne videre qualisnam triumphantis hujus athletæ armatura fuerit? Alcuinus ait: *Fidei armatus galea, & lorica justitiæ accinctus, gladio verbi Dei armatus*: at verò adversus quem pugnavit? aut contra quem reportavit victoriam? contra seipsum decertavit, de seipso victor evasit; sævissimus etenim qui ipsi prosternendus erat, corpus ejus fuit, ideoque asperis illud maceravit ciliciis: *Decumbebat in cinere & cilicio, tantam abstinentiam in cibo & potu servavit, ut esum carnium a se prorsus abdicarit, vinum etiam in potum repudiavit abstemius, aqua sola usus solitus: proinde admirandum est, unde irrepserit illa prava consuetudo, imo insania inter Christianos, quod in vigilia Sancti Martini ita se vino ingurgitent, & cibo obruant, quasi vo-*

Gen. 24. ... (margin notes: Gen. 24. et seqq.; Ser. 29. ad Rom.; Serm. 2. de Mart.; In vita S. Mart.)

si volentes crapula & ebrietate colere Sanctum, qui assiduis jejuniis & omni abstinentia placuit Deo. Alcuinus in quodam sermone, quem super transitu ipsius habuit, refert: *Cum à discipulis rogaretur, ut stramenta sub se faceret poni, vi febrium per aliquot dies laborans: Non decet, inquit, filii, non decet Christianum, nisi in cinere & cilicio mori*. Semel tantum in die manducare solebat, idque circa vesperam; vestitus ejus ex panno valdè hispido confectus erat, supraque nudam terram semper ferè somnum capiebat: *Implevit sine cruore martyrium, nam quas ille pro spe æternitatis humanorum dolorum non* Sev. Sulp. *pertulit passiones? fame, vigiliis, nuditate, jejuniis, opprobriis invidorum, insectationibus improborum, cura pro infirmitatibus solicitudine pro periclitantibus? quo enim ille dolente non doluit? quo scandalizante non ustus est, quo pereunte non gemuit?* affligebatur interius non solùm per actus mortificationis voluntariæ, & exterius per macerationes, & alias rigorosas austeritates; verùm etiam pro alienis miseriis atque peccatis impensè dolebat: *Libidinem superasse pars magna martyrii est*. Et quidem quoad hoc martyrii genus attinet, B. Laurentius Justinianus hoc eum præclaro epitheto honorat, quo ipsum vocat *Deum continentiæ*. Post mortem quoque ejus corpus luminosum & clarum tanquam vitrum omnibus visum est esse: *Carne quoque monstratus est gemma sacerdotum; caro, quam semper cinis contexerat, resplenduit*; id quod manifestum virginalis puritatis suæ indicium fuerat: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate*; Similiter ad imitationem Apostoli *castigabat corpus suum*, & tanquam miles validissimus *pugnabat, non aerem verberans*; & meritò, Serm. 215. de temp. quia, prout idem sanctus Augustinus advertit: *Inter prælia Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi continua est pugna, & rara victoria*. Et quidem in signum hujus ab eo reportatæ victoriæ virginalis ipsius anima à sanctarum Virginum choris certatim delata est in cœlestem paradisum: *Turba Virginum invitat: Mane nobiscum in æternum*. *Avaritiæ restitisse pars magna martyrii est*. Beatus Laurentius Justinianus de ipso testatur, quod *Temporalium egestatem non timebat; cum divitias secum haberet, perpetua inopia abundabat*. Dum militiæ cingulo etiamnum accinctus esset, non solum dona omnibus aliis fieri solita accipere renuit, verum etiam chlamydem suum militarem per medium divisit, ut ea præ frigore tremulum nudumque pauperem contegeret; alia quoque vice subteriorem suam tunicam dexterè exuit, ut alteri quoque pauperi subveniret, solis vestibus sacerdotalibus remanens amictus, quibus vestiri solebat, quando in procinctu esset ad celebrandum, & per hanc rerum suarum adeo spontaneam abdicationem, nomen hoc sibi comparavit, quo vocabatur *Martinus pauper & modicus*; cui titulo proindè sancta mater Ecclesia subjunxit sequentia, nimirum *Cœlum dives ingreditur*. *De mundo triumphasse magna pars martyrii est*. Idem Justinianus de eodem hoc nostro Pontifice ait: *In ipso ætatis suæ primordio contemptor factus est mundi*. Cunctos pedibus suis substravit respectus humanos, mundum calcavit, quando chlamydis suæ medietatem subtraxit, illam cum uniuscujusque divisa dividendo, prout suo loco dicetur: *Se dejiciebat in prosperis, seque in honoribus deprimebat, non in Pontificali gloriatus est infula, idem perseveravit in gestis, in vilitatis habitu, in sui contemptu, cum in oculis omnium honorabilis esset sibimet habebatur vilis*.

Hom. 22. in Luc. 3 *Palmam martyrii non amisit*. Sanctus Gregorius ait: *Esse Martyres possumus, etiamsi nullo ferro percutientium trucidemur*. Demum verò modum quo id fieri possit, declarans, subjungit: *Mori quippè à persequente martyrium in aperto opere est, ferre vero contumelias, odientem diligere martyrium est in occulta cogitatione*. Dionysius Carthusianus in serm. 1. de hoc festo, de patientia hujus sancti Præsulis tractans, dicit: *In hoc quoque maxima ejus patientia rutilavit, quòd cum sibi præ omnibus Clericis molestiorem & inimicitiorem, videlicet Bricktium obtinuit à Deo suum esse in Episcopali munere successorem*. Assassino cuidam, qui in procinctu erat, ut necem ei inferret, lumen & agnitionem suiipsius

Mansi Prompt.

talem à Deo impetravit, ut relicta vita priori religiosum statum sibi deligeret. Porrò historia vitæ ejus hanc mansuetudinis virtutem hisce pauculis verbis exponit: *Nulli malum pro malo reddens, tantam quippe adversus omnes injurias potentiam assumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis læderetur, nemo unquam illum vidit iratum, nemo commotum*.

4 *Palmam martyrii non amisit*. Sanctus Petrus Damianus in serm. 1. de Sancto Apollinari ait: *Vis autem adhuc apertius discere, qualiter in pace sancta Ecclesia valeas martyrium subire? Ascende tribunal mentis, teipsum pertrahe ad judicium quæstionis; cogitatio accuset, animus judicet, pœnis conscientia velut carnifex feriat, lachrymarum rivus velut vulnus erumpat; sic, sic per martyrii similitudinem ad veram pervenias martyrii dignitatem*. Porrò hoc martyrium S. Martino familiare & quotidianum fuit, prouti ab immaculata conscientiæ suæ puritate evidenter deduci potest; siquidem in ipso particularis judicii sui momento nullum fuit circa ipsum institutum examen, aut formatus processus, nec ullum demeritum ponderatum, eò quod in vita perfectè adimplesset illud Apostoli consilium: *Si nosmetipsos judicaremur, non utique judicaremur*. Sanctus quippè Præsul in novissima mortis suæ hora hisce tartareum hostem verbis est allocutus: *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies*. Notate dictionem illam *nihil*; cùm tamen alias certum sit, quòd *nemo mundus à sorde*.

Sancto Martino, qui gemma Sacerdotum appellatur, duodecim gemmæ rationali summi Sacerdotis insertę adaptantur.

DISCURSUS TERTIUS.

Martinus Episcopus migravit à sæculo, vivit in Christo gemma Sacerdotum.

1 PLane mysticum est epithetum illud, quo Sancta mater Ecclesia S. Martinum honorat vocando illum gemma Sacerdotum. Ipse etenim in tribus variis statibus & vocationibus in spiritu & perfectione Christiana vitam suam traduxit, nimirum in statu militis, Monachi & Episcopi. Et quidem Sanctus Bonaventura de ipso ait: *Bonus fuit in statu militari, melior in habitu monachali, sed optimus in cathedra Pontificali*. Porrò à primis ætatis suæ annis, magnam quam erga functiones Ecclesiasticas habebat Sev. Sulp. inclinationem detexit: *Animus circa monasteria, aut circa Ecclesiam semper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod postea devotus implevit*. Dionysius Carthusianus serm. 3. de hoc festo in ejus laudem scribit: *Ipse erat splendidissimum lumen Ecclesiæ, decus omnium Præsulum, gemma gratissima sacerdotum*. Sanctus Petrus Damianus consimili eum encomio pariter honorat, dum ab illo vocatur: *Sacerdotum gloria, gemma Pontificum, Clericorum forma*. Verum quodnam in eo mysterium, quod Ecclesia Sanctum Martinum Gemmam sacerdotum appellat non pariter declaret, de quanam gemmæ specie idipsum intelligat, sed indefinite dicat: *Vivit in Christo gemma sacerdotum*. Rationem hanc esse existimo, quia de quacunque gemma præconium hoc Sancto Martino ab Ecclesia impositum intelligatur, omnes in magni hujus sacerdotis Rationali exsculptas inveniemus. Neque Ecclesia ornamenti istius mentionem causaliter fecit, siquidem ipsamet æterna sapientia gemmas præscripsit, quæ Aaronem adornare debebant; omnes autem paludamentum Episcopale, seu potius animam Sancti Martini mirè condecorarunt: *Pones in eo quatuor ordines lapidum, in primo versu erit lapis Sardius & Topacius & Smaragdus; In secundo Carbunculus Saphyrus & Jaspis; In tertio Ligurius, Achates & Amethystus, in quarto Chrysolitus Onychinus & Berillus*, hæ autem gemmæ omnes, variatum denotabant or-

namenta virtutum, quibus adornandus est summus sacerdos, & consequenter omnes alii, quotquot altissimo illi ministerio consecrati existunt: *Hæc positio diversarum gemmarum in Rationali multiplicem variarum virtutum gratiam ostendit, quæ concordi serie in corde sacerdotis debet semper apparere.*

Corn. à Lap.

2 *Sardius* est prima gemma coloris sanguinei & ignei, & *Fervidam significat doctrinam; & pro ea martyrium.* Ita interpres quidam modernus exponit. Porrò quod sacerdotio semper conjuncta esse debeat scientia, ex eo satis apertè colligitur, quod Spiritus sanctus nobis per Malachiam Prophetam indicat: *Labia sacerdotis*

Cap. 2. 7.

custodiunt scientiam; voluitque Deus insuper ut in eodem Rationali Pontificio hæc duo verba includerentur: *Doctrina & veritas*, idque ut S. Hieronymus super Malachiam scribens ait: *Ut discamus sacerdotium doctum esse debere & præconem Dominicæ veritatis.* In S. Martino igitur sanctitas cum præclara doctrina conjuncta

Sev. Sulp.

inventa fuit; *Jesum testor* (sunt verba veridici ejus discipuli) *me ex nullius unquam ore tantum scientiæ, tantum ingenii, tam boni & puri sermonis audisse*, quod ardorem & desiderium Martini attinet, quo cor ejus continuò ardebat, jam de eo in Sermone præcedenti fusius dictum fuit.

3 *Topazius omni colore resplendens*, inquit Carthusianus, erat secunda gemma, eumque agnoscit symbolum fuisse charitatis, *quæ omnes virtutes virtualiter comprehendit.* Et hæc quidem una est ex illis dotibus, quam anima aliqua præ omnibus aliis vel maximè ambire debet, quando ad sacros ordines ascendens desponsatur Christo. Quando Salvator noster S. Petrum summum sacerdotem declaravit, trinies eundem quoad charitatem hanc exquisitè examinavit. Ac proindè in quo gradu ignis iste in corde sancti Martini exarserit ex Antiphona ad Magnificat in secundis vesperis cantari solita facilè arguere licet, in qua dicitur: *O beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum.*

4 *Smaragdus semper viret, & significat virginita-*

Corn. à Lap

tem. Et hæc gemma in Apocalypsi capit. 22. Sancto Joanni attribuitur, qui virgo fuit. Pierius Valerianus scribit: *In re venerea si quis lapidem hunc attingat, spontè frangitur*, id quod Alphonso Quinto Lusitaniæ

Hierog. 41

Regi accidisse fertur. Hoc enim castitatis & pudicitiæ monile coronæ sacerdotali per maximè necessarium est. Thomas Cantipratensis de sancto quodam Galliarum

Lib. 2. c. 30. n. 31.

Episcopo refert, quod cum vultu esset speciosissimo, Regina eundem ad consentiendum inhonestis illius desideriis exstimularit, qui tamen torvo illam oculo respiciens generosa repulsa eandem à se abegit; ac proindè Deo ita disponente factum est, quod oculus iste etiam post mortem Episcopi, æquè clarus, serenus ac pulcher post mortem permanserit, sicut in vita ejus fuerat. Num fortè simile in sancto Martino virginalis candoris ejus testimonium desideratis, audite Dionysium Carthusianum hac de re ita loquentem. *Statim corpus ejus sanctissimum instar corporis glorificati resplenduit, vitro purius, lacte candidius, vultus, ejus luce*

Serm. 2. de S. Mart.

clarior radiabat. Albertus Magnus quoque de ipso scribit: *Animam ejus emigrantem Beata Virgo Maria suscepit, cum virginum choris; Præterea cum mortuus esset, caro ejus mirabili splendore refulsit; hæc omnia castitatis ejus argumenta fuerunt.*

5 *Carbunculus*, Glossa interlinearis ait: *Qui nocte lucere dicitur, & circa se omnia illustrare.* De hoc autem mystico Carbunculo nostro asserere possumus, quod tenebras non solum animarum pastorali curæ ipsius commissarum, sed etiam & multo amplius hære-

Isa. 9. 2.

sis & infidelitatis tot populorum illustraverit, ut de illis dici possit: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Quot Idola dejecit? quot templa prophana destruxit? *Plerumque contradicentibus sibi rusticis, ne fana eorum destrueret, ita prædicatione sancta Gentilium animos mitigabat, ut luce eis veritatis ostensa, ipsi sua templa destruerent.*

6 *Sapphyrus*, qui ut Interlinearis ait: *sereno cœlo similis existit.* Alius quidam Interpres ait: *Cœlestis*

Corn. à Lap.

Coloris: & aureis punctis collucet: significat eos qui corpore in terris, mente & vita in cœlis versantur. Hæc gemma, sive virtus illa ministris sacris optimè convenit, de quibus Areopagita ait: *Qui sacerdotem*

D. Eccl. Hierar. c. 1

dicit, augustiorem prorsusque divinum insinuat virum. Sanctus Augustinus tonsuræ clericalis mysterium nos edocens ait: *Caput radere significat cogitationes terrenas & superfluas a mente resecare.* Porrò sanctus Mar-

To. 9. tr. de Contem. fac.

tinus in veritate cum Apostolo dicere potuit: *Nostra conversatio in cælis est. Oculis ac manibus in cælum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Unde divitias, honores, aut quicquid dare mundus potest, nihil æstimavit, utpote pauper & modicus.

7 *Jaspis gemma firmissima & virens, Smaragdo si-*

Cor. à Lap

milis, significat fortitudinem fidei. Sacerdotibus, utpotè fidei zelotibus, incumbit, ut ferrum apprehendant ad illam defendendam, & resecandas urticas, spinas, omnesque alias malas herbas, quæ vineam Christi, id est, Ecclesiam, ejus sterilem efficiunt.

Jerem. 1. 18

Unde sacerdoti dicitur: *Dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, ne formides à facie eorum.* Sacerdotes debent esse sicut canes molossi, qui ad gregis custodiam ponuntur, ut ab illo lupos procul arceant. Quisnam vero est cui ex hoc capite ignota esse possit invicta sancti Martini constantia? Meritò igitur discipuli lupos non nisi post mortem ejus timebant, sciebant, enim hunc Pastorem quoad viveret, sola sua præsentia eos sufficienter abacturum esse: *Invadent enim gregem tuum lupi rapaces:* adeo enim validus Ecclesiæ athlas fuit, ut in sustentaculum fidei periclitantis ipsis quoque Imperatoribus sese generosè opponere non formidaret. *Non formidabat Imperii principa-*

Sev. Sulpit.

tum. Cum adversus perfidiam sacerdotum solus pene acerrimè pugnaret (de sacerdotibus idololatris loquitur) *multisque suppliciis esset affectus.*

8 *Ligurius.* Per hanc autem gemmam aliqui Hyacinthum intelligendum esse dicunt, ita enim docet Sanctus Hieronymus in cap. 21. Apocalypseos. Dionysius Carthusianus autem dicit, per hanc gemmam significari stabilitatem. Salmeron in ingressu oraculi *sculpsit in eis picturam Cherubim*, id est, in portis, *& palmarum species.* Per hosce autem Che-

3. Reg. 6. 32

rubim intelliguntur sacerdotes, qui multis in locis Angeli nominantur, qui etiam Cherubini dici possunt, propter scientiam, siquidem: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam*, at vero doctrina & vita Angelica nequaquam sufficit, nisi etiam adsit perseverantia & stabilitas in operibus bonis, cujus symbolum palma est; unde sanctus Gregorius ait: *Palma tardè proficit, sed diu in viriditate subsistit.* Hoc

L. 19 Mor. c. 16.

autem perseverantiæ donum in sancto præsule nostro prorsus admirabile fuit. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Tanta fuit stabilitas cordis sui in Deo, quod nemo unquam vidit eum iratum; unus idemque semper.* Et in serm. 3. ita scribit: *Episcopatu assumpto sic Episcopale explevit officium, ut propositam vitam, & habitum Monachi nequaquam relinqueret.*

9 *Achates.* Idem Dionysius super Exodum; per hanc lapidem virtutem intelligit liberalitatis & quidem huic gemmæ hanc attribuit proprietatem, quod scilicet. *Dicatur augere divitias, per quam liberalitas denotatur.* De sancto Martino legimus quod in hac vita pauper esse voluerit: *Martinus pauper, & modicus, at vero Cælum dives ingreditur.* Porrò liberalitas erga pauperes, virtus quædam est, quæ Ecclesiasticis specialiter reccommendatur: quid mysterii in eo latere existimatis, quod inter alios ritus & cæremonias, quæ ab Episcopo exercentur, Episcopi ante altare opulentis se vestibus Pontificialibus induant, iidemque pariter sese ante idem altare denuò exuant? nimirum per hanc cæremoniam denotatur, quod divitiæ & census annui, qui ab altari proveniunt, super altari pariter relinquendi sint, id est, curandum sit ut census illi impendantur ad promovendum cultum divinum, ut scilicet in eo decor & majestas debita & conveniens semper resplendeat: aut vero templis vivis Christi sustentandis, id est, pauperibus nutriendis adhibeantur. De sancto Martino Dionysius Carthusianus

Serm. 2.

ponderat ut sequitur: *Antequam baptizaretur, dum adhuc erat in armis, non cessavit omnia sibi superflua dare pauperibus, nudos vestire, indigentes nutrire, miseris subvenire, ita ut præter quotidianum victum, nihil sibi de militia sua reservaret stipendiis.* Quod si vero etiamnum miles & catechumenus existens hanc

erga

erga pauperes & egenos Charitatem & liberalitatem exhibuit, facilè conjici potest, quàm fuerit erga eosdem liberalis seu potius prodigus jam existens Episcopus. Albertus Magnus postquam ipsum medietatem chlamydis suæ præscindentem considerasset, subjungit: *Demum cum in sacerdotio constitutus esset ipsam tunicam, qua ad carnem vestiebatur, exuit, & cuidam mendico tribuit*. Carthusianus, eodem quo id faciebat momento globum quendam igneum super capite ejus miraculosè apparuisse tradit: *Tunc quoque, ut legitur, Angeli sancti torques aureas & gemmatas secum ferentes, brachia ejus decentissimè operuerunt, ne nuda viderentur; siquidem indutus tunc fuit veste vilissima, cujus manica extendebantur usque ad cubitum ejus.*

10 *Amethystus purpureus est; roseus, & violaceus, sculptura facilis, leniterque flammas fundit, & significat humilitatem*. Sanctus Thomas de Villa-Nova (Cor. à Lap) de sancto Martino scribit: *O quanta fuit cura Martino ab initio vitæ hanc exquirendi margaritam; qua solicitudine curavit hoc ditari metallo;* Dum sanctus Hilarius eum subdiaconum ordinare vellet; per humilitatem consentire noluit, utpote qui sibi sufficere existimabat, Exorcistam se ordinatum esse: *Sed ordinante Deo*, inquit idem sanctus, *qui noluit fieri subdiaconus, postea factus est Episcopus*; & quidem ut de contemptu & vili æstimatione quam de seipso habuit dignum facere possimus contemptum, dicit ulterius: *Neminem utique legi sanctorum ita solicite huic desudasse virtuti*: demum postquam multa hanc virtutem in eo declarantia retulisset opera, mox subjungit: *Denique tanta in eo erat abjectio sui, ut cognomento publico pauper & modicus vocaretur, pretiosa siquidem humilitate sua, talem sibi titulum inter homines acquisierat, scilicet, Martinus pauperculus, quo ipse supra modum interius gloriabatur.*

Cor. à Lap 11 *Chrysolitus partim aurei, partim marini est coloris, significat pœnitentiam*. Sanctus Isidorus quoque de hoc lapide scribens dicit: *Dæmones terret*.
Luc. 1. 9. Porrò Dæmonem in fugam agere ad ordinem pertinet exorcistæ, qui sacerdotio annexus est: *In nomine meo Dæmonia ejicient*. Ad sacerdotes pariter
L. 2. ep. 12. spectat pro peccatis populorum intimè affligi. Unde Isidorus Pelusiota sacerdotes *oculos Ecclesiæ* appellat, non solùm quod in hoc corpore mystico partes nobiliores & eminentiores existant, verum etiam quia majus ipsis communicatum est notitiæ & agnitionis lumen, quam sæcularibus. Adhæc quia sicut oculi toti corpori ducis loco subserviunt, eidem quoque officio perfungendo adhibeantur illi ad ritè ducendas animas, qui consecrati sunt Deo: at vero P. Avila in suis discursibus, quos ad sacerdotes habuit, aliam quandam rationem adducit, nimirum ideo sacerdotes appellari oculos, quia ad ipsos pertinet, omnia quæ corpori accidunt mala deflere, adeoque ad ministerium adeo altum, nimirum ad hunc effectum ordinati sunt, ut ad Dei placandam iram, apud Divinam Majestatem pro peccatoribus interveniant per pœnitentiam. Quæ omnia sanctus Martinus excellentissimè præstitit, prouti manifestè satis ex ejus vita colligi potest, de quo proin-
Epist. 3 ad Basil. dè Severus Sulpitius ait: *Pernox in orationibus, & vigiliis fatiscentes artus servire spiritui cogebat, nobili illo strato suo in cinere & cilicio recubans*. Præterea quis est qui majorem ipso in Dæmones potestatem habuit? etenim illos ab innumeris obsessis corporibus fugavit, illis ut falsa idolorum simulachra desererent præcepit, illos à paganorum templis exulare fecit, & tametsi iidem maligni spiritus ad mortem ejus usque implacabiles adversus hunc Præsulem persisterent, nihilominus idem sanctus etiam usque ad novissimam mortis suæ horam suo in ipsos usus est potenti imperio, superbum Luciferum hisce verbis aggrediendo: *Quid hic astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.*

Cor. à Lap 12 *Onychinus* est undecimus in Rationali Aaronis positus lapis pretiosus. *Onyx ita dictus ab unguis humani similitudine; significat candorem & innocentiam*. Porrò innocentia sacerdoti quam maximè convenit, siquidem eo fine consecratur esse noscitur, ut animas sibi subditorum mundet atque purificet, gratiam iis interendo & bonæ conscientiæ puritatem. Lactantius Firmianus ait: *Nihil sancta* Lib. 6.
& singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam, quam si quis Deo obtulerit, satis pie religioseque litavit. At vero quanto hæc innocentia magis in iis requiritur, quibus incumbit ut incruentum agni illius immaculati sacrificium offerant? sancto Francisco ab Angelo ostensus fuit urceolus vitreus aqua lympidissima refertus, qui insuper eidem dixit, talem necessariò esse debere conscientiam sacerdotis. Ad quantam vero vitæ puritatem sanctus Præsul noster pervenerit, jam audivimus, sufficiat ex ore ejus hæc ad Dæmonem dicta verba audisse: *Nihil in me funeste reperies*. Unde sanctus Bernardus de ipso sic loquitur: *Porrò munditiam cordis ejus, illud vel maximè indicat, quod non est confusus inimico loquens in porta; nihil in me funeste reperies*. Cùm se Dæmones illi jam in cœlos abeunti opponere, ejusque ad cœlos transitum impedire niterentur (ut refert Gregorius Turonensis) *nihil suum in eo reperiens*, Dæmon scilicet, *confusus abscessit*. Ita enim Sancto Severino Coloniensi Episcopo revelatum fuit, qui ita concludit? *Quid ergo de nobis peccatoribus erit, si tantæ sacerdotis voluit pars iniqua nocere?*

13 *Berillus* est ultima & duodecima gemma: *In-* Cor. à Lap
star aquæ solis fulgore percussa rubicundus est deorsum; sed non fulget nisi in sexangulas formas poliatur, repercussione enim angulorum fulgor acuitur; denotat animum fortem & heroicum adversa quæque vincentem. Vult omninò Deus ut sacerdotes generoso sint pectore ad resistendum illis, qui animas sanguine suo pretiosissimo redemptas, ad æternæ salutis semitas seducere moliuntur. Unde apud Eze- Ezech. 13.
chielem lamentatur dicens: *Non ascendisti ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel*.
Ubi Sanctus Gregorius ait: *Ex adverso ascendere,* 2. p. past.
est pro defensione gregis Christi voce libera mundi hu- c. 5.
jus potestatibus contraire Sanctus Episcopus noster suo tempore ob strenuam ab Imperatrice Ariana adversus Orthodoxos interpositam operam, fidem Catholicam valde periclitari videbat, cumque ad Valentinianum Imperatorem aditum habere nequiret, totum se orationi & pœnitentiæ faciendæ dedit; cui dum incumberet, Angelus Domini ei apparuit, eumque monuit, ut liberè ad Valentinianum ingrederetur, siquidem fores conclavis illius apertas reperturus esset; Imperator autem Martinus coram se comparere videns, primum quidem indignatus dignitati ejus Episcopali honorandæ assurgere noluit, donec Martinus per miraculum sellæ regiæ ignem supposuit; Tunc enim Imperator igne nonnihil correptus resipiscens, eum cum reverentia excepit, & blande est amplexatus, concedendo ei quæcunque postularat. *Præcipuum est adulationi regiæ sacerdotalem non cessisse constantiam*. Alcuinus pariter in ipsius vita scribit: *Nemini adulando blandiebatur, Principi nulli veritatis verba tacuit*. Idem præcitatus Severus ulterius dicit: *Cùm ad imperatorem Maximum ferocis ingenii virum, & bellorum civilium victoria elatum, plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, & circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia regiæ clientela sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica authoritas permanebat*; Et quidem tametsi nonnullos libellos supplices res maximi momenti concernentes Imperatori necessario porrigendos haberet, attamen *imperavit potius quam rogavit*; Dumque Imperator sæpiùs apud ipsum precibus contenderet, ut unà secum mensæ dignaretur accumbere, respondit; *Se mensæ ejus participem esse non posse, qui duos Imperatores, unum regno, alterum vita expulisset*.

In responso à S. Martino discipulis suis dato: *Si adhuc Populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*, multi considerantur actus virtutum.

DISCURSUS QUARTUS.

Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: Fiat voluntas sua.

1 DUm aliorum Sanctorum merita & virtutes deprædicare volumus, eorum encomia à primis vitæ ipsorum annis exordiri, ac deinceps ejusdem vitæ progressus usque ad ultimum vitæ spiritum prosequi solemus; at verò ad extollendam S. Martini gloriam sufficere mihi videtur, si ad postrema eaque valde notabilia verba ejus nos reflectamus, quæ è corde ipsius potius, quàm ex ore manarunt. Cùm enim discipulis suis imminentem suum in alteram vitam transitum prædixisset, hi dolentes exclamarunt. *Cur nos, Pater, deseris? aut cur nos miseros derelinquis?* quorum voce commotus *Martinus ita Deum orabat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Ut autem qualis quantæque virtutis & meriti hæc Sancti Martini spontanea oblatio fuerit, tantò melius intelligamus,
Serm. de S. Mart. operæ pretium esse censeo, ut prius S. Thomam de Villa-Nova hac de re loquentem audiamus. Dicit igitur sanctus hic Pater: *Jam in Paradiso pedes posuerat gloriosus Antistes, libenter retrahit, ut fratribus suis serviat, littus optatum diu jam securus tenebat, & amore filiorum reddit ad pelagus, atque pro dilectis ovibus velut bonus Pastor iterum exponitur naufragio.* Quis unquam è belli Ducibus inventus est, qui postquam sudorum, vulnerum, & effusi à se sanguinis adhibito impendio inimicum devicit, jamque in procinctu est, ut triumphi applausus recipiat, ad hoc induci possit, ut de novo ad prælium se recipiat, seque in periculum & incertitudinem perdendi victoriam conjiciat? *Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie justus Judex, & adhuc dicis: Non recusabo laborem?* Ideò operæ pretium me facturum existimo, si serio cum reflexione meditatus fuero, quidnam significet, quòd S. Martinus, postquam unum quasi pedem, ut ita dicam, regno cœlorum intulisset, in quo summa securitas est, *Tota habitatio Paradisus*, inquit S. Bernardus, jamque ad diu desideratum centrum suum, quod est Deus (*inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*) pervenisset, ex altera tamen parte oculum suum in hanc lachrymarum vallem, in hoc exilium miserabile deflectat, ubi *Nemo scit an amore an odio dignus sit*. Ponderetur verbum istud: *Non recuso laborem*, & conferatur cum illo: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*; & clarè satis liquebit, quanta sit unius loci ab alio differentia.
Epist. 2. ad Aurel. Severus de S. Martino scribit: *Quas ille humanorum dolorum non pertulit passiones? fame, vigiliis, nuditate, jejuniis, opprobriis invidorum, insectationibus improborum.* Albertus Magnus optimè considerat, quales & quantas sanctus Præsul noster etiam ab intimis suis pertulerit sine fine injurias & contumelias, & quidem in particulari à Brictio, qui non multum ab eo absuit, ut violentas in illum manus immitteret, unde facilè conjici potest qualisnam fuerit aliorum ausus & temeritas in Sanctum, jam antea sui ipsius contemptui totaliter deditum & maximè quantum ab hæreticis & Paganis, quorum acerbum erat flagellum, nec non ab aliis scandalosis perditisque hominibus perpessus fuerit. Qualis autem est differentia inter hoc, quod est in æterna beatitudine quiescere, & aliud quod est fluctuare in continuo fluxu & refluxu salsi cujusdam & procellosi elementi, quale est mundus iste? Jam ipse per octoginta & unum annos maris hujus procellosissimi & inquietissimi tempestates sulcaverat, ut tandem ad fœlicissimum cœli littus aut portum feliciter appelleret, & tamen cùm jam de facto uno quasi pede portum obtinuisset, denuò in medias procellas se abripi non renuit. Nunquid vobis Ecclesia justam causam habere videtur, ut actum quendam virtutis adeò heroicum dignè ponderet atque consideret? Hic illum invenitis super cinere & cilicio miserabiliter extensum, illic verò inter Seraphinos ardere poterat & dicere; *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Hic inter scorpiones, serpentes, & lupos demorabatur, tales enim omnes inimici Christi erant, quos ad veræ fidei agnitionem reducere satage- Ezech. 2.
bat: *Increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Illic verò *turba Virginum invitat: Mane nobiscum in æternum.* Quanta erat hæc differentia, scilicet inter vix satiari pane, aquam bibere, corpusque suum perpetuo quodam jejunio macerare, & inter posse dicere: *Satiabor cum apparuerit gloria tua?* Quænam proportio esse poterat inter cellam quandam in modum speluncæ seu antri cujusdam efformatam, & inter cœli Empyrei amplitudinem, mirámque elegantiam? inter Angelicorum exercituum consortium: *Exultant Angeli, lætantur Archangeli*; & inter Dœmonum vexas & exagitationes, quibus eum incessanter persequebantur? inter thesauros & gloriam Paradisi, & inter contemptus & opprobria, quibus hìc in terris infestabatur: *Martinus hic pauper & modicus, cælum dives ingreditur*; Nunquid jure merito S. Bernardus dicit: *Obtulisti planè Isaac, unicum illum quem diligis, quod in te est jugulasti, immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratur redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta fœlicitate, & diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari; postremò, quod maximum est, à Christo suo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset.* Porrò vehementissimum desiderium, quo corda servorum Dei vel maximè trahi & rapi possunt (& jure quidem meritissimo) est quo se vinculis hujusce nostræ mortalitatis exsolutos videre cupiunt, ut enim Deo uniri & arctissime conjungi possint; *Cunctis diebus,*
quibus nunc milito, dicebat Job, *expecto donec veniat* Job 14.14.
immutatio mea. Propheta regius, tametsi in throno Israel gloriosus sederet in omni vel maximè appetibili felicitate constitutus, aera tamen suis replebat suspiriis ad cœlestem Hierusolymam aspirando, quia
illam in qua regnabat, fastidiebat: *Heu mihi, quia* Psal. 41.3.
incolatus meus prolongatus est; Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Apostolus quoque, qui oculos suos per transennam tantùm, ut ajunt, in tertii cœli beatifica objecta defixerat, impatiens erat, donec appropinquaret hora exitus sui ab hoc exilio: *Cupio dissolvi. Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Tritissimum est illud in schola Christi axioma, quo servi Dei vitam in patientia, & mortem in desiderio habere dicuntur. Et quidam quanto vitæ illius beatæ amore tenebatur Martinus, utpote in quam non oculos tantum, sed & cor suum defixum habebat? *Oculis ac manibus in cælum semper intentus.* Et tamen licet is hodie Paradisi fores animæ suæ ad eam festivè excipiendam, aperiri videat: *Sacerdos Dei Martine, aperti sunt tibi cæli, & regnum Patris mei*; licèt etiam beatas Angelicorum spirituum, Prophetarum, Patriarcharum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum turbas ad se obsequioso comitatu suo in cœlos usque cohonestandum, de cœlis certatim descendere videat; unde in historia ejus dicitur: *Exultant Angeli, lætantur Archangeli, Chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum invitat: Mane nobiscum*, nihilominus mox ut gregis sui oviculas, quas deserturus erat, aspexit intra fauces luporum, *invadent gregem tuum lupi rapaces*, denuò redire non abnuit: *Non recuso laborem.* Unde sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *O præclaram vocem; ò admirabilem charitatem; quid minus iste Moyse, vel Paulo personuit; Moyses pro Christo, Martinus pro commissis ovibus differri à gloria non solum sustinet, sed si opus est, petit, & obsecrat.* Enimverò indubitatum est, quin ardens Moysis & Pauli charitas summe admirabilis fuerit, utpote qui salutem proximorum suorum propriæ anteponebant. Charitas autem qua S. Martinus gregem suum prosequebatur, hanc præcellentiam habebat, quia illa à palio seu

bravio,

bravio, à meta & consecutione gloriæ procul adhuc aberant, erant enim viatores; at verò S. Martinus quasi comprehensor quidam dici potuit, eo quòd uno pede quasi in limine Paradisi positus erat. Etenim objecta præsentia amplius, & fortius movent, quam absentia, vel procul remota; & ideò longè firmiorem nobis impressionem præstat prælium propriis oculis spectatum, quàm in historiis lectum. Ad hæc in Eremitoriis, in Cellis, in oratione, multos sæpè virtutis actus exercemus in præparatione animi: at verò in eorundem executione reali & adimpletione insuperabiles nonnunquam experimus difficultates. Beatissima illa Martini anima non minus quàm S. Agnes cum cœlitum agmina sibi obvia videbit, dicere poterat; *Ecce venio ad te quem amavi, quem quæsivi, quem semper optavi; ecce quod concupivi jam video, quod speravi, jam teneo, ipsi sum junctus in cœlis, quem in terris positus tota devotione dilexi*. Id ipsum verò nec Moyses nec Paulus dicere poterant, utpotè qui etiamnum hic in terris tanquam viatores peregrinabuntur: at verò sancti Præsulis nostri anima jure dicere poterat: *Ego dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum. Stantes erant pedes mei in atriis tuis Jerusalem*; & tamen his omnibus neglectis aut posthabitis dicit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*. S. Bernardus apte de S. Petro considerat, quòd tametsi trinies à Christo quoad charitatem examinatus fuerit, quando ab eodem electus fuit Pastor Ecclesiæ universalis, attamen dum in monte Thabor per rimam quasi Paradisi gloriam aspexisset, dixerit: *Bonum est nos hic esse*, petieritque à Christo: *Si vis, faciamus hic tria tabernacula*, adeoque si penes ipsum stetisset, ab hoc monte nunquam divelli optasset: *Magnum est Petre, quod Dominum secuturus omnia reliquisti: sed audivi te in monte dicentem: Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula; non est hic, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*. De S. Ambrosio scribitur, quòd dum morti vicinus esset Ecclesiæ Mediolanensis Christifideles instanter ipsum rogarint, ut suis apud Deum precibus postularet, ut ejus ab hac vita transitus, aliquousque adhuc differretur, ut hac ratione inter ipsos superstes manens, ruinas tunc Italiæ & præcipuè Ecclesiæ suæ imminentes reparare & restaurare posset; Sed audite, quid responderit: *Bonum habemus Dominum, scis quid sit vobis & mihi utile*; noluit nec unico passu ab imminenti sibi transitu quem adorturus erat, retrocedere; atque ideo quodnam est hoc prodigium quod ad prima discipulorum suorum verba: *Cur nos pater deseris? Invadent gregem tuum lupi rapaces*, omnino indifferens, totusque in divinam voluntatem resignatus quasi minus sibi inesset regni cœlorum desiderium, se ex amore gregis Christi, nec non animarum ab ipso redemptarum adeo ad hujus vitæ ærumnas & pericula reassumenda promptum & expeditum esse ostendat? *Non recuso laborem Magna quidem obedientia vestra* (loquitur hic S. Bernardus cum spiritibus Angelicis) *Angeli sancti: sed quod dicere audeam, pace vestra, nescio an inveniatur in vobis quisquam, paratus in tale aliquod ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris*. Verissimum enim est, quòd non tanti facienda sit illa S. Martini oblatio: *Non recuso laborem*, licèt hæc quandam innumerabilium ærumnarum afflictionumque iliadem annexam habeat, quàm quòd indirectè se per eandem oblationem aliquousque privare voluerit clara Dei visione; Et quidem tametsi verum quoque sit, quòd discipuli ejus ipsi suggerebant, dicentes: *Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nec dilata minuentur*. Veruntamen quanta est differentia in eo quod est in pœnoso hujus miserabilis vitæ inferno commorari, & inter illud quod est superna frui beatitudine? Qualia enim gaudia & delitias illas esse existimatis quibus se per longum tempus sanctus Præsul noster privavit? Audite Augustinum gaudia illa hisce verbis describentem: *Tanta est inquit, jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni delitiis in circumfluentia temporalium bonorum rectè meritoque contemnerentur*. (Lib. 3. de libero arb. trio c. 25.) *Non enim falsò dictum est: Melior est dies una in atriis tuis super millia*. S. Martinus sponte propria se offerebat ad patienter sustinendam aliquanto tempore beatificorum gaudiorum istorum carentiam, in quorum possessionem jam immittendus erat, idque non ad dies, menses, vel annos determinatos, sed pro arbitrio & beneplacito voluntatis Dei illius, ad cujus perfectam unionem ex altera parte tanto cum desiderio suspirabat: *Fiat voluntas tua*. Et quidem quas in hac vita reinchoaturus erat ærumnas, tanto melius cognoscebat, quanto certius oculis suis viderat, *quæ præparavit Deus diligentibus se*. Unde sicut B. Laurentius Justinianus de Christo patiente propter passibilitatem corporis sui à tali anima informati, quæ æterna fruebatur beatitudine, dixit: *Tota fruitionis gloria in eo militabat ad pœnam*; ita quoque dicere possumus, quòd ex quo B. Martinus æternam illam beatitudinem veluti parumper sorbendo gustaverat, labores deinceps tolerandi tanto ei futuros fuisse graviores & difficiliores, vehementioremque experturum ipsum fuisse in ærumnarum hujus vitæ calice amaritudinem: *Tota in eo fruitionis gloria militasset ad pœnam*. S. Thomas de Villa-nova ex hac tam heroica spontaneaque oblatione hanc elicit consequentiam: *Quando ipse substantiam & vitam pro ovibus suis non poneret, qui etiam personam & animam exponebat? sed non tam exponebat, quàm differebat; sciebat enim cui crediderat, & certus erat, quia tantæ charitatis oblatio non desereretur à Deo*. S. Mater Ecclesia hunc Præsulem inter alia præconia, hac quoque laude extollit: *O beatum Pontificem, qui totis visceribus diligebat Christum*. Salvator noster autem S. Petrum pastorem universalis Ecclesiæ constituere volens, eidem dixit: *Si diligis me, pasce oves meas*, ac proinde videre est in hoc sancto Præsule nostro transcendens aliquod, valdeque evidens signum amoris, quo Sanctus huic prosequebatur Christum, siquidem se tanto zelo curam gregis sibi commissi administrare commonstrat, ut pro ejusdem gregis salute & meliori bono se ipsamet æterna beatitudine ad longum usque tempus privare paratum & promptum esse contestetur. Unde B. Laurentius Justinianus ait: *Gloriam quippè propriam tam pro honore, quam pro populi salute postposuit*. Quisnam autem inter Pastores animarum sanctissimos, zelosissimos, Deique amantissimos inveniri poterit, qui tantam ac S. Martinus charitatis sinceritatem in se demonstrarit? Prodegerint fortassè facultates suas, denique ipsam vitam suam in animarum sibi commissarum beneficium & utilitatem; at verò etiam gloriæ cœlesti, æternæ beatitudini, Deique ipsius claræ visioni per longum aliquod tempus, ob ipsiusmet Dei amorem renuntiare, ad singularem S. Martini prærogativam pertinebat. Unde Severus Sulpitius ipsum ad Deum conversum introducit, & dicentem; *Gravis quidem est Domine corporeæ pugna militiæ, & jam satis est, quod hucusque certavi, sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis; non recuso, nec fatiscentem causabor ætatem*, (Epist. 3. ad Bass.) *munia tua devotus implebo, sub signis tuis quoad usque tu jusseris, militabo, & quamvis optata sit seni missio post laborem, est tamen animus victor annorum & cedere nescius senectuti*; Ac tandem in laudem sancti sui Magistri hisce in Officio divino cantatis verbis concludit: *O virum ineffabilem! nec labore victum, nec morte vincendum, qui in nullam se partem pronior inclinaverat; nec mori timuit, nec vivere recusavit*. Verum enimverò priusquam hunc Discursum nostrum finiamus, textum quendam Apostoli à nobis nonnihil ponderari desiderarem. Dicit igitur Apostolus: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum, quod si vivere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam, ignoro; Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo multo melius; permanere autem in carne necessarium propter vos* (Phil. 1. 2.) in prorsus simili perplexitate & anxietate sanctus hic Præsul noster in novissimo mortis articulo constitutus erat; sibi namque pro salute gregis sui denuo laborandum satis evidenter apprehendebat, ex alia verò parte intensissimo quodam perfectæ cum Deo unionis desiderio stimulabatur. Unde Severus Sulpitius ait: *Nimirum inter spem amoremque positus dubitavit penè quid mallet; quia nec hos deserere, nec a Christo volebat diutius separari, nihil tamen in voto suo ponens aut voluntati re-*

lin

linquens totum se Domini arbitrio potestatique committens. Ex una quidem parte apertum animæ suæ Paradisum conspexit, ideoque ait: *Adveniat regnum tuum*, illudque velut manu sua tenet; mox verò ut gregis sui salutem sibi ob oculos positam contueretur, priorem petitionem revocat, & dicit: *Fiat voluntas tua, non recuso laborem*. In hac quoque voluntatis suæ in Deum totaliter resignatæ spontaneè oblatæ donatione, suæ quoque sanctitatis eminentiam præclarè ostendit; Ideo namque Christus Josephum præ cunctis aliis tanquam suum in terris futurum Patrem elegit, quia hic in ore semper, magis autem in corde illa verba habebat: *Utinam vivam, & adimpleam voluntatem Dei mei*; id quod etiam S. Martino satis solemne fuit, siquidem nec vivens nec moriens aliud desiderabat, quam Dei sui voluntatem adimplere.

De præcisæ mediæ chlamydis dono, quod S. Martinus etiamnum miles pauperibus impertiit, variæ considerantur circumstantiæ.

DISCURSUS QUINTUS.

Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit.

1 IDem ille Deus qui terram gramine, herbis & floribus vestit, cœlum exornat stellis, qui in suprema cœlorum sede, licèt nostra non sit mortalitate indutus; attamen insuper *est amictus lumine sicut vestimento*. Idem, inquam, Deus hodie ingenti Angelorum exercitu circumquaque obsitus, in conspectu totius Paradisi medietate palii seu chlamydis cujusdam militaris indutus, eundem gloriosè ostentat, dicens: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit*; Quot autem sunt alia longè præclariora hujus Sancti facta heroica in præcedentibus Discursibus relata, quorum intuitu S. Thomas de Villa-Nova S. Martinum hoc titulo: *Pelagus maximum virtutum omnium*, condecorat; eccur igitur S. Martini Sanctitatem publicaturus non ostentat factum aliquod hac elargitione vestis ipsius longè præstantius; & tamen verissimum est, quod Scriptura dicit. *Omnia in sapientia fecisti*; & ideò omnino fatendum est, hanc vestis elargitionem, unam fuisse ex admirabilioribus actionibus, quibus S. Martinus per totum vitæ suæ decursum illustrari meruit, qua in opinione tanto fortius confirmor, ex quo S. Mater Ecclesia à Spiritu sancto tanquam præceptore suo, qui *spirituum ponderator est*, directa, tanti vestem illam æstimet, ut eam primo omnium loco statuat; & in plerisquè imaginibus & statuis illum non aliter repræsentat, quam in actu dividentis pallii sui medietatem ad contegendum pauperem. Cujus proinde facti circumstantias nonnihil à nobis ponderari velim. Quando in novissimo judicii die Redemptorem nostrum tanquam Judicem supremum in tribunali suo magnificè consedentem visuri erimus, idem nobis declaraturus est, quod inter omnia electorum meritoria opera, illa quæ ex motivo misericordiæ in proximum exercentur, sibi longè acceptiora existant,
Matth.25. 35. & præ cunctis aliis ob sui excellentiam primatum habeant, ideoque dicet: *Nudus eram, & cooperuistis me*. Sed quid audio? Ergone post centum, millia, & amplius annorum curricula sola pietatis in proximum à tot Sanctis exercita opera in totius cœli & terræ conspectu deprædicabuntur, aliaque longè præclariora magisque meritoria, quæ prorsus humanam excessere conditionem, nullatenus etiam in novissimo judicii die memorabuntur? Ergone facta illa, quorum ne quidem per historias notitiam habemus, ab eodem Judice non cum tanta gloria toti Paradiso, omnibusque retroactis in Ecclesia sæculis manifestabuntur, quemadmodum vile hoc Martinianæ chlamydi scutum, quo cum ex compassionis motivo contexit pauperem, manifestatum fuit? Imo verò; nullum enim ex cunctis Martini operibus ita deprædicabatur, sicut centonem hunc vilissimum, quem pauperi donavit. S. Augustinus de vinculis Petri ita scribit: *Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur* Serm. 28. de SS.
ferrum istud pœnalium vinculorum; simili modo dicere possumus, quod Deus non tanti æstimet (quantum saltem nobis constat) Templum Salomonis, quamvis illud tot thesaurorum impendio in ejus honorem erectum fuerit, neque quævis aulæa, tapetes, peristromata, licèt ex auro argentoque contexta, aut phrygio opere elegantissimè depicta, & in divini cultus sui obsequium præparata sint, tanta cum gloria honoret hic in terris, aut ostentet, quemadmodum vile hoc obsoletæ vestis dimidium: *Per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur*. Audite igitur factum ipsum à Severo Sulpitio syncerissimè relatum: *Cum nihil præter arma & simplicem militiæ vestem haberet media hyeme, quæ solito sævior inhorruerat, adeo ut plerosque vis algoris extingueret, obvium habet in porta Ambianensium civitatis pauperem, nudum, qui cum prætereuntes, ut sui misererentur, oraret, omnesque miserum præterirent, intellexit vir Deo plenus, sibi illum, aliis misericordiam non præstantibus, reservari. Quid tamen ageret? nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat: jam enim reliqua in opus simile consumpserat; arrepto itaque ferro, quo indutus erat, divisit mediam, partemque ejus pauperi tribuit: reliqua verò rursus induitur. Interea de circumstantibus ridere nonnulli, quia deformis esset, & truncatus habitu videretur*. Nocte verò sequenti dormiens hanc visionem habuit, in qua se Christus spectandum præbuit, qui quasi in totius cœli conspectu, illa vestis medietate indutus, eandem coram omnibus Hierarchiis Angelicis, cunctisque aliis animabus præsentibus gloriosè ostentavit, dicens: *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veste contexit. Intueri diligentissimè Dominum, vestemque, quam dederat, jubetur agnoscere; mox ad Angelorum circumstantium multitudinem audit Jesum clara voce dicentem: Martinus adhuc Cathecumenus hac* Ps. 103. 6.
me veste contexit. Porrò de eodem Christo in monte Thabor constituto, dicitur: *Vestimenta ejus facta sunt* Eccl. 39. 15
alba sicut nix. Confessionem & decorem induisti, inquit Psalmista. *Gloriam dedit sanctitatis amictum*, ait Ecclesiasticus, & tamen de nulla veste ipsum gloriatum fuisse constat, sicut de hac, quam S. Martinus ob Dei amorem largitus est pauperi. Isaias innumeras gentilium conversiones Evangelica prædicatione mediante futuras prædicens, dicit Christo: *His omnibus velut ornamento vestieris*. Ecce igitur qualiter solius Martini etiamnum Catechumeni conversionem eodem prorsus in pretio habeat, quo omnes mundi rationes ad veræ fidei agnitionem perductas; siquidem vestem hanc ab ipso pauperi datam, velut arrham mox subsecuturi Baptismi tantopere æstimavit; unde hujus vestis coram Angelis aliisque cœlitibus præsentibus à Christo facta ostentatio, fuit veluti secura quædam promissio; quod hunc à Paganis natum & educatum, atque eo tempore sub Juliani Apostatæ Christiani nominis implacabilis inimici signis militantem, protinus perducturus esset ad veram fidem.

2 Superius quidem sanctum Martinum Apostolis comparem factum esse diximus, at verò Christus in hac actione qua vestem sancti Martini tam gloriosè ostentavit, videtur illum, nisi fallar, Apostolis superiorem declarasse, siquidem vestes Apostolorum jumento illi, cui Christus insedit, velut stragulum quoddam superimpositæ fuerunt: *Et adduxerunt asinam &* Matth. 21.
pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt: at verò Martinianam hanc chlamydem longè majori honore afficit, siquidem eandem induit, dum jam non amplius in carne passibili, sed quatuor dotibus gloriosis accinctus viveret, adeoque pompa quadam valdè magnifica eandem omnibus mundi thesauris chariorem esse ostendit. Author quidam modernus in sermone de hoc festo ait: *Mirum profectò, quòd homo Deo vestem tribuat, habitu inventus ut homo, vestem humanitatis suscepit ex Maria visceribus; & nunc iterum, ut priorem vestem operiat, vestem à Martino accepit*. Verum enimvero, verba quæ increata Sapientia in hac occasione protulit, *Martinus adhuc, &c.* matura digna sunt ponderatione; Et ideo singula seorsim considerabimus.

3 *Martinus à Marte*. Eo tempore, quo Martinus dimidium chlamydis suæ pauperi tribuit, miles etiamnum erat, ut sæpè diximus, atque sub rapacibus

cibus sacrilegi Apostatæ signis militabat; De militibus autem Poeta canit:

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur.

Etenim quis est, qui nesciat militibus proprium esse ipsos etiam pauperes & egenos spoliare potius vestibus,
4 Reg. 24. quas habent, quam novis eosdem induere. Unde illos Scriptura sacra *latrunculos* appellat; adeoque insigne miraculum erat, quod in exercitu Herodis cujusdam, seu ut melius dicam, tam flagitiosi apostatæ miles aliquis inveniatur iis qualitatibus præditus, quas in iisdem Baptista requirebat. Author quidam antiquus in sermone de hoc Sancto ait: *Certe in eo genere vitæ observavit diligenter regulam illam præclaram à S. Joanne*
Jud. Chichit. *Baptista militibus traditam*; hic enim à militibus, quid ad salutem obtinendam factu illis necessarium esset, interrogatus, respondit; *Neminem concutiatis, estote contenti stipendiis vestris*, unde idem Author subjungit, dicens: *Quomodo enim aliena capuisset Martinus, qui etiam sua tunc pauperibus est elargitus*.

4 Ad præsens quoque propositum illa sancti Hieronymi verba applicare possumus, dicentis: *Quis non diligat eum, qui sub paludamento & habitu militari agat opera Propheta*. Quot enim Sanctus etiamnum miles & Catechumenus existens virtutes Christianas exercuit? sequentes nimirum. Et primo quidem virtutem compassionis erga pauperem, cùm alias milites sævi, & nonnisi rapinis, cædibus, & immanitati dediti esse soleant. Secundo misericordiæ, mendicum hunc præ frigore toto corpore tremulum veste sua contegendo. Tertio liberalitatis, illud quoque liberaliter erogando, quo in usus proprios indigebat. Quarto amoris & charitatis, exuendo seipsum ad vestiendos alios. Quinto humilitatis, demittendo se ad subsidium talis hominis, qui ab omnibus aliis tanquam vilis desolatus erat. Sexto mortificationis, quam ex contubernalium commilitonumque suorum derisu patiebatur. Septimo contemptus sui ipsius, siquidem ipsemet præ frigore tremebat, ut alium vestiendo contegeret. Octavo fidei, agnoscendo & venerando in paupere Christum: *Sub habitu militari egit opera Prophetarum*.

5 Communiter sanctus Martinus in habitu militari, pallium suum cum paupere dividens depingitur: at verò dicatis velim, quænam hic miles unquam militiæ specimina edidit, ut semper in militari habitu fidelibus repræsentetur? Qualesnam victorias aut quæ unquam trophæa reportavit? nimirum de toto mundo victoriam obtinuit. Non sine ingenti mysterio Christus illi apparuit non Angelorum choris, sed integro Angelorum stipatus armato exercitus. Alcuinus ait: *Qua parte chlamydis sua inter Angelicos exercitus Dominum Jesum divinitus illuminatus, nocte sequenti vestitum aspexit, ut verum intelligeret, quod ipse Dominus Jesus evangelicis intonat paganis, quamdiu fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis*. At verò in quonam illa, quam de mundo retulit, victoria consistit? *Quis est, qui vicit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei*; Nimirum tunc hic miles noster victoriam hanc obtinuit, quando paulo post sanctum recepit lavacrum; prius tamen aliam non minus gloriosam victoriam sibi comparavit, credendo videlicet, quod sub hoc tremebundo & nudo paupere ipsemet Dei filius delitesceret; *Credidit quoniam Jesus erat filius Dei, in quo sunt omnes thesauri?*

Ser. de SS. Nazar. & Celso. Russ. lib. 1. Eccl. Hist. c. 14.

6 *Martinus Catechumenus*. Sanctus Ambrosius de sanctis Martyribus Nazario & Celso ita scribit: *Inter religionis principia sunt consummati, & nondum sibi Dei legibus pleno manifestatis, jam erant Deo pleni*. De eodem quoque sancto Ambrosio legitur, quòd cum etiamnum puerulus esset, & observasset, quod populus sacerdotum manus osculando veneraretur, ipse quoque paternæ domus familiares ad manuum suarum oscula admiserit, se futurum esse Episcopum prædicens. Similiter de sancto Athanasio scribitur, quod functiones Episcopales inter suos coætaneos pueros adeo perfectè imitatus fuerit, ut Patriarcha Alexandrinus cùm illum aliis secum colludentibus pueris Catechumenis Baptismum contulisse audisset, de collati Baptismi valore disputaverit, ac tandem in collati ab eo Baptismi favorem pronuntiaverit sententiam; nimirum ab hisce utriusque pueri quantumvis puerilibus actionibus arguebatur utrumque ad eminentes in Ecclesia Dei gradus evehendum esse. Quòd si igitur pro eo tempore quo Martinus *adhuc Catechumenus* in aquis baptismalibus nondum regeneratus erat, atque ideo *Charitas Dei non erat diffusa in corde suo per Spiritum sanctum*, tanta nihilominus in eo charitas, tantaque adeo tenera erga pauperes compassio emicuit, qualis igitur conceptus de ejus in sede Episcopali consideratis felicibus progressibus sperari poterat? à Severo Sulpitio, dum adhuc miles & Catechumenus esset; *vir Deo plenus*, appellatur.

7 De Lamuzia Longobardorum Rege legisse me memini, quod dum quadam die à matre sua fasciis involutus in propinquum quoddam stagnum conjectus fuisset, acciderit, quod dum Pater ejus Alexander Rex quoque Longobardorum illac transiret, hancque fasciarum sarcinam in aquis illis fluctuantem casu fortuito videret, cupidus sciendi quidnam in dicto fasciarum involucro reconditum esset, lanceæ suæ cuspide dictam fasciarum molem nonnihil commoveri, quam in se extensam lanceæ cuspidem puerulus teneri manibus suis adeo fortiter strinxit, ut quacunque vi & conatu à Rege adhibito eam è manibus dicti pueri eripere haudquaquam potuerit; unde consulto Oraculo protinus, eum in militia præclara sibi per heroica facta comparaturum esse merita, penes seipsum conclusit, prouti & ab eo jam Rege regni illius abunde præstitum fuit. Enimverò quod si quis adolescentulum quendam militem omnia quæ habebat, vidisset liberaliter erogantem, eundemque dum nihil aliud, quod dari poterat reliquum haberet, proprii sui pallii dimidium cum paupere vidisset dividentem, ut ei subveniret; quemnam alium sibi talis formare potuisset conceptum, quam quod talis, ubi ad maturiores annos pertingeret, præcipuè vero ubi baptismo mediante sub Christi signis militaturus conscriptus esset, non tantum daturus esset vestes, verùm etiam omnia pauperibus viscera aperturus esse præsumeretur.

8 In vita S. Martini ly *Adhuc*, bis exprimitur, & ambabus vicibus valdè heroicos nobis actus insinuat. Primum adhuc invenitur in verbis sequentibus: *Si adhuc populo tuo sum necessarius*, de quo egimus discursu præcedenti: alterum est: Martinus *adhuc Catechumenus* Sanctus Lucas qui penicillum pariter & calamum pari dexteritate ducere novit, dum nobis in Actibus Apostolicis conversionem & mutationem sancti Pauli ex persecutore in Apostolum delineare vellet, hanc inter cæteras duxit valde mysticam lineam: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini*. Idemmet Paulus volens nobis per verba Rom. 5. 8. expressiva, valdeque emphatica infinitam Christi declarare charitatem, quam tunc præcipuè exhibuit, quando nos pro tempore, quo implacabiles ejus inimici eramus, adeo copiosè redemit, dicit: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, pro impiis mortuus est*. Pari igitur modo Verbum æternum, quod sapientia est Patris, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* novam illam, omnique prorsus exemplo carentem S. Martini actionem extollere & magnificare volens, hac dictione, adhuc, non sine mysterio usus fuisse videtur. Job (de quo scribitur, *vir erat in terra Hus*, ubi Glossa ait: *Quasi dicat bonus inter malos*) dum aliquando ab innocentia laudandus esset, utpote quam etiam in medio hominum perditissime viventium conservarat, dicit de eo Sacer textus: Job 2. 3. *Adhuc retinens innocentiam*. S. Martinus ex Patre & matre paganus natus erat, miles erat, & Juliano Apostatæ inserviebat, & tamen *adhuc Catechumenus* dici potest, *adhuc retinere innocentiam*; si quidem necdum candidum innocentiæ baptismalis vestem acceperat, & tamen *adhuc catechumenus*, virtutibus Christianis, præcipuè vero charitate, quæ omnium aliarum Regina est, se adornatum esse, abunde probavit: vix primum Christi scholæ pedem intulerat, ut catechizaretur, cum protinus non sicut discipulus, sed ut Apostolus operatus fuit; priusquam ipsum Christus Innocentiæ baptismalis veste induisset, is ipsummet Christum chlamydis suæ medietate vestivit; *Martinus adhuc Catechumenus hac veste contexit*.

9 *Quicunque in Christo baptizati estis*, inquit sanctus Paulus Apostolus, *Christum induistis*. Prodigium ingens, quod ipsummet Dei filium in stuporem rapuit, quodque totum Paradisum ad spectandum invitavit, hoc fuit, quod scilicet sanctus Martinus inductus fuerit visceribus pietatis & charitatis Christianæ, cum nondum

Chri-

Christianus esset, nec Christum etiamnum induisset, utpote qui in sacro lavacro nondum lotus erat; nec caret mysterio, quod vitæ suæ historiographus etiam ante hanc actionem, ut paulò ante observavimus, eum *virum Deo plenum* appellet. Certe si post transactos vitæ Religiosæ sexaginta annos, postquam donis prophetiæ, extasium, visionum, revelationum & miraculorum à Deo locupletatus fuisset; post ferventissimum, nec unquam prætermissum omnium virtutum exercitium se veste sua spoliasset, & induisset pauperem, adhuc futura esset actio valde digna & heroica, quanto igitur nunc dignior & generosior censenda erit actio, quando illam etiamnum miles existens exercuetit. Cum die quadam celebraturus vestibus indutus esset sacerdotalibus, pauperem quendam seminudum coram se videns, eidem tunicam suam subteriorem cum singulari dexteritate exuens pauperi cuidam donavit. Deus autem quam gratum sibi & acceptum illud excessivæ charitatis opus esset, ostensurus, Spiritum sanctum super illum descendere fecit, unde Dionysius Carthusianus [Serm. 2.] ait: *Igneus globus super caput ejus apparuit, & hoc fuit, quando se nudato, vestivit egenum.* Sed dices, nunquid igitur pro integra tunica majorem gratitudinis demonstrationem exhibuit, quam pro dimidia Chlamydis parte, cùm hæc illa major sit? minime gentium, quin potius incomparabiliter acceptius fuit dimidium pallium; siquidem ipsemet Christus, in conspectu omnium Angelorum, cæterorumque cœlitus illo adornari & amiciri non erubuit, voluitque mediam hanc chlamydem cum singulari celebritate ab Ecclesia honorari, ut longe excellentiorem, tametsi chlamydem illam, vestem militarem, tunicam verò vestem clericalem fuisse constet. Scitisne causam cur Deus tanto cum discrimine utriusque vestis erogationem in sancto Martino remuneraverit? ratio hæc est, nimirum, quia tunicam illam integram eo tempore pauperi dedit, quo Sacerdos, Monachus, Episcopus, & non solum in annis, verum etiam in sanctitate vitæ consummatus & perfectus erat; econtra verò chlamydis dimidium donavit, dum juvenis, miles, imo Catechumenus etiamnum esset: *Martinus adhuc Cathecumenus hac me veste contexit.* Nimirum ostendere voluit, quanti apud Deum actus virtuosi à sæcularibus exerciti fiant, maximè actus mortificationis.

10 Similiter ponderari meretur dictio illa, *hac*, quæ est indicativè demonstrativa. Porrò ii, qui oculos suos ad hujus visibilis mundi altiora penetranda evehere nequeunt, facile sibi persuadere possent, perditum & amissam esse, quod in pauperes est erogatum, sed turpiter falluntur, siquidem denarius ille, qui pauperi donatur, in Paradisi ærariis repositus esse invenietur, idque cum tam ingenti fœnore, ut non jam centum lucreris ex centum erogatis denariis, sed potius mille lucreris pro uno. *Centuplum accipietis.* Enimvero de sancto Laurentio scribitur: *Dispersit dedit pauperibus*; sed putasne Ecclesiæ per ipsum distributas divitias perisse abiisse, & amissas fuisse? nequaquam, sed potius ut ipsemet Archilevita Valeriano dixit: *Facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt.* Argentum quidem, aurum, & gemmæ pretiosæ furtis subjecta, destrui & disperdi possunt, non tamen si in manus pauperum deponantur; ac proinde salubriter Christus nos monet [Matth. 6.]: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur.* Unde si in armariis tuis pannos asserves coccineos exquisitissimos, quantumcumque etiam adhibueris diligentiam, non tamen impedire poteris, quin à tineis disperdantur, id quod nequicquam timere habent consimiles panni in pauperes distributi, illos enim in Paradisi vestiarium seu Guardarobbam reponere censeris, ubi Christo teste, *tinea non demolitur.* Plures ex nunc quam mille ducenti elapsi sunt anni, à quibus chlamydis S. Martini dimidium à Christo spectandum expositum fuit, & abunde etiamnum tinearum expers illæsum conservatur, atque in Ecclesia tam triumphante, quam militante in sempiternum, & ad finem sæculorum usque spectandum proponitur.

11 *Hac me veste contexit.* Notandum est hìc, quod Christus non dicat, Martinum dimidio pallii sui [Serm 6. de elem t. 6.] tremebundum illum nudumque vestisse pauperem, sed potius ipsum vestivisse Christum, *me contexit.* Nam ut ait Chrysologus. *Quidquid pauper accipit, Christus acceptat*; & Chrysostomus ait: *In paupere absconditur Deus, pauper manum extendit, & accipit Deus.* Considerandum quoque est tempus, quo S. Martinus dimidietate chlamydis suæ se exuit: *Media hyeme, qua solito asperior inhorruerat, adeoque ut plerosque vis algeris extingueret.* [Seve. Sulp.] Et quidem dubitari merito posset, num forte juvenis hic Martinus in illam fuerit recensitus familiam, de qua in Proverbiis scribitur: *Non timebit domus sua a frigoribus nivis, omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus?* [Prov. 31. 21] cui Severus negative respondet: *Nihil enim præter chlamydem, qua indutus erat, habebat; jam enim reliquam in opus simile consumpserat.* Verùm quidem est quod Isaias scribit? *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris*; ac vero Martinus tunc adhuc miles erat, nec unquam sacram Scripturam legi audierit, *adhuc catechumenus.* Cui accedit alia quædam non inepta consideratio nimirum in eo quidem scripturæ loco præcipit, ut nuditas alterius veste contegatur, ita tamen ut id fiat sine propriæ carnis damno, aut præjudicio: *Cum videris nudum operi eum, at vero carnem tuam ne despexeris*: at verò sanctus Martinus seipsum vestibus denudavit & exuit, [Ser 58. 3.] ut nudum pauperem contegeret. Unde sanctus Bonaventura ait: *Mediam chlamydem se nudato dimisit*: In sancto Martino autem perfectè adimpletum fuit, quod idem Isaias immediate post futurum esse prædixit, dum ait: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te.* Ipse namque ob tam dignæ & conspicuæ actionis merita, singularissimis à Deo illustrationibus, donisque cœlestibus cumulatus fuit, adeo ut abindè eminentissima ejus sanctitas exordium duxerit. Consilium quidem fuit, non tamen præceptum, & hoc quidem solis iis, qui in schola Christi veterani sunt, [Luc. 3. 11.] insinuatum: *Qui habet duas tunicas, det non habenti*; non dicit eum qui unicam tantum tunicam habet, obligatum esse ut illam cum paupere ex medietate dividat. Porrò Dionysius Carthusianus de Martino scribit: *Ovem tonsam conspiciens; Evangelicum inquit mandatum ovis illa implevit; habuit tunicas duas, una largita est non habenti.* [Ser. 2.] Unde deduci haud obscure potest, sanctum Martinum de numero fuisse electorum, qui tanquam oves, æternæ prædestinationis signaculo insignitæ existunt, siquidem quando nonnisi unicam vestem habebat, ejusdem medietatem egeno impertitus fuit; & hoc quidem eo tempore fecit, quo *adhuc catechumenus* erat, suumque pedem Christi ovili nondum intulerat.

12 Apud Joelem Prophetam scribitur, *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*; [Joel 2. 13.] & primo quidem dicitur: *Scindite corda vestra*, quasi vellet dicere, se comprimis desiderare, ut compassionis viscera pauperi in necessitate constituto patefaciant. Similiter à sancto Jobo discere possimus, quonam modo pauperibus subvenire possimus, dum nihil nobis suppetit, quod illis larga manu subministrare valeamus *Flebam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* [Job. 30. 15] Circa quæ verba sanctus Gregorius ait: *Vir sanctus apud omnipotentiam Deum aliquando majus datum noverat mentis esse, quam muneris.* [L. 4. 2. mor. c. 26.] Et ratio est, quia majoris valoris & meriti eleemosyna est cordialis erga pauperem compassio, quam sit denarius, quem ei subministras: *Exteriora enim largiens, rem extra semetipsum præbuit, qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiam de semetipso dedit.* Ac proinde in casu nostro videbatur sufficisse, si sanctus Martinus pauperi primam eleemosynam erogasset, id est, compassionem ei cordialem exhibuisset, maximè quando ei, ut diximus, ad dandum nihil ultra supererat: at verò hæc prior eleemosyna sola ejus ardenti in proximos charitati minimè videbatur sufficere, ideoque eidem dare voluit & alteram, siquidem non solùm scidit cor suum per medium, ex intimi affectus teneritudine, qua ejus nuditatem prosequebatur: verum *scidit etiam vestimentum suum.*

13 Augetur quoque valde insigniter sancti Martini meritum, si consideremus illam medietatem vestis quam pauperi dedit, dimidium fuisse chlamydis suæ militaris, non verò erat vestis propria personæ, hasce enim omnes jam dudum antea in eleemosynam erogaverat; erat igitur speciale muneris sui militaris insigne, & præcipuum militiæ sæcularis ornamentum, unde vestis il-

la

la modo dicto per medium divisa & bipartita, omnium aliorum commilitonum suorum, non solum oculos, verum etiam subsannationem & derisum tanto amplius sibi conciliavit, quanto magis alii milites certiores reddebantur de causa, quæ ipsum ad pallium suum dispertiendum induxerat, idque non solum ideo, quia scilicet *Animalis homo non percepit ea, quæ sunt spiritus*, verum etiam quia, ut diximus:

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

Rom. 1. 16. *Interea de circumstantibus risere nonnulli quia deformis es-*
Gal. 2. 10. *set, & truncato habitu videretur*; ac proindè tantum sibi meritum nequaquam comparasset totam chlamydem pauperi donando, quantum sibi acquisivit solius medietatis largitione; licèt enim in tali casu plus sustinuisset frigoris, interius tamen non ita mortificatus, & in conspectu omnium aliorum commilitonum derisus fuisset.

14 S. Paulus quidem gloriatur de se, dicens: *Non erubesco Evangelium, si hominibus placerem, Christi servus non essem*, at vero dum hæc dicebat, jam electus Christi Apostolus, Christianæque militiæ veteranus & emeritus miles erat; at vero S. Martinus Apostolicam se virtutem & perfectionem tunc exhibuit, quando adhuc
Heb. 13. 13. sub Juliano apostata miles erat. *Adhuc catechumenus. Exeamus igitur ad eum extra castra* (sunt verba ejusdem S. Pauli Apostoli) *improperium ejus portantes*, quibus verbis vult nos monere, ut nos aperte & sine rubore Christi fateamur discipulos & imitatores, licet à mundo digitis monstrari derideamur. Prodigium autem in S. Martino particulare fuit, quod ipse *improperium Christi* portarit, sed *intra castra*, absque eo quod Insignia militaria adhuc desereret, & ideo ab omnibus numerosissimi exercitus militibus; & ab exercitu Juliani alicujus Apostatæ jurati inimici Dei, necnon charitatis & compassionis, quam lex Evangelica prædicat. Hasce autem sannas & derisiones, hanc inquam quam ex dimidiata chlamyde passus est, imo quam sponte propria perlibenter subivit mortificationem Deus remunerare voluit, cum tanta gloria ipsum exaltando & evehendo; siquidem dimidiata chlamys ista in conspectu cœli & terræ fuit, eritque semper pretiosior, pulchrior, elegantior, magisque æstimabitur, quam omnia mundi aulæa & peristromata auro, argento, gemmisque pretiosis intertexta, quæ unquam coram oculis nostris explicare & spectanda proponere potuerunt opulentissima totius universi vestiariæ custodiæ. Verùm enimvero scitisne, quali retributione hi risus & sannæ, & heroici mortificationis actus fuerint à Deo compensati? Nimirum Filius Dei chlamydem istam in æterni Patris sui conspectu explicavit, & dixit: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit*, quando videlicet non hic quidem inter Seraphicos ardores, sed Ambiani in pauperculum nudum & toto corpore tremulum gelidum frigus desæviit; Justum igitur est, ut hanc ejus charitatem condebito præmio remuneremus; sed quodnam illud fuisse existimatis? Christus ipse ait: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*; ac proinde æternum Patrem suum dulciter invitavit, quatenus Martinum etiamnum Catechumenum ad veræ fidei agnitionem sancta & efficaci gratia sua perduceret, ut hac ratione reciprocam illi beneficii vicissitudinem conferre, eumque meliori & nobiliori quadam veste contegere posset, nimirum seipso; *Quicunque etiam baptizati estis*, inquit
Ro. 13. 14. Apostolus, *Christum induistis*.

15 *Hac me veste contexit*. Porrò quod in maximam me admirationem rapit, est, quod in casu præsenti, verificari potuerit id quod Isajas scribit: *Pallium breve u-*
Isa. 28. 20. *trumque operire non potest*. Quomodo enim chlamys illa per medium divisa ambobus contegendis sufficere poterat? & tamen Christus adeo perfectè & integrè se coopertum fuisse existimavit, ac si integram vestem accepisset; *Hac me veste contexit*. Scitisne quidnam in eo
3. Reg. 17. mysterii lateat? hoc nimirum quod jam notare cœpimus, quidquid enim ob Christi amorem donatur, quantumvis id modicum sit, in dantis tamen manibus mire augetur & crescit; exemplum evidens est in Sareptana illa vidua; cujus omnino contrarium nobis ex parte mundi accidit; quicquid enim ob ejus amorem expendimus, totum abjicitur & perditur, & quanto plus elargimur, tanto nobis remanet minus, efficimurque pauperes: per
Matt. 10. 42. Deum vero omnia etiam minima multiplicantur: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*. Ecce tibi igitur quanti Deus vile & lacerum vestis scrutum æstimare soleat.

DE SANCTA CATHARINA VIRGINE ET MARTYRE

Discursus Quinque.

De admirabili ejus sapientia; multisque aliis virtutibus eam consequentibus.

DISCURSUS PRIMUS.

Hæc est virgo sapiens.

1 SAncta mater Ecclesia per hanc Antiphonam in officio divino Virginum gloriam in communi celebrare consuevit; at verò majori cum proprietate verba illius S. Catharinæ adaptari possunt præ omnibus aliis, utpote quæ virginitati & martyrio suo sapientiam quandam prorsus admirabilem conjunxit. Enimverò gloriosissima hæc Martyr in multis S. Scripturæ locis ad vivum nobis, ni fallor, delineari videtur; præcipuè verò in Juditha, de qua scribitur: *Mirabantur* Judith. 11
sapientiam ejus, & dicebant alter ad alterum: Non est talis 18.
mulier super terram in aspectu in pulchritudine, & in sensu verborum. Etenim Imperator ex omnibus mundi partibus doctissimos quosque Philosophos ad disputandum cum ea convocavit. *Et mirabantur sapientiam ejus*. Ipsa quoque adeo eximia pulchritudine prædita erat, ut Imperator suum cum ea Imperium dividere statuerit, dummodo in sponsalitium cum eo ineundum con- Surius.
sentiret. *Meum tecum dividam Imperium, mecum habitabis in regia, neque velis, rogo, videre interire tormentis tantam pulchritudinem*: Denique, *in sensu verborum*; siquidem quot verba proferebat, tot oracula pronuntiabat, quibuscum eodem tempore omnes illos mundi Philosophos convicit, & ad compunctionem cordis perduxit. Duo quoque alia insignia elogia ei aptissimè conveniunt, quæ Spiritus sanctus Abigail quondam attribuisse legi-
tur: *Eratque mulier illa prudentissima & speciosa*; siqui- 1. Reg. 25. 3
dem prudentiam simul cum pulchritudine conjunxit, ac proindè pariter adjungi poterat: *Erat virgo sapiens, & una de numero prudentum*. In libro Sapientiæ pariter, ejus cum increata Sapientia, Christo videlicet, initum sponsalitium ad literam describi videtur; dicitur enim:
Hanc amavi & exquisivi à juventute mea; Christus enim Sap. 8.
in specie infantili in ulnis sanctissimæ Virginis Matris suæ gestari, cum Catharina desponsatus fuit, in cujus sponsalitii evidens signum annulum digito ejus inseruit: *Et quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius*: Porrò trita est illa congrui matrimonii ineundi regula: *Si vis nubere, nube pari*. Ex quo igitur

increa-

increata pariter & incarnata Patris Sapientia nunc gloriosæ Virgini desponsari voluit, uniuscujusque judicio judicandum relinquo, an non ipsi præ cunctis aliis titulus iste conveniat: *Hæc est virgo sapiens*. Sanctus Augustinus sapientiam consortem appellat; & Olimpiodorus ait: *Sapientia uxor nostra dicitur*. Enimvero in dicto Sapientiæ libro paulo post sequitur: *Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei*. Porrò S. Hilarius, ubi nostra vulgata legit *generositatem illius glorificat*, legit *honestatem* ejus, nos congruentius utrumque legendi modum amplectimur; siquidem in sapientissima hac Virgine & sponsa Christi pariformiter generositas & honestas resplenduit, utpotè quæ generoso & magnanimo pectore Imperator audacter se opponens nuptias ejus sprevit, ut cœlestis consortis sui honorem & fidem generosè defenderet. *Contubernium habuit Dei*; utpotè quæ sæpius cum ipso familiariter conversari meruit. *Omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplina Dei*.

In Ps 15.
In cap. 9. Eccl.

2 *Virgo sapiens*. Sanctissima Martyr in illa cum quinquaginta Philosophis habita disputatione hisce verbis protestata fuit, dicens: *Habeo quidem sapientiam sicut Dei mei donum, quiest sapientia & vita quem timere, & ejus mandata servare est initium sapientiæ perfectioris & majoris*. Ex quo loquendi modo deducitur, ipsam hanc sapientiam in divini amoris sui schola potius, quàm in Platonis vel Aristotelis academiis didicisse. Ipsa quoque sapienter illos convincens dicere potuit: *Sermo meus non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Libens enim agnovit, sapientiam suam potius cœleste quoddam donum esse, quàm studii sui partum, esse verum divini timoris effectum, utpotè in quo ipsa exactissimè vivebat. *Det vobis spiritum sapientiæ*, scribit Apostolus Ephesis; ubi advertendum est quòd Apostolus non dicat *sapientiam*, *sed spiritum sapientiæ*. Idque ut Cajetanus ait: *Et clarè explicet, quod de dono Spiritus sancti, non de sapientia humana, quæ per studium acquiritur, loquitur*; tametsi enim sancta Virgo nostra hìc in terris magnis cum sudoribus & laboribus studuerit in scholis, hanc tamen sapientiam acquisitam minimi faciebat, maximi autem thesauri loco infusam à sponso suo sapientiam habuit: *Habeo quidem sapientiam sicut Dei mei donum*; hanc vero in ipsa fuisse, hujus evidens est indicium, quòd scientia ipsius cum profunda esset humilitate conjuncta; siquidem *scientia inflat*, videlicet acquisita; ipsa autem de se protestabatur ad Imperatorem dicens. *Sum pulvis & lutum*.

Surius.
1 Cor. 2. 4.
Ephes. 1.

3 *Virgo sapiens*. Admirabilis hujus Virginis sapientia tanto magis relucet, quia in imbelli quodam sexu vanitate & superbia communiter obnoxio reperitur. Quando serpens Evæ dixit, ipsam una cum conjuge eam assecuturos esse sapientiam, qua pares Deo esse valeant: *Eritis sicut Dii scientes*; ipsa manum suam ad pomum vetitum extendere, & adversus cœlum se erigere non distulit. Sapientia vero quæ in hac Virgine fuit, *tantum abest*, quod illam à Deo separare potuerit, ut etiam eandem per nodum quendam conjugalem cum Deo tenacius strinxerit. Porrò pulcherrimus omnium Angelorum, paradisi thesauro abundè locupletatus, *Plenus sapientia, perfectus decore in deliciis paradisi*, Deo rebellis exindè factus est: at verò sancta Virgo nostra, in supremo deliciarum gradu posita, plena sapientia, perfecta decore, in profundæ humilitatis centro, suique ipsius contemptu continere se semper potuit, ideoque dixit: *Sum pulvis & lutum*. *Scientia inflat*, inquit Doctor gentium, *charitas verò ædificat*; quibus verbis ex mente S. Augustini dicere voluit: *Amate scientiam, sed anteponite charitatem; scientia si sola sit, inflat: quia vero charitas ædificat, non permittit scientiam inflare, ibi ergo inflat scientia, ubi charitas non ædificat*. Etenim immensa hujus Virginis sapientia ideo in ipsa cum contemptu sui ipsius conjuncta erat, quia cor ejus charitate & amore Dei accensum erat. *In eum solum erat cor ejus amore inflammatum*. Undè S. Bonaventura in lib. de septem itineribus æternitatis scribit, quod vera sapientia *non scholam quærat, sed cor; non magistrum, sed sponsum*; id quod in sancta Catharina verè adimpletum fuit: *Cor ejus erat amore inflammatum*; & quidem amore Christi non solum magistri, sed pariter & sponsi.

Ezech. 28.
1. Cor. 8.
Ser. 58. de verb. Dom.
Surius

Job 28. 28.
4 *Virgo sapiens*. S. Job per totum fere caput Prophetiæ suæ diffusè non minus quàm curiosè inquirit, ubinam degat sapientia, & in quo consistat; ac tandem concludit: *Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere a malo intelligentia*. Verùm quis uspiam inveniri poterit, qui majori cum conatu & studio omnem culpæ nævum quàm ipse abhorreat? *solum Christum norat sponsum, & ei animæ servabat pulchritudinem*. Etenim si filius Dei, qui *candor est lucis æternæ*, maculam aliquam quantumvis levissimam in ea invenisset, non utique cum ipsa desponsatus fuisset, quia in libro Sapientiæ dicitur: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*.

Sap. 2. 4
Prov. 24. 5.

5 *Virgo sapiens*. Spiritus sanctus in Proverbiis per os Sapientis, hæc duo inter se nectit, dicens: *Sapiens & fortis*; & quidem pulcher est hic nexus: nam sapientia & fortitudo valdè inter se conjungi postulant. Et ideo fortitudo pariter & sapientia in hac sancta Virgine nostra mirabiliter relucent; neque enim ipsa sicut alii Martyres & Virgines apud tyrannum accusata fuit, sed ipsamet ultro citroque cum heroica magnanimitate, cœlestis sponsi sui adeo magnis probris affecti zelo succensa, ad exprobrandum Maximino Imperatori ad eundem se contulit; fuitque hìc actus fortitudinis propriè, non vero audaciæ; siquidem intra semetipsam dicere debebat: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Porrò eo tempore, quo sacrilegus Imperator tantam sapientissimorum multitudinem in urbe Alexandrina, ut alios ad offerenda falsis Diis suis in Christianæ religionis ignominiam sacrificia inducerent, congregarat, *adeo ut propter multitudinem eorum, qui confluebant, angusta esset civitas*; nullus erat alius, qui Dei vivi & veri honorem zelaret, præterquam sanctissima hæc Virgo, de qua dici potuit, quod in conspectu quasi totius mundi, totaque aula Imperiali præsente impietatem Imperatori in faciem exprobaverit, eundem de erroribus suis irrefragabiliter convincendo. S. Ambrosius de Virginibus scribit: *Trepidare virginum est & ad omnes viri pavere affatus*; & tamen licèt hæc sancta Virgo solitudinem suam tantopere dilexerit, ut de ipsa dicatur, quod *solum Christum norat sponsum*; generosum tamen pectus exhibuit in animosa Imperatoris increpatione, & gravi reprehensione, quia *perfecta charitas foras mittit timorem*; præterquam quod sapiens & fortis extiterit; & hæc fortè causa est, cur hodie in Introitu Missæ verba illa canantur: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum & non confundebar. Pro Domino æmulatione & zelo incitata*.

Phil. 4. 13.
Surius.

6 *Virgo sapiens* Propter admirabilem sapientiam & eloquentiam, quam in quinquaginta illorum Philosophorum conversione sibi inesse probavit, Psalmista prædixit *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*. Circa quæ verba Genebrardus ait: *Græcè est masculini generis, & Hebraicè fœminini*, adeo ut idem sit, ac si diceretur *evangelizatricibus*. Quænam autem prædictionem istam in hoc debili sexu ipsa perfectius adimplevit, utpotè quæ Philosophos illos non solum confudit & convicit, verum etiam omnes Martyres effecit, & quidem acerbissimo ignis martyrio consummatos. Idem Author in hunc locum Psalmi ita scribit: *Eis suppeditabit multas vires & magnam fortitudinem ad proferendum Evangelium, eos subministrabit multos angelorum exercitus ac præsidia ad eos tuendos*. Quæ omnia ad præsens propositum nostrum applicari possunt, quia priusquam sancta martyr nostra certamen suum ingrederetur, Deus Angelos suos ad eam misit, qui ipsam ex parte divini sui sponsi & consortis animarent, id quod hisce verbis præstitum fuisse legitur: *Noli timere Dei puella; ecce enim præter tuam sapientiam tibi dabitur a Deo sapientia, & persuadebis quinquaginta oratoribus*. Et hinc est quòd verè de illa dici possit, eam videlicet omnem humanam sapientiam confudisse, quæ inter sapientissimos hosce totius mundi Philosophos restricta tenebatur. Unde Osorius ait: *Adeo sapiens fuit, ut universam mundi sapientiam superaverit*. Neque enim solum sapientissimos, sed etiam totius mundi nobilissimos, ut Imperatricem, quæ martyr effecta est; necnon & fortissimos, cujusmodi Porphyrius Dux generalis exercitus una cum aliis militibus, qui pariter martyrio affecti fuere, fidei nostræ fecit esse consortes.

Psal. 67. 12.
Serm. 1. de S. Cathar.

7 *Virgo sapiens*. In Isaia quæstionem quandam ab eodem Propheta propositam reperio, nimirum: *Quem docebit scientiam*: cui idem Propheta protinus respondet: *Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*? Circa quæ verba Hugo Cardinalis ait: *avulsos ab uberibus mundi, quæ sunt vanitas & voluptas*. Ac proindè mirum non est, veram sapientiam in hac adeo profundas egisse radices, quippè quæ adeo à vanitate & voluptate aliena erat, tametsi duobus hisce uberibus debilis hic sexus adeo sit addictus, ut uni-

Isa. 28. 9.

eum

cum earum elementum, quo nutriuntur, esse videantur: ipsa namque omnia à se gaudia, delitias, divitias, libertatem, quibus in pulcherrimo ætatis suæ flore uti poterat, imo & imperium abdicavit, cujus tamen sceptrum una secum administrandum Imperator ei obtulerat, dummodo in sacrilegam ejus voluntatem condescenderet: *Te decet Imperium, o filia, age ergo cum Diis sacrificaveris, impera nobiscum.*

8 *Virgo sapiens*: Vera sapientia ut plurimum cum virginibus familiarissimum habere consortium solet, ipsomet Spiritu sancto hujus rei testimonium perhibente,
Sap 7. 25. dum ait: *Nihil inquinatum in eam incurrit; candor est enim lucis æternæ, speculum sine macula, innumerabilis honestas per manus illius.* Et quidem si præteritorum sæculorum revocare in oobit velimus memoriam, idipsum verissimum esse comperimus; siquidem sapientissimi quique, & in divinis mysteriis illuminatissimi, in hac quoque virtute maximè conspicui fuisse noscuntur: tales namque fuerunt sancti Joannes Apostolus, sanctus Paulus, sanctus Thomas de Aquino, sancti Gregorii Nazianzenus videlicet & Magnus, & sanctus Ambrosius, & alii sexcenti similes. Sanctus Antonius, prout in ejus vita sanctus Athanasius testatur, dicere solebat: *Animam Deo servientem, si in ea permanserit integritate, qua nata est, plus scire posse quam dæmones.* In hac autem integritate sancta Martyr nostra à primis vitæ suæ annis ad finem usque constanter perseveravit; undè hujus lilii candore & fragrantia capta, illum sibi Deum adoptavit in sponsum, qui est candor *lucis æternæ, & speculum sine macula.*

9 *Virgo sapiens.* Idipsum quoque in morte sua verum esse probavit; siquidem tam lac, quod ex ejus corpore una cum sanguine in ejus decollatione copiosè scaturiit, quàm oleum, quod ex ejus sepulchro continuo manat, admirabilem ejus denotabat sapientiam; sanguis etenim illius fidei suæ testimonium fuit, lac verò candoris doctrinæ quam prædicavit, & quidem privilegium istud prius sancto Paulo Apostolo, postea verò huic Martyri concessum fuit. Undè idem Apostolus Corinthiis ab eo
1 Cor 3. 2. in Evangelii doctrina eruditis scribens, dicebat: *Tanquam*
Isa 55. *parvulis in Christo lac potum dedi.* In Isaia quoque scribitur; *Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione vinum & lac.* Ubi Chaldæus legit: Discite absque pretio & absque pecunia doctrinam meliorem vino & lacte. Sicut enim lac ex duobus uberibus scaturire videtur, ita quoque lac sapientiæ sacræ è duobus testamentis addiscitur. Ita Philo Carpathius super illa Canticorum verba: *Meliora sunt ubera tua,* scribens, hisce verbis declarat: *Duo testamenta ex Spiritu sancto spiritualem nobis potionem divini lactis instar effundunt.* Porrò quod oleum attinet, quod ab hoc virginali corpore continuo manat, ubi nostra vulgata legit. *David sedens in cathedra sapientissi-*
2 Reg 23. *mus*; Chaldæus legit: *In unctione sancta*, adeoque per hunc liquorem cœlestem ejus sapientiam nobis præfiguratam esse dicere possumus. Sapiens scribit. *Qui autem*
Prov. 30. 33. *fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum.* Quem textum juxta sancti Gregorii explicationem ipsi ad propositum nostrum accomodare possumus; nam *ubera fortiter premit, dum verba sacri eloquii subtili in-*
Lib 12. Moral. c. 2. *tellectu pensamus, qua pressione, dum lac quærimus, butyrum invenimus; quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, ubertate internæ pinguedinis ungimur.* Equis igitur in dubium revocare poterit, quin sancta Catharina virgo sapiens & prudens fuerit, quando lampas corporis ejus tanta olei abundantia abundavit, ut etiam post mortem ejus per tot sæcula è sepulchro ipsius oleum in tam ingenti copia scaturire non desinat. Undè Osorius ait: *Tantum olei in anima sua accepit, ut in corpus ejus redundaverit, & nunc sepulchrum illius oleum manat.* Et quidem tametsi Evangelium de virginibus lampades oleo plenas Christo in occursum portantibus, quo sancta Dei Ecclesia Martyrem nostram honorat, commune etiam sit aliis Virginibus, magis tamen propriè ad ipsam pertinet; siquidem postquam ab hinc tot sæculis ante cum cœlesti sponso ad nuptias cœlestes ingressa sit, lampas tamen corporis ejus nullum hactenus olei defectum experta fuit, quin potius ob copiam indè scaturientem, oleo magis quàm unquam in vita refertissima mansit. In
Lib. 8. cap. 93 Theatro vitæ humanæ Joannes de Monte Villa lib. 1. de Peregrinatione refert, quòd quovis anno recurrente die festo S. Catharinæ virginis & martyris omnis generis volucres ad sepulchrum sanctæ Martyris honorandum conveniant, quarum singulæ singulos è fructifera quadam arbore decerptos ramos eo deferunt, ibidemque unà cum foliis & fructibus, veluti in oblationis & sacrificii cujusdam signum relinquunt, *ex quibus ramis oleum sufficiens exprimunt.*

De Rotæ, quæ juxta S. Catharinam pingi solet, mysteriis.

DISCURSUS SECUNDUS.

Et vidi, & ecce rota una juxta Cherubinum: Ezech. 10. v. 9.

1 OMnino mihi persuasum habeo visionem illam, quam S. Ezechiel Propheta habuit; quamque capite 10. Prophetiæ suæ de rota quadam, quam juxta Cherubinum stare vidit, disertis verbis describit, quoddam fuisse martyrii S. Catharinæ vaticinium. Etenim certum est, quòd sicut juxta S. Laurentium craticula tanquam martyrii ipsius instrumentum depingitur, sicut & juxta S. Sebastianum sagittæ exprimuntur, ita quoque huic nostræ S. Martyri tanquam signum martyrii ipsius distinctivum, rota attribuatur. Quis item non videt eam Cherubini titulo denominari posse, utpotè cui simillima extitit, non solùm quoad vitam quam duxit, angelicam; verùm etiam in admiranda scientia & sapientia ejus, qua fuit conspicua? *Vidi, & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim.* Ecce tibi diabolicam machinam, quam tyrannus pro sanctæ Virginis martyrio preparavit curavit; nam ut historia vitæ ejus refert, machina quædam ingens præparata est ex quatuor rotis in unum colligatis, quæ ex omni parte clavos & alia ferra acutissima sibi defixa habebant. Ab hujus igitur sanctæ Virginis honorem velim ut per præsentem Discursum machinam hanc per circuitum nonnihil penitus consideremus, nec non & sanctissimam Virginem & Martyrem nostram contemplemur, qualiter ad concipiendam in sanctis propositis suis firmitatem & stabilitatem oculos cordis sui in hanc rotam firmiter defixos habeat.

2 *Et ecce rota.* Rota continuo susque deque vertitur, ejusque brachia, ex quibus componitur per circumferentiam ejus in motu sunt continuo; at vero centrum illius, teste experientia, immobile semper persistit. Eodem prorsus modo de mystica hac rota discurrere possumus; quia tametsi in S. Catharina in certaminis discrimine & continua agitatione posita fuerint natalium suorum nobilitas, utpotè quæ è regia progenie oriunda erat, juvenilium amorum suorum flos pulcherrimus, incredibilis faciei decor & pulchritudo, divitiarum abundantia, libertas, & quam potentissimi hujus sæculi de ipsa habebant, existimatio, etiamsi, inquam, hæc omnia in ipsa magna fuerint mutatione & variatione obnoxia, ipsam tamen, utpote quæ cœlestem sponsum suum in centro cordis sui immobiliter defixum habebat, ad omnes ei inteatos insultus, quantumvis illi vehementer essent, constant semper & immobilis permansit; siquidem ut benè Psalmista ait: *Deus in medio ejus non commovebitur*; cor Ps 45. 6.
nostrum in continuo semper motu consistit, per affectum interiorem se ad omnia bona temporalia vertendo, nunquam stabiliri aut quiescere potest, donec Deo, qui centrum ejus est, intimè adstringatur: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*; at vero quando in Deo quiescit, totaliter contentum est atque quietum, dicit: *Deus meus & omnia*; nostra autem Sancta cum Christo charitatis vinculo arctè conjuncta erat, qui ei pro sponsalitii sui pignore annulum pronubum donavit: *Erant duo in carne una.*

3 *Et ecce rota.* Hanc rota proprietatem habet, quòd terram in unico duntaxat puncto, ut ita dicam, contingat, omnesque aliæ ejus partes à solo levatæ consistant, id quod alia instrumenta, quibuscum ambulamus, aut terram calcamus, non faciunt. Hanc autem proprietatem S. Gregorius animabus istis, cœlo possidendo electis, messe agnoscit: *Terrena transeunt, & vix summis vestigiis* Hom. 5. in Ezech.
terram contingunt. Undè Tertullianus de fidelibus sui temporis, illorum ab hisce terræ bonis alienum animum laudando scribit: *Terram suspenso pede tenemus.* Enimvero quantum sancta Martyr nostra per amorem suum ab omnibus bonis, quæ mundus æstimare solet, aliena fuerit, vel ex eo deduci potest, quòd unica paternarum divitiarum

tiarum

tiarum hæres existens, easdem penitus aspernata fuerit, ut se paupertati & nuditati Crucifixi tanto arctius conjungeret, ideoque ejus, qui totius mundi monarcha erat, ejusque eximia pulchritudine captus, ipsam in conjugem habere ambiebat, oblatas nuptias generosè contempsit, eique dicere non dubitavit: *Hæc, quam tu admiraris, pulchritudo, terra est & cinis, quam & tempus efflorescere facit, & morbo tabescit, utpotè quæ nihil stabile, nihil firmum habet.*

4 *Et ecce rota.* Per hoc instrumentum, prouti ex libro Ecclesiastis colligitur, hujus nostræ vitæ fugacitas intelligi potest; Cap. 12. 6. dicit enim Sapiens eo loco: *Antequam rumpatur funiculus argenteus*; & paulo post: *Et confringatur rota super cisternam, & revertatur pulvis in terram suam, unde erat*; circa quæ verba S. Hieronymus ait: *Rota accipitur pro nostra hac vita, ob ipsas revolutiones ac motus; inquit ergo: antequam rota hujus vitæ non secum præcipites devolvat in lacum, propriam curemus salutem.* In Paræneso Et S. Nilus nos monet dicens: *Si vitam, quæ vere vita est, desideras, expecta tamen mortem humanam, & odio prosequere vitam præsentem; vides enim quod rota indesinenter volvatur.* S. Catharina autem non hanc vitam præsentem, sed beatam & æternam semper ob oculos positam habebat, atque ex hac consideratione per moram exhorrescebat, quicquid in terris à nobis solet æstimari, divitias nimirum, formæ pulchritudinem, voluptates, gaudia, honores, cunctaque alia similia; ac proindè zelo honoris Dei sponsi sui succensa morti ipsi obviam processit, dum Maximino suam adversus fidem Christianam sacrilegam impietatem exprobrando acerrimè eundem objurgavit, se verò à barbaris immanibusque carnificibus nervis & plumbatis lacerari incredibili cum jubilo sustinuit, haud secus ac si in nuptiali thalamo quodam recumberet, sicut non minus intrepido corde se, ut à diabolica illa rotarum sibi præparata machina in mille partes dilaniaretur, accinxit, ac tandem collum suum, præ gaudio se capere non valens, ferro amputandum subjecit, idque ex eo solum, quia illuminati intellectus sui oculos in bonorum æternorum stabilitate & æternitate defixos habebat, præsentium verò bonorum caducorum atque fragilium fugacitatem velut somnium quoddam derisui atque contemptui habebat. Rom. 8. 18. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, inquit Apostolus.

5 *Et ecce rota.* Non solùm rota fugacitatis humanæ vitæ, verùm etiam instabilitatis, qua terræ hujus monarchiæ & regna instabiliter semper nutant & fluctuant, propriissimum est symbolum. Undè S. Bernardus serm. de fallacia præsentis sæculi, ita scribit: *Sicut rota nunquam stat, sed perpetua volubilitate circumcingitur, ita in hac vita rota nulla stabilitas aut securitas reperiri potest.* B. Franciscus Borgia vultum Imperatricis (cujus cadaver sepeliendum illi commissum fuerat) à vermibus devoratum, & prorsus deformatum videns, firmiter apud se statuit, se nullius deinceps Domini obsequio adhæsurum, quem sciret à sua felicitate posse deficere. Porrò quod sanctam Martyrem nostram attinet, quot ipsa sponsos divitiis, natalium splendore atque authoritate insignes, quibus ipsemet quoque Imperator annumerandus venit, nuptias ejus ambientes contempsit? omnibusque mortalibus post-habitis unum duntaxat, quem nunquam in æternum deficere posse sciebat, sibi in sponsum animæ suæ elegit, regna verò terrena & sceptra Imperialia generosè calcavit; ideoque sancta Virgo nostra præ cunctis aliis veridicè dicere potuit: *Regnum mundi & omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.* Etenim sponsum suum Jesum visibiliter se ei ostendentem viderat, quando is inserto in ejus digitum annulo, eam in sponsam sibi adoptavit, & ideo verè dicere poterat: Quem vidi. *Bona hujus sæculi* (sunt verba S. Ambrosii) *instabilia sunt, & rotarum in morem cum ipso sæculo volvuntur.* Lib. de Abraham. Atque ideo ipsa animabus Deo suo lucrandis totaliter dedita erat, quales fuere inprimis quinquaginta totius terræ sapientissimi Philosophi, Imperatrix ipsamet, imperialis quoque exercitus dux generalis Porphyrius, multique alii: ut proindè ei encomium in Daniele descriptum jure attribuere possimus: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. 3. Etenim ipsa verè stella quædam fuit, sed fixa in sanctæ Ecclesiæ firmamento, non errans, quia cordis sui oculos in instabilis hu- Epist. 151. manæ infelicitatis rota defixos semper habebat. Seneca de quodam aulico Principi suo perquam dilecto & charo, refert; quòd is ab eodem Principe interrogatus, an in animo suo plenè contentus & quietus viveret, responderit: Nequaquam, ò Princeps; Principi verò denuo ipsum interroganti: Quid igitur votis suis deesset? iterato respondit: Nil nisi clavum aliquem apprimè mihi necessarium mihi deesse experior; quod quidem responsum prima facie ineptum fuisse videri nonnemini posset; at verò re ipsa planè mysticum est; voluit enim prædictus aulicus insinuare, se quidem sua sorte contentissimum vivere posse, dummodo altum satis clavum haberet, per quem rotæ fortunæ profundè infixum ejus volubilitatem firmare & immobiliter persistere posset, cùm aliàs hæc continuo sursumque deque vertatur & circum agatur. Id quod ex eo, quod Cedrenus in Historiarum sinarum compendio scribit, melius utique intelligemus. Hic igitur de Principe quodam refert, quod cùm integro biennio in captivitate hæsisset, observatum in eo fuerit, quòd licèt quotidie magnificè & lautè juxta conditionis suæ eminentiam tractaretur, nunquam tamen quieti aut contentati animi signa ediderit, nec unquam ridere visus fuerit; quod cùm Rex, qui eum captivum detinebat, vehementer miraretur, præclarum quoddam donum militibus eum custodientibus ad promisit, si aliquis eorum verè nuntiaturus esset, se captivum Principem ridentem vidisse. Accidit igitur quòd unus eorum tempore custodiæ eum effusè ridentem conspexerit, qui proindè id nuntiaturus ad Regem protinus convolavit. Qui causam risus intelligendi percupidus, eum coram se adduci jussit, risusque motivum sibi ab eo enarrari curiosè expetiit. Respondit igitur captivus, se eo die, quo adeo effusè riserat, currum aliquem transeuntem observando vidisse rotas currus illius omnino volubiles esse, adeo ut in momento pars superior se deorsum vertens inferior videret, inferior verò huic subito superimmineret, descensui iterando proximi; indeque se conclusisse, nihili faciendam esse bonam vel malam fortunam: siquidem experientia id quotidie docente videatur Principes illos, qui modò manicis ferreis constricti in carcere gemût, ad sceptra denuo tractanda dimitti; eos verò, qui libertate de facto potiuntur, in miserabilem servitutis statum infeliciter abripi. Salutare proindè monitum fuit, quod Eugenio Papæ S. Bernardus tradidit: Epist. 237. *Itaque*, inquit, *ascendisti in altum noli altum sapere, sed time, ne fortè contingat sero miserabilem illam emittere vocem: A facie iræ & indignationis tuæ elevans allisisti me; altiorem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem.*

6. Porrò sancta Martyr nostra per sequentium quatuor rotarum seriam considerationem ad cœlum ascendit empyreum, nosque pariter docet, qualiter per earundem rotarum subsidium, ad paradisum, veluti in curru quodam cōmodissimè, ut ita dicam, vecti pervenire valeamus. Et quidem prima rota est Deo veluti animæ & cordis nostri centro intimè uniri, atq; in ejus amore immobiliter persistere. Secunda rota est, omnia bona terrena abdicare, ipsorum fallaciam considerando. Tertia est, vitæ hujus brevitatem considerare, utpotè quæ fundata est super pulvere: *Tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Quarta est omnium horum temporalium bonorum instabilitas atque volubilitas. Enimverò certissimum est, quòd per rotam mundus hic instabilis intelligatur, unde rota fortunæ continuo verti dicitur; ideoque Sancti, utpotè qui altiore lumine illustrati sunt, timent & tremunt, quando illam sibi arridere aut propitiam esse conspiciunt. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit incursum*; Prov. 30. 30 & tamen, ut S. Antoninus scribit, Par. 2. tit. 14. c. 4 §. 3. rotarum strepitum planè formidat. Porrò homo justus in alio eorundem Proverbiorum loco leoni Prov. 21. 1. comparatur: *Justus autem quasi leo confidens absque terrore erit*; at verò qua ratione eis rotarum strepitum timere convenit? *Rota volvitur continuo, ex qua revolutione id quod supra est, descendit ad ima, & significat dignitates, & honores, & prosperitatem temporalem, quæ appellantur bona fortunæ, quæ sunt in magna mutatione, electi igitur, et si leones sint in fortitudine, timent tamen poni vel se reperire in dignitatibus.* Porrò sancta Martyr nostra rotas novaculis acutissimis, per totam sui molem dispersis plenissimas à tyranno sibi præparatas nequicquam timuit, valdè autem rotam illam lenocinantem abhorruit ab Imperatore eam sibi desponsare, totiusque mundi Imperatricem Surius. declarare volente sæpius oblatam: veruntamen *stolam martyrii*, inquit animosa Martyr, *longè præfero cunctis purpuræ regiæ.* Verum inquies fortassè, si ita est, ut hactenus diximus,

ximus, ipsam nimirum juratam esse rotæ mundi hujus inimicam & hostem, cur igitur rota juxta ipsam communiter depingitur? Sciendum est igitur, quod dum Princeps aliquis, vel belli dux de hostibus suis triumphat, provincia illa vel regnum, quod præliando in suam potestatem redegit, vel saltem insignia illius, in signum victoriæ obtentæ, juxta illum depingi soleant; eodem igitur modo de hac rota dicere possumus, illam nimirum denotare victoriam, quam de hoc mundo reportavit, qui illi arrisit, non vero vicit illam: Et ideò de ipsa dici potest: *Felix felicitas præsentis sæculi, si arrisit, non arrisit.*

7 *Et ecce rota.* Gentiles antiqui Deorum suorum statuas currui rotis instrato superimponere, & processionaliter circumducere solebant, gratum se per istud obsequium diis suis sacrificium offerre existimantes, ad quem usum verba illa Isaiæ alludunt: *Triturabitur Moab sub eo* Isa. 25. 10. *sicuti teruntur palea sub plaustro, & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum.* Enimvero sancta Virgo & Martyr nostra jam olim Deo suo per inviolabilem perpetuæ virginitatis promissionem sacrificata erat, hoc autem virginitatis suæ lilium sanguine suo abundanter in tot suppliciis effuso rigavit, aliisque corporalium austeritatum rigoribus, quibus semetipsam voluntariè afflixit, & fovit & promovit; at vero hæc omnia minimè ei sufficiebant: siquidem ad suam erga cœlestem sponsum suum fidelitatem & zelum sanctæ fidei tanto evidentius contestandum, insuper sub præparata sibi rota novaculis plena lacerari elegit, tametsi hæc miraculosè totaliter confracta & diminuta fuerit, idque fortasse ad denotandum ejus erga divinum sponsum suum intemeratam fidem ac fidelitatem majori aut evidentiori testimonio nequaquam indigere.

Nonnulla considerantur mysteria, ob quæ Deus corpus hujus sanctæ Virginis ab Angelis supra montem Synai portari voluit.

DISCURSUS TERTIUS.

Deus qui dedisti legem Moysi in summitate montis Synai, & in eodem loco corpus B. Catharinæ per sanctos Angelos tuos mirabiliter collocasti: præsta quæsumus, ut ejus meritis & intercessione ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus.

1 PRæclara sanè prærogativa fuit illa, qua Deus prædilectam sponsam suam S. Catharinam honorare voluit, quando corpus ejus sacrosanctum per manus Angelorum suorum suprà montem Synai deportari jussit. Etenim magna ejus mater Virgo Maria ministerio & amplissimo comitatu Angelorum corpore & anima in cœlos assumpta fuit: at verò ad hoc ut sponsæ filii ejus iidem Angeli obsequerentur & ministrarent, beatorum spirituum Hierarchiæ sua inter se munia & officia diviserunt, siquidem pars eorum tota in id contendebat, ut animæ illius purissimæ, dilecto suo æternaliter adstringendæ in cœlos evolanti ministerio suo accuratissimè assisteret: alia verò Angelorum pars magnopere se honoratum iri existimabat, si digna censeretur, quæ sacrosancto ejus corpori in montem Synai deportando humeros suos submittere posset. *Ejus corpus* (inquit Osorius) *tanquam angelicum Angeli sepelierunt, quia illa* Serm. 9. de S. Catharina. *erat Angelus gratia: mirum profectò sepulchrum, quod Angeli Angelo extruxerunt, sileant miracula Memphis: sileat Mausolæum, & Aegypti pyramides; nullus Regum aut Imperatorum ab Angelis sepelitur; nisi virgo, quæ Angelus est*; Etenim ipsa dici potest continua cum Angelis tractasse commercia, siquidem præter frequentes visitationes, quibus ipsam honorabant; scimus eos illi apparuisse priusquam perdifficilem illam aggrederetur disputationem, eam assecurando de obtinenda adversum quinquaginta illos Philosophos victoria; ipsam quoque sæpè visitarunt in squalido quo detinebatur carcere. Diabolicam item rotarum illarum machinam opera sua comminuerunt & obtriverunt; ac tandem obsequium suum eidem ad finem usque exhibere desiderantes, ad sacrum ejus corpus condignè inhumandum certatim in eodem ad Synai montem deportando contenderunt.

Mansi Prompt.

2 Verùm enimverò specialissimè hoc loco nobis examinandum venit mysterium, quo sancta mater Ecclesia à Spiritu sancto directa mota est, ut in ea oratione quam hodie ad Deum dirigimus in hodierno officio, inter tot ejus præclaras virtutes, factaque heroica nullius alterius mentionem faciat, quam solius depositionis corporis sui in celebrem Synai montem ab Angelis deportati; Præterea cur cœlestes illæ intelligentiæ, ex jussu ut credibile est, Divini sponsi in illius præcisè montis verticem & non alium in locum transportarint. Equidem ni fallor, respondere nos posse existimo, quòd cùm increata Patris sapientia multa in eodem monte stupenda opera patrarit, in omnibus ibi patratis prodigiis facta sponsę ejus celebriora in omnibus illis prodigiis ad vivum præfigurata fuerit. In theatro vitæ humanæ, ubi hujus quoque montis fit mentio, dicitur: *Mons Syna est celeberrimus Arabiæ mons, ita dictus à copia ruborum, quia Sene Hebrais rubum significat: notantur autem octo miracula, aut saltem mirabilia, quæ Deus in hoc monte fieri voluit.* Porrò ultimum omnium illorum miraculorum est, quod Angeli ibidem sepulchrum excavarint corpori sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris recipiendo idoneum, ac proindè decretum mihi est in præsenti Discursu aliorum septem miraculorum in prædicto Theatro enumeratorum Analogias & parallelos huic sanctissimæ Martyri adaptare; eò quod per hoc magnalia ejus magnificè deprædicanda fore existimem.

3 *Primò igitur Deus hic apparuit in rubo.* Per rubum verò istum virginitas haud dubiè intelligitur: *Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, Dei genitrix.* Spinetum quoque istud sive rubus virginitatem hujus nostræ sanctæ Martyris præfiguravit, quæ ad se rapuit ipsum Dei filium, quia sicut Maria *virginitate placuit*, & ideò eam sibi elegit in matrem: ita quoque Catharina virginitate placuit, & ideò eam sibi elegit in suam sponsam. Porrò virginitas ejus tantò admirabilior extitit, quanto ignis purissimi amoris ejus pluribus spinis cinctus erat, cujusmodi spinæ erant rara ejus pulchritudo, divitiæ, divitiæ, libertas, nobilitas, ejusque etiam à potentissimis mundi Monarchis desiderata desponsatio, Deus olim quoad hunc eundem montem populo suo præcepit: *Cavete ne ascendatis in montem nec tangatis fines illius:* Exod. 19. 12. *omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Eadem quoque zelotypia Deus se erga hunc mysticum montem affectum esse ostendit, siquidem Angelos individuos ejus esse voluit defensores & contubernales; Etenim hi & non alii eidem in carcere ministrarunt; cœlitus ad eam epulas trasmisit, sed bajula candida quadam columba, neque corpus ejus post mortem ab alio quam ab Angelis tangi aut transportari permisit.

4 *Secundo, idem Moyses percutiens petram, aquas ex ea dedit populo.* Hugo Cardinalis in ea est opinione, Exod. 17. quod petra illa duritiam denotarit & obstinationem Hebræorum, qui exhibitis ab omnipotentis Divina miraculis & prodigiis increduli erant. In libro quoque Numerorum Deus duobus fratribus Moysi & Aaroni hisce verbis præcepisse legitur: *Loquimini ad petram, & ipsa dabit aquas.* Quibus in verbis ecce tibi clarè præfiguratum, Num. 20. 10. quod sanctissimæ Virgini nostræ quoad quinquaginta illos paganos Philosophos accidit, qui rationibus, argumentis, & miraculis credere renuentes, quavis se petra aut silice duriores esse ostendebant; siquidem ethnicus quoque Poeta cecinit:

Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Nec mirum, quia in puncto scientiæ cedendum ipsi erat cuidam mulieri, & huic quidem adolescentulæ & in juvenili ætate constitutæ. Enimverò Paulus Doctor gentium de hujus mundi sapientibus loquens hisce verbis utitur: *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus.* 1. Cor. 2. 14. Et tamen certum est, quod postquam sancta hæc Virgo duram Philosophicorum cordium petram, tum per veritatis, quam illis revelavit efficaciam, tum per superhumanæ facundiæ suæ affluentiam, tum denique per prodigiosam sapientiæ suæ virgam percussisset, mox dura ipsorum corda non solum veræ compunctionis aqua scatturire fecit, dum ipsius potestati tanquam victi cedebant, & ad Dominum convertebantur; verum etiam quod plus est, sanguinem è venis ipsorum copiosè manare procuravit, Martyres eos efficiendo: vel ut melius dicam ex hisce petris durisque silicibus ignem illum divinum

elicuit qui interiora animarum ipsorum exardescere faciens, ipsorum quoque corpora in cinerem, & favillam usque redegit; siquidem omnes se Deo unanimiter tanquam perfecta holocausta obtulerunt. Adhæc dicere possemus sanctam hanc Virginem nostram zelo contumeliati Dei sui percussam vel ictam, aquas scaturiisse doctrinæ & sapientiæ cœlestis in aliorum necessariam eruditionem, *Aqua sapientia salutaris potavit eos, petra autem erat Christus*; Hæcque mystica Petra in Catharina

a Cor. 13. 3 delitescebat: *Erunt duo in carne una*; unde dicere poterat: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Observandum est autem Moysen antequam

Num. 20. 6. aquam è Petra educeret, Deo prius dixisse: *Aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ*. Hic autem thesau-

Coloss. 2. 3. rus; ut eum huic nostro proposito adaptemus, dici potest scientiam sacram repræsentare: *Thesauri sapientia & scientia*; atque in hoc sapientiæ ærarium, ut in primo Discursu diximus, sancta Virgo nostra introducta fuit: Per aquam vero vivam Evangelii prædicationem intelligere licet, prouti ex verbis Christi ad Samaritanam pronunriatis, deduci potest: *Domine, da mihi hanc aquam*. Hic autem thesaurus abundanter ei communicatus fuit, ut eundem in populi Christiani utilitatem largiter effunderet, fidem sustinendo per tot animarum conversionem, & factas Imperatori in faciem impietatis ipsius exprobrationes. Præterea considerare possumus, quod petra hæc à virga Mosaica percussa juxta sententiam Origenis Redemptoris Passionem significet: *Percussus Christus & in Cruce mactatus novi testamenti fontes produxit*: Ab hac autem Christi patientis petra sancta Virgo nostra fortitudinem, quam in Martyrio suo exhibuit, nec non & jubilum, quo suum pro amore

Serm. 6. in Cant. sponsi sui effundendo sanguinem perfusa fuit, accepit. Sanctus Bernardus super illa verba: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, ita scribit: *Hoc audit sponsa, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur; inde martyris tolerantia*. In cujus probationem, historia vitæ ejus scribit, quod in mediis tormentis adeo intrepida permanserit, *ut propemo-*

Surius. *dum videretur ejus corpus esse lapideum, nisi ejus naturam fluvii sanguinis arguissent*; Neque id mirum, quia si verum est, quod duo conjuges *erunt duo in carne una*, sequitur profecto, quod cùm Christus cum S. Catharina desponsatus fuerit, ipsam sibi etiam in hoc similem effecerit, *ut corpus ejus videretur lapideum*; siquidem & de ipso dicatur: *Petra autem erat Christus*.

5 *Tertio. Ibidem Moyses levans manus, & orans obtinuit, ut Josue vinceret Amalech*. Et enim Josue cum

Exod. 17. Amalecitis pugnante, Moyses ait: *Ego stabo in vertice collis*, in eodemque collis vertice Moyse manus suas constanter in cœlum elevante vincebat Josue, eodem vero

In Moral. illas lassas demittente, Amalech superabat Israelitas, Lyranus per hunc Amalecitarum populum vitium, per Israeliticum verò populum spiritum denotatum fuisse existimat: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*. Enimvero ad reportandam in isto bello victoriam gladius Josue non sufficit; *Gladius spiritus, quod est verbum Dei*; verum insuper elevatione manuum Moysis opus est, id est, scientia & studium cum oratione conjungi debet: *Ama scientiam Scripturarum, & vitia carnis non amabis*, scribit Hieronymus ad Rusticum, quod sancta Catharina egregiè præstitit: *Catharina nobilis virgo Alexandrina a prima ætate studio liberalium artium cum fidei ardore conjungens*. Sanctus Paschasius Abbas de donis trium Magorum, sive, quod idem est, Sapientum, tractans ais: *In auro purissima divinarum rerum scientia: in thure oratio ipsius, vel compunctio recta; porro in myrrha tam voluptatum, quam vitiorum abdicatio*. Omnia autem hæc tria sapientiæ Virginis nostræ sanctissimæ conjuncta esse videmus; Etenim nonnulli existimarunt Ethymologiam nominis Catharina idem significare quod *vitiorum ruina*. *Invo-*

Sap. 7. 8. *cavi* (inquit Sapiens in lib. Sapientiæ,) *& venit in me spiritus sapientiæ*; deinceps vero pergit dicendo, se in virtute spiritus sapientiæ diademata, & sceptra regia calcasse & contempsisse: *Et præposui illam regnis, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius*. Author quidam

Jud. Clitht. antiquus in serm. de hoc festo ait: *Munita fuit contra carnis insultus, per frequens & prorsus assiduum literarum, tum humanarum, tum divinarum studium*. Quod denique orationem ejus attinet, hæc alia probatione non eget, nisi quæ in hactenus dictis allata fuit, scilicet quod toto amore & corde suo cœlesti sponso suo conjuncta semper fuit.

6 *Quarto data est etiam ibidem lex à Deo*, ac proinde non sine causa in principio orationis hodiernæ, en ipsa quo montis hujus mentio fit, in eodem pariter legem à Deo datam esse dicitur: *Deus qui dedisti legem Moysi in summitate montis Synai, & in eodem loco, &c.* quasi hoc præcipuum quoddam corpus in eo monte collocandi motivum fuisset Enimvero valdè est verisimile sanctam Martyrem nostram cunctas alias à Deo electas animas in exacta divinæ legis adimpletione longè superasse: *Lex Dei ejus in corde* Psal. 36. 31.
ipsius & non supplantabuntur gressus ejus; ubi notandæ sunt dictiones illæ, *Dei ejus*; siquidem Deus noster singulari quodam modo ejus fuit, utpotè qui se illi tanquam sponsus sponsæ per datum annulum pronubum devinxit. *Non supplantabuntur gressus ejus*, quia incredibile est quot laqueos inimicus ei tetenderit, ut eam prævaricari faceret, in primis etenim omnes adhibuit mundi blanditias & lenocinia, ac tandem crudelissimorum tormentorum ei intulit carnificinam.

7 *Quintò Moyses ibidem dies quadraginta vixit, colloquens cum Deo absque cibo*. Quod quidem prodigium in sancta Virgine nostra aliquousque renovatum fuit, cùm enim ipsa à Maximino Imperatore in carcerem, cum expresso dato mandato, ne intra dies duodecim quidquam ei comestibile porrigeretur, conjecta fuisset, cœlestis sponsus ejus Angelos ad eam de cœlo misit, ut ministrarent ei, nec non per columbam quandam candidam cibum ei, unde nutriretur, adferri voluit. De ipsa quoque verificatur, quòd sicut Deus in monte Synai Moysi facie ad faciem locuta fuit, ita quoque Deus cum hac Sancta nostra sæpius fuerit familiarissimè, & veluti facie ad faciem conversatus, nimirum quando annulum pronubum digito ejus inservit, quando eam sponsam suam declaravit, quando in carcere eam visitavit, ad martyrium eam animanda, cum firma adjecta promissione se ei adjutorio futurum esse, ut omnia posset supplicia devincere & superare. Præterea sicut Moyses ex Divino consortio vultum luminosissimum contraxit, ita quoque Imperatrix & Porphyrius belli Dux Sanctam nostram veluti splendidissimam quandam Paradisi lucem resplendentem viderunt: *Augusta, cum vi-* Surius.
disset illum aptatum vultum Martyris, admirata divinam, quæ in eo florebat, gratiam, & splendidum qui illinc emittebatur, radium.

8 *Sextò. Hic adoraverunt Hebræi vitulum aureum, & Moyses confregit tabulas legis, multosque è populo trucidavit*. Meritò igitur Deus hic corpus illud requiescere voluit, quòd ad æmulationem alterius Moysis Dei honorem adeò fortiter & generosè zelavit, siquidem tametsi in sexu admodum debili, teneraque ætate constituta, & alias virgo solitaria & modestissima esset, impium quendam Imperatorem, sævumque Christiani nominis persecutorem aggressa, acerrimè ejusdem sacrilegam impietatem repræhendit. Præterea sicut olim in hoc monte vel juxta eum multi qui ante vitulum aureum genua sua curvarunt, trucidati fuerunt; ita quoque hic multi è paganis qui sanctissimæ Virginis martyrio fuerant cooperati, ab acutissimis, novaculis, quæ totis passim infixæ, divina autem virtute ab iisdem dissolutæ disjiciebantur, interempti fuere; simulque cum profligatione & dissipatione errorum, qui in sapientioribus totius gentilismi, quorum hi quinquaginta Philosophi melior pars erant, adversus fidem nostram vigebant, pulvis vituli aurei cum idololatria dissipatus quoque remansit, perque horum sapientum confusionem, factam ab illis confessionem fide in multis quoque Provinciis ignorantiæ tenebræ pariter dissipatæ evanuerunt.

9 *Septimò* referunt sacræ paginæ Eliam Prophetam in hoc eodem Synai monte Deum vidisse, sed in sibilo auræ tenuis, postquam varii præcessissent terræ motus, ventorumque validissimi turbines, qui persecutionem adversus Eliam Baaliticu cultui se strenuè opponentem ab impio Rege Achab & Jezabele motæ fuerant, præfigurabant: *Spiritus grandis & fortis subvertens montes, &* 3. Reg. 19.
conterens petras: non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus; sed post commotionem ignis: non in igne Dominus; & post ignem sibilus auræ tenuis, & ibi Dominus. Pari quoque cum ob eandem causam zeli honoris & cultus Divini sanctæ Catharinæ quoque sævissima intentaretur persecutio, primò ejus patientia plumbatis, & flagellis acerrimis ei illatis pro-

probata

bata fuit, quibus omnia ejus ossa luxata fuerunt: *sed non in commotione Dominus*; accensus deinde est ingens ignis quo Philosophi per eam conversi in favillam & cinerem fuere combusti: *sed non in igne Dominus*, quia Deus eam igne consumi nequaquam permittere voluit, tandem ex quatuor rotis novaculis undique transfixis Diabolica illa machina fabricata fuit, sed & ab hac illæsa præservata, at verò scitisne cur Deus illam ab omnibus hisce tormentis præservarit? Nimirum Deus illam tanquam prædilectam sponsam suam tractare decreverat, id est, *in spiritu aura tenuis*, ideoque mitiori quodam mortis genere eam ad se evocare decrevit, in cujus signum è vulneribus ejus lac candidissimum una cum sanguine, & postea ex ejus corpore in sepulchro recondito oleum, quod lætitiæ symbolum est, scaturire voluit: *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.*

10 Advertendum est autem quod sancta mater Ecclesia, postquam sacrum hoc virginei corporis depositum Dei jussu ab Angelis supra montem Synai collocatum fuisse dixisset, nos quoque in eadem oratione ad exorandum Deum invitet, ut meritis hujusce virginis ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus: *Concede propitius, ut ejus meritis & precibus ad montem qui Christus est, pervenire valeamus.* Albertus magnus in sermone quodam de hoc festo refert, quod cum sancta Martyr nostra in procinctu esset, ut decapitaretur, *oravit ad Dominum, ut quicumque Passionis suæ memoriam agerent, quicunque etiam in exitu animæ suæ, vel in alia quacunque necessitate eam invocarent, propitiationis divinæ celerem consequerentur effectum*; & quidem in specie à Deo petiit, ut quicunque illam invocarent à periculis pestis, famis, & belli, aliisque infirmitatibus eximerentur, ac demum concludit, quod *oratione completa, vox de cœlo insonuit, promittens, ei quod in omnibus suis petitionibus à Domino foret exaudita.*

Deus in omnibus hujus virginis virtutibus & actionibus manifestare voluit, ipsam esse mulierem illam fortem, quam Sapiens tam studiosè quæsivit.

DISCURSUS QUARTUS.

Mulierem fortem quis inveniet. Proverb. Cap. 31.

1 SPiritus sanctus de fortis illius tam anxiè investigatæ mulieris seu potius viraginis encomiis tractans, S. Catharinam martyrem ad vivum delineasse videtur, adeò ut deinceps non sit opus quærere, an in hoc fragili sexu fortitudo aut invictum animi robur reperiri possit, siquidem factorum ipsius generosiorum historiam pervolventes evidentia veritatis hujus vestigia deprehendere facili negotio possumus.

2 *Byssus & purpura indumentum ejus.* Fortis hæc mulier candidissimo & subtilissimo lino, nec non rutilante purpura induta erat: nostra sancta similiter regia stirpe progenita fuit, & consequenter purpura vestiri debuit; & quidem idipsum verum esse vitæ ejus nobis de-
Gloss. ord. scribit historia, ibi namque dicitur: *Jubet Martyrem exui regali illa purpura; & boum nervis cædi crudelissimè*: At vero quoad sensum moralem: *Byssus castitas puræ conscientiæ, purpura effusio sanguinis*; utraque autem veste haud dubiè virgo hæc purissima & immaculata cincta fuit: Immaculatam illam dico, quia agno desponsa-
Apoc. 12. ta est immaculato: *Si vis nubere, nube pari*; Imò hic Agnus non solum *candidus* fuit, sed etiam *rubicundus*, quia est *Agnus occisus ab origine mundi*; *Gaudeamus & exultemus, quoniam venerunt nuptiæ agni.* Quænam autem alia est in hisce nuptiis sponsa, quam hæc nostra sanctissima Virgo, in cujus digitum annulum pronubum inseruisse legitur? *Et uxor ejus præparavit se, & datum est ei, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido*; quando enim moriens suum emisit Spiritum, sponsoque animam reddidit, quam ad tantam suam gloriam creaverat: hisce verbis ipsum est allocuta: *Quem pro te effudi sanguinem, eo meas maculas ablue.* Etenim purpuram sanguinis sui quo purpurata fuit, incomparabiliter pluris æstimavit, quovis ostro à majoribus suis hæreditato, imò etiam eo, quod Imperator ei

obtulit, quando illam Imperatricem declarare voluit; ideoque resolutè respondit: *Veni ut essem sponsa Christi, & cum haberem solum sponsum, & consiliarium, & ornamentum virginitatis, stolamque martyrii longè prefero, cuivis purpuræ regiæ. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*; nec tamen ideo ut existimo ad dexteram Regis, sive electorum residens regiam purpuram amisit, imo plusquam alias unquam in qualitate Reginæ venerationem habebit; nam ut S. Grego- Lib. 35.
rius ait: *Quid est enim vestitus aureus nisi decor & honor* Moral. c.
corporis virginalis. 23

3 *Confidit in ea cor viri sui*, Sponsus namque fortis hujusce mulieris omnem in ipsa confidentiam suam reposuit: *Novit enim spiritum gratiæ, quæ dedit*, (inquit Glossa) *novit virtutem charitatis, quam ejus præcordiis infudit.* Imo Deus de hujus sponsæ suæ fidelitate adeo est securus, ut non solum non timeat, ne à fide sua aberret, *Sponsabo te mihi in fide*, verum etiam ut certo sciat, quod ad eandem fidem multos quoque alios sit attractura; *Ideoque non dubitat, non solum eam à suæ fidei integritate non posse corrumpi, sed & perseveranter insistere, ac plures ad fidei cognitionem & unitatem congreget.* Id quod in sancta Martyre nostra perfectè adimpletum videmus, utpotè quæ non solùm sed in fide divino sponso suo data constantem & fidelem exhibuit, verum etiam plurimos alios convertit.

4 *Syndonem fecit & vendidit.* Circa quæ verba Glossa ait: *In linteo syndonis subtilis sanctæ intentio prædicationis significatur*; In cujus probationem linteum illud adducit, quod immundis venenosisque animalibus plenum coram S. Petro in extasi posito de cœlo demissum & explicatum fuit, per quæ peccatores & præcipuè idololatræ sive gentiles denotantur, quos per Evangelii prædicationem ad veram fidem conversurus erat. *Vendidit* (ita Glossa textum hunc de prædicatore Evangelico interpretatur, id est) *fidem, quam credendo texuerat, loquendo dedit, & ab infidelibus viam rectæ conversationis accepit.* Sancta igitur Martyr nostra linteum hoc per prædicationem suam texuit, quando multos gentiles ad fidem convertit, & ipsos quidem perditæ salutis homines, utpote qui sævissimi Imperatoris, cui in malitia similem religio Christiana nunquã habuit, milites & ministri erant.

5 *Consideravit agrum & emit eum.* Hæc quoque verba sanctæ nostræ congruè adaptari possunt, ejusdem præcitatæ glossæ explicationi insistendo: *Consideravit agrum, id est, mundum*, inquit, *vitiorum spinis horridum emit, cum talentum verbi auditoribus contulit, ut credentes Christo manciparet.* Enimverò nomen hoc Catharina, nonnulli ita interpretantur, ut idem sit, quod *vitiorum ruina*, totius namque terræ sapientissimos Paganos confudit, convertit, & ad Martyrium usque perductos Christo lucrifecit, *Christo mancipavit. Plures Philosophi qui ad eam arguendam venerant, vi ac subtilitate ejus disputationis, tanto Jesu Christi amore sunt succensi, ut pro illo mori non dubitaverint.*

6 *Os suum aperuit sapientiæ*; Id quod probatione nullatenus indiget, siquidem in primo Discursu de hoc festo de admirabili ejus sapientia fusius egimus.

7 *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Quis autem pulchritudinem unquam ipsa amplius despexit, utpote quæ eam luto, quod pedibus calcatur, parem habuit? nam cum ipsummet Imperatorem vultus sui venustate & gratia captum esse animadverteret, eundem turpiter delusit dicendo: *Sum pulvis & lutum efficta in hanc formam & ejus honorata imagine.*

8 *Surrexerunt filii ejus & beatissimam prædicaverunt, Id est, electi mortales*, inquit Glossa, *& tunc matrem, quæ eos aqua & spiritu Deo genuit, beatissimam prædicabunt.* Numerate obsecro animas, quas Deo in aquis baptismalibus sanctissima hæc Jesu Christi sponsa regeneravit, & invenietis, quam aptè & congruè verba illa Ecclesiastici hujus sponsalitii partubus adaptentur: *Filii ejus beatissimam prædicabunt*, id est, quinquaginta Philosophi, Imperatrix ipsa, Porphyrius belli dux, & tam multi alii.

9 *Vir ejus & laudavit eam.* Circa quæ verba Glossa ait; *Laudat eam vir ipsius, cum bona quæ ipse donavit, remuneratur.* Porrò modo quo mulier illa fortis à viro suo laudatur, Ecclesiasticus sequentibus verbis insinuat, dum ait: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Sancta namque Martyr nostra inter omnes virgines in hoc præcipuè excellit, quod tribus in cœlo

coronetur aureolis, nimirum Doctoratus, Martyrii, & Virginitatis.

[Serm. 3.] 10 *Fortitudo & decor indumentum ejus.* Etenim ipsa rara quidem pulchritudine conspicua fuit, ac proinde à Dionysio Carthusiano dicitur. *Incomparabili pulchritudine decorata*; at verò hæc mira pulchritudo paribus [Psalm. 29.8] quoque fuit virtutibus conjuncta. Et ideo cœlesti sponso suo dicere potuit: *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*: Glossa ad præcitata Ecclesiastici verba ait: *Fortitudo ad tolerandum, decor ad virtutum gratiam exercendam.* Porrò sponsalitium ejus amplissima multarum & quidem rararum virtutum dote locupletatum fuit quales sunt. *Fervidus ejus zelus pro Dei honore, & proximorum salute* (inquit Dionysius Carthu- [Surius.] sianus) *præclara sapientia ejus, tam acquisita, quam infusa, tam Philosophica, quam Theologica. Fortitudo ad tolerandum*, siquidem intrepidi animi sui, nec non invictæ patientiæ suæ in variis, iisque acerbissimis suppliciis specimen edidit; *Verberibus affectam, plumbatisque contusam dies undecim sine cibo ac potu inclusam tenet in carcere: rota expeditur crebris & acutis præfixa gladiis, ut virginis corpus crudelissimè dilaceraretur, quæ machina brevi oratione Catharinæ confracta est.* At verò dices fortasse, si ita est, quod videlicet sancta nostra tormentorum pro amore Dei sui patiendorum adeo fervida, & cupida fuit: *Pœna interroget, si quis veraciter amor*, cur à Deo rotam confringi postulat? Chry- [Serm. 150.] sologus respondet. *Bellicosus miles, quod in bello fugit, artis est, non timoris.* Etenim si rotæ sibi præparatæ supplicium sancta Martyr nostra pertulisset, ingens quidem inde gloria Deo provenisset, sed non tanta, quanta in Deum redundavit, postquam illam per orationem suam totaliter confregit. *Ad gloriam sui nominis.* Etenim Diabolicam illam machinam per orationem suam destrui & confringi postulavit *ad corroborationem fidelium, & conversionem infidelium.* Unde in Matutinis hodiernis de ipsa legimus, quod eo miraculo *multi Christi fidem susceperunt.*

11 *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Ubi glossa ait: *Benè lumbos primò accingit, & post brachium roborat, quia bonum opus Deo acceptabile non est, si non prius carnis & mentis luxuria restringatur.* Enimverò quanta & quam eminens in hac virgine puritas fuerit, vel ex eo conjici potest, quod per eam ipsemet quoque Deus captus fuerit, qui *est candor lucis æternæ. Accinxit fortitudine lumbos suos*, quia pro ea conservanda generosissimè & validissimè pugnavit; ideoque virginalis in ea puritas tanto majoris meriti fuit, quanto fortiori certamine impugnata & lacessita fuit. Etenim ipsa eo tempore in pulcherrimo annorum suorum flore constituta erat. Individui autem comites sunt *Adolescentia & voluptas*, adolescentiam enim voluptas necessario quasi consequitur; Insuper verò incomparabili venustate corporis prædita fuit, quæ non minus concupiscentiæ fomentum con- [Prov. 11.22] ciliare solet; unde dicitur: *Mulier pulchra & fatua.* Ad hæc fortunæ bonis quoque copiosè affluebat; quæ non minus sensualitati incentivum subministrant, unde de divitibus dicitur: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum,* [Psalm. 72.7] *transierunt in affectum cordis, cogitaverunt & locuti sunt nequitiam.* Præterea meali sua potiebatur libertate, utpote quæ jugo paterno subdita non erat, neque ad matris aliorumque propinquiorum cognatorum custodiam ullatenus alligata; quæ porrò libertas Magdalenæ causa & occasio extitit, ut esset *in civitate peccatrix*; denique à multis Principibus, imo & ab ipsomet Imperatore adamata: & in sponsam ab ipsis desiderata & [Esther. 2. 15.] requisita fuit: *Erat enim incredibili pulchritudine, & omnium oculis gratissima, & amabilis*; at vero generosa, & fortis puellula. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* *Cum ei Imperator* (inquit Dionysius Carthusianus) *ma-* [Serm. 4.] *gna promitteret, & in sponsam vellet habere, respondit: Attende, & decerne, quem habeo magis diligere, potentem, speciosum, & gloriosum; an infirmum, mortalem, deformem, atque ignobilem è Christo me effero; ipse enim est Deus meus, amor meus, sponsus meus.* Glossa super illa verba: *Mulierem fortem*, ait: *Fortis, quæ cuncta adversa vel prospera sæculi pro Dei amore contemnit.* Neque enim adeo mirandum est, quod in Martyrio suo adeo constans fuerit, siquidem hæc virtus in multis quoque aliis virgunculis eluxit, quam quod se generosam exhibuerit, Monarchæ cujusdam, qui eam Imperiali diademate coronare decreverat; resistendo blanditiis, variisque promissionibus: *Meum tecum dividam imperium*, maxime cùm Aristoteles ait: *Sapere est quiddam aptum ad imperandum.* Constantinus Imperator Arrianus multos alioquin perfectos, & virtuosos Catholicos ad suam seductam) seducere satagens eosdem non subjecit tormentis aut carnificinis, sed honoribus illos sublimabat, & locupletabat divitiis. Unde sanctus Hilarius Christianæ fidei suo tempore valde periclitantis singulare fulcrum atque præsidium dolenter dicebat: *Pugnamus contra perse-* [Lib. 1. Rhetoric.] *cutorem fallentem, contra hostem blandientem, non tradit carceri ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non contendit, ne vincatur, sed adulatur, ut dominetur.* Fortis igitur meritò sancta Catharina dicitur, eo quod non tantum tyranni tormenta superarit, verum etiam quia ejus lenocinia & blanditias, quod majoris æstimandum est, generosè devicit.

Consideratur S.Catharinæ invictum animi robur, in perhibendo fidei Christianæ testimonio; deque gloria ex hoc in ipsam redundante.

DISCURSUS QUINTUS.

Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar. Psalm. 118. vers. 46.

1 QUod si Propheta regius ex ipsomet S. Catharinæ ore locutus fuisset, vivacius exprimere non potuisset generosam ejus animositatem, qua in conspectu Imperatoris & totius mundi (cujus tunc major pars occasione edicti imperialis, quod eo tempore emanavit, Alexandriæ, ut ita dicam, præsens erat) fidei nostræ testimonium perhibuit. Porrò Hugo Cardinalis verba thematis nostri exponens ad propositum nostrum ita scribit: *Iste versus posset esse Thema de B. Catharina; unde & de ipsa cantatur in introitu Missæ: Ipsa enim coram Rege disputavit de testimoniis Christi & fidei, & non fuit confusa, sed Philosophos confudit, & ad Christum convertit.*

2 *Loquebar.* Lyranus addit: *Constanter & intrepide. De testimoniis*, vel ut teste Glossa interlineari *Græce* legitur: *De Martyriis*: at verò optimè Albertus Magnus ait: *De testimoniis scripturarum non de fabulis*; cum enim sancta Martyr nostra omnes didicisset humanas literas omnesque scientias, & consequenter etiam in Poetarum fabulis perita esset, in iisdem se nequaquam firmavit, sed præcipuum studium suum in Scriptura sacra reposuit: *Omnem autem exteriorem & nostram scripturam perlegerat*; econtra vero sapientes quibuscum ipsa disputabat, in argumentis è fabulis Poetarum desumptis fundabantur. *Hæc sunt testimonia* (inquit de sacris literis Albertus Magnus) *de quibus alio loco in Psalterio: Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Addit prætereà: *Non confundebar*, tametsi fides nostra *Judæis esset scandalum, Gentibus autem stultitia*: unde Interlinearis ait: *Non confundebar pro scandalo Crucis.* Orthodoxæ enim fidei professio eo tempore in summo habebatur opprobrio. Unde Tyrannus ille ad S. Agatham ait: *Non te pudet nobili genere natam, humilem, & servilem Christianorum vitam agere?* Genebrardus verba illa: *Non confundebar* hunc sensum habere dicit: *Non me pudebat ista loqui.* Loquebar, ait Hugo Cardinalis, *con-* [Cant. 2. 14] *fitendo fidem.* In sacris Canticis sponsus cœlestis sponsam suam hisce verbis invitat: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni*, quibus verbis invitat illam, ut è secretis mansionis suæ penetralibus egrediatur: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, quod pertinet ad Ecclesiam* (inquit Genebrardus) *quatenus quærit latebras, ut fugiat persecutiones.* Notandum verò quòd immediatè subjungat: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*; quasi sponsæ diceret: tempus jam est ut te manifestes, ut faciem tuam ostendas, ardentique zelo honorem, & gloriam meam prosequaris, quæ omnia in S. Catharina sponsa Christi ad unguem adimpleta fuerunt. Ipsa namque tanquam columba quædam purissima in cella sua, ab [Surius.] omni humano consortio totaliter sequestrata latebat, *solum Christum norat sponsum, virorumque omnium consortium est aspernata*: at verò mox ut cœlestis sponsi sui

vocem

Chiltov. 7. vocem audivit dicentem sibi : *Ostende mihi faciem tuam*; protinus magnanima, animosa & intrepida egressa fuit, ut Maximino Imperatori persecutionis ejus contra Christum motæ truculentiam atque sævitiem, necnon in adorandis simulachris cæcitatem, & ignorantiam ejus exprobaret, id quod cum admiranda sapientia & facundia præstitit, efficax pariter veritati Christianæ religionis perhibendo testimonium, adeo ut Imperator iis, quæ in medium attulerat, efficacissimis argumentis responsurus coactus fuerit, ut ex omnibus mundi vicinioribus partibus quinquaginta Philosophos, qui in isto sæculo in toto humano genere doctissimi esse credebantur, ad se vocaret, Sanctus Gregorius Magnus circa illa verba : *Ostende mihi faciem tuam*, dicit :

Cit. à Glo. in Cant. *Quid enim per faciem nisi fides denotatur?* quæ eadem fides in annulo, quem Christus digito Virginis inseruerat, pariter denotata fuit : *Sponsabo te mihi in fide*.

Ose. 2. 20. Observandum verò est, quod postquam dixisset : *Ostende mihi faciem tuam*, mox subdat : *Sonet vox tua in auribus meis*; quasi diceret : *Ne erubescas prædicare Crucem Christi, quamvis stultitia videatur hominibus*; cui consonant illa Sancti Ambrosii verba : *Ostendit faciem suam, signaculum Crucis præferens; & insinuat vocem suam, authoritatem prædicandi assumens*. Multæ quidem aliæ virgines fuerunt, quæ in profitenda coram Regibus, & Imperatoribus Christi fide se quoque intrepidas exhibuerunt; at verò nostra Amazonum invictissima omnes illas longè præcelluit, quando *authoritatem prædicationis assumpsit*; neque enim fidem duntaxat confessa fuit, verum etiam eandem Imperatori, ejusque Imperatrici, necnon & Generali exercitus ipsius Duci Porphyrio, aliisque quinquaginta Philosophis constantissimè prædicavit, suaque efficaci facundia, & sapientia copiosam animarum messem Christi horreo, id est, Ecclesiæ intulit. Est quoque hic observandum, quàm exactè in præsenti casu adimpletum

Glosſ. Serm. 8. in Ps. 118. 6.

Cap. 4. 25. fuerit, quod in Ecclesiastico scribitur, nimirum : *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam*; etenim verum quidem est, quòd quinquaginta illi sapientes à tenera hac puella devicti, & confusi fuerint, at verò confusio hæc eisdem ingens gratiæ & gloriæ lucrum peperit. Verùm inquies, qua ratione id verum esse poterit, siquidem illos Imperatoris gravem indignationem incurrisse, ac proindè summa cum ipsorum ignominia, & confusione ab eo in carnificum manus traditos fuisse constat; sed in promptu est responsio : nam tametsi id verum esse nemo inficiari possit, at verò ampliorem sibi compararunt gratiam & gloriam, ejus nimirum, cujus fœmori inscriptum est : *Rex regnum, & Dominus dominantium*. Simili modo dubium quidem nullum est, quin sancta Martyr nostra, utpotè stirpe regia prognata modestissima, & honestissima virguncula, quoad mundi hujus æstimationem, ingentem, inter carnificum manus comprehensa experta fuerit ruborem & confusionem; at verò quàm immensa gloria verecundia isthæc pro amore sponsi sui tolerata, non solùm in cœlis, verùm etiam hic in terra coronata & præmiata fuit? Euthymius super illa ver-

In Ps. 44. 9. ba Psalmi : *Delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo*, inquit : *Non plebei ac populares tantum, sed Reges etiam Dominum honoraturi erant (& quod magis admirandum videri poterat) ipsa etiam Regum filiæ, quæ innumeris custodum oculis in Regum penetralibus observarentur, qualis fuit sapientissima Catherina*. At verò quia infallibilis est hæc Dei promissio : *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum*; hinc est quòd nulli Monarchæ mundi hujus Reginas & Imperatrices suas ad tantam potuerint evehere gloriam, quantum sponsam suam

Prov. ult. magnificasse noscitur : *Nobilis in portis vir ejus*. Etenim tametsi corpus ejus cum inaudita crudelitate flagellari permiserit, attamen confestim *accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, pristinamque illi quoad omnes laceri corporis ejus partes restituerunt sanitatem. Tametsi etiam dum in squalidum fœtidumque carcerem includeretur, dissimularit, mox tamen eidem carceri lucem quandam splendidissimam, miraculosamque immisit paradisi fragrantiam : tametsi carnificum manibus sine ullo defensoris præsidio tanquam rea & malefactrix criminosissima tradita fuerit; attamen sponsus ejus effecit, ut ipsamet Imperatrix & Porphyrius Dux Generalis exercitus obsequiosi & compuncti ad ejus sese pedes prosternerent. Quid? quænam alicui in æstimatione

Mansi Prompt.

mundi hujus deferri potest nobilior, majorisque gloriæ visitatio, quàm qua ipsamet Imperatrix aliquem honorare dignaretur? aut verò (si quoad Dei æstimationem honorem pensitare velimus) qua summa Dei Majestas aliquem visitando afficeret, utpotè *quam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestatus? Ipse quoque egregius Agonotheta Christus cum iis, quæ circa ipsum erant, copiis & gloria sua apparens, magis confirmavit ejus fortitudinem*. Quam primùm tyrannus illam squalido carcere inclusam ad mortem usque fame excruciari jussit : *Totis illi diebus in carcere per columbam alimentum accipiebat à Superis*. Permisit quidem Deus ut immanis illa rotarum machina ad eam discerpendam erigeretur, una tamen Angelicam quandam potestatem è cœlis jussit descendere, quæ illam cum simultanea multorum Paganorum mortem, plurimorumque qui per adeò evidens miraculum ad fidem fuere conversi, spirituali vita in mille frustra constringerent. Denique quin caput ejus à busto amputatum fuerit, nemo nisi historiæ vitæ ipsius ignarus, dubitare potest; at verò præciso ejus capite simul cum sanguine candidissimum lac copiosè manavit, virgineumque corpus ipsius ab Angelorum choris in Sinai montem fuit translatum : *Decollata in montem Sinai ab Angelis transportatur* (inquit Albertus Magnus) *ibique sepultura honorificè commendatur; ubi nunc stillare cœpit, & adhuc distillat humorem sanitatis & gratiæ; quo ipsa à Christo ipsius sponso copiosissime inuncta fuerat & irrigata*. Enimvero tria potissimum inveniuntur sepulchra maximè glorificata, scilicet sepulchrum Domini nostri Hierosolymis, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romæ, & sancti Jacobi in Compostella; quibus quartum adjungere licèt sepulchrum sanctæ Catharinæ in Sinai monte, ad quod non minus quàm ad alia tria peregrinationes ex ultimis mundi confinibus instituuntur. Et quidem si benè consideretis, invenieris utique quod quicquid miraculorum Deus in multis servorum suorum separatim operatus fuit, omnia simul in hac sua prædicta sponsa pararit. E præciso sancti Pauli capite lac manavit, quod ipsum ex hujus quoque Virginis præciso collo scaturiit : ex sancti Nicolai ossibus manna prodiit; ex corpore sanctæ Catharinæ oleum vel similis aliquis prætiosus vel salvificus liquor emanat. Mortuo sancto Paulo primo Eremita duo immanes leones divino instinctu fossam in sacrosancti depositi ejus sepulturam unguibus suis eacavarunt; ad fabricandum sanctæ Catharinæ sepulchrum, Deus Angelicorum spirituum copiosos manipulos descendere jussit, qui insuper sanctissimæ Martyris nostræ pretiosissimum cadaver in Sinai montem pertulerunt. De sancto Clemente Papa scribitur : *Dedisti Domine habitaculum martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei angelicis manibus præparatum*; at vero huc mysticum Spiritus sancti templum iidem Angeli ad locum plusquam viginti dierum itinere absitum deportarunt. Vulnera sanctæ Agathæ a sancto Petro eam in carcere visitante integrè curata fuerunt : ad quem eundem effectum ipsemet Christus huic sponsæ suæ Catharinæ pariter apparere voluit. Imo ponderatis omnibus vitæ hujus sanctæ Virginis circumstantiis, nescio inter omnes alias sive Virgines tantùm, sive etiam Martyres aliquam inventuri sitis, cujus virtutes & prærogativæ cum hujus Virginis prærogativis comparari possint. In hac namque sancta Martyre nostra invenire est *contemptum temporalis gloriæ cum nobilitate, puritatem mentis cum corporali pulchritudine, gravitatem morum cum juvenili ætate, humilitatem insignem cum donorum Dei multitudine, paupertatem spiritus cum divitiarum abundantia, austeritatem vitæ cum delitiarum ubertate, fortitudinem animi cum sexus fragilitate, professionem veritatis cum errantium societate, firmitatem propositi cum blanditiarum oblatione, perseverantem constantiam cum cruciatuum illatione*.

DE SANCTO ANDREA APOSTOLO

Discursus Sex.

Discursus I. De amore, quo Christus S. Andream amavit: ubi etiam circa illa verba: *In odorem suavitatis*, nonnullæ declarationes adducuntur.

Discursus II. Analogiæ aliquot explicantur, quæ inter mortem & passionem Christi & Andreæ passionem reperiuntur.

Discursus III. Diversæ adducuntur rationes, ob quas S. Andreas dignus Dei Apostolus appellatur.

Discursus IV. S. Andreæ lætitia, qua crucifixionis suæ tempore perfusus fuit, fusiùs consideratur.

Discursus V. De Cruce spirituali S. Andreæ: & de patibulo è quo pependit, dum populum suum doceret.

Discursus VI. Per varias sacrorum interpretum illis verbis: *Quàm speciosi pedes evangelizantium*, adhibitas interpretationes, aliæ S. Andreæ virtutes & laudes considerantur.

De amore quo Christus S. Andream dilexit: ubi etiam circa illa verba: In odorem suavitatis, nonnullæ declarationes adducuntur.

DISCURSUS PRIMUS.

Dilexit Andream Dominus, in odorem suavitatis.

[Serm. de S. Joan.] 1 SAnctus Thomas de Villa-Nova illa S. Joannis Apostoli verba, in ejus Evangelio de seipso prolata nimirum: *Hic est discipulus ille quem diligebat Jesus*; considerans, atque ad immensa ejus sapientiam sese reflectens ita scribit: *Existimavit vir sapiens omnium gratiarum hanc præcipuam, & maximam reputandam esse, quod a Deo dilectus sit*; hujusque pronuntiati rationem quandam efficaciter satis convincentem adducit, dicens: *Quæ namque major est, aut esse potest dignitas creaturæ, quam quod factori suo placeat, & diligatur ab eo, qui fecit eam?* ac proinde cum sancta mater Ecclesia in adducti thematis verbis clarè satis innuat, quòd Deus noster *dilexit Andream in odorem suavitatis*, intentio ejus utique fuit, ut ex hac Christi erga S. Andream dilectione, tanti hujus Apostoli elogia, & præcipuam gloriam pariter conjiceremus.

2 *Dilexit Andream Dominus*. In hunc præcipuè finem Filius Dei de cœlo descenderat, ut suam hic in terris fidem & Ecclesiam plantaret: at verò quisnam primus Christi fidelis fuit, quisnam primus omnium à Christo in sui sequelam vocari, & tanquam primus lapis in hujus excelsi ædificii erectionem adhiberi meruit? Sanctus Andreas. Undè S. Petrus Damianus hoc ipsum epitheto honoravit: [Serm. 2. de S. Andr.] *O dulcis Apostolus, & primitiva vocatio Salvatoris*. Porrò sanctus Gregorius scribit: [In Lib. 1. Reg. c. 10.] *Qui peccatorum animas convertere prædicando nititur, Redemptori nostro in magna charitate copulatur*; ac proindè quid mirum, si S. Andreas tantum sibi conciliarit Christi amorem & benevolentiam: siquidem ipse conversionis animarum zelantissimus fuit; etenim huic animarum lucro non solùm in iis provinciis, quibus Evangelium annuntiavit, deditus fuit; verum etiam in patibulo jam crucifixus duarum dierum duarumque noctium spatio prædicavit: *Biduo vivens pendebat in cruce beatus Andreas pro Christi nomine, & docebat populum*; super omnia autem zelus hic in eo admirabilis extitit à primo instanti, quo primum scholæ Christi pedem intulit; siquidem Simonem fratrem suum ad eum adduxit, cui postea Petri nomen imposuit. Undè Beda ait: [In cath. D. Thom.] *Hoc est enim verè Deum invenire, vera illius dilectione fervere, fraterna quoque salutis curam gerere*; etenim amor, quo eum Deus ille prosequebatur, qui *charitas & ignis consumens est*, cor ejus hoc alienæ salutis zelo inflammaverat: *Ecce Andreas* (inquit S. Petrus Damianus) [Serm. 1.] *inter ipsa novi tyrocinii sui rudimenta fructificat, & veritatis jam prædicator efficitur, cujus adhuc vix erat auditor: novus discipulus factus non est propria salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit*. Sanctus Petrus os suum aperiens, una die simul tria millia infidelium convertit, quibus alia vice quinque obstinatissimorum Hebræorum millia adjecit, ac tandem innumeras alias animas ad veræ fidei agnitionem perduxit: at verò S. Andreas unicus ille fuit, qui ingentem hunc piscem, qui demum piscatus est mundum, intra retia Salvatoris feliciter perduxit. Undè Dionysius Carthusianus de eodem sancto Apostolo in hoc ejus Festo scribit: *Innumerabiles convertis ad fidem*, [Serm. 1. de S. Andrea] id quod etiam hodie in Matutinis à nobis lectum fuit.

3 *Dilexit Andream*. Laurentius Justinianus unum ex motivis efficacioribus, quibus anima ad se Deo arctius per amorem adstringendum permoveri possit, hoc esse existimat, si videlicet quis oculos suos in ejus patibulum, in quo pro nostra salute & redemptione pependit, fortiter defigat: [Tract. de char. c. 7.] *Super omnia reddit te amabilem mihi, ô bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ; hoc omnino nostrum facilè totum sibi vendicat amorem*. Ecce tibi hic aliam rationem, cur Christus tanta cum partialitate hunc dilexerit Apostolum; siquidem ipsum ob sui amorem in patibulo quodam suspensum vidit, non tribus horis, ut Christus in monte Calvariæ, sed duobus diebus & noctibus, in quo pro sanctissimi nominis Jesu honore, & pro fidei defensione cum immenso jubilo patiebatur.

4 *Dilexit Andream*. S. Bernardus in Opusc. de Charitate hanc post se nobis reliquit scriptam sententiam: [Serm. 7.] *Magna res amor, nam cum amat Deus, non aliud vult quam amari; quippe qui ob aliud non amat, nisi ut ametur*. Hanc autem in amando correspondentiam Redemptor noster haud dubiè in Apostolo nostro invenit. Unde Dionysius Carthusianus de eo scribit: *Quoniam sanctus* [Serm. 1. de S. Andrea] *Andreas fuit divino amore omnino succensus, ideo cum tanto tripudio ad passionem processit*. B. Laurentius Justinianus pariter gaudium, quod sanctus Apostolus noster in suo martyrio prætulit, ardenti huic charitati [Serm. 3] attribuit, dicens: *Facibus namque charitatis incensus, nunquid sacrilegi judicis minas expavit?* Idem quoque Carthusianus de ipso scribit, dum ab eo appellatur: *Divina dilectione plenissimus*. S. Apostolus prolixum quendam periculorum, persecutionum, ærumnarum, omniumque aliarum adversitatum pro Evangelium perpessarum contexens catalogum, protestatur nihil ex omnibus hisce adversis ipsum à Deo separare unquam potuisse, quin potiùs illa omnia facili negotio à se fuisse superata & devicta ex eo solùm, quòd se à Deo verè amari animadverteret: [Rom. 8. 37] *sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos*. Jam verò omnes obsecro persecutiones & supplicia, quæ S. Andreas in ærumnosis peregrinationibus suis, necnon in frequentibus, quos cum Evangelii persecutoribus habuit, congressibus, sustinuit, unà cum acerbissimis crucifixionis suæ doloribus, quos duobus diebus totidemque noctibus mira cum constantia toleravit, exactè enumerate; sic enim nequaquam decipiemini, si dixeritis, quòd *in his omnibus superavit propter eum, qui dilexit eum*. *Quia*, ut S. Anselmus in prædictum S. Pauli textum scribens ait: *Dum in illius amore pendemur, sensum doloris non recipimus; illius enim charitas qua nos dilexit, & nostrum ad se affectum rapuit, cruciatum corporis & dolorem sentire non sinit*. Hic etenim amor in corde Apostoli nostri adeo flagrabat, ut in patibulo gestire, & tripudiare videretur.

5 *Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis*. Quidnam obsecro in eo latet mysterii, quòd hæc Christi dilectio cum suavissima illa odoris fragrantia conjuncta esse dicatur? Sanctus Paulus ad Corinthios ita scribit: [2. Cor. 2. 14] *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ manifestat per nos in omni loco*. Qualis autem hic odor sit, de quo Apostolus loqui intendit, ex eo quòd S. Hieronymus scribit, facilè deducere possumus; nam postquam Apostolum Deo gratias referre dixisset, eo quòd in Apostolum fuisset electus, tanquam triumphi filii sui instrumentum in persecutionibus adversus fidem mortis constans perseverando, subjungit: *Triumphus enim Dei est passio Martyrum, pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia; cum enim* [Ad Hebr. quæst. 11]

quis

quis viderit tanta perseverantia stare Martyres, atque torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor notitia Dei disseminatur inter gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. Christus Dominus noster *dilexit Andream in hunc odorem*; siquidem in primis nascentis Ecclesiæ principiis, quando excitandæ & augendæ erant tyrannorum persecutiones, fidesque inter Gentiles propaganda erat, eo ipso quo in hoc sene & decrepito Apostolo quædam adeo vigorosa notabatur fortitudo, omnique humana conditione longè superior animositas & alacritas, dum à patibulo penderet crucifixus, multis quoque paganis occasionem dedit conversionis ipsorum, addiditque etiam hæc invicta Apostoli hujus in suis tormentis constantia & jubilus, quem edebat, multis aliis Martyribus, qui post ipsum passuri, ad similem constantiam induendam egregium animum. Et hæc fuit suavis illa fragrantia, quæ cor & animum Christi erga ipsum rapuit. *Divina dilectione plenissimus visa Cruce* (inquit Dionysius Carthusianus) *sibi parata, in tantum gavisus est, quod præ lætitia seipsum vix capit, ipsamque Crucem affatus est, quasi & ipsa intelligeret.* Et quidem odor iste adeò per universam Ecclesiam diffusus est, ut jam per mille sexcentos & ampliùs annos innumerabilium fidelium corroborarit debilitatem, ad tantò generosiùs atque constantiùs pro Christo deinceps patiendum.

6 *In odorem suavitatis*. Benignissimus Redemptor noster, qui æterno Patri suo pro nobis in sacrificium oblatus fuit, suavissimum quendam odorem sibi conjunctum habuit, teste ipsomet Spiritu sancto, dum ait:
Ephes. 5. 2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*. Ubi Hugo Cardinalis ait: *Species aromatica contrita vel combusta redolent; Christus contritus in passione flagellis & verberibus, acceptabilem de se odorem per totum orbem diffudit*. Hæc autem suavitas etiam à S. Andreæ morte & passione spiravit; siquidem Ægeas illum primò à septem carnificibus crudelissimè flagellari fecit, quorum ter mutatæ sunt vices, fuitque percussionum grando, quæ in hoc innocens & decrepitum corpus exonerata fuit, adeò impetuosa, ut inde aperta fuerint omnia viscera ejus, sanguinis rivulis ex omnibus corporis partibus copiosè manantibus, ac demum in Crucem agi & suspendi eum jussit. *Tradidit eum pro Christo oblationem & hostiam in odorem suavitatis*. Lyranus verba illa: Oblationem & hostiam Deo in Cruce in odorem suavitatis, ita declarat: *Fuit enim illa oblatio Deo acceptissima, quia processit ex maxima charitate*. Et quidem si vivam Christi crucifixi effigiem ex originali vivacissimè delineatam desideratis, ecce vobis S. Andream. Quàm enim sacrificium illud, quod de se obtulit, Deo gratum & acceptum fuerit, sancta mater Ecclesia in propositi thematis verbis optimè declarat, dum ait: *Duxit Andream Dominus in odorem suavitatis*. Præterea, ut S. Thomas observat, in ejus
Serm. de S. Andrea. crucifixione multæ specialissimæ virtutes ad stuporem usque eluxerunt. *Nam mortuus est desideranter; concupiscenti animo præparata*, inquit de cruce sibi erecta. *Confidenter; securus venio ad te; lætanter, gaudens venio ad te. Constanter, quia nunquam a prædicatione cessabat. Longanimiter, quia biduo vivens pependit in Cruce. Gratanter, gratias agendo. Perseveranter, quia nunquam nisi mortuus descendere voluit.*

7 *In odorem suavitatis*. Quia S. Andreas sacrificii incruenti, quod divinus ipsius magister instituerat, præcipuum instrumentum & minister fuit, sublimia & ineffabilia ipsius mysteria Ecclesiæ declarando: hoc autem sacrificium oblatum esse dicitur in odorem suavitatis, & ideo in oblatione calicis hæc verba proferuntur: *Pro nostra & totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat*. Ad hæc S. Andreas à tyranno falsis Diis suis sacrificare jussus, respondit: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes nec hircorum sanguinem; sed immaculatum agnum in altari: cujus carnem postquam populus credentium manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.*

8 *In odorem suavitatis*. Chrysostomus ait: *Vides*
Eph. 5. in Gloss. cit. *quòd pro inimicis pati, odor sit bona fragrantia, victima acceptabilis?* Porrò hunc amorem, hancque mansuetudinem S. Andreas erga truculentissimos suos persecutores, & quidem erga Ægeam præcipuè egregiè exhibuit, adeo ut quemadmodum Doctor Seraphicus observat: *Hac compassione fraterna transfixus Apostolus dicebat Aegea: Ego de tuo interitu doleo, non de mea* Serm. 3. de S. Andrea. *passione conturbor*; plus enim ipsum affligebat & cruciabat tyranni futura perditio, quàm tormenta quibus immanissimè torquebatur.

9 *In odorem suavitatis*. Per hunc suavitatis odorem etiam intelligere possumus illam odoris fragrantiam, quæ etiam post mortem ex ejus se corpore diffudit. Undè deducitur, quòd Christus testimonium magni illius, quo S. Andream prosequebatur, amoris, toti mundo per omnes ætates & sæcula manifestum esse voluerit, corpus ejus perenni quodam fragrantissimi odoris miraculo eximiè decorando. Nam ut Gregorius Turonensis ait: Lib. 1. c. 3.
Andreas Apostolus magnum miraculum in die solemnitatis suæ profert, hoc est, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo, quod de tumulo ejus exundat: per id enim, quæ sit fertilitas anni sequentis, ostenditur. Imo literaliter in ipso adimpletur, quòd sit *in odorem suavitatis*; nam ut idem Author referendo prosequitur, dicens: *Cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, ut putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem, quod non sine miraculo & beneficio habetur in populis: nam ex hoc unctiones factæ seu potiones datæ plerumque languentibus commodum præstant*. Hujus quoque miraculi fidem adauget & confirmat Cardinalis Baronius in annotationibus suis ad Martyrologium Romanum ad diem 9. Maii, quo die translationis corporis ejus commemoratio incidit; dicit enim: *de perenni miraculo scaturientis indè liquoris medici ad curandos morbos totus penè Christianus orbis est testis; in omnes enim regiones ex eo fonte fluxere rivi*. Quibus verbis nos addere possumus: *Cucurrit populus in odorem unguentorum ejus*; siquidem Pius II. refert, quod quando caput ejus Romam allatum fuit, *ex Germania, Gallia, & aliis Alpinis regionibus, tum verò ex Italia innumerabiles advenerunt plebes, & viri multi nobiles, studio visendi sacrum verticem, adeo ut in Jubilæo, qui sub Nicolao V. celebratus est, quem constat fuisse maximum, nunquam una die major hominum multitudo visa fuerit*.

Analogiæ aliquot explicantur, quæ inter mortem, & passionem Christi & S. Andreæ passionem reperiuntur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Simili pœna servus cum Domino afflictus est, & popularis homo Regi similia passus. Sap. 18. vers. 11.

1 HOc à Sapiente ante tot sæcula traditum oraculum, clarè nobis, ni fallor, prædicere videtur S. Andreæ martyrium, passioni & morti Domini sui per omnia simillimum, specialissimum: namque S. Andreæ privilegium fuit, quòd qui aliàs vix Galilææ piscator erat, pari omnino cum Redemptore afficiatur supplicio; idque, quia, ut diximus: *Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis*: hæc enim Christi erga ipsum amicitia, & benevolentia eundem ad tantam prærogativam subvexit, siquidem *Amicus est alter ego*.

2 In hodierno Matutino legimus sanctum Andream ambivisse, non quidem primas in regno hujus Regis sedes, prouti duo illi fratres Zebedæi filii; non primatum inter alios, vel regnum Pontificium, aut claves (quamvis videri potuisset illas magis congruenter ipsi fuisse dandas, quàm fratri ipsius natu minori, maxime cùm ipse hunc ad Salvatorem agnoscendum perduxerit) non denique Apostolatus dignitatem, sed passionis & mortis suæ similitudinem: *Crucis affixus ad eum migravit, cujus mortis similitudinem concupierat*. Undè clarè deducitur quàm verum sit, quod de benignitate Dei nostri scribitur, nimirum: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. *Generosus discipulus*, Ps. 144. 19.
inquit beatus Laurentius Justinianus, *cœlestem est imitatus magistrum, parem ignominiosa Crucis, ut ille, portans pœnam*. *Sic honorabitur* (ita in lib. Esther de Mardo- Serm. de S. Andrea.
chæo ab Assuero Rege exaltato scribitur) *quemcunque Rex voluerit honorare*. Christus enim Dominus noster hunc Apostolum, qui primus se illius disciplinæ &

sequelæ subdiderat, ideoque dilectissimus erat, regiis Crucis suæ insigniis honorare voluit. Author quidam antiquus in sermone quodam de hoc festo ita scribit:
Judoc. Clictov. *Magnificavit B. Andream Christus eo ipse, quod in multis persimilem illum sibi reddidit in sua passione.* Prima autem observatio, quam circa hanc similitudinem habet, hæc est: *Christus noluit suam passionem a discipulis suis impediri, & jussit converti gladium Petri in vaginam: sic cum fieret concursus populorum clamantium: Innocens ejus sanguis sine causa damnatur, rogavit eos Apostolus, ne suum impedirent martyrium.*

3 *Similia passus.* Christus priusquam configeretur in Cruce, flagellis excarnificatus fuit: pari quoque modo Ægeas sanctum Andream flagellari voluit, ad cujus jussionis executionem multi carnifices defatigati fuere: *Jussit eum flagellis cædi extensum, qui cum septem terniores transisset, elevatus est, atque adductus ante eum;* trinies igitur post defatigationem mutati sunt septem ad eum flagellandum destinati carnifices.

4 Christus Dominus noster majorem doloris sensum habuit ex morte spirituali populi illius, necnon de temporali eorum, quem prævidebat, interitu, quàm ex tormentis acerbissimis, quibuscum eum dilaniabant, ac proindè ad mulieres ob visos acerbos ipsius dolores amare flentes conversus dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros.*
Luc. 23. 28. Undè sanctus Anselmus ait: *Ipse, a quibus patitur,*
Serm. de Pass. *ille compatitur; à quibus vulneratur, ipse medetur; vitam procurat, à quibus occiditur.* Eundem quoque divini magistri sui Spiritum sanctum Andreas imbiberat, atque ideo coram tyranno suo protestatus fuit, majorem se ob animæ ipsius perditionem, quàm ob mortem suam propriam, pati doloris acerbitatem: *Ego de tuo*
Serm. 3. de S. Andrea. *interitu timeo, non de mea passione conturbor;* id quod S. Bonaventura considerans ait: *Compati alteri ex vero corde, est quodammodo crucem portare; hac compassione fraterna transfossus Apostolus dicebat Aegea: Ego de tuo interitu doleo, non de mea passione.*

5 *Similia passus.* Salvator noster in passione sua vestibus suis exutus fuit, quæ deinceps in carnificum manibus remanserunt, ut adimpleretur prophetia, qua dicitur: *Super vestem meam miserunt sortem.* Simili modo
Matth. 27. 35. sanctus Andreas, *exspoliavit se, & vestimenta sua*
Isa 49. 18. *tradidit carnificibus;* tametsi ex alia parte verum sit, quod juxta id, quod Isaias propheta scribit, longè nobiliori habitu suo nudatus vestitus fuerit; hic namque Propheta ad conversiones innumerabilium populorum, quæ in lege Evangelica ad Messiam venturum futuræ erant,
Isa. 40. alludens ait: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; omnibus his velut ornamento vestieris;* vestea enim, quibus denudatus Apostolus se adornavit, fuerunt frequentes multarum animarum ad veram fidem conversiones, non solum eæ, quæ opera prædicationis suæ in multis provinciis factæ fuerunt; verùm etiam quæ contigerunt circa innumeros alios, qui ipsius martyrio erant præsentes.

6 Bonus latro in conspectu omnium Christi filii Dei innocentiam deprædicavit: *Nos quidem justè; nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit;* similiter
Luc. 23. 41. Pilatus se nullum in eo delicti reatum invenire, publicè
Luc. 23. 4. ex tribunali pronuntiavit. *Nihil invenio causa in hoc homine.* Eodem quoque modo de hoc Apostolo vitæ ejus historia attestatur: *Adstantes erant turbæ ad viginti millia hominum, inter quos erat frater Aegea, qui simul clamabat cum populo, injusto judicio sanctum virum hoc pati.*

7 Prima supplicatio, quam Salvator noster in Cruce suspensus æterno Patri suo proposuit, hoc solum spectavit, ut suis crucifixoribus reatus ipsorum impetraret veniam: *Pater ignosce illis:* Ita quoque de S. Andrea B. Laurentius scribit: *Pendebat in cruce & inimicos suos vincebat;* Nihil enim adeò ipsi curæ fuit, quam ut se pro salute Tyranni tanquam deprecatorem interponeret, turbasque adversus illum ferocientes sedaret, ac mitigaret.

8 In Crucifixione quæ in Calvariæ monte accidit tota Inferni tyrannis prostrata fuit: *Nunc Princeps mundi hujus ejicietur foras; & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum: hoc autem dicebat, si-*
Joan. 12. 3 *gnificans qua morte esset moriturus.* Quam primum Ja-
Gen. 35. 5. cob idolum Labani tocent, *subter terebinthum sepelivit,* omnes ab eo inimici ejus fugerunt; terebinthus autem illa ex mente sancti Ambrosii Crucis figura fuit, ac proinde Ecclesiasticus, ut credo in persona & ex ore Christi crucifixi scribit: *Ego quasi Terebinthus extendi ramos* Ecc. 24. 22.
meos, & Hugo Cardinalis ait: *Hostes Jacob, id est, Dæmones in crucis memoria effugantur.* Eodem quoque modo S. Andrea in patibulo pendente, multi pagani ad fidem conversi fuere, magnaque ex parte Idololatria dissipata & profligata fuit.

9 *Similia passus.* Valde trita est illa sancti Augustini propositio: *Lignum in quo fixa erant membra patientis, etiam Cathedra fuit magistri docentis.* Ex qua propositiune Author quidam aliam inter Christum, & hunc Apostolum versantem similitudinem deducit; dum ait: Judocus Clictov.
Salutaria protulit documenta, septem verbis singularibus, quæ describunt sancti Evangelistæ expressa: Sic & B. Andreas in Cruce pendens: non destitit a sancta prædicatione, biduo vivens pendebat in Cruce pro Christi nomine, & docebat populum.

10 Increduli Hebræi Christo in Cruce pendenti se in ipsum credituros esse promiserunt, dummodo de Cruce descenderet: *Descendat nunc de Cruce & credimus ei.* Christus autem crucifixus id nequaquam facere, sed potius in cruce mori & expirare voluit. Unde idem paulo ante citatus author ait: *Nostra Redemptionis opus in ipsa cruce manens voluit consummare: ita & B. Andreas noluit vivens de cruce deponi, sed ad Deum orationem fundens petivit, ut vivus de cruce tolleretur,* in qua oratione plenè etiam à Deo exauditus fuit, adeo ut Deus miraculosè effecerit, quod illi qui ipsum violenter deponere volebant, id facere nequaquam possent, quin potius brachia eorum enervarentur & obstupescerent: *Mittentes manus ad Crucem carnifices non poterant penitus contingere eum: stupebant enim brachia eorum, quocunque se extendissent ad solvendum eum.*

11 De Filio Dei agonizante Lucas scribit: *Clamans* Luc. 23. 46.
Jesu voce magna ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Pariformem quoque vigorem sanctus hic senex noster post dolorosissimam duorum dierum duarumque noctium agoniam exhibuit: audite quo fine editiore voce clamaverit: *Voce magna S. Andreas dixit: Ne permittas me Domine Jesu Christe famulum tuum de cruce solvi.*

12 Corpus Salvatoris nostri de cruce depositum confestim à devotis Mariis unguentis pretiosissimis delibutum fuit: *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Je-* Matt. 16. 1
sum, De corpore S. Andreæ pariter scribitur. *Maximilla Christo amabilis, tulit corpus Apostoli, & optimo loco cum aromatibus eum sepelivit.*

13 Verum quidem est quod sanctissimus hujus nostri Apostoli magister dixerit: *Non est servus major Domino* Jo. 13. 16.
suo: Veruntamen non minus quoque verum esse novimus eundem Dominum nostrum in capite sequenti dixisse: *Opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum* Jo. 14. 12.
faciet. Et ideo quando Apostolus noster prout à principio diximus, hanc sibi gratiam fieri à Deo postulavit, nimirum ut Christo in sua posset esse Passione similis, Deus qui *ex abundantia pietatis sua merita supplicum excedit & vota,* non solum hanc ei gratiam concessit, verum etiam ut in multis circumstantiis magistrum suum superexcederet, prout ex sequentibus patebit.

14 Postquam amarissimus Passionis calix Redemptori nostro epotandus oblatus fuit; *Cœpit tadere, pavere & mæstus esse:* quia ut sanctus Gregorius inquit: *Nostra mortis in se certamen expressit;* nostram namque sibi assumere voluit debilitatem, ut suam nobis communicaret fortitudinem: econtra verò quando hic calix sancto Apostolo nostro præsentatus fuit, visum est cor ejus gestire præ nimia lætitia, propter jubilum quem ei Crux Redemptoris nostri conciliaverat: testantur idipsum efficaces illæ & è corde profectæ ad Crucem directæ exclamationes: *O bona Crux diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata! salve Crux pretiosa suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus.*

15 Christus in Cruce pendens blasphemiis & improperiis affectus fuit: *Prætereuntes blasphemabant eum;* sicque adimpletum illud Isaiæ Prophetæ oraculum: *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum;* imo unanimiter adversus eum vociferabantur dicentes: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum; Tolle, tolle, crucifige.* At vero S. Andreas solius Ægeæ impii illius Tyranni jussu crucifixus fuit: totus vero populus econtra tumultuabatur, tyrannique jussis spretis
non

non modica excitata seditione se opponebat, sanctumque Apostnlum innocentem & sanctum declarantes acclamabant: *Concede nobis hominem justum, redde nobis hominem sanctum: innocens ejus sanguis sine causa damnatur*.

16 Salvator noster ab hora sexta usque ad nonam vivus in cruce pependit: At verò S. Andreas *Biduo vivens pendebat in cruce*.

17 Verbum Patris æternum in sublimi illa crucis cathedra septem verba, eaque omnia mysteriis plena protulit: at verò Sanctus Andreas spatio duorum dierum, duarumque noctium è cruce velut cathedra prædicavit, omnemque circumstantem populum docuit atque convertit: *Docebat populum* ad numerum viginti millium ascendentem.

18 Pilatus Christum crucifixit, ne populi multitudini complaceret, utpote qui eum in crucis patibulo suspensum mori desiderabat: *Tradidit eum voluntati eorum*: hic autem tutus populus obstrepebat, dum eum è cruce pendulum videbat, imò omni vi & violentia ipsum conatus est è cruce deponere, quod etiam ipsemet Tyrannus populi seditionem compositurus facere jusserat: at verò Deus ut servum suum exaudiret, eique complaceret per miraculum ipsum in cruce perseverare ad finem usque fecit.

19 In crucifixione facta in monte Calvariæ *Tenebræ factæ sunt*: in hac autem miraculosa quædam lux apparuit, quæ corpus illud Apostolum cingens à circumstantium oculis abscondit.

20 Ex corpore Salvatoris post mortem exivit sanguis & aqua; Ex hoc autem Apostoli corpore egressus est liquor nlei & mannæ prætiosissimus.

21 Quisquis vulnera & plagas Christi devotè meditatur, ex iisdem devotionis & Spiritus dulcedinem & suavitatem in se redundare experitur, unde S. Augustinus ad illa nni invitat, dicendn: *Surgit ad mellisflua vulnera mel*. De vulneribus autem S. Andreæ B. Petrus Damianus inquit: *Cujus passio tanta Spiritus devotione distillat, ut mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur*.

Diversæ adducuntur rationes, ob quas S. Andreas dignus Dei Apostolus appellatur.

DISCURSUS TERTIUS.

Andreas dignus Dei Apostolus.

1 NEscio profectò an ulli aliorum encomium istud communicatum fuerit, quo sancta mater Ecclesia sanctum Andream honorat, appellando illum non solum Apostolum, verum etiam: *Dignum Dei Apostolum*. Porrò sanctus Paulus vas electionis & Doctor gentium, cui mundi totius conversio attribuitur; ad quem etiam, ut eum ex persecutore in Apostolum commutaret, uti graves Authores opinantur, ipsemet Dei Filius de cœlis & à dextera Patris in terram usque descendere voluit, hic, inquam, de se protestatur di-
1.Cor.15.9 cens: *Non sum dignus vocari Apostolus*. Petrus etiam cui Deus sponsam suam, Ecclesiam scilicet, & claves cœli consignarat, indignum se esse declarat, qui ad tantam Dei majestatem propinquius accedat: *Exi à me*,
Luc. 5. 8. *qui homo peccator sum*. Joannes Baptista de quo ipsamet incarnata Sapientia hoc testimonium perhibet: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*; hic, inquam, à Christo electus, ut eum baptizando, manus suas supra Christi verticem mitteret, liberè se indignum esse profitetur, qui calceos ejus exsolvat: *Non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calcea-*
Joan. 1.27. *menti*. Denique Spiritibus Angelicis Spiritus sanctus: ait: *In Angelis suis reperit pravitatem*; *Digne eum in-*
Job 4. 18. *venire non possumus*. Quomodo igitur in sancta Dei Ecclesia à Spiritu veritatis, qui *Spirituum ponderator est*, directa gloriosum hunc titulum, *Dignus Dei Apo-*
Job 37. 23. *stolus* Sancto Andreæ attribuere non dubitat? Nimirum per singulare meritum suum se præ omnibus aliis Apostolis insigni hoc encomio dignum fecit, eò quod virtutibus factisque præclaris, muneri suo respondendo tantum encomium sibi comparavit.

2 *Dignus Dei Apostolus*. Experientia docet, quod dum novum aliquod templum erigendum est, primus lapis, qui in fundamenti exordio jacitur, multis ritibus & cæremoniis sacris benedicatur; Crucis quoque signum in eum exprimitur vel inciditur, adornatur, expolitur, quadratur, &c. Enimvero quis est, qui nesciat S. Andream in sublimi illa Ecclesiæ suæ mole, quam supernus ille Architectus Christus Dominus noster meditabatur erigere, primum fuisse in fundamento positum lapidem, utpotè qui inter omnes Apostolos primus fuit, qui à Christo in sui sequelam & disciplinam invitatus, & ad agnitionem veræ fidei perductus fuit. De omnibus quidem Apostolis dicitur: *Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam*, primus autem hujusce plantatæ Ecclesiæ lapis Andreas fuit. *Hanc prærogativam habuit* (inquit Lyranus) *quod fuit primus Christi discipulus, primusque qui Messiam promissum* In Joan
digito monstravit. cap. 1.

3 *Sapientia ædificavit sibi domum*. Porrò primum hujusce domus lapidem, id est, primum hunc Christi discipulum & Apostolum, valdè eleganter expositum adornatum, & quadratum fuisse optimo cum fundamento asserere possumus, maximè cum sanctus Apostolus testetur de se & omnibus: *Idoneos nos fecit mini-* 2.Cor. 3.6
stros, quem proinde Beatus Laurentius Justinianus appellat *Fundamentum Ecclesiæ*. Enimverò Princeps aliquis terrenus ad munus aliquod quempiam eligens, habilitatem & aptitudinem ad tale munus requisitam dare non potest, sed solum muneris illius officium & ministerium ei confert: at vero Christus *idoneos fecit ministros*, & maximè Apostolos, utpotè quibus præ cunctis aliis majus lumen, clarioremq; sui notitiam contulit; Et quidem de Sancto Andrea Salmeron scribit; *Vide huic quantum repente luminis sit infusum, ut Messiam* Hom 4.
agnoverit. Sanctus enim Andreas, sicut & sanctissi- Tr. 17.
mus Præcursor, cujus discipulus paulò ante fuerat, Christum verum Messiam esse præ cunctis aliis clarius & perfectius cognovit. Dionysius Carthusianus de eo quoque scribit. *Gratiarum charismatibus fuit repletus*, priusquam Petrum fratrem suum ad Christum perduce-
ret, ipse à solo Christo solus edoctus & catechizatus Ser. 9. de S.
fuit: *Quis est, qui nobis dicat, quæ audierint illi à Do-* Andrea.
mino? inquit Sanctus Augustinus. Ex quo etiam bea- Tract. 7 in
tus Laurentius Justinianus ipsum Ecclesiæ fundamen- Joan.
tum appellavit, eandem quoque laudem illi attribuere possumus, quam idem S. Doctor Petro attribuit, di- Serm 29.
cendo: *Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei popu-* de Sanct.
lis lapis esset ad fundamentum; utpotè *dignus Dei Apo-* Gen 28.
stolus. Quando Jacob Patriarcha ait: *Non est hic aliud* Psal. 44. 8.
nisi domus Dei: mox quoque *Erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper*. Oleum autem in Psal. 44. lætitiam significat: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus*. Et ideo id ipsum in Sancto Andrea præ omnibus aliis adimpletum esse dicere possumus, utpotè qui ingentem in martyrio suo lætitiam præ se tulit. Ideoque Deus oleum istud, utpotè interioris illius jubili symbolum, in progressu sæculorum ab ejus corpore per evidens miraculum quoddam emanare voluit: Ecce tibi lapidem domus Dei, id est, Ecclesiæ, mystico hoc oleo liberaliter perfusum. In ipso quoque adimpletum fuisse dici potest, quod *oleo lætitiæ præ consortibus suis* perfusus fuerit, si illud juxta Glossæ interlinearis expositionem intelligere velimus, id est, *plenitudine gratiæ*; nam *gratiarum charismatibus repletus*.

4 *Dignus Dei Apostolus*. Chrysostomus de Apostolis Fer. de
scribit: *Erant nudi sæculo, induti Christo*: atque ideò Pent.
ex hoc S. Andreas verè dici potest *Dignus Dei Apostolus*; siquidem nullus, qui adeo mundum exuit, seque Chri-
sto induit, quam ipse. Vix enim Christum audierat In Matth.
hisce verbis ipsum invitantem: *Sequere me, & continuò relictis retibus secutus est eum*. Circa quæ verba sanctus Thomas dicit: *Non pensandus est sensus, sed affectus*; hic autem in S. Andrea mundum deserente talis ac tantus fuit, ut eadem promptitudine universum mundum deserturus fuisset, si totius mundi habuisset dominium, qua rudia & lacera retia sua reliquit: *Non est nimis magnum dimittere omnia, sed perfectio consistit in sequela ipsius*. Etenim scholam quamdam ingrediebatur, tantæ mendicitati subjectam, ut vel ipse scholæ illius supremus Magister de semetipso contestetur dicens: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Fi-* Matt 8 20
lius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Unde

Chry-

Serm. 133. Chrysologus ait: *Ad unam vocem Domini patrem, patriam, censum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis Christi indefessè in germani societate donatur.* Christum nudum secutus, in cruce pariter nudus mori voluit: *Vestimenta sua tradidit carnificibus*, interea tamen Christum indutus in cruce pependit: *Induimini Dominum Jesum Christum.*

5 *Dignus Dei Apostolus.* Salvator noster Collegium Joan. 13. 35. Apostolicum alloquens ait: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, ac proinde ii, qui se in hoc amore ferventiores esse probarunt, digniores æstimandi sunt hujus scholæ discipuli; Hæc autem dilectio & charitas in zelo salutis proximi specialiter relucet. Unde Apostolus ad Romanos scribens, postquam dixisset: *Desidero autem videre vos*, mox subdit quo fine id desiderarit: *Ut aliquid vobis im-* Rom. 5. *pertiar gratiæ spiritualis*; ubi Rabanus ait: *Discere debemus hoc opus esse Apostolicum.* De sancto Andrea autem scribitur, quod *innumerabiles homines ad Christum convertit*; Quot enim Provincias & regna percurrendo invisit, ut infidelium animas Deo lucrifaceret? Imò quod vel maximè stupendum est, ipsiusmet perse- T. in 4. Tract. 17. cutoris & Tyranni sui animam Christo lucrifacere (licet irrito prorsus effectu) omni cum industria studuit. Et quidem vix limini scholæ Christi pedem intulerat, & ecce protinus Apostolorum hunc spiritum imbibit. *Tantum una nocte profecerunt* (inquit de ipso & Collega ejus Euthymius) *ut ad aliorum venationem sequenti die procederent*: Salmeron quoque ait: *Andreæ nomen ponitur quasi primi Christiani, & Christum aliis prædicantis, quique primum piscem, nempe Petrum, reti Evangelico ad Christum traxit.* Hugo Cardinalis verba illa Evangelistæ: *Invenit hic primum fratrem suum Simonem*, notans, dicit ea ita intelligenda esse, *id est, antequam alius inveniret: in quo notatur, quod multos vocavit Andreas ad Jesum.*

6 Sanctus Paulus ad Romanos scribens ait: *Per* Rom. 1. *quem accepimus gratiam & Apostolatum*; Ex quo loquendi modo satis apparet, quod *Apostolatus* idem sit Novar. Rom. c. 2. quod *gratia*. Imo modernus quidam interpres, circa illa ejusdem S. Apostoli verba. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, per hanc gratiam munus apostolicum intelligit: *Per gratiam Apostolicum munus intelligit.* Ac proinde vide quàm benè & exactè S. Andreas documentum illud a[d]impleverit, quod S. Petrus frater ejus hisce verbis [tra]dit: *Unusquisque sicut accepit gratiam* 1. Petri 4. *in alterutrum [ill]am administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Etenim hanc gratiam minimè in se otiosam esse permisit, sed potius eum omni studio & conatu, ministerio & dignitati Apostolicæ correspondere studuit, adeo ut etiam dum jam in Cruce pendulus esset per duos dies & noctes ab Evangelii prædicatione minimè destiterit; ideoque meritissimo jure *Dignus Dei Apostolus* appellatur.

7 Chrysostomus de S. Paulo, qui per Antonomasiam Apostolus appellari solet, ita scribit: *Apostolorum* Hom. 1. in Epist. ad Rom. *dignitatem extollens ait; Pro Christo legatione fungimur.* Porrò S. Andreas se præ cunctis aliis æterni illius Pontificis Legatum, ut ita dicam, à latere esse probavit, siquidem in Cruce mortuus est, eamque tanquam excellentissimum insigne suum gestavit, ideoque longè meliùs Paulo gloriari potuit, dicendo: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Sanctus Augustinus ait: *Ubi mundi Philosophus erubuit,* Serm. 7. de verb. Ap. *ibi Apostolus thesaurum reperit*; id quod S. Apostolo nostro pariter accidit, siquidem visa Cruce ita præ gaudio exultavit, ac si inæstimabilem in Crucis patibulo reperisset thesaurum.

8 Verum advertendum est, quod postquam Apostolus dixisset: *Pro Christo legatione fungimur*, protinus subjungat: *Tanquam Deo exhortante per nos*, ubi Hugo Cardinalis ait: id est *quando exhortamur vos, idem est, ac si Deus exhortaretur, vos*, id quod nullus Andrea efficacius præstitit, utpote qui in Cruce prædicans alter quidam Redemptor crucifixus esse videbatur; vel saltem præ omnibus aliis Apostolis melius & verius dicere poterat: *Prædico Christum crucifixum.*

9 *Dignus Dei Apostolus.* Chrysostomus Apostolos hisce verbis describit: *Tanquam incudes quadam anima-* Hom. 12. Apost. *tæ cum sitis, dum cædimini, eos qui vos cædunt ad cognitionem instruitis.* Quæ sancti hujus Doctoris sententia consonat cum illa Apostolorum Magistri dicentis: *Discite à me quia mitis sum*, quasi diceret, in schola mea præcipuè mansuetudinem discite; Hanc autem S. Andreas in Cruce præclarè exhibuit, in qua Deum tanta cum efficacia pro crucifixoribus suis oravit; atque ideò verè fuit *Dignus Dei Apostolus*, ob benignissimam ejus versus Ægeam exercitam mansuetudinem; quanto enim hic erga ipsum crudelior erat tanto majori erga eundem tyrannum accendebatur amore & charitate ex toto corde illum Deo lucrari desiderans: *Ego de tuo incerta timeo, non de mea passione conturbor.* Cumque populus in tumultum seditionemque adversus Ægeam concitatus, necem illi inferre meditaretur: *Venit ad eum multitudo penè totius Provinciæ, cùm Aegeam vellent occidere, & Apostolum liberare*; S. Andreas ut eum à mortis periculo eximeret, sua se qua in populo eminebat, authoritate interposuit, populo ut sibi acquiesceret persuadendo, utpotè qui ad Domini sui imitationem acerbum illud martyrium pateretur libenter: *Traditus Dominus omnem patientiam præbuit, non contendit, neque clamavit.* Similiter quando tyrannus ad populum sedandum in procinctu erat, ut eum liberaret, dixit: *Quid tu ad nos Aegea venisti? Si vis credere Christo sicut promisisti, aperietur tibi via indulgentiæ: Si autem venisti ad hoc tantum, ut me salves, ego penitus hinc de ista Cruce vivens in corpore deponi non potero; jam enim Regem meum video, jam adoro, jam conspectu ejus consisto, sed de tuis miseriis doleo, quia paratus te expectat æternus interitus.*

10 *Dignus Dei Apostolus.* Calistus II. Papa, inter Serm. in Vigil. S. Jacobi. alia, quibus Apostolos honorat epitheta, hoc quoque recenset, quo illos *Manna Domini* appellat, sicut enim hoc iis, qui eo se nutriebant, omnes communicabat sapores, dummodo in amicitia Dei consisterent (*dulcedinem tuam in filios*) ita quoque credibile est, Apostolis Sap. 16. 21. omnia dona & gratias communicatas fuisse, quæ in aliis fuerunt divisa. Ac proinde etiam hoc capite sanctus Andreas est *Dignus Dei Apostolus*, siquidem ipse primus omnium fuit, cui cœleste hoc manna est communicatum, id est, qui cœlestibus virtutum, donorum, & gratiarum thesauris fuit locupletatus; utpotè primus omnium ad Apostolatum vocatus: *Prævenit eum in benedictionibus dul-* Serm. 79. *cedinis.* Eum verò Chrysologus pulchram in medium adducit rationem, cur Salvator noster sacratissimi corporis sui aromatibus condiendi officium suis non servaverit Apostolis, sed potius illud devotionis Mariis exequendum reliquerit, dicit enim: *Infundunt: ille oleum, isti sanguinem fundunt: Illæ portant aromata, isti flagella;* quasi diceret: Mariæ quidem Christi corpus odoriferis unguentis honorant: at vero Apostoli corpus Salvatoris nostri mysticum, id est, Ecclesiam ejus sanguinis sui velut pretiosissimi balsami effusione condire satagunt. At vero quis est inter omnes Apostolos, qui per flagella, Crucem, sanguinisque sui effusionem tanto cum jubilo & lætitia factam, majorem Andrea edidit odoris fragrantiam? In cujus proinde signum credibile est factum fuisse, quod singulari Dei providentia in meritorum ejus remunerationem per perenne quoddam miraculum, ut paulò post dicemus ab ejus jam mortui sacro corpore manna quoddam sive oleum odoriferum scaturiat.

S. Andreæ lætitia, qua Crucifixionis suæ tempore perfusus fuit, fusiùs consideratur.

DISCURSUS QUARTUS.

Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.
Ad Hebr. Cap. 12. vers. 2.

1 Tametsi verum sit S. Paulum Apostolum verba hæc de Redemptore nostro propriè scribere, nescio tamen an non sine temeritatis nota, verba prædicta multo magis in ejus tantopere sibi dilecto discipulo adimpleta fuisse dici possit, quia tametsi quidem verum sit, quod Christus *exultavit ut Gygas ad currendum viam*, quodque Petrum Passionem ejus impedire volentem acriter reprehenderit, dicens? *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* Veruntamen mox ut prætentatum sibi amatissimum passionis suæ calicem vidit: *Cœpit pavere, tædere, & mæstus esse:*

at vero

at vero S. Andreas mox ut patibulum ſuum, in quo ſuſpendendus erat, conſpexit, audite io quantæ teneritudinis verba protinus eruperit, dicens: *O bona Crux diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata, ſecurius & gaudens venio ad te.* Porrò ſupplicium Crucis, primis illis ſæculis adeò ignominioſum fuit, ut dum infideles Judæi Cœleſtis gloriæ Regi maximam conciliare confuſionem intenderent, Crucis ſupplicium ei decreverint, dicentes: quaſi *morte turpiſſima condemnemus eum*; unde ad patibulum condemnari tantam reo conciliabat infamiam, quantam hodie contrahit, qui condemnatur ad furcam; imò atrocitas illius ſupplicii verbis exprimi nequaquam poteſt: Unde quando S. Andreas Ægeæ dixerat: *Quicquid tibi videtur in ſuppliciis majus, excogita;* Tyrannus hanc ejus petitionem protinus complere & exaudire volens: *Crucicum affigi præcepit, mandans, ut ligatis pedibus & manibus quaſi in equuleo tenderetur, ne clavis defixus cito deficeret, ſed cruciaretur longo cruciatu.* Cogitate quales & quanti hi dolores fuerint, quos ſanctus ille ſenex in ætate decrepita duorum dierum, duarumque noctium ſpatio ſuſtinuit, dum brachiis pedibuſque rigidiſſimè expanſis, preſſiſque funibus nodoſiſque aliis vinculis, quibus & oſſa confringi, & variæ corporis partes lacerari aut rumpi poterant, fortiter arctèque adſtrictis in Crucem pendulus hæreret. Et tamen quod vix ullus hominum feciſſe legitur, lætus, jucundus, & hilaris ad Crucem velut ad amplexum ſponſæ chariſſimæ proceſſit. Unde S. Bernardus ait: *Quis mortalium mortem lætus aſpexit, quæ cunctorum terribilium extremum eſſe dicitur?* Porrò fuere nonnulli cæteroquin validi forteſque viri, qui per ſolam imminentis mortis apprehenſionem in una nocte omnino incanuerunt, Carthuſianus quoque ait: *Omnium terribilium*

Ser. 5. de S. Andrea.

terribiliſſimum eſt mors, ſecundum Philoſophum, *ita ut ſicut omnia naturaliter appetunt eſſe & vivere, ſic naturaliter refugiunt corrumpi & mori*; Et tamen hoc non obſtante inquit idem Dionyſius Carthuſianus, Apoſtolus noſter *mortem, imo & mortem Crucis, quaſi omnium appetibilium appetibiliſſimum apprehendit, appetiit, atque amplexus eſt.* S. Bernardus in Sermone, quam habuit in Vigilia hujus Feſti, ſcribit: *Andreas homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & tam vehementi ardore ſpiritus Crucem ſitiebat, tam inaudito à ſæculis gaudio tripudiabat.* Etenim S. Apoſtolus noſter non ſolum ſe Crucis avidum, ſed & tanto ejuſdem amore captum eſſe probabat, acſi dilectiſſima ejus Sponſa, cordiſque delitium fuiſſet, cœleſtiſque Paradiſi in ea notaſſet pulchritudinem; *O bona crux: quæ decorem de membris Domini ſuſcepiſti.* Porrò quando aliquis vehementi Sponſi vel Sponſæ alicujus amore captus eſt, oculum ſuum non dirigit ad dotem, ſed ſolum cogitat de objecti amati fruitione & poſſeſſione, utpote cujus occulta vi cor ſuum ſibi eripi ſentit; de nulla alia re ſolicitus, eſt, neque ullum ſive ad potentiam, ſive ad nobilitatem, ſive ad quidvis aliud reſpectum habet. Cum igitur S. Andreas Crucem Chriſti magiſtri ſui humano amore deperierit, ad dolorum, tormentorumque inexplicabilium Crucem illam neceſſario conſequentium acerbitatem minimè ſe reflexit, aut ſi illos prævidit, præ nimia tamen amoris vehementia, nihil eoſdem fecit. Fuit autem amor ille adeò præfervidus, ut illum quaſi extra mentem poſitum, cum Cruce, haud ſecus ac ſi animata fuiſſet, loqui fecerit, ipſam ut ſe inter brachia ſua dignaretur excipere, eniè, perque varias adductas rationes atque motiva rogando. Undè S. Bernardus ait: *Audi quid dicat amata ſua, per te me recipiat, qui per te me redemit:* Melius

Ser. 5. de S. Andrea.

verò totum illum Diſcurſum quem non cum Chriſto crucifixo, non cum perſecutore, vel aliis creaturis ſenſu præditis, ſed cum hoc inſenſato ligno miſcuit, in Surio hiſce verbis deſcriptum legimus: *O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando jam concupiſcenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Imò ardentiſſimus ejus erga Crucem amor euſque aſcendit, ut ſi poſſibile fuiſſet, unice & ipſam quoque Crucem ingentes quoque jubilan-

Se. in Vig. Andreæ.

tis gaudii affectus concipere deſideraſſet: *Ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus, qui pependit in te. Non ſe capit præ magnitudine gaudii*, inquit S. Bernardus: *ergone tanta eſt exultatio, ut exultet & ipſa crux? Quid amplius contra naturam, ſupra rationem, ultra naturam crucifixum exultare quàm crucem? Huic ſenſum lætitiæ natura negavit.*

2 Verùm enimvero quid mirum ſi S. Apoſtolus Andreas Crucem exultantem videre deſiderarit, ſiquidem veriſimile eſt, aridum hoc Crucis lignum in hac S. Andreæ in ejus amplexu tolerata paſſione majorem quam unquam ſpei vitorem concepiſſe, in hoc ſene & decrepito, & tamen gaudenter Crucem conſcendente Apoſtolo toti mundo palam futurum eſſe ac manifeſtum, qualiter pro amore Chriſti pati & dolere jubilum ſemper & gaudium ineffabile annexum habeat, id quod indè vel maximè procedit; quia videlicet Crux Redemptoris nil niſi infinitam quandam amaritudinem ſecum habuit; ipſe etenim fel ſolum & acetum potavit, ut nobis mellis dulcedo reliqua maneret; ipſe quoque ſine ullo prorſus ſolatio exteriori mori voluit, ut hoc ipſum iis qui ob ejus amorem torquendi & cruciandi eſſent penitus reſervaret. Unde S. Stephanus, qui omnium Chriſti Martyrum primus fuit, in lapidibus, ſub quibus occubuit, mellis favum invenit: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Medicus medicamenti alicujus experientiam exploraturus, illud ipſum alicui juxta Regulas artis Medicæ deſperatiori infirmo porrigere ſolet, ut vel ſic virtus ejus magis eluceſcat; Chriſtus qui *Magnus de cœlo Medicus appellatur*, ſalutem animarum cum Cruce ſua conjunctam & aſſociatam eſſe ſciebat: *Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam*, ut autem manifeſtam hujus ederet experientiam, totique mundo palam faceret Crucem non adeo exhorreſcendam atque abominabilem eſſe, ſicut mundi oculis eſſe videtur, eandem vero cuidam ſeni decrepito, & per jejunia, peregrinationes, tormenta, alioſque labores innumeros tot annis per Evangelii in tot Provinciis & regnis factam prædicationem toleratos extenuato & exhauſto impoſuit, eumque in ea cruce lætum, jucundum atque feſtivo quodam gaudio perfuſum ab omnibus ſpectari voluit, haud ſecus ac ſi in dilectiſſimæ Sponſæ ſuæ amplexibus hæreret, voluitque eum cum illo cordis jubilo dictam crucem conſcendere, ac ſi in currum quendam triumphalem ſubveheretur. Unde Dionyſius Carthuſianus ait: *Quamvis legamus multos Sanctorum utriuſque ſexus cum grandi lætitia* Serm. 6 *ad Martyrium properaſſe, de nullo tamen ſcriptum eſt, quod eum tam exceſſivo gaudio, tamque devoto & gaudioſo elogio ad mortem profectus ſit.* q. d. Quod aliquis pro Chriſto patiendi avidus tormentis ſibi inferendis ultrò citroque occurrat, non lamentetur, ſed in mediis flagellis, caſtis, equuleis conſtans & magnanimus perſeveret, hoc quidem in nonnullis Martyrum actis ſufficienter legitur: at verò quod aliquis tam acerbis doloribus, cum tanta amoris teneritudine occurrat, prouti Andreas fecit, hoc eſt, quod vix ullum in hiſtoriis exemplum habere exiſtimo. Unde Dionyſius Carthuſianus pergit dicere: *Nequaquam contremuit, ſed quantum alii, qui ducuntur ad mortis ſupplicia, vultu palleſcunt, horrore concutiuntur, verbis deficiunt, & animo infirmantur, tantum felix iſte Apoſtolus cruce conſpecta, vultu refloruit, exultatione repletus eſt, verbis invaluit, & corde firmatus eſt, nempe quam ignita, quam devotiſſima. quam affectuoſiſſima protulit verba! Salve Crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata.* Ecce quænam S. Andreas in hac Sponſa ſua monilia recognoſcat. Pergit verò ulterius dicere; *Antequam te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti; modo vero amorem cœleſtem obtinens, pro voto ſuſciperis: Scitis enim à credentibus quanta intra te gaudia habens; quanta munera præparata.* Ecce tibi ſponſalitii hujus dotem & munera: *Securus ergo & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me Diſcipulum ejus, qui pependit in te; quia amator tuus ſemper fui & deſideravi amplecti te; Quis horum gratioſitatem verborum* (inquit Dionyſius Carthuſianus) *ſatis miretur ac laudet?* Sanctus Bernardus attonitus & ſtupefactus interrogat; *Obſecro fratres, homo eſt qui loquitur hæc, an non eſt homo, ſed Angelus, aut nova aliqua creatura?*

3 Valde celebre eſt factum illud, quod in Exodo recenſetur, nimirum quod quando Moyſes brachia ſua Exo. 17. 11 cœlum verſus in crucis formam extollente, populus Iſrael glorioſam de Amalech reportavit victoriam, in eodem loco Altare quoddam erectum fuerit hunc præ ſe ferens titulum: *Exultatio mea.* S. Cyrillus Alexandri- Lib. 3. de Inſtit. nus in ea eſt opinione, quod per hanc brachiorum Moy-

ſis in

sis in cœlos sublationem præfigurata fuerit Christi crucifixio, per quam hostis tartareus prorsus consternatus fuit; Et quidem quicquid sit quoad hanc opinionem, hoc saltem est omninò verissimum, quod olim *omnia in figura contingebant illis*; atque adeò per hanc Moysis positutam dici quoque potest S. Andream fuisse præfiguratum, qui suas in cruce manus extendens insignem adversus infernum obtinuit victoriam, subvertendo idololatriam, qui proindè hoc crucis suæ altare horum verborum incisione exornare potuit: *Dominus exultatio mea*; siquidem crucem videndo ait: *Ita & in exultans*.

4 Advertendum quoque est sancti Andreæ humilitatem in eo plurimum eluxisse, quod se crucis servum appellaverit, cujus ut audistis indubitatus Sponsus erat: *Andreas dixit: Ego crucis Christi servus sum, & crucis trophæum optare potius debeo, quam timere*. In hac autem Sponsa gratiam pariter adinvenit & gloriam: *Si crucis patibulum expavescerem*, inquit ad Tyrannum, *Crucis gloriam non prædicarem*. S. Paulus quoque ait: *Videmus Jesum per passionem mortis, gloria & honore coronatum*. Ubi S. Ambrosius ait: *Hic ostendit, quia gloria & honor crux est Christi*. (Hebr. 2. 9.) Hanc igitur gloriam sanctus Andreas cordi suo firmiter impresserat. Unde se maximopere exaltatum esse reputabat, quando se gloriæ & honoris Mastri sui vidit esse participem.

5 In hac quoque crucis suæ Sponsa amplissimam repetit dotem, & thesaurum inexhaustum, id est, pœnas & tormenta, quibuscum æterni cujusdam regni comparari potest lucrum. S. Petrus Damianus de Inventione Crucis tractans ait: *Hodie quia Crucis Inventionem colimus, quasi reperto communi totius mundi thesauro*. (Hom. de divite & epulone.) Chrysostomus ait: *Qui in cruce est, non vim facit: & crux & statim paradisus*. Et S. Leo ait: *Secuta est expectatio promissa beatitudinis ubi est participatio dominica passionis*. (Serm. 9. de Passione.) Atque ideo S. Andreas dicebat: *Securus gaudens venio ad te*.

6 Nobilitatem quoque eximiam in hac sponsa sua invenit: nam ut S. Hieronymus ait. *Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris figuras condecorat*. (Epist. 9. ad Lætam.)

7 Denique omnia gaudia & solatia sua in hac sponsa sua invenit, in cujus signum post mortem pretiosissimam manna è corpore ejus scaturiit, quod, ut omnibus constat, omnes in se sapores continebat. *Omne delectamentum; unxit eum Deus Deus suus oleo lætitiæ*; voluit namque Deus, ut quod in signum excessivæ lætitiæ & gaudii sui, quo cor ejus in mediis tormentis gestiebat, per hujus olei perennem derivationem vivum quoddam penes mundum remaneret testimonium.

8 Celebris est illa S. Bernardi circa cruces, quæ in Ecclesiarum consecrationibus sacro inunguntur chrismate, observatio. (Serm. 2. de Dedic.) Dicit enim: *Undè necesse est, ut unctio spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, multimoda pœnitentiæ cruces devotionis suæ gratia liniens*. Ejusque hanc protinùs reddit rationem: *Quia nec sine cruce sequi Christum, & sine unctionem crucis asperitatem ferre quis posset. Hinc est quod multi abominantur, & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non unctionem nostram*. Porrò hujus Andreaticæ crucis unctionem à tot sæculis continuata experientia comprobat; siquidem ab ejus Cruce, id est, à crucifixo ejus corpore hoc oleum perenniter scaturiit, per quod perenne miraculum æterna Dei providentia, uti ego quidem existimo, fideles docere suos intendit, ut & ipsi exemplo S. Andreæ crucem suam libenter deferant, eo quod una cum crucis tormento felici quoque nexu interiora gaudia & consolationes conjungere soleat. *Cruces devotionis suæ gratia liniens*.

9 Nostiine quænam sit causa, cur hodie in multis adimpleatur id, quod S. Paulus lachrymantibus oculis ad Philippenses scribit: *Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi*? nimirum hujus nulla alia ratio est, quàm quod qualis crux Christi sit, experiri nolunt, tametsi ponderosissimam mundi crucem experiantur sæpissimè. Credamus igitur S. Andreæ, qui ideo in cruce gavisus est, & de cruce deponi noluit: *Ne patiaris me ab impio judice deponi quia virtutem sanctæ crucis agnovi*.

De Cruce spirituali S. Andreæ, & de patibulo, in quo pependit, dum populum doceret.

DISCURSUS QUINTUS.

Biduo vivens pendebat in Cruce B. Andreas pro Christi nomine, & docebat populum.

1 Sanctus Andreas in præparato sibi à tyranno patibolo integro biduo pependit; at vero aliam quandam crucem per plurima annorum curricula portavit, illam nimirum, de qua S. Maximus scribit. (Hom. 2. de nat. Mart.) *Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est*. Quibus in verbis ad nostrum propositum notanda est dictio illa: *Christiani hominis*; siquidem verè & cum fundamento asserere possumus S. Andream primum Christianum fuisse, id est, primum extitisse, qui se Christi disciplinæ & sequelæ commisit, ipsum tanquam verum in lege promissum Messiam agnoscendo. Quam porro crucem ingenti cum merito detulit. S. Bonaventura pro sermone quodam, quem in hac solemnitate dixit, hoc sibi thema assumpsit. *Christo confixus sum cruci*; ac demum in cruce materiali dimensiones varias considerari posse docet, scilicet profunditatem, altitudinem, latitudinem & longitudinem; tandem verò ad S. Apostolum nostrum descendens dicit: *Juxta hæc quatuor Crux spiritualis quatuor habuit, quam crucem ipsam Apostolus Christi portavit: nam habuit in se profundum humilitatis, habuit altitudinem paupertatis, habuit latitudinem charitatis, & habuit longitudinem longanimitatis*.

2 Et quidem in primis profundum habuit humilitatis, quia tametsi Petri frater natu major esset, eidemque primordialem Christi notitiam communicasset, nihilominus se illi in primatu & supereminentia super collegium Apostolicum tanquam capiti Ecclesiæ posthabitum fuisse videns, nec quicquam indignatus, quin potiùs impensissimè gavisus fuit: *Hanc nobis vera humilitatis normam* (inquit S. Petrus Damianus) *per quam illum recta via sequeremur*. (Serm. 1. de S. Andrea.) Similiter omnes pedibus suis substravit respectus humanos, dum primus se Christi disciplinæ addixit, eo præcipue tempore, quo vel maximè dicere poterat: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*; (Psalm. 21. 7.) vel etiam tempore illo, quo, ut B. Laurentius Justinianus ait: *Nec dum miracula viderat*. Quod idem etiam doctissimus Salmeron notavit, dum ait: *Profectò maxima laus Andreæ est, quod primus omnium se ausus fuerit credere Christo*. (Tom. 4. Tract. 17.) Notatis velim hanc phrasim dicendi, quia eo tempore à Scribis, Pharisæis, Sacerdotibus, Principibus synagogæ, & Pontificibus summis continuis infestabatur acerrimisque persecutionibus: *Conspiraverunt Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret*. (Joan. 9. 22.)

3 *Habuit etiam altitudinem paupertatis*; quia *relictis omnibus secutus est eum*. In cujus evidens signum nudus planè omnibusque vestibus spoliatus in Cruce mori voluit: *Vestimenta sua carnificibus tradidit*.

4 Similiter *Latitudinem charitatis* habuit: nam ut B. Petrus Damianus de ipso scribit, divini amoris ignem ipse in multis accendit, qui ab eo conversi, gloriam & honorem Dei egregiè zelarunt: *Insignes bellatorum Christi animos igne divini amoris inflammat*.

5 Denique *Longitudinem* habuit *longanimitatis*, quia in omnibus persecutionibus adversus eum motis, quæ per tot annorum spatium innumerabiles fuerunt, patientissimus semper permansit. Undè Cæsarius ait: *Vincula, quibus ligatus fuit ad crucem beatus Andreas, præcepta sunt obedientiæ, quæ manus, id est, opera, & pedes, id est, affectus nostros ligare debent, & hoc tandiu, donec veniat qui solvat, Jesus Christus Dominus noster*. (Hom. 2. de S. Andrea.) Et in hac quidem spirituali crucifixione per longissimum annorum decursum constantissimè perseveravit.

6 *Biduo vivens pendebat in cruce*. Ponderemus nunc materialis crucis martyrium: *Vivens pendebat*, ubi dictio illa *vivens*, non solum nobis exprimit, quòd per duos illos dies, & noctes mortuus non fuerit; verum etiam nobis insuper declarat, quòd in ea vividus, vegetus,

getus, vigorosus & jucundus permanserit, haud secus ac si ab illo crucis patibulo vitam & spiritum quendam novum recepisset, fuissetque illi patibulum hoc arbor vitæ vires corporis per omnia vegetans, prouti ex eo clarè satis deducitur, quòd efficacissimis instantissimisque precibus ne à cruce deponeretur, Deum rogarit; anxio etenim corde Deo suo dixit: *Ne permittas eum, qui jam per crucem cognovit magnitudinem tuam ab Aegea homine corruptibili humiliari, sed suscipe me tu magister meus Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem cernere desidero; jube me de ista cruce non deponi, nisi prius spiritum meum susceperis*. Qua etiam in oratione continuò à Deo exauditus fuit; siquidem inter dilectæ sponsæ suæ, id est, crucis amantissima brachia mortuus fuit.

7 Non dubito quin ventilari aliquando audieritis dubium istud, nimirum quamobrem Redemptor noster post præsentatum ei crucifixionis suæ calicem tanto fuerit timore perculsus: econtra verò sanctus Apostolus Andreas ad ejusdem calicis aspectum tantoperè præ gaudio tripudiarit & gestierit? Pro cujus resolutione memorandum, quòd Deus primam matrem nostram Evam formaturus, costam quandam ab Adamo sustulerit, reposita tamen vel substituta in loco sublati ossis carne: *Replevit carnem pro ea*; at verò si dixeris: Cur non potius in sublatæ costæ locum novum os sive novam costam substituerit? Respondeo: *Sacramentum hoc magnum, ego dico in Christo & in Ecclesia*. Sicut enim ab Adamo costa quædam dura, solida & fortis sublata, in ejusque locum caro fragilis substituta fuit; ita quoque sacrosanctæ Redemptoris nostri humanitati (ipsomet particulari sua dispositione ita volente) omnis vigor & fortitudo adempta, in ejusque locum hujusce nostræ fragilis humanitatis debilitas ab eodem Redemptore nostro admissa fuit, ut hac ratione in progressu sæculorum infideles ex ejus amore pro fidei ipsius dira tormenta passuros roboris sui imperterrita firmitas & soliditas

In cap. 22. Lucæ. transmitteretur. Undè S. Ambrosius ait: *Suscepit tristitiam meam, ut mihi suam lætitiam largiretur*. Verùm quidem est quòd tristitia, quam Christus in horto Gethsemani persensit, S. Andreæ potiùs convenisset: at verò suas inter se vestes pariter commutarunt. S. An-

Ro. 13. 14. dreas: *Induit Dominum Jesum Christum*. Quid vero indè subsecutum fuit? *Carnis curam non fecit*; Christus nostra se mortali carne vestivit, quia *habitu inventus ut homo*; atque ideo *cæpit cadere & pavere*.

8 Contingit nonnunquam quod generosus aliquis belli dux ne ex visu in prælio agnitus capiatur, arma sua cum simplici quodam pedite commutet: ita quoque Christus Dominus noster, ut se in cruento passionis suæ prælio, quoad fieri posset, tartareo hosti suo debellare eum volenti absconderet (quia *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*) arma sua nobiscum mutavit, dum nimirum tot generosos milites pro ipsius defensione ad fastuosam diaboli tyrannidem totaliter dissipandam pugnaturos, armis suis induit, qualia sunt generosa fortitudo, & invictum animi robur, quæ illis adversus persecutores, suppliciorumque acerbitates communicavit.

9 *Adimpleo*, inquit S. Apostolus, *ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus*. Porrò certum est, quòd passioni Redemptoris nihil unquam defuerit; siquidem *copiosa apud eum redemptio*; cur igitur Apostolus audacter: *Adimpleo*, &c. Nimirum passioni Christi nostra deerat cooperatio; non enim Christum crucem suam portasse sufficit, nisi nos quoque indè proficiamus, singulique nostras pariter cruces deferamus; id quod præ cæteris sanctus Andreas Apostolus optimè executus fuit: siquidem, prouti in Discursu secundo vidimus, crux hujus Apostoli quadantenus cruce Christi gravior, major & superior fuisse videtur, idque quia Salvator noster calicis amaritudinem sibi soli vendicavit, ut huic Apostolo nobisque omnibus calicem vini dulcis epotandum relinqueret. Optimè S. Hilarius notat, non dixisse Christum: *Transeat à me calix iste*; sed, *Transeat à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis*; quod enim calicem mortis ebiberet tergiversatus non fuerit, vel exindè patet, quia paulo post traditori, & armatis turbis atque satellitibus capere volentibus animosè obviam processit.

10 Quamvis & aliam considerare possimus rationem differentiæ, quæ inter Christi tristitiam, & jubilum sancti Andreæ intercessit; nam crux Filii Dei omnibus totius humani generis peccatis onusta erat; siquidem *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*. Et Petr. 1. 24. ideò quid mirum, si immensa quædam innumerabilium culparum moles Redemptori nostro tantas angustias conciliavit? at vero patibulum sancti Andreæ immensum in se decorem & pulchritudinem ex Christi membris ei communicatam in se continebat: *Decorem ex membris Domini suscepisti*. Præterea licèt crux Christi antea fuerit instrumentum maledictionis: *Maledictus qui pendet in cruce*; attamen postquam Christus eam semel conscendit, factus est fons vivus cœlestes benedictiones copiosissimè scaturiens; undè etiamnum in Ecclesia mos est valdè usitatus, Crucis signo impertiendi benedictiones.

11 *Docebat populum*. Est hæc altera consideratio, quæ in propositi thematis verbis nobis reliqua remansit. Sanctus etenim Apostolus noster tanta cum animi libertate cruci hærebat, ut eidem velut cathedræ insidens vel inhærens desertis verbis docuerit populum circumstantem. Quemnam uspiam invenies tanto animarum salutisque alienæ zelo succensum, ut etiam in ipsamet dirissimorum suppliciorum carnificina, omnium dolorum tormentorumque oblitus, vel saltem illa nequicquam curans, omnique dolore acerbissimoque martyrio superior, nihil aliud adeo curet vel cogitet, quàm salutem alienam salutaria proximis monita subministrando: *Andreas rogabat populum, ut non impediret passionem ejus; gaudens enim & exultans ibat, & à doctrina non cessans*. Quando Verbum incarnatum perditam illam Samariæ oviculam divini verbi sui virtute ad ovile suum reducere satagebat, Apostoli, & inter hoc Sanctus Andreas illi cibum obtulerunt ad manducandum: *Rabbi* Jo. 4. 31. *manduca; ille autem dicit eis: ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*. Hoc igitur spirituali cibo conversionis animarum & verbi Dei, quod Andreas circumstantibus prædicabat (siquidem docebat populum) duo- Joan. 2. bus diebus totidemque noctibus se vivum, vigorosum & fortem conservavit. Hunc zelum animas lucrandi à primo instanti, quo Messiam cognoscere cœpit, clarè satis probavit; siquidem una cum alio quodam sodali suo totam & solidam noctem cum Christo commoratus fuit, postquam ut Christi discipulus fieret, relicta Baptistæ schola ad meliorem & sublimiorem Christi scholam se recepit. S. Bonaventura in cap. 1. S. Joannis Chrysostomum adducit dicentem: *Quòd tota illa nocte fuerunt vacantes, scilicet doctrina Dei, ut confestim alternatim ad aliorum venationem veniret; & ex hoc patet, quòd ideo tam breviter manserunt ob festinationem ad annuntianda aliis arcana, quæ audierant; & ob aliorum conversionem: nam indilate Andreas adduxit fratrem ad ipsum Jesum*. Angelicus quoque Doctor de ipso attestatur, dicens: *Prior conversus est ad fidem Christi perfectè: tum etiam Christum primus prædicavit; unde sicut Stephanus fuit primus Martyr post Christum, ita Andreas fuit primus Christianus*: Idem quoque optimè ad hoc se reflectit, quòd scilicet Andreas inventum hunc inæstimabilem thesaurum non sibi soli reservarit, sed aliis quoque partem thesauri hujus communicaverit: *Non detinuit apud se inventum thesaurum, sed festinat & currit citò ad fratrem, traditurus ei bona quæ suscepit*.

12 Verùm enimvero nequaquam mirari oportet quod S. Apostolus noster etiam jam in crucem actus, verbum Dei tanta cum eloquentia & insigni fructu ministraverit, quia si ipsum inter Apostolos diceremus esse primum, qui verbum Dei audivit, quique Evangelicæ prædicationis reti captus permansit, nos haud procul à veritate aberraturos esse existimarem: *Hora autem erat quasi decima*, inquit S. Joannes, quando Christus Andream allocutus fuit. Et ideo Lyranus ait: *Id est, prope vesperam: Ex* Inc 1. Jo. *qua parte ardor ad audiendum Christum; quia cum hora vespertina soleant homines reverti ad propria domicilia, tamen omnibus dimissis mansit cum Christo usque in crastinum, desiderio audiendi ipsum*. Potuit proinde Andreas Serm 1. de dicere: *Hæc nox illuminatio mea*. S. Augustinus ait: *Quàm* S. Andrea. *beatum diem, quàm beatam noctem?* Quantum in corde suo jubilum habuit, quando Christum invenit: *Se reperisse testatus est, quem ob origine mundi omnes Sancti cum magno desiderio præstolati sunt, & tamen videre non potuerunt*. S. Bonaventura varia recenset auxilia, quæ ad certam quorundam salutem nonnulli contulit;

Illi

S. rm. 30. *Illi succurrit Episcopo, quem diabolus sub specie mulieris laboravit subvertere. Item pro salute Nicolai Senis lacrymas multas effudit.* Et quidem id, quod ad hujus beneficium operatus fuit, in S. Apostoli vita clarè satis describitur. Quod vero beneficium Episcopo collatum attinet, post adhibitam in pervolvendis historiis diligentiam, tandem in authore quodam totam rei gestæ seriem

Rodulph. Cinsius. descriptam inveni, quæ talis est: Etenim bonus hic Pastor vitam agens innocentissimam, sancto huic Apostolo nostro devotissimus erat; tortuosus vero coluber diabolus, ut eum in turpis alicujus peccati voraginem præcipitem ageret, in formosissimæ puellæ specie eidem apparuit, fingens se Episcopo sacramentaliter confiteri velle; qui quidem primitùs illam è se repellens, pœnitentiarium suum adire jussit; at vero postquam importunis precibus ab ipsomet Episcopo audiri postularet; petitioni ejus acquiescens eandem audivit. Personata igitur hæc puella confessionem ordiens, se natam Reginam, simulata tamen veste indutam esse finxit, ut patris authoritatem tanto securiùs evaderet, utpotè eam non obstante expressæ virginitatis voto, quo obnoxia erat, Principi alicui desponsare volenti; quod quidem periculum ut declinaret, fuga sibi consuluisse, suumque ad ipsum ob summam ejus integritatem sibi magnoperè commendatam quærere decrevisse confugium. Porrò Episcopus ingentem ejus nobilitatem, cum pari corporis elegantia, devotione & sapientia conjunctam summoperè demiratus, eam benigne excepit, eo quidem fine, ut Deo deinceps absque ullo impedimento liberiùs serviret; eamque ad prandendum secum invitavit, quæ hanc Episcopi benevolentiam primitùs acceptare in speciem abnuit, prætexens metum, quo se agnoscendam ab aliis esse formidaret: postquàm vero Episcopus eam ab omni periculi metu securam esse jussisset, tandem acquievit; mensæque cum Episcopo accumbens, tantam in hoc Prælato impuri amoris flammam accendit, ut de facto, de via, & modo apud se consultaret, quo tentationi huic satisfacere posset. In eodem verò instanti peregrinus quidam ad fores pulsans advenit, qui magna cum authoritate & importuno strepitu fores sibi aperiri optabat; quod tamen Episcopus facere noluit, nisi puellam hanc priùs interrogaret, an in ostii apertionem consentire vellet. Quæ respondit, proponatur peregrino isti dubium quoddam valdè arduum & difficile; si enim proposito huic dubio aptè responderit, aperiantur ei conclavis tui fores; sin vero ineptè dubium istud resolverit, arceatur ab ingressu. Episcopus igitur dubium peregrino proponendum à puella specificari requisivit: cui ipsa dixit: Interrogetur. *Quod majus mirabile sit, quod Deus unquam in parva re fecerit?* Respondit peregrinus: *Diversitas facierum*, siquidem nullus unquam a principio mundi inventus est vultus humanus alterius vultui per omnia similis. Mox vero puella aliud novum proposuit dubium dicens: *Quæratur ab eo, ubi terra sit altior omni cælo?* Respondit peregrinus: In cælo empyreo, ubi Christi humanitas ad dexteram Patris considet. Cùmque circumstantes tam dubiis propositis, quàm eorundem solutioni applauderent, tertium protinus dubium subjunxit, dicens: *Quæratur ab eo, quantum spatium sit a cælo ad terram?* Mox vero peregrinus respondit: *Vade ad eum, qui te misit ad me; de hoc eum percunctare: ipse enim melius me hoc novit; nam ipse hoc spatium mensuravit, quando de cælo in abyssum cecidit: non enim est mulier, sed diabolus, qui se transformavit in similitudinem mulieris.* Quod peregrini responsum ut minister Episcopo in puellæ personatæ præsentia retulit, ipsa in eodem prorsus momento subito disparuit. Multi sunt qui peregrinum studiosè inquirerent, qui tamen nusquam inveniri potuit. Episcopus igitur populo specialiter convocato casum facti seriatim exposuit, rogavitque communem ab omnibus orationem ad Deum fundi, quatenus Deus pro sua ingenti bonitate tam salutaris moniti authorem manifestare dignaretur; & ecce sequenti nocte cælitùs facta revelatione S. Andream Apostolum fuisse didicerunt, cui Episcopus specialiter devotus erat; qui proindè periculi, quod evaserat, magnitudinem agnoscens, ingentes S. Apostolo gratias retulit.

Per varias sacrorum interpretum illis verbis: *Quam speciosi pedes Evangelizantium*, adhibitas interpretationes, aliæ S. Andreæ virtutes & laudes considerantur.

DISCURSUS SEXTUS.

Quàm speciosi pedes Evangelizantium. Rom. c. 10. vers. 15.

1 IN Epistola hodie in honorem sancti Andreæ in Ecclesia lecta potissimum de prædicatione sancti Evangelii tractatur: atque insuper in oratione, quam S. Ecclesia hodierno Festo adoptat, hæc de sancto Apostolo nostro verba habentur: *Ecclesiæ tuæ B. Andreas extitit prædicator.* Certum est autem, quod Salvator noster omnibus Apostolis suis indifferenter dixerit: *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ*; Marc. ult. pariterque indubitatum est, omnes idem Dei verbum in iisdem sacris paginis descriptum annuntiasse: cur igitur sanctus Andreas potiùs quàm alii Apostoli hoc encomio Prædicatoris Ecclesiæ extollitur? enimverò ut quàm se hac singularissima laude dignum reddiderit, clarius intelligamus, operæ pretium erit, ut quàm egregiè partes veri prædicatoris expleverit, exponamus.

2 *Quam speciosi pedes*. Hæc S. Pauli sententia ex Propheta Evangelico desumpta fuit, qui futuros novæ legis eventus prædicens inter alia ait: *Quam pulchri supra montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem*; ubi Lyranus ait: *Hic describitur Ecclesiæ dilatatio per prædicationem Apostolorum*. Glossa interlinearis in hunc S. Pauli textum dicit: *Hic describitur adventus Apostolorum, qui illuminant mundum*. Et in Isaiam eadem Glossa ait: *Describuntur Apostoli, quorum pedes Dominus lavit*. Isa. 54. 7. Quod si igitur ille ipse Deus, cui S. Joannes testimonium perhibet, quòd omnia in manibus suis contineat: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; iisdem manibus usus est ad abluendos & purificandos Apostolorum pedes; si quoque ad eosdem pedes se genuflexus provolvit; non obstante quod ille idem esset: *In cujus nomine omne genuflectitur cælestium, terrestrium, & infernorum*, justum quoque erit, ut & nos iisdem pedibus Apostolicis per nonnullas considerationes obsequia nostra exhibere non dedignemur. Jo. 13.

3 *Speciosi pedes Evangelizantium*. In qualitatibus, quas sacri interpretes in mysticis hisce pedibus specialiter notant, perspicuè colliguntur virtutes, quas præclariores & fructuosiores verbi Dei ministri in se habere debent. Cardinalis Toletus ait: *Lavantur pedes ad munditiam; cum enim proximi sint terræ, facile sordes contrahant; hanc munditiam & corpore & anima Apostoli habuerunt, quando a Christo loti sunt nocte cœnæ*. At vero quisnam sancto Apostolo nostro mundior, purior, & innocentior inveniri poterit? Interrogavit Andreas Salvatorem, ubi habitaret: *Rabbi ubi habitas?* Respondetque David: *Tu autem in sancto habitas laus Israel*: Psal. 21. 4. Dominus autem ipsum in locum habitationis suæ subintrandum invitavit dicens: *Veni & vide*. Joan. 1. Ecce tibi innocentiæ & sanctitatis Apostoli nostri clarum argumentum: David enim mox ut interrogasset: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam*. Ps. 14. 6. Protinus ut à sancto Joanne Agni immaculati mentionem fieri audivit (Ecce Agnus Dei) sina ulla mora ipsum insecutus fuit. Porrò sanctus Paulus tunc ad Apostolatum vocatus fuit, quando Ecclesiam actualiter persequebatur. Similiter sanctus Matthæus, quando etiamnum publicanus erat, & ad fauces usque usuris immersus: alii vero tempore vocationis suæ piscationi intenti erant; at vero S. Andreas, licet ob victus sui necessitatem conquirendam eidem se astrinxisset piscandi exercitio, nihilominus præter illud in Joannis Baptistæ schola frequentissimus erat; adeoque priusquam Christi scholæ pedem inferret, jam de facto consummatæ perfectionis & sanctitatis vir erat: *Et ducet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ ejus*. Zach. 4. 7. Sanctus Andreas inter omnes mysticæ Hierosolymæ sanctæ Ecclesiæ lapides primus fuit, ideoque lapis primarius appellatur; in ipse enim gratiam gratiæ ejus exæquavit; quia increata Sapientia majorem in ipso quàm in omnibus aliis virtutum, donorum & gratiarum cumulum invenit, quando ipsum in sui sequelam invita-

invitavit, quia jam dudum veteranus Præcurſoris ſui Diſcipulus fuerat.

4 *Quam ſpecioſi pedes. Propter velocitatem*, inquis Cardinalis Toletus, *quando brevi tempore magnum loci ſpatium percurrunt*. Pſ.147. 15. In hoc enim ſenſu locus ille Pſalmiſtæ interpretatur, quo dicitur: *velociter currit ſermo ejus*; alludit enim ad velocitatem, per quam Evangelii prædicatio per univerſam terram diffuſa fuit. *Specioſos dictos pedes Apoſtolorum*, inquit Euſebius, Lib. 3. de monſtrat. Evangel. ca. *quia perexiguo tempore orbem terrarum percurrerunt*: S. Andreas autem, de quo dicitur, quod *innumerabiles homines ad fidem convertit*, per varias provincias & regna diſcurrit, ut Evangelii luce illa illuſtraret; etenim religionem Chriſtianam plantavit in Scythia, ut teſtatur Origenes; ſimiliter intes Sogdianos & Sacos Æthiopiæ populos, ut addit Sophronius. Martyrologium Romanum per eum fidem in Thraciam, Capadociam, Bythiniam, uſque ad mare Euxinum extenſam & propagatam eſſe dicit. Nazianzenus de eo ſcribit, quod inſuper id Epyrum, quæ hodie Albania appellatur, tranſierit. Denique ut Chryſoſtomus perhibet, etiam in Græciam pervenit.

5 *Quam ſpecioſi pedes*: *Laudari poſſunt à fortitudine* inquit idem Toletus: quia à via ſemel cœpta proſequenda, per nullius offendiculi aut obicis, vel difficultatis occurſum deterrentur; ſed quævis impedimenta occurrentia facilè & generosè ſuperant. Undè S. Hieronymus Pſ.17 37. ſuper illa verba Pſalmi: *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*, ait: *Sicut cervi calcant ſpinas & dumeta, ſic juſti ſuperant ſpinas peccatorum, & ſylvas infidelitatis tranſiliunt*. Hoſce frutices pedes ſancti Andreæ calcarunt tot à paganiſmo eradicando ſacrilegiorum, ſuperſtitionum, falſorumque ſimulacbrorum ſpinas, invictum ad quaſvis occurrentes difficultates animi robur exhibuit, ſeque nec tyrannos, nec mortem, nec cruces formidare re ipſa probavit. Undè ut Cæſarius ait; Serm. de S. Andrea. *Andreas fortis vel virilis interpretatur*. S. Thomas quoque ſuper Matthæum ſcribens, ait, *Andreas fortitudo*. Neque enim ſe minis duntaxat, ſæviſſimiſque tyranni tormentis generosè oppoſuit, verùm etiam ipſummet tyrannum acriter reprehendit, eique ignorantiam & cæcitatem ejus tanta cum generoſitate reprobavit, ac ſi etiam quo ad temporalem poteſtatem ejus ſuperior eſſet. Etenim quando ſubditos ſuos ad ſacrificandum idolis inſtigavit, ſenex hic Apoſtolus eundem intrepido animo aggreſſus eſt, dicens: *Oportebat ut tu, qui judex eſſe hominum comprobaris, judicem tuum, qui eſt in cœlo, cognoſceres, & agnitum coleres. & colendo eum, qui verus Deus eſt, ab his qui veri Dei non ſunt, animum revocares*. Alia quoque vice hunc eundem heroicum animum exhibuit, dicens: *Audi fili mortis, & ſtipula æternis præparata incendiis*., *audi me ſervum Dei, & Apoſtolum Jeſu Chriſti, nunc uſque mitius tecum egi cenſura fidei, ut rationis capax, & veritatis defenſor effectus, idola vana contemneres, ut Deum, qui in cœlis eſt, adorares; ſed quia in impudentia tua perdurans me putas ad'nas tuas poſſe formidare, quicquid tibi videtur in ſupplitiis atajus excogita*.

6 *Quam ſpecioſi pedes*. Hugo Cardinalis ait: *Pulchri, quia benè formati, id eſt concavi: quia vix tangebant terram, & elevati ad cœleſtia, per deſideria*. Hi, qui ut Evangelium prædicent, fructumque bonum in animabus faciant, per mundum diſcurrunt, animum ab hiſce terrenis bonis alieniſſimum habere debent. Beatus vero Laurentius Juſtinianus quoad hoc punctum Apoſtolum noſtrum ſummoperè laudat, dicens: *Jam enim ſpreto ſæculo proximus erat cœlo. Relictis omnibus*, non ſolùm quoad facultates, verùm etiam quoad affectum erga parentes. Serm. 5. de S. Andrea. B. Petrus Damianus: *Ecce beatos fratres Petrum videlicet & Andream, nunquam poſt converſionem legimus carnali quadam neceſſitate ſibimet invicem familiarius adhæſiſſe*., *quam cæteris; non arctiùs inter ſe mutuo confœderatos affectu; non eaſdem provincias prædicationis gratia ſortitos: & ut magis ſtupeas, non moleſtè tulit Andreas; quod in fide primus, factus eſt ordinis dignitate ſecundus*.

7 *Quam ſpecioſi pedes*. S. Thomas ait: *Per pedes poſſunt intelligi affectus, qui rectitudinem habent, dum non intentione laudis aut lucri verbum Dei annuntiant, ſed propter hominum ſalutem & Dei gloriam*. Undè Ezech. 1. *Pedes eorum pedes recti*. Porrò hanc rectitudinem in S. Andrea probare ſupervacaneum eſt, utporè qui aliud nihil æquè zelabat, quàm proximi, imò & ipſiuſmet tyranni ſui ſalutem, ut vidimus.

6 *Quam ſpecioſi pedes*. Hugo Cardinalis rationem reddit, dicens: quia *erant benè calceati*. Sed dicet fortaſſe aliquis, ex quo Apoſtoli nudipedes, & diſcalceati fuerint, quo modo de illis dici poteſt, quod fuerint benè calceati? ſed facilis eſt reſponſio, quia calceati idem eſt, quod *virtutibus ornati*, juxta illud Ezechielis: *Calceavi te hyacintho*, id eſt, *cœleſtium deſiderio*. Porrò ſi Apoſtolo dicere licuit: 2.Cor.2.15 *Chriſti bonus odor ſumus*, ob famam ſanctitatis atque virtutum; certum eſt quoque, quòd *Dilexit Andream Dominus in odorem ſuavitatis*. De ipſo quoque Chryſologus ſcribit: *Toto virtutis gradu dominicis incumbit hærere veſtigiis*. Serm. 133. Dionyſius Carthuſianus ait, quod fuerit *Gratiarum chariſmatibus repletus, divina dilectione ſuccenſus*. Serm. 5. de S. Andrea. Porrò hæc virtutum ejus fragrantia ad barbaros uſque populos extenſa fuit, qui ſeditionem adverſus tyrannum pro S. Andrea commoventes, minitabundi clamabant: *Clamantes dicebant: virum ſanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum Doctorem, pium, modeſtum*.

9 *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*. Notandum hic eſt, quod non dicant: *Quam ſpecioſa labia, quam pulchra lingua, quam venuſta verba*; ſed *quam ſpecioſi pedes*: ad denotandum, quod in miniſtris Evangelicis plus conſiderandi ſint pedes, id eſt, greſſus, opera, ſanctitas, converſatio, eaque quæ faciunt; hæc enim omnia à prudenti viro perſæpè plus reſpiciunt, quam verba quæ dicunt. Unde Interlinearis ait: *Bene nuntiat, qui quod ore prædicat, opere implet*. Totus populus ſancti Andreæ hoc acclamavit elogium, quo eum vocant *Doctorem bonum*; Eccleſiam quoque hoc ei epitbetum, Eccleſiæ prædicator attribuit, quia majori præ cæteris cum efficacia prædicavit. Chryſoſtomus Hom. 5. de Genel. ait: *Nec tam conſiderantur ea, quæ à nobis dicuntur, quàm quæ à nobis aguntur*. Apoſtoli mundo prædicaturi erant Crucem Chriſti: *Prædicamus Chriſtum crucifixum*, paupertatem, tormenta, opprobria, perſecutiones; hanc verò Crucem ſanctus Andreas præ cæteris maxima cum energia prædicavit. Undè S. Thomas de Villa-Nova ait: In Oct. Paſchæ *Biduo in Cruce pendebat Andreas ex patibulo, veluti ex pulpito populo acclamans: videte fratres, quid ſuſtineo; conſiderate quæ patior; credite crucifixo; credite morienti: ſi enim vera non ſunt quæ vobis prædico, ut quid miſer iſta ſuſtineo?* Fuerunt quoque SS. Apoſtoli Petrus & Philippus in Crucem ſuſpenſi, ſuo tamen patibulo non ſunt uſi pulpiti loco, ut Andreas, qui in hac cathedra *Dedit voci ſuæ vocem virtutis*. Nam ut Caſſianus ait: Coll. 13. c. 4 *Nunquam erit efficax inſtituentis authoritas, niſi eam effectu operis ſui cordi infixerit audientis*. Non ore tantùm, ſed & apertis prædicavit vulneribus, utporè quæ loquaciſſima & efficaciſſima erant. Et ideò B. Laurentius Juſtinianus ait: *Longè excellentiùs docuit exemplo quam verbo*. Crucem Chriſti prædicabat & extollebat? *Virtutem ſanctæ Crucis agnovit*; in eaque hærens, gaudens & jucundus erat, non ſecus ac ſi regio cuidam throno inſideret. S. Bernardus in ſermone quodam de S. Benedicto ait: *Sermo quidem vivus & efficax exemplum operis eſt plurimum faciens ſuadibile quod dicitur, dum monſtrat factibile quod ſuadetur*. Ecce tibi fructum quem ex hoc pulpito prædicans Chriſto comparavit, dum innumerabilem quandam hominum multitudinem ad Chriſtum ejuſque fidem convertit, & ſub Crucis vexillo fortiter ſtare fecit: *Lignum* (inquit S. Auguſtinus Tract. 9 in Joan. de Chriſto) *in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis*. Chriſtus in brevi illo trium horarum ſpatio ſeptem in Cruce verba protulit. At vero hic Apoſtolus à Cruce ſua: *Biduo vivens docebat populum* B. Laurentius Juſtinianus ait: *Ad illam aſcendit intrepidus, de qua tanquam de ſpirituali cathedra prædicabat populo*. Regius Propheta David de prædicationis Evangelicæ miniſtris ſcribit: *Benè patientes erunt, ut annuntient*. Pſ. 91. 16. Ecquid verò nobis de hoc Apoſtolo noſtro videtur; Nunquid patiens fuit, ut Evangelium annuntiaret, illudque Auditorum cordibus fortiter imprimeret? *Non in ſapientia verbi*, 1.Cor. 1. 17 ait Apoſtolus, *ut non evacuetur Crux Chriſti*, quia diceret vera ſapientia, quæ convincit & perſuadet non in verbis, ſed in operibus conſiſtit; his enim ſolis Crux Chriſti perſuadetur: unde S. Leo in ſermone de S. Laurentio: *Facilis ad exortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum; validiora tamen ſunt exempla quàm verba; & pleniùs eſt opere docere, quam voce*.

DE

DE CONCEPTIONE B. VIRGINIS

Discursus Septem.

Conceptio B. Virginis absque macula Originali facta consideratur ex eo, quia ante omnes creaturas in mente Dei concepta fuit.

DISCURSUS PRIMUS.

Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram. Proverb. 8.

1 IN Epistola, quæ hodie in hoc festo immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ lecta fuit, Deipara Virgo hisce verbis ab omni labe peccati planè justificatur: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* Verum quidem est, verba hæc quoad literam de Divina, & increata sapientia intelligi; nihilominus sancta Mater Ecclesia à Spiritu sancto, qui Sponsus ejus est, gubernata hæc eadem verba non sine ingenti mysterio beatæ Virgini adaptat, nam ut magnus ille Cancellarius Parisiensis huic Virgini devotissimus Joannes Gerson testatur: *Adeò Maria fuit divina, ut ea quæ de sapientia increata scribit Ecclesiasticus, Ecclesia transferat ad Mariam.* Ecce igitur qualiter Deipara Virgo humanorum intellectuum perplexitati se ab ea macula, qua omnes alii Adæ posteri infectæ fuere procul fuisse remotam, persuadere voluerit, clarè nobis ostendendo se ante omnis abyssi existentiam in mente Dei fuisse conceptam. Etenim quis est, qui in dubium revocare possit, quin abyssi ex culpa Luciferi aliorumque rebellium Angelorum sequacium ejus, aperti, ac demum paulatim & successivè ea peccato non jam Originali, sed actuali generis humani dilatati fuerint? Magno igitur cum fundamento beata Virgo hodie dicit: Cœlum & universa terra intelligite, qualiter nullam vel minimam in culpa & in peccato partem habeam, siquidem antequam de peccato cogitaretur, ego jam dudum concepta eram. *Nondum erant abyssi, & ego concepta eram.* Quibus verbis, uti existimo, dicere voluit: Priusquam Filius meus ullam sive in cœlo, sive in terra peccati notitiam haberet, aut quid peccatum sit, sciret, priusquam creaturis sive visibilibus, sive invisibilibus esse suum impertiretur, jam dudum ante me à Massa communi separavit, neque uti ab aliarum animarum numero prorsus separatam & distinctam privilegiavit, ne cum de peccato & offensa filii mei agitur, cum aliarum creaturarum turba ullatenus communicarem, utpote quæ velut instrumentum reconciliationis inter Deum & hominem faciendæ, quod mediante partu meo peccatum abolerem, non verò contraherem, ab æterno prædestinata fui.

2 Verùm enimverò priusquam in hoc discursu de hac materia differendo ulterius progrediar, operæ pretium futurum esse censeo, ut peccati Originalis originem atque malitiam breviter examinemus, ut tanto magis disponamur ad facilius credendum ipsam quoad peccatum originale nullam prorsus partem habuisse. Sciendum est igitur, quod Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam crearit, ut in cœlis divinæ essentiæ suæ visione perfectè frueretur, atque pro hujus finis assecutione gratiam, & justitiam, quæ originalis dicitur subministrarit. Et quidem homo per gratiam amicus Dei constituebatur, cumque huic infallibiliter annexæ sint virtutes, & dona Spiritus sancti per eandem gratiam, idem homo habilis reddebatur ad comparandum sibi merita ad vitam æternam assequendam per justitiam, ad quam per gratiam destinatus erat. Justitia autem Originalis talis quædam rectitudo erat, per quam propriis suis dominabatur sensibus, portionem inferiorem subjiciendo superiori, sensumque rationi, pacemque cum Deo & seipso conservando, hacque ratione eum insuper ab omni corporali indispositione & à morte præservarit. Hæc autem jam præclara privilegia universo humano generi, cujus Adam primus stipes erat, cum tali expresso pacto concessa fuere, ut Adam tanquam omnium hominum futurus caput & pater universalis obediens ei & fidelis esset, nec unquam ab ejus voluntate recederet; secus enim futurum, ut in suæ perversitatis pœnam privilegia hæc non solum pro se, sed & pro universa humana progenie amissurus esset. Ut autem hujus obedientiæ & fidelitatis aliquam quoad ipsum experientiam habere posset, hoc ei præceptum imposuit, ut de certæ cujusdam arboris fructibus seu pomis nequaquam gustaret. Quia verò ex Evæ consortis suæ persuasione de fructu sibi vetito deinceps gustare non timuit, confestim omnis amicitiæ & gratiæ Dei, nec non innocentiæ & justitiæ Originalis jacturam fecit, eandemque miseriam deinceps in universam humanam stirpem transfudit, adeò ut omnes homines infirmitatibus, morti, cunctisque aliis pœnalitatibus deinceps subjecti & obnoxii remaneant, cum illa inordinatione tam in anima, quàm in corpore, omnium illorum malorum & damnorum, quæ tam in bonis naturæ, quàm gratiæ quotidie sine modo & numero in nobis experimur. Præter hæc omnia autem hanc statuit inviolabilem omnibusque universalem legem, ut quisquis in hac humana progenie ab hoc primo Deo rebelli, & inobediente patre viri opera natus & conceptus propagaretur, in eodem momento, quo anima uniretur corpori, maculam & culpam originalem prædictam contraheret: hæc autem omnes Dei inimicos constituit, visione intuitiva Dei privat, ac demum filios iræ & perditionis, mancipia diaboli, vasa immunditiæ abominanda in conspectu Dei efficit, divinæque gratiæ thesauro privat. Hoc quoque peccatum radix est omnium actualium, estque causa omnium scelerum, & enormitatum maximè execrandarum, quæ unquam commissæ fuerunt, aut deinceps in finem usque sæculorum committentur. Hisce ita suppositis, jam nunc imaginemini vobis, ac si novissimo extremi judicii die barathrum infernale perspiciendo sigillatim videretis omnes excessus & delicta, quibus animatum hoc hominis lutum Creatorem & Redemptorem suum offendere non dubitavit, cogitetisque deinde hæc omnia à peccato originali suam trahere originem. Demum verò attentas aures vestras beatæ Virgini tanquam hujus offensi Dei matri porrigere, dicenti: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*, seu quod idem est: Advertite quotquot estis, quod quando ego concepta fui, ne quidem per umbram vel imaginationem, quid peccatum esset, sciebatur, siquidem ego in maximi Filii mei divina mente creata eram, priusquam mundus crearetur: *Ab initio & ante sæcula creata sum*; Nullam unquam in hoc abominabili monstro partem habui, utpotè quæ mater illius futura eram, qui infinitam à peccato habet aversionem. Ego quæ illum gignere debebam, qui peccatum extirpaturus & aboliturus erat, tametsi de humanæ progeniei communi massa fuerim, nequaquam tamen in Paradiso terrestri præsens cum aliis adfui, quando peccatum hoc contractum fuit à capite, sed potius in Paradiso cœlesti, ubi in Divina Filii mei mente præsens adstabam. Enimverò si is, qui de homicidio aliquo

hic

hic Romæ commisso accusatus, per testes oculatos fideque dignissimos probaret, quod tempore illo, quo homicidium illud Romæ patratum fuit, Madriti moram traxerit, nunquid illum omnes innocentem esse pronuntiaretis? Ecce igitur tibi hic casum nostrum in terminis delineatum: Etenim Spiritus Sanctus per
1. Cor. 15. 22. os sancti Pauli Apostoli dicit: *In Adam omnes moriuntur*, omnes ipsi pomum vetitum gustanti in lumbis ejus præsentes eramus; ac proinde venenum istud ad totam humanam prosperitatem diffusum fuit: Ex altera verò parte idem Spiritus sanctus, Spiritus veritatis, & ipsamet Sapientia increata claré beatam Virginem tempore prævaricantis Adæ in Paradiso terrestri sub arbore illa minime præsentem fuisse probant; Spiritus autem sanctus Sponsus ejus est; æterna quoque Sapientia filius ejus esse noscitur; audite igitur quomodo hæ divinæ Personæ beatam Virginem in hodierna Epistola loquentem introducant: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio: Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret, ante omnes colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat*; Igitur nec tunc arbor illa, quæ pomum produxit vetitum, plantata erat, neque Adam inveniebatur in mundo. Ubi igitur tunc Virgo delituit, quando delictum hoc in terris commissum fuit? Nimirum juxta nostrum intelligendi modum, Filio suo totius universi creatori aderat tunc præcipue, quando is cœlos extendebat, non verò quando ab eo profundabantur abyssi: *Quando præparabat cælos aderam, quando æthera firmabat sursum, cum eo eram cuncta componens*.

3 Porrò nemo est, qui in dubium revocare possit, quin Sponsa in sacris Canticis nobis repræsentet Mariam; atque ideo memoranda est illa Sponsæ à Sponso ejus, id est, à Verbo æterno, partu ipsius tam so-
Cant. 1. 6. licite proposita interrogatio: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*? At verò quisnam mihi causam dicere norit, cur Sponsus potius meridiei, quàm auroræ, aut serotini crepusculi, vel alterius temporis diei mentionem faciat? Pro hujus dubii solutione revocandum est in memoriam, quoniam præcipue diei tempore abyssus culpæ originalis profundata fuerit, utique tempore meridiano; expresse namque ex Scriptura habemus, quod Deus noster ob culpam iratus: *Ambulabat ad auram post meridiem*. Quando igitur Sponsus Mariam Sponsam in meridie quærit, & non invenit, manifestum nobis vult esse, quod peccantibus protoparentibus nostris minime præsens adfuerit, alias enim non quæsivisset, ubi esset, præsens quidem fuisse invenitur creationi mundi, & naturæ humanæ, non verò postquam primi parentes nostri formati fuere: *Ludebam coram eo omni tempore, cum eo eram cuncta compo-*
In offic. Nig c. 4. *nens*. Sanctus Anselmus ait: *Vas electioni Sanctus Paulus dixit, omnes in Adam peccasse: Vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio, sed cum eminentiam gratiæ Dei in te Maria Virgo considero; sicut te non intra, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo intueor; ita & te non lege naturæ aliorum in tua Conceptione devictam fuisse opinor*; q. d. Non est à nobis Mater Dei consideranda, veluti subjecta omnium aliarum animarum legi communi, justum enim est, ut tanquam futura Dei mater privilegiata existat. Præceperat olim Rex Assuerus seriò, ne quisquam coram se sine licentia & permissione ingredi præsumeret; atque ideo ipsa quoque Regina Esther cum aliquali timore subingressa fuit, quam tamen subinde Rex alloquens ab omni timore securam es-
Esther. 15. 13. se jubebat, dicens: *Ego sum frater tuus, noli metuere, non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*: In quo facto Scriptura hanc nobis Mariæ super omnes alios insignem prærogativam exprimere voluisse videtur, siquidem *Omnia in figura contingebant illis*, idque tanto firmius opinor, quando supremus Rex gloriæ jure dicere poterat: *Ego sum filius tuus, non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. Sanctus Ildephonsus in primis Conceptionis ejus fulgoribus ipsam filio suo firmiter adstrictam esse notavit, tametsi enim hic multis postea annis ab ea natus fuerit, attamen filius Dei ex ea nasciturus eam associate voluit, ut è profundo peccati originalis barathro

præservaretur: *Adjuvet nos ille omnipotens Deus per intercessionem suæ Matris, in qua felix ejus est inchoata Nativitas*. Et quidem tametsi prædictus sanctus Pa- Ser. 3 in Nat. Virg.
ter de Virgine nascente asserat, eidem tamen etiam in ejus Conceptione applicare potest. Unde sanctus Hieronymus verba illa Isaiæ ponderans: *Dominus* In Psal 96.
venit super Ægyptum, super nubem levem, ita ait: *Nubes illa levis quæ est? videtur mihi sancta Maria, nullo humano semine prægravata: ita nubes levis venit in mundum, & secum portat mundi Creatorem*. Et fortasse hæc causa est, quod tametsi festum hoc die celebretur, quo B. Virgo concepta fuit, nihilominus in introitu Missæ & in Evangelio, nobis in ipsamet sua Conceptione, veluti Dei Genitrix ob oculos ponatur: *Salve sancta parens, enixa puerpera Regem*.

4. Egregia quædam immaculatæ Conceptionis figura, ni fallor, in Danielis Prophetia nobis describitur, Nabuchodonosor enim in visione immensam quandam arborem vidit, in medio terræ plantatam; fortem, vigorosam, & validam, quæ vertice tangebat Cœlos, ramos verò foliis adornatos, fructibusque copiosissimis onustos quaquaversum extendebat per terram, habitabantque sub ipsa animalia multa, volucres autem ramos ejus circumvolitabant; Et protinus audita est vox, dicens: *Succidite arborem, præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis ejus: Veruntamen germem radicum ejus in terram sinite*. Porrò per hanc tam proceram & elegantem arborem, primum Parentem nostrum intelligere possumus: Homo etenim à Philosopho Arbor inversa nominatur; Hæc arbor vertice suos cœlos tangebat, quia anima ei infusa ad beatitudinem consequendam creata, necnon cœlestibus donorum & gratiarum thesauris locupletata fuerat: Per ramos autem in varias se partes protendentes, numerosissimam humani generis stirpem & progeniem interpretari possumus, quæ se per universam terram quaquaversum extendit: Per frondes & fructus arborem adornantes, virtutes, merita, & dona, quibus in felici illo Innocentiæ statu adornata fuit: Animalia verò quæ sub ingenti hac arbore habitabant, perfectum horum denotabant dominium: at verò postquam primus Parens noster post divini præcepti prævaricationem Deo factus est rebellis, terribilem illam audivit sententiam; *Morte morieris, succidite arborem*; ac proinde confestim in terram hæc arbor una cum ramis suis corruit, atque ad ignem condemnata & à cœlestis hæreditatis adeundæ spe dilapsa, præcipitata est in barathrum perditionis: Verùm enimverò advertendum est illud, succidite arborem, præcidite ramos, excutite folia ejus, *veruntamen germem radicum eius in terram si-* Isai. 11.1
nite; intacta remaneat arboris hujus radix, utpote quæ a ferro exempta, infecta non fuit. At verò nostine dicere quidnam per radicem hanc intelligatur? *Germinavit radix Jesse; Egredietur virga de radice Jesse ascendes; & requiescet super eum Spiritus Domini*. Radix enim hæc florem illum progerminatura erat, de quo scribitur: *Ego flos Campi; Nazaræus vocabitur*, ac proinde eam infici nequaquam conveniebat, quin potius ut perfectissimè præservaretur, unde sancta mater Ecclesia hoc ei epithetum attribuit: *Salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta*. Porrò radicem hanc cum illa porta associat, è qua vera mundo lux est orta, quia certum est, quod lux illuminat & dissipet tenebras: *Tenebræ erant super faciem abyssi*; unde supremus ille mundi artifex ait: *Fiat lux, & facta est lux, & divisit lucem à tenebris*, prouti loco suo dicturi sumus: Eodem igitur modo Deus illam, quæ ex visceribus suis sacratissimis illam paritura erat lucem, quæ de se ait: *Ego sum lux mundi* ab omnibus tenebris cujuslibet culpæ sequestravit & divisit, non solum actualis, sed etiam originalis.

Cum Deus beatam Virginem à macula Originali eximere norit & possit, idipsum quoque Deum fecisse credere convenit.

DISCURSUS SECUNDUS.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4. v. 7.

1 PRævidens increata illa sapientia, nasciturum in progressu sæculorum totet Adæ posteros dubium quoddam, an mater ejus ad contrahendam originalem maculam sub communi lege comprehendi debeat, an verò non, valdè sapienter disposuit, ut in sacris Canticis ad fidelium pietatem adaugendam tale quid scriberetur, unde illam exemptam esse, facilè deduci posset; quam enim aliam assumpti thematis verba significationem vendicare sibi possunt, quam pro immaculata Virginis Conceptione favorabilem dubii hujus resolutionem? Etenim indubitatum & extra omnem controversiam est beatam Virginem nullum unquam contraxisse actuale peccatum, adeo ut contrarium non sine blasphemia nemo dicere possit; maximum verò inter Orthodoxos dubium est, an illud peccatum contraxerit, quo homo non ex proprio defectu, sed ex communi lege naturæ coinquinatur. Hoc autem dubium Deus ille, qui fallere aut falli non potest, clarè satis resolvit, dum cum sua Genitrice loquens ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* At verò ut assertum hoc firmius probetur, aliquas adducamus rationes.

2 Enimverò quod omnipotentia & sapientia Divina, non solum matrem suam, sed quemvis alium pro suo arbitrio ab hac universali lege præservare & eximere noverit, non video, qualiter id in dubium aliqua ratione revocari possit; siquidem *non est impossibile apud Deum omne verbum*; imò expresse idipsum sanctus Job asserit, dum ait: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Hanc quidem maculam Genitores Mariæ, Joachim & Anna utpote ex posteritate Adæ descendentes, haud dubie contraxerunt, debebatque eadem labe servata ordinaria lege quoque infici anima filiæ ipsorum, eo ipso quo corpori ab illis concepto uniebatur: at verò omnipotentia filii ejus, qui eam ab æterno in matrem elegerat, hanc ab ea macula removit, eamque per imperscrutabilem & infinitam sapientiam suam ab illa præservavit; cum non minus verisimile quàm conveniens sit, quod in eo ipso momento, quo promulgata est lex illa, ut omnes huic culpæ subjicerentur, ipsa ab eadem lege exempta & immunia declarata fuerit, ad eum modum, quo in tot aliis prærogativis, supra omnes alias animas, tanquam mater privilegiata fuit. *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.* Job 14. 4.

3 Poterit quoque idipsum facilius per sequentem similitudinem apprehendi: Etenim potest esse Dominus aliquis, quid dum servam aliquam perpetua sibi servitute astrictam divendit, hoc sibi jus expresse reservat, ut fœtus, quem enixura est, liber remaneat, non obstante, quod aliàs per vigorem legis servituti quoque subditus esse debuisset; quod si igitur talem reservationem Dominus aliquis in servam suam adhibere potest, quomodo nobis persuadere poterimus Deum non idem respectu matris suæ fecisse, & quidem respectu matris adeo dignæ & eximiæ? universum genus humanum velut mancipium quoddam sub servitutem peccati originalis fuit divenditum; nunquid igitur jure credemus Deum, qui omnium hominum absolutus patronus & Dominus erat, hoc sibi jus reservasse, ne videlicet anima genitricis suæ collum suum hujus servitutis jugo subdere cogeretur?

4 Legale quoddam axioma est: *Ejus est solvere legem, cujus est condere*: atque ideo quot sunt leges, in quibus pro ratione temporis & natæ occasioni supremus legislator hic & nunc dispensavit? In primis namque populum suum Israeliticum per quadraginta annorum decursum, quamdiu videlicet per desertum peregrinati sunt, à lege circumcisionis exemit. Similiter in præcepto de non faciendo in bonis alienis furto dispensavit, quando Ægyptios sub prætextu mutui pretiosissima ipsorum supellectile per Hebræos spoliari permisit: Enoch quoque & Eliam post multa annorum millia à morte præservavit: Præterea Babylonici fornacis igni non solum ne tres pueros usquequaque læderet, sed etiam ne vestibus illorum vel minimum noceret, præcepit: Solem quoque per longum temporis spatium velocissimum cursum suum sistere: sicut & alia vice eundem solem multis gradibus cursu retrogradu recedere jussit. Denique jumentum quoddam per communem ordinem articulata voce loqui fecit; & sic de cæteris operibus Dei, omnibus notabilibus tam naturalibus, quam politicis dispensatis discurrere licet; Ex quibus valdè authenticis præmissis facilè hanc deducere consequentiam possumus. Quod si sapientia & omnipotentiam Altissimi ob tam exigui momenti causas prodigia operatus est omni humana conditione superiora: nunquid igitur fas est credere, quod propter causam summe arduam, longeque justissimam, quæ uspiam dari possit, qualis est matrem suam, quæ simul Cœlorum regina futura erat à tam turpi monstro, quale peccatum est, præservare hanc illi exemptionem, privilegium, & prærogativam adeo convenientem, & ut ita loquar, adeo ei necessariam eidem concedere vel nescierit, vel ignoraverit?

5 Nec est quod dicas Deum decrevisse beatam Virginem, postquam jamjam lapsa esset subito & sine ulla mora denuo erigere, & restaurare; siquidem omnis ratio, omnisque convenientia suadet, eum potius eam decrevisse, præservare, ne caderet unquam. Audite quàm apte ei verba illa Davidis conveniant, à quo ipsa suam traxit originem (*Conceptio gloriosa Virginis Mariæ ex semine Abrahæ orta de tribu Juda, clara ex stirpe David*) Psalm. 74. Hic enim in persona filii ejus loquens dicit: *Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea.* Neminem ab hac ruina & desolatione excludit: *Omnes.* Quid? Ergone ne quidem Virginis animam ab hac universali lege exclusam esse dicemus? Audite verba immediate sequentia, quæ ipsam à communi illa lege exemptam esse expresse declarant: *Ego confirmavi columnas ejus*, q. d. virtutem & vigorem talem ei subministravi, ne una cum aliis eam labi contingat. Quis non videt longè acceptiorem esse medicinam illam, quæ ab infirmitate præservat, ne contrahatur, aut eam avertat, quam quæ jam contractæ infirmitati medetur? Quis est, qui nesciat melius esse prævenire, ne amicus in cloacam aliquam incidat, quam eidem post factum turpem lapsum manum porrigere, ut evadat. Axioma indubitatum est; quod Deus *bene omnia fecit*, præcipue in iis, quæ concernunt Mariam, cui sancta Ecclesia mystica hæc verba adaptat: *Optimam partem elegit sibi Maria.*

6 Neque dixeris parum beatæ Virgini præjudicare, quod sciamus animam illius brevissimo quodam temporis spatio ab hac omnibus aliis animabus communi contagione maculatam fuisse, siquidem instans, vel momentum, in quo talem labem contraxisset, suffecisset, ut per totam æternitatem verum fuisset de ea dicere: Maria etiam labem & maculam adeo deformem, qualis peccatum est, in anima sua contraxit: quia sicut si mulier aliqua per unum duntaxat instans peccatum impudicitiæ vel inhonestatis committeret, talis vere florem virginitatis perdidisse censeretur, licet deinceps perpetuo pudica maneret: ita quoque si anima beatæ Virginis per unicum duntaxat momentum, culpa aliqua etiam originali infecta fuisset, utique absolutè immaculata dici non posset, nec de ea affirmari posset: *Tota pulchra es, & macula non est in te*; verumque futurum esset de ea dicere: Ipsa quoque licet brevissimo spatio communi inimico subdita fuit, infameque & probrosum peccato tributum exsolvit. Magis obligatur debitor aliquis ei, qui debitum ipsius solvit, priusquam incarceretur, quam si debitum diluat, postquam à satellitibus aut lictoribus conjectus fuit cum ignominia in carceris vincula & compedes.

7 Josue, qui typus quidam fuit Jesu filii Mariæ, domum Rahab Meretricis inter omnes domos Jerechuntinas privilegiari præcepit, ne communi cum aliis desolationis involveretur exitio, idque quia hospitio exploratores ejus exceperat. Quænam autem est, vel esse poterit inter Rahab & Mariam proportio? Inter hospitalitatem militibus Hebræis exhibitam,

&ho-

& hospitium quod altissimi filius in virginali utero accepit? denique inter gratitudinem Josue erga quandam meretricem, & inter gratum animum Filii Dei, Salvatoris mundi erga sanctissimam suam virginem matrem? Cur igitur non credemus, quod hic ejus dilectissimus filius inter tot alia gratiarum dona hanc ei quoque gratiarum contulerit, ut eam à communi exspoliatione & desolatione, quam peccatum in cunctis aliis animabus operari solet, eximeret, maxime cum tanquam Deus & absolutus animarum Dominus, quemlibet sibi bene visum pro suo arbitrio eximere & privilegiare possit? Non expectavit Josue Rahab succurrere, postquam domus ejus devastata & deprædata fuisset cum aliis, curando, ut omnia ablata ei restituerentur, sed potius eam & domum ipsius illæsam præservare voluit; vellemusne ergo credere, quod infallibilis illa Dei providentia minus operata fuerit in Maria, permittendo videlicet, ut inimico infernali in prædam cederet, eamque postea subitu ab hoc prædatore liberatam redimeret & sanctificaret?

8 In Festo Evangelium illud legi solet in quo dicitur: *Intravit Jesus in quoddam castellum; & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam, & huic erat Soror nomine Maria.* Notandum est autem, quod domus communiter à viris non vero à mulieribus suam accipere soleant denominationem; atque ideo cum hæ duæ sorores fratrem habuerint Lazarum, cur Evangelista non hunc, sed potius sorores specificat, dum domus hujus Bethaniensis meminit? *Omnia in figura contingebant*: Per illam igitur domum uterus intelligebatur Virginis Mariæ: Lazarus vero peccatoris ad gratiæ vitam è peccati somno resurgentis typus erat; ubicunque autem Mariæ fit mentio, ibi ne quidem per umbram vel imaginationem peccati, vel ejus qui peccati typus & figura erat, mentio fieri debet. Unde S. Bernardus ait: *Virginalem domum intelligi volens Spiritus, non incongrue siluit mali alieni, cum bonum malum utique comitatur; absit enim ut proprii quicquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur.*

(Luc. 10. 38) (Serm. 3. de Assumpt.)

9 Paulo ante similitudinem illam adduximus servæ à Domino suo alteri cum hac tamen pacta conditione divenditæ, ut partus ejus liber nasceretur; huic autem non incongrue alia quædam consideratio subjungi posse videtur, nimirum quod Dominus talis servæ aut ancillæ primum ab ea nasciturum filium in libertatem asserere, eumque ingenuum & liberum declarare possit, vel antequam in lucem edatur, vel postquam natus fuit: dicite autem sodes quænam futura esset inter utramque prædictam melior conditio? haud dubie melius tali filio futura esset prima, videlicet quod liber nascatur, quam servituris conditione notatus, quia si libertas ei jam nato pridem tribuatur, semper de tali servo verum erit dicere, quod natus sit servus & mancipium: Ecce tibi igitur differentiam, quæ considerari potuit in eo, quod est eam præservari à peccato, & eo quod est illam sanctificari & justificari à peccato quod jam incurrit licet sanctificatio immediatè post contractum peccatum fiat: si enim Deus beatam Virginem duntaxat sanctificasset, jam verum futurum fuisset dicere, ipsam quoque tanquam verum peccati mancipium fuisse conceptam; imò si eam sanctificasset tantum, nequaquam sortita fuisset gratiam vel prærogativam superiorem ea quam nacta fuit anima Jeremiæ, vel Joannis Baptistæ, vel cujus alterius eadem gratia donati.

10 In Canticis Canticorum dicitur: *Sub arbore malo suscitavi te.* Advertendum est autem, quod prius præmittat verba hæc: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* & postea subdat: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Ecce tibi virginem, quæ ex horrido solitatis culpæ deserto sola ex speciali privilegio, non sicut aliæ animæ, cadit; sed gratiis & donis onusta ascendit, ita ut cœlum & terram post se in stuporem rapiat; idque quia *ascendit deliciis affluens, innixa super dilectum suum*: in sua namque conceptione non sicut aliæ animæ labitur in barathrum culpæ: sed abundantibus gratiarum donorumque cœlestium deliciis præventa, superque dilectum suum innixa sustinetur, quod idem est cum eo, de quo antè diximus: *Ego confirmavi columnas ejus*, sub hac arbore mater, seu ut melius dicam, noverca totius generis humani seducta est: at

(Cant. 8. 5.)

verò Beatissima Virgo ab hac contaminata massa separata fuit, quod benè verbis illis declaratur: *Suscitavi te*, seu ut Septuaginta legunt: *Excongregata, divisa, separata es*, atque ex hoc velut ex privilegio insolito, quod omni caret exemplo, universus eam obstupescit paradisus. Undè Rupertus Abbas ait: *Quæ est ista? ubi erat? ubi latebat? mira res! nobis erat, nusquam erat, sed illi erat, in illo erat, de quo dictum est, quod factum est, in ipso vita erat; quomodo autem, vel ad quod innixa super dilectum suum? nimirum ut non timeat timorem hominum*; id est, ut non timeat peccatum, quod huic nostræ corruptæ naturæ annexum est, id est, originale. (in c. 2. Sap. tent.)

11 Beatissima Virgo admirabiles, quos Filius ejus in ipsa operata est, effectus considerans, ait; *Fecit potentiam in brachio suo: fecit mihi magna qui potens est*, at vero si eam duntaxat in utero materno, post semel contractum peccatum sicut plures alios sanctificasset, non fecisset potentiam in omnipotenti brachio suo; siquidem similes prærogativæ etiam aliis, qui servi ejus erant, collatæ fuissent, magis igitur conveniebat, ut hic matrem suam longè prætulisset. *Cadent in retiaculo ejus peccatores*, (ita mihi Virginem dicere potuisse videtur) *singulariter sum ego, donec transeam*; tam paulo ante in eodem Psalmo nobis ob oculos ponitur, quasi hanc filio suo supplicationem exhibens: *Custodi me à laqueo, quem statuerunt mihi.* Etenim astutus ille serpens futurum quidem credebat, quod cùm Joachim, & Anna Virginis sanctissimæ parentes in peccati originalis laqueos prolapsi fuerint, ipsa quoque per necessariam consequentiam iisdem laqueis innecteretur, sed valdè turpiter deceptus & delusus fuit: *Cadent in retiaculo ejus peccatores, singulariter sum ego donec transeam.* Undè sanctus Anselmus ait: *Si quid originalis peccati in Conceptione Matris Dei, id propagantium, non propagatæ fuit.* Præterea etiam considerari potest, quòd ex quo peccatum originale non aliundè; quàm in virtute passionis & meritorum Jesu Christi deleatur, tanto firmius credere debeamus, ipsam à peccato, hac originali macula præservatam esse; siquidem Christus pro ipsa sola plus, quàm pro omnibus aliis passus fuit. Undè S. Bernardus ait: *Christus Dominus plus pro B. Virgine redimenda venit, quam pro omni alia creatura; juxta illud Cantici: Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa, &c. Pro amore tui carnem sumpsi, & vulneribus primis in Cruce vulnerasti cor meum.* In S. Anselmo (lib. cur Deus homo) decisionem quandam sequentis tenoris descriptam invenio: *Indiguit B. Virgo redemptione, & Christi passione, non propter peccatum quod infuerit, sed propter peccatum quod infuisset, nisi ipsi mox ex speciali privilegio eam præservasset.*

(Ps. 140. 10.) (De Conc. Virg. c. 1.)

12 Valdè considerabile est epithetum illud quod S. Cyrillus B. V. Mariæ attribuit; dicit enim: *Sit tibi sancta Mater laus, tu es pretiosa margarita orbis terrarum.* Ubi advertendum est, quod conchylium, in quo margarita generatur, licèt inter medias aquas salsas marinas fluctuet, attamen ne vel minimam illius elementi stillam intra sinum suum recipiat, suamque margaritam solo cœlesti rore mediante concepit: ita quoque beatissima Virgo Maria concha seu mater margaritæ nobilissimæ, licèt in mari salso hujus sæculi à suis progenitoribus communis culpæ contagio contaminatis nata & concepta fuerit, ipsa tamen ne vel minimam amaritudinis peccati stillam in se recepit, eo quod in sinu animæ suæ à cœlesti rore, id est, divina gratia eam præservante præventa fuerit. Unde S. Bonaventura ait: *Cœli puritatem in se habere debuit Maria, de cujus mundissimis particulis illa purissima caro Verbi cœlestis unibilis est assumpta.* Quis dubitat quin Filius Dei, increata illa Sapientia matrem sibi formaverit purissimam, immaculatissimam, quæ unquam in humana natura dari super terram poterat? *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.* Etenim quando increata illa Sapientia domum illam sibi fabricavit, in qua hic in terris carne nostra mortali indutus novem mensibus commorari volebat, tandem ne ruinæ alicujus periculo subjaceret, in ejus Conceptione septem columnis suffulsit, id est, donis & gratiis Spiritus sancti in prima ejus creatione illam prævenit. Porrò quòd Beata Virgo nullo unquam actuali peccato obnoxia fuerit, indubitatum est, ac proindè ad id asserendum, nequaquam opus erat dicere. *Macula non est in te; Tota pulchra es*; siquidem etiam sine hoc edito oraculo unusquisque veritati huic

(De cœlesti Hierarch. p. 4. c. 7.) (Prov. 9. 1.)

libentissimè subscripsisset: at vero quoad originalem maculam controversia maxima esse poterat, ac proindè ad hanc prærogativam ejus nobis insinuandam, filius ejus dixit ei: *Macula non est in te*. Suarez ait: *Major macula est originale peccatum quam aliquod actuale, & magis facit subditum dæmoni*. Cujus ratio esse potest, quia veniale nos gratia & amicitia Dei non privat, sicut originale, quod insuper nos gloria privat, necnon dæmonis mancipia & tributarios efficit. Sedula igitur mente mysterium istud recogitate, & videre, quanta sit hujus monstri cum innocentia, puritate & dignitate Matris Dei incompatibilitas; ac proindè si ipsam à culpa veniali & actuali liberam reddidit, quanto magis ab originali præservare debuit? clarè idipsum edixit B. Laurentius Justinianus hisce verbis: *Quotquot ex ipsa nati sunt propagine* (id est, de stirpe Adami) *exceptis duntaxat mediatore Dei & hominum homine Jesu, & ejus Matre, sub hac peccati lege sunt conditi*. Ad hoc propositum, uti ego quidem existimo, hisce verbis alludere voluit Ecclesiasticus, dum ait: *Aedificatio civitatis confirmabit nomen, & super hac mulier immaculata computabitur*; etenim per hanc civitatem sanctam Ecclesiam intelligere possumus, quæ est civitas in quadro posita, & nomine Christi stabilita; huic autem mulier quædam immaculata præsidet, quæ alia esse nequit, quàm Maria, de qua dicitur: *Tota pulchra es, & macula non est in te*.

Disp. 3. sect. 3. §. ult.

De casto connubio, cap. 7.

Eccl. 40. 10.

Beatam Virginem Prothoparentibus nostris in gratia creatis nequaquam inferiorem fuisse ostenditur.

DISCURSUS TERTIUS.

Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa conteret caput tuum. Gen. 3. v. 15.

1 POstquam tortuosus ille inferni coluber prothoparentes nostros unà cum toto genere humano in profundum peccati barathrum præcipites egisset, protinus sibi à Deo, utpotè de nostra salute maximè solicito dici audivit: *Inimicitias ponam inter te, &c*. Quibus verbis ipsi supplicium intimavit, ob machinatam ab eo nobis omnibus ruinam ei infligendum. Porrò S. Cyprianus modum, quo Deus loquitur, singulariter observat: *Inimicitias ponam; non certè pono dicit; ne ad Evam pertinere videretur, sed ponam*. Quia de Maria loqui intendebat; undè S. Bernardus hoc de Eva verificari minimè potuisse scribit, utpotè quæ potius viruleoto morsu à serpente læsa fuerat: *Nisi fallor, hæc virgo est, quæ apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? quæ adeo fortis, ut illius serpentis caput contereret, cui a Domino dictum est: Inimicitias ponam inter te & mulierem*. Verùm enimverò nunc velim audiatis, quàm aptè ad propositum ex hac historia immaculatam Virginis Conceptionem deducere possimus. Alcuinus ait: *Semen serpentis originalis peccati est primordium*; atque ideo ecce tibi inimicitiam, quæ inter semen hoc serpentinum, & semen mulieris intercedit, idque à primis principiis, primoque instante conceptionis. Enimverò primi parentes nostri culpæ originalis fuere authores, eam in totam usque humanam progeniem transfuderunt, non obstante quod in gratia & justitia originali creati fuissent; quod quidem si verum est, prout est indubitatum, qua fronte prærogativam hanc magnæ Dei Matri denegare audebimus quod scilicet in statu innocentiæ & gratiæ concepta fuerit, quando prothoparentes nostri hac fuerunt prærogativa gavisi? ipsa namque longè melius Evæ nomen, quod idem est quod *Mater cunctorum viventium*, promerita fuit; siquidem Eva potius generis nostri noverca fuit, utpotè *Mater cunctorum morientium*.

Lib. 2. adv. Jud. cap. 9.

Serm. 9. in Par.

Interrog. 23. in Gen.

2 Porrò partus Virginis tanto superior fuit Adamo, quanto certius esse noscitur, quod Adamus prothoplastes de terra & luto plasmatus fuit, hic vero cœlestis permanserit, licèt se insuper mortalitatis nostræ exuviis induerit: *Secundus homo de cœlo cœlestis*. Undè ad præsens propositum nostrum hunc in modum discurrere possumus: certum est enim, ut S. Bernardinus ait, quod Deus Adamum de terra virgine, id est, nullo inquinamento culpæ infecta formavit, eumque in terrestrem paradisum, locum videlicet delitiarum collocavit, opulentos in animam ejus effudendo donorum gratiarumque cœlestium thesauros; *& hinc primus homo de terra terrenus* fuit: Filius autem ipsiusmet Dei, qui in progressu sæculorum nostra mortalitate induendus erat, dicitur *secundus homo*, sed *de cœlo cœlestis*, atque ideo num vobis conveniens & decens esse videbitur, quod hic secundus Adam vestiatur à matre sua corpore & carne humana, quæ dæmoni aliquando subjecta fuerit aut, quæ aliquando, licèt brevissimo tempore, culpa aliqua gravi fuerit coinquinata? qui credere aut persuadere sibi poterit Adamum purum hominem paulò ante è limo terræ plasmatum dignum fuisse, qui deliciis frueretur paradisi: secundum vero Adamum qui de cœlo cœlestis erat, in tale quoddam subingressum fuisse hospitium, quod ratione contracti originalis peccati sathanæ fuisset prostibulum? editumque fuisse è terra sentibus & spinis plenissima, è terra ab eodem Deo maledicta, qui indè enitendus erat? nullus profectò id valet apprehendere; siquidem ipsamet beatissima Virgo cunctis maledictionibus finem impositura erat: *Benedicta tu in mulieribus, benedictus fructus ventris tui*. Rupertus ait: *Non melior aut sapientior est artifex Spiritus sanctus; quàm Deus Pater; licèt iste novus Adam, qui de Spiritus sancti operatione conceptus est, melior ac dignior illo sit vetere Adam, quem fecit Pater: sed melior terra, melior & divinæ rationi vicinior, Spiritu sancto materia sumpta est*. Idem quoque venerabilis Doctor verba illa Isaiæ ad propositum nostrum glossat & ponderat, in quibus de Christo agitur, nimirum: *Abscissus est de terra viventium, de carnis generatione. Hic, inquit, rectè intelligitur, quia abscisus est de terra viventium, de terra, inquam, non morientium, sive non mortuorum morte peccati, qua omnes in Adam mortui sunt: vel de terra viventium, id est, terra virginea per sanctum vivificatam Spiritum abscisus est*. S. Ambrosius huic veritati pariter testimonium perhibet dicens: *Expiata est à Spiritu sancto caro Domini, ut in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum*.

Dom. 4. Ser. 40. post Pascha.

Lib. 3. de opere Spir. Sanct. 22.

Lib. 2. in Isa. cap. 19.

3 De hoc altissimi Dei Filio scribitur: *Splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ, speculum sine macula*; quantum vero inconveniens futurum esset, si is, qui eo potissimum fine in terras venit, ut peccatum aboleret, talem sibi carnem assumeret, quæ peccato obnoxia esset? & quidem argumentum hoc, ad probandum Conceptionem ejus immaculatam fuisse, solidissimum esse existimo; Verbum enim æternum ex purissimis Mariæ sanguinibus corpore vestiri debebat, nequaquam igitur conveniebat ut anima, quæ virgineo ejus corpori unita erat, à quodam inferni monstro; quale peccatum est, coinquinaretur.

Sap. 7. 26.

4 Sancta illa mulier quondam ait: *Beatus venter qui te portavit*; & similiter Elisabeth Mariæ dixit: *Benedictus fructus ventris tui*; qua igitur ratione credere quis posset, fructum hunc ab arbore maligna, & cum aliis omnibus maledicta pependisse? quomodo beatus futurus fuisset uterus ille, si vel semel culpæ locum dedisset? Richardus à S. Laurentio ait: *Congruè appellatur Christus fructus, quia sicut fructus bonus arborem vel terram, de qua nascitur commendabilem reddit; sic & Christus Virginem gloriosam, de qua tota benedicta totus est natus benedictus; undè & ei dicitur: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; quia fructus facit cognosci, qualis sit terra aut arbor, undè oritur, sic Christus Virginem*. Sanctus quoque de hoc felici stirpis suæ germine prædixit, dum ait: *Benedixisti Domine terram tuam avertisti captivitatem Jacob*. Ubi benè notandum est, quod non dicat: *abstulisti*; aliàs namque existimare quis posset, eam primo quidem incurrisse, postea vero fuisse immediatè sanctificatam, at vero ly avertisti, expressè præventionem significat, seu obstaculi occurrentis amotionem. S. Bruno ait: *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus; ab omni propterea contagione peccati libera, per quam vita vitam agnovimus*. Non est bona consequentia, si quis ita arguere velit: Virgo suam originem habet ex Adamo, ergo quoque omnibus pœnis in ipsum & totam suam posteritatem fulminatis obnoxia erit; quia tametsi modus ille ratiocinandi juxta legem ordinariam benè procederet, ab illis tamen pœnis per privilegium, tanquam supremi legislatoris mater dispensata fuit & exempta. Undè B. Petrus Dam. hanc quidem

Lib. c. 7.

Psal. 84. 2.

In Ps. 105.

Ser. de Assumpt.

dem propositionem : *Caro Virginis ex Adam assumpta*, admittit ; hanc tamen consequentiam : ergo etiam peccatum ejus admisit, admittere renuit cùm expressè dicat : *Maculas Adæ non admisit* ; qua quotiescunque de privilegiis & gratiis ei collatis agitur, ipsa tanquam prima omnium creaturarum considerari meretur : *Primogenita ante omnem creaturam*. Idem quoque sanctus Doctor verba illa : *Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem* : ita glossat : *Tuus est dies : in quo Adam est conditus ; tua est nox, in qua Adam à die est ejectus ; tu fabricatus es auroram, id est, Virginem Mariam ; & solem, id est, justitiæ, qui de virginali thalamo consurrexit*. Ecce tibi argumentum quoddam fortiter stringens : Adam peccatum commisit circa meridiem ; siquidem Deus ob ejus transgressionem iratus : *Ambulabat ad auram post meridiem*. Ergo jam aurora illa pridem illuxerat, de qua dicitur : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* vult enim Deus ut intelligamus, quod dum de hac labe peccati originalis agitur, de Maria matre ejus talis sit formandus conceptus, qualis de anima quadam ante Adamum creata, vel de creatura quadam ante eundem & priusquam extenderentur cœli, aut terra fundaretur, concepta ; *Primogenita ante omnem creaturam*.

De Assump.

5 Eva, quæ appellatur *Mater cunctorum viventium*, quæque, ut diximus, typus Virginis Mariæ fuit, utpotè cui vel maximè dictum Evæ elogium convenit, ex costa Adæ eo tempore formata fuit, quando etiamnum chlamide innocentiæ & justitiæ originalis induta fuit, & priusquam prævaricaretur ; atque insuper productio ista hæc in paradiso terrestri consummata fuit. Cùm igitur S. Augustinus dicat : *Auctrix peccati Eva, inventrix meriti Maria* ; quanto magis Maria, quæ omnes ruinas nostras resarcivit & restauravit, privilegiari meruit præ protho-matre nostra Eva, quæ omnis iniquitatis & miseriarum nostrarum origo & occasio extitit ? Adamus de terra ex campo Damasceno foris extra paradisum desumpta plasmatus fuit, ac deinde in illum delitiarum locum transportatus ; ac proindè sola Eva hanc prærogativam habuit, sortiendi scilicet paradisum natalium suorum locum, idque quia Virginem in hoc privilegio præfigurabat, quo tanquam mater cunctorum viventium inter omnes alias animas gaudere debebat, nimirum in isto statu gratiæ, quod idem est ac in paradiso conciperetur, utpote quem serpens ingredi minimè præsumpsit. Justum quoque erat ut Eva ex costa Adami etiamnum innocentis & puri, non verò de terra fabricaretur ; per hoc namque singulare illud Mariæ prænotabat privilegium, quæ tametsi mortali carne in radice naturæ contaminata, vestita fuerit, per gratiam tamen ab illa omnibus aliis communi macula immunis præservata fuit, utpotè quæ immaculata carne sua ipsummet Dei Filium vestitura erat.

6 Porrò in illa Evæ productione Sapientia æterna dixit : *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, id est, Adæ quoad innocentiæ statum conforme. Quæ verba si in Maris quoque adimplenda erant, necessum est dicere, ipsam Filio suo tanquam secundo Adamo in omni eo similem extitisse, cujus sphæra humanæ naturæ capax esse poterat ; ac proinde sicut de Filio ejus dicitur : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* ; idque de Filio ejus ex naturæ ipsius exigentia verum esse noscitur : ita quoque de Maria verificari debebat per gratiam. Sicut Eva natales suos in paradiso habuit, ad quem nullus serpenti aditus patuit ; ita quoque de Maria Spiritus sanctus sponsus ejus dicit : *Emissiones tuæ paradisus* Cui paradiso, ut S. Joannes Damascenus ait, *non patuit serpenti aditus*. Richardus à S. Laurentio textum illum Ecclesiastici : *Ego quasi aqua ductus exivi à paradiso* ; ita glossat, *id est, ab utero virginali*. Esychius quoque causam, cur B. Virgo Hortus conclusus appelletur, hisce verbis declarat : *Vocavit te hortum conclusum & fontem signatum is, qui ex te ortus est sponsus ; hortum conclusum ob id, quòd falx corruptionis aut vindemia non te attigit ; florem autem, qui ex radice Jesse hominum generi purè exhibetur exculsus tibi à puro intemerato Spiritu*.

Cant. 4. 13. de laud. M. c. 21. 42.

Serm. 2. de laud. Virg.

Ex quo B. Virgo nobis velut luce amicta repræsentatur, ipsam nullas culpæ tenebras admisisse satis clarè convincitur.

DISCURSUS QUARTUS.

Ex te ortus est Sol justitiæ Christus Deus noster.

1 DEipara Virgo in hodierna Conceptionis suæ solemnitate se quaquaversum splendidissimis lucis radiis circumdatam fidelium oculis objecit, ex altera verò parte illas audimus sanctæ Ecclesiæ voces, dicentis : *Ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster* ; ac proindè per necessariam consequentiam dici de ea debet, quòd *lucem inhabitat inaccessibilem*, maximè cùm verus Sol justitiæ ex ipsa procedat, qui ait : *Ego sum lux mundi*. In primis quoque Matutini lectionibus hæc verba habuimus : *Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens* ; in Epistola verò ad Missam ipsam audistis dicentem : *Quando præparabat cœlos, aderam* ; undè ipsam in vera luce consistere, nequaquam dubitare possumus, maximè cùm S. Joannes filius ejus adoptivus eam in Apocalypsi amictam Sole, Luna calceatam, stellisque coronatam conspexerit, & consequenter *Tenebræ eam non comprehenderunt*.

2 Porrò certum est, quòd ut in principio Geneseos habemus, Deus lucem hisce verbis creari præceperit : *Fiat lux, & facta est lux* ; priusquam protho-parentes nostri suas ad pomum vetitum manus extenderent, è quo originalis culpæ venenum in totam humanam posteritatem transfusum fuit. Et quidem S. Augustinus per hanc lucem naturam Angelicam intelligit ; verumtamen non desunt nobis rationes asserendi, quod per hanc lucem Deipara Virgo intelligi debeat. S. Vincentius Ferrerius Dominicanæ religionis clarissimum sidus, in quodam sermone verba illa Geneseos : *Spiritus Dei ferebatur super aquas Dixitque Deus : Fiat lux, & facta est lux* ; explicans, ita scribit : *Ecce conceptio Virginis Mariæ ; Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebris culpæ facta est* ; ac demum verba illa : *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, explicans, subjungit : *Ecce hic promissio de Virgine Maria ad Joachim, cùm fleret, dicens : Domine, si ista sterilitas venit ex peccato meo, indica mihi*. Vel etiam per aquas illas culpam originalem intelligere possumus : *Bibunt sicut aquam iniquitatem* ; universa namque humana progenies in hunc culpæ torrentem irreparabiliter incidit ; at verò Deipara Virgo hoc privilegio decorata fuit, quòd Sponsus ejus, id est, Spiritus sanctus : *Spiritus Domini ferebatur super aquas* ; sese interposuerit, quo minus in hasce aquas incideret, eamque ab hoc impetuoso torrente illæsam præservarit.

Serm. 2. de Nat. Mar.

3 Verùm enimverò ut Discursus noster ad lucem denuo redeat. Ex quo ab hac luce verus ille justitiæ Sol generandus erat : *Ex te ortus est Sol justitiæ* ; ipsaque futura erat genitrix sui Creatoris, conveniebat omnino ut creaturarum omnium, quæ unquam ab omnipotentibus increatæ sapientiæ manibus prodierunt, pulcherrima esset ; ac proindè in luce figurata & expressa fuit, utpote quæ inter omnia creationis opera primum maximeque præcipuum fuit ; ac proinde dicitur : *Primogenita ante omnem creaturam*, atque à communi & informi omnium aliarum animarum massa separari meruit : *Divisit lucem à tenebris*, id est, Deus postquam ipsam in æterna mente sua in matrem suam elegisset, eandem à communis culpæ, omniumque aliarum contagione sequestravit. Clarum est etenim, quod peccatum in pluribus sacræ Scripturæ locis tenebrarum nomine denotetur : *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis* ; ideoque in hoc casu nostro similI merito lucem hanc creatam dicere possumus, priusquam quidnam tenebræ aut caligo culpæ esset, sciretur ; hinc autem inferre intendo, Deum in divina mente sua, prius in hujusce Virginis anima præservativam præparasse gratiæ lucem, quàm ab abysso culpæ submersa obtenebraretur ; lucis namque titulus ei adscribitur, ut ab omni culpæ nævo totaliter exempta fuisse declaretur ; siquidem lux & tenebræ incompatibiles prorsus existunt.

4 In libro Sapientiæ de hac eadem Virgine sanctissima

hisce verbis tractatur: *Emanatio quadam est claritatis omnipotentis Dei syncera, & ideo nihil inquinamenti in eam incurrit*; at verò superius in primo Discursu de hoc eodem festo satis probavimus, quod quicquid de divina Sapientia dicitur, ab Ecclesia beatæ Virgini adaptetur; ac proindè valdè notanda sunt illa verba: *Nihil inquinamenti*; siquidem, illa de macula veniali interpretari nequeunt, cùm de illa utpotè à qua totaliter, ex communi omnium sententia, immunis extitit, nulla sit controversia; ac proindè de originali veniunt intelligenda. Ad hæc idem ipsius Filius, qui ipsissima est Sapientia increata, de ipsa prosequitur ulterius dicendo: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis*. Serm. 2. de Nativ. Quibus verbis consonat titulus ille, quo eandem sanctus Joannes Damascenus commendat, dum ait de ipsa: *O viva & divina imago Dei, ad quam Deus ipse inventus est artifex!* ac proindè cum ipsa imago & speculum quoddam sit, in quo semetipsum contemplatus fuit purissimus & innocentissimus ipsemet Dei Filius; dicere necessum est, ipsam ne minimam quidem contraxisse maculam, nec ullo unquam nævo fuisse contaminatam, maximè, cùm, ut supra ostendimus, verè de ipsa dicatur: *Tota pulchra es, & macula non est in te*. Pergit insuper loco superius insinuato de ipsa dicere increata Sapientia: *Est hæc speciosior sole*. Et merito quidem, siquidem Sol ipsi loco paludamenti alicujus ipsam adornantis deservit: *Mulier amicta sole*; ipsaque stellarum astra elegantissimum capiti ejus diadema contexere satagunt: *Et super omnem dispositionem stellarum luci comparata invenitur purior*; quamnam verò in Maria puritatem majorem desideratis, quàm eam, quæ ad Angelicam usque pertingit innocentiam; cum illa namque S. Bonaventu- In Spec. Virg. c. 3. ra Mariæ comparat puritatem, dum ait: *Maria est purior sole, quia superat spiritualem, id est Angelicam creaturam*. Angelicus quoque Doctor ita de ea scribit: *Beata Virgo excessit Angelos in tribus, in quibus Angeli excedebant alios homines, scilicet in plenitudine gratiæ, familiaritate Dei, & puritate*. Quibus omnibus suppositis optarem aliquem, qui perspicuè exponeret mihi, an beata Virgo par futura fuisset Angelis, an verò inferior, si peccati maculam in conceptione sua contraxisset? Certum est enim ipsam in tali casu cum Angelorum puritate nequaquam comparari potuisse. Quid ergo? Vultisne Angelos subditos ejus puriores fuisse, magisque immaculatos ipsa, quæ ipsorum electa fuerat Imperatrix & Regina: De ipsa scribitur: *Luna sub pedibus ejus*; sed quonam putatis fine id de ipsa dicitur? Num fortè *Luna sub ejus pedibus* posita peculiare quoddam nobilitatis ipsius insigne? aut vero ideo planeta hic pedibus ejus substernitur, ut per hoc generosa & heroica omnium rerum terrenarum & sublunarium abrenuntiatio denotetur? Porrò sciendum est, Lunam symbolum esse imperfectionum atque defectuum; siquidem ipsam defe- Eccl. 27. 12. ctuosam semper ferè conspicimus: *Stultus sicut luna mutatur*. Verùm inquies, quamobrem Luna hæc pedibus illius substernitur? S. Bernardinus ait: *Defectus omnis sub ea*, quasi dicat Luna, pedibus Mariæ substrata, ipsam omnibus defectibus, cunctisque culpis ex nostra fragilitate contractis superiorem fuisse denotat: *Et quicquid fragi-* Ser. de ver. Apoc. Signum, &c. *litatis seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus Luna esse dicatur*. Quisnam vero in anima aliqua dari potuisset enormior defectus, quàm sit culpa illa, quæ nos inimicos Dei, & à cœlesti gloria exules atque extorres constituit? hæc igitur verè pedibus ejus prostrata fuit, utpotè à qua totaliter Expos. 2. cap. 40. in Cant. fuit immunis. Ricardus de sancto Victore ait: *Est autem luna sub pedibus ejus, quia omnis homo præter eam defectum habuit*.

5 Eodem prorsus tempore, quo sancto Joanni visio magnæ illius mulieris sole amictæ, coronatæ stellis, & Isa. 14. 13. lunæ calceatæ exhibita fuit, pariter *visum est aliud signum in cælo: Et ecce draco magnus*; hic autem draco à potentissimo totius cœlestis militiæ Principe in abyssum deturbatus, ibidemque vinctus fuit, scitine quamobrem id factum sit? In Isaia de hoc dracone scribitur, eum fuisse luciferum, qui solium suum super stellarum lucidissima sidera collocare constituerat: *Super a-* Apoc. 12. 3. *stra Dei exaltabo solium meum*; ac proindè præceps actus est in abyssi profundum. Et quidem, ut mysterium istud plenius intelligatis, sciendum est, draconem illum omni studio in id connisum fuisse, ut stellatam hanc coronam è Mariæ vertice tolleret, eandem pariter ut alios homines, originali peccato mediante, jugo suo subjiciendo. Etenim prærogativa isthæc, ipsam videlicet solam ab originali culpa præservatam fuisse, una est ex locupletissimis coronis, quæ personam ipsius elegantissimè adornant; ac proindè sanctus Michael tanquam generalissimus Angelicæ militiæ Archistrategus, immaculatam Reginæ suæ puritatem zelans se eidem opponit, atque in evidens victoriæ signum, ut serpentem infernalem nihil adversus ipsam prævalere potuisse ostenderet, eundem draconem Reginæ suæ pedibus prostravit. Superbissimus quidem lucifer thronum suum super Virginis verticem exaltare contendit, sed turpiter delusus atque deceptus fuit. Ex quo enim ipsa futura erat elegantissimus ipsiusmet Dei thronus (*Veni electa mea, & ponam in te thronum meum*) ideo ipsam veluti thronum suum ab hujus draconis veneno præservare voluit totaliter illæsum.

6 Galfridus super illa verba scribens: *Orietur stella* Num. 24. 17 *ex Jacob, & consurget virga de Israel*; ita ait: *Mirares! humanum genus ex limo factum est, etiam ante culpam; & quomodo jam inde stella? quomodo ex terreno germine siderea proles?* Cur Spiritus sanctus de humana Virginis progenie tractans, stellæ titulum eidem attribuit: *Orietur stella*? Nimirum ut intelligamus, quòd quando de Dei Genitrice agitur, ipsam considerare debeamus, non veluti ex communi illa & contaminata Adæ massa procreatam, sed potiùs instar serenissimæ cujusdam lucis non solùm à luna, vel à stellis; sed etiam ab ipsomet sole promicantis; imò instar talis cujusdam lucis, à qua ipsemet Sol increatus lucem suam sortitur; nam ut Ecclesia ait: *Ex te ortus est sol justitiæ. Quæ est stella orta ex Jacob, nisi ea quæ nobis nata est Virgo Maria ex progenie Abraha, clara ex stirpe David; Stella prorsus magis re, quam nomine, cujus vita gloriosa lucem dedit seculo?* In Abacuc peccati abyssus Hab. 3. 1. patulo nobis ore conspicuè exhibetur: *Dedit abyssus vocem suam*; at verò paulo post sequitur: *Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum*; quasi textus ille dicere vellet: Non obstante quòd abyssus os suum latè aperuerit, attamen tam sol quàm luna lumen & claritatem suam illæsam conservarunt, nec quicquam ex densis illis abyssi tenebris contraxerunt. Porrò per Solem Christus intelligitur: *Ex te ortus est Sol*; per Lunam vero beatam Virginem intelligere pos- Cant. 6. 9 sumus: *Pulchra ut Luna*, ambo verò hi planetæ *steterunt in habitaculo suo*; non vero ceciderunt per lapsum aliquem, quia commorationem suam non habebant hìc deorsum in terris, atque ideo Scriptura sacra, quoties de beata Virgine loquitur, de eadem tractat potius velut de creatura cœlesti, quàm terrena. Neque ipsa aut filius ejus errantes planetæ fuerunt; siquidem filius ejus impeccabilis fuit per naturam: Mater autem impeccabilis extitit per specialissimam Filii gratiam.

7 Valdè etiam ad propositum nostrum considerabi- Ps. 18. 6. lia sunt verba Psalmi: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. In quo loquendi modo Deus noster nobis instar cujusdam è Maria nascentis, ex eaque velut è nuptiali thalamo procedentis sponsi ob oculos ponitur; at vero quod in iisdem verbis vel maximè considero, est, quod eo ipso quo tabernaculum suum in Virgine collocat, (*qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*) sibi in clarissima Solis luce stare & collocatus esse videatur. Quis autem unquam in sole vel meridiana luce maculam ali- Orat. 43. quam deprehendere potuit? verùm enimverò Nazianzenus circa eadem verba hanc considerationem instituit, videlicet quod Deus in omnibus quidem creaturis hanc regulam observarit, quod videlicet creaverit materiam, eamque postea forma sua vestiverit, præterquam in Sole; quod enim hoc sydus solare attinet, certo quodam modo dici potest, quod in illius productione priùs creaverit formam, & postea materiam; *Forma enim Solis lumen est*, Deus autem prius lucem formavit, *fiat lux*, eidemque luci postea esse Solis attribuit. Porrò cœlum & terram priùs creavit informem, demùm verò hanc arboribus, plantis, herbis, floribus, & mineralibus vestivit, illud verò variis planetis & stellis illustrando condecoravit; at verò formaturus Solem, lucem anticipate fabricavit, & hanc paulò post in supremum Solis planetam univit & collegit. Idem quoque in Maria factum fuisse videtur, cum enim supremus

ille

ille rerum omnium artifex Deus in progressu sæculorum verum justitiæ Solem Christum ab Horizonte hic in terris edere vellet, prius ab æterno in mente sua divina esse quoddam luci dedit, id est, ut ex S. Vincentii Ferrerii sententia superius diximus, Virginem ejus matrem in illius conceptione ab omni labe præservare decrevit, ideoque gratiæ prævenientis lucem primo creavit, ne in unione immaculatæ animæ ipsius cum corpore aliquam contraheret maculæ caliginem, hancque lucis productionem ideo instituit, quia ab hac luce, id est, à Maria vero illi Soli, de quo dicitur: *Ex te enim ortus est Sol justitiæ*, corpus ministrandum erat.

Orat. 1. de nat. Mariæ

8 Enimverò benè ponderanda sunt illa S. Joannis Damasceni verba, dum ait: *Natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est, verum tantisper expectavit, quoadusque gratia fœtum suum produxisset*: In aliis rebus prius natura operatur, & postea gratia, hic vero lex ista mutatur, prius enim gratia operata est in Maria, utpote quæ *Mater gratiæ* futura erat, & postea natura operationes suas perfecit. Porrò licet lux genetrix Solis existat, pariter tamen Solis denominari potest partus & effectus, id quod de hac luce mystica dicere similiter possumus: *Genuisti qui te fecit: Genuisti natura mirante tuum sanctum Genitorem*.

In spec. Virg. c. 9.

9 S. Bonaventura super illa Archangeli verba: *Dominus tecum*, optimè notat, quod Archangelus non dixerit, *est, fuit, erit*, sed absolutè: *O Maria Dominus tecum fuit, tecum est, tecum erit, tecum utique sicut Sol cum aurora.* Ecce igitur tibi qualiter Virgini adsit in aurora, id est, in primi diluculi luce, in primo conceptionis suæ instanti rutilat ad instar lucis & Solis. In quadam Antiphona de S. Cæcilia dicitur: *Dum aurora finem daret, Cæcilia exclamavit, dicens: Eja milites Christi, abjicite opera tenebrarum, & induamini arma lucis*. Porrò tenebræ peccata præfigurant, siquidem *qui malè agit odit lucem*: aurora verò tenebras dissipat easdemque nequaquam patitur, aut admittit: Imo sciendum auroram unam eandemque rem esse cum Sole: ita prorsus se res habet in Maria, siquidem humanitas Verbi ejusque caro ex virgineis Mariæ sanguinibus assumpta fuit; Aurora clara est, serena est & luminosa, utpote quæ tanquam Solis genitrix, eundem in sinu suo defert: *Ex te enim ortus est Sol justitiæ*. Unde doctissimus Idiota ait: *Tota pulchra es ex generatione verbi divini, qui est splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ, & speculum sine macula*.

In contem. de B. V. c. 2.

Ostenditur beatam Virginem à macula originali exemptam fuisse, ex eo quod Christi mater fuerit.

DISCURSUS QUINTUS.

Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus.

1 HOdiernum Evangelium præcipuam rationem, ob quam beatam Virginem à peccato originali præservatam fuisse, credere debemus, duobus brevissimis verbis tangere videtur, dum ait: *De qua natus est Jesus*. S. Bernardus dicit, quod ad hoc, ut dignè concipere valeamus, quousque beata Virgo in sua ad cœlos assumptione exaltata fuerit, duo hæc puncta graviter pro meritis ponderare sufficiat: *Cum tanto honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, qua tantum decuit filium*; ac proinde pari quoque modo nos dicere possumus, omnino conveniens & æquum fuisse, ut ipsa tanquam mater, & quidem tanquam mater tanti filii ab omni culpa maneret illæsa, quantumvis originali, cunctisque aliis communibus.

Serm. 1. de Assumpt.

2 Primum secundæ tabulæ præceptum, quod Verbum æternum postea incarnatum proprio digito tabulæ lapideæ insculpsit, agit de honorandis parentibus, quod qualiter idem Verbum post assumptam à se carnem adimpleverit, facilè colligi potest ex eo, quòd nobiscum hic in terris vivens dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere*. Quis igitur dubitare poterit, quin idipsum executus perfectissimè fuerit respectu matris suæ adeo dignæ, tantique à se æstimatæ: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Quonam verò excellentiori honore ipsam afficere poterat, quam illam à monstro quodam infernali præservando, quale est peccatum, quod nos Dei amicitia & gloria privat, & cœli inimicos constituit? maximè quando Verbum æternum optimè noverat, ipsam, ut devoti ejus pientissimè contemplantur, in ea fuisse animi præparatione constitutam, quod potius altissimæ Maternitatis Dei dignitati renuntiasset, quàm quod peccatum etiam per umbram duntaxat contractum in se admitteret, utpotè cujus filius ejus tam juratus hostis existit: Nec immerito, quia perdere Deum ejusque divinam gratiam, etiam per modicum temporis momentum adeo ingens malum est, ut cum nullo quantumvis excellentissimo bono, imò ne quidem eum ipsamet Maternitatis Dei dignitate in comparationem venire possit.

Mansi Prompt.

3 Enimverò certissimum est, quod Filius Dei, ut jam diximus, matrem suam in ejuidem ab hac vita exitu *cum tanto honore, quo tanta mater digna fuit, & cum ea gloria, qua tantum decuit filium*, honorari, cur igitur non crederemus eundem quoque filium solicitum fuisse, ut eandem in primo ipsius in hanc vitam ingressu, in puncto videlicet conceptionis ejus, in quo anima corpori unita fuit, impensè honoraret, eamque à dæmonis jugo, & servitute peccati præservaret, eandem super omnes alios communis massæ generis humani consortes privilegiando? An fortè dubitatis de ipsa intelligenda esse pulchra illa verba: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*? maximè cum paulo ante in eodem Psalmo dictum fuerit: *Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus*. Ps. 120. 8

4 Notandum proinde est Christo in electione matris suæ non accidisse idem, quod ordinariè evenire solet omnibus aliis, quibus necessum est ut matri illi, quam illis errare nescia cœli providentia destinavit, absque ulla contradictione acquiescant, cùm in nostra minimè positum sit potestate genitores, à quibus nascamur, eligere: at verò Dei Filius Mariam ab æterno in suam elegit matrem; unde ipsa dicit: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret*, & consequenter ad magnam ipsius animam egregiè & superabundanter locupletandam, infinitos eidem præparavit donorum & gratiarum thesauros, ipsamque omnium creaturarum primam esse voluit: *Primogenita ante omnem creaturam*. Et consequenter cum idem Dei filius unico duntaxat voluntatis actu ipsam à reatu culpæ originalis eximere, atque ab ignominioso illo lapsu præservare potuerit, quamobrem id eum minimè fecisse credemus? maximè cùm donum ei acceptius hac gratia conferri non potuerit, ipsaque illius gratiæ meritissima exstiterit: *Tanta mater tanto honore digna fuit*. At vero quod in prædictis verbis maximum pondus habet, est, quod idipsum *tantum decuerit filium*, cùm enim ipsa Dei filium enixura esset, decens omnino erat, ut illam præservaret. Unde Dionysius Carthusianus ait: *In matris igitur utero Maria sancta fuit eo abundantius, quo præ famulis mater veneranda extitit. At vere tam excellenti puritate venustanda extitit puellaris caro, ut eam super splendenti Divinitati uniri dignum esset, ideoque ab omni prorsus macula præservanda fuerat, quæ tanto mysterio congrueret*.

De dignit. Mariæ a. 1.

5 Ipsomet veritatis spiritu dictante scribitur. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Quando igitur sapientia Patris incarnanda erat, hæc utique nunquam se tali cuipiam matri adstrinxisset, cujus anima paulò antè propter reatum culpæ Dei inimica & serva peccati extitisset, quin potiùs ideo novem mensibus in ejus voluit utero commorari, quia sanctuarium erat Spiritus sancti, & quia speciem referebat delitiosissimi cujusdam Paradisi: *Emissiones tuæ Paradisus*, secus enim exhorruisset Virginis uterum; si is antea antiqui serpentis fuisset receptaculum, & veneni infernalis passus fuisset toxicum.

Sap. 1. 4.

6 In toto Testamento novo nullam Spiritus sanctus sive matris, sive patris Mariæ fecit mentionem, prouti alias meminerat parentum Præcursoris sui sancti Joannis Baptistæ & aliorum; Nostine quonam id mysterio factum sit? Nimirum quia tametsi verissimum sit ipsam à Joachimo & Anna sanctissimis parentibus genitam fuisse, ipsemet tamen Dei filius certo quodam in hoc gloriari voluit, quod pariter filius ejus & pater esset: *Tu quæ genuisti natura mirante tuum*

sanctum genitorem, ut vel sic facilius crederetur ipsam tanquam matrem & filiam Dei nullam humanam generationi annexam contraxisse maculam; *Unus est altissimus creator omnipotens, ipse creavit illam in Spiritu sancto*, id est creavit illam plenam Spiritu sancto, adeo ut nullum peccato locum dare potuerit. S. Petrus Damianus de divino ejus filio dicit: *Qui antequam nasceretur talem creavit eam, ut ipse digne nasci potuisset ex ea*. Idem quoque alibi clarius scribit: *Deus cum virgine unius naturæ habet identitatem quia idem est quod illa*, adeoque si bene rem consideremus, verissimum est quod ipsa Deo verè dicere potuerit: *Substantia mea apud te est*, idque tali prorsus modo, ut nonnulli Theologi, & inter illos præcipue Suarez, existimaverint, carnem illam, quam Virgo Christo subministravit, in eodem semper fuisse conservatam: *Facile credi potest illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conservatam, & verbo Dei unitam*. Sanctus Augustinus in sermone quodam de ejus Assumptione ita scribit: *Caro Christi, caro est Maria*, ac demum præfatam Theologorum opinionem authenticare velle videtur hisce verbis: *Quamvis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est ex Maria*. Hoc igitur supposito quæro num conveniens vobis esse videatur, hanc filii Dei carnem à matre ejus susceptam, in qua Dei Patris dexteræ gloriosus assistit, aliquod cum peccato, aut Diabolo quantulocunque etiam brevissimo temporis spatio habuisse commercium? quid magis à Deo distat, aut vehementius eidem repugnat, quam culpa & offensa ipsius? quidnam à puritate & candore Mariæ magis alienum quam peccati macula? Idemmet S. Augustinus in alio quodam sermone tale facit argumentum: *Si elegit divina voluntas sola gratia inter crepitantes vehementium ignium flammas non solum puerorum corpora servare illæsa, verùm & ipsa vestimenta servare inusta, cur abnuat in matre propria, quod elegit in veste aliena?* Quanto rationabilius erat, ut magnam matrem suam ab illo præservaret igne, qui fumo suo obscurat, & ardore suo omnes alios adurit?

Ecc. 2. 9.
Serm. de Assumpt.
Serm. de nat.
To. 2. in 3. p. q. 26 ar. 1. dis. 1. sect. 2.
Cap. 1.
Hom. 4. de Assumpt.

7 Sanctus Apostolus de Christo sub figura prothoplasti Adami tractans, ita de eo loquitur: *Secundus homo de cælo cælestis*. Sed quid loqueris ò sancte Apostole? quid dicis? Nunquid ex fidei nostræ magisterio scimus, quòd *Verbum caro factum*, quomodo igitur de eodem incarnato Verbo dicis, quod sit cœleste? *Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, homo est ex substantia matris in sæculo natus*, quod enim verissime quidem dicitur, veruntamen S. Apostolus aliud quippiam intendere videtur, nimirum vult ut sciamus, quòd tametsi filius Dei ex Maria carnem acceperit, non tamen ob id ex vitiata Adæ stirpe & progenie descendebat, non erat ex aliqua maledictæ illius terræ portione, quæ spinas & tribulos germinat, procreatus, sed caro ipsius tametsi mortalis & humana fuerit; talis tamen extitit, ac si ex mundissima cœlorum puritate descendisset. S. Augustinus aliud insuper & fortius stringens facit argumentum, dicens: *Inde scimus, quod ei plus gratiæ collatum sit ad vincendum omni ex parte peccatum*; at verò unde argumentum istud deducit? *quod concipere & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*. Quotiescunque Deus noster aliquem ad ministerium quodpiam elegit, semper ei illa confert talenta & dona, quæ illum ad tale munus obeundum efficere possunt idoneum, unde Apostolus dicebat: *Idoneos nos fecit ministros*; Ex quo igitur Mariam non in ancillam, sed in filii sui genitricem elegit, cur non dicemus ipsum pariter tales ipsi præparasse gratias, quæ ipsam dignam tanti partus constituerent matrem? *Hæc est mulier, quam præparavit Dominus filio Domini mei*; qua verò ratione ipsam melius præparare potuisset, quam ipsam à servitute peccati omnibus ex progenie Adæ descendentibus posteris communi eximendo? Eccur Deum id reipsa fecisse non credemus, quando ipsam pro tali sibi collato beneficio gratias affectuosissimas retulisse constat? *Liberasti me*, inquit, *secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum*.

Gen. 24.
Eccl. 51. 4.

8 Enimvero considerandum, quod quando beatissima Virgo ad sublimem illum Maternitatis Dei gradum per verbi æterni conceptionem evecta fuit, Archangelusque Gabriel in solemni illa legatione se ei ob oculos sistens, dicit: *Ave gratia plena Dominus tecum*, ipsa, prout in Tomo I. ubi de hoc mysterio tractatur, fusius diximus, omnibus illis inexhaustis gratiarum thesauris; quibus Altissimi sapientia & omnipotentia animam aliquam creatam locupletare poterat, repleta fuerit, nam prouti omnes sacri Doctores fatentur, mundum quidem pulchriorem & ampliorem creare potuit, non vero excellentiorem matrem, qua vero ratione de ipsa verificari potuisset; quod *gratia plena* esset, si hanc ei gratiam, hanc que à peccato originali præservationem non contulisset. Quando vas aliquod liquore quodam repletum est, nullus alteri liquori admittendo aditus dari potest; ita quoque si anima beatæ Virginis in illo instanti, quo unita est corpori gratia uberrime repleta fuit, venenum serpentis & culpæ nullum in ipsam habere aditum potuit, quia gratia excludit culpam, maxime illam, quæ nos inimicos Dei constituit, *Dominus tecum*. In præcedenti Discursu S. Bonaventuræ interpretationem ad illa verba adduximus, in qua tandem concludit, Deum hunc semper ac perpetim cum Maria fuisse, etiam in conceptionis suæ primo instanti. Non dixit Angelus, *Dominus nobiscum*, sed *tecum*, quia ut Doctor Angelicus declarat: *Aliter est Dominus cum B. Virgine, aliter cum Angelo, quia cum ea ut filius, cum Angelo ut Dominus*, prout filius matri suæ ab ipsa æternitate strictissimè conjunctus fuit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*. Insuper quoque Archangelus addit: *Benedicta tu in mulieribus*. Quasnam verò benedictiones Maria aliis omnibus superiores accepisset, si ipsa tantum fuisset in materno utero sanctificata, cæterum eidem maledictioni, quæ adversus totam infectam massam progeniei ab Ada descendentis fulminata fuerat, fuisset subjecta? S. Fulgentius ait: *Cum dixit gratia plena, ostendit iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam*.

Serm. de laud. Mariæ.

9 Verùm enimvero pulcherrimam circa illa verba: *Invenisti gratiam apud Dominum*, audite Hugonis Cardinalis ponderationem; etenim non dixit (prouti etiam Albertus Magnus optimè advertit) *Habes gratiam apud Deum*; *sed invenisti*, id namque propriè inveniri dicitur, quod perditum est; justitia igitur & innocentia originalis, sive gratia primis nostris parentibus collata ab ipsis perdita fuerat, à beata Virgine autem reinventa fuit; notandum quoque quod Angelus beatæ Virgini, quando Mater filii Dei futura erat, insuper dixerit: *Spiritus sanctus superveniet in te*. Ubi Lyranus ait. *Non dixit veniet, sed superveniet; bene dixit superveniet in te, quia prius venerat Spiritus sanctus super virginem adhuc in utero matris existentem, illam ab originali præservando*. Idiota pariter ait; *Invenisti virgo Maria gratiam cœlestem, quæ fuit in te ab originali labe præservatio*. Lucas Burgensis denique ait: *Gratia plena: quod expers esset, semperque fuisset omnis peccati originalis & actualis*.

Serm. 3. de Annunt.
Cont. r. de B. Virg.

Hoc speciale privilegium præservationis ab originali B. Virgini debitum fuisse probatur rationibus, & nonnullis objectionibus respondetur.

DISCURSUS SEXTUS.

Felix es virgo Maria, & omni laude dignissima.

1 VErba illa hodie ad Missam lecta, quibuscum sancta mater Ecclesia gloriæ & honori hodiernæ conceptionis festivitatis applaudit, mysteriis utique turgent, per ea namque nobis privilegia, & prærogativas insinuare intendit, quibus ipsa (& jure quidem meritissimo) super omnes alias animas electas exaltata fuit. Etenim indubitatum est, quin omnes, quotquot in Paradiso sunt sancti, laude digni sint, non tamen omni laude, veluti mater Dei. S. Petrus commendari meretur eo, quod ex cœlesti quodam instinctu Christi divinitatem mundo manifestarit, veruntamen timore

adactus eundem quoque turpiter negavit. S. Paulus dignissimus est laude, utpote vas electionis, Doctor gentium, & sonora Spiritus sancti tuba, sed persecutus est Ecclesiam Christi. Sanctus Joannes Apostolus ob virginitatem suam laudari meretur, utpotè ob dotem sæculo rarissimam, nec non quia ab ipsomet Dei Filio, declaratus fuit matris suæ filius adoptivus: veruntamen primarum sedium se ambitione ustum esse, haud obscurè ostendit: Præcursor Domini tanta fuit laude dignus, ut ipsamet Sapientia incarnata ejus se panegyristam exhibere non erubuerit; veruntamen nec ipse dici meruit *omni laude dignissimus*, quia tametsi in utero materno sanctificatus fuerit, culpam tamen originalem contraxit; solam Christi matrem specialissimo hoc privilegio dignum fuisse credibile est, ut à labe originali præservaretur, & consequenter de ipsa sola asserere possumus: *Felix es sacra, &c.* Paulus de Palatio super illa verba: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista*, ita scribit: *Ex quo loco sub aliorum censura apertè colligo, virginem Mariam in peccatum originale non cecidisse; Patet manifestè; Joannes major est omnibus, qui ceciderunt & surrexerunt: At non est virgine major; Igitur virgo non cecidit; fateor, nescio hoc argumentum dissolvere.* Sanctus Augustinus expressè dicit: *Cum de peccatis agitur, nullam prorsus quæstionem habeas de Virgine.* Quando in Concilio Tridentino controversia de peccato originali mota fuit, idem Concilium illud quidem omnibus hominibus commune esse declaravit, subjunxit tamen & definivit se sub hoc universali Mariam nequaquam comprehensam esse velle: *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem.* De ipsa etenim sola pleno ore canit sancta Mater Ecclesia: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo*; hoc autem de ipsa asseri nequaquam posset, si sanctificata, non verò præservata fuisset, siquidem etiam sanctificationis aliorum extiterunt exempla, ut in Joanne Baptista & Jeremia clarissimè liquet.

In cap. 11. Mat.

Lib. de natura & gratia c. 35.

2 Doctissimus Salmeron hoc argumento utitur: *Quemadmodum sola mater Christi est & virgo, sola etiam corpore & anima in cælum assumpta, ita etiam sola ab originali crimine excellenter præservata.* Tritum quoque est illud sancti Bernardi axioma: *Quod vel paucis constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantæ virgini esse denegatum.* Hoc igitur tanquam verissimo supposito, certum est, quod ex quo aliæ creaturæ è manibus Verbi æterni filii ejus egressæ (*per quem omnia facta sunt*) in statu innocentiæ & gratiæ formatæ fuerunt, quamobrem hanc eandem prærogativam & gratiam Matri ejus denegatam fuisse credemus? maximè si illam cum aliis comparare velimus, quod nequaquam convenire nemo non diffitebitur, cum ipsa circa ullam controversiam omnibus aliis superior existat.

Tom. 3. c. 5.

3 Dicetis fortasse solos Angelos fuisse in gratia creatos, utpotè creaturas nobilissimas, & cœlestis curiæ ephebos? sed respondeo, posito, id verum esse, numquid decebit subditos & servos aliquo frui privilegio, cujus fruitione eorundem Regina & Imperatrix fuerit destituta? veruntamen minimè verum est solos Angelos in gratia fuisse creatos; numquid enim eandem sortiti sunt prærogativam intra ipsam naturam humanam prothoparentes nostri; tametsi ex luto plasmati & non puri spiritus fuerint? & tamen Mariam Eva inferiorem fuisse existimabimus, cum tamen de illa canat sancta Dei Ecclesia: *Quod Eva tristis abstulit; tu reddis?*

4 Chrysostomus optimè ponderat, quod quando Salvator noster ingenti cum solicitudine matrem suam dilecto discipulo in Cruce commendavit, de aliis Mariis, quantumvis benè de ipso meritis, ne verbo quidem mentionem habuerit, illiusque hanc reddit rationem, quia *Quiddam amplius matribus tribuendum.* Quod si ita se res habeat, dicendum est utique Deum majus privilegium matri suæ indulgere debuisse, quàm Angelis servis suis, è quibus multi rebelles fuere: vel etiam quam primis nostris parentibus, qui pariter legis Dei fuere prævaricatores. Ergone decuisse putatis, quod quæ in matrem gratiæ electa fuerat (*Maria mater gratiæ*) etiam per unicum duntaxat momentum culpa inficeretur? scribit sanctus Dionysius Areopagita, quod perfectiones inferiorum modo quodam eminentiori in iis, quæ superiora sunt, recludantur: cum igitur beata Virgo Maria in ordine gratiæ primum locum obtineat supra omnes creaturas tam humanas, quam Angelicas (*In plenitudine Sanctorum detentio mea*) consequens profectò est, quod excellentias, privilegia, & specialiores gratias, tam naturæ humanæ quam angelicæ collatas perfectissime participarit, adeò ut si sive in cœlo, sive in terra creatura aliqua inveniatur, quæ in statu gratiæ creata sit, idipsum de beata Virgine Maria longè magis credendum sit. *Quod vel paucis constat fuisse collatum fas, &c.* Sanctus Paulus Christi super omnes Angelos præeminentiam demonstraturus, ita scribit: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit; cui enim dixit aliquando Angelorum; Filius meus es tu, ego hodie genui te? & rursum: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Cum igitur nobis etiam ad ostendendam Mariæ super omnes Angelicos spiritus præeminentiam, simile facere argumentum non liceat? *Cui enim Angelorum aliquando dixit: Genuisti me?* de iisdem eodem in loco scribitur: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, & hosce tales administratorios spiritus in eadem cum ipsorum Regina æstimatione habebimus? sed potius illos cœlorum Reginæ audebimus anteferre, cum servi illius & subditi existant? *Regina Angelorum.*

De cœlest. Hierarch.

Heb. 1. 4.

5 S. Bernardinus in Salutationem Angelicam scribens, ita dicit: *Fuit B. Virgo sine tyranno concupiscentia peccati originalis, quia sine eo concepta est, sicut teste Salomone Cant. 4. didicimus, qui ait: Tota pulchra es amica mea, & macula scilicet originalis culpa, non est in te*: Nec valet, si dicas Angelos hujus maculæ contrahendæ incapaces fuisse, utpotè qui unquam puri spiritus labem hanc contrahere non possunt, licèt eadem in corruptam naturam nostram quotidie transmittatur; hoc etenim argumentum benè procederet, si peccatum corpus contingeret, nunc verò constar id verum non esse, siquidem anima illud contrahit in eodem momento, quo corpori unitur, non verò corpus; atque ideo ex quo filius Mariæ supernos illos spiritus in gratia creavit, jure quærendum venit cur non etiam præparare potuerit talia gratiarum antidota in sanctissimæ matris suæ anima, quibus hæc in sui unione ad corpus procul à se labem hanc arcere potuisset, maxime cum is, qui legem aliquam tulit facillimè quoque in eadem dispensare possit? *Princeps legibus solutus est*, inquit Ulpianus, qui iterum alibi scribit: *Augusta licèt legibus soluta non sit, principes tamen eadem illis privilegia tribuunt, quæ & ipsi habent.*

Tom. 1. ser. 52. a. 1. c. 1.

Lib. 30. ff. de leg.

6 Corpus nostrum in pulverem redigi speciale quoddam est nobis propter reatum peccati originalis inflictum supplicium: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Deus autem ut toti mundo palam faceret, matrem suam quo ad hoc peccatum omnis esse reatus immunem, eandem ab hac pulverulentiæ corruptione præservare voluit, siquidem ut omnibus constat subitò post mortem anima & corporetenus in cœlum assumpta fuit. In hujusce quoque præservationis manifestum indicium, fomes quoque peccati in ipsa extinctus fuit, utpotè qui pariter ejusdem peccati in cunctis aliis pœna existit.

7 Visus olim à Moyse fuit rubus ille, qui igne quidem flagrabat, nec quicquam tamen ab inde consumebatur, audivit Moyses inde auribus suis insonantem vocem; ipsum propius accedere prohibentem, nisi prius sese discalcearet: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Ecce tibi quoque Mariam inter medias spinas, mediasque flammas consistentem, sed absque ullius puncturæ sensu; seu ardoris læsione, siquidem lilium inter spinas. *Peccatum*, ut ait Gregorius Nyssenus, *in scriptura vocatur spina*, atque ideo inter spinas progenitorum suorum, qui in peccatis concepti fuere & nati, ipsa in sua conceptione immaculata permansit. Unde B. Petrus Damianus ait: *Sicut lilium inter spinas sic beatissima Virgo Maria enituit inter filias, quæ de spinosa propagine Judæorum candescebat.*

Exod. 3. 5.

Orat. 2. de nat. Dom.

Ser. de nat. Virg.

8 Quodnam obsecro in eo existimatis latere mysterium, quod Evangelista in hodierno Evangelio tot aliorum

rum

rum heroum genealogiam teneat, ne verbo quidem meminetit generationis Conceptionis Mariæ, nec Joachimi patris aut Annæ matris ejus? scitisne causam? nimirum Spiritus sanctus tanquam Sponsus Mariæ Evangelistarum calamum dirigens noluit, ut communi aliorum turbæ annumeraretur, sed singulare eidem indulgere voluit privilegium, ut nimirum de illius Conceptione eum formaremus conceptum, tanquam creaturæ alicujus è cœlo potius ad nos de
Ps.17.2. lapsæ, quam in terris per naturalem propagationem natæ. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus, Deus meus & susceptor meus*. Ecce tibi debitam gratiarum actionem ob sui à peccato præservationem Deo exhibitam; etenim astutus ille serpens in puncto Conceptionis ejus in procinctu erat, ut hanc quoque animam veneno suo imbueret, prouti aliorum solet hominum animas inmxicare: at verò Deus ille, qui ipsam in matrem sibi elegerat gratiæ suæ subminiculo fortiter se eidem opposuit, inimicum ab ea pro-
Ps.30.8. cul arcendo, ne caderet: *Misericordia ejus prævenit me; salvasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici statuisti in loco spatioso pedes meos*. Idemmet Psaltes regius alibi beatissimæ Virginis Mariæ nativitatem in spiritu Prophetico prævidens ait: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei,*
Ps.45.5. *sanctificavit tabernaculum suum altissimus*; quibus verbis ad gratiarum alludit abundantiam, quæ cœlitus in ipsam utpotè per civitatem Dei denotatam (*Glo-*
Ps. 86.3. *riosa dicta sunt de te civitas Dei*) sive in ipsam tanquam ejusdem summi Dei tabernaculum (*Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*) depluisse noscitur. Enimvero id, quod specialissimè hic observari meretur, est, quod idem David de mystica hac civitate dicat: *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus*; ex illis namque verbis deducitur, eundemmet, qui filius ejus est, ejus quoque Creatorem esse & Patrem: *Genuisti qui te fecit*; ad propositum verò nostrum advertendum est, quod dicitur: *Deus in medio ejus*; quid verò inde sequitur?
Ps.45.6. non commovebitur, id quod concordat cum illo, quod Psalm. 45. ait: *Adjuvabit eam Deus mane diluculo*: quod nonnisi de ejus Conceptione quoad præservationem intelligi potest, siquidem sanctificatio aliis pluribus communis existit. Nec obstat, quod Apostolus dicat: *In Adam omnes moriuntur*; siqui-
1.Cor.15.22. dem Virgo aliis nequaquam connumeranda venit, adeoque sub illo signo universali *omnes* ipsa minimè
Jac.3.2. includitur.

9 S. Jacobus Apostolus dicit: *In multis offendimus omnes*, & tamen Virginem nullum commisisse actuale peccatum certum est. Egregia quædam immaculatæ Conceptionis ejus figura, ex Genesi, ni fallor, clarè deduci posse videtur; in diluvio namque universali, in quo omnes arbores præter unam submersæ fuerunt, columba ab arca egressa, & ad eandem sine inquinatione reversa, quando totus mun-
Cant. 6.8. dus in vastum quoddam mare redactus fuit, expressus quidam Mariæ typus extitit, *Una est columba mea*: aut verò sic dicere possumus; quod Noe diluvio cessante, ut securum se redderet, aquas jam notabiliter defecisse ac diminutas esse, columbam foras emisit, quæ requiem suam in quodam Olivæ ramo captavit. Circa quam historiam Sanctus Ambrosius & alii quærunt, quomodo columba virescentem olivæ frondem ad arcam deferre potuerit, quando aquæ omnes arborum frondes tanto cum impetu avulserant, respondetque sanctus: *Gavisus est vir justus videns fructum de veteri semine aliquem reservatum, & inde collegit misericordia insigne divina qui fructum demonstraret, cui non possent nocere diluvia*, quasi diceret sanctus ille senienlus, Noe, summè gavisus fuit videns, quod in communi & universali terræ exterminio post eradicatas & evulsas omnes arbores, una nihilominus ab universali diluvio illæsa & præservata remanserit, oliva nimirum, quæ in pristina sua viriditate & vigore permansit & perseveravit. Porrò Noe typus fuit Patris æterni, qui è cœli arca super Mariam Virginem Spiritus sancti columbam demisit (*Spiritus sanctus superveniet in te*) Virgo autem per olivam præsignificata fuit (*Quasi oliva speciosa in campis; Ego autem quasi oliva fructifera in domo Dei*) evulsis igitur & subversis cunctis arboribus, id est, susque deque verso toto genere humano (*video homines quasi arbores ambulantes*) sola hæc oliva immaculatæ innocentiæ suæ viriditatem conservavit, atque in conceptione sua illæsa permansit, &c.

Pro Conceptione immaculata Beatæ Virginis aliæ deducuntur rationes ex eo deductæ, quod templum Dei nominetur.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Beata Deigenitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

1 UT discursum præsentem in tam ampla materia nonnihil intra certos limites restringamus, hoc unicum nobis scire sufficiat, quod cum Dei mater ejusdem quoque Dei templum existat, ipsam originalem contrahere maculam, nequaquam convenerit, maximè cum Ecclesiæ Dei minimè sufficiat, quod illam templum Dei denominet, quin insuper adjungat: quod sit *Sacrarium Spiritus sancti*; ac tandem concludat: *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro*.

2 *Templum Domini*. Ingens, illud templum, quod Orat 3 de Nat.B V.
velut unicum mundi miraculum à Salomone fabricatum fuisse noscitur, augustissimum illud magnæ Dei Matris templum præfiguravit; ac proindè Damascenus de ipsa scriptum reliquit: *Templum Dei sanctum, quod Princeps Salomon construxit & habitavit*. At verò ubinam templum istud fabricatum fuit? In monte Moria, qui *Mons visionis* dicebatur; in quo Abraham ex Dei præcepto ad Isaacum sacrificandum sese accinxit. Porrò de cœlesti hoc Virginis templo longè potiori jure dicere possumus, illud nimirum in hoc monte fuisse erectum; siquidem ex quo satis probabilis est illa plurium authorum sententia, quod videlicet beata Virgo *per modum transeuntis* (ut scholæ loquuntur) suos in divinam essentiam defixerit oculos (prouti de Moyse, & Sancto Paulo pariter creditur, consequenter ab Authoribus valdè classicis, magnæque authoritatis concluditur) quod si in hac mortali vita quoad hanc gratiam privilegiata fuerit, multò magis eadem gratia eidem in primo Conceptionis suæ instanti convenerit, & consequenter ne minimum quidem culpæ nævum contrahere potuerit. Et quidem ob hoc fortassè mysterium sancta mater Ecclesia beatissimam Virginem nobis hodierna die splendidissimis lucis radiis circumquaque cinctam ob oculos ponit, alludendo nimirum ad corruscum illud gloriæ lumen, quod ei in puncto Conceptionis per modum transeuntis fuit communicatum. Etenim Sanctus Bernardus in celebri illo sermone de verbis Apocalypsis per hoc in Virgine conspicuum Solis paludamentum claram Dei visionem exprimi docet, utpotè cujus præ quavis alia anima copiosissimè particeps fuit.

3 *Templum Domini*. Pro hujus Salomonicis templi erectione, David pater ejus adeo opulentos ac prædivites apparatus ac præparationes instituit, ut si ab alio calamo, quàm quis à Spiritu veritatis gubernabatur, descriptæ essent, meritò tanquam fabulosæ fortasse exploderentur. Legatur obsecro caput 29. li- 1.Paral.
bri 1. Paralipomenon, & invenietur quod computa- 29.2.
ta, quæ ibidem describitur, summa, in argento ascenderet ad mille quadringentos & quadraginta milliones scutorum; auri verò summa pertigerit ad mille sexcentos & octoginta tres milliones. Enimvero extra omnem est controversiam, quod hæc *omnia in figura contingebant illis*; siquidem David superiori quodam Spiritu permotus dixit: *Neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo*. Ac demum Salomon ait: *Ergone putandum est, quod verè Deus habitet su-* 3.Reg. 8.
per terram? ac proindè omnes bieongregati appara- 27.
tus, thesauros præfigurabant donorum & gratiarum ecele-

cœlestium, quæ ab æterno Patre pro illo præparabantur ædificio, quod Filius ajus per solidum novem mensium decursum inhabitaturus erat, *Neque enim homini præparabatur habitatio, sed Deo*. Idemmet David Psalmo 86. ut præcedenti discursu vidimus, de Maria sub sanctæ civitatis Hierusalem, seu civitatis Dei symbolo loquitur, dum ait: *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. Porrò quod hisce verbis de Deipara loquatur, idipsum ut paulò antè pariter observavimus, ex illis verbis clarè deducitur: *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus*.

4 Porrò architectus templi hujus idem fuit, qui unico duntaxat verbo cœlum & terram fabricavit: *Ipse dixit, & facta sunt*; putatisne igitur, quod qui æternæ Patris Sapientia erat, & *ut sapiens architectus fundamentum posuit*; primum ejus lapidem in Conceptione ejus intra sordes peccatorum collocarit? Doctissimus Idiota ait: *Tota pulchra es in tua Conceptione*; sed quo fine? *ad hoc solum effecta, ut templum esses Dei altissimi*. Enimvero ne cœptam de templo materiam deseramus, opportunè hic mihi in mentem venit, quod Salomon, qui figura Christi fuit (*Ecce plusquam Salomon hic*) Fundamenta templi jacens, tale præceptum operariis dederit: *Præcepit Rex ut tollerent lapides grandes pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos*. At verò quis unquam lapides expolitos, lævigatos, & affabrè elaboratos & quadratos lapides, & quod admirationem vehementius adauget pretiosos magnique valoris lapides in fundamenta fabricæ alicujus conjici vidit? *Civitas in quadro posita est*, dicitur de cœlesti illa Hierosolyma, vero Mariæ typo, utpotè quæ mysticum Dei templum est, ac proindè Salomon illa præcipiens non ad figuram, sed ad figuratum oculum suum directum habebat; siquidem expoliti, quadrati, secti & pretiosi illi lapides, dona figurabant, gratiasque cœlestes: quæ ut à peccati originalis macula præservaretur, in primo Conceptionis ejus instanti in animam ejus cœlitus depluerunt: *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*. Porrò per hasce Sionis portas templum sanctum intelligitur, utpotè quod in Sion ædificatum fuit, in quo deindè templo beata Virgo intelligitur: *Beata Dei genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini*; Per tabernacula autem Jacob, quæ fundamenta non habent, alii Sancti intelliguntur; siquidem de illis dici non potest: *Fundamenta eorum in montibus sanctis*; cùm concepti & nati fuerint filii iræ. Hoc igitur supposito David dicit: Sciendum est cunctis quod Deus plus diligat, majorisque æstimet Sionis portas, id est, sanctitatem, innocentiam & puritatem Mariæ in primo ejus ingressu in hanc vitam per ejus Conceptionem, quam æstimet cunctorum aliorum servorum suorum sanctitatem; adeoque jure meritò de ipsa asserere possumus, ipsam majorem assecutam esse in instanti Conceptionis suæ gratiam, majoremque innocentiam, quàm habuerint omnes Angeli, cunctæque electorum animæ simul in toto spatio illo, quo mereri potuerunt.

In Contem. de B. V. c. 2.

1. Reg. 5. 17.

5 Propria ipsius verba hæc sunt: *Radicavi in populo honorificato*; quæ tametsi alibi in ejus laudem exposuerimus, extra tamen orbitam propositi mei non censebor progredi, si illorum considerationem hoc in loco replicavero. Sanctus Antoninus per honorificatum hunc populum paradisum intelligit: sed quamobrem beata Virgo hoc loco dicit: *Radicavi*? cur non potius dicit: *Exaltata sum*; vel quid simile? Respondet Sanctus: *Radix est principium arboris: mittemur ergò summitatem perfectionis gloriæ Beatorum esse in Seraphim ordine supremo*; q. d. Imaginemini vobis ac si omnium Beatorum, cunctorumque spirituum Angelicorum sanctitatem usque ad eam, qua supremus cœli Seraphinus imbutus est, videretis, ac tunc demum liberè dicere, quod omnis hic immensus & imperceptibilis gratiarum & sanctitatis cumulus, primus sit lapsus, à quo magni hujus augustissimique templi fundamenta suum ducant exordium: *Ibi incipit perfectio gratiæ & gloria Virginis*.

P. 4. tit. 15. c. 41. §. 4.

6 Solet communiter supra Sanctorum verticem in sanctitatis eximiæ signum diadema quoddam collocari in forma & specie mediæ lunæ efformatum: at vero ut perspicuè nobis insinuetur, quod summum maximumque gratiæ culmen, ad quod omnes paradisi Sancti pertingere potuerunt, primum sit sanctitatis Beatæ Virginis principium, luna, utpotè sanctitatis virgineæ adeo eminentis perspicuum insigne pedibus illius substernitur: *Singulis gratia est largita per partes*, inquit Chrysologus; *Mariæ verò simul se totum dedit gratiæ plenitudo*.

7 *Templum Domini*. In ædificii Ecclesiæ alicujus erigendo exordio, prout in Pontificali Romano habemus, nosque superius in Discursu aliquo de S. Andrea diximus, primus totius ædificii lapis ab Episcopo, vel aliquo quopiam superiore multis ritibus & cæremoniis factis benedici solet, inter cæteras autem benedictiones una sub hac forma verborum exprimitur: *Signum salutis pone Domine Jesu Christi in loco iste, & non permittas introire Angelum percutientem*. In prima autem oratione, in qua ad templum Salomonicum alluditur, ita legimus: *Effugiant omnes hinc nequitiæ spirituales*. E quo ritu indissolubile quoddam effermari potest argumentum, nimirum: Quod si tanta cura Ecclesiam tenet, ut in nova templi fabrica à muris illius jam Deo dedicandis, & à jactis ex rudibus saxis fundamentis, eo quod hæc exteriori duntaxat Dei cultui destinatos parietes sustinere debeant, hostis tartareus cum universis insidiis suis abarceatur, cur non etiam dicemus Deum in jaciendo primo lapide, primisque corporalis hujus Dei templi, hujus, inquam, Spiritus sancti sacrarii fundamentis omni in id studio contendisse: *Ne permitteret introire Angelum percutientem*? Quis enim dubitat, quin Deus ille, qui omnes creaturæ obediunt, seriò præceperit: *Effugiant omnes hinc nequitiæ spirituales*? Porrò certum est, quod teste Patre Suarez, peccatum originale *magis faciat subditum dæmoni*, quam actuale; ac proindè quod si temeritatis meritò arguitur, quisquis Beatam Virginem peccatum aliquod actuale etiam minimum commisisse dicere auderet, consequens esse videtur, quod si quoad peccatum actuale dæmoni nequaquam subjecta fuit, multo minus quoad peccatum originale subjiciatur, siquidem hoc ipsum *magis faciat subditum dæmoni*.

Disp. 3. sect. 5. n. 5.

8 In festo Dedicationis templi hæc communiter verba in officio divino usurpare solemus: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem de cælo, à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo*. Per hanc autem civitatem, prouti ex sancto Antonio habemus, Beata Virgo Maria intelligitur, id quod etiam à pluribus aliis affirmatur, in cujus fundamentis visi fuerunt lapides pretiosi, & gemmæ inæstimabilis valoris, raræque pulchritudinis. *Fundamenta omni lapide pretioso ornata*: *Descendentem de cælo, à Deo paratam*. Ecce tibi eximios gratiarum donorumque cœlestium congregatos apparatus, ut illam non tam Matrem, quàm Dei Sponsam puram redderent & Immaculatam, dignamque efficerent, cui Verbum æternum uniretur, *Erunt duo in carne una, sicut sponsam ornatam viro suo*.

Cant. 1. 10.

P. 3. tit. 15. c. 3. §. 2.

9 Quodnam obsecro in eo latet mysterium, quod Regum sapientissimus Salomon ex omnibus Palæstinæ arboribus ne unicam quidem asciam in templi à se erecti ædificium adhibere, sed omnia ligna ex peregrina natione alteri domino subjecta adduci voluerit? *Omnia in figura contingebant*. Etenim statuta lex erat, ut omnes Adæ posteri ex vitiata illa propagine nati originalium contraherent culpæ reatum; at vero quia Deus verus ille Salomon oculos suos in augustum hoc templum suum directos habebat, ideo materiam illius non de terra, sed de cœlo sumere voluit; siquidem in Beatæ Virginis animam immensum tot donorum & gratiarum cumulum è cœlo empyreo submisit, ita ut ipsam non jam à genitoribus mortalibus natam, sed, ut ita dicam, suam ab ipsomet Deo originem trahere videri voluit: *Descendentem de cælo*, atque ideo, ut supra notavimus, in tota Scriptura sacra nulla sive patris sive matri ipsius sit mentio; sed solum de ipsa, quod Dei Genitrix fuerit, perhibetur: *De qua natus est Jesus qui vocatur Christus*.

10 *Templum Domini*. In Psalmis scribitur; *Domum Dei decet sanctitudo*. Porrò sancta mater Ecclesia ut nobis, quantæ sanctitatis Immaculata Virgo Maria fuerit, significaret, nequaquam sibi sufficere censuit, si

ipsam

ipsam templum Altissimi appellaret : *Templum Domini* ; sed protinus subdit : *Sacrarium Spiritus sancti* . Quis igitur unquam dicere audebit , peccatum sive dæmonem , aut maculam originalem , quæ omninò idem inter se sunt , ullum unquam in hoc Spiritus sancti sanctuarium habuisse aditum ; Eadem sancta Dei Ecclesia in eadem Antiphona immediatè subjungit : *Sola sine exemplo placuisti Domino nostro* ; quibus in verbis excellentissimum quoddam ipsi sine exemplo concessum privilegium perspicuè exprimitur ; id quod haud dubiè nullum est aliud , quam concessæ ab originali peccato præservationis.

11 Nonnulli contemplarivi , erga Deiparam Virginem exindè devoti , piè satis observarunt , Spiritum sanctum tunc pridem sibi in Scriptura sacra hunc sancti titulum vendicasse , quando in hujus virginalis animæ sanctuarium ingressus fuit ! quonam verò alio tempore primum in illius animam aditum habuit , præterquam in primo instanti Conceptionis ejus ? Undè sanctus Bernardinus ait : *Tanta fuit perfectio Virginis , ut* To 2.Con. 31.a.3.c.1. *soli Deo reservetur cognoscenda , juxta illud Ecclesiastici : Ipse creavit illam in Spiritu sancto , & vidit , & dinumeravit , & emensus est* . Quodsi igitur verum est , sicut est verissimum , quod *creavit illam in Spiritu sancto* , quomodo ipsam in peccatum aliquod incidisse possibile erit ? *Cui enim proprium est peccata expellere , huic & proprium est peccata odisse* . *Ad hæc : Quæ societas lu-* 1 Cor.6. *cis ad tenebras ? quæ conventio Christi ad Belial ? qui consensus templi cum idolis* ? In hoc templo Filius Dei residere doluit , Spiritus sanctus Mariam in sanctuarium suum elegerat , quomodo igitur idolum Baaliticum in hoc templo , quantumvis etiam brevissimo tempore , erigi potuit ? *Quæ vel Angelica puritas* , inquit Sanctus Bernardus , *dignitati illi audeat com-* Serm 2. de Ass. *parari , quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum Filii Dei* ? Quodsi autem sanctuarium istud hac turpi labe inquinatum fuisset , utique longè fuisset inferior Angelica puritate , id quod S. Bernardus minimè concedendum esse censet .

12 *Templum Domini* . Enimverò si ex hac templi metaphora aliquam propositi themati nostro adaptatam elicere velimus moralitatem , dicere poteri- p.2.tit 31. ca. §. 1. mus ; *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui* . Quæ verba Sanctus Antoninus de Beata Virgine dicta esse interpretatur , qua mediante frequentes experti sumus divinæ misericordiæ effectus . Porrò quando iratum Deum placare , nostrorumque peccatorum veniam obtinere volumus , ad Ecclesias recurrere solemus , in quibus Sacramenta nobis administrantur , orationes effunduntur , cœlestiumque recipiuntur gratiarum thesauri . Similiter dum à Deo omne bonum consequi satagimus , ad mysticum hoc Virginis templum recurrimus . Veruntamen inter hoc templum & alia templa hæc advertenda est intercedens differentia ; nam tametsi etiam hæc reorum asylum sint & speciale refugium , à sacris tamen Canonibus multi excipiuntur casus , in quibus rei nulla in iisdem immunitate potiuntur : at vero si de hoc templo sermo sit , dici libere poterit : *Quicunque con-* 1.Mach.10. v 63. *fugerit in templum quod est Jerosolymis , obnoxii Regiæ in omni negotio dimittantur* . Etenim tametsi aliquis totius mundi peccator maximus existat , attamen si animo pœnitudine & contritione pleno suum ad ipsam cœperit refugium , optata utique potietur immunitate : *Refugium peccatorum* . Verùm enimverò enormis est quorundam hac in parte error , qui in peccatis etiamnum pertinaciter perseverantes , in Mariæ tamen intercessionem plurimum confidunt , qui utique falluntur turpissimè ; advertendum namque est ipsam à peccato adeo abhorruisse , ut non solùm ab actuali , verùm etiam ab originali peccato exempta fuerit , ideoque tamdiu illa nobis succurrere intermittet , quamdiu ad ipsius imitationem peccata non exhorruerimus , atque ad veram reducti pœnitentiam de iisdem fuerimus contriti , vel cum Sacramento attriti . Idiota scriptor doctissimus pariter & piissimus ad Beatam Virginem conversus ait : *Trahe me peccantem , ut me reddas pœnitentem* . Dicite sodes , ubinam Christus etiamnum parvulus à parentibus suis dolenter amissus reinventus fuit ? In templo ; ac proindè si fortè magnæ cum animæ jactura perdidimus Deum , ad vivum & animatum hoc Dei templum , id est , Mariam recurramus ; hic enim Deus protestatur se ad exaudiendum eas , quas ad ipsum fundimus preces ; aures semper patulas præbiturum esse . *Oculi mei erunt aperti , & aures meæ erectæ* 2. Paral.7. v. 15. *ad orationem ejus , qui in loco isto oraverit* . Hugo Cardinalis super illa verba : *Inclinato capite tradidit spiritum* , ita scribit : *id est , ex parte Matris suæ ; quasi diceret : per ipsam veniam petite , quia ipsa est oraculum misericordiæ.*

DE SANCTA LUCIA VIRGINE ET MARTYRE

Discursus Quinque.

De mysteriis sive causis ob quas S. Lucia immobilis facta fuit.

DISCURSUS PRIMUS.

Tanto pondere fixit eam Spiritus sanctus , ut Virgo Christi immobilis permaneret.

1 INter alia , quæ in martyrio Sanctæ Luciæ acciderunt miracula, unum & quidem valdè præcipuum fuit quod tyranno ipsam ad prostibulum perduci imperante , divinaque virtute operante , Spiritus sanctus eam totaliter reddiderit immobilem, adeo ut per nullius adhibiti instrumenti violentiam , nec per quamcunque boum fortitudinem à loco vel situ suo dimoveri potuerit. Undè meritò de ipsa canit sancta Mater Ecclesia. *Tanto pondere*, &c. Verùm enimverò ut ab historia ad mysterium transitum faciamus , statui varias verbi propositi thematis adhibere interpretationes , ex iisdem varia sanctæ Virginis & Martyris elicere encomia.

2 *Tanto pondere:* Sanctus Augustinus amori ponderis titulum indidit : Amor meus pondus meum : eo L.13.Confess. cap 3. feror quocunque feror. Etenim pondus quod Virgunculam hanc cæteroquin teneram adeo reddidit immobilem , ardens ejus erga Deum amor fuit , eidem à Spiritu sancto cum plenitudine donorum & gratiarum suarum infusus, adeout idem sit dicere: *Tanto pondere* ; quàm si diceretur : *Tanto amore fixit eam Spiritus sanctus ; ut virgo Christi immobilis permaneret* . Hic amor ipsam inter omnes mundi blanditias, sensuumque illecebras constantem, & ad Paschasii minas intrepidam , inter flammas immobilem , ac demum in ipsa crudelissimorum tormentorum carnificina immobilem perseverare fecit. *Quod ferrum*, inquit Chrysologus , *quæ vulnera , quæ pœna , quæ mortes amorem prævalent superare perfectum ! Amor est impenetrabilis lorica , respuit jacula , excutit gladium , periculis insultat , mortem irridet . Denique si amor est , vincit omnia*. Et quidem hic Dei amor tanto in ipsa gravius pondus subinferebat, quantò major horror & odium erat, quo mundum detestabatur, siquidem juxta proportionem odii, quo mundum aversabatur, ardens quoque erga Deum amor crescebat ; jam vero ho-

dia in

die in ejus laudem pleno ore cecinimus dicentes : *Odisti quæ in mundo sunt* . Cujus quoque evidentissimum signum edidit , quando se sponsalitii , quod mater ipsius contra ejus voluntatem cum sponso quodam pacta fuerat , illecebris privavit , deliriis quoque , voluptatibus , libertati & divitiis , quas possidebat , liberè nuntium remisit , easdem inter pauperes distribuendo . Ad hæc amor Dei pondus quoddam est , quod in procelloso hujus mundi mari anchoræ instar in cunctis adversitatibus nos imperterritos conservat & constantes , ne aliquod in profundo inferni patiamur naufragium .

3 S. Basilius certi cujusdam piscis , parvuli quidem sed valdè sagacis , qui Echinus dicitur , admirabilem
Hom. 7. in Evang. refert proprietatem ; is namque in mari navigantes vicinæ , proximeque imminentis admonet tempestatis : siquidem forti alicui saxo firmiter adhærescens naves immobiliter sistit , interea ventorum furiam irrito & casso eventu debacchari permittens . S. Lucia excitandas à tyranno tempestates , minas videlicet & supplicia , quibuscum luctatura erat , prævidens , omnibus se divitiis exuit , ne ipsi ad expeditius in cœlum evolandum oneri esset aut impedimento . *Terrena namque substantia* , inquit Sanctus Gregorius , *superna felicitati comparata , pondus est , non subsidium* ; econtrà verò solidæ illi petræ , de qua scriptum est . *Petra autem erat Christus* ; arctissimè sese astrinxit , atque ideo ad quamvis obviam tempestatum furiam ita immobilis sterit , ut in ejus laudem in veritate dici possit : *Columna es immobilis* , cumque Christo sponso suo velut una eademque res effecta fuit : *Lucia sponsa Christi* . *qui adhæret Deo , unus spiritus est cum eo* .

4 Audite obsecro , quales fuerint , qui adversus ipsam moti & excitati fuerunt , insultus , si invictum & intrepidum animi ipsius robur obstupescere desideratis . Primò igitur tyrannus ipsi falsis Diis suis ut sacrificium immolaret , præcepit ; ipsa vero promptè respondit : Verum , Deoque acceptum sacrificium in eo consistere ; ut scilicet desolatæ visitentur viduæ , earumque necessitatibus prospiciatur , huicque pio muneri se jam solidi triennii spatio enixè addictam fuisse , cuncta quæ possidebat pauperibus derogando : cumque nihil præter personam suam propriam sibi sit reliquum , nihil se æquè desiderare , quàm ut se divinæ majestati tanquàm hostiam vivam offerre possit . Mox furibundus subintulit Paschasius : Mera hæc esse Christianorum deliria , ideoque frustra illa coram se recenseri , utpotè qui antiquæ religionis , legumque Cæsarearum profiteretur observantiam . Cui intrepida Virgo confestim subjunxit : Tu quidem Principis tui leges observas , iisque morem geris , ego vero Dei mei veneror & adimpleo leges ; tu terræ hujus Imperatorem ejusque potentiam times ; ergo vero eum timeo , qui cœlorum modò Imperator existit : tu hominem quendam mortalem offendere formidas ; ego verò immortali Deo injuriam facere abnuo : tu tuo Domino placere desideras ; ego vero Creatoris mei benevolentiam & gratiam duntaxat ambio ; ac proindè casso labore te fatigas , si tibi quod me ab amore divellere possit , persuadeas . Tyrannus ad hæc verba magis indignatus , sanctæ Virgini , quòd malè vivendo suum dissipasset matrimonium , exprobrare non erubuit , sancta verò Martyr quoad hoc se justificans respondit : se securum in locum suum deposuisse patrimonium ; addiditque horrori sibi semper eos fuisse qui inficiunt animas , bonosque mores corrumpunt : tales autem revera esse , qui ut quis Creatorem pro creaturis deserat , persuadere satagunt . Cui tyrannus respondit : Tu quidem multa verba effutis , at verò *Cessabunt verba cum ventum fuerit ad verbera* . Cui Lucia replicavit: Falleris tyranne, falleris, neque enim servis Dei verba deesse possunt , quibus hæc fuit facta stipulata promissio . *Cum steteritis ante Reges & Præsides , nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini , non enim vos estis qui loquimini ; sed Spiritus sanctus qui loquitur in vobis* . Cumque à Paschasio interrogaretur , an persuasum sibi haberet , quod in se resideret Spiritus sanctus ? respondit : *Castè & piè viventes templum sunt Spiritus sancti* . Quibus verbis auditis excandescens , iniquam illam fulminavit sententiam , qua ad publicum jubebatur deduci prostibulum : *Jubebo te ad lupanar duci , ut te Spiritus sanctus deserat* . Cui Virgo constans intrepidè replicavit , dicens : *Si invitam jusseris violari , castitas mihi duplicabitur ad coronam . Quare Paschasius ira inflammatus Luciam eo trahi jussit , ubi ejus virginitas violaretur ; sed divinitus factum est , ut firma Virgo ita consisteret , ut nulla vi de loco dimoveri posset* . Undenam vero pondus illud , quod illam firmam adeo reddidit atque immobilem , processerit , optimè declaravit sancta mater Ecclesia , dum illud à Spiritu Sancto cor ejus perfusum erat , proficisci docet his verbis : *Tanto pondere eam fixit Spiritus , ut Virgo Christi immobilis permaneret* ; adeoque pondus hoc fuit ejus erga Deum amor ardentissimus ; *Amor meus pondus meum* . Hoc igitur viso miraculo truculentus persecutor : *Circum ipsam pice , resina , ac ferventi oleo perfusam ignem accendi imperavit ; sed nec flamma eam læsit* . Scitisne causam ? Nimirum in sancta hac Martyre duæ inter se flammæ luctabantur , flamma nimirum ignis elementariis, & flamma ignis qui in sancta Virgine ardebat divini amoris , è quibus hæc victrix & superior evasit , tametsi idipsum magiæ & diabolicis incantationibus tribueretur à Paschasio ; nec mirum , quia *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus* . *Flamma pectus ejus comburens* , inquit vetustissimus Tertullianus de S. Joanne ferventis olei 4. de Præscr. c. 16.
dolium ingresso , *ignis actionem , qui in lebetem agebat , suspendit , ibique duos ignes inter se prælio dimicantes , tandem ignis amoris superior evasit , victoriam reportans* .

5 Haud immeritò hoc in loco considerandum , quod sancta hæc virguncula una cum matre sua Cataniam versus proficiscendo , ut sepulchrum S. Agathæ invisendo honoraret , nequaquam defatigata fuerit , similiter quaquaversum per vicos & plateas discurrerit , ut tot prospiceret & subveniret pauperibus ac desolatis viduis , denique ad mortem & supplicia non eundo , sed volando potius processerit , & tamen modò nequaquam moveri possit , quin potius ad quamcunque ipsi , ut locum mutando ambularet , illatam violentiam immobilis nihilominus permansit . Quod factum ut melius intelligatur , per quandam similitudinem declarabimus : Situla namque sive urceus aqua plenus intra putei aquas neutiquam ponderat aut gravitat , imò erit qui in mari vel in lacu aliquo natabit , habebitque in humeris mille aquarum barilia , nec tamen onus illorum persentiscet : at verò si aquam illam è mari , lacu , vel puteo foras extrahat , etiam unicum duntaxat aquæ barile humeris impositum valdè aggravabit ; siquidem *elementa in propria sphæra non gravitant* . Ad eundem prorsus modum ratio , cur sancta hæc Virgo nostra agilis , expedita & velox fuerit currendo quocunque ipsam charitas & amor proximi impellebat & vocabat , hæc est , quia tunc erat in suo centro . Ad sepulchrum S. Agathæ *exultavit ut gigas* : ut nimirum impetrata ab hac prodigiosa Sancta sanitate matri , in hujus beneficii compensationem hac à matre obtineret , ne deinceps vel verbulo terreni sponsi ipsi copulandi mentionem amplius faceret , prouti postea re ipsa factum est ; at verò quando de honestate ejus in prostibulo , publico mercatui prostituenda agebatur , tunc veluti extra centrum & sphæram suam utpotè virginitatis suæ conservandæ ingens zelotes , posita , *immobilis permansit* ; videbatur enim tanto pondere onusta , ac si in humeris suis positos haberet vastissimos montes .

6 *Ut Virgo Christi immobilis permaneret* . Notate verba illa : *Virgo Christi* . Ex illis enim clarè satis colligitur , pondus hoc in ipsa nil aliud fuisse , quam ingens quædam sensualitatis & lubricitatis carnalis exhorrescentia & abominatio . Undè S. Joannes Apo- Apoc. 2. 24.
stolus , qui pariter virgo extitit , in Apocalypsi sua hoc eodem ponderis titulo illibatæ continentiæ virtutem circumscribit , dum ait : *Non mittam super vos aliud pondus* , continentiam etenim à voluptatibus carnalibus gentilibus ad Evangelium amplectendum venientibus , velut immensum quoddam pondus fuit . Et ad hoc illa Actuum Apostolicorum verba pulchrè allu- Act. Ap.
dunt : *Visum est Spiritui sancto & nobis , nihil ultra imponere vobis oneris , quam hæc necessaria , ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum & fornicatione* . 15 v. 28.
Vocatur autem hæc continentia pondus , attenta debilitate ipsorum , qui anteà in vita voluptuosa habituati,

ti, consequenter in primis initiis singularem experiebantur continendi difficultatem: at vero S. Luciæ, quæ virginalis integritatis tam ardens zelotes erat, solum fornicationis nomen immensum quoddam pondus esse videbatur: *Nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Ipsa etenim tanta puritatis amatrix erat, ut alia quædam jam in cœlis cum Christo triumphans Virgo eidem dixerit: *Jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti.*

In Di-
ction. V. a-
nima.
7 Refert Berchorius scriptor diligentissimus, Alexandro Magno olim allatum fuisse lapidem quendam ea virtute & ponderositate præditum, ut si in alterius lateris bilance integer quidam mons fuisset repositus, lapis ille nihilominùs multum præponderaret; veruntamen quando vel modico pulvere aspergebatur aut maculabatur, omnem suam penitus deperdebat virtutem. Enimvero dicite sodes, si nostris, quisnam hic tam immensi ponderis lapis erat? utique virginitas illibata. Hanc prudens ille negotiator, cujus facta est in Evangelio mentio, adinvenit, proque illius comparatione quicquid in facultate sua habebat, erogavit: *Inventa una pretiosa margarita vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Est autem virginitas isthæc adeo delicata, ut quisque quantumvis minimus desiderii alicujus vel obtutus, vel tactus, genus, aut verbi alicujus lascivi malo fine prolati, ad pretiosam hanc margaritam perdendam, omnemque ei virtutem & meritum adimendum abundè sufficiat; veruntamen idipsum Sanctæ nostræ minime evenit: siquidem Spiritus sanctus tantus fuit integritatis & puritatis ejus zelotes, ut ad solum infamis loci hujus nomen: *Tanto pondere fixit eam, ut Virgo immobilis permaneret. Gratia super gratiam mulier san-*
Sa. 15 v. 19. *cta*, inquit Ecclesiasticus, *& pudorata: omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Enimvero si Archimedes, qui si unum duntaxat pedem extra terram figere posset, se universam terræ molem, quanta quanta est, susque deque eversurum esse inaniter jactabat, si, inquam, hic omnia instrumenta, cunctasque machinas applicuisset, eam nec quicquam loco dimovere prævaluisset, quia *Non est digna ponderatio continentis animæ.*

1. Cor. 4. v.
17.
8 *Tanto pondere.* Apostolus dum suos in paradisi gloriam defixos haberet oculos, ita scripsit: *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.* Quæ eadem consideratio S. Luciam ad omnes tyranni comminationes, atque ad acerbissimorum tormentorum acerbitates immobilem prorsus stare fecit; *Traduntur igni Martyres, & bestiarum dentibus armata sævit ungulis tortoris insani manus; nudata pendent viscera, sanguis sacratus funditur, sed permanent immobiles.* At verò undenam virtus isthæc, adeoque miraculosa constantia derivatur? nempè à *vita perennis gratia.*

9 *Tanto pondere.* In libro Job scribitur: *Semper*
Job 31 v. 23 *enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui.* Quæ verba Sanctus Gregorius de divini judicii tormentorumque in altera vita præparatorum severitate interpretatur; etenim dum anima non solum in æternam retributionem, verum etiam in divini judicii rigorem, pœnarumque infernalium atrocitatem & perpetuitatem oculum suum defixum habet, ad omnes mundi & carnis persecutiones; molestias, seu etiam blanditiarum lenocinia, aut quævis alia, quæ aliquod ad offensam Dei incentivum præbere solent, immobilis perseverat.

Prov. 12. v. 1 10 *Tanto pondere.* In Proverbiis scribitur: *Pondus æquum voluntas ejus.* Quibus verbis Dei voluntatem ponderis titulo agnominat, hæc enim in animabus electis pondus est, quod judicii nostri libram in omnibus attemperat: quanto enim quis divinæ conformior est voluntati, tanto erga omnes occurrentes adversitates immobilior & constantior efficitur. Cujus in S. Virgine & Martyre nostra manifestum habemus exemplum; siquidem hæc ex una parte virginitatem suam rigidissima custodia servare, nec quicquam illi adversum admittere decreverat, ex alia vero parte nesciebat, an cœlestis Sponsus ejus ipsam adversus pessimos illos honestatis suæ insidiatores defensurus esset, ideoque se in divinæ voluntatis beneplacitum totaliter resolvit, firmiter tamen apud se statuens se nunquam admissuram esse, quantum est ex parte sua, ut infidelis ei sponsa aliquando deprehenderetur. Undè protestabatur: *Si invitam jusseris violari castitas mihi duplicabitur ad coronam*; atque ideo Spiritus Sanctus *Tanto eam pondere fixit.*

11 *Tanto pondere.* Enimvero per pondus hoc protectionem quoque ejus intelligere possumus, qua commendatam sibi patriam S. Lucia jugiter tutata fuit. Dicit enim beata Agatha: *Sicut per me civitas Catanensium sublimatur à Christo; ita per te Syracusana civitas decorabitur.* Etenim quæ administrantur honorifica munera onera appellari solent. Sic enim Moyses Deo totius populi Israelitici imperium sibi imponenti dixisse legitur: *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me.* Porrò hanc sibi quidem Syracusana vendicare potest gloriam, quod à celebri illo Architecto, cujus supra facta est mentio, erecta fuerit, qui inventis à se instrumentis & machinis immensa pondera loco suo movere mira cum facilitate poterat, veruntamen majorem Syracusæ gloriam S. Lucia attulit, per suam illatis sibi à Tyranno suppliciis firmitudinem & immobilitatem, perque solidissimam in conservanda virginitate, fideique orthodoxæ confessione continuanda stabilitatem & perseverantiam, Archimedes per adhibitas etiam universas artis suæ machinas impedire non potuit, quo minus patria ejus in inimico suo in prædam ageretur: at vero S. Lucia Patriam suam ab iniquo Tyranno pessundari & opprimi videns, tanta se illi generositate opposuit, ut omnes cives Syracusani ab eo illatis injuriis exasperati, adversus Paschasium insurrexerint, eumque tanquam communis patriæ devastatorem catenis vinctum Romam usque, ubi mortis condemnatus fuit, rapuerint. Etenim sancta hæc Martyr nostra non solius Syracusæ protectrix fuit, verum etiam totius generis humani patrocinium insigne gessit: ideoque ab hoc nobis nobilis adeò instrumenti naturalis, quale oculus est, advocata electa fuit: Ideoque jure de ipsa dici potest, quod Divina providentia: *Imposuit pondus universi populi super eam*, in ordine scilicet ad sensus adeo præcipuS & nobilis, qualis visus est, patrocinium.

In vita & martyrio sanctæ hujus Virginis oculorum proprietates considerantur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Illuminet oculos nostros. Baruc. 1. v. 12.

1 GLoriæ S. Luciæ, quam cuncti fideles tanquam oculorum Advocatam venerantur, optioribus verbis applaudere, pariterque auxilium ejus implorare posse videor, quam assumpti thematis propositis verbis ex Prophetia Baruch desumptis, nimirum: *Illuminet oculos nostros*: A sancta etenim Lucia nobis imploranda venit non solum lux corporalis, sed etiam quæ majoris ponderis est, atque momenti lux spiritualis. Equidem in vitæ ejus historia nusquam eam aliquod in oculis passam fuisse tormentum legimus & tamen in quibusvis in veneratione habetur ob patrocinium, quod circa visum oculorum ab ea expectant, partem videlicet corporis nostri adeo præcipuam & delicatam. Sancta Agata ob mala pectoris imploratur, eo quod in mamillis passa fuerit. Ad S. Apolloniam in dolore dentium recurritur, eo quod dentes illius violenter fracti & comminuti fuerint. Et sic consequenter de aliis Sanctis discurrere liceèt: an verò quod hanc nostram Martyrem attinet, potius antiquum & receptum Ecclesiæ usum esse videmus, quod oculorum expers, at verò oculis ejus erutis in disco repositis depingi soleat. Universalis autem devotionis fidelium oculorum lucem eidem recommendantium causa, ut ego quidem existimo, hæc est, quod in proprio suo nomine lucem præ se ferat: Quamvis & alia insuper causa addi possit, videlicet quia in heroicis vitæ & mortis suæ actibus oculorum proprietates accuratè expresserit.

2 In Zacharia scriptum reperio: *Super lapidem unum* Zach. 3. v. 9
septem

septem oculi sunt. Per hunc vero lapidem Christus intelligitur, de quo dicitur: Petra autem erat Christus. Super hoc namque mystico lapide septem oculi conspiciuntur, id est, septem insigniores Sanctæ Luciæ virtutes totidem oculorum proprietatibus optimè adaptatæ. Sanctus Bernardus de intrepido Martyrum animo & jubilo, quo iidem in suis tormentis gestierunt, tractans, ita scribit: *Ubi tunc anima Martyris? in petra, nempe in vulneribus JE-*
Serm.63.in Cant. *SU*; Et ideo septem hosce oculos, id est, septem insigniores sanctæ hujus Martyris virtutes, non alibi quam in hoc mystico Christi Sponsi sui lapide comperiuntur. Ipsa namque dicere poterat: *Non ego, sed gratia Christi mecum*.

3 *Septem oculi*. Prima oculi conditio est, quod materiam habeat à toto reliquo corpore distinctam, siquidem constant ex crystallino & cœlesti humore. Hæc autem qualitas eminentem ejus supra alias Virgines perfectionem nobis exprimit, quia sola virginum Regina & primiceria excepta, nescio an alia quæpiam reperiri possit, cui Ecclesia adeo frequenter Spiritum Sanctum associet, sicut huic Virgini: *Tanto pondere fixit eam Spiritus sanctus, ut Virgo Christi immobilis permaneret*. Ubi notandum est verbum illud fixit, per illud namque insinuatur, quod sacrosanctus ille Spiritus ipsam totaliter possederit, & verè ita dicere convenit: ipsa namque clarè satis declaravit, quod Spiritus sanctus in ea loqueretur, sacrumque ejus templum esset: Porrò cœlestis hic & crystallinus humor ex verbis S. Agathæ, quibus hanc Virginem affata fuit, clarè satis deducitur; huic namque sanctæ Martyri videbatur, quod licèt hæc Virgo etiamnum in terris moraretur, in cœlo tamen inter Angelos miris splendoribus coruscaret: *Coruscas cum Angelis*.

4 *Septem oculi*. Secunda oculi proprietas, est quod pupilla ejus per quam videt, licèt ad instar puncti alicujus indivisibilis sit, capax tamen sit alicujus quasi infinitæ amplitudinis, eo quod ad stellarum usque cœlum ipsa pertingat. Inter Athenienses Philosophos aliquando publicè disceptatum fuit, quidnam in naturæ operibus illud esset, quod simul omnium esset minimum & maximum; Cui quæstioni tandem sapientissimè responsum fuit, id nihil esse aliud quàm oculi alicujus pupillam, hæc enim cùm ad instar puncti alicujus sit, cœli tamen terræque effigiem in se recipit. Porrò in hac mystici oculi S. Luciæ pupilla summè admiranda est humilitas, & contemptus suiipsius seu nihilum ejus. Ipsa namque indignum se reputabat, quæ à Deo, licèt Sponsus ejus esset, gratias reciperet. Unde se Cataniam verso subito recepit, ut S. Agathæ pro se intercessionem apud Deum interponeret: Quæ ei dixit: *Quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ?* Cum hac vero parvitate immensitas illius unita erat: *Quem cœli capere non possunt*, siquidem ipsamet sancta Martyre teste; *Jucundum Deo in sua virginitate habitaculum praeparaverat*.

5 *Septem oculi*. Est & alia quædam oculorum qualitas, nimirum connexio, quam cum cerebro habent, ab hoc namque duo nervi derivantur, qui visus sunt instrumentum. Unde Aristoteles scribit:
L. 5. hist. anim. c. 10. *Oculi in cerebrum finiunt*. In hac autem proprietate admirabilis ejus nobis sapientia declaratur, de qua canit S. Mater Ecclesia: *In conspectu Principis loquebatur sapientiam*; Et quidem quis eximiam quam in responsis suis prodebat sapientiam non admiretur summopere? Et quidem hanc cum primis, quam post se reliquit præclaram sententiam: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*.

6 *Septem oculi*. Quarta oculi proprietas est, quod ab ipso lachrymarum quidam fonticulus scaturiat, quæ quinta quædam sanguinis essentia appellari possunt. Enimvero sancta Virgo nostra non solum lachrymas ab oculis effudit compunctionis, verum etiam sanguinis rivos è venis manare fecit, *Sanguine proprium inimicum vicisti*. Quotidiana quidem docemur experientia, quod quæ in præliis accidit sanguinis effusio potius illos, à quibus emanat, in prælio victos & prostratos significet, quam victores, siquidem tales una cum sanguine vitam pariter prodigunt. In hac autem Martyre nostra contrarium omnino accidit, siquidem quando ferrum collum ejus pertransit, Imperatoribus Christiani nominis inimicis moriendo pacem Ecclesiæ prædixit.

7 *Septem oculi*. Quinta hujus sensus proprietas est, quod oculus in unam partem flecti nequaquam possit, quin eodem tempore alter quoque oculus in eandem partem flectatur. Qua in proprietate insinuatur ardens ille, qui in corde sanctæ hujus Martyris exarsit amoris erga Deum & proximum ignis. Haymo super Epistolam ad Romanos ita scribit: *In dilectione* Ro.13 v.9
proximi consistit & dilectio Dei, neque enim proximus sine Deo, nec Deus sine proximo diligi potest. Et quidem si de amore Dei sermo sit, sufficit dicere, *Lucia Sponsa Christi, Dominus omnium dilexit eam*. Si verò de proximorum amore agatur, ipsa cum ad sacrificium falsis numinibus offerendum estimularetur, respondit, verum Deoque gratissimum sacrificium perfici visitando viduas, orphanos, aliosque miserabiles homines, seque plenissimo huic ministerio solido triennio impensè debitam fuisse, omnia quæ habebat pauperibus dispensando. Cajetanus à moderno quodam Authore citatus in ea est opinione, quod vide- Lau. à Ponte in c. 8 Matt. v. 22. n. 5.
licet oculorum protectio sive sanatio, ideò sanctæ huic Martyri attribuatur; quia dum illa matre etiamnum vivente, omnia quæ possidebat, inter pauperes distribueret, materque ejus se ei, licèt frustra opponeret dicendo: *Claude primo filia oculos meos*, Ipsa replicavit lumen opportunius præmitti homini quam eundem sequi, id est, bona temporalia in eleemolynas distribuenda à nobis esse, dum vivimus.

8 *Septem oculi*. Est insuper alia oculorum qualitas videlicet quod varias intra se recipiant montium, lacuum, arborum, florum, animalium, saxorum, cunctarumque aliarum rerum visibilium species, absque ulla quæ in oculo percipiatur, mutatione, utpote qui licèt omnibus hisce speciebus imbutus sit, unus semper idemque perseverat adeò ut aquam conspiciens; non humectetur, in ignem directus oculus ejus nec quicquam sentit voracitatem, lutum respicit, nec tamen inde coinquinatur. Qua in proprietate magna quæ in Sancta Lucia resplenduit omnimo harum terrenarum rerum abnegatio figuratur, siquidem erga cuncta terrena magnum in corde suo habebat honorem & odium: *Odisti quæ in mundo sunt*. Ipsa quidem in bonis fortunæ ditissima fuit, sed ea magna cum liberalitate inter pauperes dispensavit; rara quoque pulchritudine prædita fuit, hanc autem ne mortali cuipiam homini desponsaretur, contempsit, & soli Sponso cœlesti adstrictam esse voluit, vitam suam non alio fine pretiosam æstimavit, quam ut illam pro Dei sui gloria & fidei confessione inter cruciatus & tormenta prodigere posset; atque ideo licèt corpore tenus hîc demoraretur in terris, cum Apostolo tamen dicere poterat: *Conversatio mea in cœlis est*, siquidem & Sancta Agatha ei dixit: *Coruscas cum Angelis*.

9 *Septem oculi*. Septima oculi proprietas est, quod per quemvis etiam minimum pulveris atomum offendatur. Enimvero quis sufficienter explicare poterit, quanto cum zelo innocens hæc virguncula suam fuerit integritatem prosecuta? Quando S. Agnes ad locum infamem perducta fuit, Angelus quidam ad ejus defensionem cœlitus submissus fuit; at vero in casu nostro, quando Paschasius huic Virgini dicit: *Jubebo te ad lupanar duci*: Spiritus sanctus sanctuarii & templi sui honestate ardentissimo zelo prosequens, ut ne gressum quidem movere potuerit: *Tanto pondere fixit eam Spiritus Sanctus, ut Virgo Christi immobilis permaneret*. An non igitur vobis videbitur reapse in hoc facto verificatum esse, quod cœlestis ejus Sponsus *Custodivit eam quasi pupillam oculi sui*? siquidem ne vel ab aspectu vel præsentia infamis loci illius ipsam contaminari voluit.

10 Verum enimvero valdè notabilis nobis hoc in loco occurrit difficultas, quam etiam à principio tetigimus, nimirum qua ratione S. Luciæ oculorum tutela Lib. 2. c. 30. n. 13.
& præsidium adscribatur, quæ ipsamet oculis orbata depingitur: Thomas Cantipratensis de certo quodam Episcopo Franciæ refert, quod dum à Regina plurimum infestaretur, ut effræni lubricæ carnis appetitui condescenderet, severo & torvo in eam directo oculo suo generosè eandem à se repulerit; unde Deus post ejus mortem effecit, ut cum totum corpus Episcopi

illius

illius in cineres resolutum esset, oculus tamen ille limpidus, clarus, & serenus suoque humore crystallino imbutus remanserit. Ecce tibi perenne miraculum, quod Christus in hac Sponsa sua operatus fuit, quæ tantoperè suam zelata est corporis integritatem & honestatem, siquidem tametsi oculi ejus post tot sæcula intra discum seu lancem depicti conspiciantur, iidem tamen adeo clari sunt atque resplendentes, ut omnium mortalium oculis lucem communicent, totumque genus humanum illuminent: *Illuminent oculos nostros*. Advertendum est autem hanc Martyrem nostram protectione sua mediante hanc lucem aliis participare, tum dando illis visum acutum, qui oculorum defectu laborant, tum eripiendo & obfuscando oculorum aciem in iis, qui acuto visu pollent, at quonam putatis fine id ipsam facere? nimirum ut visum illis meliorem, hoc est, spiritualem communicet. Sanctus Gregorius Nazianzenus scribit: *Est cœcus is, qui multis oculis ad vana respicit*; quasi diceret; Tametsi quis Argus sit, cœcus tamen est, si ad Deum offendendum oculis suis utatur. Unde Sanctus Bernardus sermone, de conversione Sancti Pauli, super hæc verba: *Circumfulsit eum lux de cœlo, apertisque oculis nihil videbat*, ita ait: *Pauli fecit cæcitas, qua malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcati*. Salvator quoque noster in Sancto Luca salutare nobis monitum tradit dicens: *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint*. Quæ sententia prima quidem facie contradictionem quandam in se continere videtur siquidem lumen tenebras excludit, ipsaque lux in tenebris pariter incompatibilis existit; & tamen verum est axioma Evangelicum; vultque nobis insinuare, cavendum nobis esse; ne oculus nobis incentiva præbeat ad peccatum, quod in Scriptura tenebrarum nomine appellatur; siquidem *Qui malè agit, odit lucem*. *Abjiciamus opera tenebrarum*. In scholis hæc solet ventilari à doctis Quæstio: An visio fiat *per extra missionem, vel per intus susceptionem*. Cujus quæstionis loco potius quærendum esse existimo; An patrocinium & tutela, quam Sancta Lucia visui præstat, dirigatur ad videndum, an verò ad non videndum; Et quidem ipsa exemplo suo nos edocet, ut ad omnia objecta terrena, quæ suis nos lenociniis decipiunt ad ejus imitationem cœci simus. De ea namque dicitur: *Odisti quæ in mundo sunt*. Horum namque terrenorum visio est illa, quam Sanctus Hieronymus vocat *Concupiscentiam oculorum illuminet oculos nostros*, ast illa luce, *quæ est lux vera*: aut vero si simul nobis lucem corporalem impetrare necessum sit, rogandus à nobis est Deus, ut illam ita gubernet, regulet & dirigat, ne in rejiciendas à nobis tenebras degeneret: *Abjiciamus opera tenebrarum*: Hæc lux ordinetur ad evitandos omnes casus, qui nobis labendi occasionem præbere possunt. In casu autem quo sancta Martyr nostra hanc nobis corporis lucem non impetraret, firmiter nobis persuasum habemus, id ipsum nonnunquam ab illa in majus beneficium nostrum fieri. Unde ipsa quoque gentilis Seneca Philosophus moralis quendam, qui oculorum visum amiserat, ita monet: *Quam multis cupiditatibus via incisa est? non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem?* Idem quoque oculos vocat: *Irritamenta vitiorum*. Salvianus quoque paucis verbis multa eloquitur, dum ait: *Quam pura est pupilla oculi, tam pura est Christiani hominis vita*. Ac proinde in tali casu, quo S. Luciæ oculis laborantes non exaudit, satis indicat, se innocentiam animarumque vestrarum puritatem pluris facere, quam oculum aut visum corporalem, maximè quando hic futurus est incentivum ad culpam.

Hom. 8. in Cant.

L. de rem. fort.

Lib. 3.° de gubernat. Dei.

De verbis illis à S. Agatha ad S. Luciam dictis: *Jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti*, discursus instituitur.

DISCURSUS TERTIUS.

Jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti.

1 DIgniorem S. Luciæ laudem attribuere non possumus, ea, quæ in ejus encomium è Paradiso detonuit. Et enim sancta hac Virgine ad sepulchrum S. Agathæ in Catania ferventes pro impetranda sanitate matri suæ ad Deum preces fundente, immortalis illa S. Agathæ anima omninò luminosa, angelicisque turmis undique cincta eidem apparuit, dicens: *Lucia Virgo quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? quia jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti*. Enimverò quisnam sibi excelsiorem gloriam imaginari poterit, quam fuerit illa quam secum cœlestes Angeli animæque beatæ attulerunt, quando venerunt ut sanctæ Luciæ perhiberent Deum jucundum in virginitate ejus præparasse habitaculum. Porrò certum quidem est sanctam hanc Martyrem nostram cùm ea quæ virginum Regina est in comparationem nequaquam venire posse; siquidem *sola sine exemplo placuit Domino Jesu Christo*, veruntamen si mihi licitum foret aliquam saltem à longe Beatissimam Deiparam inter & sanctam Luciam comparationem instituere, dici posset, sanctam matrem Ecclesiam Deiparæ Virgini istud laudis præconium attribuere, quo ipsam Altissimi habitaculum appellat, dum ait: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Mariæ corpus & animam, ut dignum filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti*, quibus verbis prima quidem facie idem dici videtur, ac si diceretur: *Jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti, Spiritu sancto cooperante*; Spiritus enim sanctus in purissima hac anima residebat, quando per os ejus loquebatur; præterquam quod ipsa dixerit, quod ex virginitatis merito. *Castè viventes templum sunt Spiritus sancti*; cujus satis evidentes se in ea prodiderunt effectus; siquidem *Tanto pondere fixit eam Spiritus sanctus, ut Virgo Christi immobilis permaneret*. Verum enimverò singula thematis assumpti verba, utpote mysteriis referta, paulisper examinemus.

2 *Jucundum*. Dicat fortassis nonnemo, qua ratione fieri unquam poterit, quod Creator aliquod ex creatura gaudium aut jucunditatem accipiat, quando infinita inter utramque distantia intercedit? Et tamen æternæ veritatis verbum est, quod divina sapientia dicit: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. S. Thomas de Villa-Nova in quodam sermone de S. Joanne Evangelista, considerans ipsum dixisse de semetipso *Discipulus ille, quem diligebat Jesus*, ac tandem ad stupendam ejus sapientiam se reflectens, subjungit: *Existimavit vir sapiens omnium gratiarum hanc præcipuam & maximam reputandam esse, quod a Deo dilectus sit; quæ namque major est, aut esse potest dignitas creaturæ, quam quod factori suo placeat, & diligatur ab eo, qui fecit eam?* Venerab. Beda prædicta verba: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, interpretans, quandam themati nostro optimè adaptatam deducit expositionem dicens: *Quia Christus summè desiderat in animis nostris quiescere, in usque quasi in templo & sacrario suo habitare*; imò tanto Deus noster animam quandam puram prosequitur amore & complacentia, ut sanctæ Gertrudi dixerit. *Meus amor adeo intrinsecè tibi conjungitur, ut nolim sine te beatè vivere*. Enimverò aliquam hanc virginem inter & sanctam nostram notavi differentiam; De illa namque scribitur, quod cœlestis amator ejus ei dixerit; *Collocavi te in sinu paternæ meæ benignitatis*: hic verò idemmet Deus sinum animæ Sanctæ Luciæ eligit, ut in eo commoretur & conquiescat. Agnus ille immaculatus pascitur, sed ubi? *Inter lilia*, dilectarum sponsarum turba circumquaque cingitur, sed virginum turba: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt*. S. Joannes quoque quia virgo erat, supra pectus Domini quietem suam capravit.

Prov. 8. v. 31.

Lib. 3. c. 5.

Lib. 4. c. 3.

3 *Jucundum Deo*. Evidentissimum signum unde Deum in Lucia commorari dignosci poterat, fuit, quod ignis illam offendere nequaquam præsumpserit. Eusebius Emissenus de igne illo tractans, qui tres illos pueros in fornace Babylonica illæsos conservavit, ita scribit: *Quanta castis visceribus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit, extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulatur*. Aponius autem ita scribit: *Castitatis dilectione missi sunt inter Babylonicas flammas, in iis medius ardente fornace, quasi inter lilia, Dominus pascitur, ac quod semper requiescat in cordibus diligentibus castitatem*. Verùm enimverò dubium quoddam

Serm. 3. de script.

dam hic subnascitur, an scilicet illud ly Deo de Christo solum intelligatur, an vero etiam de sanctissima Trinitate, id est, an ipsa habitaculum fuerit solius Christi, an vero insuper omnium aliarum trium divinarum personarum? Ratio dubitandi est, quia invenimus ipsam sponsam appellari Christi: *Lucia sponsa Christi*; similiter ipsam invenimus valdè conjunctam esse Spiritui sancto: *Caste viventes templum sunt Spiritus sancti*, cur igitur non idem simul de æterno Patre dicendum erit, maximè cum S. Gregorius Nyssenus sanctissimam Trinitatem primam Virginem fuisse scribat: *Prima Trias virgo est*. Nec S. Agatha distinguit inter Christum

In Car. de Virgi. & Trinitatem; neque enim dicit: *Jucundum Christo*, sed Deo *in tua virginitate habitaculum præparasti*.

4 *In tua virginitate*: Enimvero tametsi Deus noster in omnibus sibi virtutibus complaceat, præ omnibus tamen aliis vel maximè virginitas placet & attrahit.

Lib. 3. epist. 23. *Quid autem loquar* (inquit S. Ambrosius) *quanta sit virginitatis gloria, ut esset etiam corporale Dei templum? Virgo portavit, quem mundus iste capere aut sustinere non*

Lib. 1. de offic. *potest*. Et alibi quasi idipsum hisce verbis scribit: *Quanta est virginitatis gratia, quæ meruit à Christo eligi, ut esset corporale Dei templum, in qua corporaliter habitavit plenitudo Divinitatis? Virgo genuit mundi salutem*; id quod de Dei matre utique intelligit. Quamnam vero inter Dei matrem & S. Luciam constituemus differentiam? In Maria *habitavit plenitudo Divinitatis corporaliter*, at vero in S. Luciæ virginitate *spiritualiter*. Verùm enimvero curiosa mihi hic incidit quæstio, an si sancta hæc nostra virguncula ad prostibulum deducta fuisset, prouti tyrannus jusserat, Deus ab illa recessurus fuisset? Nequaquam; quin potius Cœlestis hic sponsus in anima ipsius velut in purissimo sanctuario suo etiam in loco immundo commoratus fuisset; neque enim Sol lucem suam aliqua macula coinquinat, per hoc quod radii illius lutum aliaque terræ sordes pertranseat. Opti-

Lib. 2. de Virgin. mè igitur S. Ambrosius scribit: *Ubicunque Virgo est, Dei templum est: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam*; id quod in ipso effectu clarè visum est, quando S. Agnes ad prostibulum perducta fuit; De qua quoque veritate sancta martyr nostra per nobilissimam illam sententiam certiores nos reddit, quia ait. *Si invitam jusserit violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*; Quibus verbis insinuare nobis vult, solam voluntatem esse, quæ animæ puritatem maculare potest. Porrò à Tertulliano virginitas voca-

Lib. 1. ad uxor. c. 3. tur, *Tota sanctitas*, & talem S. Luciæ virginitatem fuisse existimo, quando in corde ipsius unà cum donorum & gratiarum suarum thesauris residebat Spiritus sanctus, Deique verè sanctuarium quoddam erat.

Ecc. 24. v. 7 5 *Habitaculum*. Deus per os Sapientis ait: *Ego in altissimis habitavi*, atque ut quisnam ille locus sit, ubi suum haberet thronum repositum, mox subdit, *Et thronus meus in columna*. Ecce tibi autem qualiter sancta mater Ecclesia per hanc columnam sanctam nostram intelligat, dum de illa ita canit; *Columna es immo-*

1 Tim. 6. v. 16. *bilis Lucia*. S. Apostolus de eodem Deo nostro dicit, quod *lucem inhabitat inaccessibilem*. At vero ex quo Psalmista

Ps. 17. v. 12 dicit: *Posuit tenebras latibulum suum*, de quanam alia luce intelligi poterit, quod habitaculum Dei sit, quam de S. Lucia? Porrò si nomen istud, *Habitaculum* justa mentis trutina ponderaverimus, inveniemus, quod per illud continua quædam familiaris & domestica societas & commoratio subintelligitur. Etenim de virgini-

Ap. 14. v. 4. bus scribitur: *Sequuntur Agnum, quocunque ierit*. Ideoque & in hymno quodam ab Ecclesia canitur. *Quocunque pergis, virgines sequuntur, atque laudibus post te canentes cursitant, hymnosque dulces personant*. Enimverò tametsi Princeps aliquis cunctos suos familiares & domesticos permagni æstimet, non tamen omnes ad intima conclavis sui penetralia, vel ad specialissimorum favorum participationem admittit. S. Hieronymus autem hanc specialem virginum prærogativam observat, quod

Epist. 22. ad Eustoch. videlicet; *Nullus eis locus in illo cælesti aula claudatur, sed cunctaeis divinarum mansionum habitacula referantur*, quod idem sanctus Hieronymus de cunctarum virginum turba in communi dicit: quodnam verò est sanctæ Luciæ super omnes alias virgines speciale privilegium: *secundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti*. Unde ipsemet Deus animam virginis hujus pro singulari delitiarum loco habere satagit; Et tametsi verum sit, quod *Dominus in cælo sedes ejus*

attamen ut S. Ambrosius scribit: *In cælo patria est castitatis*. Quodsi mihi dicas: *In sole posuit tabernaculum suum*. Responde cum sancto Augustino: *Virginitas Sol est, & sane sicut Sol lumen & lucem tribuit aliis, & splendore incomparabiliter excedit, ita virginitas aliis virtutibus*. Lib. 1. de virgin.

6 *Præparasti*. Sancta mater Ecclesia in Candelarum benedictione hisce inter alia verbis utitur: *Adorna thalamum tuum Syon, & suscipe regem Christum*. Quibus verbis sapientia Divina ad morem alludit magni cujusdam Principis, qui dum in viri alicujus privati domum divertere statuit, prius aulæ suæ prodromos ad hospitium Principi præparandum præmittit, qui eo fine ipsiusmet Principis aulæa & tapetum peristromata secum adducunt: Ecce tibi igitur, qualiter Spiritus sanctus ad habitationem hanc ter maximo illi, infinitæque majestatis Deo præparandam, tanquam prodromus, ne ita dicam, se una cum inexhaustis donorum & gratiarum suarum thesauris in sanctæ Luciæ animam prius insinuet: Quodsi autem scire cupitis, qualiter hospitium istud à Spiritu sancto emundatum fuerit; sciendum quod ex quo Apostolus de cunctis etiam præstantissimis hujus vitæ bonis dixit: *Omnia arbitror, ut stercora*, ideo sancta hæc virgo ea eodem capite cor suum ab iisdem ad stuporem usque purificavit; siquidem de ea scribitur: *Odisti quæ in mundo sunt*: Ipsa namque ab omnibus rebus temporalibus adeo aliena erat ut tametsi hic nobiscum moraretur in terris, per suam tamen innocentiam & puritatis candorem, inter Angelorum choros resplendere videretur in cœlis: *Coruscas cum Angelis*. Adhæc, ex quo aulæa & peristromata, quibus cordis nostri penetralia adornantur advenienti Christo, sunt Christianæ virtutes, hæ omnes in ipsa ad stuporem usque eminuerunt. Et quidem in primis Charitas egregiè in ea eluxit, in distributione cunctarum facultatum suarum inter pauperes. *Omnem pecuniam, quam ex facultatibus venditis redegerat, pauperibus distribuit*; sicut etiam in assidua pauperum, viduarum & orphanorum subventione & miro subsidio. Humilitatem per infimum, quem de semetipsa habuit, conceptum prodidit, quando ad sanctæ Agathæ intercessionem confugit, cum tamen suamet intercessio apud divinum sponsum suum efficacissima esset. *Quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ?* De eximia ipsius patientia hoc in primarum vesperarum prima Antiphona recensetur elogium: *In tua patientia possedisti animam tuam Lucia*. Fortitudo ejus in generosis illis intrepidisque responsis satis emicuit, quæ Tyranno reddidit, crudelitatem ejus necquicquam metuens, sicut & in gloriosa, quam de Tyranno reportavit victoria: *Sanguine proprio inimicum vicisti*. Mansuetudo quoque ejus in illis verbis clarè satis se patefacit: *Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam*. Sapientia ejus in responsionum suarum provida circumspectione resplenduit: *In conspectu Principis loquebatur sapientiam*. Stabilitas & perseverantia ejus ex illo encomio deduci potest, quo dicitur: *Columna es immobilis*. S. Agatha ad eam dixit: *Sicut per me Civitas Cathaneasium sublimatur à Christo, ita per te Syracusana civitas decorabitur*. Porrò civitas Syracusana olim prouti in historiis scribitur, valde effecta est celebris per Archimedem architectum adeo famosum: Hic in ea sphæram quandam fabricavit adeò artificiosam, ut in ea distinctè videri, & discerni possent Cœlorum, solis, lunæ, & stellarum motus & revolutiones: at verò quamnam artificium & ornamentum istud, quo suam dignatus est honorare civitatem, proportionem habet, cum æterna illa gloria, quæ sanctam sublimavit Luciam, quando per immaculatæ suæ eminentem sanctitatem, suæque virginitatis candorem ac ingentem heroicarum virtutum suarum lucem ex corde suo dignum tanto Deo habitaculum facere voluit, *quem cæli capere non possunt*? siquidem *jucundum Deo in sua virginitate habitaculum præparavit*. Ps. 18 v. 6 Phil. 3. v. 8.

De præconiis, & virtutibus S. Luciæ sub lucis symbolo agitur.

DISCURSUS QUARTUS.

Justorum semita quasi lux splendens.
Proverb. 4.

1 SApiens olim sanctæ cujusdam animæ felices progressus in splendoribus declarandos esse putavit, dum ait. *Justorum semita quasi lux splendens*; quod quidem nobilissimum præconium sanctæ Luciæ potius, quam cuicunque alteri animarum beatarum accomodari certissimum est, *cujus ne nomen quidem*, ut cum sancto Ambrosio loquar, *est vacuum luce*. Sanctus Joannes Damascenus considerans lucem inter omnes creaturas, quæ unquam à sapientissima supremi artificis manu plasmatæ fuerunt, nobilissimam esse, illam dicit esse *Pulchritudinem & ornamentum totius visibilis creaturæ*, cujus ratio est, quia sublata luce nulla res creata suam in tenebrarum obscuritate pulchritudinem prodere potest, sine hac enim non distinguerentur inter se earum colores, argentum, aurum, gemmæ non resplendebunt, neque stellæ, luna, Sol, aliaque astra scintillare poterunt, sed totum universum confusum quoddam chaos esse videbitur. Unde nonnemo pro corpore Emblematis alicujus pulchram quandam unionem luci oppositam sibi assumpsit, cum hac subnexa Epigraphe: *Tu splendorem, tu decorem*. S. Luciam quoque insigni hoc præconio honorare possumus, & dicere quod sit *Pulchritudo & ornamentum totius visibilis creaturæ*; Cum enim ipsi divina dispositione oculorum, utpotè partis pulcherrimæ & nobilissimæ corporis nostri commendatum sit patrocinium adeò ut per suam tutelam in uniuscujusque influat visum, consequens est, quod ipsa mediante quicquid in rebus visibilibus boni aut pulchri est, conspiciamus: *Tu splendorem, tu decorem*.

2 *Quasi lux splendens*. Sanctus Augustinus in ea fuit opinione, quod in productione lucis per illa verba: *Fiat lux* formata fuerit natura Angelica: Qua doctrina supposita, de hac sancta Martyre dicere possumus: *Quasi lux splendens*, siquidem ipsa Angelo similis fuit, ipsamque Angelis permiatam esse. S. Agata eo tempore pronuntiavit, quo carne mortali induta, etiamnum in terris morabatur; *Coruscas cum Angelis*. Quænam inter omnes virgines inveniri poterit, eo modo privilegiata sicut ipsa, non solum ut sponsa Christi esset, verum etiam ut in virginitate sua illi Deo verum quoddam sanctuarium præparet, qui *est candor lucis æternæ, & speculum sine macula*? Et quidem in hac puritate & integritate virginali adeo stabilita & confirmata erat, ut audacter pronuntiaverit, quod licèt integritati suæ manifesta irrogaretur violentia, per hoc tamen nequicquam diminueretur, quin potius augendum in ipsa esset meritum honestatis: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*. Optimè Chrysologus ait: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cælestis. Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere magis est, quam habere.*

Chrysol. ser. 143.

3 Apostolus, qui cœlesti luce illuminatus fuit: *Circumfulsit eum lux de cælo*; scribit, habitaculum seu sanctuarium Dei nihil aliud quam clarissimam quandam lucem esse: *Lucem inhabitat inaccessibilem*. Lux autem hæc, sive habitaculum istud, prouti in Discursu antecedente diximus, est sancta virgo Lucia, quæ *jucundum Deo in sua virginitate habitaculum præparavit*. Neque credendum est sententiam hanc sancti alicujus Doctoris de voti sui pronuntiatum esse, quo gloriam ejus hoc elogio magis magisque extolleret. Neque humana quædam inventio est dicere ipsam ipsiusmet Solis justitiæ habitaculum fuisse, quin potius anima quædam beata, quæ Deum facie ad faciem intuebatur, scilicet S. Agatha ipsimet S. Luciæ huic veritati testimonium perhibuit. Diodorus Siculus scribit, Arabiam felicem, ad invidiam usque aliarum mundi partium opulentissimas possidere gemmas, aves quoque producere pulcherrimas, flores denique odore & colore fragrantissimos germinare, hisque omnibus prærogativis vel ex illo solùm capite gaudere, quòd solem sibi viciniorem habeat: Eodem quoque modo nos de S. Lucia discurrere possumus, dicendo quòd adæquata ratio, cur ipsa supra quaslibet alias animas electas privilegiis, donis, gratiis & virtutibus adeo singularibus gaudeat, ea sola Solis æterni vicinia & proximatione procedat, utpotè qui *requievit in tabernaculo suo*. In Genesi legimus, lucem, mox ut creata fuit, in Solem fuisse repositam, veluti in vivam quandam luminis, lucis & radiorum scaturiginem: at verò hîc contrarium fieri reperimus; nam Sol æternus lucem in tabernaculum suum sibi vendicavit: *Jucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparasti*.

1. Tim. 6. v. 6.

4 *Quasi lux splendens*. Lux infinitam quandam cum tenebris antipathiam habet; via enim ipsa comparet, quin subitò illæ dispareant, & in fugam agantur. Spiritus sanctus peccata in pluribus Scripturæ locis tenebrarum nomine appellat, opera verò perfectionis & meriti vocat lucem; *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis*. Ideoque ipsa (quantum equidem humanæ fragilitatis sphæra sustinet) ab omni hujusce caliginis atomo exempta fuit, atque indè deduci potest, quam ipsa irreprehensibilis & immaculata extiterit: siquidem in vita sua coruscabat cum Angelis, & instar lucis splendescebat, quæ ne per umbram quidem tenebras admittit: *Coruscas cum Angelis*.

Rom. 13. v. 12.

5 *Quasi lux splendens*. Anaximander Philosophus, prout Plutarchus refert, in ea fuit opinione, quod videlicet lux & sol nihil aliud essent, quam ampla quædam fornax igne referta: cui consonare videtur quod in hymno quodam legimus: *Quarto die qui flammeam Solis rotam constituens*: hanc autem opinionem etsi saniori explicatione indigere existimem, nos tamen exindè nobis assumamus quod ad præsens nostrum conducit propositum, dicamusque, animatam hanc sanctæ Martyris nostræ lucem Æthnam quandam, seu vivam divini amoris fornacem esse, ac proindè hoc igne ipsum ignem elementarem mirum quantum vicisse & superasse, quem circa ipsam carnifices ex omni parte accenderant, adeò ut sine ullo ipsi illato nocumento suppressus & extinctus fuerit; *Benedico te Pater Domini mei Jesu Christi, quia per filium ignis extinctus est à latere meo*. Ideoque de ipsa dicere possumus quod de S. Apollonia dicit sancta mater Ecclesia: *Majori Spiritus sancti flamma intus accensa, siquidem tanto pondere fixit eam Spiritus sanctus, &c.*

De Placitis Phil. l. 2. c. 2.

6 *Quasi lux splendens*. Lux hac est proprietate prædita, quod tametsi loca immunda illuminet, suosque radios in hujus terræ sordes & immunditias emittat, non tamen ob hoc aliquam claritati suæ maculam inferat, ob quam proprietatem de hac sancta Virgine nostra quoque dicere possumus: *Quasi lux splendens*, ipsa namque apertè protestata fuit, quod tametsi ad infamem prostibuli locum produceretur, non tamen ob id puritas ejus aliquam contractura esset maculam. Undè celebris quidam nostri temporis Orator scribit, quod loca infamia ad Agnetum, Theodorarum, & Luciarum præsentiam in Sanctuaria quædam re ipsa convertantur: *Si invitam jusseris violari*, ait ipsa Paschasio, *castitas mihi duplicabitur ad coronam*.

7 *Quasi lux splendens*. Habet quoque lux hanc proprietatem, quod quando excessiva est, visum oculorum hebetet & offuscet. De hac quoque S. Luciæ luce dicere convenit, ipsam videlicet simili quadam fuisse qualitate præditam, utpotè quam oculis orbatam fuisse in ejus imaginibus hodie videmus. Quodnam, obsecro, in eo latet mysterium, quod sancta mater Ecclesia eam nobis oculis orbatam repræsentet, cùm tamen visum oculorum specialiter eidem commendet? Credo omnino ideo id factum esse, ut intelligamus veram lucem, quæ ab ipsa nobis postulanda est, non tam corporis, quàm animæ lucem esse; utpotè quæ majori cum solicitudine nobis curanda est. De S. Francisco Assisinate scriptum comperio, quòd continuò pro suis, ut ajebat, imperfectionibus & defectibus plorans, visum amittendi periculum non exiguum incurrerit, cumque à medico moneretur, ut ad periculum hoc evadendum à lachrymis sibi in futurum caveret & temperaret, respondit; *Non est, frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum; quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis acce-*

accepit: malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quàm Lachrymas (quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat) repressa devotione spiritus impedire. Lux illa lucis titulo denominari nequit, quæ tenebrarum culpæ in animabus nostris genitrix existit; & ideo nequaquam patrocinium S. Luciæ implorare necessum est, ut tantum ad hujus mundi bona conspicienda lumen nobis oculorum indulgeat; siquidem ipsa ad illa contuenda oculos non habuit, sed totaliter cæca fuit; *Odisti quæ in mundo sunt*. Facilè autem nobis subveniet, si illam ab ea lucem poposcerimus, quæ per harum visibilium rerum contemplationem confert & conducit ad consecutionem bonorum invisibilium & æternorum, ac proindè David dicebat: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*. S. Ambrosius super verbum aliquod S. Lucæ pulchram quandam habet observationem. S. Lucas enim scribit, quòd postquam

Lib. 1 in Lucam.

Salvator noster cæcum illum haud procul à Jerico subsistentem illuminavit, cæcus ille *confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum*. *Aliter enim non videret* subjungit sanctus ille Doctor, *nisi sequeretur Christum, nisi Dominum prædicaret, nisi sæculum præteriret*; quasi dicere vellet, visum hunc oculorum, qui cæco huic homini restitutus fuit; lucemque illam, quam donavit is, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quique de semetipso ait: *Ego sum lux mundi*, non tam in oculorum lumine, quam in interiori animæ lumine consistere, per quod quis se in Christi sequelam & imitationem, bonorumque omnium temporalium recipit contemptum. Theophylactus modum considerat, quem Christus in hac visus restitutione servavit; ipse namque cæco dixit: *Respice; & confestim vidit*. Undenam verò lux illa emicuit, quæ obtenebratos hosce oculos illuminavit? num fortè à Solis luce derivata fuit? aut ab illuminato & inclarescente aere? Nequaquam; sed *vox à vero lumine progressa lumen cæco facta est*; ac proindè videtur dicere me posse: *Vox à Lucia progressa lumen cæco fiat*. Quotquot ob scœna ac lubrica objecta intuentur, quæ illis vera sunt ad peccan-

Job. 31. 1.

dum incentiva, verè quoad animam cæci sunt. S. Job protestatus est olim dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Et ideò quoad similium objectorum aspectum meritò nobis hæc sancta Virgo imitanda est, quæ tametsi Lucis nomen in suo nomine fuerat, nihilominus tamen nec oculos, nec lucem

Marc. 8. 23

habet, qua illa aspiciat, quæ hic seducere aurem placare possunt. Num fortè ad modum illum vos reflexistis, quem incarnata Sapientia cæco *à nativitate* oculorum lumen impertiens servasse scribitur? oculos ejus saliva

Serm. 176.

adimplevit, iisdemque manus superimposuit, ac tandem an videret, ipsum interrogavit; ubi Chrysologus ait: *Dominico sputo vacuas reples oculorum lacunas; divino ore luciferam dat salivam*. Ejus etenim saliva nostræ similis non erat; cujus ratio est, quia ipse est qui dixit; *Ego sum lux mundi*; ideoque una cum sputo oculis inspersa, lucem pariter iisdem immisit. Quot quæso sunt, qui ob oculorum defectum, quo laborant, Sanctæ Luciæ patrocinio se commiserunt, votaque sua in ejus honorem ad aras suspendunt, & tamen non ideo subitò visum recipiunt? num fortè sancta Martyr nostra preces nostras surda aure auscultat? scitisne quid ad hoc respondere possit; *Divino ore luciferam dat salivam*; id est, spiritualem nobis lucem impetrat, quæ longè desiderabilior existit. Considerandum quoque est, quod Christus super impositis cæci hujus oculis manibus, eundem an videret, interrogarit. Circa quod Chrysologus ait: *Si humana esset virtus, utique etsi videret, manibus super oculis impositis videre non poterat*; at verò, subjungit idem Sanctus: *Manus Domini omnibus oculis clarior*

Marc. 8. v. 40. Jerem. 9 v. 21.

est. Manus illa Dei, *manus Domini tetigit me*; id est, visus infirmitate me affecit, quæ utpotè ad animarum nostrarum salutem ordinata majoris tibi æstimanda est, quam si Argus quidam esses. Nam *bonum tibi est luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis*. *Ascendit mors per fenestras nostras*. Petrus Abbas Claravallensis cùm in infirmitate unum oculorum suorum amisisset, dixit: *Unum de inimicis evasi & plus à residuo quam à perdito reformido*. Quod ipsum de B. Jordane Generali Ordinis S. Dominici legitur; hic enim uno oculo amisso & ipse dixit: O felix nuntium

L. 22. cont. Faustum c. 2.

jam unum inimicum minus solitum habeo: Verùm enimverò ex quo de fenestris mentionem facere cœpimus,

Mansi Prompt.

addendum esse censeo, quòd S. Augustinus carceres illorum, qui illis pro Dei amore inclusi ingemiscunt, cœli fenestras nominarit. Enimverò quod si cæcus aliquis, qui nullum unquam vidisset palatium, auditis palatii alicujus præconiis ad illud se perduci faceret, cumque illud oculis videre perhibeatur, illud ipsum manibus tangere vellet, ac tandem ad fenestras illius perveniens illas murorum aperturas inveniret, quid putatis cæcus ille dicturus esset? Verisimile est quod serpentem in modum suum esset instituturus sermonem; Vos quidem ædificium istud miris apud me laudibus extulistis, ego autem variis in locis magnas illius inveni aperturas atque hiatus, qui ædificiorum dehonestant elegantias. Hic autem talis viri error ab ejus utique cæcitate proveniret: hæ enim funebræ sunt, per quas lumen domum ingreditur, undè fabricæ elegans architectura, conclavia, statuæ, aulæa & tapetes, aliique palatii apparatus & picturæ conspicuæ omnibus redduntur; hæc enim omnia sine luce in obscuritate delitescerent abscondita. Eodem prorsus modo, mundus qui cæcus est, visum oculorum amisisse, & non videre, magnum damnum esse existimant, & tamen verissimum est, quòd si hæc cæcitas nostra ad majus animæ nostræ beneficium ordinetur, quantò magis fenestræ illæ clausæ sunt, tantò amplius vetæ lucis eò ingrediatur; anima namque hominis tribulati lumen Dei participat, id quod præ quovis alio debet desiderari; siquidem *manus Domini omnibus oculis clarior est*.

Causæ, ob quas sancta hæc Virgo Columna immobilis appellatur, declarantur,

DISCURSUS QUINTUS.

Columna est immobilis Lucia sponsa Christi.

1 QUantum sancta mater Ecclesia hanc Virginem, cujus hodie natalitium diem celebramus, æstimet, vel ex hoc solum arguere licet, quod eundem ei titulum attribuat, eum quo Spiritus sanctus aliàs ipsammet Ecclesiam honorare solet; vocat enim illam Ecclesiam stabilem & immobilem. *Ecclesia Dei vivi* 1. Ti. 3. 15 *columna, & firmamentum veritatis* vocatur ab Apostolo, de S. Lucia autem hodie sic canit Ecclesia; *Columna es immobilis Lucia sponsa Christi*. Enimverò nobilissimi hujus epitheti examinemus velim latentia mysteria. *Columna es*. B. Laurentius Justinianus in columna fidem agnoscit: *Est enim viva, fida & salutaris columna, deducens per desertum mundi hujus*; qui- Lib. de lig. vitæ de fide c. 3. bus verbis ad illam columnam alludit, quam Deus in deserto veluti ducem populo suo submisit, ut eum in terram promissionis perduceret. Fides homini Christiano in hac vita ducatum præstat, ut veram promissionis terram, quæ cœlum est, securè acquirere & possidere valeat. De nostra igitur sancta Martyre pariter dicere possumus: *Columna es*, eo quod, teste Sancta Agatha, vivacissima fide prædita fuerit, unde ei dixit: *Lucia virgo quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? nam & fides tua illi subvenit*. Porrò qualis, quamque viva fides ipsius fuerit, satis in eo demonstravit, quòd in hac vita omnibus se bonis exuerit, inter pauperes eadem dispensando, consilio Evangelico firmiter credens, nimirum: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*. Eandem quoque fidem in eo satis probavit, quod mortalem sponsum Osee 2. v. 20. repudiarit, ut Christo se despondere posset: *Sponsabo te mihi in fide*. In odio quoque eadem fides emicuit, quod erga universa bona terrena concepit, oculis & corde in bona invisibilia firmiter defixis; ita enim fides definitur: *Substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. *Odisti quæ in mundo sunt*, Catech. 3 ait ad eam S. Agatha. S. Cyrillus Hierosolymitanus de Cornelio centurione pro eo tempore tractans, quo ex divino instinctu S. Petrum in domum suam recepit, ut ab eo unà cum universa familia baptismi lavacro tingeretur: ita dicit: *Cornelius erat vir justus, & Angelorum visione dignus habitus*; cujus causa eadem prorsus est, quæ in nostro quoque casu militat, quia sancta hæc Virgo quicquid facultatum habebat, in eleemosynam erogavit; dumque ad sepulchrum Sanctæ Agathæ orationi insisteret, cœlestibus fuit visionibus honorata: *Angelorum visione digna fuit*. At verò idem

ille Sanctus subjungitur: *Cum tanquam columnam bellam in cælo, Deo suas orationes & eleemosynas constituisset.* Ecce tibi hujus columnæ iisdem trophæis, id est, orationibus, eleemosynis, aliisque aliis operibus & virtutibus heroicis illustratæ vivam effigiem.

2 *Columna es.* Quando Deus noster populum Israeliticum è servitute Pharaonica, maximè autem ab exercitu ejus, quem ad maris rubri litora petenda, ut stragem dicto populo inferret, coegit, liberare complacuit, dicit sacer textus:

Exo. 14. v. 24. *Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Ecquis est ita rudis, qui nesciat Paschasium præfectum longè fuisse in populum Christianum crudeliorem, quàm Pharao olim in Hebræum populum fuerit? Deus ante sacrilegum hunc mediante hac columna in proprii virginei sanguinis mari rubro submergi voluit: *Respiciens per columnam*, id est, per S. Luciæ præclara merita. Undè de ipsa canimus; *Sanguine proprio inimicum vicisti.* Eodem namque tempore, quo ipsa per sanguinis sui effusionem martyrium sustinuit, Pharao ille captus, vinctus, atque ad mortem condemnatus fuit. Ad hæc S. Virgo nostra Imperatoribus Ecclesiam persequentibus mortem, conquassatæ autem S. Petri naviculæ brevi ad futuram serenissimæ pacis tranquillitatem

Invitis Patr. l. 19. c. 17 n. 2. prædixit: *Prædicens Ecclesiæ tranquillitatem, quæ futura erat Diocletiano & Maximiano mortuis.* S. Hilarion quondam S. Antonium Magnum hoc ei attributo titulo salutavit: *Pax tibi columna lucis, quæ sustinet orbem terrarum.* An non vero elogium istud S. Luciæ pariter adaptari posse videtur, utpote quæ per orationes suas, martyriique sui constantiam, non solum mundum, sed etiam universam Ecclesiam, fidemque orthodoxam pro-

In vita S. Martin. pter truculentissimas Imperatorum illorum persecutiones vacillantem sustinuit; Idem quoque elogium S. Martinus in glorioso illo Episcopo fidei Catholicæ suo tempore invictissimo propugnaculo S. Hilario agnovit: *Qui ut Alcuinus refert, tunc temporis quasi firmissima fides columna extitit.* S. August. S. Petrum non quidem pro eo

Tract. 113. in Joa. tempore, quo Spiritus sanctus in linguis & flammis super eum venerat; sed pro præfrigore rigidus in atrio Caiphæ ad ignem appropinquabat, quando urgente timore

Act. Ap. 5. 29. magistrum suum trinies negavit, considerans ait: *Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit.* Verum quidem est quod paucis post diebus se in ejusdem Christi & fidei confessione solidam & immobilem esse columnam probaverit, quando publicè est protestatus: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus*; at verò sancta hæc Virgo nostra semper se tanquam invictam constantissimamque columnam exhibuit, undè de ea dicitur: *Tanto pondere fixit eam Spiritus sanctus, ut immobilis permaneret.* Ardentissima quoque charitate cor ejus æstuabat (*perfecta autem charitas foras mittit timorem*) prout satis evidenter ex generoso & intrepido, quem adversus Paschasium exhibuit, animo cognoscere licet. S. Paulus, qui Spiritus sancti sonora tuba fuit, se tres columnas auxiliatrices habuisse scribit: *Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui*

Gal. 1. 9. *videbantur columnæ esse dexteras dederunt mihi* S. Lucia autem in tam crudeli certamine & lucta, quæ ei cum tyranno intercedebat, neminem qui ei assisteret, habuit, præter quam Spiritum sanctum, qui per os ejus loquebatur, & tamen ex generosis responsis ejus satis evidenter deduci potest invictum animi ejus robur & constantia.

3 *Columna es.* Scriptor quidam ex modernioribus refert S. Paulum Apostolum urgente ipsum zelo salutis ani-

Navarrus l. 1. Schol. c. 11. n. 86. marum tunc paganarum ex Meliteosi insula se Rhegium Calabriæ transtulisse, ut indè Romam concederet; cùm verò in portu Rhegiensi appulisset, vidissetque ingentem populi ad ipsum videndum concurrentis multitudinem, rogavit illos ut se ad illos paulisper perorantem audire dignarentur, saltem pro modico illo tempore, quo parva quædam & modica candela, quam columnæ cuidam, cui naves alligare consueverant, imposuerat, arsura esset, cùm igitur ille admirabili cum eloquentia de fidei nostræ dogmatibus & veritatibus prædicaret; jamque candela consumpta esset, columna illa lapidea, cui candela imposita fuerat, instar facis cujusdam ardere cœpit; ex quo miraculo auditores pagani & idololatræ obstupefacti; atque ex Apostoli prædicatione convicti ad Christum conversi fuerunt, cujus rei testimonium Hymnus quidam perhibet, quem in illa Ecclesia canere solent, in quo ita dicitur:

Ave columna nobilis, electro & auro ditior.
Illaque Mosis ignea columna fortunatior.
Quod ore Paulus prædicat, te conflagrante.
Rhegium
Christi fidem complectitur, &c.

4 *Columna es.* Ita quoque S. Luciæ dicere possumus, non quod ipsa aliquando ab igne materiali exarserit, licèt tyrannus ignem circum ipsam accendi imperarit: *Circa ipsam pice, resina, ac ferventi oleo perfusam ignem accendi imperavit, sed ne flamma quidem eam læsit*; sed quia veluti columna illo igne, qui in die Pentecostes super cœnaculum Sioniticum descendit, illaque flamma, quæ in ipsa per totidem loquaces linguas, quot fuerunt divini illius incendii scintillæ, ardebat, conflagravit; undè multis Gentilibus data est occasio, ut victas Christianæ religioni manus darent; fidelibus autem, qui ob persecutionum barbariem vacillabant, ut in sua fide & religione conservarentur & stabilirentur.

5 *Columna es.* Columna patientiæ & fortitudinis In cap. 1.
symbolum quoddam est. Undè Dydimus in Catena Græca, quam super librum Job compilavit, ita de eodem scribit: *Ut character formaque fortitudinis tanquam* Apoc. 3. 12
in columna inscriptus est. In Apocalypsi quoque legimus: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Quæ verba ad duas illas columnas alludunt, quæ in templo Salomonis inter alia insignia positæ erant, quibus hic Regnum sapientissimus victorias & triumphos Davidis patris sui insculpi fecerat. S. Lucia pariter columna dici potest ob invictum animi robur & fortitudinem, quam in habito cum tyranno certamine, obtentaque adversus eundem victoria clarè satis liquet: *Sanguine proprio inimicum vicisti*; sicut etiam ob invictam illius patientiam: *In tua patientia possedisti animam tuam Lucia.* Accurate velim & sigillatim trutinetis ex una parte minas tyranni: carnificumque ac lictorum supplicia; ex altera verò parte reflectatis ad eam, quam in responsionibus suis præ se tulit, animositatem & sapientiam; necnon ad intrepidum & exultabundum, quem in suppliciis suis semper probavit, animum, & tunc haud dubiè fatebimini verba illa à Deo ad Jeremiam dicta ad ipsam ve- Jere. 1. 18.
rè & propriè referenda esse, nimirum: *Ego quippe dedi te hodie in columnam ferream, & in murum æneum, bellabunt adversus te, & non prævalebunt; quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.*

6 *Columna es.* Solemnis veterum mos erat, quo ea, Lib. 1. c. 3.
quæ posteritati ad perpetuam memoriam impressa esse Hist.
volebant, columnis insculpere; ac proindè Joseph Hebræus dicit, filios Seth posteris suis omnem disciplinarum eruditionem & instructionem duabus insculpsisse columnis, quarum una ænea erat, ut illæsa ab impetu servaretur aquarum, altera verò erat lateritia, ut à flammis immunis evaderet. Certum est autem divinam Sapientiam etiam in hac S. Luciæ columna mystica multa Ecclesiæ suæ relinquere voluisse salutaria monita, prout ex responsionum suarum mira sapientia facilè colligi potest, quarum hæ sunt præcipuæ, videlicet quòd servis Dei verba deesse non possint, cum in illis loquatur Spiritus sanctus: item quòd illata corpori suo violentia virginitatis flori necquicquam præjudicari possit. Denique quod animæ puræ & castæ templum quoddam sint Spiritus Sancti; & similes aliæ quamplures.

7 *Columna es.* Pierius Valerianus inquit: *Columnarum ratio fuit, ut cujus nominis dicatæ essent, gloria super* Lib. 49
cæteros mortales attollerentur. Quis autem enuntiare valeat, qualis, & quanta per hanc Christo consecratam columnam fidei & Ecclesiæ Christi gloria resultarit, dum ipsa adversus impium tyrannum adeo strenuè Christianam defendit religionem? Ulpianus *in oratione Demosthenis contra Leptinem* ait: *Columna lignum erat aut lapis quadratus, ubi inscripta erant præmia.* Olim namque præmia in medio theatri in columna quadam exponebantur, ut indè certantes tanto acrius exstimularentur ad pugnam, vel cursum. Sic quoque quot fuere tenellæ virgines, quæ directo in hanc columnam, & in gloriam; quæ ab ea & in terra & in cælo redundavit, oculo, suam pro Christo ultro citroque prodegerunt vitam, ad hoc ipsum ab egregio Luciæ & exemplo animatæ & æstimulatæ, cùm alias & ætatis & sexus conditione debilissimæ essent puellulæ?

8 *Columna es immobilis.* Sancta hæc Martyr nostra tunc præcipuè immobilis facta est, quando de ea ad prostibulum perducenda tractabatur. Ast scitisne causam cur tunc,

tunc, & non anteà, vel post? nimirum habebat Spiritum sanctum, cujus fructus est continentia & castitas; in illis autem, qui in puritate & castitate corporis vitam transigunt, hic Spiritus stabiliter perseverat; cujus contrarium illis accidit, qui voluptates sectantur carnis: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.*

DE SANCTO THOMA APOSTOLO

Discursus Sex.

Ex ethymologia nominis Thomas, quod idem significat quod abyssus, sapientia illa deducitur, qua mundum quoad Christi divinitatem erudivit.

DISCURSUS PRIMUS.

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Dydimus. Joan. cap. 20.

1 SAnctus Petrus Chrysologus nominum ethymologiam considerans ita scribit: *Sæpè nomina meritaindicant.* (Serm. 134.) Qua doctrina supposita facile nobis erit ad majorem hujus Apostoli gloriam admirabilem ejus deducere sapientiam.

(Matt. 11.] In Joan. 20) 2 Glossa ait: *Thomas abyssus vel geminus interpretatur, Græcè Dydimus.* Et quidem prima facie nonnemini videri posset, Hugonem Cardinalem gloriæ S. Thomæ in explicatione hujus nominis haud parum derogare; (In Capill. Jo.) siquidem ait: *geminus, quia dubius.* Idemque Albertus Magnus scribit, dum ait: *Dydimus, hoc est geminus, sive dubius*; veruntamen idem Cardinalis paulò post in ejus laudem subjungit, dicens: *Dubitando profundius novit, & firmius stetit.* Glossa quoque ita scribit: *Quò cæteris diutius dubitavit, eo altius veritatem resurrectionis agnovit.* Voluit enim increata illa Sapientia ut etiam hoc, quod est dubitare de resurrectione Christi, quod aliàs magnum innuit defectum, in majorem redundaret Apostoli gloriam & meritum.

3 Verum enimverò ut hunc Discursum nostrum ad ly *Abyssus* restringamus, certum est, quod ut ad profundum sapientiæ hujus abyssi pertingere valeamus, opus nobis sit cognoscere sapientiæ profunditatem alterius abyssi, id est, alterius cujusdam Thomæ; siquidem *abyssus abyssum invocat.* Salmeron de hoc nostro Apostolo tractans ait: (To. 11, tr. 17.) *Est autem abyssus Græcè aqua multa, cujus profunditas ab homine nequit comprehendi*, hæc igitur abyssus imperscrutabilem illam divini-

Mansi Prompt.

tatis Redemptoris nostri penetravit abyssum. Enimverò celebris est illa ab Ezechiele habita aquarum illarum visio, quæ è dextro templi latere egredientes meridiem versus decurrebant. In has aquas Ezechiel ductus (Ezech. 47.) fuit ad usque medias tibias: & postquam Angelus, qui dux illius erat, mille cubitos mensus fuisset, denuovo mensus est totidem alios, & confestim aqua ad renes usque pervenit: denique postquam iteratò easdem aquas mensus fuisset, in talem usque altitudinem excrevarunt, ut *intumuerint aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari.* Porrò per quam istam divinorum mysteriorum scientia, (*aqua sapientia*) necnon passionis Christi notitia intelligitur: (*De torrente in via bibet*) hunc autem torrentem transvadare, nihil est aliud, quam fundum hujus abyssi posse attingere, id quod alterius cujusdam abyssi, id est, Thomæ opus fuit; hic enim ad usque Christi divinitatem pertigit, atque insuper in transfixam & vulneratam ejusdem humanitatem penetravit; & ut paucia multa eloquar, solidissimæ nobis sublimiorisque Theologiæ notitiam, quam hactenus (Eccl. 16.) per tot retrò sæcula Ecclesia didicit, nobis communicavit. *Altitudinem cœli & latitudinem terræ, & profunditatem abyssi quis dimensus est?* Porrò per cœli altitudinem divina in Christo natura intelligitur, sicut natura humana per latitudinem terræ; denique per profundum abyssi infinita & immensa ejus misericordia intuitus; quia autem est, qui utramque dimensus fuit mensuram, nisi hic noster Apostolus? Christus ei dixit: *Vidisti me Thoma? Respondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus*: (Habac. 3. 10.) quo tempore adimpletum fuit illud Abacuc propheticum oraculum: *Dedit abyssus vocem suam*; necnon aliud illud Davidis effatum; *Abyssus abyssum invocat.* Id quod Salmeron declarat dicens: *Invocat abyssum divina mea misericordia, in voce cataractarum, id est, plagarum, quæ vocalissima sunt apud Deum ad impetrandum omnia.* Porrò sanctus noster Apostolus in hisce vulneribus mysteriorum divinitatis fundum alioquin inassequibilem penetravit, ac proindè vulnera & cicatrices Redemptoris non sine causa à Seraphico Doctore glorioso hoc appellantur nomine: *Omnis charitatis perfectio, omnis scientiæ plenitudo.* (Stim. div. amor p. 1. c. 2.) Sanctus Bonaventura quoque hujus nominis Thomas mysteria declarans idem scribit his verbis: *Et Thomam, qui interpretatur abyssus, per quod intelligitur profunditas eruditionis credendorum.* (In Luc. c. 6) Porrò ut hæc magnæ scientiæ ipsius abyssus melius intelligatur & penetretur; operæ pretium erit, si quendam Psalmistæ textum, qui habetur in Psalmo 32. optimè & maturè ponderaverimus (Psal. 32.) *Verbo Domini*, inquit Psalmista, *cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum; congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.* Circa quæ verba relicto sensu literali, mysticum nonnihil consideremus. Constat igitur in primis quod per cœlos Apostoli intelliguntur (*cœli enarrant gloriam Dei*) hi enim à Verbo æterno primò quidem electi, postea verò per communicationem spiritus ejus, qui est Spiritus sanctus in die Pentecostes infusus, in gratia stabiliti fuerunt & confirmati. Per mare autem mundus intelligitur. *Hoc mare magnum & spatiosum.* Per aquas denique populi intelliguntur: *Aquæ multæ populi multi*; hi autem Apostolorum prædicatione mediante, tametsi in varias terræ partes dispersi sint & diversi, in eadem tamen doctrina, fide, miraculis, & sacramentis, aliisque omnibus intimè inter se sunt conjuncti? *Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos*, quasi diceret per eruditionem Ecclesiæ suæ reposuit in thesauris suis abyssos, quod equidem valde est difficile intellectu, etenim si dixisset, quod thesauros suos, id est, auri vel argenti fodinas posuisset intra abyssos, verborum prædictorum intelligentia facilis utique esset, sed tunc ad propositum præsens nihil attineret. Enimverò pro meliori verborum illorum intellectu dici posse existimo, quod Pater æternus duos præcipuè thesauros inæstimabiles in filio suo reposuerit, quorum primus est ille, de quo Apostolus ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, (Coloss. 2. 3.) alter verò thesaurus vulnera ejus fuerunt, quæ sunt velut ærarium quoddam, è quo infinitum humanæ redemptionis pretium depromptum fuit. Sanctus Bonaventura de aperto Christi latere ita (De Trin. et a Lib. 10. in Luc.) scribit: *Ecce apertus est thesaurus divinæ sapientiæ & claritatis æternæ.* Sanctus Ambrosius eadem vulne-

ra hoc nomine condecorat: *Pretia nostra libertatis*. Habuit quoque Christus duos abyssos, id est, duos Thomas, ab ipso præ cunctis aliis vehementer dilectos, nimirum Apostolum hunc nostrum, & sanctum Thomam Aquinatem; ex quibus hunc primo thesauro locupletavit, cujus rei tot ab ipso conscripti libri Theologici evidens perhibent testimonium, quibuscum sanctam Dei Ecclesiam illuminavit: *Bene scripsisti de me Thoma*: alia verò abyssus, id est, alter Thomas Apostolus, non solum ad secundum thesaurum admissus fuit: *Vide manus meas, affer manum tuam*, verum insuper ex illarum beatarum cicatricum contactu ex illo Crucifixi multo plus didicit & profecit, quam unquam didicerit exinde Doctor Seraphicus.

Apoc. 5. 9. 4 In Apocalypsi scribitur: *Dignus es aperire librum & solvere signacula ejus*. Hic autem liber huic Apostolo nostro patefactus fuit, eique in vulneribus istis cœlestium penetralium secreta revelata fuerunt; unde eadem nobis quoque manifesta reddidit, siquidem in verbis illis, quæ post lectum hunc librum ore suo pronuntiavit, tantum edixit, ut alius quidam sanctus Thomas de Villa-Nova audacter scribat: *Quicquid*
In Oct. Pasch. *fides habet, brevi elogio comprehendit*. Sanctus Thomas Doctor Angelicus, tot quidem ad Ecclesiam erudiendam libros conscripsit, ut ad illos omnes accuratè & attentè pervolvendos vix unius hominis ætas sufficiat; at verò sanctus Thomas Apostolus in pauculis illis verbis longè amplius edixit, quam in omnium Ecclesiæ Doctorum Theologicis volumini-
In cap. 3. Marci. bus concludi possit. Unde Hugo Cardinalis ait: *Thomas abyssus profunda intelligens*. Idemmet paulò ante citatus Archiepiscopus Valentinus ait: *Si mille codices*
Serm. 13. in Cant. *ederet non ita Ecclesiæ profuisset*. Sanctus Bernardus de illis agens, qui ad sublimissimorum & imperscrutabilium secretorum increatæ illius sapientiæ admissi fuerunt, dicit: *Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt assecuti; quis nostrum digne distinguere sufficiat has varietates meritorum, vel potius præmiorum?*

5 Non est mihi dubium, quin S. Thomas in aperto illo Redemptoris latere valde sublimiter edoctus fuerit; unde Surius de profunda ipsius sapientia tractans dicit: *Habebat in se Christum Magistrum*: enimverò ex quo de S. Joanne facta est mentio, de quo Ecclesia canit: *Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit*, quis est, qui nesciat librum illud tunc nondum apertum fuisse, Thomæ autem liber hic apertus exhibitus fuit, atque ideò S. Thomas S. Joanni in sapientia & scientia, mysteriorumque Divinitatis intelligentia, nec quicquam cedit. Unde idem S. Thomas de Villa Nova ita scribit: *Felix manus, quæ Dominici pectoris secreta rimavit quas divitias non intus invenit? Ab illo pectore arcana cælestia Joannes hauserat dormiendo in illo, Thomas grandes thesauros reperit scrutando grandis illa schola quæ tales discipulos facit. Inde alter super astra volans mira de divinitate dictat cum ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, tandem verò ad nostrum Apostolum perveniens dicit: *Alter radio veritatis tactus sublimiter exclamat: Dominus meus, & Deus meus; major incrudelitate confessio, altius sonare non potuit*. Ex quibusnam libris sanctus Paulus Apostolus, qui Gentium Doctor fuit, quique in æternæ sapientiæ scholam raptus, *audivit arcana verba*, adeo sublimem Theologiam, quam in Epistolis suis descripsisse noscitur, edidicit?
1. Cor. 2. audite ipsummet id exponentem hisce verbis: *Nihil me scire arbitratus sum apud vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Quis igitur non videt Sanctum Thomam, præ omnibus aliis Apostolis ex hoc libro melius & profundius studuisse, doctioremque evasisse, prout ex Evangelio in hodierno festo nobis prælecto clarè deducitur. Sanctus Thomas de Aquino mysterium hujus nominis Thomas, quo hic noster Apostolus insignitus fuit, interpretans ita dicit: *Thoma*
In cap. 20. Joan. *abyssus quia altitudinem Divinitatis certa fide penetravit*. Thophylactus quoque scribit: *Vide quomodo is qui prius incredulus tactu lateris verbum optimum indicavit*, nimirum quando dixit: *Dominus meus & Deus meus: Duas enim naturas & unum hypostasim unius Christi docuit, dicendo enim Dominum, humanam indicat naturam; nam de hominibus dicitur Dominus*, adducitque Magdalenæ exemplum, quæ Christo, quem hortulanum esse existimabat, dixit: *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi; dicendo autem Deus meus, divinam substantiam ostendit*.

S. Thomæ fidelitas & fervor, quo se mortalibus pro Christo periculis exposuit, consideratur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Dicit ergo Thomas, qui dicitur Dydimus ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Joan. c. 11. v. 16.

1 VIdetur omninò, quod in Evangelio hodie de S. Thoma lecto, quod potius commissus per incredulitatem Apostoli nostri error & defectus memorentur, quam quod aliquid, quod in ejus gloriam cedat, adducatur in medium, ac proinde non inopportune facere, aut extra propositi orbitam salire censebor, si propositi thematis verba, in quibus ejus erga Magistrum suum fervor & fidelitas elucescit, arctius nonnihil ponderavero. Christus igitur ut Lazarum à mortuis in vitam revocaret in Judæam denuò redire decreverat, dumque huic se deliberationi Apostoli opponerent dicendo: *Rabbi nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Sanctus Thomas ad condiscipulos conversus Christum in concepta resolutione persistere videns, ait: *Eamus & nos & moriamur cum eo: Ad condiscipulos minus alacres se convertit* (inquit Cornelius Jansenus) eosque ad consectandum Magistrum suum animare & exstimulare etiam cum vitæ periculo voluit, *& moriamur cum eo*. Surius hanc Apostoli nostri constantiam tanquam valde memorabilem multum commendat dicens: *Thomas prompte & alacriter solvens Apostolis molestiam, eamus & nos, inquit, & moriamur cum ipso; est enim quævis vita melior, quæ cum Domino accipitur, occisio*. Enimverò tametsi Spiritum sanctum nondum accepisset, qui timoris glaciem ab ipsorum cordibus dissolverat, nihilominus etiam tunc mortem, quæ homini in Christi, qui vera vita est, societate accidit desiderabiliorem æstimabat vita longa & prospera. *Atque hæc quidem*, inquit Surius, *sic se habebant, & Apostolorum animos detinebat admiratio, cogitantes condiscipuli audaciam ad mortem subeundam*, mortem enim hoc titulo appellabant, siquidem ante receptum Spiritum sanctum, *non percipiebant ea, quæ sunt spiritus*.

2. Porrò si hunc Apostolum servi Christi nomine appellare voluerimus, ipsum fidelem verè servum fuisse comperiemus: *Fidelis servus & prudens* Imò ipsemet Redemptor noster Apostolis suis dixit: *Jam non dicam vos servos sed amicos*, & ideo si ipsum amicum appellare voluerimus, ipsum deprehendemus amicum fuisse per omnia fidelissimum, quia dum condiscipulis suis ait: *Eamus & nos, & moriamur cum eo*, dicere voluisse videtur, prouti Dionysius Carthusianus observat: *Fideliter Magistro nostro adhæreamus ad mortem*. Vel ut Doctor Angelicus ait: dicere voluit, *Ire vult, periculum mortis ei imminet, nunquid & nos remanebimus, ut vivamus? absit sed eamus, & moriamur cum eo*. Præ cunctis aliis verum se amicum fuisse probavit, tunc enim quis bonus amicus esse censetur quando nulla quantumvis maxima pericula metuit, sed ut amicum defendat ipsimet etiam se morti exponit: Lucas Burgensis scribit, quod Tom. 4 in Evang.
ex quo sanctus Thomas pertinax & irreconciliabile odium Judæorum adversus Christum compertum habebat, videbatur sibi se neutiquam dubitare posse, quin Redemptor noster in Judæam concedendo, manifestum adiret mortis periculum, seque pariter cum aliis discipulis eidem periculo implicandos esse: *Sed non est æquum*, ita Salvatorem nostrum loquentem introducit, *ut ideo deseramus charissimum Dominum, cui debemus & nos & vitam nostram; præstat nobis ut cum illo moriamur, quam ut sine illo vivamus*. Idem quoque notat hanc ad condiscipulos ab hoc Apostolo-

loba-

lo habitar exhortationem, bonæ cujusdam & solidæ amicitiæ fuisse indicium, *fuit viri fortis & synceri amici Viri fortis*, siquidem pectus sibi generosum nullo mortis metu perculsum inesse probavit; *Magni erroris, impavidique animi*, inquit Cajetanus, *verba sunt hæc Thomæ adhortantis alios discipulos; non ite, sed eamus cum Jesu, & cum ipso Jesu simul moriamur, simul lapidemur, simul occidamur*. De eadem quoque constantia Cornelius Jansenius ita scribit, *Verba sunt erga viri constantis* juxta Bedam & Rupertum, quibus addit Thomam Aquinatem Doctorem Angelicum, dicentem: *Thomas præ omnibus socios hortatur, ut irent & morerentur cum eo, in quo magna ejus videtur esse constantia*. Cardinalis Toletus ait: *Verba sunt dilectionis erga Christum, & fortitudinis; Dilectionis quidem, quia sine Christo vitam contemnebat propriam, Fortitudinis, quia a periculo,*

Ser. 4. de S. Thoma.

quod animo conceperat, non recordabatur, quo minus sequeretur Magistrum. In eodem quoque sensu Dionysius Carthusianus scribit: *In quibus verbis dilectionis Thomæ ad Salvatorem, & fortitudo animi ejus patescunt.*

3 Salvator noster universo collegio Apostolico in celebri illo in ultima cœna habito sermone dixit: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*. Hoc autem amore se S. Thomas

Joan. 13. 3.

præ quovis alio ardere probavit, siquidem omnem à corde suo metum & formidinem profligavit, ut Christum Magistrum imperterrito animo sequeretur, tametsi etiam in mortem sibi abeundum esset, in hoc siquidem perfectio charitatis suæ præcipuè eluxit, quod nec quicquam fuerit meticulosus. *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Porrò eximius ille hujus Apostoli fervor magna quidem apud sacros expositores in æstimatione fuit, sed in longè majori habitus est consideratione penes cœlestem ejus Magistrum. Glossa interlinearis super illa verba: *Eamus & nos & moriamur cum eo*, ita scribit; *Ecce verus amantium affectus, vel cum eo vivere, vel cum eo mori*. Lucas Burgensis ita scribit, *Nonne Paraphrasis est, eamus quo vir ille amabilis it, ut cum eo in dilectione moriamur uno communi interitu*. Alius quidam interpres antiquus super illa verba; *Paratus erat una cum Christo de vita periclitari, & quo amore in suum præceptorem ferveret, subindicat, & hic sese exserunt amoris officia*; Id quod paulò post amplius declarat, hanc reddens illius rationem: *Hominis est de prosperitate sui amici gaudere & de adversitate tristari, nec eum in extremis periculis relinquere.*

Joan. 4. 8.

Io Arborens.

4 Porrò trita est illa Chrysologi sententia dicentis: *Amor impenetrabilis lorica est, jacula respuit, mortem videt, periculis insultat*. Hujusmodi lorica Sanctus Thomas utique communitus fuit, quando se ad Christum in mortem usque consectandum adeo generoso & intrepido animo resolvit. Unicum duntaxat dubium circa illa verba: *Jacula respuit*, moveri posset; siquidem in lectionibus matutinalibus de ipso legimus. *Telis confossus Apostolatus honorem Martyrii corona decoravit*; Prouti & in ejus vita legitur. Cum enim die quadam in spelunca ante quandam ab ipsomet in petra quadam incisam crucem orationi insisteret, à totidem famelicis lupis, quot Christianæ religionis persecutores erant, invasus fuit, quidem ipsum fustibus & lapidibus crudelissime impeterent, unus illorum pectus ejus lancea acutissima transfodit, atque ideo quomodo de ipso salva veritate dici poterit, eum impenetrabili quadam lorica fuisse armatum, qui ea unico hoc ictu mortuus fuit, cui objectioni facillimè respondetur, ictum illum corpus quidem lethaliter, nequaquam verò animam vulnerasse, imò hanc tunc vel maximè æternam sibi vitam acquisivisse; *Mortem risit*.

5 Vetus est parœmia, quam proinde sæpius haud dubiè audiveritis, quod videlicet *Amor pares facit, aut invenit*. Thomas manus suas lateri aliisque Christi vulneribus immisit, & ideo veluti ardentissimo erga Dominum suum amore flagrans, eidem in morte conformis esse desideravit, quod & obtinuit, nam latus quoque ipsius ictu seu cuspide lanceæ cujusdam perforatum fuit. Et quidem verisimile est hanc amoris ejus flammam tunc magis exarsisse, postquam vidit quod Salvator, ut ipsum ab incredulitate sua sanaret in glorioso corpore suo vulnerum cicatrices servaverit, & quidem vel maximè postquam illum tanta eum clementia & benignitate recepit. S. Bonaventura Christi vulnera flammas appellat charitatis? *Inflammatio charitatis*; Porrò de amore, qui corda nostra inflammat superius diximus, quod *periculis insultet*, in quot verò pericula sanctus hic Apostolus regionibus illis incultissimis maximeque barbaria sese immerserit, quis est, qui non videat? *Beatissimus Thomas* (inquit Dionysius Carthusianus) *Apostolus mortificavit seipsum*; cum enim secundum inferiorem hominem ad loca adeo remota, ad ignotum prorsus clima, & inhumanissimum sævumque populum adeundum maximopere horreret, semetipsum tamen vicit & mortificavit, ad ostendendum se cœlestem magistrum suum revera diligere, cum charitatis proprium sit commoda & satisfactiones proprias nequaquam, sed potius bonum aliorum quærere & prosequi. *Charitas non quærit, quæ sua sunt*; subjungit paulo post idem Dionysius, *non sibimet vixit, sed innumerabiles pro Deo persecutiones patientissimè tulit infatigabiliter laboravit*. Hæc quoque ferventi charitate se etiam in hoc puncto exarsisse probavit, quia enim *charitas patiens est*, ideo omnia adversa *patientissimè tulit*, imo, & infatigabiliter, quia indefesse laboravit, nam ut S. Augustinus scribit: *Qui amat, non laborat, solus amor est, qui nomen difficultatis erubescit*.

Mansi Prompt.

S. p. stim. c. 6.

Serm. 6.

Ser. 46 de temp.

6 Verum enimverò sanctus Bonaventura supra hæc verba, egregiam quandam in medium adsert mortalitatem, illis qui perfectionis viam ingredi volunt, summè utilem: *Figurantur duo*, inquit, *quæ debent esse in viris perfectis, quorum primum est de virtute in virtutem ire*: adducitque illud sancti Augustini testimonium dicentis: *Imus in Deum non ambulando, sed amando*, adeoque tantò plus in sequelam Christi nos recipiemus, ejusque sectabimur vestigia, quantò ardentius illum amaverimus, eumque haud dubiè assequemur, licèt etiam passibus nos gyganteis præcurreret. *Secundum necessarium est*, inquit idem Sanctus, *concupiscentiarum mortificatio*: *Moriamur cum eo, fortis enim ut mors dilectio scilicet divina, quia sicut mors interimit corpus, sic ab amore rerum corporalium charitas occiditur*, ut ait Gregorius. Enimverò ut ambos hosce fines assequamur, eo nos oculos nostros dirigamus; ubi S. Thomas manus suas reposuit, id est, in vulnera Redemptoris, ibi namque veræ mortificationis inveniemus myrrham, veræque charitatis & amoris Divini validum ignem: *In vulneribus Salvatoris est perfectio virtutum*, inquit S. Augustinus.

Nonnulla considerantur motiva, ob quæ Ecclesia in hujus Apostoli laudem tali Evangelio hodie utitur, in quo de ejus incredulitate fit mentio.

DISCURSUS TERTIUS.

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Joan. Cap. 20.

1 QUisnam est ille adeò insolitus modus, quem sancta Dei Ecclesia S. Thomæ Apostoli festum celebrando tenet, tale proponendo Evangelium, in quo expressa fit in diversos turpes errores lapsum mentio, tangitur enim in hoc Evangelio lapsus ejus in incredulitatem Resurrectionis, in ignorantiæ obstinationem, in præsumptionem, qua sibi manus suas in latus aliaque Christi vulnera immittendi arrogavit facultatem, in contumaciam octo solidis diebus continuatam, nec non in sui à cæteris Apostolis segregationem, in quibus omnibus prima facile nil aliud præterquam meri defectus sese prodere videntur: Nunquid igitur convenientius in die ipsius illud legeretur Evangelium in quo, ut discursu præcedenti diximus, Sanctus Thomas Apostolus ad consectandum Christum & moriendum cum ipso, si opus foret, exstimulasse legitur? Aut verò illud Evangelium assumi potuisset, in quo ipse simul cum aliis ad Apostolatum electus fuisse refertur. Pro hujus difficultatis resolutione sciendum est, Ecclesiam à Spiritu sancto illu-

ſtratam & directam, in Feſtis Sanctorum, quæ per anni circulum celebrantur, non ſolum Sanctorum laudem, verum etiam cunctorum fidelium utilitatem & profectum intendere; unde benè Sanctus Bernardus quærit:

Serm. in feſt. omn. Sanct.

Ad quid Sanctis laus noſtra, qui bonorum noſtrorum non egent? Sciendum eſt inſuper, quod juſti plus Dei gloriam, quam ſuam propriam diligant & proſequantur: Et ideo defectus, errores, & tranſgreſſiones ſuas toti mundo manifeſtari gaudent, ſciunt enim, quod inde Divina erga ipſos miſericordia magis eluceat, utpotè quæ ipſos ad veram reſipiſcentiam unicè perduxit; hoc etiam modo ſe erga benefactorem ſummum, optimum, & maximum gratos exhibent, ſi proprias ſuas culpas & errores humiliter agnoſcant, ſic Paulus Apoſtolus dicebat; *Eccleſiam Dei perſecutus ſum:* Sanctus Matthæus in proprio Evangelio ſe appellavit publicanum, Sanctus Auguſtinus quoque errores ſuos in confeſſionibus ſuis unicuique hominum ingenuè manifeſtos reddidit; Denique ſacra Scriptura multorum Patriarcharum, aliorumque inſignium Sanctorum peccata palam recenſet, v. g. ebrietatem Noe, inceſtum Loth, Aaronis idololatriam, Davidis adulterium, ſanctæ Mariæ Magdalenæ laſciviam, Petri negationem, & ſic de cæteris, cur igitur incredulitas ſancti Thomæ ſubticeri debuiſſet? Enimverò Spiritus ſanctus hoſce errores non adeò recenſet, ut ad Deum offendendum animum addat; ſed ne ullus hominum poſt lapſum de divina miſericordia deſperet. Celebris eſt illa Sancti Auguſtini ſententia: *Melius judicavit de malis benefacere quam mala nulla eſſe permittere*;

In Enchirid. cap. 27.

Et quidem cœleſtis hæc ſapientia in præſenti caſu noſtro quam maximè, & ad ſtuporem eluceſcit, quando Deus ab hujus Apoſtoli incredulitate immenſa bona elicere novit. Quis enim dubitat, quin divinus ille Atlas, qui tribus digitis mundum ſuſtinet univerſum, cui David dicit: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Apoſtolum hunc ſuſtinere potuerit, quo minus caderet? Veruntamen

Serm. 9. in Pſal. Qui habitat

ſapientiſſimo conſilio ſuo melius judicavit de malis benè facere. Sanctus Paulus ait; *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quæ verba Sanctus Bernardus ponderans, ſubdit: *Super manum Domini cadit, & mire quodam modo etiam ipſum ei peccatum in juſtitiam cooperatur. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: nonne bonus ille caſus in bonum, unde & humiliores efficimur & cautiores?* Hæc incredulitas ſanctum Thomam de Reſurrectione Domini, quam non credebat, non ſolùm certum atque ſecurum reddidit, verum etiam eundem hujus, (ſi humanam conſulamus ratiocinationem,) tam ad credendum difficilis articuli, acerrimum reddidit defenſorem; Imò ipſe eſt, qui hunc articulum: *Tertia die reſurrexit à mortuis,* Apoſtolico ſymbolo

Ser. 115 de temp.

adjunxit, ut advertit ſanctus Auguſtinus: Ipſe quoque per verba ore ſuo prolata fidem noſtram adeò ſtabilivit, ut Eccleſia nos hodie in oratione, quæ in ejus honorem legitur, ad ejus fidem conſectandam ſeriò invitet: *Ejus fidem congrua devotione ſectemur.* Unde optimè Haymo Halberſtadienſis Epiſcopus ait: *Plus nobis profuit dubitatio Thomæ, quam certiſſima fides Mariæ,* dicere enim potuit idipſum, quod S. Joannes ſcribit; *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod*

1. Joan. 1.

perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt, teſtamur.

2 Porrò bonitas & miſericordia Dei in nulla occaſione magis eluceſcit, quam dum vel unicam duntaxat animam ad reſipiſcentiam perducit, prout fit in caſu præſenti; Et ideo licèt certum ſit, quod alioquin cicatrices & vulnera corpori alicui glorioſo, impaſſibili, & immortali magnam concilient deformitatem & imperfectionem, benigniſſimus tamen Redemptor noſter pectus ſuum vulneratum, nec non perforatas manus & pedes ſibi retinere voluit, ut vel

In Cat. D. Th.

unicam errabundam oviculam, S. Thomam videlicet, ad ovile ſuum reduceret: *Conſidera Dominatoris clementiam* (inquit Chryſoſtomus,) *qualiter & pro una anima oſtendit ſeipſum vulnera habentem, & accedit ut ſalvet unum.* Ad eundem quoque ſenſum Emiſſenus ſcribit Chriſtum hoc ſolum fine vulnera prædicta in ſuo glorioſo corpore aperta retinere voluiſſe:

Ser. 32. de verb. Dom.

Quia per hæc ejus diſcipulum ſanare, & ejus mentis vulnera curare diſponebat. Et ideo ſanctus Auguſtinus Redemptorem noſtrum hoc modo Apoſtolum hunc alloquentem introducit: *Occiſus ſum propter te, per locum, quem vis tangere, ſanguinem fudi ut redimerem te.* Ardentiſſimum igitur amorem ſuum demonſtrare voluit, quo vel in unicam duntaxat ferebatur animam, ut eandem in ſecurum ſalutis æ ſtatum reponeret, quaſi dicere vellet, quod, ſi id neceſſitas expoſceret, paratum eſſem pro ſecuritate ſalutis tuæ adhoc, ut latus meum de novo perforaretur lancea, manuſque & pedes iteratò clavis perforarentur. Idemmet Auguſtinus optimè ponderat exclamationem iſtam: *Dominus meus, Deus meus,* ab Apoſtolo Thoma factam fuiſſe, poſtquam vivos illos pietatis & miſericordiæ fontes ſpectaſſet & tetigiſſet;

Ser. 159. de temp.

Modo eſt Dominus & Deus tuus, quia voluit, ut videres, ne incredulitate animam perderes. Juſtum quidem eſſe videbatur, & æquum, quod Magiſter diſcipulo legem præſcriberet, non vero diſcipulus Magiſtro, & tamen Thomas Filio Dei modum præſcribere non dubitavit, quem obſervaret, ut eum credere faceret: *Niſi videro, niſi mittam manum meam* & tamen benigniſſimus Salvator ſe ei, quod diſcipulum prætendere noverat, ultrò citroque & ſponte propria ſubmiſit: *Venit Jeſus, & dicit Thomæ; Infer &c.* pactiſque & conditionibus ſibi à diſcipulo ſuo propoſitis per immenſam benignitatem ſuam libens condeſcendit. Granatenſis in ſermone quodam de hoc feſto, in perſona Salvatoris noſtri loquens ait: *Æquum erat, ut tu quidem Thoma voluntati meæ annueres; non ego tuæ, hoc eſt, ut tot reſurrectionis meæ teſtibus crederes, ſed quoniam eo res deducta eſt, ut nolit ſervus, quod præcipit Dominus, velit Dominus, quod exigit ſervus.* Ubinam inveniri poterit, qui ab inimico ſuo graviter offenſus & contumeliatus, primus tamen ſit, qui ſe ad reconciliationem cum illo ineundam offerat, eumque deprecetur & roget, promptumque ſe exhibeat ad condeſcendendum in omnes ejus, quantumvis indiſcretas prætenſiones? Equeſtris certè nobilitatis politia ſimiles tractatus nequaquam admittit; at verò Deus noſter, qui *expectat, ut miſereatur noſtri,* cùm ab hoc Apoſtolo & in puncto aliquo valdè notabili, qualis erat fides Reſurrectionis ſuæ offenſus eſſet, atque incredulitate ſua quoad hoc punctum integro octiduo contumax permanſiſſet, primus fuit cui eum ſtudiosè inquiſivit, reconciliationem obtulit, annuntiavit pacem, eumque ſumma cum benignitate & amore recepit, omnes ei ſatisfactione indulgendo, quas prætendit. Theophylactus ait: *Vide autem quomodo propter unum hominem Thomam non dignatus eſt, ita condeſcendere Dominus, & latus oſtendere, ut ſalvet animam unam.* Lucas Burgenſis quoque in hoc facto conſideravit, quantoperè ſe Deus etiam unius

To. 4 in c. 20. Joan.

tantum animæ zelatorem oſtenderit: *Dicit Thomæ, dans ei intelligendum ſe ejus præcipuè cauſa veniſſe, ne vel unius ex ſuis ſalutem negligeret.* Nimirum docere nos voluit Dominus, quòd quando de animarum ſalute agitur, nequaquam inſiſtendum ſit nugaci punctualitati humanæ reputationis, vel reſpectuum humanorum, quin potius quantumvis ab adverſario noſtro offenſi fuerimus, eidem tamen omnis offerenda eſt benevolentia & reconciliatio, ut ipſum Deo lucremur. Etenim hic ſupremæ Majeſtatis Dominus poſt Reſurrectionem ſuam impaſſibilis & glorioſus exiſtens, licèt paulò antè ab omnibus Apoſtolis turpiter derelictus fuerit, quando *relicto eo omnes fugerunt,* licèt etiam hic noſter Apoſtolus ſe in abnuenda fide Reſurrectionis ejus obſtinatum & contumacem exhibuiſſet, ſibi tamen ut ſupremo honori nequaquam probroſum eſſe indicavit, ſi eidem primus occurreret, & reconciliationis gratiam offerret, indulgeretque illi, licèt obſtinatè incredulo quicquid ab eo poſtularet; Et quo putas fine id facit. *Ut ſalvet unum.* Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Diſcant Prælati, quam commiſſis ovibus ſolicitudinem exhibeant, ſi pro una ſola Dominus apparuit; omnis ſolicitudo, omnis labor unius animæ negotio minor eſt.*

3 Ab hoc quoque hujus Apoſtoli lapſu magnum bonum in Eccleſiam redundavit; ſiquidem hic Apoſtolus in Divino ſervitio longè ferventior ſurrexit. Unde Sanctus Ambroſius ait:

In Apologia David. c. 2.

Sancti ſicubi forte ut homines corruerint naturæ magis fragilitate, quam peccandi

libi-

libidine alacriores ad currendum resurgunt ; pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse. Enimverò, postquam hic Apostolus Evangelii sementem in Judæa dispersisses, in Orientem se recepit, ubi tres illos invenis Magos Reges, qui Christo infanti quondam in Bethlehemitico tugurio fidei homagium præstiterant, quos à se baptizatos suos sibi adscivit in prædicatione collegas & socios, Christianæque religionis lumine Persas, Medos, Parthos, & Hircanos illustravit, quibus Martyrologium Romanum adjungis Brachmanes : In Æthiopiam quoque penetravit, maximeque in Septentrione semotas Indias ; ac proinde omnquid vobis in ipso adimpletum fuisse videtur, quod Chrysologus quoque scribit : *Apud cœlestem Patrem filius surgit plus de venia, quam corruit de reatu* ? Cajetanus ait, *Thomas prioris incredulitatis culpam magnitudine professionis pensavit* ; imo addendum puto, quòd eandem quoque culpam compensarit, *multitudine gentium ab ipso conversarum*, nam ut Dionysius Carthusianus ait, innumerabiles animæ ab ipso ad veræ fidei agnitionem perductæ fuerunt sanctus Gregorius quoque ad propositum nostrum scribit : *Ecce fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia*. Sanctus Thomas Doctor Angelicus hanc inter electos & reprobos quando cadunt, notat differentiam : *Apparet signum Divinæ pietatis, quod electis suis in casu cito subvenit, licèt cadant, cadunt enim electi aliquando, sicut & reprobi, sed differenter, quia reprobi franguntur, electis verò cito Deus supponit manum suam, ut resurgant*. Psalm. 26. *Cum ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* ; Item : *Si dicebam, motus est pes meus, Domine misericordia tua adjuvabat me*. Hanc quoque utilitatem Deus noster ex hujus Apostoli lapsu elicuit, quòd per hunc nos in pedibus erectos sustineat, timorem quendam & formidinem cordibus nostris imprimendo, quia si quidam ex Christi schola discipulus cecidit, quis se securum esse existimabit ? Transgressiones Sanctorum toti mundo manifestæ fiunt, ut nemo aliorum hominum in statu suo, quantumvis is summæ sit perfectionis & sanctitatis, securus existat, quia ex Collegio Apostolico, adeoque electo & modico numero Judas irreparabiliter cecidit, Petrus Christum negavit, Thomas in ipsum incredulus fuit. Evangelium proinde est velut quædam mappa mundi, quam ad securè navigandum Nauclerus inspicit, in quo deteguntur syrtes, scopuli, arenarum colliculi, ut inde discant imminentia evitare naufragia, qualia etiam expertissimi navarchæ fuere perpessi. Sanctus Ambrosius ait : *Error Petri doctrina justorum est, titubatio Petri omnium petra est*. Monet quoque sanctus Augustinus : *Non cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi ; attende, ne cadas, non sit delectatio minorum casus majorum, sed sit casus majorum tremor minorum*. Ad hæc sanctus Thomas lapsu suo singulare superioribus præbet documentum, ut videlicet subditorum suorum compatiantur defectibus & erroribus, quia mirum non est, si stellæ errantes Eclypseos patiantur deliquium, quando etiam stellæ firmamenti fixæ è cœlo decidunt. S. Thomas optime illam ponderat circumstantiam, quam sanctus notavit Evangelista, dum ait : *Non erat cum eis, quando venit Jesus, & sic amisit solatium Dominicæ visionis, pacis eulogium, & sancti Spiritus afflatum, instruimur autem per hoc à societate separari non debere*.

Serm 3. — In c. 20. Jo. — 3. p. Pastor. adm. 29. — In Joan. — Lib. 10 in Luc. c. 22. — In Ps. 30.

S. Thomas quoad suam incredulitatem defenditur.

DISCURSUS QUARTUS.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Joan. Cap. 20.

1 SAnctus Augustinus instantiam, qua sanctus Thomas, ut se de facta Resurrectione Domini certiorem redderet, Redemptoris nostri manus, & latus, ac vulnera in iis prius tangere, & oculis contemplari desideravit, bene ponderans, ait : *Vox ista inquirentis est, non negantis, dum hoc dicit, doceri voluit, confirmari desideravit* ; cujus etiam opinionis Eusebius Emissenus fuit : Argumentum autem, quo præfatus Augustinus ad id opinandum ducitur, est, quia videlicet benignissimus Magister Thomam non reprehendit, imo promptissime in id condescendit, quod ab eo permitti desiderabat : *Dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*. Cum igitur responsum Christi, (*qui sciebat, quid esset in homine, & scrutatur renes & corda*) adeo benignum fuerit ; verisimile est, quod nullam in eo deprehenderit contumaciam, vel malitiosam incredulitatem, aut aliqua reprehensione dignam hæsitationem : *Dum benignum præbet veritas moderata responsum in Apostolo suo, non dubitationis vitium, sed solicitudinis instruxit affectum*. Velim igitur ut in hujus Apostoli honorem formatum processum defensivum patienter auscultetis.

Ser. 34. in App. n. de div. — Hom 9. de Pasch.

2 Isaias, qui, quòd novæ legis gratiæ felices eventus aperte prophetarit, per antonomasiam Propheta Evangelicus appellatur, de erectione Ecclesiæ ex ore quasi Messiæ venturi loquens, ita scribit : *Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem pretiosum, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum* & confestim ac immediate subjungit : *Qui crediderit non festinet*, quod illi Ecclesiastici monito perfectè consonat dicentis : *Qui cito credit, levis est corde* ; Quod etiam monet S. Joannes Apostolus, dum ait : *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint* ; quot etenim fuerunt qui ab astutissimo serpente fuere decepti, utpote qui sæpenumero *transfigurat se in Angelum lucis*. Mirum igitur non est, si prudens hic discipulus in mysterio quodam alias humano intellectui adeo imperceptibili debita cum cautela & circumspectione procedere voluerit. Nam ut S. Thomas de Villa-Nova ait : *Inter fidei nostræ orthodoxos articulos, unus ex difficillimis & magis arduis resurrectio mortuorum invenitur*, quæ causa est, quod aliis quoque discipulis à principio magistrum suum à mortuis suscitatum videntes, *existimabant se Spiritum videre*, unde Christus, ut videre est cap. ultimo S. Marci, priusquam ad cœlos ascenderet : *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderunt eum surrexisse non crediderunt* ; Et tamen ipsum coram oculis suis præsentem habebant, cum tamen sanctus Thomas de Magistri sui resurrectione nullam aliam habuerit notitiam, quam eam quam ex aliorum relatione hauserat ; Imo Salvator noster ut fidem totius Collegii Apostolici circa hunc adeo arduum articulum tanto fortius consolidaret, eosdem manuum & oculorum experientia explorare voluit, corpus suum, corpus verum & reale, non verò phantasticum esse : *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum ; palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere ; Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes ; adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur : at illi obtulerunt ei partem piscis assi & favum mellis, & cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis*. Quodsi igitur omnes alii Apostoli ad resurrectionis veritatem declarandam signis quibusdam opus habuerunt, & iis quidem bene multis, valdeque evidentibus, cur obsecro sanctum Thomam tanto cum rigore reprehendemus, dicentem : Nisi videro &c. ? quamobrem ad hunc articulum credendum adeo debuisset facilis esse, de quo passim omnes alii anxiè dubitarunt, adeo quod ut in fide sua antea vacillante confirmarentur, tot habuerint evidentibus testimoniis opus ? S. Cyrillus Alexandrinus scribit : *Non facile creduntur, quæ rationem omnem excedunt, sed solo visu quasi necessitate quadam approbantur*, adducitque hujus Apostoli exemplum, eumque quod à principio, non adeo facile crediderit, multum commendat, dicens : *Idcirco Thomas sapientissimus Salvatoris discipulus testantibus de Resurrectione Domini cæteris non credidit*, non dicit, quod attestantes & monentes contempserit, sed quod ad credendum facilis non fuerit ; neque se ideo ab aliis sequestravit, quod illos aspernaretur, vel quod illos in sua credulitate æstimaret delusos. Unde circa illa verba : *Iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis*, Cornelius Jansenius ita ait : *Quia quamvis*

Isa. 28. v. 16. — Eccl. 19. 4. — 1. Jo. 4. v. 1. — In octava Pasch. — Luc. ult. — Lib. 12 in Jo. c. 27.

visnon crederet, non tamen se à credentibus tanquam illusis separabat: Multo minus culpæ alicujus defectui adscribendum venit, quod prima vice cum discipulis congregatus non fuerit, quando Christus illis post resurrectionem suam primitus apparuit, fuit enim *Aliqua occasione inde digressus, antequam appareret Christus, ut vult Augustinus*. Et quidem hæc Jansenii opinio ex illo capite censeri potest verisimilis, quia ob hoc, quod ab aliis eo modo divisus & ab aliis separatus fuerit à Christo minime fuit reprehensus. Lucas Burgensis hac de re ita

Lib. 4. in Evang. in c.56 Joan.

scribit *Græci putant à tempore quo dispersi Apostoli fuerant, & relicto præceptore fugerant, nondum cum reliquis convenisse; verisimilius conjicit Augustinus, inde exisse antequam Dominus appareret occasione aliqua, qua egressi fuerant duo illi discipuli profecti in Emaus*. Surius in vita sancti Thomæ hanc ejus absentiam, non alicui ejus defectui, sed potius divinæ dispositioni adscribit: *Solus autem Thomas abfuit, qui divino quodam, ut videtur, consilio non aderat, ut cum miraculum magis examinasset, esset præclarior præco resurrectionis*. Salvator quidem cum sui spectaculo impertiisset Apostolos, recessit protinus, mosque hujus rationem huic nostro proposito satis accomodam reddit, dicens: *Perfectiorem contemplationis visionem Thomæ amico ut videtur, reservans*, Beatus Laurentius Justinianus in sermone quodam de hodierno festo, dicit sapientissimum Deum nostrum per altissimum consilium suum ita disposuisse, ut sanctus Thomas inter cæteros Apostolos solus abesset: *Maximo artis suæ studio Dei permisit sapientia ut hic electus Apostolus dubius erraret in fide*. Clarum quoque habemus sancti Gregorii testimonium scribentis: *Egit namque mire modo superna clementia, ut discipulus dubitans &c.* Unde dubitatio hæc sanctæ Thomæ mystica, & à minime errante Cœli providentia miro quodam artificio ordinata fuisse videtur, ut resurrectio Salvatoris cum cunctis sæculis futuris tanto amplius redderetur manifesta. Idem quoque Surius hunc Apostolum se coram aliis suis condiscipulis hunc in modum excusantem hisce verbis introducit: *Ad Judæos emittor præco resurrectionis: sicus vos proficiscor Apostolus ad docendum gentes resurrectionem, quomodo ergo quibus non fui socius spectaculo, suscipiam æque atque ipsi legationem? quomodo lingua ea dicet confidenter, quorum testes non habet oculos? verbis credam solis? sed Judæis ero in fide suspectus, neque facilitatis damnabunt & levitatis; Gentiles quoque verba mea non admittent; potius autem meum ridebunt testimonium, qui ex solo audita prædico resurrectionem*. Ex quo discursu deducitur, ipsum justum aliquod habere potuisse motivum, ut Salvatorem à mortuis suscitatum suismet oculis videre vellet.

3 Verùm enimverò non desunt adhuc aliæ rationes ipsum ab omni culpa justificandi. Etenim Albertus Magnus in ea est opinione, quod nullam comiserit culpam aut defectum considerabilem, cujus opi-

Joan. 20.

nionis hanc habet rationem: *Quia multa signa infirmitatis viderat & quamvis resurrexisse non crediderat tamen nec contrarium asserebat, nec uni, nec alteri firmiter adhærens, & tales sunt tardi ad credendum, & quando credunt, firmissime credunt: sicut enim dicit Chrysostomus: Laudabile est rem non probatam non cito credere*; Quando verò Salvatorem nostrum vidit & tetigit, tunc in illa adeo viva fide, quam postea prædicavit, fidelibusque circa hunc articulum hactenus adeo controversum impressit, confirmatus & stabilitus fuit, adeo ut ipse fuerit qui hunc Articulum intra symbolum Apostolorum inseruit; in eademque occasione il-

Tom. 11. Tr. 27.

lam adeo sublimem humanitatis & divinitatis Christi fecerit confessionem, dicendo: *Dominus meus & Deus meus*. Doctissimus quoque Salmeron hunc Apostolum per nonnullas considerationes defendit; *Quædam*, ait, *ejus incredulitatem extenuabant: erat enim suapte natura Thomas & Didimus, hoc est, dubitator: accedebat dolor & mæror, quod Dominum, ut alii, non vidisset, ac se amplius non visurum putaret, ut tradit Cyrillus*. Ejusdem quoque sententiæ est Lucas Burgensis, qui super illa verba, quæ prima facie nimis præsumptuosa videntur: *Ille autem dixit eis, nisi videro &c.* subjungit: *Tristis de absentia sua*. S. Cyrillus

Lib. 12 in Joan. c.57.

Alexandrinus ait: *Quamvis mihi Thomas videri soleat non infidelitate magis, quam summo mærore perturbatus fuisse; quia Dominum oculis suis non viderat*. Et paulo post idem repetens subjungit: *Mærore igitur, quia ipse quoque non viderit, & lætitia singulari affectus, quia resurrexisse audiebat ad infidelitatem dilabitur*. Surius eundem sensum habet: *Ille propter id quod audiebat, lætitia affectus, quod fieri desiderabat, hoc factum esse audiens, non credebat: solent enim ingentis lætitiæ exsuperationes esse tardiores ad ea credenda, quæ dicuntur*. Atque hinc est, quod ut à principio diximus, Salvator illum non reprehenderit, nec ullum ediderit displicentiæ aut indignationis signum, quin potius summa illum cum benignitate receperit. Salmeron verba illa, quæ Christus ei dixit, nimirum: *Noli esse incredulus, sed fidelis*, observans dicit: *Suavis & paterna admonitio, siquidem eum tanquam filium blande alloquitur. Noverat non ex malitia* (inquit Lucas Burgensis) *sed ex imbecillitate peccare; neque ab illo rogari expectas, neque quicquam tale audire, inquit Chrysostomus, sed nihil eo dicente ipse Jesus primum ejus satisfecit desiderio, ostendens se, cum ea discipulis diceret, adfuisse*.

4. Sanctus Ambrosius itidem ipsum defendere satagit, dicens: *Thomas non de resurrectione Domini, sed de resurrectionis videtur qualitate dubitasse; facilius credimus, quæ vidimus; habuit admirandi causam Thomas*. Eusebius Emissenus pariter ipsum innoxium pronuntiavit, finem, propter quem Deus hanc incredulitatem permisit, considerando, dum ait: *Necessarium erat, ut manifestarum præsens expressio cicatricum crucifixi corporis facere fidem, quia splendor novæ lucis pristinam obduxerat veritatem, & agnitionem quodammodo claritas obscuraverat; visis ergo cicatricibus, respondit Thomas, Dominus meus, & Deus meus*. Chrysologus denique huic Apostolo intra sacrosanctum illud vulnerum ærarium hærenti considerando immoratur, & quærit: *Cur Thomas vestigia Fidei sic requirit? cur tam piè patientem, tam dure discutit resurgentem? Cur ea vulnera, quæ manus infixit impia, devota dextera sic resultat? Cur latus quod impius militis lancea patefecit, refodere manus nititur obsequentis?* ubi notandum, quod Thomam nequaquam alicujus curiositatis vel præsumptionis arguat, siquidem dicit: *Devota dextera, manus obsequentis*. Denique postquam aliud quidpiam ad hoc propositum subjunxisset, in ejus favorem concludit dicens: *Thomas non solum cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum, & prædicaturus hæc in gentibus, quemadmodum tanta fidei astrueret Sacramentum executor, strenuus perquirebat*.

Lib. 10 in Luc.

Serm. 84.

Agitur de nonnullis bonis, quæ ex hujus sancti Apostoli incredulitate consequuntur, nec non de quibusdam mysteriis, in verbis illis: *Dominus meus, & Deus meus* latentibus.

DISCURSUS QUINTUS.

Respondit Thomas & dixit ei; Dominus meus & Deus meus. Joan. Cap. 20.

1 HOdiernæ Historiæ Evangelicæ telam bene consideranti, facile patebit, Evangelistam in illius recensitione expertissimi pictoris alicujus æmulatum fuisse artificium, hi enim ut colores magis elucescere faciant, umbras adhibent: eodem quoque modo priusquam S. Joannes ad assumpti thematis verba recensenda, quæ altissima in se mysteria & sacramenta ineffabilia continent, descendat, suam nobis exponit incredulitatem, idque haud dubie eo potissimum fine, ut exinde vivacissima ejus fides magis elucescat; quamvis insuper ipsammet ejus in non tam subito admittendo resurrectionis Domini nuntio perplexitatem suis non carere laudibus reperiam: Dicit enim S. Augustinus: *Quam bona ignorantia, quæ erudivit ignaros, quæ instruxit incredulos? quam bona infidelitas, quæ sæculorum fidei militavit?* Quidnam de ipso excellentius dici potuit, quam quod tantæ authoritatis Doctor Ecclesiæ asserat, incredulitatem ejus omnium sæculorum stabilivisse & confirmasse fidem? B. Laurentius Justinianus in sermone de hoc festo scribit, infinitam Dei sapientiam

Ser. 54. in Appen. de diversis.

per

per hujus Apostoli vacillationem universam docere voluisse Ecclesiam: *Per unius incredulitatem universam voluit erudire Ecclesiam*, atque ideo S. Thomam nullam per incredulitatem meruisse reprehensionem existimat; *Hinc Thoma non est redarguenda dubietas, quæ illum inquisitorem fidei nostræ fecit esse solicitum*. Etenim quantum sustinere valet humanæ capacitatis angusta sphæra, inter omnes humanitatem Christi concernentes fidei articulos nullus est magis suspectus, aut qui creditu difficilior existat, quam vera Christi resurrectio, non obstante, quod idem articulus unica fidei nostræ basis esse agnoscatur, quia *si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra*, inquit Apostolus, *inanis est & fides*. Imo S. Petrus testimonium de Redemptoris resurrectione ferendum tanti æstimavit, ut quando de alio in locum Judæ in Apostolatum substituendo agebatur, & prima & præcipua circumstantia, quæ in eo, qui ad hoc munus concurrere debebat, requirebatur, hæc fuerit, quod talis testis futurus esset prædictæ resurrectionis; *Testem resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis*. Hoc igitur supposito, inquit sanctus Augustinus, nequaquam præsumptuosæ curiositatis sancti Thomæ adscribendum est, quod in puncto quodam adeo essentiali & arduo se, quoad fieri poterat, certificare voluerit; *In his Apostoli verbis mundi utilitas agitur* quando nimirum ait: *Nisi videro &c. Nisi mittam, &c.* totum enim ad universalem Ecclesiæ Dei utilitatem ordinatum erat, ut scilicet omnes fideles ad finem usque sæculorum usquequaque certi & securi essent, Filium Dei à mortuis resurrexisse. *Illo in tempore tanti mysterii novitas versabatur*. Surius in principio historiæ vitæ hujus Apostoli, quam scripsit, dicit: *Thomas, qui est fidei nostræ pater ex incredulitate index perfectus veritatis* S. Bernardus ait: *Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis*. Atque ideo cum alii Apostoli omnes à principio de Domini resurrectione dubitarint, de S. Thoma utique verificatur id quod præfatus historicus de eodem scribit, nimirum quod *Fidem Apostolorum per incredulitatem effecit firmiorem*; suaque in fide perplexitate, fidem omnium aliorum Apostolorum stabilivit. *De ejus resurrectione*, inquit sanctus Bernardus, *citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quam Cephæ audienti, & credenti*. Quod optime consonat illi, quod sanctus Gregorius hisce verbis scribit: *Minus mihi Maria Magdalena præstitit, quæ citius credidit, quam Thomas, qui diu dubitavit; ille enim dubitando vulnerum cicatrices tetigit, & de nostro pectore dubitationis vulnus amputavit*. Neque sanctus Cyrillus ambiguos nos relinquit de eo, nimirum quo fine Deus hanc in sancto Thoma fidei tarditatem permiserit, utpote qui illam benè ordinatam fuisse certo sciebat: ait enim: *Ego autem per dispensationem puto permissum fuisse Thomam in infidelitatis crimen incidere, ut nos per exquisitam fidem ipsius, carnem Christi, quæ de cruce pependit a Patre per filium invitum fuisse revocatum credamus*. Enimverò eximium dignissimumque est illud Epithetum, quo beatus Petrus Damianus digitum S. Thomæ, quo vulnera Salvatoris tetigit, honoravit dum ait: *Thomæ digitus factus est magister mundi, qui principali quadam dignitate verè dicendus est index, quia veritatem Dominicæ carnis ignorantibus indicavit*. Et quidem sicut index sancti Præcursoris præ cunctis aliis prophetis Messiam perfectius & excellentius indicare potuit: ita quoque Thomæ digitus & incredulitas ejus certius ediderunt resurrectionis Domini nostri testimonium, quam omnes alii Apostoli, & scholæ Christi discipuli. Unde Salmeron ait: *Articulum resurrectionis tertia die peractæ Thomas, postquam de ea dubitavit symbolo, apposuit, tanquam certissimam atque exploratissimam veritatem*. Petrus Chrysologus observat, Redemptorem, Thomam ad immittendum cicatricibus suis digitum ejus invitantem, hoc præcipuè intendisse, ut Apostolus Thomas per hanc experientiam ferventior factus, ejus deinceps resurrectionem in omni parte mundi instantius prædicaret: *Infer digitum tuum huc, ut infundant toto orbe iterum te aperiente hæc vulnera fidem*. Enimverò quando nonnunquam validus aliquis, expertusque ac generosus belli Dux in fugam se suumque exercitum vertere videtur, id nequaquam ignaviæ argumentum est, sed stratagematis cujusdam militaris consilium; id namque eo præcipue consilio facit, ut inimicum suum in adjacentem quandam sylvam, aut alium sibi commodum locum evocet, ad eundem quoque modum in casu nostro discurrere possumus, & dicere, quod increata illa Sapientia hanc in S. Thomæ circa punctum resurrectionis credendi difficultatem & tarditatem permiserit, non ex defectu voluntatis & amoris Apostoli erga se, siquidem ipsum sibi fidelissimum esse sciebat: *Eamus & nos & moriamur cum eo* sed potius ut per hanc de ejus resurrectione acceptam experientiam; vivacius & certius de illa testimonium perhibere, nobisque simul indicare posse Christum ditissimum illud pietatis suæ ærarium (id est vulnerà sua, quæ mera sunt misericordiæ viscera *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos*) apertum retinuisse.

Marginal notes: 1. Cor. 15. — Hom. 1. se permissus est. — Hom. 9 in Evang. — Lib. 12. in Joan. c. 58. — Serm. 6. — Tom. 11. Tr. 27. — Serm. 84.

2 Verùm enimverò verba ejus, quæ protulit, nimirum: *Dominus meus & Deus meus*, maturius nonnihil ponderemus B. Petrus Damianus ait: *Dum scrutatur vulnera Salvatoris evertit errores atque versutias hæreticæ pravitatis; palpat enim veritatem carnis & intelligit omnipotentiam Deitatis*. Ac proinde illa nunquam errans cœli providentia hanc incredulitatem quoque ad multarum hæresum quæ progressu sæculorum in Ecclesia pullulaturæ erant, destructionem ordinavit; siquidem hæc à S. Thoma in hac occasione prolata verba solidissimum semper fuerunt, & deinceps erunt nostræ religionis fundamentum. Et quidem Manichæorum in primis prosternunt religionem, qui existimabant Christum apparenter tantum, non verò realiter crucifixum esse. Item Cherinthi, qui ipsum necdum resurrexisse dicebat: hæresim quoque deleverunt Appollinaris & Valentini, qui delirabant dicentes resurrectionem Salvatoris aeream & phantasticam esse, non verò in carne contigisse: Errores quoque eliminant Arrianorum, qui Christum creaturam, Patreque minorem esse blasphemabant, adeo ut Chrysologus super hæc verba: *Respondit Thomas & dixit, Dominus meus, & Deus meus* justam habuerit rationem exclamandi: *Veniant, & audiant hæretici, & sicut dixit Dominus, non sint increduli sed fideles*. Salmeron quoque paucula hæc verba ponderans scribit: *Est brevissima, sed perfecta Dominis Christi ac Divinitatis, sive humanitatis ac divinitatis, sive duarum naturarum in una hypostasi Christi confessio*; Neque verba illa illis Petri verbis quicquam inferiora esse existimat quando dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi* Unde & S. Thomas de Villa-Nova ait: *Laudatus est Petrus qui dixerat: Tu es Christus filius Dei vivi; expressius intonat Thomas: Dominus meus, & Deus meus, simplici verbo utranque naturam in Christo confessus*. Cajetanus hanc ei valdè considerabilem laudem attribuit; *Primus fuit, qui professus fuit expresse Jesum esse verum eum*. Lucas Bargensis quoque ait: *Quo majorem præ se tulerat incredulitatem, eo perfectiorem edidit fidei confessionem, tanto excellentiorem, quanto tardiorem, priorem culpam sub sequenti virtute pensans, dum primus disertis verbis profitetur Jesum esse Deum*. Porrò confessio hæc illis verbis facta: *Dominus, & Deus meus*, ab Ecclesia Dei magnopere semper æstimata fuit eodemmet sancto Archiepiscopo Valentino teste, qui ait: *Quam aperte, quam fideliter, quam nude Christum vocat Deum! O verbum Ecclesiæ Dei utilissimum, & necessarium, quo multæ hæreses & validissimæ olim ab Ecclesia extirpatæ sunt*. Valdè etiam notabiles sunt multæ, quæ hanc confessionem comitantur circumstantiæ. Et quidem in primis advertendum est, quod Apostolus tunc præcipue ea protulerit, quando cicatrices vulnerum Redemptoris nostri tetigit. Unde sanctus Augustinus scribit: *Figuram perspicit corporis, & Deum prædicat majestatis*. Caietanus quoque considerat, quod Apostolus solam oculo suo humanitatem conspexerit: *Vidit hominem, carnem, foramina, credidit autem non quæ vidit, sed illum esse verum Deum & Dominum; neutrum siquidem horum vidit: sed credidit*. Cui consonat illud S. Augustini super Joannem scribentis: *Non verbum sed carnem tetigit, non incorpoream Dei naturam sed hominis corpus curiosi sit manibus contrectavit*. Tandem vero concludit plus credidisse Apostolum, quam tetigit, aut vidit: *Hominem itaque tetigit, & tamen Deum cognovit*. Dignum quoque est consideratione ly illud *Meus* replicatum. Cornelius Jansenius circa illa verba: *Dominus meus & Deus meus*, ait: *Supple, tues; est enim trunca oratio præ affectus vehementia, qua agnoscis, & veneratur eum tanquam qui sit verè Dominus suus*. Lucas Burgensis de

Marginal notes: Serm. de S. Barth. — Ser. 49. in Append. de diversis. — Tract. 51 in Joan.

fis de illo ly *Meus* ita scribit: *Particula magnæ fidei affectusque declarativa; emphaticè suum eis appellat, quem intelligit esse omnium, ut significet se ex vivo & serio fidei assensu loqui.* Dici quoque non incongruè posset, quod Apostolus Christum bina vice Deum & Dominum suum appellaverit, ob Creatoris & Redemptoris duplicem relationem. Idem citatus Jansenius ait: *Itaque simul humanitatem ejus veram ac Divinitatem profitetur in unam coeuntes personam, utrumque pleno reverentiæ ac pietatis affectu, ut Ambrosius, quod insinuatur vocula Meus; nam ut Augustinus in Psalm. 49. Deus suus ei dicitur propriè, quem familiarius habet Deus, tanquam in mancipio suo, tanquam in peculio suo.* Neque mirum alicui videri debet, quod hic Apostolus ob benevolentiam & decorem Magistri sui illectus, eum tunc præcipuè, quando gloriosa erat carne circumdatus, tantæ teneritudinis vocula suum appellarit, siquidem de sancta Theresia legitur, quod vel ex eo duntaxat, quod unicam Redemptoris nostri manum in medio ulceratam aspexerat, adeò in ejus pulchritudinem absorpta fuerit, ut deinceps omnes alias terrenas creaturas exhorruerit, seseque totaliter Divino amori consecrarit. Sanctus Thomas quidem se tanto erga Christum amore ardere probavit, prouti ex prompta illa oblatione clarè satis liquet, qua se ad moriendum cum Christo pronissimum esse his verbis dixit: *Eamus & nos & moriamur cum eo*, nam fortis est ut mors dilectio, quanto igitur credibilius est vastam hanc amoris flammam majora in ipso sumpsisse incrementa, postquam manus suas in illam ardentissimæ Charitatis officinam subintulit.

Excusatur ambitiosa à S. Thoma Christo proposita petitio, dum manus suas in opulentissimum illud sacrorum vulnerum ærarium immittendi licentiam postulavit.

DISCURSUS SEXTUS.

Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: Joan. Cap. 20.

1 DUm sanctus Bernardus, qui erga vulnera Salvatoris devotissimus semper extitit, S. Thomam Apostolum in quodam soliloquiorum suorum, ob ingens manus suas lateri Salvatoris imponendi desiderium, virum desideriorum appellat, omnino me induxit, ut hæc ejus verba: *Nisi mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latere ejus, non credam*, nequaquam præsumptioni, temeritati aut arrogantiæ alicui attribuenda esse existimem; Et quidem hac in opinione tanto magis confirmor, quantò certius esse scio Salvatorem huic ejus petitioni haud ingravatè detulisse. Verba S. Bernardi hæc sunt: *Sicut Thomas ille vir desideriorum, totum eum videre desidero, & tangere non solum, sed accedere ad sacrosanctum lateris ejus vulnus.* Equidem vulnera corpus aliquod impassibile & gloriosum multum deducere videntur; Et ideò Emissenus quærit: *Ad quid Dominus suorum vulnerum cicatrices reservare voluit? quia per has discipulum sanare, & ejus mentis vulnera curare disponebat*: Et enim increata illa sapientia Apostolum suum sacrosanctorum vulnerum illorum immensam experiri voluit virtutem & efficaciam, & ideo prudentissimus hic ejus discipulus, per hanc vulnera illa contrectandi aviditatem, desiderium suum manifestavit, quo se in iisdem locupletare voluit. Porrò alius quidam Thomas de Redemptoris nostri cicatricibus & vulneribus ita scribit: *Vulnera quæ permanserunt in corpore Christi, non permanent ad corruptionem vel defectum, sed ad majorem cumulum gloriæ.* Et enim in omnibus glorificato illius humanitatis membris lucis quidam radii relucebant, iique intensiores seu minus intensi secundum quod membra fuerant operationum magis vel minus heroicarum actionum instrumenta: at verò in illis vulneribus quæ vivæ fuerunt humanæ redemptionis scaturigines & fontes, *quidam*, ut Doctor Angelicus ait, *specialis decor apparebat*; ac proindè sanctus Thomas ab excessiva hujus gloriæ pulchritudine raptus adeò avidè in ditissimum illud Paradisi ærarium admitti desiderabat. Porrò quanto splendore luminosa & venusta illa Christi vulnera scintillaverint, fide dignissimum de hoc testimonium perhibent ipsarummet Angelicarum hierarchiarum excessivi stupores, quibus attoniti & rapti una alteram admirabunda interrogavit: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctus vestibus de Bosra* idque dicebant, ut Hugo Cardinalis ait: *Quia tunc apparebant cicatrices ejus.* Unde & S. Augustinus dicit: *Viderunt cælites cuncti speciosum vulneribus Christum.* Quodsi igitur Angeli vulnera Christi conspicientes in admirationis verba prorumpunt, nequaquam mirum videri debet, quod etiam S. Thomas per stuporis nimii affectus raptus exclamarit: *Dominus meus & Deus meus Bona foramina*, inquit S. Bernardus, *quæ fidem ad struunt resurrectionis, & Christi Divinitatem.* Porrò Euthimius in ea fuit opinione, quod Apostolus noster ad primum sacrorum vulnerum aspectum, priusquam suas in illa manus insereret, omne de Resurrectionis veritate dubium deposuerit: *Videns in manibus ejus vestigium clavorum, & latus ipsius apertum, continuo credidit, non expectans dum contrectasset*: Salmeron verò econtra opinatur, Apostolum sacra vulnera prius tetigisse, quam magnam illam ederet confessionem; unde de digiti ipsius honore scribit: *Digitus Thomæ venerabiliter asservatus Romæ ostenditur in æde S. Crucis in Hierusalem: Tetigit igitur, ut fertur, alias non erat, cur magis ejus digitus, quàm aliorum servaretur, quemadmodum etiam digitus, quem Joannes extendit; ut indicaret Christum, cùm diceret: Ecce agnus Dei, etiam in Ecclesia asservatus peculiariter esse fertur.* Idem quoque Lucas Burgensis velut indubitatum in verborum illorum expositione tenet hisce verbis: *Propius ad Thomam accessit Dominus, & extensas manus exhibuit contrectandas, oblatis etiam pedibus, id quod subaudit Evangelista, digitum indicem, huc, in loca clavorum, in vulnera manuum pedumque meorum & vide & cognosce evidenter, postquam tactum exploraveris.* Omnes quæso superiorum temporum pervolvatis historias, chartasque sacras, & videte num quispiam in tota humana vel Angelica natura inveniri possit, qui hoc eximio vulneribus manuum, pedum, & lateris Salvatoris nostri à mortuis resuscitati, & eo modo, quo de facto Patris dexteræ assidet, gloriosi, digitos manumque suam inserendi privilegio & favore condecoratus fuerit, ac hic noster Apostolus. De sancta quidem Maria Magdalena tantopere à se dilecta lego, quod Christus se ab illa tangi minimè permiserit: Noli me tangere; Huic autem Apostolo vulnerum cicatrices digito & manu sua penetrare permittitur. Porrò dum Princeps aliquis aulicorum suorum quempiam eo honore dignatur, ut humeris illius manum suam imponat magnæ idipsum confidentiæ, benevolentiæ, & æstimationis evidens est inditium, quid igitur dicemus, si servum quempiam ad illum benevolentiæ gradum admissum esse viderimus, ut manus suas cordi Domini sui immittere possit? Hic autem honor sancti Thomæ reipse exhibitus fuisse noscitur: Infer digitum &c. *Volebat non solum videre*, inquit Lucas Burgensis, *non solum attrectare, sed quodammodo etiam metiri plagas Christi, & perscrutari; ad quod ipsi reipsa quoque indultum fuit, prouti ex verborum quæ protulit, ponderatione, perspicuè vidimus.*

2 In memoriam quæso revocare, quod de seniculo oculorum lumine orbato Isaaco scribitur, hic enim experientiam facturus, an is, qui juxta lectum suum pro benedictione sibi impertienda se præsentabat, verè Esau esset, an verò fucum faceret, dixit: *Accede huc, tangam te fili mi; ut probem, utrum tu sis filius Esau vel non*, simile namque factum in hodierna historia Evangelica nobis ob oculos ponitur, cùm hoc tamen discrimine Christus namque in Isaaco repræsentatus, ipsemet fuit, qui Thomam ad sacratissimi corporis sui contactum invitavit; ut verè experiretur, oculatoque testimonio deinceps comprobare posset, se verum esse mundi Redemptorem à mortuis resuscitatum. Isaac se perplexum fuisse etiam post filii sui contactum hisce verbis sufficienter innuit, dum ait: *Vox quidem vox Jacob est, manus autem Esau.* Sanctus Thomas autem post auditam Christi vocem, post palpata & contrectata Christi vulnera, Dominique sui aspectum, omni dubio & perplexitate deposita clarè confessus est, dicens:

Margin notes (in order): 3.p.qu.54. ar.3. — Isa 63.v.1. — Ser.de Ascens. — Ser. 1x. in Cant. — Tom. 11. tract.27. — Genes.27.

Ps. 76.

cens: *Dominus meus & Deus meus*: Unde cum Psalmista dicere potuit? *Deum exquisivi manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus*. Ipse namque in ignorantiæ & cæcitatis suæ tenebris Dominum suum per vulnerum ejus contactum & contrectationem quæsivit & invenit, neque ipsum talem qualis erat, confitendo, fuit deceptus: *Palpavit Thomas verbum* (inquit Chrysostomus) *in incredulitate & non est deceptus, Christum Deum illum confessus in fide*.

Stim. Div. amor p. 1. c. 1.

3 Sanctus Bonaventura de Christi vulneribus hunc in modum scribit: *O beata lancea! O beati clavi! qui apertionem hujusmodi facere meruerunt; O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem, hæc requies mea in sæculum sæculi*; Quanto igitur magis nobis de S. Thoma persuadere possumus, ipsum similes in animo suo versasse cogitationes, prouti ex verbis illis: *Dominus meus & Deus meus*, clarè deduci potest, hæc namque verba pronuntians à latere illo, cui manum suam immiserat, se nequaquam avelli posse, arbitrabatur.

Serm. 86.

4 Sed quonam pacto sine Christus Thomæ dixit: *Infer digitum tuum huc*? Chrysologus idipsum exponit dicens: *Ut effundant toto orbe, iterum te aperiente, hæc vulnera fidem*. Sanctus Thomas namque fidem hanc de Christo cum vulneribus à mortuis resurgente per totum mundum diffusurus erat. Hugo Cardinalis ait: *Totum orbem percurrit, & in mediis plebibus occisionem meditantibus volvebatur*: Dionysius Carthusianus quoque scribit:

Serm. 6 de S. Thom.

Ferventissime atque latissime evangelizavit fidem ac legem Christi. B. Laurentius Justinianus existimat, eorum, quos hic Apostolus ad fidem convertit numerum sine numero fuisse, quia procuravit *innumerabilium conversionem populorum*. Idemmet Carthusianus Serm. 1. de hoc Festo dicit: *Copiosissimum & innumerabilem populum infidelem convertit ad Christum*. Credibile est etenim ipsum in variis mundi partibus cum immenso fructu sementem Evangelicam dispersisse, siquidem maximam universi partem discurrendo peragravit. *Thomas* inquit

In Luc. c. 6

Didacus Stella, *bene de Christiana pietate meritus, tam in Medos, quam in Persas, Hircanos, Brachmanos, & Indos multis editis miraculis Christi fidem augens, lancea confossus in Indiis fuit*. Porrò Magistri sui pectus lancea transfossum fuit, dumque in illud hiulcum lateris vulnus manum suam immisit, ipsimet ut planè verisimile est, cor transfixum fuit, ideòque simul cum Deo suo eodem modo transfigi desideravit. Sanctus Bona-

Stim. p. 1. c. 6.

ventura vulnera filii Dei *Fundamentum fidei* appellat; vide igitur undenam fides illa, quam sanctus Thomas dilatavit & annuntiavit, primitus profluxerit.

5 *Dominus meus, & Deus meus*. Quibus verbis affectus spiritus, & devotionis suavitatem spirantes eduntur. Neque id mirum est, quod in tales affectus proruperit, siquidem ut sanctus Augustinus advertit:

In manuali c. 21.

In vulneribus Salvatoris est multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum, & ideo secus fieri non potuit, quam ut ei suavitas hæc in magna copia communicaretur, ideoque ait: *Dominus meus, & Deus meus*: *Est enim truncata oratio hæc præ affectus vehementia*, ut quidam modernus Expositor ait:

Corn. Jansen.

Plenitudo gratiæ quoque ex hisce vulneribus ab eo hausta fuit, siquidem quando lapsui in barathrum obstinationis proximus erat, à divina manu præservatus, gratiarum cælestium charismatibus impleri meruit, neque enim in magnam & excellentem adeo confessionem prorupisset, nisi locupletissimo è vulneribus Christi hausto gratiarum thesauro fuisset cumulatus, hæc enim ejus confessio juxta S. Augustinum: *Sæculorum fidei militavit*: Adhæc sanctitas ejus ad adeò eminentem usque gradum excrevit; ut Surius miraculum quoddam, quod filio regis, qui mortem ei intulerat, accidit, fusius describens dicat: Dum hic in desperato salutis statu versaretur, rex ille miraculorum à sancto Thoma in aliis patratorum memor, aliquam Apostolici corporis reliquiam inquirens, & minimè inveniens: *Saltem pulverem qui illud tetigisset, jussit afferri, quod quidem cum factum esset, pater ægrotanti filio pulvere imposito sanum vidit eum, quem putabat moriturum*. Est quoque in vulneribus Salvatoris *Perfectio virtutum*, siquidem anima hujus Apostoli ex sacrorum vulnerum contactu omnigenis virtutibus ad stuporem usque locupletari meruit, & quidem in primis perfectam quandam cum divina voluntate conformitatem in se exhibuit: nam

Serm. 2. de S. Thom.

ut S. Bonaventura ait: *Christo volente eum mittere ad Indos, respondit: Tu es Dominus meus, & ego sum servus tuus, fiat voluntas tua*. In ipso quoque præ aliis omnibus ardentissimus fervor, constantia & fortitudo heroica, & integritas irreprehensibilis eluxit, nam teste Hugone Cardinale: *Omnibus fortior factus est, & irreprehensibilior & calidior*. Admiratione non caret, nam ut Surius

In c. 11. Jo.

ait, vitæ quoque ejus austeritas, & rigor nimius fuit: *Coma sordidus, vultu pallidus, totus aridus, exsanguis, & planè succo carens, & ut semel dicam, non tam corpus quam umbram corporis circumferens sordido & trito amictus pallio*: fuit item mansuetissimus; hanc enim virtutem in cœlestis Magistri sui schola sibi singulariter comparavit, qui monebat: *Discite à me, quia mitis sum*, unde Historicus vitæ ejus, præterquam quod ipsum moribus lenem appellet, insuper adjungit, quod in gentis illius conversione: *Magis usus fuerit mansuetudine & blandis verbis*. Profundissima denique humilitate dotatus fuit; unde vitæ ejus historiographus dicit, quod *Humilioribus se accommodabat, insigni Christi humilitate valde ornatus*. Carthusianus illa S. Thomæ ad Salvatorem quondam prolata verba: *Domine nescimus, quo vadis*, observans ait: *In verbis istis insinuatur humilitas B. Thomæ quia ignorantiam suam non erubuit confiteri*. Idem quoque alibi dicit: *Thomas abyssus, id est humilitas*. Admirabili pariter tolerantia quadam fuit conspicuus. Unde Surius ait, quod fuerit *Invictus ad patientiam in laboribus*. Tandem Dionysius in hujus Apostoli laudem paucis verbis multa edixit, nimirum quod cunctæ diversarum gentium conversiones, quarum innumeræ fuerunt; ob singularem eximiarum virtutum suarum respectum fuerint subsecutæ: Dicit enim, quod tot tantasque provincias & idololatriæ dedita regna *Virtutibus ad æternam perduxit salutem*.

Serm. 8.

In Luc. c. 6 20.

Serm. 5.

De SS. T. 1 alt.

6 S. Bonaventura de vulnerato Christi latere scribens, ait: *Ecce apertus est thesaurus divinæ sapientiæ, & charitatis æternæ: Intra ergo per vulnerum aperturam, & tum cognitione magna delitiis obtinebis*. S. Thomas igitur aditum ad hosce thesauros obtinere concupivit, ut cœlestis sapientiæ thesauris sese locupletasset. Unde Glossa ait: *Thomas abyssus, quia altitudinem divinæ virtutis in resurrectione certa fide penetrabit*. Porrò divinorum mysteriorum scientia per aquam symbolizatur, unde dicitur: *Aqua sapientiæ salutaris potabis illum*, jam dudum verè per Isaiam prædictum fuerat: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*.

Isa. 12. v. 3.

Et ideo mirum non est, quod S. Thomas sacra illa vulnera, quæ fontes sunt Salvatoris, tangendo, magnum de Divinitate Christi notitiæ lumen acceperit, atque ut benè S. Thomas de Villa Nova circa illa verba: *Dominus meus, & Deus meus*, notavit: *Quicquid fides habet, brevi eloquio comprehenderit*.

De Casto Conv. c. 8.

7 B. Laurentius Justinianus ait: *Cujus saxeum pectus non emolliant vulnera Salvatoris?* Et S. Bonaventura

Stim. c. 8.

dicit: *O vulnera corda vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & pectora adamantina liquefacientia*. Enimverò priusquam S. Thomas sacris illis vulneribus manus & digitos suos ingereret, saxeo & impenetrabili corde præditus esse videbatur, at verò quantoperè divini amoris igne accensus & inflammatus fuit, postquam ad illorum sacratissimorum vulnerum admissus est contactum, gelu incredulitatis suæ totaliter liquefactum fuit, ignem illum concepit, quem cælestis ipsius magister in hanc terram dispergere advenerat, idque eo præcipue fine, ut gelidum mundi septentrionem, plurimasque alias ignotas maximeque remotas mundi partes eodem igne accenderet: *Post acceptum Spiritum sanctum in multas provincias profectus est ad prædicandum Christi Evangelium, Parthis, Medis, Persis, Hircanis & Bactris Christianæ fidei & vitæ præcepta tradidit; postremò ad Indos se conferens eos in Christiana religione erudivit*.

DE

DE NATIVITATE CHRISTI

Discursus Tredecim.

De ingratitudine humana, qua Christum in sua Nativitate homines recipere renuerunt; Nec non de modo, quo ipsum spiritualiter parturire possumus.

DISCURSUS PRIMUS.

Non erat ei locus in diversorio. Lucæ Cap. 2. v. 7.

1 ECce tibi tandem post tot elapsa sæcula adimpletum illud Davidis, è cujus progenie promissus Messias nasciturus erat, vaticinium, quando in Spiritu Prophetico Patrem æternum in terram prospicientem, totumque genus humanum considerantem vidit, num fortè quispiam esset inter homines, qui Filio
Ps. 13. v. 2. suo in terris nascenti exhibiturus esset hospitium: *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum.* Enimverò credibile est, quod tam S. Josephus, quàm sanctissima Virgo Sponsa ejus circa imminentem Divini partus horam, omnem quidem in conquirendo sibi hospitio adhibuerint industriam & diligentiam; at verò ab om-
Joan. 1. nibus repudiabantur: *Omnes declinaverunt* adeo quod *non erat ei locus in diversorio: In propria venit, & sui*
Serm. 6. *eum non receperunt*; unde necessum fuit, quod à duobus animalibus suum exposcerent refugium. Chrysologus dum considerat hodie natum infantem fabricasse mundum, nobisque in vasta illa totius universi amplitudine tantam procurasse bonorum abundantiam, tantisque nos vitæ commoditatibus cumulasse atque delitiis, & tamen eundem, dum hodie ad salutem & beneficium nostrum de cœlo in hanc terram descendit, modicumque pro se locum à nobis exposcit, eundem à nobis obtinere nequaquam potuisse, dicit: *Mundum suum pauper ingreditur*, ubi notandum est illud ly *Suum*, idemque condistinguendum contra illud ly *Pauper*, *vagitu suo implerat*, inquit, *exigit, quam sibi præstitit ipse, pietatem. Locum non habuit*, inquit sanctus Gregorius Thaumaturgus, *qui cælum & terram verbo exstruxit*: Veruntamen minimè idipsum mirandum est: *Quoniam cum dives esset, propter nos factus est pauper.* Si enim cœli, qui ab ipso unico tantum verbo fuere creati: *Verbo Domini cæli firmat sunt*; immensitatem ejus capere non possunt, *quem cæli capere non possunt*, quid mirum si locum in terra minimè inveniat, utpote quæ in comparatione ad cœlestium sphærarum amplitudinem, punctum duntaxat, & atomus quidam est? utique Maria mater ejus considerans, quod hic filius, quem enixa fuerat, suum in Cherubinis thronum haberet: *Qui sedes super Cherubim*, has in corde suo cogitationes versabat: Ergone, quem peperi filium in præsepium inter animalia seponam? saltem ad minus in Nazareth in paupercula domo mea, in qua sanctus Gabriel Angelus me futuram esse Dei matrem mihi annuntiavit, vilis quædam & modica cuna non deerit; Hæccine igitur est illa mihi è cœlis facta promissio: *Dabit illi Dominus sedem David patris ejus & regnabit?* Ergone in sua ipsa civitate dabit, cujus regni successio & hæreditas filio meo promissa fuit, neminem repertura sum, qui me aut filium meum hospitio excipiat? Ergone decens erit, ut in stabulo benedictum ventris mei fructum
enitar? *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos,* Luc. 9. v.
filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet? Et ta- 58.
men filius meus ille ipse est, qui cum æterna & infallibili veritate de semetipso testatur, dicens: *Meus est or-* Psalm. 49.
bis terræ & plenitudo ejus; Cælum & terram ego impleo. v. 12.

2 Verum enimverò incarnata illa hodie nascens sapientia per altissimum quoddam sacramentum ita disposuit, ut nullibi locus aliquis particularis, in quo nasce-
retur reperiri potuerit, quia omnibus hominibus in via In Lucam.
quadam publica expositus esse volebat: *Qui per Divinitatis essentiam*, inquit Beda, *veritas & vita permanet, per incarnationis mysterium via factus est, qua nos ad patriam, ubi veritate & vita frueremur, reduceret.* Idem ille Deus, qui dixit: *Ego sum via*, jure merito in via quadam publica nasci voluit, teste Gregorio, qui dicit: *Non in domo parentum, sed in via nascitur*, nobis enim omnibus qui veri viatores sumus, indifferenter voluit esse expositus, Rexque ille supremæ majestatis & gloriæ, nulli prorsus hominum occludere voluit ad se veniendi aditum. Unde sanctus Cyprianus existimat tugurium illud Bethlehemiticum ex omni parte fuisse
apertum: *Nullum domus arctæ diversorium occultabat,* Hom. 8. in
nec secreti recessus erant illius casula. Albertus Magnus Evang.
quoque rationem reddit, cur in via publica nasci voluerit, quia nimirum præsepium illud muris seu mœnibus Bethlehemiticis proximè erat contiguum, omniumque viatorum promiscuo usui destinatum: *Quadruplici ex causa natus est in via, ut scilicet se peregrinum in hoc mundo ostenderet; ut se viam demonstraret, ut mundum contemnere doceret, ut semper patriam inquirere exemplo suo probaret.*

3 Qua propter valdè ad præsens propositum verba
illa Psalmi mihi servire videntur, quibus dicitur: *Ap-* Ps. 2. v. 12.
prehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Ubi septuaginta loco verborum illorum. *Apprehendite disciplinam* legunt: *Osculamini filium*; Hieronymus verò legit: *Adorate* filium, quo legendi modo rationem tacitus insinuant, qua Deus reconciliari possit quo minus, eo quod in hunc mundum pro nobis natus à nullo hominum receptus fuit, suam contra nos evomat indignationem; Osculamini filium Adorate filium, secus enim justo Dei officio peribimus & aberrabimus à via, quæ ad beatam vitam perducit: *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*

4 Glossa interlinearis rigorosam pariter & utilem, *Non erat ei locus in diversorio* adducit expositionem, ut per illam nos ad debitæ gratitudinis excitet affectus: Loco eget, inquit, *Ut nos plures in cælis habeamus mansiones*, quasi diceret: Ideo se intra vilis illius tugurii contrahe-

trahere angustias voluit, ut in cœlo empyreo ampliorem ac latiorem haberemus mansionem. Et ideo S. Bernardus in ea est opinione, quod si cœlum inter Beatos cælites dividendum esset, unicuique beato tanta cessura esset portio, quantam universa terræ moles in se continere crescitur.

5 Sanctus Maximus autem postquam interrogasset: *Numquid tanta illius erant angusta mansiones, ut nati sub hora parvuli membra non caperent?* mox subdit: *sed idcirco mystico refertur sermone non inveniri locum in diversorio, quia ingressus mundum Christus, fidem in qua possit requiescere non invenit*. Pro quorum verborum intelligentia necessario memorandum nobis est, quod *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, quodque locus quem penes non ambit, spiritualis potius sit, quàm materialis, siquidem animas & corda nostra requirebat: præcipuum enim quod à nobis

Prov 23.26 expetit, est: *Prabe fili mi cor tuum mihi.* Sanctus Au-

citatus S. gustinus ait: *Non erat illi nisi angustia in terris*; Quam-

Bonav in nam verò hujus reddit rationem? Verissimum est, quod

c.2. S. Luc. id non dicat ideo, quod in terris nullus sit locus aut situs infantilibus membris ipsius capiendis idoneus, quia si toti universo unico duntaxat verbo esse suum dedit, poterat utique idemmet Verbum, licèt modo incarnatum mille de novo creare mundos, sed hoc tantum sanctus hic Doctor dicere voluit, quod hanc in hoc mundo arctitudinem & angustiam sustinere voluerit, ut tanto promptius homo ipsum in suo corde reciperet: *Ut tu ei locum cordis tui sibi proprium dilatares*.

6 S. Basilius detestabilem illam hominis erga Deum ingratitudinem graviter hisce verbis ponderat: *Quid-*

Num. 25. *nam tecum agendum est, O homo? In sublimi Deum agentem minimè quærebas, ad te verò per carnem venientem, & tecum conversantem non recipis?* Deo etenim in cœlis in throno majestatis considente, universum genus humanum, modico illo Judææ angulo duntaxat excepto, sua idolis genua flectebat, neque ad agnoscendum Deum vivum & verum oculos habebat: nunc verò postquam è Paradiso in hanc descendit lachrymarum vallem, ut illum nobis à tot sæculis observatum secluderet, verumque nobis lumen, quo illum agnosceremus, communicaret, pretioso suo nos sanguine redimeret, & infernum occluderet, nullus est hominum, qui ad illum recipiendum aut hospitandum se moveat, præterquam bos aliquis & asinus. *Non erat ei locus in diversorio, reclinavit eum in præsepio. Sed pietate animi motus dices forsitan* (Ita Didacus Stella meditatur) *si ego illic essem, utique illos reciperem, sed quomodo illud facies, cum quotidie clamet ad ostium cordis tui, nec aperis illi? Claudis Christo portam, & diabolo ipsius inimico aperis & dicis te illi daturum hospitium?* Tandem idem propositum ulterius prosequitur dicendo, quomodo Jesu Mariæ & Joseph daturus es in domo tua hospitium, qui illud pauperibus impertiri detrectas, cùm tamen Evangelium perspicuis verbis dicat: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Pergit ulterius & dicit: Nos quidem summa cum sollicitudine ad usum nostrum superba erigere ædificia satagimus: Christus autem ex altera parte apud nos longè inferioris est conditionis ipsis vulpibus, quibus sua latibula & foveas indulgemus, & tamen Christo hospitium à nobis petenti denegamus: *In vita non habuit, ubi caput suum reclinaret, & tu alta palatia ædificas, cum sis vilis terræ vermiculus*.

7 Enimverò quod si filius Dei in hanc terram descendisset absconditus nobisque id ignorantibus, excusationem utique haberemus, quo minus ad illum condignè excipiendum nos præparassemus: nunc verò nihil est, undè excusare te possis: In prima Antiphona, quæ heri ad primas hujus Festi vesperas decantata fuit, ita cecinit Ecclesia: *Rex pacificus magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra.* Similiter quoties in præterito Adventu hunc Salvatorem hodie natum desideravimus & expetivimus dicentes: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: utinam disrumperes cœlos & descenderes, veni & noli tardare*; quoties in eodem Adventus tempore repetita fuerunt verba illa: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Quænam verò est ratio, quod eum quem hactenus tot tamque ardentibus votis desiderarunt, nunc in terris natum unusquisque omni studio à se repellat & fugiat: *Omnes declinaverunt*? Causam hujus eandem esse omnino existimo, quæ Apostolis occasionem præbuit Christum, priusquam in cœlum ascenderet, interrogandi: *Quando restitues regnum Israel?* Credebant enim Christum temporaliter regnaturum esse, ideoque se sceptris, coronis, thronis honorandos, locupletandosque esse sperabant: at verò quando ipsum in tanta nuditate, paupertate, & abjectione descendere viderunt, unusquisque ab ipso fugit: *Non erat ei locus in diversorio*; Unusquisque sibi quidam Deum præsentem esse vellet, sed in exoptata prosperitate & felicitate humana, non verò in passionibus, laboribus & ærumnis: Mundus enim honores quærit, atque delitias, ac proinde *Mundus eum non cognovit*; nihil Joan 1. v.

enim secum habebat, aut portabat, quod ad mundum 10.

pertinere, quia Mundus in maligno positus est. Et tamen tempus præsens urget, ut divinum hunc infantem condignè excipiamus, ideo Ecclesia toties repetit: Parate viam Domini; proculdubio, inquit Cajetanus, actibus virtutum, si enim nos hoc tempore in virtutibus Christianis benè exercuerimus, apparatibus profectò summe ipsi gratis & acceptis ipsum excipiemus.

8 Sanctus Bonaventura *de quinque festivitatibus pueri Jesu*, optimum nobis modum tradit, quo cœlestem hunc partum feliciter eniti & parturire valeamus. Primò enim concipiendus est à nobis, quod sit contentiendo divinis inspirationibus, quibus ad vitæ emendationem, moresque nostros reformandos invitamur. Partus autem hic Dei est, cùm sit gratiæ suæ opus peculiare: Nascitur autem sive gignitur, quando hæc à Deo facta inspiratio, indeque conceptum bonum propositum executioni mandatur: De hoc partu Angeli impensè lætantur, quia *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*. Mox verò ut divinus hic partus in lucem est editus, lachrymis nostris est abluendus, sanctisque meditationibus fovendus & alendus, affectuum quoque & cogitationum cœlestium fasciis involvendus est, ac demum cum eximiæ devotionis teneritudine à nobis est exosculandus, ac tunc felix anima exemplo sacræ sponsæ di-

cere debet: *Tenui eum, non dimittam, donec introdu-* Cant. 3. v. 4

cam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ; intimis namque animæ nostræ præcordiis adstringendus à nobis est, ne unquam ipsum amittamus. Idem S. Bonaventura invitatorium illud: *Parate viam Domini*, Interpretando dicit, id fieri *per observantiam mandatorum: rectas facite semitas ejus, per observantiam consiliorum*.

9 Hugo verò Cardinalis ad Regem hunc gloriæ decenti cum reverentia suscipiendum alium nobis ap-

paratum præscribit, dum ait: *Parate viam, peccata* Tit. 3. 13.

abjiciendo: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo, q. d. vultis scire, quid faciendo Deum hisce diebus in anima vestra recipere valeatis? sufficit, si peccata à vobis abjiciatis; ut ad recipiendum hunc Dei Filium hodie è sinu Patris pro nostra salute in stabulum Bethlemiticum descendentem dignè vos præparetis, sufficit benè & legitimè facta peccatorum vestrorum confessio. Porrò ut magnus aliquis & potens Princeps dignè recipiatur, quot non adhibentur impendia, quot non explicantur in penetralibus tapetes & peristromata, quot non fiunt apparatus? Ut autem Deus ille à nobis recipiatur, *quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates*, hoc unicum abundè sufficit, *ut* scilicet *abnegemus impietatem* atque ab animarum nostrarum hospitio procul abjiciamus iniquitatum & culparum nostrarum sordes, quod ubi hodie præstiterimus, divinus utique in nobis feliciter nascetur Jesulus.

Omnes Creaturæ Creatorem ſuum recipere certatim contendunt, ſolo homine, licèt pro eo naſcatur, excepto.

DISCURSUS SECUNDUS.

Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit.
Iſaiæ Cap. 1. verſ. 3.

1 DEus olim de ingratitudine populi ſui lamenta inſtituens per os Iſaiæ Prophetæ inter cætera dixit, duo bruta animantia, bovem videlicet & Aſinum grata ſe erga præſepe Domini ſui, eo quo poterant modo ſe exhibuiſſe, Iſraelem verò ipſum nequaquam agnoſcere voluiſſe; id quod hodie in nobis revera adimpletur: Dum enim nos hodie Filium Dei in ſtabulo ſordido natum, atque ab iiſdem prænominatis brutis velut ex compaſſione quadam circumdatum, halituque ipſorum devotiſſimè calefactum & fotum videmus, noſtram ex alia parte inexcuſabilem ingratitudinem cernimus; tametſi enim nobis duntaxat & pro noſtra ſalute natus fuerit (*Hodie nobis cœlorum Rex de Virgine naſci dignatus eſt ut hominem perditum ad cœleſtia regna revocaret*) à nobis tamen probroſè ſpernitur & abjicitur: Et ideo quis eſt, qui non videat nos non ſolum eadem, qua populus Hebræus ingratitudine eſſe obnoxios, verum etiam in debita erga communem creatorem gratitudine à duobus brutis animantibus in maximam confuſionem noſtram turpiter ſuperari? *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognovit.*

Aggæi.2.7.

2 *Commovebo cœlum & terram* (inquit Deus per os Aggæi Prophetæ) *& veniet deſideratus cunctis gentibus*: Ecce qualiter cœlum & terra, omneſque aliæ creaturæ tam ſenſibiles, quam inſenſatæ aliquod erga divinum hunc infantem obſequii ſpecimen exhibere, certatim ſtudeant; Etenim cœlum novam quandam produxit ſtellam, quæ ſupra tugurium Bethlehemiticum inſolita luce ſua mirabiliter emicuit: Empyreum quoque cœlum ſeſe pandens ſpirituum Angelicorum copioſos exercitus in aera ſubmiſit, qui hymnum illum intonarent Angelicum: *Gloria in altiſſimis Deo. Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum*; Similiter cœleſtium orbium ſphæræ, nectare & ambroſia fuere reſperſæ, unde Eccleſia canit: *Hodie per totum mundum melliflui facti ſunt cœli.* Ingens quoque illud ſolaris Planetæ jubar ſuos in oriente multiplicavit radios, adeo ut coram oculis noſtris tres ſe in cœlo ſoles videndos ſteterint. Viſus quoque eſt in aere circulus quidam aureus, in cujus medio Virgo quædam erat, quæ infantem quendam parvulum in brachiis ſuis ferebat, voluiſſentque orbes cœleſtes, ſi ita fieri potuiſſet, ſeſe transformare in faſcias; ut beatum hunc hodie editum partum tanto ſibi arctius adſtringere poſſent.

3 Ubi vulgata noſtra in Iſaia legit: *Rorate cœli deſuper*. Septuaginta legunt: *Florete*. Notandum eſt autem, quod ly *Rorate* ad rorem, qui quidam eſt cœlis fructus, pertineat; *florete* autem ad germina, quæ terræ partus ſunt, ſpectet, quaſi cœlum & terra, flores & ſtellæ ſuavi quodam certamine in Creatore ſuo honorando & adorando inter ſe concertare vellent. Cœli namque mox ut Creatorem ſuum in terram viderunt deſcendere, utique eſſe cœlorum ſponte propria relinquere, & terra fieri maluiſſent; tenellis ſe odoriferiſque contegendo floribus, ut hac ratione rudibus & aſperis paleæ auleis, quibus Jeſulus recens natus incumbebat, ſubtractis, ipſi jam floridi effecti infantilibus ſe ejus membris ſubſternere poſſet.

4 Dicit quoque idem Propheta *Commovebo terram*. Quia hic Romæ in parte Transtyberina torrens quidam olei & balſami ſcaturiit; prata quoque in horrido licèt gelidoque frigore revireſcere cœperunt: *Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum a facie Domini, quia venit.*

Pſ.95.v.12.

Sic quoque ab ultimis terræ finibus tres approperarunt orientis reges, ut debitæ ſervitutis Regi regum recenter nato præſtarent homagium. Imò in ipſomet ſui centro terra commota fuit; ſiquidem Chriſto nato totus infernus conturbatus fuit, ipſomet tenebrarum principe idipſum coram Cæſare Auguſto atteſtante dum ait:

Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub orcum.

5 Enimverò qualiter omnes creaturæ Salvatorem hodie natum agnoverint, & ſuo quo poterant modo veneratæ fuerint, Chryſologus pauca quidem, ſed valdè emphaticis hiſce verbis declarat, dum ait: *Natura ſuſpicit, cœli narrant, annuntiat firmamentum, oſtendunt ſtellæ, Magi prædicant, Paſtores adorant, pecora cognoſcunt.* In hymno quoque hodie in Eccleſia decantato, hæc inter cætera verba habentur: *Hunc cœlum, hunc terra, hunc mare, hunc omne quod in eis eſt, auctorem adventus tui laudans exultat cantico.* Imo Boves & Aſini eo ſe reverenter inclinant, ſuique oris ſpiritu ipſum calefaciendo fovent: *Ecce jumenta adulantur caudis*, inquit Chryſologus, *blandiuntur auribus, linguis lambunt, & modo quo poſſunt auctorem ſuum fatentur*; Et quidem valde eſt veriſimile, quod hæc animalia, ut nudum infantuli corpuſculum hyberni frigoris tempore calefacerent, ſuum in illud halitum continuo emiſerint, ab omni ſe eſu continentes, ut fœnum aut paleas cui incumbebat, tenello ipſius corpuſculo ſubſtraherent. Ser.142.

6 Abacuc olim prædixit: *In medio annorum notum facies*, eademque verba de Meſſiæ in hunc mundum adventu intellexit: Septuaginta verò legunt: *In medio duorum animalium cognoſceris*. In præteritis quoque matutinis Reſponſorium quoddam cecinimus hujus tenoris: *O magnum myſterium & admirabile ſacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præſepio*, quaſi dicere vellet, magnopere bruta iſthæc enormis vos ingratitudinis condemnant, utpotè, qui in tot nominibus Jeſulo hodie nato debita gratitudine à duobus illis ſtolidiſſimis animalibus vos ſuperari permiſiſtis, maximè cum idem ille infantulus illorum Creator duntaxat, veſter autem pariter Salvator & Redemptor exiſtat: *Tu homo ſi non mox cum Angelis*, inquit Chryſologus, *agnoſce vel tardiſſime cum jumentis, ne dum moraris, ipſis jumentis, quibus ante comparatus fueras, poſtponaris*. S. Ambroſius quoque negligentiam & ſocordiam noſtram affectuoſiſſimis hiſce verbis exſtimulare voluit; dicendo: *Infantis audis vagitus, non audis bovis Dominum agnoſcentis mugitus, agnovit enim bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui* q. d. Conſideres velim ò homo pro quonam Deus iſte ſuper fœnum natus fuerit, aut pro quo præ nimio gelu contremiſcat, num fortè pro brutis iſtis animantibus? Nequaquam, quin potius *Servile corpus induit, ut carne carnem liberans, nè perderet quos condidit*. Audite obſecro, quam aptè hac de re ſanctus Thomas de Villa-Nova locutus fuerit: *Deus pro homine homo factus eſt*, inquit, *brutum proſternitur, jumentum adorat, & non ſua beneficia recognoſcens ſtabis homo?* Abac.3.2. Serm. 141 Lib. 2. in Luc.c.2. Conc.1. de Nativ.

7 Enimverò bona ponderatione digna ſunt Verba illa: *Iſrael autem me non cognovit*; ſiquidem *Iſrael idem* eſt, quod *videns Deum*: Etenim nunquid Deus noſter jure meritiſſimo conqueri & lamentari poteſt ſe ab illo populo non eſſe agnitum, cui præ cunctis aliis totius terræ populis inſigne fidei lumen ſuique notitiam communicarat, cuique tam ingentia contulerat beneficia? ut proinde David non immerito de hoc populo dicat: *Non fecit taliter omni nationi*. Et ideo idemmet ſanctus Archiepiſcopus dicit: *Iſrael, inquam, pro quo veni pro quo hæc omnia pertuli, me, cæteris omnibus adorantibus ignoravit, abjecit, & vilipendit, cum inſenſibilia omnia, in majorem ejus infamiam, venienti mihi in mundum reverentiam, & obedientiam præſtiterint*. Ad idem quoque propoſitum Chryſologus quærit: *Cur Rex Judæorum in præſepi jacet, & non decumbit in templo? cur non fulget in purpura ſed ſqualet in pannis? cur latet in ſpecu & manifeſtus in ſanctuario non habetur? receperunt jumenta in præſepi, quem in domo veſtra recipere vos ſprevistis; agnovit, ſicut ſcriptum eſt, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, tu autem Iſrael in Dominum non quæſiſti.* Serm.156

1 Verùm enimverò nos qui populi illius ingratitudinem tantoperè deteſtantur, præſentem diſcurſum

ad nos

ad nos ipsos nonnihil convertamus, utpotè qui egregios effectus, & immensa è nativitate Salvatoris derivantia bona longè excellentiùs præ illis participamus; siquidem ut jam diximus, *Propter nostram salutem descendit de cœlis*, quonam grati animi specimine sanctis ejus natalibus correspondimus? Nicetas Commentator Nazianzeni ait: *Deus per Prophetam Israeliticum populum & ingratum, & vecordem acriter objurgans ait: Cognovit bos possessorem suum*, &c. *quibus verbis Judæos mutis animalibus propemodum stupidiores extitisse ait*: mox verò ad omnium Christianorum summam confusionem subdit: *Omnibus iniquè & ingratè erga Deum affectis hæc oratio congruit*. Certissimum est equidem, quod inter omnes totius universi populos, nullus sit tanto lumine illustratus, tantaque beneficiorum mole cumulatus, quemadmodum nos, qui in Ecclesiæ gremio vivimus, & tamen Deus noster, qui ad nostram redemptionem in hanc terram descendit, tam parvi à nobis æstimatur.

In Orat. 38.

9. *Interroga jumenta, & docebunt te*. A stolidis saltem hisce animalibus, quæ Deo suo meliori, quo possunt modo serviunt, exemplum capiamus. Enimverò quotidiana experientia testatur & docet, quod potior occupatio, cui potior Christianorum pars hisce diebus vacat, in eo potissimum consistat, quod dediti sint exhibendis sibi mutuo complimentis, & ceremoniis apprecando bona festa, mutuis se muneribus, conviviis, aliisque similibus conversationibus honorando, nihil interea de tam sublimi, & arduo mysterio, quale est incarnationis, & nativitatis Domini nostri cogitando; Natus hodie Jesulus non plorat ob nuditatem, & paupertatem, in qua nascitur, non propter gelidissimæ hyemis rigores, non ob fœtorem, & squalorem stabuli, nec ob ullas alias, quas patiebatur ærumnas & miserias, utpotè quæ omnia voluntariè & sponte propria ab ipso assumpta fuerant; quin potiùs quia videt, quod cum nos unum pedem veluti in inferno positum habeamus, ipse verò idem præcipuè de cœlo descenderit, ut nos ab æterna perditione eriperet, plorat, inquam, quod nos nihilominus hæc omnia nihili faciamus, aut æstimemus, haud secus ac si de animæ salute, & æternitate nunquam ageretur; plorat, quia videt, quod Asini & boves in obsequiis erga ipsum venerabundi existant, nos verò Christiani, qui sanguine ipsius redempti sumus dorsum ei vertamus, eumque contemnamus.

Conc. s. da Nat. v.

10. Optime igitur nos Sanctus Thomas de VillaNova monet, dicens: *Accede saltem jam nunc rationalis homo, accede ad præsepium istud, & qui peccando jumentis insipentior es, & similis factus es illis, Creatorem tuum, vel inter ipsa jumenta recognosce, ne ipsis etiam jumentis posteriorem te vilioremque demonstres*. Salmeron optimum nos modum edocet, quo devota hæc animalia imitari possumus, nimirum nostram erga cœlestem hunc infantem fidem exercendo, confitendo ejus Divinitatem, in ejusque locum pauperes suscipiendo: *Quemadmodum animalia hæc spiritu caloreque suo Christum foverunt, ita & nos ipsum fide, & confessione profiteamur, eumque in egenis & pauperibus foveamus*.

Tom. 3. Tract. 33.

11. Sanctus Franciscus licentiam obtinuisse legitur, ut hac nocte in tugurio quodam in præsentia duorum illorum animalium missam celebrari curaret, & ad populum prædicare posset, ut tanto vivacius mysterium istud repræsentaretur: Fuitque à nonnullis visus infantulus quidam in illius tugurii præsepio jacens, quem sanctus Patriarcha inter brachia sua accipiens à somno excitare videbatur, multum quoque feminis super tugurii illius pavimentum dispersit, ut hoc ipsum illucescente diluculo à volucribus acceptum, earum linguas ad decantandas communi Creatori nostro laudes, & gratias laxaret. De beata Margarita de Castello scribitur, quod cùm erga hodiernum festum devotissima esset, Christi Nativitatem continuò meditando, tandem post mortem ejus, in corde ipsius margarita quædam stupendæ magnitudinis inventa fuerit, cui mysterium istud stupendo quodam modo insculptum erat, ipsaque coram puerulo genuflexa veluti Jesulum adorans conspiciebatur: *Amplectimini Christum in nostra carne nascentem*, inquit Sanctus Leo, *ut eundem Deum gloria videre mereamini in sua majestate regnantem*.

Serm. 2. de Nativ.

Musi Prompt.

12. Regius Propheta David olim dicebat: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Et verè si Deum nobiscum semper esse volumus, necessum erit, ut neque nos unquam ab ipso separemus; Deus enim nunquam nos deserit, nisi prius deseratur à nobis; atque ideo si ipsum hodie in Bethlehem, id est, in domo panis, vel in Eucharistia accepimus, cavendum nobis est, ne ipsum amittamus. S. Bernardus fœlices appellat illos, qui cum eodem Davide dicere possunt: *Ut jumentum factus sum apud te; talia enim jumenta agnoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui, in quo positum est eis piissimum fœnum; ipse qui est panis Angelorum*. Serm. 3. de Circuncil.

Christi Divinitas per comparationem ad utilitatem corporis assumpti consideratur; nec non Nativitatis ejus prodigia tantæ humilitati ponderantur conjuncta.

DISCURSUS TERTIUS.

Verbum caro factum est.

1. CErtissimum est, quod inter cuncta opera, quæ de manu altissimi prodierunt, nullum sit prodigiosius, magisque stupendum, quam fuerit Incarnatio verbi, & hypostatica unio, qua Divinitas vili humanæ naturæ luto unita fuit: Quod satis liquet, si infinita consideretur distantia, quæ est inter significata duarum illarum vocum, *verbum* & *caro*. Hanc autem prodigiosam unionem oculus humanus hodie in præsepio Bethlehemitico potest conspicere. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Suscipitur*, inquit S. Leo, *a majestate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas*, veruntamen scimus, inquit idem Pontifex alibi, quod *verbum caro factum est provectione carnis, non defectione Deitatis*. Quodsi verò quispiam quærat, cur Deus ad hominem redimendum de cœlo descendens, ipsemet simul homo fieri voluerit, divinam tamen nequaquam deponendo naturam? Huic ego respondeo, id factum esse, *ut ei vera inesset Deitas; ad miracula operum, & vera humanitas ad tolerantiam passionum*; voluit namque ut omnibus se Deum esse innotesceret, simulque intelligeretur, se in hac passibili natura nostra pati velle pro consummanda humana redemptione. Porrò in præsenti discurso circa ly *verbum*, prout illud humanæ mortalitati contra opponitur considerationes aliquas instituemus.

Serm. de Nativ.

Serm. 4. de Nativ.

Serm. 8. de Nativ.

2. *Verbum caro*. In memoriam quæso id revocemus, quod Isaac Patriarchæ accidit, quando morti proximus in procinctu erat, ut suam primogenito suo benedictionem impertiretur: Et quidem quia stratagema, quo Jacob matris suæ suggestione usus fuit, notissimum est, illud pertranseo, hoc solum notans, quod bonus ille Senex filium suum, an primogenitus esset, exploraturus, cum cæcus esset, adeoque tangendo veritatem experiri deberet, quoad hunc quidem sensum delusus fuerit, quoad vocem tamen nequaquam fuerit deceptus, quia dixit: *Vox quidem vox Jacob est, manus autem manus sunt Esau*. Sed dices fortassè quomodo seniculus ille persuadere sibi poterat, quod unus idemque homo Esau pariter, & Jacob esset? Et ideo respondeo, justam quidem Isaacum habuisse obstupescendi rationem, veruntamen quia *omnia in figura contingebant illis*, iden si vultis in uno eodemque subjecto Isaacum pariter, & Esau videre, de quo proindè verè dici possit: *Vox quidem Jacob, manus autem Esau*; Ecce vobis in uno eodemque Dei filio Israelem & Esau, id est, naturam divinam, seu verbum, & animam, quæ clara Dei visione fruitur, & naturam humanam olim maledictionis condemnatam, & peccato subjectam: *In similitudinem carnis peccati*. Vultisne veram Israelis vocem audire? aures vestras cœlestis militiæ exercitui, qui super tugurium Bethlehemiticum hodie descendit, porrigite: audietis enim illos festivo voto canentes: *Gloria in altissimis*

Gen. 27. v. 22.

Rom. 8. v. 3

Deo. Uultisne etiam manus Esau videre? præsepe tugurii hujus inspiciatis, ibi namque divinum huoc infantem super rudes fœni, & paleæ seu straminis stipulos jacentem, & præ nimio frigoris rigore trementem invenietis. Cœlestes quidem Hierarchiæ de cœlo Empyreo certatim descendunt, ut ipsum adorent: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei*: (Heb. 1. v. 6.) ex alia verò parte ipsum concipietis in medio duorum stolidorum animalium positum: *In medio duorum animalium cognosceris*: super tugurii Bethlehemitici præsepio, nova quidem, & prodigiosa stella scintillat, illa tamen Deum in fœtido quodam, & sordido stabulo demonstrat: Eadem hæc stella tres quidem Reges orientales ad eum adorandum invitat: at verò alius quidam Rex insana agitatus furia ad eum occidendum: Pastores in sacram specum advocantur, ut se coram noviter nato Rege humiliter prosternat: ex alia tamen parte sacerdotes, scribæ, & synagogæ principes eum aspernantur & abjiciunt, *Non erat ei locus in diversorio*. Optimè Sanctus Maximus ita scribit: (Hom. 4. de Nativ.) *Quod si sensum suorum fragilitate, minus dignum videtur. Filium Dei natum de fœmina credere, virginem cogita peperisse, si tibi panni, quibus obvolutus est, fortasse vilescunt, Angelos collaudantes, & multitudinem cœlestis exercitus admirare; si præsepe in quo infans jacuit, despicis, erige paulisper oculos, & novam in cœlo stellam protestantem mundo Nativitatem Dominicam intuere: si cordis vilia, crede mirifica*. Miracula enim & prodigiosa in Divinitatis testimonium deserviunt, vilitas autem, humilitas, & contemptus mortalitatis nostræ tutum demonstrant.

(In Lucam.) 3. *Mirifica*. Hugo Cardinalis tres hodie Soles in oriente comparuisse scribit. *Qui paulatim in unum solare corpus reducti sunt; ad significandum, quod fides trini, & unius Dei toti mundo manifestanda esset*. Albertus Magnus (In Lucam.) autem quoad hosce tres Soles in alia est opinione, dum ait: *Tres Soles exorti trium naturarum signant radios, corporalis, & spiritualis, & Deitatis quæ in unum collecta in unitate personæ Christi totum illuminaverunt mundum*. Salmeron antiquorum authorum testimonium adducens dicit, (Tom. 3. tract. 35.) quod in loco Sanctæ Mariæ trans Tyberim flumen quondam merum oleum manans integro Nativitatis Dominicæ die scaturiverit. *Christi gratiam gentibus communicandam portendens, & quod natus esset ille, qui unctus erat oleo præ consortibus suis*. Ulterius Cæsarem Augustum altare quoddam in Capitolio cum hac inscriptione: *Ara primogeniti Dei*, erexisse refert, eò quod Sybilla in aureo quodam Solis circulo virginem quandam pulcherrimum in sinu parvulum bajulantem viderit, eumque Augusto sensibiliter demonstraverit, dicendo, puerum hunc Regem futurum ipsomet Augusto longè potentiorem, vocemque quandam auribus ipsius insonare dicentem: *Hæc est ara cœli*, quod nomen in Ecclesia illa, quæ in ejusdem Augusti Palatio fabricata fuit, semper de inceps perseveravit.

4. *Mirifica & vilia*. Albertus Magnus ait: *Ecce in stabulo ponitur, qui continet mundum; jacet in præsepio & super ipsum mugiunt animalia, qui in nubibus tonat; mirabile pro certo mysterium, Regem cœli, cui talia famulantur obsequia, ut scribit Ambrosius; numquid enim thronus præsepium, aula regia stabulum, panni confusi & veteres regalis purpura, nodi colligationis & involutionis fibula, curiæ regalis frequentia Joseph & Maria*; Ac tandem ipsum ex puro erga nos amore, ut omnium pro nobis moreretur, & pateretur in terram descendisse, ait: *Propter hac enim inveniendam ab altis descendit ad humilia, à regalibus sedibus ad jumentorum stabula*. Et quidem in eo quod patitur, verum se demonstrat esse hominem, in prodigiis verò insolitatis maximo re, & infinitæ Majestatis ostendit esse Deum. *Ex utero funditur*, inquit Sanctus Ambrosius, (Lib. 2. in Luc. cap.) *sed coruscat è cœlo: terreno in diversorio jacet, sed cœlesti lumine fulget; nupta peperit, sed virgo concepit; nupta concepit, sed virgo generavit*. Dionysius Carthusianus optimè quid (In Lucam.) Redemptori nostro tanquam homini, & quid eidem tanquam filio Dei convenerit, considerat, dicens: *Tanquam homo a puella concipitur, in stabulo nascitur, pannis involvitur; in præsepio ponitur, circumciditur & in Aegyptum fugatur*: at verò tanquam Filius Dei *ab Angelo nuntiatur, à Virgine generatur, ab Angelico exercitu commendatur*. Similiter Sanctus Thomas de Villa (Conc. 1. de Nativ.) Nova admirabilem cœlestium prodigiorum cum abjectione, & contemptu humano conjunctorum contextum admiratur; dum ait: *Admirantur nimis cælestis curiæ principes immensam intra tenerrimi corporis sacellum inhabitantem Domini Majestatem, Majestas simul, & humilitas eodem spectaculo proponuntur*. Etenim vilitas hæc carni nostræ, cœlestis autem magnificentia verbo correspondet. Unde idem Sanctus subjungit: *Nascitur ex muliere, sed ex virgine; jacet in præsepio, fulget in cœlo; sociatur brutis, & adoratur ab Angelis; pannis involvitur, & à prostratis coram se Regibus colitur; obmutescit in gremio, & proditur radiante cœlo, absconditur in stabulo, & cœlestibus hymnis ejus natalitia celebrantur*.

5. Sanctus Evangelista de simplicibus Pastoribus scribit: (Luc. 2.) *Et omnes qui audierunt, mirati sunt de his, quæ dicta erant à Pastoribus ad ipsos*. Sed quidnam ab illis Pastoribus dictum fuerat? Illud nimirum, quod in Bethelehem oculis suis viderant; sed quodnam est illud, quod ibidem conspexerant? *Ipsam sapientiam Patris obmutescentem, fortissimum imbecillem, magnum humilem, & abjectum, impassibilem passibilem, divitem pauperem, infinitum finitum*, ita Didacus Stella in hac materia meditatur, & paulò post interrogat: *Quid rogo magis occultum & inauditum, quam quod Christus tanquam peccator ploret? & quid manifestius, quam gloriam ejus Angelos cantare, & illum pleno ore Salvatorem dicere?*

6. Verùm enimverò non minus in divino hoc infante admirandum est, quod is à primo conceptionis suæ instanti homo fuerit, perfectissimo rationis usu, nec non eadem prorsus sapientia, donis & virtutibus præditus, quas nunc ad æterni Patris dexteram constitutus possidere noscitur; unde dicitur de eo: *Fœmina circumdabit virum*; (Jerem. 31. 22.) Similiter beatissima illa anima in membris licèt infantilibus subsistens divina fruebatur essentia: *Nasciturus in carne*, inquit Beda, *Dei filius, sicut parentes sibi quos voluit, & locum Nativitatis, quem voluit, elegit, eosque ad ipsum locum, priusquam nasceretur, quomodo voluit, advexit, ita etiam tempore, quo voluit, imo quo ipse una cum Patre & Spiritu sancto à seculis disposuerat, perque ora Prophetarum prædixerat, mundum ut salvaret, intravit*; (In Lucam.) Veruntamen ut se hanc mortalem carnem nostram assumpsisse testaretur, novem in utero materno mensibus portari, & haud secus ac illi infantes fasciis involvi, lactari, membra tenella & pusilla infantiæ conformia habere, siti, fami, frigori, planctui, cunctisque aliis accidentibus tali ætati annexis subjici voluit; Et tamen ut Sanctus Petrus Damianus scribit: (Serm de Nativ.) *Ita magnus in forma Dei, sic brevis in forma servi, ut nec ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine ista brevitas premeretur*.

7. Porrò quicquid in hac filii Dei Nativitate vile & contemptibile est, hoc totum in nostram prorsus utilitatem redundat. Unde optimè Sanctus Maximus ait: (Hom. 3. de Nativ.) *Sed fortassis hunc, qui natus prædicatur ex fœmina, dum vilibus obvolvitur pannis, dum jacere contentus est in præsepi, dum lachrymosis vagitibus concrepat, dum maternis lactatur uberibus, Deum esse diffidis? Imo per ista frater, adverte, eum & ut hominem infirma pro infirmis pertulisse, & ut Deum potentiam exercuisse cœlestem*. Nullum proinde habemus stabulo Bethlemitico & pauperculis pannis, quibus obvolutus fuit, indignandi causam, siquidem in vilissimo stabuli illius præsepio ex solo erga nos amore expositus fuit. Unde Guerricus Abbas ait: (Serm 1 de Nativ.) *Vos igitur fratres mei, qui cognovistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israel non cognovit, vos igitur, quibus Salvator ideo non voluit, quia misericors esse voluit, sed eo vobis tenerior in affectu, quo minor est in aspectu, cantate, & exultate, & psallite*.

Ratiooes

Rationes declarantur, ob quas in stabulo nasci voluit.

DISCURSUS QUARTUS.

Et peperit filium suum primogenitum, & reclinavit eum in præsepio. Lucæ 2. vers. 9.

1 ECquidnam filius Dei è cœlesti Paradiso in hanc exterminii terram descendens, aliud præter stabulum quoddam reperire poterat? Cardinalis Cajetanus, dum considerat Angelos quidem Pastoribus signum quoddam dedisse, ex quo natum hodie Dei filium in præsepio positum invenire possent, nec tamen signum illud in particulari specificasse, existimat, signum illud publicum quoddam, omnibusque expositum stabulum fuisse: *Notorium, unicum, ac commune; alioquin Angelus aliquam particularem conditionem addidisset, ad distinguendum illud præsepe ab aliis; alioquin dicendum fuisset, in præsepio talis domus, aut talis Domini*; adeoque juxta hanc opinionem, quæ verisimilior esse videtur, locus, in quo Salvator noster natus est, generico nomine præsepium appellabatur, utpotè notum, publicum, cunctorumque hominum usui expositum. Lyranus scribit, Sanctum Josephum in hoc itinere, quod è Nazareth Bethlehem versus confecit, quoddam secum conduxisse jumentum, in quo beatissima Virgo prægnans, & gravida portaretur, ne forte ipsa pedestri itinere cum evidenti partus, quem intra viscera virginea fovebat, damno & præjudicio se conficiens fatigaretur, imò insuper bovem quendam secum conduxisse, ex cujus venditione necessariam sibi comparare posset pecuniam, unde sumptus in victum aliasque occurrentes necessitates necessarios exsolvere possent, eundemque duo hæc animalia in idem stabulum collocasse, adducitque superius relatum Abacuc Prophetæ vaticinium, juxta versionem septuaginta interpretum ab Ecclesia in officio divino acceptatam, nimirum: *Domine audivi auditum tuum & timui, consideravi opera tua & expavi, in medio duorum animalium: fuit enim Prophetæ admirationis pavor, quod in loco tam humili reclinaretur Salvator.* Hic enim uti S. Bonaventura advertit, in se adimpleri utique voluit, quod de semetipso postea dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Idem quoque sanctus Doctor oculum suum in jumentum istud, & viam publicam in qua expositus erat conjiciens, scribit, Salvatorem verè dicere tunc potuisse: *Ego ad nihilum redactus sum & nescivi; ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Et verificatum est illud Jeremiæ 14. *Expectatio Israel Salvator ejus in tempore tribulationis quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum?*

In Luc.

2 *Et reclinavit eum in præsepio, ut cibum jumentorum*, inquit Hugo Cardinalis, *Homo enim jumentum factus est Psal. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ideo Dominus factus est fœnum, quod est cibus jumentorum, id est, caro Isaia 40. Omnis caro fœnum. Quare*, inquit Didacus Stella, *in præsepio animalium & bestiarum loco? Quia Adam erat in Paradiso terreno & cum honore; cum autem misere lapsus fuit, animal factus est, & in locum animalium ejectus; cum autem puer iste hominem perditum quærat, eum in loco suo quærit; præsepium enim locus est jumentorum; consideret, rogo peccator, ibi Dominum esse voluisse, ubi sua peccata illum collocaverant.* Eusebius Emissenus hortatur, ne ab hujus stabuli fœtoribus deterriti, inde nos subducamus, dicens: *Fœtor ibi esse non potest, ubi est flos campi & lilium convallium, cujus odore delectata Ecclesia dicit: Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum.*

Hom. de Nativ.

3 Chrysostomus in vilibus præsepii illius excrementis & sordibus peccata nostra considerat, quæ de cœlo descendens divinus ille infantulus sibi erat vendicaturus, ad reddendum de illis rigorosum divinæ justitiæ computum: *Non invenit locum in sancto sanctorum, quod auro, gemmis, serico, & argento fulgebat, & tamen non nascitur inter aurum & divitias, sed in stercore nascitur, hoc est, in stabulo; ubicunque enim stabulum, ibi & stercus est ubi erant sperciora peccata nostra, propterea in stercore nascitur, ut eos, qui sunt de stercore sublevet.* Unde in ipso adimpletum fuisse putat, quod David quondam prædixerat: *De stercore erigens pauperem, ut collocet cum principibus.*

Psal. 112. 7.

4 *Reclinavit eum in præsepio.* Sanctus Maximus ideo id factum esse scribit, ut mundum doceret, se ideo potissimum ad nos descendisse, ut nobis pastor simul esset & pascuum: *Videto quanta sapientia collocari Christus dicitur in præsepio, qui gemina quadam gratia humani generis, & esca erat futurus pastor.* Peccatis nostris ita demerentibus in animalia & bestias transformati eramus, atque ideo non sine mysterio Salvator noster in fœnum transmutatus fuit, atque in præsepium depositus, ut cibus noster fieret; siquidem ut scriptura ait: *Omnis caro fœnum.* Ex alia verò parte *Verbum caro factum est*, vel enim dici potest, quod ex quo filius Dei panis est Angelorum, in præsepium & super paleam collocari voluerit, ut relicto bestiarum cibo, escam apprendamus Angelorum; E tamen proh dolor, quot sunt qui potiùs avidissimè non jam farinæ, sed paleæ Ægypti inhiant, cœleste hoc manna totaliter nauseantes. Guerricus Abbas tandem aliquando ætatem sive sæculum aureum nobis supervenisse, scribit, plenitudini temporis hujus per omnia simile, in quo Angelorum panis, qui omnem in se continet suavitatem, ipsis quoque jumentis cibi loco proponitur: *Homines enim, & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus, infinitè multiplex hæc tua Deus misericordia, ut qui panis est Angelorum, non solum hominum dites ac beatifices mensas, sed etiam fœnum factus jumentorum repleas præsepia.*

Hom. 2. de Nativ.

Serm. 4. de Nativ.

5 *Reclinavit eum in præsepio.* David speluncam illam considerans, in qua ut Saulis Regis iram declinaret, absconditus fuerat, & in qua licèt eundem Regem facillimo negotio occidere potuisset, semetipsum tamen vicit, ipsum illæsum & intactum dimittendo (ob quod factum idem Saul ipsum tunc Regem futurum esse proclamavit, dicens: *Scio certissimè quod regnaturus sis*) ad Deum conversus dixit: *In petra exaltasti me*, Id quod verissimè dicere poterat, reveta enim ex eo facto, quod sub ista petra patrarat, regnum ejus fortunatissimum cœpit augurium. Idem quoque æterno Patri suo dicere poterat Christus in spelunca illa Bethlehemitica commoratus: *In petra exaltasti me.* Quàm enim in cunctis sæculis gloriosa effecta est petra, seu spelunca illa? Ab hoc stabulo omnibus animabus per totum universum cœlestis se gloria infudit, ut divini hujus infantis agnitionem sive notitiam acciperent. In illa paupertate mira ejus pulchritudo mirabiliter illuxit, inquit Sanctus Cyprianus: *Ornamenta quæ deerant, etiamsi adessent, oculos inspectores non haberent, quia præsentia parvuli sic eorum, qui aderant, oculos occupaverat, sic illuminaverat animus, sic corda illuxerat, ut in hoc summo bono omnium bonorum una collectio videretur.* Ad ostendendam Majestatem suam minimè ei necessarii erant apparatus, superba palatia, aut numerosi aulicorum greges, siquidem sola ejus præsentia illum in hac nuditate & paupertate venerabilem reddebat atque magnificum.

1. Reg. 24. 21.

Psalm 60. 3.

6 *Reclinavit eum in præsepio.* Ponderandum quoque hoc loco est quoddam divinæ sapientiæ stratagema providissimè excogitatum; Hæc enim coram astutissimo Inferni colubro se abscondere volens, non solum ut alii homines nasci voluit. *Habitu inventus ut homo*; verum insuper in stabulo quodam, bestiarum receptaculo in lucem edi, ut minus quam homo esse videretur. Hanc considerationem Sanctus Leo his verbis tradidit; *In quo conflictu pro nobis inito, magno & mirabili æquitatis jure certatum est, cum omnipotens Dominus sævissimo hoste non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate objiciens ei eandem formam eandemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem sed peccati totius expertem*; Hanc igitur nostram vilitatem cum stabuli humilitate associare voluit.

Serm. 8. de Nativ.

9 *Reclinavit eum in præsepio.* Salmeron id factum esse ait: *Ut exemplum paupertatis utiliter sustinendæ præberet.* Suo namque exemplo docere nos voluit, paupertatem quam omnes & singuli aspernantur & fugiunt, nobis nequaquam fugiendam esse; *Intrat virgo*

Conc. 8. de Nativ.

regia, inquit S. Thomas de Villa-Nova, *pauperis hospitii in compositas angustias, intrat domicilium paleis, & animalium stercore sordidatum, domunculamque vento & frigori perviam gratanter inhabitat; Non ibi sella, non lectus, non mensa, non ignis, non denique alia supellex præter humile præsepium pascendis animalibus aptum. Hæc sunt bone Jesu partus solatia, quæ matri puerperæ præparas? Hæ deliciæ, hæc ampla palatia, hic ministrantium apparatus.* Conclusio autem, quam ex omnibus hisce præmissis deducit utilissima est omnibus illis, qui sub hujus vitæ ærumnis pressi dolent plurimum & ingemiscunt: *Quis jam de adversa fortuna conqueratur? Domina & Regina cœlorum tali hospitatur hospitio? & indignabitur vilis vermiculus quicquid illi accidat quomodocunque tractetur, & pauper non gratias aget, in tam despecto loco filium Dei videns se similem Dei nostri in paupertate cognoscens.*

8 Porrò stabulum istud altissimo consilio illius infantis, qui æterni Patris est sapientia electum, fastum nostrum condemnat atque superbiam. Unde Gerson
Serm. 5. de Nativit. exclamat, dicens. *O cadaver elatum! O saccum fimo plenum; cur inflaris? Si omnes tuæ miseriæ non sufficiunt ad humiliandum, respice quæso Regis tui Domini tui, & Dei tui humilitatem;* Quodsi hoc spectaculum superbiæ nostræ infirmitatem non sanat, verè plagam tuam incurabilem esse dicere possumus. Quot sunt, quos præsepii istius paupertas magis curavit, quam templi Salomonis opes atque divitiæ? David pro erigenda templi illius magnifica fabrica octingenta talentorum auri millia, & mille milliones & septemdecim talentorum argenti millia congregavit, præter ingentem metalli & ferri, quod ad pondus aut mensuram reduci minimè poterat, copiam; & tamen postquam filius ejus Regum sapientissimus templum hoc, cui in divitiarum multitudine, venustate, & amplitudine mundus nullum aliud simile vidit, erexisset, intellexit, quod idem ad plenam sui perfectionem jam perductum, Dei illius immensitati capiendæ minimè suffi-
3. Reg. 8. 17 ceret: *Ergone putandum est, quod vere Deus habitet ei super terram? Si enim cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi.* Quod si Salomon hunc Deum in Bethlehem Civitate Hierosolymæ proximè vicina præ gelido frigore tremulum, paleæ incumbentem, atque in medio duorum animalium in præsepio, & fœtido quodam stabulo ex compassione receptum vidisset, quidnam objecto facturus aut dicturus fuisset? Num fortè ipsum intra magnifici templi à se ædificati recepturus fuisset hospitium? verum quidem quod nulla ipsi præsentari potuisset aptior Deum hunc personaliter recipiendi occasio, quam illa, quantumvis se hoc honore censuisset indignum; Et tamen valde credibile est, quod id neutiquam facturus fuisset, sed potius ipsum absque omni compassione in eodem relicturus fuisset præsepio, maximè quando lascivis tot concubinarum involutus erat amoribus, quæ ipsum ad eam usque redegerunt insaniam, ut eum etiam apostatare, & coram idolis suis genua flectere coegerint. Nequaquam igitur ipsi præbiturus fuisset, sive in domo sua regia, sive in templo hospitium, nisi fortè simul intellexisset, necessum sibi esse ut eum in humilitate, paupertate, omniumque horum terrenorum bonorum contemptu imitaretur. Cæterum turpissimè semper, ut Sanctus Bernardus ait: *Errat qui forte ei sublimia quærenda arbitraretur esse palatia, ubi cum gloria Rex gloriæ susciperetur non propter hoc a Regalibus sedibus venit.* Deus noster non eo fine in hunc mundum venerat, ut in regiis nasceretur palatiis, secus enim è sublimi throno suo cœlesti non descendisset, quin potiùs id solum in descensu suo spectavit, ut paupertatem, & humilitatem suam cordibus nostris firmiter imprimeret Salmeron ait: *Pauper voluit esse, ne divitibus redderetur suspectus, quod eorum bona videretur velle occupare.* Quibus in verbis alia tibi insinuatur ratio, cur *reclinarit eum in præsepio.*

Alia quædam considerantur motiva, ob quæ Salvator noster in præsepio quodam nasci voluit.

DISCURSUS QUINTUS.

Et reclinavit eum in præsepio. Lucæ 2. vers. 9.

1. VErba illa: *Reclinavit eum in præsepio*, quantumvis paucula sint, seriò tamen ponderari merentur, infinita etenim in primis inter stellas & stabulum intercedit distantia; siquidem de Deo illo, qui in hoc præsepio positus conspicitur, Ecclesia dicit, quod *stellato sedet solio.* Præterea ea quæ reclinavit eum in præsepio, est ipsamet Virginum Regina, quæ puritatem & candorem tantoperè amare consueverat. Dilectissima, inquam, & amantissima mater quædam, qualis erat Maria, illa ipsa est, quæ ipsum in stabuli cujusdam sordidum præsepium, & quasi super fimetum quoddam collocat. Adhuc ponderandum est verbum illud. *Eum*; Etenim quod Deus ille, quem laudant omnia astra matutina, qui thronum suum super Cherubim collocatum habet, qui volat super pennas ventorum, qui universam mundi machinam tribus digitis sustinet, qui unico solùm verbo totum universum formavit: *Dixit & facta sunt, mandavit, & crea-* Tom. 3
ta sunt, de quo cum veritate dicitur: *Domini est* Tract. 33.
terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo, quod ille, inquam, in vili quodam tugurio, in abjecto quodam bestiarum nascatur receptaculo, quidnam eo prodigiosum magis imaginari sibi poterit? Quænam inter se magis sunt disparata quam Paradisus cœlestis, & horridum præsepium, verbum æternum, & stercus seu fœnum? palea, & Divinitas? jumenta, & boves, & imago Patris Perfectissima? *In præsepi* (verba sunt Salmeronis) *omnia sunt vilia visui, ingrata auditui, olfactui molesta, gustui insuavia, atque tactui dura, & aspera.* Ubinam unquam adeò extrema audita fuit paupertas, quæ causam dederit, ut partus matris cujusdam quantumvis egenæ, & inopis alium, in quo in lucem ederetur, locum non habuerit, quam stabulum? *Quæ major unquam audita est humilitas*, (inquit Didacus In Lucam.
Stella) *quam in stabulo nasci? quæ major paupertas, quam involvi tam pauperibus pannis; quæ major asperitas, quam in tam tenera ætate in præsepio reclinari?*

2 Rachel Idola, quæ Patri suo Laban ablata secum asportarat, abscondere volens, eadem subtus fœnum, Gen 31 34
quod camelis ad manducandum porrigebatur, recondidit: *Subter stramenta cameli*, omninò sibi illa ibidem securissimè latere persuadens; neque enim imaginari sibi poterat. Patrem suum unquam crediturum fuisse, quod Idola illa in tam vili loco recondita esset. Quodsi igitur de Laban præsumitur illum minimè crediturum esse, quod falsa Dæmonum numina subtus paleam, & fœnum abscondenda essent, eò quod locus ille nimis esset indignus, & abjectus, cur igitur Maria adeò discreta Mater, suique filii in eminentissimo materni amoris gradu amantissima, *reclinavit eum in præsepio?* cur non potiùs partus sui tempore approximante, Hierosolymam se recepit, ut ibidem in loco quodam templo civitatis illius adjacente eum in lucem eniteretur? *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus. Quæ tam dura, & rigida mater est* (inquit Didacus Stella) *quæ filium suum modo sine indulgentia tractat? Quod si dixeris non esse locum in diversorio, nunc in ulnis suis non est locus? Credo equidem ibi contentus erit, & potius quam in cunctis regalibus aulis. Cur illum ab uberibus removes; & in præsepio collocatur*: mosque per valde mysticam quandam sententiam respondet: *Utique edocta a filio hoc fecit* O quanta tunc erant, inquit B. Petrus Damianus:
Regum mundi turrita palatia, quanta miris lapidibus Serm. de
ornata triclinia? Et tamen omnia illa contempsit, quod Nativ.
qui præsepium ad cunabula sua Nativitatis elegit: Qua in sententia valde considerabile est verbum illud Elegit: Etenim alii infantes ab illis suis genitoribus concepti, quos divina illis providentia disposuit, ideoque eorun-

eorundem electione nullam ipsi partem habent, sed pa-
titer nascuntur ubi & quando, & à quibus Dei provi-
dentia vult & disponit; neque ullo sunt rationis usu præ-
diti, nisi in solo annorum progressu: at verò in hoc in-
Isa 8. v. 14. fante Divino Propheta Evangelicus olim prædixit: *Ec-
ce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen
ejus Emanuel, Butyrum & mel comedet, ut sciat repro-
Serm. de Nat. bare malum, & eligere bonum.* Quæ etiam S. Bernardi
observatio fuit, dicentis: *Non eligunt parvuli cæteri,
quando nascuntur, quippe quibus adhuc vix incipienti-
bus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi li-
bertas, facultas nulla deliberandi* moxque idem San-
ctus subdit: *Non ita huic accidit infanti: Nam Christus
etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, &
Deus erat ejusdem, cujus est nunc sapientia & potesta-
tis, utpote Dei virtus, & Dei sapientia.* Tandem idem
sanctus Bernardus concludit: *Nasciturus itaque Dei
filius (cujus in arbitrio erat, quodcunque vellet eligere
tempus) elegit quod molestius, præsertim parvulo, &
pauperis matris filio, qua vix pannos haberet ad invol-
Conc. 1. de Nativ. vendum, præsepe ad reclinandum.* Sanctus Thomas de
Villa-Nova hoc stabuli mysterium pia meditatione con-
siderans, hunc ferè in modum intra se discurrit: *Non
deerant Virgini vires ad sustinendum puerum, neque il-
lum utique tali loco posuisset, nisi magnum aliquod in illo
præsepio mysterium ageretur: Altissima namque nobis in-
de paratur eruditio; magna cathedra præsepium illud,
ex quo cunctis mortalibus Dei loquitur sapientia cælestis,
in stabulo magister legit.* Porrò lectio quam toti generi
humano pro cujus salute natus est, prælegere inten-
dit, humilitatem, cunctorumque terrenorum bono-
rum contemptum persuadere nititur. Unde sanctus Ber-
Serm. 3. de Nat. nardus ait: *Quid ergo stabulum elegit? Plane ut repro-
bet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem.*

3 Peritiores Medici, ut infirmitatem aliquam cu-
rare valeant, causam illius, & originem omni studio
eradicare, & submovere, omnesque malignantes hu-
mores divertere satagunt, quem eundem curandi
modum cœlestis Protomedicus noster observavit,
qui ait: *Non est opus valentibus medicus, sed male
habentibus.* Mox enim ut de cœlo in hanc terram ad
nos venit, infirmitatum nostrarum primæ origini,
Eccl. 10. 15 id est, superbiæ, *Initium omnis peccati superbia*, re-
medium applicavit; amor enim proprius cunctarum
iniquitatum humanarum prima est scaturigo, & hic
ut sanctus Augustinus asserit, Babyloniam, quæ filio-
rum confusionis, & perditionis universitas est, ere-
xit; ab hoc enim amore proprio alia hæc pessima ger-
mina, nimirum aviditas divitiarum, honorum am-
bitio, sensualium voluptatum concupiscentia derivan-
tur; ambitio autem causa est odiorum, bellorum,
discordiarum, invidiæ, &c. avaritia quoque radix est
iniquarum extorsionum, contractuum illicitorum:
omnemque prorsus extinguit Charitatem, & com-
passionem: *Radix omnium malorum cupiditas*: De-
mum verò quot sunt voluptatibus carnalibus vitia an-
nexa? Ab his tribus venenosis radicibus, prout san-
ctus Joannes clarè testatur, cuncta derivantur mala,
quæ per irreparabiles generis humani ruinas univer-
1 Jo. 2. 16. sam terram inundant: *Omne quod est in mundo, con-
cupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, &
superbia vitæ.* Cùm igitur unigenitus Dei filius eo po-
tissimum fine in hanc terram descenderit, ut peccati
subverteret, & eliminaret tyrannidem. *Ut peccatum
non regnet in nostro mortali corpore*, omninò conveniens
erat, ut ferrum radici admoveret, id est, totum il-
lud, quod omnis mali primaria, & principalis causa
erat, id est, superbiam & amorem proprium suo
exemplo condemnaret; atque ideo humilitatem in
semetipso exhibuit, ut proscriberet superbiam; pau-
pertatem experiri voluit, ut bonorum temporalium cu-
piditatem condemnaret: austeritati quoque vitæ sub-
jacuit, ut delitias reprobaret & voluptates: *O ma-
Conc. 2. de Nativ. gna cathedra præsepium istud*, inquit Sanctus Tho-
mas de Villa-Nova *in quo residet divina sapientia ma-
gister orbis, totum ibi legitur Evangelium: quicquid
enim bone Jesu postea verbo docuisti, hic statim ortus ope-
re demonstrasti. Quid enim aliud homines quærunt, nisi
delitias, divitias, & honores? quod cœlestis magister
damnat, mundus probat; quod ille probat, mundus con-
demnat; vide cujus vis esse discipulus.* Sanctus Bernar-
dus frigoris rigores, infantis nuditatem, nec non aspe-

ritatem præsepii considerans ait: *Cum esset tanta neces-
sitas, nullam audio fieri pellium mentionem. Primus
Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obvol-
vitur; non est tale judicium mundi; aut iste fallitur, aut
mundus errat; sed divinam falli impossibile est sapien-
tiam.* Denique concludit idem Sanctus: *Merito proin-
de & carnis prudentia (mors siquidem, & ipsa) inimica
est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur.
Quid enim? Christus, qui non fallitur, elegit, quod
carni molestius est, id ergo melius, id utilius, id potius
eligendum, & quicquid alius doceat, vel studeat, ab eo
tanquam à seductore cavendum.* Tandem idem sanctus
Bernardus indubitatam hanc conclusionem, tametsi
eam mundus nec credat, nec intelligat, ita stabilit:
*Malum ergo voluptas corporis, bonum vero afflictio est,
siquidem & hanc elegit, & illam reprobat puer sapiens,
verbum infans.* Ex quo eo præcipuè fine in præsentem
mundum venerat, ut pestifera voluptatum, gaudio-
rum, divitiarum, delitiarum, bonorum germina radi-
citus extirparet, minimè conveniens erat, ut in super-
bis palatiis, mollibus lectis, linis delicatis nasceretur,
sic enim præstantissimas hasce virtutes proprio suo
exemplo minimè comprobasset. Quin potius ut docti-
ssimus Salmeron scribit: *Quia Adam in Paradiso delitia- Tom. 3.
rum loco peccaverat, voluit reponi in præsepio* [illegible]
loco. Præsepium hoc durum (ita Didacus Stella medi-
tatur) *delicias hujus mundi condemnat, hoc stabulum
efficaciter demonstrat, quam vani sint honores mundi,
& viles illi panni, quibus Divina Majestas fuit invo-
luta, nobis ostendunt, qualis conditionis sint divitiæ hu-
jus sæculi.*

4 *Reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus
in diversorio.* Enimverò causa cur ei nullus superfue-
rit in diversorio locus, hæc est, quia divites, & vitæ
commoditatibus dediti, qui pecuniarum nervo præva-
lebant, iis, qui pauperes & egeni erant, præfereban-
tur, hi enim nequicquam sese restringi aut coarctari pa-
tiebantur, ut Filio Dei quoque in eodem secum diver-
sorio locum cederent. Præterquam quod experientia
quotidiana satis demonstret, quod Deus noster se ut
plurimum divitibus, aut voluptatibus, & vitæ com-
moditatibus operam dantibus, nequaquam associet,
sed potius hominibus tribulatis, & afflictis. Unde Serm. 1. de Nativ.
Guerricus Abbas ait: *Quid enim? adhuc tu superbis
terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? adhuc
magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus
est sub oculis tuis?* Deus ille infinitæ majestatis infans
factus est parvulus, & quidem in stabulo in medio duo-
rum stolidissimorum animalium, ecce quonam seda-
ctus fuerit ille, *quem adorant Angeli, adorant Domina-
tiones, tremunt Potestates.* Didacus Stella ait: *Quæ
major medela esse potuit, ad nostram superbiam curan-
dam, quid vehementius in humilitatis amore nos incen-
dere potuisset, quam cum Christum videamus inter bru-
ta animalia in medio præsepio constitutum?* valde in hoc
mysterio considerabilia sunt quædam doctissimi Salme-
ronis verba dicentis: *Clamat præsepium contra imma- Tom. 3.
nia nostra, insanaque ædificia, in quibus velut in diver- Tract. 33.
sorio est commorandum ad tempus, clamant stragula ex
fœno, clamat etiam præsepe, & damnat lectos nostros
aureos, omnique mollitie refertos.* Idem quoque San-
ctus Bonaventura hisce verbis scribit: *In hoc damna- In Lucam.
vit Christus lectos delicatos, contra quos dicitur: Væ vo-
bis, qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stra-
tis vestris. Quid dura stramenta detestaris*, inquit San-
ctus Bernardus, *cum tener infantulus, in cujus manu
sunt omnia, tuis sericis, tuis plumis, duras jumento-
rum stipulas praelegerit?* Porrò Sanctus Bonaventura In Luc. 15.
per præsepe in sensu morali conscientiam intelligit:
*Præsepe est conscientia inferius clausula per contemptum
mundanorum, superius aperta per desiderium æterno-
rum.*

Christus natus est, ut totus totaliter noster esset.

DISCURSUS SEXTUS.

Natus est vobis hodie Salvator. Lucæ 2 verf. 11.

1 HOdie in invitatorio matutinali Divinum officium hisce verbis exorsi sumus: *Christus natus est nobis, venite adoremus*; hæc autem declaratio, qua Christum pro nobis natum esse contestamur, cum annuntiatione ab Angelicis exercitibus Pastoribus intimata perfectè consentit: *Natus est vobis hodie Salvator*. Scio equidem, quod Lyranus, & alii legant nobis, quasi cœlestes illi spiritus dicere voluissent, Salvatorem in ipsorum quoque beneficium, & utilitatem natum fuisse. Unde Hugo Cardinalis ait: *Vel nobis, quia consortio hominum implendus est numerus Angelorum*: Et Dionysius Charthusianus ait: Aliqui sic legunt: *Natus est nobis, ut Angelus fateatur Christum natum non solum ob hominum Salvationem sed ob Angelicæ* [illegible] causa, Cajetanus tamen in Lucam legit: *Natus est vobis hodie Salvator, quia non erat natus Salvator Angelorum, sed hominum, Salvator siquidem Angelorum natus erat non hodie, sed ab æternitate*. Prætetquam quod S. Bernardus dicat: *Parvulus natus est nobis, non sibi, non Angelis, quia cum magnum haberent, parvulum non requirebant*. Deus noster ne vel gressum unicum fecit, ut tot redimeret milliones Angelorum, Potestatum, Dominationum, Cherubinorum, Seraphinorum, qui in barathrum infernale irreparabiliter præcipites facti fuerunt: *Solum propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est*. Guerricus Abbas ait: *Puer natus est nobis non sibi, non Angelis, sibi inquam natus non est, ut scilicet hac Nativitate esse, aut melius esse inciperet: quia antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat: Angelis natus non est, quia nec Angelus ille, qui in veritate stabat, reparatione indigebat, nec illius qui ceciderat, casus irreparabilis erat*.

Ser 4 super Missus est.

2 *Christus natus est*. Quamobrem factum esse putas, quod inter tres Personas divinas filius Dei pro homine redimendo de cœlis descenderit, etenim justa modum discurrendi humanum filius Dei vel maximam causam habebat sese ab hoc nos salvandi munere subducendi; siquidem ipse nostro intelligendi modo inter cæteras Divinas personas vel maximè offensus & contumelia affectus fuerat, cum enim Patri potentia, sapientia filio, Spiritui verò sancto bonitas attribuatur, prothoparens noster in primo insultu, quem peccando fecit, ostendit filium, attributi ejus usurpationem præsumendo ob spem quam habebat, futurum scilicet esse ut serpentis suggestio tandem verificaretur dicentis: *Eritis sicut Dii scientes bonum & malum*. Verùm enimverò tantum abest, ut hæc in eum commissa offensa ab ordienda redemptione nostra quicquam moraretur, ut etiam hæc offensa, ut Richardus à sancto Victore testatur, principale fuerit motivum carnem nostram assumendi, ut hominem redimeret, *ut ubi abundavit delictum superabundaret & gratia*. Considerari pariter meretur persona, quæ in tempore nascitur; cum de ea scriptum sit: *Ante luciferum genitus, & ante sæcula*. Circa quæ verba S. Bernardus dicit: *Ante sæcula, ait propheta, & in sæculum tu es Deus, & ecce factus infans unius diei*. Nunquid non ipse idem ille
Serm. 2. de Nat. Deus est, de quo S. Joannes ait: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: Omnia per ipsum facta sunt*, & tamen concludit: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, quia natus est nobis hodiè*. Non quidem natus est nobis quasi aliquo nostrum, vel aliqua rerum nostrarum indiguisset, cum verissimum semper maneat, quod David de
Ps. 15. ver. 2 ipso testatur: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Imò ideo ipse, qui ab æterno mundum creare decreverat eundem non ab æterno, sed in tempore è nihilo produxit, ut homo sciret, & videre perspicuè posset, se nec illius nec ullius alterius rei creaturæ opera indigere, cum idem ille Deus hodiè sit æquè sanctus, æquè bonus, æquè beatus, ac fuit ante omnem universi creationem: & ideo Apostolus in Atheniensium Areopago prædicans dicebat: *Nec indigens aliquo*. Cui accedit quod utique à tot Cherubinorum & Seraphinorum, aliorumque spirituum Angelicorum millionibus longè dignius recepturus fuisset obsequium, quam ab hoc fragili luto & vilissimo terræ vermiculo, qualis est homo. Act. Apost. cap. 17. 25

3 Verùm enimverò, id quod beneficium hoc Nativitatis suæ inæstimabile reddit, est quod nasci voluerit eo fine, ut nos, qui Dæmonis mancipia eramus per ignominiosam crucis mortem redimeret. Unde sanctus Ambrosius meritò exclamat: *O mira circa nos tua pietatis dignatio! o inæstimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres, filium tradidisti*. Quidnam obsecro diceres, si Rex unigenitum filium suum, qui post eum est regnaturus, Algierium inter Turcas mitteret, ut ibidem in locum filii tui, qui miserabilem eodem in loco agit servitutem catenis, & compedibus ultro catroque se subjiciat? hac enim similitudine necessario nobis utendum est, ut hoc adeo sublime sacramentum rectè intelligamus, scilicet quod nativitas Dei illius in cujus fœmore scriptum est? *Rex regum, & Dominus dominantium*, ab æterno ejus Patre eo præcipuè fine ordinata sit, ut servus ipse factus hominem servum redimeret: *Quæsumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet*. Et in Antiphona quadam dicitur: *Hodie nobis cœlorum Rex de Virgine nasci dignatus est, ut hominem perditum ad cœlestia regna revocaret*. Sanctus Bernardus in sermone quodam de hodierna festivitate, qui est tertius in ordine, hac utitur similitudine: Imaginare tibi aliquem qui in plateis subsistens jocatur, ridet, nugatur, &c. dum interea in Regis sui palatio mortis contra eum profertur, & enuntiatur sententia: *Audivit hoc unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudipedes, flens & ejulans quod morte damnatus esset servulus ejus*. Quem quidem casum sanctus proponit ad excitandum corda nostra ad aliquem eximiæ gratitudinis affectum: *Intueor illum procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor, & audio, quid facturus sum?* tandem verò concludit, quod ex effuso ejus sanguine, qui ad vulnera nostra curanda præstantissimum est balsamum, facillimè in lethalium vulnerum nostrorum, eorumdemque gravitatis notitiam devenire possit: *Mittitur filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo, medeatur*. Isaias Propheta, postquam Incarnationem Redemptoris prædixit, dicens: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, immediatè postea ad ejusdem alludit Passionem dicens: *Factus est principatus super humerum ejus*. Advertendum namque est, quod hac carne nostra assumpta, *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, nam ut pati; & cruciari pro nobis posset, hanc, cujus in præcedentibus discursibus mentionem fecimus, excogitavit adinventionem; etenim beata Christi anima à primo Conceptionis ejus instanti æterna perfruita est beatitudine, & consequenter ab ea transmitti quoque debebant in corpus quatuor dotes gloriosæ, adeo ut corpus illud jure meritissimo, utpotè à beata quadam anima animatum debuerit esse impassibile; Et tamen primum quod verbum incarnatum patravit miraculum in eo consistit, quod portione animæ superiori ità retinuerit beatificam gloriam, ut tamen illa minimè transmitteretur ad corpus, ad hoc ut illud omnium passionum, & tormentorum recipiendorum capax præ nimio frigoris rigore tremeret, ploraret, à reconditis sub fœno stipulis pungeretur, fœtorem sentiret, nec non famem pateretur & sitim, omniaque alia adversa, & persecutiones in magnum nostrum commodum sustineret, siquidem hic proprius finis ejus fuit, ob quem in hunc mundum est natus. Isa. 9. 6. Isa. 53. 4

4 Sanctus Maximus de hoc Nativitatis, mysterio Hom. 1 de
ita scribit: *In nativitate ejus nostra omnium habet vita* Nativit.
natalem. Quamobrem factum esse existimatis, quod mediæ noctis tempus in Nativitatis suæ horam sibi elegerit? *Dum medium silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet?* Didacus Stella respondet; dicens; *Adverto Christum media nocte fuisse natum*,

natum, ea noctis hora, qua homines rerum omnium, & sui etiam obliti, cum nulla vexat illos solicitudo, tunc singulare hoc beneficium piissimus Dominus hominibus præstat; unde merito in Cantico dicitur: Ego dormio, & cor meum vigilat. Etenim quando vel maximè salutis nostræ obliti eramus, vel potius quando in profundo quodam vitiorum nostrorum lethargo eramus sepulti, tunc se Salvator noster de nostra salute vel maximè ostendit esse solicitum, ut nos ad divinæ gratiæ suæ lucem cœlestisque gloriæ lumen exsuscitaret. Unde Guerricus Abbas ait. *Vere tu misericors puer natus es nobis, non tibi; lucra nostra, non augmenta; tu nascens, de nobis quæsisti, qui ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos mi-noratione tui proveheres.*

Serm. 2. de Nativ.

5 S. Thomas quoque de Villa-Nova Salvatorem nostrum suis in natalibus cuncta quæ fecit, in nostrum beneficium ordinasse, optimè consideravit, dicens: *Felices lachrymæ, quibus nostra abluuntur crimina; felices ploratus, quibus æterna gaudia possidemus; felices panni, quibus nostra nuditas operitur; felix arctitudo præsepii, qua nobis cœli amplitudo donatur*. Omnes namque hujus divini infantis passiones sua homini solida gaudia pepererunt: *Ille parvulus, ille infantulus* (inquit Ambrosius) *ut tu vir possis esse perfectus, ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus: Ille in præsepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris, ut tu in cœlis: Ille locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones*. Didacus Stella dicit, quod quicquid Salvator noster patiebatur, id totum eo directum erat, ut omnem à nobis passionem averteret. *Totus noster est, ejus lachrymæ nostræ, labores nostri, nostra ejus ipsius mors, nostra redemptio.*

Lib. 2. in Luc. cap. 2.

6 Deus quondam protoparenti nostro, per ironiam dixit: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*, id quod adimpletum non fuit, nisi in solo secundo Adamo, *secundus Adam de cœlo cœlestis*. Unde S. Bernardus ait: *Ecce in hac die mutata vice factus est Deus ad imaginem & similitudinem nostram, ut totus noster fieret*. S. Thomas de Villa-Nova ait: *Nobis ergo puer natus est, nobis filius Dei datus est, meus es o bone Jesu, & undequaque meus es, mihi natus a matre, mihi donatus a Patre*. Salmeron vinculum & unionem, qua hic Infans Divinitate cum humanitate nostra strictissimè univit, ponderans ait: *Verbum caro factum, ut humanam naturam cohonestaret, non solum affinitatem cum ea contrahendo ea ratione, qua humana natura cum divina hypostasi Verbi veluti quodam matrimonii vinculo indissolubili copulata est, verum etiam consanguinitatem nobiscum iniit, admirabili modo natus ex virgine, ut omnibus conjunctionis modis cum Christo uniremur.*

Serm. 3. de Nativ. Conc. 4. de Nativ. Tom. 3. Tract. 34.

7 In Bethlehem quoque nasci voluit, quæ interpretatur domus Panis ad significandum quod in panem transmutari decreverit, ad hoc ut in sacramento Eucharistico strictius nobis uniretur. Unde Guerricus Abbas ait: *Qui enim semel datus est mundo in forma carnis, & certis diebus aut horis datur fidelibus in specie panis, scilicet in esu sacramenti sui sæpius & incertis horis datur devotis in gustu spiritus sui; primum ad redemptionem, secundum ad sanctificationem, tertium ad consolationem*. Sanctus Bernardus quoque paucis verbis multa effatus est, dum ait: *Totus siquidem natus est mihi, & totus in usus meos expensus*. Hunc enim finem sibi Pater æternus in mente proposuit, dum filium suum in hunc mundum misit, ut scilicet liberaliter nobis illum donaret, & totaliter nostrum efficeret. Unde ipsemet Dei filius die quadam Nicodemo dixit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ideoque de divino hoc filio verè dicere possumus, quod omnibus omnia factus sit. Factus enim est magister noster, ut nostram instrueret ignorantiam; medicus noster, ut nostras sanaret infirmitates; Pater noster, ut nos aleret; lux nostra ut nos illuminaret; pastor noster, ut nos dirigendo duceret, sponsus noster, ut suis divinis amplexibus animas nostras demulceret: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium*. Ex quo igitur Pater æternus hunc nobis filium donavit, consequens est, ut nos omnibus cœli thesauris pariter locupletarit: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit*. Guerricus Abbas ait: *Inde probatur, quod natus est nobis, quia scilicet datus est nobis; nunquid potest*

Serm. 2. de Nativ. Joan. 3 v. 4. Rom. 8. 32. Serm. 2. de Nativ.

Mansi Prompt.

enarrari, quæ & quanta sunt data nobis, cum iste filius datus est nobis? nonne universas opes cœli, omnes thesauros Dei secum nobis advexit?

8 Valdè quoque considerabilis est dictio illa, nobis ob nimiam indignitatem nostram: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, gravioresque peccatores eramus, quando nascebatur, prouti Sanctus Bernardus in sermone 1. de Adventu, dum hæc ejusdem sancti Pauli verba: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, glossa sua illustrat, optimè advertit, dum ait: *Nimirum abundantia temporalium oblivionem fecerat terrenorum*. Sanctus autem Chrysostomus dicit: *Ex terra & cinere factos, & innumeris peccatis obnoxios, & malè de se meritos, & ingratos dilexit*; nobis natus, probè sciens nihil in ullo nostrum esse, quod beneficio adeò immenso corresponderet; imò ingratitudinem nostram sibi optimè perspectam habens, maximè eam, quam populus specialiter ab ipso dilectus, totque ab eo beneficiis cumulatus turpiter erga ipsum exhibuit, & tamen expressè protestabatur, se specialiter illi populo nasci, à quo carnem suam assumpserat. At verò ut optimè Guerricus observat: *De Judæis quidem est natus, sed nobis est natus, quia illis ablatus nobis est datus*. Quodsi verò modum scire desideramus, quo ei quadantenus grata mente correspondeamus, hunc nobis Didacus Stella haud obscurè insinuat, dum ait. *Considera Christum, qui omnibus nascitur, & se totum cunctorum utilitati accommodat, ita tu utilis esto omnibus proximis tuis,*

Serm. 1. de Nativ.

De pannis quibus nascens in terra Dei Filius involvi voluit.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Et pannis eum involvit. Lucæ 2. vers. 7.

1 ECce tibi hodie Regem gloriæ, de quo regius Propheta scribit: *Amictus lumine, sicut vestimento*, pauperculis pannis involutum, & in jumentorum vili præsepio expositum: *Et pannis eum involvit*. Is qui amplas vastasque cœlorum sphæras luminosa illa Zodiaci fascia cingit, is hodie in terris vilibus laneisque constringitur fasciis involutus. Et quidem id quod maximam nobis admirationem seu potius stuporem meritò conciliat, est, quod eosdem pannos tanto in pretio, habeat & æstimet, ut eosdem velut infallibile Majestatis, & Divinitatis suæ signum elegerit, ideoque voluit, ut Angeli Pastores ad eum recens natum adorandum invitantes, iisdem dicerent: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum invenietis infantem pannis involutum. Notandum solertius*, inquit Beda, *quod signum nati Salvatoris datur, infantem non Tyrio exceptum ostro, sed pannis squalentibus involutum, non ornatis auro stratoriis, sed in præsepibus inveniendum, hoc est, non tantum humilitatis eum & mortalitatis, sed & paupertatis habitum suscepisse pro nobis.*

Psalm. 103. In Luc.

2 Verum inquies, qua ratione panperculi & repeciati panni, qui infimè cujusdam mendicitatis existunt indicium, signum pariter divinitatis suæ esse possunt? *Et hoc vobis signum*, inquiunt cœlestes illi nuntii, *invenietis pannis involutum*. Scio equidem quod in hujus nati Regis fœmore scriptum sit: *Rex regum, & Dominus dominantium*. Scio etiam quòd luce Solem vestiat, prata herbis, arbores frondibus, hortos floribus, magnates quoque cocco, & purpura induat, & exornet: at verò infantilia, & præ frigoris algore rigida membra vix vilibus, & pauperculis pannis contegi patiatur, qualenam hoc erit Majestatis, & filiationis Dei alicujus indicium? Nunquid aliquando quàm sint terreni Reges ex seipsis debiles, & infirmi considerastis? Hi etenim in tantum quidem potentes existunt; in quantum à subditis suis armata manu, & opulentis tributis sustentantur, & eriguntur: at verò si eorundem subditorum obedientia, & promptum obsequium deficere inciperet, potestas quoque ipsorum pariter defectura esset: in tantum

terreni magnates magni sunt, mundoque terribiles & formidabiles existunt, in quantum emanantia ab iisdem præcepta, & leges debitam in subditis pantionem inveniunt, simulque æraria sua argento, & auro benè farta possident: at verò in hoc Rege gloriæ qui hodie in hoc mundo natus est, omninò contrarium accidit, siquidem is nuditate, infantia, paupertate, & abjectione, ac contemptu omnes terrenos Reges in confusionem redigere satagit; *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo*, ipsemet quoque totius mundi Imperator Cæsar Augustus commotus fuit; tres quoque coronati Reges ab ultimis terræ finibus ad præsepium ejus accelerant, universus infernus susque deque invertitur, denique ad deorsum mittendas Angelorum Hierarchias cœlum ipsum se pandere non dubitavit:

Psalm. 134. vers. 6. *Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit, in cælo & in terra, & in omnibus abyssis.*

3 *Pannis eum involvit*. Miseri hi panniculi, quibus Jesulus hodie natus involutus fuit, pretiosiores utique fuerunt purpuris auro argentoque phrygio opere in ornamentum, & divitiarum nostrarum ostentationem exornatis. Guerricus Abbas ait: (Serm. 5 de Nativ.) *Tota pietate cogitemus Christum in pannis, quibus mater eum operuit, ut æternum ... videamus gloriam & decorem, quem ei Pater induit, gloriam quasi unigeniti à Patre*; at verò quis est, qui nesciat, quod ad gloriam hanc obtinendam, omninò in candidis stolis adornemur, necessum sit nos amictos esse stolis albis; verè etenim ita est, hasce autem stolas his pannis unicuique sibi conquirere licet. Unde Beda ait: (In Luc.) *Qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur, ut nos stolam primam recipere valeamus*, quod idem Glossa interlinearis confirmat, dum ait: *Vilibus induitur pannis ut stolam immortalitatis reciperemus*. Porrò æternæ veritatis propositio est: (Apoc. 21. 27.) *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, id est, in gloriam; & tamen hi adeò miseri, viles, & pauperculi panni, quos beata Virgo non solum ad Divinum hunc partum involvendum, verum etiam ad abstergendum ab animabus nostris cunctas maculas præparavit, viam nobis pandunt ad gloriam. Unde S. Augustinus ait: *O gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium, æternosque ploratus evasimus! O felices panni, quibus peccatorum nostrorum sordes exterfimus?*

4 *Pannis eum involvit*: Hugo Cardinalis ait: *Pondus est in verbo, pannus enim vilitatem, & vetustatem notat*. Dionysius Carthusianus quoque panniculorum istorum paupertatem considerat, dicens: *Dominus virtutum, Rex gloriæ, Deus majestatis immensæ, assumpturus & redempturus naturam humanam in cunctis elegit, quæ secundum mundum abjectiora sunt*. Ipse namque eo præcipuè fine in hunc mundum venerat, ut paupertatem, & terrenorum bonorum contemptum insinuaret, superbiamque, fastum, & pompam omnem condemnaret. Unde Salmeron ait: (Tom. 3. tract. 33.) *Clamant panni, nostrumque in vestitu splendorem condemnant*: Albertus Magnus quoque ait: *Pannis involutum paupertatem & asperitatem, propter hoc venit a regalibus sedibus, ubi nullius paupertatis indigentia fuit, ut paupertatem eligeret & pauperes*. Ideoque increata illa sapientia paupertatem inter omnes octo Beatitudines octavo loco reposuit, ac proinde nil mirum quòd sanctissima ejus mater *Sedes sapientiæ pannis eum involvit*. Qua de re Sanctus Bonaventura opportunè loquitur, dum ait: (In Lucam) *Christum paupercula mater pauperem peperit, ut nos ad paupertatem invitaret, & sua inopia ditaret, secundum illud: Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi; quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos divites essetis*. Hugo Cardinalis ad illud pannorum involucrum ab Angelicis Pastoribus signi loco datum: (*Hoc vobis signum invenietis pannis invol[ut]um*) unde dignosci ab illis posset, reflectens, ita scribit: *Tanta Christi humiliatio augmentum est dandæ nobis ab eo salutis, signum est salutis nobis acquirendæ, id est, exemplum est nobis, & indicium qua via debeamus quærere salutem. Nam per superbiam salutem amisimus, ideo necesse est, ut si redire volumus, per oppositam viam redeamus, id est, per humilitatem*. Glossa interlinearis super iisdem verbis: *Hoc vobis signum, &c.* ita ait: *Signum salutis fidelibus humilitas Salvatoris, quæ est opposita superbiæ, per quam mors intravit in mundum*. Idem ille Deus, qui dixit: *Ego sum via*, per quam scilicet nobis eundum est ad cœlestem patriam, idem inquam, nascitur juxta viam publicam pauperculis pannis involutus, ut nos doceret humilitatem, & paupertatem regiam esse viam ad cœlum. Hugo Cardinalis super prædicto textu S. Lucæ ita scribit: *Nota quod tria signa dat Angelus Pastoribus, per quæ possunt Dominum invenire, scilicet puritatem, paupertatem, humilitatem; puritas intelligitur per infantem: paupertas per pannorum involutionem: humilitas per præsepis reclinationem; de his signis dicit Ecclesiasticus cap. 36. Innova signa, & immuta mirabilia; Innovata fuerunt hæc signa nativitatis in passione*. Notandum enim quod Salvator noster in Nativitate fuit mutus infans, in Passione vocem suam exaltavit: videns, quod sic clamans expirasset: In Nativitate pannis involutus fuit, in mortem autem pannis suis fuit spoliatus: In Nativitate fuit reclinatus in quodam præsepio, in morte autem fuit suspensus in patibulo; *Immutata fuerunt, & mirabilia, quia ibi ortus est Sol in media nocte, hic occidit in meridie: Ibi Joseph Deum pannis involutum reclinavit in præsepio, hic Joseph alius Deum syndone involutum posuit in sepulchro; Ibi æternus nascitur, hic æternus moritur.*

5 Verùm enimverò nostrum denuò de pannis istis repetamus discursum. *Pannis involutus est*, inquit (Serm. 5. de Nativit.) Guerricus Abbas, *ut habentes tantum, quibus tegamur his contenti simus; Et hoc correspondet illi prophetiæ, ubi dicitur: Et Jesus erat indutus vestibus sordidis*. Quamvis omninò existimem Seraphicum Doctorem verbis prædictis nequaquam dicere voluisse pannos illos, quibus involutus fuit Jesus, sordidos fuisse, sed tantum quòd panni illi pauperculi & viles modicique valoris fuerint, licèt alias verisimile sit, quòd fuerint mundi. In revelationibus Sanctæ Birgittæ scriptum reperio, (Lib. 7. c. 21.) quod quando dicta sancta præsepium Domini veneratura in Bethlehem se contulit, visio quædam eidem obtigerit; in qua sanctissima Mater Domini hunc in modum ei repræsentata fuit; duos panniculos lineos, & duos laneos mundissimos, & subtilissimos extraxit, quos secum portabat ad involvendum nasciturum infantem. Pro quorum verborum faciliori intelligentia advertendum est, quòd tametsi Christus Dominus paupertatem impensè dilexerit, eisque de causis pauperculis semper parumque valentibus vestimentis contectus fuerit, curam tamen semper habuerit, ut eædem mundæ essent, & nitidæ; sic namque vestem quidem gestavit inconsutilem, sed virgineis intemeratæ matris suæ manibus per omnia contextam; sic quoque in Evangelio dicitur, quod *Joseph corpus Domini involvit in syndone munda*, Denique post Resurrectionem, (Matth. 17. vers. 29.) *amictus fuit lumine sicut vestimento*, ut per hæc omnia puritatem nobis insinuaret, quarum nobis ad sacrosanctum, & divinum corpus illius semper convenit accedere. P. Magister (part. 2.) Joannes Avila inter cæteras, quas scripsit epistolas, unam de hoc festo scriptam ad Monialem quandam direxit, eidemque pulchrè ostendit, qualiter Divinus hic infans super omnia puritatem amaverit, utporè qui de matre Virgine nasci voluit; demum verò subjungit quod idem infans valdè sibi complacere soleat, si à puris virgineisque manibus concipiatur, nascatur, involvatur & habeatur. Unde S. Maximus optimè (Hom. 3 de Nativ.) nos exhortatur; *ut diligamus præ omnibus castitatem, quia ut placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam uteri virginalis elegit*. Similiter S. Thomas à Villa (Conc. 4.) Nova cœlestem hunc infantem in tugurio Bethlehemitico jacentem, considerans dicit. *Ad tantum spectaculum nemo pollutus accedat, prius mundetur conscientia, nam gravis fit injuria puero, si Dei Virginisque purissimum filium quispiam pollutis manibus attingat; unde ut hujus nos puritatis admoneret Propheta, assumpti prothematis eulogium sapienter præmisit; Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibum ignis: Et statim quasi rationem assignans subjungit; Parvulus enim natus est nobis, &c. ac si diceret, mundam sibi ex hoc quisque carnem suam custodiat, quoniam verbum Dei factum est caro, alioquin æternum sibi paratum noverit incendium; vestimentum enim mixtum sanguine, caro est libidinibus sordida: violenta prædatio anima est tentationis impulsu superata.*

6 Beatus Laurentius Justinianus pulcherrimum nobis modum tradit, quo infaotem huoc, qui intra corda & animas nostras hospitari desiderat, excipere debeamus: *Nativitati autem illius humilitatis diversorium spiritualiter para sua vilitatis fœno repletum, in quo diversarum virtutum & spiritualium meditationum, contexe præsepe, ubi requiescat Christus.*

Ser. 11. de Nat.

Explicantur mysteria, ob quæ in Berhlehem nasci voluit, paritérque ostenditur, quod ad hoc ut cœlestem hunc Panem dignè degustare valeamus, Pastores à nobis imitandi sint.

DISCURSUS OCTAVUS.

Pastores loquebantur ad invicem, transeamus usque Bethlehem.

1 SImplices illi Pastores, post acceptum ab Angelis nati Salvatoris nuntium sese mutuo certatim provocabant, ut natum recens Messiam adoraturi in Bethlehem sese reciperent: *Pastores loquebantur ad invicem, transeamus, &c.* Enimverò minimè dubito, quin vix ullus vestrum sit, qui Pastoculis illis ingentem hanc fortunam natum adorandi Messiam non invideat, aut verò qui non optet in eorundem se fuisse societate, unaque cum illis ovium gregem in agris & sylvis custodisse, ut hac ratione cum illis pariter coram divino hoc infante se liceret prosternere, eumque adorare; & tamen si fidem consulamus, certum est, quòd tametsi non abeamus in Palæstinam, Bethlehem tamen invenire possimus, omniaque illa obsequia præstare possimus huic pani nostro vivo, qui de cœlo descendit. Nam ut S. Gregorius in Homilia prima matutinali hodie optimè dicit: *Bene etiam in Bethlehem nascitur, Bethlehem quippè Domus Panis interpretatur; ipse namque est, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Locus ergo, in quo Dominus nascitur Domus panis antea vocatus est, quia futurum profectò erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret.* Glossa quoque interlinearis hanc nominis Bethlehem ethymologiam, qua ut diximus, idem quod *Domus Panis* significat, considerans ait: *Qui ibi natus est, suos reficit æterno pane.* In illum namque locum de cœlo descendere debebat panis ille vivus, qui deinceps in progressu sæculorum electas animas vivificaturus erat ad vitam immortalem & æternam. His consonat sanctus Bonaventura dum ait: *In hoc autem secundum mysticum intellectum, quod natus est in Bethlehem, intelligitur, quod est panis vivus, nam Bethlehem Domus Panis interpretatur*, id est, ut Albertus Magnus ait: *Domus panis reficientis, confirmantis, nobiscum permanentis, vivificantis, delitias præbentis, omne delectamentum gratiæ habentis.*

Hom. 8 in Evang.

In Luc.

2 Verum dicat aliquis, quamobrem panis hic in Bethlehem descendere volens, insuper per altissimam sapientiam suam intra quoddam stolidorum jumentorum præsepium collocari voluit? S. Bernardus ad hoc ita respondet: *Ipse est panis vivus, de quo vivere debuit homo, sed quia jumentum factus est, & panis factus est fœnum, ut vel sic vivat de eo; Et hujus quidem mutationis Sacramentum die Nativitatis celebratum est, quando verbum caro factum est, cum sit omnis caro fœnum.* S. Bonaventura aliam nobis adfert rationem, ob quam inter paleam, & fœnum reponi voluerit; Dicit enim: *In hoc, quod in præsepio positus, denotatur, quod est cibus simplicium, & humilium ratione carnis assumpta.* Glossa interlinearis ait: *Ut sancta animalia carnis suæ frumento reficiat, qui panis est Angelorum.* Quia enim homo propter culpam bestiis assimilatus fuit: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*; ideo ecce Deus noster in præsepium quoddam descendere voluit, ut nos de se jam pane facto aleret, & nutriret, vel etiam cum S. Maximo dicere possumus: *Quod vero in præsepi, ubi pastus est animalium, sua collocari membra permittit, in æternam refectionem vescendum à mortalibus suum corpus ostendit.* S. Augustinus discursus suum ad Dei matrem in tugurio Bethlehemitico parvulum suum lactantem convertens dicit: *Lacta mater cibum nostrum, lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum, velut piorum cibaria jumentorum.* Idem quoque Bethlehemiticum honorat stabulum, ea reflectione motus, quod intra se non solùm nostrum, verùm etiam Angelorum panem contineat: *O præsepe splendidum in quo non solum jacuit fœnum animalium, sed cibus inventus est Angelorum*; siquidem in Paradiso visione sua spiritus reficit Angelicos: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Imò panis jam Eucharisticus effectus in ordine ad gloriam pariter animas nutrit fidelium; Meritò igitur descendit in Bethlehem, quæ est domus panis, quia *se nascens dedit socium, convescens in edulium.*

Ser. 9. de Circumc.

Hom. 5. de Nativ.

Serm. 5. de Nat.

Ser. 5.

3 *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Porrò suum in nobis incolatum & habitationem habet, dum animabus nostris in communione unitur. Unde S. Bonaventura ait: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; caro enim carni amicabilis est, passibilis, sensibilis, esibilis; filius ergo Dei, qui est verbum, caro factus est, ut esset amicabilis pro desiderio, passibilis pro triumpho, esibilis pro Sacramento, sensibilis pro exemplo, ut sic in carne Christi esset dilectionis fomentum.* Et quidem quis est, qui erga divinum hunc infantulum ardenti non accendatur amore, dum enim super fœno & palea ex frigoris rigore tremulum jacere videt, ut nos igne accenderemur Seraphico, nostraque carne vestitum, ut se nobis daret in cibum, nosque tametsi vilissimos terræ vermes aleret, ut vitam acquireremus beatam? Probe satis agnoscebat homines factos esse carnales, nec alteri rei, quam ut corporis commoditati servirent, esse deditos, quid igitur fecit? S. Bonaventura ait: *Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantam eis dulcedinem in carne sua exhibuit, ut durissimi cordis sit, quisquis eum ex toto affectu non diligit.* Idem quoque Seraphicus Doctor, ut nos erga verbum hoc incarnatum per veram devotionem accendat, hunc in modum discurrit: *Diligitur quandoque caro multum aliena, magis autem diligitur propinqua, maximè autem proxima; Diligenda est caro Christi, tanquam propinqua nobis in primo gradu; frater enim noster est, frater noster, & caro nostra est; ipse enim est verus Joseph.* Pergit ulterius ostendere, quantum erga hanc carnem hocque sacrosanctum, & divinum corpus debeamus esse devoti: *Diligenda est caro Christi quasi propria, nemo enim unquam, carnem suam odio habuit*; Etenim corpus Christi Eucharisticum in qualitate nutrimenti unum fit idemque nobiscum: *in me manet, & ego in eo*; id quod etiam per ly *Communio*nis insinuatur.

Ser. 8. de Nat.

Ser. 6. de Nativ.

4 Verùm enimverò ad hoc ut efficaciter excitemur & commoveamur, ne ad hunc panem prorsus indigni accedere præsumamus, audite, quid Sanctus Bernardus ad præsens propositum scribat: *Sanctificamini hodie, nec enim videbit majestatem qui contempserit interim sanctitatem, nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol justitiæ ortus non fuerit, nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna*; quibus verbis mellifluus Doctor de die natalem Domini antecedente, id est, de vigilia loquitur: dicitque optimam circa illum diem præparationem futuram esse, si nostras mundaverimus & purificaverimus conscientias, easque sanctitate imbuerimus. Aliam verò nos præparandi methodum idem nobis Bonaventura tradit, videlicet Pastorum perfectam imitationem: *Tria consideranda sunt, primo quod supra gregem vigilaverunt; secundo quod in via festinaverunt; tertio quod in reditu Deum glorificaverunt; Hac inventio significat illam in altari, sicut enim in præsepio invenitur pabulum jumentorum, sic Christus in altari pabulum nostrum.* Quibus verbis sanctus Doctor ostendit, quàm convenient illum Pastores in *Bethlehem* quod *Domus panis* interpretatur, invenius fuerit: *Tria autem requiruntur ab illis, qui sic illum inveniunt, digna præparatio in accedendo, fervens devotio in percipiendo, gratiarum actio in recedendo.* Prima denotatur in solicita pastorum super gregem suum vigilantia; *Per gregem enim sensus, & desideria, & motus & cogitationes nostra significari possunt.* Vigilans namque sensuum potentiarumque nostrarum custodia aptissima est hominis præparatio, ut ad sacrum hocce præsepium dignè accedat, pretiosissimoque cibetur Angelo-

Hom. 9 de Vigilia Nativ.

Ser. 6.

rum

rum pane: Fervens autem devotio denotatur in solicitudine, quacum ad Bethlehemiticum se tugurium receperunt: *Venerunt festinantes*. Adducitque S. Bonaventura insignem quandam S. Bernardi sententiam dicentis: *Qui amat ardentius, currit velocius*. Porrò fervor ille quocum simplices illi Pastores ad Christum accurrerunt, valdè est admirabilis: Et ideò Glossa verbum illud, *Festinantes*, hunc in modum considerat: *Non cum desidia Christi quærenda est præsentia, ideo Pastores sine mora inveniunt, quia non ficta fide currunt videre, quæ audierunt*. Beda verò, quem Glossa adducit, ita subjungit: *Ideò fortè nonnulli quærentes invenire non merentur quia desidiose Christum requirunt*. Demum verò in quonam solicitudo ista consistat, exponit, nimirum non in gressibus, sed in affectibus movendis, in virtutum Christianorum exercitio, majorique perfectionis incremento: *Ad quem festinanter ire est non pedum gressus accelerare, sed in fide semper ac virtute proficere*.

5 Enimverò quotidiana nos docet experientia, quod pauperes ad sacram Communionem ferventius & sæpiùs accedant, quam nobiles & divites: Et ideò Didacus Stella ad propositum de hisce Pastoribus aptè considerat, prædictos Pastores nullo fuisse impedimento præpeditos, quò minus in Bethlehem properarent, neque enim in mollibus lectis quiescebant, neque opus ipsis erat rhedis aut lecticis, neque illis numerosum aliquod famulitium in ordinem redigendum erat, quinimò nullas formidabant sive temporum injurias, sive noctium tenebras, sive frigoris asperrimi rigores, sive denique itineris fastidia aut labores, utpotè qui hisce molestiis assueti erant, econtrà verò nobiles, divites, atque magnates Hierosolymis intra commodissima habitationum suarum domicilia relicti fuere; siquidem de divino hoc Pane scribitur; *Esurientes replet bonis, fastidiosos divites dimittit inanes*. Et quidem tametsi tribus Regibus Orientalibus stella quædam ex Oriente illos Bethlehem versus feliciter deducens apparuerit, difficilem tamen valdeque laboriosam habuere viam, & non nisi post tredecim dies noctu dinque continuò peregrinando in Bethlehem usque peregrinare potuerunt; unde etiam vel ex hoc ipso facilè deducere possumus, quanta majori cum difficultate & labore ad hunc cœlestem panem divites & magnates præ pauperibus, hominibusque privatis accedere soleant. Tandem tertia conditio est, ut eum, quem de præsepio altaris suscepimus Deum, grata mente collaudemus & glorificemus: *Reversi sunt laudantes & glorificantes Deum*, ubi ostenditur quod nullus sine gratiarum actione debet recedere de præsepio altaris, Et quidem si Angeli, pro quibus Divinus hic infantulus natus non erat (qui proinde cum emphasi speciali dixerunt; *Natus est vobis hodie Salvator*) de cœlo nihilominus descendentes: gloriosum illum, & Angelicum hymnum: *Gloria in altissimis Deo* intonarunt, quanto magis nostra in nobis laxanda lingua, cordaque accendenda erunt, ut debitum Divino huic infantulo persolvere valeamus laudum gratiarumque tributum, maximè cum ipse non solum ad nos venerit, ut Redemptor & Salvator noster esset, verùm etiam ut nobis per unionem quandam adeò intimam atque perfectam conjungi posset, qualis est inter cibatum & sacræ Communionis cibum & panem sanctissimum? *Simus* igitur *cum puero pueri*, concludit S. Bonaventura, id est, puri à peccatis, quam puritatem per comestionem purissimæ carnis consequimur.

De quibusdam motivis, ob quæ Christus natus, ante quosvis alios se Pastoribus manifestare voluerit,

DISCURSUS NONUS.

Et Pastores erant in regione eadem vigilantes: Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos.
Lucæ 2. vers. 9.

1 PAstores in illis Bethlehemi confinibus, in tali quodam loco gregem suum pascebant, in quo turris illa fuisse creditur, cujus Genesi cap. 35. fit mentio, quando Jacob post adhibitam Racheli conjugi suæ sepulturam, *Fixit tabernaculum trans turrem gregis*. Cap. 48. Est quoque situs loci illius valdè celebris ob Micheæ Prophetæ vaticinium quo, ante tot retrò sæcula Messiæ adventum fortunatissimo illi loco prædixit; dum ait: *Et tu turris gregis nebulosa filia Syon usque ad te veniet, & veniet potestas prima regnum filiæ Jerusalem*; Id quod adimpletum fuit, quando Pastores hi vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, *ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, & dixit illis Angelus: Nolite timere; Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator*.

2 Hic autem perspicuè videtur quam differens sit modus procedendi Dei ab eo quem mundus observare consuevit. Hic enim negotia ardua, maximumque in se pondus, & momentum continentia (quale erat illud, in quo agitur de Nativitate Dei illius, in cujus fœmore scriptum cernitur: *Rex regum & dominus dominantium*, in cujus manibus Regum, & Potentatum corda posita esse noscuntur) Regibus, & Principibus omnium primo communicare solet, à quibus deinceps eorundem notitia ad inferiores transmittitur adeo ut hi ultimi sint, ad quos ejuscemodi negotiorum eventus perferuntur, gens enim plebea, quales sunt homines rustici, & pagani, sive Pastores in agris vel solitudinibus continuò oberrantes postremo loco similium rerum notitia imbui solent; & tamen increata illa sapientia militiæ cœlestis exercitibus præcepit, ut primo loco, & ante omnes alios homines rudes, idiotas, & simplices gregem armentorum suorum pascentes de suo in hunc mundum aditu, & Nativitate certiores afficerent: *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos*. Nonnulla mysteria, ob quæ id Deus fecit, paulisper examinemus.

3 Sanctus Bonaventura dicit: *Nota quod Pastores erant pauperes, simplices, & contemptibiles, ideò ne timerent accedere, datum est eis in Christo infantia signum paupertatis, & humilitatis* at verò fortasse inquires, quamobrem illis hoc humilitatis, & paupertatis signum datum fuerit? *In hoc significatur, qualiter & à quibus invenitur Christus*. Moxque sanctus idem Doctor nos monet, ut ad nostram vocationem oculum nostrum dirigamus, ait enim: *Quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus*. Nimirum ab ipsis Ecclesiæ cum ipso nascentis primis principiis indicare voluit, quod ad fidem suam plantandam, ad prosternendam idololatriam, novam legem Evangelicam promulgandam debilibus semper instrumentis uti voluerit: *Infirma mundi elegit Deus*; siquidem præter 1. Cor. 1. simplices hosce, & idiotas rudesque pastores, altissima quoque, & ineffabilia fidei nostræ Sacramenta, vilibus, & abjectis deinceps piscatoribus revelavit. Unde Salmeron ait: *Voluit indicare, qui potissimum* Tom. 3. *assumendi essent, ad percipienda Messiæ mysteria, & aliis propalanda*, 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi*, Tract. 13. *elegit Deus, ut confundat sapientes*. Idipsum quoque 1. Cor. 1. diu antè Venerabilis Beda his verbis docuit, dicens: *Non sapientes sed simplices, qui fucare audita nescirent Dominus sui præcones elegit, non Rhetores, sed piscatores ad evangelizandum destinavit*. Sanctus Cyprianus verò dicit: *Electa adest humilium personarum simplicitas, ut poneretur regula, & indissolubilis daretur forma, quod non nisi pauperibus spiritu Christi pateret humilitas*; Et postquam indubitatum hoc veritatis punctum confirmasset, nimirum: *Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas*, mox subjungit: *Hanc primam gratiam ingrediens mundum noster parvulus attulit*; atque ideò nemini mirum videri debet, quod ad ipsum agnoscendum, & adorandum primi inter omnes electi fuerint viri humiles, pauperes: *Confiteor tibi* Matt. 11 *Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc* 25. *à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Idem quoque sanctus Cyprianus dicit: *Credit Pastorum cuneus, & exaltat, à sapientibus & prudentibus non quærit testimonium, qui parvulis se revelat: in hujus doctrina initio statim fastus, & ambitio condemnantur*.

4 Nescio an hactenus aliquando observaveritis, quod sacer textus de hisce Pastoribus dicat, quòd *timuerunt timore magno* idque subitò, postquam coram se viderunt

tunt comparentem cœlestem illum Paranymphum luminosis beatorum spirituum exercitibus; gloriosè circumdatum? Turbatus quoque Herodes fuit, & cum ipso vasta Hierosolymorum Civitas, sed ex valde differenti motivo; etenim Rex trepidare cœpit, eo quod à Magis novum quendam Judæorum Regem natum fuisse intellexisset, unde ab hoc se à throno suo exturbandum non immeritò formidabat: at verò Pastorum timor ab excessiva Paradisi luce procedebat, quæ ipsorum oculos perstringebat: *Claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno*; ac proinde motiva timoris in ipsis alia non fuere, præterquam Angelicæ speciei apparitio, nec non monitum, quo ad natum illum Deum, *quem adorant Dominationes, tremunt Potestates*, venerandum invitabantur, at verò quando cœlestis ille nuntius ad eos dixit: Nolite timere: *Invenietis infantem positum in præsepio*, subitò serenati fuere eorum animi, seque invicem sine mora animantes inter se mutuo dixerunt: *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est*. Aptissimè hoc loco ad propositum nostrum

Serm. 6. de Nativit.

Sanctus Ambrosius ait: *Nec mirum si Christi gratiam ante scire meruerit innocentia quam potestas, & prius cognoscere veritatem simplex rusticatio, quam superba Dominatio; quod enim cognoverunt Pastores, Principes cognoscere nequiverunt*. Etenim superbi, divites, aliique homines vitæ commoditatibus, deliciis, & voluptatibus dediti ad Christum in cordibus animabusque suis recipiendum, adeò dispositi, & faciles nequaquam existunt, prouti sunt pauperes, quia ut plurimum inimici sunt humilitatis, & paupertatis, ad quam discipulis suis insinuandam, Christus in terram venerat.

Serm 5. de Nativit.

Unde egregiè Sanctus Bernardus ita scribit. *Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lachrymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe, & stabulum, amantes primas cathedras in synagogis sed æquanimiter fert universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus pannosis pauperibus*: tales autem propriè hi pastores erant, utpotè viliter, & abjectè induti, & laboribus assuefacti. Sanctus

Conc 3. de Nativit.

Thomas de Villa-Nova in sancta hac Bethlehemitica spelunca, Angelicas considerat hierarchias, totique Principatus, Dominationes, Potestates, Cherubim quoque ac Seraphim Christum natum adorantes, *adorent eum omnes Angeli ejus*, eosdemque Pastoribus; & bubulcis permixtos, nec tamen fuisse hosce Pastores vel contemnentes vel dedignantes. *O mirandum sæculis omnibus spectaculum, videre Angelorum cuneos rusticis hominibus, & jumentis permixtos solo prostratos, reclinatam in præsepio adorare majestatem!* cujus rationem esse dicit; quia tantoperè erant humiles: *Nulla in eis ambitio dignitatis, ubi tanta inspicitur humiliatio majestatis*.

Gloss.

5. *Et Pastores &c.* Glossa aliud quoddam considerat motivum, cur divina & incarnata sapientia sese in primis, & ante omnes alios pastoribus cognuscendum exhibuerit, dicit enim: *Præ cæteris Pastoribus beneficium hoc obtigit, quia præ cæteris simplices dolique expertes erant*. Didacus Stella ad vitam quam Pastores hi traducebant, sese reflectit, hæc enim communiter rigorosa est & austera: *Pastorum vita paupera, dura & pœnitens est, his enim Deus manifestum se facit, & hos vultu suæ Nativitatis futuros prædicatores* quasi diceret, hi, qui inter pœnitentiæ rigores vitam agunt, ad annuntiandum mundo Evangelium, filiique Dei in carnem adventum præ aliis aptissimi maximeque idonei existunt. Notandum quoque est, quod virgo mater parvulum filium recens natum studiosè involverit pannis, qua de re Albertus magnus ita scribit: etiam ut docuit Richardus de S. Victore *mater Virgo verbum Patris pannis involvit, significans verbum Dei magis simplicibus sonis indui in prædicatione quam phaleris Rhetoricis*. Idem quoque Stella aliud quoddam motivum ingeniosè tangit, dum ait: *Pastoris est pascentes agniculos inter dumeta & saxa quærere, ite ergo* (sic præfatus author Deum Angelos alloquentem introducit) *& dicite Pastoribus, ut agniculum Bethlemitico in porta natum veniant quærere*.

Hom sup. 2 Evang.

6. Notandum insuper verba illa, quæ Evangelista subjungit: nimirum *erant vigilantes*, mysteriis plena esse. Sanctus Ambrosius in Homilia supra secundum Evangelium dicit: *Christus nascitur, Pastores vigilare cœperunt*, indeque deducit, necessariam quoque esse Prælatorum Ecclesiasticorum vigilantiam, *grex populus, Pastores sunt sacerdotes*. Hugo adducto quodam Bedæ testimonio, ita ait: *Vigilantibus Pastoribus apparet Angelus, & eos claritas circumfulget, quia illi præ cæteris sublimia videre merentur, qui fidelibus solicitè præsunt super quos divina gratia largius coruscat*. Primò ad Timoth. 5. *Qui benè præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur*. Moxque rationem reddit, cur pastores illi medias inter nocturnas tenebras vigilarint, hancque inde elicit salutarem doctrinam: *merito autem illa hora vigilare dicuntur pastores, quia natus erat summus Pastor, qui de suis ovibus usque ad ultimum exiget rationem, cum venerit greges suas visitare, dicens cuilibet Pastori, & dicturus in die judicii ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Didacus Stella severè reprehendit omnes illos, qui per ambitionis instinctum ab omni cura, & solicitudine ovibus suis impendenda procul absistunt, dum ait: *His vero temporibus Prælati, qui deberent gregem suum potius custodire, in regalibus curis majorem vitæ partem consumunt, & commissas oves arbitrio mercenarii regendas tradunt*.

Tim 5.

7. Advertendum quoque est favores hosce cœlestes Angelorum nimirum apparitiones, & visiones non contingere illis, qui somnum suum continuò dormiunt, aut qui in deliciis & voluptatibus perpetuò vivunt, sed vigilantibus duntaxat, cujusmodi sunt tot sancti Religiosi, qui aliis profundè dormientibus in choris suis psallendo Deum laudant, devotèque contemplationi dediti existunt. Unde Sanctus Bernardus ait: *Væ vobis divites, qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cœlestem, quam multi etiam nobiles secundum carnem, quam multi potentes, quam multi sapientes hujus sæculi hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est, novam videre lucem; scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes, Gloria in excelsis Deo!* tandem Sanctus Doctor ad consolationem illorum, qui continuo laborant, vigilant, sudant, atque ab omni otio, & deliciis procul absunt, ita concludit: *Agnoscant igitur homines, quia qui in laboribus hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur, agnoscant, quam placeat supernis civibus labor*.

Serm 3. de Nat

8. Cajetanus dictionem illam *vobis* acutè observat; Angelus etenim ait, *Evangelizo vobis, non Pontificibus, non sacerdotibus, non scribis, non Pharisæis, non optimatibus, ut hinc percipiamus, quam chari sint Deo etiam vilissimi homines, utpote ad quos dirigit Angelos, quibus primum manifestat mysterium nati filii*. Sic quoque ad Apostolatum piscatores elegit, quibus proprium est nocturno tempore vigilare, laborare, omnigenisque aëris injuriis expositum esse, præterquam quod homines sint nativitate, & professione viles, & abjecti, ut hinc Deum nequaquam personarum acceptatorem esse intelligatur. Unde Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Sed etsi quispiam peccatis gravatur, non diffidat, sed humilis, & supplex accedat, peccatis enim mundandis hic puer nascitur; non eum adstantium multitudo Angelorum deterreat, quoniam, & ibi invenitur societas jumentorum*; tandem Sanctus Doctor differentes quosdam hominum status distinguit, ostenditque qualiter omnibus indifferenter ad divinum hunc infantem apertus pateat aditus: *Qui ergo sanctus est, inquit, accedat cum Angelis, qui purus, accedat cum Virginibus; qui dives, accedat cum Regibus, qui pauper, cum pastoribus; qui autem peccator est, habet jumenta, cum quibus associetur, quia non despiciet peccatorem humiliatum, qui sordidum non despexit stabulum, inter jumenta nascitur, ut omnibus præbeat fiduciam accedendi*.

Conc 4. de Nativ.

Nonnulla

Nonnulla adducuntur mysteria, cur in specie tenelli infantuli in hunc mundum venire voluerit.

DISCURSUS DECIMUS.

Hoc vobis signum, invenietis infantem. Lucæ 2.

1 PRopheta Regius felicissimum diem hodiernum in spiritu prævidens, universum humanum genus ad tesenda nova lætitiæ, & gaudiorum cantica his verbis invitat: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus, annuntiate de die in diem salutare ejus. Annuntiate inter gentes gloriam ejus; in omnibus populis mirabilia ejus.* Et quidem hucusque facillima est hujus prophetiæ pro Natali Christi intelligentia; at verò meo judicio tota difficultas in verbis sequentibus consistit; subjungit enim, *quoniam magnus Dominus terribilis super omnes Deos.* Enimverò quod universæ creaturæ invitentur, ut Nativitati Creatoris sui certatim, & festivè applaudant, quid mirum? siquidem canit sancta Mater Ecclesia, *hunc cælum, hunc terra, hunc mare, hunc omne quod in eis est, auctorem adventus tui laudans, exultat cantico;* At verò quod ex eo motivo nos applaudere jubeat, *quoniam magnus Dominus*, id me non intelligere ingenuè profiteor, siquidem Evangelium contrarium asserit, dum ait, *invenietis infantem;* similiter quomodo terribilis dici potest, qui apparuit in terra, veluti tener infantulus, super palea jacens, vagiens, & tremulus. An non manifestè contradicit illa Isaiæ prophetia expressè dicentis. *Parvulus natus est nobis?* Sanctus Cyprianus ait: *Quem nos parvulum, Propheta nuncupat virum, insinuans ei nunquam defuisse virtutem, sed semper virilis ætatis adfuisse fortitudinem; quem infantilis infirmitas occultabat.* Dionysius quoque Carthusianus scribit, *licet more aliorum parvulorum infans quasi non fans, seu loqui non valens vocatus sit, tamen prima nativitatis suæ hora disertissimè ac sapientissimè loqui valebat.* In memoriam obsecro parvulum illum revocate lapillum, de quo Daniel capit. 2. scribit: Qui lapsus de monte immensam statuæ illius molem, quæ postea in aurea illa statua, quam Rex in eadem adorari volens erexit, penitus prostravit, & contrivit; etenim parvus hic lapis, parvuli hujus infantis expressa figura fuit; *Petra autem erat Christus*; siquidem tenerum illud corpusculum sine ullius viri opera in virginali utero assumpsit, atque hodie de montibus æternis sub infantis specie descendens Babyloniæ confregit, & contrivit statuam, falsa idolorum simulachra in totale redigens exterminium, dum tres gentilium reges ab ultimis terræ finibus ad se evocavit, ut ipsum omnium gentium nomine veluti verum Deum agnoscerent. Cæsar Augustus sacrificium illo tempore offerens *Hecatombes*, dictum pythium Apollineum, quinam post ipsum gubernaturus esset imperium interrogavit, qui dum responsum non subderet, ut silentii hujus causam exploraret, sacrificium prædictum repetiit, obtinuitque ut Pythius tribus sequentibus versiculis responderet:

Psalm. 95.

D. Nat.

Tom. 3. Tract. 33.

Me puer Hebræus Divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum
Aris ergo de hinc tacitus abscedite nostris.

Sanctus Bonaventura hac de re ita scribit, *parvulus natus percutit & damnat superbiam, egenus natus percutit avaritiam, de virgine natus percutit luxuriam*, in qua sententia notanda sunt verba illa parvulus natus percutit superbiam; siquidem ex quo Deus ille immensæ majestatis, cujus magnitudinem, & immensitatem amplissimæ cœlorum sphæræ capere non possunt, in membris infantilibus adeo constrictus & coarctatus, parvulus quidem factus est infantulus, quis adeò temerarius esse audebit, ut per superbiam afferatur, volens præeminere, & æqualibus superior esse; enimverò quantumvis adeò pusillus esset, magnus tamen apparere non prætermisit, ut benè sanctus Augustinus observat dicens, *Occultatur in membris infantis potentia majestatis.* Ingens Davidis gloria olim fuit, quod tametsi deauratis Saulis armis indutus non esset, unica tamen funda, & baculo mortuum Goliath ad terram prostravit; pari quoque modo si filius Dei in hanc terram descendens ad demoliendam idololatriæ, & inferni tyrannidem armatos instruxisset fulgurum, & fulminum cœlestes exercitus; si velut Deus exercituum comparuisset prouti comparet, quando *respicit terram, & facit eam tremere*, quid mirum, si mundum victum detriumphasset? ingens verò miraculum fuit, quod tremulus super paleam jacens, tremere fecerit terræ hujus potentissimos reges: *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo;* quod formidine percelluerit, ipsum quoque Augustum mundi monarcham, quod fasciis involutus, & constrictus trifaucem catenis strinxerit Cerberum: Enimverò fabula quidem est, qua de Hercule narratur, duos ipsum in cunis strangulasse serpentes, indeque spem singulis factam fuisse patrandorum in annis maturioribus heroicorum facinorum; veruntamen nequaquam figmentum poeticum, sed Evangelica veritas censenda est, qua infans hic adeò tenellulus serpenti infernali mortem attulisse asseritur. Lyranus super illa verba: *parvulus natus est:* hanc adjicit paraphrasin, id est: *Christus cujus virtute Diabolus est superatus.* Magnoperè apud veteres sculptor quidam celebratus est nomine Mirmicides, quem proinde cultu honoravere divino, idque quia ad eum usque in arte sua pervenit magisterii apicem, ut materiis minutissimis res quasque magnas insculpere noverit. Sic enim navim quandam una cum omnibus distinctis ejus partibus in Lamella quadam adeò angusta ad stuporem usque cœlatura expressit, ut ea sub apis cujusdam alis contegere facillimum fuisset: at verò quænam est inter ejus in hoc opere artificium, & Spiritus sancti in incarnatione, & verbi æterni nativitate exhibitam proportionem? siquidem ipso mediante hæc in hujus nostri fragilissimæ naturæ creata adeò consummata fuit, ut huic Deum illum incluserit, *quem cœli capere non possunt*, quique de seipso ait: *Cœlum & terram ego impleo*, imò vis palmari infantulo omnes inclusit paradisi thesauros sapientiam videlicet, bonitatem, omnipotentiam, æternitatem, immensitatem, immutabilitatem, omniaque alia divina attributa. Serm. 2. de
Unde Guerricus Abbas ait: *Infantulum quidem ibi invenio, huncine tu dicis illum esse, qui dicit cœlum & terram ego impleo? imo hujus majestati angusta est omnis cœli latitudo.* Nativ.

2 *Invenietis infantem.* Antiquissimus Tertullianus ait: *Pusillus inventus est, ut homo maximus fieret.* Lib. contra Marcion. cap. 37.
S. Petrus Damianus ait: *Idcirco parvus in nostris fieri dignatus est, ut nos in suis magnos efficeret.* Beda quoque inquit: *Parvulus natus est nobis, ut nos viri possimus esse perfecti*, & quidem quidnam vobis de magnitudine, & excellentia illa videtur; ad quam eo ipso sublimati sumus, dum in filios Dei adoptati & ipsius hæredes declarati fuimus? *quod si filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Enimverò quod si Deipara Virgo alium præter hodie natum filium non habuit, cur obsecro S. Evangelista, cujus calamus à Spiritu sancto gubernabatur, dicit, *peperit filium suum primogenitum?* scitisne causam? infans hic adeò tenellus, omnes nos veluti filios suos adoptivos in felicissima nativitate sua parere voluit, dummodo in hanc nativitatem consentiamus: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* S. Augustinus Serm. 18.
ait: *Humilitas Christi sublimitas est corporis nostri, quia cum humiliatur Dominus exaltatus est homo, & ita exaltatus est servus, ut in domino fieret ipse Dominus;* meritò igitur nos S. Bernardus ad puerulum hunc magnificandum invitat dicens: *Magnificetur a nobis parvulus magnus Dominus, quos ut faceret magnos, factus est parvulus.*

Serm. de Nativ.

Hom. 5 super Missus

3 *Invenietis infantem.* Tenellus hic infans in terram descendit, ut corda nostra cum majori vi attractiva sibi vendicaret. Unde Guerricus Abbas ait: *Prorsus dulcedo incomparabilis, & pietas ineffabilis, ut Deum, qui creavit me, videam puerum creatum propter me, Deusque majestatis, & gloria non solum similis mihi fiat corporis veritate, sed etiam miserabilis, & velut humana indigens opis appareat ætatis infirmitate, dulciorem te mihi facit teneritudo membrorum.* Populus ille Israeliticus vocem Dei exercituum olim audiens terrefactus est, ac proinde Moysi dixit: *Non loquatur nobis Dominus, loquere tu nobis;* scitisne quamobrem id dixerit? Exod. 20. 19.

xerit? nimirum Moyses instar balbutientis, & elinguis pueri loquebatur, ac proinde credibile est, ipsum hoc modo loquentem majorem sibi apud illos conciliasse amorem, & benevolentiam. Adam vocem Dei extimuit: *Vocem tuam audivi, & abscondi me.* Porrò sancti Bernardi pia meditatio est, quam hisce verbis exprimit. *Ecce infans est & sine voce, nam vagientis vox magis miseranda est, quam timenda, aut si cui fertè terribilis, sed non tibi; parvulus factus est; tenera membra virgo mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas?* S. Chrysologus illam Davidis invitationem, *Introite in conspectu ejus in exultatione*, hisce verbis ponderat: *Quis exultans ante terrorem majestatis superna? Archangeli tremunt, pavent Angeli, potestates metuunt, in faciem cœli pronunt seniores, elementa fugiunt, solvuntur saxa, terra tremuit, & homo terra intrepidus intrabit, & adhuc consistis exultans?* & tamen hoc non obstante, inquit idem Chrysologus, unumquemque nostrum, ut ante conspectum Dei hujus eum jubilo, & jucunditate ingrediatur excitare satagit, dicens: *Scitote quia Dominus ipse est Deus, quia Dominus ipse Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus, hinc est quod ille Dominus Deus est, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus.* Anima quædam admodum illuminata dicere solebat, quod in omnibus mysteriis vitæ Salvatoris, quæ contemplabatur, sanctum quendam timorem in se concipere consueverit; at vero quotiescunque Christum veluti tenerum infantem fasciis involutum contemplabatur, excitari senserit in corde suo miros amores teneritudinis, & confidentiæ effectus. Unde Salmeron ait. Factus est puer, *ut dulcius ad se nos atque suavius alliceret traheretque; habet enim infantia mirificam sibi animos hominum conciliandi vim atque efficaciam.* Unde beatus Laurentius Justinianus; magnum nobis ad ipsi appropinquandum suggerit animum dicens: *Adeamus cum fiducia non ad thronum gloriæ, sed ad diversorium humanitatis ejus, ut inveniamus gratiam in tempore opportuno.* Estque hæc optima quædam dispositio ad impetrandam peccatorum nostrorum veniam, Deumque iratum placandum. Paulus de Palatio ait: *Si tibi Christus mansuetus, & parvulus inveniendus est, tum Maria inveniendus est.* Ecce namque in ejus sinu positum infantulum. Didacus Stella: *Parvulus facilè placatur, si infantem contumelia affeceris, re levi & parvo aliquo damno injuriam remittet.* Similem quandam considerationem in sancto Thoma de Villa-Nova reperio dicente: *Ad parvulum accedere quis formidet? parvulorum mores omnes agnoscitis, una lacbryma placatur offensus, injuriarum non recordatur, neminem despicit, neminem abjicit, omni volenti se tradit.* Eadem quoque ratione Guerricus Abbas interrogat, quamobrem Christus, quando primitus mortalium oculis se hic in terris visibilem exhibuit, in specie teneri infantis comparere voluerit, respondet, *Puerum se maluit exhibere, magisque amabilis quam terribilis apparere, ut quia salvare veniebat, & non judicare, præseferret interim unde provocaret amorem, differret unde intutere posset timorem. Ne sit tibi scrupulo, quo graviter deliquisti, nescit puer læsus irasci, aut si irascitur, facilè potest placari.* Valde enim considerandum est, quod tametsi ipse sit is, qui offensus fuit, nos verò illi, qui injuriam irrogavimus, ipse tamen omnium sit primus, qui pacem nobis offerat, *& in terra pax;* de cœlo namque non alio fine descendit, quam ut nos æterno suo patri reconciliaret.

Serm. 1. de Nativ. — Psalm. 99. 2. — Serm. 6. — Tract. 33. — Serm. de Nativ. — In cap. 2. Matth. — Conc. 4. de Nativ.

4. *Invenietis infantem.* Nimirum ut fastum nostrum deprimeret. Unde Sanctus Bernardus ait: *Quid magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur, & intumescat.* Unde Guerricus Abbas continere se nequit, quin exclamet dicens: *Prorsus vos filii Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis, nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum.* Tandem ulterius prosequitur, dicens: Christum cœli esse ostium; *Ego sum ostium, per me, si quis introierit, salvabitur, hoc autem ostium parvum est & humile: Parvulus natus est, invenietis infantem;* ac proinde cum ostium hoc humile existat, omninò nos humiliari necessum est. Secus enim *conquassabit capita in terra multorum.* Apostoli ab ambitione primatus tentati Magistrum suum interrogarunt. *Quis putas major est in regno Cælorum?* Ecquid autem increata illa sapientia fecit? *Advocans parvulum statuit eum in medio eorum & dixit: Amen dico vobis, nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum: quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Quamobrem persuadeamus nobis velim, quod dum oculos nostros in hoc præsepium defigimus, eadem nobis verba auribus nostris inclamentur, id est, quod moneamur, ut similes nos ipsi reddamus, non quidem in ætate vel quoad infantiam, sed quoad innocentiam, humilitatem, simplicitatem, paupertatem. *Ecce enim parvulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines,* & Hugo Cardinalis ait: *Donum Dei est, esse contemptibilem in mundo, multi enim sic salvantur; qui honorati damnarentur.*

Serm. 1. de Nativ. — Serm. 5. de Nativ. — Matth. 18. — Jer. 49. 15.

5. *Invenietis infantem.* Nimirum ut bonas infantis cujusdam imitemur qualitates. Sanctus Hilarius super illa verba: *Nisi efficiamini sicut parvuli* ita inquit: *Hi patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt verum habent: revertendum est igitur ad simplicitatem puerorum, quia in eo collocati speciem humilitatis Dominicæ circumferemus.*

Varia considerantur Nativitatis Christi prodigia.

DISCURSUS DECIMUSPRIMUS.

Mirati sunt. Luc. Cap. 2.

1 VErbum hoc, *mirati sunt*, terram pariter & cœlum in stuporem rapit & extasin; hæc etenim admiratio Mariæ & Joseph ad omnes homines, Angelos, universasque creaturas transfunditur. Propheta Evangelicus venturi Messiæ natales prædicans, ita scribit: *Parvulus natus est nobis, & vocabitur nomen ejus admirabilis.* Propheta quoque regius hunc eundem diem Natalitium in spiritu prævidens, omnes creaturas, non solum ad lætitiam & gaudium, sed etiam ad stuporis & admirationis actus invitat dicens: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.* Et quidem sanctus Cyprianus in quodam sermone de hoc festo apertè dicit: *In cæteris mirabilibus aliqua mihi satisfaciunt rationes, hic vero solus me complectitur stupor.* Sanctus Thomas de Villa Nova alterius cujusdam prophetici oraculi admirationem considerat, dicens: *Hunc partum admirans Propheta in mentis stuporem actus exclamat: Quis audivit unquam tale?* & alibi de hoc divino partu ita scribit: *O admirabilem infantem? ô prodigiosum puerum! o uni cum omnium miraculorum, & prodigiorum potentissimum & maximum.*

Isa. 9. 6. — Psal. 95. 2. — Conc. 1. de Nativ. — Conc. 3. — Serm. de S. Steph.

2 *Mirati sunt.* *Justa quidem ratione admirati sunt* (inquit Didacus Stella) *nunquid non mirareris, & tu, si aliquem infantem tibi demonstrarem, & dicerem, puer iste, quem vides, antiquior matre est, & natus est hodie, nec habet principium?* non sine admiratione sancta quoque canit mater Ecclesia: *Ante luciferum genitus, & ante sæcula Dominus Salvator noster hodie mundo apparuit.* Vultisne prodigium aliquod majus illo, inquit Sanctus Petrus Damianus; *Creatura creat, & Creator creatur*, S. Leo hac de re ita scribit: *Ante tempora manens, esse cœpit ex tempore.* Salmeron ait: *Æternitas venit in tempus.* S. Cyprianus quoque postquam longum contexuisset admirabilium altissimi in effectibus naturalibus operationum catalogum ita subjungit: *Miror Deum in utero virginis, miror quomodo verbo Dei caro adhæserit, quomodo incorporeus Deus, corporis nostri tegumentum induerit.* Sanctus Thomas de Villa Nova, illum adducens textum sancti Joannis cap. 7. *Unum opus feci, & omnes admiramini:* ita subjungit: *Hominem ex limo facere insignis est potentia, sed multo poten-*

In Luc. — Serm. 1. Nativ. — Tom. 3. Tract. 15. — Conc. de Nativ.

potentms hominem facere ex Deo, quanto mirabilius quanto potentius est, quod limo profundi conjunctus est Deus? infixus sum in limo profundi, admirandum verè opus excelsi, in quo Dei omnipotentia clarissime eluceas; Sanctus Leo Papa illam vilitatis humanæ cum Ser. 3. de Nat. divina majestate unionem admiratur his verbis: *Impassibilis DEUS non dedignatus est homo esse passibilis & immortalis mortis legibus subjacere* multo verò admirabilius esse dicit, quod Ser. 2. *ad susceptionem humilitatis nostræ sine diminutione sua majestatis se inclinans; de cælesti sede descendens* (inquit alibi) *& à paterna gloria non recedens, novo ordine, nova Nativitate generatus sit*. In sermone quoque octavo super idem mysterium ita ait: *Majestas filii DEI æqualis patri, vestiens se humilitate servili, nec metuebat minui, nec indigebat augeri*. Et quidem id quod sanctus Leo scribit: nimirum *nec metuebat minui* tanto est admirabilius, quanto magis Guerricus Abbas Ser. 2. de Nat. exclamat dicens: *Te exinanitus nos replesti; tu enim omnem tuæ plenitudinem divinitatis in hominem transfudisti*. S. Bonaventura eandem facit considerationem Ser. 3. de Nat. illud S. Augustini testimonium allegans: *Christus quod attulit, erogavit, neque sibi ipsi minuitur, sed mirabiliter suorum fidelium paupertatem ditavit, &* Ser. 3. de Nat. *indeficientibus thesauris ipse plenus remansit*, quia idem Guerricus ait: *Prorsus admirabile est commercium ut sumens carnem, largiaris Deitatem*; ponderatione verò dignissima sunt verba, quæ sequuntur: *commercium inquam charitate non cupiditate contractum* (Charitas enim extenditur & liberalis existit, sed sine ulla sui ipsius diminutione, imò cum majori augmento) *Indulgentiæ quidem sua gloriosum sed indulgentia mea omninò lucrosum*.

3 *Mirati sunt*. Eusebius Emissenus ait: *Quid primum mirer? quidve postremum quod sine conceptu ullata est fœcunditas? aut quod per partum magis glorificata Virginitas; creator ex creatura nascitur!* nec minus considerabiles sunt illa admirationis concipiendæ motiva, quæ S. Leo adducit hisce verbis: *In uno Dei at-* Hom. 2. de Nat. *que hominis filio, & sine matre Deitas, & sine patre est humanitas, simul enim per Spiritum sanctum fœcundata virginitas sine corruptionis vestigio edidit, & sui generis sobolem & sua stirpis authorem*. De Maria Lib. 2. de orthod. fid c. 18. quoque canit sancta Mater Ecclesia: *Tu quæ genuisti natura mirante tuum sanctum genitorem*. Sanctus Joannes Damascenus ait: *Peperit supra nativitatis naturam; natus enim est ex muliere sine patre, & ex patre sine matre*. Emissenus quoque ad hanc eandem beatam Dei genitricem conversus ita ait: *Ecce uno partu tuo universorum nascitur vita, sæculorum profers in lucem lucis parentem*; ad eandem suum quoque discur- Hom. 4. de Nat. sum dirigit Astorius dicens: *Fœlix cui præstitum est fovere eum, qui fovet & nutrit omnia, portare portantem universa, lactare filium qui lac ipsis uberibus infudit*: quia ut in officio divino dicitur: *Lactabat ubere de cœlo pleno*: Denique sanctus Petrus Damianus ait: *illum in ulnis gestabat, a quo totius mundi machina continetur*.

4 *Mirati sunt*. Author quidam inter opera Damiani relatus, de Maria, quæ *mater Admirabilis* denominatur, ita scribit: *Admiratione dignissimum est quod ille qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire*: quodnam portentum majus est illo, quod verbum æternum obmutescat? quod DEUS infinitæ majestatis, in die natali suo in fœtidum quoddam ingrediatur stabulum, quod nudus & pauper contremiscat Conc. 1. de Nat. ille, *in quo sunt omnes thesauri*. Sanctus Thomas de Villa nova ait: *Non erat in alieno hospitio locus illi, qui condidit locum*. Mirabiles quoque aliorum sacrorum Doctorum admirationis census velim auscultare. Sanctus Hieronymus ait: *ille pugillo mundum includens præsepio* Epist. ad Eustoch. *continetur angustus*. Beatus Petrus Damianus inquit: Ser. 1. de Nat. *Quis dignè mirari valeat? quis non obstupescat? quod is qui cœli immensitate non capitur in angusto præsepio inclinatur*; quibus verbis consonat illa S. Augustini sen- Ser. de Nat. tentia dicentis, *Qui terra, mari, cœloque non capitur, intra unius corpusculi membra suscipitur*. Non est equidem admirandum, quod reges & terræ hujus monarchæ in die Natalitio ipsorum miris lætitiæ & gaudiorum demonstrationibus honorari conspiciantur; siquidem ad populorum sibi subjectorum gubernationem nascuntur; stupor autem est, & prodigium inauditum, quod hic DEI filius in tanta abjectione in præsepio inter duo animalia natus, panniculisque pannis involutus, omnes nihilominus creaturas ad lætitiam & exultationem provocet: *Tunc exaltabant omnia ligna sylvarum à facie Domini quoniam venit. Cantate Domino, &c.* Porrò quod hujus sæculi magnates & potentes in medio voluptatum & delitiarum nascuntur, idipsum secum adfert status ipsorum conditio, at verò quod augustissimus cœlorum Rex sibi suisque natalibus fœtidum & sordidum quoddam eligat stabulum, hoc verè prodigium est longe maximum. Didacus Stella ait: *Non solum exaltatus a terra omnia traxit ad se, sed etiam reclinatus in humili præsepio, potenter voluit videri Christus in humilitate, & paupertate, quam in majestate*. Atque hinc est, quod supra stabulum promicare fecit stellam fulgentem, tres quoque in Oriente fecerit exoriri soles, balsami denique torrentes scaturiri voluerit, tres quoque ab ultimis terræ finibus ad se traxit Reges, integrosque Angelorum exercitus ab Empyreo cœlo evocavit, adeo ut Didacus Stella dicat: *Credo equidem inter ipsos choros cœlestes nullum remansisse spiritum, qui non descenderit tantum miraculum visurus*.

5 Admirabile quidem est illud sanctissimæ Triadis mysterium; & verò mysterium Incarnationis & Nativitatis Christi, ob miram inter se Majestatis & infimæ humilitatis unionem admirationem subinfert nequaquam minorem, neque enim satis constat, quid magis sit obstupescendum, an scilicet quod homo super Angelos sit sublimatus, & pari loco cum Deo habitus, an verò quod infra homines humiliatur inter stolida se jumenta collocari permiserit. Quodnam esse potuit majus prodigium, quam quod idem ipse, qui ex frigoris vehementia gelidus, & ex stolidorum animalium mira quadam compassione ipsorum halitu & aspiratione calefactus fuit, eodem quoque tempore charitatis igne ardentissimos Seraphinos suo quoque igne accendat, & ardentius inflammet: quænam nobis imaginari possumus magis inter se distantia, quam inter se discrepant Deus & limus, Paradisus & stabulum, stercus & verbum, palea & ignis divinus, sapientia & infantia? B. Petrus Damianus ait: *In stabulo recubit animalium, qui innumeris vallatur Angelorum agminibus in* Ser. de Nat. *medio bovis & asini consistit* eodemque tempore cœlestium hierarchiarum famulatu gaudet & obsequio; jacet super palea prostratus, coram quo præ summa reve- Ser. 3. de Nat. rentia tremunt potestates. Guerricus Abbas ait: *pannis involutum video, hunccine tu dicis illum esse, qui gloriam & decorem induit lucis inaccessibilis, amictus circumscripto lumine sicut vestimento? vagientem audio: Hiccine est, qui in cœlis tonat, sub cujus vocis tonitruo potestates Angelicæ submittunt alas suas?* B. Petrus Damianus inquit: *Qui electos suos stola immortalitatis induit, vilibus pannis contegi non contempsit in stramine recubuit* Conc. 1 de Nat. *animalium qui cibus est Angelorum*. S. Thomas de Villa nova alia adhuc adducit admirationis motiva dicens: *Virgo lacte cibat, alitur omnipotens, pannis involvitur, obmutescit verbum, lætitia plorat, parvo lacte pastus est* ut insuper sancta mater canit Ecclesia, *per quem nec ales esurit*: verùm enimverò non obstante hac obmutescentia, inquit Guerricus Abbas, *Hujus in-* Ser. 1. de Nat. *fantis muta, ut videtur, & elinguis simplicitas linguas infantium facit disertas, linguis hominum loqui facis, & Angelorum, linguas dividens igneas*. Similiter tametsi tener aliquis infantulus vires nullas habeat corporis, attamen, ut sanctus Augustinus scribit, *Occultatur in membris infantis potentia majestatis*. Ser. 6. Et Gregorius ait: *Hujus infantis infirmitas principem mundi triumphas, fortem armatum ligat, & captivitatem nostram liberat*. Infernum pariter & terram totaliter exterminat, siquidem mundi hujus Monarcha Augustus expressa lege præcepit. *Ne quis se Dominum deinceps vocaret, quasi divinantem verum principem orbis terrarum, & mundi totius Dominum natum* Salmeron. Tom. 3. Tr. 33. *esse*.

6 *Mirati sunt*. Sanctus Thomas de Villa-nova ait: *Videte Deum in puero, æternum in tenero, Dei maje-* Conc. 2. *statem in vagiente, videte leonem in agno, gigantem in parvulo; DEI potentiam tenere carceris ergastulo circumclusam, videte cibum esurientem, fortitudinem trepidantem*. Sanctus Cyprianus Isaiæ vaticinium ponderans dicit: *Qui necdum loquitur quomodo consiliarius*

rius

rius erit ? parvulus quòmodo creditur omnipotens Deus ? omnino infirmus in quo videbitur fortis ? nihil omnino possidens ad apicem regni, & principatus fastigium, quibus ascensionibus attinget ? Salmeron quoque alias admirandi rationes considerat, inter quas hæ mihi potissimæ esse videntur : *Quid magis novum, aut magis insolitum, quam Deus & homo, Mater & virgo, viator & comprehensor, Dives & pauper, sapientia & infantia, potentia & infirmitas, innocentia & pœna ?* Illud ipsum sequenti quoque tractatu identidem admirando scribit : *Inenarrabilis in sermonem, immensus in mensuram, inexplicabilis in linguam, circumscriptus in locum, invisibilis in colorem, Creator in creaturam, Dominus in servum, liberator in pretium, sanitas in infirmitatem, satietas in esuriem, fons in sitim, artifex in opus, altitudo in humilitatem, latitudo in angustias, longitudo in brevitatem, gloria in confusionem, sapientia in ignorantiam, redemptio in captivitatem, pretium in venditionem, vita in mortem, judex factus est reus, Rex factus est exul à regno.*

Tract. 34.

7 *Mirati sunt*. Evangelicus Propheta Isaias de hodie recens nato infantulo prædixit : *Factus est principatus super humerum ejus* ; alii legunt, *Imperium*. Sed quodnam est istud imperium ? Quando Imperator electus, imperii mox suscepturus gubernacula, coronatur, Ecclesiam intrat per portam ex argento fabricatam, Christus mundi & regimen aditurus, acturus & causam eundem intrat per stabulum ; Imperator paludamento majestati suæ debito vestitur, Christus nudus, lacerisque pannis involutus reperitur ; Manibus Imperatoris aureus quidam globus, mundi denotans dominium, consignatur ; Christus mundi Dominus in eodem locum non reperit diversorii : *Non erat ei locus in diversorio* : Imperator summa eum majestate, aureo super throno collocatur, at Christo thronus præsepe est ; Imperator, pretiosissimo tectus baldacchino incedit, Christo verò econtra aranearum telæ, palearum stramina tectum sunt ; Caput Imperatoris regio cingitur diademate, at tenerrimi infantuli, parvuli pusionis delicatissimum caput, pungunt arida fœni gramina : Imperator Equestrem nonnullis confert dignitatem, Christus pauperes advocat pastores ; ferro seu gladio latus Imperatoris cingitur in signum juris contra inimicos belligerandi, Christus econtra signa præfert pacis : at nunc quæ stuporis quæ admirationis causa majoris reperiri potest in Monarca, & quidem tali, *in cujus manu sunt omnium potestates & omnium jura regnorum.*

8 *Mirati sunt*. Purpurati Patris Petri Damiani hic nusquam cohiberi potuit admiratio, dum sic exclamat : *O beata ubera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt Angelorum cibum, & hominem pascunt, exiguum exprimunt liquorem, & reficiunt mundi Creatorem. Qui sua virtutis imperio marium procellas mitigat, qui fluminibus indeficientem aquarum impetum subministrat, qui aridam terram innumeris ubique fontibus irrigat, rarus de virgineo pectore lactis guttas exspectat. Mirati sunt* ipsum advenisse ut Salvatorem, juxta illud : *Salvum faciet populum suum* ; & tamen pro propria sua salute necessarium fuerit, ut consuleret sibi fuga, *Mirati sunt*, quòd aliena sibi vendicaturus regna mundus passim suspicaretur, venisse, qui regno suo cœlesti hominem venerat assumpturus. *Mirati sunt*, quòd stupida eum venerarentur animalia, quem homines contemnebant, pro quorum tamen procuranda venerat salute.

Serm. 2. de Nat. Virg.

De gloria, quam annuntiarunt Angeli.

DISCURSUS DECIMUSSECUNDUS.

Gloria in altissimis Deo. Lucæ 2. 14.

1. ORdinatissimæ Angelorum Hierarchiæ Curiæ cœlestis perpetui cives, incessabili voce in altissimis Dei gloriam festivo trisagio proclamantes : *Sanctus, sanctus, sanctus*, hodiè ad Dei & Creatoris sui gloriam annuntiandam ad tugurium Bethlehemiticum descenderunt, juxta illud : *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium : Gloria in altissimis Deo*. At quid opus erat Deo, de summo sese cœlorum solio dimittere, ut ipsi hic in terris tanquam summo Regi ab Aulicis suis sua annuntiaretur gloria, quod tanto plus mirandum est, quantò perfectius in superiori animæ parte continuò æterna frueretur beatitudine ? Si de gloria agitur humana, jacebat interim in præsepio in summa nuditate, & vilitate, ita ut Salmeron dicere non dubitarit. *Potius de Dei gloria detractum videtur, quam auditum, & si qua sit gloria, potius nostra videtur esse, quam Dei*; Licèt igitur natura nostra in Incarnatione Verbi multum sit exaltata, summoperè tamen est humiliata Divinitas, *quando verbum caro factum*; Sed hæc licèt ita se habeant, nihilominus qualiter hanc gloriam Christo nato annuntiaverint Angeli, audiamus.

Tom. 2. Tract. 35.

2 *Gloria in altissimis Deo*. Unigenitus Dei Filius angustiis licèt tugurii Bethlehemitici teneretur absconditus, volebant tamen Angeli, ut palam fieret, omnibusque innotesceret, eundem ibidem esse natum ; ad hoc ut pastores, qui nonnunquam illum in locum sese solebant recipere, scientes qualis quantusque ibidem cœlorum asservaretur thesaurus, eundem summa cum devotione ac reverentia subintrarent ; pulchrè hunc in sensum sanctus loquitur Eucherius : *Ea causa esse videtur, ut prius pastoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, ubi puer positus erat.* Percipite quæso, qualis ea fuerit gloria, quæ ex hisce Christi natalibus in tali tamque vili rerum aspectu licèt, Paradiso, mundo, Deo, totique accesserit generi humano. Sanctus Maximus ait : *Quàm congruè evangelicus intonat sermo cum dicitur gloria in excelsis Deo, quod ipse Dei filius, & apud Angelos gloriosus est in excelsis*. S. P. Irenæus scribit, quod Angeli *glorificaverunt Deum, qui est factor super cœlestium & eorum, quæ super terram sunt, & qui suo plasmati, idest, hominibus salutem de cœlis misit*. Mirabilis hæc generis humani reparatio in majorem redundabat gloriam, non solùm Angelorum, sed totius Empyrei, Venerabilis Beda ait : *Glorificant Angeli Deum pro nostra redemptione incarnatum, quia dum nos conspiciunt redimi, suum gaudent numerum repleri* ; nam reparando per medium nostræ redemptionis Angelicas ruinas, non potest quoque non evenire, quin per accessionem tot animatum visione beatifica remuneratarum, non modicum gloria, simulque beatitudo accidentalis quodammodo augeatur Angelorum : Quapropter Salmeron ait : *Eorum ruina per Christi nati merita reparanda erat ; item per Christum illorum beatitudo extrinseca aucta est, & perfecta ; nam peculiare gaudium externum habent de Christi humanitate visa plusquam de seipsis* : Aliam quoque causam exultationis, & gaudii spirituum cœlestium idem tangit Salmeron : *Per Christum*, inquit, *natum eorum custodia, qua singulis hominibus destinati sunt, jam reddita est efficacior, quàm antea, quemadmodum lætatur agricola, cum campum a se seminatum, uberiorem proferre frugem viderit.*

Hom. 2. de Nativ.
Hom. 2. de Nativ.
Lib. 3. 12.
in Luc.
Tract. 15.

3 *Gloria in altissimis Deo*. Redundat quoque non in exiguam gloriam supremæ hujus majestatis, quòd sese ea infinitæ pietatis motivo humiliarit seipsum humana quasi vestiendo natura, ad hoc ut hominem peccato sordidum expurgaret eundem redimendo. Hanc pietatem seu misericordiam, quam Deus toti exhibuit generi humano pro ejusdem defendendo salute, titulo gloriæ dignatur Apostolus, dum ait : *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei* ; S. Bernardus ait : *Quæ major gloria Dei, quàm tanta dignatio, & tanta benignitas ?* Non indigebat benignissimus Deus homine, nihilominus quam se non exhibet solicitum pro ejusdem salute ? testatur hoc ipsum sanctus Hieronymus : *Deus humilibus dat gratiam, ut eos elevet, & habitet in excelsis ; excelsus enim Dominus, & humilia prospicit, & in Evangelio Angeli clamant ; Gloria in excelsis Deo*. Insuper quantum summa Dei gloria in sacratissimo incarnationis mysterio reluceat, mellifluus audiatur Bernardus : *Apparuit Dei potentia in rerum creatione, sapientia in earum gubernatione, sed benignitas misericordia nunc maximè apparuit in humanitate*. Author quidam inter opera S. Petri Damiani in serm. de hodierna solemnitate ait : *Exinanivit semetipsum*, ait *Apostolus, formam servi accipiens, & cùm tota multitudine miserationum suarum de thalamo prodiit virginali*

Rom. 3. 23.
Serm. 2. de Circumc.
In cap. 52. Isaiæ.
Serm. 8. de Nativ.

nali

nali. Omnes omnino in hoc in terras descensu expendit thesauros: quicquid enim, inquit, in divinitatis thesauro pietatis inventum est, totum in utero Virginis est aggestum. Agedum, quis est, qui nesciat, pietatem & misericordiam eas esse virtutes adaugentes supremæ majestatis gloriam? Supra modum in summam nostram utilitatem in præsepio hinc inde sese vertens singulari quodam lumine splendens relucebat Divinitas Christi, quod considerans Divus Thomas
Conc. de Nativ. de Villanova ajebat: *Tu Domine jaces in præsepio, ut nos sedeamus in gloria, & honoris throno, tu brutis animalibus associaris ut nos Angelicis inseramur cuneis*. In hoc Deus vel maximè suam collocat gloriam, humiles nimirum exaltando: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui, deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*: non enim solùm de sinu æterni Patris in fœtidum hoc stabulum descendendo de profundissimo inferni barathro hominem eruit; sed eundem quoque ad dexteram æterni Patris sui collocavit: *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium*
Hom 2. in Nativ. *gloriæ teneat*. Sanctus Maximus quoque ait: *Hodie habitator cœli venit ad terras, ut terrarum incolas evocaret ad cœlos*. In hoc Principum hujus mundi majestas apparet, & potentia, quando videlicet de vili abjectaque vitæ conditione ad summa quæque honorum ac munerum quempiam evehunt fastigia, servorumque suorum ubique utilitatibus, & emolumentis gratiosè, nec non honorificè prospiciunt, hac tamen servata lege, ut horum promotio nullum prorsus suæ qua authoritati, qua dignitati, & potentiæ afferat detrimentum: ast alia prorsus est ratio, qua Christus nos exaltavit, hìc enim nos exaltare, & ultra quàm credi valeat, evehere desiderans, se ipsum ad ima quæque deprimit, nullo prorsus propriæ æstimationis, honoris aut potentiæ habito respectu; illud est, quod hodie canit Ecclesia: *Parvulus factus est nobis*: voluit esse servus, & quasi mancipium nostrum; unde
Conc. 1. de Nativ. sanctus Thomas de Villanova ad infantem hunc divinum se convertens exclamat: *Meum tua paupertas patrimonium est, & mea virtus infirmitas tua, & mea est sapientia infantia tua, meum est totum quod pro me pati dignatus es*. Ecce hæ annihilationes, hi contemptus, quos elegit, quia voluit, seu propriæ suæ voluntatis motivo, apta gloriæ suæ fuerunt instrumenta.

4 *Gloria in altissimis Deo*. Notissimum est illud Moysis canticum, quod dum maris rubri mirabiliter evasisset pericula, Dei prædicans magnalia cecinit, in-
Exod. 15. 2 quiens: *Deus meus, & glorificabo eum*: Gloriam Dei hic particulariter intendebat Moyses spiritu quasi prophetico præsignificare: clariùs id apparet ex versione præsentis textus, quam ex lingua Hebraica adducit Oleaster: *Glorificabo eum; Tugurium faciam ei*; quasi prædicare voluisset, quod gloria qua Pater æternus unigenitum suum filium glorificaturus esset in tempore hoc in tugurio, stabulo seu caverna Bethlehemitica, in qua nasci debebat, gloriosum omninò sumpmera esset initium: in quem quoque sensum Hebræus Vates, de cujus stirpe carnem Salvator assumpserat, ad æternum Patrem conversus, locutus fuisse videtur,
Psal. 60. 3 dum ait: *In petra exaltasti me*. Præsepe enim, in quo natus est Salvator, erat spelunca quædam incisa saxo muris Bethlemiticis contigua; nunc ad rem: Quis quæso priusquam æternus Dei filius in hocce tugurium descendit, eundem agnovit? omnes quotquot terra capiebat homines, paucis exceptis, nonne fatuo simulachrorum cultui erant addicti, idolorumque cultores? at postquam in hoc stabulo huic mundo natus est Salvator, ecce cœli quasi reserantur, totique terrarum orbi intonant: *Gloria in altissimis Deo*; tunc mox Magi ab Oriente venerunt ad adorandum Dominum,
Psal. 16. 15. faciendaque promulgandæ novæ legis Evangelicæ fausta initia Psalmista David dixit: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Quæ quæso hæc gloria, qua satiandum se David hoc in loco prædixit? Alia quædam interpretatio tempus hujus satietatis notasse videtur, quæ legit: *Cum angustiabitur imago tua*; tunc nimirum, quando Deus immensus, & excelsus, puer parvulus factus, laceras quoque fascias inter stringeretur infantulus. Videbatur aliquando Moysi apicem se divinorum favorum attigisse, qua ex confidentia hanc divinæ majestatis porrexit supplicam: *Si inveni gratiam in conspe-*
Exod. 33. 13 *ctu tuo, ostende mihi faciem tuam, ostende mihi gloriam tuam*; hoc autem retulit responsum: *Ego osten-*
In Ps. 120. *dam omne bonum tibi*: at in quo hæc gloria consistebat, quæ illud ipsum erat, quod dicere: *Omne bonum*? Gloria enim sic definitur: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*; *Ecce est locus apud me; & stabis supra petram, videbis posteriora mea*. Divus Augustinus inquit, quòd quidem Deus Moysi divinam essentiam oculo intuendam corporeo negaverit, sed loco ejus in spiritu eundem videre fecerit verbi divini Incarnationem, scilicet unionem verbi cum natura humana; *Facies ejus est, in principio erat verbum, posteriora ejus sunt, verbum caro factum*, inquit Augustinus: Notandum tamen est visionem hanc gloriosissimam Moysi factam: *In foramine petræ* (ut dictum est, (pro quo sanctus Augustinus legit: *In spelunca petræ*, ac proinde hodie in præsepio seu spelunca Bethlehemitica plusquam in ullo unquam alio loco gloriam Dei manifestatam hominibus non abs re dici potest. Unum hoc inter cætera admiratione dignum est, Jobum totius Orientis ditissimorum facilè principem, præ cæteris potentem, posthac filiis, bonisque omnibus exutum, vellere nudum, tamen non medios, ut antea, inter servos, sed fœtidum in sterquilinium se recepisse: *Sedet*, (Divus inquit Chrysosto-
Hom. 4. de Patriarch. Jobo. mus,) *in stercore, expectat suscitantem de terra inopem, & de stercore erigentem pauperem*. Prævidit absque dubio æternum Dei filium hoc in stabulo, fœtidoque fœtentium pecudum ergastulo nasciturum pro redemptione generis humani, ac proinde summam gloriam eam æstimavit, ad in tempore nascituri Redemptoris imitationem ejusmodi turpis sterquilinii participare fœtorem. Ingeniosissima quantò plus in mentem
Serm. de Epiph. consideranda venit, hæc mihi videtur Divi Fulgentii observatio. Archelaus, inquit citatus Pater, regio natus est in Palatio, æterni Dei summi Regis filius in vili abjectoque stabulo; iste pretiosissimis itidemque subtilissimis, hic econtra laceris, omnemque egestatem præ se ferentibus involutus est fasciis; nihilominus iste contemnitur, hic honoratur; *Ille*, inquit D. Fulgentius, *à Magis nullatenus nominatur, iste inventus suppliciter adoratur, omnino spernitur, primogenitus Regis, & primogenitus honoratur muneribus paupercula mulieris*. Divus insuper notat Chrysostomus, quod quamdiu Dei filius in cœlo extra hypostasim moratus est, à paucis agnitus & adoratus fuerit, minùsque quam postquam in abjectissimam hanc hodie speluncam descendit. *Dei filius in cœlo erat & non adorabatur, in terram descendit, & adoratur*: ubi enim prima supplex ei delata est adoratio, nisi in Bethlehemitico hoc præsepio, quando devotissimi Reges *procidentes adoraverunt eum*; Præterea non sine magno divinæ providentiæ mysterio factum est, multumque ad divinæ hodie gloriæ manifestatæ adfert dignitatis, quod eodem in tempore, quo Christus natus est, totius terrarum orbis Cæsari Augusto ex toto nondum subjecti, ut Divus observat Ambrosius, ejusdem Cæsaris mandato indicta sit descriptio: *Nescituro Domino describitur mundus*, (inquit Glossa,) *quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate*. Sanctus Bonaventura ad præsens propositum hanc Evangelici Prophetæ trahit prædictionem; *Propter Syon non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam donec egrediatur, ut splendor justus ejus; Splendor Patris*, inquit citatus Doctor, *Christus est, sicut enim splendor Solis vel ignis ostendit charitatem, sic filius paternam in mundo majestatem*, idem in hæc Psalmi verba: *A summo cœlo egressio ejus*, scribit: *Egressus est autem ad clarificandam divinam majestatem*. In summa per Nativitatem Christi inferni Tyrannus debellatur, turpis idolorum abrogatur cultus; summa autem Dei gloria in hoc eluxit contra eundem idolorum cultum debilibus prorsus prævalere instrumentis non aliter ac muscis usus est, ut superbissimum earundem puncturis vinceret Pharaonem! Similiter non minus eadem in hoc manifestatur gloria, quod hodie natus Salvator mundi in stabulo pauper, nudus & abjectus delitescens, de longinquis terrarum partibus Reges ad se cogat quasi, coronataque coram se ad adorandum inclinare faciat cervices, tremere faciat mundi potentes, Angelorumque sibi exercitus deferre

velit

velit obsequia, qui certatim de summo cœlo descenderunt ad decantandum: *Gloria in altissimis Deo.*

De pace, quam Angeli hominibus bonæ voluntatis annuntiaverunt.

DISCURSUS DECIMUSTERTIUS.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Lucæ 2.

1 TAndem ergo post tot labentium sæculorum decursum, hodie aperti, divinoque nectare & ambrosia repleti, defluxere cœli: *Hodie per totum mundum mellifluis facti sunt cœli*, Hodie ad cœlestis paradisi gratiarum ac donorum inæstimabiles distribuendos thesauros ditissima reserata sunt æraria; ut non immerito dixerit Apostolus, quod Pater cœlestis suum nobis donando filium omnia simul cum ipso nobis dederit bona cœlestia: Rom. 8. 32 *Pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* unde nunc hæc oritur quæstio: Si igitur hodie tam abundanter bona in nos defluxerunt cœlestia, qui fit, quod descendentes spiritus Angelici nullam ejus rei mentionem faciant, solum solius pacis nuntium adferentes? Et in terra pax? An igitur cum hodie nato Salvatore ad nos non descendit misericordia, benignitas, sanctitas, gratia, gloria? Verumtamen solum hoc auditur: *Et in terra pax.*

2 Apostolus Paulus suis Ephesiis de Salvatore nostro scripsit in hunc modum: Eph. 2. 14. *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum:* quid aliud Angeli inferre voluerunt, dicendo: *In terra Pax*, nisi unigenitum Dei filium in terram descendisse, qui erat vera pax? In prima hesternæ diei Vesperarum Antiphona sic cantat Ecclesia: Serm. 2. de Nativ. *Rex pacificus magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra.* Innocentius Tertius in Sermone quodam de præsenti Festivitate sic scribit: *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum, in cujus ortu cœlestium multitudo psallebat.* Mellifluus Doctor Bernardus Christum in sua nativitate pacis titulo compellat inquiens: Serm. de S. Bened. *Filius à Patre processit, & venit in mundum, ut qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in utero matris.* Benignissimus hic filius in sinu Patris sui reconciliationi studebat generis humani, in illum eundem finem virgineum descendit in uterum Mariæ ut ipse fieret pax nostra; quare non immerito mox tum per nativitatem hanc editus est in lucem, proclamant Angeli: *In terra pax*; huc non incongruè revocatur locus Psalmi quo Psalmista inquit: Psal. 84. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*, paulò post subjungit: *Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.* Videtur sacratissima Salvatoris nativitas, cum qua ejusdem simul gloria nobis apparuit & beatitudo, clarius exprimi non posse: at quod ad præsens facit propositum est, quod David simul cum Adventu Messiæ, pacis quoque nuntium gaudiosissimum allatum esse existimet: quidam sacrarum literarum interpres in dictum Psalmistæ versiculum sic scribit: Rainer. *Quoniam loquetur pacem, ut inhabitet Christus, qui est gloria Patris in terra, & in conscientia nostra in pace.* Perque hanc pacem (quæ in suo esse ac substantia aliud nihil est, quam ipsemet filius Dei) bona ea consequentia cætera omnia bona intelligi possunt; ex quo tandem oritur, quod in pluribus Sacræ Scripturæ locis per nomen pacis omnium omninò bonorum cumulus quidam denotetur atque congeries: Gen. 37. 14 unde dum dicitur: *Pax super Israel*, Glossa sic habet; *Omnia bona*, & uti vulgata legit, *Vade & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos* Chaldæus legit: *Vide pacem.*

3 *Et in terra Pax.* Sanctus Gregorius causam annuntiatæ pacis scribens dicit, quod Angeli pacem hodie annuntiarunt ideo, quia dum Paradiso exul esset homo, perque peccatum iis omnino dissimilis videretur atque peregrinus, rebellis quoque haberetur, ac inimicus summi ac communis omnium creatoris, erant ipsi quoque cum homine discordes ac inimici; at nunc videndo eundem quoque hominem à Deo summo honore affectum, dum carne nostra mortali se vestire dignatus est, ipsi quoque eundem honorant: Rom. 8 in Evang. *Quia enim* (verba sunt Gregorii) *Cœli Rex terram nostræ mortalitatis assumpsit, infirmitatem nostram illa jam Angelica celsitudo non despicit, ad pacem nostram Angeli redeunt, & quos prius abjectos despexerant, jam socios venerantur.*

4 *Et in terra pax. Paratissimo autem tempore voluit Christus nasci* (inquit Glossa) Glossa. *quia pacem magnopere quæsivit & amavit.* Hugo Cardinalis ait: *Ad figurandum, quod ipse erat, qui pacem reformaturus erat inter Deum & hominem.* Serm. de Nativ. Aliam quoque expositionem dedit Dionysius Carthusianus; in terra pax vera, & spiritualis, quæ est tranquillitas mentis, in bono honesto, præsertim in Deo fonte totius boni. Talis pax interna, tranquillitas scilicet bonæ & rectæ mentis ad Deum ipsa Salvatoris Nativitate hominibus annuntiatur, quia quod pacem externam attinet, multis ea erat disrupta discordiis, civilibusque turbata bellis, interna verò hæc pax animæ in nostra erat potestate, hanc annuntiare veniebant terræ Spiritus superni Glossa interlinearis ait: *Et in terra pax: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum.* Per sacram Christi Nativitatem durum ac grave jugum legis Mosaicæ abrogatur, suavior verò, necnon gratior exoriebatur nova lex evangelica. Albertus Magnus ait: *Dat autem pacem conscientiæ potius quàm temporis*; unde ad Philippens. 4. dicitur: *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras*, Philipp. 4 *pace enim temporis aliquando data, durius est bellum conscientiæ, & illa non est vera pax*, unde Sap. 14. Sap. 14 *In magno viventes inscitiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant*, & Psalmo 72. *Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Psalm. 72 Hanc vero pacem Angeli ex parte Dei jam in terris commorantis præter quem nec quisquam alius eandem dare potest, annuntiant, quam proindè mundus neque tollere valet, neque turbare, minus eandem potest participare: *In mundo pressuram habebitis*, & subdit citatus Doctor; Joan 16. 33 Christus verò econtra ad suos ait: *In me autem pacem habebitis.* Hic quoque advertendum est, hanc pacem ab Angelis in modum exercitus armatorum coactis seu congregatis fuisse denuntiatam: *Multitudo militiæ cœlestis, gaudet exercitus Angelorum.* Videbatur quidem Angelorum hanc congregationem militaris cujusdam exercitus præ se speciem præferentem parum admodum cum pacis nuntio convenire, nihilominus de Deo dicendum est: *Omnia in sapientia fecisti*: Apertissimè enim de eo dicitur: Mat. 10. 34 *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Pro cujus intelligentia sciendum est, hanc pacem interiorem in præsenti vita acquiri non posse, ea enim continuum quoddam prælium est: *Militia est vita hominis super terram*, sine armis necessum est cum passionibus nostris inordinatisque appetitibus congredi, decertare, eosdemque vincere. Unde D. Thomas super hæc verba: Joan. 14. 27 *Pacem relinquo vobis, & pacem meam do vobis*, subjungit, *Pacem relinquo vobis in hoc seculo, scilicet ut hostem vincatis.*

5 Hominibus bonæ voluntatis. Serm. 13. *Non quibuscunque hominibus*, inquit Divus Ambrosius, *sed bonæ voluntatis hominibus, ut intelligas pacem Christi non deberi esse, sed meriti; non enim eam meretur conditio, sed voluntas.* Hac pace, quam filius Dei mediantibus Angelis mundo facit intimari, gaudere non possunt nisi ii, quorum voluntas divinæ omnino suborata est; quantumcunque eam discernere & cognoscere licuerit, declarat idipsum expressè David, *In lege Domini voluntas ejus.* Psalm. 12. Beatus Pater Petrus Damianus ait: *Hodie quippè pax Deo cum hominibus facta est, sed non cum hominibus multarum divitiarum vel terrenæ sapientia, aut generosæ nobilitatis; sed cum hominibus bonæ voluntatis.* Lyranus quale sint it homines bonæ voluntatis declarat? Serm. de Nativ. *Hominibus bonæ voluntatis, id est, hominibus bonis; malis hominibus non est pax, non est pax impii*; quod idem Dionysius Carthusianus ait: In Luc. *Pax ista non competit malis.* Pater Salmeron hanc pacis annuntiationem hunc in sensum interpretatur, dicens: Tract. 33. *Sensus est Christum per Nativitatem suam pacem hominibus comparasse non omnibus, quia non omnes à peccando peccandique voluntate, & pro-*

posito recedere volunt, verum hominibus cantum justis effectis, Deoque reconciliatis, ac bona proinde voluntate praeditis; nam quamdiu culpa non pellitur, pax ulla in conscientia esse nequit. Sic Herodes sacrilegus hujus pacis percipiendæ nullatenus capax erat, quia non est *Pax impiis*; ac proinde audito Nativitatis Christi alioquin cæteris lætissimo nuntio: *Turbatus est & omnis Jerosolyma cum illo*, non verò sic accidit justis, de qui-
Rom. 5. 1. bus insigne hoc testimonium reddit Apostolus: *Justificati ergo ex fide pacem habeamus apud Deum*. Concludit insuper jam citatus Author: *Nemo Dei legem diligit sine bona voluntate, neque potest esse bona sine Dei gratia.* Idem quoque punctum tangit sanctus Leo
Serm. 9. de Nativ. Papa inquiens: *In terra autem illa pax conceditur, quæ homines efficit bonæ voluntatis; quo enim spiritu de intemerata matris nascitur visceribus Christus, hoc de sancta Ecclesia utero nascitur Christianus, cui vera pax est, à Dei voluntate non dividi, & in iis solis, quæ Deus diligit, delectari.* Præterea Angeli solius voluntatis faciunt mentionem; quia illa est quasi primum quoddam mobile nostrarum potentiarum post se totum trahens hominem, ac propterea Crea-
Prov. 23. 26. tor aliud nihil sibi dari postulat, quam cor; *Prabe fili mi cor tuum mihi.* Dionysius Carthusianus inquit: *A voluntate potissimum dicitur homo bonus vel malus, quoniam prima radix merendi ac demerendi consistit in voluntate.* Idem omnino quasi dicit Didacus Stella:
In Luc. *Per voluntatis bonitatem potius dicitur quis bonus quam per reliquas potentias quia voluntas cæteras potentias movet ad operandum; a voluntate dicitur quis bonus aut malus quia ratio meriti vel demeriti dependet a voluntate tanquam a radice & ratione, quia libertas directè ipsi voluntati competit, quare ubi nulla est libertas, nec mereri, nec demereri aliquis potest, & idcirco pax ista non malis, sed rectis competit.* Cur igitur voluntas nostra veluti fons quidam sit & origo omnium meritorum bonorumque operum, hinc est, quod Angeli pacem soli annuntient voluntati.
Lib. 50 Hom. 9 Hinc Augustinus inquit: *Totum habet qui bonam voluntatem habet.* Eadem voluntas bona, de qua loqui intendunt Angeli, inquit Salmeron, & conformis illi, pro qua quotidie in oratione Dominica hunc in modum oramus: *Fiat voluntas tua; hæc autem bona voluntas ab homine si absit, cætera nihil prosunt; si vero adsit, reliqua non possunt offendere.*

6 *Bonæ voluntatis. Hoc est eis* (inquit venerabilis Beda) *qui suscipiunt natum Christum, non autem Herodi, Pontificibus, & Pharisæis, cæterisque Antichristis, qui ejus Nativitate audita turbati sunt, eumque quantum valuere gladiis insecuti*, ita ut ii, qui scienter & voluntariè Salvatorem suum offenderunt, nulla ratione pro hac recipienda pace sint dispositi. Pro quo advertendum est, inquit Hugo Cardinalis; *Angelus sic distinguit, ut Deo sit gloria, hominibus pax, sed quia filii Adæ cupiunt, quod Dei est, scilicet gloriam, pacem perdunt & gloriam: Non nobis Domine, non nobis*, dicebat Psalmista, *sed nomini tuo da gloriam.* Hinc ab omni fastu, pompa, vanaque mundi gloria alienis pastoribus omnium primo hæc pax est annuntiata. Sanctus Bernardus ait: *Dum homines usurpantes Dei gloriam, turbant pacem; quomodo ergo stabit pax hominum coram Deo, & cum Deo; si Deo non potest esse apud homines tuta gloria sua?* Sanctus Bonaventura ait: *Præmittit gloriam Dei paci nostræ, quia nullus pacem habere potest qui nititur gloriam Dei usurpare.* Similem quoque observationem adducit Sal-
In Luc. meron, dicens: *Vide pulchram distributionem, Deo datur gloria, pax homini, hominum enim gloria non est solida, & vera, sed vana; quid enim habet in se boni, quod non acceperit?* S. Leo in præsenti natalis Domini solemnitate ad hanc exhortatur nos pacem, dum
Serm. 6. de Nativ. inquit: *Non aliter piè colitur, nisi id ei quod ipse tribuit, offeratur; quid enim in Thesauro Dominicæ largitatis ad honorem præsentis Festi tam congrue possumus invenire, quam pacem, quæ in Nativitate Domini primo est Angelico prædicata Concentu? quid est autem pacem habere ad Deum, nisi velle quod jubet, & nolle quod prohibet? Natalis Domini natalis est pacis.* Hugo Cardinalis ferventissimum pro hac, qua impetranda qua conservanda pace Christi Domini demonstrat zelum: *Pacem quæsivit usque ad sanguinis effusionem in-*quit, *unde in Natali Domini nullus debet odium in corde tenere*; Legimus hodie in una Epistola officii divini, verba hæc Apostoli: *Apparuit gratia Dei Salvato-* Tit. 2. 11.
ris nostri omnibus hominibus; hæc gratia, hæc salus, hic Salvator omnibus omninò offertur, sed quod est illud demum, quod hic docemur Theorema? *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & juste, & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Non est, quod quispiam speret gaudiosissimam superorum Jerusalem, visionem pacis dictam, ingredi, nisi prius cum Deo & proximis suis fidæ paci & reconciliationis inierit fœdera; nullos se cum hodie recens nato Salvatore dicente, *discite à me, quia mitis sum*; partem ullam speret habiturum, si non omne ex animo odium abigat & ranco- Psal. 75 2
rem: *Ipse enim est pax nostra*; & quod plus est. Audite illud, quod dicit Psalmista. *Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion, ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.*

D E

SANCTO STEPHANO PROTHOMARTYRE

Discursus Octo.

S. Stephanus nati regis est corona, tot lapidibus exornata pretiosis, quot in eo rutilantes resplenduere virtutes.

DISCURSUS PRIMUS.

Christum natum, qui beatum hodie coronavit Stephanum, venite adoremus.

1. SAncta Mater Ecclesia in ipso divini officii hodierni exordio invitavit nos ad natum Salvatorem adorandum, quia hoc eodem die Beatissimum Prothomartyrem Stephanum insigni Martyrum decoravit corona, at ni fallor, videtur mihi potiori jure dicendum fuisse, divinum infantem à sancto Stephano fuisse coronatum; idque eo magis, cum *Stephanus* idem sit quod corona: Vos judicate, si ego fortè à vero aberrem. *Hodie nobis cœlorum Rex de Virgine nasci dignatus est:* Rex adest, sed ubi Regium Diadema seu corona? Ecce Stephanum: *Stephanus* (inquit Glossa) *Græcè, Latinè interpretatur corona*, transacto jam adventu sæpè sæpius repetitum fuit hoc responsorium *Ecce veniet Dominus protector noster Sanctus Israel, coronam regni habens in capite suo?* hæc corona, qua Sal-

vatoris

vatoris vertex dicitur redimitus, quænam alia esse censenda est, quam gloriosus Prothomartyr Stephanus, qui vix in lucem editus ad Christum glorioso suo exornandum Martyrio numerosis pretiosorum lapidum radiabat scintillis *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*; ecce quod Propheta prædixit, nunc reipsa factum conspicitur, quod enim consolationes attinet cœlestes tanta earundem in sancto Martyre reperitur suavitatis atque dulcedinis abundantia, ut de eodem dicatur *lapides torrentis illi dulces fuerunt*; quod verò coronam de lapidibus pretiosis concernit, & eadem in veritate hic videtur. Propheta Evangelicus Isaias, mirabiles legis novæ Spiritu prophetico prævidens successus post se scriptum reliquit: *Eris Corona Gloria in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*; neque hic admiratione dignum videtur, hanc coronam manibus consignatam, non autem frontem eadem redimitam dici à Propheta, siquidem eandem coronam perpendit in manibus æterni Patris detentam, qui deinde eam capiti filii sui in Betblem recens nati imposuit, ut eum veritate ab oriente tres Magi venientes inquirere possent: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? Egregiè hunc Isaiæ textum declarat sanctus Hieronymus, dum inquit: *Diadema Imperii, quod Martyres gemmarum veritate distinguunt in manu Dei, ut filium suum eorum coronet victorus*. Insuper sciendum est Martyres passim *regnum Christi* dici; unde D. Joannes in Apocalypsi sua hoc eodem titulo se ipsos quasi denominasse commemorat, scribens hæc eadem verba: *Fecisti nos Deo nostro regnum*: Sunt præterea Diadema Christi & corona; hoc enim Philippenses suos ab idololatria gentium ad Christi fidem conversos dignatur titulo, Apostolus, inquiens; *Gaudium meum & corona mea*, à fortiori Redemptor noster eodem titulo eos poterit denominare, qui ex ejusdem fidei amore ad ipsum conversi vitam quoque pro eadem profuderee & sanguinem: si igitur nunc Martyres Corona Christi vocantur, quanto igitur plus gloriosum hunc titulum promeruit sanctissimus Prothomartyr Stephanus, qui ex nomine corona dicitur, simulque Martyrum inventus est primus & Antesignanus? *In capite ejus diademata multa*. Vidit hæc quondam in spiritu sanctus Joannes: At quænam sunt hæc diademata & coronæ tam numerosæ in capite unigeniti filii Dei? Sanctus Bruno eadem recenset, dicens; *qua in singulis sanctis coronatur Christus, omnis enim eorum victoria ipsius est*; si igitur omnes omnino victoriæ à martyribus reportatæ recens nati divini infantuli sunt diademata, quanto plus ille, qui cunctis viam aperuit martyribus, simulque ad vitam pro Christi nomine fortiter dandam, eisdem animum simul & exemplum dedit? *Omnis enim victoria ipsius est*, potest hoc verè dici de sancto Stephano, quia pugnavit & vicit visibili assistentia Christi confortatus. Observastine aliquando, quod peracta sacratissimæ Christi Nativitatis festivitate, sancta mater Ecclesia non celebret immediatè neque festum sancti Joannis, nec Sanctorum Innocentium, quorum tamen, ut tenellorum infantulorum festivitas, cum Christi simul puerili recens nati solemnitate videtur fuisse socianda, sicut & festum sancti Joannis propter virginalem ipsius innocentiam, cum eidem quoque jam in senectute bona infantuli seu pueri assignetur titulus; *Ecce puer meus, quem elegi, posui super eum Spiritum meum*; quid hic subesse putatis mysterii? Mellifluus Pater Bernardus hodierni Martyrii sancti Stephani considerans dignitatem hujusce Ecclesiasticæ cæremoniæ à longe causam videtur indicare, simulque demonstrat, Martyrium sancti Stephani inter cætera fuisse perfectissimum, & consequenter fuisse coronam inæstimabilis pretii & valoris, dignissimamque, qua sacratissimus vertex ornaretur regis superni: Triplicis generis Martyres dicit esse citatus Doctor; Alii sunt Martyres solius voluntatis, talesque fuere Innocentes; alii verò voluntatis simul & operis, qualis fuit beatissimus Martyr Stephanus: *Habemus in beato Stephano* (verba sunt S. Bernardi) *Martyrii simul & opus & voluntatem, habemus solam voluntatem in beato Joanne; solum in beatis Innocentibus opus; biberunt omnes hi calicem salutarem, sed Stephanus corpore simul & Spiritu*. Ah quam benè beatissimo martyri adaptari potest illud D. Ambrosii, licèt ab eodem

Pf. 40. 2.

I al 62.

Apoc. 5. 10.

Phil. 4. 1.

Apoc. 19. 12.

Serm. 3. de

S. Patre in alio proposito prolatum? *In hac corona omnes coronæ*; est enim S. Stephanus Epilogus & quasi compendium quoddam actuum maximè Heroicorum cæterorum ferè martyrum. Hebræus Rex & Propheta David de æterno patre loqui volens coronam è gemmis aliisque cymeliis compositam dilecto filio suo imponentem exhibet, dicens: *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso, id est, lapidibus*, ut legunt alii, Lyranus hoc modo interpretatur *de lapide*, id est, *perfectione virtutum, qua signantur nomine lapidum pretiosorum propter stabilitatem & valorem eorum*. Hic ergo in præsenti diademate sancti Stephani duplicem unionum & Gemmarum ordinem observo: primus fuit contradictionum; calumniarum, derisionum, cæterarumque quas pertulit, injuriarum, *Qui despicit amicum suum indigens corde est, vir autem prudens tacebit*. Hugo Cardinalis sic loquitur. *Ad opprobria non respondens tanquam surdus*: Hæc autem quæ sequuntur verba maximè & ad propositum nostrum aptissima notanda sunt: *Colligit enim sinu patientia contumelias, quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua*. De sancta Lyduina scribitur, quod acerbissimè viginti octo annis infirmitati subjecta, simulque vehementissimo martyrii patiendi ardens desiderio, quadam vice in ecstasin rapta in visu quodam eidem corona sit exhibita, attamen ob deficientem nondumque absolutam perfecti circuli formam imperfecta: per hanc verò versionem prædicta sancta cognovit, quod eam ultra, quam à divina majestate pertii let gratiam Martyrii, pati oporteret, fuitque hoc petitionem ejus excedens & quasi transcendens quoddam martirii genus, militum quorundam crudelis & violenta eidem illata vexatio; post aliquod verò tempus Angelus quidam eidem apparens dixit: *Ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti, propter inverecundos contactus virorum illorum, noveris te positam fuisse in vestigiis Salvatoris, ludibria & vulnera Corpori tuo imposita fuere gemma, quas in illa corona & adesse vidisti & deesse*. Pulchram liber Exodus Dei recenset ordinationem, qua mandatur duobus in lapidibus nomina duodecim Tribuum Israelis pulchro incidi artificio, simulque ut tot quoque lapidibus pretiosis duodecim Tribus exprimentibus, aut earundem saltem significativis adornaretur Rationale Pontificium. D. Gregorius Nyssenus sanctum Prothomartyrem de eodem scribens summi sacerdotis dignatur titulo, dum inquit: Hic enim tanquam sacerdos *quidam juxtam legem spiritualem, puram hostiam immolans, non alienum, sed suum altaribus admovens corpus, & loco libaminis sanguinem spargens*. Ecce hic sanctissimum Levitam verè duodecim pretiosos lapides duodecim quoque tribus Israel figurantes in veste sua deferentem; at hac insigni cum differentia quod se eædem tribus populi Judaici contra Beatissimum Christi Athletam certarim quasi exacerbari dentibusque frementes, lapidibus eundem obruendo ipsum tanquam vestem tot pretiosissimis, simulque inæstimabilis valoris exornarint ac ditarint gemmis. *Ludibria & vulnera corpori suo imposita fuere gemma*.

2 Alter verò in præsenti corona rutilantium gemmarum ordo, fuerunt virtutes ejus singulares, quibus ipse tanquam coruscantibus gemmis resplenduit, uti nunc dicemus. Super citatum Exodi locum Glossa interlinearis inquit: *Lapides pretiosi sunt opera virtutum*. Per ordinem quæso omnes omnium hac in corona, id est, in vita & in morte sanctissimi martyris Stephani relucentium virtutum actus curiosius nonnihil intueamur.

3 *Lapide pretioso*: Primus lapis hujus coronæ fuit ferventissima charitas, quam profecto in vitæ suæ fine ardentissimam exhibuit, vivam ardentis candelæ cujusdam formam exhibens, quæ jamjam extinguenda ferventiorem reddit flammam: *Mira virtus martyris* (inquit Beda) *qui ex cœlo eis, à quibus tenebatur perfidia culpam exprobrat, ardore charitatis in morte orabat pro occisoribus suis*. Pulchre hic loquitur D. Fulgentius *Charitas ergo, quæ de cœlo ad terras deposuit Christum, ipsis Stephanum de terra elevavit ad cœlum*.

4 *Lapide pretioso*. Insignis isque pretiosus admodum lapis fuit ejus viva fide, quam profectè accuratissimè Divus Lucas Evangelista in sanctissimo Martyre observasse videtur, dum ait: *Stephanum virum plenum fide*. Dionysius Carthusianus inquit: *In primitiva*

Serm 10. in Pf. 18.

Prov. 11. 12.

Exod 28. 9.

Glossa.

Ecclesia fides fuit specialiter commendanda tanquam fundamentum virtutum, & quia tunc valde necessaria fuit fidei fortitudo propter persecutores, itemque ob difficultatem subdendi intellectum articulis fidei, quam quoque fidem etiam post mortem beatissimi Levitæ Deus comprobare voluisse videtur, dum sacræ incinerati corporis reliquiæ, ac quasi frigidissimi quidam cineres frigidissimam innumerabilium infidelium incredulitatem lucidissimo igne accenderunt Orthodoxæ fidei (*Ignem veni mittere in terram*) siquidem invento sancti Martyris corpore innumerabilium prope infidelium secuta est conversio; ad hujus vivæ fidei elucidationem spectat, quod de sanctissimo ejus sanguine narratur: Ampulla enim sanguinem ejus continens, nec non sine continuo miraculo hucusque conservata, in urbe Neapolitana ad sanctum Gaudiosum, qui Vvandalorum fugerat persecutionem delata magno videntium stupore infideliumque conversione mirum in modum ebullit.

5 *Lapide pretioso*. Tertia hodiernæ itidemque sacratissimæ coronæ gemma fuit, pro defendenda Dei gloria, perfidorum quoque Judæorum aliorumque infidelium obstinationes reprehendenda ardentissimus aelus. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, dura cervice & incircumcisis cordibus*. Optimè hic sanctum Levitam dijudicat Dionysius Carthusianus, dum ait:
Ser. 83. de divers. *Non ex aliqua inordinata aversione, sed ex zelo justitia, atque amoris magnitudine protulit*. Item D. inquit Augustinus; *Savire videtur lingua, ferox cor, lene cor, clamabat & amabat, saviebat & salvos fieri volebat*. Idem quoque sanctus Pater alibi hoc introducit argumentum, simulque petit, quando plus contra Judæos sanctus Stephanus exacerbatus fuerit, num quando ab iisdem lapidabatur, an verò dum disputante illo, hi se opponebant. Et respondet Augustinus, *Ecce mitis factus est cum lapidaretur, & saviebat cum audiretur*; sed quam ob causam? *quia*, inquit, *mutare volebat eos a quibus audiebatur*: Irascitur, offenditur, sævit quasi in Judæos Stephanus divinæ gloriæ stimulante & quasi impellente zelo, at ardentissima quadam mixtus charitate: Theophilactus inquit, *quia videbat eos non auscultare, nec moveri iis, quæ dicebat*.

6 *Lapide pretioso*. Quartus idemque pretiosissimus lapis, fuit heroica ejus & invicta animi fortitudo: *Stephanus plenus fortitudine*. Dionysius Carthusianus inquit: *Fuit etiam plenus fortitudine, qua est unum de septem donis, per quam homo perfectionis operibus insistit stabiliter, per qua verba insinuatur quod Stephanus fuit vir Apostolica perfectionis, & valde heroicus*.

7 *Lapide pretioso*. Quinta hujus Coronæ candidissima gemma fuit, summa ejus & perfectissima castitas, puritasque virginalis; Unde beatus Laurentius Justinianus inquit; Angeli merito faciem protendebat, qui illorum puritatem gestabat in corde.

8 *Lapide pretioso*. Insuper pretiosissima quædam gemma fuit, ejus in Deum gratitudo, quam ipse inter cæteros sanctos primus exhibet Salvatori eidem sanguinem dando pro sanguine; quocirca optimè sanctus Maximus dixit: *Mortem quam Salvator dignatus*
Deut. 21. 2. *est pro nobis pati, hanc ille primus reddidit Salvatori*. Mandaverat quondam Deus Moysi, quod si aliquando inventum fuerit occisi hominis cadaver, absque eo, quod cædis nefariæ reus constaret, egrederentur majores natu & Judices loci illius, & metirentur à loco cadaveris singularum per circulum spatia civitatum, & quam corpori occiso viciniorem fuisse perspexerint, seniores loci illius tollerent vitulam de armento, quæ nunquam jugum traxerit, eamque ad fossam quandam seu vallem asperam & saxosam ducerent, ibidemque occiderent eam. Æternus idemque unigenitus Dei Filius è monte Calvariæ morti acerbissimæ erat traditus, tantæ necis reus non innotescebat, quisque à se occisionis culpam abigebat longius; Judæi dicebant, *Nobis non licet occidere quenquam*; *Pilatus protestabatur, Innocens ego sum à sanguine justi hujus*; Judas verò clamabat: *Peccavi tradens sanguinem justum*, totum genus humanum truculentissimam causaverat crucis mortem, nullus tamen in particulari mortis fatebatur authorem: Ecce mox divina nunquam fallente providentia factum est, ut de civitate crucifixionis loco viciniore, quæ erat Jerusalem Hebræorum seniores hanc præsentem victimam ad locum asperum saxisque durioribus quasi consitum conduxerint, eandemque ibidem sacrificii quasi loco, at nefariè immolarint: Pulchrè hic Emissenus inquit: *Beatus qui fumantem Dominici victimam sanguinis, primus honoravit recenti sacrificio passionis*.

9 *Lapide pretioso*. Septimus coronæ hujus unio dici potest beatissimi Martyris incredibilis quædam mansuetudo; nullatenus à verò aberrarem, si Stephanum vobis instar Abelis cujusdam veteris legis primum quasi Martyrem vobis exhiberem, pulchrè sunt, quæ inter utrumque reperiuntur symbolicæ quædam similitudines. Nam sicuti Abel legis naturæ primus quasi extitit martyr, sic Stephanus legis gratiæ; Abel innocentissimæ semper ac inculpatæ vitæ fuisse perhibetur, nec minus vitam immaculatam duxit Stephanus; unum tamen est, quod omnimodam inter utrumque similitudinem tollit, quod videlicet vindictam de cœlo inclamet Innocens sanguis Abelis, Stephanus verò contra pro occisoribus Deum assiduè precabatur, ut iis ignosceret clementer, quod præ nimia mansuetudine eos committere judicat ignoranter.

10 *Lapide pretioso*. Nec minus pretiosa coronæ nostræ fuit gemma, generosa ejus pro tuenda veritate, suscepta defensio: *Stephanus plenus Spiritu sancto*. Cujus etiam officium proprium est, fidei nostræ docere veritatem: Sciatis, inquit S. Augustinus, S. Stephanum honorem Christi quæsivisse: inter hos lapides quoque annumeranda est vox liberior, de qua inquit S. Pe- Ser. 2. de S. Steph.
trus Damianus, *vox liberior & illorum cætibus sermo exacuitur veritatis, totumque martyrem capit sibi Spiritus Dei, & ex ejus ore sonantiori Organo modulatur*.

11 *Lapide pretioso*. Insignis quoque lapis fuit ejus in sublevandis aliorum, quas concipiebat miseriis compassio; sic enim beatum Martyrem hoc ex capite commendat sanctus Albertus Magnus; *Fuit vir magna misericordia propter quod ad hoc deputatus fuit ab Apostolis, ut viduis ministraret*.

12 *Lapide pretioso*. Inter cæteros verò hujus diadematis uniones præ cæteris rutilat profundissima ejus humilitas; erat enim beatissimus Martyr honorifico loco in Ecclesia Dei, eamque in miraculis suis continuo reddebat illustrem; unde de eodem scriptura refert, *Faciebat Signa & prodigia magna in populo*; erat in dicendo verbaque ad populum faciendo prudentissimus simul ac sapientissimus, nihilominus ministerium præ cæteris humile, ministrare scilicet mensis, eidemque sese quasi ingerere non dedignatur; ita ut dicat Glos- Glossa.
sa *Martyrio coronatus est sublimiter, qui lapidatus est humiliter*.

13 *Lapide pretioso*. His omnibus undecima gemma non immerito annumeratur admiranda ejus sapientia: de qua actus Apostolorum inquiunt. *Non poterant resistere sapientia & Spiritui, qui loquebatur*. Dionysius Ser. 1. de S. Steph.
Carthusianus inquit: *Impleta est in Stephano illa Christi promissio; Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri*.

14 *Lapide pretioso*. Denique duodecimam hujus coronæ gemmam assignamus, summam vitæ ejus innocentiam & admirabilem perfectionem; quam hisce verbis pulchrè describit Albertus Magnus: *In ea puritate quam in baptismo suscepit, creditur permansisse, unde dicitur de eo Stephanus plenus gratia, quasi dicatur, quod eandem gratiam, quam in baptismo suscepit, adhuc per vita innocentiam conservavit*.

15 S. Augustinus de hac tam opulenta gemmis la- Ser. 92. de divers.
pidibusque pretiosissimis ditissima corona intendebat loqui, dum scripsit: *Quando B. Stephanus pro Christo primus sanguinem fudit, quasi corona processit de cælo, ut eam sumerent sequentes in præmio, qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio*.

De

De Fortitudine sancti Stephani, quæ ex continuis heroicarum virtutum actibus elucet.

DISCURSUS SECUNDUS.

Stephanus plenus fortitudine.

1 JUre meritissimo Spiritus sanctus in beatissimo Prothomartyre Stephano præallatum Scripturæ sacræ textum nobilissimæ cujusdam virtutis inexpugnabilis scilicet fortitudinis omnem extitisse quasi plenitudinem, id est, perfectionem innotescere voluit, siquidem sanctus Stephanus non solum primus fuit, qui acerrimum imò sanguinolentum omnino subiens martyrii conflictum gloriosam indè reportarit victoriam, verum etiam similiter in ipso ad ipsam usque admirationem omnes omnino nobilissimæ hujus virtutis (quam D. Ambrosius cæteris omnibus virtutibus præfert) excellentias ac prærogativas clarissimo spectare licebit intui-
Lib. 1. de offic.
tu: *Est fortitudo*, inquit Ambrosius, *velut cæteris excelsior*; S. Augustinus in sermone quodam de hodierna festivitate, dignam, pro admiranda sanctissimi Martyris deprædicanda fortitudine, à Deo implorat facun-
Lib. de mo. Eccl.
diam, dicens: *Donet mihi Dominus pauca dicere salubriter, qui donavit Stephano tanta dicere fortiter*. Idem pulchrè nobilissimam hanc virtutem sic describit: *Fortitudo est amor, facile tolerans omnia, propter id quod amatur*.

3 Fortitudo quæ est virtus Christiana in hoc ab ea quæ militaris nominatur, distinguitur, quod hæc in hostili aggressione, ista vero in patienti quorumvis insultuum & aggressionum consistat tolerantia: Ecce sen-
2.2.q. 123. a. 6.
tentiam Angelici Doctoris, dum inquit: *Sustinere, id est, in periculis immobiliter sistere principalior est actus fortitudinis, quam aggredi pericula*. Vultisne scire, quibus armis invictissimus hic Heros, qui plenus dicitur *fortitudine*, fuerit instructus? profecto lorica de qua mentionem facit Petrus Chrysologus dicens: *Amor impenetrabilis est lorica*: hic Amor cor eidem dedit & animum invictum, quo tot tantisque hostium suorum persecutionibus fortissimè restitit. S. Fulgentius D. Augu-
Serm. 1. de S. Steph.
stino sese conformans inquit; *Amor facilè tolerans omnia propter id, quod amatur; quod est ergo tam magnum atque insuperabile genus armorum, quo munitus sævientes argueret, lapidantes non percutiens, sed patiens superaret?* Concludit denique hic Sanctus exquisita hæc fulgentissimique cujusdam operis arma fuisse ardentissimum in B. Stephano amorem & charitatem. *Charitatem pro armis habebat, & per ipsum ubique vincebat*.

Alex. ab Alex. l. 2. c. 24.
3 Refert nominatissimus Scriptor Alexander ab Alexandro, in Rhodis Insula mirabilem quendam Herculi sacrificandi cœcæ gentilitatis morem: Sacrificii enim loco habebat omnes, quascunque tandem ejusdem gentis sacrificuli excogitare poterant injurias, contemptus, improperia, & ea ignominiosissima quidem in Herculem evomere quod si quidem contingeret minimam in laudem Herculis redundantem proferre voculam, jam sacrificium istud pessimi infaustique ominis censebant augurium: Sed quæso dicite mihi, quæ convenientia, quæ proportio inter contumelias, injurias, maledictiones, & inter sacrificium, quod est signum obsequii, devotionis, & honoris, per quod denique debitus Deo cultus exhibetur, reperiri potest? quo non attento nihilominus præcitatus author hæc eadem verba refert; *Maledictis, ludibriisque verborum Herculi litant*; at pandam mysterium: Volebant gentiles hi insignem quandam omnemque summam debilitatem superantem in Hercule denotare fortitudinem, quam omnibus quibus poterant injuriis ac illusionibus Herculem infestando, num ad eas patienter sufferendas eidem generosus quoque esset animus, experiri volebant, sicque velut numini cuidam, eidem litabant, & profecto Actus Fortitudinis maximè Heroicus est, bonam in partem quascunque injurias suscipere, forti simul ac imperterrito eadem animo sufferre: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium*. Adhæc apud antiquos pro more receptum erat, poterat nunitum quisque solemnissimum etiam Triumphatorum quibuscunque exagitare ac vexare improperiis, idque quibusdam visum fuit hac ea causa fieri, ut sic omnem inanem applausum, vanamque gloriam in animo superbiente impedirent; at hæc, ut mihi quidem videtur, potissima hujus erat ratio, ut significaretur tunc quempiam fortem, generosum vereque dignum esse triumpho, si quasque contumelias ac injurias forti animo recipiens non sentiat: hic enim veræ fortitudinis actus pluris æstimabatur, quam fortissimas urbes expugnasse, instructissimosque prostravisse exercitus.

4 *Stephanus plenus fortitudine*, verissimum enim hoc ipsum est, si verum est, quod Scriptura Sacra refert; *Calumnia conturbat sapientem, & perdit robur cordis illius*: perfidi enim illi simul ac maligni Judæi Eccl. 7. 8.
quascunque in Stephanum torquendo calumnias falsissimasque imposturas, falsa quoque in faciem contra eum dicendo testimonia, vel utique contra Deum blasphemum atque rebellem condemnando fortem Stephani animum nullatenus turbare, minimumque inquietare potuerunt. Verum in medium eorum prodiens Stephanus summa cum animi pace & tranquillitate, vultusque blanda serenitate eosdem veluti Patres & Fratres honorans eorundem demonstrando malitiam ac invidiam blandè leniterque sic affatus est: *Viri Patres & Fratres audite*. Sanctus Gregorius Nyssenus inquit: *Iræ quidem lenitatem, minis vero despicientiam mortis, mortis terrori vitæ contemptum, odio dilectionem, malevolentiæ benevolentiam, calumniæ veritatis prædicationem opponens*. Sanctus Lucas summam Judæorum malitiam tangens, scribit, quod *exclamantes voce magna continuerunt aures suas* quod verò secundum sanctum Augustinum sic intelligendum est: quod videlicet eum summa impudentia, scientia & libertate sanctissimo Levitæ sese opposuerunt, eundemque morti tradere, lapidibusque obruere concluserint, credentes gratissimum se Deo exinde sacrificium immolaturos: *Clamor pro tanta impudicitia & libertate iniquitatis, ut nec verecundia nec timore absconderetur*.

5 *Stephanus plenus fortitudine*; apparet hoc in consideratione mirabilis illius mansuetudinis, quam erga suos persecutores ac lapidatores exhibuit: *Cornua* Habac. 3. 4.
in manibus ejus, inquit Propheta Habacuc, *ibi abscondita est fortitudo. Quæ autem?* inquit quidam, *fortitudo tua nisi mansuetudo tua?* de inimicis nostri ultionem sumendo & vindictam, secundum Duelli mundique legis eosdem vincere judicamur, sed iisdem benefaciendo illatasque eis condonando injurias nosipsos vicisse, majoremque multo retulisse victoriam manifestissimum est: Cùm quo plus quispiam mitis est & mansuetus, plus quoque censeatur fortis. Quam autem de Drogo de Sac. Dom. pass.
seipso reportatam in sancto Stephano victoriam notasse Hom. de S. Steph.
videtur sanctus Maximus dum inquit: *Plus itaque tunc illorum dolebat peccata, quam sua vulnera*. Omnibus enim, quibus poterat modis Deum suis malefactoribus placare studebat, tunc genuflexus altum inclamabat: ut scripturæ textus refert; *positis autem genibus clamavit voce magna dicens, ne statuas illis hoc peccatum*. In quæ verba pulchrè inquit Salmeron, *Indicat* Tom. 11. Tract. 35.
ardentem suam charitatem, qua lapidantium salutem sitiebat, qua positis genibus, & clamore magno, quod pro se non fecerat, illorum postulabat salutem, quoniam illi in majori periculo erant, & graviter delinquebant, ideo cum majori humilitate & submissione preces fundit; ubi quoque illud notandum est, quod licet in sanctissima hac anima omnes omnino resplendeant virtutes sancta tamen Mater Ecclesia fidelem sibi populum particulariter ad imitandam ejus invitet mansuetudinem, dum hodie sic Deum deprecatur dicens: *Da quæsumus Domine imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum*. Sancti item Patres & Doctores singulariter insignem hanc in beatissimo Levita Virtutem admirantes certatim quasi insignibus post se relictis testimoniis in ejusdem ruunt commendationem. Ac primo quidem sanctus Augustinus inquit: *Illi lapides mittebant, ille orationes præmittebat, tanquam dicens, Domine si istos* Serm. 4.
modo occideris inimicos, quos postea facies amicos? Purpuratus Pater Petrus Damianus ait: *Lapi-*

des quidem lapidem percutiunt, sed lapidem molliorem, de quo fluit oleum charitatis, & tinnitus redditur pietatis, clamat voce magna, quia magna utique charitate. Sanctus Gregorius Nyssenus dicit: *Manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium collisione sævitiam præseferentes, hic vero tanquam fratres aspiciebat & tanquam Patres salutabat.* Aliqui hic legunt: *Ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt*, quem in textum Hugo Cardinalis sic loquitur: *Mira virtus Martyris orans excusat eos charitate accensus.* Demum optimè hic omnes ad exemplum sanctissimi Martyris exhortatur sanctus Maximus dicens: *Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos suos.*

6. *Plenus fortitudine.* Probat quoque hanc ejus fortitudinem summa ejus in contemptu mundi oblectamentorumque, quibus alias sensus deliniri solent, constantia, Lib. 9. mon. c. 9. *Justorum enim fortitudo est*, inquit D. Gregorius, *Carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere, prosperitatis blandimenta contemnere:* Addendum hic quod de eadem virtute sancti Lib. 2. off. Stephani scribit D. Ambrosius, *Rigidior adversus voluptates* Rabanus, citatus à Glossa, ejus est opinionis, quod in præmium ac recompensationem generosi ejusmodi contemptus omnium terrenorum, eidem apertum sit cœlum, quod ex eo benè videtur sequi, cum sanctus Lucas dicat, Stephanum quoque ex eorum numero fuisse, qui divitias possessionumque suarum pretia, ante pedes detulerunt Apostolorum, multosque alios insigni hoc suo exemplo ad idem faciendum excitarit, *Migraturus à terra cælos vidit apertos, ut qui terrenam vitam pro Christo contempsit, mereatur hæreditatem cæli.* Ad eundem modum, quòd sensuum oblectamenta quæque generosè contempserit, non immeritò Angelus quidam dici poterit: quod Salmeron inggerit, inquiens. Tanquam Angelus, corporis nullam habet curam: B. Tom. 12. Tract. 13. Pater Petrus Damianus ad ea verba, *Intendens in cælum* ait: *Hanc intentionem fecerat abjectio, mundi contemptus, sui cordis munditia.*

7 *Plenus fortitudine*, Insignis profectò ea beatissimi Martyris fuit fortitudo, primus, & post Christum nunquam visa generositate Martyrii velut periculosissimi cujusdam maris rubri tentare transitum. Populus Hebræorum postquam attigisset mare rubrum, idemque mare ut ingrederetur Pharao cum exercitu suo, eundem quasi allicere, Moyses virga sua miraculosa in duodecim semitas mare divisit, ut scriptura loquitur (*qui divisit mare rubrum in divisiones*) attamen quilibet hæsitabat fluctuanti huic, nec non cæteroquin lubrico, minusque firmo elemento fidere: Aminadab præ cæteris generosior cum universa tribu sua primus fuit, qui mirabilis hujus transitus marini subibat periculum, unde transiens reliquis eandem sequi viam, & animus quasi fuit & exemplum, proinde promeritus, quod sua tribus inter cæteras domus Judæ semper primatum tenuerit. Ad eundem modum ad solum aspectum maris rubri, sanguinis scilicet & amarissimæ passionis Salvatoris nostri quisque timebat ac tremebat: quisque immanes illas Tyrannorum carnificinas declinabat, ac tormenta: at ecce Stephanum, qui *plenus fortitudine;* primus summa Lyran. in c. 5. Matt. generositate hoc mare magnum ac spatiosum martyrii calcare ac intrare non dubitavit; nec non marinarum harum aquarum salsedinem & amaritudinem in merum nectar convertit & ambrosiam Paradisi; tanta enim animi sui alacritate tantoque cum jubilo mortem sustinuit, quod *lapides torrentes illi dulces fuerunt.* D. Chrysologus inquit: *Stephanus purpuratum ducit exercitum:* addidit animum generositatemque cæteris post ipsum martyribus.

8 Patriarcha Jacob inter omnes suos filios, quos nominibus duodecim Tribuum insignivit, dando benedi- Gen. 49. 3 ctionem Ruben, eidem dixit; *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, major in imperio.* Ruben interpretatur & idem est, quod, *videns filium.* Fuit hæc profectò figura S. Stephani; de eo enim dicitur: *Video cælos apertos, & Jesum stantem a dextris virtutis Dei.* Fuit quoque primogenitus Martyrum legis Evangelicæ, potestque de eo (uti apparebit) optimè dici, quod dicit Apostolus. Elegit eum conformem fieri imaginis filii sui, ut esset primogenitus in multis fratribus. Optimè autem eidem convenit, quod de Ruben Jacob prædixerat, *tu fortitudo mea*, ipse enim confortavit, animavitque omnes alios qui metuebant mortem, siquidem ipse eandem cum tanta fortitudine sustinuit. D. Chrysologus, postquam dixisset, *Stephanus purpuratum ducit exercitum*, subjunxit, *qui pro Domini sui adhuc calente sanguine sanguinem suum avidus bellator effudit.* D. Augustinus autem insignem tantæ suæ tempore lapidationis exhibitæ alacritatis & lætitiæ, dat rationem, inquiens: *Nec mortem timebat, quia Christum, quem pro se occisum sciebat,* Ser. 94. de divers. *viventem videbat, ac per hoc festinabat etiam ipse mori pro illo, ut viveret cum illo;* his autem vix melius quidquam dicere potuisset Eusebius Emissenus; *Beatus qui* Hom. de S. Steph. *cœlestis illius agonis proximo pedissequus intervallo vels quas excipere furoris illius emeruit, quo paulo ante sæviente mundo Salvator excubuit.*

9 Dionysius Carthusianus in expositione quadam super verba illa *plenus fortitudine*, pulchræ cujusdam educendæ moralitatis præbet occasionem, per hanc enim fortitudinem intelligit stabilitatem & perseverantiam in bonis operibus; *Donum cujus est operibus perfectionis constanter insistere.* Docet experientia multos à bonis factis propositis desistere, facillimeque ad jamjam detestata & confessa redire peccata, quare invocemus opem S. Stephani, pro impetrando dono hoc fortitudinis, id est, stabilitatis & constantiæ in exercitio virtutum, & perfecta divinorum præceptorum observantia.

Qualiter sanctus Stephanus omnibus Spiritus sancti donis & fructibus ditatus fuerit, demonstratur.

DISCURSUS TERTIUS.

Stephanus plenus Spiritu sancto.

1. SAnctus Lucas Evangelista simul & pictor excellentissimus eminentissimam sancti Martyris Stephani sanctitatem in effigie ad vivum quasi delineare volens, eandem in una quam duxit linea, in unico quem scripsit textu, *Stephanus plenus Spiritu sancto*, tam perfectè tetigit, ut ad pulcherrimos dignissimosque de eadem conceptus simul, ac ideas formandas sufficiat. *Tanta divinorum charismatum*, inquit Dionysius Carthusianus, *excellentia decoravit, ut ei æqualis vix* Ser. 4. de S. Steph. *videatur inter Martyres. Stephanus plenus Spiritu sancto*, Syriaca versio sic legit, *Stephanus plenus Spiritu sanctitatis:* ad quod jam citatus Carthusianus dum scribit in acta Apostolorum, sic inquit: *Per quod insinuatur cunctis fuisse plenus virtutibus.* At verò si ulterius percipere libet, quo titulo & quidem æquissimo Beatissimo Levitæ hæc laus debeatur, discurramus nonnihil ulterius super dona & fructus, eidem à Spiritu sancto abundantissimè communicatos, & profectò sanctissimum martyrem omnibus omnino dicatum & exornatum inveniemus.

2 Evangelicus Propheta Isaias, differens de donis Spiritus sancti, quibus venturus in mundum Messias, utpotè ex signis quibusdam dignoscendus esset eadem hunc in modum recenset: *Et requiescet* Isai. 11. 4 *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini:* Hæc eadem septem dona in beatissimo Martyre reperiemus.

3 *Spiritus sapientiæ. Sapientia*, inquit Hugo Cardinalis, *spiritualis non mundana;* convenit hoc cum expositione Cornelii à Lapide, qui sentit sapientiam esse donum, cujus beneficio anima bona invisibilia contemplatur, & ab hisce inferioribus totaliter dimovetur, sapientia verò Protomartyris nullatenus humana verum cœlestis fuit: ad cujus probationem servit benè notare ly *Spiritui*, quod Evangelista Lucas suo in textu unit eum *Sapientia*, dicit enim, non poterant resistere sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur: absolutissimus verò bonorum terrenorum contemptus ferventissimusque cœlestium amor, inde quam maximè apparet, quod adhuc nobiscum in terra degens cœlum apertum conspexerit. Unde Dionysius Carthusianus inquit: *Adhuc vivens in carne mortali ad tam altam atque cœlsiformem perductus est visionem.*

4 *Et*

Cornel. à Lapide.

4 *Et intellectus*. Est hic secundum seu alterum donum Spiritus sancti, & est donum singulare quoddam cujusdam intelligentiæ seu perspicacitatis, per quod abdita quæque & secretissima divinarum scripturarum Mysteria, prædictiones, figuras, Allegorias penetramus, absconditosque ejusdem rescire incipimus thesauros, Doni hujus prærogativæ singularis Doctorum & Theologorum quædam sors est, at non minus eodem quoque & quidem abundantissimè repletus fuit S. Stephanus uti ex insigni illo in concilio & Judæorum synagoga ad eosdem habito, & à S. Lucia in actis Apostolis accuratissimè descripto sermone clarissimè elucet.

5 *Spiritus consilii*. Hoc donum consilii cum prudentia Christiana prorsus synonymum est, perque illud omnes nostras actiones ad ultimum finem nostrum dirigimus, quem in sensum aptissimè in sermone quodnam de præsenti Festivitate scripsit sanctus Albertus

Serm. de S. Stephan.

Magnus: *Stephanus interpretatur Regula vel corona; interpretatio itaque nominis sui innuit apertè, quod secundum Regulam doctrinæ Jesu Christi vixit; & quod benè vivendo cœlestem Coronam promeruit*.

6 *Spiritus fortitudinis* Constitit hic spiritus in constanti fortique quarumvis contradictionum, tormentorum, imò ipsiusmet Martyrii sufferentia. Fortes & heroes se quidem exhibuerunt Apostoli, postquam Sacra Pentecostes die Spiritum sanctum de cœlis missum

Serm. 185. de Temp.

recepissent, eoque repleti essent: *Jam quidem Christum*, inquit sanctus Augustinus; *per diversa poterant prædicare, sed adhuc pro Christo usque ad mortem certare non poterant, usque adeo, ut nullum ex Discipulis coronaverit palma Martyrii ante Adventum Spiritus sancti* At vide nunc quis animus heroicus, quæ fortitudo prorsus invicta fuerit in beatissimo Levita nostro; qui inter omnes primus ad subeundum Martyrium in arenam de-

Serm. 4.

scendere ausus fuit: *Ecce quam imperterrita mens*, inquit Dionysius Carthusianus: D. Gregorius insuper Apostolis à Spiritu sancto constantiam & animositatem in sufferendis suppliciis communicatam recognoscit, dicens: *Hujus mundi potestatibus controvenire non præsumerent, nisi eos Spiritus sancti fortitudo solidasset*.

7 *Spiritus scientiæ*. Servit hoc scientiæ donum ad intelligendum, bona hæc terrena medium ad acquirenda cœlestia esse efficacissimum eadem ad bonum finem ordinando, iisdemque cum hac differentia discretionis utendo. Beatus Pater Petrus Damianus hunc Scripturæ textum: *Intendens in cœlum vidit gloriam Dei*, exactius nonnihil ponderans, inquit, *Hanc intentionem fecerat abjectio mundi*.

8 *Et pietatis*. Est & pietas donum quoddam Spiritus sancti: Mirum autem quales zelus religionis, pietatis, cultus divini, majorisque Dei gloriæ sanctus Stephanus singularis cujusdam fulgoris radios emiserit: Dio-

Serm. cit.

nysius Carthusianus inquit sermone citato: *Quam ardentissimus Deitatis affectus*.

9 *Spiritus timoris Domini*. Est hic ultimum Spiritus sancti donum, & intelligitur de timore filiali, qui est effectus charitatis, sapientia enim est initium timoris Domini, deque illa in hujus transitur cognitionem: *Ra-*

Eccl. 1. 5.

dix sapientiæ, enim est timere Dominum. Hugo Cardinalis inquit: *Timor Domini confert sapientiam de divinis & disciplinam de moribus*.

10 *Stephanus plenus Spiritu sancto*. Textus hujus veritas clarissimè patebit ex consideratione fructuum Spiritus sancti, quos accuratissimè ad Galatas scribens,

Gal. 5. 23.

enumerat Apostolus Paulus: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Ac primo quidem ardentissima in ipso fuit charitas, testis ejusdem est Dionysius Carthusianus, dum inquit: *Actus dilectionis per modum ignis ad cœlestia scandens*. Flagrantissimus hic charitatis ignis extra sphæram suam non valens quiescere, ei continuo se unire desiderabat, Deo scilicet: *Qui ignis consumens est. Ecce video cœlos apertos & Jesum; quam plenissimus Christi amor*. Nicetas quidam in laudem præsentis sanctissimi Martyris, quam copiosissimè descripsit, Surius sic loquitur; *Charitate ardebas magis quam omnes sancti sui temporis, Gaudium*, inquit sanctus Thomas, *quod procedit ex præsentia rei amatæ; At ille gaudens suscepit lapides* cur ita? habebat siquidem sibi præsens objectum amatum; *Ecce video Jesum stantem a dextris virtutis Dei*.

Mansi Promps.

11. *Pax*. Hæc pax illa erat, de qua scriptum est: *Pax multa diligentibus legem tuam*. Hæc pax est interna quædam quies, vultus amabilis serenitas, ex tranquilla & bona ortum ducens conscientia: *Spiritus ille*, inquit Bernardus, *odit sordes, nec habitare potest in corpore subdito peccatis*: Quis igitur nunc miretur, si de beato Stephano dicatur: *Plenus Spiritu sancto*? siquidem ipse inculpatæ vitæ erat, & indicibilis puritatis. Pulchrè Lyranus ait: *Pax quantum ad duo, ad quietem ab exterioribus conturbationibus, secundo quantum ad sedationem desiderii interioris*. Utriusque hujus pacis conditiones perfectissimè exhibet Stephanus, ita ut speciem quandam referret Angeli, erat enim omnino imperturbabilis: *Sicut Angelus Domini ut nec benedictione, nec maledictione moveatur* Dionysius Carthusianus dicta nunc pulchro confirmat elogio, dicens: *Cum enim tam falso accusatus fuisset, non est vultu, ac corde turbatus, non ira aut impatientia motus, non pallore aut timore perfusus, sed mente constantissimus fuit, securus, imperterritus, & jucundus in Deo tranquillissimo vultu ornatus*. Et quod singulariter notandum est, cùm enim perfidi Hebræi falsique impostores contra eum velut lupi rapaces commoti dentibus quasi fremerent, ipse eos non alio quam patrum ac fratrum nomine compellavit, dicens: *Viri patres & fratres audite*:

Ser. de Pent.

2. Reg. 14. 17.

12. *Patientia*. Tertius & ab aliis diversus hic fructus est Spiritus sancti: Quem *perpessionem contrariorum æquanimem*, nominavit Dionysius Carthusianus: qui insuper reflectendo se super historiam actuum Apostolicorum, in quibus refertur Stephanum non solum patientissimè sustinuisse Martyrium, verum etiam genibus flexis pro suis persecutoribus & occisoribus ferventissimè Dominum exorasse, sic inquit: *Ecce pro se stans, pro interfectoribus genua flectit, & pro interfectoribus tam crudelibus*, in quo mira ipsius patientia, & perfecta charitas declaratur: Lyranus scribit: Hic ponitur B. Stephani perfecta patientia.

13. *Benignitas*. Hanc Angelicus Doctor explicans dicit: *Benignitas, id est, rerum largitas: Benignitas enim dicitur quasi bona igneitas, quæ facit hominem fluere ad subveniendum necessitatibus aliorum*. Apostolus hanc suadet suis Colossensibus, dicens: *Induite ergo vos sicut electi Dei Sancti & dilecti viscera misericordiæ benignitatem*. Ex occasione insignis hujus virtutis S. Stephanus communi & unanimi Apostolorum consensu, veluti viduarum aliarumque indigentium personarum provisor electus fuit, quod idem asserit Albertus Magnus: *Fuit vir magnæ misericordiæ, propter quod deputatus ab Apostolis ut viduis ministraret*. Alii hanc benignitatem volunt esse affabilitatem & gratam quandam in Conversatione suavitatem: *Suavis & benignus affectus, ut in loquendo, respondendo*. Inter alia verò hujus spiritus indicia hæc tria sapiens assignat: *Suavis, humanus, benignus*. S. Augustinus ait: *Quid lenius, quid clementius*? Chrysostomus suavem ejus loquendi modum observat, dum inquit: *Benignus verbis incipit*, tunc videlicet quando sermonem suum ad Judæos hisce verbis exoriebatur: *Viri patres & fratres audite*. Hugo Cardinalis dicit: *Blandè loquitur, ut libentius audiatur*; Proverbiorum 15 Scriptura ait: *Mollis responsio frangit iram* Eccles. 6 *Verbum dulce multiplicat amicos*.

Cornel à Lapid.

Sap. 7 22.

Serm. 2. de S. Steph.

Eccl. 6.

14. *Bonitas*. Est hæc sextus fructus Spiritus sancti. Lorinus super verba hæc: *Plenus gratia*, tam in Græca, quam Syriaca & Hebraica Versione, dicit; sic exponenda: *Plenus erat bonitate*; Bonitas idem est quod *Rectitudo & dulcedo animi*, dixerat D. Thomas: quantum ad rectitudinem attinet animi, persecutio, licèt crudelissima Judæorum non fuit, fuit tamen sufficiens ad etiam vel minimam Stephanum permovere escandescentiam, debitæque mansuetudinis ut leges infringeret, nisi fortè primo intuitu hæc sacri textus verba: *Dura cervice*, quandam indignationem significare videantur, at, ut volunt sacri interpretes, fuerunt hæc verba optimæ zelus, non verò correctionis aut passionis alicujus indomitæ indicia. Benè etiam dicitur à sancto Thoma: *Dulcedo*; quia lapides torrentis illi dulces fuerunt:

15. *Longanimitas spei in præstolando bona divinitus promissa*, inquit Dionysius Carthusianus. Idem in Acta Apostolorum scribens duplicem Actum fortitudinis refert, quorum posterior perfectissimam Prothomartyris

nostri perseverantiam repræsentare potest: *Donum cujus est operibus perfectionis constanter insistere*: Corona pugnanti datur & vincenti: Sanctus Stephanus verò & nomine & omine, id est, factis perseverantiam optimè expressit, illa enim est bonorum operum Corona.

16 *Mansuetudo*, inquit Lyranus, *Facit æquanimiter tolerare mala nobis illata*: Beneficio hujus virtutis anima justa & sancta non sentit illatas injurias, imò etiam malum pro bono reddit; quod beatissimo Stephano optimè accommodat sanctus Maximus, dicens: *In illa lapidum ruina, quando aliis oblivisci poterat, etiam charissimos suos, ille Domino commendabat inimicos.*

17 *Fides*. Lyranus ly fides sumi dicit pro *Fidelitate*, declarando enim hoc Epithetum à S. Luca beatissimo Martyri datum, quando fuit ordinatus in Diaconum, inquit: *plenum fide*, id est, *fidelitate*, *propter quod tale negotium poterat sibi secure committi*: At verò quando sumitur pro fide, quæ est virtus Theologica, maximè ea in sanctissimo Martyre relucet, ut de se manifestum est.

18 *Modestia* Hæc effectus quidam est Spiritus sancti, & virtus quæ omnes externas nostras actiones (ut sunt sermones, gressus & incessus, vestitus, visus, & cætera si quæ sunt hujusmodi) totam conversationem nostram exteriorem, totumque hominem externum optimè componit ac moderatur; quod autem hanc modestiam, quæ est effectus Spiritus sancti in omni sua perfectione possederit sanctus Stephanus, ex eo vel maximè patet quod omnium oculis, imò etiam ipsis suis persecutoribus visus fuerit instar Angeli: *Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli stantis inter illos.*

19 *Continentia*, inquit Dionysius Carthusianus, *est refrænatio voluptatis laboriosa* Beatissimus Prothomartyr in florida ætate sua venustissimæ erat formæ, tantæque pulchritudinis, quæ incentivum & fomes quidam ad amorem etiam illicitum esse solet, in eadem quoque ætate sua ad regendas honestissimas matronas applicatus fuit, ex quo facile arguere licèt eundem continuum sensibus suis bellum indixisse, eosque summo eum rigore & austeritate domasse. *Continentia*, ut Cornelius à Lapide commentatur, *à nimio cibo & potu*, Vatablus autem per eam intelligit *Temperantiam*, singularis autem in eo fuit sobrietas & abstinentia, quam in assiduo mensarum ministerio, ad quod ab Apostolis electus fuerat, clarissimè licebat experiri. Cornel. à Lapide.

20 *Castitas* Estque hæc ultimus Spiritus sancti fructus ab Apostolo Paulo relatus. Dionysius Carthusianus differentiam quandam notat inter continentiam & castitatem; & dicit: *Continens patitur concupiscentias fortes, sed non vincitur; Castus vero non vincitur nec patitur*; Idem quoque videri potest in sancto Anselmo, ubi inquit: *Continentia in luctamine est castitas in pace*: Sic sanctus Stephanus, postquam suis cum sensibus acre prælium iniisset, eosque devicisset, Angelica quædam gaudebat puritate. Undè Albertus Magnus ait: *Miræ castitatis fuit, propter quod dicitur plenus Spiritu sancto.*

21 *Plenus Spiritu sancto*, per supereminentem omnium aliarum à sancto Spiritu Beatissimo Martyri collatarum, & ab Apostolo supra enumeratarum gratiarum abundantiam; quas quidem à Divino hoc Thesauratio separatim sancto Stephano elargitas Paulus refert, nihilominus hic easdem ad ipsam admirationem usque in sanctissimo Levita unitas, & quasi in unum congestas clarissimè spectabimus: *Alii* inquit Apostolus, *datur sermo Sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii genera linguarum, alii operatio sermonum.*

Cornel. à Lapide. 22 *Sermo Sapientiæ*. Cornelius à Lapide sic inquit: *Facultas explicandi sapientiam, id est, mysteria altissima Trinitatis, incarnationis, prædestinationis*. Hanc autem sapientiam sanctus Stephanus in discursu illo multis mysteriis gravido & à sancto Luca accuratè descripto, quem ad Concilium habuit, sufficienter ostendit. Testatur idipsum Albertus Magnus, dum ait: *Erat magnus Doctor, & Prædicator*, ex quo benè sequitur, *Sermo scientiæ*, ut explicet, quæ ad agenda moresque pertinent. Pulchrè idcircò dicit Augustinus: *Stephano ergo Martyri & pulcritudo erat corporis, & flos ætatis, & eloquentia sermocinantis, & sapientia sanctissima mentis. Fides, in eodem Spiritu, non Theologica, sed miraculorum*, ut inquit Chrysostomus: *Si habueritis fidem*, ait Christus, *sicut granum Synapis, dicetis huic arbori, eradicare & transplantare in mare & obediet vobis*. Hanc miracula operandi gratiam & virtutem mediante hac fide absque ullo dubio habuit Stephanus, quia *faciebat prodigia magna*: & maximum est hoc donum; quod sancti Patres Ambrosius & Anselmus in expositione hujus textus vocant: *Donum intrepide profitendi & prædicandi fidem*, vel si velimus, *intelligentiam magnam mysteriorum fidei. Gratia sanitatum in uno spiritu*, multa scilicet operando miracula: *Operatio virtutum*, quod intelligendum est de miraculis insignioribus, unde dicitur: *Faciebat prodigia & signa magna in populo. Prophetia*. Ipse enim prædixit secuturam dignam maximæ Judæorum obstinationis & pertinaciæ divinam ultionem & castigationem: *Discretio spirituum*, ipse enim abscondita cordium penetrabat, eorum eis patefaciendo cogitationes. *Genera linguarum*, certissimum est, hoc donum sanctissimo Martyri non defuisse, disputabat enim cum variis ac diversarum nationum hominibus variis linguis. Unde inquit Guerricus Abbas: *Apostoli & eorum similes linguis sibi datis magnalia Dei prædicant, Tyrannos verberant, dæmonia flagellant, cælos aperiunt, quia linguæ eorum claves cæli facta sunt*. Ex quibus omnibus nunc certissima veritate constat, verum esse, *Stephanus plenus Spiritu sancto*. Credibile etiam est Stephanum congregationi Apostolorum in cœnaculo in Syon in die Pentecostes, quoque interfuisse, idque eo magis, quia ad unguem in ipso effectus ejusdem Spiritus sancti Apostolis ea die dari se produnt; *interpretatio sermonum obscuriorum, maximè sacra Scriptura* hocque dono aliisque ditatum nunc videmus Stephanum, ut cum fundamento de eodem dicatur: *Plenus Spiritu sancto.* Serm. 6 Luc. 13 6

De dulcedine consolationum cœlestium, quas sanctissimus Martyr inter lapidum imbrem percepit.

DISCURSUS QUARTUS.

Lapides torrentis illi dulces fuerunt.

1 NOn est quod miremini, si omnes totius Palæstinæ torrentes hac die miram quandam suavissimi mellis saporem exhibentem suavitatem & dulcedinem præbrant, itaut ipsi etiam durissimi indulcescant silices; quia uti heri audistis, ob sacratissimam Salvatoris nativitatem, copiosissimum nectar & Ambrosiam ipsi pluere cœli; *Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli.*

2 Regius Propheta David insignes sanctæ Ecclesiæ progressus prædicens, nihil quoque ad propositum pro hodierna festivitate aptius dicere poterat, quàm hunc Psalmi versiculum: *Tu exurgens misereberis Syon, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus*, Hunc in locum Lyranus ait: *Hic ponitur promotio Ecclesiæ, quæ facta est per Christum*, quæ Lyrani opinio sequenti sacræ Scripturæ textu confirmatur: *Timebunt gentes nomen tuum Domine*: quia gentiles fidem Christi amplectentur; potentissimique Reges colla sua dulcissimo legis Evangelicæ jugo submittent; *Et omnes Reges terræ gloriam tuam, quia ædificavit Dominus Syon, id est, Ecclesiam.* Hugo Cardinalis inquit: *Venit tempus miserendi ejus, id est, gratiæ tempus*. Quod autem maximè proposito nostro servit, est id, quod sequitur; *Placuerunt servis tuis lapides*. Lyranus ait: *Fideles de Judæis conversi, qui fuerunt primi lapides, in ædificio spirituali Ecclesiæ positi*: at insistendo sensui literali verè hoc Propheticum oraculum in sancto Stephano videtur esse adimpletum, quia *Lapides torrentes illi dulces fuerunt*. Beatus Laurentius Justinianus inquit: *Jam experiebatur internus, quam magna multitudo sit divinæ dulcedinis, quam pro veritate certantibus noveras esse paratam.* Psal 104

3 Dul-

3. *Dulces fuerunt*. In libro Deuteronomii pulchrè describitur, qualiter populus Judaicus terram fertilissimam intraturus esset ad possidendum eam, ita ut sugeret mel de petra, & oleum de saxo durissimo; alludit Scriptura ad Apicularium in silicibus mirabilem structuram, & fertilissimarum olivarum frugiferam naturam, quæ locis maximè dirutis & saxosis implantatæ videntur; *Ut sugeret mel de petra & oleum de saxo durissimo*. Per oleum intelligitur lætitia & gaudium internum, quod Deus animæ communicare solet; Pf. 44.8. *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*; at Rab. Rabanus inquit, *Oleum vero de firma petra suxerunt, qui effusione Spiritus Sancti post resurrectionem ejus ungi meruerunt*: Spiritus sanctus enim ab Ecclesia denominatus *Spiritualis unctio*. Si autem hac unctione multæ animæ sanctæ impinguatæ ac delibutæ sint quantò plus sanctus Stephanus, de quo per Evangelistam Spiritus sanctus attestatur, dicens: *Stephanus plenus Spiritu sancto*; Item Spiritus sanctus sæpè roris inundatione compellatur, sic enim dicitur: *Sui roris intima aspersione fecundes*. Ad quod propositum sanctus Gre- In Tract. de Beatis. gorius Nyssenus de sancto Stephano sic scribit. *Magnus ille Stephanus gaudet lapidibus andique petitut, ac veluti suavem quendam rorem, crebros lapidum ictus in modum floccorum nivis incidentium cupidè excipit, ac benedictionibus nefarios homicidas persequitur*. Est pulchra hæc roris proprietas, quod scilicet per diem à Sole conceptum æstum & calorem nimium, matutina sua irroratione in herbis & plantulis refrigeret; similem prorsus effectum in animabus sanctis amore divino æstuantibus quasi operatur ros hic salutaris: unde S. Bernardus inquirit: *Quæ conventio consolationis ad* In scala Claustrali. *suspiria, lætitia ad lachrymas? si tamen ista dicenda sunt lachrymæ, & non potius roris interioris desuper infusi superaffluens abundantia*.

4. *Dulces fuerunt*. Huc benè refertur aliud quoddam Prophetæ Regii eloquium dicentis, *Prævenisti eum in* Pf. 20. *benedictionibus dulcedinis*: Primò enim veluti in sinum abundantia consolationum cœlestium defluxit, posteaque capiti ejus de lapidibus pretiosis composita corona imposita est; *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*. Sanctus enim Prothomartyr durissima hæc saxa veluti essent inæstimabilis valoris uniones, recepit, ad iisdem suum exornandum diadema; & revera ii lapides exornabant coronam, est enim *Stephanus*, idem, seu dicit idem quod *Corona*. O quàm benè possumus dicere cum Dionysio Carthusiano. *Petra autem erat Christus lapis angularis, de quo populus Christianus mel sugit, id est, spiritualem consolationem*.

5. *Dulces fuerunt*. Idem Carthusianus citatus ait: *Mel sugit, id est, charitas suavitatem sortitur*: de hac petra Stephanus dulcissimum mel ardentissimæ charitatis hausit: pro amore Christi summo cum gaudio animique exultatione sufferens martyrium, sicuti ex simili charitate pro amore suo Christus cum gaudio sustinuit Crucem; *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem Lapides lapidem percutiunt*, inquit Beatus Petrus Damianus, *sed lapidem molliorem, de quo fluit oleum charitatis, & tinnitus redditur pietatis*: de hac petra percussa redundat oleum charitatis, & suavissimus redditur sonus mansuetudinis & compassionis, etiam sine ullo prævio exemplo erga nefarios suos lapidatores omni conatu pro malefactorum impetranda remissione Deum exorando.

6. In tertio Regum libro Spiritus sanctus loquitur de magnifica Regis Salomonis Deo exstructa Basilica, 3. Reg. 6.7. dicens: *Domus cum ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est*; & immediatè post subjungit: *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur*; Nunc verò semper illud magis verum est; *Ecce plusquam Salomon hic*. Volens enim verus Salomon Christus Jesus magnificum sanctæ Ecclesiæ suæ erigere ædificium de lapidibus quadratis iisdemque perfectis, eorundem unus & primus fuit sanctus Stephanus, sanctus Petrus fidelibus inquit: *Tanquam lapides vivi superædificamini*, ubi Glossa interlinearis sic habet? *Solidi in fide, vivi in virtutibus*. Nunc ecce, *qualiter malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita*. Ex ore sancti Stephani contra immanes suos occisores, ne quidem verbum aliquod durum prodiit aut impatiens: verùm cum summa hilaritate & exultatione in ipsum projectos lapides velut flores & rosas collegit: *Lapidem percutiunt, de quo tinnitus redditur pietatis*; B. Laurentius Justinianus ait. *Vincebat patiendo, arguebat diligendo; confutabat erudiendo*? Ecce mel de petra.

7 *Dulces fuerunt*. Glossa interlinearis supra textum Deuteronomii citatum: *Ut sugeret de petra, oleumque de saxo*, inquit: *Dulcedinem miraculorum*; Glossa vero ordinaria habet: *Vel solidam doctrinam*. Hugo verò Cardinalis, inquit; *Mystice autem pinguedo fidei, charitatis, & aliarum virtatum designatur*; Ecce omnem hujus mellis dulcedinem in hoc saxo tepetimus: *Faciebat enim prodigia & signa magna in populo*: saxum hoc compello sanctissimum Martyrem: sicuti enim dictum est: *Lapides lapidem percutiunt*. In hoc saxo inveniemus quoque profunditatem doctrinæ; *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur*; *Pinguedo fides* in eodem quoque latet, *quia plenus fides Charitatis, de quo fluit oleum charitatis, aliarumque virtutum*, nam ubi nos legimus: *Plenus gratia*, Græca, Hebræa & Syriaca versio sic legit: *Plenus erat gratia, bonitate, beneficentia*; uno verbo sufficiat dicere; *Plenus spiritu sancto*.

8 *Dulces fuerunt*, siquidem *erant lapides torrentis*. Benignissimus Redemptor noster tempore amarissimæ suæ Passionis de loco in locum, à Judice ad Judicem, à Tribunali ad Tribunal ductus, in via offendens torrentem, eundem sacratissimis pedibus suis sulcare quasi coactus fuit; unde Psalmista: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*. Intuens proinde piissimæque recordationis oculum in atrocissimam mortem benignissimi Salvatoris defigiens Sanctus Stephanus, lapides quibus obrutus fuit, illi dulces & suaves videbantur.

9 Celeberrimus est hic Discursus mellifui Doctoris Bernardi, quem, tractans de jubilo & constantia Martyrum mediis in tormentis atrocissimis existentium, format: pulchrè simul super hæc verba commentando: *Surge amica mea, speciosa mea, & veni in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, & di- Serm. 61. in Cant. cit, quod Martyres ea, quæ unigenitus Dei filius immanissima passus est tormenta, perpendentes animo, sua propria non senserint, *Stat Martyr*, inquit citatus Pater, *triumphans & tripudians, toto licet lacero corpore; non modo fortiter, sed & alacriter totum è carne sua circumspicit ebullire cruorem*: Causam autem tantæ generositatis demonstrare pergens, subjungit idem sanctus Bernardus: *Ubi est ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu*. Est hinc omninò verisimile beatissimum Levitam Staphanum Christum vulneribus lividum, sanguinei undique cruoris stillantem guttas in monte Calvario spectasse, ac proinde mirum non est, eundem tam hilarem, tantaque undique perfusum dulcedine suo in martyrio perstitisse; imò, *stat Martyr triumphans & tripudians*, quantò plus igitur Prothomartyr, qui cæteris omnibus & animos addere, & exemplum debebat præbere.

10 *Dulces fuerunt*. *At ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ*. Ea generosiorum solet esse pugillum meus, ut decretum victori præ oculis cernentes præmium, fortius pugnent; Pulchrè idipsum sanctus Propheta Job suis in experientiis in aquila adumbrasse videtur dum de ea sic loquitur: *In* Job 9 28 *petris manet, & in præruptis silicibus commeratur, inde contemplatur escam & de longè oculi ejus prospiciunt*: Ipsis in terminis hic est casus noster: Stephanus creberrimis saxorum ictibus petitus, undique iisdem quasi circumvallatus hærebat, at cœlum aspiciebat apertum: *Ecce video cœlos apertos*, contemplabatur præmium, *& Jesum stantem a dextris virtutis Dei*. Egregiè D. Ambrosius idipsum commemorat: *Lapidaba-* Lib. 4. Ep. *tur Stephanus, & videbat cœlos apertos, & ideo lapidum ictus non sentiebat, corporis non considerabat vulnera sed oculis erat Christo affixus, illi adhærebat*. Volens quispiam celerrimum eumque impetuosum transire fluvium, ut capitis non patiatur vertiginem, necessum est, oculos in littus detorqueat; similiter qui vitæ præsentis ambiguitates; innumeraque mala fortiter sufferre voluerit, neque vel minimum in iisdem periclitari, vitæ secuturæ gaudia consideret, consultum est; *Nihil crus sentit in nervo*, dixit antiquissi-

mus Tertullianus, *dum animus in cælo est* : Hic erat Stephani animus, videbatur enim beatissimo Levitæ, quod nefarii lapidatores, interim dum continua in ipsum saxa jacerent, usque omni ex parte Stephanum quasi cingerent, insigni caput suum, non de lapidibus pretiosis, verum de fortissimo, æternumque duraturo æternæ beatitudinis adamante composita corona adornarint. Narrat nominatissimus ille Sanctorum Historiographus Metaphrastes de S. Gliceria, è nobilissima Romanorum familia oriunda, quod impiissimo crudelis Tyranni mandato Jovi sacrificare jussa, oratione sua idolum mox corruere fecerit; quo facto; ira fremens Tyrannus saxis eandem obrui jussit: Mirum dictu: Omnia enim saxa in Glieeriam jacta simul unita, in formam perfectissimæ coronæ sine ullo omnino sanctæ Martyris nocumento redacta sunt, non absque stupendo prorsus miraculo : *Lapides verò ipsi tanquam in locum quendam repositi eam circumdabant quidem, non autem tangebant* ; Idem omninò hodie beatissimo Prothomartyri nostro Stephano evenit, cujus quidem sacratissimum corpus petebatur lapidibus, vivumque ex eodem cogebant manare sanguinem, nihilominus tanta ejus interior cernebatur esse lætitia, tantum gaudium, quod eundem sine omni tormento trucem hanc subiisse mortem dixisses; imò lapides hi erant ipsi corona alterius cujusdem coronæ. Melius profectò nihil nec aptius proposito nostro D. Gregorius Nyssenus dixisse potuisset, præterquam id quod sequitur : *Orbe lapides undique conjicientium quasi corona cinctus, ita accepit id, quod agebatur, quasi corona, victoria premium, in manibus adversariorum necteretur.* (Orat de S. Stepha.)

11 *Dulces fuerunt. Vidit enim gloriam Dei* ; quæ visio omnem passionis suæ amaritudinem ei dulcissimam reddebat. De sancto Apostolo Petro refertur, quod in monte Tabor totus ob Dominicæ transfigurationis miraculum absorptum, & quasi in extasin raptus exclamarit? *Domine bonum est nos hic esse*, & tamen sanctus Leo non veretur dicere; *Unam stillam dulcedinis ille gustavit* : nunc imaginamini vobis, cœlis apertis miram quandam ad instar torrentis in sinum Prothomartyris non stillare tantùm, verùm copiosissimo quodam imbre depluere dulcedinem : *Torrente voluptatis sua potavit eum* : hic igitur cœlestium gaudiorum torrens alteri saxorum torrenti quasi immersus & commixtus, aliud nihil saxa hæc esse Stephanum æstimare fecit, quam merum se potare nectar & ambrosiam.

12 *Dulces fuerunt.* Credibile est spiritu quodam Prophetico beatissimum Levitam summam, quæ horum lapidum occasione tum in Deum, tum in seipsum, neque tantum in cœlo, verum & hic in terra resultatura erat, gloriam prævidisse; adimpletum, hic videtur, humanatæ sapientiæ verissimum oraculum, quo perfidis Judæis minas quasi intentans dixit: *Dico vobis quasi hi tacuerunt, lapides clamabunt* ; Conabantur Judæi gloriam sanctissimi Levitæ non obfuscare tantùm, verùm totaliter sepelire, at saxa hæc articulata quasi voce dotata, invictum sanctissimi Martyris animum insuperabilemque generositatem toti mundo, omnique posteritati patefecerunt : Lyranus ait citata verba in morte Redemptoris nostri adimpleta fuisse? *Hoc fuit impletum in sua passione, quando discipulis præ timore Judæorum tacentibus laudem Christi, lapides scissi sunt, quasi perhibentes testimonium sanctitatis ipsius Christi morientis.* At non impediebat hic Judæorum timor Stephanum, hic enim fortiter & constanter Dominicæ Resurrectionis gloriam manifestavit, fidemque Christianam divulgavit, & Judæi eidem silentium imperantes, eumque in pœnam suæ prædicationis lapidantes, saxa ipsa & veritatem Orthodoxæ Religionis, & sanctitatem Levitæ attestabantur; insuper cœlestem quandam suavitatem martyri communicabant, tantaque postmodum in veneratione toto in orbe Christiano habita fuere, ita ut unus Anconam delatus exstructione insignis Basilicæ ad instar pretiosissimæ reliquiæ honoratus sit: similiter idem lapis in quo Stephanus lapidatus fuit ut Venerab. Beda scripsit, summo cum honore in montem Syon translatus, ibidem in Ecclesia sanctorum Apostolorum collocatus, summa semper in veneratione habitus fuit : locus verò Martyrii ab Eudoxia Augusta, magnifica, sumptuosissimaque Basilica illustratus fuit; per decursum septuaginta annorum Stephano solemnes celebratæ fuerunt exequiæ; *Fecerunt planctum magnum super eum* ; postquam verò ad terræ motum Anno 415. sacrum ejus pignus inventum fuit, (cujus etiam inventio singulari festo & officio tertio Augusti è tota celebratur Ecclesia,) suavissimum quendam Paradisi cœlestis spirabat odorem; cujus quoque odoris benefieio septuaginta tres infirmi sanati, plurimique liberati dicuntur energumeni, dumque sacrum corpus ejus in Syon transferretur, maxima terræ siccitas salubri ac frugifera pluvia restaurata est; nunquid videtur vobis adimpletum hic esse Isaiæ Prophetiam. *Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento probatum* ? quod non solum de primo hoc Martyre ut primo lapide ædificii Syonis, id est, Ecclesiæ, verum etiam de hoc in Syon translato, tantumque venerato lapide intelligendum est. (Luc. 19.40; De locis sanctis c.3; Is. 28, 16)

13 Sacra Scriptura refert, quod quando Judæi Moysen lapidare attentabant, ipse in Tabernaculum sibi fuga consuluerit, ibidemque sese absconderit. At quæ gloria : quis honor inde Stephano accesit, quod cum tanta hilaritate ac generositate saxorum horrisonos ictus recipiendo in ipsorum saxorum honorem non tabernacula quædam parva, sed magnifica templa ac Mausolæa creata sint? Item de sancto Hyppolito Martyre suisque sodalibus narratur, in majorem sanctorum Martyrum ignominiam eosdem ad lapidem quendam sceleratum dictum ductos, ibidemque ultimo supplicio affectos fuisse, at ecce insignem illius lapidis, in quo sanctissimus Levita Stephanus medios inter lapidum ictus victor occubuit, prærogativam, quæ in Syon ab omnibus fere fidelibus religioso cultu veneratur : *Erexit Jacob lapidem in titulum fundens oleum desuper* : est hæc beatissimi Martyris nostri insignis figura, fuit enim ille in figurato hoc Jacob, optimè enim velut alter Jacob Israel, quod est, Deum videns dici potest. *Vidit enim gloriam Dei*, fuit quoque in titulum insignis gloriæ erectus unus ex iis lapidibus, dum uti dictum est, ejus nomini templum dicatum est; *Fundens oleum desuper*, quod dum optimè verificatum est, dum hic lapis oleo lætitiæ quam in passione sua semper sanctus Stephanus exhibuit inunctus fuit; ac proinde optimè dicitur : *Lapides illi dulces fuerunt*, quos unxit oleo lætitia. (Gen. 28.18)

14 *Lapides torrentis illi dulces fuerunt* : Notatu digna est hæc particula, *illi* ; lapides enim hi beatissimo Martyri, non verò perfidis Judæis dulces fuerunt; illi enim præ nimia animi sui amaritudine, omnem quam poterant, iram rancorem & invidiam evomuerunt; simulque ipsi lapidatores horum saxorum duritiem maximè experti sunt, meritissimam immanitatis suæ reportantes à Deo verissimam castigationem ac pœnam, in eo maximè quod Salvator de Jerosolymorum civitate prædixit : *Non relinquent in te lapidem super lapidem*. Insuper amarissimi hi lapides perfidæ genti fuere, dum potissima ejus pars in obstinatione persistit : *Dura cervice & incircumcisis cordibus Spiritui sancto resistitis* ; *Jerusalem* Jerusalem, *quia occidis Prophetas & lapidas eos* ; amarissimi inquam iis fuerunt nam uti legimus in Evangelio : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*.

15 Pulchra hic observanda venit Moralitas in proverbiis Salomonis fundata, dicit enim ibidem scriptura : *Suavis est homini panis mendacii, & postea implebitur os ejus calculo* ; delectantur admodum hujus sæculi amatores in Dei amicos evomere improperia, at postea in pœnam duros coguntur manducare lapides, severissimaque inde referunt supplicia : non autem sic evenit ei, qui pro amore Christi mortificatur & patitur : quia, *lapides torrentis illi dulces fuerunt* ; siquidem, uti Regius Psaltes prædixit, *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam*. Sic quoque Deus ad mensuram dolorum, & pœnarum pro amore suo toleratarum Stephanum dulcissimo quodam manna, cœlestiumque consolationem suavissimo nectare remuneravit. (Prov. 20.17)

Symbo-

Symbolicæ quædam inter Christum & sanctum Prothomartyrem Stephanum proponuntur similitudines.

DISCURSUS QUINTUS.

In hoc vocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Petri 2. v. 12.

1 UNum è principalioribus documentis, à Divo Petro Christi in terris Vicario, post mortem Redemptoris, gregi sibi commisso datis, fuit hoc, quo ipse essentiam vocationis nostræ ad fidem in perfecta imitatione & sequela ipsius Filius Dei maximè in ordine ad patiendum, consistere, asseruit; *In hoc vocati estis, quia, &c.* Ecce perfectissimam in imitando Christi exemplo Stephani sequelam, uti D. Augustinus attestatur. *Implevit quod ait Apostolus, Christus passus est pro nobis &c.* Sic quoque alio in loco scripsit, *Quantam autem cum Domino suo, & Salvatore suo habuit similitudinem passionis?* Dionysius Carthusianus de eadem Prothomartyris cum Christo conformitate sic loquitur: *Secutus est gloriosissimus Martyr iste Christum, tam sublimiter, quam conformiter.* At relicta omni ea, quæ inter Christum & Stephanum quoad virtutum actus intercedit convenientia, eam tantum quæ Martyri Martyrem assimilat examinabimus.

Ser. 2. de S. Steph. Ser. 9. 3. de Diverf. Ser. 1. de S. Steph.

2 Apostolus Paulus sanctissimi Prothomartyris ferventissimarum orationum beneficio, se Ecclesiæ Dei quasi partum quendam extitisse fatetur: *Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ecce, adimpletum est hoc *ad literam* in sancto nostro, siquidem in signum certissimæ suæ prædestinationis ipso adhuc vivente ei apertum est cœlum, *vidit gloriam Dei*, ex quo proinde patet, jure meritò de eodem quoque dici posse hæc eadem verba, *primogenitus in multis fratribus*, siquidem ipse omnes inter novæ Evangelicæ legis professores, eorum qui vitam pro Christo perfudere, primus fuit antesignanus.

Rom. 8. 29.

3 *Habuit similitudinem passionis cum Salvatore suo.* Spiritus sanctus opera sanctorum Evangelistarum, accuratissimè totum Dominicæ Passionis decursum descripsit, voluit quoque non minori cura & punctualitate totam sancti Stephani Martyrii seriem ab unoquoque Evangelista literis consignari, quod quidem de nullo alio quamvis etiam Apostolo, excepto S. Jacobo Majore, at brevissimè tamen, legimus factitatum: hic verò minutissimas etiam referre vitæ sancti Stephani circumstantias allaborat.

4 Propheta Evangelicus mortem Salvatoris prædicens, ad eandem velut pecus quoddam ad macellum ducendum refert; *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* Hypponensis Præsul eodem nomine sanctum Stephanum à Judæis lapidatum compellat, dicens, *ò prima ovis pugnans in medio luporum.* Christo mortem machinati sunt Pontifices, scribæ, sacerdotes, omnis ingrata fœa Synagogæ, juxta illud Joannis: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium adversus Jesum;* hic similiter sanctus Lucas narrat, *commoverunt*, inquit, *plebem & seniores, & scribas, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium.* Causa movens synagogam ut Christum morti traderent, fuerunt frequentissima, nec unquam alias visa signa, teste Joanne, dum ait: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit; si dimittimus eum sic omnes credent in eum:* Idem omninò invidiæ motivum, sententiam condemnationis tulit in Stephanum. Sanctus Augustinus sanguinolentos hosce & perfidos Judæos iisdem, quibus contra Christum usi sunt consiliis sic consultando hinc inde inter se discurrentes, adducit; *Signa magna & mirabilia facit iste homo, venite simul, conveniamus in unum, confirmemus falsum testimonium: fecimus contra Deum faciamus & contra famulum, diximus contra Dominum, expedit, ut unus moriatur, quam tota gens pereat, dicamus contra famulum, exterminemus eum de terra viventium*, ut neci dent Dei filium opera ac judiciaria potestate utuntur Pilati, dicendo: *Nobis non licet interficere quemquam.* Ut morti tradant [illegible] similiter Judæi ejusdem quoque Judicis Pilati con[illegible]natorium sententiam exquisierunt, quamvis Evangelista idipsum quasi præteriisse videatur, uti benè observat Cajetanus, in hoc verbum *lapidabant*, scribens, ait enim, *tacet autem Lucas de consensu Pilati*; falsa contra Salvatorem dixerunt testimonia: contra Stephanum similiter, *statuerunt falsos testes.* Glossa interlinearis ait; *Passionem Christi imitatur, contra quem surrexerunt falsi testes ex invidia accusantes;* Sanctus Augustinus inquit, *testimonio opprimamus falsissimo, faciamus ministro, quod fecimus & magistro.* Ubi quoque observatu dignum est, testimoniorum in Christum & Stephanum conformitas; de Christo dixerant Judæi? *Nos audivimus eum dicere, solvo templum hoc, & post triduum reædificabo alterum novum*; non sic dixerat Salvator at verè sic: *Solvite templum, & post triduum resuscitabo illud, hoc autem dicebat de templo corporis sui*; pauca verba mutarunt, at pro falsitate & calumnia contra Christum producenda admodum sufficientia: *Modicum in syllabis mutaverunt, sed tanto falsi testes pejores fuerunt, quanto propinquare veritati per calumniam voluerunt*; à sancto Stephano autem iisdem fuit oppositum: *Non audivimus eum dixisse, quia Jesus Nazarenus destruet templum hoc & mutabit consuetudinem legis*; *falsum testimonium dicebant, & vera prophetabant, quomodo Caiphas ille, dans consilium Judæis, ut occideretur Christus, hoc dixit, expedit unum mori, &c.* Redemptor noster, postquam coram isto Judæorum Principumque coacto concilio se filium Dei professus esset, subjunxit: *Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*; quo audito mox Principes sacerdotum ira frementes acclamarunt: *Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* similiter postquam beatissimus Prothomartyr Stephanus dixisset: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei*, mox Judæi, *exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum; & ejicientes extra civitatem lapidabant*; insuper inquit sanctus Augustinus: *Caiphas conscidit vestes, isti ipsius clauserunt mentes*; adeò nefaria superstitione imbuti erant Hebræi, ut sanctus Joannes in Dominicæ Passionis descriptione dicat: *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, & tamen alia ex parte ne minimum quidem scrupulum in effusione innoxii sanguinis unigeniti Filii Dei sentiebant; ad eundem modum in Passione Stephani, ut Dionysius Carthusianus ait; *Vestes suas exuerunt ne tactu illius contaminarentur.*

Isa. 53. 7. August. Ser. 99. de Div.

Joan. 11.

Jo. 11. 47.

Serm. 6. de S. Steph.

Jo. 18. 32.

Serm. 6. de S. Steph.

Serm. 9. de Diverf.

Matt. 26. 64.

Ser. 99. de Divers.

Jo. 18. 18.

In Acta.

5 *Habuit similitudinem Passionis cum Salvatore suo.* Ad alias nunc progrediamur convenientias & symbola, Evangelista Lucas Christum in horto agonizantem referens ait: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum* Syriaca versio sic legit, *confirmans eum*, quis est, qui nesciat, quod idem ipse, qui quondam dictus est magni consilii Angelus, sancto Prothomartyri Stephano apparuerit, *Magni consilii Angelus? video Jesum stantem à dextris virtutis Dei*, at in quem finem? pulchrè Beda tantæ causam dat apparitionis inquiens: *Ad confortandam Martyris patientiam cœlum panditur & ne homo lapidandus titubet in terra, Deus homo crucifixus apparet in gloria.* Christus ad montem Oliveti transiens torrentem Cedron amarissimæ Passionis initium sumpsit; ea eodem torrente impii Sanctissimi Martyris lapidatores Saxa levarunt, ibidemque suam passionem Stephanus exorsus est, locus quoque Martyrii versus vallem Josaphat infra montem Oliveti prope Jerusalem ad torrentem Cedron situatus fuit; tamque unus quam alter passus est extra portam. Pulchrè Beatus Petrus Damianus ait: *Extra portam civitatis hujus passus est Dominus, extra eam lapidatur servus exiens ad eum extra castra, & portans similitudinem improperii ejus*, eandem prorsus considerationem hic habuit sanctus Chrysostomus, dum ait; *Extra civitatem mortuus, quemadmodum de Christo.* Sanctus Augustinus quandam hic, at non sine mysterio, notat differentiam, dum hanc adducit quæstionem; *Dominus quando ad passionem ductus est, interrogatus tacere maluit: iste non tacuit; quare ille tacere maluit?* Respondet Christum id fecisse, ut impleretur, id quod Propheta prædixerat; *Tanquam agnus coram tondente se sic non aperuit os suum, ille autem,*

tem, quia tacere noluit: quia ab ipso Domino dictum erat, quæ dico vobis in tenebris dicite in lumine, & quæ in aure auditis prædicate super tecta.

6 *Ad imitationem Iesu*, inquit Albertus Magnus, in sermone quodam de sancto Stephano: *Corpore extrinsecus patiebatur, & intrinsecus in corde prosequentium malitiis compatiebatur*; ipse enim genuflexus pro suis lapidatoribus à Domino veniam deprecabatur. De Christo D. Petrus Apostolus refert, dicens: 1. Pet. 2. 23. *Cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur*, quod totum quoque in sancto Levita adimpletum est, *non reddidit maledictum pro maledicto*, quare de se ipso dicere potuit *ad literam*, *detrahebant mihi, ego autem orabam*. Sanctus Augustinus ait: *Oravit Christus pro suis crucifixoribus, oravit & Stephanus pro suis lapidatoribus: Dominus Iesus Christus oravit affixus ligno, Stephanus genu flexo*, quid nunc est, quod prius ab ipso Redemptore non didiceris Sanctus Stephanus. Serm de o. Steph. Sanctus Augustinus inquit: *Ne statuas illis hoc peccatum, quia ut hoc dicam tibi, à te primo audivi; illi lapides mittebant, & sanctus Stephanus orationes fundebat; Ignosce illis*, In Glossa. *dicebat Christus æterno Patri, quia nesciunt quid faciunt*. Rabanus ait; *Multi eorum occidendo Stephanum, æstimabant se implere legem, qui blasphemum eum credebant, hoc & Christus prædixerat, venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo*. Sanctus Augustinus postquam jam in hac quoque ad Patrem æternum pro suis lapidatoribus porrecta supplica Stephanum cum Christo contulisset, ait: *Quomodo non posset ibi iste esse; ubi erat, quem secutus est, ubi erat, quem imitatus est?* Redemptor noster ad Patrem conversus dixit; *In manus tuas commendo spiritum meum*; Evangelista Lucas ad eum ferè modum de sancto Stephano scripsit: *Lapidabant Stephanum invocantem & dicentem, Domine Iesu suscipe spiritum meum*. Glossa. Glossa, inquit: *Christus dixit Patri, Pater in manus tuas commendo spiritum meum, Stephanus quasi servus Domino, Domine Iesu suscipe spiritum meum*. Author quidam inter opera Sancti Bernardi ait; Serm. de s. Steph. *Rectè Martyris florem iste sibi prævendicat, in quo similitudo Domini pendentis in Cruce mirabilibus formis est expressa.*

7 Insuper aliæ adhuc quædam inter Dominicam Passionem & Sancti Levitæ Martyrium supersunt comparationes; de Iesu refert Evangelium; *Iesus autem emissa voce magna expiravit*; de sancto Stephano Dionysius Carthusianus ait, Serm 5. de s. Steph. *Et hoc erat mirabile, quod tam gravissimè sauciatus alta potuit voce clamare, cum inciperet expirare (positis autem genibus clamavit voce magna) dicens Domine, ne statuas illis hoc peccatum, & cum hoc dixisset, obdormivit in Domino, hoc namque verbo prolato mox spiritum exhalavit, & in hoc quoque imitatus est suum Magistrum, qui magna voce clamans dixit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum: quod cum dixisset inclinato capite tradidit spiritum*. Christus in cruce bonum latronem lucratus est, qui compunctus se ad Salvatorem convertit; sanctus Stephanus paulò post suam passionem insignem, eumque juratissimum Ecclesiæ persecutorem sui sequacem habuit Saulum. eminentissimus Cardinalis de Vitriaco in vita sanctæ Mariæ Ogniacensis refert, quod sanctus Stephanus postquam Apostolus Paulus decollatus esset, emortui animam summo plausu in cœlo exceperit, eumque Deo obtulerit, dicens: *Domine hoc ingenti, & singulari munere tu me donasti; ego vero multiplici fructu ductum illud tibi reddo*. S. Pater Ambrosius de In Glossa. hoc insigni lucro opera sancti Stephani facto sic scripsit: *Cujus precationis effectum in Apostolo videmus, Paulus enim qui lapidantium Stephanum vestimenta servabat, non multo postea per gratiam Christi factus Apostolus est, qui fuerat ante persecutor*; quoad Christi sepulturam Evangelista Joannes scribit: *In horto monumentum novum*, Ioa. 19. 41. *in quo nondum quisquam positus fuerat, ibi ergo posuerunt eum*: similiter Beatissimum Prothomartyrem in novo ac recenti sepulchro Gamalielis sepultum refert illustrissimus Baronius, quod idem Ser. 96. de Divers. D. testatur Augustinus, dicens: *In monumento novo ad modicum commendavit membra sua.*

Mysteria enucleantur, per quæ Deus disposuisse videtur, ut primus legis novæ in Ecclesia Martyr gravi lapidum pondere mortem subiret.

DISCURSUS SEXTUS.

Lapidabant Stephanum.

1 INcreatæ Sapientiæ, quæ non temere aut casu, verum imperscrutabili, ac secretissimo divinæ suæ providentiæ consilio cuncta disponit ac gubernat (de qua proindè non sine ratione dicitur: *Benè omnia fecit, omnia in sapientia fecisti*) complacuit, primum Martyrem amarissimæ Passionis ac crucis suæ imitatorem, maximo eique impetuosissimo ingentium saxorum imbri succumbere, subitisque tanquam sub pluviosa lucidissimum quendam occumbere solem. Certissimum quidem est, alia quævis suppliciorum genera ad pro fide proque jam tum primum exoriente Christiana Religione sanguinem vitamque profundendam quasi nata non defuisse, nihilominus eadem neminem fallens, nunquam errans providentia ita rem disposuit, ut cruentis lapidum succumberet ictibus. Pulchrè sanctus Augustinus ait: *Petris lapidabatur, qui pro petra moriebatur dicente Apostolo, Petra autem erat Christus*. Serm. 92. Divers. Rupertus Abbas Tuitiensis scripsit: *Turris corporis Christi, quod est Ecclesia de vivis, & electis lapidibus per universum mundum ritè & ordinatè construitur*; Lib. 10. de offic. c. 17. prima jam tum Ecclesia ducebat principia. Fundamentum ejus positum erat supra firmam petram seu lapidem angularem, super quem superædificari debebant cæteri lapides, videlicet Martyres, Apostoli, cæterique electi, *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu*; 1. Cor. 2. 3. Apostolus suis Corinthiis scribens, dicebat: *Dei ædificatio estis*, volebat Apostolus, sanctissimum Prothomartyrem, qui per suam fortitudinem fuit instar fortissimæ Petræ seu lapidis, *Plenus fortitudine* primum eumque fundamentalem eo in ædificio esse lapidem: unde *lapides lapidem percutiunt*, dicebat Sanctus P. Petrus Damianus.

2 Magnificum illud Salomonis templum sanctæ Ecclesiæ quondam figura fuit, quia *omnia in figura contingebant illis*; ex quo ad nostrum propositum observatu dignum est, quod scriptura refert: 3. Reg. 5. 17. *Præcepit Rex ut tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi*; quis unquam fundamentorum quantumvis magnificentissimi Palatii aut alterius cujusdam similis ædificii è lapidibus magni valoris aut pretii construi vidit? Glossa inquit: *Primi sunt Magistri, qui ab ipso Domino audierunt verbum salutis*; hi autem sunt Apostoli & septuaginta duo Discipuli, quos inter revera eminebat sanctissimus Levita noster; subjungit autem ibidem Glossa, Isa. 45. 12. *qui fideliter ipsi adhærent, nec ulla adversitate, nec etiam morte a rectitudine sua inclinatus fuit*. Evangelicus Propheta Isaias, qui varios sanctæ Ecclesiæ sub lege nova successus præ cæteris accuratius descripsit, hæc verba recenset; *Paupercula tempestate convulsa* (loquitur autem hic de navicula Petri) in quæ verba Lyranus ait: *Ecclesia in plurimum fuit & est afflicta. Pergit autem Propheta dicendo: ecce ego sternam per ordinem lapides tuos & fundabo te in Sapphyris, & ponam Iaspidem propugnacula tua*: atquinam hi sunt lapides, è quibus sacrum hoc ædificium construitur, aut potius fundatur: *Fundabo te in Sapphyris*? Lyranus quæstionem solvit; dicendo; *Lapides isti sunt viri sancti, ex quibus ædificatur Ecclesia*. Hugo Cardinalis ait: *Nota quod sancti dicuntur lapides propter constantiam, & stabilitatem, strati per humilitatem, erectati per charitatem*; insuper exponendo hæc verba, *Ponam Iaspidem propugnacula tua*, eadem de Martyribus interpretatur, dicens: *Id est Martyres, quia Martyres, qui post Apostolos fuerunt defensores Ecclesiæ, iaspides fuerunt*. Sed, an non potius idipsum de beatissimo Prothomartyre nostro verificatur, an non hic lapis quidam fuit pretiosissimus inæstimabilique valoris, sanctæ Ecclesiæ fundamento optimè serviens,

dum

dum primus pro Christi nomine, imò prius quam Apostoli ipsi, sanguinem dedit, Martyrumque fuit antesignanus? tanta enim cum generositate toto spectante Judaismo Dei Ecclesiam defendit, ut inde pro præmio gloriosam Martyrii retulerit palmam, imò talis ejus in tuenda defendendaque tum jam pridem exoriente Religione Christiana zelus fuit & ardor, ita ut inde inferre liceat totam Synagogam, plus contra solum Stephanum, quam contra duodecim Apostolos & septuaginta duos conspirasse discipulos.

3 Purpuratus Pater Petrus Damianus beatum Stephanum lapidis dignatur titulo, ut jam supra dictum fuit, & quidem talis lapidis, qui fortiter projectorum saxorum immanes ictus sustinuit; profecto in beatissimo Martyre ex hoc capite illud Petri adimpletum est, *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*; quia, ejicientes extra civitatem lapidabant: at stulti cæcique corde & tardi ad credendum non providebant, quod ex iisdem omninò, quos in Martyrem torquebant, lapidibus, sacratissimum Ecclesiæ Dei erigerent ædificium, ejusque sanguine jacta jam Ecclesiæ firmarent fundamenta; *Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo*; optimè de hac Stephani lapidatione illud ipsum, quod beatissimus Pontifex Leo in sermone de Christo crucifixo de humana malitia effatus est, dici potest: *Admisis in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt sceleri famulatæ sunt redemptori*; cum hi lapides plus elevarint quam attriverint, plus erexerint, quam depresserint divinam Ecclesiæ structuram.

1. Pet. 2. 7.

Serm. 10. d. Pa.

Hom. 9 In Jo:

4 Origenes dum de Ecclesiæ fundamentis tractat, simulque ostendendo electos, vivos quondam Ecclesiæ fuisse lapides, scripsit: *Lapides autem validiores primi jaciuntur in fundamentis, ut ipsis superponi possit ædificii pondus*; talis autem lapis simulque fortissimus fuit sanctus Stephanus, de quo sanctus Lucas ait: *Stephanus plenus fortitudine*, cui superimponendi aut superstruendi erant omnes alii, ii præcipuè, qui ab ipso Ecclesiæ exordio usque ad mundi finem vitam pro Christo sanguinemque suum profuderint. Profecto *ut sapiens architectus fundamentum posui* dicebat Apostolus, increata enim sapientia iis in lapidibus, quibus sanctissimus Prothomartyr enecatus fuit omnes alios Martyres velut Ecclesiastici ædificii lapides, quosdam prævidisse videtur: *Sternebat per ordinem lapides*.

1. Cor. 3. 10.

5 Apostolus Paulus Ephesiorum in Christum fidem commendans ait: *Jam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Paulò post sequitur: *In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini*: observatu hic dignissima est singularis quædam supra omnes alios in sancto Stephano prærogativa, eo quod non solum de ipso & in ipso verificatum sit, quod fuerit, *superædificatus super fundamentum Apostolorum*: sed videtur dicendum, cæteros quoque Apostolos ipsius exemplo ad fortiter pro Christo moriendum incitatos fuisse. De increata hac Sapientia Zacharias prophetando dixit: *Ædificavit sibi domum, educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratia ejus*; at quis hic tanta prædives gratia lapis, esset alius quam sanctus Prothomartyr noster, de quo gloriosa memoria sacræ produnt literæ, *Stephanus plenus Spiritu sancto. Stephanus plenus gratia*? cujus absque dubio hæc ratio erit, quod gratiarum ac benedictionum cœlestium fuerit plenissimus possessor; & quidem meritò, hinc etiam primus & fundamentalis quidam sanctæ Ecclesiæ lapis censetur, ita benedictus, cum etiamnum hic in Ecclesia mos sit & consuetudo, ut Ecclesia cujusdam construendæ lapis primus & fundamentalis prius certo quodam Ecclesiastico ritu benedicatur, ac sanctificetur.

Eph. 2. 19.

Prov. 9. 1. Zach. 4. 7.

6 Examinemus autem hic nonnihil exactius adhibita etiam sacræ Scripturæ authoritate, inæstimabile mirabilis hujus lapidis pretium, ac primo quidem observemus, quanti eundem æstimarit Esaias Propheta, ut jam præcedenti discursu dictum fuit: *Ecce ego mittam in fundamentis Syon lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*; quis est, qui non sciat, quantum lapis hic malleis calumniarum, persecutionum, irrisionum, ac contemptuum dolatus fuerit? similiter & pro secundo in Ezechiele Propheta hic idem lapis ad vivum quasi repræsentatur; in dicto enim Propheta optimè vocatur Cherubinus, *tu Cherubim*, Cherubinorum autem proprium quoddam est sapientia, sic quoque sanctus Stephanus visus fuit instar Angeli, *viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*, fuit quoque instar Cherubini, quia *non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur*; plus spiritum quendam cœlestem quam hominem referebat. *Tu signaculum similitudinis*, fuit enim Christo in suo Martyrio simillimus, ut discursu præcedenti abunde satis ostensum est; *Plenus sapientia* dicit Ezechiel; *erat enim magnus Doctor*, ut refert Albertus Magnus; *Perfectus decore*, Angeli enim vultum repræsentabat; *faciem ejus tanquam faciem Angeli*, S. Augustinus ait: *Stephano ergo Martyri pulchritudo corporis & flos ætatis*.

Is. 28. 16.

Ezech. 28. 12.

7 *In deliciis Paradisi Dei fuisti*, dicit ulterius Ezechiel, in quæ verba pulchrè Hugo Cardinalis: *Anima justi dicitur Paradisus, cujus deliciæ sunt multæ*; & declarando qualenam hæ sint deliciæ, inquit: *Delectatur enim ex Christi præsentia, ex nitore conscientiæ, ex gustu jucunditatis, ex celsitudine possessionis*, harum autem deliciarum verus & absolutissimus quidam possessor fuit sanctus Stephanus; divina enim summoperè gaudet præsentia, *Ecce video Jesum stantem à dextris virtutis Dei*: purissimæ quoque est conscientiæ de qua Albertus Magnus insigne hoc profert elogium: *In ea puritate, quam in Baptismo suscepit, creditur permansisse*. Delectatur verò *ex gustu jucunditatis*, melleam enim quandam in lapidibus occisionis reperit suavitatem, *lapides torrentis illi dulces fuerunt*. Exultat denique *ex certitudine possessionis*, quia adhuc vivens hic in terra jam cœlestis hæreditatis possessionem Stephanum adiisse non sine fundamento dici potest; *Vidit enim gloriam Dei, ecce video cœlos apertos*.

Serm. 6. de S. Steph.

8 *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, in medio lapidum ignitorum ambulasti*, est hic idem citati Prophetæ Textus; è quibus verbis hoc sancti Prothomartyris Stephani elogium confici potest, eundem in medio, eoque maximo ingentium saxorum imbre absolutissimæ sanctitatis amorisque divini perfectionem adeptum; quod Beatus Pater Petrus Damianus hisce verbis signanter dicit: *Lapides lapidem percutiunt, sed lapidem meliorem, de quo fluit oleum charitatis*. At quam benè de ipso verificantur hæc verba, *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, juxta expositionem eminentissimi Cardinalis Hugonis, dum ait: *De omni virtute habuisti unum spirituale indumentum; virtutes enim sibi invicem connexæ totam animam vestiunt & decorant, vel per diversos diversa dona significantur, de quibus 1. Corinth 12. alii per spiritum datur sermo sapientiæ, alii, &c.* At sufficientissimè Sanctum Stephanum hisce donis ornatissimum fuisse & dictum & probatum est supra discursu tertio in hæc verba *Plenus Spiritu sancto*, horum autem verborum *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, literam attendendo, eadem clarissimè significant, recensitam illam jam jam ab Ezechiele Propheta lapidum pretiosorum congeriem, qui lapides pretiosi juxta Apocalypsin Apostolos repræsentabant, huic primo & quasi fundamentali lapidi fuisse superimpositos, in eoque quasi requievisse, cum sanctus Stephanus primus, hi vero omnes post ipsum gloriosè sanguinem profuderint.

1. Cor. 12

9 Nescio utrum aliquando observaveritis, quod die quadam, qua Redemptor noster verum & unigenitum, se æterni Patris professus est filium coram toto ac pleno Judæorum concilio, hi sustulerint lapides ut lapidarent eum: *Sustulerunt lapides Judæi; ut lapidarent eum; Respondit eis Jesus: multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis*? Dionysius Carthusianus insigni cum acumine respondet: *docendo, miracula patrando, ægros curando*. Ad eundem prorsus modum sanctus Stephanus generosum de Christi divinitate reddens testimonium, lapidatus fuit, ab eo scilicet populus tantis tamque copiosis ab eo beneficiis locupletato; siquidem *faciebat signa & prodigia magna in populo*: Salmeron ait: *Signa dicitur fecisse in populo, id est, ad utilitatem populi, ut eos Christo lucrifaceret*. At quid hic subesse

Io. 10. 30.

To. 14. tr. 25.

puri-

putatis mysterii, quod Redemptor noster noluerit lapidari? Respondetur, ut eos lapides ad sanctum Stephanum ditandum, iisque tot quotquot erant veluti pretiosissimis lapidibus eum tanquam alteram quandam coronam exornandum, relinqueret: Christus enim Stephanum elegerat in lapidem fundamentalem ejus ædificii, quod supremo suo cœlum tangit culmine; siquidem Ecclesia militans unitur triumphanti: quod supremus militantis Ecclesiæ Pastor attestatur, dum ait: *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus, ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, of-*
1. Pet. 2. 5. *ferre spirituales hostias acceptabiles Deo;* quod optime in Sancto Stephano, adimpletum fuit, juxta Gregorium Nyssenum, dum ait; *Tanquam sacerdos quidam juxta legem spiritualem puram hostiam immolans, non alienum, sed suum altaribus admovens corpus, & loco libaminis, sanguinem spargens, per se Deum quem in cœlestibus adytis cernebat, delinquentibus placabat, &*
Iosue 8. 31. *oratione peccatum eorum, quod sceleratis manibus suis sanguinarii quasi exarabant, delebat.* Ecce hic primum altare quod Josue, (qui typus ac figura quædam extitit Salvatoris) ac proinde verus Josue nempe Salvator noster de lapidibus erexit: in quo primum legis novæ sacrificium cruentum oblatum fuit: *Altare de impositis lapidibus*, ita enim fieri præceperat Josue, *quos ferrum non tetigerat*; hi enim lapides nullo ferro dolari, verum rudites solum poliri ac in quadrum aptari fuere; in quo præfiguratum fuit nullam in S. Stephano tot inter injurias, tot inter odia, ac improperia advertendam indignationem, benè tamen ardentissimæ cujusdam charitatis ac amoris ignitas scintillas observandas.

10 Insuper notandum est, quod postquam jam cœlestis Jerusalem, quæ tot retrò sæculis speciali Dei decreto firmissimè obserata fuerat, in ascensione Christi tandem reserata & aperta esset, ejusdem quoque muri demoliti restaurati debuerint: at unde lapides & saxa? *Urbs Jerusalem beata dicta pacis visio, quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus tonsionibus, pressuris, expoliti lapides, suis coaptantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri*, ecce igitur quare lapidem hunc fundamentalem, Stephanum scilicet tot lapidum percussionibus quadrari & aptari oportuerit, hæ enim percussiones tot alios præsignabant Martyres, qui veluti vivi quidam lapides destructos cœlestis Jerusalem muros reædificare debebant.

11 *Lapidaverunt*. Non abs re hic considerandum venit id, quod de potentissimo Davide legitur, sicuti enim hic ad fortissimum Goliathum, qui exprobrabat agminibus Israel, prosternendum usus est funda & lapide, eumque fortissimo lapidis ictu prostravit; ad eundem prorsus modum, volens Deus atterere & prosternere infernalem Goliath, qui fraudulentis suis machinationibus simplices in pessimum & abominabilem idolorum cultum abducebat, insigni quodam ad hoc usus est lapide, quo frontem quasi totius percussit synagogæ, confutando ac convincendo, eandem de pessimis suis erroribus, omniaque simulachrorum saxa confregit: & quia verificari debebat, quod Christus dixerat: *Nunc Princeps mundi ejicietur foras*, hinc S. Stephanus de cunctis Philistæis, hoc est, omnibus Dei inimicis gloriosissimam victoriam reportavit, quod & nomen ejus sufficienter indicare videtur, quod latino idiomate idem dicit quod corona.

Quare Sanctus Stephanus apparuerit instar Angeli.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Et intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli.

1 QUandoquidem sanctus Evangelista Lucas vultum sanctissimi Prothomartyris in tela Evangelica perfectissimè delinearit, eumque instar Angeli repræsentet, mirum est, quod ejus quoque rei altum non pandat mysterium? Cajetanus ait: *Non explicatur quid Deus apparere fecerit in facie sancti Stephani, ob quod facies ejus apparebat tanquam facies Angeli*: sed nec quoque hic ejusdem mysterii datur ratio: Crediderim ego id factum fuisse, ad denotandum, sanctissimum Levitam non per unam solam, sed per omnes, easque insigniores virtutes, perque diversa diversorum actuum heroicorum merita hanc prærogativam prorsus ratam & singularem promeruisse.

2 *Faciem Angeli*; Lyranus ait: *Ex quadam pulchritudine & claritate sibi divinitus data, ad declarationem suæ sanctitatis & innocentiæ:* Priusquam Evangelista Lucas eum Angeli vultum præferentem dixisset, jam ipsum *plenum fide & Spiritu sancto, plenum gratia & fortitudine asseruerat: ut monstraretur*, inquit Dionysius Carthusianus, *fuisse virum Apostolicæ perfectionis:* Et hic quidem observandum est, jam pridem inchoatam illam paucorum fidelium congregationem, In acta.
supra quam visibiliter spiritus Sanctus descendit, firmissimas tunc primum exorientis Christianitatis in se columnas continuisse, videlicet, Apostolos & septuaginta Discipulos, at quæ ratio est, quo Scribæ, Pharisæi Doctores, sacerdotes, imò tota synagoga unanimiter manus violentas Sanctissimo Levitæ injecerint præ tot aliis, qui sanctam Christi fidem, legemque Evangelicam prædicabant? Est verisimile sanctum Stephanum præ cæteris fuisse zelo divinæ gloriæ magis ardentem & serventem, suamque probatissimam sanctitatem, ac inculpatæ vitæ exemplum ad extra singulari quodam lumine exterius resplenduisse: *Faciebat prodigia & signa magna in populo*. Quam rationem pulchre sanctus Augustinus confirmat: *Cœ-* Ser. 19. de div.
pit tanquam Sole illustratus justitia ita splendere, ut humanam speciem non haberet ipsis patentibus cœlis, ipsis testantibus inimicis. Sol enim divinus ita sanctum Stephanum veluti vitrum aut mundissimum quoddam speculum adurebat, ut lucidissimos maximè sanctitatis & perfectionis radios redderet: Unde Dionysius Carthu- Serm. 5. de
sianus ait: *Ex tanta claritate ex vultu sancti Stephani* Steph.
sensibiliter apparente perpendit, quam præclara fuerit, & mira mentis suæ interior puritas, gratiosaque claritas, innocentia atque perfectio. Occurrit hic & alia quædam observatio, quod in toto illo sacræ Scripturæ volumine de nullis Sanctis legatur faciem eorum in conspectu hominum singulari quodam lumine reluxisse, præterquam Moysis, Christi in sua transfiguratione, & sanctissimi Prothomartyris nostri, ex quo proinde singulare quoddam eminentis suæ sanctitatis pretium dignoscitur.

3 *Faciem Angeli*. Ad præsens propositum nostrum maxima consideratione digna sunt verba illa, quæ sapiens ac prudens quædam mulier Regi Davidi maximè commendans protulit: *Tu autem Domine mi Rex sa-* 2. Reg. 14.
piens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelli- 20.
gas omnia super terram. Quis non supra modum admiretur & obstupescat sanctissimi Levitæ nostri infusam quasi, imò Angelicam sapientiam, ita ut non possent *resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur*? Venerab. beda ait: *Dignum fuit, ut in Prothomartyre confirmaret, quod in Martyribus tradendis pro nomine suo promiserat dicens; Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii vestri*. Epist. 22.

4 *Faciem Angeli*. Divus Hieronymus ad Eustochium sanctissimam Virginem de Dei filio in terras descendente scribens, hæc verba profert; *Novam sibi familiam instituit*; in cœlis Angeli ministrabant ei, in terris autem alios Angelos sibi in ministerium deputatos exigebat, *ut qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris*. Intelligebat hæc verba Hieronymus de Virginibus, factis hisce geniis ob suam puritatem maximè similibus: unde, ut, observat beatus Pater Petrus Damianus, Angelus ille Apocalypticus veluti nuntius quidam cœlestis ad sanctum Joannem delegatus, ab eodem refugiebat adorari dicens: Serm. 1. de
Vide ne feceris: conservus enim tuus sum. *Noluit*, inquit S. Joan.
citatus Pater, *adoraterem, quem decernebat æqualem, Angelica enim munditia est contubernalis & cognata virginitas*. Hoc autem virginitatis donum ad ipsum usque stuporem in Sancto Stephano relucebat. Beatus Laurentius Justinianus ait: *Angeli merito speciem* Serm. de S.
protendebat in facie, qui illorum puritatem gestabat in Steph.
corde. Glossa interlinearis sic dicit: *Faciem Angeli pulchritudine cordis*, eandem ob causam tanquam custos virgi-

virginitatis à virginibus tanquam sexu magis debili ex bono puritatis ac honestatis zelo pro patrono electus fuit, quia Stephanus purissimus, & Angelica quadam puritate dotatus erat, Salmeron ait: *At vere qui castitatem colit, etiamsi cum mulieribus muneris sui obeundi gratia familiaritatem habeat; profectò Angelus est propter singularem puritatem*: tamque plus in eo puritas hæc pretiosissima admiranda est, quantò majoris in annis suis quoque junioribus, ac flore quasi ætatis constitutus erat, pulchritudinis ac formositatis, quæ maximum solet esse turpis concupiscentiæ incentivum.

To 12 tr. 53.

5 *Faciem Angeli*. Verè sanctissimus Levita maximè Angelus quidam dicendus est ob summam illam, quam erga persecutores suos ostendit charitatem & mansuetudinem; est enim hoc maximè proprium spiritibus illis cœlestibus in gratia jam confirmatis, quod sint imperturbabiles, & ab omni immoderata passione liberi; quod pulchrè sacra ostendit Scriptura, dum Davidem hisce verbis allocutum commemorat: *Sicut enim Angelus Domini; sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur*. Sanctus Stephanus, qui quemcunque videntem & audientem continuis suis miraculis quæ operabatur in stuporem & admirationem rapiebat, maximaque vitæ præditus erat sanctitate & innocentia, nihilominus nullis superbiæ motibus agitabatur, verum in profundissima quadam humilitate persistebat constantissimè, eratque mitissimus, ut *nec benedictione, nec maledictione moveretur*. Divus Chrysostomus cum summa admiratione Davidem à Saule persecutum considerat, & quidem in ea spelunca, in qua summo timore percitus Saul sese absconderat, existentem; David interius solicitabatur ad inimicum suum juratissimum interimendum, ut illud capiti suo jam imponeret regium diadema; cujus investituram ex divina ordinatione à Samuele receperat, Davidem autem, quam contra inimicum suum poterat executioni mandare ultionem, omittere, & iis, qui eum ad sumendam vindictam invitabant, gravissimè iratum & offensum vidisse: Videns autem Saul gravissimum quod vitæ suæ imminebat periculum, tantam tamque heroicam Davidis mansuetudinem volvens animo, Davidem filii nomine compellebat, eumque verum ac legitimum Israeliticæ domus Regem proclamabat. Nunc, ad propositum nostrum pulchrè dixit Chrysostomus, hujus tam insolitæ, & quasi præter naturam factæ rei spectatores Davidem non hominem, sed Angelum quendam existimasse: *Postea David non jam ut homini, sed ut Angelo parebant*.

2 Reg 14. 17.

6 Considerate insuper hic benevolentiam & benignitatem, quam suis inimicis exhibuit Stephanus, & videbitis an non jure merito omnimodam quasi Angeli cujusdam similitudinem exprimere dicatur; Pulchra ad hoc propositum declarandum sanctus Fulgentius utitur similitudine: *Sicut in matre*, inquit, *Domini non potuit violari virginitas, sic in Martyris mente non potuit Christi charitas tanto sævientium agmine superari*. S. Augustinus inquit, quod quidem sanctissimus Levita excanduerit, & iram quandam ostenderit, at ex purissimo charitatis motivo, ut illi errorem suum agnoscerent, eosque tali medio in viam salutis reduceret: *Quem Prophetarum non occiderunt patres vestri? istam dicendo quasi odit, quasi favit, lingua clamat, cor amat*. Tulerat legem Assuerus, pœnamque capitalem ei decreverat, qui regium conclave intrare, suumque conspectum subire auderet, quo non attento prudentissima Esther Regem adiens, vultumque Assueri in meliora mutatum ac serenatum conspiciens, Regem his verbis à sacro textu relatis, affata est: *Convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem; Vidi te Domine quasi Angelum Dei, valde mirabilis es, & facies tua est plena gratiarum*. De sancto Stephano idem prorsus scribitur: *Faciem Angeli, plenus gratia*: quod profectò de ipso dicitur respectu maximæ suæ mansuetudinis Sanctus Pater Ambrosius de magno Dei Propheta Moyse dixit: *Meritò æstimatus est supra homines, ut vultus ejus non possent intendere*: Quid ita? Forsitan supra homines Moyses æstimatur, quia electus erat in Deum Pharaonis? An quia per prodigiosam illam, multisque mirabilibus claram virgam mare diviserat? vel quia Deo familiarissimus erat cum quo loquebatur facie ad faciem. Non ob hæc omnia, inquit sanctus Ambrosius, *sed quia sic sibi totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quam pro factis admirarentur*.

Ser. 92. de divers.

Esth 15 26

Lib 2. de offic. c. 7.

7 *Faciem Angeli*. Emissenus in Glossa citatus ait: *Abundancia mentis transit in decus corporis: in exterioris gloria candor interioris exundat, & abscondita pectoris ornamenta speculum frontis irradiant, habens intra se Spiritum sanctum os præ se gustum Angelicum*. Non est in controversia, imò omninò indubitatum est, Spiritum sanctum in Prothomartyre fixam quandam posuisse sedem, cum verissimum sit id, quod de eodem sacra Scriptura refert: *Stephanus autem plenus spiritu sancto*. Salmeron ait: *Qui spiritu Dei plenus est, quid potest nisi saltem illos spiritus cœlestes, qui ejus nutu vel consilio reguntur, repræsentare?*

8 *Faciem Angeli*. Angelus deinde fuit ob innocentiam, & conscientiæ suæ puritatem, qua omnibus omninò sibi impositis calumniis, improperiis, aliisque injuriis reddebatur superior, nec ob qualemcunque sævissimam contra eum maledictionum motam tempestatem in minimo etiam contristatus fuit: Idem Salmeron ait: *Quemadmodum animo tibi malè conscio nihil truculentius aut formidabilius, ita mentis innocentia, & secura mens, quæ est quasi juge convivium, etiam in fronte & vultu ipsius relucet*: Synderesis, malaque conscientia è vultu pallido aspectusque mutatione dignoscitur: *Non sic Stephanus, quem nec timor qui pallorem generat, nec ira aut atra bilis qua faciem immutant, animam illius perturbant, imo ipse Spiritus sanctus, qui intus erat, foras erumpebat, ut clariorem ejus vultum redderet*.

9 *Faciem Angeli*. Salmeron citatus in hunc textum ait: *Qui Christi fidem profitetur, illamque coram hominibus strenuè tuetur, Angelus est, fortitudine præditus Angelica*: Sacratissimi Martyrii sui historiam animo volvite, eamque relegite, & videbitis cum quanta generositate fidem & Religionem Christianam jam ipsis in exordiis à nefariis synagogæ contradictionibus & persecutionibus impugnatam, sese ejusdem fidei columnam quandam firmissimam demonstrando, defenderit, quando optimè de ipso dicitur: *Plenus fortitudine*.

10 *Faciem Angeli*. Est proprium Angelorum quod, quocunque in loco existant, licet etiam hic in terra pro nostra nobis adsint custodia, nihilominus divinam intueantur essentiam, cœlestique beatitudine fruantur & gloria juxta illud: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*. Quem mihi quæso ex universo Sanctorum cœtu recensebitis, qui hic inter vivos degens, si non divinam essentiam, ad minus cœlestis Paradisi gloriam cœlosque apertos conspexerit, uti de sancto Stephano Apostolorum acta referunt. *Vidit gloriam Dei: Ecce video cœlos apertos*. Summam hanc Stephani prærogativam summopere admiratur Emyssenus, dicens: *Vide quantum agat in pectoribus servorum suorum divina charitatis ardor, quod sperabatur desideriis, oculis demonstratur, & spes in re spiritu adhuc intra carnem mutante perficitur, necdum explet famulus ministerium suum, & jam dominus aperit regnum suum*. Dionysius Carthusianus declarat modum, quo gloriam illam conspexerit; *Vidit gloriam Dei*, inquit; *ita quod beatitudinem & mercedem sibi paratam Deus ipsi ostendit, prægustareque fecit*. Insuper idem Pater advertit, ob quam causam à perfidis Judæis vultus Stephani instar Angeli clarescens visus fuerit, dicens: *In tanta & tali majestate ostendit Deus Judæis Stephani vultum, ut converterentur ad veritatem si vellent; aut si nollent de sua obstinatione inexcusabiliores ac damnabiliores redderentur*: Aliam causam dedit Petrus Damianus: *Lumine vultus Dei insignitus gloriosus Levita, & vibranti splendore Stephanus serenatur: reverberantur oculi nostri, & tamen invidia magnitudo visionis majestatem occludit*.

Matt.18.10

Hom de S. Steph.

Quare

Quare Christus in Martyrio S. Stephani de cœlo se eidem videndum exhibuerit.

DISCURSUS OCTAVUS.

Ecce video cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei.

1 QUòd in solemnissimo Dominicæ Ascensionis triumpho firmissima cœlorum claustra reserata sint, quis miretur? *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales*: & quare? *introibit enim Rex gloriæ.* At quod hodie iidem cœli inusitato quodam modo aperiantur, & de suprema illa cœlitum sempiterna mansione ipse Rex gloriæ Christus tota sua cœlesti aula firmatus undique ad cruentum generosissimi militis sui spectandum prælium se ipsum quoque intuendum præbeat, nunquid hic major, nulloque aliàs stabilita exemplo, admirandi subest ratio? Aperti quidem alia quadam vice sunt cœli, at super ipsum Dei filium, tunc nimirum, quando in Jordanis flumine à Joanne Baptista baptismum suscepit; volebat enim inusitato hoc prodigio æternus Pater toti mundo manifestare eum, qui ex motivo profundissimæ humilitatis se peccatoribus annumerarat, filium suum esse unigenitum; at quis honor, quæ gloria, quæ prærogativa est hæc, quod hodie idem unigenitus Dei filius simili prodigio servum honoret, quo se honorare dignatus fuit Pater æternus? *Ecce video cœlos apertos.*

2 Memorandum est, quod sacer Historiographus Moyses de illa, quam ab Esau fratre suo Patriarcha Jacob in Mesopotamia exul passus est persecutione, scribit: *Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco, viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, & Dominum innixum scalæ.* Totum hoc merum fuit Jacobi somnium, sed quis non miretur omne id, quod hac die cum sancto Stephano gestum est, in eodem perfectissimè delineatum, & quasi prægnatum? ac primò quidem sanctus Stephanus optimè dici potest aut nominari *Israel*, siquidem *Israel* latinè idem est, quod *videns Deum*, Stephanus autem, *vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei*: fuit quoque persecutus à fratre suo Esau, nempe à populo Hebræo, à quo, veluti à Deo ob suam duritiem & obstinationem reprobato, discesserat vel quasi exularat: *Obdormivit quoque post solis occubitum, in Domino* scilicet, tunc nimirum quando jam verus justitiæ sol Christus Jesus paulò ante in monte Calvariæ per mortem occubuerat, vel quando jam cœlos ascenderat: *Tulit de lapidibus & supponens capiti suo*, quia *gaudens suscepit lapides ut mereretur accipere coronam gloriæ; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Meruit quoque cœlum apertum, & ipsum Deum contemplari; *Dominum innixum scalæ*, tunc nimirum cum *vidit Jesum stantem à dextris virtutis Dei*; qui in altissimo cœli solio consistens Stephano assistebat dando ei fortitudinem animique generositatem. Dionysius Carthusianus ait: *Quis hujus visionis magnifica exprimat qualitatem? itaque vidit gloriam Dei; sed quomodo vidit? per fidem an per speciem? & dicunt nonnulli, quod pro merula illa vidit Deum per speciem, seu divinam essentiam clare sicut Beati vident in patria.* Beda ait: *Quidam Electorum adhuc in hac vita detenti mundato ocu o cordis videre meruerunt gloriam Dei ut hic Stephanus.* B. P. Petrus Damianus hanc Stephani visionem hisce verbis refert: *Videt gloriam Dei & Jesum stantem à dextris virtutis Dei, movet me hæc intentio quæ de cordis puritate refusa vim facit cœlis & ad ipsius divinitatis consistorium penetrat & attingit.* S. Augustinus ad hanc Stephani visionem elucidandam sequenti textu utitur; *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. videte*, inquit, *quid meruit beatissimus Stephanus, hic adhuc corpore positus Trinitatem meruit ipsam videre*; His accedit Dionysius Carthusianus in Sermone de præsenti festivitate sic scribens: *O quanta fuit puritas, quanta dilectio, quanta perfectio animæ hujus invictissimi Martyris, qui adhuc vivens in carne mortali ad tam altam ac cœlisormem perductus est visionem, atque in sæculo isto sic meruit certificari de felicitate futura, sic prægustare, sic intueri eandem.* At dicet quispiam, in Exodo clarissime à Deo dictum refertur: *Non videbit me homo, & vivet, non enim videre poteris faciem meam*, quo Deus innuere voluit, quamdiu carne hac humana mortalis homo vestitus est, non posse eundem quoque attingere gloriam Paradisi; quomodo igitur hodie super lege hac irrevocabili & invariabili cum sancto Stephano dispensatur? Audite egregium super hoc dubio responsum, Stephanus plus quam homo erat, ipse enim transcenderat limites humanæ conditionis. *Viderunt enim faciem ejus tanquam faciem Angeli.*

Gen. 28. 12.

In Acta.

Exod. 33. 20.

3 *Ecce video cœlos apertos & Jesum stantem &c.* Hilarius Arelatensis ait: *Vides quod spectantis intuitus armat constantiam triumphantis.* Incredibile est, quantum in gravissima pugna milites animare soleat Principis seu Generalis præsentia, insuper optimè ac generosissime pro defendenda periclitante civitate tum pugnatur, cum civium adest conspectus. Sanctus Stephanus pro periclitante periculosissimisque motibus infestata decertabat Ecclesia, idque in conspectu totius Ecclesiæ quà triumphantis, quà militantis, ipsum enim fortiter pugnantem de summo cœlorum fastigio tota cœlestis aula inspectabat: Apostolus Paulus paulò post scripserat: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Erat hic aspectus Sanctissimo Martyri quasi calcaris loco, ad fortiter maximaque cum celeritate in pœnosi Martyrii sui stadio sine ulla hæsitatione aut allisione currendum.

Hebr. 12. 2.

4 Insignis ille Hebræorum exercitus contra impiissimum Anthiocum Dux Judas Macchabæus memorabili quodam stratagemate inimicum aggredi parabat, ut enim furiis quibusdam quasi in gentis inimicæ exercitum Elephantes ageret, iis ut memorat Scriptura *Ostendi mandarat sanguinem uvæ & mori, ad acuendum eos in prælium.* Simili quodam stratagemate confortatus est sanctissimus Prothomartyr noster, hic enim, mirum est quanta cum generositate hostiles Judæorum insultus sustinuerit, assultus repercusserit, non solum ex eo quod Christum Redemptorem suum in monte Calvariæ vulneribus lividum, & sanguine undique manantem conspexisset, verum etiam hanc in ipso generositatem causabat ejusdem in cœlo jam existentis cruentorum vulnerum sacrorum aspectus. Generosissima illa Heroina sancti Symphoriani Mater timens ne fortè dilectus ejus filiolus etiamnum juvenculus Martyrii sui atrocitati & tormentorum acerbitati succumberet, eundem hisce verbis animabat: *Nate cœlum suspice, memento æternæ vitæ.* Sanctus Stephanus cœlos videbat apertos, & quod eidem piissimus Redemptor, ad se victoriosum & triumphantem pro meritis excipiendum obviam procederet, unde Eusebius Emissenus ait: *Juste incunctanter offert sanguinem suum, qui præ oculis habet regem & bravium suum.*

1. Mach. 6. 34.

In Glossa.

5 *Ecce video cœlos apertos & Jesum:* Hæc visio cor dabat & animum ad maximum illum lapidum imbrem fortiter sufferendum, optimè enim verissimum esse noverat: *Quod non sint condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Hilarius Arelatensis ait; *Digne patentibus cœli portis comparatur cœlum, bella desudant, at sic dum occupatur in stupore & amore cœlestium Stephanus, non turbatur duro imbre saxorum*: quod & optimè tetigit Ambrosius dum ait: *Lapidatur Stephanus & videbat cœlos apertos & Jesum ad dextram Dei stantem, & ideo lapidum ictus non sentiebat.* Sanctus Augustinus similiter Stephani generositatem eidem cœlesti visioni adscribit: *Si beatus Stephanus sub imbre lapidum constitutus, futura præmia non cogitasset, quomodo illam grandinem pertulisset?* Salmeron super sequentem textum ait, *Ecce video cœlos apertos; in his autem verbis expressit Stephanus Prothomartyr illa, in quæ oculos debet intendere is, qui pro fide decertat, & pro Christo extrema patitur, debet enim ut hominum dedecora & corporales cruciatus contemnat, oculis mentis spectare gloriam Dei futuram*;

Rom. 8. 18.

Hom. de S. Steph.

Lib. 5. Ep. 30.

Serm. 95. de divin.

To. 12. tr. 20.

ad quam

ad quam non sunt condigna passiones hujus temporis, ut ait Apostolus: debet & cælos cernere apertos, in quos non dubitet se benignitate Dei recipiendum; debet & Jesum stantem à dextris virtutis Dei suspicere, & stantem quidem ut nobis opitulari valeat.

6 *Et Jesum stantem à dextris virtutis Dei?* Lyranus ait: *Hoc dicit ad affirmandum ejus resurrectionem & quia tales visiones fiunt secundum convenientiam ejus, quod significatur ut prædictum est: Ideo Stephanus vidit Jesum stantem ad designandum quod erat paratus ad ejus roborationem, quia stare proprium est adjuvantis in prælio, sedere vero proprium est judicantis vel regnantis*, quæ etiam ratio cur post
Gloss. Dominicam Ascensionem de Salvatore dictum sit, quod *sedet à dextris Dei*. Gloss. inquit: *Stantem habitus auxiliantis, & injurias judicantis, & pro servis pugnantis sic ostenditur*. Beatus Pater Petrus Damianus hoc ei à Christo præstitum auxilium ad vi-
Serm. de S. Steph. vum hisce verbis describit, dicens: *Surgit ipse Rex, & lapidantium acies irrumpens triumphatorio certamini non sine dolore cordis assistit; videt opprimi primum, & primicerium purpuratæ cohortis, & grandinaria lapidum densitate fontes sanguinis de corpore Prothomartyris ebullire*; in hac compassione quasi, quam Christus erga suum ostendit militem, videtur Christum quoque omnes projectorum saxorum immanes ictus in se quodammodo recepisse: unde in hoc quoque sensu ly *stantem* explicatur, *stantem*, hoc est, *lapidatur in lapidato*. Oecumenius eam in alio sensu accipit, scilicet pro interiori gaudio quod sancto Stephano Christus communicavit: *Stantem*, inquit, *& non sedentem vidit Jesum Beatus Stephanus, ut suam exhibeat Christus protectionem, & magnam suo Athletæ tribuat alacritatem.*

7 *Ecce video cælos apertos & Jesum stantem*: Ecce non omittamus nos bonam hanc occasionem cœlum intrandi, quandoquidem eorundem portæ sint reseratæ. Memorabilem est, quod in Chronicis Ordinis sancti Dominici narratur, quod eo tempore quo
3 p.l.2.c.17 Frater Reginaldus ejusdem Ordinis Concionator famosissimus plurimos vita moribusque dissolutos obstinatosque peccatores suis ipse concionibus ad meliorem vitæ frugem reduceret, Lector quidam seu Doctor primarius, nomine Magister Moneta sibi ipsum Reginaldum Concionantem nullatenus audire proposuerit, imò etiam omni modo suos quoque discipulos ab ejusdem Auditorio retrahere conatus fuerit, timens ne forte Evangelico reti Reginaldi detinerentur captivi (tanta enim erat efficacia dictionis ut tangeret, raperetque corda saxis ipsis duriora) nihilominus discipulorum suorum precibus emollitus Professor, quadam vice tempore matutino Fratrem Reginaldum Concionantem ut audiret: discipulis suis sincerè adpromisit, sicque igitur discipulis ob promissa debitor redditus & obligatus, eodem mane prius Missam audire voluit, neque ei sufficiebat una, addebat & alteram, sperans hac de causa se ad Concionem sero venturum, at aliter Deus disposuit, contigit enim quod quando jam finem attigisset Concio, & adhuc intrans Ecclesiæ portam Professor hic sanctum hunc virum audiret textum hunc: *Ecce video cælos apertos*, ponderantem audiret, & dicentem; *In præsenti ecce aperti sunt cæli ad introeundum, quilibet qui vult, potest januas apertas intrare, videant & timeant miseri & negligentes, ne eis qui Deo claudunt cor suum, & os & manus, regnum cælorum claudatur, & introire non possint, quid ergo tardatis? Ecce aperti sunt cæli.* Mox Spiritus sanctus in hoc corde paulò antè ita obstinato mirabilia operatus est, idemque sua unctionis spiritalis gratia ita emollivit, ut mox abiens ad pedes Reginaldi prostratus habitum religiosum supplex efflagitarit, quo obtento, doctrina & perfectione admirabili claruit, ac insigne hæreticorum extitit flagellum. Ad quod propositum Cornelius à Lapide suprà citatum textum sic scribit: quod sanctus Stephanus: *His verbis invitavit eos ad pœnitentiam, quasi diceret, cælum æterni gaudii saluti apertum est, videte ut accurratis & introeatis antequam claudatur.* Si exiguam ad dura corda convertenda lingua sancti Stephani sortita esset efficaciam, profecto

frigidi ejus cineres viva quadam facundia imbuti fuere, quando plurimis post mortem ejus annis miracu-
losè reinventi sunt, quia ut annales produnt Ecclesiastici, quando iidem in civitatem quandam provin- Anno 418
ciæ Majoricensis translati, eorum aspectu & præsentia quingeoti quadraginta Judæi conversi sunt. Aliud quoddam refert sanctus Augustious ut habetur in Lectionibus matutinalibus festi Inventionis ejusdem Prothomartyris tertio Augusti. Ratio autem cur Ju- An 418. l.
dæi à beato Stephano dum eis prædicaret vivæ vo- 22. de civ.
cis oraculo conversi non sint, hæc est: quia *continuerunt aures suas*. Dei c.8.
Non faciamus nos idem, sed invitantem & de cœlo vocantem audiamus, sanctissimumque Prothomartyrem imitemur, ut cum eo simul regnare, gloriamque cujus ille in terra initium quoddam prægustavit, & ejus possessionem aliquando ut adiret etiamnum vivens certificatus fuit (siquidem *vidit gloriam Dei, vidit cælos apertos*) cum ipso participare mereamur.

DE

SANCTO JOANNE

APOSTOLO

Discursus Novem.

Sanctus Joannes super omnes alios Apostolos amatus fuit, ejusdemque amoris signa nonnulla subnectuntur.

DISCURSUS PRIMUS.

Discipulus quem diligebat Jesus.

1 PAter æternus quando in sacratissimo unigeniti filii sui baptismate, eundem filium suum, clarissimum divinitatis suæ præbendo testimonium, glorificare volens, super ipso Jordanis flumine cœlos aperuit, quod & altera vice in supremo Thaboris vertice factitatum sacri narrant Evangelistæ; alio enim titulo dignatus non est quàm *Dilecti filii: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Hic similiter ad denotandam eminentem gloriam sancti Joannis sufficit dicere, quod sit dilectus Salvatoris, quem diligebat Iesus. Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Vide quantum dignitatis Joanni accrescat, quod unigeniti filii Dei titulum quodammodo meruit obtinere.* Idem sanctus Pater textu quo-

dam Canticorum, ubi sponsus divinus seipsum nominat dilectum, subjungit: *Est enim Pater diligens, Filius dilectus, Spiritus sanctus utriusque dilectio.*

1. p. q. 20. ar. 2.

2 Doctor Angelicus pulchram inter amorem Dei & nostrum assignat differentiam; dicens, amorem nostrum nullam in re amata causare bonitatem, sed eam aut supponere, aut ad minus rem istam esse bonam amanti persuadere. At voluntas divina quæ est causa & origo omnis boni quod in creatura reperiri potest, non movetur per bonitatem in creaturis existentem, verum insuper hanc eis participat & infundit.

Rath. 2. c. 4.

Aristoteles ait: *Amare est velle alicui quæ bona putat.* Amans igitur Christus S. Joannem supra omnes alios, sequitur quoque, majores gratias abundantioresque cœli thesauros quam cæteris omnibus, eidem à Christo communicatos. S. Bonaventura ait: *Merito diligebat eum Jesus, eo quod impleverat eum donis gratiæ suæ:* Sanctus Thomas de Villa-Nova quandam amoris nostri & divini erga nos distinctionem assignat, dicens: *Hoc namque inter amorem Dei & nostrum distare solet, quod nos bonitatem in aliis diligimus, sed eam illis diligendo minimè præstamus; Deus autem quos diligit diligendo optimos facit.*

3 De Alexandro Magno narratur, eundem quadam vice famosissimos, nec non eloquentissimos sui temporis Oratores conscripsisse, ut familiarissimi cujusdam amici sui Ephestionis laudes Panegyricis complecterentur, quod cum jam aliquot diebus omni meliori modo perfecissent; volens inter cæteros quidam longissimam plurimarum laudum telam breviori filo ut ajunt, dimensurare, unoquoque verbo complecti dixit: *De dilectu nunquam satis.* Idem omninò S. Valentzenensis Archiepiscopus Thomas Villanovanus, de hoc verè sapientiæ quondam oraculo S. Joanne scribit: *Existimavit*, inquit, *vir sapiens omnium gratiarum hanc præcipuam, & maximum reputandam esse, quod a Deo dilectus sit; quæ namque major est, aut esse potest dignitas creaturæ quam factori suo placeat, & diligatur ab eo qui fecit eam?* insuper advertit & quidem benè,

Prov. 18. 17. Jo. 14. 21.

quod ex eo cum dicitur, Christum S. Joannem tenerrime amasse, non excludatur ardentissimus amor S. Joannis erga Christum: Hic enim dixit: *Ego diligentes me diligo; qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum, seu ut in Græco dicitur, insinuabo ei meipsum:* Cujus amoris effectus in S. Joanne clarissimè conspicitur, dum dulcem usque somnum caperet in sacratissimo magistri sui sinu requiescere ei per quam gratiosum permissum est. Salmeron nova quædam adducit mysteria, ex eo quod dicatur, Christum quidem amare S. Joannem, at nulla

Jo. 11. tr. 31.

fiat mentio amoris discipuli erga Christum: *Primum est, quia prior est Christi ad nos dilectio, quam nostra ad Deum, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, ac proinde causa est ac origo nostri amoris.* Secundum mysterium est, quia amor Christi erga nos multò, quam noster erga ipsum excellentior est, quia iste ex ratione subjecti, est æternus, infinitus; noster verò debilis, instabilis, & imperfectus. Tertium mysterium est, quia majus est privilegium & honor à Deo amari quam Deum amare: *Quid enim mirum si creatura ratione prædita infinitum illud bonum, & pulchritudinem tam amabilem, & tam nos amantem diligat, præsertim cum tantum emolumenti & fructus ab ea dilectione sibi comparet? At vero illud admiratione dignum, quod Deus optimus maximus homines, hoc est vermes humiles, repentes & putridos, & nihil sibi boni conferentes diligere non dedignetur:* Sanctus Thomas Villanovanus ait: *Hæc gratia Dei, hic amor omnium donorum & bonorum fons & origo est:* ad unum autem hunc amorem Dei maximè beneficum per hanc similitudinem exprimit, dicens: *Denique quod in curia facit amor Regis, hoc in orbe facit amor Dei;* pergit insuper à simili demonstrando, honores, divitias, aliaque obsequia, quibus Regum amici in aulis solent

Ser. 3. de S. Joanne.

gaudere, & post subjungit: *Dilecta omnia patent, omnia obediunt, sic in regno Dei, si quis gratus, si quis amicus est Dei, omnis illi obtemperat creatura, & in cælo & in terra.* Dionysius Carthusianus de hoc eodem Apostolo scripsit: *Quarta excellentia Joannis est potestas & gloria miraculorum;* & profectò signum apertissimum summæ benevolentiæ & favoris Christi erga Joannem, id est, summa supra cæteras omnes creaturas sua illa miraculorum patrandorum potestas & authoritas. Est enim amor major Dei erga animam quandam clarissima ejusdem animæ talis amoris correspondentis magis vel minus intensæ perfectionis & charitatis nota: *Eo quisque judicandus est melior,* inquit jam citatus Divus Thomas, *quo Deo inventus fuerit gratior & acceptior;* Sanctus autem Joannes eminentiorem cæteris omnibus gratiam & amorem Christi possedit: *Quem Dominus charitatem debens omnibus tamen præ cæteris diligebat.* Tr. 16. in Jo.

4 At hic non immeritò in dubium revocari posset, an Salvator noster plus Petrum quam Joannem dilexerit. Siquidem illum trina vice quoad hunc amorem rigidè examinarit, responderitque Petrus, *Tu scis Domine quia amo te*, prout idem dilectus Christi discipulus in ultimo Evangelicæ Historiæ suæ capite fusius refert. Proinde ad hanc inter sacros Doctores benè agitatam controversiam responderi potest per id, quod de Alexandro Magno scribitur; hic enim dicere solitus erat; se duos habere amicos dilectissimos, Parmenionem & Ephestionem. Amboque se magna cum teneritudine diligere, cum hac tamen differentia, quod tanquam Rex plus diligat primum, utpote cujus opera in rebus gravibus publicè peragendis uteretur, hacque ratione a multis imperii laboribus & oneribus sublevaretur: At vero ut Alexander Ephestionem impensius diligeret, utpotè cujus illi gratissima esset familiaris & quotidiana conversatio. Unde Salmeron ait: *Petrus fortius diligebatur ac ferventius diligebat: Joannes vero familiarius ac suavius amabat, unde à Domino & dulcius & suavius deamatus.*

5 Verum enimvero quia verum est quod *probatio dilectionis exhibitio est operis*, manifestè Christus suum erga Joannem amorem probavit, siquidem omnia manifestissima sui erga illum amoris signa edidit. Nimirum divina arcana eidem revelavit, prouti in libro Apocalypseos perspicuè videre licet, de quo meritò dicitur, quod tot Sacramenta quot apicea contineat: Imo ipsi soli plura mysteria revelata fuerunt, quam omnibus aliis, ut ita dicam, sive Patriarchis, sive Prophetis, sive Apostolis. Unde Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Revelavit illi secreta personæ, secreta regni, secreta domus, supra pectus Domini in cœna recubuit B. Apostolus cui revelata sunt secreta cœlestia;* de ejus Evangelio sanctus Dionysius Areopagita ait. *Evangelium quod scripserat, memoriam esse & renovationem veræ Theologiæ.* Sanctus Thomas de Villa-Nova, postquam dixisset quod eximium divini erga Joannem amoris signum *est revelatio secretorum* secundum ejusdem amoris signum protinus subjungit, quod est *familiaritatis exhibitio*, de quo signo Glossa ait: *Diligebat & alios, sed familiarius istum, donavit potiori dulcedine sui amoris.* Idem memoratus Sanctus Thomas subdit ibidem: *Joannes dilectus non jussus non petita venia confidenter recumbit super pectus Domini: Amor facit hoc; est enim supra modum audax dilectio;* hunc eundem comitem suum esse voluit, dum in monte Thabor versaretur, suæque transfigurationis spectatorem, similiter in horto quando sudavit sanguinem, ipsi soli super pectus suum quiescenti, quia traditor futurus esset in cœna manifestavit. Unde Petrus Damianus optimè consideravit, quod postquam Christus dixisset, *unus vestrum me traditurus est, totus tacet, ac sub silentii censura reprimitur senatus Apostolorum, tacet Petrus, tacet lingua, quæ clavis facta cælorum cælum simul & terram ligat & solvit: silet Andreas, non loquitur Thomas, omnes tacent, omnes dubitant. Joannis patrocinium quæritur, ille consultor accedit, qui de amplioris familiaritatis atque dilectionis prærogativa confidit.* Suritis in ea est opinione primarum sedium a Joanne & fratre ejus sacram postulationem ex ambitionis motivo minimè processisse, sed potius effectum fuisse, ut ita dicam, zelotypi amoris, ut nimirum in illa sede constitutus tanto esset præ cunctis aliis Christo vicinior. Unde ait: *Hinc etiam manifestum est, quod cathedram, quam proximè Christum cum fratre petivit, non gloria, sed Christi amore petiverit, & quod nollet hic alium esse sibi dilecto viciniorem.* Hic quoque observandus venit modus loquendi Chrysostomi, quando dicit, ne ipsum

Epist. 10. ad Joann.

Glossa.

Ser. 1. de S. Joan.

quidem

quidem Petrum Salvatorem ut interrogaret præsumpsisse, dicit enim *Joannes securus, ac si in delitiis esset in gremio Jesu recubuit.*

6 Est & alia veri amoris infallibilis nota ab eodem Thoma in medium allata, nimirum *pretiosorum commissio*; certum est enim, Christum Deum nostrum nihil in hac vita magna sua matre clarius habuisse aut pretiosius; & tamen in ultimo suo quod in crucis lecto edidit testamento, Spiritum Patri, corpus vespere antecedenti sub speciebus Sacramentalibus reliquit Ecclesiæ; sanguinem suum peccatoribus pœnitentibus, in pretium legavit & lytrum, Paradisum latroni concessit, cœli claves Petro consignavit. At verò Joannis custodiæ Virginem matrem suam credidit.

7 Quartum ab eodem S. Thoma allatum veri amoris signum est *beneficiorum collatio*, atque ideo omnia dona, gratiæ, & privilegia in cunctis aliis dispersa in ipso solo simul congregata inveniuntur, prout alibi suo loco dicemus: Unde canit Ecclesia, *cæteris altius à Domino meruit honorari.*

Cant. 7. 10. 8 Verum advertendum quod juxta id quod in sacris canticis dicitur. *Ego dilecto meo & ad me conversio ejus*, sanctus Joannes, eximio huic amori Christi erga ipsum eximia quoque charitate responderit. Unde sanctus Gregorius ait; *Succendi cor nostrum igne charitatis quærimus? Joannis verba pensemus, cujus omne quod loquitur charitatis igne vaporatur*; Et quidem non solum verba ejus, sed & opera ipsius ingenti divini amoris flamma succensa erant; quoties enim replicat verba illa, *Discipulus ille quem diligebat Jesus*, circa quæ Chrysostomus ait: *Hæc amantium mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant frequentius, ut ipsa assiduitate narrandi solatium amoris sui capiant; ex abundantia cordis os loquitur*, ait in proverbiis Spiritus sanctus, *omni tempore diligit qui amicus est; & frater in angustiis comprobatur*, id quod in sancto Joanne ad literam adimpletum fuit, siquidem à primis annis ad ultimam usque centum annorum decrepitam ætatem in ardore charitatis erga Deum, nunquam vel minimum refrignit, undè in cunctis ejus persecutionibus & ærumnis proximus illi à latere astitit, præcipuè vero in funesta illa amarissimæ passionis ejus nocte; præ cunctis aliis fidei defendendæ incubuit (siquidem præ cunctis aliis diutius supervixit) Ecclesiam quoque adversus tot hæresum & persecutionum ab Idololatris principibus excitatarum procellas tutatus est strenuè, nec nnquam in tot sibi obviis periculis inventus est vel minimum trepidasse; nec mirum quia *perfecta Charitas foras mittit timorem*. Idem sanctus Thomas de Villa-Nova de hoc Apostolo ita scribit; *Adstat in Palatio, adstit in prætorio, adest etiam patibulo, lachrymatur, dolet, gemit, palam magistri sui mortem deplorat, & nullus eum interrogat quid ploras? nullus criminatur dicens: discipulus ejus es, frater es? mira utique amoris dispensatio fuit, ut terribilibus Domini sui cruciatibus dilectus adesset, & calicem passionis ad pedem crucis cum dilecto suo potaret (Christo Domino sic disponente) ut nemo illi obsisteret, nemo contradiceret, ut vel ex hoc Joannes agnosceret; quia cum in vita dilexisset illum, in morte amplius dilexit eum, amor enim in fine maximè agnoscitur.* In memoriam denique revocetis quod quando dilectus hic Christi discipulus post auditum resurrectionis Dominicæ nuntium, una cum sancto Petro Christi sepulchrum adit, *currebant* quidem *duo simul* (sunt ipsiusmet Joannis scribentis verba) *& ille alius discipulus præcucurrit citius Petro*. Cujus hanc S. Gregorius rationem reddit, *quia qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius.*

Hom. 11. in Ezech. — Prov. 17. — Joan. 20. 3.

Mensi Prompt.

Rationes ob quas Christus S. Joannem præ cæteris Apostolis plus dilexerit, adducuntur, deque variis, iisdemque eximiis ejus virtutibus & meritis disseritur.

DISCURSUS SECUNDUS.

Privilegio amoris præcipui cæteris altius in Domino meruit honorari.

1 Intellectus creatus ob suam imbecillitatem inaccessibilem illam divinæ sapientiæ lucem perfecto mentis intuitu non valet contemplari; certum est, id quod Deo opt. max. ad extra operanti attribuitur, sc. *Omnia in sapientia fecit: bene omnia fecit*: Impossibile est adæquatam dare rationem, cur Deus unam animam amet præ alia, dicit enim, *an non licet mihi quod volo facere?* ex quo proinde sequi videtur, motiva causasque certissimas, cur Christus præ cæteris sanctum Joannem dilexerit, examinare, non esse objectum intellectus creati, rationisque humanæ: sed id illum sibi soli reservasse, qui *Spirituum ponderator est*: possunt tamen aliquæ, exiguo & pesquam obscuro nostro intelligendi modo adaptatæ, ejus rei dare rationes.

2 Salmeron scribit, Deum se voluisse monstrare hominem iisdem inclinationibus & affectibus alias naturæ humanæ annexis imbutum, homo autem, uti quidem experentia constat, magis inclinatur ad amandum unum quam alium, maximè tamen & particulariter eos qui sibi sanguinis cognatione conjuncti sunt, sicut enim Sol partes sibi viciniores magis illuminat, sic à pari verus justitiæ Sol Christus Jesus illuminat, & gratias suas abundantius communicat iis, qui sibi per sanctissimæ matris suæ cognationem sunt proximiores; cæteris enim qua perfectione, qua sanctitate eminentiores fuere S. Joannes Baptista, S. Anna, S. Elisabetha, S. Joachim, similiter etiam nepotes ejus, S. Simon, S. Joannes, cujus hodie festivitatem celebramus. Videtur dici posse, quod salva justitiæ æquitate ex ratione insigniorum quorundam talentorum, virtutum aut meritorum (sine quibus nullam alii doloris cujusdam causam habet) superioribus licitum sit unum plus amare quam alium, at Seraphicus Doctor S. Bonaventura, optimè sciens divinum amorem, non sicuti humanum cœcum esse, dicit: *Quod diligit erat ob suas virtutes, sinite parvulos venire ad me*; non intelligebat hic Salvator infantiam ætatis, sed simplicitatis & innocentiæ; sanctus Joannes verò ab ineunte ætate Salvatorem secutus primam innocentia ad decrepitam usque ætatem conservavit. Unde factum ut Spiritus sanctus, qui per assistentem suam directionem Ecclesiam moderatur & regit illum, licet jam ferè centenarium titulo pueri dignetur & honoret: *Ecce puer meus electus quem elegi, posui super eum Spiritum meum: Beneplacitum est Domino super timentes eum*: quanto anima Deum plus timet, tantò quoque magis ejusdem amorem & benevolentiam acquirit seu lucratur. Ps. 146. 11.

3 Beatus Pater Laurentius Justinianus, Dei volens demonstrare benignitatem & Bonitatem, summam à natura humana in statu innocentiæ, & ante primorum parentum nostrorum prævaricationem possessam excellentiam describit dicens: *Paradisi deliciis fruebatur, agnoscebat Deum, naturalium scientiam præclaram habebat, corpus spiritui subditum, creaturas inferiores obtemperantes sibi possidebat, deputatusque colonus fuerat Paradisi, donec completo divinæ ordinationis decursu sine carnis resolutione in cœlestibus mansionibus cum Angelis regnaturus assumeretur*, Agedum, nunc Sanctum Joannem & jam post prævaricationem generis humani excellentem hanc primam innocentiam retinentem contemplemur: ac primò quidem *Paradisi deliciis fruebatur*, ipse enim Christi & sanctissimæ matris suæ præsentia & familiarissima conversatione longo tempore gavisus est, *Emissiones tuæ Paradisus*; *Deputatus autem fuit colonus Paradisi*, suæ enim custodiæ animatus hic Paradisus consignatus fuit, Tertiò *agnoscebat Deum*: ipse enim cum omnibus aliis comparativè majus, clarius, & excellentius divinitatis lumen consecu- Ser. de S. Ioan.

tus est, uti clarissimè patet in suo, quem de incarnatione verbi scripsit Evangeliorum libro, dum ait: *In principio erat verbum*. Item admirabilis ejus tam divinarum quam humanarum rerum scientia fuit atque cognitio, quam tum illud à se altissima fidei nostræ pervadens mysteria, scriptum Evangelium, Epistolæ familiares, & Apocalypsis probat, quibusvis fere imperabat creaturis, cum omni diligentia, fide, & reverentia miracula operabatur: Mors ejus per omnes omninò conditiones & circumstantias simillima fuit ei, qua quisque mortalium in hoc statu innocentiæ & justitiæ originalis obiisset: Surius scripsit; *Admirandus*, Dionysius loquitur enim hoc de ipso Areopagita: *ferme jam nonaginta annorum ex Athenis scribit ei in hunc modum: Tuam saluto sacram animam dilecte*. Idem Surius in Exordio vitæ hujus Apostoli, ita scribit: *Quam parum adsit homo ab Angelis, quodque ipsi possibile sit una cum illis versari, viciniusque assistere, imo etiam Deum imitari possit, quandoque multo majus est Filius ipsius juxta gratiam effici ostendit præ omnibus magnus hic Evangelista & Apostolus*. Theophylactus super illa verba: *Quem diligebat Jesus*, ita ait: *Joannes innocentissimus, simplicissimus, mansuetissimus omnium erat & ideo diligebatur*.

4 *Quod diligit, erat ob suas virtutes*. Inter alias virtutes, quas Salvator noster scholæ suæ discipulis, peculiariter imprimere satagebat, una ex præcipuis mansuetudo erat: *Discite a me quia mitis sum*; ac proinde quia sanctus Joannes in hac virtute præ cæteris plurimum profecerat, specialissimè præ aliis dilectus fuit, Albertus Magnus Chrysostomi Testimonium adducens ait: *Causam dilectionis hujus dicit esse ingenitam huic Apostolo mansuetudinem, in qua præ cæteris Christo similior erat, quia hanc etiam in Moyse dilexit, hanc etiam in David, qui erat vir secundum cor Dei*.

5 *Ob suas virtutes*. Magnum quoque præ quovis alio discipulorum in Charitate erga Deum sibi com-
Luc 12.49. paravit profectum: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Porrò de hoc Apostolo præ cæteris adimpletum fuit, quod sanctus Paulus
Eph.3.18. ad Ephesios scribit, nimirum *scire supereminentem scientiæ charitatem Christi, & impleri in omnem plenitudinem Dei, in charitate radicatus, & fundatus potuit comprehendere, quæ fuerit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*; ipse namque divinæ essentiæ & sapientiæ dimensiones assecutus fuit. Unde Doctor Angelicus ipsum à Christo dilectum fuisse dicit, *propter sublimitatem suæ intelligentiæ, quia cæteris altius arcana suæ divinitatis*
Prov. 14. *intuitus est*. Undè *& aquilæ comparatur*; adducitque illum capitis decimi quarti Proverbiorum textum: *Acceptus est Regi minister intelligens*. Cui consonat S. Bonaventura, dum ait: *Dilectior à Deo ob plenitudinem sapientiæ cœlestis*.

6 *Ob suas virtutes*. Lyranus super illa verba: *Quem diligebat Jesus*, ita scribit: *Diligebat, specialia ei dilectionis signa ostendendo præ cæteris, propter munditiam virginalem*. Cui consentit sanctus Thomas de eo ita scribens: *Fuit magis dilectus, propter munditiam puritatis, quia virgo est electus à Domino*. Idipsum quoque Sanctus Bonaventura hisce verbis scribit: *Meritò dilectus à Deo ob integritatem sacræ virginitatis*. Quibus Albertus Magnus per hæc verba consentit: *Hujus quidem dilectionis causam hic dixit Heronymus esse*
Sap. 3. *castitatem virginitatis*. Sap. 3. *Hæc est quæ nescit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum*.

7 *Ob suas virtutes*. Doctor Angelicus aliud quoddam amoris Christi erga Joannem motivum adducit, dum ait, ipsum præ cæteris dilectum fuisse *pro-*
Prov. 8. *pter vehementem fervorem affectus sui ad Christum*. Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*. Notandum insuper, Christum discipulum hunc amasse *propter teneram ætatem*, siquidem ejus se sequelæ ab adolescentia addixit; *In quo datur intelligi, quod Deus specialiter di-*
Mich. 7. *ligit illos, qui a juventute serviunt ei*. Micheæ 7. *Præcoquas ficus desideravit anima mea*. Cæsarius super illa verba: *Vidit illum discipulum sequentem*, de seipso dicit, *sequi est imitari*. Sanctus Bonaventura postquam dixisset, *Quia quod diligit, erat ob suas virtutes*, mox *subjungit, prærogativa ejus est perfecta Christi imitabilitas, sequentem eum; sequi enim est imitari*. Albertus
Magnus in cap. 13. Joannis scribens ita ait: *Disciplinam* In c. 13. Jo.
charitatis, & mansuetudinis, & humilitatis Christi perfectè fuerat imitatus.

8 *Ob suas virtutes*. Fuit enim modestissimus, singularique humilitate prædítus, non obstante, quod scientiæ proprium sit superbia tumidum reddere, maximè si illi excessivi jungantur favores & honores præ aliis attributi. Porrò sanctus hic Apostolus frequenter in Evangelio suo replicat hæc verba: *Quem diligebat Jesus, qui & recubuit super pectus ejus*; & quidem ut Carthusianus ait, *non ad suipsius jactanciam toties commemorat se specialiter dilectum à Jesu; sed ut tanto beneficio gratus existat*. Ecce tibi clarè indicatam ejus gratitudinem: sed & modestiam & humilitatem ejus
observare; dicit enim Chrysostomus: *Nomen suum* In Jo. 19.
moderatè subticet Joannes; nam si se jactare voluisset, quam ob causam diligeretur utique exposuisset. Quia verò insignis ejus humilitas atque modestia hujus adeò singularis & eximiæ dilectionis merita sub obscuritatis latebris recondita reliquit, ideò increata sapientia meritò disposuit, ut omnes sacri Scriptores hujus tam insignis dilectionis Christi erga hunc Apostolum varia eaque omnia devotissima adducerent. Et quidem Sal
meron ait: *Non est jactantia ulla, ita se nominare* (*id* To. 12. tr.
est, discipulum quem diligebat Jesus,) *imò jactantiæ fuga & beneficii accepti confessio, insignisque gratiarum actio; ideo eam proprium nomen suppressit seque per tertiam quamdam indicavit personam, quo gratus de tanto existeret beneficio, & quia dulcissimum sibi erat hanc tantam dignationem Christi recolere*. Theophylactus optimè observat sanctum Joannem continuò se per hunc dilecti discipuli titulum descripsisse, ut manifestum evaderet, quod quando sanctus Petrus eum ursit, ut quisnam traditor futurus esset, magistrum interrogaret, *sibi innuerit, non ut majori, sed ut ei qui magis fuerat dilectus à Domino, & ita magis humilitatis, quam ostentationis verbum est: non enim dicit, ego diligebam Jesum, quod de Petro præstatur; sed quid? Ille enim inquit diligebat me, qui propter misericordiam & miserationem suam suscepit me*.

9 *Ob suas virtutes*. Solent communiter Principes illos majori dilectione & favore præ cæteris prosequi, quos experti fuere fideliores, constantioresque in sui defensione, eos nimirum, qui in maximis discriminibus & periculis eos nequicquam deseruere, sed potius suam pro vita ipsorum prodegere vitam: jam verò inter omnes Apostolos & discipulos de nullo constat, quod Redemptorem per totum passionis suæ decursum secuti fuerint, præterquam de S. Joanne; licèt enim *omnes relicto eo fugerunt*, dilectus tamen hic discipulus minimè fugit: quin potius ab horto usque Gethsemani ad Caipham, à Caipha ad Pilati prætorium, indè ad Calvariæ montem, imò ad sepulchrum usque secutus fuit, undè & sanctissimam ejus Matrem præmii loco accepit. Lucas Burgensis verbis illis: *Quem diligebat Jesus*, sequentem hanc Glossam adjicit, *forte ut se quoque paratum ostenderet ad mortem pro Jesu subeundam*.

10 *Ob suas virtutes*. Surius in vita S. Joannis ita scribit, *Omnes sensus moderatur, familiaris omnino virginitati efficitur, tali atendo alimenti ratione, ut summa parsimonia vivere duntaxat posset, sacrumque corpus ut subsisteret, conservare*. Hanc quoque victus austeritatem & sobrietatem familiarem ei fuisse B. Laurentius Justinia- Ser. 1. d. S.
nus hisce verbis refert: *Insolentiam sensualitatis, quan* Jo.
cum virtuti resistere assueta sit, hinc divina charitatis armatus zelo, illam atterebat jejuniis, vigiliarum attenuabat laboribus, ne contra Dominum lasciviret.

11 *Ob suas virtutes*. Quodnam Salvator noster signum edidisse putas, è quo quisnam scholæ ipsius discipulus esset, agnosceretur? *In hoc cognoscent quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*; ac proindè ob hunc respectum meritò de S. Joanne dici potuit; quod sit discipulus ille quem diligebat Jesus siquidem præ quovis alio hoc dilectionis igne exarsit, totumque mundum hoc charitatis igne accendere conatus fuit, prout ex ejus Evangelio & Epistolis clarissimè elucet. Albertus Magnus S. August. citat dicentem: *Causa hujus præcipuè dilectionis erat, quod Joannes vice versa etiam Christum præ cæteris dilexit*. Porrò nullam doctrinam

majori

majori cum energia & efficacia prædicabat, quàm quæ de hac reciproca dilectione ab eo tradebatur. Undè B. Petrus Damianus: *Divinitus illi concessum est, ut tanta*
Serm. 1. de S. Jo. *cor ejus etiam circa fratres charitas gratia repleretur, ut sacrosanctum pectoris ejus templum, velut caminus quidam divini videretur incendii, quod profectò in quibuslibet scripturis ejus patenter agnoscitur, in quibus atque per omnem ferè paginam, quasi per quasdam rimas charitatis vapores effundere, charitatis videtur vaporibus æstuare*. Id quod specialius adhuc declarat, dum ita subjungit: *Tres nominatim ad charitatem provocat: modò non filios sed filiolos, quasi tenerè diligens appellat; modò propriis ætatum vocabulis infantes, modò juvenes: modò singillatim admonet adolescentes, modò etiam mulieribus destinat*. Notum quoque est ipsius studium, quo juvenem illum perversum, qui caput factus fuerat latronum, in via salutis reducere fategit.

12. Denique idemmet sanctus Doctor opportunè nos monet, justum & æquum esse, ut sanctum & dilectum hunc Apostolum nostra quoque dilectione reciproca debitè prosequamur; dicit enim: *Dignum est, ut qui à*
Serm. 1. de S. Jo. *Christo præ cunctis mortalibus specialiter est dilectus, à Christi quoque dilectoribus permaximè diligatur*.

De quiete, qua S. Joannes suprà pectus Christi perfruitus fuit.

DISCURSUS TERTIUS.

Recubuit in cœna super pectus ejus.

1 DEus ille, de quo Psalmista ait: *Domini est terra*
Psal. 23. 1. *& plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo*; se ne tantillum quidem loci, ubi caput suum recliner, habere, graviter lamentatus fuit hisce verbis: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; fi-*
Luc. 9. 58. *lius autem hominis non habeat ubi caput reclinet*; undè liquet quam verum sit, quod *exinanivit semetipsum*, sed quonam id fine factum fuisse existimatis (*Propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos*
2. Cor. 8. 9. *divites essetis*;) nimirum noluit habere locum ubi caput reclinaret, ut nos tantò mollius & suavius requiescere mus. At verò homo ex vili luto plasmatus, altius exurgere nequit, quàm si pro lecto quietis illud sibi pectus, illiusque sinum vendicet, de quo dicitur: *Unigenitus qui est in sinu Patris*. Ecce igitur tibi hic quen-
Joan. 1. 18. dam è Galilæa oriundum piscatorem, qui *recubuit in cœna super pectus ejus*. Cujus singularissimi privilegii mysteria in hoc discursu altius nonnihil examinabimus.

2 *Recubuit*. Observandum hoc loco est, quod immediatè priusquam diceret se supra pectus Christi requievisse, præmiserit hæc verba; *Discipulum quem diligebat Jesus* quibus verbis genuinum hujusce quietis indicat mysterium, nimirum amorem ardentissimum, quo eum benignissimus Salvator prosequebatur. Isaias Propheta, blandimentorum lenocinia, quibus Messias Evangelii sequaces prosecuturus erat, prævidens, ita
Is. 66. 12. ait: *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini, videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt*; in quonam verò hoc à Spiritu sancto Isaiæ dictatum oraculum aptius magisque propriè adimpletum fuit, quam in dicto hoc Apostolo? quippè instar prædilecti filii in sinu Christi exceptus fuit, & sicut infans inter brachia suæ nutricis amplexatus, fuitque cor ejus inter hosce amplexus tanto jubilo exultationis cumulatum, ut etiam in media bullientis olei lebete exsilierit, indeque egressus sit *purior & vegetior, quam intraverat*, nimirum, *unxerat eum Dominus oleo lætitiæ præ consortibus suis*; ossa quoque ejus in sepulchro, manna scaturiendo progerminarunt. *In Jerusalem consolabimini*; quia Hierosolymis in cœnaculo Syonitico, felicissimo hoc cervicali Dominus ipsum dignatus fuit, dum super
Ps. 67. 28. illo quievit, qui est *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu*; Joannes namque inter omnes Christi fratres (inter Apostolos) *narrate fratribus meis*, omnium junior erat, & ideò dicitur *puer meus*,

Mansi Prompt.

fuitque velut alter quidam Benjamin *filius dexteræ*, utpotè quam sicut poposcit, ita & obtinuit. Fuit item *Benoni filius doloris*; quia passioni præsens adfuit; ab Gen. 35. Israel, à Christo, qui Deum facie ad faciem videbat, maximè dilectus, *discipulum quem diligebat Jesus*. Ecce tibi illum hic inter brachia Christi dulciter dormientem, seu potiùs in paradisi quandam exstasin raptum, *ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu*. Sanctus Bonaventura ait: *Recubuit velut voluptans in sinu Jesu*, Theophilactus dicit: *Jam cape quomodo honorat discipulum, fratrem suum illum faciens dilectus* In Joan. *meus mihi, & ego illi, inter ubera mea commorabitur*. Cavendum proinde ne inurbanitati adscribatur, quod sanctus Joannes in hunc Paradisiacum sinum, quietis causa se conjecerit, siquidem ut Salmeron scribit, id factum est *ex nimia dilectione, quæ non considerat quid agat, sed tantum ut dilecto adhæreat: hinc apparet humanitas Jesu ad Joannem, quem præ aliis diligebat*. Imò Dionysius Carthusianus in ea est opinione, Christum dilectum sibi discipulum in sinum suum invitasse; undè super illa verba, *quem diligebat Jesus*, ita scribit: id est, *amicabilius familiariusque se habebat ad eum, ostendendo ei specialia signa amoris, quorum præcipuum fuit, quod fecit eum recumbere super pectus suum & in sinu, quemadmodum fieri solet charissimis pueris*.

3 *Recubuit super pectus ejus*: Idque non immeritò, siquidem mane sequenti frater Christi Domini ab ipsomet Redemptore proclamandus erat, hoc est, filius suæmet matris, cui identidem dixit: Mulier *ecce filius tuus*; & Joanni, *ecce mater tua*, solent enim matres simulque & patres filios suos vi quadam naturalis amoris & benevolentiæ fortissimis brachiorum amplexibus constringere; quod pulchrè & ad vivum in Deuteronomio insigni quadam figura expressum habetur: dum di- Deut. 33. 12. citur. *Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*. Scriptor quidam in hunc locum, sanctum Joannem eum esse declarat, qui per hunc textum cum tanta familiaritate in beatissimo hoc sinu suavem quietem capturus præsignificabatur; *Quem à longe videre, ad cujus vel pedes admitti summam alii felicitatem judicant*. Vir ille, qui erat secundum cor Dei, summum quendam favorem petiturus, dixit: *Ostende faciem tuam & salvi erimus*, faciem benedictam solum intueri sufficere sibi judicabat; est enim unicus Salvatoris aspectus, & quidem à longè, sufficiens ad dandam seu procurandam salutem & vitam; nihilominus: *vide*, *& Christi mansuetudinem, qui discipulum sibi innitentem, idque in convivio, ubi parum civile erat hoc facere, non tamen repulit; sed boni consuluit, sed gratum habuit hunc ejus affectum*.

4 *Recubuit super pectus ejus*: Glossa interlinearis ait: *Hic est ille sinus, id est, secretum sapientiæ*. Sanctus Hieronymus Nepotianum laudaturus dixit: *Pectus suum bibliothecam fecerat Christi*, similiter nos dicere possumus, quod bibliotheca, è qua maximus hic Theologus, & maximè reconditorum arcanorum esplanator eximius Joannes noster mirabilem suam hausit scientiam, fuerit pectus increatæ hujus, at humanatæ sapientiæ; ita enim Alcuinus ait: *In sinu Jesu, id est, in secreto, de quo illud mirabile, & omnibus sæculis inauditum eructavit sacramentum: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*, &c. *Hic est utique pectoris sinus sapientiæ secretum*. Ecclesia de S. Joanne in hunc modum canit, *Valdè honorandus est beatus Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, beatus Apostolus cui revelata sunt secreta cœlestia*, nulli enim alteri tot tunc abstrusissima revelata secreta, qualia sancto Joanni. Unde Divus Hieronymus de ejusdem Apocalypsi scribens ait: *Infinita futurorum mysteria continentem*. Sanctus Bonaventura inquit: *In hoc er-* In Joan. *go quod ait: quod erat recumbens in sinu ipsius Iesu, signatur, quod Deus cibavit illum secretis sapientiæ suæ affluenter, & supersingulariter, & salubriter & utiliter, ad aliorum omnium illuminationem*, Verbum æternum omnia divinitatis secreta *ab æterno* hauriebat de sinu Patris; ac sanctus Joannes eorundem in sinu Filii ipsius æterni Patris particeps factus fuit. S. Bernardus ait: *Quis cognovit* Serm. 8 in Cant. *sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? profectò*

unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. enarravit, dixerim, non mihi, misero & indigno, sed plane Joanni amico sponsi, cujus hæc verba sunt: non solum autem, sed & Joanni Evangelistæ, utique discipulo quem diligebat Jesus. Hausit Joannes de sinu Unigeniti, quod de paterno hauserat ille. Sacræ paginæ de patriarcha Jacob

Gen. 28. 12. referunt, quòd super scalam quandam requiescens, per quam cùm Angelos ascendentes & descendentes, ipsumque Deum eidem innitentem videns exclamarit: Verè non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. S. Joannes capite suo super illam petram requiescens, de qua dixit Apostolus: *Petra autem erat Christus*; ipsiusmet cœli apertum vidit ærarium, *in quo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, poterat idem dicere; *non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli*; cùm ipsemet Salvator & templi & portæ nomine seipsum compellet, dum isto inquiebat; *Solvite templum hoc*; de hac autem dicat; *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*. Primus humani generis parens Adamus; in eo quo quadam vice altissimo somno seu exstasi correptus dicitur, secundum sacrorum interpretum opinionem plurima eidem revelata sunt secreta cœlestia; in eodem somno ab ipso desumpta fuit costa, è qua postmodum plasmata fuit Eva mater omnium viventium, quæ insuper typus fuit Ecclesiæ & beatissimæ Mariæ Virginis. Sancto Joanni in hoc somno quietis, quo in pectore Christi consopitus fuit (de quo insuper dici potest, quod fuerit quasi in statu innocentiæ) eidem plurima manifestata sunt secreta cœlestia, eidem in fidelem sociam assignata fuit sacratissima Virgo Mater, & tutelæ ejus recommendata fuit omnis Christi Ecclesia.

Tract. 16. in Jo. 5. *Recubuit super pectus ejus*. Sanctus Augustinus ait: *Ubera Christi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*. Beda inquit; *Joannes recubuit in pectore ejus, ut*

Hom. de S. Joan. *hauriret fluenta sapientiæ, ut posset dicere, in principio erat Verbum; quia enim in pectore Christi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, meritò super pectus ejus recumbit, quem majori cœlestis sapientiæ & scientiæ singulari munere donat*. Petebat quondam Isaias:

Isaia 28. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet?* Respondet mox: *Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*; volebat Propheta significare, eos maximè ad divinorum mysteriorum intelligentiam esse dispositos; qui ab omnibus mundi delitiis abstracti & avulsi sunt: sicuti ipsa experientia compertum est; plurimos viros Religiosos, qui in claustris vitam ducunt austeram, facilius difficultates penetrare & comprehendere Theologicam; ab iisdem autem delitiis, mundique illecebris maximè alienus fuit sanctus Joannes, uti jam discursu præcedenti monstratum est, ac proindè in vicem earundem in sinu Salvatoris securissimè requievit, ubique omnem hausit sapientiam; *ubera enim Christi fons sunt divinæ sapientiæ*. Beatus Pater Petrus Damianus in primo, quem de hoc Sancto habuit sermone, inquit: *Hanc supereminentem divinæ scientiæ celsitudinem tunc divinitus illustrata mente concepit, cum in sacrosancto mystica cœnæ convivio supra pectus recubuit Redemptoris*. Alcuinus ait, hanc quietem non solum fuisse signum amoris: *sed & futuri erat signum mysterii: figurabatur etenim jam tunc Evangelium, quod idem discipulus erat scripturus, uberius atque altius cæteris sacræ scripturæ paginis arcana divinæ majestatis esse comprehensurum*. Aliæ rationes dulcissimæ hujus quietis ab alio quodam interprete hunc in modum adducuntur: *Cæterum recubitus ille quietis & dulcis super pectus Domini præsagium fuit, quod solus ille ex Apostolis in pace obdormiturus esset, non per violentam mortem ut alii*. De Joanne Christus ad ipsum intelligebat, dum dixit: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*. Beatus Pater Petrus Damianus in primo suo de hoc Sancto sermone pulchram, eamque ingeniosam hanc super respirationem & halitum Christi in Apostolum hunc requiescentem emissum habuit considerationem; *Ita in ejus visceribus omnium libidinum fomenta decoxit, ut corpus ejus tanquam revera Spiritus sancti templum à cunctis vernaret æstuantis luxuriæ squaloribus defæcatum*.

De meritis S. Joannis, propter quæ à Christo supra omnes alios elevatus fuit.

DISCURSUS QUARTUS.

Cæteris altius à Domino meruit honorari.

1 TAnta tamque eximia & incomparabilis est meritorum S. Joannis Apostoli & Evangelistæ celsitudo & excellentia, ut nec intellectus quantumcumque perspicacissimus eadem conspicere, nec lingua licèt facundissima eadem eloqui, nec in minimo quidem pro dignitate enarrare valeat. Undè B. P. Petrus Damianus in secundo, quem de laudibus S. Joannis scripsit, discursu, in hunc ferè modum protestatur, dicens: *Veruntamen cum nos quamtumlibet efferre contendimus, celsitudinis ejus merita non æquamus, quia qui divinæ laudis præconia meruit, ad ejus digne collaudanda merita humana fragilitatis non assurgit*. Quid altius, quid sublimius de excellentia sancti Joannis universalis Christi Ecclesia dicere potuit, quàm id, quod eidem gloriosè attribuit, dum eundem super omnes alios à Deo exaltari promeritum fuisse asserit? *Altius à Domino meruit honorari*. Certum est quod charitas & amor Dei mensura sit exactissima perfectionis & sanctitatis: quo circa non sine causa & ratione de eo prius dicitur: *Privilegio amoris præcipui*; & posteà subjungitur: *Meruit altius à Domino honorari*: ac proindè non immeritò dici potest, amorem S. Joannis in Deum omnibus aliis aliorum Sanctorum amoribus fuisse superiorem ardentioremque, citatus P. Damianus ait: *Amor quippè Domini, quo eum præ cunctis mortalibus dilexit, & hoc ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, ut nimirum plus amaret qui plus amabatur*.

2 *Cæteris altius*. Salvator noster in ultima & sacratissima sua cœna ad Apostolos suos conversus, mellifluum ac charitatem undique spirantem sermonem habuit, interque cætera his eos verbis affatus est: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. Verum quidem est omnes hic Apostolos amicos suos compellasse, sed quis non videt singulari tamen præ cæteris amoris privilegio Joannem dotatum fuisse, dum de eo dicitur: *Discipulus quem diligebat Jesus*? Voluit enim hinc inferre Spiritus sanctus, Spiritus ille veritatis, quod hic præ cæteris erat dilectus; non enim solum amicus, discipulus, aut Apostolus: verùm & frater Christi reputatus fuit: *Ecce filius tuus. Omnia quæ à Patre meo audivi, nota feci vobis*; at cui confidentius, quam Joanni? Doctor Angelicus ait: *Licèt reliquis* Prom. in Jo.
Apostolis & Sanctis Deus sapientiam dederit, Joanni verò maximè, cui omnia sua secreta revelavit. Reliqui quidem Discipuli & Apostoli simul cum ipso Christi scholam frequentantes, divinam ibidem hausere scientiam; Joannes autem præ cæteris & secretiorem & abundantiorem; ipse etenim *Pectus Christi fecit bibliothecam suam*: insuper pluribus annis: *Pendebat ab ore* illius animatæ cathedræ divinæ sapientiæ, quam nos invocantes eandem hoc titulo; *Sedes sapientiæ*, honoramus. Sanctus Thomas de Villa Nova ait: *O vere egregium discipulum, qui post Christum Dominum talem promeruit habere præceptorem; quid ab ea non didicit?* Eximius ille Theologiæ Magister, quotiescunque sui mentionem facit, semper nominat Discipulum, at non sine magni ratione mysterii adjungit, *quem diligebat Jesus*, indè enim clarissimè deducitur, quia copiosius divina imbutus est sapientia sanctus Augustinus ait: *Qui vult habere notitiam Dei, amet*: quia de Deo; inquit Archiepiscopus Valentinensis: *Mirabiliter atque incomparabiliter cæteris mortalibus loquitur, jure factum est, ut non solum à Græcis, sed etiam à Latinis undique Theologus appelletur*. Idem in secundo sermone de hac festivitate scripsit: *In speculanda summa divinitatis essentia præcedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, Apostolos superat, postremo totius humanitatis transcendit ingenia*.

3 Nescio si aliquando consideraveritis, quod post S. Matth. S. Marcus, post hunc S. Lucas, post illum S. Joannes Evangelium scripserit, at coram Joanne cæteri silent

quasi,

quasi, calamique cursus impeditur; quia *cæteris altius scripsit*. Profectò mirabili illo Apocalypseos volumine, ipse omnium quasi Prophetarum ora occludit, & est Scripturæ sacræ ultimus quidam Liber, ac veluti Corona seu Diadema, de quo benè dici possit: *Non plus ultrà*. Idem citatus Damianus in progressu supradicti sermonis, de hoc sacro Apocalypseos libro scribens, inquit: *Tantis cognoscitur redundare mysteriis, ut tot videatur habere sacramenta, quot verba, imò in verbis singulis multiplices lateant intellectus*. De quo aliorum Scriptorum hæc reperitur laus? Ipse univit doctrinam altissimam, omnique intellectui humano imperscrutabilem cum admirabili sanctitate; citatus Damianus ait: *Meritò beatus Joannes & præcedentes omnes & subsequentes divinorum Scriptores voluminum gloria* (Serm. 1. de Jo.) *singulari præcedit eloquii, quem non luxuria polluit, non libido corrupit; sed virginalis integritas perpetua incorruptionis titulo decoravit*.

4 *Cæteris altius*. Sanctus Thomas Villanovanus ait: *Omnium dignitatum titulus, omnes gratias & honores, quos per alios domus sua famulus & officiales sparsim divisit, in hoc uno plenius accumulavit & acervavit*; quod finaliter probat dicendo: *Hic Apostolus, Propheta, Evangelista, Martyr, Confessor, Virgo, Doctor, Cognatus, Amicus, si quid aliud in Ecclesia dignitatis & gratiæ est, totum perfectissimè possidet*. (Serm. 22.) Similem quandam considerationem inveni in Sancto Petro Damiano; *Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatissimos incomparabiliter non excellat? Apostolus siquidem in Epistolis, Evangelista in Evangelio, Propheta in Apocalypsi, Propheta inquam, & non qualiscunque, sed mirabilis, atque ad similitudinem alterius Joannis, plusquam Propheta*.

5 *Cæteris altius*. Nescio utrum prælatum hunc Sanctum ipsis etiam Angelis possimus anteponere; dum enim quadam vice ante quendam reverenter prostratus eundem adorare vellet, his supernus ille Spiritus eundem affatus est: *Vide ne feceris, conservus enim tuus* (Apoc. 19. 10.) *sum; noluit adoratorem quem decernebat æqualem*; dixit Petrus Damianus. Origenes Sanctum Paulum ad tertium cœlum raptum, ibidemque secreta cœlestia eidem manifestata considerans, sic scribit; (Hom. 2. in Evang.) *Audivit arcana verba*; at cum quali exceptione? *quæ non licèt homini loqui*: (2. Cor. 12. 4.) *Joannes intimæ veritatis inspector, ultra omne cælum in paradisum paradisorum, hoc est in causa omnium audivit unum verbum, per quod facta sunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere, hominibusque prædicare, quantum hominibus prædicare potest, ac fiducialiter clamat. In principio erat Verbum*. Argumentum quod fecit Origenes, totum cessit in laudem & gloriam Joannis: q. d. *Non ergo Joannes erat homo, sed plus quam homo*. Quid? auditene vultis eum sphæram humanæ fragilitatis & vilitatis excessisse? tradita ei in custodiam fuit sanctissima Virgo Mater, eamque veluti alter Archangelus Gabriel custodivit; *Dignum*, (Serm. 2.) inquit Petrus Damianus, *ut B. Joannes, archangelo Gabrieli ad custodiam Matris Domini socius haberetur*. At hic ego in laudem sanctissimi Apostoli non immeritò adjungere possem, quod si ipse quidem ad dignitatem accesserit Angelorum, illorum tamen nullus hunc unquam obtinuit honorem, ut ab ipsamet æterna veritate filius Mariæ proclamaretur, sed solum sacratissimæ virgini velut Imperatricis cujusdam obsequio & servitio dediti vasalli se gloriantur inservire. *Cui enim Angelorum aliquando dixit; filius meus es tu?* At Sancto Joanni protinus dictum fuit: *Ecce mater tua*; Mariæ verò: *Ecce filius tuus*. Pulchrè hic ait Damianus; *Animadverte Angelum divinum super filium hominis ascendentem, nobis videlicet annuntiantem ipsum esse in principio ante omnia Verbum, at mox descendentem super eundem filium hominis, clamantemque. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*.

6 *Cæteris altius*. Sanctus Thomas de Villa Nova ait: *Paulus Apostolus cum illam gloriam perambulasset, quæ vidisset interrogatus, nescit dicere aliud, nisi vidi arcana verba, quæ non licèt homini loqui; Joannes verè vidit & scripsit*. Origenes, ex quo citatus sanctus Pater suam fortè hausit considerationem, dicto loco subjungit: *O beate Paule raptus es, ut ipse asseris, in tertium cælum, & paradisum, sed non es raptus super omne cælum & paradisum, Joannes omne cælum conditum, omnemque creatum paradisum; hoc enim omnem humanam angelicamque transgreditur naturam*.

7 *Cæteris altius*. Sanctus Petrus præ timore & reverentia non audebat ad Deum accedere, de quo dicitur: *Quem tremunt potestates*; unde dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. In ultima cœna nec Petrus, nec quisquam aliorum Apostolorum Dominum ac magistrum suum interrogare ausus fuit, quisnam futurus esset traditor, ex quo Sanctus Pater Petrus Damianus infert frequentius, & præ cæteris auxiliis Sancti Joannis invocandum esse in necessitatibus auxilium: *Considerandum est*, inquit, *Fratres* (Serm. 6 de S. Joan.) *mei, quanta devotionis instantia B. Joannis flagitare debemus auxilium, quem sibimet interventorem & ipsi Apostoli quæsierunt*. Insuper benè consideravit Origenes dicens: *Petrus quidem Christum Deum & hominem jam factum in temporibus cognoscens, & dicens; Tu es Christus Filius Dei vivi, altissimè volavit, sed Joannes altius illo, qui eundem Christum Deum de Deo ante omnia tempora genitum intellexit; dicens; In principio erat Verbum, &c.* Author operis imperfecti loquens de reparatione retium SS. Jacobi & Joannis super hæc verba: (Hom. 5.) *Componentes retia*, ait, *Fortè propter Petrum illi dicti sunt mittentes retia; isti autem propter Joannem componentes, quia Petrus prædicavit tantum Evangelium, & non composuit; Joannes autem prædicavit Evangelium, & ipse composuit, & non solum composuit, sed omnia Evangelistarum retia ipse composuit; nam cum omnes humana Christi penè sola composuissent, iste commiscuit eis etiam divina ipsius, ut nullam relinqueret Spiritus sancti scandali aperturam in eis, unde pisces egrederentur*.

8 *Cæteris altius*. Salvator noster de sancto Joanne Baptista quondam dixit: *Inter natus mulierum non surrexit major Joanne Baptista*; & nihilominus de seipso fatetur; *Non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti*: quocirca advertendum hanc super omnes mulierum filios prærogativæ gloriam Baptistæ à Salvatore datam fuisse priusquam Joannes Evangelista eximiis Christi gauderet favoribus, aut discipulus esset dilectus; non enim dixit: *Non erit major inter natus mulierum*, quasi in tempore futuro; sed dixit in præterito: *Non surrexit, &c.* Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Non audet Baptista sacrum Domini verticem contingere, Magdalena cum timore & tremore pedes tangit, Thomas nisi jussus manus non mittit ad latus, Joannes dilectus non jussus, non petita venia confidenter recumbit super pectus Domini*. Cælarius de Baptista scripsit; *Cum multo timore visus tangere Verbi verticem carnem gestantis non audebant; hic autem plus omnibus libertatis habens, in divina cæna in sinu Domini recumbens paulo post super seipsum sanctum uniti cum Deo hominis pectus sese reclinat; non Josephus, qui nominabatur, & tamen pater ejus non erat; non Joannes Baptista, non Angelus, non Archangelus, nec alius quispiam incarnati Dei & Verbi ausus fuit tangere illud formidabile pectus, super quo hic Joannes velut pater suum filium diffusus recubuit*.

9 *Cæteris altius*. Sanctus Augustinus in verba (To. 9. tr. 16. in I. epist. Joan.) sancti Joannis: *Qui natus est ex Deo, non peccat; Nunquid Joannes iste non natus erat ex Deo? Si Joannes non erat natus ex Deo, de quo audistis, quia supra pectus Domini recumbebat, aliquis sibi audet repromittere generationem factam in se, quam ille habere meruit, qui supra pectus Domini recumbere meruit? quem Dominus plusquam cæteros diligebat ipsum solum, de spiritu non genuerat*. Idque tantò plus verum est, eò quod debuerat esse simul cum Christo filius Virginis: profectò honor est; privilegium est, & prærogativa nulli alteri puræ creaturæ, nec angelicæ, nedum humanæ concessa; sed valim audiatis. Origenes sanctum Evangelistam cum perspicacissimo, eoque illuminatissimo intellectu in Deum elvatum, considerat & concludit, dicens, *Non enim aliter potis ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus; ut enim radius oculorum nostrorum species rerum sensibilium, coloresque non prius potest sentire, quam se solaribus radiis immisceat, unumque cum ipsis, & in ipsis fiat: ita animus sanctorum puram rerum spiritualium, omnemque intellectum superantium cogitationem non sufficit accipere, nisi prius incomprehensibilem veritatis participationem, dignus efficiatur habere*. Demum finis hisce verbis maxima consideratione

dignis: *Sanctus itaque Theologus in Deo transmutatus.* in *Cæteris altias.* Legite vitam suam sanctissimam, & invenietis eum omnes alios Apostolos Christique sequaces supervixisse, mortuus enim nonagesimo nono ætatis suæ anno, præterquam quod dubium sit num more aliorum mortuus fit, ad minus tamen, uti magis certum est, mortuus est sine dolore, sine infirmitate, & quia sacrum ejus pignus nusquam post mortem ejus repertum est, scriptores multi dubitant, si fortè jam etiam in corpore degat in cœlo, eo prorsus insignitus honore, qui virgini Matri solæ concessus est; locus etiam subterraneus, in quo veluti in sepulchro suo etiamnum vivens discessit, manna quoddam singulare præbere fertur. B. Pater Petrus Damianus ait; *Quia mirabiliter vixit, mirabiliter obiit, & quia non communem cum hominibus vitam duxit non communi hominum morte transivit.* Idem Petrus Damianus mirabilem illum, quem Christus mortis suæ modum prædixit considerans ait: *Notandum quam affectuosè, quam piè, quam paternè, quam amabiliter Salvator, sic inquit, eum volo manere; donec veniam, veniam inquit, non mittam, non mittam videlicet supernam aliquam virtutem, non Angelicam potestatem, quæ hujus ministeriis mihi fungatur officio, ipse per memetipsum veniam, ipse egredientem ejus animam in gloria meæ claritatem suscipiam.*

De Privilegio singulari S. Ioannis, quo loco Christi beatissimam Virginem Mariam habere meruit in Matrem.

DISCURSUS QUINTUS.

Dicit discipulo ecce Mater tua, & ex illa hora. accepit eam discipulus in sua.
Ioan. Cap. 19.

1 AB ipso mundi exordio ad finem usque sæculorum nunquam inter omnes animas electas, imò inter ardentissimos Empyrei Seraphinos auditus est vel audietur aliquando honor similis illi, qui sancto Joanni Apostolo collatus fuit, dum ipsi datum est Matris loco habere ipsammet Dei genitricem. Suprema quædam dignitas fuit, quæ collata est Petro, dum ipsi consignata fuit universalis Ecclesia, *quam acquisivit sanguine suo: tibi dabo claves regni cœlorum.* Veruntamen dignitas illa nullam habet proportionem cum sublimi illa dignitate, qua dilectus Christi discipulus tantæ Matris filius declaratus fuit. Unde B. P. Petrus
Ser 14. Io. Damiannus ait: *Commisit Dominus Petro claves Ecclesiæ, voluit & B. Joanni custodiam Mariæ delegare, utraque nimirum Mater, Mater Maria, Mater Ecclesia, sed Maria Mater Christi, Ecclesia Mater populi Christiani, de Maria Christus carnem suscepit, Ecclesiam vero de lateris sui carne produxit:* quantò igitur Dei mater Ecclesia dignior est, tantò excellentiori gradu dignitatis Joannes S. Petrum excedit: *ò fœlix* (inquit S. Bernardus) *B. Joannes cui talem Thesaurum Dominus dignatus est com-*
De Lament. Virg. *mendare! o Christi dilecte præ omnibus, & prudens quem constituit Dominus privatum Camerarium aulæ suæ speciosissimæ.* Dinnysius Carthusianus quoque eximium hunc honorem admirans, atque ad S. Evangelistam conversus ait: *Quantus tibi est honor, & gloria, quam incomparabilis iste Thesaurus vas omnis sanctitatis, Domina mundi, Regina cœli, quæ cum Patre æterno habet ac genuit unum eundemque filium, a quo Spiritus sanctus verè procedit, datur & mittitur, tibi committitur, mater tua efficitur, & tu filius ejus appellaris; vere diligebat te Jesus quem ad tantam gratiam prælegit.* Verum enim verò operæ pretium facturum me esse existimo si sub sacrorum interpretum ducatu sanctuariis pondere verba illa ponderaremus quibuscum Christus dilectum hunc suum discipulum Matri filium declaravit.

2 *Ecce Mater tua*, circa quæ verba S. Thomas de Villa Nova ita scribit: *Neque putemus vacua illa Sal-*
Ser de S. Ioa. *vatoris verba fuisse: neque enim defuere pii & docti qui assererent, non sola æstimatione humana filium reputari potius quam esse, quales lex, & adoptio solet filios procreare, sed eum qui verbo suo cuncta creavit ex nihilo, potuisse ajunt filium facere de non filio, quod si potuit, fecit; non enim dixit habeto eam matrem sed assertive, ecce mater tua.* Et quidem præfatus sanctus Archiepiscopus postquam opinionem hanc, quam nequaquam reprobat, retulisset in medium, dicit insuper *quod sit hæc pia opinio & religiosa*, at verò B. Petrus Damianus
expressè tenet, quod redemptoris verba efficacia fue- Serm. 2.
rint, dicit enim: *Efficacia sunt inevitabili Authoritate veritatis subnixa; illud enim unicum Patris verbum, quod in cruce pendebat substantivum & consubstantiale Patri; ac sempiternum est, atque idcirco verba quæ locutus est, quia spiritus & vita sunt, inaniter transire non potuerunt.* Porrò Christus alibi dixerat, inquit idem præfatus Author, *cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*, unde hanc deducit consequentiam; *Sicut dixit Matri suæ, hic est filius tuus, ita dixit discipulis, hoc est corpus meum, & tantus fuit in illis verbis effectus, ut illico panis ille quem dabat, fieret corpus Dominicum, dixit enim & omnia facta sunt, mandavit & creata sunt.* Unde concludit; *Ex quadam itaque similitudine sic dicere audeamus, quod beatus Joannes non solum filii positus est nomine, sed propter verba illa Dominica quoddam majus necessitudinis sacramentum apud beatam Virginem meruit obtinere.*

3 Enimverò Origenes sese illis, qui quadantenus Præfat. in
huic filiationi detrahere præsumunt fortiter opponit, Joan.
dum ita scribit: *Nam si nullus est Mariæ filius judicio eorum, qui de ipsa sane senserunt præterquam Jesus, dicitque Jesus matri: mulier ecce filius tuus, perinde est ac si dixisset, ecce hic est Jesus, quem genuisti*, Undè sanctus Joannes dicere potuisse videbatur *vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus*; & quia ut sanctus Augustinus ait; *Anima magis est ubi amat quam ubi animat*, anima sancti Joannis in Christo potius erat quem ardentissimè amabat, quam in proprio suo corpore, adeò ut se à Christo vitam recipere, dicere poterit; sanctus Petrus Damianus ait: *Et quoniam non ab alio, sed ab ipsa veritate Mariæ dictus est filius, Mulier ecce filius tuus, atque idipsum iterando confirmat, ad discipulum dicens, ecce mater tua*, & in majorem sancti Joannis gloriam & commendationem paulò post concludit; *Nemo videtur jure major meritis eo, qui speciali quadam gloria frater est Salvatoris.*

4 *Ecce mater tua*; increata ac humanata sapientia infinitum illum amorem, quo æternus immensusque Pater in hominem exarsit exprimere volens, dixit: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*; non poterat Deus pro omnipotentiæ ac sapientiæ suæ infinità quadam magnitudine donum excellentius dare homini, quam filium suum unigenitum; de hoc autem Apostolo jam multoties audivimus, eum speciali amore Jesu dilectum, dum de seipso dicit: *Discipulus quem diligebat Jesus*; at desideratisne audire, quousque hic Christi amor in Sanctum Evangelistam ascenderit? *Sic Deus dilexit Joannem; ut illi matrem suam daret, mulier ecce filius tuus, deinde dixit discipulo, ecce mater tua.* Sanctus Thomas de Villa-Nova ait: *Impressit in hoc verbo Dominus statim cordi virgineo amorem quendam maternum in Joannem, fortiorem & ardentiorem, quam soleat matribus natura tribuere: Visceribus etiam Apostoli reverentiam filialem in virginem inseruit, qualem nullus filius natura habet in matrem.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus relationem filii erga matrem & hujus erga filium ponderat: neque enim maternitatis & filiationis mentionem sine mysterio fecisse credendus est, dicit ergo, *commendavit Christus matrem discipulo; ut officium filii in eam servaret, matrem similiter admonuit, ut parentis in discipulum Authoritatem haberet; amore videlicet & charitate, non minus illos conjungi voluit, quam si natura maxima propinquitate conjuncti essent.*

5 *Accepit eam discipulus in sua*, postquam jam Christus eum summa cura & sollicitudine sancto Joanni recommendasset & consignasset in matrem suam sanctissimam matrem, sanctus Joannes quam primum omni meliori quo potuit modo ei promptissimè in omnibus obsequi obedire, eandem venerari studuit. Sanctus Bo-
naventura ait: *Discipulus qui in cœna Dominica cervical* In Joan.
sibi in pectore magistri aptaverat, ecce iterum alterum altero privilegio honoratur, & post illud reclinatorium, in quo videbat. In principio erat verbum, officina il-
la, in

la, in qua verbum caro factum est, diligenter ei a filio commendata est; Petro commendatur Ecclesia, illi Maria; illi tumultuosa negotia, huic quieta: illi atria, vestibulum, & altare sanguinum, huic altare incensi & Sancta Sanctorum; notanter dicit, *diligenter*; sanctus enim Apostolus cum summa diligentia & industria promptissima virgini Matri exhibuit obsequia. Doctus quidam interpres scribit, Christum in hac fidissima matris suæ consignatione inquit: *Ecce mater tua*, dicere voluisse: *Tu igitur quod filium decet eam serva, fove, dilige, ministra, si eam agnoscis matrem, ego te agnosco fratrem*. Glossa interlinearis ait: *Accepit eam discipulus in suam matrem, quia ad ejus curam quicquid ei est necessarium pertinet*. Lyranus ait: *Quasi dicat usque nunc fui tibi ad obsequium, de cætero iste erit loco mei*. Dionysius Carthusianus ait: *Loco mei tibi obsequiosus, consolativus, familiaris, charissimus ut virgini virgo cohereat, atque deserviat*.

Jo. Ferum.

Glossa.

6 An non hic merito diei posset sanctitatem sancti Joannis per multos annos cum sanctissima Virgine continuatam habitationem mirum in modum auctam? fuit hæc observatio quædam quam desuper habuit S. Thomas de Villa-Nova. *Si una hujus Virginis salutatio Baptistam in utero tanta gratia perfudit, quid putas in Evangelista tam diuturna conversatio fecit?* idque tanto magis verum est, cum jam cor ejus ardentissima quadam charitate, quam è domestica cum humanato Deo habita familiaritate hauserat, inflammatum esset: *hic enim charitas est, ignis consumens est siquidem erat discipulus ille, quem diligebat Jesus*.

3. Reg 6 12

7 De domo Obededom ait sacra Scriptura: benedixit Dominus, & omnem domum ejus. Sed dic sodes, quænam erat copiosarum adeo benedictionum causa? nimirum *habitavit arca Domini in domo Obededom tribus mensibus*. Cum igitur Arca hac Dei viva & vera cujus illa quondam typus erat, multis annis sancti Joannis domum incoluerit, quis pro dignitate exprimere valebit, quot & quantis benedictionibus & gratiis cœlestibus eandem locupletavit? S. Bernardus oculum suum in servitium & obsequium ab hoc Apostolo Mariæ præstitum dirigens eidem dicit: *Retribuit tibi Dominus vicissitudinem amoris mercedemque dilectionis, quam in ejus tua matre totaliter desolata usque ad finem vitæ suæ exhibere curasti*, cur igitur non item dicemus in vicem obsequiorum suorum Mariæ præstitorum, eandem sanctissimam matrem de qua dici poterat: *In me omnis gratia*, hanc recompensationem & gratitudinem erga Joannem demonstrasse?

De Lamen. Virg.

Eccl. 24. 25

8 At quænam particularissimi hujus favoris, quo Christum sanctum hunc discipulum præ aliis sanctissimæ suæ matris filium declaravit, adduci poterunt rationes? sancta Birgita Virginem matrem insigni quodam encomio sanctum discipulum laudantem, eundemque hisce verbis alloquentem adducit. *Amarior tibi filii mei passio facta est quam cæteris*: at nunc si verum est Apostoli Pauli axioma: *Si compatimur & conglorificabimur*, verum quoque erit simulque dignissimum, quod sanctus Joannes, qui plus cæteris cum Christo passus fuerat, cæteris plus etiam glorificaretur. Item doctissimus quidam interpres summam ejus perseverantiam qua nunquam ne latum quidem unguem à Christo deflexit, considerans, eundem cum dilecto suo hunc in modum loquentem introducit: *Orbavit te amor meus dulcissimus navicula, parentibus, conjuge, & te ipso, in me spem, curam, solicitudinemque omnem jactans, in me petra secura ædificaras, nihil hic tam dulce, nec nuptiæ, nec paterna domus, nihil tam grave quod te à comitatu meo retraheret, per iniquas enim Pontificum ædes secutus, jamque novissime cruci compatientissimus adstas, me sequi, meis interesse consortiis, meis parere mandatis tua voluptas erat*, ex quo evidenter demonstrari potest causa tam copiosæ & excessivæ remunerationis Christi erga sanctum Joannem, quæ profecto remuneratio donum fuit tam eximium & excellens, tantique pretii, quanta sacratissima ejus mater æstimari valet: unde pergit prædictus interpres: *Dixisti parentibus tuis propter me non novi vos, ecce Dei genitrix Mater tua. Reliquisti conjugem ancipitis fidei, ecce virginem habes integerrimam; renunciasti navicula piscatoria, ecce navem gubernas institoriam, de longe portantem panem suum: quod dilectissimum in mundo habeo tuæ fidei committo*.

9 Aliam quoque hujus insignis remunerationis rationem assignare possumus, raram scilicet & integerrimam ejus virginitatem. Hanc nobis subministrat causam sanctus Hieronymus inquiens: *Cui virginitatis in hoc duplex testimonium in Evangelio datur, quod & præ cæteris a Deo dilectus dicitur, & huic matrem suam pendens in cruce commendavit Dominus, ut virginem virgo servaret*. Alcuinus ait: *Ut ipso post mortem & resurrectionem cœlos ascendente, non deesset ejus genitricis filius, cujus casta vita ejus castis tueretur obsequiis*.

In Prolog. Evang. Joannis.

Aliæ quædam ob virginitatem purissimam sancti Joannis considerantur excellentiæ.

DISCURSUS SEXTUS.

Virgo electus ab ipso, Virgo in ævum permansit.

1 ANtiquissimus ille simul & doctissimus Tertullianus de nobilissima virginitatis virtute agens, nobilissimo hoc condecoravit elogio: *Integritas solida & tota sanctitas, de proximo visura faciem Dei*: ex quo virgines communibus fragilitatis nostræ carnis miseriis subjectas non esse, spemque firmam visionis beatificæ illis sponderi, hacque virtute dotatos ad eminentem quandam sanctitatem evehi videtur posse deduci: videamus certissimos omnium horum virginitatis encomiorum effectus in eo, qui virgo electus est à Domino, scilicet in sancto Joanne.

Ad uxor. l. 2. c. 3.

2 *Integritas solida*. Euthymius hanc virtutem in sanctissima hac anima profundissimas egisse radices scribens, dixit: *Tantam a puero curam habuisse puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem unquam in cor suum ascendere permiserit*: quam gratiam proculdubio in perfectissimo gradu per conversationem quam multis annis uti cum parentibus suis cum Christo & sanctissima matre sua habuit familiarissimam assecutus est: B. Petrus Damianus ait: *Ex utriusque matris videlicet, filiique consortio Joannis virginitas excellenter enituit, & quousque humana possunt merita provehi, quasi meta virtutum factus indesinenter excrevit*: prouti jam in præcedenti sermone latius dictum est; ipse enim *pro glorioso virginis contubernio cæteros a mundi primordio virgines antecellit*, B. Laurentius Justinianus ejus fuit piæ opinionis, puritatem virginatem sancti Joannis humanam conditionem transcendisse. *Imitabatur adhuc in mortali corpore positus angelicam dignitatem, humanam transcendebat conversationem*. Sanctus Basilius lib. de ver. virginit. de hac virtute hunc in modum scripsit: *Magnum quidem, ut verè dicam, est virginitas; incorruptibili Deo, ut summatim dicam, hominem similem facit*. Eminentissimus Hugo in Lucam, dum de continentibus scribit, sic loquitur: *Ultra mori non poterunt, æquales enim Angelis sunt, & filii Dei*, authoritatem quoque adducit vener. Bedæ qui scripsit: *Sine labe corruptionis visione Dei fruuntur*.

Ser. 2 de Jo.

3 De sancto hoc Apostolo non sine firmo rationum fundamento multi etiam gravissimi Authores dubitant, num etiam mortuus sit; siquidem discessus sui è vita hac mortali præcognoscens adesse tempus, se in locum quendam subterraneum eidem pro sepulchro destinatum recepit, nunquam tamen post neque visus neque repertus fuit: *Inventa est fovea*, inquit S. Petrus Damianus, *nihil aliud continens nisi manna*, ideirco forte manna quia non putrefiebat, attamen eidem omnino simile, quod olim conservatum est in arca: Alii autem Scriptores referunt, eundem post mortem resurrexisse, simulque cum corpore translatum in Paradisum. Venerab. Beda ait. *Tam liber a dolore mortis, quàm a corruptione carnis invenitur alienus*. Doctor Angelicus in quodam sermone de præsenti festivitate de hac quoque morte scribens, inquit: *Ad eam voluntarie eundo, dolorem mortis non sentiendo, ab ea cito, sicut creditur, resurgendo, & de ipsa ad cœlum ascendendo*. Sicque his & similibus testimoniis de hac virginitate sua plenissimè verificatur: *De proximo visura mortem Dei*. Beatus Laurentius Justinianus ait: *Tandem maturo confectus jam senio, in defossa humo se collocans, quemadmodum à carnis corruptione extraneus, ita a mortis dolore liberrimus, fœlici dormitione migravit ad Christum*.

Ser. 2.

4 Tota

4 *Tota sanctitas.* Amicus virginitatis, amicus quoque est sanctitatis; siquidem & virgines amant, & vicissim amantur à Deo; *Dilectus meus mihi, & ego illi*, inquit Sponsa: At quodnam motivum, quænam causa amoris hujus inter Deum & animam reciproci? profectò virginitas; *Qui pascitur inter lilia*: Sanctus Joannes plus cæteris diligebatur, at quam ob causam Audite: *Diligebat autem eum Jesus, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Quid? quòd nullus divinorum mysteriorum pleniorem Joanne habuerit cognitionem, quæ causa, quæ ratio subest? nisi quod incomprehensibilis hæc sapientia eidem puritatis suæ virginalis maximo merito à Deo fuerit infusa.

5 Antiquarum cæremoniarum primus author Deus aurea illa candelabra, quibus templum illuminaretur in

Exod. 25. 31. formam seu figuram liliorum fabricanda præcepit; *Candelabra aurea & quasi lilia, flores & quasi lucernas desuper aureas*; erant hæ figuræ sacrorum Doctorum, quorum est de tempore in tempus fulgentissima doctrinæ, sapientiæ ac sanctitatis suæ luce densissimas errorum, hæresum, aliarumque in rebus fidei & morum, ignorantiarum dissipare tenebras, illuminare populos: erant autem instar liliorum, quia iidem debebant maxime nitere virtute virginalis puritatis; unde videre, est, eos, qui variis, iisque altissimis scientiis sunt illustres, magis etiam esse puros, castos, & continentes: horum plurima sacræ Scripturæ exempla præbet: Elias, qui maximus & eximius rerum cœlestium fuit contemplator, fuit virgo Joseph somniorum interpres, & singulari sapientiæ dono illustris, zelosissimus fuit pro virtute castitatis: sanctus Paulus Doctor gentium, qui altissimarum rerum cognitionem in ipso ausit empyreo, annon quoque illibatæ fuit castitatis? Daniel vitam duxit purissimam, & quis ei in doctrina unquam similis fuit? Maximi quoque sicque profundissimi Ecclesiæ Doctores, sanctus Gregorius, sanctus Ambrosius, sanctus Thomas Doctor Angelicus & alii innumeri, an non virtute castitatis fuere insignes. De Socrate pro vero refertur, quòd nocte quadam cygnum in sinu suo suavissime requiescentem somniarit; visio hæc denotasse fertur eundem paulò post se disciplinæ Platonicæ subjecturum: Ecce tibi nunc candidissimum ejusmodi cygnum S. Joannem, in sinu Christi requiescentem: *Qui & recubuit in cœna super pectus ejus*, ejusdemque se disciplinæ velut alterius, at sacri cujusdam Platonis subjicientem, è quo proinde *revelata sunt ei secreta cœlestia. Mentem ejus*

Ser. 1. *omnipotens Deus*, inquit B. P. Petrus Damianus, *ad tantum puritatis ac mysticæ revelationis culmen evexit, ut*

Jac. 3. 17. *ei non modo statum præsentis Ecclesiæ ostenderet, sed etiam quod deinceps futurum esset, usque in perpetuum tempus*

Orat. de Transfig. *revelaret*. Sanctus Jacobus Apostolus scripsit: *Quæ sursum est sapientia primum pudica est*. Sanctus Joannes Damascenus, postquam rationem dedisset, cur Christus in gloriosissima sua transfiguratione hunc discipulum *ut virginem* voluerit præsentem, subjungit: *Et purissimum Theologiæ organum, quo Dei gloriam omni tempore sublimiorem conspicatus, illud postea In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &c. insonaret*. Albertus Magnus super Prologum sancti Hieronymi in Evangelium sancti Joannis discurrens, simulque in eundem commentans, ait, quòd sicut scriptum est: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; ita, in virgineam mentem Joannis ingressa est, cujus theca mundissima fuit virgineum ejus corpus*. Abbas Rupertus confirmare volens ea omnia in sancto hoc Apostolo adimpleta esse, quæ scripta habetur in Proverbiis Cap. 2. scripsit. *Qui diligis cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem, qua videlicet propter excellentem castitatis decorem, dignus fuit de ipso sacri Dominici pectoris fonte divinitatem ejusdem verbi & æterni portare secreta principii.*

6 *Tota sanctitas.* Anima, quanto majus, majoremque Dei habet cognitionem, tanto major quoque ejus est perfectio, ope quoque & auxilio hujus luminis seu cognitionis singulariter acquiritur perfectio virginitatis Deus quadam vice volens sanctissimo Patriarchæ Abrahamo altissimum manifestare Trinitatis mysterium *stetit ad ilicem Mambre in ipso fervore diei*. S. P. Augusti-

Gen. 18. 2.

Serm. 70. de temp. nus textum hunc elucidare volens, dicit: *Ilicem Mambre*, idem esse, quod *Visio*: *Erat enim mundus corde* inquit, *ut posset Deum videre; in tali ergo loco, & in tali corde potest Deus habere convivium*, Christus Jesus Deus & homo, cor sanctissimi hujus discipuli inveniens purum & mundum, in ultima vitæ suæ cœna lautissimum ei præsentavit edulium, clarissimamque Divinitatis ipsius, licet alioquin obscuræ & maximæ & absconditæ, lucem impertiit. B. P. Petrus Damianus, inquit: *Non* Serm. 1.
immerito tam profunda, tam supereminens revelatio Deitatis, Virgini debebatur, ut qui carnis sibimet amputavit illecebras, felici commercio pro carnali dulcedine cœlestium epularum divitiis frueretur. Cæteri Apostoli dum ad mare de Christi à mortuis redivivi præsentia dubitarent, Joannes mirabili cognitionis suæ luce mediante absque ulla hæsitatione dixit: *Dominus est*. Sanctus Hierony-
mus ait: *Solus Virgo virginem agnoscit*. Lyranus ait: Joan. 20. Lib. 1 contra Jovi.
Circa quod sciendum quod puritas mentis & corporis maximè disponit hominem ad cognitionem divinorum. & ideo Joannes, qui cæteris purior erat, tanquam virgo citius aliis cognovit Jesum. Sanctus Cyrillus Alexandrinus scripsit, sanctum hunc Apostolum ad percipienda altissima mysteria medium nobis proponere efficacissimum; scilicet sanctè vivere, nosque ad talem cognitionem obtinendam exemplo suo quoque ad sanctiorem vitam invitare. *Si volumus*, inquit, *divinarum rerum cognitionem adipisci; exemplo enim seipsum nobis proponit: qui sic diligebatur à Christo, ut in sinu ejus sederet; illi enim summoperè Deo appropinquant, qui mundo corde sunt.* Lib. 19 in Joannem c. 25.

7 *Tota sanctitas.* Eminentissimus charitatis & consequenter sanctitatis gradus est martyrium; *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, Neque tamen virginitati suum deest martyrium. S. Augustinus ait: *Libidinem superasse pars magna martyrii est*. S. Ambrosius, inquit: *Non ideo laudabilis virginitas quia & in martyribus reperitur, sed quia martyres faciat*: at vero, non solùm ex parte virginitatis, verum etiam ex parte formalissimi martyrii, quo in lebetem olei bullientis immissus fuit, tum etiam intensissimi desiderii, quo semper vitam dare pro Christo affectabat, verè Martyr dici poterat. S. Thomas de Villa-Nova ait: *Neque de martyrio quisquam dubitaverit, martyrum aureola in cœlo coronatus est*. B. P. Petrus Damianus hæc Christi ad duos fratres Apostolos dicta: *Calicem quidem meum bibetis*, ponderans, ait: Serm. 12. de Nat. Lib. 2. de Virg. Serm. 8.
Ecce hic in verbis Dominicis patenter ostenditur, quia Joannes & Martyr fuit: dum constat quod Domini calicem biberit, & revera Martyr fuit, quia multa pro Domino persecutionum supplicia pertulit. Aliud tamen & quidem atrocissimum pertulit martyrium, per tot ignominias & tormenta, dum Christum in monte Calvariæ vidit expirantem, quod eo quoque majus erat & acerbius, quo amor Ioannis erga Christum erat tenerior. Mellifluus Doctor Bernardus de Deipara & de S. hoc Apostolo scripsit: *Tacebant ambo illi Martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant*. Proh Deum immortalem. In lament. Virg.
quis concipere valeat magnitudinem doloris, quem sanctus & dilectus hic sensit discipulus, dum sacratissimum Magistri sui pectus, quod paulò ante ei quasi quidam floridissimus ac mollissimus lectulus fuerat, ubi quoque latebat cor illud pretiosissimum, & à se tanto ardore concupitum, lancea acutissima vidit perforari? Martyr fuit quidem, at plus quàm Martyr; imò ausim dicere, tertio Martyrem fuisse: primum enim martyrium quod est virginitatis, centum annis fortissimè ac constantissimè pertulit; secundum sustinuit, dum simul cum Deipara *Doloris gladius animam ejus pertransivit*, tertium verò fuit, dum lebeti bullientis olei immissus fuit, præterquam quod pro defendenda Ecclesia, & fide ab hæreticis idololatris, aliisque obduratis peccatoribus, maximas persecutiones, exilia, ludibria, aliaque mala passus fuerit.

8 *De proximo visura faciem Dei*. Dicitur idipsum de facie Dei; siquidem ipsa quasi est arrha quædam certò sibi æternam desponsans beatitudinem: ipso Virginum attestante primicerio: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: Sanctus Joannes verò cæteris omnibus Dei vicinior, faciem ejus quoque perfectius conspicatur, erat enim cæteris omnibus unigenito Dei filio magis dilectus & familiaris. Ii qui eam tuentur opinionem, sanctum Joannem naturalis mortis non exsolvisse debitum, sed duxisse vitam quandam immortalem; in hac eadem opinione confirmari possunt consideratio-

nequa-

Lev. c. 21. ne quadam Isidori Pelus. quam habet circa præceptum quoddam datum populo Hæbraico, relatum in Levitico cap. 21. *Ad omnem mortuum non ingredietur*; omnino, nihilominus, inquit Isidorus, *Moyses tulit ossa Joseph secum*, & pergens discurrere in persona Moysis insuper ait: *Non solum legem, sed per hoc ostendo rem ipsam, quæ per scripturam, ac verba legis significatur diligenter esse attendendam; ego enim eum qui castitatem coluit pro mortuo non habeo*: Optime idipsum in laudem sancti Joannis poterit adaptari, qui non solum perfectissimè castitatem coluit, verùm & virginitatem illibatam servavit, quod multo plus est: *Qui virginitatem coluit pro mortuo non est habendus*.

De sapientia sancti Joannis sub symbolo aquilæ exhibita.

DISCURSUS SEPTIMUS.

Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.
Ezech. Cap. 17. 3.

1 PRopheta Ezechiel, postquam inter quatuor illa pluribus mysteriis gravida, sacratissimos novæ legis Evangelistas præsignificantia animalia, unum, perfectam aquilæ similitudinem, perque eandem sanctum Joannem nostrum referens, Spiritu suo Prophetico conspexisset; mox quoque Cap. 17. supradictam refert visionem, quam sanctus Thomas Doctor Angelicus in præsenti festivitate, de dilecto hoc interpretatur Apo-
Ezech. 17. stolo, inquiens: *De ista aquila dicitur*, Ezech. 17. *Aquila grandis magnarum alarum venit ad Libanum*, *&c.* S. Thomas de Villa-Nova ait: *Velut aquila potens magnarum alarum, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, sicut in Ezechiele scriptum est*: Hæc autem medulla cedri non ineptè essentia divina dici potest. *Summitatem frondium ejus avulsit*: per has frondes optimè divina attributa denotantur; quæ ambo ipsa divina de se fatetur sapientia, dum inquit: *Sicut cedrus exaltata sum in Libano*; iterum dicitur: *Transportavit eam in terram Chanaan*, quod tunc vel maximè in sancto Joanne & per ipsum verificatum est, quando exorienti jam pridem Ecclesiæ æternam Verbi generationem, & reliqua perplurima sacrosanctæ Triados absconditissima mysteria revelavit: Origenes
Hom. 1 in Evang. In principio erat verbum. ait: *Ineffabili sapientiæ virtute, purissimoque mentis acumine subvectus in ea, quæ superiora sunt secreta, videlicet unius essentiæ ingressus est*.

2 *Aquila grandis*. Angelicus Doctor D. Thomas ait: *Aquila propter volandi sublimitatem, volavit altissimè, contemplando scilicet & scribendo*. Origenes inquit: *Vox spiritualis aquilæ auditum pulsat Ecclesiæ, vox altivoli volatilis non aërem corporeum, vel æthera, vel totius sensibilis mundi ambitum supervolitantis, sed omnem Theoriam, ultra omnia, quæ sunt & quæ non sunt, citivolis intimæ theologiæ pennis clarissimæ, supernæque contemplationis obtutibus transcendentis*. Sanctus Thomas de Villa Nova observat, quòd sacer textus de divinis quatuor hisce animalibus loquens, de aqui-
Conc. 5. de Natali. la sic habeat: *Et aquila desuper ipsorum quatuor, velut aquila grandis*, inquit, *expansis alis super nubes levatur; supra humanam æstimationem & facultatem in altum progressus, ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum, qui carnis parentibus Abraham, Isaac, & Jacob, cum cæteris prætermissis altiorem infantis originem, ex sublimi divinitatis stirpe deducens qualis & quantus sit iste qui nascitur, profundo nimis eloquio ita personavit, In principio erat Verbum*. Ascendit Joannes ultra Cherubinos alis profundissimæ suæ sapientiæ, ascendit ultra Seraphinos per flammam ardentissimi amoris sui, elevatus est usque ad sinum Patris æterni, & intravit secretissimum ærarium, intonans: *In principio erat Verbum*, *&c.* Origenes ait; *Supervolat Joannes Theologus non solum quæ intelligi, & dici possunt, verum etiam quæ superant omnem intellectum, & significationem supervehitur, extraque omnia infallibili mentis volatu in arcana unius omnium principii exaltatur*.

3 *Tulit medullam cedri*; siquidem, uti scripsit sanctus [...]rus, Libanus mons est altissimus, altissimos supra stuporem cedros, in quibus aquila nidificat, producens: Ad eundem prorsus modum sanctus Joannes, qui aquila quædam fuit, ipsum supervolans empyreum, in arduis posuit nidum suum; hic lumine subtilissimi ac perspicacissimi sui intellectus, alis sublimissimæ, contemplationis penetravit mysterium generationis æternæ altissimi filii Dei: cæteri Evangelistæ, uti benè divus observat Augustinus, à terra, & ab iis quæ circa divinum verbum in terra acta sunt, non sunt elevati, aut ad minus valde parum in comparatione altissimæ hujus aquilæ exaltati sunt; *Hi omnes*, inquit, *propè de terrenis, id est, de iis, quæ in terra gessit Dominus Jesus Christus non recesserunt, de divinitate per pauca locuti sunt, tanquam in terra cum illo ambulantes*: considerat insuper Tract. 36. in Joannem.
citatus Pater differentiam, quæ alios Evangelistas & sanctum Joannem intercedit, dum hic exaltatus est instar aquilæ, inquiens: *Aquila comparatus, altius, multoque sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam, & in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit*: Si adhuc desideratis scire ad quantam altitudinem evolarit? Audite Origenem dicentem. *Omnem visibilem & invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat & Deificatus in Deum intrat se Deificantem*.

4 *Aquila*, scripsit Doctor Angelicus, *propter videndi perspicacitatem; videndi perspicacitas in aquila consistit in duobus, quia videt splendidissima, quia Solem in rota videt remotissima, quia de cœlo leporem in terra*: simulque duas has proprietates applicans sancto Joanni, dicit: *Joannes vidit Solem in rota, id est, Christum in Patre, in principio erat Verbum; vidit remotissima, quia quæ ventura sunt, in fine mundi vidit in Apocalypsi*. Curiosum nec minus ingeniosum quondam Emblema exhibitum fuit, aquila scilicet in altissima specu marina existens, & perspicacissimo visu suo in altissimo maris fundo minutissimos quosque pisces discernens, hac cum inscripta Epigraphe: *Profundissima quæque*, Emblema hic, disertissimis verbis sancti Thomæ de Villa-Nova suffragantibus, aquilam nostram sanctum Joannem repræsentat: *Ecclesia enim*, inquit, *omnia ferè, quæ ab ejus exordio usque ad finem mundi ventura sunt in insula Pathmos (ecce specum marinam) sub mysticis formis Domino jubente per Angelum ei revelata sunt*; vel sic ad minimum dicere possumus: quòd *Petra erat Christus*, & sanctus Joannes requiescens in hac Petra, siquidem ipse constitutus in medio maris Dominicæ Passionis (*quia supra pectus Domini in cœna recubuit*) penetravit profundissima & altissima secreta essentiæ divinæ; *Profundissima quæque, B. Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia*, Si insuper scire desideratis, quanta oculorum suorum fuerit perspicacitas; ecce, *vidit & testimonium perhibuit*: ipse enim constantissimo intuitu in sphæram Solis æterni maximè relucentem, *qui lucem inhabitat inaccessibilem*, oculos suos detorsit; (*Quod fuit ab initio*) sic ille idem Apostolus S. Joan 1.
scribit: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus & vidimus, testamur & annuntiamus*. B. P. Petrus Damianus ait: *In ipsum æterni Solis orbem, hoc est, in divinæ substantiæ claritatem radios purificatæ mentis infixit, omnem transgrediens creaturam, ut illuc acie mentis pertingeret, quo non Propheta, nec Patriarcha, non denique quisquam ab ipso mundi primordio cognoscatur in carne positus expirasse*. S. Cyrillus Alexandrinus considerans S. Joannem Serm. 5.
inter cæteros Apostolos primum fuisse, qui Christum post suam resurrectionem cognovit, dum dixit: *Dominus est*, scripsit, *diligebat propter multam, ut videtur, animi subtilitatem, mentisque puritatem, & oculorum cordis acrimoniam, & aciem ingenii ad intelligendum aptissimam*.

5 *Aquila grandis*. Refert Plutarchus, aliique præter ipsum Scriptores, eam aquilæ sobolem, quæ cordis materni calore incalescit & fovetur, præ cæteris vivaciorem, visu perspicaciorem, agiliorem, necnon genitrici suæ chariorem esse; siquidem hoc calore suo naturali enixo fœtui majorem communicat agilitatem. Ecce quàm benè de S. Joanne dicitur: *Aquila grandis magnarum alarum*! quia *recubuit in cœna super pectus ejus*. S. Bernardus ait: *Thomas in latere, Joannes in pectore*; Serm. 13 in Cant.
& in sermone, qui est tertius, *in cœna Domini*, operum ejusdem D. Bernardi, dicitur: *Jesus valde eum diligebat, quem tanto honore sublimabat*. At B. P. Damia-
ous

nus ait: *O quam bene quiescebat, qui supra pectus Christi quiescebat, supra fontem perennis vitæ recubuit, ut & ipse tunc semper manantia fluenta divinæ doctrinæ hauriret.*

6 *Aquila grandis.* Memoranda hæc est aquilæ indita proprietas, partus suos contra dispersos undique radios solares detinere suspensos, ad capiendam certitudinem num legitimi sint aut spurii; si irretortis oculis constanter radiantem Solis lucem possint intueri, signum inde capit evidentissimum esse legitimos, & uti tales amat & educat; at si vacillent, Solque oculos eorum obfuscet, eos ut spurios rejicit & detestatur. S. Augustinus ait: *Dicuntur enim & pulli aquilarum à parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, & radiis Solis opponi, qui firmè contemplatus fuerit, filius agnoscitur; si acie palpitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur.* Quod certius indicium capere possumus, sanctum Joannem legitimum partum quendam fuisse magnæ & sublimis aquilæ? *Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit, fluenta Evangelii de sacro dominici pectoris fonte potavit.*

Tract. 36. in Joan.

7 *Aquila grandis. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* Anima nostra ad volandum, seseque in cœlum elevandam, nec aptiores, nec faciliores alas habet, quàm pennas amoris: his alis dotatus erat sanctus Joannes, ab eoque nos docemur, qualiter ad sui imitationem nos supra nosipsos in cœlum elevare possimus; siquidem per totum suum Evangelium, Epistolas, aliaque sacra sua scripta nihil tam solicite recommendat, tam efficaciter inculcat, tam studiosè docet, quàm amorem in Deum, & mutuam fraternam dilectionem & charitatem.

8 *Aquila grandis.* Insignem aquilæ proprietatem commemorat Hugo, dicens: *In æstu Solis deponit veteres plumas*; excutit & spoliat se pennis antiquis, senioque nimio debilitatis, junioribusque, id est, novis succrescentibus se quasi vestit; sic quoque aquila nostra sanctus Joannes in lebetem bullientis olei immissus, tantum abest, ut indè læsus sit, quin etiam veluti in saluberrimo balneo magis vigoratus ac renovatus est, teste S. Hieronymo, scribente: *Refert autem Tertullianus, quod Romæ missus ferventis olei dolium purior & vegetior exierit, quam intraverit; qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ volabunt, & non deficient*; fuit itaque indefessus in sufferendis maximis laboribus usque ad decrepitam ætatem. Hunc conceptum egregie illustrat Hugo Cardinalis, dum sic inquit de aquila: *In fonte balneatur, ut novis plumis induatur.*

9 *Aquila grandis.* Aquila sibi benefacientibus naturaliter grata est, uti videre est in insigni quodam facto, quod author quidam aliàs fide dignus refert: scribit enim Dominus de Sales in libro quodam de amore divino, puellam quandam in insula Sestia aquilam è nido sublatam educasse, quæ paulatim accrescens, ita ut volare inciperet, cœpit hinc & indè avium prædas facere, grandior autem effecta, feras etiam majores deprædata est, semperque partem factæ prædæ in recompensam nutrici suæ detulit; puella hæc die quadam, ab ente aquila subdito & improviso mortua, juxta illorum temporum morem cadaver ejus rogo ad comburendum impositum fuit; mox autem superveniens aquila funestum ac lugubre cernens spectaculum, cœptam relinquit prædam, uno impetu supra cadaver ad illud opera alarum sursum, quibus ignem extinguere nitebatur, resuscitandum tuens; at cum nihil se proficere videret, elegit simul cum puella comburi. Ecce veram ejusmodi aquilam S. Joannem, qui à primis annis à Christo educatus fuit; de illo enim dixit Salvator: *Ecce puer meus quem elegi, posui super eum Spiritum meum.* Usque ad tempus illud, quo eum secutus fuit ad deprædandum animas; videns autem aquila hæc se à Magistro suo tenerrimè amari, *Discipulus quem diligebat Jesus*, simulque Christus in rogo quodam montis Calvariæ præ amore comburi, dum se pro redemptione generis humani æterno Patri in cruentum offert sacrificium, aquila hæc omni quo poterat modo, eidem cupiebat associari, ad eundem à tantis pœnis liberandum; at dum nihil proficeret, revera dici potest, quòd per excessum quendam doloris & compassionis versus patientem Jesum cum ipso passa sit.

Serm. 2. 10 *Aquila grandis.* B. P. Damianus ait: *Ecce aquila Dei ad cœli verticem sublimiter evolat, sed ad escam carnis necesse est, ut repressis alis aliquando in imum submissa descendat, unde & paulo post quod subdat, audite: Et Verbum, inquit, caro factum est, & habitavit in nobis.*

Motivum amandi S. Joannem præ cæteris Apostolis, fuit singularis ejus virginitas.

DISCURSUS OCTAVUS.

Diligebat autem Jesus, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia virgo electus ab ipso virgo in ævum permansit.

1 FOns & origo insignium ac prorsus singularium in S. Joanne donorum & gratiarum, è quibus tam copiosa in eum redundabat sanctitas, fuit absque dubio ardentissimus ille Salvatoris nostri erga S. Stephanum amor: at quænam ita singularis, omnemque cæteris Apostolis unquam exhibitum affectum transcendentis amoris causa fuit seu motivum? jamjam causam audivistis: *Diligebat autem eum Jesus, quoniam specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum, quia virgo electus ab ipso virgo in ævum permansit.* Profecto donum hoc adeo singulare, mirabilis ejus nempè virginitas simul eidem & perfectionem & sanctitatem prorsus suprahumanam contulit. Observastisne aliquando quali epitheto Apostolus Paulus continentiam denominarit? Annon titulo eam dignatus est sanctificationis? *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione: Manifestè designat*, (verba sunt Cassiani) *quid propriè sanctificationem voluerit appellare, hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, &c.* Tertullianus lib. de Pudicitia, virginalem puritatem sequenti dignatus est elogio: *Flos morum, fundamentum sanctitatis.* Idelbertus ait: *Virtutum principatus*; undè accidit, ut demonstrantes S. Joannem virginem semper remansisse, simul eum in supremo sanctitatis gradu Solis instar clarescere faciamus.

2. Thes. 4. 3.

Lib. 6 de Instit. renunc. c. 15. ep. 36.

2 Sacra præsentis festivitatis Evangelii lectio hæc Christi verba ad Petrum dicta verba nobis in memoriam revocat: *Dixit Jesus Petro: Sequere me*; nullibi legitur Salvatorem nostrum similibus verbis sanctum Joannem allocutum, quasi verò ad sequendum Christum ineptus, eundemque solum retro à longè sequens, calcaribus impellendus esset; non certe, siquidem cùm ipse interim virgo esset, quam optimè noverat Christus S. Apostolum nunquam ab ipso avellendum; illud est quod in eodem dicitur Evangelio: *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus sequentem.* Certum est quod quidem Petrus Christum Magistrum suum summopere ac tenerrime amaverit, uti patet ex triplici illa sua assertione, quam ultimo Evangelicæ suæ historiæ præsens refert Evangelista; at insuper quoque verum est, quòd S. Joannem *specialis prærogativa castitatis ampliori dilectione fecerat dignum.* Non est quòd miremur S. Joannem indissolubilem quendam Christi fuisse Achatem; illud enim virginum vel maximè proprium est: *Hi sequuntur agnum quocunque ierit*; quid enim? ipse absconditissimis in mysteriis præsens cernitur, veluti in gloriosissima illa in vertice Thaboris facta transfiguratione, & in sacratissima illa ultima vitæ suæ cœna, ubi quoque in sacro pectore suo ineffabili quadam quietis dulcedine perfruitus est; insuper fidelissimè totam amarissimæ passionis suæ tragœdiam & observavit oculis, animique sui dolorosissima compassione, veluti ipse patiens fuisset, constantissimè, nullaque vi avellendus persensit; quid amplius? neque vita functum deseruit: invenitur enim ad sepulchrum, & redivivum primus inter cæteros Apostolos fuit, qui cognovit. *Virgines enim sequuntur agnum quocunque ierit.*

3 *Specialis prærogativa castitatis.* Guerricus Abbas in sermone quodam, qui est secundus de Assumptione B. V. Mariæ, magnam hanc Dei Matrem à dilecto filio suo vita jam functo interrogatam, num vellet in sui locum Archangelum Gabrielem substitui, hunc in

modum

modum ei respondentem introducit: *Non est opus, sufficit mihi meus novus in carne Angelus discipulus ille quem diligebat Jesus*. Qui ei attributus Angeli titulus utique infallibilis est virginei sui candoris effectus; siquidem ut B. Damianus ait. *Angelica mundisia est contubernalis & cognata virginitas*. Hodie in matutinali quodam responsorio cecinimus: *In cruce moriturus huic matrem suam Virginem virgini commendavit*; at vero quantum virginitas ejus per continuum & familiare consortium, necnon per acquisitam sibi respectu Mariæ Virginis filiationis relationem adaucta fuerit, ex eo vel maximè licet colligere, quod S. Ambrosius de immaculata ejus puritate his verbis scripsit: *Tanta erat ejus gratia, ut non solùm in se virginitatis gratiam servaret, sed etiam quos inviseret, integritatis insigne conferret*. S. Petrus quoque Damianus in laudem S. Joannis ita scribit: *Tanto reliquas virgines superat, quanto virginitati B. Mariæ per sedulitatis & perpetua custodia meritum appropinquat, à qua sola videlicet prædicetur*. Ac proindè hæc virginitati ejus specialis prærogativa debetur, quod inter omnes puras & immaculatas animas in hoc candore virginali à nullo alio præterquam à magna Dei Matre superatus fuerit.

Lib. 2. de institut. vir. c. 7.

Ser. 1. in fin.

4 *Specialis prærogativa castitatis*. Hodie in exordientis Missæ introitu ita cecinimus: *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientia & intellectus*. Enimvero hanc ejus sapientiam, quæ miraculosa fuit, facundiam illam, qua tot nationum populos fidei & religioni Christianæ comparavit, innumera illa ei revelata cœlorum arcana mysteria, & quas per tot annorum decursum habuit visiones, easque præcipue, quæ in Apocalypsi ab eo recensentur, soli ejus virginali continentiæ & pudicitiæ in acceptis referre debemus. Samson ex impuro erga Dalilam concepto amore seductus, dum in sinu mulieris illius quiescere non erubit, omnem virtutem animique vigorem amisit, Deique Spiritu à se procul abegit: *Ab eo fortitudo discessit, nesciens quòd recessisset ab eo Dominus, eruerunt oculi ejus Philisthæi inimici ejus*. Ehem quanta est differentia inter hanc Samsonis quietem in Dalilæ sinu captam, & quietem illam, qua dilectus hic Christi discipulus in amabilissimi magistri sui sinu fuit perfruitus? siquidem vigorem sibi & fortitudinem inde comparavit, qua securus reddebatur ab omni etiam per umbram concepto metu moriendi inter lanceas, hastas, & gladios, aut aliquos alios à furibundis Christi hostibus & carnificibus sustinendi insultus, imo talem sibi indè acquisivit animi soliditatem & generosum robur, ut quemadmodum in Discursu sequenti dicturi sumus, Ecclesiæ Dei factus sit immobilis columna & solidum fulcrum, ideoque in sacrosancto Christi sinu dormiendo non solùm Spiritum sanctum à se non fugavit, quin potius eundem sibi tanto indè vehementius attrasit; siquidem *fluenta Evangelii de ipso sacro dominici pectoris fonte potavit*. Neque ex illius sinus sacratissimi felici incubatione Deum perdidit aut amisit, sed potius eum sibi totum & totaliter vendicavit & proprium reddidit: *Ecce puer meus electus, quem elegi, posui super eum Spiritum meum*; lumen quoque & aquilinam quandam perspicaciam, necnon profundissimam, quanta scilicet puræ creaturæ communicari potest, sibi inde acquisivit divinorum mysteriorum intelligentiam: & quidem admirabilem hanc sapientiam, illamque divinorum secretorum revelationem soli, quo pudicitiam intimè prosecutus est, amori attribuere possumus; nam ut Cassianus optimè scribit: *Possibile quidem est integritatem sine scientiæ gratia reperiri, impossibile verò scientiam spiritualem sine integritatis castimonia possideri*.

Jud. 16 20.

Lib. 6. c. 18.

5 *Specialis prærogativa castitatis*. Enimverò quemadmodum Christus Joannem præ cunctis aliis impensius dilexit, *ampliore dilectione fecerat dignum*; ita quoque eundem in morte præ cunctis aliis ampliori quodam privilegio condecoravit, dum ait: *Sic eum volo manere*. Etenim tametsi Domitianus Imperator, ut necem ei inferret, ipsum in ferventis olei lebetem conjici jusserit, ignis tamen huic lebeti subjectus liquorem illum olei in aliquam sancti Apostoli offensam adhiberi nequaquam permisit; id quod per aliquam Eusebii Emisseni de tribus pueris in fornacem Babylonicam conjectis loquentis propositionem haud obscurè probare possumus. Dicit igitur hic Doctor: *Ecce anhelantes globi per quadraginta cubitos ebullientes extrinsecus saviunt, intrinsecus parcunt; extra fornacem sapiens ignis irascitur, & intus in fornace famulat*. Hujus autem propositionis eam adducit rationem, quæ etiam Apostoli hujus martyrio, è quo illæsus evasit, congrue adhiberi potest; nimirum: *Quanta castis visceribus reverentia debeatur, arbiter ignis agnoscit*.

Hom. 8. de Epi.

6 Huic quoque Apostolo, ni fallor, etiamnum viventi cœlum apertum fuit, siquidem ad illud conscendendum à Christo fuit invitatus, ipsomet hoc Apostolo teste, dum ait: *Et ecce ostium apertum est in cœlo, & vox prima, quam audivi, dicens? Ascende huc*. Quia autem inveniri uspiam poterit, qui hisce mortalibus exuviis nostris etiamnum præcinctus, priusquam illis exueretur, ad cœlum conscendendum & ingrediendum invitatus dici possit? Et tamen idipsum in hoc Apostolo mirum nequaquam videri debet; siquidem virgines, ut superius diximus, paradisum in sua facultate positum etiam in hac vita constituti in sua habent possessione: *Integritas solida, tota sanctitas de proximo visura faciem Dei*. Atque ideo aquila hæc in Evangelio & Epistolis suis, necnon in Apocalypsi, quam scripsit, in cœlum, usque empyreum elevata semper esse cernitur; siquidem in prædictis codicibus suis de cœlestibus, humanæque captivitati imperscrutabilibus mysteriis semper discurrit S. quoque Isidorus Hispalensis ait: *Calebs dicitur quasi cœlo beatus*. Quid igitur mirum si S. Joannes cælebs etiamnum in terra vivens in cœlo consistere dicatur?

Apoc. 4 2.

Lib. 10 de Orig.

7 *Specialis prærogativa castitatis*. De hoc S. Apostolo nostro haud immerito, an verè mortuus fuerit, dubitatur; quæ quidem perplexitas in illis præcipue verbis Salvatoris fundatur, dicentis: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem; exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur*: An verò S. Joannes hac fuerit prærogativa gavisus, malo credere idipsum, quàm disputare; fundo enim me super eo, quod S. Joannes Climacus scribit, nimirum quòd mortem vincat & superet, qui carnem vincere novit; ideo enim concupiscentia carnalis ab Apostolo corpus mortis appellata fuit, dum ait: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Et S. Joannes Climacus illa verba: *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem*? ita declarat: *Et non videbit contaminationem carnis*? Enimverò quicquid de hujus opinionis subsistentia verum sit, hoc saltem certum est, quòd cùm aliâ sepulchra, quæ cadaverum sunt receptacula, vermes scaturiant; sepulchrum, in quod S. Joannes reconditus fuit, econtra suavissimum manna foras emittat.

Joan. ult.

Grad. 15.

8 Verba illa Apocalypseos: *Vincenti dabo manna absconditum*; hanc à Gersone accipiunt expositionem, id est, *contemnenti carnalem consolationem*. Quia igitur S. Joannes in hac pugna, in qua spiritus cum carne luctatur vincere semper & superior fieri novit, mirum non est, quòd hac dulcissimi nectaris prærogativa condecoratus sit. Optimè hac de re S. Petrus Damian. in serm. 2. de hoc festo ita scribit: *In sepulchro, quod procul dubio domus est vermium, panis nascitur Angelorum; ecce quod meretur pudicitia virginalis, considerate quid deliciarum incorruptio carnis habet in cœlo; si cibum cœli germinat in sepulchro, quantis ibi honoribus sublimatur beata virginitas, ubi nimirum sola est gloria, si & in loco fœtoris atque putredinis tam mirabiliter est gloriosa*?

9 *Imitari non pigeat*. Quod si nobis minimè fastidiosum videbitur in hac continentiæ virtute S. Joannem imitari, nos quoque in ejus efficaciam sperare poterimus, ejusque hac in re efficax patrocinium experiri. In vita S. Oduardi Angelorum Regis, qui sancto huic Apostolo devotissimus extitit, legitur, quòd cùm certus quidam peregrinus ab eo ob amorem S. Joannis eleemosynam, quam nunquam negare consueverat, petiisset, ipseque pecuniam, quam eidem largiretur, non haberet in promptu, ejusque elemosynarius eo tempore fortuito præsto non esset, ipse pretiosum quendam annulum è digito suo exertum eidem donavit: cùm vero paulo post duo dicti Regis subditi & regni Anglicani incolæ ad visitandum loca sancta Hierosolymam versus peregrinarentur, & die quadam sub intempestæ noctis obscurissimis tenebris à via recta per invia & devia aberrarent, venerabilis quidam senex eisdem ex improviso apparuit, qui eosdem ad urbem perductos hospitio perbenigne excepit, multaque cum liberalitate tractavit; cùm vero illos sequenti die illucescente in viam rectam dirigeret, eisdem quod auxilio & directione sua in patriam suam denuo reversuri essent, prædixit, simulque se Joannem Apostolum & Evangelistam illum, quem ipsorum Rex Odoar-

Apoc. 2. 17.

Odoardus ob insignem ejus castitatem (siquidem quoadusque in conjugio cum regia conjuge sua vixit, purus semper & castus permansit) tantopere diligebat, esse denuntiavit, atque ut majorem huic apparitioni fidem adhiberent, eundem illis annulum dedit, quem prædictus Rex Odoardus sibi sub specie eleemosynam poscentis liberaliter donaverat, simulque illis injunxit, ut eidem tempus, quo in alteram vitam transiturus esset, præ foribus esse prænuntiarent, seque proindè intra sex mensium spatium eum denuo reinvisurum esse ad hoc ut animam ejus in cœlum usque deduceret, ubi ipsa una secum perpetuo secutura esset agnum immaculatum.

10 *Speciali prærogativa castitatis*. S. Hieronymus de hoc Apostolo ita scribit: *Cum essent in navi, & piscarentur in lacu Genezareth, Jesus stabat in litore, nec sciebant Apostoli quem viderent, solus virgo virginem agnoscit, & dicit Petro: Dominus est*. Idemmet de ipso & Petro alibi hæc habet: *Post resurrectionem annuntiante Maria Magdalena, quod Dominus resurrexisset, uterque concurrit ad sepulchrum, sed ille prævenit*. Idem denique sanctus Doctor alibi ita discurrit: *Joannes Petro tardius ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum*.

S. Joannes velut solidum Ecclesię fulcrum & columna consideratur.

DISCURSUS NONUS.

Faciam illum columnam in templo Dei mei.
Apoc. 3. v. 12.

1 Sanctus Joannes in sacra Apocalypsi scribit, quod inter alias revelationes sibi à Deo eo fine concessas, ut ex iis in perpetuam rei revelatæ memoriam in librum quendam redigeret, una ex præcipuis hæc fuerit: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*; etenim de qua victoria verba illa hoc in loco intelligenda sint Haymo ab Alberto Magno citatus præclarè hisce verbis declarat: *Qui vicerit tentamenta diaboli, concupiscentias mundi, & delectationes carnis*. Jam verò quod S. Apostolus noster de omnibus hisce hostibus gloriosa trophæa reportarit, clarius & evidentius est, quàm ut probatione indigeat; quòd verò Redemptor noster illum in fortissimam Ecclesiæ suæ columnam elegerit, id Spiritus sanctus per os S. Pauli Apostoli perspicuè declarat, dum ait: *Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse*. Lyranus quoque in Apocalypsim scribens per hanc templi Dei columnam S. Joannem intelligi, doctissimè notat. Albertus Magnus autem & Hugo Cardinalis hanc adducit columnarum distinctionem, nimirum: *In ædificio Ecclesiæ alii columna lapidea per fidei firmitatem: alii argentea per eloquentiæ venustatem: alii aurea per sapientiam, alii ænea per prædicationem*. In quibus omnibus columnarum generibus gloriosissimus hic Apostolus optime intelligitur. Et primo quidem est. *Columna lapidea per fidei firmitatem*. Neque vobis impropria esse videatur comparatio, quia tametsi verum sit quod Salvator Petro ait: *Petre, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; per hoc tamen nequaquam excluditur id, quod de S. Joanne jam diximus, scilicet quòd super hoc solidissimum fundamentum aliam quoque columnam, nempè S. Joannem erexerit; quæ forte causa est, cur Doctor Gentium Paulus utrumque Apostolum, Petrum scilicet & Joannem simul conjunxerit, dum ait: *Cephas & Joannes qui videbantur columnæ esse*. Et ideo B. Petrus Damianus: *Petrus igitur petra, petra quoque factus est & Joannes, supra cujus fidei fundamentum totius Ecclesiæ structura consurgit*. Huic quoque S. Petrus Damiani doctrina consonat, quod Chrysostomus in Præfatione Evangelica Joannis præfixa de magno hoc Apostolo scribit, nimirum quod sit *Columna omnium, quæ in orbe sunt, Ecclesiarum*.

Gal. 2. 9.

Serm. 2 de Joan.

2 *Faciam illum columnam*. Lyranus hanc glossam hisce verbis addit: *id est, fortem & potentem in fide*. Et merito; nam cùm inter omnes Apostolos, imò etiam, uti existimo, inter omnes Christi discipulos majorem magisque decrepitam ætatem attigerit, omnium ætates utique tanquam centenarius longè supervicit, ideoque adversus omnes fidei & religionis Christianæ tyrannos fortissimi cujusdam aggeris & propugnaculi loco fuit; talem enim se exhibuit, quando Domitiano Imperatori in faciem contradicere, eumque objurgare non dubitavit; nullus omnium Apostolorum procellas & tempestates adversus fluctuantem Petri naviculam exsurgentes ita compescuit & sedavit, sicut ipse, qui per integrum & solidum sæculum adversus fidei persecutores dimicare debuit.

3 *Faciam illum columnam in templo Dei mei*. Lyranus addit, *potentiam in fide non solum pro se, sed etiam pro aliis sustentandis & confortandis*. Verè enim hoc unum ex motivis fuit, cur illa erroris nescia cœli providentia Apostolum hunc tot annis post alios Christi discipulos inter vivos superstitem esse voluit, nimirum *ad Ecclesiæ suæ solatium*. Undè Thomas de Villa-Nova ait: *Ad suorum magisterium usque in senectam & senium illum conservavit*. De S. Brigitta scribitur, quod cùm aliquando in extasim rapta de authore libri Apocalypseos interrogasset, vocem quandam Christum in hæc verba alloquentem audierit: *Ego sum Joannes, cui in cruce assignasti matrem tuam, tu Domine inspirasti mihi mysteria ejus, & ego scripsi ad consolationem futurorum, ne fideles tui per futuros casus everterentur*. Doctor Angelicus in ea fuit opinione, quod videlicet increata Dei sapientia librum hunc ei dictaverit, *ut statum utriusque Ecclesiæ scriberet; quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesiis*; quicquid enim in Apocalypsi velut in æstimabili abditissimorum arcanorum cœlestium ærario descriptum continetur: hoc totum & totaliter in Ecclesiæ cedit stabilimentum; & ideo S. Hieronymus, Apocalypsim dicit esse librum *infinita futurorum mysteria continentem*; & alibi dicit, S. Joannem voluisse in illo libro *medullata Ecclesiæ sacramenta contexere*; in illo namque libro ipse ad finem usque mundi obventuras naviculæ Ecclesiasticæ tempestates & malitias seu serenitates recenset. Undè B. Laurentius Justinianus de hoc nostro Sancto ait: *Isto quippè Apostolo Prophetarum nemo de statu militantis Ecclesiæ, de persecutione ipsius, de novissimis temporibus, & de futura felicitate Sanctorum lucidius vaticinatus est*. Beatus quoque Petrus Damianus hunc ei nobilissimum titulum attribuit: *Tanquam Argus universalis Ecclesiæ factus, totius humani generis summam ulnis paternæ dilectionis amplectitur*.

Lib. 6. qq. revel. c. 2.

4 *Faciam illum columnam*. Idemmet Damianus optimè considerat, quàm inter se variæ & discrepantes fuerint circa Messiæ divinitatem opiniones; alii namque ipsum Joannem Baptistam esse credebant, alii Jeremiam, aut alium quempiam ex Prophetis esse existimabant. Petrus ex æterni Patris revelatione suam hac de re pronunciavit sententiam dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Quibus verbis, ut Damianus præfatus ait: Petrus *naviculam fidei in tutissimo tranquilli portus gremio collocavit*. Memorandum est autem, quòd eo tempore, quo sanctus hic noster Apostolus à truculentissimo Christianæ religionis (cujus ipse columna erat & fulcrum solidissimum) persecutore in exilium relegatus erat, multi hæretici exsurrexerint, qui studio & data opera errorum zizania super optimo dogmatum & veritatum Catholicarum frumento seminare satagerant; atque ideo mox ut Domitianus, juxta vaticinium à sancto Apostolo nostro ipsi insinuatum, è vivis excesserat, Apostolus à suo exilio feliciter reversus, Evangelio conscribendo omnem conatum adhibuit. *Hoc itaque signaculo veritatis* (inquit B. Petrus) *& hæreticorum tergiversationibus metam fixit, & Catholicorum fidem perpetua ex tunc & deinceps certitudine roboravit*. Sanctus quoque Augustinus ut nobis ostendat quomodo nam secto zizania, quæ tempore S. Joannis bonam sementem suffocarant, præcisa fuerint, ad propositum nostrum ita loquitur: *Totum Evangelium Joannis contra hæreticos est*; quod postea variis declarat exemplis. In primis pugnat contra Photinum, qui Christum ante B. Virginem Mariam exstitisse negabat; deindè adversus Arrium dimicat, dum perspicue ostendit Verbum non habere principium ullum; contra Sabellium quoque certat, qui eandem Patris & Filii personam fuisse existimabat; qui error ab hoc Evangelista nostro interimitur & confutatur, dum ipsummet Dei Filium proprio suo ore hæc verba dixisse refert: *Si diligeretis me, gauderetis*

vi Test. q. 65. Tom. 6. qq. no.

tis

tis utique, quia vado ad Patrem quia Pater major me est: similiter Marcioni, qui Christum veram carnem non habere existimabat, apertum bellum indicit, quando elatis verbis ita pronuntiat: *Et Verbum caro factum est*, denique Manichæorum hæresin gloriosè convincit, qui Redemptorem nostrum in carne mortali & passibili advenisse negabant.

5 *Faciam illum columnam*. Hugo Cardinalis ubi supra cum Alberto Magno dicit: *Alii sunt columnæ argenteæ per eloquentiæ venustatem*. Hæc autem eloquentiæ venustas, & in dicendo copiosa facundia in S. Joanne supernaturalis fuit & infusa. Undè sancta mater Ecclesia de ipso attestatur dicens: *Fluenta Evangelii de sacro dominici pectoris fonte potavit*. Ubi advertendum est nomen illud, *Fluenta*, quod aureum quoddam eloquentiæ & facundiæ divinæ flumen denotat. Surius in vita ejus ita de ipso scribit: *Vox Verbi, filius tonitrui*; atque ut apertè innuat, quod lingua ejus fidei suo tempore vacillantis sustentaculum & basis fortissima extiterit, protinus subjungit: *Universum prædicatione comprehendens orbem*. Quod B. Laurentius Just. hisce verbis confirmat, dum ait: *Quantus hic eruditione sua evangelica atque apostolica confutavit errores, qui in exordio nascentis pullulavere Ecclesiæ? quantos imbuit fide, atque ab anfractibus vitiorum revocavit ad Christum? omnes penè Asiæ fundavit Ecclesias, imo universum eloquiis suis Catholicis irradiavit mundum*.

6 *Faciam illum columnam*. *Alii columnæ aureæ per sapientiam*, inquit Hugo, ubi supra. Quis autem cœlestem atque divinam Apostoli hujus sapientiam non admiretur? sancta mater Ecclesia in oratione de hodierno festo, se ab hac sapientia egregie illuminatam esse agnoscit, dum ait: *Ecclesiam tuam benignus illustra, ut B. Joannis Apostoli & Evangelistæ illuminata doctrina, &c.* Chrysostomus in præfatione in Evangelium Joannis ita scribit: *Ipsi Angeli Cherubim & Seraphim nobiscum per Joannis vocem didicerunt, quæ cognovimus; hoc enim ait Paulus, ut innotescat Principatibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*. Huic
2 R g. 23. Apostolo verba illa sacræ Scripturæ: *Sedens in cathedra sapientissimus*, præcipue adaptare valemus; quia tametsi omnibus Ecclesiæ Doctoribus accommodari possint verba illa; *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ & intellectus*; sciendum tamen est, quod omnes novi Testamenti sacri Doctores & Theologi ad finem usque mundi omnem suam sapientiam S. Joanni veluti primæ & originariæ scaturigini in acceptis referre debeant; quicquid enim in solida Theologia est veritatis, aut mysteriorum secretorumque cœlestium, id totum huic Apostolo *Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit*, Chaldæus non legit *sedens*, sed *unctus unctione sancta*. Præ cunctis vero aliis S. Joannes Spiritus sancti, *qui spiritualis unctio* denominatur, cœlesti sapientia locupletatus fuit; undè Christus ipse de hoc Apostolo expressè declaravit dicens: *Ecce puer meus, quem elegi, posui super eum Spiritum meum*; & quidem illa nunquam errans aut deficiens divina providentia in hujusce cœlestis unctionis signum disposuit, ut cùm pro fidei orthodoxæ defensione torquendus esset in illum ferventis olei magnum lebetem immitteretur, in quo haud secus ac in cathedra sedens religionem Christianam tanta cum animi generositate & fortitudine intrepidè defendit, ut Domitianus graviter indè confusus fuerit; multos quoque in confessione veræ fidei vacillantes stabilivit, adeo ut de ipso dici potuerit, quod deinceps de S. Laurentii carbonibus scribit S. Augustinus: *Flammis, quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit*; quia tametsi Apostolus noster solam flammarum illarum lucem aliis communicaverit, attamen earundem calorem quoque per universum mundum dilatavit, ut sui exempli imitatione omnes & singulos fideles in amorem Dei accenderet, *Thesaurus desiderabilis*
Prov. 21. 20. Ep. 10. ad Joan. *& oleum in habitaculo justi, vel, ut est in Hebræo, in habitaculo sapientis*. S. Dionysius Areopagita Evangelium
Serm. 2. de S. Joan. S. Joannis *solem Evangelii*, glorioso nimirum titulo condecoravit. B. Petrus Damianus de eodem ita scribit: *Quid divinæ sapientiæ quæris, quod apud Joannem reperire non possis: quæ enim hæretica pravitas, quæ Arriana perfidia, quæ Judæorum vesana calumnia, quæ gentilium Philosophorum versutia, quæ denique schismaticorum abominanda scissura B. Joannis non est eloquio superata, ejusque doctrina evidenter attrita?*

7 *Faciam illum columnam*. *Alii* denique, inquit sæpè citatus Cardinalis Hugo, *columnæ æreæ per prædicationem*. Et talis columna, & solidissima quidem S. Joannes fuit, qui Ecclesiam, non solum per conscriptum a se Evangelium, Epistolas, & sacræ Apocalypseos librum fortiter suffulsit & sustentavit, verùm etiam idipsum viva sua voce, perque prædicationem suam, totque populorum conversionem egregie præstitit: *Innumerabiles convertit ad Christum*. Dionysius Carthusianus ait: *Sanctissimos habuit discipulos multos, inter quos beatissimi Martyres Ignatius & Polycarpus inclyti præfulserunt*. Verum quidem est, quod multi quoque alii Sancti verbum Dei cum ingenti fructu & messe valdè copiosa annuntiarint; nullus tamen reperiri poterit, qui tanto id tempore præstitit, quanto S. Joannes id fecit, nam *sicut dicit Augustinus* (sunt verba Alberti Magni) *à tempore dominicæ Ascensionis per annos quadraginta quinque absque adminiculo scribendi usque ad ultima Domitiani tempora prædicavit*. Theophylactus dicit, quod Christus ipsum & fratrem ejus tonitrui filios appellarit, *ut præcipuos prædicatores, & maximè Theologos*. At verò S. Augustinus alio in loco scribit, quod *per annos sexaginta quinque prædicavit*. Cùm igitur cuncta hæc columnarum genera in unico & solo S. Joanne deprehendantur, nunquid de ipso summa cum veritate dici posse videtur, quod fortissimum *Ecclesiæ fulcrum & basis? Ecclesiæ columna & firmamentum?*

Ser. 8 de S. Joan.
Evang. S. In Prolog. Joan.
In Marc.
Præfat incerti Auth in princ.

IN FESTO

SS. INNOCENTIUM

Discursus Sex.

Discursus I. Aliqua circa fugam Christi mysteria considerantur.

Discursus II. De eo quod Christus specialissimè in Ægyptum fugerit, causæ examinantur.

Discursus III. De Sanctorum Innocentium præconiis, & quanti illos Deus semper æstimarit.

Discursus IV. Exponuntur causæ cur Sancti hi Innocentes primitiæ & flores Martyrum appellentur.

Discursus V. Super hodiernæ festivitatis Evangelium variæ instituuntur considerationes.

Discursus VI. De illatis Herodi suppliciis in fuga Christi, & strage Sanctorum Innocentium.

Aliqua circa fugam Christi mysteria considerantur.

DISCURSUS PRIMUS.

Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge. Matth. Cap. 2.

1 Vix e Maria Virgine Divinus infans natus fuerat, cùm ecce è cœlo Angelicus ad S. Josephum ablegatur nuntius, eundem moniturus, ut omni mora seposita accipiat puerum & matrem ejus, seque cum illis per fugam in Ægyptum recipiat: *Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, &c.* Chrysologus ait: *Reverentius diceret, vade in Aegyptum, ut esset profectio, non fuga, voluntas non necessitas, judicium non metus, humanum saltem, si non divinum; at nunc mandatur fuga, mandatur cœlitus, mandatur per Angelum, ut videatur cœlum timor ante tenuisse, quam terram*. Idem quoque Chrysologus ingeniosè ad illa Psalmistæ verba reflectit: *Deus refugium nostrum & virtus*; eademque intimius considerans, continere se nequit, quin exclamet, dicatque? *Et ubi est illud, Domine refugium factus es nobis, & Deus noster refugium & virtus? Si refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat, quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen?* Imo verò idem Chrysologus in sermone præcedente prudentiæ Evangelistæ detogare velle videtur, eo quod

fugam

fugam hanc facris Evangelii fui paginis interuerit. Dicit enim: *Devoti militis est Regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, silere timores, aperire fortia, infirma reticere.* Salmeron quoque pulchrè quisnam fit ille qui fuga saluti suæ consulere fatagit, expendit, dicens: *Est autem omni dignum admiratione cernere quis fugiat, videlicet verbum æternum incarnatum, quod vinci nequit, quod fugiat homunciones, scilicet vermibus & formicis debiliores.* Albertus Magnus quoque similem facit considerationem hisce verbis: *Mirabile videtur, qualiter dicit debere fugere eum qui de Spiritu sancto natus est, qui Deus est, qui Salvator & præsidium est omnium, & refugium.* Quod si enim is qui refugium nostrum est, fugiat, penes quem nobis reliquum erit præsidium, aut in necessitate auxilium? *Quomodo autem filius*

In Caten. *Dei ante hominem timet*, quærit S. Thomas Doctor Angelicus, *aut qui liberet de inimicis, & ipse inimicos suos timet.* Quotnam obsecro modis omnipotentia divina Patris filium suum ab Herodiana crudelitate liberare aut eripere poterat? Nunquid enim miracula quondam circa Eliseum in Samaria, aut circa Angelos in Sodoma patrata reiterare aut repetere poterat, efficiendo videlicet, ut ab Herode emissi lictores & carnifices *videntes non viderent*? Similiter ex quo Sanctum Felicem Nolanum ex præsentissimo mortis periculo vindicant araneæ telas in ejus defensionem texendo, utique longè facilius divinus ille partus è virgineo Mariæ utero pro universali humani generis salute in lucem editus, innocentes hosce infantulos per cœlitus emissas invisibiles Angelorum legiones ab omni hostili insultu eximere poterat. Item qui armatas militum cohortes in horto Gethsemani unico duntaxat verbo prolato in terram supinos prostravit, idem illud verbum licèt hodie infans & mutum castos & irritos reddere potuisset cunctos furibundi illius

Serm. 150. Regis conatus. Undè Chrysologus ait: *Neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam, neque humanas insidias expavescis, qui totas venerat diabolicæ fraudis aperire versutias.* Et ideo paulo post dicit: *Fugam ejus non ex mortis processisse formidine; sed potius ut propheticum adimpleretur oraculum: Fugam ejus non de periculi metu, sed de propheta provenisse mysterio Evangelista asserit, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.* Simile quid in sermone sequenti idem S. Doctor scribit hisce verbis: *Quod fugit fuit mysterii non timoris, divinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ.* Quod cum sequentibus Glossæ verbis perfectè consonat, dicentis: *Quod fugit, sacramenti fuit, non timoris.*

2 *Sacramenti fuit.* Inficiari quidem nemo potest, quin Deo illi, qui *facit potentiam in brachio suo*, nequaquam miracula patrandi facultas desit, qua humanæ iniquitatis pericula effugere & declinare possit; veruntamen

In Caten. prouti Angelicus Doctor optimè notavit: *Primum quidem oportet, ut regulam humanæ naturæ quam suscepit, conservet*; & ideò omnino decebat, ut fugeret; decet enim ut tenellus infantulus aut ejus parentes ærumnas à potenti quodam Rege eisdem comminatas follicitè fugiant ne negligentes habeantur aut temerarii. Porrò quando Jesum in adultiori, imo virili ætate positum è montis culmine præcipitare volebant, prouti Albertus Magnus acu-

Luc. 4.30 ta notat; *Transiens per medium illorum ibat*, idque non sine mysterio, id quippe ipsum facere expediebat, ut videlicet eos qui erga Evangelii veritatem increduli erant in fide quam annunciabat confirmaret; in hac verò infantili ætate tempus erat, ut omnibus firmiter persuasum esse faceret se hujus nostræ naturæ timori & pavori subjectæ debilitatem verè non vero phantastice assumpsisse: *Debebat per omnia fratribus assimilari: Veritas humanitatis assumptæ erat comprobanda per infirmitates humanas.* Simili quoque ratione Theophylactus discurrit, dum ait: *Fuit Dominus ut credatur, quod revera homo sit; nam si in manus incidisset Herodis, & non fuisset occisus, opinati fuissent incarnatum eum apparenter.*

3 *Quod fugit, sacramenti fuit. Militia etenim est vita hominis.* Et ideo quia tenet ille infantulus, quantumvis fasciis involutus, attamen verus exercituum Deus erat, in hac præsenti fuga militari quodam stratagemate uti voluit, idque ad nostram communem utilitatem, atque doctrinam. Chrysologus ait: *Bellicosus quod in bello fugit, artis est, non timoris.* Etenim victoria illa quæ à tyranno infernali reportanda erat? *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*, nec non de mundo qui legi ejus subjugandus erat: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra*, hæc, inquam, per sanguinis sui effusionem obtineri debebat, atque ideo *ut copiosa esset apud eum redemptio*, hanc effusionem sive diluvium sanguinis in maturiorem usque ætatem differre voluit, quando scilicet in venis suis sanguinem in majori erat abundantia habiturus. S. Leo ait: *Qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem.* Eodem quoque tempore hoc nobis tradere voluisset utilissimum documentum, quod scilicet si inimicum nostrum vincere velimus, cavendum nobis sit, ne in manus incidamus inimici, quin potius fugiendæ sint ejus insidiæ, declinandæ sint occasiones & pericula, minime verò prætendenda aut expectanda sint à Deo sine necessitate miracula. Enimverò quis Davide generosior uspiam reperiri poterit, cui sanctè gloriari licuit: *Deus qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium*, veruntamen observandum est, quia in se hanc suam fortitudinem, quam soli Deo non vero propriis viribus attribuit, vel maxime reponat; Dicit igitur: *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*; Quis autem est qui nesciat; quod cum cervi ex una parte valde sint meticulosi, ex parte altera magna sint in currendo & fugiendo dotati agilitate: *Dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* Ecce tibi id, in quo virtus & valor sanctæ alicujus animæ vel maxime consistat, nimirum in eo, quod est pericula peccandi omni studio & conatu fugere.

1 Joan. 5.4 — Ser. 5. de Epi. — Psalm. 17. 34.

4 *Quod fugit sacramenti fuit.* Salmeron de Salvatore nostro ita scribit: *Dum parvulus est fugit, magnus autem ultro sese offert petentibus eum ad mortem.* Et rectè quidem; nisi enim in illa infantili ætate per fugam sibi consuluisset, quot modo essemus destituti Salvatoris nostri exemplis, quot miraculis, quot virtutibus, & tamen omnis Christi actio nostra debebat esse instructio? ubi nostra vulgata legit *In laboribus à juventute mea*, alii legunt, *agonizans, moribundus à puero, exultavit ut gygas ad currendam viam*, veruntamen in pueritia vitam suam prodigere & pro humana redemptione effundere noluit, sed *quod fugit sacramenti fuit*; Nam *qui docere venerat & prodesse, noluit, antequam doceret & prodesset, abire.* Id quod Chrysologus dubiis verbis scripserat: *Christus venerat, ut quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipse faceret, quæ facienda mandaverat.* Et iterum in sermone præcedenti ait: *Christus se in carne venturum, ascensurum per ætatum gradus, annuntiaturum gloriam cælestis regni, prædicaturum fidei doctrinam, & imperio verbi solo fugaturum dæmones, daturum cæcis visum, claudis cursum, mutis verbum, auditum surdis peccatoribus remissionem, mortuis vitam per legem promiserat, & per Prophetas.* Unde hæc Christus impleturus vit, infans mortem distulit, non fugit. Ac proinde S. Leo ad impiissimum Regem conversus ait: *Mors Christi non est temporis tui; ante condendum est Evangelium, ante prædicandum est regnum Dei*; prius Ecclesia supra duodecim Apostolos fundanda erat, prius annuntiandum Evangelium, omnia quæque in pœnosissima illa triginta trium annorum Iliade facta fuerunt, complenda erant. Omnia hæc utique periissent nobis, inquit Chrysologus: *Si Christus, cum esset in cunabulis, non fugisset.* Humanæ quidem redemptioni unica duntaxat sanguinis sui stilla suffecisset, & ideo in tenello illo corpusculo affatim sanguinis erat pro homine redimendo; at verò ut benè advertit Chrysostomus. *Quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amori*; necdum enim tenerum infantuli corpusculum sexies mille & amplius flagellorum ictibus contundi & excoriari poterat, necdum infantile caput tot spinarum recipiendarum capax erat, ac proinde tormenta illa in adultiorem voluit ætatem præservare. Salmeron aliud quoddam motivum adducit his verbis: *Exemplum dedit offerendi Deo non debile, vel cæcum, vel claudum, ac forte & pingue sacrificium, noluit mortem eo tempore, quo judicari posses non sponte mortuus, ob defectum usus liberi arbitrii, sed cum de eo credi posset id, oblatus est, quia ipse voluit.*

Tom. 3. Tr. 44. — Psal. 87.16. — Serm. 151 — Serm. 1. de Epiph. — Serm. 151.

5 *Quod fugit sacramenti fuit.* Glossa ait id factum esse: *Ut exemplum fugiendi daret suis.* Futurum enim erat, ut temporis progressu sancti Evangelii sequaces à Tyrannis ad mortem expeterentur, & ideo hisce eos verbis instruxit: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Ubi Chrysologus ita scribit: *Christus fugit, ut nostras fugas* Glossa.

in pes-

Ser. 151. *in persecutionibus temperaret ; Martyr comprehensus debet tenere constantiam , non comprehensus debet fugere persequentem* ; Hujusque fugæ eam reddit rationem , quam ipsamet in multis Sanctis docuit experientia , nimirum : *Ut & persecutori indulgeat resipiscendi tempus , & sibi tempus non auferat supplicandi* . Imò in sermone præcedenti argumentum quoddam , quod nullam prorsus admittit solutionem , adducit in medium , ita

Ser. 55. scribens : *Si rerum refugium fugit , auxilium latescit omnium , si formidat fortitudo cunctorum , si se universorum defensio non defendat quare humana notatur fuga , arguitur trepidatio , formido culpatur* . Christus suo nos exemplo fugere docuit , hocque solum sufficit ut nobis ita faciendum esse securè persuadere possimus : *Si Paulum Martyres non fugissent , Paulum non fecissent , hoc faciendum docuit Christus* . Aliam porrò rationem Paulus de Palatio in favorem nostrum adducit , nimirum Christum per fugam hanc insinuare voluisse , quod quicquid est in epotando passionis calice amaritudinis , sibi sumpserit , quicquid vero in eo dulcedinis reliquum est , nobis reservet : *Voluit Dominus etiam exulasse , ut nihil esset amaritudinis in calice , quod non ille gustaret* .

6 *Quod fugit sacramenti fuit* . Quidam ex Expositoribus modernis hac de re ita scribit : *Fugit , non mortem timens : sed tolerandarum persecutionum suis exemplum præbens ; si enim ipse a persecutoribus persecutionem passus est , quos in momento extinguere poterat , & quidem ab infantia , & initio introitus sui in mundum : quid nobis peccantibus ferendum est* . Ad hæc quoque omnes illos qui suam deinceps essent professuri fidem ex hac fuga docere voluit , quod vita ipsorum adversitatibus pariter & prosperitatibus ex æquo commiscenda esset ; siquidem paulò antea super ipso , etiamsi in vili quodam stabulo natus esset , rutilantissima & lucidissima quædam stella coruscavit , ipsum quoque summa cum reverentia agnoscebant & adorabant Pastores pariter & coronati trium Regum coram ipso prostratorum vertices , integri quoque cælestis militiæ exercitus in ejus jam recens nati obsequium è cœlis in terram descenderunt : Verum ecce tibi procul inde remotas adversitates atque ærumnas : *Fuge in Aegyptum* . Unde Chrysostomus ait : *Misericors Deus mæstis rebus quædam etiam jucunda permiscet , quod certè in Sanctis omnibus facit , quos neque tribulationes , neque jucunditates sinit habere continuas* . Denique ex hisce vitæ suæ præludiis nos quoque intelligere voluit , qualiter ab ipsa infantia usque ad vitæ suæ finem vitam ducturus esset contradictionibus plenam , continuisque persecutionibus & periculis expositam.

Jo. Ferus.

7 *Quod fugit sacramenti fuit . Fugit ut veritas figuræ responderet : Sicut enim Joseph a fratribus abjectus & venditus in Aegyptum veniens , eosdem a famis periculo liberavit ; unde & Salvator mundi dictus est , sic Christus à Judæis repulsus ad gentes migravit ; eosque ab horrenda illa fame spirituali , quæ omnem terram oppresserat , liberavit* . Politicam quoque humanam , quæ adversus divinam se legem opponit deridere , eique illudere hac fuga sua voluit , voluit enim ut clarè & perspicuè viderent , quam verum sit : *Quod Dominus dissipat consilia gentium , reprobat autem cogitationes populorum , & reprobat consilia Principum ; consilium autem Domini in æternum manet* . Christus enim tot innocentium in factum miserabilem stragem verè dicere potuit : *Pueros percusserunt gladio , & ego fugi solus* ; omnes namque in infantili ætate constituti perierunt , præter solum Christum , tametsi hic unicus esset illius ab impio Rege præceptæ & ordinatæ inhumanæ stragis scopus : *Unus tot inter funera impunè Christus tollitur* .

Mansi Prompt.

De eo quòd Christus specialissimè in Ægyptum fugerit causæ examinantur .

DISCURSUS SECUNDUS.

Fuge in Egyptum , & esto ibi . Matth. 2.

1 IN discursu immediatè precedenti jam vidimus Christum se non immeritò & sine mysterio in fugam recepisse , ut Herodianum furorem effugeret ? at verò cum verissimum sit , quod *Domini est terra & plenitudo ejus , orbis terrarum , & universi qui habitant in eo* , quænam excogitari ratio poterit , quod S. Josepho à supremo consistorio Divinitatis expressum impositum fuerit præceptum , ut Divinum hunc infantem una cum sua matre specialissimè in Ægypto salvaret ? *Accipe puerum & matrem ejus ; & fuge in Aegyptum , & esto ibi* . Etenim nullus in toto mundo locus erat vero Deo magis adversarius & inimicus , quam regnum istud , utpotè cujus Rex se Atheistam esse expressè olim declaraverat , dicens : *Nescio Dominum* , neque in universa terra populus aliquis reperiri poterat , qui Magiis , superstitionibus , & idololatriæ magis deditus esset , quam Ægyptii Regnicolæ , siquidem hi ipsas quoque cepas & porros Divinorum numinum loco adorabant ; unde Chrysologus meritò ita ait : *In Aegyptum fuge , à tuis ad externos , à sacris ad sacrilegos , a sanctis , a templo tuo ad Dæmonum fana , ad idolorum patriam a regione sanctorum ; si Judææ non sufficit latitudo , sic angustatur seculi diffusa possessio* . Ehem quam olim difficulter Jacobo Patriarchæ persuaderi poterat , ut Benjamin dilectum filium suum in Ægyptum ablegaret ? obstinato namque animo filiis suis id ei persuadere conantibus semper respondit : *Non descendet filius meus vobiscum* ; & tamen per hanc Benjamini in Ægyptum profectionem id moliebantur , ut per ipsum multi alii Jacobæi filii è captivitatis vinculis , quibus stringebantur , liberarentur . Et tamen Pater æternus qui de Christo non semel sed sæpius testificatus fuerat , *Hic est filius meus dilectus* & consequenter verus *Benjamin , idest , filius dexteræ , quia sedet a dextris Dei* , tametsi multa alia loca essent , in quibus filium suum majori cum securitate salvare posset ; Josepho tamen expressè ut in Ægyptum fugeret , filiumque suum in eundem locum perduceret , præcepit . Cur non potiùs jussit , ut eandem cum tribus Regibus viam ingrederetur ; hi enim utpotè qui paulò ante eum devote adorarant , regiisque muneribus locupletem effecerant , ipsum in regnis suis honorificentissimè excepissent , eumque sicuti decebat basilicè & delicatissime tractassent ? videri non immerito posset beatam Virginem sicut & sanctum Josephum prima facie ex hoc divino jussu non modicum contristandos & affligendos fuisse , non tam ob fugam hanc adeò improvisam , quam quod ablegarentur in regnum quoddam adeo barbarum , Deoque inimicum , in quo se multis injuriis & ærumnis afficiendos esse timere haud immeritò poterant , utpotè qui ex eo populo nati erant , qui olim per decem divinitus immissas sævissimas plagas Ægyptios non tantum oppresserant , verum etiam per ultimum & totale exterminium eosdem in mari rubro submerserant . Jure etiam B. Virgo timere poterat , ne fortè Ægyptii primogenitorum suorum olim perpessam stragem , per unigeniti Patris æterni & primogeniti sui mortem fortasse vindicaturi essent , utique quamnam inde consolationem haurire potuissent , si ut divinus hic infans impietati subtraheretur Herodianæ , truculentissimi Pharaonis unguibus relinqueretur dilaniandus ?

Serm 151.

Gen 34 38

2 Veruntamen audite quam justas & rationabiles ob causas Ægyptus filio Deo incarnato in refugii locum fuerit assignata . Enimverò conformiter ad inhumanum illud sacrilegi illius Ægyptiorum Regis edictum Moyses raræ pulchritudinis & incredibilis gratiositatis infantulus una cum aliis Hebræorum infantibus aquis Nili submergi & necari debebat , veruntamen mater ejus *videns eum elegantem abscondit tribus mensibus , eamque jam celare non posset , sumpsit fiscellam &c.* At verò haud immeritò dicat hic aliquis , qua ratione pia hæc mater persuadere sibi potuit infantem suum super instabili illo & inquieto fluminis elemento positum securiorem futurum esse , quam dum intra paternæ domus parietes reconditus latebat ? Rupertus Abbas id factum esse dicit : *Ne propter elegantiam ejus , quæ jam ardere cœperat , magis*

Exod. 2. 2

Lib. 2. in Exod. c. 8.

inflammaretur invidia. Ecce tibi rationem cur increata illa Sapientia incarnata securiùs se in Aegypto quam in Palæstina refugium habiturum esse censuerit, quia enim ex eo quòd in agro Bethlemitico visæ fuerant Angelorum exercitus nativitatis hujus festivitatis præcones; tres itidem Reges Orientales Jerosolymam pertranseuntes in Bethlehem concesserant, ut recens hunc natum Judæorum Regem adorarent, *turbatus est Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo*, ideo adversus recens hunc natum divinum infantulum ingens oborta fuit invidiæ tempestas periculis plenissima: Unde Euthymius ait. *Excacavit illos invidia, statimque audientes turbati sunt; Persa vero cum essent extranei, non solum natum non inviderunt, imò à finibus sua regionis usque in Bethlehem propter eum venerunt: Judai verò cum essent cognati, etiam gloria ejus inviderunt*; atque ideò dicere possumus, quod Christus infans ad imitationem Moysis in Judææ domo sua propria abscondi & latere nequaquam voluerit, sed majorem habuerit de sua securitate in Aegypto habenda confidentiam, maximè quia *in propria venit, & sui*

Serm. 152. *eum non receperunt*, Chrysologus ait: *Fugit in Aegyptum; ut perfidiam Judaorum per fidem gentium castigaret, nam quem Dominum Judaa fugaverat, Aegyptus obsequenter accepit*. Dionisius quoque Carthusianus ad propositum nostrum ita scribit: *Quaritur cur potius Aegyptum ingressus sit Christus? Respondetur, quoniam Aegyptii olim tempore Joseph circa populum Israel multum bene voli erant*.

Lib. 2. in Matth. de gloria & hon. fil. Hom.

3. *Fuge in Aegyptum*. Rupertus Abbas ait: *Nimirum & hic in Herode, & illic in Pharaone unus erat Diabolus, in utroque unus idemque bacchabatur malignitatis spiritus*; Pharao enim prouti paulò ante insinuavimus populi Dei electam progeniem per Hebræorum puerorum mortem extinguere satagebat, hanc in ipso impietatem operabatur serpens astutus, ut filii Dei ex hoc populo humanitatem assumpturi Incarnationem hac ratione impedire posset, *ut dum occiderentur non evaderet ille, qui solus timebatur*, prædictum namque fuerat, futurum fore ut filius quidam Hebræus universam Aegyptum in ultimum & totale exterminium redigeret. Quonam autem modo Pharao iste delusus fuit? Jam diximus Moysen à filia ejus ob raram ejus pulchritudinem mirè capta communi aliorum interitu subductum & salvatum, ac demum in regia prædictæ filiæ aula enutritum fuisse, qui postea temporis progressu toti illi regno ruinam intulit: eidem quoque hic accidit, siquidem sanctissima Virgo duce S. Josepho filium suum ab ira Herodia salvavit, mortuis omnibus aliis præter illum qui præcipuè quærebatur: *unus tot inter funera impune Christus tollitur*, imò ipsomet Herodis filio in eadem trucidatione crudeliter enecato, eam & hunc in eadem crudelissima strage ensis Herodianus sustulit. Christus autem eo in loco ubi interitum timere poterat securissimum invenit refugium; Demum verò ex Aegypto in Palæstinam reversus, post aliquod tempus humanam in cruce redemptionem consumando, non tantum Herodis, sed omnium aliorum regum Judææ machinatus & intulit ruinam, nec non totius illius ingrati & crudeliter sævientis populi exterminium. Unde S. Bernardus ait: *Similis cum Pharaone*

Ser in oct. Paläro.

etiam Herodes suspicione laborans, eodem modo est & ipse delusus, utrobique pro unius persona numerositas trucidatur puerorum, utrobique qui quarebatur evasit.

4. *Fuge in Aegyptum*. Paulus de Palatio ait: *Abstulerat Deus ab Aegypto omnia primogenita, en reddit illi primogenitum suum, qui valorem omnium primogenitorum habet*. Porrò quia Deus olim populi Israelitici defensionem maximam in cunctis Aegyptiorum primogenitis stragem faciens, omnes Hæbreorum filios servavit illæsos, ideo inter cæteras Israelitis traditas leges præceptum hoc Moysi injunxit, ab eo & cuncto populo deinceps inviolabiliter observandum. *Mea sunt omnia primogenita filiorum Israel, tam de hominibus, quam de jumentis*; ac

Num. 8. 17. proinde: *Locutus est Dominus ad Moysen, sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis* Quæ tamen lex hac clausula mitigabatur, quod eorum filii quinque siclis in tali occasione redimi poterant: veruntamen quando Deus primogenitum suum à Judæa exulem (*Notus in Judaa Deus, in Israel magnum nomen ejus*) suumque in Aegypto refugium quærentem vidit, hanc redemptionem modo ut præfertur admittere nequaquam voluit, quin potiùs providentia sua rem ita ordinavit, ut Hebræorum infantes in illa strage sacrificium Deo offerrentur, ut vel sic parentum ipsorum puniret ingratitudinem, simulque eodem tempore filiorum cooperaretur gloriæ, utpotè quos honoratissimas Martyrum fecit esse primitias. Quodnam obsecro in eo latet mysterium, inquit idem ille Paulus de Palatio, quod Deus una cum populo suo Israelitico, cui visibiliter assistebat, ab Ægypto egrederetur, omnes regni illius primogenitos occidens, nunc verò à Judæa egrediens, Ægyptum vero in persona propria intrans Hebræorum infantes dilaniari & crudeliter discerpi permittat? *In egressu plangunt omnes matres, in ingressu item plangunt; reddit certe Deus vicem; nusquam res in eodem figuntur statu, ploraverunt olim Aegyptii matres, exultaruntque Judai; at nunc flent Judaa, & non dubito Aegyptia multa exultaverint, quando Christus Aegyptum ingressus est*.

5 *Fuge in Aegyptum*. Pulchrè Lucas Burgensis observat, quod *Aegyptiis quibus olim Deus plurima intulerat mala, jam filium suum mox futura reconciliationis arrham misit*. Etenim Moyses legis scriptæ legislator ab Ægypto in Palæstinam fugit: *Christus autem nova legis auctor ex Judaa in Aegyptum, nimirum cum Judaa vera fieret Aegyptus tribulatrix filiorum Dei* (Apoc. 11. v. 18.) *& Aegyptus in Judaam convertenda esset*. Similem quoque conceptum Apoc. 11 in S. Thomæ commentario super Matthæum hisce verbis scriptum reperio: *In Aegyptum* (supple, fugit) *quia proprium est Dei, ut memor sit misericordia in ira*, Abacuc. Abac. 3 3. *Dominus enim iratus fuit contra Aegyptios persequentes filios Israel, quia filii Israel erant primogenitus Dei, & ideo datum est ei, ut obsequeretur unigenito*. Author operis imperfecti Hom. 2. ait: *Venit in Aegyptum Jesus, ut jam non irent ad mare rubrum demergendi Aegyptii, sed vocarentur ad aquas baptismatis vivificandi*. Porrò præcitatus Angelicus Doctor in medium adducit illud Isaiæ c. 19. vaticinium: Isai. c. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Aegyptum, & commovebuntur simulachra Aegypti a facie ejus, & cor Aegypti tabescet in medio ejus*. Alium quoque ex c. 9. ejusdem prophetiæ textum adducit, ubi dicitur: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam; Ipse induxerat tenebras in Aegyptum, ideo voluit eam primo illuminare, siquidem de semetipso ait. Ego sum lux mundi*. Chrysostomus in Glossa dicit, quod inter omnia regna universæ terræ, impietas nullibi adeo invaluerit, sicut in Babylonia & Ægypto; & tamen Deus noster dum via in hunc mundum natum esset, in Persidem sive Babyloniam stellam quandam transmittit, ut ab illarum nationum regibus tenebras depellant infidelitatis, qui proinde mox ut in stabulo Bethlehemitico comparuerunt, *procidentes adoraverunt eum*; & similiter ipsemet sub Herodiani furoris declinandi prætextu, in propria persona eodem prorsus fine per fugam transportatur in Ægyptum: *Persidi quidem Magos remittit, ipse vero cum matre in Aegyptum descendit*. Salmeron cœlestem Tom. 3. Tr. 44. hunc infantem in civitate Heliopoli à sole nuncupata moram traxisse scribit, in qua templum quoddam fuisse traditur, in quo juxta numerum dierum quibus annus vertitur trecenta sexaginta quinque Idola adorabantur, quæ omnia idem Doctor ad primum Salvatoris in Ægyptum ingressum contrita & prostrata fuisse scribit, adeoque tunc verè adimpletum fuit illud Isaiæ oraculum: *Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Aegyptum &c. vocat nubem levem sanctam illam humanitatem, in qua divinitas delitescebat*. Origenes ait: *Fuge in Aegyptum, ut pro multitudine templorum, atque abominatione multarum multitudo exuberet Ecclesiarum, pro idolorum turbis, turba abundent fidelium; pro vitiis & erroribus multis, multa castitas, multaque sanctitas superabundet, multaque virginitas*. Albertus Magnus super Matthæum de puero hoc in regnum istud deportato ita scribit: *Multis plagis plagaverat Aegyptum, ingreditur ergo, ut tot plagas una sua prasenti visitatione sanaret*. Isaiæ 19. *Percutiet Dominus Aegyptum* Isai. 19. *plaga, & sanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis: unde dicitur quod Aegyptii adificaverunt altare Domino, qui prostravit Idola & sanavit eos à plagis*. Isaiæ Isai. 19. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terra Aegypti, & titulus Domini juxta terminum ejus*. Euthymius super Matthæum hanc Christi fugam in Ægyptum, regni illius incolas vel maximè ad divinum ejus cultum pertraxisse scribit, unde & populus ille deinceps tanto fuit facilior & promptior ad recipiendum Christi Evangelium. *Postea enim omnes suscepta Evangelii pradicatione plurimum gloriabantur, animoque gestiebant, eo quod fugientem Dominum suscepissent*.

§ *Fuge*

6 *Fuge in Aegyptum*. Per ejus namque præsentiam solitudines regni illius sanctificandæ erant, quia quotquot in Ægypto erant fectarum latibula, illa in totidem ferè commutata sunt Anachoretarum sanctuaria: *Aegyptus suscipit ac tuetur insidias fugientem Tyranni, namque* Homil. 8. in Matth. *tactu ipso Domini gustum quendam sanctificationis adipiscitur, ut cum illum audieris ab Apostolis prædicari, hujus quasi privilegii honore decoretur; quod Dominum prima suscepit, & certè solius hic Palæstina videbatur esse primatus, sed facta est postea ista ferventior*. S. Paschasius mutationem in illo populo post aliquantum temporis factam penitùs considerat, ita scribens: *Felix regio, quam tanti temporis spatio Sol justitiæ sua illustravit præsentia, ut quæ tantis erat idolorum sordibus polluta, fieret Deorum tanquam hortus irriguus doctrinæ Christi, & tanquam Paradisus Domini*; Deserta namque regionis illius sanctis- Homil. 8. in Matth. simis referta sunt Monachis & Anachoretis; de quibus Chrysostomus ait: *Si quis nunc ad Aegypti veniat solitudines, prorsus omnem illam videas Eremum, Paradiso digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalium, est enim cernere, in tota illa regione diffusum exercitum Christi*.

7 Pro conclusione hujus discursus documentum aliquod ex hac in Ægyptum directa fuga capere possumus, quod in non vulgarem utilitatem addiscere valemus, & ab expositore quodam non vulgatæ authoritatis his verbis traditur: *Aegyptus præ aliis regionibus idolis dedita, tamen in ea invenitur Christus: econtra Jerusalem civitas sancta erat, Pharisæi justi externè erant, nec tamen apud eos invenitur Christus; non igitur locus, vestis officium &c. hominem reddunt sanctum, nec omnino qui Jerosolymis habitant, qui vocati sunt ad fidem electi sunt; econtra non omnes, qui in Aegypto, idest, qui judicantur* Io. Ferus. *peccatores, reprobi sunt*. Et paulò post pergit dicere: *Ubi Christus ibi lux, etiamsi in Aegypto sit, ubi Christus non est, ibi tenebræ sunt, etiamsi Jerosolymis sit*.

De Sanctorum Innocentium præconiis, & quanti Deus illos semper æstimarit.

DISCURSUS TERTIUS.

Innocentes pro Christo infantes occisi sunt.

1 ANte triduum Angeli de cœlo in terram hanc descenderunt, ut pacem eidem annuntiarent, at verò quænam est pax illa, quæ tot parvulorum innocentum cruentam secum stragem adfert? Pauci dies abierunt, à quibus nil nisi Musica & cantus audiebantur cœlestis Paradisi, & ecce hodie econtra nisi ejulatus, lamenta, & planctus audiuntur: *Ploratus & ululatus multus*: In die natalitio Salvatoris cœlestis sphæræ suavissimo manna repletæ fuerunt, illeque per totum hoc Dominici Adventus tempus desideratus, totiesque à Deo rogatus cœli ros dulciter & placidè depluit. *Rorate cœli desuper*: *Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli*: Hodie verò terrà solum sanguine madet, nec quicquam ferè aliud passim cernitur præterquam parvulorum infantilium divulsa & dilacerata crudeliter membra: Paulò ante pastores divinum infantulum adoraturi certatim accurrebant, qui tamen iidem fortassè hodie nil adeò gnaviter quàm ejus mortem machinantur: Nuper Angeli Jesulo recens nato *Gloria in excelsis* acclamarunt, hodie verò iidem sub noctis tenebris comparent, ut eidem solicitam & ignominiosam fugam præpropere instituendam insinuent. Imò verò quod vel maximam admirationem & stuporem nobis meritò conciliare debet, idem ille Dei filius, qui ante triduum ut hominem salvaret de cœlo descendit: *Natus est vobis hodie Salvator*, hodierna die ipsemet opus habet ut salvetur ab alio, cuique ab homine salvando de salutis corporalis securitate prospiciatur. Quid est quod idem ille Job. 4. 7. Deus, qui quondam dixit: *Quis unquam innocens periit?* quique se innocentium defensorem & patronum esse semper probavit, ideoque ait: *Innocentes adhæserunt mihi*, quod inquam idem ille hodie eosdem à crude- Ps.24. 2. li & impio ferro ipsius causa transadigi permittat? *Innocentes pro Christo infantes occisi sunt*.

2 Verum enim verò memoria repetendum est, quod Joan. 10. Christus Joan. c. 10. dicit. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*: Ideo enim mortalitatis nostræ exuviis indutus in hoc mundo comparuit, ut nos deinceps veræ vitæ quæ immortalis & æterna est, faceret esse participes, ac proinde nequaquam credendum est eum qui innocentiam tanti æstimavit, omnem ejus tuendæ ac defendendæ deposuisse memoriam. *Fratres*, inquit Chrysologus, *Christus non neglexit suos milites, sed provexit, quibus dedit ante triumphare quam vivere, quos dedit capere sine concertatione victoriam, quos donavit coronis antequam membris, quos voluit ante cœlum possidere quam terram*. Porrò sacri interpretes in celebranda fortunatissimorum horum infantium gloria strenuè inter se decertant. S. Augustinus ait: *Quam feliciter nati, quibus in primo nascendi lumine æterna vita obviam venit; immaturi quidem videntur ad mortem, sed feliciter moriuntur ad vitam, nondum ingressi infantiæ cunas, & jam perveniunt ad coronas*. B. Laurentius Justinianus crudelitatem ferri illius considerat, quod uno eodemque tempore, quo tenera horum infantum pertransibat corpuscula, iisdem sine voluntatis ipsorum interventu gloriæ coronam fabricabat. *Erat mors hæc crudelis & pia pœnalis & sancta, quæ sine consensu voluntatis natura retinente donabat cœlum; ignorabant equidem Dei legem, cœleste regnum, quid perferebant, & pro quo patiebantur, & nihilominus pœna illa eisdem computabatur ad gloriam: unde hoc, & cur hoc? commendare voluit Deus in his pueris misericordiam suam*. Eusebius Emissenus felicitatem ipsorum considerat in eo præcipuè consistentem, quod à matrum suarum sinibus ad sinum transeant Angelorum: *Rapiuntur*, inquit, *à complexibus matrum, sed redduntur gremiis Angelorum, quàm beata ætas! necdum* De Epi. & infant. *Christum potest eloqui, & jam pro Christo meretur interfici*. Inter omnes vero scriptores sacros & SS. Patres nemo est, qui majori cum eloquentia eorum nobis præconia describat, sicut B. Laurentius Justinianus: *O Dei stupenda dignatio, quæ nolentes plorantesque transmittit ad requiem, sine pugna consensu hi coronantur infantes*. Eximia profectò fuit horum Innocentum felicitas, quibus concessum fuit in beatis paradisi littoribus appellere, absque eo quod periculosas hujus infidi maris undas sulcarint. *Alii laborant toto vitæ suæ tempore, alii usque ad sanguinem certant, nonnulli tentationibus, vigiliis, jejuniis, pernoctationibusque crebris seipsos affligunt, sicque alii, alii sic desudant & patiuntur, ut regni cœlestis mereantur esse participes, isti autem non ita; brevissimo propter Christum persecutione ingruente jugulati pariter & coronati sunt, absque ulla perpessione malorum, quorum mundus est plenus, à matrum uberibus in æternitates transiere perpetuas*.

3 Sanctissimus patriarcha & credentium pater Abraham duas uxores habuit, unam ancillam nempe Agar, altera verò Sara erat, quæ libera fuit, in quarum illa synagoga, in hac verò Ecclesia denotabatur: & quidem nisi hi Infantes in hac persecutione Herodiana suam pro Christo vitam prodegissent, utique facti fuissent filii ancillæ, idest, synagogæ: *Si stetisset Christus, haberet eos synagoga filios*, inquit Chrysologus, *hos Ecclesia Martyres* Serm. 173. *non haberet*. Fuga igitur Christi hisce parvulis possessionem tribuit regni cœlorum, qui aliàs Christo non fugiente de numero eorum futuri fuissent, de quibus Christus prædixit, dum ait: *Filii autem regni ejicientur in tenebras*. Matth. 8. 12 Fuga Christi infallibile fuit magni illius amoris signum, quo Christus hosce infantes ejusdem secum ætatis consortes est prosecutus; nam quod e Judæa fugiens morti eos tradiderit, id ab eo alio consilio factum non fuit, quam ut martyrii diademate eosdem coronaret: *Fugere istud*, inquit Chrysologus, *est amoris intimi, non timoris ignavi*. Quis scit an hi infantes de illorum numero futuri non fuissent, qui coram Pilato exclamabant: *Tolle, tolle, crucifige*, nisi hac immatura, imò felicissima morte non fuissent coronati?

4 In historiis scribitur, quod quando Augustus etiam Herodis filium in inhumana illa innocentum puerorum strage occisum esse intellexit, in hæc verba prorupetit: satius esset in Herodis curia porcum esse, quàm hominem; quamvis hac in re turpiter valdè erraverit, *quia animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus*. Gratia namque specialissima fuit illa, qua divina pietas occisum ab Herode proprium filium affecit, dum illo terreno ac temporali regno privando regni cœlorum fecit esse consortem: verisimile etenim est, quòd cùm eadem ex causa cum aliis infantibus occisus fuerit, eandem quoque cum

aliis in..utibus misericordiam participaverit. Undè illa S. Augustini verba iisdem adscribere possumus: *Nunquam filio tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio.*

5 Paulus de Palatio supec Evangelium hodiernum optimè notat, quod Christus sapientia increata permittere nequaquam voluerit, ut Infantes Bethlehemitæ & io confinibus eorum nati in æternæ damnationis baratthrum agerentur præcipites, neque illos purgatorii ignibus adjudicari voluit, eo quòd coætanei sui essent quoad natales, ejusque patriotæ: *O summam dignationem, si vixissent, multi eorum condemnarentur, aut si non condemnarentur, in pœnarum purgantium locum cogerentur abire, noluit puer natus pueros secum natos potestati diabolica subjacere.* Idem quoque scriptor aliam habet considerationem, similem illi, quam B. Laurentius Justinianus adducit, videlicet quod ideo infantes innocentes ab hac immatura morte Christus non exemerit, quia si in adultiorem usque ætatem vixissent, necessario illis primo pugnandum fuisset, priusquam ad victoriam pertingere possent. *Hi infantes si vixissent, & ad cœlum ire voluissent, quoties erat illis necesse gladium è vagina eximere, seque ipsos jugulare? Quid vero? annon melius est semel alienæ crudelitati perire, quam toties me contra me esse crudelem? O parvuli beati* (ita illos alloquitur S. Augustinus) *modo nati, nunquam tentati, nunquam luctati, jam coronati. Ille pro vestra corona dubitavit in passione pro Christo, qui etiam baptismum parvulis prodesse non existimat Christi; non habebatis quidem ætatem, qua in Christum passurum crederetis: sed habebatis tamen carnem, in qua pro Christo passuro passionem sustineretis.*

Ser. 62. de diversis.

6 Opponere quidem non nemo hoc loco posset, quod si hi infantes in adultam usque ætatem vixissent, majora utique sibi comparare potuissent merita ad gloriam: at verò ad id pari facilitate respondere quis posset; in casu longioris vitæ majorem fuisse de futuræ salutis jactura ipsorum, quàm de salute adipiscenda præsumptionem. Valde enim rationabiliter timendum fuisset ipsos plurimorum aliorum malorum hominum rapidum torrentem secututos fuisse. Undè Euthymius super Evangelium præsens ita scribit: *Fortassis & hi pueri probi futuri non erant; si enim eos qui peccant Deus in vita sustinet, ipsorum expectans conversionem: multo magis credendum est eos, qui virtute magni futuri sunt, nequaquam vita privare.*

7 *Infantes occisi sunt.* Chrysologus de hisce pueris innocentibus in tenera adeo ætate tanta cum inhumanitate dilaniatis ita scribit: *In teneris uberibus ferrum durat, lac fundit antequam sanguinem, aut ante mortem sentire quam vitam, tenebras ingerit intrantibus lucem.* S. Augustinus ad ea, quæ afflictæ ac dolentes matres cùm carnificibus miscebant lamenta, & querimonias amaras sese reflectit, dum ait: *Pugnabat mater & carnifex; ille trahebat, ille tenebat, ad carnificem mater clamabat: quid separas à me quem genui ex me? modo eum effuderunt viscera mea, & tu elidis ad terram? Alia clamabat: si culpa est, mea est; alia dicebat: quid quæritis? unum quæritis: & multos occiditis? & ad unum qui unus est, attingere non potestis; alia contra clamabat: veni, veni jam Salvator mundi! quamdiu quæreris, nullum times; videat te miles, & nostros non occidat infantes.*

8 Porrò priusquam hunc claudamus Discursum, utilissima quædam prius documenta, quæ ex hac strage elici possunt, in medium adducamus. Metaphrastes in sermone quodam de hodierna festivitate, qui S. Severino ascribitur, ita ait: *Arridebat parvulus occisori, gladio adjocabatur infantulus, nutricis loco attendebat lactans percussoris horrorem, nescia lucis ætas moritura gaudebat, infans filius omnem hominem non hostem respicit, sed parentem;* imò tanquam genitorem & parentem tantò acceptiorem & gratiorem, quantò verius est, quòd miles crucidans vitam infanti occiso contulerit non mortalem, sed sempiternam. Contingit sæpè quòd in homine irreprehensibilis & innocuæ vitæ illam detestemur paupertatem, vel illam persecutionem, illam infirmitatem, vel injuriam illam, & non intelligimus quod Deus talia & quæ sunt hujusmodi mala alia ad coronæ & gloriæ lucrum comparandum ordinet. Urbanus IV. in Psalmum 50. ita scribit: *Apes etsi inferant punctionis dolorem, amantur tamen, quia mellis dulcedinem administrant; ita etsi persecutores pugnant, posteà tamen non sibi mella fluunt; sed patienti.* Nos quidem aculeum & puncturas videmus, suavitatem tamen mellis minimè videmus; vulnus quidem videtur & dira passio, non verò æterna retributio, quæ passionem infallibiliter consequitur; sub carnificum illorum cruentis ensibus aureolæ abscondebantur martyrii, quæ deinceps sequentibus sæculis ab ipsismet primis Ecclesiæ cardinibus, tantis cum suspiriis desideratæ fuerunt.

9 Alterius documenti loco serio ponderare juvabit, qualiter Deus per infinitam sapientiam suam ex malis bona sapientissimè & efficacissimè elicere norit: *Sapientiam Creatoris collaudemus* (inquit Dionysius Carthusianus) *quoniam ipse ex malitiis hominum tot elicit bona, atque tam variis modis succurrit per Christum hominibus, qui ex inaudita & crudelissima Herodis malitia eliciebat tot infantulorum martyria, quos coronavit Christi virtute & gratia.* Alius quoque expositor quidam similem considerationem instituit hisce verbis: *Sicut iniqui malè utuntur bonis operibus Dei; sic contrà Deus bene utitur malis operibus iniquorum: sic invidia filiorum Jacob contra Joseph ad hoc profuit, ut nedum Aegyptus, sed ipsi fratres tempore famis per ipsum salvarentur: sic iniquitates Judæ & Judæorum adhoc valuerunt, ut genus humanum redimeretur; sic Herodis impietas Aegyptiis profuit.* Theophylactus super S. Matthæum ita scribit: *Quare autem permissi sunt pueri occidi? ut ostendatur Herodis malitia. Sed fortè dicis mihi: Ecquid hoc? numquid ut ostendatur illius malitia, ideò injuria debet fieri pueris? audi igitur, quod non injuria affecti sunt, sed coronas meruerunt.* S. Cyprianus ita scribit: *Sic Sanctorum persecutionibus tyrannus illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat; & quod ille in perditione molitur, hi utuntur pro beneficio.*

Ser. 5. de Innoc.

Io. Ferus.

Ser. de Epiph.

Exponuntur causæ cur sancti hi Innocentes primitiæ & flores Martyrum appellentur.

DISCURSUS QUARTUS.

Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno. Apoc. 12.

1 DEus Opt. Max. in pluribus veteris Testamenti locis primitias sibi ab hominibus offerri præcepit. *Primitias tuas non tardabis reddere: primitias frugum terræ tuæ inferes in domum Domini Dei.* Et quidem expressiùs per Sapientem monet, dicens: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum suarum da ei:* mox etiam lucrum insinuat, quod ex hac tali oblatione in nos redundare solebat, dicens: *Et implebuntur horrea tua, & vino torcularia tua redundabunt.* Cum igitur Filius Dei (qui de seipso testatur dicens: *Non veni legem solvere, sed adimplere,*) eo præcipuè fine è cœlis in hanc terram descenderit, ut copiosam sibi animarum messem in cælestia horrea ad gloriam congregaret. *Messis quidem multa;* ecce qualiter non patiatur, ut hæc horum innocentum Martyrum veluti primitiarum oblatio æterno Patri suo litanda diu differatur; hi enim in Epistola hodie lecta hoc decorantur glorioso epitheto: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Et in hymno, qui hodie in officio divino cantatur, flores appellantur Martyrum: *Salvete Flores Martyrum.* S. Leo sanctam Dei Ecclesiam agro comparat copiosam messem referenti: *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper dominicus ager segete ditiori vestitur.* Ecce igitur qualiter hodie *primitias frugum intulit in domum Domini, & non tardavit,* quin potius *easdem in regiam supremæ Majestatis domum inferre accelerarit.*

Exod. 22. 23. Exod. 23. 19. Prov. 3. 9.

Ser. 5. de Nat. Ap. Petri.

2 In alio quodam Exodi loco scriptum reperio hisce verbis: *Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi.* Per hoc autem tabernaculum sancta Dei Ecclesia intelligitur, quæ prouti in eodem libro scribitur, quæ sub hujus mystici tabernaculi figura pellibus rubricatis vestiri & contegi debebat: *Facies & operimentum aliud tectum de pellibus rubricatis.* Ecce tibi hic simul hodie hujus Taberna-

Exod. 35. 22.

Exod. 26. 14.

bernaculi primitias & pelles rubricatas, nimirum sanctissimos hosce Ecclesiæ Prothomartyres, qui primi Martyrum flores existentes, quàm copiosa fructuum messis annis sequentibus maturioribus futura sit, denotarunt. Rupertus Abbas Tuitiensis Innocentes hosce prognosticasse dicit: *Innumera in orbe terrarum millia Martyrum, sed illi primitiæ fuerunt, quos omnes Rachel, id est, mater Ecclesia nuncusque deflet.*

In Matt.a

3 Origenes sese ad reverentiam & venerationem reflectit, quam sanctis hisce Martyribus semper detulit sancta mater Ecclesia: *Horum*, inquit, *memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur, ut primorum Martyrum pro Christo occisorum, & ut ipsa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse Salvator, obtulisse videatur.* Chrysostomus hanc primitiarum allusionem sive metaphoram prosequens, aptius ad propositum nostrum loqui non poterat, dum ita ait: *Transmisit infantes infans Christus ad cœlum nova xenia Patri, primitias fructuum exhibet genitori; ostendit quidem futuram fœcundissimam messem, dum in semine tantam exhibet ubertatem.*

Hom. 3. in divers. in Matt. loc.

4 *Primitiæ*. Solent primitivi fructus ut plurimum acerbi esse, neque enim maturitatem, saporem & substantiam illam habent, quàm alii maturitatem suam assecuti fructus habere solent, & tamen hoc non obstante, ob novitatem & raritatem suam gratiores semper sunt, majorque in pretio: eodem modo tametsi pueri innocentes perfecto martyrio coronati non fuerint, apud omnes tamen tanquam primi Martyrum flores in prætio & veneratione summa habentur. Similiter quando perfectio alicujus rei in summo gradu existens explicanda venit, dici solet, v. g. Est in flore ætatis, id est, in optima & jucundissima ætate, vel, est flos ingeniorum, id est, præstantissimum ingenium: ita quoque ut nobis constet, quantum nobis innocentes infantuli pro Christo martyrizati venerandi sint, Ecclesia illos Martyrum flores appellat dicens: *Salvete flores Martyrum.*

In Matt.a

5 Albertus Magnus ingeniosè observat, quod inter ea festa; quæ sub Natalitiis feriis celebrantur, primus locus S. Stephani festivitati attribuatur, qui simul martyr extit opere & veritate, quod martyrii genus perfectissimum est. Secundo verò in loco S. Joannes collocatur: *Qui voluntate, non actu martyr fuit.* Tertio denique loco *ponitur festum Puerorum, qui actu, non voluntate testes sunt, quia præconium Christi non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Et tamen hoc non obstante Ecclesia illos pari honore afficit, quo alios præstantissimos Ecclesiæ Martyres, Stephanum, v. g. vel S. Laurentium afficere solet; siquidem proprium illis attribuit, optimeque concinnatum officium; festivus ipsorum dies solemnis est, & sub præcepto feriatur, ac denique octava eidem conceditur. Lyranus super verba in principio hujus Discursus à me ex Apocalypsi proposita ita scribit: *Primitiæ, id est, gratiosi sicut primi fructus sunt magis delectabiles.* Quanta putas ex hac innocentum puerorum strage Christo resultavit gloria? Per hanc etenim nativitas ejus divulgata fuit per universum mundum, ideoque divina Sapientia hac strage usa fuit, ad tantò magis manifestandum Messiæ huic terræ promissi adventum. S. Leo ait: *Ut dum Herodes atrociter intentus facinori ignotum sibi puerum indiscreta infantium cæde persequitur, annuntiatum cœlitus Dominatoris ortum insignior ubique fama loqueretur.* Dicit autem Lyranus de primitiis hisce, quod sint *delectabiles*, quia ad martyrium illorum non concurrit voluntas propria ipsorum, utpotè qui liberi arbitrii usu etiamnum destituti erant. *Apparuit humanitas & benignitas Salvatoris nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecerat, sed secundum misericordiam suam salvos fecit eos.* Non fuerunt Martyres per merita sua, sed ex divinæ pietatis ac liberalitatis unico & solo motivo; & ideo *delectabiles*; quia incoronatis hisce infantibus omnipotentia, adeo dignum Majestatis Altissimi attributum vel maximè eluxit; siquidem *Martyres eos fecit, quia voluit*: *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, vel etiam dicuntur *delectabiles*; quia tenellis hisce infantulis mediantibus eo tempore, quo ipsemet tenellus etiamnum infans esset de suis inimicis triumphavit; undè advertendum est, quod Ecclesia, postquam è Psalmo Davidico cecinit: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem*: protinùs subjungit: *Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem*; quamvis idipsum in eo fuerit supplicio adimpletum, quod divina justitia de impio Rege sumpsit.

Serm. 2. de Epiph.

Tit. 3. 4.

Mansi Prompt.

6. *Primitiæ*, id est, *gratiosi sicut primi, fructus*, Chrysologus ait: *Verè, verè fratres isti sunt gratiæ Martyres, confitentur tacentes, nescientes pugnant, vincunt inscii, moriuntur inscii, ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.* Omnis hic sanguis effusus, omnis illa gloria, illæ coronæ, aureolæ omnes horum innocentum Martyrum solius divinæ gratiæ fructus sunt, primitiæ sunt. Porrò alii Martyres post Redemptoris nostri crucem & passionem passi sunt, & ideo non adeo miranda est eorum fortitudo, quia Redemptor noster cunctis sequacibus suis ad effudendum pro ipso sanguinem generosos per mortem suam animos addidit: *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*: at verò hi innocentes Martyres pro Christo mortui sunt, priusquam Christus moreretur, imò priusquam quisnam Christus hic esset, aliundè didicissent, atque insuper hanc habent præ cunctis aliis Martyribus specialissimam prærogativam, quod videlicet communis Redemptoris nostri vitam morte sua salvarint omnique periculo exemerint; siquidem *tot inter funera Christus tollitur.* Ser. 153.

7. *Gratiosi*: quia ut idem Chrysologus scribit: *Cœperunt antè militare, quàm vivere; antè pugnare, quàm ludere; fundere antè sanguinem, quam lactis ubera potare; ardentes animæ moras corporis non tolerant, à gremio ad furentes hostium cuneos pervolantes, anticipant virtutibus blandimenta, vulneribus oscula, unguenta ferro, ut cœlum possint antè inhabitare, quàm terram, præmia spiritus antè portare quàm carnem.*

8. *Gratiosi*. Quia alii Martyres pro fidei, vel alterius virtutis cujusdam defensione suum sustinuerunt martyrium; hi verò non pro Evangelio aut fide Christi defendenda, sed immediatè & directè pro ipsamet Christi persona securè conservanda fuere dilacerati; ad quod excellentiæ fastigium nulli alii Martyres potuerunt attingere. Nescio an aliquando ad illam, quæ in Ecclesia canitur, Antiphonam reflexionem quandam habueritis, qua dicitur: *Isti sunt Sancti, qui passi sunt propter te.* Id quod de innocentibus hisce Martyribus meritò canitur; quia tametsi omnes Sancti cunctique Martyres pro Dei amore patiantur, & crucientur, nullus tamen eorum eo fine pro Deo passus est, ut ipsummet Deum à mortis periculo liberaret, prout passi sunt sancti hi Innocentes; hi enim ita pro Christo mortui sunt, ut carnifex illos trucidans, in quolibet horum infantum occisorum ipsimet Dei filio necem inferre censeretur.

9. Sunt & alia inter hos infantes innocentes & alios Martyres magnæ diversitatis discrimina. Primò, quia alii, dum in mediis tormentis acerbissimè cruciarentur, in superiori animarum suarum portione cœlestibus sunt consolationibus perfruiti; hi verò meros & quovis solatio impermixtos passi sunt cruciatus & pœnas, utpotè qui per ætatem incapaces erant interni refrigerii spiritus. Secundo, alii Martyres jamdudum vixerant, priusquam illis aperirentur venæ per idololatrarum malleras; hi vero sanguinem pariter miscuerunt cum lacte. Tertio, alii jure meritò dicere potuerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus*, quia ad minus venialiter Deum suum offenderant: hi vero ætatis & annorum defectu culpæ omnes incapaces erant: *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Quarto, alii Martyres justam habebant causam, qua efficaciter moveri poterant, ut quàm libentissimè ictui se gladii subjicerent; siquidem subito post mortem paradisus illis aperiebatur, ideoque pro perpessis viris suppliciis sine ulla mora corona retribuebatur, & præmium: at vero hi post diram mortem perpessam, unà cum omnibus animabus electis in sinum Abrahæ repositæ cœlestem retributionem per longum temporis spatium præstolari debebant.

10. *Primitiæ*. Albertus Magnus ait: *Quadam prærogativa ab aliis separati, sicut primitiæ eliguntur ex fructibus.* Etenim ex toto genere humano specialis quædam facta est horum infantium electio & separatio ob eximium honorem & prærogativam sublimem, qua condecorandi erant, nimirum quod vitam veræ vitæ, scilicet Christi, conservaturi, floresque & primitiæ Martyrum futuri erant. Undè Chrysologus ait: *Beatos quos martyrio natus vidimus esse, non sæculo.* Et S. Augustinus de iis ita scribit: *Dignè natalem illorum coli* Serm. 197. Serm. 5. in Apoc.

mus, quos beatius æternæ vitæ mundus edidit, quam quos maternorum viscerum partus effudit; siquidem antè vita perpetua adepti sunt dignitatem, quam usuram præsentis acceperint; secùs enim, inquit idem Doctor, Deus illos ab hoc macello potuisset subducere, *si sciret illa morte perituros, & non potius majori felicitate victuros.*

11 *Primitiæ.* Primitivi fructus, necnon cuncta primogenita tam de hominibus quàm de animalibus Deo in sacrificium offerre consueverant. Salmeron de Davide ait: in libris Regum scribitur: *Inferens arcam Domini in Bethel immolavit hostias, & pacifica; ita cum Pater æternus humanitatem Christi intulit in Bethlehem, etiam ibi immolatæ sunt victimæ filiorum.* Et quidem ex quo ex Hebræis multi filios suos idolo Moloch sacrificabant. *Quid mirum si Deo immolentur Judæorum filii, qui per mortem hanc ad æternam salutem pervenerunt?* Et sanctus Augustinus ait: *Deus est qui natus est, innocentes hi debentur victimæ, qui venit damnare mundi malitiam, agnelli debent immolari, quia agnus futurus est crucifigendus.*

2. Reg. 6.

Serm. 8. de Sanctis.

12 *Primitiæ.* Fructuum primitiæ communiter optimè & delicatissimè sapiunt, quia tametsi minus de sapore habent, tamen ob delicatam sui teneritudinem mirè placent. Idem quoque de novellis hisce fructibus, nimirum Innocentibus Martyribus dicere possumus, quod videlicet hi in mensa agni illius immaculati gratissimi fuerint maximèque accepti; quia tametsi propria merita non habuerint, sicut alii Martyres in provectiori ætate tormenta passi, ob suam tamen innocentiam & teneram infantiam mirè fuerunt grati; *sine macula enim sunt*, adeoque Salvatori innocenti agnello persimiles existunt. Dionysius Carthusianus ait: *Christus valde diligit innocentiam, adeo illos amplectebatur parvulos, qui in charitate fuerunt, & gratia sicut nunc infantuli baptizati; erant enim quippe circumcisi: similitudo est causa amoris, idcirco non mirum quod innocentissimus agnus ac filius Christus Deus & homo innocentes pueros tantum dilexit.* Idem quoque fuit conceptus S. Leonis dicentis: *Amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam.*

Serm. 3. de Inno.

Ser. de Epiph.

13 *Primitiæ.* Solent primitiæ communiter festivo cum gaudio, lætitia & plausu communi recipi, eo quòd certissima sint fructuum maturiorum, majorisque abundantiæ pignora. S. Cyprianus ait: *Acta est nativitatis solemnitas jubilantibus Angelis, deursum ex ore infantium & lactentium laus est perfecta resonantibus usque ad cælos victoriæ tubis, & versus est parvulorum vagitus in gaudium, & luctus in jubilum, sequente non stellam, sed agnum exercitu Innocentium, & bajulante gloriosissimi triumphi solemne vexillum.*

Serm. de Epiph.

Super hodiernæ Festivitatis Evangelium variæ instituuntur considerationes.

DISCURSUS QUINTUS.

Fuge in Aegyptum, futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Matth. c. 2.

1 EVangelium hodiernum fugam continet Salvatoris, parvulorum Innocentum lamentabilem stragem, ac demum delusam ac derisam crudelitatem Herodianam, quæ omnia magnis mysteriis utilissimisque spiritualibus documentis turgent. Et primo quidem loco de fuga discutremus.

2 *Fuga.* Glossa ait: *Quàm citò Christus apparuit mundo, incepit in eum persecutio.* Idemque, ut Angelicus Doctor ait, iis contingere solet, qui ad Deum sese convertunt: *statim quando quis convertitur ad Christum, incipit tentari.* Euthymius quoque dicit. *Hinc quoque docet nos, quod fidelem statim tentationes ab exordio expectare oporteat, vide enim quomodo ipse statim à cunis appetitur insidiis, abitque in exilium: fugit quoque mater & Joseph, sed & Magi in modum fugientium clam discesserunt.* Equidem præcipuè fine de cœlo in terram descenderat, ut genus humanum redimeret, nostramque operaretur redemptionem, quodnam opus illo dignius, majorisque meriti dari poterat, & tamen protinus tot ei opponuntur contradictiones: idque ut S. Thomas ait: *ut si tu incipiens alicui spirituali rei deservire, videaris tribulari, non turberis: sed omnia viriliter feras hoc habens exemplum.*

Gloss.

3 *Nocte consurgens accepit puerum.* Nullam S. Joseph in obediendo præcepto Dei interposuit moram aut dilationem, nec quicquam turbatus est, aut contradixit; potuisset quidem præcepti sibi impositi executionem in sequens usque diluculum differre; potuisset quoque Angelo considerandum proponere, quod Ægyptus procul à Judæa abesset, essetque regio vero vivoque Deo planè contraria & inimica: vel non deesse æterno Patri alios modos diversos, quibus Filium suum ab ira Herodiana salvum subduceret, ac proindè nequaquam opus esse, ut se in fugam omnipotentiæ suæ adeo præjudicantem & ignominiosam conjiciat; & tamen ne minimo quidem verbo prolato præceptum Angelo nuntiante sibi à Deo impositum effectivè exequitur.

4 *Nocte consurgens.* Hugo Cardinalis ait: *De nocte, hoc est, quàm occultè debemus fugere de mundo*; quia si parentes, amici, aut alii interessati propositum nostrum penetrare possent, quòd scilicet Deo nos totaliter dedicare statuissemus, omnem utique adhibituri essent operam & studium, ut indè nos dimoverent. Tom. 3 in. 44.

5 De nocte, inquit Lyranus, *ut negotium fieret magis occultè.* Et idem Salmeron ait: *Semper humana cautela adhibenda, ne Deus tentetur.* Equidem Angelus Josepho nequaquam inter noctis tenebras discederet, præcepit, veruntamen sanctus Christi nutritius prudenter se gerere voluit, ne Deum tentaret ob periculum, ne fortè diurno tempore fuga ejus tantò manifestius notaretur; nam ut probatus quidam Interpres ait: *Credibile est prope fuisse carnifices, qui puerum quærebant, quando in tempesta nocte fugere jubetur*: unde videtur quod priusquam Deus nobis succurrat, nosque eripiat, in extremum usque periculum sæpè nos redigi permittat. Maldon. in Matth.

6 De nocte. Alius quidam non contemnendus interpres super illa verba aliud quoddam morale documentum adducit hisce verbis: *Quod autem Christum abduxerit, designat, quod noctem ignorantiæ & cæcitatis iis, à quibus recessit, reliquit; ubi enim Christus, ibi lux.* Jo: Fer. in

7 Beata Virgo unà cum S. Josepho, imò & divinus ejus infantulus Jesus multas usque in hac fuga exercuerunt virtutes. Glossa ait: *Mira humilitas Christi, fugit qui refugium est aliorum & virtus.* Dionysius Carthusianus ita scribit: *Descripta pueri Jesu veneratione, quâ ejus divinitas patuit, consequenter describitur ejus persecutio, in qua sua humanitas clarè innotuit.* Lucas Burgensis, quam fuerint ob summam paupertatem suam ab omni onere & impedimento immunes, ideoque ad proficiscendum expediti his verbis optimè considerat: *Non sarcinas multas ante fugam colligendas, non opes commutendas, non debita repetenda habebant, sed his liberi, oneribus expediti vocantem secuti sunt Deum liberi, omnibus quæ esse poterant, spretis.* Gloss.

8 Advertendum quoque est, S. Matthæum, cujus calamus à Spiritu sancto motus & gubernatus fuit, postquam obsequii & adorationis à tribus Regibus nato infanti exhibitæ mentionem fecisset, immediatè post progredi ad referendum ea, quæ sub hac Herodiana persecutione contigerunt, ut vel indè intelligeremus consolationes hujus vitæ ab ejusdem ærumnis plurimum in se amaritudinis continere. Undè Jansenius ait: *Perpendendum hic post tam multa & præclara Christo exhibita testimonia, quanta humilitas secuta mox sit; ut intelligeremus nullam hujus mundi gloriam stabilem esse, ac proindè nec magni faciendam.*

9 At vere Paulus de Palatio aliam hac de re habet considerationem, nimirum hanc fugam Josepho de nocte intimatam fuisse, postquam à tribus illis Regibus tanquam talis adoratus fuisset, in cujus fœmore scriptum erat: *Rex regum & Dominus dominantium: Norint qui adorantur ut Reges, non se adorari ut pacem & delicias habeant, sed ut peregrini sint, ut nunquam quiescant, ut nunquam dent oculis suis somnum, & etiam eo tempore, quo maximè capiendus esset.*

10 S. Thomas modum nos docet, quem observare debemus, ut à peccato fugiamus; dicit enim: *Primo debet excutere pigritiam*, ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te* Ephes. 5

Christus

Christus. Secundo, debet accipere fiduciam a matre & filio scilicet Christo. Ecclesiastici 24. *In me omnis spes vitæ & virtutis. Tertio, debet fugere à peccato, adjutus auxilio matris & pueri.* Psal. 54. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Eccl. 24. Pſ. 54.

11 *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus; Rachel plorans filios suos.* Paulus de Palatio considerat, quòd innocentes nato Salvatore occisi sint, non ob propriam, sed alienam culpam, *non sua iniquitate, sed Herodis crudelitate.* Quando verò ipsemet Salvator moritur simul cum ipso in eadem societate duo latrones morti adjudicantur, *non aliena, sed propria culpa. Quid est quod natalis dies Domini & funereus sanguinis fœdantur humano?* Respondet increatam illam Sapientiam per hoc nos docere voluisse, *quod tam innocentes quam nocentes vitam debeant deponere priorem, si vita volunt vivere æterna;* adducitque hunc Apostoli textum: *Deponite vos veterem hominem, & induite novum, qui in justitia & sanctitate creatus est, vetera abitora sunt, si nova debent fieri omnia. Non sat ergo nasci, sed oportet renasci: porro si renascendum, moriendum prius est; itaque confessio latronis in cruce pendentis, latronem veterem exuit, & novum justum effecit. Et ita sanguis, quem Innocentes effuderunt pro Christo, veterem deposuit Adam, novumque in illis Christum formavit.*

12 *Ploratus & ululatus multus.* Porrò hujus tam amari planctus rationem S. Paschasius his verbis reddit: *Nam & vox sanguinis tantorum puerat silere super terram, cum vox sanguinis Abel ad Deum clamet de terra in cælum? vox igitur in Rama digne audita est, quia in eorum specie genus omnium, qui pro Christo passuri erant figurabantur. Occiduntur infantes, dum Christus infans quæritur, & in ejusdem infantibus nascitur forma martyrii, ubi totius Ecclesiæ infantia mirabiliter dedicatur; ex quo sensim membra corporis parantur Christo conformia, donec omnes in mensuram plenitudinis ejus in virum perfectum ad æternitatem regenerati celerius occurramus.* Huic conforme est quod Glossa hac de re ita scribit: *Figurat mors parvulorum passionem omnium Martyrum ab impiis posse perimi, sed Christum ab eis non posse auferri.* Glosſ. Chrysologus quoque notabilem quandam observationem adducit in medium, ac proindè præmittit, dicens: *Hoc loco attendat auditor, attendat ut intelligat, martyrium non constare per meritum, sed venire per gratiam. In parvulis quæ voluntas, quod arbitrium ubi captiva fuit & ipsa natura? de martyrio ergo demus totum Deo, nil nobis.* Lucas Burgensis dicit per hoc nobis insinuari, quod in hoc casu nihil à nobis derogandum sit providentiæ Dei versus hos infantes, siquidem illos adeo crudeliter dilaniari permisit, ut cœlesti puerulo Jesu de omnimoda securitate & salute prospiciat: *Porro non fuit injustus Deus, qui erepto puero Christo cæteros pueros, quos numero quaterdecim millia Missa Aethyopum definit, tyrannicæ de reliquit: potest enim ad gloriam suam quibuscunque, ita ut voluerit Deus, uti; magnum verò his puellis beneficium præstitit, quos martyrii corona insignes in æternitatis profectum transmisit.*

13 *Vox in Rama audita est.* Dionysius Carthusianus ait: *Rama interdum est proprium nomen loci, interdum verò est nomen commune, & interpretatur excelsum, sicque accipitur nunc. Unde in Jeremia habetur: Vox in excelsis audita est, lamentationes & planctus, sicque potest intelligi, quia in cælum coram Deo ascendit.* Rachel plorans. At vero dicet forta se nunnemo: Quomodo hodie Rachel plangens introducitur, cum certum sit Rachelem tot sæculis antea defunctam fuisse, & aliundè quoque constet, dilaniatos hosce parvulos non ad Rachelis, sed ad Liæ progeniem pertinuisse? Ad hoc in primis Jansenius respondet: *Exaggerat etiam, ut hyperbolicè Rachel jam mortua dolentis affectu flere dicatur.* Albertus Magnus similiter in ea est opinione, quod hoc de Rachele per exaggerationem dicatur; dicit enim: *A corpusculo ibi sepulto & materno affectu dicitur plorare. Et est sensus; tanta fuit crudelitas, quod etiam mortui, si fieri posset, plorassent.* Utraque tribus, Judæ nimirum & Benjamin proximè inter se vicinæ erant, atque ideo, quia Hærodes cruentam & miserabilem hanc stragem non solùm in Bethlehem, verùm etiam in locis circumvicinis institui jussit, ideo Rachel illos planxisse dicitur. Sed dices forsitan, quamnam habebat innocentes hosce deplorandi occasionem, quando ei ignotum minimè erat per ...osce ... ...darum enses gloriæ ipsis fabricari coronas? Pro hujus igitur dubii resolutione revocanda est in memoriam strages illa, in qua multis annis ante hanc eadem plurimi ex sua tribu oriundi in Gabaa crudeliter enecati sunt, idque propter causam adeo indignam, qualis erat viri cujusdam carnalis, barbari & inhumani instituta defensio; hoc supposito dico Rachelem nunc non flevisse ob Martyrum horum innocentium gloriam, sed potius ob nimiam illorum felicitatem. Ita S. Augustinus hisce verbis explicat: *Ideo filiis Liæ passis & occisis in Dei causa planctum adimpletum Rachelis Evangelium testatur, quia tunc plus plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, ut ad vitam pertineant; quia cum adversum aliquid evenit, ex felicitate alterius infausta sua miserius luget.* Accedit quod planctus hujus stragis non tam in filiorum, quàm in parentum pœnam & supplicium redundavit. Unde Salmeron ita scribit: *Juste punivit amorem carnalem, & peccata parentum in re maximè chara, nempe filiis; ultus est enim insigne eorum scelus, quoniam parentes illorum Messiam suum inter istos natum ignorarunt, nec locum nascenti illi dederunt, quem tamen in eorum confusionem & dedecus Magi è longinquo venientes adoraverunt, & donis cumulaverunt.* Eosdem quoque parentes punivit, quia Herodi natalium Salvatoris nostri locum manifestarunt, seque per certum adulationis motivum omninò perturbatos fuisse simularunt. Iud. 20. qu. 11.

14 Porrò quod Herodem Regem attinet, hunc ex Euangelio scimus in perversis machinationibus suis misetè fuisse deceptum & illusum: *videns quoniam illusus esset à Magis.* Salmeron ait: *In quatuor sævire permissus est filios, nempe in Antipatrum, Aristobulum, Alexandrum, quos privatis de causis interfecit, & in parvulum quem habebat in Bethlehem.* Commentator quidam super Matthæum ita scribit: *In Herode videre licet, in quanta miseria & cæcitate versetur impius; agit, laborat, furit, & tamen nihil proficit, quid aliud facit, quam quod se inutili labore consumit?* Origenes ita de eo scribit: *deridere volens derisus est.* Etenim missus de cælo Angelus technas & fictionem illius clarè manifestavit. S. Fulgentius ait: *sanguis innocentum quem crudeliter fudisti, testatur, quid de puero volueris.* S. Paschasius quoque ita scribit: *Angelus Domini quod Herodes dolosè insidiando se promiserat eum adoraturum, aperit; ex quo profectò liquet, quod fraudes atque omnes doli nunquam lateant oculos divinæ Majestatis.* Chrysologus ambitionem illam maximè detestatur, utpote quæ ipsum in excessum quendam adeò detestabilem prorumpere fecit; Dicit enim: *O ambitio quàm cæca semper, audierat natum Regem, quæsierat ubi, quando, unde, & ad quod, ast qualiter debuerat, non quæsivit,* & ideò illum quoque non invenit, nec agnovit, neque tanquam verum Deum adoravit; sed in sua cæcitate semper permansit. Ioh. Ferus. Homil. 3. in ... in Matt. loci. Ser. de Epiph. Ser. 152.

De illatis Herodi suppliciis in fuga Christi, & strage sanctorum Innocentum.

DISCURSUS SEXTUS.

Secessit in Aegyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis. Matth. 2.

1 IN eodem prorsus Euangelio, in quo fuga Christi in Ægyptum, & crudelis SS. Innocentum strages describitur, mors pariter impiissimi Herodis recensetur: *Et erat ibi usque ad obitum Herodis.* Porrò valde notatu digna tum verba illa, quibus Sancta mater Ecclesia post Epistolam Missæ in tractu utitur, nimirum: *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est;* Etenim hic tam copiosus tot innocentum sanguis vocem habuit sanguine innocentis Abelis fortius clamantem & justam de cælo vindictam postulantem, prouti ea suppliciis diversis, quæ super impium tyrannum accumulata fuerunt, luce meridiana clarius liquet.

2 *Usque ad obitum Herodis.* In Apocalypsi magna quædam visio hisce verbis recensetur: *signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Porro per magnam hanc mulierem magna Dei mater intelligitur, quæ qui- Apoc. 12. 1.

dem parturiens introducitur, ita tamen ut prope eam Draco quidam terribilis visus fuerit: *Draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret, & peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes.* Paulo post verò dicitur: *Mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a DEO.* Verum enim verò, ecce tibi quoque hodie beatissimam Virginem unà cum divino partu gravissimis insidiis infestatam à Dracone quodam venenosissimo, sive ab astuto quodam serpente, Herode nimirum, *ut cum peperisset filium, devoraret.* At verò quonam putas adhibito remedio evasit? *Ecce Angelus Domini astitit in somno Joseph, dicens: Accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Aegyptum.* Quapropter in cœlestibus jussis promptè ut par erat, obtemperarent, ne ab aliis viderentur, aut observarentur de nocte fugientes, nocturnasque tenebras, viasque solitarias ingredientes iram Tyranni evaserunt. Sed quid tandem de crudeli hoc Tyranno Deus statuit?
Ps. 103. 26. *Projectus est draco ille magnus*, crudelis ille Christi hostis à Deo reprobatus, inque perversis consiliis suis delusus & severè castigatus fuit, ut propheticum illud in eo adimpleretur oraculum; *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*; siquidem idipsum confessus fuit, dicente Scriptura: *videns quoniam illusus esset à Magis.*

Ser. 152. 3 *Projectus est.* In hisce verbis illa ob ejus malitiam & iniquitatem à Deo facta reprobatio exprimitur, de qua Chrysologus ita scribit: *Magister mali, minister doli, iræ artifex, inventor sceleris, impietatis auctor, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hostis naturæ, malus omnibus, suis pejor, pessimus sibi, quem Christus non ut evaderet, sed ne videret aufugit.* Num fortè venenum in hoc dracone pestiferum magis desiderate valetis?

4 *Projectus est.* Joseph Hebræus infirmitatem qua barbarus hic Tyrannus mortuus est, hunc in modum recenset. Forinsecus quidem in superficie corporis temperato calore ardebat, intus verò haud secus, ac si in furno positus fuisset conflagrabat. Fame quadam adeo immoderata cruciabatur, ut quantumcunque manducasset, nunquam tamen inde satiari potuerit, viscera ejus omni ex parte vulneribus saucia erant, è toto corpore humor quidam putridus egrediebatur, qui in eo à barba ad pedes usque defluebat, omnia corporis membra tumida habebat & putrescentia, verminibusque scatentia, fœtor corporis ejus intolerabilis, halitus autem & respiratio oris ejus venenosa erat & pestilentialis; unde augures illius in faciem ei dicere non dubitabant, Deum illum hisce accumulatis horrendisque infirmitatum suppliciis, in abominandarum iniquitatum suarum pœnam castigasse. Cum præscripto à Medicis ex mero pretioso oleo præparato balneo uteretur, cuncta ejus membra laxata, atque è locu suo debito disjuncta fuerunt; adeò ut ejus quoque oculi ex organo suo prosilientes in maxillis hærerent. Cumque mortem sibi jamjam imminere, seque spiritum mox exhalaturum esse adverteret, præcipuos Judæorum ad se accersiri, eosque in locum quemdam recludi jussit, ac cum Salome sorore sua & Alexandro marito ejus advocatis dixit, quod ex quo indubitata fide ad se perlatum fuerit, Hebræos singulares festivos applausus statim post mortem ejus editutos esse, ideò ut dicti Hebræi etiam inviti funus ejus sive cadaver ad tumulum elatum cum planctu & lachrymis prosequi cogerentur, serio eis mandat, ut gentem armatam semper in promptu habeant, quæ in sua mortis hora in cunctos obvios Judæos irruat, horrendamque de omnibus stragem edat; Paulò post cùm cultrum sibi ad pomum decorticandum dari postulasset, eundem sibi porrectum mox lethali cum vulnere cordi suo infixit, postquam paulò ante in conspectu suo tertio genitum à capite ad calces usque vivum excoriati fecisset, quo mortis genere tres quoque alios filios suos interimi jusserat; Quid igitur nunc vobis videtur? Nunquid sanguinem innocentium martyrum adversus ipsum Divinam justitiam provocasse, eorumque supplices gemitus quibus continuò clamabant: *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est*, exauditos fuisse existimatis? optimè igitur
Ser. 152. Chrysologus dicit: *Cœlum pulsans intrat profundum: in se vadit qui vadit in Deum, se occidit, qui vitam conatur occidere, quia capi non potest perditione salus, occisione vita.*

5 Porrò hæc quidem quoad supplicia, quæ in hac vita ab impietate sua reportavit, dicti sufficiant, at verò quod attenus vitæ pœnas æternas attinet, credere haud aliter possumus, easdem iniquitatum suarum excessui conformes futuras. Et quidem ut sanctus Augustinus notat, Herodes in primis ante Tribunal altissimi quaquaversum à Sanctis illis à se occisis pueris circumcinctus comparere debuit: *Invenies*, inquit sanctus Augustinus, *claram linguam, magnam vocem, mensuram perfectam, omnes juvenes candidatus in mensuram ætatis plenitudinis Christi fulgentes.* A te quidem dilaniati tacuerunt, inquit S. Augustinus, non contra te tacebunt jam in cœlos glorificati: *Introeat in conspectu tuo gemitus noster, vindica sanguinem nostrum, Deus noster.* Serm. 8. de SS.

6 *Vindica sanguinem nostrum.* Et quidem unum ex severissimis suppliciis ipsum afficientibus fuit illa in cunctis sæculis duratura adeo inhumanæ Barbariei, adeoque inordinati furoris infamia perpetua. S. Leo ipsum Dæmonem appellare non dubitat, dum ait: *Herodes in diabolo fremit, & auferri sibi iniquitatis suæ regnum in iis, qui ad Christum transeunt, ingemiscit.* In Diabolo fremit. Quidam enim visus est esse Diabolus incarnatus; siquidem proprium est spiritibus infernalibus, ut se feros, truculentos & implacabiles exhibeant innocentiæ persecutores: Origenes dicit, quod dum se à Magis illusum esse videret, nec posset ad condignam de illis vindictam sumendam assequi intentum, totum suum furorem in teneros hosce infuderit infantes: At verò audite & notate, quanam phrasi ejus contra hosce innocentes conceptam rabiem describat: *ut eos more canum, si fieri contigerit dentibus discerpsisset suis*; at verò quia quoad Magos internum suum assequi non potuit, eo quod hi ab Angelo fuerant præmoniti, ut per aliam viam redirent in regionem suam, Jerosolymam verò nequaquam repeterent, ideo *malitiam canum rabidorum ad alios lacerandos conversus est, ut suæ satisfaceret iracundiæ.* Idem quoque Origenes considerat, quod sicut canis quando à lapide in eum ab alio projecto percussus, se de projiciente lapidem vindicare nequit, projectum in se saxum dentibus mordet. *Non aliter Herodes sua præcipitatus iracundia solitoque insana suæ mentis furore infantium cæde versatus, & concitatus est.* Porrò nullibi de feris, aut tygridibus legitur, quod adversus teneros & lactantes fœtus sævire soleant, prout impius hic & inhumanus Tyrannus fecit. Unde Dionysius Carthusianus ait: *Malitia & passionum vehementia obtenebraverunt intellectum Herodis.* Considerabile quoque est turpe illud Epitheton, quod sancta mater Ecclesia eidem attribuit, dum illum stultum & insanum vocitat: *Exclamat amens*; nam ut Origenes ait: *nefando furore cæcus animus ejus Deum contemnit, justitiam abigit, misericordiam spernit. Et primo quidem Deum contemnit.* Etenim si quantum filium Dei contempserit, videre volumus, considerandus nobis est Tyrannus ille per comparationem ipsius cum tribus regibus orientalibus. Hi enim ob Messiæ recens nati fœlicissimos natales gaudio pleni & festivi erant; ideoque relictis propriis Regnis in viam valde longinquam se receperunt. Herodes autem de hisce natalibus certior factus turbatus est. Magi divino huic infanti opulentissimos attulerunt thesauros hic autem impiissimus Rex, nulli rei adeo intentus est, quàm ut ei ipsam quoque vitam eripiat. Illi Reges reverenter ipsum adorant, hic autem in fugam cum se recipere compellit: *Illi procidentes adoraverunt eum*, hic eum se adorare velle fingit: *ut & ego veniens adorem eum*, quod tamen animo suos revera trucidandi dicebat: *Quid sibi vult ista puerorum trucidatio?* quærit sanctus Ecclesiæ Doctor & Papa Gregorius: *Aut portendentis signo fidem habes ut vere* (idest stellæ, quia Reges illi dixerant: *vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*) *aut quod rumor jactabatur, vanum putas; si talis est, qui cœlos sibi faceret inservire, prorsus est supra manum tuam: si autem in potestate tua est, ut ille vel vivat, vel moriatur, frustra pertimescis.* Haud dubie ad illam Gregorii quæstionem aliud respondere non potest, quàm quod crediderit se illum posse à se depellere, ipsique Deo bellum movere, utique enim se illum per hanc universalem infantium trucidationem invenire, eique necem inferre posse, sibi persuasum habebat, at verò ut optimè S. Augustinus ait: *Nihil ergo egisti ferocissima austeritatis audacia, potest martyres facere. Christum non potes invenire*, cujus hæc ex Hilario Arelatensi colligitur esse ratio di- Serm. 9. de SS.

Ser. 5. de Epiph.

Hom. 3. in divers. in Matt. loc

cernis

centis : *Fallitur furor Tyranni , Christum non potest invenire perfidia . Deus non crudelitate , sed credulitate quærendus est* . S. Fulgentius sermone de Epiphania & Innocentibus superbum hunc Tyrannum acriter reprehendit , quod se ad hanc stragem intentandam ex regni sui perdendi metu induci permittat , dicit enim : *Inaniter invidenda timuisti successorem , quem credendo debuisti quærere Salvatorem , quia si in eum crederes , cum eo regnares , & sicut ab eo accepisti temporale Regnum acciperes etiam sempiternum* . Enimverò error & cæcitas ejus in hoc consistebat , quod sibi filium Dei eo tantùm fine de cœlo descendisse persuadebat , ut hic regnaret & dominaretur temporaliter , inde namque nascebatur vehemens illa suspicio , quod ejus usurpaturus esset Regni diadema & sceptrum ; at verò nequaquam intendebat , qui *non eripit mortalia , sed regna dat cœ-*
Serm. 7. *lestia* . Nam ut S. Augustinus ait : *Non ad hoc venerat Christus , ut alienam gloriam invaderet , sed ut suam donaret ; non venerat ad potestates dignitatesque rapiendas , sed ad contumelias , & injurias perferendas* .

7 *Injustitiam abigit* , inquit ubi supra Origenes , se terræ pariter & cœlo in sempiternum abominabilem reddidit , qui conculcavit innocentiam , & justitiam depressit . Quis enim unquam vidit , quod is qui innocentes defendere , & justitiam sustinere & conservare debuit , totus , & totaliter hujus depressioni , illorum verò crudeli neci fuerit intentus . Porrò quodnam sit judicis alicujus officium optimè Chrysologus hisce verbis ostendit . *Audientes vocat , interrogat lo-quentes , negantes arguit , urget reos , percellit socios ,*
Serm. 152. *conscios carpit , adducit complices , sententia dat detectos* ? Hic autem oppositum omne exercetur , quia innocentes condemnantur , *quorum lingua tacuit , oculi nihil viderunt , nihil audierunt aures , manus nihil fecerunt , & quibus actus nullus , unde culpa* ? Albertus Magnus , verba illa : *Omnes pueros , optimè considerat , & dicit : Ecce malitia generalitas , quia nulli omnino pepercit* . Ejusdem quoque Alberti est sequens illa observatio : *Quia magis voluit , quod multi innocentes perirent , ad hoc quod solus non evaderet quem quærebat , quod est impietatis : pietas enim magis eligit , quod multi liberentur nocentes , quam quod unus moriatur innocens , quia nocentes liberati puniri possunt , sed innocens mortuus revocari non potest* , sed alterius prædicta Origenis verba considerando progrediamur .

8 *Misericordiam spernit* . Etenim eousque ferociæ processit , ut etiam in semetipsum crudelis esse non dubitarit , siquidem licèt *Pater , & filius eadem persona esse censeatur* , ipse tamen etiam eundem filio suo necem intulit . De Elephante naturales Philosophi scribunt , quod dum gregi alicui agnorum fit obvius , procul ab iis remotus permaneat , ne aliquid forsitan illis nocumentum inferat ; unde desumptum fuit Emblema quoddam cum hac subnexa Epigraphe . *Infestus infestis* . Porrò de hisce innocentibus canitur : Isti sunt agni novelli , *sequuntur agnum , quocunque ierit* ; longe igitur Rex ille impiissimus quavis ferocissima fera truculentior fuit . Ac proinde Albertus Magnus super verbum *Occidit* , meritò dicit . *Ecce atrocitas , est enim Herodes de genere hominum illorum , qui*
Sap. 12. *vocantur Sap. 12. Necatores sine misericordia , & comestores viscerum hominum & devoratores sanguinis ; pueri enim innocentes propter teneritudinem dicuntur viscera hominum* . Hanc quoque Herodem inter & Pharaonem ponderat intercedere differentiam : Etenim hic præcepit : *Quicquid Masculini sexus fuerit , in flumen projicite : Herodes tamen vicit Pharaonem , in hoc quod quæsivit interficere Deum cæli natum Regem , Pharao autem diminuere populum Dei* .

9 Constantinus Magnus , dum adhuc paganus esset , omnisque notitiæ veri Dei expers , audito medicorum consilio , asserentium pro ejus lepra curanda aliud non superesse remedium , quam ut balneum ingrederetur ex puerorum recens interfectorum effuso sanguine præparatum , cum jam de facto in ordine ad hunc effectum ingens puerorum ex variis mundi plagis congregatus esset numerus ad primum illorum conspectum ad misericordiam seu potius commiserationem affectus , omnes infantes illos benè præmiatos singulos in suam regionem & domum remisit , & illa infirmitate mori potius quàm sanari cupiens ; quem proinde Deus hac Cæsare digna clementia permotus per sacrum lavacrum miraculosè sanavit , hanc videlicet ejus erga innocentes exercitam compassionem recompensare volens : Hic verò sacrilegus tyrannus , qui veram veri Dei religionem (qualis illa Hebraismi erat : *Notus in Judæa Deus*) profitebatur ut à febri seu mania ambitionis suæ sanaretur , tot parvulos innocentes in proprii sanguinis lacu submergere & suffocare non dubitavit , tametsi crudelitas hæc effectuo spei suæ totaliter contrarium operata fuerit , siquidem intra breve tempus regnum temporale pariter & æternum simul amisit . Albertus Magnus super il- Rom. 5.
lud verbum *Pueros* , dicit : *Ecce crudelitas , quia nec etiam innocentia ætatis movet ad parcendum , cum tamen dicat Apostolus ad Rom. 5. pro bono , hoc est , pro innocente forsitan aliquis audeat mori (ut liberet , supple) iste autem interficit Innocentes omnes* . Chrysologus , qui circa idem verbum , impietatem ejus ponderat , ait : *Ad sinus matrum militum cogit castra , inter ubera arcem pietatis expugnat* .

10. At verò , benedictus Deus , quod in perversis machinationibus suis fuerit delusus *cadens ipse in laqueum quem tetendit* , inquit Chrysologus , siquidem paulò post , vitam , regnum , & filios amisit , cumque regnorum & Principum optimus census ipsorum sint subditi , ingentem illorum numerum in hac strage , & multo majorem in futurum amisit , siquidem per hanc suam barbariem id obtinuit , quòd omnes matres sterilitatis potius quàm fœcunditatis desiderio tenerentur , ne partus suos ejus denuò tyrannidi contenerentur submittere . *Draco iste quem formasti ad illudendum ei ; siquidem tot inter funera impune Christus tollitur* , adeoque non solum *illusus fuit a Magis* , sed à providentia & justitia divina irrisus .

DE

SANCTO SYLVESTRO PAPA

Discursus Quinque.

S. Sylvester sacerdotis magni titulum jure optimo meritus fuerit .

DISCURSUS PRIMUS.

Ecce Sacerdos Magnus.

1 TAmetsi Sancta Mater Ecclesia assumpti hujus thematis nostri verba omnibus sanctis Confessoribus Pontificibus indifferenter adaptet , illa tamen S. Sylvestro propriissime , magisque specialiter convenire præsenti discursu videntibus : etenim multi eorum , qui Christi hinc in terris vicarii fuerint , adusque præsens sæculum in virtute & sanctitate magni fuerunt , totumque Christianismum , egregiis patratis facinoribus , operibus heroicis illuminarunt : at verò idem in conspectu mundi hujus , sive in æstimatione & venera-

tione

tione humana contempti, & velut *omnium peripsema* persecutionem passi fuerunt; hujus autem Pontificis nostri specialis prærogativa est, quod non solum cum omnibus aliis in perfectione & in spiritu concertarit, verum etiam quod in conspectu sæculi hujus magna in veneratione habitus fuerit, siquidem DEUS: *Magnificavit eum in conspectu Regum, & dedit illi sacerdotium magnum*. Porrò Reges & Imperatores Petrum & successores ejus omni conatu studuerunt deprimere, contemnese, pessimeque habere: at verò in hoc nostro Pontifice omninò contrarium factum fuisse videbimus: hunc enim à terræ hujus Principibus inveniemus honoratum, & tamen eminenti vitæ sanctitate conspicuum. Equidem sapiens postquam dixisset: *Dedit illi sacerdotium magnum*, protinus subjungit, *Et dedit illi coronam gloriæ*, quod huic Pontifici nostro præ cæteris aptissimè congruit, utporè qui primus fuit, cujus capitis vertex triplici fuit diademate redimitus. Unde Innocentius III. in sermone quodam de hodierno festo, eodem hoc themate nostro usus scribit: *De dignitate præmittitur. Ecce sacerdos magnus*, siquidem primus fuit, qui ad temporale dominium spirituali potestati conjunctum admissus fuit, adeoque in ipso adimpletum fuit, quod olim à S. Petro fuerat prædictum: *Vos genus electum, regale sacerdotium*, ipsi namque antè omnes alios imperialia insigna ab Imperatore concessa fuerunt: *Imperialia omnia indumenta eidem largitus est, insuper totius Italiæ regimen & dominium donavit*. Ipse, ut idem Innocentius tertius de eo scribit *ex authoritate Pontificali constituit Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & Præsules ex potestate verò Regali Senatores, Præfectos, Judices instituit*, similiter quibus in insigniis Romani Pontificis denotetur potestas demonstrat, ita ut simul sit vicarius Christi in terris & Princeps temporalis: *Romanus Pontifex, inquit, in signum Imperii utitur Regno, & in signum Pontificis utitur mitra*.

2 *Sacerdos magnus*. Porrò ipsum hoc titulo dignissimum fuisse reperiemus, si textum Ecclesiastici, unde titulus ille desumptus fuit, attentius consideraverimus. Dicit igitur Ecclesiasticus? *Simon Oniæ filius sacerdos magnus*; sed quamobrem illum hoc titulo decoravit? *Qui in vita sua suffulsit domum; & in diebus suis corroboravit templum*. In annalibus Ecclesiasticis templum DEI antè Sylvestrum propter truculentas Imperatorum persecutiones omninò vacillasse, prorsusque dejectum & depressum fuisse legimus, tandem verò sanctus Sylvester electus est ad Pontificatum, ut esset vacillantis Ecclesiæ solida, fortisque columna. *Corroboravit templum*, quia per admirabilem sapientiam & doctrinam suam multos confutavit errores, multaque hoc fine celebrando concilia hæreses diversas extinxit; promptum quoque ad sanguinem & vitam, pro fidei defensione, si opus esset, prodigendam animum exhibuit, dùm Hebraismi se obstinationi opposuit. Denique Constantinum Imperatorem ad Christianam religionem convertendo suffulsit domum, dum per illum Ecclesiæ quæ superioribus sæculis tot fuerat perpessa oppressiones, planè reparavit ruinas, hunc namque totius universi Monarcham ad fidem Romano-Catholicam universaliter promovendam, ad destruenda fana Idolorum, ad diruenda falsa perfidorum numinum simulachra, denique ad altaria & Ecclesias Deo & Sanctis, speciatim verò sancto Petro, sancto Paulo, & sancto Joanni in Laterano, & multas alias erigendas induxit. Unde clarè & perspicuè videtur, qualiter longè ampliori jure, quàm filius Oniæ magni gloriosum titulum commeruerit.

3 *Sacerdos magnus*. Ob heroicum sui ipsius contemptum, quem vel maximè in eo exhibuit, quod ad pontificiam dignitatem acceptandam adeò invitus, ad eandem verò deponendam & deferendam pronus atque propensus, idque vel maximè eo tempore, quo Ecclesiæ navicula, cujus moderabatur temonem, maxima fruebatur fortunæ serenitate, & tranquillitate. Sanctus Bernardus circa illa Saulis verba: *Nunquid cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* ita inquit, hoc idem est ac si apertè dicat; *Magnus fuisti, quia despectus tibi*. Quam igitur aptè ad propositum nostrum de nostro Sancto dici potuit, quòd sit *sacerdos magnus*; *Magnus fuisti, quia despectus tibi*: se etenim supremo illo ministerio indignum existimavit, cum tamen eodem, uti de illo optimè meritus, dignissimus esset. In Menologio græco de illo scribitur: *Propter summum virtutis gradum defuncto Melchiade creatus est, &c.* sed cùm solùm triginta esset annorum, ab illa se electione ob ætatem nimis juvenilem ultro subduxit. *Qui autem ferebant suffragia, quoniam ille non currebat ad Magistratum, imo verò eum modis omnibus repellebat, eum magis e suis mandabant suffragiis*. *Despectus sibi*, quia cum per nobilitatem, sapientiam & divitias, maximè verò per sanctitatem aliasque qualitates raras & amabiles summè esset conspicuus, indeque sibi omnium etiam barbarorum atque gentilium conciliasset amorem, hæc tamen omnia laudum & virtutum suarum insignia quoad poterat, occultabat, totum se humilitatis exercitiis dedicando, siquidem fugitivos à persecutione Christianos domi suæ liberali excipiebat hospitio, eisdemque sedulo serviebat, pedes eorum lavando, atque in quovis vitio quantumlibet vili eisdem ministrando; id quod etiam in Pontificatu constitutus continuabat, licèt status ille tam esset per potestatem & imperium sæculare eminenter sublimis, prouti Dionysius Carthusianus advertit dum ait: *Quantò plus solito potestate & divitiis eminebat, tanto copiosius misericordiæ opem adimplevit*.

4. Deus quondam per Ezechielem ait: *ut ada-* Ezech. 35.
mantem & ut silicem dedi faciem tuam, ne timeas? sed admirabilis est hæc adamantis & silicis combinatio: Quænam enim inter silicem, qui pedibus calcatur, & adamantem qui coronis imperialibus innectitur, & tanquam gemma inæstimabilis in digitis portatur, potest esse proportio? Nimirum silex percussus & pedibus calcatus & protritus apud unumquemque adversitatum, ignominiarum & contemptuum certissimum est symbolum, adamas autem signum est honorum, & dignitatum: Ac proinde quando DEUS Prophetæ dixit, *ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam, ne timeas*, idem fuit, ac si eidem dixisset: Cave sis ne inter adversa multum formides, neque inter prospera & fortunam efferaris: si quidem tibi daturus sum virtutem, qua possis cavere, ne ab illis dejiciaris, nec decipiaris horum lenociniis: Estque hæc virtus illa, quam sanctus Thomas tantopere æstimabat, nimirum: *inter prospera & adversa non deficere*. Enimverò verè DEUS noster sancto Sylvestro dicere poterat: *ut adamantem*, & ut silicem dedi faciem tuam: quia reverà primò faciem ejus dedit ut silicem, quia primò in procinctu fuit ut afficeretur martyrio, adeò ut ei in montem Soracten se abscondere opus fuerit: postea verò dedit eum in adamantem, quando videlicet in promptu ei fuerunt voluntaria totius mundi obsequia, tantamque à totius mundi Monarcha venerationem habuit, ut is depositum è vertice suo Regnum mundi, ejus capiti imposuerit, & Regnum Pontificium effecerit. Et tamen inter hæc omnia ne timeas, neque enim unquam fuit in aliquo perdendæ vel diminuendæ sanctitatis suæ periculo. Enimverò dum sancti Sylvestri vitam accuratè perspiciemus, inveniemus quod decem integris annis fuerit instar silicis, quia communes omnibus aliis persecutiones sustinuit: at verò reliquis duodecim annis instar adamantis resplenduit, dum ab Imperatore, & omnibus aliis mundi Potestatibus magna cum reverentia honoratus fuit.

5 *Magnus quia despectus sibi*. Commitatus illi fuerat Tarquinius præfectus, quod nisi sancti Timothei facultates (quas ipsum habere existimabat) ei in manus consignaret, sacrificaretque idolis, futurum sit omninò, ut *suum corpus consumam, omni genere suppliciorum*. Ex quibus tamen minus nec quicquam turbatus, aut ullo timore correptus fuit, quia seipsum despiciebat, neque ullo affectu in hanc vitam continuanda perpendebat. Quando Constantini Imperatoris jussu è monte Soracte, in quo hactenus absconditus delituerat, evocabatur, se ad martyrium subeundum evocari existimans, vultu sereno ad suos
conversus, easdem dixit: *Ecce nunc tempus accepta-* Cant. 4. 8
bile, ecce nunc dies salutis, in sacris canticis reluctantia illa describitur, quàm anima illa à Deo non semel tantum, sed ter vocata & invitata, in præstanda Deo vocanti obedientia exhibuit: etenim spon-

sua

sus illam quidem hisce verbis interpellavit: *veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni*. Sed ubinam est illa, quam Deo vocanti debet obedientiæ promptitudo? Gilibertus Abbas ait: *Mora hæc non est contumacia, sed cautela: forsitan sponsa mora festinationem nostram arguit, qui nimis prompti & parum providi, vires nostras minus pensantes festinamus ingredi in labores prælationis*. Ex quibus verbis constat animam illam eo præcipuè fine à cœlesti sponso vocatam fuisse, ut regni diademate redimita Reginæ dignitatem subiret, ac proinde nil mirum, quod tantoperè sese invitum ostenderit. Verum quidem est, sanctum Sylvestrum ab Imperatore Romam vocatum promptissimè relicto monte Soracte eo concessisse, ea tamen animi promptitudo inde oriebatur, quia videlicet se ad coronam martyrii, non vero ad diadema & regnum Pontificium consequendum abire existimabat, quod vel maxime ex vehementi illa reluctantia qua supremum illud ministerium subire detrectabat, haud obscurè colligitur. Unde illa sancti Hieronymi verba illi meritò adaptare possumus: *Querebatur se ferre non posse, & juvenilem ætatem incongruam sacerdotio querebatur, sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat, eoque dignior erat, quo se clamabat indignum*.

A d He- liod. de Epitaph. Nepotia.

Epist. 5.

6 *Sacerdos magnus*. Seneca scribit: *Magnus ille est, qui fictilibus sic utitur quemadmodum argento, nec ille minor, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus*. Et alibi idem dicit: *Magnus ille est, qui in divitiis pauper est*, & pater suis in proverbiis ita nos docet; *Nihil magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens*. Constat verò sanctum Sylvestrum ab eo, qui totius terræ Monarcha erat, adeò fuisse abundanter locupletatum, tantaque eum munificentia suos in eum thesauros profudisse, ut Historia vitæ ejus dicat; *videbantur fores utriusque Indiæ ei patuisse, orientalis & occidua, suosque thesauros illi affatim effudisse*. Et tamen qui est ita rerum ab eo gestarum ignarus, qui quam sobrio, temperanti, atque ab omni vanitate alieno animo inter hosce thesauros vixerit, ignoret. Sanctus Bernardus ad Eugenium qui à paupercula cella sua ad Vaticani palatia transierat: ita scribit: *Magnus tui præsens felicitas si arrisit, non irrisit*. Beatissimus autem hic Pontifex noster tametsi liberum habuerit totius Italiæ dominium, *Hanc tamen donationem sanctissimus Pontifex singulari modestia usus neglexit*. Et in hoc dignitatis & divitiarum culmine constitutus non solum in sua sanctitate nihil defecit, verum etiam eandem miris incrementis adauxit. Unde de eo morti jam vicino Historia vitæ ejus ita dicit; *Cum esset sanctitatis, sanctèque factorum, & virtutum admirandarum laude clarus*. Optimè igitur verba illa ei conveniunt, quæ sanctus Hieronymus sancto Hilarioni attribuit, dicens. *Mirentur alii signa quæ fecit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem, ego nihil ita stupeo quam gloriam illum & honorem calcare potuisse*: Inter omnia etenim miracula ipsius, verè maximum fuit, illa ejus in humanæ felicitatis culmine positi summa humilitas atque modestia. Sanctus Hilarius lib. adversus Constantium Augustum, nonnullorum Christianorum refert querelas, quibus se in aula Imperiali eo fine sublimare & dignitatibus exaultos esse lamentabantur, ut illos per eadem à fidei Catholicæ professione seductos, sectam cogeret Arrianam complecti, existimando medium hoc ad illum finem longè esse potentius, quam esse possint intentatæ illis minæ & supplicia: *Pugnamus contra persecutorem faventem, non tradit carceri ad libertatem, sed intra palatium honorat ad servitutem; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit*. Verum quidem est quod Constantinus sanctum hunc Pontificem non honoraverit intendens per hoc aliquod Religionis nostræ præjudicium, sed potius majus fidei nostræ augumentum, negandum tamen non est, quin subita illa locupletatio, & dignitatis amplitudo viro terræ cavernis & catacumbis assueto, atque in salsis & procellosis persecutionem aquis vivere solito & enutrito vehemens admodum fuerit perversionis tentatio. Hæc igitur ejus exaltatio verus quidem lapis Lydius fuit probandi spiritum ejus, quod scilicet nullum in aquis hisce dulcibus passus fuerit naufragium: nam teste sancto Augustino: *Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus*. Enimverò quod Elisæus à sanctissimo magistro suo Elia Propheta spiritum poposcerit & prætenderit duplicem, dicendo: *Oro ut fiat in me spiritus tuus duplex*, in hoc jure meritò excusandus censetur, ob rationem quam de eo reddit sanctus Augustinus dicens; *Eliseus cum magno honore & sæculi dignitate virtutem & Prophetiæ donum habuit quod Elias profugus & persecutus in montibus & speluncis degens, ejectus ab hominibus retinebat*. Idem quoque nos de sancto Sylvestro asserere posse videmur; Nimirum nequaquam mirandum esse quod sanctus hic Pontifex adeo eminens sanctitatis & perfectionis lucrum sibi compararit, in cavernis montis Soractis, ad mortem usque persecutionem passus, quin potius quod in supremo omnium regnorum Dominio, in tot tantisque divitiarum thesauris, in obsequiis & honoribus sibi ab universo mundo delatis sanctus nihilominus & humilis permanserit, hoc est quod meritò in ipso obstupesco. Quod alii sancti Pontifices ejus prædecessores inter tot sævas persecutionum procellas humiles & sancti permanserint, quod mirum? siquidem horum sanctitate hoc terrenæ prosperitatis lydio lapide vix unquam probari fuerunt.

Lib de Consid.

Ep 144.

4 Reg. 3. 23.

lib. 2 de Mirab. sac. scrip.

7 *Sacerdos magnus*. Ob insignia & heroica opera ab ipso pro majori Ecclesiæ stabilimento ad perfectionem usque deducta. Plutarchus de Pompejo ita scribit; *Romanorum priscos, non solum, qui præclara confecerunt bella, sed etiam eos qui rempublicam consilio virtutibusque decorarunt, magni cognomento sæpe exornavisse*. Inter omnes Pontifices paucos inveniemus, qui consilio & legibus suis Dei Ecclesiam adeò exornarint, quemadmodum sanctus Sylvester fecit. Quot etenim ejus tempore fuerunt vel erecta, vel exornata, vel dotata templa? Ejus vigilantiæ & pastorali sollicitudini concilium Nicænum in acceptis ferendum est, fortissimum illud orthodoxæ fidei nostræ propugnaculum: Quot Canonibus, decretis, & constitutionibus veram in Clerum disciplinam ecclesiasticam insinuavit? *Hunc cœlesti prudentiæ, qua Ecclesiam administrabat, insignis vitæ sanctitas, & benignitas in pauperes respondit*.

Sanctum hunc Pontificem voluntati & beneplacito Dei per omnia perfectè correspondisse testatur.

DISCURSUS SECUNDUS:

In diebus suis placuit Deo, & inventus est justus.

1. ELogium, quod Spiritus sanctus quodam per os Ecclesiastici Enoch justo attribuit, sancto Sylvestro proprissimum existit: cùm enim navicula Petri jam à trecentis retro annis inter horrendas persecutionum procellas mirum in modum jactata & conquassata fluctuasset; tandem ab hoc Pontifice Deo adeò accepto & grato, in eo quo vixit, illiusque clavum tanquam supremus Navarcha gubernavit, sæculo, in felicem tandem tranquillumque portum perduxit, mare hactenus per excitatos à Christiani nominis persecutoribus ventos & tempestates turbulentum & procellosum compescendo, & altissimæ quieti restituendo.

2. *Placuit Deo*. De Josepho Patriarcha Moyses scribit, quòd præ aliis fratribus suis unicè fuerit à patre suo dilectus: *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quòd in senectute genuisset eum*. Septuaginta legunt: *Eo quod filius senectutis esset ei* Nonnulli Rabini apud Abulensem ita legunt: *Eo quod esset loquens senectutis*. Denique Chaldæus legit: *Eo quod filius sapiens esset ei*. Idem quoque sanctissimus Patriarcha è carceris catenis atque compedibus ad Ægypti sceptrum thronumque regium exaltatus fuit: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*. Enimverò videtur mihi, nisi fortè fallor quòd si omnes Pontifices, qui a S. Petro Ecclesiam gubernarunt, usque ad S. Sylvestrum benè consideremus verè dicere possumus, quòd Deus S. Sylvestrum præ cunctis aliis fratribus sive prædecessoribus suis ampliori fuerit dilectione prosecutus, eò quod illum etiamnum in juvenili ætate constitutum matura prudentia gravitate senili, & rara perfectione exornarit; undè cum trigesimum superasset annum, ad augustissimum hoc supremumque munus electus fuit, postquam hactenus ab hospitio suo receptum S. Timotheum martyrem,

Gen 37. 3.

in te-

in teterrimo carcere detentus fuisset, imo in procinctu stetisset, ut & ipse cum aliis afficeretur martyrio, propter quod in montem Soracten se subduxit, undè posteà sublatus fuit, ut cum summa Dei, Ecclesiæ, & suamet propria gloria à Constantino Magno ad summum terrenæ dignitatis apicem exaltaretur, impleretutque ad literam, *quòd de carcere cryptisque interdum quis egreditur ad regnum*; ab ipso namque illa Pontificiæ coronationis augusta ceremonia primum accepit exordium, nimirum quod vertex Vicarii Christi Pontificio regno exornetur.

In Ps. 32. conc. 2. 3 *Placuit Deo*. Sanctus Augustinus optimè nobis declarat, quisnam ille sit qui Deo magis placet, ejusque voluntati & beneplacito magis arridet, dum ait: *Ille placet Deo, cui placet Deus*. Jam vero certum est, quod sancto huic nostro Pontifici præter Deum nihil placuerit. Undè certo scimus quod in toto vitæ suæ decursu, in nulla unquam re mundana gavisus fuerit, quin potiùs à primis vitæ suæ annis divino fuerit servitio dedicatus, totum se misericordiæ tum spiritualis, tum corporalis operibus
Matth. 25. 40. impendendo. Ex quo Salvator coram omnibus protestatus fuit his verbis: *Quamdiu uni fecistis ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; plus certè sanctus Pontifex noster præstitit, quippè qui sæpenumero ipsummet Christum inter alios hospites, quos continuo tanta cum charitate & liberalitate domi suæ excepit, ejusdem do-
Surius. mus suæ honorarit hospitio. *Cum jam superasset adolescentiam, erat præ cæteris deditus virtuti hospitalitatis, & quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio libenter excipiebat, eis mensam hilariter apponens, & aqua illorum pedes abluens*: *Placuit ei Deus*, quia divinum cultum cum summo decore & beneficentia conjunctum adeo dilatavit, ampliavit, & splendescere fecit, ut intra breve tempus basilica Constantiniana supellectile quadam adeo pretiosa locupletata fuerit, ut pretium illius ad duarum millionum, & ducenta octoginta quinque millia scutorum aureorum valorem ascenderet.

4 *Placuit Deo*. S. Ambrosius de Enoch ita scribit: *Propter devotionem raptus ad cœlum terrena malitia virus evasit*; atque ideo Spiritus sanctus de illo ait: *In diebus suis placuit Deo*. Idipsum quoque de sancto Sylvestro ad literam asserere possumus: terrenæ malitiæ virus evasit; siquidem terrenæ felicitatis veneno se inquinari aut infici minimè permisit. Petrus Hieremias in quodam sermone de hoc festo scribit, quod eodem tempore, quo Constantinus Ecclesiam per temporale dominium adauxit, & locupletavit, hæc de cœlo vox audita fuerit: *Hodie effusum est venenum in Ecclesiam Dei*. Hoc autem venenum sanctus hic Pontifex à se profligavit, quo minus nocere posset. Fuit nonnemo, qui florem pro corpore Emblematis sibi elegit, in cujus foliis hinc picta erat venenum indè eliciens aranea, indè verò mellis fabricatrix apis mel exsugebat; symboli vero loco hæc erat subscripta epigraphe: *Hinc mel, inde venenum*. De hoc autem Pontifice verè dicere possumus, quod quasi *apis argumentosa Domino inservivit*: siquidem ex altissimo illo supremæ dignitatis culmine, in quo positus erat, non solum devotionis & vitæ perfectæ elicere noverat; verùm etiam noxium illud terrenorum bonorum toxicum in paradisiacum sciebat nectar convertere, dum exinde in continuos humilitatis, mortificationis, cunctarumque aliarum Christianarum virtutum actus magis magisque continuo effervescebat.

5 *Placuit Deo*. Communiter illi, qui hominibus per omnia placent, eorumque sibi benevolentiam accipere norunt, Deo placere non solent. Undè Apostolus ait: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Quod tamen in sancto Sylvestro minimè locum habet, siquidem is sibi tum Dei amorem, tum etiam hominum benevolentiam adeo vehementer conciliavit, ut non solùm Catholici, sed & pagani & hæretici ipsum semper summa in veneratione habuerint. Idem quoque sanctus Paulus tandem modum docet, quo quis Deo pariter & hominibus placere possit, dum ait: *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est*; ubi sanctus Augustinus ita scribit: *Subjungit quare hominibus placeret, non quærens, inquit, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant, placebat hominibus propter istorum salutem*. Idem quoque sanctus Doctor textum illum: Hominibus placentes, hanc Glossa illustrat; potest homo homini utiliter placere, si propter Deum placeat, id est, ut Deus placeat & glorificetur. Porrò de sancto Sylvestro specialiter agitur, quod peculiarem sibi apud omnes benignissimam amabilitatem & benevolentiæ affectum conciliavit. Undè Dionysius Carthusianus ait: De serm. Dom. in monte.
Tertia ejus excellentia extitit magna & gloriosa amabilitas ejus; tanto siquidem naturalium ac gratuitorum donorum decore fuit perfusus, quòd non solum a Christianis, sed etiam a Gentilibus & à Judæis miro amabatur affectu. Hanc autem personæ suæ amabilitatem ipse ad lucrum ordinabat animarum. Undè sanctus Augustinus in persona sancti Pontificis dicere velle videtur: *In hac opera qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo; quia non hoc appeto sed ad id refero, ut me imitentur, quos salvos fieri volo*.

6 *Placuit Deo*. Alii legunt: *Ad omnem placentiam*. Sanctus Ambrosius verò legit: *Ad omne placitum*. Enimvero sanctus hic noster Pontifex adeo ad vitam & mortem indifferens erat, ut sanguinem suum carnificum ferro mediante fundere ardenter desideraret, immò cum à Constantino è monte Soracte, ubi hactenus latitaverat absconditus, evocaretur, ut ab eodem exaltaretur & honoraretur, ipse se ad martyrii palmam evocatum esse ratus, tanto cum jubilo vocantem est secutus, ut ad suos dixerit: *Ecce nunc dies salutis*; nam ut Baronius ait: *Credidit se ad martyrii coronam evocari*; verùm quod longè majorem admirationem meretur, hoc est, quod vi- An. 324. n. 48.
delicet eandem prorsus conservarit in adversis, quam in prosperis indifferentiam; ideoque in ipso verificata fuerunt verba sequentia: *Placuit Deo, & inventus est justus*: quia *non contristabit justum quicquid acciderit ei*.

7 *Placuit Deo*. Dionysius Carthusianus in hæc verba scribens, eaque de Enoch interpretans, prout ante ipsum Ecclesiasticus, ut visum est, intellexit, ita de hoc sancto viro scribit, quod videlicet Deus illum ad judicium finale præservarit, ut pariter cum Elia Antichristo sese opponeret: *Et ab ejus perfidia eruat plebem Judæorum & gentilium, eosque salubriter informet*. Pari quoque modo dici posse videtur eandem Dei providentiam à tyranni gladio sanctum Sylvestrum reservasse, ut sub ejus Pontificatu illa sub multis Imperatoribus ad imitationem Christi fidem & Ecclesiam Christi deprimere satagentibus continuata adversus fidem persecutio finem acciperet, necnon ut per admirabilem sapientiam suam, sanctissimæque vitæ suæ exempla, atque patrata diversa miracula non solum multos gentiles, verum etiam multos Hebræos ad Orthodoxam fidem converteret, prouti demum re ipsa factum fuit; quando se una cum Concilio Nicæno adversus Arrii aliorumque hæresiarcharum hæreses fortiter opposuit, prouti in illius temporis annalibus videri fusiùs poterit.

8 *Placuit Deo*. Adhæc facienda est reflexio ad id, quod de eodem Enoch dicitur: *Ambulavit cum Deo*; quibus verbis innuitur Enoch Deo in tantum placuisse, in quantum ad vitæ perfectionem studiosè contendit; hoc enim innuitur per verbum illud, ambulavit: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Idem quoque in sancto Sylvestro adimpletum fuit: *Et inventus est justus*; nam ut sanctus Chrysostomus verba illa: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum*, &c. explicans, dicit: *Justitia est omnis virtus*. Apostolus quoque postquam dixisset: *Dignè Deo per omnia placentes*; paulò post, qualiter Deo in omnibus placere valeamus, breviter declarat, Glos. 1.
dicens: *In omni opere bono fructificantes*. Quod sanctus Sylvester perfectè adimplevit; nam sanctissimus hic Pontifex omni virtute resplenduit; ideoque illi pulcherrima illa Eusebii Emisseni ad sanctum Maximum directa verba applicare possumus: *Qui cum a prima ætate novis virtutibus usque ad finem quasi semper inceperis, inter ipsa primordia consummatus apparuit*. Dum enim in triginta annorum ætate constitutus esset, ex communi Cleri & populi consensu in magnæ necessitatis tempore dignissimus judicatus fuit, qui adeo sancto Pontifici, qualis Melchiades fuit, in summo Pontificatu succederet. Quamvis non fuerit ideo sui ipsius de se judicium, quia huic electioni haud secus ac ad enses & ignes ra- Judoc. Clicht.
peretur, summa animi contentione est reluctatus; undè historia vitæ ejus dicit: *Licèt invitus ac renitens Ecclesiæ moderationem suscepit*. Porrò hanc humilitatem, quæ cunctarum aliarum virtutum basis est & fundamentum, ut tanto magis in se conspicuam redderet; tunc vel maximè exhibuit, quando in sublimi Papatus culmine constitutus erat; imo vero quando Constantinus Magnus Imperator dominium ei temporale, & thesaurorum

rum attribuit ingentem abundantiam, in cujusque caput imposuit. *Diadema imperiale aureum distinctum gemmis, ipse illud aspernatus est; Phrygia obvolutum & candido contentus fuit.*

9 *Cum Deo ambulavit, quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* In hoc autem charitatis exercitatione sanctus Sylvester præ-
Job 31. 17. clarus fuit, potuitque cum Job dicere: *Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, quia ab infantia mea mecum crevit miseratio.* Undè Dionysius Carthusianus ita de eo scribit: *Cum esset adolescens, nequaquam vanitatibus & concupiscentiis, quibus illa ætas pollui solet, fuit intentus; sed Deum habens præ oculis, cunctis misericordiæ operibus insistebat; sic Tobias ab infantia in virtutibus educatus est, & in operibus misericordiæ exercitatus.*

10 Vera & perfecta charitas non habet conditionem, ex qua specialiter dignoscitur, quòd nihil omninò, imò ne ipsam quidem mortem timeat: *Perfecta charitas foras mittit timorem; fortis est ut mors dilectio.* De S. Sylvestro autem vitæ ejus attestatur historia, *quod tyrannorum crudelitatem non extimescens*, Timotheum, qui ad martyrium passim quærebatur, domus suæ exceperit hospitio, eidemque post perpessum martyrium sepulturæ beneficium præstiterit, tametsi ipsi minimè ignotum esset, quòd per hoc sibi Tarquinii tyranni omnia illi comminantis supplicia esset iram concitaturus. *Sanctus Sylvester cum gaudio liberatus est carcere à Christianis, quibus tam in pavida fidei confessione coram persecutore magnam adjecit animi constantiam, ad eandem fidem imperterrito corde sustinendam, suoque exemplo plures animavit ad martyrium*; zelus ipsius in salute animarum procuranda ardentissimus fuit: undè non tam successor cathedræ, quàm zeli S. Petri dicendus est. *Cujus sedis vel potius zeli & ardoris fuit successor.* Prætereà modestia & temperantia, quàm in summo residens dignitatum humanarum apice, mirabiliter in eo eluxit, prout deinceps in aliis Discursibus videbimus. Denique in tot hæreticorum & paganorum conversione, in tot tantarumque hæresum suppressione, in conditis tot decretis, canonibus, conciliis, quibus Christianam stabilivit religionem, ejus resplenduit doctrina & sapientia, *Copiosissimus fructus præsidentiæ suæ in Papali officio*, inquit Carthusianus; *fuit etiam aspectu angelicus, sermone facundus, Catholicus, consilio providus, opere sanctus, spe patientissimus, charitate omnium plenus*, ac tandem ipsum, in omnibus virtutibus operibusque suis Deo placuisse concludit; *Potest itaque dici de ipso, quod primo Regum fertur de Samuele, quod scilicet tam Deo quam hominibus gratus fuerit.*

Gloria S. Sylvestri, quam sibi ex eo comparavit, quòd fluctuantem Ecclesiæ naviculam suo tempore in securitatis portum reduxerit, consideratur.

DISCURSUS TERTIUS.

Et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

1 QUisquis calamitosissimorum temporum, quæ primis tribus sæculis post Ecclesiæ illius: *Quam acquisivit Christus sanguine suo*, erectionem elapsa fuerunt, adæquatum sibi vult formare conceptum: Annales legat Ecclesiasticos, in iis namque quantum afflicta & persecutionibus exagitata fuerit, facilè videbit, fatebitur libenter, tempus illud meritissimo jure dici potuisse *Tempus iracundiæ*, Deo nimirum permittente, ut procellosæ tyrannorum undæ Petri naviculam tantum non absorberent, atque submergerent, tametsi reverà *portæ inferi non prævaluerint adversus eam*. Etenim navicula prædicta usque ad quarti sæculi principium, à novem turbulentissimis ventis continuò agitata fuit, videlicet à Nerone, Domitiano, Trajano, Marco Aurelio, Severo, Maximo, Decio, Valeriano, & Diocletiano Romanis Imperatoribus. Innocentius III. in sermone quodam de hoc festo scribit: *Usque ad tempus ipsius tanta Paganorum contra Christianos efferbuit verecundia, quod tanquam oves occisionis mactabantur, ubique lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: sed per beatum Sylvestrum reconciliati sunt Christiani Paganis, quia baptizato piissimo Principe Christiano tranquillitas & libertas est Ecclesiæ data. Ex tunc cœpit Ecclesia, & impleri vaticinium Isaiæ dicentis ad ipsam: Leva in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent*, & in laudem hujus Sancti mox concludit: *Illius verè vicarius, de quo dicit Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis.* Sciendum est autem, quòd Christianismus etiam aliquanto tempore priusquàm Magnus Constantinus Ecclesiæ & Deo reconciliaretur, nonnihil respirare cœperit, videlicèt à tempore, quo primitùs in Petri throno sedere cœperit: refert enim Cardinalis Baronius, quòd Maximinus tyrannus ille truculentissimus pro Sylvestrini Pontificatus anno post illam à Licinio perpessam cladem, illam sibi ideò evenisse confessus fuerit, quia nimirum in Christianos nimium desævierit; ac proindè ab illo tempore pro illis, quia anteà ne quidem in terræ antris & speluncis securi nequaquam erant, favorabiles promulgatæ fuerunt leges, ac paulò post mors ejusdem subsecuta fuit, *si ergo cum Maximinus, qui ex reliquis omnibus pietatis hostibus pessimus planè fuit, è medio sublatus esset, Ecclesiæ gratia Dei omnipotentis ab ipsis fundamentis denuò ædificata fuerunt, & non solum verbum Christi suum splendorem, ad gloriam Dei rerum omnium moderatoris longè lateque profudit, majoremque quàm anteà recuperavit libertatem, verum etiam impii ac nefarii pietatis hostes turpi dedecore & maxima ignominia affecti sunt.* Idem quoque Scriptor circa annum Domini , qui fuit tertius Papatus S. Sylvestri, considerat quod Diocletianus ad hoc usque tempus in vivis reservatus fuerit; dicit enim: *Non sine divina dispensatione ad hæc tempora Christianis felicissima fuit ipse reservatus; ut qui Christianæ religionis funditus devastationem & radicitus extirpationem fuerat meditatus, omnique studio id etiam operatus, non tantum id minimè fuerit consecutus, sed versa rerum vice Christianos imperare videret, templa a se dejecta restitui augustiora, cœtus frequentissimos cogi, Christi gloriam laudum præconiis ubique extolli contra verò idolorum delubra dejici atque claudi, deorum simulachra confringi, cessare victimas; illorum festa aboleri, ut planè illis accideret quod in psalmo dicitur: Peccator videbit & irascetur, dentibus fremet & tabescet.* Et quidem tametsi verum sit persecutionem hic Romæ pro tempore, quæ Constantius se nondum Catholicum professus fuerat, constanti pede & sine intermissione durasse, undè & sanctus Pontifex in Soracte monte sese abscondere coactus fuit; attamen tunc verè per ipsum adimpletum fuit illud Tob. 3. 30.
Scripturæ: *Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis; non enim delectaris in perditionibus nostris.* Nam subitò cœlum Ecclesiæ ad serenitatem pristinam rediit, hæcque civitas quæ caput est totius universi, ad mutationem Imperatoris sui crucem & fidem Christi amplexata, & hæc super universam terram propagata, & dilatata fuit; & ideo tunc factum fuit, quod historia vitæ post enarratum Imperatoris baptismum S. Sylvestri manu eidem collatum, protinùs subjungit hisce verbis: *Licebat ergo videre Christi Ecclesiam exultantem & domino confitentem, qui esse tempestatem sedaverit, & tyrannorum mare, quod in ipsum rugiebat, sopierat.*

2. Ineunte Pontificatu S. Sylvestri draco infernalis adversus Ecclesiam acriter dimicabat: *Draco pugnabat* at verò ecce tibi illum modo sub hujus Pontificis pedibus turpiter prostratum, atque signum trophæi ligatum jacentem: *Tu confregisti capita draconis*; aut verò melius Ps. 103
Contribulasti capita draconum in aquis. Nam in aquis illis Ps. 71.
baptismalibus, in quibus imperatorem Deo & Ecclesiæ generavit, septicipitem illam hydram infernalem trucidavit, cunctisque truculentissimis, & in tot annis continuatis persecutoribus felicem tandem finem imposuit. Ita prædicta verba glossat Hugo Cardinalis: *Id est superbiam & dominium dæmonum in aquis*, scilicèt *Baptismi* idololatriam quoque prostravit, *tunc enim princeps mundi hujus ejectus fuit*, & Sylvester *exaltatus omnia traxit ad se*, quia in tantæ venerationis sublimi culmine à Constantino collocatus omnium sibi nationum reverentiam adscivit & attraxit, & tunc originem suam acceperunt obsequia, humilis obedientia & adoratio, quam

nunc

nunc & deinceps universus populus fidelis Romano Pontifici exhibet. *Tu confregisti capita draconis;* id est, ut idem Hugo ait, *potestates principis dæmonum.* Enimverò clarum est, quod Prælati Ecclesiastici Angeli denominentur, prouti ex pluribus Apocalypseos locis perspicuè videre licet; ac proindè quis negare audebit ad S. Sylvestrum propriè spectare illam à S. Joanne in capite 20. ejusdem libri relatam visionem? Et vidi *Angelum descendentem de cælo* (ubi per cœlum Ecclesia intelligitur) *Simile est regnum cœlorum &c. habentem clavem abyssi, & catenam magnum in manu sua, & apprehendit serpentem antiquum, qui est diabolus & sathanas, & ligavit eum super annos mille.* Apoc. 20. 1 Ipse namque cultum dœmonum in falsis Deorum simulachris potenter sustulit; præterquam quod visio illa quoque alludere videatur ad generosum facinus illud, quod sanctus hic Pontifex patravit, quando draconi illi, qui ingentem à majori urbis Romanæ parte tanquam verus Deus venerationem habuit, protinus necem intulit, idque ut fidei Christi, quem prædicabat, veritatem tanto amplius fortiusque authenticaret. Porrò celebris admodum est statua illa, quæ Babyloniæ Regi olim in somno repræsentata fuit, cujus mysteria Daniel propheta ipsemet exposuit; dum aureum ejusdemmet caput Nabuchodonosoris Regis monarchiam, Medorum verò & Persarum per pectus argenteum, per corpus autem & tibias æneas monarchiam Græcorum, denique per pedes partim ex ferro, partim ex creta coalitos Imperium Romanum significari dixit, parvulus autem lapis de monte avulsus, & in statuæ illius pedes lapsus, grandem illam molem in terra prostravit: *Contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & lapis factus est mons magnus; & implevit universam terram.* Et hæc quidem est visionis hujus substantia; nunc porrò qualiter ex eadem ad præsens nostrum propositum discurrere constituerim velim auscultetis. Certus sum itaque, quod si quis ante Pontificatum S. Sylvestri aperto oculo mundum hunc perspexisset, utique ingentem hanc & proceram Idololatriæ statuam per Persidem, Græciam, Latium vidisset protensam & erectam; omnes enim harum nationum populi sua eatam falsis simulachris genua flectebant, omnes vitio in prædam cesserant: Deus autem ut Babylonicam hanc statuam, Idololatriam, inquam, conterendo demoliretur, parvulum quendam lapidem è monte Soracte develli fecit, scilicet S. Sylvestrum, quem parvulum voco, quia licèt is lapis ille futurus erat, cui aliquando tota moles fabricæ Ecclesiæ Dei innixura erat, attamen parvulus lapis dici poterat, non tantùm ob humilitatem suæque personæ propriæ contemptum, verum etiam quia usque ad illud tempus Pontificia dignitas in conspectu mundi totius neglecta & contempta erat, adeo ut S. Marcellus Romanus Pontifex ad squalidum quoddam & fœtidum condemnatus fuerit stabulum; ut igitur Deus idololatriam dissiparet, omnesque in variis illis metallis denotati principes tributarii redderentur, Deoque subditi prosternerentur in terram, parvulum hunc lapidem adhibere voluit, factumque est inde, quod Imperatores, qui antea Christi in terra vicarios indignissimè tractant, nunc viderentur omnium primi esse, qui sese ad S. Sylvestri, successorumque ejus pedes reverenter summeque venerabundi prosternerent: *Factus est mons magnus*, quia Pontificatus ab ejus tempore & deinceps summam sibi conciliavit venerationem & gloriam, utpotè à Constantino ad summam usque magnificentiam & majestatem exaltatus: *Implevit universam terram, quia dominabitur a mari usque ad mare,* &c.

3 *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio;* cum enim sævissima illa tempestas hæresis Arianæ, quæ Christi negabat divinitatem, exsurrexisset, omnibus se viribus

An. 318. n. 38. eidem sanctus noster Pontifex opposuit. Undè Baronius ait: *Legatio Hosii in Orientem missa, solicitum ejus studium ad comprimendam hæresim emergentem commendat.* Concilium quoque Nicænum congregavit, de quo idem Cardinalis ita scribit: *Sed quonam monitore recens Christianus*

Ann. 314. n. 161. *recens baptizatus* (de Constantino loquitur) *tanta molitur, atque rem aggreditur maximi omnium momenti, in quo totius Ecclesiæ fidei cardo vertetur, colligendo tanti ponderis Episcoporum Conventum? quonam, inquam, potius auspice atque impulsore, quam ipso Sylvestro?* In hoc Concilio Arrius cum cunctis sequacibus & discipulis suis condemnatus fuit, adeo ut Historicus dicat: *Optima igitur pax, quies, libertas & securitas sub Sylvestro Papa & Constantino Ecclesiis concessa, & celebrata synodo Nicæna in fide unitas, & concordia conciliata fuit.*

4. *Factus est reconciliata.* Hisce verbis Spiritus sanctus Noe patriarcham honorare voluit, post superatum diluvium. Unde Carthusianus ita scribit: *Hic Noe factum est meritoria causa reconciliationis inter Deum & homines, ne ultra deleretur genus humanum, juxta quod in Genesi legitur: Aedificavit Noe altare, & obtulit holocausta, odora asque est Dominus suavitatem odoris, & ait ad eum: Nequaquam ultra maledicam terræ;* pari quoque modo ecce tibi hic post tot sævissimarum persecutionum superatum diluvium alterum quendam Noemum divinæ majestati æquè gratum & acceptum, qui sese apud divinam justitiam confidenter interponit, eamque placat, & perfectè reconciliat; & vastum Ecclesiæ mare per tot pericula & ærumnas præcedentes procellosam tranquillat; & sicut antiquus ille Noe in signum placati Dei & ingratam remissionis factæ agnitionem altare quoddam erexit: ita quoque hic velut alter quidam Noe; non solum hic Romæ, sed in universo mundo innumera erigit altaria & templa.

5 *Factus est reconciliatio.* Considerari quoque meretur quod S. Pontifex priusquam Imperatorem baptizaret, eundem prius cum Deo penitentia mediante reconciliare voluerit, ideoque cum Apostolica libertate sic eundem Sur. 45.
allocutus fuerit: *Oportet te primum jejunare, o Imperator, & Deum placare, lachrymis quacunque peccasti confitentem; depone ergo purpuram & diadema septem diebus, & tua regia penetrale ingressus, clausis januis in sacco & cinere humi jacens in lucta age pœnitentiam, & jube claudi templa idolorum, & cessare eorem sacrificia, qui sunt in exilio, & ad metalla damnati, & in carceres conjecti, libera Christianos.* Idem quoque Historicus in principio vitæ hujus Pontificis, quantum Ecclesia paulò antè oppressa & desolata, hujus Pontificis tempore respirarit, considerans, ita scribit: *Qui autem ab infidelitate eum eraducit ad fidem, is jure judicetur esse causa, ut se liberè gerat pietas, & omnes se submiserint divina prædicationi, is est autem divinus Sylvester, cui vel hoc solum suffecerit ad ejus laudes celebrandas.* Guerricus Abbas in laudem S. Pauli adducit, quod is doctrina & sapientia sua sustinet Ecclesiam; *Nisi tam generoso Pauli lacte nutrita fuisset, nunquam ad hoc virtutis & gloriæ culmen excrevisset;* ita quoque de Eccclesiæ progressibus Constantini Magni opera factis dicere posse videmur, quod videlicet totum hoc meritum in S. Sylvestrum redundet, qui dictum Imperatorem catecbizavit, docuit, atque in Christiana religione Ciac.
stabilivit: *Perfectissimum Christianum exhibuit, & in propaganda fide ardentissimum declaravit.*

Summa Sylvestri sanctitas, qua in honorum, & dignitatum culmine præfulsit, admirabilis esse ostenditur.

DISCURSUS QUARTUS.

Beatus Vir qui inventus est nisi macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris; quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Ecclesiastic. c. 31. v. 9.

1 IN propositi thematis posterioribus verbis utique eam, quam Ecclesiasticus proponit quæstionem auditis; cui equidem nos liberè respondere possumus, quod tandem post tot annos in quarto post Incarnationem sæculo, hunc inter divitias immaculatum, & consequenter admirabilem invenerimus, est que S. Sylvester In anno
Papa. Hic igitur *fecit mirabilia*, quia in martyrologio Mar.
Romano appellatur *magnorum patrator miraculorum:* verumtamen maximum inter omnia prodigium, seu maximum miraculum quod fecit est, quod sanctitatem suam in summu honorum & felicitatis humanæ cacumine positus, necquicquam diminuerit, quin potius novis quoti- Hom. 2f
die incrementis auxerit. *Virtus fidei*, inquit author operis imperfecti, *in periculis secura est, in securitate periclitatur.* Quamdiu summi Pontifices in catacumbis commorati, sive in exilium missi, ut aliis persecutionibus exagitati fuere, ehem quantum eorundem sanctitas crevit! etenim *in periculis securus degit;* at vero non item in prosperitate: *In securitate periclitatur.* Quam pauci deinceps prosperitatis tempore in superbis regiisque palatiis sancti fuerunt, aut immaculatè vixerunt; Et tamen regula isthæc in S. Sylvest. rursus fallit, non obstante quod primus

fuerit

fuerit eorum, qui in sublimissimo majestatis vertice vitam Epist. 47. suam transegerunt. *Animi libertatem plures inter tormenta servarunt* (inquit Hildebertus) *inter opes autem pauci*.

2 *Inventus est sine macula*. In Græco legitur: *Irreprehensibilis*. Et vere talis S. Sylvester fuit; siquidem à teneris unguiculis vitam quandam innocentem & puram transegit. Glossa interlinearis dicit: *Fecit mirabilia in vita sua virtutibus studendo*. Cui studio sanctus Jod.Glich. Pontifex noster à prima juventute sua plurimum deditus fuit: *Ita omnium virtutum genere insigniter enituit, ut non modo a Christianis, sed & à paganis miro diligeretur affectu*. De Scipione Africano Plutarchus ita scribit: *Tanta est enim vis virtutis, ut non solum probos, sed etiam improbos ad se amandum alliciat*. Surius de S. Sylvestro Ann. 3 1. 59 ita scribit: *Ejus virtutes sic omnes adducense in admirationem, ut non solum esset venerandus fidelibus, sed etiam infidelibus*. Cardinalis Baronius de eo ita scribit: *Postquam præclarè consummata virtutis edidisset exemplum*; Ciac. Et alibi in ejus vita ita scribitur: *Ecclesia præficitur ob summum virtutis gradum*; In fine verò concludit: *Cum esset sanctitatis sanctæque factorum & virtutum admirandarum laude clarus*; adeoque quin omnibus fuerit ornatus virtutibus in dubium revocari nequaquam potest, & consequenter de eo meritò dicitur: *sine macula inventus est*.

3 *Post aurum non abiit*. Tyrannus addit, *per concupiscentiam malam, sed magis aurum secutum est eum*; Et verè ita ei accidit, quia cum amplissimum patrimonium suum pauperibus subveniendo, fideles, peregrinos, seu à Tyrannis proscriptos & exules, domum ejus subsidii causa petentes hospitio excipiendo insumpsisset, Deus suaviter ita deposuit, ut ad summum Pontificatum evectus, ac demum à Constantino locupletatus, thesauros in auro, & argento haberet abundantissimos, adeò ut quemadmodum paulò ante diximus, suo tempore sola Constantinianæ Basilicæ suppellex ad duos milliones, & ducenta octoginta quinque millia scutorum aureorum ascenderit: *Aurum secutum est eum*; sed Lyranus dicere pergit, dum ait, *cujus obsequio usus est in operibus* Ciac *piis & honestis*; Auro namque sibi dato usus est, tùm ad cultus divini antea neglecti & contempti majorem splendorem, cum debito decore conjunctum, tum ad sublevandas pauperum necessitates: *Inter cætera verò virtutum sua-* Jod.Glich. *rum studia ad subveniendum pauperibus, exercendaque opera misericordiæ fuit propensissimus, nam orphanorum omnium urbis Romæ, & viduarum atque pauperum nomina habuit studiosè in chartula una conscripta, ut eis pro facultate sua necessaria subministraret*. Enim verò certum est quod Constantinus in variis Christianitatis partibus ex suatu S. Sylvestri innumeras erexerit Ecclesias, easque opulentis censibus annuis dotaverit, ditaveritque: *Si singula expendamus inveniemus pluries Constantinum, quam Salomonem erogasse in innumeris Ecclesiis, quas con-* Ciac. *struxit & dotavit*. Et horum omnium sanctus hic Pontifex noster unicus promotor extitit.

4 *Nec speravit in pecunia & thesauris*; Quæ verba quidam Interpres ita exponit: *Non superbivit, non se* Cor. à lap. *extulit*, sanctus Hieronymus ad Asellam ita scribit: *Gratias ago Deo quia sum dignus habitus quem oderit mundus*. Et porrò sancto Hieronymo facile erat humilitatem & modestiam suam in eo statu, quem obtinebat conservare: at verò quod hic sanctus Pontifex, qui post collatum ab eo Imperatori baptismum duodecim annorum spatio inter vivos superstes, unicè ei dilectus & oraculum illius extitit, coram quo similiter tanquam coram Christi in terris vicario, augustissimus ille totius mundi Monarcha, qui unico duntaxat verbo totum facit contremiscere mundum, humillimè inclinans se prosternit, ut illum adoret, quod inquam hic tantus vir tot thesauris locupletatus, ab omnibus universæ terræ principibus honoratus & adoratus, Dominio quoque totius Italiæ sibi munificè donato vehementer adauctus in humilitate nequicquam defecerit, quin potius in Spiritu, sanctitate, & humilitate sua creverit, mirum profectò hoc censeri debet prodigium. *Fecit mirabilia in vita sua*. Sanctus Augustinus de divitiis ita scribit: *Vermis divitiarum superbia est*. Contrarium verò in hoc nostro sancto Pontifice accidit, quia qui benevolentiam, beneficentiam & magnificentiam ab illo Imperatore erga sanctum nostrum exhibitam ex una, ex altera vero parte eandem beneficentiam à sancto Pontifice nostro in beneficium religionis, subsidium fidelium, divinique cultus promotionem impensam tunc conspectat, verè is illam ei laudem attribuere cogetur, quam in Panegirico Trajani descriptam reperimus, nimirum: *Necquicquam in te mutavit fortuna amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses ut velles*. Innocentius III. in sermonem quem in ejus laudem composuit, de eo dicit, quod Constantinus *urbem pariter senatum cum hominibus & dignitatibus suis, & omne regnum occidentis ei tradidit, & dimisit, Coronam capitis sui voluit illi conferre, sed ipse pro reverentia Clericalis coronæ, vel magis humilitatis causa noluit illam portare*. Porrò de resistentia quam ne in Papam eligeretur exhibuit, superius quidem mentionem fecimus. Dionysius verò Carthusianus de eadem quoque dicit: *In hoc patuit profundissima ejus humilitas, quod sua ad populum promotioni restitit valde*. Enimverò si eo tempore quo summi Pontifices primi erant, qui sanguinem suum pro Christi fide profundebant, suasque cervices carnificum ensibus submittebant, S. Sylvester quominùs ad arduum munus illud, quantumvis in Ecclesia supremum eligeretur adeò strenuè restitisset, id profectò non adeò mirum fuisset; at verò quis non obstupescat videndo quod sanctus hic vir Pontificatui assumendo eo tempore toto animi conatu obsistat, quo munus illud à Constantino tantis est divitiis auctum & sublimatum, *Quantum in se fuit, Papatum resignare optavit*, inquit Historia similiter quod Dominio & potestate temporali sibi ab Imperatore munificè collata, tanta cum modestia & humilitate animi utatur: *Hanc tamen donationem beatissimus Pontifex singulari modestia usus neglexit, ne dum ad regimen esset terrenorum inventus curam spiritualem gregis tantisper videretur deserere, quæ, in principio nascentis Ecclesiæ vehementius perurgebat*.

5 *Fecit mirabilia in vita sua*. Hugo Cardinalis ait: *Quia mundi pompam vicit, maligni astutiam cavit*. Verum inquies, quænam est illa serpentis infernalis astutia, qua tot animas inficit & contaminat? Illam David hisce verbis manifestè detegit, dicens: *Quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Etenim auceps aliquis, quantumvis is practicus sit; aviculam, cui capiendæ insidiatur, non ita facilè in oculis habebit, si illa per terram serpat aut occultè ambulet, sicut si in arborem quandam vel alias in sublime feratur: Sic quoque Dæmon Davidem lædere non potuit, quando velut vilis quidam opilio gregem pascebat, nec quando à Saule persecutionibus infestabatur, atque in ferarum latibulis se cogebatur abscondere, facili autem negotio suum potuit circa Davidem assequi intentum, quando is thronum cœpit regium conscendere, vel quando quod libebat pariter licebat. Unde sanctus Augustinus ait: *In alienam fœminam irruit temporalium rerum prosperitatibus abreptus*. Hoc eodem stratagemate inimicus infernalis cum Lib. 3 de doct. Christ. c. 21. multis aliis animabus quantumvis sanctis uti solet; communiter enim ut in muscipulam suam eos adigat, eousque præstolari solet, donec promotæ fuerint ad honores & dignitates, & tunc demum fortiter tentat: at verò sanctus Sylvester *fecit mirabilia in vita sua*: quia in conditione quadam adeò lubrica constitutus, *Mundi pompam vicit*. Rabanus super jam dictum Ecclesiastici textum scribens, ait: *Mirabile est igne tangi & non comburi, spinas colligere & non pungi*, *Maligni astutiam cavit*, *quia serpens ille quidem insidiatus fuit calcaneo ejus, sed ipse contrivit caput ejus*. Baronius dicit antiquos solitos Ao. 324. n. 102. fuisse sanctum Sylvestrum cum Dracone ad pedes suos alligato depingere, in signum obtenti adversus Dæmonem triumphi & victoriæ Plutarchus scribit apud antiquos in solemni more positum fuisse, quod Heroum imagines & statuæ in ea effingerentur aptitudine, quæ ea repræsentarent intuentibus gloriosa facinora, quibus specialiùs effulsissent: ob eandem prorsus causam Ecclesia juxta statuam vel imaginem v. g. sanctæ Catharinæ rotam, craticulam verò juxta sanctum Laurentium pingere consuevit; verum inquies quamobrem igitur juxta hunc sanctum Draco effigiatur? Dicetis forsitan, quod per illum sancto Pontifici nostro adjunctum leonem ad stupendum illud alludatur miraculum, quod quondam Romæ ab ipso patratum fuit, dum horribili illi & incredibilis magnitudinis Leoni, qui maximam populi partem seducebat; oratione sua necem protinus intulit; Et hunc quidem literalem hujusce consuetudinis sensum esse existimo: at verò quoad sensum mysticum sancta mater Ecclesia nobis intendit innuere, quod *fecit mirabilia in vita sua*, utpotè cui *maligni astutiam cavit*, dum *mundi*

gloriam

gloriam vicit. *Et vidi de ore draconis spiritus tres immundos.* *Apo. 16. 13.* Hugo Cardinalis docet, quod *per Draconem significatur avaritia, quia est animal sitibundum: De ore ejus tres Spiritus immundi exeunt, scilicet sagacitas malè acquirendi, item cautela benè vel malè acquisita malè detinendi, item improvidentia malè distribuendi.* Jure igitur meritissimo Draco iste cum aliis spiritibus victis & debellatis pedibus hujus Pontificis substernitur, utpotè qui adeò à divitiis alienus in easundem distributione adeò providus & cautus, adeoque in ipsarum possessione modestus fuit. *Ser. 30. de convers. ad Cler.* *Quid ni periclitetur castitas in deliciis*, inquit Bernardus, *humilitas in divitiis, pietas in negotiis?* Atque hinc est, quod immediatè post per modum consilii dicat: *Fugite de medio Babylonis.* Ecce tibi igitur ingens illud sancti Sylvestri miraculum, quod videlicet in media urbe Romana (quæ vocatur *Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*) lenocinantes syrenarum infernalium cantus evadere sciverit, cavereque ne ab istis seduceretur; Cujus rationem sanctus Ambrosius reddit, *1. Pet. 5. 14.* dum ait, quem Dæmon in deserto vincere non potuit, quomodo illum in Paradiso superare poterit? *Diabolus in deserto tentationis solida arma non invenit, deest illi de Paradiso amœnitas arborum, deest illi conciliatrix Eva, deest illi pomorum speciosa deceptio.* *Ser. 35. de Jejun.* Equidem quod inimicus hic adeò potens & fortis in deserto sive in sylva sancti Oreftis, in qua ob persecutionis timorem latitabat, nihil potuerit efficere, nequaquam miror, quia *deerat illi de Paradiso, &c.* spiritualis perfectio & sanctitas inter adversa communiter conservatur, in prosperitatibus verò rarissimè; atque ideo Eugenius, qui de claustro ad thronum Pontificium transivit, illo sancti Bernardi salutari consilio opus habuit, dicentis: *Blandientibus secundis rebus Salomon ex toto desipuit, faciliùs invenieris, qui sapientiam retinuerint contraria sibi fortuna, quam qui prospera non perdiderunt.* *Lib. 5. de consid. c. 18.* Verùm enimverò sanctus hic Pontifex unus idemque permansit in Palatio & in Throno, qui fuerat in antro Eremitico, ac proinde ecce tibi ipsum eadem humilitate & modestia præditum, dum jam esset Romanorum Imperatoris oraculum, qui fuerat, dum locus etiamnum erat ferarum & scorpionum, *Sapientiam contraria & prospera fortuna retinuit.* *Ezech. 29.* Rex Ægyptius in Ezechiele sub draconis similitudine effigiatur; *Pharao Rex Aegypti draco magne.* Ubi Hugo Cardinalis ait: *Hoc dicitur de Diabolo, qui in divitibus hujus mundi & deliciosis cubat & requiescit*: S. Sylvester autem inter foedios Ecclesiæ thesauros & prosperitatis humanæ favonios illum vicit & debellavit, ac proinde jure merito in signum trophæi reportati, sub pedibus ejus Draco iste substernitur, quia ab omnibus bonis terrenis adeò fuit alienus, ac si pedibus ea calcaret.

Exponuntur causæ cur Ecclesia huic adeo celebri & famoso Pontifici Evangelium, quod de Confessoribus non Pontificibus legi solet hodie adaptet?

DISCURSUS QUINTUS.

Et vos estote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet.

1 Mirum equidem, & non sine magni judicio mysterii id factum esse putandum est, quod sancta Mater Ecclesia in hac tanti, deque Ecclesia, & benè gesto pontificatu optimè meriti Pontificis Sylvestri festivitate id perlegi præcipiat Evangelium, quod alias communi ritu confessoribus non pontificibus in officio canonico adaptatum est; quid hic causæ, quid mysterii subest? certe, cum Ecclesiam in ordinandis sanctorum cultui debitis ritibus & ceremoniis non sine directione Spiritus sancti procedere à quoquam rectè cum ea sentiente censendum sit, sic quoque nec hoc gratis aut frustra, sed cum magni ratione mysterii factum esse reor, ac proinde non abs re erit illud præsenti discursu penitus nonnihil investigare.

2 Est hic non contemnendus Ecclesiæ usus, pro missa aut officio canonico in honorem alicujus sancti celebrando talem aut Epistolam, aut Evangelium sibi eligere, quod ad aliquas ejusdem sancti actiones & opera, virtutem quoque ejus singularem alludat quasi: sic nunc in hodierno Evangelio, nisi fallor, plurimæ virtutes operaque Heroica S. nostri Pontificis aut prævisa, aut prædicta, aut saltem adumbrata cernuntur, ac primò quidem dicitur.

3 *Sint lumbi vestri præcincti*: Proprium hoc præliatoribus, ut dum ad pugnandum descendunt in arenam, adhoc ut magis agiles sint & expediti præcingant vestes suas: unde in simili forte pugna existens David gratias reddebat Deo dicens *præcinxisti me virtute ad bellum*; *Psal. 17. 40.* Apud Jobum quoque simile quid legitur: *Accinge sicut vir lumbos tuos.* *Job 38. 3.* Insignis quoque ac profectò succinctis lumbis fortissimus Præliator fuit S. Sylvester; solet in signum fortissimorum hostium suorum & multiplicum ab iis reportatarum victoriarum, uti jam supra memoravimus, infra pedes ejus Draco pingi, pugnavit enim contra tres fortissimos eosque ferocissimos, quos unquam Dei habuit Ecclesia, inimicos, pugnavit contra Gentilismum, & vicit, pugnavit contra Hebraismum & convicit; quod pulchrè indicat Dionysius Carthusianus dicens: *Serm. de S.* *Sexta excellentia fuit mirabilis & præclara sapientia ejus in lege divina, omnes enim illos duodecim Judæorum doctissimos manifestè convicit.* Congressus quoque est cum ferocissima illa infernorum bellua, nempe Hæresi & potissima ex parte mediante Concilio Nicæno, aliisque contrariarum objectis munitionibus ac machinis fortissimos hujus belluæ naviculæque Apostolicæ naufragium minitantes assultus repressit, imo compressit; At singulariter semper humani generis juratissimo hosti inimico scilicet infernali sese opposuit, & quidem in ea pugna, in qua, sancto Leone attestante pauci quidem victores evadunt, sæpè victor visus est; sic enim S. Leo de hoc infernali implacabili ac invisibili inimico loquitur: *Interdictum delet sanguinis Christi effusionem, & quorum obtinere non potest mortem impetit mores, terrores proscriptionum in avaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit.* *S. 6 de Ep.* Hæc eadem pugna ac incruentum, licet attamen periculosissimum bellum auspicante summo Pontificatu S. Sylvestri, tunc quoque initium sumpsit, tunc inquam, quando maxima pace & tranquillitate gaudebat Ecclesia, multisque Ecclesiasticis proventibus mirum in modum ditabatur; nihilominus ad ipsam usque admirationem huic cupiditati S. Sylvestrum restitisse, quis est, quis nesciat *Usque ad sanguinem restitit*, siquidem quantum quidem suarum partium erat, erat jam res in procinctu, ut gloriosissimo Martyrio afficeretur à Tarquinio Præfecto, at divina providentia sic disponente factum est, ut ad martyrium magis pœnosum reservaretur, ad martyrium inquam tale, de quo scribit S. Bernardinus, dicens: *Ser. in Fest. omn. Sanctor.* *Quod Martyrium gravius est, quam paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas desiderat noster appetitus?* S. Augustinus majorem censuit fœlicitatem mortem septem Fratrum Machabæorum, quàm non sine insigni miraculo in flammivoma illa Babylonis fornace conservatam trium puerorum Hebræorum vitam, sic enim ait: *Ser. 110. de divers.* *Illi quidem de morte liberati sunt, sed in hujus vita tentatione remanserunt ab igne liberati, sed ad pericula reservati, uno Tyranno victo adhuc certaturi cum diabolo.* S. Sylvester jam jam martyrii sententiam excepturus astabat, at aliter divinæ Majestati visum est pro augmento gloriæ suæ ordinare, ut scilicet longiori tempore sæpèque repetita sufferret martyria, qualia sunt pauperem inter divitias vitam degere, humilitatem in ipso summo bonorum culmine amplecti, ac demum in humanarum deliciarum apice sanctitatem adipisci. Unde sanctus Augustinus ait: *Serm. 2. de Mart.* *De mundo triumphasse pars magna Martyrii est.*

4 *Sint lumbi vestri præcincti.* Idem S. P. Augustinus ait. *Serm. 39. de divers.* *Præcingite lumbos, hoc est, omnes appetitus, & affectus circa res factus contrahite & mortificate.* Erat mundus totus quasi in manibus sancti hujus Pontificis, siquidem ipse erat arbiter & judex voluntatum maximarum, id est, omnium ferè ejusdem Monarcharum, qui summam eidem deferebant reverentiam, obedientiam, nec non maximis ipsum dignabantur obsequiis, ipse tamen nihilominus, quantum ad maximos divitiarum thesauros opum vim, statusque sui summam magnificentiam attinet, reprimebat ac restrænabat appetitus suos ita, ut in medio auri & argenti ipse quasi pauperrimus videretur, idque cum maximo despectu & humiliatione sui ipsius, & quidem sine exemplo, dum ipse primus universali quadam totius terrarum orbis veneratione Orbis Pater, & Ecclesiæ caput agnosceretur.

5. *Sint lumbi vestri præcincti.* Præcinctum esse maxime convenit itinerantibus, qui ad hoc se præcingunt, ut eo citiùs & commodius conficiant iter sanctus noster Pontifex, veluti peregrinus quidam hic in terris degebat; domus ejus commune quoddam peregrinorum erat diverti-

verticulum, qui variis ex partibus ob persecutiones, quæ extra Romam adhuc satis erant crudeles fugere coacti ad ipsum recurrerant, iis ad mensam serviebat, pedes lavabat, eosque sic reficiebat: *Faciebat illos discumbere, & transiens ministrabat illis*, uti in Evangelio legitur. Insuper uti declarat S. Cyrillus: *Subcingi significat agilitatem & promptitudinem ad sustinenda mala, virtute divini amoris*. Quam promptitudinem sæpissimè ostendit, & tunc quidem singulariter, quando diversatus fuit apud S. Timotheum Martyrem, simul cum eo captivus factus sese accinxit, ut veluti martyr occumberet.

In Cat. D. Tho.

6 *Et lucernæ ardentes*. Per has lucernas, quæ tenebras illuminant ac repellunt, optimè interpretari seu denotari potest illa splendidissima lux, quæ magno miraculo de cœlo apparuisse fertur, quando gratia Dei illuminante, tactus est Constantinus intrinsecus, denotabat hæc eadem lux, nunc adesse tempus, quo densissimæ illæ variorum errorum, maximè autem idololatriæ tenebræ essent abigendæ: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam*; tempus enim aderat, quo omnis terra clarissima Evangelii luce illuminanda erat; vel adminus dici potest, quod optata diu veræ fidei lux trecentorum annorum decursu & ultra absconsa jacuerit infra terram in Catacombis, jamverò reponi debebat super candelabrum, ut omnibus palam innotesceret. Origenes ponderavit factum illud quod in sacra Judicum refertur Historia, factum inquam militum Gedeonis, qui confringentes vasa illa testacea, quæ manibus tenebant, subitò absconsa in iisdem apparuerunt lumina; ad quorum aspectum terrore perciti Madianitæ, atque ad tam subitum exortum lumen oculis quasi caligantes profligati sunt & confusi: denotabat hoc stratagema, inquit, citatus Doctor, quod testacea vasa, id est, corpora Apostolorum, Martyrum, aliorumque fidelium per Tyrannorum tormenta & multiplices mortes quasi confracta, tanta, tamque subita luce claruerint miraculorum, ut inde sanctæ Ecclesiæ juratissimi hostes & inimici non modicum confusi fuerint & victi. Totum hoc perfectissimè adimpletum est tempore Pontificatus S. P. Sylvestri, quando post tam longinquam, tamque immanem tot potentissimorum Imperatorum persecutionem, tunc tandem maximè claruit, nonnunquam alias summo in discrimine posita veritas Evangelica, dum illa gloriosissimum de omnibus ferè toto terrarum orbe diversis nationibus, quæ se Christianæ subjiciebant Religioni, ageret triumphum. Alia tamen S. Cyrillus Carmelitanus harum lucernarum dedit expositionem, dicens: *Lucerna accensio significat, ut non patiamur aliquos in tenebris ignorantiæ vivere*; An non præ cæteris igitur has lucernas manibus suis tenuisse S. Sylvester dicendus est? cum ille non solum omni possibili cura ac industria ad pœnitentiam reduxerit Christianos malè viventes, verum etiam densissimas ignorantiæ ac errorum tenebras sive ex idolorum impiissimo cultu, sive Hebræorum perfidia sive Hæreticorum contumacia provenientes dicentes *Vere non passus fuit aliquas in ignorantiæ tenebris vivere*.

Ho. 9. in Jud.

7 *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum quando revertatur à Nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, aperiant ei*: his verbis clariis nobis sunt expressæ dispositiones & præparationes, quas veri servi Dei habere debent, ut ad omnem Dei nutum & voluntatem parati sint præsenti vitæ mori; Unde S. Basilius, *Homilia de non adhærendo rebus sæcularibus* scripsit, *oportet nos quotidie ad migrandum ex hac vita paratos esse, & nutum Domini fixis oculis expectare*: Glossa inquit: *Aperit qui judicem lætus, & securus sustinet*. Surius loquens de S. Sylvestro in principio vitæ suæ sæpè scitius cum compellat divinum: Nunc quid mirum est, quod cum tanta promptitudine, hilaritate & indifferentia stabat dispositus ad mortem? siquidem erat dimus, id est, plus spectabat ad cœlum quam ad terram, plus ad vitam immortalem, quam ad hanc fluxam, caducam & terrenam. Gloss.

8. *Beati servi illi quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes*. Glossa inquit: *Vigilat qui sollicitus est in cura gregis sibi commissi*. Quis est qui nesciat, quanta cura, quanta sollicitudo vigilantissimi hujus Pastoris fuerit erga commissum sibi gregem? Ipse enim fuit is, qui sapientia sua duce optimum modum adinvenit, quo Clerici toto diei tempore in officio divino in Ecclesia detinerentur occupati & vigilantes, ne tempus præterquam in divino servitio transigerent. Gloss.

9. *Et vos estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet*. Hoc in Evangelio & præsenti ejusdem textu admonemur semper ut simus parati ad mortem; Agedum, pluribus de causis eodem Evangelio S. Mater Ecclesia utitur, non solum in honorem sancti hujus Pontificis (qui uti jam dictum fuit semper ad eandem fuit paratissimus) verum etiam quia est ultimus anni dies, ut hoc documento nobis non blandiamur longiorem nobis promittentes vitam; siquidem jam magis per anni finem quem attigimus ad vitæ finem properamus Glossa ait: *Ultimam horam semper ignorari voluit Dominus, ut semper sit suspecta*. Est verisimile sanctum hunc Pontificem, quod quando speluncam illam, in qua Romæ latuit, egressus est, seseque ad adeundum Constantinum Imperatorem, à quo vocatus erat, in viam dedit, credens se jam mortem adire, eandem semper ante oculos suos præsentem habuerit, nulla ratione considerans se in culmine dignitatis ac felicitatis humanæ positum, & quod hoc medio, mortis scilicet memoria, omnem fastus seu vanæ gloriæ titillationem repreßerit. Quod similiter, crediderim ego, sanctam Matrem Ecclesiam intendere, ut videlicet aliquod suis fidelibus largiatur Antidotum, ad hoc ne fideles nimium à præsentis vitæ bonorumque temporalium deliciis inescentur, eisque ultra quam par est adhæreant; *Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet*: & licèt incertissima sit mortis hora, & nesciamus illud ultimum quando, nihilominus hoc posito Christus adhuc clarissimis verbis dicit, *Qua hora non putatis*, id est, quando, credimus eandem horam adhuc longe abesse, jam ipsa adest præ foribus & vicina. Attigerimus igitur nunc, licet finem hujus anni, veruntamen non simus adhuc secunda auspicando sequente. Dives ille Epulo Evangelicus sibi ipsi multa promittendo addebat animos, dicens: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus stulte hac nocte animam tuam repetent à te*. Luc. 12.
Tarquinius præfectus sancto huic Pontifici omnis generis atrocissima tormenta interminanda minabatur, nisi falsis Deorum simulachris immolaret, at sanctus Sylvester spiritu quodam Prophetico eidem mortem sequenti nocte certo certius venturam prædicebat dicens: *Hac nocte animam à te repetent, quæ autem minatus es non licebit ad affectum deducere*.

Finis Partis Quartæ.

INDEX

MATERIARUM ET RERUM NOTABILIUM

Quæ in Prima Parte continentur.

A

B

erat

H

I

L

M

Nati

N

O

P

R

S

T

V

Z

I N D E X

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

Quæ in Prima Parte continentur.

GENESIS.

EXODI.

Cap.

J O B.

PSALMORUM.

Pſ. 68.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

Cap.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEÆ.

SOPHONIÆ.

MALACHIÆ.

MATTHÆI.

Cap.

M A R C I.

L U C Æ.

v. 16. *Invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem*, dis. 8. n. 3. in festo s. Josephi, dis. 10. in eodem festo per totum.

v. 21. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, dis. 1. in festo Circumcisionis per totum.

v. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*, dis. 1. in festo Purificationis per totum, dis. 3. in eodem festo per totum, dis. 7. in eodem festo per totum.

v. 24. *Ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum*, dis. 4. in festo Purificationis.

v. 25. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus expectans, &c.* dis. 5. in festo Purificationis per totum.

v. 27. *Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo*, dis. 2. in festo Purificationis per totum.

v. 28. *Accepit eum in ulnas suas*, dis. 6. in festo Purificationis per totum.

v. 32. *Lumen ad revelationem gentium*, dis. 10. in Purificatione per totum.

v. 31. *Erant Pater ejus, & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo*, disc. 6. in festo sancti Josephi per totum.

v. 34. *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel*, disc. 6. num. 1. in festo sancti Josephi.

versu eodem. *Et in signum, cui contradicetur*, dis. 11. n. 11. in festo s. Josephi.

v. 48. *Fili, quid fecisti nobis sic?* dis. 7. n. 6. in festo sancti Josephi.

versu eodem. *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, dis. 7. in festo s. Josephi per totum.

v. 49. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* dis. 7. n. 2. in festo s. Josephi.

v. 51. *Descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis*, ibid.

Cap. 4. v. 10. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te*, dis. 4. in festo s. Franciscæ.

v. 34. *Quid nobis & tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos, scio, qui sis sanctus Dei*, dis. 7. n. 1. in festo Circumcisionis.

Cap. 10. v. 17. *Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*, dis. 8. n. 2. in festo Circumcisionis.

v. 18. *Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem*, ibid.

v. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes*, ibid.

v. 40. *Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet*, dis. 9. n. 5. in festo s. Josephi.

Cap. 11. v. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt ea, quæ possidet*, dis. 4. n. 3. in festo s. Franciscæ.

v. 22. *Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet*, ibid.

Cap. 12. v. 19. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe & epulare*, dis. 11. nu. 4. in festo Circumcisionis.

v. 20. *Hac nocte repetent à te animam tuam: & quæ parasti, cujus erunt*. ibid.

v. 40. *Estote parati, quia hora non putatis filius hominis veniet*, disc. 11. n. 7. in festo Circumcisionis.

Cap. 13. v. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes peribitis*, disc. 12. n. 1. in festo Circumcisionis.

v. 7. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat*, ibid.

v. 8. *Dimitte illam & hoc anno*, ibid.

v. 9. *Si quidem fecerit fructum, sin autem in futurum succides eam*, ibid.

Cap. 15. v. 8. *Accendit lucernam, evertit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam*, dis. 9. n. 11. in festo Annuntiationis.

Cap. 7. v. 10. *Cum hæc omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus*, dis. 2. n. 2. in festo s. Sebastiani.

Cap. 22. v. 24. *Facta est contentio inter eos*, dis. 16. n. 1. in festo Resurrectionis.

v. 25. *Reges gentium dominantur*, dis. 4. n. 3. in festo s. Matthiæ Apostoli.

v. 26. *Vos non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor*, ibid.

Cap. 23. v. 25. *Jesum tradidit voluntati eorum*, dis. 1. n. 12. in festo s. Joseph.

v. 38. *Erat autem super scriptio scripta super eum &c.* dis. 6. n. 3. in festo Circumcisionis.

v. 39. *Unus autem ex his, qui pendebant, latronibus*, ibid.

v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*, ibid.

Cap. 24. v. 36. *Et dicit eis: Pax vobis*, dis. 14. in festo Resurrectionis per totum.

JOANNIS.

Cap. 1. v. 11. *Sui eum non receperunt*, dis. 9. nu. 7. in festo s. Josephi.

v. 46. *Nunquid à Nazareth potest aliquid boni esse?* dis. 15. n. 3. in festo Annuntiationis.

Cap. 2. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus exaltabo illud*, dis. 7. n. 1. in festo Resurrectionis, dis. 18. n. 1. in eodem festo.

v. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis sui*, ibid.

v. 22. *Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & sermoni quem dixit Jesus*, dis. 18. nu. 1. in festo Resurrectionis.

Cap. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum non pereat*, dis. 7. n. 1. in festo Circumcisionis, disc. 11. n. 1. in festo Annuntiationis, dis. 13. n. 1. in eodem festo.

Cap. 4. v. 32. *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*, dis. 16. n. 4. in festo Resurrectionis.

Cap. 5. v. 14. *Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*, dis. 8. nu. 2. in festo Resurrectionis.

v. 28. *Qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei*, disc. 16. n. 3. in festo Resurrectionis.

Cap. 6. v. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*, dis. 11. nu. 4. in festo s. Josephi.

v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, dis. 1. nu. 4. in Epiphania, disc. 4. num. 1. in Epiphania.

Cap. 8. v. 12. *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, dis. 10. nu. 2. in festo Purificationis.

v. 29. *Ego quæ placita sunt ei, facio semper*, dis. 11. num. 4. in festo s. Josephi.

Cap. 9. v. 31. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit*, dis. 11. nu. 13. in festo s. Josephi.

Cap. 11. v. 27. *Ego credidi, quia tu es filius Dei vivi*, disc. 7. n. 5. in festo s. Josephi.

v. 50. *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, disc. 7. num. 1. in festo Circumcisionis.

Cap. 12. v. 31. *Nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*, dis. 2. n. 11. in festo Resurrectionis, dis. 4. n. 4. in festo Circumcisionis.

v. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, disc. 16. numer. 5. in festo Resurrectionis.

v. 35. *Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant*, dis. 1. n. 5. in Epiphania.

Cap. 14. v. 6. *Ego sum via, veritas, & vita*, dis. 3. nu. 4. in Epiphania.

Cap. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere*, dis. 9. nu. 3. in festo s. Josephi.

v. 15. *Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus*, dis. 10. nu. 1. in festo s. Josephi.

versu eodem. *Omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*, dis. 3. nu. 1. in festo sancti Matthiæ Apostoli.

Cap. 16. v. 23. *Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, dis. 9. nu. 1. in festo Circumcisionis.

Cap. 17. v. 25. *Pater juste*, dis. 3. nu. 16. in festo sancti Josephi.

Cap. 19. v. 26. *Ecce filius tuus*, dis. 4. nu. 4. in festo Annuntiationis.

A C T O R U M.

A D R O M A N O S.

I. A D C O R I N T H I O S.

cap. 15.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

AD THESSALONICENSES.

I. AD TIMOTHEUM.

II. AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I. PETRI.

II. PETRI.

I. JOANNIS APOSTOLI.

APOCALYPSIS.

Finis Indicis Primæ Partis.

INDEX

INDEX

MATERIARUM ET RERUM NOTABILIUM

Quæ in Secunda Parte continentur.

 Non

R

S

T

V

Z

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ in Secunda Parte continentur,

GENESIS.

EXODI.

LEVITICI.

NUMERI.

DEUTERONOMII.

JOSUE,

JUDICUM,

PSALMORUM.

PRO-

PROVERBIORUM.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

ISAIÆ.

cap. 40.

JEREMIÆ.

THRENORUM.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEÆ.

MICHEÆ.

HABACUC.

MALACHIÆ.

I. MACHABÆORUM.

II. MACHABÆORUM.

MATTHÆI.

MARCI.

LUCÆ.

JOANNIS.

v. 26.

ACTORUM APOSTOLORUM.

PAULI AD ROMANOS.

AD CORINTHIOS.

II. AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I. AD TIMOTHEUM.

II. AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I. PETRI.

II. PETRI.

I. JOANNIS.

APOCALYPSIS.

Finis Indicis Secundæ Partis.

INDEX

MATERIARUM ET RERUM NOTABILIUM

Quæ in Tertia Parte continentur.

A

B

erectum

S. Ja-

I

L

M

Cur

N

O

P

Ipsum

R

S

T

V

Z

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ;

Quæ in Tertia Parte continentur.

GENESIS.

v. 26.

v. 26. *Dixitque ad eam: Dimitte me, jam enim ascendit aurora*, ibid. & dis. 11. nu. 2. in festo Assumpt. B. V.

Cap. 24. v. 2. *Adamavit eam, & rapuit & dormivit cum illa, vi opprimens virginem*, dis. 6. n. 1. in Decollatione S. Joan. Bapt.

Cap. 45. v. 28. *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam & videbo illum*, dis. 13. nu. 2. in festo Assumpt. B. V.

E X O D I.

Cap. 3. v. 2. *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est*, disc. 4. nu. 3. in festo S. Annæ, dis. 12. n. 4. in festo assumpt. B. V.

Cap. 4. v. 6. *Mitte manum tuam in sinum tuum; quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis*, dis. 5. n. 5. in festo S. Rochi.

Cap. 16. v. 13. *Manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum*, dis. 1. n. 2. in festo Nat. B. V.

v. 14. *Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit minutum in similitudinem pruinæ*, ibid.

Cap. 20. v. 18. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, montemque fumantem*, disc. 7. num. 3. in festo s. Laurentii.

v. 19. *Et perterriti ac pavore concussi steterunt procul*, ibid.

Cap. 23. v. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem præparavi*, disc. 5. num. 14. in festo S. Petri ad vincula, dis. 2. num. 6. in festo S. Michaelis.

v. 21. *Observa eum, & audi vocem ejus*, ibid.

Cap. 26. v. 14. *Facies & operimentum aliud tectum de pellibus arietum rubricatis; & super hoc rursus aliud operimentum de janthinis pellibus*, dis. 4. num. 1. in festo Sancti Bartholomæi.

Cap. 27. v. 4. *Craticulamque in modum retis aeneam*, dis. 8. n. 2. in festo s. Laurentii Mart.

v. 5. *Eritque craticula usque ad altaris medium*, ibid.

Cap. 28. v. 22. *Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo*, dis. 2. num. 1. in festo S. Petri ad vincula.

Cap. 32. v. 2. *Tollite in aures aureas*, dis. 7. num. 1. in festo S. Matthæi Apost.

Cap. 37. v. 1. *Fecit autem Beseleel & arcam de lignis Sethim* disc. 4. num. 2. in festo S. Annæ.

L E V I T I C I.

Cap. 2. v. 7. *Sin autem de craticula fuerit sacrificium: simile oleo conspergetur*, disc. 8. n. 2. in festo Sancti Laurentii.

N U M E R I.

Cap. 13. v. 24. *Absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri*, disc. 11. nu. 3. in festo Nativit. B. V.

v. 28. *Terra hæc verè fluit lacte & melle: ut ex his fructibus cognosci potest*, dis. 5. n. 3. in festo s. Annæ.

Cap. 24. v. 17. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*, dis. 5. n. 5. in festo Nativit. B. M. V.

D E U T E R O N O M I I.

Cap. 1. v. 46. *Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore*, dis. 4. n. 1. in festo s. Matthæi Apost.

Cap. 32. v. 15. *Incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo*, dis. 5. n. 12. in festo s. Matthæi Apost.

J O S U E.

Cap. 2. v. 11. *Dominus Deus vester ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum*, dis. 1. nu. 2. in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

I. R E G U M.

Cap. 2. v. 5. *Donec sterilis peperit plurimos*, disc. 1. num. 3. in festo s. Annæ.

v. 30. *Quicumquè honorificavit me, glorificabo eum*, dis. 1. n. 4. in festo s. Petri ad vincula.

Cap. 18. v. 4. *Inierunt autem David & Jonatas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam*, disc. 3. nu. 2. in festo s. Bartholomæi.

v. 14. *Expoliavit se tunica, qua erat indutus, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad baltheum*, ibidem.

I I. R E G U M.

Cap. 6. v. 11. *Habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus*, disc. 4. num. 2. in festo Sanctæ Annæ.

I I I. R E G U M.

Cap. 1. v. 2. *Dixerunt servi ejus: quæramus Domino nostro Regi adolescentulam virginem, & stet coram Rege, & foveat eam, & calefaciat Dominum nostrum*, disc. 11. nu. 1. in festo Assumptionis.

Cap. 2. v. 19. *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eum, & sedit super thronum suum, positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus*, disc. 5. nu. 1. in festo Assumpt. B. V. M.

Cap. 10. v. 20. *Non est factum tale opus in universis regnis*, dis. 8. num. 5. in festo Assumpt. B. V. M.

v. 28. *Ut esset tanta abundantia argenti, quanta & lapidum*, disc. 2 num. 1. in festo Assumpt. B. V. M.

Cap. 18. v. 38. *Cecidit ignis Domini, & voravit holocaustum*, disc. 8. num. 1. in festo s. Laurentii.

v. 39. *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus*, ibidem.

v. 44. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari*, disc. 10. num. 3. in festo Nativit. Beatæ Virginis Mariæ.

Cap. 19. v. 2. *Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis*, disc. 6. num. 2. in Decollatione sancti Joannis Baptistæ.

v. 19. *Misit pallium suum super illum*, disc. 10. num. 4. in festo s. Matthæi Apost.

v. 20. *Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: Osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te*, ibid. & dis. 9. num. 2. in eod. festo.

versu eodem. *Vade & revertere: quod enim meum erat, feci tibi*, dis. 9. num. 2. in fest. s. Matthæi Apost.

v. 21. *Reversus tulit par boum, & mactavit illud: & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo & comederunt; surgensque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei*, disc. 10. numer. 4. in festo sancti Matthæi Apostoli.

IV. R E G U M.

Cap. 2. v. 14. *Pallio Eliæ percussit aquas, & non sunt divisæ; & dixit: ubi est Deus Eliæ etiam nunc? percussit aquas, & divisæ sunt huc atque illuc, & transiit Eliseus*, dis. 2. n. 5. in festo s. Bartholomæi.

P A R A L I P O M E N O N.

Cap. 9. v. 9. *Dedit Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis & gemmas pretiosissimas*, disc. 2. nu. 1. in festo Assumpt.

v. 12. *Dedit Regina cuncta quæ voluit, & postulavit, & multò plura*, disc. 10. num. 4. in festo Assumptionis Beatæ Virginis. Mariæ.

E S D R Æ.

Cap. 9. v. 6. *Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum*, disc. 7. num. 10. in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

T O B I Æ.

Cap. 5. v. 13. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video*, disc. 3. num. 2. in festo Nativ. B. V. M.

Cap. 6. v. 9. *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*, disc. 1. num. 3. in festo sancti Bartholomæi Apostoli.

Cap.

J U D I T H.

E S T H E R.

J O B.

E X P S A L M I S.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTES.

CANTICA CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICUS.

ISAIAS.

J E R E M I A S.

Mansi Prompt.

T H R E N O R U M.

E Z E C H I E L I S.

D A N I E L I S.

O S E Æ.

A M O S.

M I C H E Æ.

H A B A C U C.

Z A C H A R I Æ.

NOVUM TESTAMENTUM.

M A T T H Æ U S.

E X M A R C O.

E X L U C A.

reque-

requiesce, comede, bibe, epulare, disc. 1. de sancta Maria Magdalena, num. 3.

v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur*, disc. 2. de s. Jacobo, nu. 3. Item, disc. 2. de s. Laurentio, num. 2.

Cap. 14. v. 20. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire*, disc. 1. de s. M. Magd. num. 2.

Cap. 15. v. 10. *Gaudium est coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente*, dis. 2. de Assumpt. B. V. num. 5. & disc. 4. de s. M. Magd. num. 5.

Cap. 17. v. 21. *Regnum Dei intra vos est*, disc. 1. de s. Rocho, num. 3.

Cap. 21. v. 18. *Capillus de capite vestro non peribit*, disc. 11. de s. M. Magd. num. 9.

Cap. 22. v. 28. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*, disc. 13. de s. Maria Magd. num. 1.

2. 61. *Et conversus Dominus respexit ad Petrum*, disc. 1. de sancto Matthæo, num. 14. de sancta Maria Magdalena, num. 1.

Cap. 23. v. 25. *Jesum tradidit voluntati eorum*, disc. 6. de festo s. Joannis Bapt. num. 5.

Cap. 24. v. 49. *Manete in civitate donec induamini virtute ex alto*, disc. 1. de s. Jacobo Apost. num. 2.

Cap. ult. v. 32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via*, disc. 13. de Assumption. Beatæ V. M. num. 3.

EX JOANNE.

Cap. 1. v. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, disc. 4. de s. M. Magd. num. 1.

v. 47. *Hic est verus Israelita, in quo dolus non est*, disc. 3. de s. M. Magd. num. 1.

Cap. 4. v. 6. *Fatigatus ex itinere sedebat supra fontem*, disc. 5. de sancta Maria Magdalena, num. 1. & disc. 5. de s. Matthæo.

v. 32. *Cibum habeo manducare quem vos nescitis*, disc. 6. de s. M. Magd. num. 6. & disc. 8. de s. Laurentio, & disc. 6. de s. Matthæo.

Cap. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me nisi pater qui misit me traxerit eum*, disc. 2. de s. Jacobo num. 1.

Cap. 7. v. 48. *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum*, disc. 5. de sancta Maria Magdalena, num. 1. circa medium.

Cap. 8. v. 44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere*, disc. 9. de sancto Joanne Baptista, num. 3.

Cap. 11. v. 36. *Ecce quomodo amabat eum*, disc. 12. de s. M. Mad. num. 1.

Cap. 12. v. 3. *Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Jesu, &c.* disc. 11. de s. M. Magdal. num. 1.

v. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet, sin autem mortuum fuerit multum fructum adfert*, disc. 2. de s. Jacobo num. 2.

v. 26. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit*, disc. 4. de Assumpt. num. 3.

v. 26. *Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus qui in cælis est*, disc. 5. de Assumpt. num. 1.

Cap. 13. v. 35. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis si dilectionem habueritis*, disc. 4. de sancto Laurentio, num. 2.

Cap. 14. v. 28. *Si diligeretis me: gauderetis utique quia vado ad Patrem*, disc. 9. de Assumpt. num. 2.

Cap. 15. v. 1. *Pater meus agricola est*, disc. 2. de s. Jacobo, num. 2.

Cap. 18. v. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum*, disc. 2. de s. Jacobo Apost. num. 3.

v. 38. *Ego ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati; quid est veritas*, disc. 3. de s. Joanne Baptista, num. 3.

Cap. 16. v. 21. *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; disc. 9. de Nat. B. V. num. 6.

Cap. 20. v. 13. *Mulier quid ploras? tulerunt Dominum meum*, disc. 3. de s. M. Magd. num. 5.

v. 15. *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam*, disc. 22. de s. M. Magd. num. 1.

v. 23. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, dis. 3. de s. Petro in vinc. num. 2.

ACTUUM APOSTOLORUM.

Cap. 1. v. 3. *Per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei*, disc. 3. de s. Jacobo, num. 1.

Cap. 2. v. 4. *Seditque supra singulos eorum*, disc. 3. de s. Jacobo num. 3.

Cap. 7. v. 55. *Jesum stantem à dextris Dei*, disc. 10. de Assump. num. 1.

Cap. 8. v. 1. *Præter Apostolos*, disc. 1. de s. Jacob. num. 2.

Cap. 9. v. 6. *Quis es Domine, Domine quid me vis facere*, disc. 5. de s. Petro in vinc. num. 9.

Cap. 11. v. 7. *Occide & manduca*, disc. 11. de s. Matthæo Apost. num. 8.

Cap. 12. v. 3. *Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio, videns autem quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum*, disc. 1. de s. Jac. num. 5.

v. 5. *Oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione ad eum pro eo*, disc. 4. de s. Jacob. Apost. num. 3.

Cap. 17. v. 23. *Ignoto Deo, quod ignorantes colitis ego annuntio vobis*, disc. 9. de s. M. Magd. num. 3.

Cap. 24. v. 25. *Tremefactus Fœlix*, disc. 2. de s. Jac. num. 6.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

Cap. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt*, disc. 4. de Nat. B. V. num. 2.

v. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*, disc. 5. de s. M. Magd. num. 5.

Cap. 6. v. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc membra vestra, &c.* disc. 6. de sancta Maria Magdal. num. 7. & dis. 3. de ead. num. 3.

Cap. 7. v. 25. *Gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum*, disc. 4. de Assumpt. B. V. num. 2.

Cap. 8. v. 36. *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis*, disc. 3. de sancto Bartholomæo, num. 1.

Cap. 9. v. 16. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, disc. 1. de s. Matth. num. 1.

Cap. 12. v. 1. *Obsecro itaque vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem*, disc. 3. de sancto Bartholomæo num. 1.

v. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, disc. 4. de s. Laur. num. 2.

Cap. 13. v. 11. *Hora est jam nos de somno surgere, nunc enim prope est nostra salus, quam credidimus*, disc. 2. de Nat. B. V. num. 5. & disc. 4. de. s. Petro in vinc. num. 4.

v. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*, disc. 2. de Nat. B. V. num. 1. & disc. 11. de Assumpt. B. V. num. 1.

v. 12. *Abjiciamus opera tenebrarum*, disc. 5. de s. Petro in vinculis, num. 4. & disc. 2. de Nativit. B. V. num. 1. ad longum.

v. 15. *Induimini Dominum Jesum Christum*, disc. 3. de s. Petro in Vinculis, num. 13.

I. AD CORINTHIOS.

Cap. 4. v. 15. *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres, nam in Christo per Evangelium ego vos genui*, disc. 1. de s. Jacobo num. 3.

Cap. 6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino unus spiritus est*, disc. 13. de s. M. Magd. num. 1.

Cap. 7. v. 34. *Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt ut sit sancta corpore & spiritu*, disc. 1. de s. M. Mag. num. 2.

Cap. 9. v. 24. *Sic currite ut comprehendatis, omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, &c.* disc. 5. de s. Jacob. num. 1.

Cap. 13. v. 4. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur*, disc. 2. de s. Anna num. 6.

Cap. 15. v. 41. *Stella differt a Stella in claritate*, dis. 2. de Assumpt. num. 3.

II. AD CORINTHIOS.

Cap. 2. v. 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu*, dis. 2. de sancto Laurentio martyre, num. 1.

Cap. 14. v. 4. *Illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est*

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

AD THESSALONICENSES.

I. AD TIMOTHEUM.

II. AD TIMOTHEUM.

AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA S. JACOBI.

I. PETRI.

II. PETRI

I. JOANNIS APOSTOLI.

APOCALYPSIS.

Finis Indicis Tertiæ Partis.

INDEX

MATERIARUM ET RERUM NOTABILIUM

Quæ in Quarta Parte continentur.

A

B

C

ejus

D

E.

F

G

H

I

L

M

N

O

P

R

S

T

V

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ in Quarta Parte continentur.

GENESIS.

EXODI.

Cap.

Cap. 26. v. 14. *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus rubricatis*, disc. 3. de Ss. Innocentibus, n. 12.

Cap. 28. v. 17. *Ponee in eo quatuor ordines lapidum, in primo versu erit lapis Sardius & Topazius & Smaragdus, &c.* dis. 3. de S. Martino Episcopo, n. 3.

Cap. 33. v. 13. *Si inveni gratiam in conspectu tuo ostende mihi faciem tuam, ostende mihi gloriam tuam*, disc. 11. de Nat. Christi, n. 14.

v. 20. *Non videbis me homo & vivit, non enim videre poteris faciem meam*, disc. 8. de S. Stephano, n. 2.

Cap. 3. v. 5. *Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino, aurum, argentum, & ae Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum & byssum & piloe caprarum, pellesque arietum, lapides Onychinos & gemmas ad ornatum superhumeralis*, disc. 6. de S. Carolo, num. 5. & 13.

v. 21. *Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi*, disc. 3. de Ss. Innocent. n. 2.

LEVITICI.

Ponam Tabernaculum meum in medio vestri, disc. 4. de omnibus Sanctis, n. 1.

NUMERORUM.

Cap. 8. v. 17. *Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel tam de hominibus quam Jumentis*, disc. 2. de Ss. Innoc. num. 4.

Cap. 11. v. 11. *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me*, disc. 1. de sancta Lucia, nu. 10.

v. 11. *Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te?* dis. 2. de s. Carolo, n. 7.

Cap. 14. v. 9. *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terra hujus: quia sicut panem ita eus possumus devorare*, dis. 5. de omnibus Sanctis; n. 6.

Cap. 16. v. 21. *Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam*, dis. 6. de omnibus Sanctis, n. 3.

Cap. 20. v. 6. *Aperi eis Thesaurum tuum fontem aquæ vivæ*, dis. 3. de s. Catharina, n. 4.

v. 8. *Loquimini ad petram & ipsa dabit vobis aquas*, dis. 3. de s. Catharina, n. 4.

Cap. 24. v. 17. *Orietur Stella ex Jacob*, disc. 4. de Concept. B. V. M. n. 6.

DEUTERONOMII.

Cap. 11. v. 24. *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit*, dis. 5. de s. Francisco, n. 2.

v. 21. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos; & super eos volitans*, dis. 7. de s. Joanne, n. 7.

Cap. 32. v. 13. *Ut sugeret mel de petra; oleumque de saxo durissimo*, dis. 5. de s. Stephano, n. 3.

v. 37. *Ubi sunt Dii eorum, in quibus habebant fiduciam surgant & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant*, dis. 2. de s. Francisco, n. 13.

Cap. 33. v. 12. *Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*, dis. 3. de s. Joanne, n. 3.

JOSUE.

Cap. 8. v. 31. *Altare verò de impolitis lapidibus quos ferrum non tetigit*, disc. 6. de s. Stephano, n. 11.

JUDICUM.

Cap. 5. v. 20. *De cœlo dimicatum est contra eos: Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt* disc. 3. de s. Francisco, n. 11.

Cap. 16. v. 20. *Statim ab eo fortitudo discessit, nesciens quod ab eo recessisset Dominus*, disc. 8. de s. Joanne, num. 4.

I. REGUM.

Cap. 2. v. 4. & 5. *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est, &c.* disc. 7. de s. Francisco, num. 6.

Cap. 17. v. 14. *Elegit quinque limpidissimos lapides de torrente*, disc. 11. de S. Francisco, num. 10.

Cap. 25. v. 3. *Eratque mulier illa prudentissima*, disc. 1. de s. Catharina, num. 1.

Cap. 24. v. 21. *Scio certissime quod regnaturus sis*, disc. 4. de Nativit. Christi, num. 5.

II. REGUM.

Cap. 6. v. 11. *Habitavit arca Domini in domo Obededom tribus mensibus*, disc. 6. de S. Joanne, num. 7.

v. 22. *Ero humilis in oculis meis*, disc. 6. de S. Francisco, num. 12.

Cap. 12. v. 17. *Sicut Angelus Domini, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur*, disc. 3. de S. Stephano, num. 11. Item disc. 7. de eodem num. 5.

v. 20. *Tu autem Domine mi Rex Sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram*, dis. 7. de s. Stephano, num. 3.

Cap. 3. v. 28. *David sedens in Cathedra sapientissimus*, disc. 7. de S. Joanne, num. 6.

III. REGUM.

Cap. 14. v. 14. *Adhuc ibi te loquente cum Rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos*, disc. 6. de omnibus Sanctis, num. 12.

Cap. 5. v. 17. *Præcepit Rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi*, disc. 6. de s. Stephano, num. 2.

Cap. 6. v. 7. *Domus cum ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est, malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, dum ædificaretur*, disc. 4. de s. Stephano, num. 6.

v. 32. *Sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species*, disc. 3. num. 8. in festo s. Martini Episcopi.

IV. REGUM.

Cap. 2. v. 9. *Oro ut fiat in me duplex spiritus tuus*, disc. 1. de s. Sylvestro, num. 6.

II. PARALIPOMENON.

Cap. 7. v. 15. *Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit*, disc. 7. de Conceptione, num. 12.

TOBIÆ.

Cap. 7. v. 2. *Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ*, disc. 3. de omnibus Sanctis, num. 6.

JUDITH.

Cap. 11. v. 18. *Mirabantur sapientiam ejus, & dicebant alter ad alterum*, disc. 1. de s. Catharina, num. 1.

v. 19. *Non est talis mulier super terram, in aspectu in pulchritudine, & in sensu verborum*, ibid.

Cap. 16. v. 24. *Erat populus jucundus secundum faciem Sanctorum*, disc. 2. de omnibus Sanctis, num. 11.

ESTHER.

Cap. 6. v. 9. *Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare*, disc. 16. de s. Francisco, num. 7.

Cap. 15. v. 12. *Ego sum frater tuus, noli metuere*, disc. 1. de Conceptione, num. 3.

v. 13. *Non morieris: non enim pro te sed pro omnibus hæc lex constituta est*, ibid.

JOB.

Cap. 1. v. 1. *Vir erat in terra Hus*, disc. 1. de sancto Martino, num. 8.

v. 15. *Pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus*, disc. 1. de Innocentibus, num. 7.

Cap. 4. v. 7. *Quis unquam innocens periit?* disc. 3. de Innocentibus, num. 1.

Cap. 5. v. 1. *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*, disc. 5. de omnibus Sanctis, num. 1.

Cap. 9.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM SALOMONIS.

ECCLESIASTIS.

CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

v. 8.

I S A I Æ.

J E R E M I Æ.

T H R E N O R U M.

E Z E C H I E L I S.

D A N I E L I S.

O S E Æ.

J O E L.

A M O S.

HA-

HABACUC.

AGGÆI.

ZACHARIÆ.

I. MACHABÆORUM.

II. MACHABÆORUM.

MATTHÆI.

MARCI.

LUCÆ.

de

J O A N N I S.

ACTUUM APOSTOLORUM.

EPISTOLÆ AD ROMANOS.

v. 21.

AD CORINTHIOS I.

AD CORINTHIOS II.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

AD THESSALONICENSES I.

I. AD TIMOTHEUM.

II. AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

EX EPISTOLA S. JACOBI.

I. PETRI.

II. PETRI.

I. JOANNIS APOSTOLI.

APOCALYPSIS.

v. 3. *Et*

Finis Indicis Partis Quartæ.

2. 4–193